29,114 / D

A XXXI Hof

FRIDERICI
HOFFMANNI
OPERUM
SUPPLEMENTUM

IN DUAS PARTES DISTRIBUTUM.

20585

FRIDERICI HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS BORUSSIÆ INTIMI, ET ARCHIATRI, PROFESSORIS MEDICINÆ PRIMARII IN ACADEMIA HALENSI,

OPERUM OMNIUM PHYSICO-MEDICORUM SUPPLEMENTUM

IN DUAS PARTES DISTRIBUTUM;

QUIBUS CONTINENTUR

OPERA VARIA QUÆ IN MAGNA OPERUM COLLECTIONE DESIDERANTUR.

PARS PRIMA.



GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCCXLIX.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

BIBLIOPOLÆ LECTORI.

IN ultima & nuperrima maximæ celeberrimi Viri FRIDERICI HOFFMANNI Operum Collectionis Editione, anno proximè elapſo juris publici facta, ſpem tibi injecimus, LECTOR AMICE, nos quamprimùm aliquod huic Collectioni Supplementum additures eſſe tibi offerendum. Haud promiſſis ſtetiſſemus, & te vana ſpe deluſum fuiſſe jure querereris, ni valida operariorum manu vexatum indeſinenti labore noſtrum ingemuiſſet prelum in cudendis duobus noviſſimis voluminibus, pro celebratiſſimi Auctoris ſcriptorum mantiſſa non ineptè habendis. Ut ergo jam diuturnioris moræ impatientem inhiantium rei medicæ ſtudioſorum, qui inexplebili fame quidquid *Hoffmannianum* redolet nomen, vel etiam poſthabito rigoroſiori quolibet examine, ambabus ulnis amplectuntur (tantum potuit incomparabilis Viri fama!) mentem expleremus, & juſtæ omnium Philiatrorum expectationi uno ore clamantium faceremus ſatis, en tibi prodeunt, BENEVOLE LECTOR, ſub titulo SUPPLEMENTI, Illuſtriſſimi FRIDERICI HOFFMANNI, novi Hippocratis, & ſui ævi Medicorum facile Principis, *Opera ſpurio-legitima*, vel ut conſonantioribus utamur verbis, *Collectio nova variorum Scriptorum phyſico-medicorum*, quæ ſub duplici facie conſiderari, atque in duos diſtinctos ordines diſtribui poſſunt. Occurrunt ſiquidem, 1°. Tractatus varii, qui ex inexhauſta indefeſſi Hippocratis noſtri ſupellectili prodierunt, ex quo typis mandata fuere primitiora illius Opera, vel quibus in magna Collectione locum negavit nuſquam ſatis laudandus Auctor, ne ultra modum creſcerent Voluminum numerus & moles; vel etiam quod in omnium manibus ſeparatim editi verſarentur. 2°. Nothi aliqui Tractatus, id eſt, illi quos partus ſuos legitimos non agnovit doctiſſimus

mus

mus Archiater, utpote quos ex cathedra dictando exceptos, rudes adhuc, necdum ultima ſcrupuloſi Auctoris lima perpolitos, haud culpando zelo publicæ commiſerunt luci illius Diſcipuli.

In primam claſſem haud abſonum erit admitti 1°. Diſſertationem *de optima philoſophandi ratione*, & alia. 2°. Celeberrimi Viri, PETRI POTERII opera, quæ doctiſſimis ſimul ac ampliſſimis, licet doctrinæ majoris indies futuræ primitiis, notis illuſtravit Clariſſimus HOFFMANNUS; quod non parvum incitamentum fuit *Hoffmanniani* nominis cultoribus, ut illa avidè exciperent; præſertim verò propter additas in notis aliquas formulas medicamentorum ab Auctore noſtro frequenter præſcriptorum, quas nullibi cæterorum illius operum reperire eſt, vel etiam propter annexam luculentam Tractationem de febribus, quam, cùm in magna Operum collectione illam non inſeruerit, jam in hoc novo Supplemento perſimilem *Poterii* Tractatum proximè ſubſequentem, ab omnibus orbis medici incolis blandè accipiendam fore nullus ambigendi locus; eximio enim applauſu ab Eruditis exceptus eſt hic liber, honorificumque admodum extat de ipſo judicium in Actis Eruditorum Lipſiæ editis. 3°. Eruditiſſimi Auctoris *Diſſertationes* exquiſitiſſimas non minus ac utiliſſimas, cùm ad earum quamplurimas ſuſpenſum Lectorem remittat, quoties in Opere primario tractandam ſeſe præbet aliqua quæſtio in Diſſertationibus prolixius & ad amuſſim diſcuſſa. Sparſas huc & illuc hujus generis Diſſertationes, quantas detegere potuit diligentior cura, hactenus collegimus, & ſi quæ adhuc exactæ ſcrutatorum indagini ſe ſubripuerint, has aliquando repertas impoſterum prelo ſubjiciemus, ita ut facili negotio cum cæteris coadunari poſſint. Inter illas duæ potiſſimum ſe offerunt notandas, ſcilicet una cui titulus *Fundamenta Medicinæ*, quæ in quibuſdam tam intra quam extra Germaniam Academiis, lectionibus publicis inſerviit; altera, *De acido vitrioli vinoſo*, propter exhibitam in illa excellentem præparandi liquoris anodini methodum.

In ſecunda claſſe non incongruè locum occupabunt 1°. *Medicus Politicus*, pro legitimo Authoris noſtri partu communiter habitus; an ſatis rectè, judicent qui legerint, & auream Eruditiſſimi Medicorum Coryphæi ſcribendi methodum noverint; ſed aliunde quàm exquiſitus ille Tractatus dicunt & abundanter prædicant pluries jam repetitæ illius Editiones, non grato tantùm ſed & avido animo exceptæ. 2°. *Commentarius de differentia inter præclariſſimi* HOFFMANNI *doctrinam Medico-mechanicam*, & GEORGII ERNESTI STAHLII *Medico-organicam*, quem etiam in hac noviſſima collectione collocare, haud ineptum viſum eſt.

Denique ut ambobus bene fultum pedibus incederet hoc opus, atque nihil omnino deſideraretur eorum quibus admiranda ac profunda innoteſceret

ceret doctrina tanti Viri , cujus famæ , etiamſi æternam & immortalem hanc reddiderint ſola ipſius Scripta , non tamen parum incrementi dabunt ſonum illius in exoticas & remotiſſimas Orbis nationes, eruditionis buccina, diſſeminantes tot & tam celebres Germanici Hippocratis Diſcipuli, qui cum ingenti Artis Medicæ laude, non minus quam cum amplo ſalutis humanæ beneficio illam exercent. Pro totius Operis coronide ſeſe offerunt ultimam aciem claudentes *Formulæ Medicamentorum*, quæ ad varios fugandos morbos adhibenda in Opere primario proponit alias ſagaciſſimus HOFFMANNUS, nulla utplurimum de congrua hæc concinnandi methodo facta mentione. Hæ vero Formulæ cum ab omnibus ſpagyrico-Medicis repercuſſis clamoribus enixè expeterentur, hanc ſedavit ſitim Vir Doctiſſimus, & de re medica non parum meritus D. ERNESTUS ANTONIUS NICOLAI, digniſſimi Magiſtri non indignus Diſcipulus & Alumnus, qui nulli pepercit labori nullumque non movit lapidem ut nonnullas Authoris noſtri Formulas cum ſuis quamplurimis ad illius mentem accommodatis in unum colligeret; qua in parte inexpletum obmurmurantis publici ſatiavit animum.

Hæc de novi hujus *Supplementi* Editione dicta ſufficiant, ne prolixiori & vano verborum ſtrepitu bilem magis quàm ſalivam moveamus. Igitur hoc Opus, non inauguratò, ſed conſultis & ſuadentibus non inferioris notæ Viris Medicis ſuſceptum, & quod ineunte anno MDCCXLIX in dias luminis auras, favente Deo, ceſſurum eſt, pro xeniis accipe, LECTOR AMICE, hoc diu fruere & VALE.

CONSPECTUS GENERALIS
HUJUSCE SUPPLEMENTI.

PARS PRIMA.

Exercitatio de optima Philoſophandi Ratione; cui accedunt ſelectiores quædam Epiſtolæ Leibnitianæ.
Diſſertationes duæ Theologico-Phyſico-Medicæ.
PETRI POTERII Opera omnia Practica & Chymica, cum Annotationibus & Additamentis FRIDERICI HOFFMANNI.

PARS SECUNDA.

Diſſertationes varii Argumenti;
Harum Diſſertationum Elenchus poſt hujus Partis titulum invenitur.
Medicus Politicus; ſive Regulæ Prudentiæ ſecundum quas Medicus Juvenis ſtudia ſua & vitæ rationem dirigere debet.
Commentarius de Differentia inter FRIDERICI HOFFMANNI Doctrinam Medico-Mechanicam; & GEORGII ERNESTI STAHLII Medico-Organicam.
ERNESTI ANTONII NICOLAI Methodus concinnandi formulas Medicamentorum exemplis ad *Frid. Hoffmanni* mentem accommodatis illuſtrata.

FRIDE-

FRIDERICI
HOFFMANNI
EXERCITATIO
DE OPTIMA
PHILOSOPHANDI RATIONE
EX
SOLERTIORI DEI EJUSQUE ADMIRABILIUM
IN NATURA OPERUM
ET PRÆCIPUE IPSIUS HOMINIS COGNITIONE PETENDA
ad Divinæ Majeſtatis gloriam manifeſtandam & pietatem promovendam
CUI
SELECTIORES QUÆDAM EPISTOLÆ LEIBNITIANÆ
ACCEDUNT.

VENERANDIS AMPLISSIMIS ET CLARISSIMIS

SAPIENTIÆ DIVINÆ

ATQUE

HUMANÆ DOCTORIBUS ET PRÆCIPUE IIS
QUI CŒLESTIS DOCTRINÆ STUDIO ADDICTI
SALUBERRIMAM RERUM NATURALIUM PHILOSOPHIAM
PULCHERRIMO CONNUBIO
IN DOCENDO JUNGERE
ET MENTIS PARITER AC CORPORIS SANITATEM
INTEGRAM DIU CONSERVARE VOLUNT

HOC SPECIMEN

THEOLOGICO PHYSICUM

EX MEDITATIONE EXPERIENTIA

E T

CALAMO PROFLUENS

MEDICI OCTOGENARII

DICATUM ET CONSECRATUM SIT.

PRÆFATIO.

OFFERO Tibi, Amiciſſime Lector, libellum mole quidem exiguum, ſed qui plures ſaluberrimas ad intimiorem Dei cognitionem veramque humani generis felicitatem pertinentes veritates, facili & perſpicua methodo propoſitas complectitur, ultimum forte, ſi ita Deo viſum fuerit; ingenii & experientiæ, ætatiſque provectioris fœtum, cujus attenta lectio, meditatio & applicatio ob inſignem fructum & animi delectationem omnibus eruditis, maximopere vero theologiæ ſtudio addictis, commendanda erit. Philoſophiam, qua nullum majus humano generi a Deo immortali datum eſt munus, hominem vere rationalem & perfectiorem reddere poſſe, ex ſapientioribus negabit nemo. Sed, ut plures ejus dantur partes, ita ex iis eminentiores merito ſunt matheſis, & rerum naturalium ſive Dei operum ſcientia, quarum illa rectum facultatum mentis uſum in omnibus diſciplinis & artibus exhibet ampliſſimum, hæc vero inprimis œconomiæ, theologiæ & medicinæ ſtudioſis ſcitu neceſſaria & utiliſſima eſt. Siquidem ex interiori admirandorum Dei operum cognitione divini Numinis exiſtentia, ejuſque attributa liquidiſſime & quam optime poſſunt demonſtrari, adeo ut ad verbi divini revelati veritatem agnoſcendam ipſa facem præferat, & manuductionem ſuppeditet longe optimam. Enimvero non diffitendum eſt, in divino verbo abundantiſſimos ſapientiæ divinæ & humanæ theſauros reperiri, qui ſoli hominem ad perfectiorem ſtatum vitamque beatam perducere valent. Attamen probe conſiderare oportet, plures ex gentibus hoc divinarum veritatum theſauro deſtitui, & multos, noſtro præſertim ævo, dari tam ſuperbæ mentis & occoecati cordis, ut conſcientiæ & rationis lumini reluctando futilibus argumentis Dei exiſtentiam negare, & revelatam ſcripturam deſpicatui habere audeant, hanc præſertim ob rationem, quod myſteria robuſtiori ſua, licet debiliſſima judicii acie, concipere nequeant. Accedit, quod plures dentur, qui ſacras quidem litteras poſſident, legunt & audiunt, imo ore etiam Deum profitentur, ſed non ſatis de hiſce veritatibus convicti, eundem nihilominus re & opere negant.

Cum hujus generis hominibus omnino alia longe ratione & methodo procedendum eſt, ut de exiſtentiæ divinæ, ejuſque oraculorum veritate convincantur, cujus momenti ratio in eo potiſſimum verſatur, ut ex univerſi operibus ſenſibus obviis per internam convictionem ad exiſtentiam entis ſupremi, inviſibilis & perfectiſſimi, a quo omnia in univerſo dependent & originem habent, agnoſcendam ipſorum intellectus perducatur. Qua methodo etiam divinus PAULUS ad gentiles inſtruendos Cap. I. ad Rom. v. 20. uſus eſt, dum ſcribit: *inviſibilia Dei, ejuſque ſempiternas virtutes ex mundi operibus conſpici poſſunt*, & ob id incuſat eos, quod ex rebus creatis viſui obnoxiis earum cauſam cognoſcere potuerint, ſed proh dolor! noluerint. Cui ESAIAS cap. XL. v. 27. 28. adſentitur his verbis: *cui vero me comparabitis, ut æquiparer, inquit Auguſtus? attollite in ſublime veſtros oculos & adſpicite, quis ſidera illa creaverit, qui eorum exercitum numero educit, ſuo quodque nomine vocans tanta virtute, tamque firmis viribus, ut nullum deſit.* Et idem Propheta cap. XXIX. v. 23. 24. prodidit: *cum viderint pueros ſuos, manuum mearum opus, inter ipſos meum ſancte celebrare & colere nomen, & Iſraelitarum Deum reformidare, tum ſcient ſocordes prudentiam, & diſcent garruli diſciplinam.* Et in libro Sapient. c. XIII. hæc exſtant: *vani ſunt omnes homines, in quibus ineſt ignoratio Dei, quæ in adſpectabilibus operibus cognoſci & conſiderari poteſt: ſiquidem ex magnitudine & pulchritudine rerum creatarum creator ſpectatur, cujus potentem efficaciam admirari debemus.*

At vero dolendum vehementer, quod & olim & noſtro etiam tempore phyſica

tam rationalis, quam experimentalis a vulgo, & a quibuſdam etiam doctis tantummodo inter curioſitates, ſed perperam, referatur, cum potius ad cognoſcendum Deum, ejuſque cultum & pietatem promovendam nulla diſciplina inveniatur aptior, nulla præſtantior. Hoc enim, quod oculis intuemur, univerſum, eſt ſpeculum Dei ejuſque immenſarum virtutum, quod cum omnibus in ipſo reperiundis rebus eum in finem condidit, ut colligi poſſit, qualis ſit artifex. Recte enim argumentamur ab operibus ad eorum auctorem, & per ea, tanquam per ſcalam, ad cauſam, a qua dependent, adſcendimus. Sapientiſſimi regum, *David* & *Salomo* phyſicæ ſcientiæ deditiſſimi erant, quorum ille ſingularem & admirandam Dei providentiam in gubernandis rebus creatis *Pſalmo* toto 104. item omniſcientiam in *Pſalmo* 139. non ſatis celebrare poteſt. Et *Salomo lib.* I. *Reg. cap.* 4. *v.* 29. tanta ſapientia, tantaque ingenii ubertate divinitus erat præditus, ut ejus fama apud omnes utique gentes fuerit divulgata: *Diſſeruit de arboribus a cedro Libani uſque ad hyſſopum, qui naſcitur in parietibus: diſſeruit de quadrupedibus, de piſcibus, de ſerpentibus & inſectis.* Jam vero noſtri & priori ſeculo florentiſſimo nobiliſſima rerum naturalium ſcientia per egregia inventa, obſervationes & inſtrumenta in aſtronomicis, phyſico-mechanicis, anatomicis & chymicis ad tam inſignem perfectionis apicem perducta eſt, ut jure meritoque reliquis philoſophiæ partibus, ob præſtantiſſimum uſum, præferenda ſit. Id quod illuſtris LEIBNITIUS in epiſtola antepenultima infra legenda, anno 1701. ad me præſcripta his verbis adfirmat: *collegii phyſici experimentalis unam lectionem centum metaphyſicis, logicis & ethicis, quales vulgo audiuntur, præfero.* Quum vero collegia ejuſmodi phyſica experimentalia, quod dolendum, uſque eo raro in academiis habeantur vel frequententur; non mirum eſt, quod nec in theologia, nec in medicina rationali diſcentes pariter atque docentes ſolidi quidquam præſtare valeant. Et hinc quoque ratio mihi videtur deducenda, quamobrem, ſi quis ſcripta vel diſſertationes, quæ cum ſcientia naturali aliquam habent affinitatem, deſideret, v. g. de homine & ejus reali definitione, de morbis ex faſcino, de miraculis, de abdito naturæ ordine cum miraculis non confundendo, de cauſſa mortis naturali & neceſſaria, de termino vitæ a Deo præfixo, de propagatione animæ humanæ, de fato naturali vero & fatuo, de inſpiratione ſive inſania theologica ex morbo cerebri, de tribus hominis partibus, ſpiritu, anima & corpore, de differentia animæ noſtræ ab anima brutorum, de mutuo commercio animæ & corporis, de ſemine benedicto & maledicto &c. illæ vix ac ne vix quidem reperiantur, cum tamen de aliis dogmatibus aliquot mille in academiis habitæ proſtent. Etenim in ſacro codice plura occurrunt loca, ubi Deus prima effectuum naturalium cauſa eſt, quoniam vero ipſe ordinario nihil ſine cauſis ſecundis, nihil ſine mediis ſubordinatis, nec ſine conveniente ordine & fine agit, quæ theologi & medici, philoſophiæ naturalis ignari capere & explicare nequeunt; hinc fieri ſolet, ut vel ſcripta ejuſmodi prorſus omittantur, vel ita comparata ſint, ut perſpicaciora ingenia exiguum vel nullum plane fructum exinde recipiant.

Verum enim vero, fuerunt olim & etiamnum ſunt viri quidam pii & eruditi, ſanioris philoſophiæ præceptis imbuti, quorum ſcriptis non dignum ſatis pretium conſtitui poteſt. Horum in numero ſunt MATTHESII, LUTHERO coævi, liber dictus *Sarepta*, in quo ex regno ſubterraneo Dei cognitionem deducit. Et ſummus ſuperioris ſeculi theologus *Johan.* ARNDIUS, in *libro IV. de vero Chriſtianiſmo*, ſcripto nunquam ſatis ad pietatem infucatam promovendam commendando, totus in eo eſt, ut ex libro naturæ, ſeu admirabili rerum creaturarum ordine & uſu homines ad Deum, ſapientiſſime omnia ordinantem exinde agnoſcendum, eique obediendum deducat. Sic quoque jam jam, in Anglia præſertim, egregii dantur viri, qui cæleſtem doctrinam cum ſcientia rerum naturalium amico quodam connubio junxerunt, quos inter potiſſimum DERHAMII, NIEUWENTYT, *Matthiæ* HALL, *de origine mundi & hominum*, STILLINGFLET *origines ſacræ*, *Jo.* RAII *de mundi initio, mutatione, interitu*, item *de gloria Dei ex creatione rerum*, BOYLE *de venerat. Deo ab intellectu humano debita*, PARCKERI *cogitationes de Deo & providentia*, & SCHEUCHZERI *phyſica ſacra* præ ceteris excellunt, quorum ſingula præclaris obſervationibus adornata ſcripta magno cum applauſu & inſigni legentium delectatione excepta, repetitimque recuſa ſunt. Quorſum etiam Celeberrimi noſtri WOLFII, amici conjunctiſſimi, utiliſſimus liber *de finibus rerum naturalium* pertinet: quem in ſcopum etiam venerandi Berolinenſis theologi REINBECCII in confeſſionem Auguſtanam ſcripta, pulcherrimis annotationibus phyſicis illuſtrata plurimum commendari merentur, cujus meritiſſimi viri cura etiam B. LICHTSCHEIDII, theologi in mathematicis & phyſicis verſatiſſimi præſtantiſſima ſcripta, ante aliquot annos edita proſtant. Neque hoc loco meminiſſe ſupervacaneum erit, me

olim

olim non ſemel, ſed aliquoties cum ſummi nominis theologo B. Spenero de ſtudio phyſices, tantopere in theologorum ſcholis neglecto, ſermonem inſtituiſſe, ubi hic celeberrimus & limati judicii theologus ingenue mihi confeſſus eſt, ſe mirifice divinum hoc ſtudium æſtimare, ſed valde dolere, quod eo tempore, cum ſtudiis in academiis vacaſſet, hoc minus recte fuiſſet tractatum: interim ſe nullam prætermittere occaſionem, illud plurimum iis omnibus commendandi, qui aliquando præ ceteris in theologia excellere cuperent. Id quod etiam ſuo ipſius exemplo ſatis poſtea comprobavit, dum filios ſuos probe eodem imbuendos curavit, quorum natu maximus etiam inter ipſa hujus academiæ primordia matheſeos & phyſices experimentalis conſtitutus fuit profeſſor.

Sed ut libere profitear, quid ſentiam. Vera & ſaluberrima rerum phyſicarum & inprimis vivi corporis humani philoſophia a nullo rectius & melius, quam a rationali & perito medico tractari & explicari poteſt: ſiquidem ſubjectum & finis hujus ſtudii, homo & ejus perfectio eſt; nullus autem eruditorum humanam naturam, quoad corpus vivum & animæ facultates & horum mutuam inter ſe harmoniam, penitius perſpicere valet, quam medicus, principiis phyſico-mechanicis & obſervationibus, ex anatomia, chymia, praxi medica & remediorum viribus deſumtis, inſtructus. Quæ cum ita ſint, ego jam in ultimo vitæ meæ termino conſtitutus id laboris bono cum Deo ſuſcepi, ut ſpecimen quoddam theologico-phyſicum poſteritati relinquerem, quod pluribus non ita multum obviis obſervationibus illuſtratum attente legentibus non ſine inſigni erit fructu atque utilitate. Qua vero ratione & ordine præſtantiſſimum hoc argumentum pertractaverim, paucis nunc indicabo. In primo Capite ſolennem noſtro ævo definitionem philoſophiæ adpoſui, quæ cognitionem noſtram in rebus naturalibus valde imperfectam ob humani intellectus hac in vita debilitatem, quæ præcipue in ſenſuum noſtrorum imbecillitate fundata eſt, indicat.

Hujus quidem rei innumera poſſent dari exempla: ſed jam ſolum ſtupendos illos effectus, quos matris gravidæ imaginatio in fœtu mirifice deformando exſerere ſolet, in medium profero; aut magnetem conſiderandum propono, cujus inſignes ferrum attrahendi vires, & peculiares ad polos converſiones & declinationes, pro locorum varietate differentes, non poſſunt non omnibus maximam movere admirationem. Nemo enim hactenus, quantum ſcio, tanta mentis acie fuit inſtructus, ut ſufficientes horum phænomenorum rationes invenire potuerit. Ecquis philoſophorum extraordinarias ventorum vires, ordinarium naturæ curſum turbantes, ex genuinis fontibus & ſedibus deducere valet? In §°. hujus Capitis ſecundo definitionem, quæ philoſophiæ, tam theoreticæ, quam practicæ, melius quadrat, & a fine deſumta eſt, propoſui, ut planius inde conſtet, eum quam maxime philoſophum, qui utilia & ſcitu neceſſaria novit, ſapere, & pro ipſa mentis medicina philoſophiam eſſe inprimis habendam. In Capite II. fundamentum omnis humanæ perfectionis, quæ philoſophiæ finis eſt, in unico obedientiæ vocabulo repoſui, ſub qua actionum noſtrarum conformitatem cum ordine divino atque ſapiente humano intelligo, quæ ad omnem noſtram ſalutem obtinendam præcipue eſt neceſſaria. Atque de eodem argumento *Illuſtris* noſter Wolfius in priore *Juris naturæ* tomo, non ita pridem edito, doctiſſime egit, ubi omnem doctrinam moralem, hominumque obligationes & officia ex ipſa naturæ lege demonſtravit.

In Capite III. ſelectioribus quibuſdam præſtantiſſimorum philoſophorum, maximeque antiquiſſimi Homeri dictis, divini Numinis cognitionem ex ſolo naturæ lumine, omnibus gentibus connato, repetendam docui. In Capite autem IV. ſummi & perfectiſſimi entis exiſtentiam & attributa per aptam ratiociniorum ſeriem ex legibus naturæ, rerumque in univerſo obviarum limitibus, & ordinis rerum contingentia, methodo mixta ſynthetica & analytica, deduxi: ſiquidem exiſtens limitatum ſupponit exiſtentiam potentioris limitantis. In Capite V. eandem demonſtrationem ex ſapienti rerum hujus univerſi nexu & ordine clariſſime exhibui. In Cap. VI. & VII. ex ſapienti pariter ac conſtanti ſiderum cæleſtium, maximeque ſolis motu & ſaluberrimo in ſublunaria influxu infinitam Dei potentiam, ſapientiam & providam rerum creatarum, inprimis generis humani, curam & conſervationem luculenter demonſtratam dedi. In Capite VIII. de admiranda tam vegetantium, quam animantium vi propagativa, in exiliſſima ſeminum mole deliteſcente & rerum creatarum conſervatore inde cognoſcendo egi, ut liquido appareat, in re quadam minima & incomprehenſibili Deum voluiſſe maximum & in regno naturæ ſupremum dominum apparere. In Capite IX. de divino naturæ mechaniſmo in productione vegetabilium & ſalutari horum uſu diſſerui. In Capite X. magnifica Dei opera, in mundo ſubterraneo magno agmine obvia, quantum

fieri potuit, perluſtravi, eorumque ſingula ad inſigniſſimos in vita humana uſus conferre docui. In Capite XI. ſingularis Dei providentia in regno animantium, qua omnia in noſtrum commodum & adjumentum producta ſunt, ſe patefacit. Caput XII. ejuſdem ſapientiam ex rebus difficillimæ intelligentiæ in eodem regno ſe manifeſtantem exhibet, quam in Capite XIII. ex admirabili mechanica fabrica minimorum animalculorum ſatis luculenter derivavi. In Capite XIV. & XV. ſapientiſſimum Dei mechaniſmum, in omnibus vel abjectiſſimis animalculis conſpicuum, ſingulisque inditum peculiari artificio ſe conſervandi ſenſum, & quod fere ſingula hominibus egregia virtutum exempla & documenta præbeant, monſtravi, & deinde animæ ſic dictæ ſenſitivæ & vegetativæ eſſentiam, quantum licuit, evolvi. In Capite XVI. ex accuratiori ſolius hominis, ceu creaturæ omnium perfectiſſimæ, quæ quaſi naturæ miraculum eſt, cognitione ipſum Deum optime cognoſcendum probavi. Profecto enim homo, qui perfectiones particulares inter cetera animantia diſtributas in ſe quaſi omnes unitas continet, & mirabili plane modo ex duplici ſubſtantia, anima ſcilicet ſpirituali, intelligente & libere agente, cum corpore vivo ſenſitivo, intime unita conſtat, inſigne & lucidiſſimum ſummi artificis, omniumque ejus perfectionum præbet ſpeculum. Quare antiquiſſimus religionis chriſtianæ defenſor Theophilus a quibuſdam rogatus, quid Deus ſit? rectiſſime reſpondit: *prius mihi debetis dicere, quid homo ſit, tum vobis aperire volo, quid ſit Deus.* Certe corpus noſtrum tanto conſtructum eſt artificio & tam exquiſita architecti arte compoſitum, ut Galenus, licet ethnicus, in anatome & corporum humanorum diſſectionibus formam, pulchritudinem, uſum, commoditatem, neceſſitatem & finem denique cujuſque partis, ex qua illud conflatum eſt, conſiderans, in admirationem raptus obſtupeſcat. Quod ipſemet abunde teſtatur, *Lib. III. C. X.* quem ſcripſit *de utilitate partium*, ubi hæc exſtant verba: *Tractatum hunc ſcribo, tanquam hymnum & laudem, quam ei, a quo creati formatique ſumus, dico & conſecro & hanc puto veram eſſe, quam illi debemus, pietatem, verum & purum, quem illi debemus, cultum, non autem hecatombas, non thuris aliarumque odoratarum herbarum ſuffitum, ſed potius, ſi ego prior agnoſcam, & aliis deinceps immenſam ejus ſapientiam, potentiam & bonitatem prædicem. Nam res omnes proprio & convenienti, cujus ſint capaces, ornamento decorare, & nihil per invidiam ipſis detrahere, nec bonum ullum ipſis ſubducere, demonſtratio eſt ſummæ bonitatis, qua in re potiſſimum ejus erga nos bonitatem prædicare debemus. Sed modum & rationem invenire, qua res ſingulæ ſuum conſequantur decorem, ſignum eſt magnæ ſapientiæ: quidquid vero propoſueris & decreveris perficere, invictæ fortudinis & virtutis indicium eſt.*

Celebres philoſophi noſtri ævi ex ſapienti omnium rerum ordine, quo unum ex altero concatenato nexu ſequitur, Dei exiſtentiam quam maxime probandam cenſent. At ſi meum proferre licet judicium, equidem valde dubito, an ad laudabilem hunc finem obtinendum univerſalis ille rerum corporearum in macrocoſmo mutuus nexus & ordo, in tam immenſo ambitu ſpectatus & a ſenſibus longiſſime remotus ſatis exacte concipi poſſit & conſiderari. Quare longe melius medicus rationalis, in anatomica & phyſica ſcientia probe verſatus breviori, faciliori & magis perſpicua methodo ex ſtupenda microcoſmi machina, inque ea tot diverſarum partium deprehenſa diſpoſitione & uſu divini Numinis exiſtentiam, ſapientiam & bonitatem oculis animiſque manifeſtare poterit. Nam innumeræ admodumque diſſimiles ratione magnitudinis, ſitus, ſtructuræ & functionis partes ope anatomiæ in homine deteguntur, atque tot ibi vaſorum & vaſculorum minimorum ramificationes, tot membranarum & fibrarum tam nervoſarum quam muſculoſarum implicationes & convolutiones in viſceribus & glandulis obſervantur, ut primo intuitu ſummam potius confuſionem, quam ſapientem ordinem inde judicare liceat: nihilominus, accuratiori inſtituto examine, infinita perfectiſſimi artificis mechanica ſapientia elucet inde clariſſime. Siquidem omnium harum partium & myriadum machinularum admirabilis quædam & amiciſſima eſt conſenſio, unice ad hunc finem tendens, ut perenni progreſſivo ſanguinis & humorum circuitu, partiumque ſolidarum motu ſyſtaltico & diaſtaltico corpus, in corruptionem valde proclive, a tetra putredinis labe immune ſervetur, & animæ ſpirituali & intellectuali commodum præbeat domicilium & inſtrumentum, quocum & per quod ipſa functiones ſuas ſenſitivas, quarum miniſterio anima rationalis utitur, perficere queat. Sicut vero tam venuſtus, tamque concinnus hic ordo, in quo omnes motuum leges tam mechanicæ, ſtaticæ & hydroſtaticæ, quam hydraulicæ, opticæ & architectonicæ deprehenduntur, nullum fundamentum ſeu rationem exiſtentiæ ſuæ in ſe ipſo habet, cum undique infiniti fines, infinitaque ad illos obtinendos media eluceſcant: ita neceſſe eſt, ut in eminentiſſima quadam prima cauſa ſufficientem tot variorum effectuum rationem quæramus.

Præterea, immenſas Dei perfectiones abunde ſatis declarat illa in homine admiratione digniſſima harmonia, quam motus humorum vitales cum ſenſationibus, & hæ rurſus cum

anima

anima ſpirituali, imo hæc ipſa quoque cum corporis artubus pro lubitu movendis habet: quo de argumento in Capite XVII. fuſius egi. Licet autem modus, quomodo ſpiritualis ſubſtantia cum anima ſic dicta ſenſitiva materiali communionem habeat, intellectum noſtrum, ſicuti res plures aliæ, valde exſuperet; ab ignoratione tamen modi ad rem ipſam negandam non valere conſequentiam, quilibet facile intelliget. Mihi interim circa hanc doctrinam valde ſemper placuit hæc theologorum atque philoſophorum ſententia, qua ſtatuunt, ſpiritum finitum, ad quos etiam anima referenda eſt, in operationibus ſuis ſemper cum materiali quodam ſimplici, ſubtiliſſimo, homogeneo elementari principio eſſe junctum atque unitum. Et hinc eſt, quod *Ger. Jo.* Vossius *de origine & progreſſu idololatriæ lib. I. cap. VI. p.* 17. 18. eorum Eccleſiæ Patrum teſtimonia ex inſtituto collegerit, qui ſpiritus omnes finitos, localiter circumſcriptos, ipſoſque angelos, corpuſculo indutos docuerunt. Quibus ſuppoſitis, hujus commercii modus non videtur cognitu impoſſibilis, ſi videlicet aſſumamus, ens ſimplex, ut anima rationalis, non in craſſum mutabile mixtum, ſed in aliud ſimplex extenſum homogeneum ſenſitivum agere poſſe. Nam ſicut corpus animæ ſervit in iis, quæ libere agit; ſic viciſſim corpori anima ſervit ſecundum ea, quæ ad ſenſus pertinent. Interim tamen vim diſtincte cogitandi anima non a corpore efficienter accipit, ſed eam conformiter & harmonice exercet. Sed notari velim, niſi animæ in corpus influxum mere phyſicum dicere velimus, eundem poſſe metaphyſico-phyſicum appellari.

Præterea, ex animæ noſtræ facultatibus paullo attentius conſideratis ad exquiſitiorem Dei cognitionem pervenire etiam commode poſſumus: ſiquidem lineamenta & veſtigia imaginis ſimilitudiniſque Dei in anima latent. Sicut enim anima per ſenſus pro diverſo corporis ſitu innumeras res ſibi repræſentat; ita colligimus, infinitum intellectum divinum omnis generis res in univerſo exiſtentes, ſive libere ſive neceſſario agant, harumque vires & operationes uno actu ſimul ac ſemel ſibi diſtinctiſſime repræſentare. Dein, quemadmodum hominis voluntas auctoritatem a Deo per creationem accepit, ut non modo pro lubitu & ſtatim in momento hæc vel illa corporis membra, præſertim externa, movere poſſit, ſed etiam in omnia animalia dominium habeat; unde præcipua cauſſa timoris illius, quo ad vocem & præſentiam hominis animalia, quantumvis fera, contremiſcunt: ita multo magis Dei auctoritati, dominio & poteſtati omnia in rerum natura ſunt ſubjecta, ut pro arbitrio ſuo & abſoluto imperio ea movere, vel ad certa loca in hunc vel illum finem dirigere & determinare queat. Et quemadmodum videmus architectum, ædificium aliquod molientem, totius operis & ſingularum ejus partium lineamenta facere, priuſquam fundamenta jaceat operis, quod non uno momento conficit, ſed longo tempore & magno labore utitur: ſic contra Deus ſine opificis ullius auxilio, ſine labore, uno momento tot tantaque omni ex parte perfecta opera & ſuis abſoluta numeris perfecit. Et quod majore dignum eſt admiratione, illa Deus animat, vivificat, motum & ſenſum indit, quod nulli unquam artifices, ſculptores, pictores in egregiis alias ſuis operibus fabricari atque efficere potuerunt. De quo conſenſu fuſius egi Cap. XVIII. de convenientia intellectus divini cum humano.

Quum itaque in hoc libro per plurima capita in admirandis naturæ operibus tanquam in ſpeculo omnipotentis Dei ſapientiam & incomparabilem erga genus humanum bonitatem ſatis abundeque demonſtravimus; facilius jam erit ad veram ipſius Dei definitionem deſcendere, quam ita formare placet: Deus eſt ſupremus Dominus, omnes & ſingulas diverſi admodum generis, diſſimilis naturæ & valde differentium virium in univerſo exiſtentes res, omniaque, quæ in eo eveniunt, ſapientiſſime in ſui gloriam & generis humani ſalutem diſponens atque ordinans. Ex qua definitione cuncta, quæ ad Dei eſſentiam pertinent attributa, haud difficulter poterunt explicari. Nam qui ſupremus dominus eſt, is nullum extra ſe habet ſuperiorem, ergo a ſe eſt, is æternus & immutabilis & unicus eſt; qui omnes in univerſo res pro libera ſua voluntate ordinat & moderatur, is ſumme potens & operando omnipræſens eſſe debet; qui ſapienter omnia in certum & præfixum finem accommodate dirigit, is infinite ſapiens eſt; qui omnia recte ordinat, is debet eſſe omniſcius, quia nullus ſapiens ordo fieri poteſt, niſi quis ſingularum rerum in ordinem redigendarum perfectam habeat cognitionem. Quicunque porro omnia ſapiente ordine & nexu ac provida cura in ſalutem & perfectionem humani generis diſponit, is debet eſſe ſummus amor; qui autem vere amat homines, ille nec fallit nec fallere poteſt, hinc infallibilis & ipſa veritas eſt. Et quoniam hominum actiones liberæ, vel bonæ vel malæ ſunt, adeoque vel præmia vel pœnas merentur, hinc Deus juſtus eſt: nam juſtitia involvit ſapientiam amore temperatam, dum unice vergit in hominum correctionem & bonum publicum. Neque hæc noſtra definitio verbo revelato ullo modo contradicit, ut potius in ipſo plenius confirmetur. Siquidem Deus in veteri teſtamento Adonai ſive dominus, baſis & fundamentum rerum dicitur, item Jehovah appellatur, quod vocabulum unanimi doctiſſimorum

interpretum

interpretum conſenſu omnium rerum, præſentis, præteriti & futuri temporis, eſſentiatorem & ordinatorem, qui eſt, qui erat & qui futurus eſt, denotat. Vocatur quoque Deus ordinis, qui omnia ordine, pondere & menſura facit. Pſalmo CXXXVI. legimus Deum ordine cœlum feciſſe & Pſalmo CXLVIII. memoriæ proditum eſt; curſum ſiderum in conſtanti ordine Deum conſervare. In novo teſtamento ipſe amor & Deus pacis vocatur, qui omnem bonitatem, gratiam & miſericordiam erga genus humanum includit. Meretur de bonitate Dei legib. ARNDIUS *lib. IV. c. III. & ſeq. de vero chriſtianiſmo.* Ex hac definitione Dei procedere etiam poſſumus ad clariorem divinæ providentiæ definitionem, quæ eſt conſilium Dei activum æternum, liberrimum, immutabile & ſapientiſſimum, quo facit, decernit & dirigit omnes mutationes, varietates, viciſſitudines rerum & eorum quæ fiunt in univerſo, tam bona quam mala, ad ſuam gloriam, & ad hominum, præſertim fidelium, ſalutem. Quapropter, quæ fiunt & eveniunt in univerſo, patienti, tranquilla & obſequioſa mente ſunt accipienda, de quo argumento Cap. XX. fuſius diſſeruimus. Sequens caput proponit curam hominis poſt lapſum in miſerrimum tam corporis quam animi ſtatum dejecti, quomodo & quibus efficacibus remediis in meliorem redigendus, & depreſſa imago divina reſuſcitanda ſit: id quod optime obtinendum eſſe ſtatuo per fidelem, a primis ſtatim annis factam liberorum informationem, cujus beneficio teneris adhuc & innocentibus animis veritatis, pietatis, honeſtatis, omniumque virtutum principia & fundamenta maturius inſtillari poſſunt, ac ſi per conſuetudinem & conſortium pravorum hominum eorum animus pravis deſideriis & mundanis vanitatibus & vitiorum ſeminibus infectus fuerit. Dein lumen rationis, humanæ naturæ inditum, quod conſiſtit in deſiderio ſuæ perfectionis, omnibus excitandum eſt viribus. Hoc fit, ſi Deum ſapiente ordine & amore imitari diſcamns, quod etiam ſapientiores ethnicorum inculcarunt: & quia nullus homo ſine alterius ope & auxilio felicitatem ſuam promovere poteſt; ideo ſocialis vita neceſſaria eſt, ut unus alteri opem ſuam præſtet, quod non aliter, quam per mutuum amorem & fidem, fieri debet, quæ duo ſunt optima & arctiſſima ſocietatis humanæ & benevolentiæ in hac vita vincula & fundamenta. Quum vero mali noſtri hæreditarii, quod inobedientia, diffidentia erga Deum, philautia & pravis cupiditatibus nunquam non ſeſe exſerit, radices mentibus poſt lapſum profundius inhæreſcant, ut naturali & rationali cognitione Dei ex ejus operibus acquiſita funditus evelli nequeant, ideo benigniſſimum Numen ex ſola immenſa gratia & infinito amore erga homines ad ſimilitudinem ipſius conditos præſentiſſimum & univerſale ad hoc malum perfecte ſanandum remedium conſtituit in verbo ſuo revelato, quod in filii ſui ab æterno geniti & in humana natura manifeſtati perfecta pro nobis uſque ad crucem præſtita obedientia conſiſtit, qua malum culpæ & pœnæ ſuſtulit, nos regeneravit & cum divina natura univit, in qua unione unicum & ſummum noſtrum bonum, omnis felicitatis & perfectionis deſiderium repoſitum eſt. Sacer itaque codex, qui immenſæ ſapientiæ divinæ atque humanæ theſauros complectitur, perfectiſſimus eſt liber, quia perfectiores nos reddere poteſt, quam ulla unquam philoſophia ſublimior, ſi frequenti & attenta meditatione, auxilio prius a Deo efflagitato, legatur, & nos vitam & doctrinam Chriſti ibi contentam ſequamur, de quo argumento fuſius egımus in hujus Cap. XXII. In ſequenti poſtea capite oſtendi, ſine ſanitate corporis nec mentem & ejus facultates ſatis ſanas & integras ad cognoſcendum & colendum Deum eſſe poſſe; quapropter de tuenda corporis valetudine ſanæ mentis adjutrice ibi fuſius egi, & in hunc finem ſaluberrima præcipue diætetica præcepta pro diverſo corporis ſtatu præſcripſi. Mirabilis enim eſt harmonia & conſenſio animæ noſtræ intellectualis cum vitali humorum noſtri corporis motu & æquabili temperie, ita ut uno præter naturam affecto alterum etiam afficiatur. Atque ideo mirari ſubit, quod hæc præcipua philoſophiæ pars a philoſophis in eorum ſcriptis plane omittatur, vel admodum negligatur, vel leviter ſaltim attingatur. Denique in præſenti opuſculo ſæpius antiquitatis venerandæ gentilium philoſophorum in rebus magni momenti dicta allegavi & recenſui, ut liquido inde appareat, quouſque ſolo naturæ lumine exculto in naturæ arcana majeſtatica penetrare potuerint: cum contra ſuperbi noſtri ævi philoſophi robore intellectus ſui omnia penitus exhauriri & concipi poſſe, ſed falſo ſibi perſuadeant. Ad convellendum illum ingenii impetum exempli loco ſolum hominem naturæ miraculum producam. Hic enim ex ſpiritu immortali & corpore mortali mirabiliter connexus ex puncto ſeminali, quaſi ex nihilo, oritur, & inexplicabili modo, ovulo in matricem deſcendente, inter ſtercus & urinam fovetur & formatur, ſanguine materno vitam & nutritionem, mirabili etiam modo, per connexionem cum vaſis uteri accipit; deinde exilis uteri cavitas ſucceſſive in maximum ſpatium incredibili modo expanditur, tandem per anguſtiſſimas vias extraordinario & plane ſtupendo naturæ robore in lucem protruditur, poſtea corruptibili plane alimentorum materia in vita a corruptione præſentanea liberatur ac morte tandem in tetram putrilaginem diſſolvitur. In ſe & a ſe nihil boni, ſed omne bonum & perfectum ex ſola gratia & immenſo amore Chriſti poſſidet. Quum igitur tanta in natura latitent myſteria, quæ nulla ratio capere poteſt, mirandum certe eſt, quod nonnulli hominum eo audaciæ proceſſerint, ut myſteria in verbo divino revelata, e. g. reſurrectionem corporis mortui &c. negarint vel in dubium vocaverint. Secundum SCALIGERUM *neſcire velle, quæ neſcire voluit ſummus ſciendi magiſter, optima eſt ſcientia*, & CICERO lib. de nat. Deorum, *mala & impia eſt virtus contra deos diſputandi, ſive ex animo id fiat, ſive ſimulate.* Finem facio cum THOMÆ a KEMPIS egregio dicto, quod *lib.* I. *c.* 2. *de imitatione Chriſti* exſtat, & ſic ſe habet: *melior eſt profecto humilis ruſticus, qui Deo ſervit, quam ſuperbus philoſophus, qui ſe neglecto curſum cœli conſiderat.*

In calce denique hujus tractatus ex commercio litterario, ante quadraginta & plures annos cum Illuſtri LEIBNITIO habito, epiſtolas quaſdam addidi, ut clarius inde appareat, magnum hunc virum non modo ſublimem philoſophum & mathematicum, ſed & aliarum ſcientiarum realium, inprimis phyſices, chymiæ & medicinæ rationalis magnum æſtimatorem, fautorem & promotorem fuiſſe, mihique inſigniter faviſſe.

CAPUT PRIMUM.

DE
VERA PHILOSOPHIÆ DEFINITIONE, NATURA ET USU.

§. I.

PHILOSOPHIA, qua juxta PLATONEM & CICERONEM nullum majus humano generi a Deo immortali datum eſt munus, a veteribus definitur, quod ſit rerum divinarum humanarumque & cauſſarum, quibus res continentur, ſcientia: recentiores autem dicunt eſſe ſcientiam ſufficientis rationis & ſapientis ordinis ſive ejuſmodi nexus, quo omnia in univerſo exiſtunt & eveniunt vel poſſibilia ſunt.

Scholion.

Equidem id certum ratumque eſt, quod nihil in rerum natura exiſtat, fiat vel mutetur ſine appropriata & fundata cauſſa vel ratione, effectibus ac phænomenis explicandis ſufficiente, nec ullum artificium ſine certo ac determinato fine, nec ſine ſapiente partium ordine ac nexu, ad ſtabilitum & præfixum finem directo, ſubſiſtere poſſit: de eo tamen maximopere dubitandum eſſe exiſtimo, num intellectus humanus corpore ceu carcere in hac vita incluſus ad tantum ſcientiæ faſtigium pervenire queat, ut intimam rerum exiſtentium, cauſſarum & ordinis, quo omnia fiunt aut fieri poſſunt, naturam penetret.

§. II.

Hæc igitur philoſophiæ tam theoreticæ quam practicæ melior mihi videtur definitio, quod ea ſit exacta veritatum cognitio, quæ ad plane depravatam naturam, rudem & incultam erudiendam & perficiendam, adeoque ad felicitatem hominis promovendam pertinent: ſive philoſophia eſt medicina mentis tam quoad voluntatem quam intellectum corruptæ, per convenientia remedia in perfectiorem ſtatum redigendæ.

§. III.

Ut vero accuratiorem ſtudii philoſophici cognitionem nobis comparemus; corruptam humanam naturam, quæ hoc ipſo in perfectionem poſſibilem reducenda eſt, jam paullo accuratius inveſtigabimus.

De Philoſophandi ratione.

§. IV.

Natura humana ex duplici ſubſtantia, nimirum ſpirituali i. e. intelligente & libere agendi facultate, & corpore animali vivo & ſenſitivo ſapientiſſime conſtructo, arctiſſime inter ſe unita conſtat. Utraque tamen pars valde depravata reperitur: ſpiritualis enim ſubſtantia, quoad intellectum rudis, inculta, ignorantiæ & ſtultitiæ plena, quoad voluntatem liberam maxime vitioſa, adfectibus dedita & malitioſa exiſtit: corpus vero, cujus unione & commercio utitur, plane ærumnoſum ac morboſum deprehenditur.

§. V.

Licet natura humana, quoad principem præſertim & præſtantiſſimam ſui partem, ſibi relicta penitus ſit depravata; nihilominus tamen & diſcendi, ſciendi ac veritates inveſtigandi cupiditatem & felicitatis ac perfectionis ſuæ deſiderium ipſi innatum quilibet in ſe ipſo ſentiet.

Scholion.

Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem, ait CICERO lib. I. de officiis, & in eodem libro, *hominis*, inquit, *propria veri inquiſitio & inveſtigatio.*

§. VI.

In mente humana ſeminia adhuc & veſtigia ſcientiarum & innumerabilium artium, quibus homines in hac vita indigent, deliteſcunt: neque minus hominum animis notio entis ſuperioris valde reverendi, convictio veri & falſi, ſenſus boni & mali, juſti & injuſti, turpis & honeſti, conſcientia bene vel malefactorum & inde metus vel gaudii adfectus perpetuo inſidet: quæ omnia ſatis evincunt mentis noſtræ naturam ab ortu ſuo fuiſſe præſtantiſſimam, imo fere divinam; ob commiſſum vero peccatum a perfectionis ſuæ ſtatu dejectam; quæ omnino exquiſita & multiplici doctrina ac inſtructione in meliorem & perfectiorem ordinem & ſtatum reducenda eſt.

Scholion.

AUCTOR ANONYM. DE ANIMA. p. 616. *Anima rationis particeps*, inquit, *rerum in ſe habet rationes, ſed eſt immerſa materiæ, ut ignis ſepultus in cinere; quemadmodum igitur, ſi quis cinerem paullulum dimoverit, ſcintilla illico elucet; ſcintillam tamen non*

fecit, qui cinerem dimovet, ſed tantum impedimenta removet: ſimili modo anima a ſenſu excitata rerum rationes profert; ita & magiſtri cognitionem nobis non indunt, ſed quæ nobis ineſt veluti obruta eam oſtendunt, unde quum aliquis perperam ac præter rerum naturam diſſerit, vel duo de duabus rebus diſſerunt, potiora anteponere ſcimus; quod non eſſet, ſi nulla in nobis rerum ratio eſſet.

§. VII.

Doctrina igitur & fidelis inſtitutio præ reliquis ſaluberrima ſunt remedia, quibus mens inculta cultior evadit ac veri bonique ſeminia evolvuntur, excoluntur ac perficiuntur.

Scholion.

Conſentientes in eo habeo gentilium ſapientiſſimos CICERONEM nempe & SENECAM, qui paſſim in ſcriptis ſuis inculcant, *nullam ſcientiam, nullam virtutem, quamvis naturæ inſit, ſine doctrina, ſine diligentia, ſine exercitatione & meditatione poſſe acquiri.* Sic SENECA ep. XC. ait: *virtus non contingit animo niſi inſtituto & edocto, ad ſummum aſſidua exercitatione perducto.* Et epiſt. LXIII. ſcribit: *Semina in hominibus divina diſperſa ſunt; quæ, ſi bonus cultor exiſtit, ſimilia origini prodeunt, & paria his, ex quibus orta ſunt.* Egregie quoque hac de re CICERO lib. de finibus diſſerit; *homo,* inquit, *quamvis ſit ingenioſus, ad virtutem ſine doctrina pertingere non poteſt:* & eleganter PLUTARCHUS de muſica: *informationem bonam eſſentiam felicitatis & boni conſilii* nominat. Conf. hac de re ſchediaſma meum de rationis inſtructæ excellentia in rebus divinis & humanis.

§. VIII.

Pauciſſimi ſane hominum de eo ſunt ſolliciti, ut recta & exquiſita doctrina & inſtitutione boni & veri, quæ in ipſis latent, ſeminia excitent, vel ut excolentur laborent; ſed maxima pars, quod dolendum! otio, luxui, libidinibus, inanibus curis, praviſque cupiditatibus indulgentes deſiderium illud felicitatis ac lumen innatum magis exſtinguunt, quam incendunt. Hi homines beſtiis magis ratione deſtitutis, quam creaturis intellectu præditis ſimiles videntur, quia nec perfectionis ſuæ ſtatum conſequendæ ſciunt nec inquirunt.

§. IX.

Non inepte itaque philoſophia vocari poteſt ſerium atque attentum ſtudium innatas veritatum & virtutum ſcintillulas præſtanti doctrina, meditatione, obſervatione & exercitatione evolvendi, excitandi & corruptam humanam naturam ad feliciorem ſtatum reducendi.

§. X.

Veritates ab homine excolendæ ſunt multiplices. Aliæ attenta obſervatione & experientia ſenſuum beneficio ad memoriam & intellectum humanum perveniunt, quibus ab extra docemur, quæ in rerum natura exiſtunt, eveniunt & evenerunt; atque hæ veritates facti atque hiſtoricæ nominantur, & huc maxime eæ pertinent, quæ in phyſica doctrina, medica, chymica, œconomica atque politica aliiſque hujus generis diſciplinis traduntur, maximumque in vita uſum habent. A ſenſibus enim & obſervationibus prima veri naſcitur notitia.

§. XI.

Aliæ veritates intellectus facultatem & promtitudinem cultura perficiunt: & hæ dicuntur rationales ſive logicæ, quas per ratiocinia ex rerum comparatione, ſimilitudine, adæquatione & connexione elicimus, & cauſſam, modum, ordinem & finem effectuum ac phænomenorum in natura contingentium ſcrutamur.

§. XII.

Quædam denique paullulum ſubiimiores ſunt, quibus vires, cauſſas & effectus rerum, ratione numeri, menſuræ, quantitatis & proportionis accuratius cognoſcimus & rimamur, quæ philoſophis mathematicæ audiunt. Hæ jam enumeratæ veritates rationem & intellectum humanum, per ſe admodum rudem & incultum, conveniente & præſtante doctrina, inſtitutione ac cultura erudiunt, & ad varios ſaluberrimosque uſus idoneum reddunt.

Scholion.

Nulla profecto diſciplina ingenii vim & judicandi facultatem magis acuit ac perficit, quam numerorum ſcientia; præſertim ſubtilior diviniorque illa algebra & matheſis, ſine qua nemo unquam ſolide doctus vel philoſophus evadit.

§. XIII.

Ex his luculenter apparet, eum non protinus philoſophum eſſe dicendum, qui multa memoria tenet; ſed is demum ſapiens eſt, qui ſine ulla præjudicata opinione, & ſemoto omni partium ſtudio de rebus divinis & humanis nihil adfirmat aut unquam propugnat, quod non clare & diſtincte prius animo concepit, neque prius adſenſum aliis præbet, quam quum ſententias eorum veras eſſe apud ſe cognovit.

Scholion.

Si veteres philoſophorum id ſedulo obſervaſſent, non ſine inſigni uſu exularet immanis librorum philoſophicorum multitudo; exularet in iis tanta obſcurorum captuque difficilium terminorum & regularum farrago, quibus utplurimum philoſophiam diſcentium ingenia torquentur ac obtunduntur. Exules denique eſſent tot controverſiæ, contentiones, & diſputationes ipſa ſubtilitate ſubtiliores. Quum enim veritatis natura ſimplex & immutabilis ſit, fieri non poteſt, quin eadem ſemper permaneat, facileque omnibus, ratione utentibus, arrideat.

CAPUT II.

De præcipuo perfectionis humanæ principio.

§. I.

PRæter has, quas priori capite recenſuimus, veritates, aliæ adhuc ſuperſunt, quæ morales dicuntur & maxime corruptæ voluntatis depravatique liberi arbitrii culturam ac perfectionem reſpiciunt.

§. II.

Miſeriarum plena ac ærumnoſa humana vita, ſive animum ſive corpus ſpectes, non tam ab intellectus & ſcientiæ defectu, quam potius immediate a depravata inclinatione ac voluntate hominis & relicti adhuc liberi arbitrii abuſu derivanda eſt: libere enim agendi voluntas quaſi centrum animæ ſpiritualis & omnium actionum internum eſt principium, quæ hominem vel felicem vel infelicem aut per obedientiam aut inobedientiam ordinis & legum a Deo menti inſcriptarum reddit.

§. III.

§. III.

Profecto ſummum hominis bonum in obedientia conſiſtit, quam veteres philoſophi virtutem dixerunt; quæ ſecundum SENECAM ep. *LXXIV. omnium bonorum vis & origo, bonum immenſum & inſuperabile eſt.* CICERO lib. de finib. ſcribit: *una eſt virtus, unum honeſtum, laudabile & decorum.* At vero hæc unica virtus nulla alia eſt, quam ipſum obſequium, ſive conformitas actionum cum voluntate ſuperioris, quæ legibus manifeſtatur; quarum obſervantia voluntas libera, ad imaginem Dei condita, jam autem imperfecta, emendatur ac perficitur: cum e contrario omnium malorum ac vitiorum unica ac vera mater & radix ſit inobedientia; a qua, tanquam primo fonte & originali peccato, omnia reliqua promanant.

§. IV.

Doctrina itaque illa, quæ circa correctionem, emendationem & perfectionem noſtræ voluntatis occupata eſt, practica omniumque præſtantiſſima eſt; quia ſedula ejus cultura homo felix ac beatus redditur; nec multa indagatione ac ſubtiliſſima rerum cognitione acquiritur.

Scholion.

Ego ſæpius a multo jam tempore amicis philoſophiæ ac theologiæ ſtudio addictis problema quoddam ſolvendum his verbis propoſui: dari aliquid, quod unico tantum vocabulo exprimatur; & ſi recte obſervetur, ita comparatum ſit, ut hominem vere felicem reddere, Deique & hominum amorem conciliare poſſit; ita ut ne ſua quidem culpa pœnam ſubeat, & non modo omni animi tranquillitate & integritate corporis diuturna fruatur, ſed &, ſuperatis his vitæ moleſtiis, beatæ & æternæ vitæ particeps fiat. Quot vero fuerunt, quibus evolvendum propoſui: tot etiam varias protulerunt ſententias, ut vix ullus totam rem appoſite exhauriret. Alii enim fidem, alii amorem, alii pietatem, alii denique verbum divinum ſubintelligi adſerebant: cum vero ipſis *obedientiam* eſſe aperuiſſem, omnes mecum in eandem deſcenderunt ſententiam.

§. V.

Maximopere igitur dolendum, quod plerumque ſcientiæ a philoſophis in tam incomparabili pretio habeantur, ac ſi unicum eſſent ſubſidium, ſummum felicitatis gradum acquirendi; ſpreta ac neglecta nobiliſſima ac maxime neceſſaria ea veritate, quæ moralis dicitur & præcipua ſapientiæ pars eſt: de qua plura dicendi infra locus erit.

Scholion.

Eandem mecum de ſumma doctrinæ moralis neceſſitate antiquiſſimi & optimi philoſophorum foverunt ſententiam. SOCRATES *Sapiens*, inquit, *non tam verbis, quam ipſa re ac vita ſapientiam ſuam prodere debet.* Et PLATO philoſophiæ ſummam in hoc ſitam eſſe adſerit, *ſi rationi adfectus obediant.* CICERO l. IV. Tuſc. Quæſt. *philoſophiam culturam animi & ejus morborum medicinam, commemorationem mortis, virtutis indagatricem, vitiorum expultricem non incongrue nominat:* & in Quæſt. Acad. I. ait: *quotuſque philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo & vita conſtitutus, ut ratio poſtulat: qui diſciplinam, non oſtentationem ſuæ ſcientiæ, ſed legem vitæ putet; qui obtemperat ipſe ſibi, & decretis pariat ſuis: videre licet alios tanta levitate ac jactatione, ut his fuerit non didiciſſe melius; alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum ſervos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio.* Notatu quoque digna ſunt hanc in rem verba LACTANTII, qui ſuo jam tempore queritur, quod *ex philoſophis perraro aliquis fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignum. Quis eſt, qui non videat eos homines virtutis, qua ipſi egent, non doctores: nam ſi quis mores eorum diligenter inquirat, inveniet & inconſtantes, iracundos, libidinoſos, arrogantes, protervos & ſub obtentu ſapientiæ vitia velantes, domi facientes ea, quæ in ſcholis ipſi arguunt.*

CAPUT III.

De demonſtranda divini numinis omnis perfectionis auctoris exiſtentia ex lumine naturæ.

§. I.

Quum ſumma veræ philoſophiæ ac perfectionis humanæ conſequendæ ratio, ſecundum omnium philoſophorum placita, in veritate & virtute conſiſtat, hæc autem nihil aliud ſit, quam legum obedientia; ſive conformitas actionum noſtrarum cum voluntate ſuperioris: omnino ante omnia veræ philoſophiæ cultor omnem operam ac ſtudium in eo collocare debet, ut exiſtentiam ejuſmodi entis perfectiſſimi, a quo omnes res exiſtentes dependent, & ad cujus voluntatem omnes actiones noſtræ dirigi debent, demonſtrare poſſit.

§. II.

Evidens de ſummi & perfectiſſimi entis ſive Dei exiſtentia argumentum eſt inſitum naturæ humanæ lumini, quod per internum ſenſum & convictionem de ente ſuperiori ſe exſerit; quod omnis boni, quo fruimur, cauſſa eſt, idque adorandum, amandum & timendum: ſiquidem nec unquam terra gentem tulit, quæ non ob convictionem internam de ente, a quo dependeat, & omne bonum poſſideat, formam religionis habuerit.

Scholion.

Pulchra ſunt, quæ hanc in rem CICERO lib. I. de nat. Deor. ſcribit: *omnium animis notionem ſupremi Numinis natura impreſſit; & nulla gens tam immanſueta nec tam fera eſt, quæ non, etiamſi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat; quia hoc ita perſpicuum eſt, ut qui hoc neget, eum vix ſanæ mentis exiſtimem.* Et in eodem libro ait; *nulla gens tam barbara eſt, nulla natio tam efferata, cui non inſideat perſuaſio Deum eſſe: imo nulla natio eſt, quæ non perpetuo religionis ſemen aliquod retinuerit.* Idololatria luculentum hujus rei eſt documentum, inque ea tacita quædam confeſſio eſt, omnibus innatum eſſe divinitatis ſenſum.

§. III.

Veterum ethnicorum ſcripta ſi paullo accuratius luſtramus: multa ſane & præclara de Deo, ab ipſis ex libro naturæ cognito, argumenta ac teſtimonia legimus: v. g. quod Numen divinum omnia videat, ubique præſens, omnium rerum cauſſa & ab æterno ſit; probos tueatur & audiat, ſceleraque puniat.

Scholion.

Innumeris id ipſum confirmare poſſemus teſtimoniis, inſtar omnium vero jam adduxiſſe ſufficiat HOMERUM, qui uti antiquiſſimus, ita ſapientium præſtantiſſimus & fere princeps jure habendus eſt, quem etiam reliqui præſtanti doctrina clari philoſophi, ut PYTHAGORAS, EURIPIDES, SOCRATES, PLATO cete-

rique ſecuti ſunt. Hic Deo ſeu Jovi O. M. tam mirabilia tribuit bona; quæ prope omnia Deo in ſacris litteris adſcribi legimus; cujus præſtantiſſima dicta *Doctiſſimus Jacobus* Du Port in librum congeſſit, quem *gnomologiam Homeri* inſcribit. Profitetur enim hic ſummus gentilium philoſophus de Deo, quod *ſciat omnia Iliad. ν quæ juſte & injuſte fiunt Od. ϑ. 26. ſit dator omnium bonorum Od. ϑ. 15. pios exaudiat Il. κ. 10. improbos puniat Od. κ. 8. ſemper & ubique præſens Il. κ. 7. & omnipotens ſit Il. ϑ. 2. crearit cœlum & terram Il. ς. 15. Is quidem*, inquit, *terram formavit & cœlum & mare; ſolemque indefeſſum & lunam plenam & ſidera omnia, quibus cœlum undique ornatum eſt: Ipſi obediendum Il. μ. v. 3.* dum ait: *nos magni Jovis obediamus conſilio, qui omnibus mortalibus imperat*, & quæ reliqua ſunt. Antiquiſſimus Medicorum parens Cous *libr. de morbo ſacro* hæc habet: *Deus eſt, qui maxima ac ſceleratiſſima peccato purgat atque purificat, & liberatio noſtra exiſtit.* Et lib. de inſomniis, *in ſecundis & adverſis rebus ipſi eſſe ſupplicandum. Deum juſtitiæ obſervantiſſimum & ſapientiſſimum* Euripides pronunciat. Pindarus Olymp. lib. ſympoſ. *Si Deum*, inquit, *vir aliquis ſperat latere, faciens quicquam, fallitur.* Cicero de divinatione: *neque enim Deum ignorare poteſt, qua mente quisquis ſit.* Seneca ep. LXXXIII. ſcribit: *nihil Deo clauſum eſt, intereſt animis noſtris & cogitationibus mediis interfuit:* & epiſt. XCV. *ubique Deus præſto eſt.*

§. IV.

Diverſi animi adfectus, ut triſtitia & terror vel gaudium animique tranquillitas ex male vel benefactorum conſcientia orti, ſatis, ſuperque divini Numinis exiſtentiam arguunt. Nam conſcientia eſt non ſolum ſpeculum bene & malefactorum, verum etiam eorum judex ſecundum leges, a ſuperiori inditas.

Scholion.

Plutarchus optime male factorum conſcientiam his verbis depingit: *ut primum quis improbe agit pœnæ jam obſtrictus tenetur: conſcientiam intus urgentem & vellicantem habens agitatur.* Et Seneca de tranquillitat. animi egregie differit: *quemadmodum ulcus in carne, ita male factorum conſcientia in animo pœnitentiam relinquit pungentem ſubinde & ſaucientem.*

CAPUT IV.

De demonſtranda ſummi & perfectiſſimi entis exiſtentia, a priori ſive per ratiociniorum convenientem ordinem.

§. I.

Exiſtentia Dei ſive a priori, dum per ratiociniorum & argumentorum ſeriem ad ipſa attributa & proprietates ejus concludimus, ſive a poſteriori, dum ab effectibus ad cauſſas & principia argumentando tranſimus, demonſtrari poteſt; jam nobis conſtitutum eſt, id, quod ſana ratio de Dei exiſtentia adſequitur, in hoc capite paullo fuſius exponere.

§. II.

Entia in rerum natura, quæ exiſtunt, habent ſuam eſſentiam, per quam ens illud eſt quod eſt, & a qua ejus operatio ſive mutatio, quam in alio excitat, pendet: hæc vero eſſentia nihil aliud eſt, quam vis quædam ſive potentia activa, ſine qua nulla entis exiſtentis ſubſtantia, nec ulla ejus operatio vel effectus poteſt concipi.

Scholion.

Vis entium activa ac realis in ſe ab intellectu humano nec concipi nec definiri poteſt, per ſenſus vero & effectus ejus actio ac efficacia percipitur: differunt itaque rerum eſſentiæ, pro diverſa effectuum atque mutationum, quæ percipiuntur, ratione.

§. III.

Vim quandam activam nitentem & moventem corporibus ineſſe, nec non renitentem extenſo inhærere ejuſque eſſentiam conſtituere, beneficio ſenſuum obſervamus.

§. IV.

Nullum corpus in ſe & per ſe effectum vel mutationem, ſed ſemper in altero, producere poteſt, a cujus mutua actione & reactione motus fit, qui vel in loci vel ſitus mutatione conſiſtit.

§. V.

Quando duo corpora mutuo inter ſe agunt, & vires eorum, quæ vel ex maſſa ſive celeritate ſive ab utraque ſimul æſtimandæ, inter ſe æquales ſunt, nulla fit mutatio, ſed in quiete manent: quando vero cunque virium mutuo inter ſe agentium eſt inæqualitas, viſque major minorem reſiſtentem ſuperat; tunc motum ſive loci mutationem contingere dicimus.

§. VI.

Diligenti atque conſtanti obſervatione certum eſt, diverſiſſimos effectus & phænomena, quæ in natura fiunt, a rebus corporeis earumque motu dependere; hic vero, quum pro diverſa magnitudine, proportione, figura & nexu partium varius ſit, utique innumeros & differentes, ſemper tamen neceſſarios, in natura producit effectus, qui a veteribus fatales, a recentioribus naturales & mechanici vocantur.

§. VII.

Præter hæc alia adhuc dantur entia, quæ non uti corpora, mutua aſſiſtentia & aliorum relatione egent, ſed in ſe & per ſe activa ſunt, & pro ſuo arbitrio, variis & diſſimilibus ſæpe modis libere & ſine ulla neceſſitatis lege agunt, & hæ ſubſtantiæ ſpirituales ſive mentes dici ſolent. Prædita ſunt hæc entia intellectu, qui libere agendi facultatem movet ac determinat.

§. VIII.

In intellectu, qui quaſi oculus & viſus internus & animæ ſpiritualis lux eſt, non tantum objecta extra ſe poſita, ſed etiam ideæ & rerum veſtigia per ſenſus memoriæ & imaginationi impreſſa, tanquam in ſpeculo cognoſcuntur & repræſentantur.

§. IX.

Intelligendi & libere agendi facultas in ſubſtantia ſpirituali tam arctiſſimo inter ſe juncta eſt vinculo, ut una ſemper in alteram agat, voluntas in intellectum & is rurſus in voluntatem.

§. X.

Firma & conſtanti experientia edocemur, vires ſubſtantiarum in mundo exiſtentium in operando non eſſe abſolutas, ſed relativas i. e. certis limitibus & conditionibus circumſcriptas: ſive ſecundum certas leges, regulas & ordinem, operationes ſuas edere.

§. XI.

Obſervamus non modo corpora ſimplicia ſive elementa,

menta, ut ſunt fluidum luminoſum primordiale, quod ignis elementaris vocatur, fluidum æthereo aëreum; aqueum ac terreum ſolidum ſecundum certas leges celeritatis, preſſionis, expanſionis, cohæſionis & gravitatis perpetuo agere; ſed etiam ex iis maxime mixta & conſtructa in perpetua actione ſecundum motuum leges eſſe conſtituta.

Scholion.

Gravium corporum deſcenſum & aſcenſum perpendicularem fieri primus GALILÆUS *docuit.* HUGENIUS *regulas motuum, quos pendula efficiunt, perſcrutatus eſt. Idem auctor cum* CHRISTOPHORO PERCA *leges motuum in corporibus elaſticis & eorum, qui mediante percuſſione fiunt, naturam detexit. Summus Anglorum philoſophus* NEWTON *motus, qui lineis curvis abſolvuntur, eorumque effectus in phroromonia luci expoſuit, & quod maximum eſt, vires cohærentiæ ceu magnorum in natura effectuum primus obſervavit; neque minus leges, ſecundum quas aſtra moventur, tradidit. Huc quoque commemoranda eſt lex naturæ, quæ nunquam fallit, & in explicandis difficilibus univerſi phænomenis utiliſſima eſt; quam eidem auctori debemus: corpora nempe in ſe mutuo gravia eſſe, gravitatem hanc materiæ proportionalem & ad inæquales diſtantias eſſe reciproce, ut quadrata diſtantiarum. Et ſane hæc regula in explicando æſtu maris ſive ejus fluxu atque refluxu, pro ſitu ipſius lunæ, præſertim circa novi & plenilunium, ſive a terra vel minimum vel remotius diſtet, maximi uſus eſt.* Cel. LEIBNITIUS *differentiam virium corporis inertium, preſſionis & impulſus ſive virium vivarum magno ſcientiarum incremento invenit.*

§. XII.

Nexus ſucceſſivorum & ſimultaneorum corporum, ſecundum differentes leges motuum, variarum mutationum & effectuum fons eſt, quem nexum gentiles abſolute neceſſarium habentes, fatum dixere; & hoc aſſerto ejus efficientem excludunt cauſſam: at vero cum hic nexus contingens ſit & aliter eſſe poſſit, ſequitur non in ſe ſed in alio, quod extra illum eſt, ejus cauſſam quærendam eſſe.

Scholion.

Quemadmodum corporis noſtri partes, quoad omnia mirabili nexu cohærent: ita etiam totum mundi ſyſtema, uti DUHAMEL lib. de affection. corp. loquitur, *ut mirabilis quædam & exquiſite elaborata machina conſiderari debet, nec partes illius ſeorſim & velut ſolitarie ſunt inſpiciendæ, ſed aliæ aliis aptantur & certa quadam ratione ſunt connexæ. Nam ut in horologio magni plerumque motus ob partium & rotarum contextum nullo prorſus negotio perficiuntur; ſic in rerum univerſitate quæque corpora ita inter ſe ſunt colligata, ut mutuas actiones & vires aut promoveant, aut impediant, aut certa quadam ratione determinent.* HIPPOCRATES quoque *lib. de alimentis* omnes corporis partes uti cohærent, ſimul conſiderari debere indicare voluit, dicens: *confluxus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia.*

§. XIII.

Non tantum vero corporibus pro vario nexu certæ agendi leges & limites ſunt poſiti, ſed & entia libera voluntate & intellectu prædita pro varia corporum, cum quibus unita ſunt, ſtructura, organorum & cerebri diſpoſitione ſecundum certas leges ac regulas varios & limitatos ſuos effectus edunt.

Scholion.

Phyſicorum & medicorum ſagaciores attenta obſervatione edocti ſunt; non ſolum memoriam & ingenium, ſed etiam judicium, mores, animique adfectus & inclinationes, pro ætatum, temperamentorum, climatum, vitæ generis, uſus ſex rerum non naturalium & conſuetudinis diverſitate mirum differre ac variare poſſe; id quod luculenter etiam apparet in ebriis & mente captis ex morbis chronicis vel ab adſumtis narcoticis ita factis. Plura qui hac de re legere cupit, conf. noſtram diſſertationem *de temperamento fundamento morum & morborum in gentibus.*

§. XIV.

Quum igitur ſubſtantiarum tam corporearum quam ſpiritualium agendi vires & inde dependentes mutationes certis legibus ſint adſtrictæ ſuisque limitibus circumſcriptæ; hinc eas non ex virtute propria, ſed ex conceſſa agere patet, adeoque entia eſſe finita.

§. XV.

Quodcunque ens finitum eſt, ſucceſſive & ſecundum certas leges agit, illud non a & in ſe, ſed ab alio & extra ſe ente poſito exiſtentiæ ſuæ habet cauſſam, quod leges, fines ac limites conſtituit; idque abſolute activum, liberrimum, infinitum in quo ſunt omnia ſimul, perfectiſſimum omnium eſſentiarum ſeu virium in univerſo principium eſſe debet, adeoque a ſe independens, & unum.

§. XVI.

Quodcunque ens omnium entium in univerſo exiſtentium omniumque in iis virium cauſſa & principium eſt, illud infinite potens haberi debet.

§. XVII.

Quodcunque eſt unum, primum & ſimpliciſſimum, illud eſt indiviſibile, immutabile, infinite activum & in æternum durat.

§. XVIII.

Quodcunque eſt cauſſa omnium in univerſo rerum exiſtentium, in ejus intellectu omnes res earumque eſſentiæ & operationes repræſentantur, ergo eſt omniſcium & omnipræſens.

Scholion.

Clariſſimus Theologus HÜLSEMANNUS in ſupplem. breviar. theol. theſ. X. eleganter ſcribit: *oritur ejus praeſcientia ſive viſio intuitiva non ex rerum ſplendeſcentia, ſed ex infinita ejus potentia & præſentia, quæ facultates a ſe creaturis inditas æterno intuitu non ſolum contuetur, ſed etiam præſens movet ac dirigit variis modis.* Et OCCAMUS §. 34. ait: *Eſſentia divina eſt cognitio intuitiva tam ſui, quam omnium futurorum & poſſibilium.*

§. XIX.

Ubicunque mirabilis ordo ſive exacta ſymmetria & proportio obſervatur, qua res ſingulæ & diverſæ juxta ſe invicem convenienti loco ac modo ita diſponuntur ut unum ex altero ſequatur ſive ex antecedente conſequens; ibi ſumma ratio, ſapientia & perfectio conſpicitur.

§. XX.

Quæcunque diſpoſitio & ordo ad rerum conditarum conſervationem & perfectionem tendit, ea de benignitate & bonitate auctoris luculentum dat teſtimonium.

§. XXI.

Quodcunque ens eſt infinite potens, ſapiens & bonum illud eſt timendum, amore & laudibus proſequendum,

dum, in eo omnis fiducia ponenda, adorandum, atque omne auxilium ab eo ſperandum; ſed de his attributis divinis infra dicendi locus erit.

CAPUT V.

De divini Numinis exiſtentia cum attributis ex conſideratione hujus univerſi demonſtranda.

§. I.

Viſibile & elegantiſſime ſtructum mundi artificium inviſibilem ejus artificem ac effectorem ſecundum ſua attributa ac perfectiones ſummas ſatis ſuperque manifeſtat.

Scholion.

Hoc Deum cognoſcendi principium etiam ſacer codex ſuggerit: dum Apoſtolus Paulus ep. ad Rom. 1.20. divinitus ſcribit: *inviſibilia Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur ſempiterna ejus virtus & dignitas*: quæ verba ſecundum Hammondum *Tom. II. Nov. fœd.* ita intelligenda ſunt: *quæ per ſe ſub oculos non cadunt infinita Numinis potentia ac divinitas, quæ ſemper a creatione oculos fugerunt; tamen in varia ejus adminiſtratione & totius mundi gubernatione tanquam in ſpeculo conſpecta, jam manifeſto cernuntur.* Et in eadem epiſtola gentiles inculat, quod ex rebus creatis viſui obviis effectricem earum cauſſam potuiſſent cognoſcere, eamque non coluerint. Miror itaque, quod plerique de mundo hoc optimo dubitent; cum ipſe Deus, citatis locis ſcripturæ ſacræ, ex opere ſuo optimo, ſcilicet mundo, ſecundum ſuas omnibus numeris abſolutiſſimas perfectiones voluit cognoſci.

§. II.

Sapientiores quoque gentilium ex hac elegantiſſima mundi fabrica Deum agnoverunt, quos inter primum omnino locum tuetur ſummus Romanorum orator Cicero, qui in Tuſc. Quæſt. l. 1. prodidit; *Deum etſi non videmus, tamen ex operibus cognoſcimus.* Et Oratione pro Sexto Roſcio ait: *Deus ſingularem hunc mundum procreavit: commoda quibus utimur, lucem, qua fruimur, ſpiritum quem ducimus, a Deo nobis datum videmus.* Et Ariſtoteles de mundo c. VI. *Mortales*, inquit, *oculis non capiunt Dei conſpectum, ex operibus tamen cognoſcitur.*

§. III.

Scite ait Seneca lib. de natura Deor. *Si quis in domum aliquam venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, diſciplinam, non poterit ea ſine cauſſa fieri judicare; multo magis in tanto ornatu mundi, tanta varietate, pulchritudineque rerum cœleſtium, tanta vi maris atque terrarum ac tantarum rerum ordinibus ſtatuat neceſſe eſt, ab aliqua mente hæc proficiſci & hæc Deorum immortalium domicilium eſſe.* Et Cicero lib. II. de natura Deorum Cap. LIII. *mente conſilioque divino*, inquit, *omnia in hoc mundo ad ſalutem omnium & conſervationem admirabiliter adminiſtrantur*: & alio loco ait: *ordinis in mundo tanta eſt pulchritudo & divinitas, ut nihil ſine eo rectum & a reprehenſione liberum invenias.*

§. IV.

Quemadmodum pulcherrima & artificioſiſſima automata, ſive ſumma arte & ratione conſtructæ machinæ, non pro ſuo, ſed artificis, ingenio & conſilio agunt, moventur & operationes ſuas perficiunt: ita ſupremum Numen, cujus vi omnia producta ſunt & a cujus nutu dependent, univerſum ſingulaſque ejuſque partes ſub ſapiente nexu & ordine, convenienti magnitudine, numero, proportione & menſura ita invicem conjunxit & conſtrinxit, ut operationes ſuas, ad quas a mente divina ab æterno deſtinatæ ſunt, conſtanter, certo tempore & ordine producant.

§. V.

Sapiens pulcherque rerum naturalium moventium & mobilium inter ſe nexus, diſpoſitio & ordo ad certum ſcopum & finem ab artifice directus a noſtri ævi philoſophis mechaniſmus vocatur: quum vero ars & ſapientia divina infinitis paraſangis artem humanam ſuperet; ita etiam hujus univerſi a Deo productus mechaniſmus longe perfectiſſimus deprehenditur, adeo, ut Deus rectiſſime ſummus & perfectiſſimus mechanicus appellandus ſit, qui omnia, conſentiente etiam ſcriptura divina, in rerum natura certo numero, pondere & menſura fecit, & ſecundum certas & conſtantes motuum leges, quas nondum ſatis intelligimus, diſpoſuit.

§. VI.

Conſervatio pariter hujus univerſi exiſtentiam Dei evidentiſſime demonſtrat. Nam vis, quæ in extenſo hæret, non eſt immediata divina, quamvis ab illo dependeat, & concurſu generali conſervetur; nam actiones Dei cum actionibus rerum creatarum non ſunt confundendæ, quæ poſt creationem vi propria agunt.

§. VII.

Ad vires rebus creatis communicatas & concreatas, quæ effectus producunt finitos, concurrere omnino debet infinitus & univerſalis impulſus, qui faciat, ne otientur creaturæ, ſed ut perpetua & omnipotente excitatione corpora in perpetua actione & niſu ad agendum conſiſtant, non aliter ac ad noſtras cogitationes, quæ ſunt actus mentis, ex ſua intrinſeca finita virtute provenientes (utpote Deus non eſt, qui in nobis cogitat & vult; ſed potius mens noſtra propriam virtutem cogitandi habet,) univerſali vi & impulſu opus eſt, ſine quo nec actualem cogitationem formare poſſumus. Brevi, impulſus ille Dei univerſalis non ipſe agit omnia, ſed excitat corpora, ut juxta vires ſuas, à Deo ubivis extenſo impenetrabili conceſſas, agant, rebus non motum ipſum, ſed neceſſitatem immutabilitatis ad motum inducit, cujus motus principium tamen ipſis rebus non eſt mere externum, ſed internum.

Scholion.

Et de hoc generali divino concurſu circa res conditas intelligendus etiam eſt elegans locus Zaccharíæ in diſputatione pag. 481. ſq. *Deus ſemper operatur, nam qui habet ſemper in ſe rationes operandi, ſemper eſt opifex. Non medicus, qui medicinæ faciendæ rationes in ſe habet, & non ſanat, medicus vocandus, neque architectus, qui artem architectandi ipſe non oſtendit, neque muſicus, qui fidium pulſu & concertuum admolatione audientium animos non permulcet. Non Deum inertiæ ullo modo accuſemus, neque quando non agit, opificem eſſe negemus, ſed ex factis opificem ſcientes immunem ab omni neceſſitate ipſum ut unum & Deum credimus. Deus itaque opifex, cum vult, agit efficitque, liber & ſui juris nulli neceſſitati obnoxius, ut rex & veræ libertatis auctor, qui omnibus, intra generationem & corruptionem poſitis, dominatur. Nec enim ulla ſeditio aut pugna in divina natura, ſed eſt tranquilla, quieta & pacata, quia puriſſima ſimplicitas & ipſum unum & compoſitio nulla. Non neceſſitas, ſed ſola bonitas opificio hujus univerſi principium dedit, huic præeſt ac moderatur.*

CAPUT

CAPUT VI.

De mirabili & omnem captum humanum ſuperante ſapientia & potentia divina in cœli ſpatiis conſpicua.

§. I.

OBſervamus innumera immenſæ magnitudinis & vaſtiſſimæ molis ſidera, in æthereo, omnia ſpatia replente, fluido ſuſpenſa tam ordinate diſpoſita moveri, ut curſum ac recurſum ſive circulum ſuum convenienti tempore accuratiſſime abſolvant: quandoquidem per mille annorum ſpatium & ultra a ſagacioribus aſtronomis ecclipſes ſolis & lunæ, planetarum conjunctiones & oppoſitiones indicari & prædici poſſunt. Quinimo ex diuturna & attenta obſervatione motus aſtrorum inſignes noſtri temporis mathematici certas ac conſtantes leges motuum, ſecundum quas planetæ & cometæ ſuos curſus abſolvunt, detexerunt. Quis itaque non ſummam majeſtatis divinæ potentiam & ſapientiam perſpicere poterit.

Scholion.

De conſtanti & mirabili ſiderum curſu egregia ſunt, quæ prodidit CICERO lib. II. de natura Deor. *Quis hunc hominem dixerit, qui cum certos cœli motus, tam ratos aſtrorum ordines tamque omnia inter ſe connexa & apta viderit, neget in his ullam ineſſe rationem, eaque caſu fieri dicat, quæ quanto conſilio gerantur, nullo conſilio adſequi poſſumus.* Et alio loco ait: *an cum machinatione quadam moveri aliquid videmus ut ſphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera ſint rationis; quum autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, conſtantiſſime conficientem viciſſitudines anniverſarias cum ſumma ſalute & conſervatione rerum omnium dubitamus, quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam divinaque ratione.*

§. II.

Diſtantiam ſolis a globo terreſtri aſtronomi celebriores noſtri ævi & inter eos præcipue NEWTON, qui leges motuum planetarum invenit, conſtituunt 28188. ſemidiametros terræ, ſemidiameter vero terræ facit 860. milliaria germanica, inde ſtupenda amplitudo univerſi & omnipotentiæ & ſapientiæ Dei emergit.

§. III.

In ſtupendo cœli corporum mechaniſmo divino majeſtaticum illud ſolis ſidus præcipuam meretur conſiderationem, quod magnitudine milleno millies noſtram terram ſuperare dicitur, & totum quantum luminoſum & igneum, ſolidum tamen & firmum, in centro planetarum poſitum eſt, quorum numero ſunt tredecim, ſex majores ſeptemve minores, quos omnes radiis ſuis colluſtrat, calore reficit, eorumque curſum & motum quam accuratiſſime dirigit, ut Venus, Mercurius ipſi proximus & globus noſter terraqueus, circa quem luna tanquam ſatelles eſt, intra annum curſum ſuum circa ſolem abſolvat, & intra viginti quatuor horas circa axin moveatur: Mars longius diſtat a ſole quam terra & circulum ſuum intra biennium conficit: hunc excipit Jupiter, qui magnitudine noſtram terram millies ſuperat & quatuor habens lunas ac ſatellites intra duodecim vix annos ſuum circa ſolem motum conficit. Longiſſime a Sole abeſt Saturnus, qui ſeptem ſatellitibus cinctus eſt, & intra triginta demum annos circa Solem volvitur.

§. IV.

Omnia hæc ſidera planetaria in motu ſuo lineam curvam obſervant, cum alias omnis motus ſit rectilineus. Principes aſtronomorum noſtri ævi, quos inter NEWTONIUM nunc nominaſſe ſufficiat, vim quandam attractricem, quaſi magneticam, ſingulis hiſce corporibus ita adſignant, ut Sol gravitatis ſuæ niſum in planetas & hi rurſus reniſum in illum exerceant, indeque fiat, ut ex motu rectilineo compoſitus ſive ad lineam diagonalem evadat.

§. V.

Stellæ fixæ, quæ oculis conſpiciuntur, ab aſtronomis bis mille numerantur; per tubos opticos autem longe major obſervatur numerus. Sunt Soles, qui ſuo ipſius lumine fulgent, neque ſine dubio deſtituuntur ſuis planetis; unde inclareſcit, quam infinitus numerus ſit in cœli ſpatiis corporum immenſæ magnitudinis, ut ideo ad ſummam potentiam creatoris argumentari liceat. Et quoniam in univerſo reperitur nulla in corporibus exquiſita ſimilitudo, videmus inde etiam hæc corpora inter ſe differre ſtructura & uſu.

§. VI.

In mirabili hujus univerſi mechaniſmo Sol perpetuum eſt mobile, quod omnem artem humanam exſuperare obſervamus, ubi cauſſa effectum producit & hic iterum novi effectus cauſſa fit. Nam ſicuti Sol niſum ſuum exercet in aſtra, & hæc rurſus in Solem reniſum, eumque æqualem habent; hinc evenit, ut Sol motum circa axin a planetis recipiat, licet motus ille propter ſummam magnitudinem non adeo ſit ſenſibilis. Hinc palam fit motuum cœleſtium immutabilis conſtantia & regularis ordo, ex quo diverſæ planetarum poſitiones & ſitus multo ante poſſunt prædici.

Scholion.

Fundamentum hujus perpetui mobilis in eo ſitum videtur, quod fluidum illud, in quo maxima illa cœleſtia corpora moventur, tenuiſſimum æthereum minoris vel plane nullius eſſe debeat reſiſtentiæ. Quando enim cunque ſimile eſſet ratione denſitatis & gravitatis aëri noſtro atmoſphærico, motus planetarum longe alius isque ſpiralis foret, atque hac ratione aſtra in Solem deberent deſcendere. Quum vero nihil adſit, quod ejus motum ſemel inchoatum mutare vel impedire poteſt, ideo manet perpetuus. Et hinc perſpicuum fit, quod per artem illud in noſtra terra perfici prorſus nequeat, quoniam in mutuis corporum motibus ſtrictio ſive reſiſtentia non poteſt impediri. Quodſi enim fieri poſſet ut v. g. in pendulo filum frictione nulla incurvaretur, nec aër ejus motui reſiſteret, hic ſine dubio eſſet perpetuus, quod tamen hominum præſtabit nullus. Ut tota res brevibus demonſtretur, nunc vi contrariorum concludere licebit; quum in corporibus iſtis cœleſtibus nullus viget immediatus contactus, ideoque nulla contingit frictio; quum motus a nullo fluido denſiori impeditur; nihil dubii ſupereſt, cur non planeta ſemel in motum adactus curſum ſuum per innumeram annorum ſeriem poſſit continuare. Quo minus enim corpus, ab alio reſiſtente præpeditum, in motum poteſt cieri; eo etiam minus corpora cœleſtia, deficiente reſiſtentia, in motu ſemel conſtituta poſſunt ſiſti & ad quietem perduci.

§. VII.

Hoc loco non reticendum eſſe arbitror, lunare etiam ſidus ſuo in terram non deſtitui effectu; utpote non tantum vim ſua gravitate in univerſum oceanum exercet, cui recta quum immineat, aquas ipſamque terram elevando

elevando ad ſe attrahit, manifeſtos admodum motus æſtus excitans; verum etiam quando attendimus ad lunæ phaſes, ad Solis locum in ecliptica ejuſque altitudinem ſupra horizontem obſervamus, quam diu perdurat hæc phaſis, hiberno tempore gelu perſeverare, hac mutata aut mutationi proxima frigus remittere. Quas viciſſitudines caloris & frigoris non niſi a ventorum mutatione provenire uti veriſſimum eſt, ita certo concluditur, ſidus hoc, quod in integram operatur terram, magnam mutationem non modo in animantibus, ſed etiam in vegetantibus efficere. Neque obſervationes & effectus, quos agricolæ & hortulani, imo ipſi medici ac phyſici habent, nihili ſunt habendi; ſed majori potius ac accuratiori examini ſubjiciendi.

CAPUT VII.

De ſumma Dei ſapientia & bonitate ex Solis influxu in noſtram terram conſpicua.

§. I.

MAgna, imo maxima & innumera ſunt, beneficia, quæ ordinante ſic divina ſapientia in noſtrum, quem incolimus, globum & incolarum ejus uſum cedunt, a Sole proficiſcuntur. Noctium enim atque dierum viciſſitudines, annuas frigorum & calorum varietates, quatuor anni tempora, ver, æſtatem, autumnum & hiemem, imo contingentes inibi tempeſtatum mutationes Soli quam maxime debemus.

Scholion.

Quæ omnia quantum commodi concilient vix ſatis dici poteſt, ſicut ſuo jam tempore priſcorum ſapientes cognoverunt, quos inter merito numeramus CICERONEM & PLINIUM, quorum ille in lib. de nat. Deor. *Sol*, inquit, *cujus magnitudine multis partibus terra ſuperatur, circa eam ipſam volvitur; iſque oriens & occidens diem noctemque conficit & modo accedens, tum autem recedens, binas in ſingulis annis reverſiones ab extremo contrarias facit, quarum intervallo tum quaſi triſtitiam quandam contrahit terra, tum viciſſim lætificat, ut cum cœlo hilarata videatur.* Et PLINIUS hiſtor. nat. lib. II. p. 71. *Sol*, ſcribit, *ampliſſima magnitudine & poteſtate temporum rector hoc principale naturæ regimen ac Numen credere decet; hic lucem rebus miniſtrat, reliqua ſidera illuſtrat, hic vices temporum annumque renaſcentem ex uſu naturæ temperat atque etiam humani nubila ſerenat animi, ut principi litterarum* HOMERO *placuiſſe video.*

§. II.

Sidus hoc lucidiſſimum tot millia annorum hactenus in cœleſtibus iter ſuum annuum tam admirabili ordine abſolvit, ut ne latum unguem ſit evagatum, ſed quolibet anni ac die momento ad deſtinatum ſui orbis punctum accuratiſſime rediit, hinc aſtronomi mille & ultra annos horam momentumque ecclipſeos præſagire potuerunt.

§. III.

Inter Solis beneficia principem locum ſibi vendicat lumen, quod benigniſſimum hoc aſtrum nobis largitur. Niſi enim radiis ſuis noſtrum globum colluſtraret, perpetuæ tenebræ, maximæque omnium rerum perturbationes & confuſiones forent: neque animantia victum quærere, aut homo laborare, nec alter alteri ullo pacto ſuppetias ferre, vel cogitata cum aliis communicare ſcriptis poſſet. Præcipuum vero eſt, quod Numinis altiſſimi opera, ad quæ contemplanda homo natus eſt, neque admiratione, neque laudibus proſequi quiſquam ſatis poſſet.

§. IV.

At vero longe alia adhuc, eaque maximi habenda beneficia ſunt, quæ a ſalutari hoc ſidere in nos proficiſcuntur. Niſi enim hoc exiſteret, totum vegetabile & animale regnum interiret; ceſſaret omnis fœcunditas, generatio ex ſemine, propagatio, omniſque nutritio. Solaris enim calor omnibus quorum ſtirpes terra continentur, calorem & motum impertit, quo animantur, creſcunt, & ad maturitatem perveniunt. Nam cum ſolare lumen ſuo influxu in fluidum æthereum idque in aërem atmoſphæricum, & hic in aqueum elementum vi expanſiva elaſtica agit, inde expanſio & evolutio ſeminis, circulatio fluidi nutritii per omnis generis tubulos atque augmentum fiunt.

Scholion.

Æſtate per calorem plantæ & fructus creſcunt ac maturefcunt: hieme vero per frigus, depreſſo plantarum vigore, ille ipſe radicibus extendendis fortiuſque terræ infigendis & alimento ſub terra quærendo & infugendo aptius impenditur.

§. V.

Simili modo ſi animantia vitali hoc calore & principio carerent; nulla ſane eſſet ſanguinis & humorum circulatio & diſtributio, nec ulla reſpiratio & tranſpiratio, adeoque vita & ſanitas eſſet ſublata.

§. VI.

Videmus porro, Solem eſſe inſtrumentum, quo vapores, calore diſſoluti, ex vaſto attrahuntur oceano, ut ſublimes adſcendant, donec extra Solis reflexos e terra radios conſtituti rurſus frigore condenſati in nubes coëant, quæ vento per exhalationes aliis atque aliis locis excitato toto aëre circumferuntur; tum ut umbracula ſint propulſandis æſtibus, tum etiam ut iterum in pluvias reſolutæ irrigandis agris terræque fœcundandæ inſerviant. Nam ſine calore & pluviis ſemina nec explicari, nec in plantas vel arbores creſcere poſſunt: unde montes, ſylvas, prata & agros tot arboribus, fruticibus orbata invenires, quæ tamen ineffabilem ad victum, vitam & ſanitatem beſtiis æque ac hominibus præbent alimoniam.

Scholion.

Aquei vapores non levitate quadam abſoluta, quæ nulla eſt, nec a ſolari calore, ut vulgo putatur, elevantur; ſed cum aër expanditur, pori aëris & minutiæ aqueæ in veſiculas expanduntur, & hæ ſpecifice leviores factæ ab ipſo graviore aëris fluido in altum evehuntur.

§. VII.

Phyſicorum ſollerti obſervatione comperimus, flumina, rivos & lacus a pluviis originem & incrementum ſuum nanciſci: nam ſi per annum & ultra pluviæ ceſſarent, futurum eſſet, ut omnes fluvii & rivi exſiccentur; ſicque tot piſcium genera, quæ hominibus in alimentum cedunt, non ſine inſigni detrimento perirent: nec haberent homines, unde ſumerent alimentorum copiam ad cibos coquendos & parandas cereviſias.

§. VIII.

Ventorum origo maxime a Solis, Lunæ & Terræ motu, non tamen excluſis terræ halitibus petenda eſt. Hiſce a benigniſſimo naturæ auctore tanta eſt tributa virtus, ut cœli mariſque temperiem cuſtodiant, putredinem & corruptionem ab aëre arceant, & nociva effluvia in eo diſſipando ſalubritatem & fœcunditatem multis terris adferant.

Scholion.

Scholion.

Uti aqua, ita etiam aer, ni moveatur, vitium capit & corrumpitur. Quare HIPPOCRATES *lib.* 3. *Epid.* prodidit: in Græcia peſtilentiam ſuperveniſſe, quod annus fuiſſet auſtrinus, pluvius & plane a ventis vacuus.

§. IX.

Climatum præterea diverſitatem a diverſo Solis ſitu ac motu proficiſci nemo in dubium vocabit, qui conſiderat, in locis frigidioribus ſphæram eſſe parallelam, ac æquatorem horizonti parallelum: Solem vero per ſex menſes ſupra æquatorem & per alios ſex menſes infra æquatorem viam ſuam abſolvere; eoque ipſo non multum ſupra horizontem adſcendere radiosque ſuos ad latera tantummodo projicere; unde parum caloris, plus vero frigoris iis in locis obſervatur, ita ut maximam anni partem lacus, flumina ac mare ipſum frigore concreta videas.

§. X.

E contrario populis in calido climate viventibus ſphæra partim perfecte partim aliqualis recta eſt, ſive æquator ſuper caput horum conſtitutus ad angulos rectos horizontem diſſecat; & cum ſol intra utrumque tropicum curſum ſuum teneat & extra Zonam torridam certis temporibus haud ita procul ſuper adſcendat; in zona vero torrida plane verticalis fiat radiosque directos ſpargat: hinc nonnulli loci vel plane non, vel certis tantummodo temporibus, alii vero, qui his remotiores ſunt, inhabitari poſſunt.

§. XI.

Regionibus denique intermediis & temperatiori fruentibus aura, ſphæra obliqua eſt, ſive talis, ubi horizontem æquator oblique ſecat, Solque radiis tantum obliquis orbem illuminat, adeoque moderatus aer inter frigidum & æſtuoſum eſt.

§. XII.

Putares quidem, quia vita & ſanitas animantium & nutritio & propagatio vegetabilium moderatum temperatumque calorem deſiderant, quod loca, quæ æquatori ſubjacent & perpendiculari radiorum ſolarium influxu vehementer incaleſcunt, item, quæ ab influxu ſolis remota ac frigidiſſima ſunt, ad generationem æque ac conſervationem corporum vita & nutritione præditorum minus apta exiſtant: nihilominus tamen benigniſſimum Numen, pro ſua, qua abundat, imperſcrutabili bonitate ita omnia ſapienter ordinavit, ut in ſingulis fere locis & homines & animalia & vegetabilia vitam & alimenta reperiant.

§. XIII.

Quanquam Sol æſtum fere intolerabilem in quibusdam terræ locis producat, ſcire tamen licet, quod ipſi non adeo diuturna mora, ſed duodecim tantum horis per diem duret, nocte ſemper inſequente frigidiori ardentem ſolis æſtum egregie contemperante.

§. XIV.

Deinceps, quæ æquatorem & meridiem ſpectant loca, altiorem præ occidentalibus obtinent ſitum. Jam vero in locis eminentioribus aer ſolet eſſe ſubtilior & rarior, qui ſolis radios non adeo concentrat & refringit, ſed diſpergit; in declivioribus vero aer compreſſior & denſior, radios magis uniendo, calorem auget: unde apparet, quomodo in utroque caſu ſuavis quædam temperatura locum habeat. Præterea, pluviæ circa æquatorem certis anni temporibus frequentes nimium æſtum temperant fertilitatemque conciliant.

De Philoſophandi ratione,

§. XV.

In locis ſeptentrioni vicinis maxima anni pars radiis ſolaribus non colluſtratur, & certis contra menſibus nihil noctis obſervatur; ſed iſte ſiderum princeps per diem noctemque lucem emittens tam brevi temporis intervallo penetranti ſuo calore celeriter plantas & fructus producit & maturat, ut alimenta ad hominum animantiumque ſuſtentationem ſufficiant.

§. XVI.

Frigus intenſum licet vitæ, & ſanitati, cujus ratio etiam in perenni ſanguinis & humorum inteſtino motu conſiſtit, maxime infenſum ſit; attamen provida rerum natura huic malo tam egregie proſpexit, ut ad arcendum nimium frigus maximus ibi ſit proventus lignorum & animalium, ut urſorum, vulpium, luporum, cervorum, quorum pellibus pro veſtimentis uti poſſunt. Eidem quoque fini magnarum avium & anſerum ſpecies ſatisfacit, quæ pennas pro lectis conficiendis præbent.

§. XVII.

Terra quoque fertiliſſima ibi eſt variis frumentis, ad panem conficiendum, ad cereviſiam coquendam, vinumque aduſtum parandum aptis, quæ harum regionum incolis ad conſervandam vitam & ſanitatem inſerviunt quam maxime.

§. XVIII.

Inſuper & hoc notari meretur, quod aer gelidiſſimus in locis ſeptentrionalibus vi quadam comprimente & condenſante animantium corpora & duriora & firmiora efficiat, ut a frigore, licet intenſiori, non tam facile lædantur, ipſaque viſcera intus calidiora duriores cibos, carnes, & piſces marinos ferre & digerere poſſint quam optime.

§. XIX.

In locis vero calidioribus æquatori & plagæ meridionali vicinis, ubi aer eſt ſubtilior & radiis ſolaribus ſubactior, divina providentia pro incolarum conſervatione, ſanitate & commodis e terra gigni voluit longe diverſæ indolis alimenta. Ibi enim loco frumenti maxima in copia creſcit oryza: ad veſtimenta paranda loco lanarum goſſypium & ſericum proſtat, loco multæ pinguedinis ac butyri natura incolis conceſſit inſignem olei olivarum copiam; loco mellis, quod in magna copia apes frigidioribus locis deponunt, gaudent ibi ficubus, ſaccharo & vinis, ex quibus loco cereviſiæ & ſpiritus vini varia confecta potus genera adhibent, & ad temperandum calorem nimium poma citrina, aurantiorum, & ſimiles fructus ſubacidulos comedunt.

CAPUT VIII.

De ſummi Numinis exiſtentia in ſummæ exilitatis ſeminum mechaniſmo conſpicua.

§. I.

QUemadmodum immenſus ille, & admirabilis qui in vaſtiſſimis cœli ſpatiis & incredibilis magnitudinis aſtris ibi collocatis conſpicitur ordo & mechaniſmus ſummam & incomprehenſibilem benigniſſimi naturæ auctoris potentiam & ſapientiam ante oculos ponit; ita etiam ille exiliſſimus & ſtupendum in modum parvus mechaniſmus, qui in ſeminibus tam

vegetantium, quam animantium & propagatione ſui ſimilis continetur, admirandum in modum divini Numinis non modo exiſtentiam, ſed & ejus vim rerum creatricem & conſervatricem clariſſime declarat.

Scholion.

Mechaniſmi fundamentum in ſymmetria conſtitutum eſt; hæc autem in ſingularum & diverſarum partium ratione loci conveniente ordine & connexione conſiſtit. Hanc ſymmetriam VITRUVIUS ita explicat: *ſume & compara unius hominis duas manus, ambos pedes, ambos oculos, ambas aures, diſſeca feram in duas partes æquales à capite uſque ad calcem, obſervabimus omnia numero, magnitudine, figura, longitudine, craſſitie, ſibi ad amuſſim reſpondere adeoque cuncta & ſingula ex aſſe ſibi invicem eſſe ſymmetra, menſurata, æqualia & ſimilia.*

§. II.

Myſterium naturæ ſumma admiratione dignum eſt, quod tot & tam diverſarum & tot animalium ac vegetabilium genera ac ſpecies, quæ in ampliſſima rerum natura exiſtunt ex puncto, imo quaſi ex nihilo, originem & incrementum ſuum habeant & accipiant, ex quo maximus Deus apparet.

Scholion.

Scitiſſime prodidit PLINIUS: *Deum in minimis apparere maximum, & rerum naturam nuſquam magis, quam in minimis totam eſſe*; ut ideo cum SCALIGERO exclamare opus habeamus: *inter minima dari maxima & naturæ potentiam in exiliſſimis potiſſimum exſtare: & ſummum hujus univerſi auctorem ex minimis ejuſmodi minutiis maximum apparere voluiſſe.* Et AUGUSTINUS lib.XV.de civit.Dei c.XXII. elegantiſſime ſcribit: *Deus ita eſt artifex magnus in magnis, ut minor non ſit in parvis; quæ parva non ſua granditate, quæ nulla eſt, ſed artificis ſapientia metienda ſunt.*

§. III.

A ſollertiſſimis naturæ ſcrutatoribus præcipue HARVÆO, MALPIGHIO, GREWIO & LEWENHOECKIO, ſuperiori ſæculo detectum eſt, in ſemine, quod ovi formam habet, tam vegetabilium, quam animalium ipſam plantam vel animalculum ſtructum omnibusque lineis perfectum anguſtiſſimo ſpatio contineri, & cujuſvis minima ſtamina & lineamenta contracta & convoluta eſſe, quæ poſtea ope & convenienti elementorum ſubſidio ſenſim & quaſi per gradus evolvuntur, & magno ſubinde augmento ſenſibus comprehendenda ſiſtuntur.

Scholion.

Mirandos vegetantis naturæ effectus quam optime detexit perſpicaciſſimus MALPIGHIUS, dum in ſtirpium ſeminibus non ſolum integram plantæ ideam ſub radiculæ, gemmæ & binorum foliorum ſchemate conſpicuo obſervavit, ſed etiam vaſculum umbilicale, membranas ac colliquamentum, ſub illorum involucris latitantia, delineavit, ſicque magnam inter vegetabilium ſemina & animalium ova ſimilitudinem oſtendit. SENECA olim jam dixit lib.III. Quæſt. Nat. c. XXIX.: *in ſemine omnis futuri hominis ratio comprehenſa eſt, & legem barbæ & canorum infans parvus habet: totius enim corporis & ſequentis ætatis in parvo occultoque lineamenta ſunt. Quam parva igitur mole maximis viribus ſpiritus donatus eſt.*

§. IV.

Stupenda eſt exilitas & plantarum & animalculorum, quæ in ſeminibus deliteſcunt. Microſcopia enim animalia oſtendunt minima, vivacia, quorum plurima ne unum quidem granum æquant; in his citra omne dubium cor cum vaſis, nervi, muſculi & ovula, atque in his nova animalculi rudimenta continentur.

Scholion.

Succumbit ſane omnis fœcundiſſima phantaſia in ſtupendis iſtis minutiis capiendis, & cultiſſima etiam mens in conſideratione concentratorum horum minutiſſimorum, quibus machinulæ hæ refertæ ſunt, præ ſtupore obmuteſcit. Rectiſſime hinc CICERO: *ea omnino*, inquit, *eſt rerum divinarum ratio, ut tacitis animis magis adorandæ & venerandæ ſint, quam verbis exprimendæ, & intelligibili modo demonſtrandæ.* Merito igitur cum rege DAVIDE exclamamus: *ago tibi gratias, quod tam abſtruſa ratio mirifice in me adhibita eſt; mirifica ſunt tua facta, quæ ego animo plane recognoſco. Non te latuere artus mei, cum in abdito fierem ingenioſe textus, in ima terra mei rudimenta vidiſti, eaque ſpatio temporis conformanda.*

§. V.

Maxima etiam naturæ myſteria in vegetabilium propagatione conſpiciuntur, quorum pauca hic attingere lubet. Ulmus ex ſeminum rudimentis conſertiſſime ſibi oppreſſis & conſertis conſtat. Sic doctiſſimus D. DODART in uno ramo 16450. ſemina numeravit; hinc dixit: *qui altius penſitat, quodlibet granum arboris alicujus in ſe aliam continere arborem, eundem granorum numerum abſcondentem, ad quod nunquam pervenire licet, neque ad ſemen unquam contingere arborem, quæ non amplius continet ſemina pauciora, quam prior, ut adeo formetur progreſſio geometrica, cujus primus terminus ſit* 1. *ſecundus* 16450. *tertius hujus quadratura, & ſic in infinitum, non imaginatio ſolum, ſed & ratio in tam immenſo calculo ſuccumbit, ut adeo, qui profundius vel in phyſicis vel mathematicis edocti ſunt, ultro agnoſcant, in progreſſu infinitatem quandam occurrere.* Ex quo merito concludendum, quod omnipotens naturæ auctor magno ſtudio ubique præcipuum ſuæ magnitudinis characterem impreſſerit.

§. VI.

Quis unquam intellectus humanus comprehendit, quod ex minimæ molis ſemine & in eo hærente longe minori plantula, v. g. fraxini, tanta tamque procera, ſolida, longamque ætatem ferens exſurgat arbor; & contra, quod faba majoris molis ſemen tantillam plantam, repentem, & brevi durantem protrudat.

§. VII.

Præterea, ſingulare ac arcanum naturæ myſterium in propagatione & ſemine latet; ſiquidem ad certas leges & regulas, à Deo cuique ſpeciei inditas certo tempore unumquodque præfixum ac determinatum obtinet augmentum. Et ex hoc patet ratio, cur homo non in molem elephantis, nec columba in magnitudinem anſeris augeatur. Partium enim typi in ſemine præexiſtentes vel epigeneſis homogenearum partium i. e. nutritio eo uſque, quo uſque poſſunt, ſive ſecundum magnitudinis modulos, a Deo cujuſque ſpeciei ſtatutos, augentur & dilatantur.

§. VIII.

Omne ſemen ovulumque ſui ſimile producit, & nullæ novæ ſpecies ſeminum & individua hodie prodeunt: ſed ipſa ſemina multiplicantur: hinc noſtro tempore longe major in unaquaque ſpecie individuorum numerus eſt, quam erat primitus. Quodſi vero multiplicationem hanc in unaquaque ſpecie retro-

retrograda ſerie numeremus, fit, ut tantummodo in unico parente deſinat, cujus unitas & vis genitrix enti omnino omnipotenti & ſapientiſſimo attribuenda eſt, quod Deus appellatur, cujus opus & creatio & conſervatio eſt.

§. IX.

Niſi ſummus naturæ auctor pro infinita ſua ſapientia mirabilem illam virtutem multiplicativam univerſo animantium & vegetantium generi indidiſſet; totum ſane & vegetabilium & animalium regnum ut exſpiraret eſſet neceſſe.

Scholion.

Multoties inter amicos ſermones non vulgaris doctrinæ viris problema quoddam his verbis evoluendum propoſui: in rerum natura ſtupendæ exilitatis exiſtere materiam, omnibus ſatis notam, & niſi hæc ipſa exiſteret, univerſum hominum genus deficeret; ſique eſſent homines, hac tamen materia deficiente, propter victus & amictus inopiam interirent. His ſuperaddidi, quod hæc res utraque lingua & latina & germanica duabus tantum ſyllabis contineatur. At vero vix ullus erat, qui ſummam hujus quæſtionis exhauriebat: alii enim ſpiritum, alii aquam, alii denique motum eſſe putabant. Poſt multas conjecturas ipſis detexi, quod *ſemen* ſit; cujus rei veritatem etiam ſuo adſenſu confirmarunt. Miror igitur, perpaucos, etiam inter magnos noſtri ævi philoſophos, eſſe, qui ſummum hoc naturæ myſterium in ſcriptis ſuis vix verbo attingunt, multo minus illud explicare nituntur. Sic quotidiana & quæ ante pedes ſunt, negligimus, & ea potius, quæ minoris momenti ſunt & ſubtilitatem ſapiunt, ſummo ſtudio ſectamur.

CAPUT IX.

De divino naturæ mechaniſmo in productione vegetabilium conſpicuo.

§. I.

Omnis planta primam ſuam originem ex ſemine præexiſtente habet; poſtea vero ex radice, ramis & foliis facile propagatur: vix tamen ullam ſemine deſtitutam invenies; quare æquivocam etiam generationem in vegetabilium regno omnino negamus.

§. II.

Omnis generis plantæ ſunt machinæ hydraulico-elaſticæ, quæ ex innumeris variæ magnitudinis, figuræ, diametri & texturæ tubulis ac vaſculis miro ordine & nexu inter ſe invicem convolutis conſtructæ ſunt, per quæ ſubtilior aquoſus humor ex pluviis proveniens & tenerrimis terreſtribus & ſalino-ſulphureis particulis imbutus vehitur & circumfertur, eo fine, ut non modo nutrimentum & augmentum accipiant, ſed & ut fructus ac ſemina ad propagationem producantur.

§. III.

Gaudent omnes plantæ earumque partes fibris tam ligneis quam fiſtuloſis, cute, epidermide, medulla veſiculari, membranis, utriculis, vi elaſtica donatis, ut alterna contractione & expanſione ſucci nutritii curſus ac motus per totam vaſculoſam compagem & minutiſſimos capillares tubulos facilitetur ac promoveatur. Nam mutua ſolidorum in fluida & fluidorum in ſolida actione & reactione etiam œconomia vegetantium, ſicut in animalibus fit, conſervatur.

De Philoſophandi ratione.

§. IV.

Obſervamus porro, in plantarum partibus exterioribus poros, ſive minimas cavitates, quæ microſcopiorum ope in foliis quam maxime deteguntur, per quas a nutritione ſuperfluus humor exhalare & tranſpirare debet. Deſinunt in has cavitates vaſculorum extremitates; quæ niſi eſſent apertæ, ulterior progreſſio & ſucci circulatio ex inferioribus ad ſuperiora ceſſaret.

§. V.

Calor ſolaris & aer atmoſphæricus mirifice ſucci circulationem per plantam adjuvat: nam calor, contentos in vaſculis ſuccos rarefaciendo majus reddit ſpatium, & per poros exteriores tranſpirationem promovet, ut nocturno tempore, ubi ſphæra frigidior eſt, in evacuatos canaliculos nutritius humor eo melius poſſit impelli.

§. VI.

Plantarum folia ex omni vaſorum genere compaginatum & expanſum tenuique pellicula tectum efformant rete, cujus areas non tantum utriculi, perficiendo ſucco deſtinati, ſed & tubuli, per quos fit tranſpiratio, replent, ut in foliis non modo ſuccus depuratus mora & cooperante ſolis calore magis elaboretur & exaltetur, differentemque ratione ſaporis, odoris, coloris & virtutis naturam induat; ſed etiam ut ejus pars exaltata in florem, fructum & ſemen impendatur.

§. VII.

Flores, qui ex quinque partibus, calice nempe, petalis, piſtillo, ſtaminibus & apicibus, componuntur, in finem fructuum & ſeminum conditi ſunt, & tenella eorum petala, ſub tenui pellicula, minutiſſimorum vaſorum genere gaudent, quæ ſimul ex utriculorum agmine denſo compaginantur, & ſubtilem atque diffiabilem fovent ſuccum, vario colore & ſapore, dulci præſertim, præditum.

§. VIII.

Inter alia notari meretur, quod ſuccus in floribus & eorum centro contentus fructui nutriendo eumque mollem ſervando maxime inſerviat, quo facilius ejus partes explicari poſſint. Quum autem hic ſuccus aëre nimis frigido vel ſolaribus radiis aut aliis externis injuriis facile lædi & exſiccari queat; mirifice profecto provida natura ad defendendum florem & fructum in variis plantarum ſpeciebus operatur.

Scholion.

Quam ſtupenda & admirabili ſollertia ac cura benigniſſima ac provida natura in plantis & earum fructibus ſeminibuſque producendis laboraverit, & quam ingenioſe florum ſtructuram in his vel aliis vegetabilibus confecerit, ne fructuum & ſeminum productio impediatur, hæc omnia Cel. Pontedera accuratiſſime in *Anthologia ſua lib. I.* explanavit.

§. IX.

In floribus admirabilem, quem nulla etiam Apellis ars imitari poteſt, conſpicimus colorem, id quod tulipæ, caryophylli, anemomæ, auriculæ, primulæveris & ſexcenta alia teſtantur. Ecquis eſt, qui mente perſpicaciſſima ſtupendorum horum effectuum cauſſam, quæ non niſi in ſapientiſſime conſtructo partium ſitu, figura & ordine conſiſtere debet, intime penetrare poterit.

§. X.

Quamdiu ſucci nutritii in plantis earumque partibus circulatio perdurat ac viget, tamdiu etiam permanet nutritio, & vitam adeſſe dicimus. Quandocunque vero increſcente ætate canales ſenſim obri-

geſcentes & areſcentes ligneam quaſi induunt duritiem, circulatione ſuccorum & nutritione intercepta mors ſequitur, quam plenaria aridura teſtatur.

Scholion.

Mors vegetabilium ac animantium eodem plane modo contingere videtur. Nam quando fibræ & canales in extrema ætate rigeſcere & exareſcere incipiunt; nutritionem cum viribus ſenſim evaneſcere & tandem mortem neceſſariam ſupervenire quotidie obſervamus.

§. XI.

Quemadmodum animantium morbi ex impedita circulatione ſanguinis & humorum vitalium per minutiſſima vaſa circulatione ſuam trahunt originem; ita etiam præternaturales plantarum adfectiones ex eodem fundamento, inordinato nempe ſucci nutritii progreſſu, per vaſcula petendæ ſunt.

§. XII.

Quandocunque in tota planta vel ejus tantummodo parte fluidorum motus plane ſiſtitur & ceſſat, fit plenaria aridura ſive ſideratio & mors. Quando a nimio & exceſſivo calore inopia ſucci fit alibilis, aut ab acri frigore canaliculi in floribus & foliis conſtringuntur, hacque ratione æquabilis fluidi circulatio ad partes has inhibetur, ſpes omnino fructuum & ſeminum perit. Flores enim quam maxime ob fibrarum teneritudinem a frigore læduntur, neque minus plantæ novellæ & ſucculentæ, ut ſunt ficuum, nucum ac vitium, quando a pruina vel gelu vernali, horis matutinis conſueto, perſtringuntur, superveniente ſolari æſtu, ex facili exareſcunt.

§. XIII.

Flores quoque, fructus & ſemina a rore nimis glutinoſo dulci, qui æſtivo tempore frequens eſſe ſolet, & minimos porulos obſtruit, ingens damnum patiuntur. Non raro quoque idem a pruina corroſiva, rubiginem inducente, contingit, quando extremitates foliorum & flores tangit.

§. XIV.

Nimia humidi abundantia ſolariſque caloris defectus & florum & foliorum nutritionem impediunt: condenſati enim humores minimos meatus ac poros tranſire nequeunt, unde ægritudinem fructuumque ſterilitatem quam maxime deducimus.

§. XV.

Inter naturæ arcana, quæ rationi in regno vegetabilium impervia videntur, merito illud referendum eſt, quod inſipidus ille ex pluviis decidens humor tot diverſæ naturæ & generis ſtirpes ac plantas in uno loco & tractu reperiundas, propemodum ſolus nutrire poſſit, ut mirabile admodum mox augmentum recipiant. Quam in rem notatu digna ſunt experimenta, quæ olim Helmontius, & in Anglia Boyleus inſtituerunt. Vaſi ſcilicet terreo certam terræ molem exquiſite ponderatam; huic vero exilem arborem, quæ cito creſcit, ut ſalicem, lance examinatam indiderunt, vaſque illud cœlo ac pluviis per ſex menſium ſpatium expoſuerunt; quo emenſo arbor ita crevit, ut viginti & aliquot libras ponderaret, cum antea vix ſeptem libras adæquaſſet, terræ pondere vix ad dimidiam libram imminuto. Noſtro jam tempore amœno ſpectaculo videmus, cepas narciſſorum, hyacinthorum & chaquillæ vitro aqua repleto inditas, in aquam ſuppoſitam radices ſuas deorſum ſpargere, folia vero & flores ſurſum excreſcere odoratiſſimos, ſine ullo terræ acceſſu. Quandocunque folia, flores & radices poſtea lance examinantur, pondus eorum triplo majus ipſa cepa obſervatur. Quibus experimentis clariſſime evincitur, ſolam aquam puram atque pellucidam, ſubtiliorem, omniſque odoris & ſaporis expertem, non modo in maſſam ſolidam radicis, trunci, corticis, foliorum abire & transmutari poſſe, verum etiam floribus materiam ſuaveolentis odoris, planeque diverſi & elegantiſſimi coloris, quem nulla vel exquiſitiſſima ars imitari poteſt, imo quoque varium ſaporem & virtutem, dulcemque ſuccum ſuppeditare.

§. XVI.

Illud vero adhuc magis mirandum, quod hic ſuccus vegetabilium nutritius pro varia plantarum ſtructura & conformatione in aliis ſaporem dulcem & gratum, in aliis acerbum, adſtringentem, acidum & amaricantem, rurſus in aliis acrem pungentem cauſticum, vel aromaticum recipiat, qui de ipſius plane diverſa indole, textura ac virtute clariſſimum dat teſtimonium.

§. XVIII.

Hoc optime conſtat medicis, qui perpetim obſervant, plantis purgantem, emeticam, diaphoreticam, neque minus intemperatos humores corrigentem ineſſe virtutem, quæ ad omnis generis morbos ſanandos, eorumque cauſſas abigendas plane ſufficit, ſicut hoc ipſum veteres medici exemplo ſuo docent & comprobant, qui remediis ex ſolo regno vegetabili petitis, neglectis mineralibus, optimo cum ſucceſſu uſi fuerunt. Quodſi enim indicatio eſt incidendi, viſcidosque humores diſſolvendi, acres contemperandi, vires debilitatas confortandi parteſque relaxatas conſtringendi, & motus vel depreſſos excitandi, vel effrenes compeſcendi; ecce! largiſſimo proventu ejuſmodi remedia in vegetantium regno invenimus, quæ ſingulis hiſce indicationibus ſatisfaciunt.

§. XIX.

Nullus ſane chymicorum arte ſua vel exquiſitiſſima per tot & varias operationes ſuas, e. gr. ſolutiones, deſtillationes, combuſtiones, ſublimationes, fermentationes & combinationes, tam inſignis virtutis, texturæ, ſaporis & odoris producta elicere poterit, quam provida & artificioſiſſima natura facili modo profert, adeo ut etiam in hoc regno appareat. Deum eſſe ſummum perfectiſſimumque chymicum.

§. XX.

Verum enim vero, præter aqueum elementum ad vegetantium proventum multum quoque conferre ſolet varia climatis, ratione ſoli, aëris & Solis conditio. Prout enim locorum ſitus & diſtantia a Sole differt; ita quoque aliæ atque aliæ vegetabilium ſpecies ratione ſtructuræ & virium, ſive medicinalium, ſive alimentoſarum producuntur. Nam quo major aëris eſt ſubtilitas & ferventior temperies, eo quoque facilior eſt plantarum maturitas atque perfectio. Quare mirum videatur nemini, cur in regionibus orientem ſpectantibus calidiſſimis, tam largo proventu aromata, ut cinnamomum, caryophylli, nuces moſchatæ, & balſama, quæ deſtillatione oleum fundunt, progerminent; item cur in noſtris quoque terris, æſtate regnante calida, non modo varii generis plantæ aromatibus illis analogæ, ut meliſſa, mentha, lavendula, ſpica, thymus, roſmarinus &c. majorem olei puriſſimi copiam deſtillationis ope exhibeant; verum etiam cur vineæ uvas longe maturiores & dulciores, vinaque odore, ſapore & virtute præſtantiora, quam alio tempore, præbeant.

§. XXI.

§. XXI.

Quantum autem diverſa aëris conſtitutio, & ipſa loci, ratione ſitus, indoles in moderandis vegetabilium effectibus valeat, id vix melius poſſumus cognoſcere, ac ſi probe conſideramus, illas ipſas plantas, quæ in locis celſioribus, liberiori venti & aëris afflatui expoſitis ſuos habent natales, præ reliquis omnibus valde eſſe ſalubres uſibuſque medicis inprimis accommodatas, ut fere ſunt: agrimonia, abrotanum, carolina, arnica, calamintha montana, chamæpytis, hypericum, geniſta, piloſella, ſanicula, ſcorzonera, pyrola, virga aurea, vincetoxicum, hyſſopus, veronica, ariſtolochia, ſerpillum, tormentilla, millefolium, chamomilla & hujus cenſus alia, quæ in variis chronicis affectibus, maximeque vulneribus ſanandis eximiam præſtant opem.

§. XXII.

Idem quoque valet de omnis generis frumentis, ut ſecali, tritico, hordeo & ſimilibus; utpote quæ, ſi in editioribus proveniunt locis, non ſolum tenuiori inveſtiuntur cortice, & farinam reddunt uberiorem ac magis alimentoſam, verum etiam, prævia fermentatione, longe majorem ſpiritus inflammabilis præbent copiam, ac ſi in locis paullo declivioribus & æſtate valde humida progerminaverint. Imo etiam plantæ omnes & herbæ, in ſublimiori loco editæ animantibus, quæ inde vivunt, lactis præſtantiſſimi ubertatem ſuppeditant, ut inde butyrum & caſeus optimæ notæ in œconomia confici queant.

§. XXIII.

Sed mirabilis plantarum pro ſitu ſuo diverſitas longe magis elucefcet, ſi etiam reliquas locorum differentias examinamus. Sic enim in locis humidioribus paludoſis, ubi pluviæ ſtagnantes putredinem concipiunt, plantas minus ſalubres, ipſisque pecoribus infeſtas creſcere obſervamus. Plurimæ enim ibi acrem cauſticam contrahunt indolem, ut maxime in cyclamine, flammula jovis, iride paluſtri, gratiola &c. videmus, quæ fibras inteſtinales arrodendo fortiter purgant, & extrinſecus adhibitæ veſicas excitare ſolent. Fundus ſiccus & arenoſus ex arboribus pinum, abietem piceam, juniperum, taxum; ex plantis ericam, ſaxifragam, ſtœchadem citrinam, chamæpytin, echium, benigne & liberaliter profert. In locis contra lapidoſis & ſaxeis carlina, pulſatilla, bupleuron, chamædrys ivamoſchata, & in locis argillaceis lutoſis legumina, piſa, fabæ, lentes, viciæ, craccæ, felicius proveniunt.

§. XXIV.

Hactenus quidem allegata, immenſam Dei ſapientiam, qua etiam in vegetantium regno pulcherrime omnia diſpoſuit, luculenter admodum demonſtrant; ſed in eo quoque laudibus nunquam ſatis dignis infinita ejus bonitas erga miſerum hominum genus prædicari poteſt, quod frutices & plantas multis in morbis ſaluberrimas, ubivis fere locorum in uberrima copia progigni juſſerit, ut facili negotio ad varios uſus haberi queant. Sic enim quævis prope terra ſequentes ſpecies liberaliter educit, quæ fere ſingulis in medendo indicationibus exacte reſpondent, ut arbores abietis, pini, ſambuci, acaciæ, ex herbis malva, hedera terreſtris, fumaria, plantago, naſturtium aquaticum, tuſſilago, hypericum, abſynthium, milleſolium, carduorum ſpecies, ſerpillum, flores bellidis, chamomillæ, papaveris rhœados & alia.

§. XXV.

Neque etiam inter eximia Dei beneficia reticendum eſt, quod in regionibus, ubi endemii graſſantur morbi, ejus generis herbas ſponte enaſci velit, quæ ſpecifica quadam præ aliis virtute ad ipſos ſanandos inſtructæ ſunt. Quare in Groenlandia & aliis ſeptentrioni vicinis regionibus, ubi ſcorbutica lues ſævit, plantæ huic malo tollendo aptiſſimæ, ut cochlearia, acetoſella, trifolium paluſtre & ſimilia larga in quantitate progerminant: in Gallia, Hiſpania & Luſitania, ubi ob torrentem ſolis æſtum, febres ardentes inflammatoriæ & cholericæ facile impetunt, varia ad æſtum exſtinguendum idonea, ut poma citrea, aurantia, Chinenſia, pruna acida, tamarindi, copioſiora inveniuntur. Quo etiam illud jure meritoque referendum eſt, quod providente ſic divina clementia, in noſtris quoque terris per æſtatem ejuſmodi fructus largiter ubivis creſcant, quæ, uti ribes, rubi idæi & ceraſa, nimio calori temperando, morbiſque inde oriundis præcavendis egregie ſerviunt; item quod autumnali tempore alii rurſus fructus, ut pira, poma, uvæ &c. producantur, ex quibus vinoſi liquores per fermentationem in maximum hominum uſum parari poſſunt.

§. XXVI.

At vero, ſaluberrimus vegetabilium uſus non ſolum inter medicinæ limites ſubſiſtit, & ad ſanitatem a morborum inſultibus tuendam contribuit; ſed ita prorſus univerſalis eſt, ut ipſam vitam omnibus in animantibus, ſive brutis, ſive ratione præditis uberrime ſuſtentet. Ubi enim eſt homo, aut animal, ſive quadrupes, ſive ex avium & inſectorum genere, quod non ab herbis, plantis, radicibus & fructibus, e terræ ſinu progerminantibus, victum ſibi & alimoniam repetat, & hoc pabulo vitam ſuam aptiſſime proroget? In eo autem inprimis celebranda eſt ſummi Numinis bonitas & providentia, quod in vegetantium regno tot diverſas ſeminum ſpecies, ut oryzam, milium, triticum, aliaque frumenta largiſſimo proventu ſuccreſcere voluerit, quorum temperata indoles, accedente aqueo elemento debitaque ventriculi digeſtione, facillime in dulcem chyloſum ſuccum tranſit; unde ſanguineum illum vitalem laticem reſtaurando, ad animantium vitam diutius protrahendam quam maxime confert. Ut nihil dicam de multis potibus, qui ex frumentis per artem parati, in maximum hominum uſum cedere ſolent. Præter hæc vero, ex vegetantium regno, nobis etiam materia ſuppetit, ad exſtruenda ædificia, conficienda varii generis inſtrumenta & vaſa domeſtica, & ad concipiendum alendumque ignem idonea. Sicut autem his omnibus difficulter admodum, aut plane non carere poſſumus; ita immenſa Dei bonitas clariſſime apparet, quæ nobis ad vitam ſanam & commodam vivendam omnia neceſſaria clementiſſime ſuppeditavit.

§. XXVII.

Præter hæc vero, abſolutiſſimam Dei perfectionem in vegetabili regno vix melius poſſumus cognoſcere, ac ſi attentius paullo conſideramus, ſub tanta vegetantium, ſive arborum, ſive plantarum varietate & copia, nunquam perfectam, ratione radicum, foliorum, florum & fructuum, obſervari ſimilitudinem, ſed maximam ſemper differentiam. Qua ſingulari obſervatione acutiſſimus ille philoſophus, Illuſtris Leibnitius olim principium indiſcernibilium ſtabilire anniſus eſt; quamvis illa ipſa non tam nova ſit, ut ne in veterum monumentis aliquam ejus mentionem reperiamus. Maxime autem hic allegandus eſt Seneca, qui in epiſt. 113. pulcherrime in hunc modum philoſophatur: *inter cætera*, inquit, *propter quæ mirabile divini artificis ingenium eſt, hoc quoque exiſtimo, quia in tanta copia rerum nunquam in idem incidit; etiamſi ſimilia videntur: cum contuleris, diverſa*

diverſa ſunt. Tot fecit genera foliorum, nullum non ſua proprietate ſignatum.

§. XXVIII.

Tum quoque ſummum divini artificis ingenium complura ejus in vegetantium regno ſagaciſſima opera abunde ſatis declarant, quorum effectum quidem videmus, rationem vero difficulter invenire poſſumus. Quis enim demonſtrare unquam auſus eſt, qui fiat, ut plantæ nonnullæ ab una ſpecie in aliam, & e. g. triticum in lolium, avena in ægylopem, nux moſchata in Europa in juglandem, cypreſſus in Livonia in plantam ſabinæ æmulam, zedoariæ ſemen terræ mandatum in tanacetum, cinamomum in laurum & ſic porro degenerent. Equidem novi ex philoſophis nonnullos, qui animam vegetativam pro cauſa formarum in vegetabilibus venditant; at vero, quum contra rationem duas admittere animas debeant, merito hæc explicatio pro figmento potius, quam pro vera demonſtratione habenda eſt.

§. XXIX.

Pari ratione hoc etiam phænomenon valde mirabile & explicatu difficillimum eſt, quod ſemina in terram projecta, quemcunque etiam ſitum habeant, nihilominus ſemper radices deorſum, plumulam vero ſurſum dimittant, item, quod ramorum in arboribus complexus nunquam fere non terræ ſuperficiei ſit parallelus. Denique nullus facile philoſophorum & botanicorum perfecte penetrare poterit, cur plantæ quædam ad leviſſimum manus attactum folia ſtatim contrahendo & quaſi criſpando ſenſibiles eſſe videantur, & cur aliæ rurſus inter efflorescendum mox iterum deflorescant atque emoriantur. Obſervare hoc potiſſimum licet in cereo Peruviano, qui mirando admodum ſpectaculo intra paucas horas florem magnum aureoque colore fulgentem non modo emittit, verum etiam intra aliquot horarum ſpatium denuo amittit atque flacceſcit.

CAPUT X.

De ſumma numinis divini ſapientia & bonitate in mundo ſubterraneo cognoſcenda.

§. I.

Opera divina, quæ non ſolum ſuper terram, in regno vegetabilium conſpiciuntur, ſed ea quoque quæ ſubter terram abſcondita & ſenſibus vix pervia ſunt, divinas virtutes & immenſam erga genus humanum bonitatem ſatis abundeque declarant. Tam enim inexhauſtus theſaurus, tanta copia, tantaque varietas & pulchritudo rerum in abditis terræ viſceribus reperitur, ut non modo animum mirifice oblectent, ſed paullo etiam propius conſiderata in inſignem hominum uſum ad vitam felicem, commodam & ſanam agendam, ſummique auctoris naturæ gloriam prædicandam apta nata & accommodata ſint.

§. II.

In locis ſubterraneis Deus O. M. ſe ut perfectiſſimum mechanicum hydraulicum conſpiciendum præbet. Invenimus enim ibi ductus & canales majoris minorisve diametri, eorumque diſperſos undique ramos, per quos continuo aquæ fluunt & circulantur, quæ partim in profundum ſerpentes, partim in terræ ſuperficiem porrectæ fontes conſtituunt: qui, non obſtante etiam tempeſtate anni ſicciſſima, ſemper fluunt, & circulantur, quæ partim in profundum ſerpentes, partim in terræ ſuperficiem porrectæ fontes conſtituunt: qui, non obſtante etiam tempeſtate anni ſicciſſima, ſemper fluunt, ut certam ac determinatam intra certum temporis ſpatium aquam largiantur.

§. III.

Metallorum ac mineralium fodinæ & venæ aquis ſemper irriguæ deprehenduntur, ut ob earum copiam cuniculis ſæpe duplicibus ad derivandum opus ſit, ne metallici in labore ſuo impediti ſcopo & ſucceſſu deſtituantur. Sæpe etiam in maxima ſiccitate ex uno alterove cuniculo tanta aquæ educitur copia, ut omnes inde molæ circumagi queant, manifeſto indicio, aquas ſubterraneas non a pluviis & fluminibus in terræ ſuperficie poſitis, ſed potius a mari, terræ circumfuſo, ſuam petere originem. Neque dubitandum eſt, quin aqua marina per molliores terræ poros filtrata & tranſcolata ſalſedinem non modo deponat, ſed etiam in certis, iiſque præſertim argillaceis tractibus accumulata varias fontium ſcaturigines conſtituat.

§. IV.

Res ſane imperſcrutabilis & ſumma admiratione digna eſt, quod hinc inde in variis tractibus fontes ſalini & ſoterii calidiores & frigidiores detegantur, thermarum & acidularum nomine noti, qui per longam annorum ſeriem ſcaturientes non modo aquarum, ſed & ſalis communis & ſaluberrimorum ingredientium determinatam copiam & pondus ſingulis diebus exhibent; quemadmodum id in noſtris fontibus ſalinis Halenſibus, thermis Carolinis, acidulis Egranis aliiſque obſervamus.

§. V.

Sunt quoque per abdita terræ loca multæ venæ ſive ductus diſtributi, qui varii generis metalla ac mineralia continent. Atque hæ venæ ita conſtructæ ſunt, ut in toto ſuo progreſſu certam ſitus directionem, ad cardines mundi relatam, obtineant, modo ab oriente verſus occidentem, modo a meridie verſus ſeptentrionem reſpicientes. Aliæ ſecundum lineam perpendicularem in profundum abeunt; aliæ vero intra perpendiculum & horizontem progrediuntur, quod *das Steigen oder Fallen des Ganges* appellatur. Omnes tamen hæ venæ metalliferæ in eo plerumque conveniunt, ut inter duriſſima ſaxa conſtitutæ ſaxeo quodam involucro & limoſa quadam medullari ſubſtantia modo gryſei modo ſubcœrulei coloris duobus maxime lateribus inveſtiantur, cujus ſuperius tectum *das Dach*, inferius fundus *Die Soole oder Saal-Band* nominari ſolet.

§. VI.

Venæ hæ jugiter per terræ viſcera porrectæ & diſtributæ ſi paullo attentius conſiderantur, non fortuito aliquo caſu ita diſpoſitæ videntur, ſed longe vero ſimilius eſt, ipſas a creationis primordiis terrarum tractibus jam fuiſſe intextas. Quæ enim ratio humana unquam adſecuta eſt, quomodo tam ordinata, operoſa & abundantiſſima materia metallica, quæ vix aliquot centenis annis exſcindi poteſt, in hos illoſve terræ tractus fortuito caſu levibus ſucceſſibus, in tanto ordine & nexu congeſta reperiatur.

§. VII.

At vero, Deus non ſolum in ſubterraneis locis ceu perfectiſſimum mechanicum & hydraulicum, ſed & optimum chymicum ſe præſtitit. Sicut enim chymicæ artis peritus multiplici & artificioſa variarum materiarum ſeparatione & combinatione, mediante igne vel ſine eo, varia ratione formæ, texturæ, qualitatum & virtutum inter ſe diſtincta corpora in inſignem uſum producit;

uſum producit; ita Deus pro arte ſua abſolutiſſima longe majora præſtantioraque opera in terræ viſceribus pulcherrime olim creavit & adhuc profert.

§. VIII.

Ex combuſtis vegetabilibus ſal lixivioſum ſive alcalinum chymicus præparat, quod cum acido effervefcens in ſal neutrum tranſit. Simili modo divina arte ejuſmodi ſalia alcalia elaborantur, quorum præſentiam & copiam fontes medicati, thermæ præſertim Carolinæ, Emſenſes & acidulæ Selteranæ teſtantur & exhibent. Chymicus ex mixtura ſpiritus ſulphuris acidi cum terra calcaria ſal neutrum amarum deterſiva & laxante virtute præditum elicere novit; haud diſſimili ratione ejuſdem indolis ac virtutis ſal in terræ latebris progignitur, quale in magna copia in fontibus Bohemiæ Sedlicenſibus & Seidſchüzenſibus, a nobis primum detectis & uſurpatis reperitur. Ex ferro & cupro, mediante ſulphuris acido ſoluto, vitriolum viridis & coerulei coloris, quod veneris dicitur, paratur. Et en! Anglia & noſtra Germania, præſertim Goſlarienſis terra maximam ejuſmodi vitrioli recondit copiam.

§. IX.

Neque vero tantum natura per mixtionem diverſæ indolis ſalia elaborat; ſed ars etiam varii generis mineralia ac metalla debita encheireſi inter ſe juncta & combinata ſiſtit. Notum eſt ex chymicis, ex ſulphure vulgari cum argento vivo commixto elegantiſſimi rubicundi coloris cinnabarim per ſublimationem confici. Et quem fugit, ejuſmodi cinnabarina concreta ex Hungariæ fodinis magna in copia erui; nec tamen artificialem naturali viribus ac uſu cedere. Difficillimæ in igne fuſionis argentum, addito ſulphure, ſtatim colliqueſcit, gryſeum colorem induit, facileque diſcindi poteſt. Simile quid in Saxoniæ mineris, *in den ſo genannten Glas-Ertz* reperitur, & in eodem tractu argenti minera, *Roth gülden Ertz* appellata, effoditur, quam chymica ars argenti ſulphuris & arſenici convenienti miſcela exacte imitari poteſt. Mineræ ſulphureæ, dictæ *Schvvefel-Kieſs* hinc inde magno cumulo e terra effodiuntur, & ſimiles ex ferro cum ſulphure colliquato arte parantur.

§. X.

Ex ferro chalybs, ex cupro & lapide calaminari, vel ejus ſubtiliori parte tutia, aurichalcum, ex cupro & arſenico debita encheireſi cuprum album, quod multum convenientiæ cum argento alit, ars humana egregios in uſus producere novit; nunquam tamen perfecte talia metalla, qualia natura dat, ſiſtet; quæ ſolius Dei opera manent.

Scholion.

Metalla & mineralia non ex ſemine prolifico ejuſque multiplicativa virtute, ut reliqua in vegetantium & animantium regno artificioſiſſime ſtructa corpora, ſed a diverſæ indolis materiarum intima combinatione & mixtione producuntur. Ridemus igitur ignorantiam & fabuloſum commentum de lapide philoſophorum, quem alchymiſtæ pro ſemine prolifico habent: cum nec vilius metallum, ut ſtannum, cuprum &c. multo minus præſtantiſſimum, in igne fixiſſimum & graviſſimum, ſicut aurum, ulla arte præparare poſſunt.

§. XI.

Præter metalla etiam pretioſi lapides in intimis terræ receſſibus efformantur. Enimvero vitriariæ artis peritiores noſtro ævo, ex combuſtorum ſilicum pulvere, creta, borace & ſale alcalino cryſtallinæ perſpicuitatis vitra conficiunt; & ſubtiliori addita metallica ex auro, cupro vel ferro præparata calce artificiales gemmas, rubinos, granatos, ſmaragdos, ſaphyros & amethyſtos colore æmulantes parant, quæ aſpectu quidem jucundæ; rite tamen examinatæ ratione duritiei, ſplendoris & durationis genuinis longe inferiores deprehenduntur.

§. XII.

Quemadmodum chymicus maxime omnium ad operationes ſuas igne opus habet, quo corpora mixta diſſolvuntur & alterantur: ſic quoque omnium chymicorum perfectiſſimus in laboratorio ſuo ſubterraneo ignem ſatis vehementem & magnæ activitatis abſcondidit, quo magnæ & mirandæ ſane mutationes iſtis in locis conficiuntur. Nam ignivomi illi montes famigeratiſſimi, ut Veſuvius, Aetna & Hecla, qui tot jam ſæculorum decurſu ardere non deſierunt, atque etiam calidiſſimæ, quæ ſcaturiunt, Carolinæ thermæ, Aquisgranenſes & aliæ hunc ſatis abundeque demonſtrant. Ut taceam vapores & fumos ſulphureos, candelas accenſas exſtinguentes, quos metalli foſſores non ſine incommodo & vitæ periculo ſubinde experiuntur.

§. XIII.

Ad originem & pabulum ſubterranei hujus ignis quod attinet; non eadem omnibus phyſicis eſt ſententia. Alii enim in centro terræ eum a Deo creatum exiſtimant; alii ſucceſſive ex carbonibus combuſtibilibus in terræ viſceribus reconditis ejus geneſin deducunt; quorum ſententiæ & ego ſubſcribo. Nam in locis profundioribus innumerabilis ſubinde copia & cumulus corporum ad ignem concipiendum aptorum reperitur, cujus generis ſunt marcaſitæ ſulphureæ, ſive pyrites, mineræ ferreæ, ſulphureæ, vitriolicæ, aluminoſæ, corpora bituminoſa, carbones foſſiles & ligna foſſilia.

§. XIV.

Ad ignis hujus geneſin explicandam nonnulla haud injucunda experimenta in medium proferre lubet. Si limatura ferri cum æquali ſulphuris vivi pondere probe in mortario miſcetur, & maſſa hæc aqua aſperſa vaſi terreo inditur; aliquot horarum ſpatio ita incaleſcere incipit, ut calore increſcente in apertam flammam abeat. Spiritus vitrioli acidus limaturæ ferri in phiola adfuſus ingentem æſtum & fumum excitat, qui flammæ candelæ admotus cum ſtrepitu accenditur. Ligna foſſilia ſale acido ſulphureo turgida, cujus generis aluminoſa ſunt, ſi in cumulum colliguntur aërique liberiori exponuntur, non ſolum incaleſcunt, ſed & flammam concipiunt.

§. XV.

Quum autem Deus nihil in rerum natura ſine ſufficiente ratione, ſine ſapiente ordine & ſine condidit; ſic quoque non dubitandum, quin etiam ſub terra contentus ignis ſuis deſtinatus ſit uſibus. Prima enim origo aquarum thermalium & medicatarum, quæ in multis regionibus & provinciis non ſine inſigni ægrotantium uſu ſcaturiunt, huic igni ſubterraneo debetur.

§. XVI.

Ingentes porro variæque mutationes a rerum, quas ſupra commemoravimus, in terræ viſceribus combuſtione, ſive inteſtino ac velociſſimo ſulphurearum partium motu fiunt; exhalat enim inde & exſurgit perpetuo vapor acido-ſulphureæ penetrantis volatilis indolis, qui longe lateque terræ poros tranſiens & diffuſus præterlabentibus ac vicinis aquis ſeſe inſinuans, eas

eas valde ſubtiles, ſpirituoſas, ſapore præditas aereque & aethere plenas reddit: hinc ſingularis virtus in aquis medicatis ſic dictis acidulis emergit. Spiritus hic univerſalis tenuis ſulphureus ſi ad calcarea terræ concreta, vel etiam ſalis communis mineras, deſertur, ſal neutrum amaricantis & deterſivæ virtutis conſtituit. Terris martialibus ſi ſe adſociat, volatilem vitriolicam acquirit naturam; & hæc producta poſtea fontes ſalutares ingrediuntur, experimentis id clare teſtantibus.

§. XVII.

Interea penetrans ille ex calore ſubterraneo prodiens acido-ſulphureus vapor, ad venas metalliferas tranſlatus, iiſdem ſe intime adſociat, ipſam matricem, cui metalla innidulantur, diſſolvit, & in variam formam atque colorem tranſmutat. Atque hinc etiam eſt, quod vix ulla ſive ſtannea, ſive ferrea, plumbea aut cuprea minera, excepto auro & argento nativo, effodiatur, quæ non ſulphureo illo & primogeneo acido ita imbuta ſit, ut in prudenti ejus ſeparatione præcipuum metallurgicæ artis fundamentum vel unice conſiſtat.

§. XVIII.

Tum quoque veritati admodum videtur conſentaneum, ſubterraneos iſtos fumos, per globi noſtri terraquei poros, in aerem atmoſphæricum emiſſos, mutationum valde notabilium, quæ ſuper terram eveniunt, cauſam exiſtere, ita quidem, ut ſecundum diverſam exhalationum indolem earumque varium ex diverſis plagis proventum, aliæ atque aliæ mutationes contingant.

§. XIX.

Quæ cum ita ſint, dubitare non licet, quin etiam tam differens ventorum ratione caloris & frigoris gradus, atque nimis humida vel ſicca aeris temperies ab eadem cauſa ex parte deducenda ſit; cui perinde quoque corruſcationes illæ cœleſtes, quæ ſub figura arcuum lucidorum, ſegmentorum & columnarum radioſarum in ſeptentrione crebrius conſpicuarum varias tempeſtates prænuntiant, non ſine fundamento adſcribendæ ſunt. Nam vapores iſti ad aliquot milliaria in atmoſphæra difflati, accedente, propter ſolis calorem deficientem, noctis frigore in aere boreali ſereno & compreſſo diverſa radiorum reflexione variis figuris & quaſi per fumum lucentem ſe facile poſſunt viſui noſtro offerre, variaſque formas repræſentare. Quod vero in plagis maxime ſeptentrionalibus hæcce phænomena appareant, id mihi potiſſimum a majori aeris puritate & compreſſione, quæ ibi hieme viget, derivandum videtur; ſiquidem, obſervationibus baroſcopicis luculenter teſtantibus, ſemper major mercurii altitudo in Suecia & Dania, quam quidem in Gallia & Italia deprehendi ſolet.

§. XX.

Si porro graviorum tonitruum fulgurumque in noſtra atmoſphæra per æſtatem oborientium originem ſcrutamur; hæc itidem ſine dubio ab exhalationibus acido-ſulphureis e terra emiſſis potiſſimum petenda erit; maxime cum certiſſima obſervationum fide conſtet, illam ipſam materiam, quæ hiſce igneis aeris concuſſionibus anſam ſuppeditat, nullam aliam, quam ſulphuream & inflammabilem eſſe, quæ in ſublimiori atmoſphæræ ſpatio inter duas nubes frigidiſſimas & fere glaciales concentrata tantam vim acquirit, ut cum fragore in apertam flammam erumpat. Tandem quoque a vaporibus iſtis ſulphureis intra terræ anfractus concluſis, & per concentrationem accenſis, non ſecus ac in fulgure, horrendi terræ motus atque tremores proveniunt, qui in locis hinc inde calidioribus, ſulphurea quadam & bituminoſa materia fœtis cum maximo hominum ibi degentium damno certorumque terræ diſtrictuum vel ſubverſione, vel à ſe invicem divulſione proh dolor! contingere ſolent.

§. XXI.

Sed nunc paucis etiam magna & immenſa illa beneficia & dona expendamus, quæ ex regno minerali in maximam humani generis utilitatem proficiſcuntur. Atque inter hæc principem merentur locum ſalia foſſilia, in certis terræ tractibus a divina providentia uberrime producta, itemque fontes ſalini, qui e terra ſcaturientes, pariter ac marina aqua, ex ejus poris ſal ibi reconditum imbibunt, ut inde omnibus omnium regionum hominibus imo & animalibus ſufficiens ipſius copia ſuppetat. Et profecto tam incomparabilis ſalis communis in vita uſus eſt, ut nullus citra ſanitatis detrimentum, eodem carere tuto poſſit: utpote illud non ſolum omnibus cibis ſaporem conciliat, ſed alimentorum quoque digeſtioni egregie ſervit, fibraſque partium ſenſibiles leniter ſtimulando, id potiſſimum efficit, ut perennis fluidorum motus tam progreſſivus, quam inteſtinus cum ſe- & excretionibus in animali corpore promoveatur. Ut taceamus denique, ad res a putredine conſervandas, ſive in regno animali, ſive vegetabili nihil ſalis condimento eſſe aptius, nihil ſalubrius.

§. XXII.

Sali proxime accedunt corpora iſta bituminoſa & combuſtibilia, ut fere ſunt carbones foſſiles, quæ terrarum incolis, ubi parcior lignorum proventus eſt, neceſſarium calorem & ignem ſubminiſtrando, ingentes vitæ commoditates adferunt. Quo etiam diverſi generis lapides, marmora, terræ &c. pertinent, quæ per artem erutæ in varios, eoſque valde neceſſarios vitæ uſus cedunt.

§. XXIII.

Atque idem judicium ferendum eſſe arbitror de reliquis, ut ſulphuris, vitrioli, antimonii, cobalti, zinci &c. mineralibus, quibus ad vitam cum facilitate tranſigendam perinde opus habemus. Ita enim ex ſcintillulis ſilicis projectis nullam flammam ſine ſulphuris acceſſu producere, neque candelas, quibus ad varios uſus res circumſtantes illuminamus, accendere poſſemus: imo etiam in re militari pulvere pyrio, & in medicina quamplurimis maximeque proficuis medicamentis careremus, ſi ſulphure deſtitueremus. Sine vitriolo ceſſaret coloris nigri artificium, quo tinctores utuntur, eodemque deficiente cogitationes noſtras non amplius tam commode, ſive per litteras familiares, ſive per libros atris typis expreſſos cum aliis, quorum intereſt, communicare poſſemus. Argento vivo non ſolum ad medicos uſus in morbis pertinaciſſimis fugandis, verum etiam in communi vita ad ſpecula conficienda variaſque amalgatum ſpecies indigemus. Id quod ſimiliter de antimonio valere arbitror, cujus utilitas æque in medicina, ac in arte metallurgica ad aurum per fuſionem a reliquis metallis purgandum clariſſime apparet. Cobaltum in arte vitraria ad colorem maxime cœruleum producendum adhibetur; arſenicum vero, quod inde paratur, muribus necandis prodeſt. Zincum aurichalci præparationem adjuvat, & biſmuthum ſtanno indurando, aliiſque metallis ſonora reddendis inſervit; ut ideo ſingulorum mineralium ſingulares ſint uſus, quos ſigillatim enarrare jam ſuperſedeo.

§. XXIV.

Sed nunc ſpeciatim quoque de metallis quædam

adjicere

expediet. Ex omnibus vero, quæ ſumma Dei ſapientia in terræ viſceribus produxit, eſt ipſum aurum, quod præ omnibus naturæ corporibus peculiares quosdam characteres & virtutes poſſidet.

§. XXV.

Inter magnifica ſummi Numinis opera, in profundis terræ finibus recondita, tria potiſſimum ſunt, quæ omnem admirationem exſuperant, nec ſine ratione inter abſtruſa naturæ miracula referri poſſunt. Quæ inter principem obtinet locum ipſum aurum quod characteribus tam ſingularibus donatum eſſe videmus, ut ne aliud quicquam huic metallo ſimile inveniatur. Nam primo omnia corpora gravitate ſuperat, ideoque ſolidiſſimum ſimul tamen molliſſimum eſt, quod ſtupenda ejus ductilitas luculenter demonſtrat. Deinde nulla prorſus ratione poteſt deſtrui, ſed in igne, etiam vehementiſſimo manet fixiſſimum. Neque ulla adhuc ars inventa eſt, qua intima ejus unio poſſet diſſolvi; licet ſuperficialem ejus ſolutionem, unicum tantum menſtruum, ex nitro & ſale communi paratum, & aqua regis vocatum præſtare ſoleat. Accedit demum maxima, omniaque perrumpens vis fulminans, quæ in ipſo, ceu fixiſſimo metallo reſidet, ſi quando ſolutio ejus cum aqua regis peracta in pulverem cum liquore alcalino præcipitatur.

Scholion.

Clariſſime inde ſaniores phyſici & medici poſſunt perſpicere, quantam ignorantiam, ne dicam fallaciam, frivola iſta tranſmutatoria ars ſapiat, qua nonnulli metalla, leviora, facileque ſolubilia, in aurum convertere moliuntur. Ita pariter omni caret fundamento ſtolida illa & prorſus vana medicinæ univerſalis ex auro præparatio: ſiquidem menſtruum inſipidum, quod iſti homines ſomniant, nullum datur; ſed potius neceſſarium eſt, ut autum ſolutum cum acido in verum corroſivum venenum tranſeat. Sed quid multis ratiociniis ad futilia hæc commenta refutanda opus eſt, cum certiſſimum ſit, Deum O.M. pretioſiſſimum hoc metallum non ad ſanandas humani corporis infirmitates, ſed potius ad ſuam in regno ſubterraneo ſapientiam imperſcrutabilem declarandam procreaſſe.

§. XXVI.

Alterum admiratione dignum opus ſummus naturæ parens in adamente repoſuit, qui rex lapidum nobiliorum merito appellatur. Hic enim ob ſplendidam ſuam pelluciditatem, & lucis verſicoloris emiſſionem, ob duritiem atque ſoliditatem, imo, quod maximum eſt, ob rariorem ſui proventum maximo in pretio habendus eſt, ut nulla unquam ratione aliud exacte ſimile corpus per artem poſſit exprimi.

§. XXVII.

Tertium naturæ arcanum, quod nullus hominum perſcrutari, multo minus imitari poteſt, eſt inter mineras & lapides magnes, qui non ſolum mirifica ferrum attrahendi virtute pollet, verum etiam ſpecifica quadam ad ſeptentrionem ſpectante inclinatione diverſas mundi plagas exacte demonſtrat, adeoque in horologiis conſtruendis & navigationibus ſine periculo faciendis plane incomparabilis eſt uſus.

§. XXVIII.

Reliqua metalla, licet tanta naturæ arcana minus habeant recondita, tamen ſua, qua ſplendent, utilitaſe ſe maxime commendant, quam facile quisquam inveniet, ſi in vita communi multiplicem eorum uſum attentius paullo obſervare velit. Ita enim ferrum potiſſimum inter metalla & neceſſitate & utilitate præſtantiſſima referri debet; utpote quo in re militari, œconomica & architectonica ad innumeros prope fines uti ſolemus. Quoniam vero, ob rubiginis labem, quam in aere facile contrahit, non ad omnia ſine diſcrimine opera congruum deprehenditur, ideo ſummus omnium creator Deus, ad hoſce defectus commode explendos, alia metalla ut plumbum, ſtannum & cuprum in terræ viſceribus progigni juſſit, ex quibus ingenti mortalium commodo partim in hydraulica arte canales & aquæ ductus, partim in œconomia diſci, ahena aliaque vaſa, quæ aeris injurias ſuſtinent, parari poſſunt.

§. XXIX.

Tandem coronidis loco mirabilium quorundam in mundo ſubterraneo phænomenorum mentio injicienda erit, quæ non digne ſatis ab omnibus expenduntur. Ita enim primo omnium inter abdita naturæ myſteria jure meritoque numeranda eſt ſtupenda illa minerarum metallicarum, gemmarum, marmorum, lapidum atque terrarum varietas ac copia, quæ prorſus tanta eſt, ut ne unum quidem terræ tractum, ubi talia effodiuntur, reperire liceat, in quo non eximia terræ, ſive matricis metallicæ, ipſarumque minerarum differentia, ratione conſiſtentiæ, figuræ atque coloris ſe offerat, & à metallurgiæ peritis agnoſci poſſit. Ex quo clariſſime apparet, perinde ſub terra ac ſuper eandem omnes regionum tractus aliter atque aliter eſſe comparatos.

§. XXX.

Alterum, quod nos ad celebrandam ſummi Numinis providentiam & bonitatem excitare debet, eſt ipſe metallorum & mineralium ſive parcior, ſive uberior proventus, ſecundum cujuſvis differentem & plus minus neceſſarium in vita uſum. Ita enim aurum, argentum, antimonium, cobaltum, biſmuthum, zincum & mercurius, quoniam ad perpauca tantum negotia adhiberi poſſunt, non adeo magna in quantitate e terræ viſceribus eruuntur; cum e contrario ferrum, plumbum, cuprum, ſulphur &c. quorum uſus fere univerſalis eſt, longe majori in copia ubivis prope terrarum proveniant.

§. XXXI.

Tum etiam ſummam meretur admirationem, quod ſubtiliores illæ acidularum & thermarum aquæ, per valde nocivas & quaſi venenatas cobalti, plumbi, vitrioli, aluminis, marcaſitarum ſulphurearum & cupri &c. mineras ſub terra delatæ, nihilominus ne minimam quidem horum principiorum moleculam in ſe recipiant, ſed viribus potius ad ſanandum excellentiſſimis inſtructæ Deum in aquis etiam maximum & immenſum oſtendant. Accedit demum & hoc peculiare providentiæ divinæ ſpecimen, quod ipſæ hæ aquæ ſalubritate conſpicuæ pro indole morborum differant, qui in iis locis, ubi ſcaturiunt, familiariter graſſantur. Sic enim circa tractus, ubi largior vini proventus eſt, perenni fluvio fontes ſubtiliores tenera terra & alcalino ſale imbuti ſcaturiunt, quorum aquæ ſanguinem diluendo, temperando & acidum vinoſum imbibendo, innumeras vitæ moleſtias avertunt, quæ ab uberiori vini potu in hujus regionis incolas redundarent. In Weſtphalia, ubi ob duriorem victum incolæ ſuccos alunt immobiliores, aquæ paullo activiores, ut Pyrmontanæ, adverſus varii generis morbos chronicos proficuæ enaſcuntur. In aliis vero Bohemiæ, Sileſiæ & Auſtriæ regionibus, ubi ob diætam lautiorem facilis morborum ex viſcido oriundorum progenies eſt, rurſus thermæ Carolinæ, & Sedlicenſes aquæ, quæ reſolvendis humoribus viſcidis aptiſſimæ ſunt, proveniunt, & ſic porro.

CAPUT XI.

De ſingulari providentia divina in regno animantium vividiſſime obvia.

§. I.

Vegetantia & animantia in eo potiſſimum conveniunt, quod virtute ſeminali propagentur, & utraque ſint machinæ hydraulico-elaſticæ, ex innumeris ratione magnitudinis & diametri diverſis canalibus & fibrarum elateribus admirabili ordine, ſitu & nexu diſpoſitis conſtructæ, per quos perenni flumine ſucci ad nutritionem, vitam & functiones obeundas idonei circumferuntur: item, quod caloris ad nutritionem, propagationem & vitam conſervandam, in utriſque maxima ſit neceſſitas. Utpote nullum ſemen terræ mandatum ſine calore ſolari ad fœcunditatem perducitur, ſive in plantam creſcit; nunquam ex piſcium, ranarum, inſectorum & cujuſque generis volatilium ovis & ſeminibus animalculum vel pullus excluditur, niſi convenienti & temperato calore vel ſolari, vel ab incubatu animantium proveniente, antea fota fuerint. Hirundines quoque, Alpini mures & multa inſecta in denſo frigore ſine omni motu, ſenſu ac vita jacent; acceſſu vero caloris vernalis mox ad vitam denuo reducuntur, quo mediante etiam omnia vegetantium & animantium genera longe fœcundiora evadunt, fœcundus animalium fit congreſſus, aquatilia ſua ova deponunt, imo tota natura quaſi redintegratur. In eo tamen contra animantia a vegetantibus differunt, quod ſenſu & motu gaudeant, adeoque cerebro & tenuiſſimo ejus fluido, organis ſenſoriis & motricibus inſtructa ſint, cum e contrario quæ e terra creſcunt, his penitus careant.

§. II.

Deinde, quia animantia ad exercendos motus oſſa ceu fulcra habent, variis articulationibus inter ſe connexa & muſculis diverſimode flexibilibus prædita, ideo tam ad ſenſus, quam ad motus ciendos ac ſuſtentandos, fluxilioribus ſuccis, ut ſanguine, lympha & tenuiſſimo, quod cerebrum & medulla ſpinalis ſuppeditat, fluido opus habent; verum etiam tenuiori & meliori nutrimento indigent, quod inteſtino & progreſſivo motu in talem ſuccum converti poteſt. Quorſum etiam ſpectat peculiaris viſcerum ſtructura, quæ ad alimentum præparandum, digerendum, purum ab impuro ſecernendum & ad hoc excernendum deſtinata eſt, in plantis minime reperitur.

§. III.

Deinceps, in eo etiam differentia quædam obſervatur, quod circulus motuum in animali ſemel prorſus ſublatus a nulla cauſa externa poſſit reſtitui, ſicut tamen in plantis, mediante calore ſolari & pluvia, fieri deprehendimus. Cavendum itaque, ne hic motus circulatorius ullo modo interrumpatur, ſed perennis maneat: id quod per admirabilem cordis machinam, quæ genuinum nulloque artificio imitandum perpetuum mobile refert, mutuo contractionis & dilatationis motu exquiſite perficitur, cujus beneficio ſucci temperati ex alimentis extracti, in ſuccum & lympham nutritiam convertuntur, & corpus in ſe corruptibile a corruptione liberum conſervatur.

§. IV.

Tum quoque perſpiratio in plantis per poroſam illarum ſubſtantiam eſt motus humorum progreſſivi eorundemque aſcenſus cauſſa, quæ tamen in animantibus adhuc illum habet uſum, ut corpus a ſuperfluis, inutilibus, & corruptelam inducentibus particulis liberet. In plantis quoque ſolus atmoſphæræ calor & humidum temperatum nutritionem, motumque vitalem præſtant; in animalibus vero præter hæc etiam ſomnus placidus, moderatus corporis motus & amictus, qui frigoris injurias arcet, requiritur.

§. V.

Sed nunc paullo propius immenſam Dei ſapientiam ex artificioſiſſima animantium quoad omnes partes ſtructura conſpicuam, ejuſdemque ſingularem providentiam in ſufficienti ſingulorum ſuſtentatione obviam perluſtremus. Quodſi enim innumerabilem creaturarum multitudinem tantamque varietatem, quæ terræ marique inſunt, conſideramus, incredibilis prope admiratio ſuboritur, unde ſuum quævis paſtum repetat; maxime quum ipſæ non raro in deſertis, penituſque incultis terræ locis, quæ alimentorum egentiſſima videntur, magna in copia degant. At vero, dum nihilominus vitam paſtu conſervant & protrahunt, indicio eſt, quod, Deo ita jubente, alimoniam undique aptam inveniant, & animantia quædam in plagis frigidis, quædam in meridionalibus calidis, alia in continente, alia rurſus in mari fluviiſque ſufficienter habeant, unde vivant.

§. VI.

Neque vero animantibus ſolum ſufficiens vitæ pabulum ubique ſuppetit; verum etiam tam ſapienter ab O. M. Deo conſtitutum eſt, ut, quæ maximi uſus ſunt alimenta, præ reliquis etiam copioſiora proveniant. Id quod potiſſimum in varii generis herbis, plantis & frumentis, videre licet, quorum undique adeo fertile eſt ſolum, ut vix aſperum ſterilemque montem, vix craſſam vaſtamque ſilvam conſpiciamus, quæ non varia leguminum & fruticum genera, in animantium ibi degentium uſum largiatur.

§. VII.

Sed longe adhuc majus divinæ providentiæ ſpecimen exinde elucet, quod ſingulis fere animantibus peculiarem indiderit appetitum, & ad cibos quoſdam acceſſum, receſſum ab aliis. Qua ratione non ſolum omnia, quotquot ſunt, alimenta ſapientiſſime inter creaturas diſpenſantur; verum etiam quoad maximam partem conſumuntur, ne forte corruptione putredineque concepta ingentem ſanitati noxam adferant.

§. VIII.

Sicut autem exiguus vel plane nullus ciborum uſus foret; niſi omnes iiſdem ingerendis, digerendis & egerendis dicatæ animantium partes exacte reſponderent; ita has ipſas ſapientiſſimus opifex tam artificioſe tamque apte fabrefecit, ut deſtinato fini egregie ſerviant. Ita enim primo ora ad capeſſendum paſtum quam maxime ſunt accommodata, prout ſcilicet ipſa animalia differunt, quæ vel cibos roſtri aduncitate carpunt, vel latitudine ejus, ut ſues & talpæ eruunt, vel acumine excavant, vel fortibus inſtructa mandibulis prædam auferunt, telluremque & ligna terebrant; vel inſtar inſectorum hiante ore excipiunt, aculeoque carni inſerto, ut culices, ſugunt.

§. IX.

Eadem oris proportio in volucribus deprehenditur, quarum cornea roſtra pro diverſo uſu diverſimode videmus conſtructa. Siquidem aliæ, prout vultures, aduncis ſimul & infra acuminatis, ſunt præditæ, ut iiſdem prædam felicius arripere atque ſubigere, vel, ſicut pſittaci, facilius undiquaque ſcandere valent:

valent: aliæ gerunt roſtrum denticulatum, quo herbacea poſſunt melius decerpere; aliæ, quæ in aqua lacubuſque pabulum quærunt, longa & recta eaque vel acuta vel lata gerunt roſtra, ut non ſolum inſtar gruum, ciconiarum, turdorum, & ruſticularum, piſces aliaque inſecta poſſint inveſtigare & capere, verum etiam anſerum & anatum more, in turbidas limoſasque aquas ſe melius immergere, inibique fluctuando, alimoniam quærere. Aliæ demum, ut loxiæ & pici arborei, roſtris quidem rectis, ſed valde duris ſunt inſtructæ, quibus fructus commode enucleant, arborumque cortices vel duriſſimas diffringunt, terebrant, comedunt.

§. X.

Tum quoque in ſingulis belluis ſingularis dentium fabrica & diſpoſitio animadvertitur. Sic enim beſtiæ voraces & maſticantes dentibus gaudent fortibus admodumque duris; piſces rapaces, ad prædam facilius aucupandam, partim habent recurvos, partim latos, & ad cruſtas cochlearum diffringendas inprimis aptos, partim vero, ſicut cancri, etiam in ſtomacho quosdam ſitos. Nec dubitare licet, quin in volucrium genere arenoſæ iſtæ particulæ cum cibis ſimul deglutitæ dentium munere fungantur, & ad cibum eo melius comminuendum ſerviant.

§. XI.

Guttur quoque pro pabuli differentia differt, & alio atque alio muſculorum mechaniſmo ipſum deglutitionis opus perficitur. Hinc Deus vulpibus, lupis & canibus, qui ſæpe integra animantium oſſa devorant, admodum amplum gutturis ſpatium conceſſit, itemque equis præ bobus & ovibus œſophagum latiori hiatu patentem tribuit.

§. XII.

Neque minus ventriculus ejuſque membranæ, nervi & muſculi, una cum menſtruo ſalivali, ad cibos rite diſſolvendos, aptumque inde chylum conficiendum, optime conſpirant; dum quippe, animantium nonnulla voraciora graminique adſueta magnum & craſſum, nonnulla carnivora parvum & minus valentem, quædam, ut aves, plane muſculoſum & ingluvie ſimul munitum obtinuerunt.

§. XIII.

Imo etiam totus inteſtinorum tractus & periſtalticus motus, ceterique omnes digeſtionem adjuvantes ſucci in ſingulis animantibus mirum in modum differunt, & ſecundum cujuſvis naturam ſapientiſſime diſpoſiti ſunt: ſicut hoc ipſum ſua jam ætate perſpicue cognovit & diſerte teſtatus eſt CICERO, eum de Nat. Deor. lib. cap. 32. ait: *enumerare non poſſum, ad paſtum capeſſendum conficiendumque quæ ſit in figuris animantium, & quam ſolers ſubtilisque deſcriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quæ intus incluſa ſunt, ita nata atque ita locata ſunt, ut nihil eorum ſupervacaneum ſit, nihil ad vitam retinendam non neceſſarium.* Spectat huc quoque locus AUGUSTINI lib. V. cap. 2. *Deus nec exigui & contemtibilis animantis viſcera, nec avis pennulam ſine ſingulari partium convenientia reliquit.* Et PLINIUS lib. XI. hiſtor. natural. *in corporibus parvis atque tam nullis quæ ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio conſpicitur. Nam rerum natura nuſquam magis, quam in minimis tota eſt.*

§. XIV.

Prius vero quam mirabilem viſcerum in animantibus ſtructuram penitus linquimus, paucis adhuc mentio injicienda erit animalium ruminantium, quæ non uno ventriculo, ſed duobus vel tribus prædita ſunt, ut eo melius ingeſta coqui, digeri, & in laudabilem nutritium ſuccum converti poſſint; idque maxime obſervamus in iis, quæ ex quadrupedibus crudo, & paulo duriori cibo, ut granis, corticibus, herbis, ſtraminibus ad ſuſtentationem utuntur: ut potiſſimum ſunt oves & vaccæ cum tauris, *turus*, cervi & cervæ, alces, rengi in Lapponia, damæ cervi (*Dam-Hirſche*) capreæ & capreoli, hirci, rupicapræ, *Gemſe*, lepores atque cuniculi &c. De horum animantium ſtructura, beneficio anatomes curioſe explorata, a phyſicæ ſcientiæ curioſis legi meretur D. *Joan. Conradi* PEYERI *merycologia*, qui etiam icones harum partium depinxit.

Scholion.

In genere itaque notari velim, ruminantium carnes præ aliis longe ſalubriores eſſe, primum, quod victu ſimpliciſſimo, nec promiſcuo, nec multiformi utuntur, quem menſtruum ventriculi optime facillimeque reſolvit. Altera cauſa eſt ipſa ruminatio, paſtum ſubtilius extenuans atque recludens, ut aditus menſtruo ſalivali ad intima pateat. Tertia denique cauſa eſt ventriculorum pluralitas & inteſtinorum longitudo, quibus ingeſta intime digeruntur, & in ſuccum chyloſum nutritium reſolvuntur, unde deinceps caro optima, ſapida & ſalubris, quæ lentore & excremento vacat, generatur; videmus porro exinde clariſſime, non ſine ſumma ratione Deum per Moſis oraculum ſanciviſſe, in ſacrificiis munda, ſana & ruminantia animalia, quæ maxime animi affectibus non ſunt obnoxia, nec libidinis æſtu aut iræ furore percita, ut ſimiæ, lupi, nec variis technis dedita ut vulpes, ſed moribus potius manſueta ſibi offerri, & inter cibos a populo electo uſurpari debere. Atque hoc ipſo teſtatus eſt, ejuſmodi animalium mores ſibi placere, & ab hominibus etiam imitandos eſſe.

§. XV.

Præterea differunt etiam ratione morum ipſa animantia. Alia ſunt ferocia, alia manſueta, timida, alia agreſtia. Et hinc etiam differunt partes. Nam equus fortibus unguibus & juba inſtructus generoſum & ſuperbum eſt animal, leo animoſus dentibus unguibuſque validus eſt. Tauro itidem & apro, illi cornea, huic experti dentes arma ſunt innata; cervis vero & lepori timidis velox corpus, ſed nudum & inerme, conveniebat. Homini ceu ſapienti animali, & quod eorum præcipuum eſt, quæ ſunt in terra, Numen divinum pro omnibus defenſoriis armis manus dedit, inſtrumentum ad omnes artes neceſſarium, bello non minus quam pace idoneum. Nam manus non ſolum ad omnes artes ſunt idoneæ, ſed ad ea quoque, quæ hominem tueri ac defendere poſſunt comparatæ. Et ut CASSIODORUS lib. de anima loquitur: *homo neque cornu, neque dente, neque fuga, ſicut alia animalia, neque corporis humani forma ſe valet vindicare; attamen ubi ad arma ipſi eundum eſt, ingenio excogitatis & arte factis ſcutis, galeis, haſtis, ſagittis, gladiis, lanceis &c. inprimis utitur.*

§. XVI.

Ex rapto viventes aves & aquilarum, accipitrum & falconum omnia genera alas robuſtiores nervoſis valde muſculis tectas acceperunt, ut volatu velociori & impetuoſo magis roſtris & unguibus ferire prædam ſuam melius poſſint. Præterea oculos ſplendidos & accuratiſſimum viſum habent, ut alia animalia eo melius inſequi & meliori ſucceſſu venari poſſint. Utuntur etiam alis, ut alias aves opprimere & occidere queant. Animalia domeſtica, ut columbæ, gallinæ alarum ſtrepitu & concuſſu utuntur, quando quis pullos ex nido vult eximere.

§. XVII.

Animantia bruta armis ob quatuor potiſſimum cauſas utuntur: primo propter cibum, & hæc pugna inter animalia, ſpecie quidem diverſa, ſed moribus ſimilia eodemque alimento ſe delectantia obtinet; quam aves nonnullæ cum quadrupedibus inſtituunt: 2) mares ob congreſſum cum femellis celebrandum, & hæc pugna viget inter animantia ejuſdem ſpeciei: 3) propter ſobolem & fœtuum ſ. pullorum tutelam, & hæc cum omnibus animalibus eſt generalis: 4) propter ſalutem tutelamque propriam & illorum amotionem & fugam, quæ ſaluti illorum inimica eſſe poſſunt. Spectat huc egregius locus A. Gellii lib. XII. cap. III. Noct. Attic. ubi inclinationem ad bonum & fugam mali in animalibus optime ſic explicat: *Sane mirari ſubit, quanta providentia præcautum ſit omnibus, perniciem minitantibus, quam ſtupenda ſapientia utique ſaluti animalium ſit proſpectum. Omnia ibi ſunt proviſa, parata & conſtituta, quæ ad conſervationem animalium in individuo, & in ſpecie requirebantur, ſingula armavit omnipotens conditor contra cibi & potus penuriam, ad fœtus & prolis conſervationem, contra morbos, adverſus reliqua animalia. Denique & quædam particulari quodam ſtudio adverſus hominem, quod eſſet ſagaciſſimus. Et adverſus cibi quidem inopiam curſit, ſagacitate, & ut ibi naſcerentur, ubi etiam copia eſſet veneris, voluptatem & amorem in prolem ad generationis conſervationem, paludes, dumeta, latebras, ſpecus, ramos tenues, aquas, montium cacumina, omnia hæc ad tuendam prolem. Docuit & herbas, ad ſalutem & abſtinentiam quietemque majora quam homini ſæpe ex artis medicæ ope auxilia: contra temporum calamitates arboribus, montibus, cuniculis, corio, lana, pilis, pluma. Adverſus hominem piſces armavit elemento, quod tutiſſimum eſt auxilium, adeo ut, niſi falluntur, gurgitibus tuto latere poſſint; ſerpentes humilitate corporis; unde latent hieme in latibulis, & cum prodeunt, ab herbis occultantur. Aves alis munivit, quadrupedes celeritate. Summa arborum & turrium animalibus multis pro cubilibus data ſunt, ut loci difficultate tuta forent ab inſidiis hominum. Adverſus autem reliqua animalia armata ſunt bruta non ſagacitate tantum, latebris, aquis, curſu, ſaltu, ſed & ſpinis, dentibus, alis, unguibus, aculeis, cornibus.*

CAPUT XII.

De ſingulari Dei ſapientia ex rebus difficillimæ intelligentiæ in regno animali oculis animiſque ſe ingerente.

§. I.

Multa in regno animantium occurrunt ſenſibus noſtris quotidie obvia, quorum cauſa valde difficilis, imo inexplicabilis eſt. Obſervamus videlicet perfectiora animalia, non domeſtica ſolum, ſed & ſylveſtria, quæ in uſum hominum cedunt, varii generis herbis, fructibus, ſeminibus, quæ colore, ſapore, virtute, craſi & conſiſtentia mirifice differunt, pro alimento veſci. Nihilominus ex hiſce omnibus diverſiſſimæ naturæ ſaporis & indolis in eorum ventriculo & inteſtinis ſuccus ſecernitur, qui cum ſanguine ad mammas delatus dulcis, albus eſt, & lac dicitur. Ex hoc caſeus & butyrum conficitur, itemque ex ipſo in pulverem per coctionem redacto iterumque cum aqua permixto & cocto magma dulce, ſerum lactis dulce dictum paratur. Nemo autem explicare poterit, qua ratione diverſæ indolis alimenta in blandum dulcem, omnique ſalſedine orbatum humorem tranſire queant.

§. II.

Neque minoris difficultatis res eſt, quod lac dulce & temperatum in materiam & nutrimentum diverſarum & ſolidarum & fluidarum animantis partium tranſire poſſit. Et primo quod attinet fluidas, in ſanguinem a lactis natura diſtinctiſſimum, in ſerum ſalſum, quale obſervatur in urina & ſudore, bilioſum amarum humorem, in lympham, ſalivam, liquorem ſeminalem, pinguedinem: quoad partes vero ſolidas in oſſa duriora, ut dentes, in molliora, ut in capite, pedibus, & manibus videntur, in cartilagines, tendines, nervos, fibras carneas & membranas abeunt. Quæ omnia ex partibus diverſæ figuræ, molis, ſitus, nexus & texturæ invicem combinata ſunt. Quis autem tantarum & ſpecificarum formarum efformator eſt? Nonne ſumma & profunda ſapientia ex hiſce rebus emicat luculentiſſime? Fortuito enim caſu hæc minime contingere poſſunt.

§. III.

Præterea in regno animantium illud præcipue admiratione dignum, & inſtar miraculi habendum, quod vitalis ſanguinis & humorum circulus, qui omnium functionum in animantibus fons & cauſa eſt, a perpetuo mobili ipſius cordis ſuſtentetur.

§. IV.

Ab omni fere tempore inventio perpetui mobilis acutiſſima etiam artificum ingenia fruſtra torſit & fatigavit, magnis tamen expenſis in caſſum adhibitis. Solus vero Deus, mechanicus omnium maximus & perfectiſſimus, id ſibi ſoli reſervavit; dum non modo in hominibus, verum etiam animalibus id præſtitit & adhuc præſtat.

§. V.

Fundamentum ejuſmodi machinæ in eo conſiſtere, ut cauſa effectum producat, qui rurſus cauſa fit ſimilis effectus, unanimis artificum eſt ſententia. Et hoc ipſum in machina cordis perficitur, quæ tam mirifice conſtructa eſt, ut per influxum liquidi nervei & ſanguinis ſufficientem virtutem contractivam ſive ſyſtalticam, qua ſanguis in canales impellitur, efficiat; ab influxu vero ſanguinis cor diſtendatur, ſive diaſtolem patiatur, quæ rurſus cauſa evadit contractionis & ſimilis ſyſtaltici motus; unde motus ſanguinis & humorum per arterias, omneſque reliquos canales jugiter circulatur. Hic motus vitalis tamdiu, etiam per centum annos, integer durare poteſt & nonniſi vitium capit, vel plane deficit, quam ubi diuturnitate temporis, vel a cauſa quadam externa violenta aut præternaturali ipſa ſtructura fibrarum elaſticarum immutatur, & affluxus ſanguinis fluidique nervei in muſculoſam cordis ſubſtantiam intercipitur.

§. VI.

Neque tandem ſilentio prætereunda eſt illa peculiaris divini Numinis erga genus humanum providentia, quod illis animantibus, quibus maxima & ſaluberrima ad vitam & ſanitatem tuendam virtus ineſt, longe majorem præ iis, quæ minoris uſus ſunt, propagativam virtutem conceſſerit: ex quorum numero præcipue ſunt columbæ, gallinæ, perdices, alaudæ, phaſiani, *carpiones*, cuniculi, lepores &c. ſiquidem ipſa & gallinarum ova adſumta facile digeruntur, & in temperatos ſuccos convertuntur, adeoque non ſolum in nutrimentum, ſed & virium incrementum tam ſanis quam ægrotantibus cedunt.

CAPUT XIII.

De veſtigiis divinæ ſapientiæ in minimis etiam animalculis ſe repræſentantibus.

§. I.

Villiſſimæ, atque minimæ res, quæ ante oculos ſunt, docente SENECA lib. I. de beneficiis c. XII. *auctorem ſuum ingerunt & inculcant, nec oblivisci ejus ſinunt, & a rebus mediis & infimis nominatur Deus: nam minutiæ animantium, formicæ, culices, muſcæ & omnes vermiculi, quorum magis ſcimus corpora, quam nomina, benigni conditoris ſolertiam abunde prædicant.*

§. II.

Si elegantiſſimum membrorum ordinem, non imitandam muſculorum diſpoſitionem & mirificas vaſorum propagines in maximorum animalium ſectione admirabundi intuemur; quanto magis obſtupeſcemus, ſi eadem in abjectiſſimis & viſum fere fugientibus animalculis deprehendimus.

§. III.

Microſcopiorum ope novus veluti orbis detectus eſt: nam eorum adminiculo liber ad intima naturæ patet aditus, & magnæ naturæ operationes abditiſſimæ ac antea plane incognitæ circa animalium texturam & nutritionem fiunt conſpicuæ. Iiſdem quoque ſexcenta alia circa plantarum generationem, florum texturam, quibus orbi terrarum utiliſſimæ facultates innoteſcunt, deteguntur.

§. IV.

Quando oculo microſcopio armato minima illa animalcula intuemur, analogica inductione partium judicamus, eaſdem, ratione proportionis habita, in majoribus animalibus eſſe ſimili modo. Et quamquam in majoribus animalibus internorum viſcerum perplexos mæandros, gyros & labyrinthos luſtrare, ac in extremas illas & capillares præ ſubtilitate fere evaneſcentes arteriarum, venarum, nervorumque innumeras propagines acuto etiam cultro anatomico penetrare nequeamus: nullum tamen dubium eſt, quin iis etiam in animalculis, ut acoro & ſimilibus, idem conſtans naturæ ordo & admirabilis ſtructura obſervetur.

§. V.

Uti majora animalia capite, cerebro, corde, naribus, oculis, auribus, vaſis ſanguinem & humores vehentibus, ore, gula, ventriculo cum inteſtinis ad alimenta digerenda apto & genitalibus inſtructa ſunt: ita pariter hæc omnia in minimis iſtis muſcis, culicibus, papilionibus &c. per microſcopia accuratiſſime præparata conſpicimus.

Scholion.

De his curioſæ obſervationes ſolertiſſimorum virorum HOOCKII, GRUNDELII & LEWENHOECKII legi merentur, quibus multa mirabilia circa inſecta detecta ſunt. Delineantur v. g. crines, oculi, ſquamæ piſcium, pulices, pediculi, ova bombycum, pedes muſcarum, plumæ pavonum, blattæ, acori fimi & quæ ſunt reliqua.

§. VI.

Inſecta, illa dicuntur animalia, quæ oſſibus carent & duro cortice vel cute veſtita ſunt, eaque in immutabilia, quæ in eadem forma durant, & mutabilia, quæ figuram ſuam mutant, dividuntur. Illa rurſus in ea diſpeſci ſolent, quæ domum ſuam ſecum gerunt, ut ſunt concharum, cochlearum & oſtrearum ſpecies.

§. VII.

Inter inſecta, quæ mutationem ſubeunt, omnes ſpecies papilionum, muſcarum & ſcarabæorum, quæ etiam alis gaudent, referimus. Papiliones ex erucis progignuntur; hæ vero ex ovo propullulant, variique generis herbis ac foliis veſcuntur. Erucæ, ſuis cutibus quatuor vicibus depoſitis, in locum ſe recipiunt, ubi tenuiſſima fila nectendo ſeſe iis involvunt & in nymphas mutantur, manentes ſine cibo; intra aliquot vero ſeptimanas, perforatis & exutis ſuis nymphis, alis indutæ papiliones fiunt.

§. VIII.

Muſcæ ex vermiculis ſive *Maden* cum vel ſine pedibus naſcuntur. Vermiculi hi ex ovulis prodeunt, quæ muſcæ in res maxime dulces & putredini obnoxias largiſſime deponunt, tum nymphas & denique alas accipiunt & muſcæ fiunt.

§. IX.

Scarabæi, quorum multæ dantur ſpecies, identidem ova excludunt, ex quibus evadunt *Maden*, ſex cuſpidalibus pedibus inſtructi, qui in fimo aut terra degentes victum ſuum quærunt: poſtea nymphæ fiunt, ex quibus tandem ſcarabæorum ſoboles prodit.

§. X.

Quod ad tranſmutationem unius animalculi in aliud attinet, cum SWAMMERDAMMIO in *hiſt. inſect.* ita ſentio; quod proprie talis in rerum natura non habeat locum. Eſt quidem, quod eruca in nympham tranſeat, hæc vero nihil aliud eſt, niſi hujus vermiculi, erucæ ſcilicet, excreſcentia & membrorum augmentum ſive explicatio. Neque enim nympha in animalculum alatum transformatur, ſed ipſe vermiculus, poſitis exuviis & explicatis per incrementum membris nympha fuit, eodemque modo, protenſis cæterorum membrorum rudimentis, alis indutum fit animalculum.

§. XI.

In aliis quoque animalibus, quæ ex ovo generantur, ejuſmodi mutationem obſervare licet: ſiquidem v. g. pullus gallinaceus non ſtatim in gallinam vel gallum transformatur, ſed augmento membrorum procedente gallus vel gallina fit. Simili etiam modo aves & muſcæ nymphas ſuas præſertim in humidis locis habent, ex quibus proveniunt.

§. XII.

Non aliter ſe animalculorum transformatio habet, quam ea, quæ in vegetabilibus conſpicitur. Herba enim temporis progreſſu ſenſim protuberans in globum abit, ex cujus ruptura flos prodit amœniſſimus. Quum igitur tanta ſit rerum harmonia, quæ intellectus humani acumen fugit; omnino inexhauſtam Numinis potentiam cognoſcere & religioſa veneratione admirari decet.

§. XIII.

Notabile eſt, quod maxima inſectorum pars circa hibernum tempus de latibulis ſibi proſpiciat, quo nullo utuntur alimento, nec moventur, nec excrementa excernunt, vel ova deponunt. Humorum enim tum temporis tardiſſimus motus eſt, & ambientis aëris frigus omnia coagulat: accedente autem veris tepore ac calore reſolvuntur, ſenſumque ac motum, experientia teſte, recuperant.

§. XIV.

At vero non omnis inſectorum familia hiemali tempore motu deſtituitur: nam v. g. apes quidem eo anni tempore ſuos obſignant favos; nihilominus tamen in illis, media etiam hieme, progeniem ſuam liberaliſſime nutriunt, unde veris initio novam apicularum ſobolem deprehendimus.

CAPUT XIV.

De admirabili in brutis animantibus ſenſu.

§. I.

NEc ſenſu nec cogitatione ſatis adſequi licet, ſubſtantiæ caducæ brutorum peculiarem ſentiendi & eligendi ineſſe virtutem, eamque, quam in hominibus, ſæpe multo perſpicaciorem: quandoquidem homo nec ſenſuum dictamine, quæ proficua aut noxia ſunt, perſpicit, nec diſtinctam illorum notitiam aliter ac ab experientia & uſu, ſeu doctrina & exemplo aliorum, acquirit.

§. II.

Id maxime mirum & inveſtigatione dignum videtur, quod pecudes in paſcuis ſalubria ſemper eligant & ingerant, prætereundo noxia: ſiquidem herbas, quæ virulenti quid fovent, vel acris cauſticæ indolis ſunt, ſtudioſe quaſi evitant, ut ne guſtent quidem.

§. III.

Hujus rei cauſſam rectius ad exquiſitam organorum ſubtilitatem, quam ſolum ad animam ſenſitivam transferre licet. Teſtis enim eſt experientia, pecudum nares admodum prolixas & ſinuoſas eſſe, in quibus ſpongioſa oſſa, membrana nervea veſtita, amplas & crebras convolutiones efficiunt; ita ut ad odoriferorum exhalationes percipiendas late pateant, id quod homini tam largiter non eſt conceſſum. Hinc etiam fit, ut pecudum nares humanis plerumque acutiores & ad effluvia rerum excipienda ſubtiliores ſint, ut edulia, antequam ingerunt, probe explorare queant. Nam alimentorum effluvia, naribus affabre conditis hauſta, cerebro & nervis motum confeſtim imprimunt, eumque pro ipſorum indole diverſum, vel congruum ad appetentiam, vel incongruum ad averſionem excitandam.

§. IV.

Ex peculiari ſenſoriorum fabricatione & ſtructura divini artificii ſublimitas quam maxime apparet; licet nihilominus ſalva præ beſtiis maneat hominis excellentia: utpote qui non ſenſu ſolum, ſed propria etiam cognitione ad res vel appetendas vel fugiendas ducitur: cum e contrario bruta, ceu artificioſa automata a rebus internis & externis, impreſſionem in ſenſorio facientibus, concinno naturæ ordine diverſimode quidem, ſed abſque ratione & ſcientia moveantur.

§. V.

Res omni admiratione digna & ſtupenda eſt, licet plerumque neglectui habeatur, quod apes favos ſuos in cellulas tam apte & accurate diſtinguant, omneſque ſexangulares, æquiangulas & æquilateres figura ſibi congrua conficiant, ita quidem ut favi exacte ſuperficiem omnium maximam capaciſſimamque compleant, quæ ore undique ab ipſis, in medio conſidentibus, poteſt attingi. Quis autem geometricas has leges parvulo animalculo indidit, quas ne homines quidem, niſi longioribus demonſtrationibus, adſequuntur? Dein nec minus admirari debemus eximium illud ſenſuum acumen, quo flores lectiſſimos ſemper ſeligunt, & materia mellifera onuſti ſuum ſemper apiarium inveniunt. Quis unquam capit, qui fiat, ut ſuccum qualemcunque crudiorem e diverſis floribus collectum ſemper in mel dulciſſimum convertere poſſint; itemque ut nullum ex ſua grege trucidari ſinant, ſed ira perciti occiſores non ſemel, ſed ſæpe per aliquot hebdomadas perſequantur. Singulari quoque munditie omnia moliri ſolent, ne qua ſpurcities inter opera jaceat, & ne excrementorum cauſſa, longius abeuntes, labores ſuos intermittant, in unum locum congerunt, quæ tempeſtate minus ſerena & operis otio efferunt. Quo etiam illud pertinet momentum, quod nullo inſideant cadaveri, ne pedunculos ſucco putrido contaminent. Denique in eligendo duce ſunt ſollertes, quem comitantur, nutriunt & obſequio proſequuntur.

§. VI.

Mirabilis ſane formicarum labor & induſtria eſt in cibis ſuis congerendis, ſuæ duntaxat neceſſitati ſuffecturis: onera, quæ portant, ipſis ſunt grandiora, & grana terræ credita, ne in ſegetem erumpant, arrodunt, quaſi gnaræ eſſent, ſata oriri, violata minime renaſci, & aqua madefacta facile corrumpi: hinc ſi pluviis madefieri contingit, ad ſolis lucem iterum exſiccant. Quis ſic agere ipſas docuit?

§. VII.

Aranearum telas qui attentus conſiderat, heu! quantum iſtic artificii in filis æqualibus ac tenuiſſimis ducendis, inter ſe jungendis & interſecandis reperiet: ſiquidem tam mirabili arte telas ex ano propulſas texunt, & in concamerationibus ſuis ſe abſcondunt, non alium in finem, quam ut muſcas, unde vivunt, in rete ſuo capiant.

§. VIII.

Volucrum nidos ſi adſpicimus, ſummam profecto artem in iis conficiendis adhibitam deprehendimus: ſiquidem alii e limo ſolide ſubacto ad parietes penduli ſunt; alii e crinibus, quos ne homines quidem tum temporis reperirent, contexti; alii demum e plumis inter ſe connexis ſtrati ſunt, ne frigus fovendis ovis, & durities pullis noceat: quæque autem avis generi ſuo accommodatum conficit nidum.

§. IX.

Qua arte nidificare videmus hirundines, hi, ſi luti copia deeſt, pennis aqua perlutis pulverem madefaciunt, eoque in luti locum utuntur, nidum ſtramento roborant, mollibus plumis & floccis, undique collectis, ſternunt.

§. X.

In his quoque avibus incredibilis memoriæ indicium animadvertitur. Tranſvolant enim ſingulis annis immenſa terrarum mariſque ſpatia, & redeunte anni amœniſſimo tempore, non ſolum in adſuetam regionem, ſed & in eandem domum ejuſque partem, in qua prius nidificarunt, revertuntur.

§. XI.

Ingenitus a natura ipſis animalibus amor, quo pullos ſuos proſequuntur, non ſatis prædicari poteſt: defendunt enim eos quam optime non ſolum ab aëris injuriis, & aliis ipſis infenſis hoſtibus, ſed & nutriunt uſque ad illud tempus, quo ſe ipſos nutrire valent. Si vident in loco minus tutos eſſe, eos in alium maxima cautione deportant locum; quod in felibus, canibus aliiſque beſtiis jucundo ſæpe ſpectaculo & non ſine ſtupore adſpicimus.

§. XII.

§. XII.

Magna quoque quorundam animalium eſt docilitas. Sic aves quædam edoctæ, humana quædam verba diſtincte & articulata voce pronunciant, ut ſunt pſittaci & corvorum ſpecies; aliæ cantilenam imitantur; alia denique animalia ex quadrupedum familia choreas & ſaltationes, ad ſonitum tubarum æmulantur, quorſum maxime urſi pertinent. Et quem fugit canis docilitas, quam in compluribus rebus agnoſcendam præbet: de qua plura dicere noſtri inſtituti non eſt.

§. XIII.

Bellua etiam animantia ſe mutuo intelligere videntur: videmus in hirundinum, paſſerum aliarumque avium genere pullos ſuos, appropinquante evolandi tempore, e nidis ad circumvolandum evocare: gallinarum ſobolem peculiarem gallinæ ſequi vocem. Gallus gallinaceus, ſi granum invenit, ad cibum capiendum invitat gallinas, quæ quoque cito accurrunt.

§. XIV.

Quid dicam de animalibus, tempeſtatem aërisque mutationes præſagientibus. Sic ſciuri, qua ſpiraturus eſt ventus, cavernam obturant & ex alia parte aperiunt. Vigiles noſtri galli gallinacei matutinas horas & aëris mutationes denunciant: anates & anſeres pennas roſtro purgantes aquave ſe lavantes ventum portendunt. Ex inſectis crabrones, apes, muſcæ & culices haud tolerabili ſuſurru ac ſtrepitu futuram tempeſtatem prædicunt: cujus præſagii cauſſam non aliam, quam aërem mutatum agnoſcimus; quippe qui magnam mutationem, & alterationem in partibus eorum ſolidis ac fluidis efficit; unde diſtinctum & peculiarem ſenſum habere putamus.

§. XV.

Nihil autem fere magis homines in admirationem trahit, quam illa animantibus innata morbos & vulnera ſanandi peritia, qua herbas, plantas aliaſque res ſibi proficuas ex tam immenſorum naturalium apparatu ſeligere & applicare norunt; ut dubium ſit, an homines unquam in tam ſaluberrima remedia unquam inciderint. Ita enim canes ſola ſaliva ſua, vultus lambendo, ſe ſanant: cervi a venatoribus vulnerati, ad hæmorrhagiam ſiſtendam, muſco vulnus replent; bufones aranea tacti plantaginem pro remedio quærunt; rupicapræ vulnere accepto varii generis herbas traumatica virtute ſplendidas comedunt & applicant; & elephantes, ſcriptoribus rei naturalis teſtibus, ad imminuendam nimiam ſanguinis copiam cum arundine acuminato venas ipſas pertundunt, & ſufficienti ſanguinis portione detracta, vulnuſculum muſco aliiſque ſiſtentibus denuo claudunt.

§. XVI.

Hiſce obſervationibus ſubjungere placet aureum illud HIPPOCRATIS dicterium: *naturæ animalium a nullo doctæ ſunt, ſed natura magis, quam ratione artificioſa quædam facere videntur.* Si ova tria acceperis, unum aquilæ, alterum anatis, reliquum ſerpentis, tunc ex calore moderato exclusa aquila volabit, antequam poſſit, poſtea in ſublime ſe attollet, Anas in paludem evolabit & natabit, & ſerpens terram irrepet, inque ejus tenebris latebit.

CAPUT XV.

De animæ ſit dictæ vegetativæ & ſenſitivæ natura, differentia & operatione.

§. I.

Virtutem propagativam & multiplicativam tam animantibus quam vegetabilibus ineſſe quotidie obſervamus, ea tamen differentia, quod præter hanc ſeminalem animantia quoque ſenſibus gaudeant.

§. II.

Jam vero intricata oritur quæſtio, quæ inter philoſophos & eruditos omni ævo fuit, & adhuc eſt vexatiſſima, quænam ſcilicet illa ſit virtutis vegetativæ & ſenſitivæ cauſſa? plurimis adſeruiſſe ſufficit, eſſe naturam ſive animam ejuſque facultates: ſed hæc, uti ego opinor, non niſi ſterilia ſunt nomina, quæ nullum realem & diſtinctum conceptum includunt & petitionem principii ſapiunt. Quæſtio itaque oritur, quid ſit illa anima tam ratione ſubſtantiæ, quam ejus facultatum, quæ ipſi inſunt: & quænam inter eas ſint eſſentiales ſive inſeparabiles, ac quænam accidentales, quæ ſine mutata vel deſtructa ſubſtantia mutari vel tolli poſſunt?

§. III.

Si noſtram libere profiteri licet ſententiam, dicimus animam illam, quæ in brutis & vegetantibus ſui ſimile producit, ens eſſe mere phyſicum, non ſpirituale, uti anima rationalis eſt, cujus eſſentiales facultates expanſio, locus circumſcriptus, limitata duratio ac operatio, quæ minime a tali ente tolli poſſunt, conſtituunt; accidentales vero ſunt, quæ adeſſe vel abeſſe poſſunt, ſalva manente ſubſtantia; quorſum referimus fructuum in una arbore, per inſitionem factam, diſſimilitudinem, mutationem ſecalis vel tritici in lolium, prolium ratione parentum diſſimilitudinem, & inſectorum, tam ratione magnitudinis quam coloris, differentiam; quam in papilionibus, pro vario herbarum eſu, varie coloratis videre licet.

§. IV.

Illud valde veroſimile mihi videtur, quod animarum materiale ſubjectum inhæſivum, cui variæ proprietates inſunt, unum ſit & univerſale, expanſum, ſimpliciſſimum, homogeneum, non tamen corpus ſed potius mechaniſmi in corpore principium, uno verbo elementum illud à Deo productum prima creationis die luminoſum; cui ſapientiſſimus univerſi conditor in regno vegetabili & animali vim repræſentativam activam, ſive cujuſvis ſpeciei ſimile producentem, omnipotente ſuo verbo, quo omnia adhuc continuo ſuſtentat, impreſſit, quod maxime in ſemine continetur, ſuamque vim convenienti reliquorum elementorum acceſſu exſerit.

§. V.

Præter illam huc uſque conſideratam virtutem propagativam, aliam adhuc vim, ſentientem ſcilicet, quæ anima ſenſitiva dicitur, in animantibus obſervamus, quæ maxime in fluido cerebri tenuiſſimo & ejus fundo, cui inhæret, ubi omnes nervi ſuam habent originem, ſe exſerit; atque hæc identidem virtute repræſentativa objectorum & motuum, qui ab extra, ut per ſonum in aure, per lumen in oculo, per odorifera in naribus & per ſapida in lingua fiunt, prædita eſt.

§. VI.

Vis illa repræſentativa a ſapientiſſimo rerum effectore ita ordinata ac diſpoſita eſt, ut pro diverſitate idearum & repræſentationum certæ ac determinatæ actiones ac motus, ſecundum leges harmonicas a Deo conſtitutas, in animantibus ſequantur, citra tamen omnem internam cogitationem vel rationem.

§. VII.

Idearum ſive veſtigiorum, quæ ab objectis externis cerebro imprimuntur, retentio, memoria dicitur: combinatio autem variarum idearum audit imaginatio, quæ utraque facultas in brutis etiam deprehenditur ac conſpicitur.

§. VIII.

§. VIII.

Anima vero illa vegetativa & ſenſitiva, univerſali luminoſo expanſo inhærens, mechaniſmi in omnibus vegetabilibus & animantis principium eſt, & non modo in ſemine ceu delibatiſſima vegetantis & animantis parte, ſed etiam in fluido cerebri tenuiſſimo, quod vulgo ſpirituum animalium nomine venit, ſufficienter continetur, & variis modis ibi ſeſe exſerit. Perverſam & fortiorem phantaſiam in gravida mirum in modum embryonem deformare poſſe, tot monſtra teſtantur. Rabiem canis vel lupi ipſam ſalivam tranſire experientia docet, dum morſu eadem rabies cum altero communicatur. Vehementem & inſanum mulierum amorem non raro cum ſaliva vel cum liquore, ex uteri glandulis ſtillante, communicatum marium phantaſiam pervertere poſſe, hiſtoriæ de philtris accuratius deſcriptæ declarant. Quid porro familiarius eſt, quam quod, ſi nutrices vehementi ira aut terrore perculſæ, infantibus ubera præbent, ipſi mox horrendis ſpaſmis ac convulſionibus corripiantur. Videmus igitur quam mirabiles effectus phantaſia, quæ nihil aliud eſt, quam firma idearum in ſubjecto tenuiſſimo & mobiliſſimo repræſentatio, in aliis corporibus producere poſſit. Id vero de anima ſpirituali & rationali, quæ præcipue hominis eſſentiam conſtituit, de qua mox uberior dicendi erit occaſio, idem ſtatuere velle foret piaculum.

CAPUT XVI.

De artificioſiſſima corporis humani machina Dei exiſtentiam atque ſummam ſapientiam quam optime manifeſtante.

§. I.

QUamvis tota natura mere mechanica ſit, omniaque univerſi corpora mirifica arte ſecundum certum ordinem, ſymmetriam & harmoniam partium conſtructa ſplendidiſſimum exhibeant ſpeculum, in quo ſummæ & divinæ majeſtatis exiſtentiam, conſummatiſſimam ſapientiam & infinitam bonitatem animo oculiſque intueri licet: in nulla tamen creatura luculentiora divinitatis ſuæ expreſſa comparent veſtigia, nec in ulla majorem artem & ſollertiam adhibuit, quam in condendo homine, qui ob id etiam perfectiſſimum divini opificis ſpecimen & exemplar, microcoſmus, omnium mirabilium maximum ac perfectionum ſuarum complementum dicitur.

§. II.

Quis ſatis mirari poteſt conditorem noſtrum omnipotentem hominem ex duplici & admodum diverſa, arctiſſime tamen inter ſe devincta, ſubſtantia, ſpiritu nempe immortali, intellectu & libere agendi facultate prædito, qui ad imaginem Dei conditus ejuſdem cum angelis naturæ eſt, & corpore organico, vivo, ſenſitivo, ad certas motuum ſpecies artificioſiſſime conſtruxiſſe.

Scholion.

ANASTASIUS presbyter in Sina monte de hominis creatione p. 595. hunc in modum ſcribit: *ad imaginem & ſimilitudinem Chriſti hominis opificium comparatum eſt; nam utrinque mortale & immortale, ut duæ quædam diverſorum generum ſubſtantiæ inenarrabili conſenſione in muliebri utero concurrunt, & duarum in Chriſto naturarum immortalis divinitatis & mortalis ipſius humanitatis unionem ſecundum hypoſtaſin oſtendunt.*

§. III.

Equidem animantium & hominum corpora quoad plurimam partem conveniunt. Sunt enim utraque mutationi & corruptioni obnoxia. Dein corpora hydraulico-elaſtica exhibent, jugique ac perenni fluidorum circulari progreſſu per mere tubuloſam ſubſtantiam nutriuntur, & a præſentanea corruptione & interitu vindicantur. Denique ad vitales & naturales motus conſervandos congruis alimentis & fluido illo catholico aereo æthereo, quod quaſi anima vitalis eſt, quotidie opus habent. Poſtremo ſenſibus, viſu, auditu, guſtu, olfactu & tactu, neque minus averſatione & appetentia gaudent, variiſque modis artus flectunt ac commovent.

§. IV.

At vero in eo maxima obſervatur diſſimilitudo ac differentia, quod in corporis humani partibus tam internis, quam externis, longe perfectior, excellentior ac pulchrior fabrica, ſymmetria, harmonia ac proportio conſpiciatur, nec ullum, præter hominem, animal tam longæva vita fruatur.

Scholion.

Totius corporis humani oſſa, muſculi, manus, pedes, caput & facies, tanta pulchritudine & ſymmetria fabricata ſunt, ut membra brutorum reſpectu horum plane difformia & imperfecta appareant. GALENUS *lib. III. de uſu part. cap. X.* ſapienter judicat: omnia in corpore humano tanta arte condita eſſe, ut melius eadem conſtrui nullo modo poſſint; quinimo ex pollicis tantum fabrica Dei exiſtentiam demonſtravit. Artificium prorſus divinum eſt v. g. ſemilunaris cartilaginis, quo tibia cum fibula connectitur, quod artifices in opticis ſiderum tubis, in omnem plagam vertendis, imitari nituntur.

§. V.

Actum agere mihi videor, ſi ingenioſiſſimam ſingularum partium in humano corpore conſpicuam ſtructuram ſigillatim hoc loco recenſere vellem, cum jam clariſſimi in arte viri aliique doctiſſimi philoſophi in eo accuratiori ſtudio ac induſtria deſudarunt, ut divini Numinis exiſtentiam inde demonſtrarent. Ego olim orationem habui, *de atheo convincendo ex artificioſiſſima corporis humani machina*, quæ aliquoties recuſa, & nuperrime opuſculis meis medico-phyſico-theologicis inſerta eſt. Eruditiſſimus HAMBERGERUS peculiari diſſertatione *Deum ex inſpectione cordis* demonſtravit. WUCHERUS conſcripſit diſſertationem *de Dei demonſtratione ex cerebro*. Cel. STURMIUS elegans ſcriptum edidit *de oculo theoſcopo*. Præſtantiſſimus Helmſtadienſis theologus SCHMIDIUS *de Dei conſpectu ex aure* utiliter egit. Magnus ævi noſtri anatomicus HEISTERUS, *Deum ex oſſium articulationibus* ſolidis argumentis probavit, & Cel. TIMMIUS *Dei exiſtentiam ex ſpina dorſi* cognovit & demonſtravit.

§. VI.

Mathematici accuratiores omnes motuum leges, ut ſunt, hydraulicæ, elaſticæ, ſtaticæ, hydroſtaticæ, geometricæ, mechanicæ, harmonicæ, opticæ in artificioſiſſima corporis humani ejuſque partium fabrica concentratas deprehenderunt.

§. VII.

Perfectiſſima corporis noſtri machina ex pluribus adhuc aliis minoribus conſtat, quæ cum aliis artificio exſtructis habent ſimilitudinem. Cor cum vaſis ſuis annexis non ſolum perpetuum mobile, ſed & antliam hydrau-

hydraulicam repræſentat. Tota thoracis ſtructura cum pulmonibus inſtar follis ſe habet, cujus latera ab inſpirato aere elevantur, in exſpiratione vero ſubſident & coarctantur. Omnis generis vaſa, quæ fluida vehunt, thermometrum, fibræque tendinoſæ & nervoſæ aërometron exhibent, & ab aëre mutato, ratione caloris & frigoris, ſiccitatis & humiditatis, mirum alterantur. Ventriculus cum orificiis ſuis & conterminis viſceribus pro intimiori alimentorum diſſolutione machinæ ſic dictæ Papinianæ haud abſimilis eſt. Corporis integumentum cutis cribri, tunica inteſtinorum villoſa colatorii, & vaſa viſcerum ſecretoria filtri vicem præbent. Oris dentiumque fabrica, comminutioni ciborum deſtinata, molarem æmulatur machinam. Aſpera arterio cum epiglottide, lingua, dentibus, palato & faucium cavitate inſtrumentum ſiſtit muſicum. In oculo perfectiſſima camera obſcura conſpicitur, & auris, ex variis anfractibus efformata, tubam ſtentoriam conſtituit.

§. VIII.

Præterea mira contemplanda in corpore noſtro ſe offerunt, quibus chymica ſcientia clavem ſubminiſtrat. Menſtruum univerſale inſipidum, tantopere a chymicis quæſitum, in ſalivali humore latitat, cujus beneficio omnis generis alimenta, etiam quæ durioris ſunt compagis, ſolvuntur. Chyloſus ſuccus emulſionem naturalem exhibet, quæ ex partibus aqueo-oleoſis componitur. Bilis temperatæ balſamicæ generatio, & rubicundus ſanguinis color, ſaliumque diverſi generis, quæ in excrementis obſervamus, proventus non niſi per experimenta chymica explicari poſſunt. Quorſum etiam variæ ſpectant præternaturales concretiones & polypoſæ & calculoſæ, ex ſalino-terreis viſcidis particulis compoſitæ.

§. IX.

Nihil vero magis corpus noſtrum ab animantibus diſtinguit, quam quod ipſum immortalis & cœleſtis ſubſtantiæ domicilium & habitaculum præbeat. Quare Deus homines præ ceteris animalibus excelſos & erectos conſtituit, ut Dei cognitionem, opera admiranda cœlumque intuentes, capere queant. Et ſane hic erectus ſitus manifeſtum eſt documentum, præcipuam hominis partem cœli progeniem eſſe & divinitatis participem; quod ipſum ſuo jam tempore ARISTOTELES lib. V. Metaphyſ. cap. de ſubſt. cognovit, ſcribens: *in elementari mundo nullum animal adhuc novimus, quod ſit divinitatis particeps præter hominem, cui ſublunaria cuncta ſerviunt, ipſe vero nulli, niſi forte homo homini.*

CAPUT XVII.

De animæ ſpiritualis ſive rationalis eſſentia & operatione.

§. I.

PRinceps ac præcipua pars, qua homo bruta animantia longiſſime antecellit, ſpiritus eſt ille hypoſtaticus libere ſe determinandi & intelligendi facultate una cum perpetuo felicitatis ac perfectionis deſiderio præditus; qui ad imaginem Dei conditus, tam ratione eſſentiæ quam operationum, ab anima ſive ſubſtantia ſenſitiva, in brutis animantibus etiam vigente, de qua priori capite diſſeruimus, immenſum differt.

§. II.

Singulari plane ac ſapienti conſilio intellectus lumen animæ ſpirituali à Deo inditum eſt, cujus beneficio homo imagines rerumque ideas, per organa ſenſoria in fundo cerebri bene conſtituto repræſentatas, clare cognoſcit, interna ſui conſcientia experitur, experiundo acceptas attendit, eaſque invicem comparando vel ſejungit vel combinat: hacque ratione verum a falſo, bonum ab apparente & malo dijudicat atque diſtinguit. Dein ex jam cognitis plane incognita & abſcondita, mediante æquatione, feliciſſime detegit atque deducit, quod ex mathematicis, logicis & præſertim algebraicis, quam clariſſime apparet. Denique ſummum divinæ benignitatis ſignum eſt, animam rationalem internas ſuas actiones, cogitationes, concluſiones, inventiones & veritates, mediante ſermone, cum aliis mentibus communicare, earumque hac ratione intelligentiam promovere magiſque excolere poſſe; quas animi dotes brutis animantibus penitus negatas obſervamus quotidie.

§. III.

Præterea conceſſa homini facultas verum inveſtigandi & a falſo diſcernendi, ſemper cum interno adſenſu & convictione combinata eſt. Inſcriptam porro menti humanæ normam ac legem, quæ moralis dicitur, deprehendimus, ſecundum quam ſuam voluntatem ad illa, quæ bona vel mala, juſta vel injuſta cognovit, libere determinat, ut vel ea proſequatur & optet, vel fugiat & averſetur: quam ſemper internus ſenſus & judex, qui conſcientia audit, comitatur, qua homo bene peractis mirum lætatur & actionibus ſuis applaudit; malis autem cum inquietudine triſtatur eaque averſatur & damnat; quibus omnibus bruta animantia ſunt deſtituta.

§. IV.

Quamvis vero boni & mali, veri & falſi, juſti & injuſti fundamenta a Numine divino, quod ipſum ſumma eſt veritas, bonitas & juſtitia, mentibus humanis indita ſint: innumerabiles tamen ſubinde errores deprehendimus, quorum origo à ſolis perceptionibus ſenſualibus & inde pronatis deſideriis derivanda eſt, quas nec ad intellectus lumen revocat, neque ex præcipitantia ejus examini ſubjicere vult, quæ ſibi tamen relicta voluntas, corruptiſſima eſt & plus quam beſtialis. Quandoque etiam errorum inde largiſſimus fit proventus, ſi per fictiones aut imaginationis ludibria homo de rebus falſum ferat judicium; & præſertim is falſum haud facile effugiet, qui ultra limites intellectus ſapere adfectat.

Scholion.

Scite non minus quam vere HELMONTIUS lib. de venatione ſcientiar. prodidit: *bonum, rectum & verum ſemper uno eodemque modo ſe habent in intellectu; aſt malum, curvum & falſum plurimis modis per rationem diſcurſive procedentem in parte imaginativa fiunt. Unde cognoſcimus, ſolam rationem in ſe & ſine concurſu & conſenſu luminis intellectualis non tam ſublimi pretio, ac vulgo fit, eſſe habendam; quæ ratio ex imaginatione & memoria procedens etiam quodammodo in brutis deprehenditur.*

§. V.

Licet vero anima intellectualis principiumque ſenſitivum cerebro ac ejuſdem fluido tenuiſſimo intime inhæreat, & corporis noſtri vitalis machina, quæ circulo humorum perenni conſervatur, ratione originis, eſſentiæ & operationum mirum inter ſe differant; nihilominus tamen, divina ſic conſtituta ſapientia, miraculoſum & arctum materialis cum immateriali eſt connubium ac vinculum, ut plena inter has partes conſenſio, conſymboliſmus & harmonia obſervetur.

Scholion.

Inter theologos quoſdam & medicos lis adhuc eſt & controverſia, utrum homini tres partes, anima nempe rationalis, ſenſitiva, quæ brutis communis eſt, & corpus, an vero anima ſolum rationalis & corpus, ſint jure tribuendæ, cum divus Apoſtolus Paulus expreſſis verbis animam, ſpiritum & corpus ſanctificanda velit & adferat. Quidam auctor anonymus de anima §. 126. ſatis apte hunc in modum dixiſſe mihi videtur: *anima in homine una eſt, & plures quoque dicere licet; plures quia inter ſe ſpecie differunt, vegetatrix nempe, ſenſitiva & rationalis, quæ inter ſe ſeparari poſſunt; unam vero, propter mutuum concentum & conſenſionem.*

§. VI.

Quam diu mens corpori vivo ac ſenſitivo alligata eſt, tam diu etiam ſenſuum miniſterio opus habet; qui rerum extra nos poſitarum ideas excitant, reſque veluti in conſpectu conſtituunt, in quibus animus, comparando, ordinando, diſtinguendo, dijudicando & cognoſcendo ſe exercere poteſt. Fingamus hominem a nativitate ſenſibus plane deſtitutum, huic quidem mentem ineſſe nemo negaret, operationes vero penitus ceſſarent, per quas hancce virtutem cognoſcendam præberet. Optime is mihi videtur in eo comparari poſſe cum architecto, cui omnia inſtrumenta & materialia ad opera conficienda neceſſaria dificerent.

§. VII.

Mutuam conſenſionem, harmoniam & conſymboliſmum inter has natura diverſas hominis partes nemo rectius atque felicius intelligit atque diſtinguit, quam medicus rationalis. Hic enim quotidie obſervat, ſub bene conſtituto corporis mechaniſmo & æquali ſanguinis per univerſas corporis partes, præſertim cerebri vaſa, circulo, organiſque ſenſoriis ſalvis, & perceptiones mentis & ejus operationes recte ſeſe habere, unde mentem ſanam in corpore ſano omnes optamus. Sub moderato enim & placido ſanguinis temperati per cerebri canales circuitu, fluidum in ipſo purum, ſimplex, luminoſum, cui vis ſenſita inhæret, ſeparatur; quod quo purius eſt & quo magis ſenſoria ſecundum naturæ ordinem conſtructa ſunt, eo vividiores, copioſiores & efficaciores rerum ſenſualium obſervantur receptiones & perceptiones, eoque fœcundior phantaſia vegetiorque eſt memoria, ſine quibus nihil recti vel veri ſublimius illud principium, quod cum Deo ſocietatem habet, determinare, ordinare ac diſponere valet.

§. VIII.

Rationalem porro & in arte peritum medicum ſollers obſervatio edocet, miram inter homines eſſe morum, ingeniorum, inclinationum, & animi paſſionum diſſimilitudinem, prout nempe nativæ corporis & præſertim cerebri ſtructuræ, ætatis, ſanguinis & humorum, cœli, ſub quo alimur, educamur & ſpiritum ducimus, cibique & potus eſt varietas; ſiquidem pro differente ſolidorum conſtructione, temperie & qualitate humorum plane diverſus ſanguinis per corpus & inprimis caput eſt circulus, ingens quoque mutatio ſub dictis jam rebus contingit. Legi hac de re meretur olim a me ſcripta diſſertatio, *de fundamento morum in gentibus.*

Scholion.

Veteres quoque ſapientiores & medici id jam ſuo tempore cognoviſſe ſcripta eorum monumenta ſatis ſuperque teſtantur; Hippocrates lib. III. de flatibus ſect. III. optime ſcribit: *prudentiam & rationem in conſtanti ſanguinis habitu atque æquabili motu in cerebro conſiſtere, adeo ut hoc interturbato concidat ſimul & prudentia & ratio.* Et lib. de morbo ſacro: *ſola quies*, ait, *cerebri ſapere facit, prudentiam ſubminiſtrat & intelligentiam cauſſatur.* Celsus lib. II. hæc habet: *animalia fortiora ſunt, quibus ſanguis craſſior, ſapientiora, quibus tenuior, tardiora & hebetiora, quibus minimus.* Aristoteles lib. II. de part. c. X. ita prodidit: *quorum animalium ſanguis fibris multis craſſis refertus, illa animoſa & furibunda ſunt: ſolida enim omnia, quando calefacta ſunt, vehementiſſime calefaciunt, ex quo fit, ut tauri & apri animoſi, iracundi, furibundi ſint; ſanguis enim eorum fibris eſt refertus.*

§. IX.

Moderatus itaque & placidus per cerebrum ſanguinis motus animi & ingenii vires in vigore ſuo conſervat, ſimul ac vero ſanguineus cruor a temperie motuſque ejus ab æquabilitate decedit & pervertitur, ſtatim ad inordinatos motus mentiſque alienationes homo diſponitur. Hinc experientia conſtat, in hypochondriacis ſanguinem craſſiorem, cum impetu ad caput delatum, melancholicum vel etiam furibundum inducere delirium. Nimia vini aut alius ſpirituoſi potus ingurgitatio vel narcoticorum improvidus uſus ſatis ſuperque huc uſque dicta quotidie confirmat: ſiquidem inde omnem rationis, memoriæ & ſenſus vim cito diminui videmus.

§. X.

Quis unquam majori perſpicuitate atque cura demonſtravit magnas illas corporis & præſertim ingeniorum mutationes, quæ per ætatem fiunt, quam medicus? In vulgus enim notum eſt, in infantili ætate memoriæ, phantaſiæ & imaginationis vigere vim; in juvenili ætate decreſcere paululum retinendi facultatem, increſcere vero ingenii acumen; provecta autem ætate dijudicandi & ratiocinandi habitudinem oriri, imminui vero memoriam: an vero hæ mutationes ab anima mutata vel a corpore mutato dependeant altioris indaginis quæſtio eſt. Mens enim in ſe conſiderata nihil amittere videtur, hinc in corpore, quocum arctiſſime juncta eſt, & in cujus unionis ſtatu operationes ſuas exſerit, mutato cauſſam quærendam eſſe judicamus. Videmus cerebri ſubſtantiam ſolidaſque corporis partes in infantia teneras adhuc eſſe & molles: progreſſu vero ætatis ſolidiores ac firmiores fieri, in ſenectute tandem, poſt multas motiones perpeſſas, obrigeſcere, cum vero ſolidæ partes, quæ fluida regunt & impellunt, cerebrique contextus fibroſus immutentur; ut pro ætate tardius vel vividius fluida per corporis vaſa ferantur, ipſæque cerebri fibræ magis vel minus ſucco laudabili irrigentur; hinc conſequitur, ſolidorum & cerebri inprimis ſtructuram diverſam cauſſam eſſe diverſitatis operationum animæ.

Scholion.

Aristoteles id perbene innuiſſe videtur, cum ait: *da ſeni, ut juveni, oculum, & anima tum declarabit, non ſe ipſam ſenuiſſe, ſed ſibi idem contigiſſe, quod per temulentiam aut morbum.* Et Lucretius v. 45.

Inde ubi robuſtis adoleſcit viribus ætas,
Conſilium quoque majus & auctior eſt animi vis.

§. XI.

Quum itaque rationalis & in arte verſatus medicus ex his hucuſque adductis & longe adhuc pluribus obſervationibus ternarium & imperſcrutabilem illum hominis partium numerum, ut animæ rationalis, ſenſi-

ſenſitivæ & corporis vivi nexum, ſymboliſmum, & arctam in operando unionem ſpiritualis principii cum materiali ſenſitivo, quod mere phyſicum eſt, demonſtret & intelligat clariſſime; quid opus eſt, novos terminos & modos fingere? quorſum maxime harmonias peculiares inter corpus & animam, neque rite fundatas, neque diſtincte cognoſcendas referimus, de quo argumento prolixius olim egi in peculiari ſcripto *de fato phyſico & medico* nuper recuſo. Id dico & adfirmo purum mechaniſmum, ubi cauſſa effectum naturalium mere eſt corporea, hic ſtatui non poſſe, ſed potius incompletum, quem moraliſmi nomine comprehendo, quod etiam ad extricandam hanc rem Ill. LEIBNITIUS ſatis aptum in Epiſtola ad me olim data, judicavit. Et mea quidem ſententia maximus inde error oriri videtur, quod philoſophi penetrare & explicare nequeant, quomodo immateriale principium cum materiali intime in operando poſſit uniri. Quod dubium prorſus evaneſcet, ſi per materiale intelligamus, expanſum quoddam ſimplex, homogeneum, quod actu haud dividi poteſt; licet termini poni poſſint. Nam ut alba charta tota & expanſa terminis & limitibus poteſt circumſcribi licet haud realis fiat diviſio nec mutatio. Et quis porro eſt, qui ſacræ ſcripturæ fidem denegare poterit, quæ angelos, ceu ſpiritus, corporibus indutos diſertis adſerit verbis, quibus mediantibus ex uno loco in alterum ſe tranſtulerunt.

CAPUT XVIII.

De convenientia mentis humanæ cum intellectu divino.

§. I.

SPiritus ſive anima rationalis vere illa eſt, quam a Deo inſpiratam & ad imaginem ejus conditam eſſe ſacræ litteræ edocent: non vero ſenſitiva, quæ, uti ego credo, in prima creatione corpori, ſtructo & jam vivo organiſque ſenſoriis ornato, ſicut & brutis, fuit ingenita. Nam uti in Deum ſenſus non cadunt; ſic etiam de anima ſenſitiva illud ut adſeramus non opus eſt: omnino tamen valet de intellectu & voluntate. Et ſane omnia ſcripturæ ſacræ loca, in quibus de homine ad imaginem Dei efformato mentio fit, hanc noſtram ſententiam confirmant.

§. II.

Spiritum ſeu mentem humanam conditam eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei nemo in dubium vocabit: ſi convenientiam & comparationem ſpiritus ad ſpiritum, intellectus ad intellectum, luminis ad lumen, infiniti ad finitum & voluntatis liberrimæ ad liberam, immortalis ad immortale paullo accuratius conſiderat.

§. III.

Omnino in intellectu humano quædam cum divino conſpicitur convenientia, utpote homo factorum & rerum præſentium, præteritarum & futurarum recordatur: mox enim cogitationes excurrunt in Europam, mox in Aſiam, Africam & Americam, & omnia, quæ ibi fiunt, naſcuntur, & facta ſunt, contemplatur; procedit mens ab uno polo in alterum & peculiaria ibi conſiderat: in eo tamen maxima reperitur differentia, quod divinus & infinitus Dei intellectus nulla indigeat, ut humanus, ſucceſſiva & per gradus repræſentatione, ſed in eo omnia ſimul & quaſi uno intuiſu, quæ contingunt, acciderunt & futura, plana ſunt & detecta, hinc etiam cogitationes noſtras quam optime novit.

De Philoſophandi ratione.

§. IV.

Ex admirandis hujus univerſi operibus, & ſumma, qua omnia reguntur & gubernantur, providentia, non ſine cauſſa adſerimus, intellectum divinum, ordinem ſapientem & metron, quo cuncta æſtimari, menſurari ac dijudicari debent, jure ſuo ac merito vocari poſſe; unde etiam Deus ex mea quidem ſententia optime definitur, quod ſit ipſe ſapientiſſimus & ſubſtantialis ordo; hoc etiam eminens illud Hebræorum vocabulum יהוה in ſe continere videtur, quod latine redditum per ſubſtantiantem cunctaque præſentia, præterita & futura ordinantem non incongrue exprimere licet.

§. V.

Ordo rite conſideratus ſpecies eſt ſymmetriæ, qua partes omnes inter ſe juſtam atque determinatam alunt proportionem ac dimenſionem. Hic ordo eſt, per quem totum terrarum orbem, cœlum, mare & omnia naturæ regna dirigi videmus. Oculos modo ad ſphæras cœleſtes convertamus, omnes non ſatis mirando motu circulari circa univerſale centrum circumagi adſpicimus. Motu enim communi ſibique per omnia ſymmetro & æquali primum mobile cum omnibus cœli ſphæris, intra quodvis viginti quatuor horarum tempus, in ſe ipſum revolvitur, diei naturalis, horarum, horologiorum, & univerſi orbis canon ac menſura eſt accuratiſſima.

§. VI.

Elegantiſſima & accuratiſſima ſymmetria per circulum maxime fit, ex quo & ad quem plurima natura cœleſtia corpora divina ſapientia ſunt efformata. Quid enim circulus aliud eſt, quam figura ſumme ſymmetra, ſibi ipſi ad minimas particulas exactiſſime æqualis, & ex uno centro ad unum commode vergens, unde figura divina nuncupari ſolet; ſiquidem initio & fine caret, Deumque ceu centrum omnium pulcherrime adumbrat. Cum igitur tanta circularis hujus figuræ eſt perfectio: hinc etiam perfectiſſimus & ſapientiſſimus opifex cœlum, ſidera cœleſtia globumque noſtrum terraqueum eadem ſymmetrica figura ornavit.

§. VII.

Dein in ſingulis in regno animali & vegetabili conditis rebus ſumma & accuratiſſima obſervatur ſymmetria, linea enim diagonali in duas æquales partes planta diſſecta accuratam omnium, etiam minimarum, partium ſymmetriam detegit, v. g. ſi arborem a radice uſque ad ſummum apicem, vel etiam florem aut folium diſcindimus; magno ſtupore animadvertimus, qua exacta diligentia, quove venuſto ordine ſingula puncta, figuræ, longitudines, latitudines, ſitus, colores, ſapores & odores ſibi invicem reſpondeant. Neque minorem ſymmetriam in regno animali deprehendimus, quando brutum aut, ſi mavis, hominem cultro anatomico ſubjicimus. Duabus corpus noſtrum ornatum eſt partibus ſumme harmonicis, ſibi invicem accuratiſſime aſſimilatis & commenſuratis, duobus oculis, auribus duabus, duobus brachiis, duabus manibus tidemque pedibus & femoribus; hæcque omnia parallela ac ſymmetra ſunt in arteriis, venis, nervis, muſculis, oſſibus & articulationibus. Ex quibus Deum ſummæ ſymmetriæ, ratione intellectus, cauſſam & fontem clariſſime cognoſcimus.

§. VIII.

Sicuti autem Deus & natura nihil ſine determinato fine & ſapiente partium inter ſe nexu & ordine facere aſſolet: ita quoque humanum intellectum, ſi quid pulchrum efficere molitur, identidem ſymme-

triam & partium harmoniam obſervare oportet. Omnia ſi architectonica atque mechanica opera & artificia intueamur, non niſi juſto & proportionato partium inter ſe nexu, figura, menſura & harmonia conſtructa eſſe videbis.

§. IX.

Omnes quoque diſciplinæ, artes & ſcientiæ, harmonia, proportione, ſymmetria, conformitate & convenientia rerum inter ſe continentur. Quid aliud eſt veritas, ratio & demonſtratio, quam conveniens cogitationum ac ratiociniorum inter ſe nexus & ordo? error vero nonniſi rerum confuſionem demonſtrat. In arte numerandi regula proportionum eſt præcipua; & algebra divina, aurea inde dicta, non alio, quam ſymmetrica proportionum arithmeticarum & geometricarum progreſſione ac repetitione, nititur fundamento. In muſica arte, hominum ferarumque animos demulcente, ſonorum proportio earumque ſymmetrica repetitio utramque abſolvit paginam. Centrum logices eſt ſyllogiſmus, hujuſve fundamentum trigonum eſt ſymmetricum, ex tribus inter ſe convenientibus terminis conſtans, ita, ut, quæ conveniunt in uno tertio, inter ſe quoque conveniant.

§. X.

Rectum de rebus judicium, quæ præcipua mentis humanæ facultas eſt, ex accurata rerum omnium & circumſtantiarum inter ſe mutuo, ratione habita proportionis, conſideratione & comparatione proficiſcitur. Juriſprudentia unice in ſententiæ conformatione per relationem ad delicti vel læſionis gradum conſiſtit, hinc quo majus eſt delictum & gravius, eo graviorem pœnam dandam eſſe ipſa dictitat ratio: quare non ſine fine juſtitia, bilance una, in altera vero manu gladio depingitur. Lex naturæ ſuum cuique tribuere, & quod tibi fieri non vis, alteri ne facias, quid ſibi aliud vult, quam ne a Deo conſtitutum ordinem, hominumque mutuum amorem, ſocietatem & harmoniam interrumpamus. Ars, quæ in valetudine conſervanda & amiſſa reſtituenda occupata eſt, unice ſymmetriæ fundamento nititur. Partes enim fluidæ quamdiu in æquabili quantitate & juſta temperie ſunt conſtitutæ, motuque libero & æquali per univerſi corporis compagem tubuloſam vehuntur, tam diu ſanitas adeſſe dicitur: harum autem perverſio & morbus unice in ametria, ſive diſconvenientia, quantitate & temperie ſublata motuque interturbato conſiſtit. Unde rectiſſime medicinæ parens HIPPOCRATES medicinam per adjectionem deficientium, & ſubtractionem ſuperfluorum, definit, & eum præſtantiſſimum medicum judicat, qui id optime præſtare poteſt. Res in vita civili & politica bene & prudenter geſtas judicamus, ſi convenienti tempore, loco & ordine ſuſceptæ ſunt: minus vero tales, ſi ad hæc non reſpicimus.

§. XI.

Brevibus dicimus: uti Deus fons & ſcaturigo eſt omnis in natura & ſingulis rebus creatis ordinis, partiumque ſymmetriæ, pulchritudinis & nexus, quem ipſe ad cognoſcendam ſuam perfectionem conſtituit: ita quoque menti humanæ, quæ imaginem Dei exprimere debet, fundamenta & ſemina ſapientis ordinis, nexus, proportionis ſecundum certum partium numerum, menſuram, vim motricem ſunt innata, quibus ſucceſſive & magis magiſque excultis, homo pulcherrima etiam producere poteſt opera: & ſic Deum in ſapientia & ordine imitatur, quamvis imperfecte; cum ars tantummodo ſit naturæ ſimia. Et hinc quoque nullæ diſciplinæ a prima ſtatim ætate rectius & melius humanæ menti inſtillantur & apta informatione excoluntur, quam mathematicæ.

CAPUT XIX.

De animæ rationalis eſſentia & operatione ſemper duratura.

§. I.

ARctum illud vinculum, quo anima rationalis cum corpore ſenſitivo & vivo jungitur atque unitur, morte tandem diſſolvi extra omne dubium poſitum eſt: num vero illud principium ſive ſubſtantia qua cogitamus, cognoſcimus & claras atque diſtinctas rerum habemus repræſentationes, eaſque invicem connectimus vel ſeparamus & de iis judicamus, ſenſuum organis deſtituta poſt mortem operationes has proſequi poſſit? ſubtilioris indaginis quæſtio eſt. Nos ex ſufficientibus ſatis rationibus illud adſeveranter adfirmare neutiquam dubitamus: nulla enim in rerum natura ſubſtantia ſive principium operandi, quod ſimplex eſt, & non dividi poteſt, interit, niſi ab omnipotente ejus auctore annihiletur, cujus tamen rei vix ullum exſtat exemplum. Neque elementum ut ſimplex, expanſum, homogeneum, quod locum occupat, interitum, ſed ſolummodo corpus ut mixtum, ſive e diverſæ naturæ elementis compoſitum, mutationem ac deſtructionem ſubire firmiter ſumus perſuaſi. Quodſi igitur ejuſmodi entia realia interitus expertia ſunt, multo minus animæ rationalis, quæ cum intellectu divino, juſto nempe ejus ordine & voluntate ſive amore, habet convenientiam, cui veri & falſi, juſti & injuſti & entis ſuperioris inſitus eſt fons & principium, probari poterit annihilatio, quæ nihil aliud eſt, quam ſubtractio diuini influxus, quo tamen res omnes exiſtentes perdurant & conſervantur.

Scholion.

Egregia ſunt verba, quæ CICERO de conſolat. prodidit: *non is ego ſum, qui animum ſimul cum homine interire putem, tantumque mentis lumen e divina natura delibatum exſtingui poſſe, ſed potius, certo tempore emenſo, ad immortalitatem redire.* Et in eodem ſcripto, *dubitari nullo modo poteſt*, inquit, *quin animus divinus ſit & ſempiternus futurus. Dei enim imago quædam animus eſt, ex ipſo Deo delibata ac perfecta. Quodſi Deus immortalitate fruitur, cur eam partem, quam ex ſe ipſo ſumſit, mortalem eſſe velit: quin hoc ipſo ſingularem & divinam vim indicandum putavit, quod non ſolum ipſe immortalis, ſed etiam, quos velit ſuæ naturæ compotes, & plane immortales efficiat.*

§. II.

Senſus porro immortalitatis omnibus hominibus communis & innatus hanc noſtram adſertionem confirmat, quem nec ipſi gentilium ſapientiores occultare potuerunt. Quid enim aliud ſibi vult eorum ſententia de animarum poſt obitum tranſmigratione in alia corpora? quam quod perpetuam illarum durationem & operationem crediderint. SOCRATES morti proximus eleganter hunc in modum apud amicos diſſerit: *ſi quid aliquando pure ſumus intellecturi recedere oportere a corpore atque res ipſas ſpeculari. Nam quia nihil cum corpore cognoſci poteſt, ſcientiam aut nunquam, aut poſt mortem denique conſequemur: Tunc enim anima ipſa ſecundum ſeipſam ſeorſim erit a corpore, & migrationem, quæ nunc mihi impoſita eſt, bona ſpe ſuſcipio.*

§. III.

Et quis unquam in tanto hominum cœtu vixit, aut adhuc vivit, qui non infinitam & perpetuam ſibi

ſibi optet & optaverit felicitatem, perfectionem & acquieſcentiam cum interno gaudio junctam: quod ſane deſiderium, tam alte mentibus infixum, non fortuito caſu, aut fruſtra, ſed divina plane providentia ipſis ingenitum eſt. Cum vero homo in hac vita, qua anima corpore, ipſam prægravante, incluſa eſt, ad hanc felicitatem pervenire nequeat: ſperanda omnino erit in altera & hac meliori vita.

Scholion.

Cicero de conſolatione ait: *quanto gaudio exſultare credendus eſt illorum animus, qui corporis admixtione ſolutus in cœleſtes ſempiternaſque domos, unde exierat, revertit. Profecto enim ex mente divina delibatos habemus animos, qui hac mole incluſi, tanquam terræ gravitate, ſic ipſi nimio pondere corporis opprimuntur: ubi autem ſoluti a corporibus ad proprias ſedes evolaverunt, tum vere vivunt, nec voluptati, libidini, dolori ſerviunt, ſed ſui compotes nulla re anguntur, nihil requirunt, omnibus imperant.*

§. IV.

Deinceps animæ noſtræ immortalitas ſapientiæ divinæ maxime eſt conveniens: ſi enim Deus propter hominis felicitatem ac ſuſtentationem corporis, quod multum ignobilius eſt anima, omnia in hoc univerſo tanta arte, ac plane inenarrabili providentia effecit, conſervat atque gubernat; quanto majorem præſtantiſſimæ hominis partis, animæ nempe rationalis, ad ejus imaginem efformatæ, curam habebit.

§. V.

Quid dicam de fine creationis præcipuo hominum & præſertim intellectualis animæ, ſecundum quem ſummus rerum omnium effector voluit, ut ex intimiori operum ſuorum contemplatione immenſam ſuam ſapientiam, infinitam potentiam & bonitatem clare cognoſcant, laudibus eum celebrent & per amorem & ordinem intime cum ipſo uniantur. Quamdiu autem anima noſtra ſpiritualis corporeis ligata eſt vinculis, tam diu etiam opera Dei, quæ tam in adſpectabili hoc mundo, quam in reliquis admiranda ſunt, clare ſatis ac perfecte, ut Dei perfectiones requirunt, ſcrutari ac cognoſcere haud poteſt: hinc neceſſe eſt, ut, pro hoc fine implendo, altera adhuc ſuperſit vita, qua majori perfectione, corporis exuviis depoſitis, Deum cognoſcemus, cognitum ſummis laudibus perpetuo proſequemur atque venerabimur. Ante omnia vero ſumma Dei bonitas, æquitas & ſempiterna juſtitia perpetuo duraturam eſſentiam & operationem animæ rationalis exigit atque confirmat.

§. VI.

Jam vero quæſtio oritur, num anima, quæ operationes ſuas miniſterio ſenſuum in vivo corpore exſeruit, ſine iis & illorum organis adhuc operari poſſit? Ad quam ita reſpondere licet: anima ſpiritualis, intellectus & voluntatis facultatibus inſtructa, per ſe inorganica eſt, quamvis tam diu organis ſenſuum, inprimis cerebri fabrica, utatur, quam diu cum corpore unita eſt: quoniam in hac vita maximum cum rebus corporeis, quæ motum in ſenſoriis excitant, ipſi intercedit commercium: poſt mortem vero major erit cognitio rerum ſublimiorum. Quid opus igitur eſt ſenſibus, præſertim craſſioribus externis, tactu, olfactu & guſtu, qui maxime ſunt animæ ſenſitivæ inſtrumenta, atque ideas & perceptiones non claras, ſed valde confuſas exhibent: auditus tamen & viſus ſunt nobiliores, & magis ad intellectum pertinent, quoniam horum miniſterio clariores repræſentationes & cognitiones cum viva cognitione & delectatione in anima fiunt, imo in ipſa involuta & innata ſcientiarum ſemina evolvuntur. Nam res fidei per auditum ad interiora intellectus, qui lumen eſt ad imaginem intellectus ſive luminis divini conditum, penetrant; oculis vero opera divina cernimus, quare non ſine ratione ſapientiſſimus Salomon horum ſenſuum nobiliorum tantummodo meminit in Prov. c. XX. 12. *Utrumque & aurem audientem & oculum cernentem Jehova facit.*

Scholion.

Pauci ex philoſophis & naturalis ſcientiæ cultoribus id attendunt, quod in camera oculi obſcura, ejusque retina, externa objecta in minima tantummodo mole ſe repræſentent, cum tamen in forma ſua naturali ea videamus & cognoſcamus. Pari ratione res ſeſe habet cum auditu, quo tantummodo ſonus ſive aëris tremulus, per ſermonem varie modificatus, motus ad ſenſorium commune pertingit; interne tamen veritatem ſermonis clare cognoſcimus, manifeſto indicio, in animo veram & vivam veritates cognoſcendi facultatem reſidere & eſſe fundatam: licet regulam & harmoniam, quam Deus hic conſtituit, ignoremus, & modus maxime, quo hoc fiat, inexplicabilis & imperſcrutabilis maneat.

§. VII.

Quare firmiter credimus & ſtatuimus, quod intellectus ab involucro ſuo, quo valde in vivo corpore aggravatur, poſt mortem liberatus & ſui juris redditus, veritates deliteſcentes mirifice cognoſcere poſſit.

Scholion.

Non tantum ipſa ſacra ſcriptura, ſed & ethnicorum prudentiores huic noſtræ ſententiæ ſubſcribunt. Sic lib. ſapient. IX. v. 15. hæc legimus verba: *mortale corpus aggravat animam, & terreſtre corporis vas obruit mentem.* Et Cyrus moriens apud Xenophontem ita dicit: *nolite arbitrari, o mihi cariſſimi filii! me, cum a vobis diſceſſero, nunquam aut nullum fore; nec enim, dum eram vobiſcum, animum meum videbatis, ſed eum eſſe in corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur eſſe creditote, etiamſi nullum videbitis. Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit, animos, dum in corporibus eſſent mortalibus, vivere: cum exiſſent emori, nec tum animum eſſe inſipientem, cum ex inſipienti corpore evaſiſſet; ſed cum omni admixtione corporis liberatus, purus & integer eſſe cœpiſſet, tum eſſe ſapientem.*

§. VIII.

Quomodo autem anima corporis vinculis inhærens in actionibus ſuis turbari poſſit, nondum ſatis evictum, ſed adhuc ſub philoſophis lis eſt. Meam quod attinet ſententiam, ea mihi videtur veroſimilis, quod intellectus inſitus, purus, luminoſus, originaliter inorganicus, a Deo in prima creatione corpori vivo infuſus, cum ſubtiliſſimo æthereo fluido, quod in cerebri fabrica tenuiſſima a ſanguine & lympha ſeparatur, habeat vinculum & commercium, quod fluidum, quo purius eſt, eo alacriores functiones ſunt animi, quo vero impurius & quo magis multis particulis ſulphureis, vaporoſis & terreſtribus imbutum eſt, eo hebetiores & obtuſi homines inveniuntur. Quod maxime in iis obſervare licet, qui ſani ſunt & multum comedunt, potus ſpirituoſos & inebriantes crebrius ingurgitant, vaporoſis cibis utuntur, ut fabis, quas Pythagorici diſcipulis ſuis hanc ob cauſſam interdixiſſe videntur. Cum vero nullius hominis in hac vita, qua anima corpore quaſi veſtitur, ab heterogeneis iſtis particulis fluidum ſubtiliſſimum plane liberum reperiatur, hinc quoque anima multum in operationibus

ſuis præpeditur, ut ea, quæ perfectius exſequi velit, haud poſſit.

§. IX.

Quando igitur cunque a nativitate ipſa cerebri fabrica tam tenerrime conſtituta eſt, ut non tantam partium craſſiorum & vaporoſarum admittat copiam; vis intelligendi quoque & repræſentandi promtior, efficacior & celerior obſervatur, hinc non ſine magna admiratione præcocem interdum videmus eruditionem.

§. X.

Ex his quoque adductis repetenda erit ratio, quod iis hominibus, quorum corpora infirma parum cibis & potu onerantur magiſque jejuniis inſit; quod etiam in morti proximis, præſertim piis, non raro obſervamus. Hi enim ad tempus quieti, ad ſe redeuntes, mira enarrant gaudia & de Dei angelorumque conſortio gloriantur; quam morientium lætitiam & alacritatem CICERO de conſolat. diis adſcribit: cum ait: *non deſperandum de deorum benignitate, quin eo tempore e vita properantem diſcedere foveant atque allevent. Cujus rei in morientibus ſigna ſæpiſſime minime dubia cernuntur, cum velut e ſomno exciti, quo tempore extremum ſpiritum edituri ſunt, ita gaudentes & alacres adſpiciunt, ut libentiſſime e vita judices proficiſci.*

§. XI.

Et quem fugit ægrotantes, inprimis mulieres hyſtericas, quas plures vidi, adfectione cataleptica, quam pro ecſtaſi habuerunt, tentatas, præſente paroxyſmo aut finito, futura prædixiſſe, & linguis, quas ipſæ nunquam, parentes vero, didicerunt, locutas. Neque minus medicis attentioribus notum eſt, quod morbis chronicis, ut cachectica vel phthiſica adfectione, diutius adflicti & viribus exhauſti longe majorem & plane mirificam alacritatem & promtitudinem in rebus divinis explicandis ſæpe poſſideant, quam integritate corporis gaudentes nunquam habuere. Idem quoque valet de ætate grandioribus, perpetuo valetudinariis & infirmis, in quibus vires quidem corporis, memoriæ & imaginationis decreſcere; intellectus vero & judicii increſcere videmus.

§. XII.

Quanta denique animorum obſervatur mutatio, poſt morbos præſertim melancholicos, maniacos aut ardentes febres ſuperatas, cujus plane ſingulare exemplum adhuc in recenti eſt memoria. Nam cum ante aliquot annos Theologus quidam Berolinenſis, jam vero defunctus, ex febre ardente cum delirio juncta ſanitatem recuperaret, tam mirabilem ingenii acquiſivit promtitudinem, ut, quæ cogitaret aut diceret, longa ſerie verſuum germanicorum, quocunque tempore & occaſione exprimere potuerit, cum antea plane rudis in arte fuit poetica. Tacemus hic quorundam hominum præſagia, quæ nos Germani *das Ahnden* vocamus.

Scholion.

Inſignis hanc in rem eſt locus, quem b. WEDELIUS Cel. Medicus Patholog. ſuæ generali ſect. III. c. IX. inſeruit: *Cerebrum*, inquit, *humanum æmulatur horologium ſubtiliſſimum, in quo ſi omnia legitimo gaudent motu, ſi obſervatur juſtus ordo temporis & proportionis, bene ſe res habet; ſed ſi rota exorbitet, confuſo machina turbine movetur: ſic etiam, poſita conformatione pororum cerebri, ſenſus & intellectus ſibi conſtant, ſin minus excentricitatem patitur intellectus, idque variis modis.*

§. XIII.

Tandem experientia conſtat quotidiana, in ſomno corpus in quiete eſſe, neque animum ab objectis externis diſtrahi: hinc etiam operationes ſuas felicius & promtius exſequi poteſt. In inſomniis haud raro multa nobis clara fiunt & detecta, quæ antea nobis fuere abſcondita, diu oblita in memoriam veniunt, & quicquid ſæpe natura denegaſſe videtur, id anima in ſomno, ſui juris reddita, præſtat. Sic ſæpe mihi, cui nullum unquam a natura datum eſt ingenium poëticum, aliquoties obtigit, ut elegantiſſimos latinos verſus concinno ordine & ſerie confecerim & recitaverim, quorum aliquot vigilans de ſomno adhuc recenſere potui. Et quis in ſacris litteris tam hoſpes eſt, qui neſciat, Deum in inſomniis maxima revelaſſe: non aliam ob cauſſam, quam quia mens tunc ſit attentior ad ea capienda, quæ revelantur.

Scholion.

Antiquiſſimus medicorum parens HIPPOCRATES id ſuo jam tempore obſervavit ſollertiſſime in lib. de inſomniis ubi inter initia ſcribit: *corpus cum vigilat, animæ cogitatio non ſui juris eſt, ſed partem aliquam ſingulis corporis partibus, ſive ſenſibus, diſtribuit, auditui, viſui, iactui, greſſui, actioni ac omni corporis facultati. Cum autem corpus quieſcit, anima in motu eſt, & corporis partes perreptans domum ſuam gubernat & omnes corporis actiones ipſa perficit. Nam corpus dormiens non ſentit, ipſa vero vigilans cognoſcit, ac viſibilia videt, & audibilia audit, vadit, tangit, triſtatur, animadvertit. In ſumma quæcunque corporis aut animæ munia, ea omnia anima ipſo in ſomno obit.* Et CICERO de divin. lib. I. *Cum ſomno ſevocatus*, ait, *animus a ſocietate & contagione corporis, tum meminit præteritorum, præſentia cernit, futura prævidet. Jacet enim corpus dormientis ut mortui, viget autem & vivit animus, quod multo magis faciet poſt mortem, cum omnino e corpore exceſſerit: itaque appropinquante morte multo eſt divinior.*

§. XIV.

His hactenus ex ratione deſumtis argumentis ſacra ſcriptura maximum ſuperaddit pondus, quæ diſertis verbis animæ immortalitatem adſerit & præſertim dicit: nos poſt mortem angelicæ ſimilem naturam eſſe habituros, qui tamen ſpiritus ſine corpore & organis ſenſoriis Deum cognoſcunt, laudant ac celebrant. Neque dubitandum, quin, quia mentes intellectuales ad ſocietatem angelorum pertinent, & in ea quævis ſuam tuetur perſonam, poſt obitum in eorum conſortio & converſatione multas variaſque rerum ideas, antea plane incognitas, ſint hauſturæ, ut non opus ſit corpore ſenſitivo, quod tamen etiam benigniſſimus Deus ſuo tempore in ſumma claritate reſtituet & reſuſcitabit.

Scholion.

Videtur quidem corporum noſtrorum reſuſcitatio noſtræ ſententiæ de perfectiori animæ poſt ſeparationem a corpore ſtatu repugnare; aſt ſacra ſcriptura de corpore non tali, quale nunc eſt, ſed clarificato loquitur, quod ab omnibus infirmitatibus, quæ animæ rationali in operationibus ſuis maximo fuere impedimento, liberum eſt. PAULUS ad Corinthios hac de re egregie ſcribit: *ſeritur corpus naturale & ſurget corpus ſpirituale.*

CAPUT

CAPUT XX.

De providentia divina ſive ſapientiſſima univerſi gubernatione.

§. I.

PErfectionem Dei mundi quoque providentia includit, quæ omnia & ſingula in hac rerum univerſitate conſervat, gubernat, & ad congruos & ſapientes fines dirigit. Et hæc ne ethnicis quidem ſolo naturæ lumine colluſtratis fuit incognita adminiſtratio: quamquam abortivi quidam philoſophi, inter quos DEMOCRITUM, EPICURUM, VELLEIUM, & LUCRETIUM, etiamſi athei non penitus eſſent, referimus, providentiam tamen omnem ſuſtulerunt, neque Deum res humanas curare, neque ira adfici, neque gratiam neque pœnas, pro meritis cujuſque ſuis, conferre ſtatuebant: hinc LUCRETIUS:

Omnis per ſe divum natura neceſſe eſt
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur
Semota a noſtris rebus ſejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri
Nec bene promeritis, nec tangitur ira.

Hi homines omnem ex animis hominum religionem extrahunt evelluntque radicitus, cum opem, auxilium & gratiam divinam tollunt. Animam hominis mortalem ipſamque ſimul cum corpore interituram putabant, & ſummum hominis bonum in voluptate collocabant; dum perſuaſi erant, Deum non animadvertere, nec res curare, nec punire.

§. II.

Erant quoque ex veteribus philoſophis nonnulli, qui providentiam divinam, quamquam haud penitus negabant, in dubium tamen vocabant, hunc in modum ratiocinantes: ſi a Deo reguntur omnia & ab ipſo nihil niſi bonum proficiſci poteſt, unde tot tantaque in mundo mala, vitia, calamitates, peſtes. Unde eſt, quod probis & piis non raro male, improbis autem & malis bene res cedunt. Inde EURIPIDES apud ATHENAGORAM *in Apologia* ait:

Sæpe mihi ſubivit cura
Animum, dubitavi anxie,
Deus an fortuna regat
Hominum inconſtantem vitam?
In qua & inopinato ſæpius,
Et inique miſeri ſunt quidam,
In familiis etiam claris
Aliqui, quod nemo ſperaſſet,
Abſque Deo fortunati.

§. III.

Id ipſum quoque interdum viros Deum vere timentes & probos torſit, hinc Rex ASSAPHUS Pſalmo ſuo CLXXIII. exclamat: *ecce iſtos improbos, ut tranquilli in ſæculo augeant vires. Utique inaniter purifico animum meum & lavo in munditia manus meas, cum ſim plaga adfectus quotidie, & caſtigatio mea præſto ſit matutinis ſingulis.* Eleganter vero & perquam recte divinus hic vir ſubjungit: *ſi cogitem cognoſcere hoc, laborioſum eſt in oculis meis, donec ingreſſus in ſanctuaria Dei animadverti finem iſtorum: utique in lubricis ponis eos, & ejicis in vaſtitates.*

§. IV.

Quemadmodum vero Dei cultus mentibus humanis inditus eſt: ita quoque ſenſus quidam divinæ providentiæ & curæ in iis reconditus reperitur; hanc enim negare & Deum colere eſt ſibi ipſi contradicere. Nam cur adorarent homines ſummum Numen? cur auxilium poſcerent ab ipſo? quod ſui curam non habere crederent.

Scholion.

Nitide id ipſum PLATO libro ſuo X. de legibus explicat cum ait: *Caveamus, ne Deum mortalibus opificibus viliorem putemus. Iſti ſane, quando peritiores ſunt, tanta arte in propriis ipſorum operibus & parva ſimul & magna exquiſitius perficiunt: Deus vero, qui ſapientiſſimus eſt, curare poteſt ac vult non magna ſolum, ſed etiam parva, quæ facilius ſervari poſſunt, proſpicit, ut nefaria eſſet cogitatio Deum pigritiæ & ignaviæ accuſare.* Et CICERO lib. de natur. Deor. acriter perſtringit philoſophos divinam negantes providentiam his verbis: *ſunt philoſophi & fuerunt, qui omnino nullam habere cenſerent humanarum rerum procurationem Deos. Quorum ſi vera eſt ſententia, quæ poteſt eſſe pietas, quæ ſanctitas, quæ religio: hæc enim omnia pure ac caſte tribuenda deorum Numini ita ſunt, ſi animadvertuntur ab his, & ſi eſt aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Si autem dii neque poſſunt nos juvare, neque volunt, nec omnino curant, nec, quid agitur, animadvertunt; nec eſt, quod ab his ad hominum vitam permanare poſſit; quid eſt, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus.*

§. V.

In prima creatione, ita docente ſacra ſcriptura, ſtatus integritatis in primis noſtris parentibus ingentem perfectionis gradum reſpectu animæ & corporis complectebatur, omnia erant valde bona ſine omni noxa; & ſicuti crimina & vitia, ita quoque ægritudines, mors, calamitates, rixæ & miſeriæ exſulabant. Nam imago Dei maximum intellectus lumen continebat, quo rerum conſecutiones ex longinquo proſpicere, atque res externas, ex neceſſitate agentes, corporeas in uſus ſuos rite convertere poterat. Neque voluntas a ſalutis & felicitatis via declinabat. Nunc vero proh dolor! in eo rerum ſtatu per lapſum verſamur, quo mors homini naturalis eſt, quæ ex corporis humani conditione illiusque nexu cum rebus externis oritur. Valde quoque ſuppreſſo intellectu, qui ad imaginem Dei conditus erat, & ſenſitivo principio, quod præcipue brutis animantibus ineſt, principatum obtinente, ab objectis externis variæ paſſiones, perturbationes animi & declinationes a bono nil niſi mala animi & corporis inferunt, unde multæ miſeriæ & calamitates tanquam ex uberrimo fonte promanarunt. Quicquid igitur nunc eſt malorum in juſtam pœnam humanis delictis ſuperinductum eſt. Cognoviſſe hunc integritatis ſtatum PLATO videtur, qui ſcribit in conviv. *Priſca quidem felicitas naturalis erat. Integri enim eramus. Jam vero propter injuſtitiam diviſi ſumus a Deo.*

Scholion.

Digna ſunt de miſero hominis ſtatu ethnicorum dicta quæ allegentur. HIPPOCRATES *totum hominem morboſum*, HERODOTUS *hominem calamitatem* nominat, EURIPIDES, *ingenitam eſſe homini miſeriam & malitiam* dicit: Et PLATO *ſtultorum infinitam eſſe propaginem, & ignorantiam magnorum malorum matrem* ait: CICERO Tuſc. Quæſt. lib. IV. *Vitioſitatem*

&

& habitum hominis tota vita inconſtantem & a ſe ipſo diſſentientem; adfectus eſſe turbidos concitatoſque animorum motus, averſos a ratione, inimicos menti vitæque tranquillæ ſcribit: Et idem CICERO de conſolatione egregia de miſeria humani generis propoſuit: *Si juvat ætatis gradus recenſere; omnis ætas miſeria eſt. Nam infantiam & pueritiam imbecillitas, dolores, moleſtiæque quam plurimæ amplectuntur, nullus, nec rationis nec corporis uſus. Adoleſcentiam ardor quidam excipit, nec prudentiæ nec judicii compos, rerum utilium ac laudabilium contemtio, voluptatis ac ſæpe turpitudinis appetitio, veri bonique ignoratio, in pares ferocia, in ſuperiores ſuperbia, in infimos arrogantia. Ex his contentiones, rixæ, contumeliæ, aſſiduus denique moleſtiarum concurſus exiſtit. Conſtans ætas ex omnium hominum ætatibus in perturbationem animi, in pericula capitis, famæ, fortunarum maxime incurrit. Senectutis incommoda ac miſeriæ quamplurimæ & graviſſimæ ſunt. Quid enim aliud eſt videre ſenem, prementem, incurvum, imbecillum, infirmum, quam cernere morientem vivum aut viventem mortuum.* PLINIUS Hiſt. nat. lib. VII. c. L. *hebeſcunt ſenſus*, inquit, *membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus vacillant, & decidunt dentes ciborum inſtrumenta.*

§. VI.

Non ultimum miſeriæ noſtræ teſtimonium eſt, quod cæteris animantibus natura non modo alimenta pro conditione ſine ullo labore præparet, & varia integumenta ut teſtas, coria, cortices, plumas & pennas tribuat; homo vero nudus, ſine alimentis, ſine tegumentis, ſine calceis & veſtibus exiſtat, & ſemper alieno auxilio indigeat, ac labore ſe ipſum ſuſtentare debeat. Huc quoque jure ſuo ac merito referimus imperiorum rerumque publicarum longas durationes aut ſubitas mutationes, quæ ſane nulli cauſſæ, niſi ipſi Deo, omnium rerum moderatori & adminiſtratori adſcribi poſſunt; nam, quando ipſi videtur, mutat imperia, ad eamque mutationem, pro ſapientia ſua, variis utitur inſtrumentis.

§. VII.

Sub iſtis humani generis poſt lapſum miſeriis atque calamitatibus non ſatis admiranda & celebranda eſt benigniſſimi Dei cura ac providentia, qua, ne ſuccumbamus, iſtis malis medetur, &, ut ad meliorem & feliciorem ſtatum in hac vita reducamur, quærit. Hæc enim potiſſimum divinæ providentiæ objecta ſunt, ut malis noſtris ſuccurrat atque auxilium præſtet.

§. VIII.

Si hac in re ſacras litteras conſulimus, illæ nos luculentiſſime convincunt & docent, ſapientiſſime & clementiſſime omnipotentem Deum jam a prima creatione mundum univerſum, & præſertim electos ſuos rexiſſe & gubernaſſe, atque promittere uſque ad ſæculi conſummationem adeſſe velle, nec unquam ſuos deſerere; quinimo tota ſacra ſcriptura pellucidum eſt ſpeculum, ex quo pervigil providæ directionis oculus ubique promicat.

Scholion.

Inſignia providentiæ divinæ & univerſalis & particularis teſtimonia exſtant in toto *Pſalmo* DAVIDIS *CIV. CXXXIX. CXLVII. CXLVIII. & libro ſapientiæ.* CHRISTUS vero ſervator noſter in N. T. hanc curam clarius expreſſit, & ad minutiſſima deſcendere docuit, adeo, ut non modo *volucres cœli, ſed etiam lilia, quæ neque laborant, neque nent, & herbam, quæ hodie exſtat, & cras in clibanum mittitur, veſtiat.* Matth. VI. 26. 28. 30. *Nonne duo paſſerculi*, inquit, *aſſario veneunt, & unus ex iis non cadet in terram ſine patre veſtro? veſtri vero etiam capilli capitis omnes numerati ſunt.* Matth. X. 29. *Et pilus capitis veſtri non peribit.* Luc. XXI. 18.

§. IX.

Deus ab æterno lapſum hominis prævidit, & ſecundum ſuam abſolutiſſimam voluntatem benigniſſime decrevit, univerſum & præſertim hominis ſtatum gubernare, quæ etiam decreta uſque ad hæc noſtra tempora exſequitur. Ipſe enim omnia tam ipſius ſapientiæ, quam rerum creatarum naturæ convenienter adminiſtrat. Permittit igitur & facit cauſſas neceſſarias neceſſario agere, liberas libere, & quæ ab illis pendent neceſſario, & quæ ab his libere fieri. Non tollit effectuum neceſſariorum neceſſitatem, niſi forte id plane extraordinarie & propter graviores & maximi momenti fines aliquando fiat: neque iis cauſſis libertatem, quæ libere agendi facultate ſunt præditæ, neque contingentiam auffert.

§. X.

Verum enim enim vero mala, vitia & quæ culpæ & peccati nomine veniunt, minime per ſe & directe, ſed tantummodo indirecte, & per accidens ſub providentiam divinam cadunt, dum non facit, aut ut fiant, adjuvat, ſed tantum permittit fieri, ne officiat libero arbitrio, facta vero in bonum finem, quem ipſe faciens non intendit, dirigit.

§. XI.

Equidem Deus ab æterno præſcivit & cognovit univerſa, quomodo ſint, & eſſe poſſint, quid homo quiſque pro ſua libertate eſſet facturus, ſi cum his vel illis circumſtantiis, in hoc vel illo rerum ordine collocaretur: non igitur ex abſoluto, ſed limitato decreto, præſertim quod ad creaturas rationales attinet, ſumma ſapientia ac bonitate omnia diſpoſuit atque ordinavit.

Scholion.

Conditionatum providentiæ divinæ decretum egregie explicat locus CICERONIS de conſolat. dum ait: *non verum eſt, quod dicitur a quibuſdam, mortis certum omnibus hominibus finem ac terminum eſſe conſtitutum; ut autem vel citius vel ſerius moriamur, ſingulorum hominum vel intemperantia vel negligentia contingit. Si autem illud veriſſimum eſt, præfinitum eſſe vitæ finem, quem nemini liceat præterire, agnoſceremus nihil ſane eſſe, quo homini prudentiam, temperantiam, pietatem tribueremus.*

§. XII.

Neque putare licet, quod divina præſcientia fatalem ac neceſſariam noſtris actionibus peccandi neceſſitatem inferat. Non enim, quia Deus futura cognoſcit, neceſſe eſt, nos facere, quod facere præſcivit, ſed, quod nos propria voluntate ſimus facturi, novit futurum, ſimulque cauſſam & modum agendi prævidet. Paucis: res ſive ſint præſentes, ſive præteritæ, ſive futuræ, non a ſcientia, ſed ab eventu dependent. Neque conſequens eſt, quod ſi a Deo certus eſt omnium cauſſarum ordo, ergo nihil in noſtræ voluntatis arbitrio poſitum eſt.

§. XIII.

Fuerunt inter veteres philoſophi, qui fato omnia fieri adferebant; quibus etiam aſſentimur, ſi fatum ea notione ſumitur, ut ipſa ſit providentia divina, quæ totum nexum & ordinem cauſſarum rerum corporearum, non excluſis voluntariis, ſubordinatum habet: quando autem rerum ſublunarium regimen a neceſſario

ſario nexu dependere dicitur, & humanæ mentis libertas excluditur; tale fatum fatuum penitus rejicimus.

§. XIV.

Providentia divina ordinarium naturæ curſum tenet, & illum ceu cauſſa prima per media & cauſſas ſecundas conſervat, quæ, niſi influxu & impulſu generali juventur a Deo, irritæ eſſent: quapropter etiam omnia bona, quæ nobis contingunt, unice Deo, eorum auctori, adſcribenda ſunt.

Scholion.

Huc maxime pertinent ſacræ revelationis teſtimonia. Formatio fœtus in utero ejuſque in lucem editio providentiæ divinæ adſcribitur. Job. XVI. 8. 9. & Deuter. XXX. 20. *ipſe eſt vita noſtra & longitudo dierum noſtrorum:* Pſal. LVI. 9. *numerat greſſus noſtros*, & Job. XIV. *numerus menſium hominis apud te, Domine; conſtituiſti terminos, quos nemo præterire poterit.* Pſal. CXXXIX. 16. *in libro tuo ſcripti omnes dies, qui futuri erant, & nondum exſtabat ex illis & vitæ noſtræ curſus & progreſſus.* Ita a Deo regitur, *ut ne capillus quidem capitis citra ipſius voluntatem de capite noſtro cadat.* Matth. X. v. 30. *divites & pauperes facit.* Prov. Salom. c. XXII. v. 2. & pietatem maxime, atque obedientiam ordinarie proſperitate remuneratur; ita *intelligentem ipſis uxorem dat.* Prov. XIX. 14. conferatur quoque de hoc argumento totus Pſ. CXII.

§. XV.

Diximus jam ad providentiam & curam, præſertim humani generis, ordinario naturæ curſu Deum uti, ſive obſervare illam ſeriem, ordinem & nexum cauſſarum naturalium, ubi ſemper cauſſæ cum effectibus ſunt connexæ, & unus effectus alterum ſequitur. Ita univerſalis nexus ſiderum cœleſtium cum elementis ſublunaribus ſatis manifeſtus & luculentus eſt. Neminem latere arbitror, fulgentiſſimum ſolarem globum, calore ſuo lucido, agere in elementa, fluidum nempe æthereo-aëreum & aqueum, & mediante ſemine non modo omnis generis vegetabilia & animantia producere, ipſis vitam, nutritionem & fœcunditatem largiri, ſed etiam illorum exiſtentiam de novo ſemper continuare, id eſt conſervare.

§. XVI.

Rerum naturalium peritis & ſcrutatoribus perſpectiſſimum eſt, pro vario ſitu Solis & Lunæ, æquinoctia & ſolſtitia, tempora anni ordinaria, tempeſtates & conſtitutiones varias temporum fieri, quæ quam maxime pro diverſa natura & motu ventorum mutantur. Perpauci ſane ſunt, qui id attendunt & obſervant, quod a diverſa ventorum ex diverſis plagis ortorum indole & operatione ſub certis anni temporibus maximæ mutationes, in regno vegetabilium & animantium eveniant. Fœcunditatis & ſterilitatis gradus in vegetantibus, & animantibus, alimentorum corruptiones, fames, annonæ, graves & extraordinarii morbi, peſtes hominibus & brutis inde inferuntur. A ventorum enim extraordinaria conſtitutione, inconſueta anni tempora, acerrimum & diuturnum frigus, intenſiſſimus æſtus & continua imbrium copia pendent. Quantæ inde calamitates & extraordinaria mala tam in hominum, quam brutorum & vegetantium ſtatum redundent, ſollertioribus naturæ ſcrutatoribus & œconomis quoque ſatis notum eſt.

§. XVII.

Quum vero experientia nos doceat, quod ventorum diverſa, & ſæpius admodum extraordinaria, ratione gradus intenſionis & remiſſionis, operatio tantam efficaciam & potentiam in regno vegetabili & animantium habeat, quæ partim multa commoda partim incommoda in genus humanum infert; operæ omnino videtur pretium, paullo altius in cauſas horum ventorum tam diverſæ conditionis inquirere, quæ inquiſitio non parum difficultatis habere mihi videtur. Ex ſiderum diverſo ſitu atque operatione, quam in ſublunaria habent, cauſſas derivare haud licet, ſed mea valde veroſimilis hæc eſt adſertio, quod ex profundis terræ viſceribus, ubi multi & varii generis ac potentis efficaciæ mineralia, ſulphura, ſalia, vehementi motu inteſtino agitantur, peculiarem ſuam vim & potentiam accipiant & inde emanantibus effluviis diverſiſſimæ indolis & operationis venti oriantur; cui etiam ſententiæ quædam ſacræ ſcripturæ loca ſubſcribere videntur. Ita legimus Pſ. CXXXV. *nebulas excitat ab ultimis terris, fulgura per pluviam facit, & ex abſconditis cellis ventos producit.* it. Jer. X. 13. *Voce dat aquæ multitudinem, attulit ab ultimis terris nebulas, fulgura, pluvias facit, & e profundis cellis ventos educit:* & Job. XXXVII. *Quo pacto veſtes tuæ caleant, Deus terras ab auſtro reddit:* v. 21. *cum ne fulgentem quidem lucem adſpicere poſſint homines, quæ eſt in æthere, quem præteriens ventus expurgavit, veniens a ſeptentrionibus.*

§. XVIII.

Cæterum ſingulare providentiæ divinæ in miſero hominum ſtatu exhibet ſpecimen ingens diſſimilitudo hominum. Quanta enim eſt diverſitas ſexus, vitæ victuſque generis, conditionis & ſtatus, imperantium & ſubditorum, docentium & diſcentium, divitum & egenorum, virium corporis, ſtaturæ, ingeniorum, inclinationum animi & ſtudiorum. Alii ſunt eruditi, quorum alii ſunt quibus animæ, alii quibus corporis cura incumbit; alii qui juſtitiam exercent, alii qui res hiſtoricas vel philoſophicas tractant. Quænam eſt varietas artificum, opificum & operariorum; & quis ſingula enarrare poteſt. Sufficit nos in tanta rerum varietate ſummum ordinem, ſapientiam ac perfectionem reperire, quæ de ſummo omnium rerum moderatore & ſalute publica miſerorum teſtantur ſatis.

Scholion.

Superioris ſeculi eruditus Hiſpanus SARASA optime de providentia divina ſcripſit in libro, quem *artem ſemper gaudendi* inſcribit, ubi inter alia egregia hæc quoque *Tract. VIII.* inſeruit: *Ubi ſingula agunt ſingula, expediuntur facile omnia. Ad ſalutem publicam conſervandam neceſſarii ſunt quidam, qui manu laborant, quidam qui ingenio, quidam qui utroque, quidam qui ſervilia pertractant opera, quidam qui artibus ſeſe dant, mechanicis videlicet, quoſdam militia, quoſdam ſcientiæ requirunt; & hos quidem variæ rurſus varios, quoſdam rerum divinarum, quoſdam rerumpublicarum exigit procuratio, omnes ſunt neceſſarii. Quid igitur conſilii, ut tanta habeatur inter eos, qui natura ſunt, diſparitas. Homines vi cogere & ſingulos & omnes, id quidem eſt adynaton & vero etiam libero arbitrio, cui vis adhiberi non debet, plane contrarium. En! ut difficultatem expediam quisque ſcientia ſua attingit a fine ad finem fortiter, diſponit omnia ſuaviter.*

§. XIX.

Notatu digna hanc in rem ſunt verba BOETII lib. III. *ſicut mundus hic ex tam diverſis contrariiſque partibus in unam formam minime conveniſſet, niſi unus eſſet, qui tam diverſa conjunxiſſet: ita conjuncta ipſa naturarum diverſitas, invicem diſcors, diſſociaretur ac divelleretur, niſi eſſet unus, qui, quod nexuit, contineret, nec tam diſpoſitos motus locis efficienda ſpatiis qualitatibus explicaret, niſi unus eſſet, qui per has mutationum varietates ipſe diſponeret.*

§. XX.

Poſtremo quanquam in ſumma poſt lapſum miſeria multa eveniunt mala, ut fere ſunt, morbi, bonorum jactura, bella, exilia, perſecutiones, quibus boni non ſolum, ſed etiam mali homines ſubjiciuntur; nihilo tamen ſecius ſummum & benigniſſimum. Numen omnia eo dirigere novit, ut in nominis gloriam & noſtram ſalutem cedant. Cedunt calamitates probis maxime in exercitationem & perfectionem, malis vero in juſtam malorum pœnam. SENECA, quamvis eſſet ethnicus, probe illud ex lumine, a natura ſibi inſito, tantummodo ratiocinans cognovit, cum ait: *Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet; eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, venturis malis ſervat.* Et idem auctor verba ſui DEMETRII celebrat dicentis: *nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adverſi.*

§. XXI.

Quum igitur, uti jam fuſius docuimus, omnia quæ in rerum univerſitate ſunt & accidunt, providentiæ divinæ ſint ſubjecta, hinc etiam preces ad ipſum fuſæ vel pro avertendo malo vel impetrando bono ſub ea continentur. Minime enim ſequitur: ſi omnia Deo, quæ nobis ſunt noxia vel ſalutaria, cognita ſunt atque perſpecta, ergo preces non ſunt neceſſariæ. Nam eæ ipſæ preces notæ fuerunt Deo & in rerum provida cura, & adminiſtratione ſunt fundatæ & comprehenſæ. Novit enim Deus & decrevit ab æterno hominem ſub his vel illis conditionibus, quod ab ipſo efflagitat, eſſe impetraturum: hunc autem vel illum, neglectis iis mediis, voti ſui minus participem fieri. Ut autem hæc noſtra ſententia aliquanto clarior ſit, exempli gratia fingamus principem, quem civium ſuorum aut individui cujuſdam miſeriæ haud fugiunt: nihilo tamen minus vult, ut in iſtis auxilium ab ipſo efflagitent.

Scholion.

Egregia ſunt verba, quæ hanc in rem habet PORPHYRIUS à MARSILIO FICINO Comment. in PLATON. Timæ. c. *VI. cum Deus*, inquit, *nobis provideat, ac res noſtræ aliter ſe habere poſſint; certe pro rerum noſtrarum uſu utiliter adoramus. Nempe cum Dei filii ſimus, ſed ab eo quaſi in exilio & carcere ſegregati; ſuppliciter adorare decet, quo hinc liberati revertamur ad patrem. Alioquin ſimiles eorum erimus, qui parentum patrocinio ſunt orbati. Sive igitur virtutem ſectaris, adorandus eſt tibi ejus, quod tibi expedit, boni: ſive corporum optas bonum, exſtat in univerſo virtus, omnia continens corpora. Inde igitur provenire neceſſe eſt partibus quibuſcunque ſalutem.*

§. XXII.

Quod uſum denique providentiæ divinæ attinet, eum *tum nos adſecutos Deum ſtatuimus* cum b. GERHARDO in locis theologicis cap. de providentia, *ſi univerſale Dei imperium, quo res ſingulas & univerſas optime & ſapientiſſime gubernat, debita ſubjectione agnoſcimus, grato corde celebramus & vera animi pietate veneramur, ſi omnia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ab omni ſufficiente & benigniſſimo illo univerſitatis moderatore petimus, eidemque omnia noſtra accepta referimus bona. Si munerum, quæ divina providentia in nos tam ante contulit uberrima, memores & providam Dei curam circa res nobis longe inferiores animadvertentes firma cordis fiducia ei adhæremus, ac ſollicitudinem illam noſtram de futuris diffidentiæ plenam excutimus. Si in omnibus, quæcunque obtingunt, adverſis ad Deum reſpicimus, ne capillum quidem capitis noſtri abſque voluntate ipſius decidiſſe vel decidere ſtatuentes & proinde vel liberationem vel mitigationem adverſorum ab ipſo ſperamus, ſi vel maxime cauſſæ ſecundæ appareant novis nullæ. Si felicitatem impiorum ac ærumnas piorum oculo irretorto intuiti in patientia animas noſtras poſſidemus, nec in proſperis elati, nec in adverſis deſperabundi. Denique ſi nullis malis ac periculis, nos ab hoc optimo, ſapientiſſimo & potentiſſimo moderatore avelli patimur, ſed omnia mirabili ejus conſilio in bonum nobis tandem cooperari fide credimus.*

CAPUT XXI.

De ſpeciali Animæ poſt lapſum miſeræ cura & reparatione imaginis divinæ.

§. I.

OMnis a nativitate ſibi relictus homo ſine ope & alterius auxilio valde imperfectus & miſer eſt, atque præcipue graviſſimo & exitiali morbo, philautia nempe, ſive nimis ſuperba & inſolente de ſe opinione & inde orta inobedientia laborat, ut etiam perverſis ſuis cupiditatibus, quod turpe dictu! bruta animantia multum exſuperet. Nullam præterea veram de de Deo ejuſque cultu cognitionem habet, parentibus & ſapientibus decentem denegat obedientiam, odio, inimicitia, invidiaque alterum proſequitur, vehementer appetit mundana, affectat inanes honores, divitias, corporisque voluptates; nec veritatem nec fidem amat, omnia ſine ordine & prudentia agit, nec unquam quieſcit nec ſua ſorte contentus eſt, & hoc modo ſibi ipſi & temporale & æternum parat infortunium.

§. II.

Prius vero quam ad pernicialis hujus morboſi ſtatus ſanationem animum advertamus, opus omnino eſt, ut in ejus cauſſam penitius inquiramus, quia ſanare & præcavere morbum nihil aliud eſt, quam ejus cauſſam tollere & avertere. Jam vero ſi rationem & experientiam conſulimus, nullam profecto majorem, quam malam a teneris educationem liberorum, quæ a parentibus fit, detegere poſſumus; dum infantes, creſcentibus ſenſim annis, ſine doctrina & bona inſtitutione in pravorum converſatione & conſortio verſari eos ſinunt, quorum mores peſſimos ad eorum exemplar, quibuscum converſantur, induunt, hacque ratione igniculos & ſcintillulas imaginis divinæ poſt lapſum relictas exſtinguunt.

Scholion.

Animam noſtram ad ſimilitudinem & imaginem ſummi conditoris conditam eſſe non modo ex revelatione divina, ſed & ex naturæ lumine, quo gentiles ſapientiores colluſtrati fuerunt, cognitum perſpectumque eſt. SENECA de providentia: *hominem veram Dei progeniem eſſe* appellat. MUSONIUS apud STOBÆUM eleganter ait: *ſolus omnium in terra homo ſimilitudo & imago Dei eſt, habet enim ſimiles Deo virtutes.* Et CICERO lib. de conſolat: *æternitatis*, inquit, *humanæ vel maximum & firmum argumentum eſt, ſolum hominem divinæ voluntatis participem conſciumque exiſtere.* MANILIUS; *Imago Dei quisque eſt in imagine parva* eleganter ſcribit.

§. III.

Quum vero omne humanum genus, amiſſa illa imagine divina, ſecundum potiores ſuas inclinationes ex deperdita voluntate maxime ad malum feratur, hinc omnino opus eſt, ut ab extrema ſua pernicie vindicetur, & ad feliciſſimum ſtatum, ad quem conditus erat, reducatur. Hoc ut fiat, nulla ſane tutior & efficacior reperiri poteſt methodus, quam ut remediorum convenientium efficacia depreſſa imago divina

divina reparetur & ſuſcitetur, atque præprimis voluntas corrupta emendetur, ut cupiditates iſtæ magis quam beſtiales & extremum interitum minitantes, reſtinguantur.

§. IV.

Primo omnium neceſſe eſt, ut in nobis de Deo ceu ente perfectiſſimo ideæ, ejuſque cognitio a primis jam annis magis evolvantur, quorſum maxime illud pertinet, ut ex admirabilibus univerſi operibus Dei exiſtentia & attributa cognoſcenda tradantur, quo teneri infantes Deum vere timere, amare & omnem ſuam ſalutem ac felicitatem ab ipſo efflagitare adſueſiant. Dici enim vix poteſt, quantum valeat, in prima ſtatim ætate, parvulos igniculos animi bonis præceptis & ad virtutem adhortationibus excitare: ſicuti e contrario nihil deterius eſt, quam pravis moribus opinionibuſque eorum mentem, jam a natura depravatam, magis depravare atque inficere, & ita lumen naturæ exſtinguere, ut non facile rurſus appareat.

§. V.

Hi igitur igniculi nil niſi ſeminia & veſtigia divinæ imaginis ſapientis ordinis omniſque boni & honeſti ſunt, quæ animis hominum involuta hærent, & eum maxime in finem relicta, ut quilibet bona inſtructione & informatione ea evolvi curet. Benigniſſimum enim Numen ita ab æterno voluit & conſtituit, ut ſapientiæ, veritatis & rationis lumen ſe multiplicet, & influxu ſuo intellectum alterius ſerenet atque illuminet, & ex inſipiente ſapientem reddat hominem. Nam *ratio immortalis vis*, ſecundum PLATONEM & CICERONEM, *nunquam ſeneſcens divini aliquid habet, ſi emendari velimus, animi & corporis medicina eſt; ſed quo major ejus eſt præſtantia, eo majori indiget diligentia & inſtructione.* Incredibile enim dictu eſt, quot quamque uberes ſapientiæ, juſtitiæ, integritatis, honeſtatis, eruditionis omniſque ampliſſimæ laudis fructus ferat bene inſtituta vitæ educatio atque cultura. Virtus enim non tam ſubito comparatur, ſed tempore opus eſt, & cum doctis & virtute præditis converſatione. Hinc quoque præ ceteris veteres ſapientiorum converſationem cum ſenibus maxime commendarunt, quia plerumque ii, ejuratis vitæ voluptatibus, prudentiæ & virtuti ſtudent, harumque expreſſa exempla & vivæ ſunt imagines.

Scholion.

CICERO de legib. lib. I. c. 23. perquam eleganter ait: *qui ſe ipſe norit, primum aliquid ſentiet ſe habere divinum, ingeniumque in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum aliquod dedicatum putabit, tantoque munere deorum ſemper dignum aliquid & faciet & ſentiet. Et cum ſe ipſe perſpexerit, totumque tentarit, intelliget quemadmodum a natura in vitam venerit, quantaque inſtrumenta habeat ad obtinendam adipiſcendamque ſapientiam; quoniam principio rerum omnium quaſi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illuſtratus, ſapientia duce, bonum virum & ob eam ipſam cauſſam cernat ſe beatum fore. Nam cum animus cognitis perceptiſque virtutibus a corporis obſequio indulgentiaque diſceſſerit, voluptatemque ſicut labem decoris oppreſſerit, omnemque mortis doloriſque timorem effugerit, ſocietatemque caritatis coierit cum ſuis omneſque natura conjunctos ſuos duxerit, cultumque Deorum & puram religionem ſuſceperit & exacuerit illam, ut oculorum ſic ingenii aciem ad bona eligenda & rejicienda contraria.*

§. VI.

Maxime vero omnium ad ſummam & inveteratam ſatis hominum miſeriam avertendam ſtabilemque conſequendam felicitatem antiquiſſimi & ſapientiſſimi urgebant illud, ut Deum cognitum in attributis ſuis & virtutibus ubique conſpicuis, imitaremur, in quo etiam revelata divinior doctrina imaginis divinæ amiſſæ reparationem poſuit.

Scholion.

PORPHYRIUS *in vita Pythagoræ* adſerit, quod homo veritate & amore Deum imitari debeat. Item quoque auctor de *Pythagora* ſcribit, ipſum ſuis maxime commendaſſe veritatis ſtudium, quia *hoc hominem Deo ſimilem efficere poteſt.* IAMBLICHIUS *in vita Pythagoræ* recte judicat, *philoſophiæ ſummum eſſe, eum imitari, quem religione colimus.* Et p. 30. dicit: *talibus inter ſe moribus agere debere diſcipulos* (ſc. Pythagoræ) *quibus, qui poſſint, ut amicis nunquam inimici evaderent, & per modeſtiam erga ſeniores benevolum in pares animum atque ex humanitate aliis præſtita conjunctionem fraternam perciperent.* Temperantiam quoque laudavit inprimis junioribus expetendam, unamque illam tam animæ, quam corporis bona complecti adſerebat. Spectat huc quoque egregius locus HIPPOCRATIS de *decent. ornatu* ubi hæc exſtant verba: *medicus philoſophus Deo æqualis eſt. Nam philoſophus habet quæcunque ad coercendam intemperantiam, inſcitiam avaritiam, concupiſcentiam atque animi impotentiam: habet etiam in ſe, quæ ad amicitiam pertinent, & quomodo & ad quaſcunque res ſe gerere oporteat. Medico quoque inſit argenti contemtus, verecundia, judicium & eminentia. Nam quicunque cum hiſce ſocietatem habet, ſapiens eſt & Deo æqualis.*

§. VII.

Nunc autem non modo ipſe Deus, teſte ſacro codice, immenſus amor appellatur, ſed etiam ex ejus in univerſo operibus, tanquam in ſpeculo, ejus infinita bonitas, miſericordia & gratia elucet, ad cujus voluntatem etiam actiones noſtras liberas conformare, & hac ratione ipſum imitari debemus. Et quemadmodum Dei bonitas & amor in omnes ſuas maxime rationales creaturas, quarum ſalutem perficere & promovere vult, fertur; ſic etiam homo non tantum ſe ipſum, ſed & alterum ſicut ſe ipſum amare, amicitiam, benevolentiam & opem exhibere debet. Quo maxime pertinet ratio & finis legis naturalis omnium animis inſcriptæ, quam ſervare a natura obligati ſumus, cujus præcipuum fundamentum in eo conſiſtit, ut unus alteri mutuam fidem & amorem præſtet. Et hæc duo ſunt omnis ſocialitatis, amicitiæ, benevolentiæ arctiſſima vincula & firmiſſima fundamenta; hac lege neglecta, quilibet ſe ipſum in miſeriam & infortunium præcipitat.

§. VIII.

Divinum porro ordinem & ſapientiam imitari decet, quæ maxime omnium in ejus admirabilibus operibus atque omnibus naturæ regnis abundantiſſime obſervatur & conſpicitur. Quid enim divina ſapientia aliud eſt, quam pulcherrima & harmonica variarum rerum per accommodata media ad certum finem vergens conſenſio, qualis in omnibus rebus creatis aperte continetur & obvia eſt; quinimo ſumma & excellentiſſima Dei ratio, qua omnia in mundo curat, providet, diſponit, non niſi in conveniente ordine & nexu conſiſtit. Juſtitia, quam exercet, pios præmiis afficiendo, pravos puniendo, ſecundum certum ordinem fit; imo ipſe amor, & miſericordia ſuos habet relativos & conditionatos gradus & ordinem. Nam univerſalis illa miſericordia eſt erga omnes pios & improbos, quod iis det vitam & alimenta, major vero gradus eſt erga eos, qui dictis divinis obedientes ſunt,

& adhuc major erga Chriſto fideles. Ad ſapientiam quoque divinam pertinet, quod a promiſſis ſuis nunquam recedat, ſed certiſſime ea ſtatuto tempore impleat. In omnibus iſtis præclariſſimis virtutibus utique etiam hominem Deum ſequi & æmulari pium eſt.

§. IX.

Quoniam vero ordo ſcientiam & intelligentiam ſupponit, ſine qua ſapiens variarum rerum inter ſe nexus fieri nequit; opus eſt, ut homo, quantum fieri poteſt, ſanam & rectam rationem, quæ inſtar luminis eſt, excolat atque perficiat, hinc facile intelligitur, quam perverſa etiamnum quorundam de ratione ſive ratiocinatione penitus in ſe corrupta ſit ſententia, cum potius voluntas plane vitioſa benigniſſimo hoc a Deo dato dono multis in negotiis abutatur.

§. X.

Quæſtio vero jam eſt, quænam cauſſa ſit, quare homo ad Dei ſimilitudinem, cujus radios adhuc in animo gerit, non pertingat? hujus rei, omnibus probe circumſpectis, nullam aliam invenire licet cauſſam, quam inobedientiam, qua homo ordinem ſapientem & leges, quas Deus in ſalutem hominis ſancivit, negligit, ſpernit, & non ad voluntatem legiſlatoris actiones ſuas dirigit eique conformat, ſed ſe ipſum ſuamque voluntatem divinæ præponit, qua in re omnis ſuperbiæ ratio continetur, quæ Dei voluntati maxime adverſa eſt. Prima originalis lapſus & ſummæ hæreditariæ miſeriæ cauſſa erat ſuperbia & inobedientia; omnis itaque ordinis divini & humani, ſive legum, quæ in ſalutem hominis directæ ſunt, obſervatio, ad reparationem imaginis divinæ & ſalutiferam vitam obtinendam confert. Imo hæc unica eſt virtus, quæ ſecundum Damascenum omnes virtutes naturales & ſpirituales continet, & tantummodo pro varietate officiorum varia ſortitur nomina, & ſecundum Senecam *ep. 74. omnium bonorum vis & origo, bonum immenſum & inſuperabile eſt*, quemadmodum inobedientia omnium malorum omniſque miſeriæ fons & origo cenſetur. Et talis quoque in ſacra ſcriptura a Prophetis, Jesaia maxime & Jeremia, & in N. T. ab ipſo Christo & Apoſtolis ſemper habetur & prædicatur.

§. XI.

Cæterum, circa hoc argumentum quædam adhuc attentione perquam digna addere lubet, quod videlicet non modo infirmitates corporis, ſed & animæ vitia & propenſiones, plerumque a parentibus in liberos cum ipſo ſemine tranſeant, in quo non modo corporis futuri rudimenta, ſed & animæ ſic dictæ ſenſitivæ, neque minus rationalis peculiares facultates, quæ arctiſſime invicem junctæ ſunt, præexiſtunt, & per generationem propagantur. Nam quotidiana docemur experientia, natos non modo parentum lineamenta & ſtructuram corporis, infirmitates, inclinationes, moreſque ſimiles parentibus habere, ſed eorum vitia, avaritiam, turpem quæſtum, luxuriam, vagam libidinem, indolem in fallaciam proclivem in liberis obſervari, quod proh dolor! utplurimum contingit, quando eminentibus hiſce vitiis, eo tempore quo progignuntur & concipiuntur, infantum parentes laborant. At vero cum piorum & honeſtorum parentum ſemine leviorem corruptionis & inobedientiæ gradum in liberos ipſorum transferri, & facilius etiam bona doctrina in ordinem redigi poſſe obſervamus. Conſentiunt in eo ſacræ ſcripturæ loca. Sic ſapientiſſimus ille rex Salomo ſapientiæ lib. c. XII. v. 10. *non ignoras*, inquit, *eos a natura nequam eſſe & innatam vitioſitatem, nec unquam eorum mentes mutatum iri, quippe qui proſapia ſunt maledicta.* Pſ. LVIII. v. 4. *deflectunt impii jam ab utero, errant a matre falſiloqui.* Eſ. I. v. 4. *Heu gentem improbam, populum vitiis contaminatum, ſtirpem maleficam, natos perditos*, ait Jehovah. Et Pſalm. XXXVII. *piorum ſemen benedictum dicitur* Pſalm. XXXVII. v. 26. & Pſ. CXII. 2. *eorum qui præceptis divinis obedientes ſunt, ſemen benedictum & feliciſſimum* prædicatur. Sicuti vero corporis morbi hæreditarii difficillime ſanationem recipiunt: ita pariter id ipſum de animæ vitiis ejuſque morbis hæreditate acceptis valere quotidie obſervamus.

§. XII.

Preces igitur ad deperditam voluntatem, quæ miſeræ conditionis cauſſa eſt, flectendam & emendandam, plurimum faciunt. Nam cum illa ſemper deteriora ſequatur, atque ab hiſce pravis inclinationibus ipſam deflectere & liberare ſola neſciat ratio: hinc quiſque per ſe videt, omnis perfectionis fontem bonique auctorem, adorandum & ab ipſo auxilium petendum eſſe; quæ etiam via ethnicis haud fuit incognita.

Scholion.

Plato in Phædro ita ſcribit: *inveſtigantes ex ſe Dei ſui naturam voti tandem compotes fiunt, ſi quadam attentione mentis aciem in eam dirigant: inde divinitate adflantur, atque ex eo mores & ſtudia capiunt, quatenus homini Dei participem fieri licet.* Simplicius in Epicteto: *fidenti animo nihil metuens divinum expete conſilium.* Seneca epiſt. X. *roga bonam mentem, valetudinem animi, deinde corporis, roga audacter Deum.* Pythagoras contra Stobæum lib. XLVI. *virtus divinum donum eſt, nec poteſt diu ſine adminiculo Numinis ſtare & virtutes ipſius Dei opera ſunt exiſtimanda.* Et Juvenalis concinne canit: *orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.*

CAPUT XXII.

De reſtauratione imaginis divinæ per verbi revelati efficaciam.

§. I.

Utut per divinam gratiam, mediante rationis lumine, ad ſummi Dei cognitionem, ejuſque cultum atque imaginem divinam quodammodo reparandam pervenire poſſimus: nihilominus tamen hæc ex ſenſibus & principiis rationis deſumta theologia plane inſufficiens eſt, ad inſatiabile illud & non fruſtra animis hominum innatum infinitæ felicitatis deſiderium ſatiandum, eoſque ad perfecti boni poſſeſſionem perducendum, ad quam tamen intelligens & libera creatura potiſſimum nata eſt.

§. II.

Etenim homo, quamdiu in hac vita verſatur & ſpiritualis ejus pars corruptibilis corporis inhærens vinculis aggravatur, nunquam ad integram divinæ imaginis reſtitutionem, ſeu ſummæ felicitatis apicem pervenire poterit, eo quod radix noſtri univerſalis & hæreditarii mali inſolens & ſuperba philautia & obedientiæ ordini divino præſtandæ defectus pravis turbidisque cupiditatibus comitatus uſque ad mortem animis inhæret, adeo ut ad perennem unionem cum Deo, a qua ſalus noſtra unice pendet, impetrandam maximo ſit impedimento. Quapropter aliud adhuc efficacius medium & remedium inveſtigari debet, quod ſupra humanam rationem poſitum, in theologia naturali non ſatis fundatum eſt.

§. III.

Sapientiſſimus Deus illud, quod naturalem humanæ

rationis

rationis facultatem, ad ſummam noſtram felicitatem obtinendam, exſuperat, revelatione ſupplere voluit, dum admirabili & extraordinario plane modo ſanctis & piis mentibus myſteria revelavit, dogmata ſcilicet, ſive media accommodatiſſima ſummæ noſtræ felicitatis, ſola fide apprehendenda.

§. IV.

Ad fidei myſteria præcipue pertinet, quod divina eſſentia cum humana puriſſima in Chriſto natura materno in utero unita ſit, & hac ratione ſubſtantiale Dei ipſius verbum, in carne manifeſtatum, unicus noſter ſervator & redemtor factus fuerit, dum perfectiſſimam pro nobis obedientiam, quam nullus præſtare potuit, præſtitit, patrem per mortem conciliavit, & reſurrectione pariter atque adſcenſu in cœlum a morte æterna nos liberavit, imo perfectam nobis unionem & amicitiam cum Deo comparavit & reſtituit: ſiquidem æterno Dei decreto omnium noſtrorum malorum univerſalis & efficaciſſima medicina in ſanguine & morte Chriſti erat repoſita.

§. V.

Præterea, hic Deus homo innumeris miraculis divinam naturam cum humana conjunctam eſſe demonſtravit, & doctrina perfectiſſima, vita integerrima, & exemplo nos docuit, qua via tuto ad æternæ felicitatis portum pervenire poſſimus.

§. VI.

Ad myſterium quoque fidei pertinet animæ noſtræ eſſentia & operatio in æternum duratura, ejuſdemque cum corpore noſtro reſuſcitato, longe ſubtiliori, ſimpliciori, nulliſque mutationibus obnoxio & præſtantiori, ſenſuum acumine prædito unio; qua mediante non amplius in ſpeculo, ſed a facie ad faciem Deum intuebimur.

§. VII.

Characteres divinæ revelationis ſunt, ſi myſteria lumini rationis & naturæ non contradicunt, ſive ſunt contraria; utpote principia rationis & revelationis unum eundemque auctorem Deum agnoſcunt, ſed potius ad exaltandam humanam rationem & ad perfectiorem Numinis divini cognitionem ejuſque gloriam manifeſtandam directa ſunt.

Scholion.

Quamvis, quæ ſola revelatione cognoſcuntur, captum humanum exſuperent; attamen ex parte ſecundum aliarum rerum, experientia & ratione jam cognitarum, analogiam concipi poſſunt. Ita Deus dicitur pater luminum, item lumen in loco inacceſſibili habitans: per lumen autem gratia & veritas ſubintelligitur. Chriſtus appellatur ſplendor patris, lumen a lumine, lumen mundi, verbum Dei: Spiritus ſanctus paracletus, ſplendor luminis æterni & radius gloriæ ſuæ, *Sap. lib. cap. VII.* ejuſque actio ignis elementaris ſymbolo adumbratur, quo mentes illuminantur, tenebræ & errores, qui nil niſi confuſiones rerum ſunt, diſpelluntur & cunctæ res creatæ vitam, vigorem, nutritionem ſuam accipiunt. Quinimo ipſa ſacroſancta trinitas a viris nonnullis piis & theologis analogia ſive ſimilitudine explicatur per ſolem, qui fons luminis eſt, a quo exeunt radii luminoſi, in quibus calor & vis animans vivifica reſidet; ſiquidem hæ tres diſtinctæ relationes, unius eſſentiæ ſunt. Neque reſurrectio corporis mortui adeo rationi repugnat. Sicuti enim ex ſemine in terra putrefacto planta vel arbor producitur, imo ipſe homo, qui corpore & anima conſtat, quaſi ex puncto ſeminis parentum progignitur; ita multo minus ob veritatem promiſſi, quia Deus ipſa veritas eſt, & ob unionem cum Chriſto per fidem & amorem dubitare licet, corpus noſtrum, omnipotente virtute ejus, longe perfectius eſſe reſurrecturum, ut anima eo veſtita ſummo cum gaudio, videndo & audiendo ineffabilia, majorem felicitatem conſequatur, gloriamque Dei melius amplificare poſſit.

§. VIII.

Ex hiſce igitur ſatis liquido patet, quam magna & inenarrabilia immenſi erga lapſum genus humanum amoris & gratiæ divinæ in verbo revelato recondita ſint beneficia, humanæ rationi ſibi relictæ incomprehenſibilia. Chriſtus enim, tanquam unicus ſalutis noſtræ princeps univerſi ſacri codicis ſcopus, finis & centrum eſt, de cujus perſona, adventu in carnem, officio, miraculis & meritis omnes prophetæ & apoſtoli teſtantur, cujus ſaluberrimas doctrinas ibi contentas etiam religionis chriſtianæ adverſarii, ut Gentiles, Mahomedani & Judæi reprobare nequeunt. Moses Maymonides, medicus Arabs, princeps Rabbinorum, quem & noſtri ob ſcripta in Talmudem magni faciunt, expreſſe in *libro aphoriſmor. ſuorum p. 620.* Moſen & Chriſtum ſummos omnium hominum doctores appellat.

§. IX.

Quantum vero ſolatii & ſuaviſſimæ in animo quietis in divini verbi efficacia contineatur, nemo facile rectius adſequitur & reapſe experitur, quam qui intime imperfectionem profundamque ſuam miſeriam agnoſcit & prævia invocatione divini auxilii ſeriaque attentione illud ipſum audit, legit, & ſubinde meditatur. Nam certe in hoc mundo nihil reperitur, quod animum variis deſideriis turbidum quietiorem reddere, atque majori gaudio & voluptate perfundere poſſit, quam unio intima cum Deo per efficaciam verbi divini fide & obſequio voluntatis divinæ peracta, quæ unio ſic dicta myſtica unicum & firmum beatæ noſtræ vitæ fundamentum eſt.

CAPUT XXIII.

De ſanitate corporis tuenda ad ſanitatem mentis adjuvandam neceſſaria.

§. I.

Animæ noſtræ, qua ſapimus, decernimus, & cognoſcimus, ſedem ac operationes eſſe in cerebro organiſque ſenſoriis bene conſtitutis, experientia ſatis abundeque confirmat: ſiquidem, ſi hoc ipſum cum ſenſoriis turbatum ac præter naturam adfectum eſt, percipiendi & cognoſcendi vires magnam inde perturbationem & læſionem accipiunt.

Scholion.

Antiquiores etiam id ipſum ſua jam ætate ſtatuerunt; Medicorum parens Hippocrates in *lib. de morbo ſacro* optime ſcribit: *cerebro ſapimus maxime & intelligimus & videmus & audimus & cognoſcimus turpia & honeſta, mala & bona, &, quando illud in ſtatu naturali eſt, tum ſapit. Inſanimus vero, ſi minus temperatum & præter conſuetudinem patitur.* Neque Platonici veriti ſunt cerebrum animæ noſtræ habitaculum nominare & ſedem ſapientiæ, unde intelligitur, cur finxerint veteres, Palladem ſapientiæ & armorum deam ex Jovis cerebro proſiluiſſe.

§. II.

Recte itaque conſtituto beneque ſe habente animæ rationalis inſtrumento cerebro ; omnes illius functiones integre & rite ſuccedunt. Sanum autem dicimus cerebrum, ſi æquabili & moderato temperati ſanguinis ac lymphæ adfluxu fovetur & vigoratur, a quo tenuiſſimi ac puriſſimi fluidi, cerebri ac nervorum, quod ſpirituum animalium nomine venire ſolet, dependet ſecretio, cum quo ſpiritu animali ſubtiliſſimo materiali & ſenſitivo anima noſtra ſpiritualis præcipuam in operationibus ſuis harmoniam, conſymbolismum atque commercium habet ; ſed cum hac de re cap. XVII. jam facta ſit mentio, nolumus hic eſſe prolixiores.

§. III.

Quandocunque igitur vitium aut labes, ſive ſit hæreditaria ſive adſcititia, in ipſa cerebri compage & conformatione hæret, vel ſanguis intemperatus irregulari motu vel majore mole ad ipſum fertur, mox functionum mentis & ſenſationum confuſionem & perturbationem ſequi conſtanti obſervatione edocemur.

§. IV.

Quum igitur inter ſanguinis per cerebrum circulum & ſenſualium perceptiones ac intelligentiam tam inſignis, licet explicatu difficilis, ſit conſenſio & harmonia conſtituta, nemo ſane rectius & diſtinctius in tam plurimis differentibus in artis exercitio frequenter obviis animi morbis eam perſpicit, quam medicus rationalis peritus & in obſervando accuratus. Ex quo elucet, quanta ſit artis medicæ in philoſophia præſtantia, quæ ſimul cum corpore ſano ſanam mentem ad cognoſcendum Deum conſervat & perficit.

Scholion.

Antiquiſſimus Arabum medicus MOSES MAYMONIDES ſtatim in principio cap. de tuenda ſanitate hæc tradit: *quum vita & ſanitas permultum ad cultum & cognitionem Dei conferunt, homo autem ægrotans opera divina rite conſiderare nequit; hinc neceſſe eſt, ut ea ſedulo evitet, quæ corpori detrimento ſunt, ea vero ſectetur, quæ corpus ſanum conſervant & roborant.* CARTESIUS diſſert. de method. Sect. §. 2. ſcribit: *animus adeo a temperamento & organorum corporis diſpoſitione pendet, ut ſi ratio aliqua poſſit inveniri, quæ homines ſapientiores & ingenioſiores reddat, quam hactenus fuerunt, credo in medicina illam quæri debere.*

§. V.

Prius vero quam de ſanitate corporis tuenda, mentis ſanæ conſervatrice, quædam tradamus præcepta, e re noſtra eſſe putamus, de rectæ valetudinis ſtatu quædam præmittere. Sanitas, ex noſtra ſententia, eſt vigor omnium corporis & animi functionum a libero & æquabili progreſſivo fluidorum, juſta quantitate & temperie gaudentium, motu dependens: quo præſente, mentis facultates & ſenſus recte ſe habent, vigent vires, digeſtio alimentorum, excretiones, ſecretiones, cum nutritione rite procedunt.

§. VI.

Sanguis, qui vitæ & ſanitatis materialis cauſſa eſt, debita mole & temperata mixtione & proportione partium aquearum, oleoſarum, terreſtrium, aereo-æthereo-elaſticarum conſtitutus ſit neceſſe eſt, ut libera & æquabilis circulatio perficiatur, & nutritio ac vires, quæ a fluido ſanguinis & nervorum maxima ex parte dependent, conſerventur.

§. VII.

Perſpecta jam ſanitatis genuina eſſentia & ratione, nunc ad ea progredimur, quæ ad bene temperatum ſanguinem, ejuſque motum æquabilem conſervandum faciunt, inter quæ primum locum ſibi vendicat fluidum aëreo-æthereum, mobiliſſimæ & elaſticæ indolis, quod partim cum alimentis, partim mediante reſpiratione, in ſuccos vitales ſuſcipitur. Hoc ſi purum, ſerenum & temperatum exiſtit, ſanitati conſervandæ quam maxime convenit: inde enim partes ſolidæ & fluidæ ſuum vigorem, tonum & robur ſortiuntur: cum e contrario omnis aer intemperatus, præſertim exceſſive calidus aut humidus diuturnus ab inordinata ventorum & tempeſtatum conſtitutione dependens, omnem œconomiam motuum vitalium turbando, multas epidemice graſſantes paſſiones inferat. Nihil magis autem hominis ſanitati eſt inimicum, quam crebrior & ſubita aeris intemperati mutatio. Inde enim ſolidarum partium tonus naturalis, inprimis cutis, ceu univerſalis corporis emunctorii, mirifice labefactatur, & ſaluberrima tranſpiratio, qua inutiles partes e corpore eliminantur, intercipitur, unde multorum morborum ponuntur fundamenta.

Scholion.

Ex hiſce jam dictis patet ratio, cur vere & autumno, præſertim menſibus Martio, Aprili, Octobri & Novembri, homines ægrotent citius & frequentius, quam menſibus Maio, Junio, & Auguſto; quia in his aer eſt ſerenior & conſtantior, in illis vero humidus, frigidus & ſubito mutabilis, & cur oriente ſole, quo aer movetur, tenuatur & claret, quam occidente ſit ſalubrior. Fluida enim, item ſpiritus, & vires qualitatem aeris circumfuſi ordinario ſequuntur: quod ſenes & imbecilles maxime experiuntur.

§. VIII.

Quantum aer ad ingeniorum & mentis actiones conferat, veteribus jam cognitum fuiſſe ſcripta illorum teſtantur. Sic HORATIUS Satyr. II. *Boeotum in craſſo jurares aëre natum* ſcribit; quia Boeoti ob aeris impuritatem craſſis quoque ingeniis fuerunt præditi: hinc abiit in proverbium *ingenium Boeoticum.* CICERO lib. de fato prodidit, *tenue Athenis cœlum acutiores Atticos feciſſe, craſſum autem pingues Thebanos & valentes.* Et Libertus FROMUNDUS Meteor. L. IV. c. VIII. art. 2. *in inſulis Flandricis, quæ vulgo Azores nominantur, obſervavit, auſtro ſpirante homines manifeſte moroſiſſimos ambulare, pueros triſtes & lugubres deſidere domi, nec ſolemnes amplius luſus aut coitus apparere in plateis, qui borea reſtante ſtatim ad alacritatem redeunt & in publicum refunduntur.* Et quiſque in ſe ipſo ſentiet, aere puriore, ſubtiliore & temperatiore exiſtente, alacriores mentis ſuæ eſſe actiones.

§. IX.

Tranſgredimur jam ad alterum integritatis corporis ſubſidium, quod ſunt alimenta & potulenta, quorum tanta vis eſt, ut recte uſurpata ſanitatem ſuffulciant atque ſuſtentent, minus vero talia deſtruant atque invertant. Plures enim ac graviſſimi morbi & mors præmatura, teſte experientia, a luxurioſa vita oriuntur: cum e contrario antiquioris ævi philoſophi, quos inter PLATO & SOCRATES eminent, ſimplici victu ac tenui, conſenuerunt: inſigni documento, quantum ſimplex & circumciſus victus in vita prorogranda efficere poſſit.

§. X.

Primo igitur quiſque, qui ſanitatem diuturnam ſibi optat, ſimplici victu utatur, neque nimium ſe cibis infarciat, ſed proportione debita, ratione virium mo-

tusque corporis victus rationem inſtituat. Nimia enim voracitate & multorum ciborum varietate craſſus & minus fluxilis multisque impuris particulis ſanguis imbutus ingeneratur; quo minus ſimpliciſſimum & puriſſimum fluidum nerveum ſeparari poſſit, quod tamen ad corporis vires, ſenſitivas perceptiones & motrices, multum contribuit.

Scholion.

Jam ſupra citatus MAYMONIDES in parte I. Hilches Deos. *cap. IV.* ait: *cave, ne nimium ſatieris cibis: nam ſi quis etiam ſaluberrima comedat, minime ſanus eſſe poteſt.* Et SANCTORIUS lib. aph. 3. *ſi ſciveris quotidie, quantum cibi tibi conveniat, ſcias vitam diutiſſime conſervare.* Et eodem lib. aph. 37. *magis homo gravatur ab octo libris ciborum ſemel in die ingeſtorum, quam a decem, tribus vicibus, una die adſumtis.* TULLIUS Tuſcul. *V.* Platonicam cœnam laudat, *quia non ſolum in præſenti, ſed & poſtero die jucunda fuit.* THEOPHRASTUS lib. V. Phil. *Multum edere & carnibus veſci, rationis & conſilii uſum adimit, animosque efficit tardiores, & eos immani quadam dementia ac ſtultitia complet.*

§. XI.

Non ſolum autem modus in cibis, ſed & eſculentorum ſalubritas plurimum ad ſanitatem confert: ſalubres autem cibos eos eſſe judico, qui maximam cum ſanguine noſtro & lympha nutritia habent convenientiam. Inter quos maxime refero juſcula & carnes juniorum animantium tam fluviatilium, quam volatilium ac aliorum quatrupedum, quæ coctione cum aqua gelatinam præbent. Neque minus ſuccus ille ex alimentis digeſtis extractus, temperatus & dulcis, quem lac vocare ſolemus, qui ex partibus oleoſis, aqueis & terreſtribus conſtat, hiſce annumerari meretur. Cujus generis etiam ex animantium regno ſunt ova recentia ac mollia, quæ optime & celeriter nutriunt. Vegetabile quoque regnum in hunc finem largitur ſemina temperata, quæ ſucco lactiformi turgent, atque ad vitales humores ſuſtentandos & nutritionem perficiendam ſunt accommodatiſſima, quorſum omnis generis frumenta, avena, hordeum, triticum, ſecale &c. pertinent, ex quorum farina, mediante fermentatione, ſaluberrimus conficitur panis, quo unice vita & ſanitas conſervari poteſt.

§. XII.

Minus ſalubria eſculenta e contrario æſtimantur, quæ parum vel fere nullam cum humoribus noſtris temperatis convenientiam alunt, quorſum maxime ſpectant, carnes duriores veterum animalium, piſces marini, nimis ſalita, acida, aromatica, auſtera nimisque pinguia & dulcia, item olera & legumina flatulenta. Quantum autem ab ipſis ciborum generibus & corporis & animæ actiones lædantur, jam a veteribus fuit obſervatum.

§. XIII.

Hanc ob cauſſam Pythagoræi ad philoſophiam & ſcientias celerius apprehendendas omnia eſculenta, quæ copioſum, craſſum & vaporoſum ſanguinem generant, & flatus in prima regione excitant, quia æqualem ſanguinis ad caput motum perturbant, ſuis diſcipulis interdixerunt. Et ſæpe citatus MAYMONIDES *cit. l.* maxime ferarum ætate grandiorum carnes & piſces nimis ſalitos, cibos fœtorem ſpargentes, caſeum vetuſtum, ova dura, panem hordeaceum, nimis acidos & immaturos fructus, fabas & lentes damnat.

§. XIV.

Præter hæc, quum potulentorum in tuenda humani corporis integritate magna quoque ſit utilitas atque neceſſitas; de iis etiam dicere oportet. Omnium optime & antiquitate & ſalubritate maxime ſeſe commendat aqua pura & levior: conſtat enim, aquæ potatores, ſaniores & longæviores fuiſſe cæteris, qui cereviſiis uſi ſunt. Nitidos & firmiores dentes habent, bene appetunt, oculorum aciem ſenſuumque vigorem integrum ſervant, & mente pariter ac corpore præ aliis ſunt alacriores. Nam profecto in elemento hoc ſimpliciſſimo divina providentia ad conſervationem ſanitatis, morbosque avertendos & tollendos magnum beneficium recondidit, adeo, ut ejus tam frigidus quam calidus potus omnes aliorum remediorum vires in medendo exſuperet, fluiditatem humorum, qui perenni progreſſivo motu agitantur, conciliet, tenuiſſimosque meatus, per quos utilium ſuccorum ſecretiones & inutilium excretiones fieri debent, ex voto patulos ſervet. Qua de re legi poteſt diſſertatio noſtra *de aqua medicina univerſali*, quæ in exteris etiam regionibus recuſa proſtat. Accedit, quod aquæ puræ potus fluidum cerebri & nervorum, quo mediante ſenſuum mentisque functiones peraguntur, longe purius longeque agilius reddat; unde aquæ potatores, & qui modice vino utuntur, iis omnino ſunt ingenioſiores, qui cereviſias raro temperatas pro potu ordinario habent.

§. XV.

In vino quoque divina providentia ſummum ſanitatis tam mentis quam corporis beneficium repoſuit: nam illud propter ſubtilem ſpirituoſam ſubſtantiam vires præſentes conſervat, amiſſas reſtituit, ingenium acuit, & digeſtionem promovendo, inteſtinorum flatus, qui valde functiones animales turbare ſolent, egregie diſcutit: quo nomine etiam litterarum cultoribus magno eſt auxilio; modo purum ſit, temperate ſpirituoſum & modice ſumatur.

Scholion.

ORIBASIUS *vinum optimum medicamentum mentis* nominavit, & PLATO in Phaedon. *ingenioſi*, inquit, *& poetæ omni tempore vini uſum maximi fecerunt.*

§. XVI.

Quam ſalutaris vero vini optimi & moderate ſumti uſus eſt, tam pernicioſus contra & mentis & corporis functionibus redditur, ſi immodice & plenis poculis hauriatur.

Scholion.

Belle ait STHENELEUS poeta, Athenæo *teſte: ſapientes ipſos ad amentiam impellit vinum.* Et HIPPOCRATES lib. de flat. *per ebrietatem, aucto derepente ſanguine, animi functiones ejusque intellectus concidunt.* Et GALENUS: *vinum immoderate ſumtum celerrime ad caput fertur, illud & mentem lædit: nam in capite ſapientia ipſa ſita eſt, & ea animæ pars, quæ ratiocinatur.*

§. XVII.

Porro ad ſanitatem tuendam viresque animi & corporis conſervandas motus atque exercitatio plurimum confert: cujus beneficio fluidorum circuitus cum ſaluberrima tranſpiratione egregie promovetur, appetentia mox excitatur, & majori ſanguinis ac fluidi nervei ad primam regionem adfluxu alimentorum quoque digeſtio optime adjuvatur, ut poſtea vires tam corporis quam animi inſigne capiant incrementum.

Scholion.

Veterum tam philoſophorum, quam medicorum qui evolvit ſcripta, otii nimii noxam & motus egregium uſum jam notatum inveniet. Sic PLATO ait: *corporum habitus otio & torpore corrumpitur; exercitiis autem & motu plurimum conſervatur.* PLINIUS lib. I. ep. VII. inferit: *mirum eſt, quod anima agitatione corporis excitetur.* Egregium quoque dictum eſt SENECÆ lib. de tranquillit. animi cum ſcribit: *animus eorum, qui in aperto aëre ambulant, attollitur.* CELSUS dicit: *ignavia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam facit.* Et PLOTINUS lib. I. de tuenda valetud. motum his verbis commendat: *ſtomachus motu, quo calor ineſt, ad appetitum excitatur, & mens ad cognitionem rerum occultarum & mirabilium*

cele-

celerior & acutior redditur. Hippocrates Epid. VI. ſect. IV. *labor articulis & carnibus cibus eſt: ſomnus viſceribus.* Et Galenus in hunc locum ita commentatur: *labor ſive exercitatio articulisque maſculisque veluti cibus eſt, augentur enim & roborantur exercitationibus non ſecus ac cibis. Somnus autem viſceribus etiam veluti cibus eſt, quia, calore intercedente, alimenti coctio melius fit, tuncque viſcera nutriuntur.*

§. XVIII.

Quamvis vero variæ ſint motionum ſpecies, quarum aliæ leniſſimæ, aliæ vehementiores, & aliæ demum medii generis appellari poſſunt: litteratis tamen, qui plerumque ventriculi quadam imbecillitate præ ceteris laborant, deambulatio ac vocis claræ exercitatio inprimis proſunt. Notanda de hac motionis ſpecie ſunt verba Plutarchi: *uſus*, inquit, *ſermonis, voce pronunciati, quotidianus mirum dictu quam utile ſit genus exercitationis, non ad ſanitatem duntaxat, ſed & ad vires, non quidem athleticas, aut quæ carnes augent, ſed quia principibus corporis membris, penes quæ vitæ potiſſimum facultas eſt, naturale robur ingenerat.* Et Aetius Sermon. III. c. V. ſcribit: *vox egregie ſtomacho laborantibus & acidum eructantibus convenit.* Hippocrates Epidem. lib. VI. ſect. IV. ait: *deambulationes matutinæ extenuant, & quæ circa caput ſunt, levia, agilia & prompta efficiunt, alvumque ſolvunt.*

§. XIX.

Ille autem motus potiſſimum ſaluberrimus eſt, qui aliquot horas ante cibum inſtituitur; ſiquidem inde appetentia excitatur, & in ventriculum, cibis repletum, major ſanguinis copia ad meliorem concoctionem influit. Econtrario vehementer nocet omnis fortior ſtatim poſt prandium ſuſcepta exercitatio, quoniam inde citius, quam par eſt, cibi e ventriculo ejiciuntur, & male digeſti flatulentas inteſtinorum diſtenſiones cum multis aliis incommodis producunt. Maxime autem vectura, ſtatim poſt cibum inſtituta, æqualis ſuccorum ex ventriculo ad inteſtina deſcenſus turbatur, acidi & pingues ex duodeno ad ventriculum regurgitant, & ructus aliaſque moleſtias efficiunt. Præſtat itaque motum in aliquot horas poſt prandium differre. Neque etiam convenit, ſtatim poſt motum corporis fortiorem, cibum adſumere, ſed quieſcendum minimum vel ad horam, vel ejus dimidium.

§. XX.

Cæterum, ſomni & vigiliarum conveniens quoque proportio ad ſanitatis negotium a litteratis habenda eſt. Incredibilis profecto virtus, ad vires per vigilias nimiosque labores deperditas reſarciendas, in ſomno latitat, ſi convenienter in loco ſpatioſo, temperato nec vaporibus referto capiatur: nimius vero, quo influxus fluidi ſubtiliſſimi in nervos valde retardatur, non modo capiti gravitatem & torporem, ſed & omnibus corporis partibus languorem infert, agilitate menti pariter ac corpori detracta. Immodicæ quoque ac longius protractæ vigiliæ, quia fluidum cerebri, in quo vis ſenſitiva reſidet, conſumunt, non modo vires corporis exhauriunt, ſed & mentis functiones imminuunt.

§. XXI.

Maxime etiam omnium, qui ſano ſui corporis & animi ſtatui rite conſulere volunt, ad ſalutares excretiones, quarum principes ſunt, tranſpiratio & fœcum alvinarum excluſio reſpicere debent, quibus aut valde imminutis aut nimiis, omnium functionum in toto corpore fit perturbatio. Dependet vero tranſpirationis negotium præcipue a ſtatu aëris, qui quo magis a temperie æquabili decedit, vel repente ex calido in humidum mutatur, eo etiam inſalubrior & majori cura fugiendus eſt. Nam moderata & æquabili tranſpiratione, quæ veſtibus, non facile mutandis, conſervatur, multæ ægritudines averti poſſunt, præſertim ſi quis tenerioris & imbecillioris naturæ vel nimis provectæ eſt ætatis. Alvus diutius adſtricta multa parit incommoda: inteſtina & ſtomachum inflat, capiti & ejus functionibus nocet, ſomnia tumultuoſa excitat & gravitatem in toto corpore parit. Præſtat autem ſemper convenientibus alimentis, pinguibus nempe, dulcibus & ſalitis, invicem comeſtis eandem apertam ſervare vel clyſtere aperire, quam purgantibus ſollicitare, quæ frequentius uſurpata totum inteſtinorum motum periſtalticum pervertendo & flatus procreant, & alvi ſiccitatem poſt ſe relinquunt. Utiliſſime ſane monet Hippocrates lib. II. de morbis: *ubi alvus non libera morbum minatur, clyſterem infundere, aut ſuppoſitoria apponere oportet.*

§. XXII.

Veneris quoque ad ſanum ac vegetum corpus ſervandum habenda eſt ratio. Nam ſeminalis liquoris, qui flos boni ſanguinis liquidique nervorum deliba tiſſima pars eſt, immoderata excretio mentis æque ac corporis vires mirum in modum exhaurit. Quare rogatus Pythagoras, quando celebrandus eſſet coitus? ſapienter reſpondit: *tunc, quando te ipſo vis infirmior fieri*; teſte Laertio *in vita Pythagoræ.* Eamque ob rationem imbecillioribus, adoleſcentibus & qui provectioris ſunt ætatis, item poſt graves corporis vel animi labores, poſt ſtudiorum intemperantiam & vigilias &c. omni modo veneris uſus eſt diſſuadendus. Non inutilis tamen moderatus cenſeri debet, quia ex Celsi ſententia nimia ſeminis retentio corpori torporem inducit, cum contra debita ejus emiſſio illud excitet & vires erigat potius, quam opprimat. Unde appoſite Galenus: *qui viribus pollent*, inquit, *a venere non diſſolvuntur, ſed contra juvantur.*

§. XXIII.

Maxime omnium vero animus tranquillus & nullis adfectuum fluctibus agitatus rectæ mentis & corporis valetudini plurimum prodeſt.

Scholion.

Summus ethnicorum philoſophus Plato ait: *fieri non poteſt, ut animus bene adfectus non corpus quoque vi ſua optimum reddat. Quamdiu enim mens in ſe quieta eſt, nec adfectuum cupiditatumque fluctibus jactatur, non tantum veritatem clarius adſequi & ſecundum divinam animæ partem mores & actiones ſuas inſtituere poterit, ſed etiam corpori & vitæ ſanitatique melius præeſſe.* Et Socrates ſcribit: *adfectuum æqualitatem & temperantiam ſectetur quivis, qui mentem vult & corpus ſanum habere.* Hinc quoque *lib. Macrob. p.* 857. longævis annumerat philoſophos, qui eruditione & ingenio præſtantes fuerunt. Nam magna animi voluptas eſt, quæ ex litterarum ſtudiis & ingenii præſtantia capitur, & vires quoque corporis reſtaurat; quorſum etiam pertinet verus Dei cultus ac pietas, teſte Paulo, ad omnia utilis.

§. XXIV.

Cæterum in philoſophica & medica corporis & mentis conſideratione non ultimum ſibi vendicat locum hæc quæſtio, num nimia mentis in ſtudiis proſequendis contentio & applicatio ipſas corporis vires imminuere poſſit? Equidem adſeveranter adfirmare nullus dubito, utique nimiam ſtudiorum intemperantiam, qua litteris addicti per dies & noctes libros legendo & meditando profundioribus mentis occupationibus indulgent, ipſa teſte experientia, non modo corpus enervare, ſed tardiorem quoque in eruditione progreſſum efficere; quoniam non vi, ſed gradu naſcitur eruditio. Nam quo magis anima in operando occupata eſt, eo plus fluidi tenuiſſimi in cerebro & nervis contenti detrahitur. Quinimo ii, qui litteris ſeſe nimium mancipant, & cum impetu quaſi ſtudia proſequuntur, non modo inde corporis & animi virium decrementum perſentiunt, ſed etiam in morbum litteratis familiariſſimum, qui

paſſio-

paſſionis hypochondriacæ nomine venit, ſe præcipitant, cujus quo major gradus invaluit, eo major turbatio in rebus, quæ ab intellectu & ſana ratione pendent, percipitur.

§. XXV.

Ex hiſce omnibus breviter ſtrictimque adductis & accuratiori mentis lance trutinatis clarum ac evidens ſit, præcipuum & unicum fere exoptatiſſimæ ſanæ & longæ vitæ fundamentum eſſe temperatum & æquabilem partium tam ſolidarum motricium, quam fluidarum ſtatum, qui juſto, moderato & quaſi in bilance poſito rerum non naturalium uſu, quibus quotidie homo eget, conſervatur; unde ſi quis iiſdem ſecundum proportionem ratione ætatis, ſtructuræ corporis, roboris, imbecillitatis virium & reliquarum circumſtantiarum recte uti valeret; ſperandum eſſet, ut diutiſſime vitam ſanam prorogaret.

§. XXVI.

Ut itaque deſideratiſſimum illud moderamen & medium obtineatur, opus eſt, ut omne nimium, ſive exceſſivum evitetur, quod etiam HIPPOCRATES naturæ humanæ infenſiſſimum judicat, ſic ſect. II. aph. 51. *omnis*, inquit, *multitudo naturæ contraria eſt*; ſive ex medicamentorum ſive ex rerum non naturalium cenſu ſit: atque ideo etiam omnis ſubita & repentina mutatio periculoſa eſt, tutum vero, quod paulatim & ſucceſſive ſit, præcipue vero aëris repentina mutatio vitanda, cum ab aëre magis, quam ab aliis rebus adficiamur. Dici enim vix poteſt, quam graves corporis paſſiones a mutatione ſubita ventorum, & inde orta aëris mox calidi, mox frigidi, mox humidi intemperie in corpus noſtrum redundent: quapropter etiam juxta HIPPOCRATEM ſect. I. aph. 50. *ex multo tempore conſueta, licet paulo in deterius vergant, non ſubito ſunt mutanda & inconſuetis utendum, quia minus illa moleſtare ſolent.*

§. XXVII.

Licet autem vita noſtra longæva & ſana, una cum animi corporiſque vigore, quo non datur pretioſius atque præſtantius, potiſſimum a nobis ipſis & convenienti rerum phyſicarum, quæ in noſtra poteſtate ſunt, uſu dependeat, pauciſſimi tamen hominum, etiam eruditorum, ſaluberrimis ſcientiæ diæteticæ præceptis imbutorum, reperiuntur, qui hoc ſibi perſuadent & eo reſpiciunt, ut ſui ipſius corporis medici evadant, ſicut hoc argumentum in diſſertatione *de medico ſui ipſius* fuſius olim perſecutus ſum. Et quum philoſophi etiam acutiores noſtro tempore illam doctrinam de animæ & corporis ſanitate penitus fere ex curſu ſuo philoſophico, cujus tamen præcipua pars eſt, excludant, hinc fieri proh dolor! obſervamus, paucos diu vivere, ſed ob inordinatum rerum, quæ ſanitatem & vitam adjuvant, uſum juſto citius ſuo & aliorum damno duram moriendi legem ſubire.

Scholion.

Jam ſuo tempore de hac veritate convictus Cous noſter lib. de natura ſtatim in principio hæc prodidit: *omnes homines artem medicam noſſe oportet: eſt enim res honeſta ac utilis ad vitam, & ex his maxime eos, qui eruditionis ac eloquentiæ cognitionem habent. Nam ſapientiæ cognitionem medicinæ ſororem & contubernalem eſſe putamus. Sapientia enim animam ab affectibus liberat, augeſcit autem intelligentia præſente ſanitate. Ubi habitus corporis ægrotat, nec mens ipſa claritatem habet ad virtutis meditationem.*

§. XXVIII.

Qui de ſaluberrimis diætæ regulis uberiorem cupit explicationem; adeat *Tom. I. part. II. medicinæ Syſtemat. rationalis*, qui præterito anno Pariſiis in Gallicam linguam tranſlatus eſt, item diſſertationes diæteticas in Batavia recuſas & alia mea opuſcula de diæta agentia, in Germanicam linguam converſa.

GODEF. GUIL. LEIBNITII

EPISTOLÆ

DE REBUS

PHILOSOPHICIS

ab anno CIↃIↃCXCIX. *ad me datæ.*

Nobiliſſime & Experientiſſime Vir

Fautor Honoratiſſime.

Doctiſſimæ & judicii non minus, quam experientiæ Tuæ non vulgaris teſtes, diſſertationes Tuæ adhuc pretioſiores & addita ad me humaniſſima epiſtola fecerunt, ut utroque nomine gratias Tibi agam debeamque, vellem & referre poſſe. Mihi videris de mechaniſmo naturæ judicare rectiſſime, & mea quoque ſemper fuit ſententia, omnia in corporibus fieri mechanice, etſi non ſemper diſtincte explicare poſſimus ſingulos mechaniſmos: ipſa vero principia mechaniſmi generalia ex altiore fonte profluere, quod Tibi quoque, ni fallor, probatur. Quantum etiam capio de controverſia inter Dn. STURMIUM & me rectiſſime judicas, & ſubſtantialitatem maſſæ corporeæ optime collocas in vi extenſa, hoc eſt, ut interpretor, per locum diffuſa, ſeu partibili. Tecum etiam ſentio, id quod paſſivum eſt, nunquam ſolum reperiri, aut per ſe ſubſiſtere. Pulchre autem notas in mere paſſivo nullam eſſe motus recipiendi retinendique habilitatem: &, ademta rebus vi agendi, non poſſe eas a divina ſubſtantia diſtingui, incidique in Spinoſiſmum. Viciſſim nullam dari creaturam mere activam, eo etiam Tecum inclino, ut non humano tantum corpori, ſed & aliis corporibus organicis animam immaterialem, aut aliquid analogum animæ tribuam: hoc unum tantum addens: videri omnem ſubſtantiam inextenſam, ſeu ſimplicem ortus & interitus phyſici

De Philoſophandi ratione.

Ad illuſtrationem hujus epiſtolæ ſcitu quædam neceſſaria adjicere lubet. Perilluſtris philoſophus LEIBNITIUS *anno* CIↃIↃCXCVIII. *cum Cl. phyſico & mathematico* STURMIO, *Profeſſore Altorfino, incidit in controverſiam, qui cum magno illo Anglo* BOYLE *naturam per mechaniſmum rerum explicavit, & diſſertationem hinc* de idolo naturæ ex chriſtianorum animis deturbando *edidit. Eodem ſcripto idem* STURMIUS *cum* CARTESIO *adſerebat corpora eſſe materiam, quæ mere ſe habeat paſſive, omni vi movente deſtitutam, hanc vero immediate a Deo ipſi communicari, adeo, ut ipſe infinita ſua virtute materiam ubique actuet, moveat & per ipſam in univerſo operetur. Hancce ſententiam incomparabilis noſter* LEIBNITIUS *in* Act. Erudit. Lipſienſ. Anno CIↃIↃCXCVIII. menſ. Sept. *variis argumentis, quæ ibi legi poſſunt, aggreſſus eſt. Hæc cum generentur, meam quoque hac de re mentem in diſſertatione*, de natura morborum medicatrice mechanica *anno* CIↃIↃCXCIX. *ſtatim in præfatione expoſui, ad quam etiam Illuſtris* LEIBNITIUS *in hac epiſtola reſpicit. Cum autem hæc diſſertatio non in omnium manibus ſit, placet verba huc tranſcribere, quæ ſic ſe habent: Non vereor adfirmare longe veriſimiliorem magiſque pietati congruam apparere illorum ſententiam, qui Deum ab immediata creaturarum actione & opera-*

p hyſici expertem eſſe, nec niſi creatione oriri vel annihilatione deſtrui poſſe. Nec mirum cuiquam videri debet, animabus i. e. veris atomis tribui, quod Democritici ſuis atomis materialibus adſcribunt. Quin veriſimile arbitror, non tantum animam, ſed & animal interitus expers: nec aliud eſſe mortem, quam involutionem diminutivam, quemadmodum generationem eſſe evolutionem augmentativam, jam multis viris doctis placet. Quamquam de ſpiritibus ſive mentibus nihil hic pronunciare auſim, quoniam legibus ſublimioribus reguntur, & cum Deo ſocietatem quandam conſtituunt, in qua ſemper perſonam ſuam tuentur. Quomodo autem Deus id conciliet cum revolutionibus univerſi, humana ratio definire nequit. Nempe animæ ſemper manent ſubſtantiæ, mentes vero ſemper perſonæ: illæ ſe ſemper accommodant divino mechaniſmo, hæ ſemper divino moraliſmo, ut verbo, a Te eleganter adhibito, utar. Optarem jam viros præclaros in mechaniſmo naturæ explicando paulatim progredi longius & dare operam non quidem ut, more CARTESIANORUM, omnia ſtatim per ſaltum ad prima principia, magnitudinem, figuram & motum reducant, quod fieri a nobis nequit, ſed ut per gradus revocent compoſita ad ſimplicia & principiis propiora. Sic iridem bene explicamus, ſi quædam circa lucem & colores inexplicata adſumamus: ita, ſup-

operatione ſecludunt atque diſtinguunt. Enim vero mere paſſivum eſt ens hoc, quod nihil efficit, nullam virtutem exiſtendi, durandi propriam habet & tale revera eſt nihil, abſtractum tantum eſt in ipſa mente, non autem ſeparatum extra mentem, i. e. realem involuit exiſtentiam. Equidem non ignarus ſum, ſententiæ hujus patronos materiæ motum recipiendi habilitatem ac diſpoſitionem, quæ apta hinc reddatur, jam non ſimplicem, ſed infinite variantes motus efficere, adſignare. Quando autem animo exactius hæc nobiſcum pervolvimus, nullum paſſivum videtur aliquid retinere vel recipere poſſe, ſed requiritur ſemper quædam vis recipiens & retinens, alias, ſi hæc non adeſt, nulla realis virium impreſſarum retentio eſſe poterit, ſed ad quamcunque externam vim diſſipari debet iſta habilitas ſive forma, figura, magnitudo, diſpoſitio partium, adeoque ut neceſſum habeamus ſtatuere, in corporibus vim quandam realem activam ipſis propriam, quæ non tantum recepit, ſed & retinuit voluntatem creatoris in primordio creationis, juxta quam adhuc agunt corpora. Niſi enim creaturæ haberent vim propriam agendi adeoque activam, nam vis tantum paſſiva non eſt aliquid reale, certiſſime conſequeretur, Deum & creaturas non eſſe entia diſtincta, ad minimum quoad actus realitatem & operationes. Neque mea mente perſpicere poſſum, quomodo ſufficienter hujus ſententiæ adſeclæ a Spinoſiſmo ſe purgare ac liberare & religionem ſalvare velint. Noſtra autem hæc eſt inconcuſſæ veritatis ſententia, Deum infinitæ virtutis extra ſuam eſſentiam, ex ſuis tamen viribus produxiſſe univerſum omniaque corpora, i. e. vires finitas, limitatas, activas, extenſas tamen, cum corpora, mea ſententia, nihil aliud ſunt, quam vires extenſæ reales. Ex quo conſequitur, vim creaturarum ſive corporibus concreatam intrinſecam & propriam, minime divinam eſſentialem dici debere; quod ſi autem non eſſet concreata & creaturis propria, ſed divina immediata; utique neceſſe eſt conſequi, omnium corporum actiones eſſe immediatas Dei. Quis autem vellet dicere, quando beſtia lædit hominem, quando perverſo ordine fœtus in utero formatur a phantaſia matris eſſe hæc actionem Dei, vel etiam minus pium & rationi conveniens eſſet, ſtatuere phantaſiam matris, opera, quæ Deus ipſe infinita ſua virtute efficit, invertendi potentia gaudere, cum perſpicuum ſit, firmiori impreſſione materna fœtum in utero ſæpius mancum & mutilum efformari. Largimur lubentiſſime, quod corpora effectum producant finitum, & ad vim ipſis concreatam finitam concurrere debeat univerſalis impulſus, qui faciat, ne otientur creaturæ, ſed ut perpetua & omnipotenti excitatione corpora in perpetua actione & niſu ad agendum conſiſtant, non aliter ac ad noſtras cogitationes, quæ ſunt actus mentis ex ſua intrinſeca finita virtute provenientes (utpote Deus non eſt, qui in nobis cogitat & vult, ſed potius mens noſtra propriam virtutem excogitandi habet) univerſali vi & impulſu opus eſt, ſine quo nec actualem cogitationem formare poſſumus. Brevibus: univerſalis ille Dei impulſus non ipſe agit omnia, ſed ipſe excitat corpora, ut juxta vires ſuas a Deo ubivis extenſo impenetrabili conceſſas agant: inducit rebus non motum ipſum, ſed neceſſitatem immutabilitatis ad motum, cujus motus principium tamen ipſis rebus non eſt mere externum, ſed internum. De mechaniſmi vocabulo, quo BOYLE *naturam corporis deſcribit, ſic ſentio, quod nihil aliud ſit, quam corporis operatio ſive effectus, qui ex cauſſa phyſica ſive ſemper neceſſario agente dependet. Ita v. g. ignis producit effectum, dum flammam profert in ligno, & illud comburit & in cineres vertit. Poſita enim flamma & corpore reſinoſo apto, impoſſibile eſt, ut alius effectus, quam ille ipſe ex neceſſitate cauſarum profluere poſſit: quando autem plures materiales cauſæ ita coordinatæ ac diſpoſitæ ſunt, ut effectus fluant, ideæ artificis, qui certum finem propoſitum habet, correſpondentes, dicitur etiam mechaniſmus, ſed perfectior, & a non nullis organiſmus, quoniam in organicis corporibus exiſtit. Ita in horologio, certa ſuppoſita conſtructione rotularum & applicato determinato pondere vel elaſticitate, non poteſt alius effectus per naturam i. e. per neceſſitatem naturalem effici, quam ut intra horæ ſpatium tales pulſationes & vibrationes producantur, quo tale ſpatium index percurrat, id quod intendebat artifex. Opponitur itaque mechaniſmus, qui ex cauſſis mere neceſſariis, ſive una eadem ratione agentibus agit, moraliſmo ſive moralitati, ubi cauſa indifferens non harmonice & uno eodemque modo, ſed diverſis rationibus, id eſt libere vel agere vel non agere poteſt, ſive plane diverſum motum producere. Talis moralitas competit entibus ſeu ſubſtantiis ſpiritualibus, ſicuti mechaniſmus corporeis. In mea enim poteſtate eſt & libertate movere corpus & ejus certa membra, vel non movere, reſiſtere vel non reſiſtere externis impreſſionibus. Spiritus itaque & animæ noſtræ rationalis eſt libere agere, ſive indifferentem habere vim ad agendum: corporis autem ex neceſſitate harmonice, ſemper nimirum eadem ratione. Ubi tamen & hic ſtatim monendum ducimus, cauſam quandam exiſtere poſſe libere agentem, ubi tamen ſi agere incipiat, ſeu effectum producere in corpore, ille non niſi mechanicus, incompletus tamen ex parte cauſæ, ſequatur. Ita ſi artifex horologium conſtruit, cauſſa eſt libera, poteſt hoc facere vel non, ſi tamen agit, effectus non niſi mechanicus reſultat, ita, ut omnes effectus in corporibus ſint mechanici, quamvis cauſſam primam agentem interdum liberam & ſpiritualem habeant. Ita quando certo externo objecto movemur ad iram, anima rationalis ceu ens liberum hanc actionem recipere ſive ei reſiſtere poteſt, & tunc libere ceu moraliter agit. Quando autem impreſſionem illam recipit, exoritur paſſio, quæ nomine venit iracundiæ, quæ in corpore effectus producit plane irregulares & quidem modo mechanico, dum nervorum fluidum in impetuoſum & actuoſum motum concitat, nec non ſpaſmodicas contractiones in nervoſarum ac muſculoſarum ſyſtemate circumquaque producit, a quibus poſtea variæ excretiones, diarrhœæ, vomitiones, bilis adſcenſiones in os aliaque ſæva ſymptomata dependent.*

ſuppoſita gravitate & vi elaſtica, plurima olim explicui, etſi circa horum duorum cauſſas litigari adhuc queat. Sic laudo chemicos, reducentes plurima ad principia ſecundaria, modo illis certas adſignent notiones, nec ut fieri paſſim video, verbis vagis & ſpecioſis nimium ludant. Certe obſervo & miror pene, quot auctores tot diverſas vocabulis notiones tribui. Unde optarem aliquando oriri, qui uteretur ſolis verbis ex communi uſu petitis, aut certe ante definitis. Quod niſi fiat, video ætiologiis inanibus tempus perdi, quod in obſervationibus & conſequentiis inde ducendis rectius collocaretur. Te inter paucos video præclare in id eniti, ut intellecta dicas. Aliquando itaque a Te exſpecto quædam rationalis medicinæ elementa non nimis inſiſtentia intellectualibus ab uſu artis remotis, ut fit apud medicos CARTESIANOS, nec nimis imaginationis ludibriis adfixa, ut fieri ſolet apud chemicos, ſed, quæ cauſſas intelligibiles adferunt rerum ſenſibilium, ubi licet, aut ubi non licet, conſequentias ſaltem utiles effectuum ducant ex iis, quæ ſenſu certa ſunt, etſi nondum ad cauſſas reducta. Quodſi ſic pergis, profecto efficies, ut Fridericiana nobis det academia, quod fruſtra ab aliis eruditus exſpectat orbis. Id mihi non tantum, ſed & Germaniæ erit gratiſſimum. Vale. Dabam Hannoveræ d. XXVII. Sept. cIↄ Iↄcxcix.

deditiſſimus
GODEFREDUS GUILIELMUS LEIBNITIUS.

Vir Illuſtris atque Excellentiſſime,
Patrone ſumme colende.

EXoptatiſſimas Tuas literas ſummam judicii & eruditionis vim, nec minus prolixum in me adfectum oſtendentes rectiſſime accepi. Quod vero his non protinus reſponſum officioſiſſime ſubjunxerim, id ne in malam partem interpreteris enixe rogo. Laborum enim copia, qua hactenus ſub decanatu ob multas diſſertationum inauguralium elaborationes preſſus fui, quibus acceſſerunt meæ operationes practicæ & lectiones academicæ, vix me reſpirare paſſæ ſunt: jam autem opere hoc exſolutus, nihil mihi charius priusque fuit, quam ut Tibi, Vir Summe & Eruditiſſime, perſolvam decentiſſimas gratias, quod me tam eximio favore & tam gratioſiſſimo reſponſo dignari volueris. Impenſe enim in eo gaudeo, quod levidenſes meæ philoſophicæ & medicæ lucubrationes Tibi placuerint, quibus adſenſum atque adprobationem in Tuis ſubjungere volueris gratiſſimam. Illud unicum me adhuc in Tuis urget, quod ſcribas, animas ſemper manere ſubſtantias, mentes autem manere perſonas: item non tantum animam, ſed & animal (procul dubio in individuo) eſſe interitus expers, quomodo nempe hæc probe concipienda & diſtinguenda inter ſe ſint, ſcire aveo. Credidi ſemper nullum corpus, quatenus vi præditum eſt movente & mobili, interire poſſe, & interitum corporis nihil aliud eſſe, quam tantum ejus mutationem in mixtione, conſtructione & motu, & ſic animal ceu individuum ſive certum corpus perire, ut corpus autem ſive ſubſtantiam permanere, ipſas mentes vero in individuo ſubſiſtere. An hæc cum Tuo conceptu, Vir Illuſtris, conveniant, gratioſiſſime me edocere velis. Reliqua omnia adjecta monita circa incrementum philoſophiæ, ut appello, medicæ me magnopere delectarunt, utinam plures libero & attento animo non inhærerent aliorum ſententiis, & obſervationibus accuratioribus & ſolidioribus, etiam in vulgaribus morbis, inſtaurare artem noſtram ſaluberrimam allaborarent. Interim Te quam optime valere mihique porro favere totus deſidero & exopto. Halæ dab. d. XVII. Nov. cIↄIↄcxcix.

Nominis Tui,
Vir Illuſtris,
cultor perpetuus
FRIDERICUS HOFFMANNUS.

De Philoſophandi ratione.

Vir Illuſtris atque Excellentiſſime,
Fautor plurimum colende.

VEniam mihi dabis, Vir illuſtris, quod hac peropportuna occaſione, ſingulari Tuo in me favore atque benevolentia permotus has ad Te occupatiſſimum litteras mittam, atque ſimul de ſcribendis Ephemeridibus medicis aperiam conſilium. Jam dum a quinque annis ſingulis diebus curioſius annotavi mercurii ſitum in barometro, item humiditates in hydroſcopiis, & ſingulis quoque adjeci, obiter tamen, morbos graſſantes, ut non tantum cauſſas mercurii motus in barometro, ſed maxime morborum graſſantium, qui ſine dubio mutationi aëris & tempeſtatum debentur, perſpicerem. Curioſum eſt, quod jam duos per menſes, cum tepida nec non leniſſima fuerit hiems, ſub zephyro & auſtro, mercurius adſcenderit, quæ obſervatio alio tempore fere fuit contraria. Strenue autem jam hoc anno in hiſce obſervationibus, & quidem majori cura, communicatione non tantum cum practicis hujus urbis, ſed & cum aliis facta, pergam, & ſingulis annis, qui morbi & cujus temperamenti ac ætatis perſonis familiares fuerint, ea, qua poteſt fieri, ſollertia, boni publici cauſſa notabo. Credo enim fore hoc inſtitutum laudatiſſimum, & ad promovendum artis medicæ incrementum utiliſſimum. In hoc enim mihi ſemper perplacuit Ramazzini labor ſuſceptus, ad cujus ideam & præſcriptum res componi poterit. Tranſmitto Tibi, Vir Illuſtris, ſchediaſmata quædam levidenſia, quæ ſi tempus fert, lectione ut dignari velis & maxime theologicum, eſt, quod obnixe oro. Maxime omnium vero a Te hoc beneficium paullo liberius exigo, &, ſi impetravero, gaudebo, ut nempe circa omnia judicium Tuum ingenue & libere exponere, me monere & corrigere velis. Vale, & ulterius amore ac favore me proſequere. Dabam Halæ d. XII. Mart. cIↄIↄcc.

Nominis Tui,
Vir Illuſtris,
cultor perpetuus
FRIDERICUS HOFFMANNUS.

Vir Nobiliſſime & Experientiſſime,
Fautor honorande.


BInas Tuas litteras & adjuncta illis munera litteraria, quibus non me magis, quam rempublicam obſtringere Tibi pergis, recte accepi & beneficium gratus prædico, vellem & mereri. Quod quæris de conſervatione animarum, arbitror ego, omnem ſubſtantiam, quæ una vere eſt, ſeu monas & individuam eſſe & permanentem: maſſam autem corpoream non eſſe ſubſtantiam, ſed ſubſtantias, ut grex vel exercitus. Gaudeo quoque a Te de ephemeridibus cogitari: non circa aeris tantum, ſed & ſanitatis humanæ ſtatum, in quam plurimum aër poteſt. Utinam plures id agant & diverſis locis; inde enim magnos polliceri fas erit progreſſus principi artium medicatrici. Ex adjuncto exemplo epiſtolæ meæ ad Cl. RAMAZZINUM videbis, quam horter eum, ut ingreſſo ſuo curſu præclaro pergat. Simul ipſi petenti cogitationes meas expono, cur aëris columna levior fiat pluvia imminente, & per ſerenitatem ingraveſcat, qua de re video eſſe ipſi cum doctiſſimo SCHELHAMMERO noſtro non perfunctoriam diſputationem. Idea chriſtianæ religionis, una plagula comprehenſa, quam tranſmittis, & de qua ſententiam petis, mihi ſatis videtur accommodata & ad theologiam noſtram & ad praxin pietatis. Mitto hac occaſione oblata diſſertationem, quam celeberrimus JO. ANDREAS STISSERUS, medicus Helmſtadienſis, ad me ſcripſit, ut medicos ad magis excolendam chemiam excitet. Quod ſupereſt vale & ſave. Dabam Hannoveræ d. XVIII. April. cIↄIↄcc.

deditiſſimus
G. G. LEIBNITIUS.

Celeberrimo & Experientiſſimo Viro
D. Bernardo Ramazzino
Godefredus Guilielmus Leibnitius.

S. P. D.

EX litteris Tuis gaudeo Te valere mihique favere atque illis, qui a me commendantur. Cum cogitationes meas, mechanicis fundamentis innixas, de cauſſa motus hydrargyri deſideres, ita vim earum paucis complector. Eſto tubus A B infra clauſus in B, aqua plenus erectus ex libræ extremo ſuſpenſus ac cum pondere oppoſito in æquilibrio conſtitutus. Ibi in aquæ ſuperficie natet cavum aliquod corpus D ex materia gravi caſurum, ſi aqua intraret. Ponamus obturatum eſſe ejus foramen, ſed ita, ut paulatim aquæ pervium fiat; ergo ubi ea intraverit, deſcendet corpus D verſus fundum B. His poſitis durante deſcenſu corporis D ceſſaturum eſſe æquilibrium aio, deſcenſurumque pondus C ac totum tubum A B elevatum iri. Cujus rei ratio eſt manifeſta, quod quantum deſcendit D in tantum ab aqua tubo, libra non ſuſtinetur & eatenus non reſiſtit ponderi oppoſito. Compara jam pondus C cum hydrargyro, aquam tubi cum aëris columna, corpus natans D guttis pluviæ. Nempe cum guttæ tam grandes fiunt, ut amplius ab aëre non ſuſtineantur, deſcendereque incipiunt; tota columna aëris levior eſt, quam ante, mercuriumque in tubo ſuſpenſum ad priorem altitudinem non ſuſtinebit: itaque deſcendet non nihil mercurius. Contra ſereno aëre guttæ aquæ ita imminuuntur, & per aerem diſperguntur, ut per ſe deſcendere non poſſint, non magis quam partes lactis butyraceæ ante ſeparationem. Ita manifeſta videtur ſolutio nodi & ratio redditur paradoxi, cur ita ſerenus aër levior ſit pluvio. Nam & prævenit aliquantulum temporis hydrargyri deſcenſus pluviæ apud nos caſum, quia guttæ formari incipiunt, antequam ad nos pertingunt. Nondum Te cogitationem Ephemeridum medicarum depoſuiſſe gaudeo, arbitrorque etiam, cum nihil ſingulare occurrit, quod tamen raro fit, continuationem tamen mereri: quemadmodum novellas publicas legimus etiam hieme, & cum nulla ſunt bella aut memorabilia, vel ut hoc ipſum ſciamus, nihil mutationis contigiſſe. Ubi de morbis artificum ages, de quo argumento libellum ſcribis, non male addes mala metallariorum, qui in fodinis & fuſoriis officinis agunt. Notamus in noſtris foſſores, qui præſertim locis ſiccis in ſaxis frangendis ſunt occupati laborare, ut alii lapicidæ, aſthmatis genere, quod medici noſtri aſthma montanum, Germani Bergſucht nominant, qui vero in officinis occupantur, ubi plumbum funditur, ex fumo plumbi laborant obſtructionibus & torminibus, quod vocant Hütten-Katze, de quo morbi genere Stockhuſius, medicus Goslarienſis peculiarem librum edidit. Quædam hujuſmodi apud GEORGIUM AGRICOLAM, qui ipſe erat medicus reique metallariæ ſcientiſſimus, credo reperientur. Vale. Dabam Hannoveræ d. XVIII. Mart. cIↄ Iↄcc.



Vir Illuſtris atque Excellentiſſime,
Patrone ſumme colende.

DIuturnum ſilentium, etiamſi minus mihi conveniat, tamen Tua, Vir Illuſtris, abſentia factum eſt, ne Hannoveram adhuc meas litteras mitterem. Nunc poſtquam ex itinere Te reducem factum intellexi, conſultum eſſe duxi, ut tum pro plane ſingulari honore atque adfectu, qui mihi, cum hic Halæ eſſes, obtigit, gratias iterarem, tum etiam ſignificarem officioſiſſime, eas, quas hactenus conſcripſi, ephemerides & obſervationes ſuperioris anni meteorologicas & medicas, nunc demum maturas ad prelum deprehendi, etiam Tua luce radiari poſſe perſuaſus ſum, cum Tuo conſilio eas maxime adornaverim. Hinc ni grave foret, magni Tui Nominis auſpicio, evulgare eas circa futuras nundinas Lipſienſes conſtitui, hoc ut audeam, velis benignius interpretari: ſpero quoque non ingratum fore orbi litterario, hunc, licet exiguæ molis, laborem. De ordine ac ſcribendi ratione, quam obſervavi, paucis Te erudiam. Egi in principio de ventorum generatione, natura, proprietatibus & effectibus tam in mercurium quam in corpora humana ſana æque ac morboſa: dein in fine obſervationes morborum epidemicorum addidi, ſingulis menſibus hic loci notatorum. De ſocietate noſtra Berolinenſi Regia nihil hactenus audivi, faxit Deus! ut inſtitutum hoc laudatiſſimum atque utiliſſimum, Te dirigente, auſpicatiſſimos ſortiatur progreſſus. Cæterum ſi circa tractatum a me edendum quædam monenda habes, velim ut de his me edoceas. Quod reliquum eſt, me Tuæ tutelæ de meliori commendo. Vale. Dabam Halæ d. XXX. Jan. cIↄ Iↄcci.

Nominis Tui,
Vir Illuſtris,
cultor perpetuus
FRIDERICUS HOFFMANNUS.

Vir Nobiliſſime & Experientiſſime,
Fautor honoratiſſime.

GAudeo Te ex ſententia valere & mei benevole meminiſſe. Quod mihi deſtinas præclaras haud dubie Tuas meteorologicas obſervationes, ut ſolent paſſim facere amici amicis, tanquam publicum Tui erga me animi teſtimonium magis mihi honori duco, quam quæ ſolent a magnatibus proficiſci, qui aliorum narrationibus credere ſolent. Quanquam vereor, ne ipſa Tua erga me expromta humanitas judicio Tuo ſeveriori ſit fraudi. Notaverat GERICKIUS, ut quædam de hoc argumento adjiciam, barometro prævideri poſſe procellas: itaque ſæpe optaveram ſuaſeramque, ut experimentum ſumeretur in mari. Nunc tandem accepi in longinqua aliqua navigatione ſumtum eſſe & compertum ad duodecim circiter horas extendi prophetiam, quod tempus ſatis eſt, ut navis a ſcopulis aut ſyrtibus recedens aperto ſe credat mari, ſi portum attingere tam ſubito non poteſt, & ut præparet ſeſe contra vim tempeſtatis. Londini quidam eo nunc proceſſit, ut ſingulis quatuordecim diebus prædictionem ſtatus aëris ex barometro maxime & aliis indiciis publicet, adfirmetque ex quinque vicibus vix una ad ſummum contingere errorem. Hæc ut obtineres perutile foret, tametſi auctorem æquo ditiorem promiſſis putem. Quæ inter CAMERARIUM, RAMAZZINUM, SCHELHAMMERUM, clariſſimos viros acta ſunt de cauſſa, cur mercurius aëre pluviam minante deſcendat, mihi non ſatisfaciunt. Veram cauſſam experimento quodam mechanico illuſtro, Tibique ſi tanti putabis communicabo. Societas noſtra ſigillo ſuo mox parato ad Te paucoſque alios præſtantes viros mittet diploma receptionis. Nactus ab inventore phoſphorum mirificum & meo judicio aliis omnibus ſuperiorem: eſt enim inconſumtibilis & perpetuus, tantumque opus habet motu ad lucendum: hoc adhuc in arcanis habetur, putoque alia adhuc in eo latere non parvi momenti; ſed ipſe diſtractus manum admovere non poſſum. Cogito totam rem ad Te perſcribere ſub ſilentii lege exſequendam, ſi Tibi vacet; proceſſus enim eſt non longus. Ita poterit aliquid pro Rege, Tuo potiſſimum auxilio, ſumtibus non Tuis adornari. Unum ſtipulari audeo, ut mecum viciſſim ſpiritus ignei confectionem communices ea notitia, non male uſuro. Hæc inventa puto, magni apud Regem ponderis fore tam in honorem ſocietatis, quam etiam in uſum Tuum, ſed facies, ut mature Tuam ſententiam intelligam: tempus enim

enim urget, ut quamprimum manus operi phoſphori admoveatur. Vale & Fave. Dabam Brunſvigæ d. xvi. Febr. cIↃ IↃccI.

deditiſſimus
G. G. Leibnitius.

Vir Illuſtris atque Excellentiſſime Fautor ætatem colende.

INſpiciendum Tibi offero libellum, quem non erubui illuſtri Tuo nomini nuncupare, rogoque ut in ſignum venerationis Tuæ ac grati animi pro ſingulari benevolentia accipias. Potuiſſem quidem in eo multa accuratiori ſtudio & prolixiore deductione agitari: at laborum onus eſt, quod impedivit, quo minus multis meditationibus vacarem. Eruditiſſimas de mercurii motu in barometro cogitationes ſerius, quam optarem, vidi, eo ſcilicet tempore, quo jam prelo excuſa eſſent, quæ ad hanc rem pertinent. Libentiſſime alioquin eaſdem tanquam maximæ utilitatis futuras ſubnectere voluiſſem. In hoc qualicunque labore, ſi quid obvenerit monendum, ſane me mirifice devincies, ſi candide & libere de ſingulis me commonefeceris, ut in ſequentibus, ſic enim Deo volente conſtitui, univerſa recognoſcere, & admiſſas mendas emendare poſſim. Jam pauca tantum exemplaria exhibeo copiam facturus, ſi commodior mihi occaſio obtigerit. Cæterum obſtrictum me Tibi pro aliis Tui favoris documentis tum pro communicando phoſphoro perpetuo profiteor. Ita vale mihique favere perge. Dabam Halæ d. xxii. Febr. cIↃ IↃccI.

nominis Tui
Vir Illuſtris
perpetuus cultor
Fridericus Hoffmannus.

Vir Illuſtris atque Excellentiſſime Fautor ætatem colende.

Nobiliſſime, ampliſſime & experientiſſime Vir Fautor honoratiſſime.

MUltum me Tibi debere ſentio, quod adfectus erga me Tui & faventis animi, utrum non nimis judicii teſtimonium publicum & perenne exſtare volueris in pulcherrimi & utiliſſimi libri inſcriptione. Ita enim cenſeo, vix quicquam fieri poſſe proficuum jamque optandum, ut in regiis ditionibus publica auctoritate imitatio hujus curæ Tuæ paſſim obtineatur. Deum immortalem! quantas mox theſauros eſſemus habituri experientiæ medicæ ac phyſicæ. Cœpit aliquid Ramazzinus, ſed rem potiſſimam non ſatis adhibuit. Vellem aliqua alia ratione teſtari poſſe, quantum ego Tibi & reſpublica magis debeat. Percurri diſſertationem Tuam egregiam, & puto Tuis meas qualeſcunque cogitationes eleganter adjungi. Rogo ut conſideres aliquando per otium, quæ nuper miſeram cum figura. Arbitror enim in iis proximam cauſſam contineri mutationum barometri, in ventis & ſole remotam, dum illi dividunt guttulas aut cogunt. Vapores partim rarefacti, partim imminuti tandem impediuntur a deſcenſu, hinc ponderant in cylindrum, deſinunt ponderare, ubi incipiunt deſcendere. Elaſticæ autem ſuæ partes pondus totius cylindri nec imminuunt nec augent, etſi cylindrum faciant altiorem. Sed deſino. Vale & fave. Dabam Hannoveræ d. xviii. April. cIↃ IↃccI.

deditiſſimus
G. G. Leibnitius.

Vir Illuſtris atque Excellentiſſime Patrone multis modis colende.

EX gratiſſimis Tuis litteris, Vir Illuſtris præclara adfectus Tui in me teſtimonia perſpexi, qua de cauſſa & mihi gratulor, Tibique ingentes gratias ago atque perſolvo. Vidi enim Te non modo conatum meum haud ægre tuliſſe, quum lucubrationes meas qualeſcunque Illuſtri Nomini Tuo dicaverim, verum etiam inſigni gaudio accipio Te arcani novi, mirabilis nempe phoſphori, conficiendi modum mecum communicare velle; avide illum exſpecto & pro eo, magno nomine Tibi ero devinctus. In elaborando certe & arcanum premendo, ſi proceſſum obtinuero, occupatiſſimus, Tibi ſucceſſum omniaque candidiſſime referam. Spiritum meum igneum (*), quem ſcire exoptas, utut nemini adhuc aperuerim, nihilominus omnia mea Tibi patebunt, dexteritati Tuæ offero, citra tamen, ut ſpero, meum detrimentum, quum a nemine uſquam, quod ſanctiſſime adfirmo, mecum communicatus, ſed a me ipſo excogitatus ſit. Proceſſus autem brevis & compendioſus eſt, quem ex adjectis cognoſces. Cæterum obſtrictus quoque ſum, quod inter paucos & me diplomate ſocietatis condecorare conſtitueris. His Te valere jubeo, & ut me Tuo favore ulterius dignari velis, enixe rogo. Vale. Dabam Halæ d. xxii. April. cIↃ IↃccI.

Nominis Tui
Vir Illuſtris
cultor devinctiſſimus.
Fridericus Hoffmannus.

(*) *Videor mihi actum agere, ſi hujus ſpiritus parandi modum hic addere vellem; cum fuſius eum in* obſervat. phyſico chymicis lib. II. obſ. 3. *docui.*

Vir Nobiliſſime, ampliſſime & experientiſſime Fautor honoratiſſime.

QUod pulcherrimum inventum Tuum ſpiritus ignei mecum communicaſti, multas Tibi debeo gratias. Viciſſim Tibi non minus phoſphori(†) durabilis inventũ detego, quod per ſe obtinuit Celeberrimus Dn. Bernoullius Profeſſor nunc Groninganus, quamquam tenue ejus initium invenerit Picardus Pariſinus, quondam mathematicus, ſed hoc noſter perfecit, quemadmodum litterarum ejus excerpta his adjecta docebunt, unde & inventi occaſionem modumque & circumſtantias optime intelliges. Res mihi videtur egregia & magni momenti. Ita enim poſſunt fieri non tantum lucernæ ſepulchrales, quales finguntur fuiſſe antiquorum, clepſydra merculialis noctu lucens, radio mercurii per

(G) 3 longum

(†) *Placet jam phoſphori deſcriptionem auctoris verbis hic ſubjicere. Quum ante aliquot menſes in libro aliquo legiſſem Picardum in ſuo barometro, cum forte per tenebras illud tranſportaret, in parte tubi vacua obſervaſſe aliquem fulgorem ex improviſo apparentem & mox iterum diſparentem, poſtea toties redeuntem, quoties argentum vivum per motum reciprocationis in tubo deſcendebat. Quum vero ſocii ejus in academia ſcientiarum regia idem in ſuis barometris tentare vellent: nemini res ſucceſſit, donec poſtea ex multis barometris, quæ tentata fuerant, unicum reperiretur, quod etiam aliquod lumen, ſed longe debilius, quam Picardinum vibrabat. Hiſce lectis meum barometron, quod uſui ordinario inſerviebat, confeſtim arripio, mecumque porto in tenebras tentaturus, nunquam lucem obſervaturus eſſem; prima enim agitatio erat fruſtranea. Poſtquam vero violentiſſime agitabam, in quolibet deſcenſu mercurii, jam iterum adſcenſuri, luculam aliquam, ſed perquam obſcuram, obſervavi. Hac ſuper re meditari cœpi, & videbatur mihi tandem illam lucem in omnibus barometris apparere, ſi conficiendo barometro tubus alio, quam ordinario, modo impleretur, quo impediatur, quominus ſuprema ſuperficies mercurii in tubo cooperiatur pellicula quadam, quæ omnis mercurius a contactu aëris ſuperinducitur adinſtar pultis & omnium fere liquorum, qui aeri expoſiti talem pelli-*

longum tubum defluente, quæ duo propoſuit Dn. Bernoullius, ſed & alia horologia noctu lucentia ſine ignis metu, & varia corpora durabiliter, ſi moveas tantum, lucida varie figurata. Addo hic explanationem phænamenorum, in barometro, quod nuper viros clariſſimos exercuit. Unum adhuc objici poſſet, quod tamen non veroſimile videtur, peculiarem quendam mercurium hac proprietate gaudere, ſed D. Bernoullius a ſe in diverſis tentatum ait: quod ſi Tibi quoque ſuccedat non amplius dubitandum. Tale & fave. Dabam Hannoveræ d. III. Maii cIↃIↃCCI.

deditiſſimus
G. G. Leibnitius.

culam in ſummitate ſua contrahunt. Hanc enim pelliculam eſſe exiſtimavi, quæ materiam luminificam ex mercurio ſingulis deſcenſibus egredi volentem coërceat. Excogitavi itaque duos modos implendi tubum barometri citra contactum aëris, ita ut columna mercurialis nuda eſſet & immunis ab illa pellicula, apteque illis modis in effectum deductis, & variis barometris ita paratis, feci periculum in tenebris non ſine magna voluptate & delectamento. Omnes enim tubi leniſſima agitatione tam vividam lucem de ſe ſpargebant, ut etiam litteras majuſculas diſcernere potuiſſem, cum tamen antea tubus, modo ordinario impletus eodem etiam argento vivo, nihil omnino vel parum violentiſſimis ſuccuſſionibus luxerit. Tentavi id rurſus argento vivo aliunde comparato, ne quis peculiari ejus qualitati tribueret, eundemque ſucceſſum reperi. Sed hactenus dicta ea non ſunt, in quibus phoſphorus meus conſiſtit, ſed eum hac occaſione ſic excogitavi: ſume phialam vitream robuſtam & recentem, quæ nulli adhuc uſui inſeruit, nam vel minima humiditas aut oleoſitas, intus lateribus adhærens, apparitionem luminis valde imminueret, ſi non plane tolleret. Huic phialæ, ſi capax ſit $\frac{1}{8}$ menſuræ vulgaris, lente infundo quatuor vel quinque uncias mercurii bene purgati, cavendo, ne phiala interim multum agitetur, ſtatim enim mercurius contraheret pelliculam, lumini tam noxiam. Poſtea antliæ pneumaticæ ope extraho aërem ex phiala, quantum poſſum, accuratiſſime; quo facto phialæ orificium claudo, vel cæmento obturo exactiſſime; quo facto phialæ orificium claudo, vel cæmento obturo exactiſſime, ne poſt extractionem aëris vel minimum ingrediatur. Omnia ſi bene ſint obſervata atque parata; removeo phialam ab antlia, eaque parata; removeo phialam ab antlia, eaque mihi præbet phoſphorum perpetuum portatilem. Nam in denſiſſimis tenebris ſi phialæ valde ſurſum deorſumque agitetur, tota phiala ſplendidiſſima ſubito adimpletur, nec illa ceſſat, niſi ceſſante agitatione. Diceres Te videre aquam ignitam totam phialæ capacitatem perfundentem. Lumen ejus, ſi phiala rite præparetur, non minus vividum eſt, quam phoſphori ex urina. Præterea non ut in barometro alternatim apparet & diſparet, ſed quam diu mercurius incluſus agitatur, tam diu ſine ulla interruptione ſplendet & tanto vividius quidem, quanto vehementius ſuccutitur.

Vir Illuſtris atque Excellentiſſime
Patrone ſummopere colende.

Diu eſt, quod gratiſſimis Tuis litteris debeam reſponſum. Cauſſa fuit intermiſſionis morbus acutus, qui Berolini, ubi nomine academiæ, ob ſceptrum ſuſceptum, regi gratulari debebam, per aliquot ſeptimanas graviter me adflixit, quocum in gratiam non ita pridem redii. Meo exemplo expertus ſum illud ipſum, quod in nuperrimis obſervationibus docui, utpote a ſolius aëris & ventorum injuriis, quibus corpus in celeri curſu paullo liberius exponebatur, tertianam continuam, quæ Berolini etiam tunc temporis graſſabatur, contraxi. Morbus hic me impedivit, quo minus & in academicis rebus, quæ mihi commiſſæ erant, & in meis ipſis quicquam agere potuerim. Hinc quoque factum eſſe ſcias, quod ſerius, quam par eſt, pro communicato novo phoſphoro mercuriali egerim decentiſſimas gratias, & experimentum cum illo nondum inſtituere licuerit; quamprimum tamen fieri poterit, faciam periculum, hujuſque cauſſa ſingulare inſtrumentum adornandum curabo, quo aër ex phiala poſſit evacuari. Adjunctas ad Illuſtriſſimum Juchsium litteras, quæ mirificum Tuum erga me favorem teſtabantur, nec non eas, quæ ſpectabant ad Dn. Jablonski, amoris quoque Tui in me plenæ erant, ad manus utriuſque peropportune perferendas curavi. Summam hanc erga me benevolentiam atque intimum adfectum, quo de me meiſque viribus bene ſentis gratiſſima mente veneror atque ſemper venerabor, quamvis enitendum mihi ſit, ut Tuæ de me opinioni ſatisfaciam. De acceſſu Tuo, Vir Illuſtris, ut me certiorem facias etiam atque contendo. Vale cæterum Tuoque me amore dignari perge. Dabam Halæ d. xv. Maii cIↃIↃCCI.

nominis Tui
Vir Illuſtris
cultor perpetuus
Fridericus Hoffmannus.

Vir Nobiliſſime, ampliſſime & experientiſſime
Fautor honoratiſſime.

Uti invaletudinis Tuæ nuntius mihi acerbus accidit: ita graviſus ſum intellexiſſe à Te ipſo redditum Te Tibi ac nobis, quod donum diuturnum precor. Tuum ſpiritum igneum maximi facio. Arbitror Hombergium, qui eſt chymicus in Academia ſcientiarum regia Pariſina, accepiſſe aliquam, neſcio unde, inventi Tui notitiam. Nam cum ejus generaliſſimam mentionem feciſſem in litteris ad Fontanellium, academiæ ſecretarium, nec niſi effectum miræ promtitudinis efficaciæque ſuper omnia hactenus nota in hoc genere experimenta commendaſſem; reſpondit his verbis: in noſtra noviſſima congregatione publica Hombergius experimentum illud ipſum de quo loqueris, fecit, duorum liquorum, qui in momento & cum violentia miſcendo inflammabantur. Et quod maxime ſingulare ac pulchrum eſt, condidit ille propoſitionem phyſicam generalem hanc: omne oleum eſſentiale ex planta indica aromatica veluti cinnamomi, ſaſſafras, caryophyllorum &c. cum ſpiritu acido bene dephlegmato inflammatur. Petit a me, ut ſi quid norim, quo illuſtrari hoc argumentum, & propoſitio aut extendi aut modificari poſſit, ut communicem cum academia: Tuum erit judicare, Vir Eximie, an adeo generalis ſit illa propoſitio Hombergii. Ham ſi bene memini, dicebas non ſuccedere niſi in oleo caryophyllorum aut cinnamomi & ſaſſafras, ille ad omnes ſpiritus acidos extendit. Velim Tibi primæ inventionis honorem vendicari. Si quid etiam ad me ſcribere velis, jubere penes Te eſt ac ſuppeditare, quoniam mihi videtur publica auctoritate injungi poſſe medicis, qui ex publico ſalaria precipiunt, ut obſervationes epidemicas Tuo exemplo conficiant. Præſcribere quæſo Germanice inſtitutionem quandam ad communem captum, quo id commode dari poſſit. Neque etiam omnes ſunt capaces τῶν ἀκριβεστέρων & præſtat eos paullatim introduci. Neque enim dubito, quin, qui minora poterunt, mox ſint ad majora profecturi. Fortaſſe ergo initio poterunt omitti barometrum & thermometrum, ſufficient venti & aeris & frugum & animalium, & maxime corporum humanorum ſtatus oſtendens ſeſe pro genere & more morborum. Credo tale quid fieri poſſe etiam apud noſtros. Ante proximas nundinas Brunſvicenſes Berolinum cogitare non audeo. Quod ſupereſt vale & me ama & in præclaris conſiliis operibuſque cum ſumma laude Tua

ac

ac fructu publico perge. Dabam Hannoveræ d. XII. Jul. cIↄIↄccI.

deditiſſimus
G. G. LEIBNITIUS.

Illuſtris atque Excellentiſſime Vir
Fautor ætatem colende.

PEropportunè mihi traditæ ſunt honoratiſſimæ Tuæ litteræ, quibus mihi perſpectam dediſti Tuam erga me ſingularem benevolentiam. Gratias & debeo & habeo maximas, & ut mihi Tuam voluntatem conſerves ſummopere rogo. Non dubito, ſi per tempus in aula noſtra ſubſtiteris quin præclarum illud ſocietatis inſtitutum ad optatum effectum provehi queat. Plures enim, quod diſſimulare non poſſum, de totius rei progreſſu non leviter dubitare cœperunt: firmiter tamen mihi perſuadeo, ſi Tu, Vir Illuſtris, Berolini apud Regem & miniſtros, quoniam nonnullos huic negotio favere deprehendi, hanc rem ſevere urgeas, ſucceſſum fore fauſtiſſimum, præſertim quum ad regiam gloriam tendant univerſa, & hæc cœpta jam nimis ſint evulgata atque decantata. Pergrata mihi fuere, quæ de experimento HOMBERGII allata ſunt: idem de eodem reperi in *Nouvelles de la Republique des Lettres Juillet p.* 97. Unde hic hauſerit hujus ſpiritus notitiam, non reperio. Ego vero ſancte adfirmo, nullum mortalium id experimentum mecum communicaſſe, ſed a me ipſo inventum eſſe: interim an etiam res alios inventores agnoſcat, me quidem priores, non ſatis gnarus ſum, nec temere negabo. Quod ad omnia olea eſſentialia & ex India advecta poſſit experimentum extendi, falſum eſt. Nullam enim cum oleo macis, nuciſtæ & cardamomi unquam obſervavi efferveſcentiam, neque cum alio ſpiritu acido, quam ſpiritu nitri concentratiſſimo, experimentum mihi ſucceſſit. In animo eſt propediem, modo tempus ſuppetat, experimenta quædam circa ignem adornare, eaque ad illuſtrationem ſpiritus ignei effectus facientia, publici juris facere. Hactenus in experimentis chymicis parandis aliquantum deſudavi, & profecto memorabilia ſunt quædam, quæ inveni, inter quod illud eminet, oleum vitrioli fixum & corroſivum totum in ſpiritum aromaticum, ſuaviſſimi ſane ac penetrantis odoris ac ſaporis, verti, magna portione terræ nigræ relicta. Plura ſunt ejuſmodi curioſa, quæ hactenus inacceſſa fuerunt, quia non eſt cujuſvis quidvis pro lubitu eruere, niſi & ingenium volentibus & inſtrumentorum copia ingenioſis ſubveniat. Ad obſervationum conſignationem barometricarum quod attinet, eas ad exemplum, a me nuper propoſitum, adornari poſſunt. Barometrum ſi velint omittere, perinde erit, modo ventorum rationem habeant & fideliter hiſtoriam anni naturalem, itemque graſſantium morborum naturam accurate exhibeant. Interim me Tuo perenni patrocinio & benevolentiæ, cujus ſigna adhuc dediſti, & quibus antiquius nihil mihi eſt, de meliori commendo. Vale ſtudiiſque meis impoſterum fave. Dabam Halæ d. XVIII. Jul. cIↄIↄccI.

Illuſtris Nominis Tui
devotiſſimus
FRIDERICUS HOFFMANNUS.

Vir Nobiliſſime, experientiſſime & celeberrime
Fautor honoratiſſime.

SIgnificare volui, me intra quatriduum hinc diſceſſurum, & iter Berolinum arrepturum. Itaque ſi quid mandare voles, illuc deſtinabis. Facile intelligis res ſocietatis novæ regiæ lentis paſſibus incedere debere, ſed ſat cito, ſi ſat bene. Puto non omnium fore tam exactas dare obſervationes meteorologicas: neque enim omnes barometra & alia inſtrumenta ſimilia aërometrica ad manus habent. Itaque optarim, exiguum aliquod ſchema a Te in moduli formam delineari, pro uno menſe ex Tuis ſumtum, quod alii imitari facile poſſunt, donec omnes paullatim ad majorem accurationem excitentur. Inſigne videtur experimentum Tuum, quo oleum vitrioli corroſivum convertis in ſpiritum aromaticum. Multa quidam jactant in alchemia de ſpiritu volatili vitrioli, qui prodeat, ſi communis ſpiritus vitrioli ſali tartari inſtilletur. BASILIUS VALENTINUS, vel qui ſe hoc nomine occulit, mira de eo promittit; ſed quæ hactenus nemini ſucceſſere. Neſcio quis mihi dixit, novas Tibi lites eſſe cum Nobiliſſimo THOMASIO, qui defendat, effectus ſiphonis antliæ &c. qui vulgo adſcribi vacuo ſolent, non oriri a gravitate aëris, ſed hoc facile in animum meum inducere poſſum, cum ſit vir peringenioſus. Neque enim credo aliquid eum in animo habere ſimile ſpiritui hylarchico HENRICI MORI, qui & ipſe doctrinam nunc communem impugnabat. Ego puto, omnia phænomena naturæ explicabilia eſſe mechanice, ſi quis cauſſas intelligat: etſi agnoſcam, ipſa principia legum motus altiora eſſe, neque ex ſolis mathematicis conſiderationibus poſſe deduci: cum interveniat quiddam ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ, ſive a cauſſa finali. Quod ſupereſt vale & fave. Dabam Guelpherbyti d. XXII. Sept. cIↄ Iↄcci.

deditiſſimus
G. G. LEIBNITIUS.

Vir Nobiliſſime & Ampliſſime
Fautor honoratiſſime.

PEr Dn. STARCKIUM intellexi, me rerum tuarum, qua licuit, ſat egiſſe. Regi, Reginæ & Regio Principi ac Dominis Marggraviis fratribus natu minoribus, præſentibus Dominis comitibus Wartenbergio, Donavio & Denhovio oſtendi experimentum ſpiritus ignei, cum Rex Luceburgi eſſet apud reginam: ſpectatum eſt magno applauſu. Deinde placuit Regi, ut mandata dentur per provincias inſtituendarum obſervationum cauſſa, quæ Tuis ſint ſubſimiles. Itaque urgebo expeditionem, & curabo formari aliquid mittendum ad Tuorum præſcriptum. Jam vellem obtineri aliquid in rem Tuam, ſi modo ratio viaque oſtendatur. Centum thal. aiunt Regem adhuc in controverſia eſſe cum veſtris ſtatibus provincialibus academiæ veſtræ cauſſa. Itaque mentem explica quæſo mihi quam primum, & , ſi potes, aliquid facilitatis oſtende, ut, quod ego ſuaſi, Tibi experimentorum inſtituendorum nomine ſolvantur annui centum. Nam collegii experimentalis unam lectionem centum metaphyſicis, logicis, ethicis, quales vulgo audiuntur, præfero. Neque id diffitentur noſtri. Itaque ſuggere aliquid primo quoque die, quo uti poſſim apud Dnos Miniſtros. Res ſocietatis non male procedunt. Rex ipſe favet, faventque miniſtri primarii. Jam urgeo negotium miſſionum in remotas regiones. Vale & fave. Dabam Berolini d. I. Nov. cIↄ Iↄcci.

deditiſſimus
G. G. LEIBNITIUS.

Vir Nobiliſſime, experientiſſime & celeberrime
Fautor honoratiſſime.

TUa putavi referre, ut ſcires, quæ ad me ſcripſit d. XVII. Junii hujus anni ſecretarius academiæ regiæ ſcientiarum incrementis deſtinatæ circa ſpiritum igneum. Significaverat ille, olim HOMBERGIUM ad Academiam retuliſſe, omne oleum aromaticum Indicum, cum ſpiritu acido flammam concipere. Cum ſcilicet generale quid de effectu ſpiritus ignei eidem ſecretario perſcripſiſſem, reſponderam ego, Tibi videri non ſuccedere rem in iſtis oleis aromaticis omnibus. Itaque nunc ſequentia reponit: *Il eſt certain, que toute huile eſſentielle aromatique des Indes eſt propre à l'inflammation des liqueurs: mais il ne faut pas s'étonner que Mr. Hoffmann n'ait pas trouvé cela general, quoiqu'il le ſoit. L'experience eſt très-delicate: Elle reuſſiſſoit dans un air ſec, & non pas dans un air tant*

ſoit

ſoit peu humide. Elle manqua deux ou trois fois de ſuite à Mr. Homberg, *ſeulement parce que les verres, où l'on verſoit les liqueurs, n'avoient pas été exactement nettoyés, & qu'il y reſtoit quelques gouttes d'eau.* Reſpondi in noviſſimis meis fieri poſſe, ut Dn. Hombergius ampliaverit, quod a Te in quibuſdam caſibus fuit obſervatum. Interim uti Tua fert manipulatio non adeo referre, utrum humidus ſit aër, an ſiccus. Et revera, puto præparationem Tuam ſpiritus acidi eſſe meliorem, etſi interim id quoque, quod generaliter de omni tali oleo affirmat Hombergius, negare non auſim, Tuæ ergo diſcuſſioni rem relinquo. Reverſus huc ante aliquot ſeptimanas non magnos adeo progreſſus rerum ſocietatis video, quod etiam non miror. Sane quod editum fuit circa ephemerides medico meteorologicas, non ſatis eſt ad mentem meam, & nec tum ad effectum deducta ſunt, quæ juſſu publico per provincias de inſtituendis obſervationibus proponebantur. Sed vix aliter in his initiis agi poteſt, dum nemo præſens adeſt, cui ſatis aut vacet aut liceat hæc curare, paullatim tamen omnia procedent. Notante Tibi ratio eſt parandi coria, quæ aërem incluſum retineant, ut verbi gratia culcitra inde confici poſſint, quæ per xxiv. horas circiter pondus ſuſtinere queant, quantam eſt inſidentis hominis aut incumbentis, antequam opus ſit nova inflatione aërem renovari? Vellem ea de re intelligere judicium Tuum, nam res perutilis foret. Atque ego quoque per idem tempus adero, & fortaſſe adhuc paulo diutius. Si quid ſit, in quo hic Tibi utilis eſſe poſſim, facias, ut mandata Tua intelligam. Quod ſupereſt vale & fave. Dabam Lützenburgi prope Berolinum d. xxv. Jul. cIɔ Iɔccii.

deditiſſimus

G. G. Leibnitius.

Vir Illuſtris atque Excellentiſſime
Patrone ſumme colende.

INſigni ſane gaudio adfectus ſum, cum ex Tuis ad me datis litteris intellexerim, Te non modo bene valere & ſocietatis perficiendæ cauſſa jam Berolini degere, ſed & adfectum Tuum, jam pluribus mihi documentis comprobatum, erga me adhuc integrum ſervare. Et quemadmodum Te nunquam non colui, Tuaque ampliſſima merita æſtimavi, ita nunquam deſinam, Tuam erga me voluntatem omni veneratione ac officiorum genere conſervare. Non diſſimulare poſſum, a plurimis plane dubitatum fuiſſe de progreſſu & ſucceſſu Societatis Pruſſicæ, quæ non tam ad gloriam Regis, quam ad publicum maxime bonum ſuſcepta & ordinata fuit. Vehementer itaque gaudeo, Te virum indefeſſi laboris ac ingenii non quieſcere, ut res incepta ſecundum ſortiatur eventum. Obſervationes meteorologicas præfixa methodo continuavi, & duos annos hoc impleto in lucem de novo edam. Optandum maximopere eſſet, ut, ſi uſum exoptatum habere debeant, ipſæ aliis quoque diſſitis locis adornentur. Grata mihi quoque fuerunt, quæ circa experimenta ignei ſpiritus ex Gallia, mihi referre voluiſti. Meus ſpiritus tantæ eſt efficaciæ, ut non curet humiditatem aeris, nec flammam, ſed vehementiſſimum ignem in momento producat, ſi rite fuerit præparatus. Circa corii præparationem experimentum nullum feci, ut aerem incluſum ſervet, ſed data occaſione faciam. Interim notum mihi eſt, parari culcitras ad ſeſſionem aptiſſimas, ex elateribus chalybeatis conſtantes. Cum ante annum & ultra honore Tuæ præſentiæ gauderem, mentio a Te facta fuit, an non accuratum thermometrum, quod non effectum barometricum habeat, conſici poſſit. Ex hoc tempore meditatus ſum hac de re, quam tamen ad effectum perducere non potui, ob vitrorum defectum. Ante duos autem menſes curavi, taliſmodi vitra ab homine harum rerum non ignaro per lampada præparari, quæ ſunt phialæ tenuiſſimo canale conſtantes, quas ſingulari labore & encheireſi ſpiritu repleo, & aëre quocunque extracto, claudo. Dici vix poteſt, quam accurate ſingulis horæ quadrantibus monſtrent aeris expanſi differentiam, adeo, ut 4 & 5 graduum ſeu 41. c. pollicum Rulandici pedis interdiu & nocte ſit differentia. Scripſi hac de re ad ſumme Reverendum Dn. Iablonski, qui in litteris ad me datis mentionem facit barometrorum, quæ in officinis vitriariis parare volunt. In animo fuit hanc inventionem thermometri cum ſocietate publice communicare, deſcriptione & uſu adjecto in ſchediaſmate, ſed nolo id facere, ante quam veſtram inventionem cognoverim. Feci nuper iter ad loca quædam Rhenana, ubi non ſatis prædicare poſſum Electoris Moguntini, Landgraviorum Caſſelani & Darmſtadienſis curioſitatem circa res phyſicas & medicas, eorumque munificentiam. Vale & fave mihi. Dabam Halæ d. xii. Sept. cIɔ Iɔccii.

Nominis Tui
Vir Illuſtris
cultor perpetuus
Fridericus Hoffmannus.

Vir Nobiliſſime atque Experientiſſime
Fautor & Amice honoratiſſime.

DIu eſt, quod ſilui: ſilentii partem commodioris occaſionis defectus, partem negotia graviſſima exſequenda ſibi vendicant. Quod nunc vero ſcribo cauſſa eſt; deliberavi nuper cum his, quibus potiſſimum ſocietas ſcientiarum curæ eſt, annon ratum iri poſſit, quotannis miſcellanea quædam ſelecta edere, quæ partim a ſociis, partim etiam ab aliis ſuppeditarentur. Dixi me non dubitare, quin a Te inprimis ſuppeditari ſubinde aliqua poſſent digna Te, digna ſocietate, denique publico profutura; & hoc Tibi ſignificare in me recepi. Nec deſpero, ubi ſemel ſignum publice datum fuerit, ſecuturos progreſſus non pœnitendos. Itaque circumſpice, quæſo, opes Tuas, & ſi quid occurrit, quod e re videtur, id in uſus noſtros, aut potius communes para, mihique indica. Mathematica, medica, phyſica, litteraria gratanter accipientur. Nec ipſe deero quædam addere. Pro diſſertatione erudita de influxu ſiderum gratias ago. Vellem etiam quam generaliſſimum, ſole lunaque exceptis, noſceremus. Gaudeo Dn. Wolffium profeſſoris munus diu promeritum in ſe ſuſcepiſſe, qua in re plurimum Tibi debet. Salarium etiam ſpero ſecuturum, ſine quo Sparta ornari non poſſet. Antonii Mariæ Valſalvæ librum de aure humana nunc præ manibus habeo, commodato mihi datum ab Anglo Viro docto, qui ex Italia ſecum attulit, editum in 4to cIɔIɔccIV. Auctor ab annis amplius decem in eo elaboravit, &, ſi quid judico, priorum labores vicit. Figuræ ſunt inprimis diligenter delineatæ, menſuræque oſſiculorum & canalium labyrinthi accurate exhibitæ. Spem etiam facit auctor auris artificialis. Quod ſupereſt Vale & fave. Dabam Berolini d. xv. Jan. cIɔIɔccvii.

deditiſſimus
G. G. Leibnitius.

DISSERTATIO THEOLOGICO-MEDICA DE OFFICIO BONI THEOLOGI EX IDEA BONI MEDICI.

MAgnam & perutilem eam eſſe cognationem, qua præclaræ ſcientiæ ac diſciplinæ inter ſe copulantur, neminem ignorare arbitror. Sunt autem, fateor & vehementer doleo, qui tantum uni ſtudiorum generi vacant, iiſque, quæ ad uſum ex certa diſciplina hauſere, uſque eo indulgent, ut alias artes, præterquam proprias, neque ignorare pœniteat nec ſcire curæ cordique ſit. Ex adverſo ſapientiores ſunt ii, qui ad exornandam ſuam diſciplinam, cui ex inſtituto ſeſe conſecrarunt, ſocia & adfinia ſtudia in ſubſidium vocant, ex quibus poſtmodum plura perquam utilia, & quæ ingentem lucem in cæteris rebus tractandis ſpargunt, feliciter depromere & ad quamvis pro lubitu ſcientiam accommodare poſſunt. Ego vero, ſi quid judicare poſſum, ſic habeo: non poſſe quempiam ſolide eruditi viri nomen tueri, niſi qui non modo ſuæ doctrinæ, quam profitetur, fundamenta, ſed vicina quoque ſtudia, ſibi familiaria reddiderit. Nolo hanc adſertionem longa argumentorum ſerie confirmare, ſed tantum in præſenti conſtitui harmoniam medicinæ corporis & animæ, per quam theologiam intelligo, clarius pleniuſque interpretari. Dici enim vix poteſt, quam amice natura & gratia conſpiret & viſibile ſit inviſibilis ſpeculum, hinc ordo, ratio & methodus, qua peritus Medicus in tollendis morboſis adfectionibus utitur, non alia, ſed una eademque eſt, cui animæ Medicus inſiſtere debet. Quæ cum ita ſint, non inutilem laborem, nec a munere meo alienum fore judicavi, ſi ex medicina & medendi regulis, methodum ſanandi animam derivarem, & officium boni theologi ex officio boni medici deſcriberem.

Ii vero exquiſite mihi videntur ſapere, recteque theologiam pertractare, qui cum medicina eandem componunt, & ex hac, methodum animæ morbos expugnandi addiſcunt. Medicinam habitum eſſe mere practicum, non nudis contemplationibus contentum, res ipſa loquitur. Equidem multa ſubſidia variarumque rerum ſcientiam ſupponit, quibus ille inſtructus eſſe debet, qui praxin medicinæ rationalem cum laude exercere allaborat. Perinde quoque ſeſe res habet cum theologia, cujus unicus ſcopus praxis & animarum ſalus eſt, & eſſe debet, utut cognitionem & accuratam rerum divinarum theoriam ſupponat.

Quemadmodum veri Medici nomen haud meretur, qui de morborum cauſſis & de medendi methodo tantum ingenioſe & ſubtili ratione diſſerere, ſed qui remedia prudenter ad quemvis morbum applicare novit: pari ratione eum pro vero theologo non agnoſco, qui tantum de rebus divinis ſubtiliter diſputat, & ſuæ religionis doctrinam acriter defendit; neutiquam vero prudenter ea doctrina utitur, ad animi labem ejuſque virulentiam corrigendam.

Duplicem medicinæ ſcopum eſſe videlicet ſanitatem amiſſam reſtituere, reſtitutamque conſervare res extra omne dubium poſita eſt. Neque ullum alium ſcopum theologus ſibi præfixum habeat, quam ut corruptam mentem in integrum reſtituat, eamque ab omni labe ac gravi morbo tueatur atque præſervet.

Immotum deinceps ac firmum medicina agnoſcit principium, eſtque hoc natura, ſive mirabilis ille & pulcherrimus partium corporis noſtri ac motuum certum in finem ſpectantium ordo atque concentus, quem mechaniſmi nomine noſtro tempore efferre ſolent. Hoc immutabile & certiſſimum eſt illud principium, quod nunquam erat, ſed neceſſarios effectus producit, hujus qui perfectam notitiam habet Medicus & eo recte ad finem obtinendum uti ſcit, is demum veri Medici nomen ſuſtinet. Gaudet quoque ſuo inconcuſſo ac certiſſimo fundamento ipſa theologia, quod verbum Dei revelatum eſt, in quo admirabilis & rerum divinarum ordo ac concentus in æternam animarum ſalutem conſpirans, animadvertitur; quo ſi theologus prudenter utitur, is demum officio ſuo recte fungitur. Sicuti autem naturæ auctor eſt DEUS, qui vires curatrices remediis infudit: ita quoque gratiæ & virium, quæ in verbo ejus reconditæ ſunt, ſalutarium autor eſt ens illud infinitum.

Præterea unanimis eſt conſenſio, duobus medendi artem quaſi cruribus ac fulcris inniti, quorum alterum eſt experientia, alterum λογισμὸς ſeu ratio, ſecundum hæc, quicquid ſentiunt in theoria, quicquid aiunt in praxi, dijudicant atque expendunt Medici, &, quicquid cum hiſce convenit, approbant; rejiciunt autem, quod non cum iis habet convenientiam. Theologia quoque eſt rationalis & res experientiæ. Theologus, ut Medicus non aliud ſubſidium recte intelligendi ac applicandi verbum divinum tenet, quam ſanam rationem, experientia ſtabilitam. Medicus ab experientia maxime commendatur, quæ judicio, ætate, & multorum caſuum attenta obſervatione acquiritur: ita non minor diſ-

ferentia ponenda eſt inter theologum peritum & minus talem, inter ſenem ac juvenem. Sicuti enim in omni re feliciter expedienda judicio & applicatione opus eſt, ita illud maxime in ſanatione animæ procedit.

Plura ſunt, quæ ex medicinæ partibus ac fundamentis perquam commode mutuari ac applicari ad theologiam poſſunt. Quinque vulgo medicinæ partes recenſentur, phyſiologia nimirum, pathologia, ſemiotica, hygieine & therapeutica. Nam quicunque corpus humanum a morbis præſervare vel eos curare intendit, is primo omnium ſtatum ſecundum naturam ſive ſanitatis indolem probe perſpectam habeat, dein cauſſas lædentes ſciat, eaſque per varia ſigna cognoſcat neceſſe eſt. Quocirca ſapienter procedunt ii theologi practici, qui, in quo ſalus ac integritas animæ ante peccatum conquieverit, prius inquirunt, poſtea ea ſcrutantur, quæ ſtatum hunc ſanum turbant ac evertunt. Qui non tali ordine procedit, is neque cum ratione neque cum certitudine, vitia animi & corporis ſanat.

Fundamentum ſanitatis & vitæ ſcite ponitur motus cordis, & circulus ſanguinis temperatus, placidus ac æquabilis, hunc mox actionum vitalium integritas ſequitur. Animæ noſtræ ſalus ac felicitas quid aliud eſt, quam ejus motus tranquillus, æquabilis, regularis, id eſt, ſecundum voluntatem Dei ordinatus? Hoc præſente, omnes hominis actiones labe & vitio carent, hic animæ ſtatus veram obedientiam atque amorem erga Deum exprimit, hic ſtatus nos cum Deo conjungit, in qua unione & ſocialitate genuina animæ perfectio ac felicitas verſatur.

Cor principium ac fons vitæ & ſanitatis eſt, & ex ejus motu ac pulſu æquabili totius ſanitatis negotium peritus in arte Medicus æſtimat. Simili ratione cor ſpirituale, per quod animum hominis intelligo, eſt principium & fons omnium actionum, ex quo omnis moralitas æſtimari debet. Morbi corporis nil niſi turbulentæ ſanguinis ac ſpirituum commotiones ſunt, quæ exercitium vitale proxime depravant atque pervertunt. Peccata animique morbi & vitia, quid aliud ſunt, quam plane irregulares, hoc eſt a divinæ voluntatis ordine ac regula deflectentes mentis turbationes ac commotiones? quæ fundamentum omnium vitioſarum hominis actionum ſunt.

Tametſi autem omnes morbi corporis ex una radice, nempe irregulari ſanguinis & ſpirituum circuitu, proveniant, diverſiſſimis tamen effectibus & ſymptomatibus ſeſe exſerunt, diverſaque inde ſortiuntur nomina: ita in ſpiritualibus una radix peccatorum eſt inobedientia, quæ prout per varia objecta variiſque effectibus ſeſe prodit, diverſis vitiorum nominibus indigitatur.

Medicus in cauſſæ morbificæ vim & magnitudinem non aliter penetrat, quam per effectus morboſos atque ſymptomata. Nulla enim morbi cauſſa eſt, quæ ſe non prodat ac manifeſtet effectibus. Neque aliud theologo ſuppetit medium perſpiciendi gradum ac vim corruptionis in anima, quam ſedula obſervatio ipſarum cupiditatum & actionum hominis, quas omnes inter ſe diligenter conferre, & ad divinæ voluntatis regulam æſtimare debet.

Medico cognitio cauſſæ morbificæ ad ſanandum admodum eſt neceſſaria, adeo, ut, qui bene cognoſcit, bene curet; quia curare nihil aliud eſt, quam morborum cauſſam convenienti remedio tollere: eodem modo, animæ archiatrum, ſignorum & ſymptomatum rationem ad cujuſvis animæ ſtatum inquirendum diligenter habere oportet.

Quemadmodum porro ſanitas ex actionum vitalium integritate & exercitio æſtimatur, neque is ſanus dici poteſt, qui adhuc graviſſimis ſymptomatibus exagitatur: ita etiam regenitus non dicendus vel judicandus ille eſt, qui habitualibus & peſſimis vitiis adhuc inhæret.

Neque Medicus in dignoſcendo temerarius, ſed circumſpectus eſſe debet, non modo præſentia ſed & antecedentia vitia conſideret, non quædam, ſed omnia exquiſite inter ſe conferat. Certe, ſi ulla in re, profecto in judicio ferendo & formando de ſtatu hominum, quoad animum, caute & circumſpecte is procedere debet, qui publice & ordinario ſaluti animarum proſpicit. Medicus non majus dedecus ſibi conciliat, & famam ſuam lacerat, quam imprudenti diagnoſi & prognoſi. Nolo id ad theologos cujuſcunque ordinis fuſius applicare, res enim ipſa loquitur, hac in re ſæpiſſime ipſos decipi alioſque decipere.

Morbos non eſſe unius ejuſdem naturæ, ſed alios leves, alios graves, alios continuos & non continuos, ſanabiles & minus ſanabiles, res in foro medico eſt notiſſima. Animæ quoque archiater morbos, quibuſcum miſerrimæ animæ conflictantur probe dignoſcat; num ii chronici, habituales, virulenti, immedicabiles ſint? num malignitatis & periculi expertes, & ſanationem admittant?

Dari etiam in ſpiritualibus vitia habitualia & contumacia, quæ omnem remediorum virtutem eludunt, non apparet, quidni velimus adſerere? Et ſicuti, quando habituale corporis vitium non cedit remediis, hoc ipſum non Medico, qui ad ſanandum paratus eſt, poteſt imputari, quod certo ordine & tempore adhibitum juvat, ſed in ipſum ægrum, qui omnem medendi viam reſpuit, & præſcripto regimini non obtemperat: pari ratione via gratiæ ſuæ ad ſanitatem animæ perveniendi aditus eo ſenſu peccatoribus præcluſus dicitur, non quod Deus vel ejus verbum ſaluberrimum in culpa ſit, ſed ipſa contumaciſſima indurati peccatoris voluntas, cui tanta ineſt virulentia, ut neque cœleſte remedium admittat, neque ex eo ullum motum vel ſenſum ſalutarem amplius recipiat: igitur non eſt in Medico nec in theologo, ſemper relevetur ut æger, interdum docta plus valet arte malum.

Verumtamen nihil ſecurius eſt, quam ſi quis metuens morbum, ſtatim & mature conſulat Medicum. Scite hac de re HIPPOCRATES: *ab omni*, inquit, *arte aliena res eſt dilatatio, maxime vero a medicina.* Et vetus parœmia eſt: *pars ſanitatis eſt, velle ſanari.* Quapropter cura animæ nunquam eſt negligenda neque procraſtinanda, ſero enim hic medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras.

Perplacet autem ex ipſa medendi methodo interiores regulas, quibus peritus Medicus uti ſolet, ad animæ medicinam ejuſque vitiis medendi modum transferre. Primo omnium ſcilicet dicendum eſt, non dari medicinam univerſalem, quæ omnibus individuis, omni naturæ & omni tempori quadret. Peſſima ac vulgaris eſt opinio, quæ plures etiam egregios viros, ſed medicinæ imperitos, decepit, dari adverſus morbos ejuſmodi remedia, quæ nullo reſpectu habito cauſſarum lædentium, nulla habita temporis & individuorum ratione, certiſſime depellant morbos. Hæc falſa perſuaſio a multis retro temporibus ampliſſimam empiricorum praxi ſubminiſtravit occaſionem. Equidem infinitus rerum conditor certas remediis indidit vires certamque medendi efficaciam, quæ tamen vis non abſoluta eſt, ſed ad certum ſubjectum, certam cauſſam, ordinem, doſin & tempus reſtricta eſt; & in eo verſatur prudens remediorum applicatio,

catio, quæ ſi negligitur, hoc, quod datum fuit ad ſalutem, in damnum potius & detrimentum corporis cedit. Remedia ſpiritualia, per quæ verbum & ſacramenta indigito, vivam & internam vim ſanandi labem ac voluntatis noſtræ corruptionem poſſident; nihilominus horum applicatio certum ordinem & certum ſubjectorum ſtatum exigit, neque locum, nec tempus nec continuationem excludit. Quicunque itaque præpoſtere his efficaciſſimis mediis utitur, huic ſæpius, quæ in vitam & ſalutem data ſunt, in damnum, ipſius Chriſti effato, cedunt.

Nullus in medendo ſolet eſſe felicior, quam qui ipſe morbum expertus eſt, & ex eo medicinæ ope convaluit: ita nullus ex iis, qui mediorum cœleſtium adminiſtrationi præſunt, felicius ſanat, quam qui ipſe converſus & ſanus factus eſt. Hic proprio experientiæ ſenſu addidicit ordinem, & methodum applicandi generoſa animæ præſidia.

Et ſicuti negari non poteſt, plures ægrotos perire, non ex morbi & remediorum culpa, ſed ex Medicorum ignorantia & culpa, qui vel ægrotantes negligunt, aut plane deſerunt, vel ſolida ratione & experientia applicandi remedia ſunt deſtituti: ita non erubeſco edicere, multas animas perire miniſtrorum Dei culpa, qui non curam debitam earum habent, neque rectam viam, ordinem & methodum, opitulandi variis mentis defectibus, neque in ſe, neque in aliis, per experientiam didicerunt, ſpiritualis œconomiæ & ordinis plane ignari. Hi ſæpenumero virtute ſaluberrima privant media, per ſe efficaciſſima.

Medicina corporis clinica eſt, & ſpectat ad individua; non enim datum eſt Medico una methodo omnes curare, utut eodem morbo laborent, ſed cujuſvis individui ſtatus, & mali cauſſa ſpecialius inquirenda, & eo cura dirigenda eſt: eodem modo res eſt comparata cum animæ medicina, hæc individualis, hæc clinica, hæc domeſtica eſt, & eſſe debet. Curatores itaque animæ noſtræ, qui conſtituti ſunt publici, nequaquam publicis monitis contenti eſſe debent, ſed oportet eos ſingulorum, qui ipſorum curæ concrediti ſunt, quoad animum & cordis interiora, ſtatum, amice, blande & fideliter ſcrutari, & poſtmodum cuivis congruum auxilium & conſilium ferre.

Medicus frequenter viſitando, pulſum tangendo & quærendo de omnibus circumſtantiis, interiora morbi perſcrutatur; ita paſtores animæ, ſuorum frequenti converſatione & conſuetudine utantur; & quantum fieri poteſt, eorum miſeriam ſub ſilentii fide inquirant. Sancta & veneranda antiquitas huic ſcopo optima ſane ratione deſtinavit confeſſionem privatam, ſed proh Deum immortalem! quam deplorandus hujus præclari inſtituti jam notatur abuſus.

Denique præcipua regula in practicis eſt: Medicum ante omnia cauſſam morbi aggredi, & tollere debere, non autem ſymptomata curare. Palliativa ejuſmodi vocatur cura, quæ radicem & fontem mali negligit, talis non expers eſt periculi, utpote vel recidivas ingignit, vel pejorem morbo habitum introducit. Cauſſa autem morbi ſublata, omnia ſymptomata, quæ cauſſæ duntaxat effectus & producta ſunt, ſponte concidunt atque exſpirant. Perperam quoque agunt ii theologi, qui plus ad peccata & vitia hominum, quam eorum fontem reſpiciunt. Complures ſunt, qui eximii quid ſe præſtitiſſe imaginantur, poſtquam ii, qui ipſorum curæ demandati fuerant, non amplius enormibus vitiis inhærent, & ab ebrietate ac prava libidine ſibi temperant, vel ſi ludos, indecoros geſtus ac veſtitum intermittunt & conciones audiunt, verbum Dei ſermone frequenti uſurpant, aliis repetunt, & quæ ſunt hujuſmodi. Fons potius omnium vitiorum, qui inobedientia eſt, detegi debet. Hæc origo omnis miſeriæ humanæ, & primo Adamum, & poſt eum univerſos natos, contagioſa labe infecit. Igitur obſtruere hunc fontem & novum cor, & novam obedientiam ſpiritu Dei accenſam ingenerare, hic genuinus animæ vitiis medendi ſcopus ac prima intentio eſto. Is etiam facile curat, quem prima origo cauſſæ non fallit, & qui hanc amoliri intendit, negligendo ſymptomata: non abſimili ratione in difficili & arduo negotio procedit, qui peccandi conſuetudinem auferre tentat, non autem a cordis & animi interioribus curationibus facit initium.

Deinceps a priſcis jam temporibus celebrata inter Medicorum filios ſententia fuit: naturam optimam eſſe ægritudinum medicatricem, neque Medicum, ſed naturam ſanare, & medentem tantummodo naturæ miniſtrum, non vero ejus magiſtrum eſſe. Hoc eſt, quod etiam animadvertere debent ipſi Theologi. Errant, qui in ſua poteſtate ſitum eſſe credunt, hominum animos pro lubitu mutare atque convertere. DEI hoc opus eſt, qui agit per verbum, qui ſpiritum & vim regeneratricem ipſi indidit, & præclarum totius converſionis proceſſum in verbo ſuo præſcripſit. Proinde quicunque recte hoc ordine in ſalutem animæ utitur, is profecto, ſine opera vel officio paſtoris, ſanabitur; qui vero pro lubitu proceſſum & viam ſalutis ſibi fingit, atque imaginatur, & magiſter vult eſſe ſuæ & aliorum ſalutis, is mirum quantum a veritatis ſcopo eſt alienus.

Animadvertunt porro medentum ſapientiores, nullam ægritudinem tuto eradicari, niſi præceſſerit ingens lucta naturæ & morbi, hac præſente, ſpem convaleſcentiæ ſupereſſe contendunt. Malum autem virulentum & periculi plenum conjiciunt, quando natura non perſentit ejus vim, quando nulla lucta, nulla pugna inſtituitur. Poſſunt hæc ipſa non incongrue ad ſpiritualem medicinam traduci. Etenim recte divinæ ſapientiæ profeſſores ſentiunt, non poſſe ad ſanum & regeneratum ſtatum peccatoris mentem reduci, niſi ante ſeſe oſtenderit gravis lucta inter ſpiritum, ſive vivam verbi divini in corde hominis efficaciam, & inter carnem, quæ perpetuo pravos ſtimulos ac motus ſuggerit.

Obſervant Medici, luctam, quæ in ſtatu morbi maxima eſt, comitari inſigne ſymptomatum augmentum; tunc enim increſcit ardor, augetur dolor, anxietas præcordiorum, inquietudo, ſpirituum oppreſſio, generis nervoſi convulſio viſitur ſæviſſima: ſimili ratione in lucta, quæ eſt inter peccatum & ſpiritum, magna ſæpius animi ad deſperationem uſque anguſtia, inquies, omniumque animi motuum ac ſenſuum convulſio notatur, quæ tamen non malum ſemper edunt præſagium.

Statum morbi atrociſſimum, quando victoria eſt a partibus naturæ, mox inſequitur declinatio ſymptomatum & notabilis remiſſio, omnia enim tunc ad ſtatum pacatum & naturali conformem redeunt. Ita ſpiritualem gravem luctam mox excipere & demulcere quoque ſolet, incredibilis animæ quies, conſcientiæ pax & tranquillitas, cum ineffabili gaudio ſociata. Deus enim, uti natura, proceſſum ſanandi animam auſpicatur a lucta, dolore & triſtitia ſpiritus, quæ via regia eſt, ſine qua nullus inæſtimabilem theſaurum animæ ſuæ invenire poterit.

Ulterius victoriam naturæ in morbis prævidere ſolent peritiores ex certo vacuationum genere, quas appellitant criticas. Hæc convenienti tempore, neque ſtatim inter initia, ſed poſt ſtatum, cum decremento morbi, quando apparent, bonum & certum convaleſcentiæ præbent præſagium. Gaudet etiam ſua criſi pugna, quæ inter ſpiritum & peccati vim intercedit, & eſt intima averſatio, atque ex mente & omni cogitatione excluſio libidinis peccandi, hæc ſi divinam triſtitiam comitatur, nullum dubium eſt, imminere veram ſanationem animæ. Recidivæ autem periculum non minimum ſunt, ſi præcipiti curſu, & quaſi per ſaltum, ſtatim ab initio, antequam vim peccatorum ſenſerit anima, motus tranquillos præſentiat; tales enim, experientia Chriſtianorum teſte, ut plurimum ſpurii ſunt.

Notatu quoque perquam dignus in praxi medica canon eſt: vacuandas primum ſordes impuras & copioſas, & poſtea roborantia adminiſtranda eſſe. Chirurgi vulnera prius ſale & vino abſtergunt & depurant, quam conſolidationem aggrediuntur. Et ulla remedia, quæ vulneribus adhibentur, ſecundum CICERONIS effatum, tam faciunt dolorem, quam quæ ſunt ſalutaria. Exemplum & hic quoque capiant animæ noſtræ antiſtites; evangelium enim nunquam vili præſidio, vel ſaluti erit, niſi lex præceſſerit. Hæc naturæ fervidæ eſt, nam inter ignes & tonitrua lata, hæc terrorem incutit, hæc dolorem excitat, hæc anxietates & moleſtias parit: hoc remedio uſurpato exclamavit DAVIDES: *miſiſti ignem in oſſa mea.* Quando autem doloris acerbitas adeſt, conveniens uſus eſt penes Medicos ſedativorum. In ſpiritualibus genuini ſedativi, analeptici & ſalutaris balſami vices gerit, evangelium, gratiæ & ſalutis pleniſſimum.

Prudens porro Medicus nonnunquam ſimilia ſimilibus, nonnunquam contrariis curat, & modo confortantia, modo purgantia, modo anodyna in uſum advocat, quandoque etiam, ſi ratum fuerit, ad cauteria, ad ignem, ad ſectionem accedit: ita quoque non ab eadem methodo ſemper aberrare debet, qui ſaluti noſtræ ſpirituali conſulit. Is enim pro differentia affectus, pro diverſa natura individui, modo irritare occultum in conſcientia malum, modo ſæva, ex ſenſu peccatorum nata, pathemata mulcere & delinire ſtudeat.

Ultimo loco cautela egregia Practicorum eſt: tuto eum procedere, qui in acutis morbis & paroxyſmis ſedulo ſibi cavet a nimium irritantibus, commoventibus, nec non ab anodynis & ſedativis valentioribus, ſed tantummodo qui confortantibus & temperatis naturæ vires ſolatur, ita ex voto cedere morbum conſtans practicorum obſervatio eſt. Caveat quoque, qui curam gerit animæ noſtræ, ne in graviſſimis ſpiritus afflictionibus, intempeſtive cruciatus augeat, neque etiam eos, qui præſentes ſunt, præmature ſtupefactivis ſiſtat. Utrumque malum eſt, potius hic unice locum inveniunt ea, quæ confortando interiorem hominem agunt.

Res etiam & ordo poſtulat, ut breviter ſtrictimque de parte medicinæ, quæ appellatur hygieine, aliquid dicamus. Novimus non tantum ſanandi, ſed & præſervandi cauſſa natam ac inventam eſſe artem medendi. Præſervatio a morborum vehementia tutior ſemper ac certior creditur, quam eorum depulſio: hanc enim permulta poſſunt remorari. Tutiſſima quoque, quoad ſalutem animæ noſtræ, res eſt, cuſtodire bonam conſcientiam & divina virtute armari adverſus fraudulentos peccatorum inſultus, omnique ſtudio evitare occaſionem peccandi.

Plures iique graves corporis languores, ex iis naſcuntur rebus, quæ non nobis videntur nocivæ: ita plura quoque ſunt, quæ vulgo creduntur non nocitura ſaluti animarum, quorum ab uſu in ruinam inemendabilem anima præcipitatur. Et ſædius blando & innocenti modo initia peccatorum ſeſe inſinuant animis noſtris, quæ poſtmodum infeſtos relinquunt effectus.

Is qui cum morbo rediit in gratiam, curatius jam incipit obſervare & æqua lance judicare ea, quæ ſanitatem cuſtodire, quæve eandem labefactare atque evertere idonea ſunt: ita peccator, ex miſeriæ ſuæ periculo ereptus inque ſtatum gratiæ receptus, cum terrore, & timore ſancto utatur rebus externis indifferentibus, & perpetuo eo reſpiciat, quæ minuere, vel promovere animi valetudinem proſperam poſſint.

Confortantia cenſentur a Medicis eſſe optima adverſus morborum inſultus præſervantia, utpote hæc motum ſanguinis & ſpirituum excitant, ſicque omne humorum vitium avertunt. Non datur quoque præſentius præſervativum, non generoſius analepticum & alexipharmacum, quam quod in evangelio ſacramentis recónditum eſt, hæc vires reales & ſalutares animæ noſtræ infundunt, quibus confortatur, armatur & robuſta fit, ad quævis pericula evitanda.

Verum enim vero dolendum graviter eſt, neminem, quoad corpus, perfecte ſanum reperiri, quod ſperandum non eſt, quamdiu ſub tanto rerum contrariarum corporearum confluxu detinemur. Pari ratione omnem etiam ſpem decollatam eſſe perſuaſus ſum, ad perfectam ſanitatem animum pervenire poſſe, quamdiu carnis vinculis ſumus alligati & inter infenſiſſimos hoſtes, non modo extra nos, ſed & intra nos, verſamur, unde vincula tandem ſolvenda ſunt deſtruendum corpus eſt, deferendus mundus, ut tandem ad incredibilem & puriſſimam felicitatem anima, cujus gratia nata ac producta eſt, perducatur. Felix itaque, terque quaterque beatus eſt, qui humili mente ſuam agnoſcit imbecillitatem, ſuam imperfectionem, & quotidie remediis tam præſervationis, quam curationis ergo, utitur efficaciſſimis.

MEDI-

MEDITATIONES THEOLOGICÆ,

QUIBUS

SUMMA RELIGIONIS CHRISTIANÆ

BREVITER ET PERSPICUE TRADITUR.

INgens & ineffabile cordis gaudium in chriſtiana religione latet, quia per hanc ad veram immenſi amoris DEI Patris & ejus Filii, in mundum miſſi cognitionem, in qua ſpes vitæ æternæ reſidet, perducimur.

Firmum & inconcuſſum religionis chriſtianæ fundamentum eſt, quod Chriſtus ſit verus Deus.

Quicunque fuit in principio rerum creatarum, per quem omnia facta ſunt, qui omnia verbo ſuo ſuſtentat, & qui actualis eſt vita, omnium virium fons, lux mundi & omnium hominum, ſapientia & veritas, immenſus amor & bonitas, dominus cœli & terræ, vivorum & mortuorum alpha & omega, rex regum, ab omnibus ſanctis & angelis adorandus, ille eſt verus DEUS: atqui hæc omnia proprie de Chriſto, per Prophetas, Evangeliſtas & Apoſtolos in veteri & novo teſtamento unanimi conſenſu dicuntur & prædicantur, & per revelationem traduntur; ipſaque opera Chriſti, ut mortuorum reſuſcitatio, converſio aquæ in vinum, morborum inſanabilium curatio, ex pauxillo panis multorum millium cibatio, evidenter ſatis divinam naturam teſtantur. Ergo.

Homo eſt ſpiritus immortalis, intellectu, deſiderio & libera agendi voluntate conſtans, in prima creatione ad imaginem DEI conditus, omnipotente & plane mirabili divina virtute, cum anima elementari perfectioris animalis corporis vivi & ſenſitivi arcte unitus, ut ſenſuum beneficio miranda Dei opera cognoſcendo, eum celebraret, DEO ſuæ exiſtentiæ auctori crederet & obediret, & hac ratione in æternum ejus bonitate & gloria gauderet.

Equidem primus homo, animi & corporis viribus integer conditus eſt, per inſidias tamen Diaboli ſeductus, propter incredulitatem, ſuperbiam & inobedientiam, DEUM ceu ſuperiorem, a quo unice ejus exiſtentia & ſalus dependebat, contemſit; & hoc modo imaginem divinam amiſit, quare, ob hunc contemtum, pœnam æternæ mortis animo & corpore ſubire debuit.

CHRISTUS JESUS verus DEUS & homo, pro immenſa erga lapſum genus hominum miſericordia, a DEO Patre miſſus, vita & morte ſua omnia ea perfecte præſtitit, ad quæ primi parentes obligati erant, & non modo ſui abnegatione, firma in DEUM patrem fiducia, ſed & perfecta ad mortem uſque obedientia, quam pro contemtu paſſus eſt, voluntati patris ſatisfecit; & hac ratione gratiam & unionem cum DEO miſero homini recuperavit.

In CHRISTO JESU θεανθρώπῳ unica noſtra ſalus & ſpes eſt; is enim factus eſt, noſtra ſcientia, dum evangelio & explanatione legis, voluntatem DEI, ad noſtram ſalutem recuperandam perſpicue nobis revelavit: noſtra juſtitia, propter perfectam, pro nobis præſtitam uſque ad mortem obedientiam, qua patrem nobis reconciliavit: noſtra ſanctitas, quia operatione ſpiritus ſancti per verbum ſuum nos ſubinde renovat, & fidem in DEUM, & amorem in proximum accendit: noſtra redemtio, quia morte & reſurrectione ut & aſcenſione in cœlum non modo a pœna peccati, morte æterna & potentia diaboli nos liberat, ſed etiam plenaria peccatorum remiſſione, nobis vitam ſpiritualem & æternam largitur.

Quicunque in Chriſtum, mediatorem noſtrum, verum DEUM & hominem, mortuum pro nobis & reſuſcitatum credit, & ſumma hæc beneficia, ex mera gratia profecta, ſerio in corde ſuo perpendit, vere agnoſcit, & firma fiducia, cum laude & gratiarum actione & amore, ſibi ceu propria applicat, atque Chriſti exemplum in humilitate, obedientia & patientia ſequi contendit; illi omnia peccata remiſſa ſunt, & pœna ſublata, & regenitus habetur, & filius & hæres DEI factus eſt.

Fides & amor in Chriſtum, per ſacramenta ceu firma ſigilla & ſymbola a Chriſto ipſo inſtituta, baptiſmum nempe & ſacram cœnam valde corroborantur, & peccatorum remiſſio ac ſalutis noſtræ certitudo inde confirmatur; quia actu regenerationis, Chriſti juſtitiam & ſanctitatem induimus & propriam nobis facimus. In ſacra cœna unio fit noſtra cum Chriſto & ejus merito, cum corpore pro nobis in mortem dato, & ſanguine in remiſſionem peccatorum fuſo paſcimur.

Dulcis doctrina evangelica eſt aptiſſimum obedientiæ atque amoris erga DEUM & hominem impellens remedium. Eſt enim ſanæ rationi inſitum: eum eſſe colendum, atque amandum, a quo inſignia ex mera gratia accipimus beneficia.

Quandocunque igitur ſumma DEI beneficia, in regno naturæ & gratiæ nobis continuo exhibita, attente & diligenter meditamur; non modo grata & memori mente ea recolimus & laudibus celebramus, ſed & ad reciprocum DEI amorem excitamur.

Is vere ac ſincere amat DEUM, qui divinæ voluntati, quæ in lege naturæ, decalogo & ſaluberrimis Chriſti & apoſtolorum præceptis continetur, ſe conformem reddit. Et cum immutabilis hæc divina ſit voluntas, ut omnium hominum ſalutem

quærat ac promoveat; utique is vere DEI voluntati ſe accommodat, qui publicam ſalutem curæ cordique habet, & ſocium amat ſecundum ordinem, quo ſe ipſe amare debet.

Perfectiſſimum vitæ ſanctæ & quæ DEO grata eſt, exemplum ipſe Chriſtus nobis reliquit, maximopere imitandum. Nam ſicut ipſe ex immenſa miſericordia & amore acerbam mortem pro nobis paſſus eſt, ad ſalutem noſtram æternam recuperandam; ita & nos miſeriæ proximi omnibus modis ſuccurrere debemus: Chriſtus fuit humilis & obediens ſuo patri; ita & nos divinæ voluntati in omnibus oportet ſubmittere: fuit erga nos benignus, mitis, quam indolem & nos induere debemus: terrena & viſibilia contemſit; quare & nos in iis fiduciam minime ponere debemus: adverſa tulit ſecundum voluntatem DEI, ſumma patientia; ſimiliter & nos facere decet: tentationes ſatanæ efficacia verbi divini repulit; quod ergo & nos imitemur.

Licet bona amoris opera hac in vita propter inhærens peccatum ſint imperfecta; nihilo tamen minus, quando ex fideli, grato ac obedienti erga DEUM animo proveniunt, atque in proximi ſalutem & DEI gloriam vergunt: ipſi placent, & ad oſtendendam fidem & proximi ædificationem ſunt neceſſaria & tam in hac quam altera vita magnam promiſſionem & remunerationem habent.

Duplex in homine regenito, quamdiu in carne eſt, vita obſervatur; altera ſpiritualis, tanquam fructus reſtitutæ imaginis divinæ, per firmam in Jeſum Chriſtum cruci affixum & reſuſcitatum fiduciam, novamque obedientiam & caritatem proximi ſe manifeſtans: altera animalis, quæ ex carne remanente, in qua reliquiæ peccati originalis adhuc reſident, per varia deſideria & paſſiones in terrena & viſibilia, brutis etiam communes, ſe exſerunt, proficiſcitur.

Præcipuum in hac vita chriſtianorum eſt officium, ut peccatum inhærens & imperfectionem ſuam quotidie agnoſcant; & per gratiam ſpiritus ſancti contra carnis deſideria continenter pugnent, atque aſſiduis precibus, in interceſſione Chriſti, qui reſidet in cœlis ad dextram patris, fundatis aſſiſtentiam ſpiritus ſancti conſtantem & lætabundam efflagitent, & quotidie ob inhærens peccatum, remiſſionem inobedientiæ quærant.

Ineffabile ſolatium eſt, quod DEUS ex liberrima gratiæ voluntate fideles in Chriſto, propter prævisam fidem & obſervantiam evangelii, ab æterno elegerit, ceu filios & ſuæ immenſæ gloriæ hæredes, decreto immutabili.

Criterium & character noſtræ electionis eſt adſiſtentia & operatio ſpiritus ſancti in corde noſtro, qua omnia, quæ voluntate DEI adverſa ſunt, vehementer aſpernamur & odio habemus, calamitates patienti animo toleramus, & firma in DEUM fiducia, atque ſincero proximi amore, fidem in nobis vivam & renovationem manifeſtamus.

DEUS, qui immenſus ſubſtantialis amor & gratia eſt, nullius hominis, tanquam nobiliſſimæ creaturæ, vult vel intendit damnum, multo minus extremum interitum, ſed omnes vere vult felices & ſalvos reddere, modo ſerio velint; minime vero animum ejus, qui ſpiritualis & liberæ eſt eſſentiæ, vult ad fidem & obſequium cogere, ſed tantum ducere & movere; ſiquidem, niſi voluntas eſſet libera, omnia præcepta, officia, pœnæ & præmia, a DEO conſtituta, forent fruſtranea.

Variis modis trahit & ducit DEUS hominem ad ſalutem ſuam amplectendam: 1) naturæ lumine poſt lapſum relicto, ex ipſis rebus creatis & ex ſapiente, qua gubernantur, cura & providentia, DEI exiſtentiam, omnipotentiam & bonitatem poteſt cognoſcere. 2) Conſcientia male factorum hominem convincens, mentem inquietam, anxiam & triſtem reddit. 3) Deſiderium infinitæ perfectionis, hominum animis eſt a natura inſitum, unde in rebus finitis nunquam acquieſcunt; 4) quando in ſummam calamitatem & miſeriam conjiciuntur, tremunt & ab ente ſupremo auxilium expetunt & efflagitant; quapropter recte infertur: nullum atheum revera talem vel theoreticum dari, niſi per abuſum rationis & ſuperbæ mentis oſtentationem ſeu ſtultitiam. Denique fama revelati verbi divini, quod expetere & legere poterant, tanquam medium felicitatis æternæ conſequendæ, ad omnes gentes pervenit.

Quicunque igitur hæc genuina ſalutis media pædagogica præfracte ſpernit, nec attendit, neque verbum DEI, cum quo tamen convictio veritatis, & ſpiritus ſancti gratia indivulſo nexu conjuncta eſt, vult audire, nec legere, multo minus meditari, vel ſi impulſus & motus bonos & ſalutares perſentit, iis obſtinate & conſtanter reſiſtit: is perverſa & prava voluntate ſe ipſum privat ſalute & gratia divina, ſibique ipſe interitum parat.

Equidem infinitus & omniſcius DEUS ab æterno in hominibus mentis ſuperbiam, libertatis abuſum, & obſtinatam nulloque modo corrigibilem reſiſtentiam prævidit: exinde tamen minime ſequitur, ipſum ab æterno quoſdam ad interitum prædeſtinaſſe; utpote Chriſtus pro omnibus hominibus lapſis, univerſalem medicinam, videlicet meritum ſuum, & perfectiſſimam præſtitam obedientiam paravit, quam tantummodo agnoſcere & amplecti debent.

Fatendum nihilominus eſt, animi malitiam, vim peccandi & gratiæ divinæ reſiſtendi in hominibus gradu multum differre; quæ cum ſemine, quod parentum naturam & imaginem refert, in liberos propagatur: quæ, ſi in majori gradu eſt, & prava accedit educatio; conſuetudo & conſortium cum impiis, animus ita depravari poteſt, ut ægerrime medicinam recipiat.

Quemadmodum *Pſalmo* 37. *v.* 6. piorum ſemen benedictum, & *Pſalmo* 112. *v.* 2. eorum, qui præceptis divinis obedientes ſunt, ſemen benedictum & feliciſſimum dicitur: ita de impiorum & malitioſorum ſemine hoc minime prædicari poſſe, triſtis experientia ſatis abundeque manifeſtat.

Sicuti morbi contumaces chronici a parentibus in liberos tranſeunt, & difficulter ſanationem recipiunt: ita etiam perverſi animi mores & affectiones teterrimæ, maxime ſi in habitum abierint, atque in utroque parente radices egerint, in liberos quam facile transferuntur; & hoc modo, teſte ſcriptura, ſæpenumero pœnæ liberorum ab ipſis parentibus originem trahunt; adeoque clare apparet, animam humanam cum corpore per traducem propagari.

Magnum beneficium chriſtianorum in morte latet, qua vinculum ſpiritus cum corpore animali, propter motus vitales ceſſantes, diſſolvitur, ut ille a carne, qua vis & efficacia ejus multum labefactatur, liberatus & ſui juris redditus, melius in cœlis cum Chriſto uniri poſſit.

Reſurrectio corporis mortui inſigne quoque eſt beneficium, ut illud perfectius rurſus cum anima unitum pariter æterno gaudio fruatur.

Corporis humani mortui reſurrectio non adeo repugnat rationi. Sicut enim ex ſemine in terra putrefacto,

trefacto, planta vel arbor, a qua deſumtum eſt, de novo producitur; quin imo ipſe homo, qui ex corpore & animo conſtat, e ſemine parentum quaſi ex puncto producitur: ita multo minus dubitandum eſt, ob unionem corporis noſtri cum Chriſto, quæ maxime fit in ſacra cœna, & ob promiſſionem ab ipſo, qui ſumma veritas eſt, factam, omnipotente omnemque captum ſuperante ejus virtute, corpus noſtrum, & quidem longe perfectius, aliquando eſſe reſurrecturum.

Beata vita non modo in amica & familiari cum Chriſto, angelis & omnibus ſanctis communione & converſatione, ſed potiſſimum in DEI viſione, id eſt, in majeſtatis divinæ, ratione immenſæ ejus potentiæ, ſapientiæ & infinitæ bonitatis, intima contemplatione verſabitur; unde ineffabile & ſempiternum gaudium nominiſque divini celebratio exoritur.

Uti in hac vita gradus ſanctificationis in fidelibus dantur: ita extra dubium videtur, quod etiam gradus & ſtatus gloriæ divinæ in cœlis dentur.

Proceſſus, quem inſtituet Chriſtus in extremo judicio, evidenter demonſtrat, quoſnam vita beata dignos vel indignos habeat & æſtimet, dum quidem non propter, ſed ſecundum opera amoris, tanquam fidei vivæ fructus ſine quibus nulla vera, quæ cor & animum mutat, ſed inanis, ſterilis & imaginaria fides eſt, vitam æternam & beatam tribuet; & hæc eſt ratio, quare Chriſtus, quem etiam ſequuntur apoſtoli, in vita & doctrina ſua, tam graviter, tam ſerio, tamque frequenter amorem inculcaverit.

Veritates in hiſce theſibus hactenus propoſitæ ita ſunt comparatæ, ut ſanæ & probe inſtructæ rationi minime adverſentur, ſed potiſſimum ipſi conformes ſint, licet quædam ex iis intellectum humanum tranſcendant, de quibus tamen ob divinam revelationem minime dubitare licet.

Sicut enim omnes creaturæ ab ente infinito finitas & circumſcriptas habent agendi vires: ita etiam anima noſtra intellectualis, præſertim ſub involucro corporis detenta, intellectum habet valde limitatum. Nam uti oculus, etiam teleſcopio armatus, ad certam tantum diſtantiam objecta videt: ita etiam intellectus ſuos habet cognoſcendi terminos; ſiquidem nec in rebus naturalibus, quid in eſſentia ſua ſol, quid corpus ſimplex, quid vis motrix, qua unum corpus in alterum agit, quid vis gravitatis, elaſtica, virtus in magnete attractrix, declinans, vel quænam ſpecifica partium, diverſa corpora conſtituentium mixtio & craſis ſit, cognoſcere poſſumus: multo minus, quæ vis in ſemine ſit propagativa, quæ animæ ſenſitivæ in brutis, vel ſpiritus eſſentia, & quomodo hic cum corpore uniatur & in illud agat, comprehendimus; minime vero decretum, ordinem & nexum, quo DEUS creavit mundum & ipſum æque ac eccleſiam gubernat, omnibuſque rebus præſens ſit, & quomodo JESUS cum humana natura unitus, & ex virgine natus ſit penetramus; quæ omnia intellectus noſtri imbecillitatem, præſertim in rebus divinis, abunde demonſtrant.

Benigniſſimus DEUS ad noſtram ſalutem & felicitatem obtinendam, non ſublimem philoſophandi rationem, nec profundam rerum intelligentiam deſiderat, ſed tantummodo animum ſimplicem, humilem, fiduciæ, obedientiæ & amoris plenum, ac gratum, propter omne bonum, quod a DEO poſſidet, poſtulat.

Hæc ſapientia homini præcipue ſcitu neceſſaria eſt, ut paulo exquiſitius cognoſcat, quod ſua natura a ſe, in ſe & per ſe, nil ſit niſi terra, nihil habeat, nihil poſſit vel ſciat, ſed ſuam exiſtentiam, vitam, conſervationem, omneſque corporis & animi vires & omne bonum, a ſolo DEO per Chriſtum & in Chriſto ex mera gratia poſſideat.

Propter innumera igitur, quæ ex mera gratia in animam ſpiritualem & corpus animale proficiſcuntur beneficiorum genera, benigniſſimum Deum, ſummum illum Jehova, Dominum cœli & terræ, qui a ſe, in ſe & per ſe ſemper eſt, fuit & erit idem immutabilis, adorare, laudare, ejus auxilium invocare, ipſum in miſericordia & amore ſequi, reverentia, firma fiducia & obedientia venerari, & nomen ejus operaque mirabilia læta, hilari & grato animo extollere, celebrare, uti angeli & ſancti in cælis, ita nos in terris debemus. Sic enim voluntatem DEI perficimus & in æternum cum ipſo vivimus & exultamus.

PETRI POTERII
OPERA OMNIA
PRACTICA ET CHYMICA,

CUM

ANNOTATIONIBUS ET ADDITAMENTIS

utiliſſimis pariter ac curioſiſſimis

FRIDERICI HOFFMANNI,

FILII, HALLENSIS,

MEDICI ELECTORALIS BRANDENBURGICI,

PHILOSOPHI ET PROFESSORIS MEDICINÆ PRIMARII

IN ACADEMIA FRIDERICIANA.

Acceſſit nova Doctrina de FEBRIBUS, ex Principiis mechanicis ſolidè deducta.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

a

ILLUSTRISSIMIS
ATQUE
EXCELLENTISSIMIS VIRIS,
D. JOH. FRIDERICO
DE RETZ,
SERENISSIMI ATQUE POTENTISSIMI Electoris Brandenb. Conſiliario Statûs intimo;

ET

D. DAN. LUDOLPHO,
LIBERO BARONI DE DANCKELMANN.

SERENISSIMI ATQUE POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENB. Conſiliario Statûs intimo, ac rerum bellicarum Commiſſario Generali;

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
SUMMIS CURATORIBUS, PATRONIS MEIS MAXIMIS,
FRIDERICUS HOFFMANNUS.

ILLUSTRISSIMI VIRI.

PETRI POTERII, *Medicorum ævi ſui Principis, opera nova Annotationum noſtrarum acceſſione aucta* Vobis *offero*, Patroni maximi. *Sæpius mecum quæſivi, quo cultus genere meam referendæ gratiæ voluntatem Vobis condignè probarem. Sive enim animo meo recolam immortalia merita, quibus & ortum & conſtantem incolumitatem Academiæ noſtræ* Vobis *propriam feciſtis, ſive reſpiciam ſumma beneficia in ordinem noſtrum Medicum & me ipſum collata, meritiſſimò æternum*

memoiæ Veſtræ *monumentum ſtatuendum eſſe, honeſtum cumprimis ac generoſum duco, quo ventura etiam ætas, quibus ſuam beatitudinem Fridericiana debeat, perſpiciat. Vos unici eſtis, quorum præclarâ operâ, incredibili curâ atque propenſiſſimâ voluntate ſalus, gloria non minus Academiæ quàm Ordinis noſtri Medici primùm crevit, deinde firmata, conſervata & aucta fuit. Nec ullam hic adulationis metuo notam. Satis me abſolvunt tot præſtantiſſima documenta, quibus devinxiſtis totum Academiæ corpus, ſingulaque ejus membra. Firmum eſt* Vobis, Viri Illuſtriſſimi, *bonas litteras, à quibus ingens animis accedit robur, & quæ genuina reipublicæ & eccleſiæ firmamenta ſunt, amare non modò, ſed & favore eximio fovere, & turbido etiam rerum ſtatu illas languidas tueri atque erigere. Omnia, quæ publico nomine in bonum Academiæ perennaturum apud* Munificentiſſimum ejus Nutritorem Vobis *interpretibus propenſiſſimis interceſſi repetitis vicibus, obtinui. Nullius rogationis memini, quæ conceſſione novæ cujuſdam liberalitatis* Principis Munificentiſſimi *non fuerit approbata. Ordo noſter quantum curis Veſtris debeat, recentibus iiſque maximis beneficiis admonemur. Eſt artis noſtræ potiſſima pars, corporis humani intima noſſe, quæ cum evolvi atque explicari non niſi inciſionibus ſemel ac ſæpius juventutis erudiendæ cauſa inſtitutis minimè queant, maximi profectò habenda eſt conceſſio cunctorum, quæ ſupplicio necata ſunt in Magdeburgenſi & Halberſtadienſi Provinciis ad anatomen publicam cadaverum. Plantarum, arborumque plurimarum notitia Medico ita opus eſt, ſicuti Mathematico circini atque inſtrumentorum cæterorum apparatu. Earum itaque ut varia genera, cum uno cœlo non omnia incaleſcant, peregrinis locis huc transferri, ſeri atque educari queant, de horto eximio nobis parando, in quo inter naturæ hæc miracula cum artis noſtræ cultoribus ſine interpellatione verſari, ſingula uſurpare oculis animoque volvere queamus, ſoliciti fuiſtis. Inſuper & pretioſiora inſtrumenta Phyſica non minus, quàm Chirurgica, quibus plures Academiæ carent, in uſum publicum Veſtra commendatione à* Munificentiſſimo Principe *acquiſivimus. Taceo innumera alia mihi à* Vobis *affatim tributa. Quàm humanè ac comiter me Berolini verſantem Academiæ cauſa excepiſtis? quâ inuſitatâ morum facilitate jus mihi feciſtis ſcribendi ad Vos neceſſaria? Nihil dicam de affectu, quo me conſtanter amplexi eſtis, nihil de hoſpitali humanitate, totque aliis beneficiis, quibus feciſtis, ut totus veſter ſim. Nihil itaque ab hoc tempore mihi fuit antiquius, quam ut pietate, obſequio & officiorum aſſiduitate Vos venerarer ac occaſionem quærerem, quâ grata mens tantis nominibus Vobis obſtricta publicum monumentum exhiberet. Et cum jam Doctorum precibus atque hortatu in publicum prodeat opus* Poterii, Medici *olim* Regis Galliæ *præſtantiſſimi, additionibus noſtris illuſtratum, non dubitavi illud nuncupare* Veſtris Nominibus, *eâ quâ convenit obſervantiâ rogitans, ut conatum hunc honeſtum benignè (quod excelſarum animarum indoles eſt) interpretari, & magis voluntatis quàm facultatis in pendendis Veſtris meritis rationem habere non dedignari velitis. Quod ſupereſt ILLUSTRISSIMI VIRI, Deum opt. max. aſſiduis precibus oro, ut gravioribus Veſtris muneribus, conſiliis atque inceptis, ſuo auxilio porrò benignus adeſſe, & vires conſtantes firmaſque corporis ac animi ulterius concedere atque adaugere velit, quò Veſtris curis, patrocinio, benevolentiaque Vobis ſubmiſſa & commiſſa* Fridericiana *uti ac frui poſſit quàm diutiſſimè. Dabam è Muſeo Calendis Maii. Anno M. DC. XCVIII.*

PRÆFATIO

PRÆFATIO AD LECTOREM.

TANDEM ut Fidem datam ſolvam, ac Bibliopolæ, multorumque deſideriis reſpondeam, prodit foràs egregium opus Viri de re medica & chymica optimè meriti, *Petri Poterii*, *Regii in Gallia olim Medici Celeberrimi*, additamentis & animadverſionibus noſtris illuſtratum. Decennium ferme effluxit, ex quo Bibliopola noſter de Authore hoc rursùs in lucem proferendo mentem mihi ſuam expoſuit, ſimulque me rogavit, ut ipſius inſtitutum juvarem, annotationes meas adjiciendo. Cumque docti, iique Celebres Medici quidam ad eundem laborem me iteratis inſtigarent vicibus, lucubrationes & notas quaſdam concinnavi, atque in chartas conjeci: Poſtea autem diu multumque dubitavi, an illas in lucem ederem publicaremque. Eam enim eſſe hujus ævi pluſquam plebejam invidiam, judiciorumque licentiam probè animadverti, ut perfrictâ fronte quò quiſque magis eſt, eò lubentius ſe aliorum caſtigatorem ac iniquum cenſorem præbeat. Accedit tantam in Medicina hypotheſium ac opinionum eſſe varietatem, tantamque præjudiciorum vim, ut (qui morbus habetur eruditorum) nemo, niſi quod ipſius ſententiæ conveniat, illud verum aut rectum putet, unde odia perverſaque enaſcuntur judicia, quæ frequentius jurgioſas in contentiones vel (quæ fundi noſtri crevit calamitas) in mutuam maledicentiam, communemque omnium pernitiem exardeſcunt, quo fit, ut ii conſultius agere videantur, qui vel plane non ſcribunt, vel ſcripta ſua ad tempus ſupprimunt. Præter id ab inſtituto edendi hunc laborem non ſemel me revocavit intempeſtiva illorum libido, qui ſecreta tantum atque magnifica *Authoris* remedia à me flagrantiſſimè expectarunt, cum tamen ipſos hac in ſpe fruſtratum iri facilè perſpicerem. Ingenuè enim fateor, me parciſſimum nunquam non arcanorum fuiſſe admiratorem, multo minus ſcrutatorem, probè gnarus, remedia nobis proſtare efficaciſſima, modò iis rectè utamur. At vero cum Vir induſtrius & de re litteraria adjuvanda bene meritus Dn. *Knochius* noſter inſtantiſſimè editionem hujus libri urgeret, meaſque additiones & privatim & publica recenſione in catalogis, me invito, ſubinde flagitaret; nolui amplius reſiſtere ejus deſideriis, ſed ipſi hæc quæ olim adornavi, reviſa tamen ad edendum conceſſi. Equidem non ſum neſcius, cum ea tradamus, fore ut hic noſter labor varias in reprehenſiones incurrat. Erunt enim cui deſiderabunt exactam arcanorum & ſpecificorum *Authoris* deſcriptonem: Alios futuros ſuſpicor, qui ſaltem inauditas ſpecioſaſque curationes & hiſtorias, proceſſus lucroſos, medicamenta univerſalia & ejuſdem generis alia expectabunt. Non defore quoque puto, quibus non arridebunt principia mechanica, aliis, quod cum veteribus ſæpius locutus fuerim & in multis à recentiorum *Carteſianorum* ſententiis receſſerim. Contra quos omnes dicendum breviter exiſtimo, teſtatumque volo primum me nulli ſectæ eſſe mancipatum, ſed ex omnibus tam veteribus quàm recentioribus eruere veritatem, deinde in gratiam diſcentium ac Studioſiorum, quorum commodis inſervire, quantum potero, religioſa mei officii ratio exigit, in lucem tantum miſſa hæc eſſe, neque illis me ſcribere, qui medicæ ſcientiæ fontes penitus exhauſerunt, inque Praxi exercitatiſſimi exiſtunt, vel arcana tantum

 quærunt.

quærunt. Porro autem hæc laboris noſtri ratio, hic ſtatus eſt. *Celebris Author* in eo inprimis laboravit egregiè, ut vulgares Practicorum errores atque in medendo abuſus annotaret. Ille præcipuè ex veteribus fuit, qui medicamenta generoſa ſpagyrica, nec ſine ratione, ad curandum propoſuit, ſimulque fortioribus atque concentratis pro morbi ingenuo prudenter miſcuit debiliora, magis diffuſa Galenica, optimo ſemper cum ſucceſſu. Hiſtorias ægrotantium nonnumquam ſatis curatè ac ſolidè, interdum etiam perfunctoriè recenſet. In enarrandis cauſis & rationibus phænomenorum atque effectuum reddendis, propter defectum veræ Phyſices atque Anatomiæ interdum ſatis jejunus ac infelix, in commemorandis autem curationibus admodum glorioſus, maximam ponens fiduciam in ſuis remediis. Quæ itaque monenda atque animadverſione digna viſa ſunt, breviter ſtrictimque, modeſtè tamen attigi, emendanda correxi, defectus ſupplevi, rationes ſymptomatum ex principiis mechanicis, nec non effectus medicamentorum inde deduxi, hiſtorias, cautelas atque obſervationes, quæ in praxi mihi occurrerunt, fideliter atque ſincerè adjeci, remediorum à me adhibitorum copiam addidi, quæ ægris meis opem tulerunt, quæ minimè, non prætermiſi. Nec conficta vel ſimulata, ut moris eſt, ſed facta & vera congeſſi, docui & expoſui liberaliter, atque candidè, firmiſſimo experientiæ, quæ optima & prima veritatis medicæ parens eſt, robore nixus. Neque Autorem caſtigavi inſolentius; nimio enim reprehendendi morbo me non laborare, ingenuè confiteor, decantata ab *Autore* tantopere remedia in ſuis curationibus ex aſſe me non noſſe, profeſſus ſum, quantum tamen conjectura ex collatione locorum & circumſtantiarum metiri licuit, ex quibus & quâ ratione ipſa præparata fuerint, tradidi, & quæ ſi non majoris, ſimilis tamen effectus medicamenta nobis nata ſubſtitui queant, manifeſtavi. Mirabile eſt, quando pervolvimus ejus hiſtorias, qua ratione tam feliciter, tam breviter rebelles, deſperatos, & periculoſiſſimos morbos ſuis arcanis propulſaverit. Equidem lubentiſſimè largior, remedia ex mineralibus atque metallis ſummæ activitatis, penetrantiæ ac virtutis deprehendi, maximè in corporibus, quæ mobiliores ac tenuiores fovent humores, quæ ſub climate calidiori, aëre ſubtiliori degunt, ſicuti videmus in ætate juvenili temporeque vernali felicius longè ſuccedere medicamentorum operationem; an vero in climate noſtro, ubi major humorum denſitas, obſtructionum veterum contumacia, majorque aëris craſſities eundem productura ſint effectum, eſt quò de valde dubito. Accedit, quod pro explorato habeant complures Practicorum, in remediis non tantam obſervari noſtro tempore efficaciam quam forſan olim præſtiterunt, cui vero cauſæ id adſcribendum, an fato, an majori corruptioni ac pravitati humorum, aliis dijudicandum relinquo? Quocirca abſit, ut penitus de *Autoris* fide circa tales curationes dubitemus, ejus enim præclara ſcripta in plurimis, vero animi judicio, me approbare, etiam atque etiam confirmo. Cæterum operam maximè dedi, ut in hiſce Notis demonſtrarem, qua ratione ex veris principiis & ſufficiente hiſtorica morborum cognitione Praxis noſtra & Pathologia verè rationalis reddi queat. Turpe dictu, aſt veriſſimum eſt, ſub tanto apparatu præſtantiſſimorum inventorum circa rem phyſicam, anatomicam, botanicam, chymicam utiliſſimorum æque ac curioſorum ſpiſſis tenebris involutam ac circumfuſam adhuc latere Pathologiam & Praxin medicam, ita ut nihil minus rationale, ſi rem non velimus diſſimulare, in pluribus dici queat. Videmus id, quando ad lectum venimus, quomodo ſpeculationes atque hypotheſes noſtræ fallant, quomodo ubique hæreamus in cauſis reddendis horum vel illorum, quæ accidunt ægris, tam ratione morbi, quàm ratione effectus medicamentorum, vel prognoſeos, quâque ratione minus reſpondeat vulgaris Theoria prudenter inſtitutæ Praxi. Hujus autem rei duplices potiſſimùm allegamus cauſas, quarum prior eſt: Defectus ſufficientis cognitionis hiſtoriæ, ſive obſervationum circa quemvis morbum, quoad omnes circumſtantias. Fieri enim non poteſt, ut vera condatur hypotheſis, niſi prius nobis perſpecta fuerit plenaria quoad omnia morborum accidentia hiſtorica morbi cognitio; ex quorum ſingulorum collatione atque connexione inter ſe invicem, tunc demum aptare atque invenire licet hypotheſin, quæ genuinas phænomenorum ſuggerat cauſas, quæ dubia occurrentia ſolvat, adeoque viam nobis pandat, ad ſtabiliendum certum curandi ſcopum; Eſt ſane ſingulare in Medicina fatum, ut affectus inſolitos, monſtroſas hiſtorias lubentius recenſeamus, vel etiam fingamus, parum vel nihil penitus attenti ac ſolliciti in vulgarium affectuum obſervanda natura ac indole. Impedimentum poſterius, quod hucuſque praxeos verè rationalis retardavit incrementa, eſt ignorantia ſolidiorum principiorum in Phyſica & conſequenter in Medi-

cina.

cina. Conſtanter enim affirmandum eſſe exiſtimo, inſcitiam veræ Philoſophiæ naturalis genuinam & unicam fuiſſe originem tantorum errorum, & ſectarum in Medicina, cum ſedula veri inveſtigatione exploratum habeamus, pleraque principia nec ſenſu nec intellectu concipi poſſe, nec ex natura rerum deſumta eſſe, ſed ſaltem phantaſiæ ſubtilioris commenta fuiſſe. Nos à multis annis, rejectis iis quæ ex phantaſia, & non intellectu proveniunt, operam ſtrenuè impendimus, ut ſolidi aliquid in Medicina conſtitueremus. Mirificè itaque mihi placuit illorum conatus, qui ſicuti in explicandis naturalibus; ita & Medicis rebus, uſi ſunt ſimpliciſſimis principii, dictis mechanicis, de materia & motu. Cumque omnes naturæ operationes illis ipſis contineantur, credidi ad illa quoque, quippe ſimpliciſſima, omnia quæ occurrunt in Pathologia reduci poſſe, nec infelici ſucceſſu non ſine Numine id hucuſque tentavi. Plures quidem conſpexi præeuntes egregios viros, deque arte noſtra meritiſſimos, qui Carteſiana principia ad Medicinam traducere anniſi fuerunt, aſt quod pace horum Virorum dixerim, ſatis mihi aliiſve in omnibus non fecerunt. Fuerunt equidem ſolliciti circa unicum principium mechanicum, nimirum materiam, quam variè in morbis accuſarunt, illamque varie corrigere & alterare in morbis curandis intenderunt, at vero penitus ferme omiſerunt activum, & præcipuum, quo natura utitur, inſtrumentum, nempe motum. Multiplici enim experimento conſtat, ſolum motum afficere, modificare vel penitus deſtruere materiam poſſe, uti in Phyſicis ſic etiam Medicis. Ita notiſſima res eſt, in quantum ſpirituum animalium commotio ex perverſa ſaltem impreſſione & ratiocinatione, in pathematibus animi, totam œconomiam animalem, texturam ac craſin ſanguinis pervertere ac turbare poſſit in ſano corpore, nullo præcedente vel concurrente ſanguinis & humorum vitio. Quas porro turbas, quas ſæviſſima ſymptomata commotio ſpirituum ex dolore, ex pauca miaſmatis mole procreare valeat, quotidie experiendo edocemur. Tacemus varia medicamenta itidem venena, ſub exiliſſima mole varium ſuſcitando motum exerere ſuas vires atque operationes. Præcipua Medentis intentio mihi eſſe videtur, ut non tantum ad materiam & ejus affectiones in ſanandis morbis reſpiciat, ſed potiſſimùm ad formale, ad motum, ut ipſum pro re nata vel excitet ac ſtimulet, vel inordinatum ſiſtat ac ſedet. Verus itaque mihi medicus videtur, qui in Praxi ac Pathologia rationali condenda utrumque principiorum conjungit, & quomodo materia motus modificet, & motus rurſus materiam varie afficiat ac diſponat probe cognoverit. Deinde felix ille mihi cenſendus venit, qui recentiores cum veteribus apte & ſcite conjungere callet. Multa enim eleganter fideliterque tradita ſunt ab antiquis, maxime quoad Prognoſin, Hiſtoriam morborum & quæ ad prudentiam Medici ſpectant. Recentiores clarent magis experimentis, inventis, remediis, & meliorem explicationem rerum medicarum ſuppeditant; Nec infelicem denique illum autumaveris, qui Theoriam cum Praxi amico connubio conjungere annitatur. Praxis enim nil niſi Theoria in uſum traducta, & Theoria Praxis ad ſolidiorem rationem perducta eſſe debet. Hic ad docendam, illuſtrandam & confirmandam Medicinam rationalem potiſſimus meus labor, hæc operationum ſumma eſt, ſique Deus vires & incolumitatem conſtantem clementiſſime conceſſerit, non inutilia circa hanc rem me tentaturum, illius auxilio fretus confido. Specimen quoddam Pathologiæ mechanicæ apparebit in doctrina de febribus, quam adjeci Autoris tractationi. An clarior unquam, & quæ melius difficultates ac dubia circa hanc doctrinam occurrentia cum ſcrupulis eximat ac enodet, prodierit hypotheſis, doctis & à præjudiciis alieniſſimis dijudicandum relinquo Viris: quod tamen citra omnem arrogantiæ ſuſpicionem dictum à me velim, in DEUM refundens omnia bona, quæ ex ipſo tanquam fonte benigniſſimo hauſi, ac nunc quidem poſſideo. Præterea inter opera *Autoris* eminet etiam Chymia ac Pharmacia eximia. Profecto quam nobilis & utilis hæc ars, tantis difficultatibus, puris putis falſis & innumeris fraudibus ac mendaciis ſcatet, ut verum Augiæ ſtabulum hic purgandum inveniamus. Familiare Chymicis & maxime Paracelſicis eſt, ut non tantum effrenata fingendi impudentiâ magnas artes, ac præparationes lucrum & aurum faciendi jactitent, verum etiam infallibilia in quovis ſanando morbo crepent remedia. Aſt multiplici experientia convincimur, nullum quando ad Praxin devenitur, ſubſequi effectum, & magnas de iſtis expectationes abire in fumum, unde, ut bene hic quadret, illud *Plinii* effatum *Hiſt. natur. libr. V. Cum indagare vera pigeat ignorantiæ pudore, mentiri non piget. Autor* quidem bona egregia atque tum temporis ſatis curioſa in medicum contulit; cum autem in multis nimium ejus compoſitiones

redoleant

redoleant credulam vetuſtatem, & non ſufficienti ratione, propter defectum veræ Phyſices, corroboratæ atque concinnatæ fuerint, etiam meas his adjeci animadverſiones. Præterea probata curioſa, & ab optimis Chymicis hodierno tempore inventa nova quam plurima paſſim addere placuit. Compendioſas præparationes inſinuavi ad evitandos magnos ſumtus, & omnibus proceſſibus rationem ſolidam & fundamentum pro viribus appoſui, omniaque ſic temperavi, ut Pharmacopœus Medicus in praxi feliciter verſaturus curioſus item petere inde queat utilia & valde proficua. De cætero quoad ipſam operis formam, lubens fateor, me longè majorem operam & induſtriam collocare potuiſſe in hoc labore adornando, quam factum eſt, ut ſic magis poſteritati commendarem nomen meum; aſt officii, & multorum negotiorum onere preſſo hoc quidem tempore curatius edere non licuit. Styli elegantiam (ſaltem veritatis rationem habui) lubens neglexi & curioſi forte multa obſervabunt, quæ circa ejus limam deſiderare poſſent; Non enim uſus ſum ſtylo ad unguem examinato, nec tamen plane rudi atque inculto. Etenim ſicuti ſemper à longo tempore inſitum in animo meo fuit, clare, perſpicue & ad lectoris cujuſvis captum accommodate dicere & ſcribere: Ita etiam hic, claris, licet vulgaribus & ſæpius technicis terminis ad ſenſum meum exprimendum aptiſſimis, uſus ſum, prout nimirum res ſimplicitate ſua memoriæ ſe meæ ſuggeſſerunt. Cæterum nullius Eruditi famæ, ut ſpero, me iniquum & injurium præbui, ab illiberali illa rabie, qua docti ſe mutuo non raro lacerant & proſcindunt, ubique mihi temperans: indeque ſpem imbibi certiſſimam, me Lectorem non minus æquum & conditionis humanæ memorem reperturum, ſi forſan ceſpitaverim in tam difficili ac perplexa ſæpius materia. Hiſce itaque utere benevole Lector, & vos Medicinæ Studioſi, quorum in gratiam hæc in lucem emiſſa ſunt, æqui bonique conſulite, & alia in veſtrum uſum adhuc ſperate. Non fallam opinionem veſtram, ſiquidem DEUS Clementia ſua labori meo adeſſe & vitam aſſervare voluerit, quem ſupplicibus veneror precibus, ut & veſtra ſtudia dirigere & fortunare; atque meam in illuſtranda Medicina alacritatem auxilio ſuo provehere in bonam frugem, atque augere dignetur.

PETRI POTERII,

INSIGNIUM CURATIONUM,

ET

SINGULARIUM OBSERVATIONUM

CENTURIA PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De Catarrhi origine atque curatione.

CUM Obſervationum noſtrarum initia præmeditaremur, celeberrimi illius Cœnobii, Divi Salvatoris nomine, admodum Reverendus Antiſtes Alfonſus Bavoſius, nobis primus occurrit, ut is quem in omnibus primas tenere, atque ob inſignem pietatis, doctrinæ, ac prudentiæ gloriam longè alios antecedere arbitramur. Itaque præſul ille digniſſimus, quinquageſimo ſuæ ætatis anno vix exacto, ſuperioribus novem annis, (*a*) *in infenſiſſimam capitis defluxionem*, eamque ſalſam, & acrem incurrit. Quæ derepentè, præcipiti quodam motu, in fauces irrumpens, ſuffocationis metum ipſi haud levem incuſſit: quo paulò poſt excuſſo, eadem in dextrum latus, brachium, coxam, & tibiam effuſa, & ejuſmodi partes diris malis, & ſymptomatis divexans, præduros tophos in brachio, cum ulcuſculis quibuſdam reliquit; ut & in tibiæ ſura, metacarpio pedis ejuſdem lateris, ferina, malignaque ulcera duo fiſtuloſa, calloſa, livida, de his quæ Chironia dicuntur, ſuſcitavit. Hæc omnia concomitabantur acerbiſſimi, & funeſtiſſimi dolores, non tam morbi ſævitiâ, quàm acrium, erodentium, & venenatorum medicamentorum uſu, concitati. Febre inſuper continuâ, ſed lentâ, vigiliis, anorexiâ, & animi languore aſſiduo conficiebatur. Primis morbi inſultibus, ordinarii Medici Cœnobii ſtatim advocantur: & licèt quatuor adeſſent, tamen, eorum opem fruſtrà implorat: imò parum abfuit, quin cum Menandro ſimile occideret: Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδός μ' ἀπώλεσεν. Egregio tandem patienti ſanitatem daturus accerſor, quam annuente Deo fœliciter & citò ſic meâ operâ conſequutus eſt. A dolore ut magis urgente, anagallidis, & aquæ fabrorum fotu incipio; eodem, bis, & ter in die, ulceratæ partes blandâ manu demulcebantur: hinc dolore à præcipitato, & aliis acribus ſubacto, antecedenti cauſæ intrinſecæ, (*b*) *decocto*, totum corpus *repurgante*, proſpeximus: jecore cæteriſque partibus haud neglectis, quinimò cichoracea, hepatica, ſplenica, & cephalica in eo coquebantur. Idem decoctum omnes ſcopos petiit, & intentiones abſolvit, humores primùm incidendo, attenuando, & purgando; poſtea univerſum corporis habitum firmando, & ad naturalem ſtatum revocando. Ejuſmodi decocto ad XL. circiter dies uſus eſt: vanam enim conjicimus illam vulgatam medendi methodum, quæ 5. aut 7. ad ſummum in chronicis præſcribit ſyrupos, aut julepos ad humorum præparationem; parum edocti illi, quid velit Hippocraticum illud: Τὰ σώματα χρὴ, ὅκε ἄν τις βέλεται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν. Interea tibiæ ulcus omnium teterrimum, vitellorum unguento, bis in die implebatur, tantillo *Saturni balſamo* adjecto, maximè ad hoc, ut dolor propter materiæ virulentiam perſtans, penitus ſummoveretur, & eodem modo ulceris ſordes eluerentur: eidem unguento poſtea ſarcotici pulveres adjecti ſunt, quoad ulcera carne implerentur: quæ demum ἐπελωτικοῖς, utpote croco martis, ejuſque oleo ad cicatricem deduximus. Corpore tandem probè repurgato, & ulceribus cicatrice ferè obductis, (*ne inpoſterum morbi radices ſæpè latentes*, aut fixiùs in ſolidis inhærentes, recrudeſcere valerent, & ut viſceribus naturale & priſtinum robur, jecori, ventriculo, ac demum cerebro, conciliaretur) (*c*) *corallorum eſſentiam* (quam tincturam vocant Chymici) cum conſervis cardiacis & refrigerantibus, ex roſis videlicet, & violis, ad aliquot dies exhibuimus. Sic paucis, at optimis remediis, citra ullam medicamentorum moleſtiam atque nauſeam, ſaporemve ingratum, R. & egregium Patrem è faucibus Orci, tutò citò, & jucundè

jucundè eripuimus, eumque ſanitati reſtituimus; vivit modò, optimâ valetudine fruens, is qui biennio toto communem Medicorum opem deluſerat. Hîc de catarrho in univerſum, veluti per tranſennam, quædam dicere fortaſſe non erit inconſonum, ut quâ arte, ac methodo in morbis curandis progrediamur, (ſaltem propter tenebricoſos illos, Lycambeo ſanguine potiùs, quàm doctrinâ imbutos) cuivis innoteſcat. Quoad vocem, Græca eſt à verbo καταῤῥέω, quod eſt, defluo. Hippocrati περὶ ἀδένων καὶ περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον, cerebri purgatio eſt advarias partes tendens; unde apud eundem *loco citato* ſeptem ſpecies ſortitur. Etenim περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον ſic eos enumerat: ῥόοι δὲ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἑπτὰ ὁ μὲν κατὰ τὰς ῥῖνας. ὁ δὲ κατὰ τὰ ὦτα. ὁ δὲ κατὰ τοὺς ὀφθαλμούς, quas fluxiones ob oculos manifeſtas, & ſecundum naturam appellat, ut quatuor ſubſequentes non ita manifeſtas, & contra naturam eſſe. Quæ in thoracem fluit, ob frigus in bilem verti; quæ retrò ad vertebras, & in carnes defluxerit, hydropem generare; & quæ modicùm ad coxendicem, & juncturas vergit, arthritidem concitare dicit. Hinc Galenus, aliique poſteriores eaſdem minutiùs concidendas, ac in alias ſpecies contrahendas cenſuerunt. Hujus affectus generationis modum his verbis eleganter expreſſit idem Hipp. lib. περὶ φυσῶν. Ὅταν περὶ τὴν κεφαλὴν αἱ φλέβες χυμῶν πλήρεις ὦσιν, ἡ ῥεῦσις πρῶτον μὲν ἡ κεφαλὴ βαρύνεται τῶν φυσέων ἐγκειμένων. ἔπειτα συνειλεῖται τὸ πνεῦμα κατὰ τὸ αἷμα διὰ τὴν στενότητα τῶν ὁδῶν. τὸ δὲ λεπτότατον τοῦ αἵματος διὰ τῶν φλεβῶν ἐκθλίβεται. τοῦτο δὴ τὸ ὑγρὸν, ὅταν ἀθροισθῇ, ῥεῖ δι' ἄλλων πόρων. ὅκου δ' ἂν ἀθρόον ἀφίκηται τοῦ σώματος ἐνταῦθα ξυνίσταται ἡ νοῦσος. Quomodo verò acris, & mordax fiat defluxio, paulo pòſt idem Author hæc ſubdens, apertè ſatis demonſtrat: τὸ γὰρ φλέγμα δριμέσι χυμοῖσι μεμιγμένον, ὅποι ἂν προσπέσῃ, ἐς ἀήθεας τόπους ἑλκοῖ. Quid verò ſalſum, & acrem efficiat humorem, nullibi expreſſit; ſalſum tamen homini ineſſe, veluti amarum, & ſimilia, *lib. de veteri medicina* docet. Quamvis autem Gal. *lib.* 4. *de facult. ſimp. cap. de ſapore ſalſo*, id tribuat caliditati, *non propterea ſalſum gigni a calore, ſed potius manifeſtari*, eundem intellexiſſe arbitramur; nec itidem contrarium ſenſiſſe Ariſtotel. quamvis alii alio modo cenſeant: alioquin Ariſt. contra ſe pugnare, & Gal. perperàm philoſophari manifeſtum eſſet. Cùm ergo nihil ſupra vires agat, qualitatem ſalem generare non poſſe ſatis tritum eſt. Quocirca (*d*) *ſalſedinis in corpore exiſtentis cauſas* inquirentibus, repetenda Hipp. ſent. quâ habetur, corpora iiſdem conſtare, quibus nutriuntur. At Edulia, quæ in noſtri alimoniam cedunt, ejuſmodi ſaporum participia ſunt: quædam enim amara, quædam dulcia, quædam ſalſa, &c. quotidie aſſumimus, iiſque nutrimur, horum inſuper plura ſunt, nonnunquam in eadem re temperata, quæ nonniſi artis beneficio conſpicua fiunt. Hinc licèt temperatiſſimis cibis vivat homo, iiſque dulcibus & ſuaviſſimis tantùm, eadem tamen in eo conſiſtere minimè diffidat; urina, & ſudor quærenti exemplo ſint. Verum enimverò ciborum adhuc ſapores qualitatibus tribui, inconveniens haud diſſimile erit. Sapor enim non minùs rei propria affectio, quàm quævis alia qualitas, ſuum habet ſal, ſuum ſaccharum, & ſimilia: non calidi, ſed ipſius ſalis ſapor eſt, propriaque affectio. Interim non me latet ejuſmodi qualitates, ſecundas nominari, & à primis oriri & dici, cui etiam eadem eſto reſponſio. Cùm ergo ex Hipp. ſententia, flatus ſint humorum vectores ad caput, ab eo pariter flatuum ejuſmodi cauſa apprime indaganda. Itaque ipſe eodem *de flatib. lib.* non ratiocinii criterio qualitatibus innixo, ſed analogiâ à majore mundo deſumptâ philoſophaturus, inquit: Ἅπαν γὰρ τὸ μεταξὺ γῆς τε καὶ οὐρανοῦ, πνεύματος σύμπλεόν ἐστι: quem flatum agnoſcit mirabilium actionum operatorem, & quidquid in humanis fit, ejuſdem medio fieri: Et ſic ventos in nobis concitari, obſeratis communibus viis, per quas illis liber petebat aditus, unde inferioribus occluſis, ſurſum ruere neceſſe eſt, à quo humores ad caput feruntur; hinc fluxiones, quæ tum à ſubjectæ partis, tum ſublatæ materiæ nomine varias denominationes nanciſcuntur. Nec me latet, quid Ariſtoteles *lib. Meteôron* cenſuerit, ubi materiam ventorum docet eſſe ſpirationem calidam & ſiccam; quæ opinio licèt Hippocrati contraria ſit, ipſi tamen brevitatis ergò ſuperſedemus, hic ſuprà ſatis fluxionum cauſas ex Hipp. demonſtravimus. Scio neotericos non flatibus, ſed *intemperiebus jecoris, ventriculi*, & cerebri, eaſdem cauſas tribuere, atque ipſorum flatuum originem inde deducere; quibus, cùm opinio hæc ad medendum parum apta ſit, etiam ineptum hîc reſpondere arbitramur. Præterea ſi Hermeticos conſulere velimus, non aliunde fluxionum cauſas, quàm à neſcio quibuſdam ſpiritibus, omnium functionum corporis humani parentibus, oriri comperiemus; ſi quidem ipſi, non qualitatibus rerum actiones atque virtutes adſcribunt, ſed potiùs naturis quibuſdam ſubſtantialibu, quas ſpirituales, aſtrales, & omni ſaporum genere inſtructas eſſe dicunt. Quod dogma Platonicorum auctoritate, maximè divini illius Plotini *Ennead.* 2. *lib.* 2. non ridiculum, quin potiùs maximum, & percelebre cenſendum; ipſis enim actiones à viventibus procedunt; nam motus dicunt à vitali quodam principio concitari. Quippe Plotinus ipſe, *loco citato*, his verbis idem confirmat: Τὰ μὲν οὖν ἄψυχα τῶν ἐν αὐτῇ πάντη ὄργανα, καὶ οἷον ὠθούμενα ἔξω εἰς τὸ ποιεῖν, &c. Conſentiunt etiam cum Hippocrate Hermetici ipſi, quantum ad vim atque efficaciam ejuſmodi ſpirituum in humoribus ſurſum deducendis, nec non in aliis operibus edendis. Quantum verò ad eorum originem, penitus ſubticuit. Platonici ſupra ſenſuum cognitionem elati, proximè ab *anima mundi*, tanquam omnium animantium principio eos derivari aſſerunt, quibus & aſſentiri ferè videntur illi, dum eorum cauſam in eum, qui eſt omnium vita, rejiciunt. Externa porrò cauſa undenam iſti ſpiritus, flatus & fluxiones in nobis ſuſcitentur, ab eodem Hipp. multis ex locis elicitur: primùm *lib. de aëre, locis & aquis*, proponit certa loca, certis aëris injuriis expoſita, propriis, & peculiaribus morbis affici; qui Auſtrali plagæ ſunt expoſiti, atque planities incolunt, fluxionibus ſunt obnoxii. Ex *lib.* 3. *Aphoriſm.* 1. Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, &c. qua de cauſa Aſtrologiam Medico omnino neceſſariam eſſe perhibet; ſic enim ipſe *lib. de aëre, aquis & locis*: Εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέων τὰς μεταβολὰς, καὶ τῶν ἄστρων ἐπιτολάς τε καὶ δύσιας, καθότι ἕκαστον τουτέων γίγνεται, προειδείη ἂν τὸ ἔτος, ὁκοῖόν τι μέλλει γίγνεσθαι. οὕτως ἄν τις ἐρευνώμενος καὶ προγινώσκων τοὺς καιροὺς, μάλιστ' ἂν εἰδείη περὶ ἑκάστου, καὶ τὰ πλεῖστα τυγχάνοι τῆς ὑγιείης, καὶ κατ' ὀρθὸν φέροιτο οὐκ ἐλάχιστα ἐν τῇ τέχνῃ. εἰ δὲ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρολόγα εἶναι, εἰ μεταστάιη τῆς γνώμης. μάθοι ἂν ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικήν. καὶ τὰ ἑξῆς. Locus non indignus qui conſulatur & à medicinæ ſtudioſis conſideretur:

tur: hinc enim diſcent, quid quid præſtare poſſint Medici ab Aſtrologiæ cognitione, præſtantia, & neceſſitate alieni, & quàm bellè Hippocratis decretis inſiſtant. Sed ad inſtitutum revertamur. Idem Hipp. *lib. de morbo ſacro*, cerebrum compactum, & debile protinus auſtrum ſolvere, & laxare perhibet. Cæterùm (e) *ſedentarios atque molles*, otiis plus nimio indulgentes, *catarrho*, & fluxionibus maximè eſſe obnoxios ætas hæc noſtra ſatis comprobat; è contra bajulos, agricolas, nautas, complureſque alios laboribus deditos rariùs vexari videmus: nam excitato auctoque calore nativo, excrementa, ſi quæ acervantur, conficiunt, minùſque tempeſtatum mutationes, atque lunæ & aliorum ſyderum viciſſitudines præſentiunt. Præter hæc, qui humidis veſcuntur, ut piſcibus, fructibus, oleribus, & carnibus humidioribus, etiam fluxionum incommoda facilè experiuntur. Prorſus quæ corpori impertiatur damna catarrhus, idem lib. περὶ ἀδένων aperit, fluxiones diu conſiſtentes, & magnitudine moleſtæ, eroſiones, & magnam cladem cerebro inferunt, mens deſipit, cerebrum convellitur, apoplexia, & alia graviſſima concitantur. Indicationes ex eadem diſciplina ſic colligere non erit difficile. Cùm ergo defluxionum cauſæ proponantur, flatus, flatuum verò origo, externa aëris conditio, & intrinſeca materiæ diſpoſitio, una & organorum apta proportio, manifeſtè liquet aërem immutandum eſſe, materiæ diſpoſitionem removendam, & organa ad priſtinum ſtatum revocanda. Quapropter ipſimet Hippocrati, quandoquidem auſter derepentè poſt aquilonem ruens defluxiones parit, oppoſitus locus, utpote ſeptentrionalis, eligendus: idem de locis auſtro expoſitis judicium eſto. Materiæ diſpoſitio frangitur, deturbatur ac demum expellitur, ſi obſerati meatûs adaperiantur, ſi peccans materia propriis catharticis purgetur, & ſi proba victûs ratio inſtituatur. Organa porrò, quia plerumque morbi ſævitiâ, & diuturnitate defeſſa, & à propriis obeundis muniis devia, roborantibus, & his quæ inſitum calorem adjuvant, refocillanda ſunt. Hæc ad unguem in oblato caſu obſervavimus, eaque impoſterum aliis ſervanda eſſe potiùs ducimus, quàm tritam obſoletamque methodum, quæ magis verbis quàm operibus innititur.

ANNOTATIONES

in CAPUT I.

(a) *In Inſenſiſſimam.* Dira illa, quibus æger plures per annos correptus eſt, ſymptomata unicè peti ac duci debent ex pravitate ſeu diſcraſia ſanguinis & humorum ſcorbutica. Scorbutus fœcunda morborum graviſſimorum mater ſalium excrementiorum ferociâ tragœdias ſuas conficit. Corporis noſtri fluores, qui vitalibus actionibus inſerviunt, ſecundùm naturam conſtituti puri, ſinceri, omni eminente ſale ſuperfluâ aquâ, muco & acri oleo privati eſſe debent. Quem in finem conſpirant omnia viſcera illorumque mechanicæ conſtructiones, quæ beneficio motus, qui unicum & neceſſarium vitæ inſtrumentum eſt, & heterogeneas partes à ſanguine ſeparare, & evacuare reliquas ac utiles ſubtiliſare, intimeque in vicem unire ac miſcere debent: In quo conſiſtit ſanguinis depuratio & primaria vitæ & ſanitatis ratio. Quòd ſi viſcera depurationi ſervientia aut craſſo muco infarcta & obſtructa, aut ſpirituum defectu ac robore labaſcentia ægrè officio ſuo præſunt, ſordes excrementitiæ ſalino-ſulphureæ aqueæ contaminant ſanguinem & ſerum, & multæ impuritates fiunt, quæ in tendinoſis & membranoſis dolorificas ſpaſmodicas contractiones: in glanduloſis nimias ſeri evacuationes & ſtagnationes: in muſculoſis inflammationes & ulcera peſſima efficiunt. Author acrium erodentium medicamentorũm uſu dolores acerbiores factos memorat, ſiquidem omnia calida, ſubtilia, acria motu ſuo celerrimo ſalia peregrina corporis noſtri atterendo magis ſubtiliſant, ſicque pernicioſiora illa reddunt, quare in omnibus morbis ſalinis cavendum à calidis, & quæ motum inteſtinum humorum & partium corporis adaugere ſolent. Medici quatuor advocati fuerunt fruſtra. Conſultationes plurium medicorum ut plurimum damnoſæ ſunt, & non aliter eſt, ac ſi vitrum mundandum pluribus detur; Diſcordia illorum ſemper fermè ægrorum pernies eſt. *Dn. Author* à dolore ceu magis urgente incepit curam: ſoli enim dolores acriores propter ſpirituum concitatum & irregularem motum totam œconomiam corporis ſanguiniſque & humorum motus mirum turbare & graviſſima mala progignere poſſunt, nimirum incendium febrile, vigilias, ſitim, virium defectionem, anorexiam, animi deliquium & convulſiones: Mitigato ſic dolore e. g. in arthritide feroci, dentitione difficili, affectione nephritica vel colicâ ſimul ac ſemel exſpirant quaſi cuncta ſymptomata. Optime autem ſpaſmodicam & dolorificam partium tenſionem demulcent & leniunt præter intrinſecus data anodina, externi fotus & balnea, tum partim ſalia actia diluendo ac temperando, partim nimis tenſas fibras relaxando, vires ſuas exerunt.

(b) *Decocto repurgante.* Decocta ex deobſtruentibus, aperientibus & incidentibus compoſita longo uſu viſcera ab infarctu liberant, & excrementorum colatoria aperiendo ſanguinem depurant. Hiſce decoctis ex ſimplicibus ſaltim herbis præparatis ſæpius aniculæ & empyrici chronicis in morbis plus præſtant laude digni, quàm magni chymiatri panaceis ſuis, elixiriis & eſſentiis calidis concentratis.

(c) *Corallorum eſſentiam.* Ad recidivam hujus mali præſcindendam, corallorum eſſentiam commendat Author. Hæc nil niſi ſolutio eſt, quæ, quo magis ſubtili & blando menſtruo confecta, eò efficacior exiſtit. Optima paratur cum ſpiritu nitri dulcificato, quæ amurcam venarum abſtergendo & evacuatoria blandè ſtimulando, purum ſanguinem ſervare poteſt. Alias ad præſervationem morborum chronicorum egregios effectus edit Elixirium noſtrum balſamicum, quod blande chyli & ſanguinis ſpirituaſcentiam promovet.

(d) *Salſedinis in corpore exiſtentis* cauſas inquirit A. Res admiratione digna eſt in corporibus maximè ſcorbuticis tantam ſalium acerrimorum imò cauſticorum copiam progigni, ut ut nullis ſalitis alimentis, ſed merè dulcibus, inſipidis ac temperatis veſcantur. Deducenda hujus effectus cauſa unicè eſt à motu: Motus enim eſt, qui atterendo & ſubtiliſando fixas rigidas partes in ſalia acuta tranſmutat, quare in chymicis flamma, fermentatio & quivis motus vehemens inteſtinus ſalia producit, vel illa exaltat; hinc, cum in ſcorbuticis frequentes eſſe ſoleant ebullitiones & humorum præter naturam agitationes, ſalium proventus in illis maximus fit.

(e) *Catarrho.* Catarrhis magis obnoxii ſunt pituitoſi ac ſpongioſi corporis habitus, otio indulgentes. Tardior in taliſmodi corporibus ſanguinis motus & progreſſivus & inteſtinus eſt, nec tantam ſpiritus vim ac actuoſitatem habent, hinc ad viſcerum oppilationes, ad muci in ſanguine abundantiam & ſtaſin in partibus glanduloſis admodum ſunt proclives; juvat tali in caſu abſtinentia; exercitatio & motus corporis crebrior; ſic enim particulæ viſcidæ ſatis dividuntur, ſubtiliſantur & ſuperfluæ evacuantur. Deinde vitanda omnia, quæ mucum & viſciditatem in ſe recondunt; maximè autem vitanda aëris inæqualitas eſt, quæ circulationem lymphæ & ſanguinis inæqualem reddendo producit catarrhos.

CAPUT II.

De Hydropis curandi methodo.

ANtonius Maria N. Bajulus vini, vulgò *Brintadore*, annum ſuæ ætatis circiter 40. agens, in bivio Illuſtriſſ. D. de Ruina ratione officii continuò aſtans, anno 1604. circa menſem Auguſti, anaſarcâ, & aſcite, aſthmate, & ſimilibus à quatuor menſibus in lecto moribundus jacebat. Hujus affectus primordia traxit à medelis propter tibiæ dolorem inconſideratè adhibitis: Etenim hac in tempeſtate Medici plurimi ægrorum ſalutem in catharticis, & phlebotomiis ſæpè repetitis repoſitam eſſe

arbitrantur, curationis utriuſque virium minimè memores. *(a) Cathartica* ſiquidem frequenter reiterata radicale humidum exhauriunt, ut & *(b) phlebotomia*; quæ pariter totum corpus refrigerat, idem humidum abſumens; unde poſtea cruditates multæ generantur, à quibus mille incommoda, & præſertim hydropes. Horum meminit Seneca in Epiſtolis, *medicorum conſilia*, inquit, *devita*, *qui parum docti*, *& multum ſeduli officioſiſſimè multos occidunt*. Huic tandem occurrendo *(c) metallorum ſulphur* cum conſerva roſarum adhibuimus, guttulis aliquot olei vitrioli adjectis; intra horam ſpiritum commodius ducere cœpit. Sequenti die, idem remedium quater reiteratur, ſummo manè ſcilicet, à prandio, paulò ante cœnam, & ſtatim in ingreſſu lecti: magnitudo medicamenti vix fabam ſuperabat, ſapore, ſaccharo roſaceo parum diſſimilis. Actio ejus eſt, non alvum laxare, non vires labefactare, ut elateria, ſcammonia, ebuli ſemen, & ſimilia ſolent; verum incidendo, aperiendo, atque nativum calorem adjuvando, ſaburram omnem aqueam foràs propulſare, expellere ac dejicere. Operatur in nobis iſtud ſolis remedium inſtar,crudos humores coquendo, & ſuperfluos inſenſibiliter exſiccando; ſic fluxiones omnes tollit, partibus nobilioribus robur conciliat, ac demum reparat vires, feſſaque membra juvat. Iſtis ergo roboratis viſceribus, & commodioribus viis adapertis, intra 12. dies abdomen totum detumuit, magnâ aquæ copiâ per os & virgam erumpente. Et tandem 18. die proprio defungitur officio, is qui quadrimeſtre omni Medico auxilio deſtitutus erat. Nec mirum; nam elapſo proximè anno ſenem octuageſimum quartum annum tranſcendentem eodem modo, iiſdem remediis, ſanitati reſtituimus. Mulieres etiam ſenio confectas, ut pueros non paucos, inter quos nuper puellulam D. Jacobi Righo, pari methodo perſanavimus.

Hydrops à Græco ὕδωρ, quod, ut ſatis notum vocabulum,ſive pro ſymptomate,ſive pro morbo ſumatur, aliâ nominis explicatione minimè indiget. Non me fugit, conſpicuum tumorem pro ſymptomate haberi, & depravatam ſanguificationem à frigida jecoris intemperie ortam, pro morbo: verùm quia hæc nimis arguta, &, quàm conveniat practico Medico, ſophiſtica magis, ſilentio præterimus. Hujus affectus tres inſtituunt ſpecies: anaſarcam, (quam & leucophlegmatiam) aſcitem, & tympanitem. Meminit & aliarum Hipp. pro partium obſeſſarum ratione, ut hydropis teſtium, uteri: à quo minimè recedentes, recentiorum etiam auctoritatibus innixi, in *(d) ſeptem ſpecies hydropem partiri* minimè dubitamus. Quæ diviſio, ut ſuperiori longè præſtantior, ſummopere meditanda venit. Prima ergo fit in cerebro. Secunda in pulmoribus. Tertia in corde. Quarta in felle. Quinta in hepate. Sexta in liene. Septima in renibus. Ejuſmodi autem ſpecies ſuis ſignis atque ſymptomatis cognoſcuntur. Capitis Hydrops ipſius capitis gravedine dignoſcitur, catarrho, pituita, hemicrania, punctionibus & tumoribus palpebrarum; ad hæc faciei tumor & pallor accedunt. Hydrops pulmonum aſthmate, tuſſi cum dolore pectoris diuturnitate temporis perſiſtente, cognoſcitur, etiam oris fœtore, cui æqualis pedum tumor accedit. Cordis Hydropem ſequitur omnium membrorum ſegnities, partis tumor & marcor, & æqualis pedum atque genuum tumor. In fellis Hydrope citrinus color ineſt, ut in icteritia, tum oculorum, tum dentium, nauſea cum appetitu, vomitus amarus, compreſſio thoracis, anhelitus durus & aſper, necnon tumor atque conſumptio corporis. Hepatis hydrops, peculiares habet labiorum & linguæ ſciſſuras, longum paroxyſmum, & pedis illius partis tumorem. Qui à liene oritur, partis dolorem habet, ejuſdemque lateris pedis tumorem, atque punctiones in affecta parte. In Renum Hydrope ſitis ingens, libidinis titillatio, teſtium tumor, punctiones ſpinæ dorſi, tumor in pedibus, & alia inſunt cæteris communia. Ex his denique mixtis aliæ ſpecies eſſent minutiùs concidendæ, quæ exercitato Medico facilè innoteſcent. Nec quenquam deterreat, quòd hæc partitio minimè ſit Galeni: etenim cum eodem *lib. de libris ſuis*, aliorum perpetuò ſectatores ſervos nominamus, ut his ſuo tempore Hippocraticos, Praxagoricos, & alios alterius ſectæ fautores appellat. *Hipprocr. libro de flatibus*, omnium morborum originem ſpiritibus aſſignavit. Cujus modum inibi eleganter tradidit: Ἢν δ᾽ διὰ τῶν σαρκῶν αἱ φῦσαι διεξιοῦσαι τοὺς πόρους τοῦ σώματος ἀραιοὺς ποιήσωσιν. ἕπεται δὲ τῇσι φύσῃσιν ὑγρασίη, ἧς τὴν ὁδὸν ὁ ἀὴρ ἀπειργάσατο. διαβρόχου δὲ γενομένου τοῦ σώματος ὑπεκτήκονται μὲν αἱ σάρκες. οἰδήματα δὲ εἰς τὰς κνήμας καταβαίνει, καὶ λέγεται τὸ τοιοῦτον νόσημα ὕδρωψ. Gal. cæterique poſt ipſum, omnia qualitatibus elementorum tribuentes, non à ſpiritibus hydropem, verùm potiùs *(f) ab intemperie jecoris frigidâ* & humidâ oriri dicunt. Sed quàm aptè ad bene medendum, conjicere licet. Etenim *dent quantum velint (g) calida* jecori, nihil efficiunt, ſitim augent, *frangunt vires*, & morbo alimentum & incrementum præbent. At ſpiritibus impetum frangant, *(h) obſeratos meatus* adaperiant, intus congregatæ aquæ ſponte effluent, & ſanabitur hydrops. Quæ praxis nobis feliciter ſucceſſit in omnibus: verùm in nonnullis, ubi ſubſtantiæ adeſt corruptela, aut ſaltem ſuſpicio aliqua, viam hanc inire non audeo, & tantùm prognoſtico cautè deſerendum judico. Idem Hipp. *lib.* 4. *de morbis ſub finem* ſuo more Laconicè & ſuccinctè hujus morbi curationem tradit: *Nam ſpiritus intrà exiſtens*, *vas replet*, *& externo ſpiritui renititur*, *& excurſus aquæ non datur præ ſpiritu vas implente*, *& ſimul aëre incumbente. Si verò quis vas ſenſim inclinarit*, *aut fundum perforaverit*, *ſpiritus de vaſe exibit*: *egreſſo autem ſpiritu*, *procedit etiam aqua foràs. Sic ſanè in hydrope.* Nos autem, juxta partitionem à nobis traditam, curationem duplicem, univerſalem & particularem, inſtituimus. Univerſalis indicatio erit, ſpiritus impetum coërcere, eum videlicet coagulando, cujuſmodi inſenſibiliter foras detruditur, facultate expultrice cooperante: coagulato verò ſpiritu, aquæ ſunt hauriendæ. Hæc autem pluribus modis fiunt, ut in majori mundo videre eſt, ubi compeſcitur ventus, adveniente pluviâ, atque ardore ſolis ſedatur, coagulatur frigoris rigore, aut contrarietate ſublata. In microcoſmo pluvia concitatur diaphoreticis; ejuſmodi vi pollet ſulphur hydropicum ſuprà citatum, cujus & calor ſolis vices gerit in microcoſmo, atque ſuâ ſympathiâ cum noſtro balſamo omnem tollit contrarietatem. Particularis curatio particulares etiam habet indicationes, quas ob brevitatem miſſas facimus, remediorum applicatione tantùm contenti, nec inde ſcholaſtico eaſdem excerpere difficile erit.

Cerebri Hydropis curatio.

℞. Tartari rub. lib. 1. hirundinariæ lib. ſ. colchotar. unc. viij. ſ. vini ardentis q. ſ. pro incorporatione. Deſtilla per alembicum vitreum. Doſis drac. s. Mane & ſerò ſumpta pellit urinam, quam

quam & fœtidam facit. Detur in vino malvatico.

Pulmonum curatio.

℞. Meliſſæ, marrubii, an. m. j. vini correcti lib. j. theriacæ, conf. roſarum, an. unc. vj. reduc. in aquam. In difficili ſpiritu repetenda eſt, quouſque fiat facilior: quo convaleſcente abſtinendum. Si pedes tumeant, tunc utere auro diaphoretico.

Cordis curatio.

℞. Coralli rub. unc. j. mannæ electæ unc. s. dialaccæ unc. ij. raſuræ eboris drac. vj. reduc. in liquorem. Doſis drac. s. vel drac. j. Purgantur & hoc medicamento.

℞. Serafini unc. j. trochiſc. de agarico, alhandal, an. drac. iij. diagredii præpar. drac. ij. fiant pilulæ ſecundum artem, vij. pro drac.

Fellis curatio.

℞. Carabes deſtillat. oleum, cujus capiat gr. x.

Hepatis curatio.

℞. Croci martis unc. iij. boli coagulati & aduſti unc. ij. rhabarb. unc. s. fiat pulvis, doſis erit unc. s.

Lienis curatio.

℞. Lapidis Lazuli calcinati unc. iij. ſpodii unc. s. mumiæ adductæ ad pondus omnium, miſce, fiat pulvis. Doſis drac. vj. ad vij.

Renum curatio.

℞. Colchotaris unc. vij. olei vitrioli unc. s. fiat bolus. Doſis drac. j. ad iij. Qui noverit præparationem olei dulcis vitrioli, conſtant & certum habebit remedium.

N O T Æ

in C A P U T II.

(*a*) *Catharctica.* A catharcticorum crebro uſu & phlebotomia intempeſtiva hydropis cauſam deducit. Purgantia fortiora & maximè extracta reſinoſa ſale acri inſtar cantharidum cauſtico inſtructa dum plicis inteſtinorum tenuium firmius inhærent, ſpaſmum ſeu dolorificam tenſionem fibris inteſtinorum motricibus inducunt, unde non tantum tormina enaſcuntur cum excretione & expreſſione copioſa lymphæ, verum etiam conſtrictione hac tonus inteſtinorum naturali ſeu motus periſtalticus illorum labefactatur, ſicque ſanguinis motus, qui maximam partem dependet à tono ſeu robore partium naturali, per inteſtinorum canales debilitatur, ut deinde in robore ſuo deficiant & reſolutionem & alimentorum ac fæcum expulſionem minus rectè peragere queant. Quare in praxi ſæpius videmus à crebro & intempeſtivo draſticorum pharmacorum uſu digeſtionis vitia, inflationes, alvi conſtrictiones & abdominis intumeſcentias. Memini à ſolo uſu pulveris fortioris purgantis excitatum flatulentum abdominis tumorem, cui mox ſuccedebat perfectus hydrops.

(*b*) *Vena ſectio.* Sanguis deficiens non poteſt ritè partes muſculoſas corporis ipſumque cordis muſculum inflare ac expandere, hinc ſanguinis & humorum motus tam circulatorius, quam inteſtinus, à quibus totius vitæ & ſanitatis ratio dependet, labaſcunt, excrementa ſeroſa coacervantur, à quibus obſtructiones, ex illis autem tumores & hydropes.

(*c*) *Metallorum ſulphur.* Dn. Author in ſequentibus curationibus etiam mirificè celebrat ceu præſentiſſimum contra hunc morbum præſidium. Mineralia nimirum partibus conſtant ſolidioribus, minus diviſibilibus & ſpiritu minerali ſubtiliſſimo, celerrimique motus. Hiſce elementis conſtantem injungunt partibus noſtris fluidis motum, cujus beneficio tenaces humores fundunt, obſtructiones liberant, & excretiones promovent. Pauca arſenici grana intrinſecus data, ſi viſcera & vires id patiuntur, intenſiſſimos motus excitant, & hac ratione ſæpius felici ſucceſſu contumaciſſimas febres fugant. Ejuſdem indolis eſt antifebrile certi amici quod conſtat ex minera, lunati rubra *roth guldiſch Erz* (quæ miſcela argentum eſt ſulphuris & arſenici in locis ſubterraneis diſſolutum:) Hoc ad pauca grana ſumptum interdum vomitionem, purgationem, ſudorem excitat, & chronicas febres radicitus ſic extirpat. Quid mercurialia in corpore noſtro præſtent, notiſſima res eſt. Martialia, & ex his primas tenens limatura martis, ad motum ſanguinis & humorum promovendum obſtructioneſque expediendas ſummè idonea ſunt: Obſervamus poſt illorum uſum protinus pulſum celeriorem, faciem magis rubicundam, appetitum meliorem: ut adeò falſum ſit, limaturæ martis efficaciam ſaltim dependere ab imbibitione ſeu ſaturatione acidi in primis viis exiſtentis. Crocus antimonii martialis, ſeu antimonium ſic dictum martiale cachecticum in curatione morborum frigidorum & ipſius hydropis opem fert præſtantiſſimam.

(*d*) *In ſeptem ſpecies hydropem partiri poſſe.* Notæ ſaltim ſunt in foro medico diſtinctiones hydropis in Anaſarcam & Aſcitem. Anaſarca eſt tumor partium corporis muſculoſarum quaſi univerſalis à decubitu ſeri in partibus laxioribus tono ac robore ſuo deſtitutis, ab humorum circulatione debiliori dependens. Aſcites tumor eſt magis partialis, & pro varietate partium varia naſciſcitur nomina, & fit à nimia diſtenſione & ſubſequente ruptione vaſorum lymphaticorum; hinc partes, quæ copioſis gaudent lymphæ ductibus, ejus extravaſioni & inde naſcenti tumori aquoſo obnoxiæ ſunt: Quapropter præter abdominis hydropem, qui fit vel ruptis vaſis meſeraicis aut peritonei aut illis, quæ per omentum & panniculum adipoſum feruntur, obſervatus quoque fuit ſimilis tumor in aliis partibus, uti thorace, capite, utero, ovario muliebre, ſcroto, pericardio, qualia exempla paſſim legi apud authores poſſunt. De hydrope cordis, renum, hepatis, quæ A. memorat, potiùs intelligenda ſunt de harum partium hydatidibus, ſeu veſiculis magnis aquoſis, quibus viſcera parteſque non raro glanduloſæ obſeſſæ ſunt à quarum ruptura ſubitò ſæpius invadit hydrops.

(*e*) *Hippocrates.* Hic omnium morborum originem ſpiritibus aſſignavit. Elegantiſſimus de hac re extat locus *libro de flatibus* ſtatim in principio: Spiritus nimirum, qui corporibus inſunt, & maximam vim ac facultatem habent, nominat flatus, qui extra corpora, aër ſunt, qui magna etiam pollet potentiâ motrice, à quo ſpiritus corporis noſtri habere ſuam originem aſſerit, hinc neceſſarius aëris in corpore uſus: Quocirca ab aëre morbos pleroſque oriri aſſerit, cum is aut copioſior, aut parcior, aut etiam plenior aut morbidis inquinamentis infectus, in corpus ſubierit, quæ ſententia ut antiquiſſima, ſic veriſſima eſt: tenuiſſimæ utpote corporis noſtri partes magna potentia movendi inſtructæ, ſanguinique jugiter innatantes & ſeparatim in nervis collectæ ex aëris particulis ſeu ſpirulis elaſticis magnâ vi movendi & ſeſe expandendi imbutis rectiſſimè peti debent: ſine vivido enim aëris elatere omnes motus & ſenſus corporis noſtri labaſcunt membraque robur ſuum exeruunt, & actiones vitales pereunt.

(*f*) *Ab intemperie jecoris frigida & humida.* Non ſemper in hydrope jecur affectum eſſe, teſtatur *Helmontius in Tr. Ignotus hydrops pag.* 508. *it Doctiſſ. Albrecht. in notis ad Bontecoe Chirurgiam pag.* 114. Sæpius tamen in ſectionibus præter alia viſcera & hepar corruptum exſuccum & contractum quaſi reperitur. Nec improbabile eſt, cavam hepatis partem, quæ & membranis nerveis & copioſiſſimis vaſis lymphaticis ac venarum fortioribus tunicis abundat, ſpaſmodicè conſtrictam, lymphæ & ſanguinis circulationem impedire & hydropem ſubitum producere poſſe. Intemperies nulla cadit in viſcera vel partes ſolidas, ſed magis in fluidas; à quibus & colorem & calorem & robur ſuum mutuantur.

(*g*) *Calida frangunt vires.* Generalis regula practica eſt, nunquam calida ſudorifera, vel quæ ſanguinis maſſam in motum vehementem conjicere apta ſunt, propinanda eſſe corporibus impuris ſuccis diffluentibus, qui alioquin commoti ſymptomatum ſævitiam augent, vel periculoſiora mala acceſſunt, quod etiam valet circa cachecticos & hydropicos, qui ſemper pejus ſe habent poſt calidorum nimium uſum.

(*h*) *Obſeratos meatus adaperiant.* Prima & optima intentio curandi hydropem eſſe debet lymphæ ſuum reſtituere circulum, & obſeratos ac infarctos tubulos partium aperire, ſic tumores ſponte ceſſant, & aquæ effluunt, & quicunque tali viâ non procedit, ſed purgantibus fortioribus morbum ſtatim aggreditur ſucceſſu felici ſemper carebit. Laudatiſſimus hanc in rem eſt locus apud *Hippocratem Lib. IV. de morbis* ſub finem, quem ipſe A. citat, ubi mechanicè hydropis generationem & curationem perdeleganter exponit de ſumpto experimento à vaſe repleto aquâ anguſti orificii, ubi externus aër incumbens impedit egreſſum, quo aëre remoto vel inclinato vaſe aqua effluit. Simili ratione niſi impedimenta, id eſt obſtructiones removeamus, lympha ſubſiſtens in ordinem & circulum ſuum ægrè reduci poterit.

(*i*) *Cerebri hydropis curatio.* Hæc cum ſequentibus nullius prorſus valoris eſt, deſumpta videtur ex Paracelſi libris.

CAPUT III.

De febre hectica, tumore ventriculi, &c.

ILluſtriſſ. D. Annibal de Rubeis, 35. annos circiter natus, à ſeptem annis graviſſima mala continuò pertulerat. In quartanam enim duorum & ultrà annorum ſpatio, legitimum quartanarum typum ſervantem, incidit, quam ſubſequuta eſt quotidiana, dein (*a*) *hectica*; his accedebant frequentes (*b*) *convulſiones*, ϛυτώδεις Græcis dictæ, eo quòd eas *à flatibus* oriri arbitrantur, quæ brachium aut aliquam partem aliquando ita arctè contrahebant, & nonnunquam totum corpus, ut humi proſtratus, Epilepticus multis haberetur. (*c*) *Supra ventriculum* creverat prædurus tumor, ovi gallinæ magnitudine, oſſeus, & indolens, liene & hepate pari tumore diſtentis: reliquum corpus incredibili macie, ita ut ſceletos ſolùm videretur, contabuerat, vigiliæ, cibi faſtidium, color cadaveroſus, & ſimilia inde ſequebantur. Mala hæc omnia omnes Medicorum hujus civitatis artes toto illo ſeptennio deluſerant; cùm ſubſequutura remedia manibus meis experturus æger congreditur, quorum ope priſtinam, & tamdiu exoptatam recuperavit ſanitatem. Primis diebus decoctum conſolidæ mediæ, pimpinellæ, ceterach, betonicæ, & borraginis in jure pulli gallinacei factum, ad quindecim dies ſumebat. Pulvis dein, quem ob ejus diſſolvendi & aperiendi vim diaphoreticum nominamus, cum Electuario ex corticibus citri bis in die dabatur. Febris hectica, ut & tumor regionis ventriculi ſenſim evanuerunt, & crebræ convulſiones illæ, *granchi* Italis dictæ, Gallis *gouttes grampes*, ſingulaque ſimptomata ceſſârunt.

Cùm quartanæ & hecticæ febris menſionem ſuprà fecerimus, non ab inſtituto alienum arbitror, ſi quid de febribus non tritum, & à paucis animadverſum, obſervemus.

Febris Latinis à feritate, aut potiùs fervore, ut & Græcis πυρετὸς quaſi accenſio, à nomine πῦρ, quod eſt ignis; Hebræis *dallakath*, à verbo *dalak*, quod accendere, ardere ſignificat; & alio modo *hachadachath*, à verbo *chadach*, quod & idem vocatur etiam *deſcheph*, pruna, & carbo ardens. Hippoc. magnum ignem febrem appellat, in Sileni, & Philini uxoris hiſtoria. Gal. non ignem, ſed calorem immodicè auctum *lib.* 8. *Therapeut.* 2. 9. & aliis in locis. Hinc addubitari poteſt, an ſit potiùs ignis quædam ſpecies, quàm ſola intemperies calida. Nam intemperies dicit tantùm exceſſum: at exceſſus actio alterius eſt caloris, quia calor, ut omne accidens, à ſe non intenditur. Putredinem conſtat id præſtare minimè, cùm nulla ipſi ſit agendi poteſtas, quæ etſi daretur, nonniſi actionem congenerem edere poſſet. Præterea accidentium nullam aſſe actionem, fatentur omnes Philoſophi. (*d*) *Conſtat igitur febrem non calorem*, ſed potiùs *igneam ſubſtantiam* dicendam. Nec mirum; quot enim ſunt in hoc inferiori mundo ignium ſpecies, tot & in microcoſmo febrium ſunt.

Plato tres olim ſpecies inſtituit, prunam, flammam, & lumen. Ignis quædam ſpecies eſt, quæ aquâ accenditur, & terrâ & fimo extinguitur. In Nimpheo exit è petra flamma, quæ pluviis accenditur. In Etruria non procul à Fiorenzola locus eſt, *mala pietra* vulgò dicitur, qui mons continuò flagrat, & in eodem ſtatu permanet, niſi quòd imbribus concitatior, & vegetior flamma prodit. In Gallia prope Gratianopolim fons eſt, in quem demerſa ligna flagrant.

Eſt in rebus duplex materia ignem concipiens: una aquoſa, & altera oleaginoſa, altera alteram extinguens: in ſulphure materia eſt ignea, & altera eidem contraria. Non negârim tamen, ejuſmodi differentiam oriri potiùs à ſubjectis, quibus inſidet ignis, quàm ab ejuſdem natura. Verùm quoniam Medicus microcoſmici ignis extinctionem tantùm procurat, illi ſaterit modos cognoſcere, quibus hujuſmodi ignes conſopiri valeant, nec tanti facienda ſubtilis illa dicacitas, quâ hodie plus juſto detinentur Medici. Divinus noſter Hippoc. *lib.* περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς, paucis veritatem aperiens, inquit, quod in unoquoque fortius & potentius eſt, quodque natura noſtra ſuperare non poſſit, hoc ipſum lædere, & idipſum antiqui auferendum judicârunt.

Et hoc poſtquam ſuperiùs Medicos non opinari inſinuâſſet, calidum, frigidum, humidum, & ſiccum hominem lædere. Et paulo inferius eaſdem qualitates, caliditatem & frigiditatem, omnium facultatum impotentiſſimas eſſe: quibus ſatis liquet, nedum febrem, verùm & cæteros morbos à quibuſdam ſubſtantiis potiùs gigni, quàm ab accidentibus; quod & loco allato *de flatibus* probatur, dum ſpiritus morborum omnium cauſas inſtituit.

Ubi verò inquit exceſſum elementorum cauſam morborum eſſe, illic ſumit effectum pro efficiente; *loco* enim proximè *citato* innuit, non calidum ſimpliciter, ſed calidum amarum, aut liquidum, aut ſolidum, & ſimilia in nobis morboſos tumultus concitare: quibus ſtatutis, febrium ſpecies non à caloris differentia, aut humorum putredine, verùm potiùs ab ipſamet naturæ igneæ materia conſtituendæ eſſent.

Quoniam verò febres ſunt multiplices, quædam continuæ, & quædam intermittentes, quarum quædam ſingulis diebus, ut quotidianæ, repetunt paroxyſmos; quædam binis, ternis, quaternis, quinis, &c. majores noſtri eaſdem poſtea in melancholicas, bilioſas, phlegmaticas, ſanguineas, & mixtas diſtinxerunt.

(*e*) *Eas* deinceps in Idiopathicas, & ſympathicas; conſiſtentes in ſpiritibus, ut ſunt ephemeræ; vel in humoribus, ut humorales, vel in ſolidis partibus, ut hecticæ. Mitto & alias, cùm hanc in medendo non ſimus ſequuti viam. Itaque febres ſuperiùs dividendas, ad diviſionem ſubſtantiarum ignem ſuſcipientium conſtituimus; quam demum diviſionem pro partibus obſeſſis iterum concidendam cenſemus. Et ſicuti hydropem à ſeptem principalioribus membris partiti ſumus, febres etiam in tot ſpecies diſtribuendas, therapeutices gratiâ, excogitavimus, in hoc Hermeticos ſequuti. Quoniam verò in unaquaque parte tria inſunt, divino Hipp. etiam dictante, ἴσχοντα, ἰσχόμενα, καὶ ὁρμῶντα, unaquæque pars autem proprio igneo ſubjecto, quod ſulphur vocant, prædita eſt, hinc prima oritur differentia.

Cùm autem ſolidarum partium fixa illa materia inflammabilis ardet, accenditur hectica febris, quæ omnium ſolutu contumaciſſima eſt, propterea quòd in ſolidis hoſpitetur.

Secunda differentia in liquidis ſive humoribus conſidet; quia verò hæc ſulphurea ſubſtantia continuò gignitur ex alimentorum excrementis, variiſque

que in locis fit, neceſſe eſt inde alias emanare ſpecies, & hæc propriè putrida dicitur: non quòd in ea humores putreſcant primò, ſed quia illa materia nondum à natura ad perfectionem deducta, tanquam excrementitia, dum incendio prehenditur, fœtorem emittit.

Tertia in ſpiritibus ſedem habet, & ſanguini in venis, ac arteriis immixta, unde ſynochos homotonos, paracmaſtica, epacmaſtica, & ſi in ſolo ſpiritu, diaria fit.

Quoniam autem unaquæque pars proprio abundat ſulphure, materiâ videlicet inflammabili, contingit ut eædem in eas ſpecies faciliùs reduci poſſint; cæteris tamen perito non negligendis.

NOTÆ

in CAPUT III.

(*a*) *H.Etica.* Frequens eſt poſt intermittentes perperam curatas, vel intempeſtivo conſtringentium & Chinæ Chinæ abuſu oppreſſas fieri febres lentas, quæ in eo ab hectica differunt, quod hujus major ſit gradus, & ex viſcerum corruptela ac inflammatione naſcatur. Febres namque, quæ in finem depurandi ſanguinem à ſordibus excrementiis inſtituuntur, critico naturæ motu citius oppreſſæ multa incommoda poſt ſe trahunt, dum impuritates, in ſanguine relictæ, obſtructiones viſcerum fixiores efficiunt, & liberiorem ſanguinis motum præpediendo calorem accendunt continuum. Hinc corruptelæ, tumores ſcirrhoſi viſcerum, febres lentæ; virium decrementum, digeſtionis vitia uberrimè profluunt, quodianâ id atteſtante experientiâ.

(*b*) *Convulſiones à flatibus.* Per flatus antiquiores Medici intellexerunt impetum ſpirituum ſic dictorum animalium in nervis & muſculis, qui ſi juſtum naturale æquilibrium ſuum excedit, tenſio harum partium nimia, dolorifica, ſeu ſpaſmus & convulſio fit.

(*c*) *Supra ventriculum creverat prædurus tumor.* Cauſa horum ſymptomatum genuina ſpaſmus eſt, qui penè omnibus ſeſe immiſcet morbis, & principalis morborum origo exiſtit, quanquam ſæpius bonum in finem, DEO, Naturæ Autore, ex legibus certis præſcriptis ſic dirigente, inſtituatur. Spaſmus, qui fibrarum motricium & muſculoſarum (quæ ſecundum naturam motu dilatationis & contractionis gaudent æquali) eſt contrictio fortiſſima, quâ, poris & vaſis arctius unitis, circulatio ſanguinis & humorum ſive ejus receptio & emiſſio in partes ad tempus ſiſtitur; unde partes ſpaſmo affectæ manifeſtâ duritie, tumore imbutæ, & ſanguine ſtagnante diffuſæ apparent.

(*d*) *Conſtat febrem non calorem* &c. Variæ ſunt opiniones de febrium & caloris præternaturalis origine. Nulla autem antiquior, melior & principiis mechanicis infallibilibus & ſimpliciſſimis accommodatior videtur, quàm *divi noſtri Senis, quam tradit in tract. de flatibus ſect. III.* §. 10. *& ſeq.* ubi à ſpiritibus ſeu corporis noſtri partibus impetum facientibus ab externo aëre provenientibus (quos ob vim illam flatus ubique nominat) febrium fontem deducit. Aſſerit nimirum *ſpiritus corporis noſtri obſtructo inferiori ventre à ſanguine refertas corporis partes illapſos eas refrigerare, quibus refrigeratis totum corpus horror occupat, & quò majori copiæ flatus irruperint, eò major rigor & tremor partium conſequitur. Sanguis porrò*, inquit, *præſentem horrorem metuens per totum corpus perreptat & ad maximè calidas partes concurrit, atque hi ſunt ejus ſaltus. Deſiliente autem ab extremis corporis partibus ſanguine, & viſcera & carnes contremiſcunt. Aliæ enim corporis partes copioſo ſanguine refertæ, aliæ exſangues exiſtunt. Atque exſangues quidem ob frigus minimè conquieſcunt, ſed concutiuntur, quæ vero ſanguine replentur, ob ſanguinis copiam contremiſcunt & inflammationes excitant. Coacto autem cumulatim plurimo ſanguine, aër ipſe, qui ſanguinem refrigeravit, à calore ſuperatus, rurſus incaleſcit, incenſuſque ac velut ligneus exiſtens in toto corpore calorem excitat, ad id etiam ſubſerviente ipſo ſanguine. Quod enim incenſum eſt, liquatur, ex eoque ſpiritus oritur, quo ad corporis meatus irrumpente ſudores fiunt.* Quis non videt, clariſſimè hîc indigitari inæqualem motum ſanguinis, & maxime ejus lationem à partibus extremis ad interiores. Certum eſt, in paroxyſmo febrium notabili ſpaſmo affici & contrahi partes extremas, & principaliter cutis glandulas, & muſculorum fibras. Hujus ſpaſmi effecta ſunt pathemata inter initia paroxyſmi invadentia, v. g. pandiculationes, cutis pororum corrugationes & conſtrictiones, ingentes rigores, immanes concuſſiones, ventriculi everſiones, artuum dolores, &c. Præterea fortiori & ſpaſmodica harum partium contractione primum ſanguinis influxus & refluxus poris coarctatis impeditur, hinc deſtitutæ ſanguine ceu caloris fonte frigent, ungues liveſcunt, venæ, quæ antea turgebant, fiunt minores & ſenſum fugiunt, ſudor cohibetur, introrſum ſic retractis & à circumferentia ad centrum coactis ipſis humoribus. Collectus ſic ſanguis in vaſis majoribus majori impetu ruit in cordis muſculum & tunicas arteriarum, motuque citatiori fertur per pulmonum corpus, ubi aëris appulſu conquaſſatus & attritus in ſubtiles partes diſcerpitur, quæ vorticoſo motu celerrimè agitatæ humidum diſſipant, propellunt, ſolidaſque partes continua alliſione & attritu calefaciunt, dum per poros conſtrictos anguſtiores velociſſime moventur, donec tandem obſtructi in extremis partibus tubuli aperiantur, ſic ſpaſmus remittat, & liber ſanguini circulus reſtituatur, paroxyſmo ſic ceſſante ac tranſpiratione liberiori factâ; Adeò ut mechanicâ ratione cauſa febris omniumque ſymptomatum dilucidiſſimè explanari ac explicari ſic poſſit.

CAPUT IV.

De raro affectu.

PErilluſtris Domini Flaminii de Mareſcottis uxor, Dom. Anaſtaſia, acerbiſſimum dolorem in hypogaſtrio ad utrumque hypochondrium vagantem, in dextero tamen fixiùs, ex quo primum ipſe ortum duxerat, hærentem, ab anno patiebatur. Is dolor ſenſim & ſine febre cœpit; paulò poſt, diebus videlicet 6. vel 7. elapſis, vehementiore facto, (*a*) *acuta febris*, de genere continuarum, Nobilem patientem adorta eſt. In hac febre debellanda, qui tunc ejus curam ſuſceperant, bis è pedibus ſanguinem miſerunt, totieſque è brachiis, nec ſalvatellæ pepercerunt. Ter & quater corpus purgatur, præmiſſis præparantibus julepis. Febris poſt decimum quartum remittitur. Dolore verò in eodem ſtatu, aut ſaltem paulò mitiore, perſtante, toto trimeſtri, abſque intervallo, medicamenta utcunque oblata deglutit. Fonticuli in brachiis & cervice fiunt. Fotus, litus, unguenta, ſinapiſmi, cucurbitulæ, enemata, glandes, & *quæcunque* (*b*) *vulgaris Medicorum* praxis excogitavit, in uſum vocantur, incaſſum tamen omnia, imò dolore in dies vegetiore & corporis habitu (aliàs obeſo) tunc gracili & cachectico reddito. Quapropter (*c*) *tot remediorum pertæſa*, atque nauſeabunda, quaſi Medicorum manûs effugiens, rus ſe recepit: ubi ad quatuor menſes commorata aliquod levamen ſe percipere arbitrabatur. Reverſa verò in urbem idem dolor magis exaſperatur, &, quod deterius erat, cui ſe committat, planè ignorat, (*d*) *pertimeſcit* Medicos, remediorum odoris, ſaporis & aſpectûs reminiſcitur, præteritorum memoriam perhorreſcit, & futura veretur. At dolores premunt, vigiliis, anorexiâ & aliis ſymptomatis conficitur, mors imminet, & ſic in manus meas, veluti ad extremum aſylum, curandam ſe contulit. Itaque ſupradictis omnibus ad unguem examinatis, calculoſam concretionem circa præcordia ratus, quæ univerſaliter coagulatum tartarum diſſolvunt, adhibitis, optimè convaluit.

Diſſolventia duobus modis cognoſcuntur, ſimilitudine, aut analogiâ, & arte ſignata: Similitudine oleoſum oleoſa diſſolvit, aqueum aquoſa. (*e*) *Arte ſignata*, lapides lyncis, Judaicus, cryſtallum, aſtacorum, totidem lapidum ſpecies in nobis concretos diſſolvunt. Hic modus vocatur ars, eo quòd nonniſi magna ſolertiâ, & longo ſtudio, lumine naturæ etiam adjuvante, comparetur.

retur. Interea ne miremini, antiquam hanc philoſophandi methodum penes infinitos Medicos, imperito vulgo famatiſſimos, tum temporis injuriâ, tum cacodæmonis arte, conſepultam jacere. Communis enim ille mortalium hoſtis conatur abſcondere, quod Deus ſuæ creaturæ nunquam immemor, naturæ lumine majoribus noſtris olim revelavit.

NOTÆ

in CAPUT IV.

(*a*) *Acuta febris.* In omni dolore vehementiori ſanguis febrili æſtu facilè ebullit, & quò dolor acerbior, eò calor ſolet eſſe major. Spiritus enim animales intra nervos & muſculoſas fibras motrices velociſſimè & inordinatè moti à cauſa externa irregulari irritante ſpaſmum & fortiſſimam tenſionem ac conſtrictionem partibus communicant; hinc ſanguis reprimitur in vaſa majora; unde cordis & arteriarum motus major & febris.

(*b*) *Vulgaris medicorum praxis.* Diſtinguendum omnino eſt inter praxin medicorum vulgarem empiricam ſolidiori ratione deſtitutam, & inter illam, quæ ex ratione bene fundata, experientiâ certâ, cauſarumque connexione derivatur, qualis philoſophica eſt rationalis, ſucceſſus feliciſſimi, quæ paucis eget remediis, ſatis tamen probatis & ſelectis, non macerat vel torquet corpora copiâ inutilium pharmacorum, nec in externis illis cauteriis, fonticulis, unguentis, ſetaceis, cucurbitulis, veſicatoriis, enematibus multum quærit præſidii; ſed magis ad intemperiem ſanguinis & humorum tollendam, & æqualem ipſis motum procurandum reſpicit.

(*c*) *Tot remediorum pertæſa.* Medicamentorum copia & crebra mutatio frequentius magis officit, quàm prodeſt ægrotantibus, nauſeam creat ventriculo, fermentum ſalivale deſtruit, & motus varios irregulares excitat, ut cum morbo in gratiam redire nequeant, ſepoſito autem vel neglecto omnium medicamentorum uſu meliùs ſe habent non rarò miſeri ægri, & priſtinam ſanitatem feliciùs recuperant abſtinentes ab omni remediorum uſu, quod non ſemel in praxi annotavi.

(*d*) *Pertimeſcit medicos.* Summi periculi plena res eſt committere vitam & ſanitatem ſuam Medico imperito, imprudenti & temerario, qui plus nocere, quàm prodeſſe ſolet. Satius tunc eſt, ſoli naturæ negotium curationis committere, & abſtinentiâ, ſpe, & expectatione morbum ſanare, quàm in manus imperiti medici incidere.

(*e*) *Arte ſignata.* Signatura nihil facit ad dignoſcendas medicamentorum facultates, dum non reſpondet experientia, & quæ ſignaturam habent cum corporis noſtri partibus, prorſus illis repugnant, & vice verſa: alia, quæ nullo externo caractere imbuta ſunt, optimè illis quadrant & conveniunt; hinc antiqua hæc philoſophandi methodus penes infinitos medicos olim recepta nullius momenti & parvi æſtimanda eſt. Lapides autem à Domino A. commemorati concretum diſſolvunt tartarum, dum calcinatione & pulveriſatione præparati ſal quoddam alcalinum abſterſivum recondunt, acidum deſtruens & mucum colliquans.

CAPUT V.

De lue cum hydrope, febre, & aliis.

Alexander de Thanaris laneæ marcaturæ tunc incumbens, 30. annos natus, teterrimâ (*a*) *luis veneræ ſpecie triennio inveterata*, cum anaſarca, febre lenta, epulide, ulceribus in ore, vigiliis, inappetentia, aliiſque graviſſimis ſymptomatis miſerè excarnificabatur. Tot mala partim ex remediis perperam adhibitis, ut (*b*) *hydrargyrii ſuffumigiis*, potionibus, phlebotomiis, ligni guajaci decoctis; partim ex ipſius morbi ſævitia contraxerat. Cadaveris potiùs, quàm hominis effigiem ferebat: & cùm ipſe ejuſque conſanguinei de ipſius ſalute minùs cogitarent, hunc in modum à tot ærumnis ſublevatus eſt. Adverſus hydropem, & febrem lentam, hydrargyrii pernicie concitatam, arcanum vitrioli, & (*c*) *aurum diaphoreticum* dabatur. In jure galli & vervecis coquebatur conſolida media, cujus manè lib. 1. ſumebat. (*d*) *Extractum tandem ex china*, *ſalſa*, ſale guajacino, & ſimilibus diaphoreticis, ad 12. dies, diſſolutum cum tantillo vini porrigebatur: à qua felici curatione novennium jam elapſum eſt, quo continuò ſemper valetudine firma potius eſt, & gaudet.

NOTÆ

in CAPUT V.

(*a*) *Lue inveterata.* Difficillimè hæc curatur accuratiſſimâ licet inſtitutâ medelâ: infecti enim & deturbati à ſtatu ſuo naturali penitus ſunt omnes corporis fluores, & inſignis viſceribus corruptela illata. Memini aliquando me mi. is aperuiſſe cadaver hoc malo defuncti, ubi membrum verrucis obſeſſum cranium poroſum & carie tactum erat, multæque polipoſæ concreſcentiæ in carotidibus & cordis ventriculo dextro reperiebantur, viſceribus, hepate & liene corruptis, & ex facili friabilibus, ac proſtratis & veſiculis ſeminalibus partim ſcirrhoſis, partim ſanie putridâ diffluentibus.

(*b*) *Hydrargyrii ſuffimigiis.* Mercurius appropriatum & potentiſſimum luis gallicæ alexipharmacum eſt, humores coagulatos prompriſſimè fundit & colliquat, & obſtructiones in anguſtiſſimis tubulis egregiè reſolvit. Operatur & partium ſubtilitate ſummâ, & gravitate maximâ: Eſt quippe fluidorum omnium graviſſimus; quare etiam minutiſſimæ ejus partes reſpectu aliorum fluidorum & noſtri ſanguinis ſemper ſpecie ſunt graviores, unde magno impetu & vi ſanguinis partes movet & ab ipſis motis velocioris motus gradum acquirit, ut adeò minutiſſimos poros ſubeundo firmiſſimas obſtructiones reſerare queat. Dum autem texturâ ſuâ ſalina ſpicula faciles in amplexus arripiat, hinc ſalia acria corroſiva in lympha & ſanguine lue venerea affectorum obvolitantia imbibit & arripit; unde ſpiculis ſic armatus ſalinis, glandulas, & fibras vellicat; unde hæc mediante influxu ſpirituum copioſiore inflata & contracta premunt liquida in iis contenta, ut non tantum ſalivalis latex, ſed & ſerum per ſudorem, vomitum & alvum non rarò excernatur: ubi autem vaſa excretioni apta non exiſtunt, ibi notabilis obſervatur turgeſcentia. Lympha itaque quo magis fœta eſt ſalibus corroſivis, acetoſis, ut in cachecticis & ſcorbuticis, hoc facilius virulentam induit naturam, dum ſic brevi ſtamina fibroſa partium corrodit, vel fortiori irritatione convulſiones, inflammationes, ſpaſmos, hæmorrhagias excitat. Per ſuffimigia & unguenta mercurius ſemper citius & vehementius operatur, quàm ſi intus adhibeatur, dum tali ratione immediatè fluoribus corporis communicantur ejus moleculæ, quæ alias difficillimè cum chylo miſcentur & ſanguini ſubſtantialiter propinantur.

(*c*) *Aurum diaphoreticum.* Aurum ſibi relictum parum virtutis medicamentoſæ recondit propter firmam, fixam & compactam ejus texturam, ægerrimè à menſtruo microcoſmico diſſolubilem. Quod ſi autem mercurio puriſſimo animatur & intimè ſubigitur, tranſit in medicamentum efficaciſſimum & tutiſſimum, parvâ doſi magnum aperitivum, ſi ritè proceſſeris; aurum enim manſuefacit virulentam arſenici vim, & ipsâ gravitate ſua magnum impertiens motum, & à mercurio ſubtile ac tenue factum inſignem acquirens efficaciam agendi.

(*d*) *Extractum ex china*, &c. Extracta hæc decoctione cum aqua & inſpiſſatione parata, temperata pollent reſinâ, quæ conſtat ex particulis mucilaginoſis ſulphureis & ſalinis acribus, quæ ſale fixo exaltata diſſolventem & diaphoreticam, blandam tamen, poſſidet vim, & uſu continuato laudabilem præbet effectum: Præſtat enim ſemper mitius, inſiſtendo tamen, aggredi morbum, quàm vi & impetu ipſam naturam cogere medicamentis.

CAPUT VI.

De menſium ſuppreſſione à longo tempore.

Nobilis & elegans virgo, Angela nomine, D. Annibalis de Geſſi filia, 16. annos nata, (*a*) *menſibus ſuppreſſis*, pallido colore, ventriculi frigidâ

frigidâ intemperie, capitis defluxione, inceſſus difficultate à triennio laborans, noſtro (*b*) *pulvere diaphoretico* ſublevata fuit. Apozema aperiens, incidens & attenuans ſub finem præſcripſimus: Quibus fluxêre menſtruales purgationes, color nativus rediit, inappetentia & alia inde orta penitus evanuerunt. In hac curatione nullam præmiſimus univerſalem purgationem, nec per ſaphænam, aut aliam partem, miſimus ſanguinem. Etenim tota noſtra fuit hæc intenſio, obſtructos meatus, coagulatum tartarum diſſolvendo, aperire, quò liberiùs ſpiritus ad propria munera obeunda per totum corpus vagarentur. Spiritus enim, veluti radius luminis, totum corpus permeans, ipſum regit, nec in ſua deſinit operatione, quoad interceptum quid illi obſiſtit; Ileideus his, qui Hermeticam ſcholam ſequuntur, dicitur, qui & ipſis microcoſmi aër habetur.

NOTÆ

in CAPUT VI.

(*a*) *Menſibus ſuppreſſis.* Suppreſſio menſium mille malorum origo in fœminis eſt. Quod ſi ſuperfluus ſeroſus ſanguis, qui in gravidis in nutrimentum fœtus vergit, in aliis ſingulo menſium ſpatio evacuatur, retinetur, infarctus vaſorum pletorici fiunt; unde ſtaſis, corruptio, vapeſcentia & motus humorum lentior ac tardior fit, & recenſita à Domino A. ſympromata oriuntur, quæ conjuncta affectum ſingularem conſtituunt, dictum chloroſin. Pertinacior autem talis retentio ex multiplici cauſarum fonte derivanda eſt. Primum enim accidit, ſi diſcraſia ſanguinis & humorum viſcida nimium invaluerit, ita ut turgeſcentia & orgaſmus conſuetus & impetus ille ad expulſionem neceſſarius deficiat. (2) Si ſanguis ipſe deficit, vel ſerum copioſum abſumptum per morbos eſt, ipſæque vires langueſcunt, & impetum facientes ſpiritus impares ſunt mutuumque concitationibus languidiores. (3) Si polypoſis concretionibus vaſa uterina obturata vel illorum orificia excreſcentiis occluſa fuerint. (4) Si impetus ille ſanguinis tempore fluxus ad uteri vias tendens repente ſiſtitur, vel venæ ſectione facta in brachio, vel hæmorrhagiis narium, cujus exempla aliquot notata fuerunt; deſueſcens ſic natura & turbata in opere ſuo ægrè interdum ad ordinem ſuum revocatur.

(*b*) *Pulvere diaphoretico.* Non conſultum eſt ante venæſectionem & debitam præmiſſam expurgationem ſudorifera calida camarinam vitioſorum humorum copioſam exagitantia propinare; nam obſervatione conſtat, vehementer ſic impurum ſanguinem commotum & ad alias partes tranſlatum anxietates & anguſtias præcordiales, cordis palpitationes, hypochondriorum vel artuum ſpaſmos, cephalalgias, paralyſin, hæmorrhagias & febrem lentam produxiſſe. A balſami ſulphuris therebinthinati intempeſtivo uſu ante debitam ſanguinis & humorum evacuationem grave delirium obſervavi. Quam ipſam ob rem præſtat contra Authoris ſententiam ſubvenire plethoræ & cacochymiæ tam venæſectione, quàm purgatione prius, quàm præſcribamus diaphoretica calida. Martialia autem ſimplici ſaltim modo parata nullo ſale acido potenti inverſa & maritata cum regulo antimonii medicinali, item cum ſalibus aperitivis, uſum præbent egregium.

CAPUT VII.

De ulcere maligno, & ſalſo catarrho.

FRater Auguſtinus trigeſimum circiter annum agens, in Cœnobio Reverendorum Patrum Cœleſtinorum, cachecticus factus, fortè ob culinæ officium, quo tunc defungebatur, depaſcentia duo ulcera dolorifica, calloſa, & virulenta, de his quæ φαγέδαινα dicuntur, contraxerat, alterum ſub articulo genu dextri, alterum in ſura tibiæ ejuſdem lateris. Patiebatur inſuper ſalſam defluxionem à capite, unde ulcera certò trahebant originem, non à lue venerea, ut is, qui guajaci decoctum ſtatim morbi initiis præbuerat, falsò arbitrabatur: quapropter jecoris intemperiem augens, malum primo deterius reddidit; mitto remedia: quibus anno toto uſus fuit. Itaque cùm præſentis ulceris (*a*) *cachexiam* pro antecedenti cauſa haberem, huic incumbere, totiſque viribus eam evellere, partim (*b*) *corallorum tincturâ*, partim decocto purgante & refrigerante, conati ſumus; quo ad vota ſuccedente, ad ulcera deſcendimus, quæ calloſa, dolorifica, profunda, & ſanè aſpectu horrenda. Primùm mitigandus fuit dolor, anagallidis, & roſarum decocto: (*c*) *calloſitates*, unguento ex vitellis ovorum cum calcinato majore, quo & mundificata fuerunt. Ablato calcinato, cum eodem unguento, thure aliquando adjecto, ulcera carne implevimus: & ultimò cicatricem croco martis obduximus.

NOTÆ

in CAPUT VII.

(*a*) *Cachexiam.* Cachexia notat copiam ſeri impuri ſalibus excrementitiis ſtipati, & circulationem humorum per ſubſtantiam carnis poroſam & vaſa corporis minima lentiorem. Ulcera gignit quàm facilè in partibus extremis propter ſtaſin ſeri in partibus maximè tendinoſis & cardilagineis majorem ibi acrimoniam & corruptionem concipientis.

(*b*) *Corallorum tinctura.* Perſuaſum habuerunt veteres corallia ſulphure ſcatere ſolari naturæ grato à quo etiam mutuentur ſuum colorem. Uti autem color non eſt entitas quædam abſoluta ſubſtantialis rebus inhærens, ſed ſaltim modificatio lucis pro diverſa textura particularum, variam ideam in mente excitans: ſic quoque color ille ſeparari & extrahi non poteſt. Sed omnes coralliorum tincturæ flavæ vel rubicundæ mutuantur ſuum colorem à menſtruis, quæ principio oleoſo acido utplurimum abundant & ſub digeſtione rubedinem induunt, uti patet in ſpiritu tartari, ſpiritu panis, mellis, mannæ, lignorum, qui cum tempore amittunt ſuam pelluciditatem, & rubro colore tinguntur. Quocirca magis appellandæ ſunt coralliorum ſolutiones, quarum virtus maxima ex parte dependet à menſtruo. Non negandum equidem eſt, illam, quæ paratur cum ſpiritu tartari, vel lignorum, eſſe optimam ad diaphoreſin excitandam.

(*c*) *Calloſitates.* Calli ulcerum nihil aliud ſunt, quàm ſcirrhoſitates à coarctatione & coalitione fibrillarum & vaſculorum mediante acido ſtiptico productæ; quàm diu autem duræ hæ partes non removentur, nulla ulceris ſperanda eſt conſolidatio: tolluntur autem vel cauta ſectione, vel alumine uſto cum mercurio præcipitato probè præparato, quem calcinatum majus A. appellat.

CAPUT VIII.

De latente lue cum aliis graviſſimis.

ANtonius cognomine Navarra, Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Cardinalis Juſtiniani rhedarius, annos ſuæ ætatis 50. explens, vitæ voluptuariæ plus juſto indulgens, in graviſſimum morbi genus incurrerat, nec cognitu, nec curatu facile. Morbum hunc, etſi aliis ſtipatum affectibus, tamen ab uno eodemque fonte dimanare certum erat. Cognitionis difficultas ex eo pendebat, quòd non unica pars, ſed totum corpus æqualiter affectum erat. Inprimis caput fluxione tentabatur: pectus, ventriculus, & aliæ ſubjectæ partes, & defluxione, & propriâ intemperie afficiebantur: lentâ tandem febre continuò conficiebatur, anhelitûs difficultate, tuſſi, anorexia, & inſolito marcore; unde ad tabem deduci omnes arbitrabantur.

(*a*) *Cognitâ vitæ conſuetudine*, (*b*) *in latentem luem veneream* eum incidiſſe, è quâ tot mala oriebantur

bantur, facilè judicavimus, quæ etſi certa de ſe indicia non daret, tamen propter infinita remedia, & ipſius naturæ conditionem, morbum hunc in hos affectus degeneraſſe, pro ſe certo conjecimus. Quod novum aut inauditum doctis non eſt. In tot affectuum curatione, (c) *ab his quæ magis urgebant*, juxta communem doctrinam exorſi ſumus. Et primò febri ſummovendæ, è naturalium partium obſtructionibus ortæ, Electuarium aperiens, roborans, & refrigerans tribuimus. Decoctum deinde chinæ, ſalſæ, cichorii, endiviæ, borraginis, hermodactylorum, aniſi, liquiritiæ, in jure caponis factum, ſervatâ doſi, ad 30. dies ſumebat. Interdum huic decocto fol. ſennæ, prout neceſſitas poſtulabat, adjiciebantur. Sub finem tandem extractum chinæ, ſalſæ, additis eorundem ſalibus, & aliis capiebat. Et ſic à tot affectibus, contrarias indicationes habentibus, intra 40. dies liber evaſit.

NOTÆ

in CAPUT VIII.

(a) *Cognitæ vitæ conſuetudine.* Medicus in morbi cognitionem inquiſiturus, ante omnia ex variis circumſtantiis & quæſtionibus habitum corporis, temperiem, craſin & motum humorum (quod temperamentum eſt) conjicere, deinde ex habitu corporis, vitæ conſuetudine, & victus ratione, nec non ex ipſis morbis conſuetis, aut excretionibus ordinariis hariolati jam ipſam morbi conditionem & ſtatum, naturæque motus debet; ſic prognoſin certam quàm feliciſſimè inferre poterit.

(b) *In latentem luem.* Particulas morboſas neſcio quas, peregrinas, naturæ evacuatoriis non correſpondentes, diu recondi ſub involucris ſanguinis & citra omnem noxam latere póſſe, clarum faciunt inter alia variolæ, morbilli, arthritides, morbi hæreditarii, & maximè lues gallica & morſus canis rabidi, quæ tandem in motum incitatæ vel ab animi affectibus, vel medicamentis calidis aut morbis acutis, vel certa aëris conſtitutione ſanguinis vincula laxante tragœdias ſuas ludunt. Recentiores materiam hanc morbificam fermenta vocant in valvulis partium ſolidarum hærentia; cum autem nullus conceptus fermenti cujuſdam eſſe poſſit taliſmodi morboſi, multò minus, qua ratione in valvulis ductuum citra communicationem cum ſanguine, lympha aut ſpiritibus latitare queant, hinc meritò illam ſententiam in dubium vocamus, & ab hiſce vocabulis abſtinemus.

(c) *Ab his quæ magis urgebant.* Principale indicans in curatione eſt ſymptoma illud, quod vires corporis conſervatrices proſternit, & inventionem remedii urget, & à medico reſpici debet, v. g. dolor, vigiliæ, febris, convulſio, malignitas, ſyncope, & quæ ſunt generis ejuſdem.

CAPUT IX.

De menſium ſuppreſſione, & aliis.

NObilis, & elegans juvenis, annos octodecim agens, Domini Balthaſaris de Acurtiis filia, nomine Angelica, graviſſimis morbis atque ſæviſſimis ſymptomatis, biennio & ultrà, miſerè conflictabatur; ordinariis inſuper remediis, quamquam à peritiſſimis Medicis ex arte adhibitis, nihilum proficientibus, imò indies magis exacerbantibus, atque gravioribus compertis. Feliciter verò methodo ſequenti probè convaluit. Caput imprimis inſigni torpedine tentabatur, atque ſopore incredibili aſſiduè afficiebatur, corpore æquali gravedine oppreſſo, à quibus maxima incedendi difficultas, actionum naturalium pravitas, unde longa ſymptomatum ſeries, per intervalla (a) *manibus livore*, veluti ſphacelo, correptis, non *ſine frigore*, etſi vigeret æſtas. Hæc omnia à ſuppreſſis menſibus, quorum (b) *cauſam bili atræ* aſſignandam, nulli dubium, maximè cùm eſſet temperamento melancholico, nec non ictericiâ nigrâ, ſimulque frequenti vertigine corriperetur. His occurrendo, (c) *pilulas*, quas ob earum efficaciam in 4. humoribus repurgandis, catholicas nominamus, accepit, quoad totum corpus ejuſdem atro humore inquinatum probè repurgaretur. Elect. poſteà ex conſervis betonicæ, borraginis, & roſarum, (d) *oleo vitrioli martis*, & pulvere noſtro diaphoretico confectum, ad menſem dabatur: quibus tandem libera evaſit.

NOTÆ

in CAPUT IX.

(a) *Manibus livore.* Livor manuum cum frigore, ſphaceli licet levioris ſpecies videtur à ſanguine corrupto, ad partes has extremas mediante ſpirituum robore delato, ubi propter craſſitiem capillaria vaſa obſtruit, ſtagnat, corrumpitur, livorem & frigus producit. Quo ſpectant etiam maculæ illæ lividæ cæruleæ vel nigræ ſcorbuticis familiares.

(b) *Cauſam bili atræ.* Veteres dixerunt atram bilem, quando copioſa acida ſalia cum ſanguinis oleoſis ſulphureis & terreis partibus mixta ſunt, à quibus etiam temperamentum atrabilarium, ſeu melancholicum derivandum eſt. Bilis utpote cum acido mixta digeſtione tranſit primum in viriditatem, poſtmodum in atrum colorem, ex quo etiam ictericiæ nigræ ratio & geneſis ducenda eſt.

(c) *Pilulas.* Pro varietate & natura ingredientium differt quoque pilularum effectus. Alterantia & incidentia cum purgantibus remixta illorum vim egregiè exaltant, quem in finem laudem merentur Dn. Authoris pilulæ inferius deſcribendæ. Optimè componi pilulæ polycreſtæ per epicriſin purgantes poſſunt ex extracto Panchymagogo Crollii, quod inſtar omnium eſt, maritato cum Gummi ammoniaco puro, non aceto infracto, addito ſale quodam incidente v. g. ſuccini & olei carminativi momento, aut extractum aloës cum ſufficiente quantitate diagrydii miſceatur addito ſale ſuccini, martiali & oleo corticum aurantiorum: quæ pilulæ univerſales, tutiſſimæ & antihypochondriacæ præſtantiſſimæ ſunt.

(d) *Oleo Vitrioli Martis.* Impropriè hoc dicitur oleum, eſt potius ſpiritus Vitrioli martis, humidi debita evocatione in ſpiſſiorem formam redactus. Quoniam autem acida propter figuram ſuam admotum promptiorem ineptam particulas mobiles, tenues & ſulphureas humorum in motu ſiſtunt, ſecurius eſt abſtinere illis in morbis, qui à *coagulatione & ſpiſſitudine proveniunt.*

CAPUT X.

De teterrimo dolore oculorum, tertiana notha, & dolore Vagante.

NObilis Dominus, Horatius de Leonhoris, 40. annos agens, interjectis temporibus, triplici morborum genere toto cœlo diverſo laborans, in manus meas curandum ſe tradidit. Primùm ſalſa, acris, & pungens erat defluxio, quæ in alterum oculorum irruens, dolorem omnino intolerabilem ſuſcitabat: cui opitulando, multa jam medicamenta doctiſſimus quidam Medicus fruſtrà præſcripſerat: tanta erat hujus acris defluxionis vis atque pernicies ut in fronte & ſuperciliis (a) *hepetem exedentem* produxerit. Hujuſmodi defluxionis radices (b) *ſaccharô metallinô* penitùs citò & tutò præcidimus.

Alter affectus, fuit tertiana notha, quæ in hemitritæum malignum converſa, perpurgato corpore cholagogo ex rhéo, manna, & ſimilibus benignis parato, brevi valedixit. Tertius, & omnium vehementiſſimus fuit dolor in altera tibiarum, ita atrox & vehemens, ut ſupra humanam

naturam

naturam ipſe cruciaretur. *Hujus doloris cauſa*, tenuis quidam vapor, aut (*c*) *ſubtilis quædam aura* venenata fuit, non continuò, ſed breviſſimis intervallis vento velociùs per tibiam oberrans, & ita, ut digiti contactu ventus cum dolore ſimul & ſtatim evaneſceret; unde conjecimus hujus tenuis auræ ſedem in venis exiſtere, (*d*) *venis* maximè in ſuperficie *tumentibus*. Quapropter varices ſatis apparentes, tundendas conſtituimus. Quod cùm profeciſſet, cucurbitulas perexiguas, vulgò *corneti* dictas, per totam tibiam admovendas curavimus; quo facto dolor confeſtim evanuit.

NOTÆ
in CAPUT X.

(*a*) *Herpetem exedentem.* Scorbuticorum lympha lacrymalis, nec non ſalivalis ſæpius tanta ſalſedine acri imbuta eſt, ut non tantum partes vicinas ſolidas depaſcere incipiat, verum etiam metallorum ſubſtantiam aggrediendo ſolutionem quandam minetur, quod patet, ſi vaſi æneo immittatur, ubi protinus virorem extrahit. Generatio horum ſalium in ſcorbuticis intenſo ac inteſtino partium fluidarum motu fit; quo enim attritio & alliſio ſalium fortior, eò majorem ſubtilitatem, penetrantiam & acredinem acquirunt. Extravaſatio ſeu ſtaſis lymphæ circa oculi glandulas præcipuè obſervatur in illis ſcorbuticis, ubi tranſpiratio ſalium horum morboſorum variis ex cauſis ad tempus impeditur. Cauſæ autem poſſunt eſſe modò inæqualis aut frigida aëris conſtitutio, modò acidorum & viſcidorum abuſus, aliaque exterius applicata oleoſa unguenta, frigida, poros occludentia. Sic ab eryſipelate capitis folio citius retropulſo opthalmiam cum panno contumaciſſimam annotavi.

(*b*) *Sacchαro metallino.* Hoc nil, niſi ſal, ſeu ſic dictum ſaccharum ſaturni eſt, quod tam ratione acidi concreti, quàm plumbi naturæ adſtrictivæ humorum acres ebullitiones mitigat, ſicque ſalium ferociam temperat.

(*c*) *Subtilis quædam aura.* Occurrit hoc phænomenon in praxi frequentius auram frigidam ex partibus extremis & inferioribus aſcendere per dorſalem ſpinam ad partes ſuperiores in morbis præcipuè ſpaſmodicis nervinis. Ad ſenſus fallaciam hoc pertinet; auram quippe ſeu vaporem ad corporis partes ſenſibiliter perreptare rationi repugnat. Adſcribendus potius hic effectus eſt conſtrictioni nervorum ſpaſmodicæ in extremis partibus incipienti, & ad interiora vergenti.

(*d*) *Venis tumentibus.* Tumor venarum noſtro in caſu non cauſa morbi, ſed potius productum ejus cenſendum; ob ſpaſmum enim partium circulatio ſanguinis ad tempus ſuſpenditur, nec facile in partes, & ex his in arterias transfunditur: hinc in venis ſtagnans tumorem efficit.

CAPUT XI.

De arthritide cum febre, & aliis graviſſimis.

DOminus Antonius de Purgo, annos triginta natus, arthritide (*a*) *immobilis totus* ferè redditus; (*b*) *cum ardenti febre, eaque continuâ*, vigiliis, immaniſſimis cruciatibus, & aliis graviſſimis ſymptomatis in lecto jacebat. Quibus profligandis nihil intactum reliquerant celeberrimi Medici, ejus curæ primò attendentes. Sed quæ vulgaris medicina, tam rationibus, quàm experientiis referta docet, in uſum advocata, nihil hucuſque profuerant. Circa primam horam noctis ipſe acceſſitus, (*c*) *pulveris noſtri diaphoretici grana quinque porrexi.* Intra horam, ſuavi ſomno captus æger: febris, dolores, & alia ſymptomata quieverunt.

Sequenti die, ter & quater idem remedium iteratur: in cujus uſu ad 15. dies perſeverat. Pedes interea tepenti aquâ, in qua ſulphur pernoctaverat, fovebantur. Sic intra viginti dies præter multorum opinionem priſtinam recuperavit ſanitatem. Veteres hujus affectûs patronos Venerem & Bacchum eſſe ajebant: quod tamen noſtra hæc ætas ratum conſtanſque minimè probat. Etenim homines caſtiſſimos & abſtemios, æque ac incontinentes & helluones (quod plerumque obſervavi) ſæpius adoritur, uti etiam in ſequentibus patebit. Otia, ira, & naturalis propenſio, quæ hæreditaria dicitur, iſtis hominibus magis adverſari videri poteſt; hinc rari, præter nobiles aut alios otiis plus juſto, indulgentes, gravi hoc malo corripiuntur. Intrinſeca cauſa, quæ in remotam & proximam rejicitur, excrementitio cuidam & ſuperfluo humori certò tribuenda eſt, calidiori videlicet jecori, & refrigerato ventriculo, &, ut loquuntur Hermetici, Archeo plus appetenti quàm Vulcano coquenti. Archeus ſiquidem ac Vulcanus ubique vigent; Dogmaticis animi dotes dicuntur. Conjunctam hinc cauſam elicere poſſumus, eundem excrementitium humorem. Quo verò modo dolores excitet, cujuſque ſit conditionis, bilioſus, pituitoſus, ac ſeroſus, dicere hucuſque profuit nihil. (*d*) *Purgemus* ejuſmodi humores, quantum voluerimus, quid inde? ne minimum quidem levaminis afferemus. Scio quantum celebrentur Elect. diacaryocoſtinum, pilulæ arthriticæ, & alia pleraque infinita, tum ſimplicia, tum compoſita. His itaque omiſſis, hujus humoris naturam perveſtigantes, doloris modum aperiemus.

Dixi excrementitium, in quo omnes mecum concurrent; & id tertiæ concoctionis. Tribus autem ſubſtantiis per reſolutionis artem idipſum conſtare docetur: ſale videlicet, ſulphure, & mercurio, analogicè omnibus. Unaquæque ex his propriis rationibus ſeminariis ſtipatur, neque ullam in ſe efficaciam habet; unde per intervalla mirum non eſt, ſi diverſos in diverſis dolores exſuſcitet. (*e*) *Dolor potiſſimum à* ſale ſuſcitatur, qui cùm cujuſpiam nobis ingeſti cibi ſapiat naturam, ejus ſeminalis vis tanquam mortua deliteſcens aſtrali lumine irradiatur: & quæ priùs effœta, noſtroque calore diu ſubacta & depreſſa erat, inſolito motu continentem partem diversè exercet. Humiditas nimia idem ſæpius præſtat, quæ ambiente ſicco, aut aliâ cauſâ exſiccata, vires ſuas tunc exerit. At qua dolor ad menſes, & annos remittitur, perſiſtente tamen materiâ; cuinam, niſi influxui cœleſti, rationique ſeminali tribuendum? hac videlicet deſtinato ſcopo, avocatâ, illo compellente, & ad præſtitutum terminum promovente. Id cuncta terræ genita nobis ſatis teſtantur, dum propriis, è terræ gremio alia aliis temporibus forâs erumpunt.

NOTÆ
in CAPUT XI.

(*a*) *Immobilis totus.* Atrox arthritidis dolor ſæpè ita vires frangit, & nervos debilitat, ut ſine omni motu jaceant ægri, vel ſi ille tentatur, crudeliores exſurgunt dolores, hinc ob metum graviorum dolorum ſæpè vidi ægros coactos fuiſſe ipſo in lecto alvi deponere excrementa. Morbi autem vi paululum infractâ, facilè per inunctiones, fomentationes priſtinus vigor partibus reſtituitur.

(*b*) *Cum ardente febre.* Dolor articulorum quo gravior, eò febris ſolet eſſe acutior, ſuccus nim. acris articulorum ſenſiles membranulas convellens in illis incolentes ſpiritus inordinatè commovet, qui impulſi ſibi proximos, & hi iterum alios citatius movent, ſicque facilè totum nervorum fluidum in motu ſuo turbatur & impetuoſius movetur; ab hoc autem cordis pulſus, par-

tium tonus & hinc motus, ſanguinis maximam partem dependet; qua re fluidum intra nervos celerius agitatum ſanguinem ubique fortius impellit, ſicque illum in craſi & motu ſuo naturali & depuratorio turbat; unde febris.

(*c*) *Pulveris noſtri diaphoretici.* Mercurius cum auro fixatus in medicamentum tranſit magnarum virium. Experti ſumus mercurium probe depuratum & cum ſtanno ritè junctum ac edulcoratum evadere diaphoreticum ac reſolvens præſtantiſſimum, quod ſi extracti cujusdam anodyni exigua quantitate exalterur, in ſonticis affectibus præſidium magnificum eſt.

(*d*) *Purgemus.* Purgantia nihil valent ad præſervationem vel mitigationem arthritidis. Morbus hic ſalinus eſt, purgantia autem nullam vim habent in ſalia, nec quæ in lympha & maſſa ſanguinea exiſtunt; ſalia per purgantia commode eliminantur, ſed magis lædere arthriticos ſolent, cum humores, ſub quorum favore ſalium ferocia liteſcebat, ſubducunt, & ſpiculis ſuis irritando dolores & ſpaſmos augent. Morbos ſalinos qui vult curare, ſpiracula ſine omni calore & intenſiori exagitatione aperiat neceſſe eſt. Subcutaneæ enim glandulæ congruum ſalium evacuatorium exiſtunt.

(*e*) *Dolor potiſſimum à ſale.* Cauſam dolorum conſtituunt corpora angulоſa irregularis figuræ beneficio lymphæ membranis communicata. Quo magis ſalia illa ratione figuræ & ſubtilitatis differunt; & pituitæ magis vel minus immerſa ſunt, differt dolor arthriticus, & vel plus aut minus acutus, volatilis, vel fixus eſt. Et ſalia hæc, dum nimium vellicant vaſa minima, glandulоſos ductus & nerveas fibras, ipſas præter naturam conſtringunt, & ſic inſtillationem ſuccorum in partes procurant, qui, cum anguſtiores reddant vias, ſanguinis circulationem per affectas partes liberam & æqualem impediunt, celerius per vias adhuc patulas trajectis partibus ſanguinis ſubtilioribus: unde calor, dolor, rubor, & tumor originem ſuam petunt.

CAPUT XII.

De Paralyſi.

JOannes Baptiſta Lepage, olei negotiationem exercens, ab incognita cauſa in (*a*) *altero brachiorum paralyſi* correptus, ad ſenem Medicum recurrit, à quo cùm nihil opis per annum ſibi reportâſſet, me quoque conſulendum ſtatuit. Cauſâ ad unguem examinatâ, aperiens ac purgans decoctum ad complurimos dies ipſi præſcripſi. (*b*) *Cephalica* deinde ac roborantia ſumpſit. Et his gratiſſimis & minimè nauſeabundis priſtinæ ſanitati fuit reſtitutus.

NOTÆ

in CAPUT XII.

(*a*) *In altero brachiorum paralyſi.* Reſolutio ſeu relaxatio nervorum à veteribus dicitur paralyſis: Quando nervi ſpirituum animalium elaterio ſufficienti inſtructi ſunt, partes legitimum ſuum habent tonum ac robur; ſi autem ſpiritus vel prorſus deficiunt, vel illorum elater imminutus ac inſufficiens eſt, tonus ac robur illarum perit, debilitantur, & motu ac ſenſu, qui ſpirituum elaterio & partium robori debentur, defraudantur. Cauſa mali hujus quæri debet in capite & in nervorum principio, ubi ob cerebri diſpoſitionem nimis laxam & humidam facilè ſubſiſtere humor & ſpirituum influxum & vim impedire poteſt. Contingit hic affectus ſæpe in plethoricis, vel in illis, qui copiâ ſeri impuri vaſa turgida habent; talia corpora, ſi motus ſanguini fortior introducitur, vel per affectus animi vel per medicamenta calida, ſudorifera, purgantia fortiora, paralyſi non raro occupantur. Vitare autem hic præcipuè convenit frigus, paulatimque ad exercitationes, quantum poſſibile, revertendum eſt. Si autem partium imbecillitas hoc prohibet, vel geſtetur, vel motu lecti concutiatur æger, ut vi quadam ad conſuetudinem ſuam redeat, juxta conſilium *Celſi pag.* 179.

(*b*) *Cephalica.* Horum virtus in eo conſiſtit, ut ſale volatili ſuo ſulphureo blando ſpirituaſcentiam ſanguinis & humorum promoveant, & reſinâ ſuâ balſamicâ, qualis latitat in roſmarino, lavendula, ſuccino, majorana, ligno aloës, ambra, nervos nimis laxos & pituita obſeſſos roborent.

CAPUT XIII.

De raro & inconſueto affectu.

LUcius de Symoninis, dum 25. annum perageret, novem annis poſterioribus peregrino morbo fuit detentus; & quidem (*a*) *à ſagis*, anicularumque deliramentis concitatus, omnibus ac ipſismet Medicis falsò cenſebatur. Augebatur fides cò magis, quòd nihil opis attuliſſent Medici. Conquerebatur autem ipſe de (*b*) *ſæviſſimis coli doloribus*, quibus à prandio concitatis, totum abdomen mirificè intumeſcebat, ita ut corpore aliquantulum curvato ad libitum pederet: unde ab his, quid ſupra communem morborum naturam ineſſe ratis, velut incurabilis, arte ſaltem medicâ, penitus relinquitur. At eo conſpecto, vanam ejusmodi Medicorum opinionem ſtatim conjeci; ictero enim, arquatove morbo eum laborare, tum ex faciei, tum urinarum colore, ac alvi excrementis, cognitu fuit facile.

NOTÆ

in CAPUT XIII.

(*a*) *A ſagis.* Vulgus medicorum cauſam inſoluti cujuſdam morbi ignorans diabolo ac ſagis illam ſtatim tribuit, Deo, qui verus omnium motuum corporeorum hujus univerſi author exiſtit, & à quo omne, quicquid eſt realitatis, dependet, debitum honorem detrahens. Natura tota mechanica eſt, & miranda, omnemque expectationem ſuperantia potentiis ſuis ſæpius producit. Pulchrè canit *Poëta*: *Novatrix rerum ex aliis alias reparat natura figuras.* Quicunque itaque Mechanica philoſophandi ratione inſtructus eſt, & ſpecialiores Mechaniſmi leges motuum microcoſmo à DEO inditas accurata obſervatione & experimento tenet, ille ex facili genuinas admirandorum effectuum & inſolitorum morborum cauſas reddere fataget.

(*b*) *Sæviſſimis coli doloribus.* Ex obſtructis biliariis viis immanes obſervati fuerunt dolores, excitati in inteſtino colo, quod tunica magis nervea præ aliis inteſtinis intrinſecè veſtitum eſt, & tendine exquiſiti ſenſus gaudet. Quandoquidem chylus ex ventriculi ſinu acidus proveniens, & balſamo bilioſo minus correctus, tenuia, quæ tunica interiori gaudent magis villoſa glandulоſa, citra magnum incommodum tranſit; provolutus autem ad craſſa, ibi ſpaſmodicas contractiones, torſiones dolorificas & inflationes cauſat. Imò, quod notabile eſt, ab immani coli dolore ſpaſmo ſic propagato ad ductum cholidochum & ejus orificium fibris motricibus inſtructum interdum icterum producit.

CAPUT XIV.

De Cauſo.

LAura, D. Hortenſii famula, 35. annorum circiter, 8. annis ferè elapſis & (*a*) *æſtivis menſibus*, καύσῳ triduum correpta, intra horam levi (*b*) *oborto ſudore* ab aſſumptis granis 4. auri noſtri diaphoretici, mirabiliter convaluit. Sic in majori mundo ſæpe obſervamus, aërem exæſtuantem pluviâ, quæ ſudori comparatur, miteſcere ac conſopiri.

NOTÆ

in CAPUT XIV.

(*a*) *Æſtivis menſibus.* Perſonæ rarioris texturæ & bilioſæ vehementiore motu corporis tum animi, & morâ in ſole, facillimè quidem incurrunt in febrem ſimplicem, brevem, placidam miniméque malignam, dictam ephemeram. Tale exemplum ex aliis obſervatoribus etiam annotavit *Horſtius lib.* 1. *obſ.* 1. dum Studioſus diebus canicularibus

laribus ſub ſolis ardore iter faciens veſperi inde febricitavit.

(*b*) *Oborto ſudore.* Febres utplurimum ſponte ſudore terminantur. Fluxus enim ſudoris cum euphoria indicat, jam ſanguini reſtitutum eſſe ſuum circulum, & æqualiter illum influere in partes. Quantum itaque fieri poteſt, Medicus ſemper juſto tempore, moderatè tamen & blandè, ſudorem movere ſtudeat.

CAPUT XV.

De duplici tertiana cum tumoribus viſcerum.

LUcas Albinus, annum 27. agens, nunc prope Sancti Dominici ædem commorans, ſexennio peracto, à duobus menſibus cum dimidio contumaci tertianâ duplici detentus: cum (*a*) *inſigni tumore lienis*, ſudoribus nocturnis, inappetentiâ, vigiliis, alvi ſiccitate, & ſimilibus, brevi, Deo induſtriâ noſtrâ utente liber evaſit: (*b*) *Ejuſmodi febris ſedes* in præcordiis obſtructis, reliquis itidem naturalibus in conſenſum abductis, unde incredibilis virium proſtratio, & incredibilis marcor. Sudores quidem (*c*) *& urinæ cruditates*, à principio ad finem jugiter concomitantes, ægrum morbo ſuccubiturum apertè docebant, maximè etiam altero Medico trimeſtri toto fruſtra experto. (*d*) *Cura fuit, concretos humores diſſolvere*, attenuare, & expellere.

NOTÆ
in CAPUT XV.

(*a*) *Inſigni tumore lienis.* Viſcera tumida, infarcta ac indurata indicant intermittentium contumaciam, & à ſanguine craſſo ac motu ejus lentiori proveniunt. Non tamen ſemper lien vitii accuſandus eſt ſiniſtro latere diſtento vel affecto. Potius inteſtina plurima, quæ illud latus, propter hepatis in dextro præſentiam, occupant, flatibus diſtenta, à vulgo medicorum pro liene affecto habentur.

(*b*) *Febris ſedes.* Rigor febriſque materia circa præcordia & primas vias ſubſiſtit; quamdiu autem vitioſus putris humor extra venas quavis in ſede conditus ſubſiſtit, conquieſcit & corpus raro exagitat; at vero, dum quaſi efferatus illinc præter naturam impetu dimovetur, nervos concutit & partes affligit. Videtur autem veroſimile in plicis, ſeu, ſi mavis, valvulis inteſtini duodeni & jejuni, vitioſam hærere materiam, quæ tranſeuntem chylum ſimili charactere imbuit. *Sylvius* in pancreate ſedem febrium intermittentium ponit.

(*c*) *Urinæ cruditates.* Quando urinæ ſine ſedimento manent, & ſanorum ſimiles apparent, vel lividæ, nec rubicundæ, contumaciam indicant.

(*d*) *Concretos humores diſſolvere.* Quicunque obſtructiones viſcerum diuturniores removere, ſanguiniſque ſubtilitatem & motum maximè ad habitum corporis æqualem conciliare medicamentis didicit, ille intermittentium pertinaciam haud difficulter vincere poterit.

CAPUT XVI.

De Suffuſione.

LUcia, Dominici Michelini Garzolarii filia, in via Foſſariorum, novem annos nata, (*a*) *oculorum ſuffuſione* ferè luce orbata, ut ſuperior, curatione oſtenſâ citò convaluit. In eadem via ſuperiori æſtate filiam rhedarii Domini Hieronymi de Caprariis, affectu haud diſſimili detentam, iiſdem quoque remediis æquè ſanavimus. Plures etiam pueros à ſimilibus affectibus incolumes ſervavimus.

NOTÆ
in CAPUT XVI.

(*a*) *Oculorum ſuffuſione.* Accidit interdum poſt gravem ophthalmiam inſtillato collyrio frigido obfuſcari ipſos oculos. In initio juvat hic ſal volatile oleoſum per nares attrahere, & emplaſtrum ex oleis & gummatibus cephalicis fronti applicare.

CAPUT XVII.

De peſſimo ulcere in facie, noli me tangere *dicto.*

DOminus Marcus Antonius de Acariſiis, in via S. Donati, prope Eccleſiam Divæ Magdalenæ, 55. annos natus, toto novimeſtri ſpatio (*a*) *fœdiſſimum in facie ulcus*, de his quæ Telephia vocant, pertulerat. Nares primùm invaſit ulcus, quas ſenſim corrodens & abſumens ad viciniores partes primùm, poſteà ad oculos uſque irrepens, totam faciem penè pervaſit. Quanquam autem, vel quia levioribus principiis obſtandum judicavit, inſigniores Medicos conſuluiſſet, eorumque operâ ad præfatum tempus uſus fuiſſet, naſi tamen dimidiam partem unà, & extremitatem labii ſuperioris, eroſam & laceram ab his retulit.

Turpiſſimo huic occurrendo affectui oleum balſamicum ſubdulce primò ad affectam partem illinendam imperavimus; cujus ope humoris acrimoniâ ſublatâ, oleum ſulphuris balſamicum præſtitimus. Intus, ad (*b*) *humorum acrimoniam* pariter ſummovendam, corallinam eſſentiam præbuimus: quibus tribus facillimis & gratiſſimis pravum hoc mali genus è veſtigio extirpavimus. Hinc diſcant Juniores, non ubique purgandum, aut ſanguinem detrahendum; ſæpe etenim, quæ in morbis ferina & indomita cernuntur, blandis & minimè difficilibus remediis ſuperantur.

NOTÆ
in CAPUT XVII.

(*a*) *Fœdiſſimum ulcus.* Eryſipelas, ſi in ſubjecto ſcorbutico aut capite conſiſtit, quandoque magnum affert periculum; maximè, ſi imprudenter adſtringentibus & oleoſis tractatum fuit, fœdiſſimum ſic enaſci ſolet ulcus, quod inſtar cancri ſerpit, & partes faciei exedit.

(*b*) *Humorum acrimoniam.* Oportet, ſi plethora id indicat, & vires patiuntur, primum mittere ſanguinem, deinde alvum ducere, & primam regionem probe expurgare; poſtmodum ſanguinis acrimoniam probe edulcorantia propinare, & ſemper bezoardicis & camphoratis malignitati reſiſtere.

CAPUT XVIII.

De melancholico affectu cum cordis palpitatione, vertigine, & aliis.

PErilluſtris Dominus Ludovicus de Poggiis, annis circiter ſeptem elapſis, dum 25. ſuæ ætatis annum tranſigeret, quamvis optimum firmumque temperamentum ab utriſque parentibus nactus, ſtaturam ſatis decentem, membrorum concinnam aptamque proportionem atque ſymmetriam; tamen in hunc, qui ſequitur, affectum graviter incurrit. Primùm quidem in (*a*) *diros quoſdam inſultûs*, qui

 derepente,

derepente, & motu ferè momentaneo, horis certis ſtatiſque nullis, eum per intervalla adorientes (*b*) *in præcordiis* ſtatim murmura quædam ac rugitus concitabant; quibus cordis παλμὸς capitis ſudor madidus & frigidus, membrorum omnium tremor ac concuſſio accedebant. (*c*) *Paroxyſmo* autem recedente, ſolutiſque muſculis, alvum deponebat; à quo poſtea liber, & omni alio affectu immunis, ſolitis & propriis obeundis muniis, ut priùs, incumbebat. Cordis potiùs, quàm cerebri affectum eſſe, palpitatio primò oborta indicium præbebat.

Hujus morbi cauſam catarrho atque capitis defluxioni communem conjectavimus cum Hipp. *lib. de flatibus*, & auctore *lib. de morbo ſacro*, quicunque tandem ſit, quam & ſecundum ipſum *Cur. prima* explicavimus. Itaque ejuſmodi cauſæ proſpicientes, patentes vias, quibus flatus ſupervacui exire poſſent, reddidimus: viſcera primùm naturalia in ſuo robore continentes, vitalia & animalia poſteà accommodatis remediis firmantes atque ſtabilientes, pro voto ejuſmodi terrificos inſultus in univerſum debellavimus:

Principio ipſi concedendo (*d*) *decocti capitalis* melanagogi uſum, dein cardiacas conſervas cum granis aliquot auri noſtri diaphoretici, & guttulis olei dulcis vitrioli.

NOTÆ

in CAPUT XVIII.

(*a*) *In diros inſultus.* Affectus, quo æger nocte conflictatur, & hypochondriacus, malum, quod literatos vitamque degentes ſedentariam, maximèque illos, quorum nervoſum genus imbecille eſt, horrendo modo exagitat, larvamque penè omnium morborum aſſumit. Affectus eſt ſpaſmodicus, & radicem plerumque habet in primis viis, illarumque digeſtione vitiata: ſub initio facilius tollitur, quod ſi autem obſtructiones glandularum confirmatæ conjunctæ ſunt, inveteraſcit, & ſi non ſemper ſtatis temporibus, tamen maximè autumnalibus recurrit. Omnia, quæ nervis adverſantur, uti acidum & frigus, hic ſummopere vitanda.

(*b*) *In præcordiis ſtatim murmura quædam.* Malum hoc vim ſuam exercet imprimis in ipſo inteſtino duodeno & craſſo illo magno, quod dicitur Colon. Confluunt in duodeno humores diverſiſſimæ naturæ, nimirum bilis, acidus ex ventriculo egrediens ciborum ſuccus, lympha pancreatica; hi ſi vitio laborant, ſive bile nimis acri exiſtente, ſeu ſucco inteſtinali nimis acido, aut ciborum ſucco nimis feroci, viſcido acidóque, exoriuntur motus & ebullitiones inordinatæ, ſummè infenſæ nervis propter acria exſurgentia effluvia, quæ orificia ventriculi nerveæ texturæ immanè quantum lancinare ac ſpaſmodicè contrahere ſolent.

(*c*) *Paroxyſmo recedente alvum deponebat.* Symptomata hypochondriaca penè omnia ſpaſmodicæ nervorum contractioni ac criſpationi debentur; hinc inteſtinalibus tunicis eodem ſpaſmo affectis, flatus non ſolum in copia generantur, ſed & alvus dura ac tenſa redditur; hinc in epilepſia, motibus hyſtericis, aliiſque nervinis affectibus & gravioribus doloribus clauſa ſemper alvus pertinaciſſimè eſt. Spaſmo autem ceſſante & ſpirituum impetu remittente, alvus laxatur.

(*d*) *Decocti capitalis.* Tempore paroxyſmi eò ſaltim reſpiciendum, ut nervinis & antiſpaſmodicis anodynâ vi gaudentibus tumultum ſpirituum & ſpaſmos partium nervoſarum ſiſtamus; quem in finem laudare licet caſtorea, ſuccinata, pulverem Marchionis, ſpiritum nitri dulcem, tincturam papaveris rhead. & aquam ex floribus v. g. tiliæ, liliorum convallium, ſambuci, pœoniæ, papaveris rhead. primulæ veris, roſarum, quæ omnes anodyna & temperante virtute fulgent. Omnia, quæ maſſam humorum nimis exagitare & commovere poſſunt, vitanda tunc temporis ſunt, qualia ſunt ſalia volatilia oleoſa, aquæ ſpirituoſæ, &c.

CAPUT XIX.

De mala ventriculi conſtitutione.

NObilis Domini Pii Conradini uxor, annorum triginta, à multis annis (*a*) *prava ventriculi conſtitutione* laceſſita, (*b*) *ſtomachico noſtro ſpecifico*, bis in die ad 15. dies dato, ſublevata fuit.

NOTÆ

in CAPUT XIX.

(*a*) *Prava ventriculi conſtitutione.* Duplici modo ventriculus ſuos patitur manes, vel in ipſo latitante mali cauſa, vel extra ejus pomœria, in ſanguinis, lymphæ vel fluidi nervei craſi & motu præexiſtente. Illud fit, quando ſaburrâ tenaci & viſcidâ menſtrui ſalivalis vis infringitur; hoc in omni morbo accidit; hinc nullus ferme exiſtit morbus, ubi non ventriculi actio ſimul labefactata ſit. Pertinet enim ad bonam ventriculi digeſtionem ſaliva, quæ verum ciborum menſtruum conſtituit temperata, ſubtilis & ſufficiens. Deinde influxus ſanguinis temperati tam in ventriculi ſubſtantiam, quàm viſcera circumjacentia. Tertio inſtillati fluidi nervei ſufficiens copia in tunicam ſic dictam muſculoſam ventriculi. Saliva menſtruum diſſolvens ſanguinis calorem, fluidum nerveum, tonum & robur ventriculo ſuppeditat. Unum ex his ſi læditur, ventriculi debilitas præſtò eſt. Ex quo patet, medicamenta ſtomachica eſſe quaſi univerſalia.

(*b*) *Stomachico noſtro ſpecifico.* Hoc nil niſi magiſterium ceruſſæ antimonii eſſe, à B. Cramero Profeſſore Erfurt. cujus copia ex Gallia ipſi miſſa fuit, accepi, nec abnuunt *acta Haffnienſia*, in quibus talis deſcriptio continetur. Alii materiam perlatam nuncupant, & pro panacæa vendunt. Ut dicam, quod res eſt, plus præſtat, quàm ſimplex ceruſſa antimonii, vel antimonium diaphoreticum vulgari modo paratum. Fovet in porulis ſuis vitriolaceas quaſdam particulas, quæ ex conjugio ſubtilis acidi & metalli proveniunt, magna vi & energia conſpicuas. Simili modo aurum fulminans, calx lunæ plus efficiunt, quam ſimplex limatura auri vel lunæ in detergenda primarum viarum amurca. Parari hic poteſt medicamentum magnæ efficaciæ in fugandis morborum cauſis, ſi antimonii partes tres igne miſceantur cum parte una auri, mixtura in aqua regis ſolvatur, & ſolutio debitè præcipitetur. Emergit hîc pulvis ſub pauca doſi mirificas edens virtutes. Stomachicum hoc medicamentum à Dno A. dictum eſt, non quod ſingulari & ſpecifica vi ventriculo tantum ejúſque morbis opituletur, ſed quod univerſaliter obſtructiones removendo, & humorum craſin ac motum reſtituendo, in omnibus morbis actionem ventriculi ſic reparet & firmet.

CAPUT XX.

De Telephiis ulceribus.

PAulus de Bobus, 35. annos natus, in via Sancti Eſaiæ, à ſeptem annis, Telephia ulcera in tibiis patiebatur, quibus ut mederetur, bis & ter decoctum guajacinum fruſtra biberat. Sed illis (*a*) *remedio indies exaſperatis*, & de ſanitate recipienda cùm vix quicquam ſperaret, in manus meas curandum ſe obtulit, eique viâ ac methodo, quâ defluxiones curare nobis mos eſt, ſanitatem reſtituimus: Localibus etiam pari ratione, quâ in ſuperioribus, admotis. Hæc vera & nunquam ſatis laudanda catarrhorum excidendorum methodus. Medicus probè remediorum, & (*b*) *ægrorum naturam*, vires, ætatem & ſimilia cognoſcat, ne omnes eodem calopodio calceet.

NOTÆ

in CAPUT XX.

(*a*) *Remedio indies exaſperatis.* Lignum Guajacum ac ejus cortex copioſa acri pollet reſina ejuſque decoctum validiſſimum

mum eſt, & inſtar piperis acerrimum, uti id obſervavit Hoffmannus *lib. I I. de medicamentis medicin. pag.* 228. quare ad maraſmum & tabem corpora tenella & acribus ſuccis referta intempeſtivum hujus decocti uſum diſpoſuiſſe, obſervationes loquuntur.

(*b*) *Ægrorum naturam.* Medicus qui feliciter praxin exercere vult, in morborum curatione maximè reſpicere debet ad ægrotantium conſtitutionem, temperamentum, conſuetudines, ætatem & præprimis corporis habitum. Habitus ſanè corporis cognitio ad medicinam multum facit, quia ex hoc prudens Medicus humorum conſtitutionem & temperiem hariolari & dignoſcere poteſt, & ad quos morbos proclivis ſit, conjicere. Convenit & hic ſcire, quibus excretionibus natura maximè conſueverit, utrum alvus conſtricta, vel magis fluida & mollis, an nervi laxi & imbecilles, vel magis denſi & robuſti, & porrò, an ſpiritus animales ad inordinatas & efferaces motiones faciles ſint, item quibus medicamentis natura gaudeat, & à quibus lædatur, item qua ratione purgantia operentur? Ex his & ſimilibus multa in utilitatem ægrotantium colligere poterit medicus.

CAPUT XXI.

De hectica febre.

PEtrus de Armoſottis, faber lignarius prope forum boarium, 50. annos natus, quatuor annis elapſis, lentâ febre de genere hecticarum, cum ſicca tuſſi, & aliis (*a*) *gravioribus ſymptomatis*, à tribus menſibus decumbebat: ad quem vocatus & primùm de incendio illo Saturnino ſolidis jam partibus inhærente conſopiendo cogitans, penſitatis, & exactè examinatis vulgarium medicamentorum formulis, in Spagyrorum vireta me contuli, ex quibus unicum & percellens remedium excerpere libuit. Id autem eſt (*b*) *ſaccharum magneticum*, cujus vires & facultates in omnibus ardoribus extinguendis ſatis extollere non valeo. Interim (*c*) *victum humidum*, & tantiſper plenum minimè neglexi. Ad hos effectus cathartica non admitto: nam quod ſervandum eſt imprimis, humidum abſumunt, & vires proſternunt.

Saccharum magneticum vide in noſtro *de ſecretioribus medicamentorum præparationibus, & uſu.*

NOTÆ

in CAPUT XXI.

(*a*) *Gravioribus ſymptomatis.* Sudor colliquativus, ſpirandi difficultas, inteſtinorum levitas, urina pauca, oleaginoſa cum rubro ſedimento, virium totalis dejectio cum inſtanti ſyncope, pedum intumeſcentia hecticam lethiferam indicat, quia totalem ſanguinis & humorum in craſi & motu ſuo deſtructionem notant.

(*b*) *Saccharum magneticum.* Sic dicitur ſal ſeu vitriolum Saturni, ex cujus ſolutione in aqua, commiſcendo liquorem martialem vel ſolutionem martis cum ſpiritu ſalis factam pulcherrima tinctura ſanguinei coloris exurgit, quæ in humorum agitatione intenſiori, & ejus effreni profuſione moderandâ mirum concelebratur. Monendum tamen in genere circa omnia conſtringentia in morbo hectico exiſtimamus, ut illis cum circumſpectione utamur: facilè enim expectorationem putridi humoris ſiſtunt & ventilatione ſanguinis extincta ægrum interimunt. Hinc bene Hippocrates *Lib. VI. aph.* 16. *à puris ſputo phthiſis & fluxus*: Cum verò ſputum retinetur, moriuntur. Notabile duplex exemplum de croco martis hecticis adhibito, qui ſuppreſsâ expectoratione mortem induxit, recenſet doctiſſimus Foreſtus *de febribus Lib. IV. pag.* 213.

(*c*) *Victum humidum.* Humidant corpus frequens balneum, cibus plenior, multa potio, lactis uſus, labor minor quàm ex conſuetudine, emulſiones ex quatuor ſeminibus frigidis majoribus, amygdalis dulcibus, ſemine papaveris paratæ, aqua caponis, decoctum cornu cervi & ejus gelatina.

CAPUT XXII.

De hydrope in ſene.

SOror Maria in Cœnobio Corporis Dominici, quinquagenaria, hydrope aſcite, à nonnullis menſibus detenta, eâdem methodo, iiſdemque ferè remediis, ut in *curatione ſecunda* diximus, ſanitati reſtituta eſt. (*a*) *Annis duobus poſtea* decurſis in eundem affectum, ſed ob pravam victûs rationem, (*b*) *reincidit*, & iiſdem remediis iterum ſublevata fuit.

NOTÆ

in CAPUT XXII.

(*a*) *Reincidit.* Vidi aſciticum martialibus & purgantibus feliciter ſanatum, qui cum victum non rite obſervabat, patiebatur recidivam lethalem. Siquidem deficiente adhuc ſanguinis ſpirituaſcentia & circulatione liberiori, quando craſſiore victu utuntur, cruditates multæ proveniunt, quæ non ſatis à natura ſubigi, depurari, & in ſuccum & ſanguinem verti poſſunt; hinc de novo viſcera ſanguinis depurationi inſervientia anguſtiſſimoſque glandularum tubulos occludunt & infarciunt.

(*b*) *Ob pravam victus rationem* Diæta hydropicum malum & præcavens & curans juxta *Celſum* talis eſſe poteſt: Potio non ultra danda eſt, quam ut vitam ſuſtineat, optimaque eſt, quæ urinam movet. Alvum cibo mollire melius eſt, quàm medicamento. Vinum quoque utile eſt tenuiſſimum. Flatulenta, viſcida, infumata & acida cane pejus & angue vitanda ſunt.

CAPUT XXIII,

De hectica febre.

NObilis religioſa Soror Maria Cœleſtina, 29. circiter annos nata, in Cœnobio D. Petri Martyris, hecticâ febre, cum ſicca tuſſi, & laſſitudine totius corporis valde oppreſſa, aliorum Medicorum operam quinque menſes penitus deluſerat. Illi nos opitulantes, (*a*) *ſaccharum roſaceum*, antihectico noſtro alteratum, bis in die dabamus. Victus fuit plenus & humidus, ut hecticis vulgò præſcribi conſuevit. Eaque grato hoc remedio ad menſem bis in die dato optimè convaluit. Hic obiter adnotare ſubit, debilia corpora (*b*) *catharcticis* minimè obruenda.

Antihecticum obſerva in noſtro *de ſecretioribus medicamentorum præparationibus.*

NOTÆ

in CAPUT XXIII.

(*a*) *Saccharum roſaceum.* Convenientiſſima hecticis ſunt, quæ blandis ſulphureis particulis ſpiritus ſolantur, ſalinis aperiunt & leniter terreis conſtringendo ulteriorem ſanguinis & humorum diſſolutionem præpediunt: ſingulare quid ad hunc ſcopum poſſident roſæ, quæ blando ac grato gaudent ſulphure ſimul attenuante; hinc ſuccus roſarum recentium laxat, & pulvis roſarum rubrarum ſternutamentum excitat, evidenti teſtimonio, attenuans principium ipſis ineſſe: præter id propter particulas terreſtres ſolubiles texturam ſanguinis firmant, leniterque conſtringunt, & tali modo à diſſolutione elementorum ſanguinem optimè defendunt. Sic novi plures ex hectica phthiſica laborantes aliquot per annos diu ſervatos ſolo ſaccharo roſaceo & decocto pulmonariæ muſcoſæ, hæderæ terreſtris, tuſſilaginis, florum bellidis, qui maxime propter vim ſuam leniter conſtringentem cum inciſoria virtute temperatam in hoc morbo curando præſtantiſſimum effectum exerunt.

(*b*) *Catharcticis.* Hæc ingentem in modum debilitant & infringunt hecticorum vires, ſerum, quod ſervandum erat, evehendo,

evehendo, & mixturam ac motum ſanguinis & humorum ſtimulante acri ſale magis turbando.

CAPUT XXIV.

De dolore ventriculi paroxyſmante.

ILluſtris Dominus Matthæus de Fabrettis, annum 40. circiter agens, (*a*) *à multis annis ventriculi dolorem* intenſiſſimum patiebatur. Reſidebat is dolor quotannis, (*b*) *certis temporibus, atque diebus*, ut plurimi morbi, ſtatis horis, ſolitiſque diebus, ſuos in nobis exſuſcitant paroxyſmos.

Ad Hujuſmodi dolorem ſedandum, Medicum ſibi familiarem accerſebat, qui ſecundum ordinaria atque communiora artis præſcripta eum purgabat, ſanguinem detrahebat, fotum, litum, emplaſtra, & ſimilia imperabat: His tamen invitis dolor ad deſtinatum finem uſque ſpectabat. Et quamvis ineunte vere ſimilem repeteret purgationem: nihilominus iisdem temporibus dolor acer, & mordax redibat. Quocirca meo uſus conſilio, pilulas, quas catholicas nominamus, per 3. dies accepit; quibus tartaream illam materiam tunicis ventriculi, ac viciniori busjecoris, & lienis partibus inhærentem, omnem dejecit, nec ab eo tempore dolor unquam reverſus eſt.

Ejuſmodi pilularum deſcriptionem habebis in noſtro *de ſecretioribus medicamentorum præparatione, & uſu.*

NOTÆ in CAPUT XXIV.

(*a*) *A multis annis ventriculi dolorem.* Memini olim civem Mindenſem correptum acerbiſſimo dolore, nec non tumore circa regionem ventriculi; appetitus erat dejectus & poſt cibum dolor ille increſcebat: Vomitu utplurimum rejiciebat cibos, accedebat marcor omnium partium, dolor articulorum, virium proſtratio cum frequenti lipothymia; alvi excrementa in nigrum colorem mutata erant. Per integrum fermè annum miſerè ſic afflictus tandem placidè fato conceſſit. Cadavere aperto totus ventriculus parvus craſſiſſimus quaſi carnoſus & albicans inveniebatur: Intrinſecè rubra punctula inveniebantur: levi inciſione materia ſanioſa putrida exſtillabat: In venis & corde parum vel nihil ſanguinis exiſtebat. Cauſa hujus mali antecedens fuit largiſſima ſpiritus vini matutino tempore potio.

(*b*) *Quotannis certis temporibus.* Ingentem admirationem & attentionem in praxi meretur, quod non modo febres, verùm etiam dolores periodici paroxiſmantes obſerventur, qui certo tempore anni, diei, imo horæ revertentes ſuos typos accuratiſſime ſervant. Unô verbô omnes ſpaſmodici affectus, ad quos non tantum convulſiones, ſed & febres & dolores ſpectant, certa ſua tempora & periodos amant. Mirandi hujus effectus cauſa non quærenda meo judicio eſt in occulto aſtrali principio aut in arbitrio quodam libero & conſilio ipſius animæ ſenſitivæ, ſed magis mechanicè & ex neceſſitate quadam deducenda eſt, dum certa diſpoſitio materiæ vel quantitate vel qualitate determinata peccantis, & certo tempore ſe reſtituentis irritando & moleſtè afficiendo nervos, motus tales producit. Et notabile eſt, ſpiritus nervorum, quos motus ſemel receperunt, eoſdem ex facili repetere, in quo conſiſtit conſuetudinis vis & natura.

CAPUT XXV.

De Catarrho ſalſo, atque abuſu cauteriorum.

ADmodum Reverendus P. Marcus Antonius Cœnobii Divi Stephani Sub-Prior, falsâ & acri defluxione ad extremum deductus, poſt infinita prope medicamenta ab aliis Medicis præſcripta, quinque cauteria, (*a*) *ſive fonticulos*, ad multos menſes incaſſum gerebat. Sic autem noſtrâ ope adapertis (*b*) *communibus naturæ emunctoriis*, brevi convaluit. Nec prætereundus quorundam Medicorum error, arbitrantium defluxionum curam in ejuſmodi tormentis reconditam eſſe: non quòd omnem cauteriorum uſum improbem; ſed omnibus omnino morbis promiſcuè non adhibendum, à pleriſque experientiâ comprobatum eſt. In hac curatione (*c*) *adſtrictam alvum*, bis & ter in die, melanagogis blandè aperuimus, *conſtipatos cutis poros* diaphoreticis reſeravimus, & tandem defatigatis membris roborantia dedimus, quæ, ut in aliis curationibus ſatis explanata, præterimus.

Vide in noſtro ſuprà citato *de ſecretioribus medic. præp.* decocta cephalica melanagoga diaphoretica.

NOTÆ in CAPUT XXV.

(*a*) *Fonticulos.* Utut illi ſæpius citra omnem neceſſitatem ſuadeantur, uſum tamen nonnunquam certis in caſibus ſatis egregium præſtare, ipſa experientia prima veritatis parens teſtis eſt. Vero videtur ſimillimum, illos effectum habere tranſcolatorium, uti id Dominus Myis *in Chirurgia ſua rationali* bene & nervosè explicat. Et uti nihil aliud ſunt, quàm ulcera artificialia: ſic quoque eundem effectum præſtare ſolent, quem habent alia ulcera, dum ſordes ſanguinis recrementitias expurgando præſervant à variis morbis & incommodis: Et uti ulcera conſueta neglecta intemperie ſanguinis & humorum citius conſolidata cachexiam, febrem lentam & varia pathemata ſpaſmodica in corporibus cacochymicis excitare valent: ſic quoque fonticulorum fluxum ſuppreſſum ſimile quid efficere, praxis loquitur quotidiana. Equidem fateor, ad mitigationem, præſervationem mali & palliativam curam magis illos facere, quam ad perfectam & radicalem ſanationem.

(*b*) *Communibus naturæ emunctoriis.* Meritò à *Galeno* cutis dicitur totius corporis emunctorium. Hujus glandulæ & tubuli ſi ſunt aperti, & ſanguinis ac humorum motus debitè ad illos contingit, tranſpiratio fit, qua nocentiſſimæ ſordes corporis purgantur: Hac ſuppreſſa vel inæquali facta, tum per conſtrictionem & conſtipationem pororum cutis, tum per ſanguinis motum inordinatum vel tardiorem, maxima incommoda & damna oriri ſolent. Quicunque itaque Medicus tranſpirationem liberam, æqualem & ſecundùm naturam procurare novit, ille ſanguinem ritè depurare & ſæviſſimos morbos ſanare rectè ſcit.

(*c*) *Adſtrictam alvum.* In omni curatione alvus officium ſuum facere debet, alias illius durities & conſtrictio, uti morbos gignit, ſic quoque illorum curam impedit; ſique internum ſtimulantium uſum diſſuadet morbi & ægri conditio, innoxii tamen clyſteres mollientes applicandi ſunt. Alvus enim ſoluta circulationem humorum efficit liberiorem.

CAPUT XXVI.

De maligna Febre.

NIger de Nigris, annorum 60. ſenex, in via Fuſariorum (*a*) *malignâ febre* laborans, cum puſtulis nigris, (*b*) *lingua atra & arida*, ſiti intenſa, & aliis pilulis noſtris catholicis purgatus, (*c*) *ſale prunellæ* exhibito, tutò & citò convaluit, ſeptimo die videlicet acto; ſanguine multo per alvum dejecto.

NOTÆ in CAPUT XXVI.

(*a*) *Maligna febre.* Morborum malignitas & maxime febrium conſiſtit in putredinosâ elementorum ſanguinis diſſolutione & motus circulatorii, qui à putredine omni mixturam ſanguinis defendit, deſtructione. Cauſſa utplurimum eſt defectus ſpirituum ſeu partium ſanguinis tenuiorum & ſubtiliſſimarum impetum facientium & principii humidi fermentativi in humoribus exſuperantia, quæ ad putredinem & intimam mixturæ ſanguineæ corruptelam plurimum diſponere poteſt. Non negamus, jam ab extra etiam arceſcendam eſſe

venenatorum

verenatorum morborum originem, dum corpuſcula ex virulentis corporibus exhalantia ſubtiliſſima immediatè ſpiritus ſeu principes corporis noſtri partes in craſi & motu ſuo perturbando totum corpus omneſque ejus actiones mirum quantum lædunt. Talem effectum etiam exerunt vehementiores animi affectus, à quorum præpoſtero uſu mali motis morbos & febres paſſim annotarunt practici.

(b) *Lingua atra & arida.* Linguæ inſpectio ad dignoſcendum ſeri ſtatum multum valet, quod jam dudum annotavit *Hippocrates, cujus Aphoriſmus XIII. contentus in Lib. VI. de morbis vulgaribus ſect. 5. ſic ſonat; Lingua humorum ſtrum quale ſit indicat; item in Aphoriſmo XV. Lingua humorum præſtantiam colore refert, ideoque per hanc ad humorum dignotionem pervenimus.* Atra & arida denotat ſanguinis & ſeri denſitatem ac immobilitatem factam à defectu humidi & calore intenſo.

(c) *Sale prunellæ.* Hoc Nitrum ſulphuris accenſi beneficio leviter alcaliſatum eſt, namque ad mixturam ſulphuris nitrum inflammatur, & ſic ſpiritu acido, in quem facillimè abit, in auras avolante, alcalinam induit naturam, quam manifeſtat, dum affuſione ſpiritus acidi ebullit cum terra odoris aquæ fortis exhalatione. Medicamentum hoc jamdudum ipſi *Hippocrati* notum fuit, qui in febrium æſtu compeſcendo magno cum emolumento illud uſurpavit. Mea ſententia nitroſo huic lapidi præfertur nitrum ſaltim ſimplex, probè tamen purificatum, quod cum abſorbentibus ad acidam humorum acrimoniam obtundendam, cum camphora autem, quæ alexipharmacorum princeps eſt, ad malignitatem humorum avertendam remixtum celebratiſſimum audit remedium. Notari meretur nitrum aqua ſolutum & ſanguini è vena emiſſo injectum illum floridum & fluidum diu ſervare, & ab omni putredine tueri, ut tali modo in thermometris loco liquoris inſervire queat.

CAPUT XXVII.

De febre continua, regio morbo, & aliis.

EJuſdem Nigri filia 23. annos nata, nuper puerum enixa, febre continuâ, (a) *& regio morbo ante ſeptimum ſuperveniente*, correpta fuit: cui ſubveniendo, decoctum radicis rubiæ tinctorum, acetoſæ, ceterach, in juſculo paratum, ad aliquot dies præſtitimus: cholagogum poſtea extractum tribus diebus alternis ſumpſit, quibus intra 12. dies ſanitatem conſequuta eſt.

NOTÆ

in CAPUT XXVII.

(a) *Morbo regio.* Icterus vel criticus vel ſymptomaticus eſt. Hic ſequitur ſcirrhum, inflammationem aut obſtructionem hepatis. Alter motum & impetum morbi ſubſequitur bono cum eventu. Annotavi aliquoties in praxi mea febres in corporibus hypochondriacis iracundiâ exſuſcitatas cum ſpaſmis, vomitu bilioſo intenſoque æſtu ſtipatas ictero feliciter terminatas: Urinæ & alvi excrementa ſecundùm naturam ſe habebant. De hoc loquitur Hippocrates *in lib. IV. Aphoriſmo 64. Quibuſcunque, per febres die ſeptimo aut nono aut undecimo aut duodecimo quarto icterus ſupervenerit bonum & ſalutare niſi dextrum hypochondrium obduruerit.* Videtur mihi febris taliſmodi bilioſæ cauſa bilioſus humor acredine vitioſa laborans, qui iracundiæ motu effuſus & cum ſanguine mixtus ejus mixturam & motum turbat, donec noxia materia ex alto corpore in ſummum foraſq; propellatur & febri finis imponatur. Icterum à folliculi fellis obſtructione ira vinces: accipe Tincturæ tartari ſeu arcani tartari liquidi unciam ſemis, extracti centaurei minoris, rhabarbari ana drachmam unam, croci grana octo, fiat mixtura, de qua æger quotidie ſumat bis ſexaginta guttas.

CAPUT XXVIII.

De horrendo & turpiſſimo ulcere.

HIppolytæ Fabri lignarii uxori, in Vico à via Divi Stephani ducente ad Cœnobium S. Petri martyris, tunc commorantis, fœdiſſimum atque turpiſſimum (a) *ulcus nares depaſcebatur.* Hujuſmoni ulcerum genera ad Telephia & præcontumacia, ad carcinomatum ſeriem, (nam & ſæpe cauſtici actualis opem recuſant) multi rejicienda cenſent. Huic ſubveniendo balſamum ſulphuris, & (b) *aquam myrrhæ* dedimus. Indicatio erat, falſi humoris illuc appulſi vim retundere, quod fit, ſi coaguletur ſal ipſe: non tamen ſal omnis eodem ſulphure coagulatur; unuſquiſque enim proprio ſuo ſulphure delectatur. Id ſi experientiâ non conſtet, rerum collatione invicem factâ, aut, ſi mavis, naturæ lumine, ſatius eruenda atque cognoſcenda remedia ducimus, quàm futili, & ſophiſtico qualitatum examine. His itaque duobus libera evaſit, intrinſeco remedio adhibito nullo; contra alterius Medici ſententiam, qui eam potionibus, & ſanguinis miſſionibus excruciare cœperat. Et ita ſæpe multis infeliciter contigit, qui ob exiguum morbum in graviſſima incurrunt mala: nam ægroti purgantibus, phlebotomiis, cauteriis, ſanguiſugis, viſicatoriis, & aliis crucibus impares, ſuccumbere coguntur.

NOTÆ

in CAPUT XXVIII.

(a) *Ulcus nares depaſcebatur.* Narium ulcera ſcorbuticis & lue infectis Gallicâ familiaria ſunt: Molliores namque & ſpongioſæ glanduloſæque narium & faucium partes facillimè corroſiva lymphæ ſalia imbibunt, quæ cauterii inſtar molles illas partes abſumunt & depaſcunt. Taliſmodi in ulceribus externe fidum obſervavi ſequens: accipe aquæ calcis vivæ & ſpiritus vini camphorati ana unciam unam, ſacchari ſaturni drachmam ſemis, mercurii præcipitati albi grana quindecim, fiat mixtura, quâ partes læſæ frequentius illinantur.

(b) *Aquam myrrhæ.* Loco hujus ſubſtitui poteſt decoctum myrrhæ & maſtiches cum vino factum addito alumine uſto, unguento Ægyptiaco & ſpiritu vini camphorato, quod in putridis & corruptis ſcorbuticorum gingivis extrinſecè præſentiſſimum affert auxilium.

CAPUT XXIX.

De moleſtiſſima capitis defluxione.

ILluſtr. Dominus Bernardinus de Mareſcottis, vigeſimum primum ſuæ ætatis annum vix explens, contumaci atque (a) *moleſtiſſimâ capitis defluxione* ad aliquot annos vexatus, Laryngis & utriuſque amygdalæ glandulæ inſignem laxitatem contraxerat, unde deglutiendi difficultas, & ſuffocationis metus. Circa glandulas creverat (b) *hyperſarcoſis*, ad nucis juglandis ſpiſſitudinem: & cachecticus tandem jam à longo tempore factus, curandi difficultatem non minimùm augebat. Hujus porrò defluxionis cauſa maximè (c) *ab obſtructis naturalibus*, utpote liene, & circumjacentibus partibus pendebat. Cujus defluxionis radices præſcindendo, (d) *arcanum vitrioli & tartari* ad 6. dies dedimus; ſacchâro metallino poſtea adjecto, 15. dierum ſpatio uſus eſt: quo tantum capitis robur conſequutus eſt, ut in poſterum nullas tempeſtatum mutationes, quibus aliàs valde obnoxius erat, pertimuerit.

Saccharum metallinum vide in *libro noſtro de ſecretioribus mineralium remediis.*

NOTÆ

in CAPUT XXIX.

(a) *Moleſtiſſima capitis defluxione.* Non defluunt humores

à cerebro in fauces & pulmones, ut veterum fuit ſententia, ſed ſi tunicæ nerveæ & glanduloſæ, quibus fauces cum arteria aſpera veſtitæ ſunt, nimium irritantur, lympha uberius exprimitur, quæ ſubſiſtens, & acredine pariter & mole moleſtans, tuſſim, raucedinem aliaque pectoris mala concitat.

(*b*) *Hyperſarcoſis.* Ante aliquot annos viro obeſo ſexagenario Halberſtadienſi fungoſa quædam materia in ipſo œſophagi principio creverat ad nucis minoris magnitudinem, quæ cum luna increſcebat & imminuebatur, mox tantam molem acquiſivit, ut deglutitionem pariter ac reſpirationem ſufflaminaret, quare æger miſerè periit ſuffocatione.

(*c*) *Ab obſtructis naturalibus.* Defluxiones catharrhales ſi longius durant, hypochondriorum, nec non alvi, habenda eſt ratio. Utplurimum radix mali reſidet in obſtructione glandularum & viſcerum lymphæ & ſanguinis ſubtiliſationi & depurationi inſervientium. Optimum tunc eſt, præter ſuccinata & alia lymphæ deviæ qualitates corrigentia martialia, aperientia & per epicriſin purgantia, obſtructos tubolos recludere.

(*d*) *Arcanum vitrioli & tartari.* Nota eſt arcani tartari præparatio. Arcanum vitrioli eſt nil niſi eſſentia ex terra vitrioli dulci, mediante ſpiritu ſalis & vini extracta, quæ miſcela arcani tartari virtutem aperientem majorem acquirit, non ſecundam tincturæ martis Zwolfferianæ.

CAPUT XXX.

De Icteritia alba.

ILluſtriſſimi Domini Joannis Boni, tunc apud Ducem Mutinenſem Magni Ducis Etrutiæ Legati, filia, nomine Catharina, icteritiâ albâ, Gallis *pâles couleurs*, laborabat, nonnullis (*a*) *febris alba*, amatoria febris, & virgineus morbus indigitatur; febris alba autem quibuſdam dicitur, imitatione Hippocratis, qui alias rubras, alias præpallidas, & lividas febres appellavit. Paracelſo icterus cineritius appellatur *lib. de tartareis morbis.* Quidam febrem eſſe non autumant, ſed affectionem illam, febrientium in morem, pulsûs duntaxat celeritatem, frequentiam, & debilitatem habere. Addunt, non ob caloris augmentum, ſed ob eventilationis defectum. Nos (*b*) *cauſam jecoris* promiſcuè, ac lienis obſtructionibus meritò tribuendam cenſemus, quod rectè Fernelius vir doctiſſimus ictero cuivis tribuit. Ad hujuſmodi obſtructiones tollendas unico contenti ſumus remedio, quod cùm citra ægri moleſtiam ſemper exhibeatur, facilè nobilibus & delicatioribus propinamus. Hujus remedii energia & proprietas eſt, tartarum ubique concretum diſſolvere, pravos humores in bonos commutare, idque alterando tantùm, non autem purgando. In fine verò, humoribus diſſolutis & præparatis, ejuſmodi decoctum manè capiebat:

℞. Rad. fœnicul. petroſel. gran. an. unc. j. fol. cichor. pimpinel. betonic. arthemiſ. an. m. j. ſenæ ℥. j. aniſi ʒ. ij. liquirit. tantundem. In juſculo omnia coquebantur, ut dixeram, quibus probè convaluit.

NOTÆ

in CAPUT XXX.

(*a*) *Febris alba.* Eſt ſpecies cachexiæ fœminis ex vitio menſium vel victus familiaris: Adeſt faciei pallor, hypochondriorum inflatio, cordis palpitatio & ſpirandi difficultas. Particulæ ſanguinis balſamicæ ſulphureæ ſub jugo ſeroſarum ſunt, & quoniam à craſſiuſculis ſanguinis particulis canaliculi ſub cortice cutis exiſtentes obſtructi ſunt, albidus color cutis enaſcitur, calor præter naturalis jungitur, propter viſcidi copiam, ætheris liberiorem tranſcurſum, & agitationem per ſanguinis poros impedientem.

(*b*) *Cauſam jecoris.* Primum vitium utplurimum eſt in ventriculo, & ſalivali menſtruo ventriculi nimis fixo, acido, à ſpirituaſcentia deflectente; hinc cruditates copioſæ, acidæ & viſcidæ generantur, quæ ſuccos corporis vitales inficiendo obſtructiones minimarum venarum ingenerant.

CAPUT XXXI.

De dyſenteria.

DOnna Camilla Julii Cæſaris de Pezi uxor, ſuæ ætatis annum 27. explens, propè templum, quod Crucifixi dicitur, (*a*) *dyſenteria* cum febre continua laborans, graviſſimè cacochymica jamdudum erat, menſium premebatur ſuppreſſione, & (*b*) *ventriculi dolorem* patiebatur. Dyſenteria febri ſucceſſit, diacarthamo intempeſtivè dato; ventris inſuper torminibus die noctuque, ingenti ſiti, vigiliis vexabatur. (*c*) *Curationis initium* ab anodynis duximus, dein confortativis & corroborantibus. (*d*) *Anodyna* fuerunt laudani confectio, theriaca, & ſimilia. Confortantia, & roborantia verò fuêre coralli, uniones, terra ſigillata, cera, & ſimilia, quibus tutò & citò totam abſolvimus curam.

NOTÆ

in CAPUT XXXI.

(*a*) *Dyſenteria.* Alvi fluxus cruentus cum dolore & ventris torſione variis ex cauſis fit, & diverſos habet gradus: vel enim ſaltim inteſtinorum muco abraſo venæ apertæ cruorem egerunt, vel ipſæ interiores inteſtinorum tunicæ ſimul corraduntur & exeſæ procidunt cum depaſcente ulcere, quæ ultima periculoſiſſima eſt. Nonnunquam exedentia medicamenta & alimenta vitioſa acria altius ſe in inteſtinum figunt & dyſenteriam cient, talem notavi à nimio & incauto ſpiritus nitri in febribus uſu pro extinguendo calore. Utplurimum dyſenteria eſt epidemica, & ex aëris intemperie & vitio profluit, ſi nimirum æſtas eſt intenſiſſima & fructuum horariorum maxima ſimul ingeſtio ſub principium autumni, poris occluſis ſalia ſanguini acerrima aliàs foras propulſa, prolapſa ad inteſtinorum tunicas inflammationem & exulcerationem ſuſcitant.

(*b*) *Ventriculi dolorem.* Ordinariè maximi cruciatus conjuncti ſunt dyſenteriæ: dantur tamen caſus, ubi ſanguinolenta & purulenta egeruntur citra ullum dolorem, prægreſſis tamen atrociſſimis torminibus: Sani tunc ſolent judicari ægri, mox autem viribus omnibus collapſis moriuntur; ſubita namque illa doloris mutatio ſphacelum inteſtinorum denotat. Dolorificæ ejuſmodi dyſenteriæ exempla vide jam apud Hippocratem. *Lib. II Epidemicorum Sectione ſexta* §. 40.

(*c*) *Curationis initium.* Ducendum hoc eſſe exiſtimo à lenioribus emeticis alexipharmaco junctis, quæ in primordiis epidemicæ dyſenteriæ, licet cruentæ quædam jam dum præceſſerint dejectiones mali fomitem ex primis viis exſtirpando divinam afferre opem ſolent, prudenter tamen exhibita. Sic quoque receptum eſt unanimi medicorum conſenſu in morbi exordio expurgare primam regionem medicamento rhabarbarino, ut ſic bilis exundans, quæ ſalium cauſticorum vehiculum eſt, educta ſymptomata mitiora reddantur, purgatione neglecta ſi ab anodynis curam auſpicamur, periculoſus ſingultus aliaque dira ſymptomata ſuccedere ſolent.

(*d*) *Anodyna.* Dolor ſi urget, lac à vacca calens detur ter de die, & clyſma infundatur cum butyro recenti & vitello. Præter hæc magnæ virtutis ſunt oleum amygdalarum dulcium, atque decoctum ex priapo cervi, radice tormentillæ, ſuccino, maſtiche, radice ſymphyti, & ſemine papaveris paratum. It. Diaſcordium Fracaſtorii cum hæmatite mixtum. Externè inſtar omnium eſt oleum hyoſciami cum oleo menthæ deſtillato remixtum, & calide toti ventri applicatum.

CAPUT XXXII.

De hydrope, macie, lenta febre, & aliis.

DOnna Clara Parmi Bartholomæi uxor quadragenaria, prope Divi Petri ædem, graviſſimo ventriculi dolore, qui καρδιαλγία Græcis eſt, à decem annis, (*a*) *ob antimonium perperam* à circum foraneo exhibitum, acerbè affligebatur, nec non univerſali

verſali macie, variis languoribus & ærumnis oppreſſa, in hydropem inciderat. In ſui auxilium multos acciverat Medicos, qui frigidis perpetuò utentes, malum duplo deterius reddiderunt: auctâ enim frigidâ ventriculi conſtitutione, cruditates quoque augebantur, à quibus hydrops præſentaneus.

Arſenicalis virtus antimonii, (*a*) *proprium ejus remedium*, illos planè latuerat. Huic porrò fœliciter ſanitatem reſtituimus communi metallorum theriacâ, cujus vires & deſcriptionem in lucem aliàs prodituram diſtulimus.

Vide noſtrum *de ſecretioribus medicamentorum præparationibus.*

NOTÆ

in CAPUT XXXII.

(*a*) *Ob antimonium.* Antimonium ex ſulphure & regulina mercuriali ſubſtantia compoſitum eſt; nec eſt venenum, ſed ſecurum præbet remedium ad tabem & luem veneream ſanandam, item ad pinguefacienda bruta: ſimulac autem ignem experitur, vel potenti ſale ejus textura ac vinculum ſolvitur, virulenta protinus ſe exerit vis, dum fortiſſimè ſedes & vomitiones excitat. Raro à medicis antimonium ſic verſum in crocum & vitrum in ſubſtantia adhibetur, dum lethalem hypercatharſin, pluribus obſervationibus id teſtantibus, non ſemel excitavit. *Vide Rolfincii Chymiam, item Sennertum de conſenſu & diſſenſu Chymicorum, Hildanum Cent. IV. obſerv.* 75. *& Centur. V. obſerv.* 12.

(*b*) *Proprium ejus remedium.* Enormes ventriculi vicinarumque partium ſpaſmodicas contractiones à purgantium vehementia ſuſcitatas optimè componunt anodyna, theriacalia & ſpirituoſa confortantia. Externè aqua Anhaltina cum oleo nuciſtæ, menthæ, & balſamo peruviano mixtum, calideque regioni ſtomachali applicatum, præſentiſſimum affert ſolatium.

CAPUT XXXIII.

De maligna febre.

CONſtantinus Barbitonſor, annos 35. natus, prope templum Divi Salvatoris, (*a*) *maligna febre*, cum exanthematibus nigris, inexplebili ſiti, lingua nigra & aſpera, acerbiſſimo capitis dolore, inedia, vigiliis, & ſimilibus, quæ moribundos invadere ſolent, vexatus eſt. Vigebant tunc (*b*) *continui imbres*, idque (*c*) *in media hyeme*, quo tempore graviores ſunt putredines, Hippocrate ipſo teſtante 3. *Aphoriſ.* 16. *&* 17. Victus in principio tenuis & humidus fuit. (*d*) *Totus curationis ſcopus* ad putredinem arcendam citra virium jacturam dirigebatur. Nec illis aſſentiendum mihi videtur, qui ſtatim primis morbi inſultibus naturam variè conflictatam, (*e*) *vehementibus remediis*, toto genere naturæ moleſtis, ut ne ſani quidem abſque præſenti damno perferre poſſint, onerant atque defatigant, adeóque natura duobus oneribus impar ſuccumbere cogitur. Itaque nos humorum mutationi, alterationi, & per epicraſin purgationi incumbentes, alexipyreton ter & quater dedimus, cujus medio omnia evanuêre ſymptomata, & citò priſtinas vires recuperavit. Alexipyreton habetur in noſtro *de ſecretioribus mineralium præparationibus.*

NOTÆ

in CAPUT XXXIII.

(*a*) *Maligna febre.* Malignitas morborum & febrium ſe manifeſtat per ſubitaneam virium proſtrationem, pulſum debilem, animi deliquium, mentis turbationem, externarum partium corporis refrigerationem: Quæ & ſimilia diſſolutionem vinculi ſeri & ſanguinis, & elementorum ſuccos vitales componentium deſtructionem, quam veteres putredinem indigitarunt, indicant. Cauſa malignitatis vel in ipſo ſubjecto latitat, vel foras & ab extra accedit. Illud fit, ſi vitio diætæ, aëris, affectuum intemperantiâ, maxima intemperies humoribus introducta fuerit; tali in ſubjecto quivis morbus genium malignum facilè induit; hinc ſæpius variolæ, morbilli, arthritis, eriſypelas certis in perſonis malignitate ſtipantur & necant. Ab extra corporibus communicatur malignitas per virulenta effluvia quæ ſubtiliſſimis corporis noſtri partibus mixta in illis turbationem quoad craſin & motum maximam inducunt.

(*b*) *Continui imbres.* Putredinem ſeu diſſolutionem elementorum ſanguinis aër nebuloſus, pluvioſus, nimis humiditatibus onuſtus, frequentiſſimè, maximè in corporibus mollibus iiſque humidis, ſuſcitant. Notabile eſt, tali cœli temperie in barometris mercurium ad aliquot gradus deſcendere, manifeſto indicio, celerrimum ætheris motum, qui indubie cauſa gravitatis eſt, humidi copia retundi & vim ſuam amittere: Cumque idem æther elementa ſanguinis & uniat & conſervet vivido ſuo motu, & ſpirituum materiam, qui motiones corporis noſtri perficiunt, ſuppeditet, facilè ex hoc intelligi poteſt, imbecilliore reddito ætheris motu tempeſtate exiſtente humida, ad putredinem corporis noſtri humores diſponi. Conducunt & præſervant tali in caſu balſamica v. g. Elixir proprietatis, eſſentia myrrhæ, ſcordii, ſpiritus volatiles oleoſi, ſuffimigia, & quæ ſunt ejus generis alia.

(*c*) *In media hyeme.* Morbi acuti æſtivis menſibus invadentes utplurimum benigniores ſunt illis, qui hyeme fiunt, forſan quod tranſpiratio tunc impedita, vel tardior reddita, pravos humores in corpore accumulet. Experti id ſumus, inquit Ol. Borrichius *in act. Haffn. pag.* 165. quod febres malignæ plerumque evadant pertinaciores, quo magis gelu urget, ſed quamprimum circa veris initium remittit gelu, remittit etiam violentia febris.

(*d*) *Totus curationis ſcopus ad putredinem arcendam.* Prima & unica curandi intentio eſſe debet, ſicuti bene A. monet, ut putredinem arceamus citra virium jacturam, id eſt, ut mixturam ſanguinis firmemus, à diſſolutione defendamus, & ſpiritus corporis noſtri conſervatores corroboremus. Tali virtute gaudent jam unanimi fermè Medicorum conſenſu, longoque ſeculorum uſu comprobata acidula, item terrea. Bolus armeniæ à *Galeno* pro optimo alexipharmaco habetur, Commendanda autem ſunt mixtura ſimplex, ſpiritus ſalis dulcis, nitri dulcis, clyſſus antimonii ſulphuratus, tinctura quatuor florum cordialium, bezoardica, aceta theriacalia, nec non terrea v. g. pulvis bezoardicus Sennerti, Anglicus, Pannonicus ruber, cornu cervi uſtum, philoſophicè præparatum, terra ſigillata, mater perlarum, &c.

(*e*) *Vehementibus remediis* Rectiſſimè Dominus A. hic increpat illos, qui ſtatim primis morbi inſultibus naturam variè conflictatam vehementibus remediis toto genere naturæ moleſtis, ut ne ſani quidem abſque præſenti damno perferre poſſint, onerant atque defatigant: Vires enim, quantum poſſibile, omni modo ſervandæ ſunt: in illis enim robur naturæ conſiſtit. Cavendum itaque in omnibus malignis, qui ex putredine humorum naſcuntur, ab omnibus emeticis, purgantibus, venæſectione & ſudoriferis fortioribus.

CAPUT XXXIV.

De Athritide.

ILluſtris Dominus Carolus Vertova Bergomenſis annorum 20. in ædibus Domini Hieronymi Pii tunc commorans, articulari morbo, genubus, & pedibus correptus, die noctuque mirè torquebatur. Neglectis topicis, (*a*) *Ellebori & hermodactylorum extracto*, ter & quater exhibito, dolor omnis remittitur. Ad juncturas verò principalioraque viſcera roboranda, (*b*) *pulverem noſtrum antipodagricum* ad complurimos dies bis in die propinavimus; & his facillimis hoc indomitum morbi genus penitus ceſſit.

Pulvis antipodagricus eſt aurum diaphoreticum.

NOTÆ

in CAPUT. XXXIV.

(*a*) *Hellebori*, &c. Arthritidis fomes & minera ſæpius latitat

latitat primis in viis, quare etiam ſub acceſſionem quandoque percipitur dolor, æſtus, inflatio regionis ſtomachalis, quo tempore infuſum laxativum educendo pravorum humorum ſaburram in momento ferociam dolorum in pedibus ſubortam mitigare ſolet. *Martianus* ſcribit vomitorio omni menſe exhibito à dolore arthritico feliciſſimè præſervationem fieri.

(*b*) *Pulverem noſtrum antipodagricum.* Eſt aurum cum mercurio junctum & decenti ignis temperamento in pulverem magnæ efficaciæ converſum. Modum mercurium depurandi hunc in finem proponit *Philaleta in Tract. Introitus apertus*, &c. Memini olim hic Halæ tali medicamento mercuriali à Chymico non vulgari exhibito inveteratam podagram tophoſam ſanatam in ſexagenario Halenſi, ita ut per plures annos firma uſus fuerit valetudine.

CAPUT XXXV.

De Angina.

DOminicus Camuſo, Bajulus, annorum 35. prope delubrum vulgò *della Baroncella*, (*a*) *anginâ* (κυνάγχη Græcè dicitur) *graviter correptus*, (*b*) *cum acuta febre* luctabatur, interiores fauces, atque (*c*) *cervicem* phlegmone etiam occupabat. Hinc ſalutis ſpes exigua ſupererat: non ita tamen, ut ſcribitur ab Hipp. de ea, quæ citra apparentem tumorem ægrum primo die ſuſtulit. (*d*) *Venis ſub lingua tuſis*, ſanguineque abundanter fuſo, citò convaluit. Ad fluxus fomitem penitus compeſcendum, ſequenti die (*e*) *pilulas de agarico*, & aggregat. ad drach. j. ß. dedimus.

NOTÆ

in CAPUT XXXV.

(*a*) *Angina graviter correptus.* Angina inflammatio muſculorum laryngis eſt, cujus ſigna ſunt dolor, orthopnœa. Tumor ſi latet, & æger liberæ reſpirationis maximè eſt indigens, & ſi repentè inſigniter febricitanti ſupervenerit, malum funeſtum eſſe conſuevit; ſi tumor adeſt in collo, ſemper bonum juxta Hippocrat. *aphor. XXXV. I. Sect. VI* Ex *Hippocratis* itaque conſilio omnia admovenda, ut foras prodeat in collum materia, tale eſt emplaſtrum, quod coquitur ex nido hirundinis, ex decocto malvarum, meliloti, ficuum, florum Sambuc. additur theriaca & crocus.

(*b*) *Cum acuta febre.* Nunquam ſine febre conſuevit eſſe angina, vel illi præcedit, vel ſupervenit. Cum horrore plerumque invadit, turbatæque maſſæ ſanguineæ manifeſta adſunt indicia, epidemia nonnunquam eſt & malignitatis notam edit.

(*c*) *Cervicem.* Cervix & fauces ab inflammatione graviori in conſenſum trahuntur, ut etiam externæ rubor ac tumor ſit conſpicuus cum calore & dolore.

(*d*) *Venis ſub lingua tuſis.* In peſtifero anginæ malo trahenda non ſunt remedia, ſed ſtatim à Venæſectione inchoandum, ut ſanguis ſubſiſtens & ſtrangulans evocetur. Quo nomine ſub lingua venæ ſecentur, imò cucurbitulæ ſub mento & ad fauces admoveantur, ut irruentis materiæ impetus alio avocetur, quod conſuluit etiam Hippocrates *lib. II. de morbis vulgaribus*; item Celſus *pag.* 196.

(*e*) *Pilulas.* Poſt venæſectionem ſecunda intentio ſit, ſi vires id patiuntur, ducere alvum; laxantia namque inſigne levamen non rarò attuliſſe, Practici teſtantur, *vid.* Antonius de Heyden, *Centur. I. obſerv.* 1. *&* 2.

CAPUT XXXVI.

De Angina.

NObilis Domina Virginia, D. Pii Conradini uxor, 35. annos nata, ſimili, ſed (*a*) *graviori affectu* oppreſſa erat. In ſcapulis ſtatim cucurbitulas admovendas curavimus; & cùm morbi feritas nihilo remiſſior appareret, poſtmodum *cephalicam in dextro bracchio aperiendam* juſſimus; tunc enim è lingua, propter tumoris magnitudinem, fauces & os quaſi occupantem, detrahi non poterat. (*b*) *Extrà* interim affecta pars oxyrrhodino inungebatur, linteolis oxycrato madefactis ſuperimpoſitis.

At inflammatio rebellis & pervicax perſtabat, aliquantulum tamen imminuta: ſublinguales igitur venas aperire potuimus. Et ſic gargariſmate repercutiente & detergente etiam adhibito, unà cum remediis ſuprà dictis, libera evaſit.

NOTÆ

in CAPUT XXXVI.

(*a*) *Graviori affectu.* Omnium periculoſiſſimam cenſuit *Hippocrates*, ubi neque in faucibus, neque in cervice quicquam apparet; hujus quippe inflammatio penitus abſtruſa graviora infligit ſymptomata non ſine metu præſentis ſtrangulatûs. Hac ſæpe vidimus ſublatum ægrotum horis octodecim, conſtante mente integriſque ſenſibus.

(*b*) *Extrà.* Efficaciſſima hic ſunt fomenta humida; nam ſicca ſpiritum elidunt, ergo admovere ſpongiam oportet, quæ in decoctum calidum, quod conſtat ex floribus ſambuci, herba malvæ, ſalvia, hyſſopo, paſſulis, ficubus, rhob diamorum, radic. glyzerizæ, ſubinde dimittantur.

CAPUT XXXVII.

De tumore in facie ſublato.

NObilis virgo annorum 24. ex proſapia de Angelellis, nomine Diana, apud moniales Divi Petri martyris religioſè degens, à multis jam annis (*a*) *prædurum tumorem* ſcirrhoſum in genæ dextræ medio gerebat, cui ut occurreret, multa jam fruſtra tentaverat. Indolens erat hic tumor, niſi tactu preſſus, venæ in ambitu rubentes, tumentes, & lividæ. Cæterum extrinſeco quovis admoto remedio, & dolor, & inflatio, & inflammatio concitabantur. Cùm ergo Cœnobii Medicus ejuſmodi ſignis monitus, totum negotium naturæ committendum ſatius duxiſſet, quàm ullo remedio curationem tentare, factum eſt, ut tumoris naturam attentiùs perquirens valido tactu materiam ſubtus latentem cognoverim. Quare tumorem valido (*b*) *cauſtico* aperiendum exiſtimavi; adeoque cauſticum argentum uſurpandum cenſui, cujus deſcriptionem & præparationem cum aliis, Deo dante, typis mandabimus. Aperto tumore, ſteatomatum inſtar materia manebat; hæc prorſus (*c*) *gangliorum* atque lupiarum in morem (*d*) *propriâ cyſti* continebatur.

NOTÆ

in CAPUT XXXVII.

(*a*) *Prædurum tumorem.* In qualibet corporis parte evenire poſſunt multa variaque tubercula, quæ tamen periculo non terrere debent. Quædam ex his dura ac renitentia; quædam mollia & cedentia ſunt: quædam ſpatio nudantur, quædam tecta capillo ſuo permanent, fereque ſine dolore ſunt. Quid intus habeant, uti conjectura præſagiri quidem poteſt, ſic ex toto cognoſci, niſi cum ejecta ſint, non poteſt. Pro diverſitate humorum, qui ipſis inſunt; varia accipiunt nomina, cui tenuis pulticula ſubeſt, atheroma dicitur, cui liquidior humor melli ſimilis, melliceris: Steatoma, id eſt, quando pingue quoddam latitat. Omnia illa ex parvulo incipiunt, & diu paulatimque increſcunt, & tunica ſua includuntur.

(*b*) *Cauſtico.* Tolluntur hæc vel cordata inciſione facta per medium, ut effundatur quicquid intus coiit, vel ſi æger, abhorreſcat cauterico valido, quale eſt argentum cauſticum, quod fit, ſi ſolutio Lunæ cum aqua forti parata inſpiſſatur, & craſſamentum igniatur.

(*c*) *Gangliorum.* Ganglioformes nervorum nodi, ut curiosior docet anatome, nihil aliud ſunt, quam minima filamenta fibrillas nervoſas annuli in modum vincientia, in quorum medio arteriæ luculentiſſimè florido ſanguine repletæ ſunt, inde inſtar filorum rubrorum protenſæ conſpiciuntur.

(*d*) *Propria cyſti.* Steatoma ſemper tunica quadam continetur, quæ ſecanda eſt, quia non facilè à cute & ſubjecta carne ſeparatur, ubi vel tota tunica, vel aliquid ex eâ relictum eſt, pus movendum, aliàs recrudeſcit malum: Ubi tota exemta eſt, committente ore deſuper glutinans medicamentum eſt imponendum. Adhuc autem melius eſt totum ſteatoma radicitus exſcindere; ſic Chirurgus quidam Halberſtadienſis peritiſſimus ante annos aliquod ſteatoma fronti aſſidens ſupra oculum pendens libram unam & ultra feliciſſimè exſcindebat, & hæmorrhagiam pulvere capitis mortui vitrioli ſiſtebat abſque ullo periculo.

CAPUT XXXVIII.

De Cacochymia, ventriculi intemperie, & aliis.

ADmodum Illuſtris Domina Dorothea, Dom. Auguſtini Bero uxor, (*a*) *poſt febrem continuam* in duplicem tertianam inciderat: quam *κακοχυμία* ventriculi frigida conſtitutio, viſcerum lienis & jecoris durities, meſaraicarum obſtructio, inappetentia, vigiliæ, & ſimiles affectus concomitabantur. Nobilis hæc Domina, ut naturâ ſatis delicata, & vulgatis remediis nauſeabunda, ipſiſque, & morbi diuturnitate defatigata, vitam in non exiguo diſcrimine trahebat, eò magis certè, quòd (*b*) *ad hydropem* jamjam incipientem inclinaret. Hujus curationis difficultas & à parte ſubjecti, & à morbi natura pendebat.

Quocircà nobiliſſimæ ægræ nobiliſſimum hoc electuarium exhibuimus. Rec. (*c*) *Solis centuarii minoris* drach.j. conſ. roſarum, & violarum, an. unc.j. olei vitrioli x. guttas. Mixtis omnibus concinnabatur Electuarium, cujus drach.ij. bis in die dabantur; cujus beneficio brevi convaluit.

NOTÆ

in CAPUT XXXVIII.

(*a*) *Poſt febrem continuam.* Unus morbus ſæpe alterum graviorem gignit & excludit;quandocunque enim magnitudine vel diuturnitate ſpiritus conſumit, vires frangit & diſcraſiam acido-viſcidam humoribus inducit, haud difficulter obſtructiones minimorum vaſculorum, quæ fœcundæ chronicorum matres ſunt, ingenerantur, nec minus ſpirituaſcentia chyli & ſanguinis deprimitur.

(*b*) *Ad hydropem.* Autumnales, maximè quartanas,diuturnas vel præpoſtero conſtringentium uſu nimis cito curatas & ſuppreſſas, infarctus viſcerum, obſtructiones, ſcirrhi preſſo pedè ſubſequi conſueſcunt; unde lentæ febres & hydropes ſuam habent originem: Et niſi cito hic ſuccurras martialibus balſamicis deobſtruentibus, malum fit immedicabile.

(*c*) *Salis centaurei minoris.* Efficaciſſima ſunt ſalia fixa ad tollendas obſtructiones in febribus, dum partim acidos ponticos humores corrigunt, partim tenaces viſcoſas particulas in partibus ſolidis ſubſiſtentes fundunt & diſſolvunt. Quapropter convenit illa exhibere & miſcere laudabili cum ſucceſſu cum præcipitantibus ſic dictis, china chinæ, addito momento mercurii dulcis, qui potentiſſimum reſolvens eſt.

CAPUT XXXIX.

De acuta febre.

NObilis Domina Dorothea, Domini Matthæi Fabritii uxor, annorum 45. prope Divi Franciſci Fanum, ſuperioribus annis acutiſſimâ febre correpta fuit, eaque non niſi (*a*) *à prava aëris conſtitutione*, prout multi ſimilibus febribus detinebantur. Primum febris eam adorta eſt (*b*) *cum vomitu ſinceræ bilis*: conſequebantur capitis dolor, inexplebilis ſitis, inquietudines, linguæ ſcabrities, & ſimilia. (*c*) *Victu tenui, humido, & frigido* inſtituto, corpus totum (*d*) *cholagogo potu* ex rhabarbaro, & manna, & catholicône purgavimus. Secunda die (*e*) *julepum attenuantem & refrigerantem*, utpote ex acidis paratum, bis exhibuimus. Tertiâ tandem die, aſtrorum benevolo aſpectu ſervato, horaque qua aſcendebant pices, Jove in medio cœli culminante, venam dextri lateris tundendam curavimus. Unde detractis unc. vij. ſanguinis, ſtatim omnia quæque ceſsârunt ſymptomata, & ſic incolumis liberaque evaſit.

NOTÆ

in CAPUT XXXIX.

(*a*) *A prava aëris conſtitutione.* Mutationes inſignes, quæ in ipſa tempora incidunt, & illorum à temperie ſua deflexiones, graves pariunt morbos. Texturam corporum & humorum temperiem mirum in modum mutat aër; hinc æſtate particulæ ſalino-acres ſulphureæ, autumno ponticæ, craſſæ & terreſtres exundant, & corpora noſtra fatigant.

(*d*) *Cum vomitu ſinceræ bilis.* Bilis pro noſtro aëre & vivendi ratione haud facilè prædominatur, ſeu copiâ peccat, ſed qualitate potius delinquit viſcida, acidâ. Secundùm naturam conſtituta bilis principio ſuo alcalino oleoſo balſamum chyli & ſanguinis exiſtit, & humor utiliſſimus, à quo valetudinis & incolumitatis noſtræ maxima dependet ratio. Sulphur patet ex ipſa inflammabilitate alcali, quod ſulphuri immerſum eſt; ex mixtura cum ſyrupo violarum, quem viridi colore tingit, pateſcit, nec non ex ſpiritu alcalino, quem ſuppeditat ipſa bilis mixta cum calce viva. Si elementa hæc bilis deficiant, vel vitiata ſint, magna incommoda in œconomiam noſtram animalem redundant: ſi iners eſt, & nimio acido fixo imbuta, febres intermittentes, affectio hyſterica, colica, alvi conſtrictio, excretionum conſuetarum ſuppreſſio viſcerumque obſtructio propullulant: E contra ſi Sal acre,ſubtile,calidum in exceſſu peccet: inflammationes, hæmorrhagiæ, diarrhœæ, febres ardentes in procinctu ſunt.Quocirca prudens Medicus in cujuſcunque morbi curatione ſubinde ad bilis mixturam ejuſque motum collineare & reſpicere debet: Quandocunque autem per vomitum excernitur bilis, non ſemper exinde inferendum eſt, bilem cauſam dediſſe morbi vel ſymptomatis, ſed ſæpius pravi ſucci in primis viis deliteſcentes ventriculum irritando & convellendoślioſum humorem ſimul evehunt.

(*c*) *Victu tenui.* Nihil magis in acutis commendari meretur, quam tenui uti diæta. Victus craſſus pleniori manu datus, plures ex acuta febre laborantes intercidit. Hipocrates in ſuis curationibus ſtudiosè id agit, ut diætam exquiſitè tenuem in acutis morbis ſemper commendet, laudet decoctum hordei, ſcorzoneræ, cornu cervi aliaque.

(*d*) *Cholagogo potu.* Ineunte morbo laxationes commodè inſtitui poſſunt in acutis, cui ſcopo inſerviunt manna, rhabarbarum, tamarindi, folia ſennæ &c. Tamarindi ſale tartareo dulci blandè-acido fœti ſunt, quo bilis volatilitas & calor temperatur Ob tartareum hoc ſal orientales populi utuntur fructu hoc ad argenti dealbationem, non ſecus ac noſtris in locis tartarus id præſtat, qui venerem ſolvendo lunam puriſſimam in ſuperficie relinquit.

(*e*) *Julepum attenuantem.* In acutis omnia calida volatilia oleoſa motum ſanguinis tam inteſtinum quam progreſſivum augentia ſæviora reddunt ſymptomata, in incendium quaſi conjiciunt ſanguinem & diliria atque inflammationes acccerſunt. Ex omnibus autem calidiſſima ſunt olea, quippe ramoſo ſuo contextu diutius morantur & intricata manent ſanguini. Notabile eſt unicam olei deſtillati guttulam plus ardoris corpori conciliare, quam ſalis volatilis drachmam ſemis. Omni ſtudio hinc evitanda in ſanatione morborum acutorum, inflammationum, Variolarum remedia calida, acria, ſudorifera: Meliorem locum inveniunt accidula temperata, diluentia, julapia, &c.

CAPUT XL.

De inſigni marcore, hectica febre, & aliis.

Nobilis virgo annorum 24. in Cœnobio Monialium Divæ Magdalenæ, nomine Blancha Maria de Duliolis, hectica febre ſecundi gradus, capitis defluxione, dolore, vigiliis, inappetentiâ, anhelitûs difficultate, & aliis ferè ad extremum deducebatur, etiamſi complurimis remediis toto ſemeſtri uſa erat.

Hæc mala à ſuppreſſis menſibus, & obſtructis venis meſaraicis, & ſcirroſo liene oriebantur. Ejuſmodi ſuppreſſioni valdè obnoxia erat; unde ſingulis ferè annis (*a*) *chalybem vulgato more præparatum* ſumebat, à quo non parum levaminis.

Hoc verò anno nihil proficiens, verùm contrà febre, cæteriſque ſymptomatis auctis, ipſa quotidie in deterius labebatur. In ejus porrò auxilium advocatus, negotium etſi arduum, tamen remediorum præſtantiâ ſuffultus, aggreſſus ſum. Etenim febris ſpeciei apprimè proſpiciendo, ut quæ ſympathica, (*b*) *non refrigerantibus ſolùm*, ut vulgi Medicorum ſententia eſt, ſed aperientibus & acidis ſubacta, facilè evanuit; ac menſes tamdiu ſuppreſſos *ſequenti apozemate* provocavimus.

℞. Rad. altheæ, valerianæ, an. unc. j. ß. rad. fœniculi, aſparagi, & apii, in vino albo per noctem maceratarum, an. drach. vj. fol. bethonicæ, pimpinellæ, ceterach, arthemiſiæ, calendulæ, ſabinæ, cicerbitæ, an. m. j. Bulliant omnia in decocto cicerum rub. Factæ colaturæ lib. ij. diſſolve mellis albi, ſacchari albi, an. unc. iij. aromatizetur drach. ij. cinnamomi, & croci ſcrup. j. albumine ovi clarificetur, & fiat apozema: Quo ſumpto adeò perfectè ſanata eſt, ut nuſquam abhinc in eoſdem affectus inciderit, licèt à curatione annus octavus agatur.

NOTÆ

in CAPUT XL.

(*a*) *Chalybem.* Ex martialibus primas tenet ipſa limatura martis pura nullo acido tacta, quæ longè promptius acidum corporis noſtri imbibit, quam cætera, alia, quorum vis acceſſo acidi infracta eſt; hinc omnibus martis crocis & tincturis ſolam limaturam mea ſententia præferendam eſſe, exiſtimo; Sed hæc notanda veniunt circa ejus uſum: nimirum primum acidi in primis viis ſit præſentia. Secundo ventriculus debito calore & robore inſtructus ſit. Tertiò corpus non nimis exſuccum & aridum. Quartò motus & exercitatio corporis poſt ejus uſum ſemper imperanda: Si alvus conſtricta manet, laxativum rhabarbarinum vel aliud molliens interpolandum eſt.

(*b*) *Non refrigerantibus.* Multum in hoc peccant Medici; qui contra hecticum calorem ex vitioſorum humorum ſaburra ſuccreſcentem pugnant cum refrigerantibus, ſatu:ninis, nitroſis, quibus augmentum ſæpius cauſæ additur. Juvat tali in caſu magis expurgare leniter primam regionem, & temperatis balſamicis inſtaurare ventriculi actionem.

(*c*) *Apozemate.* Apozema Domini A. laudem & commendationem meretur. Obſtructis pertinaciter venis hypogaſtricis balnea & apozemata ex radicibus & corticibus ſale volatili ſubtiliſſimo oleoſo turgidis parata convenientiſſima ſunt. Deprehenditur interdum tam craſſus & limoſus hoc in morbo ſanguis, ut in vaſis uterinis abeat in polypoſam concretionem, qualem ego olim inveni in fœmina Mindenſi per IV. annos ex menſium defectu laborante. Sic quoque *Welſechius Auguſtanus* mortuam ex menſium ſuppreſſione aperuit, & venas circa uterum nigerrimo ſanguine diſtentas invenit, ipſumque uterum quaſi gangrænæ affectum, bile omni ex veſicula in inteſtina depulſa.

CAPUT XLI.

De quotidiana febre, menſium ſuppreſſione, & aliis.

Dominica Adm. Illuſt. D. Jo. de Angelellis, hujus civitatis Senatoris, Ancilla, 27. annum peragens, quotidianâ 5. menſibus valdè vexabatur; (*a*) *menſes ſuppreſſi*, inappetentia, laſſitudo ingens, facies decolor, & ſimilia ſequebantur. Licèt toto illo tempore (*b*) *multa impunè conſumpſiſſet remedia*; noſtra tandem ope, Electuariique opiatici beneficio brevi convaluit. Menſtruales verò purgationes adhuc ſuppreſſæ erant, nec pedes omninò detumuerant, quapropter Electuarium chalybeatum, cum vehiculis ad id deſtinatis, præſcripſimus. Sub finem tandem apozema hyſtericum aperiens & diſcutiens ad nonnullos dies ſumpſit, quibus paucis perfectè curam abſolvimus.

NOTÆ

in CAPUT XLI.

(*a*) *Menſes ſuppreſſi.* Familiare fœminis eſt, quod poſt longiores morbos, vires fractas, menſtrua ipſas deficiat purgatio, dum morbi diuturnitate tam ſerum, quàm ipſum ſulphur ſanguinis conſumitur. Ad fluxum autem menſium & ſeri copia, & ejus turgeſcentia atque ad motum aptitudo requiritur.

(*b*) *Multa impunè.* Peſſimè conſulunt Medici ſanitati illarum, quando deficiente ſero & depauperatis ſpiritibus purgantibus & emmenagogis calidis fluxum procurare conantur: Præcipitari ſic plurimas in atrophiam, hecticam, phthiſin, inflammationes, peſtem, cito experientiam. Roborandus tali in caſu magis eſt ventriculus, & ſerum inſtaurandum alimentis ſucci plenis, analepticis & blandam ſanguini ſpitituaſcentiam fœnerantibus; quem in finem laudanda elixir balſamicum noſtrum, vina generoſa, malvaticum, Frontini, ac ſal volatile oleoſum Sylvii, Cinnamomi ſatum, tinctura martis pomata, decoctum ſuccoladæ, & quæ ſunt talis modi generis.

CAPUT XLII.

De fœdiſſimis & ferinis ulceribus.

Nobilis Domina Flaminia de Zanettinis, vidua annorum 30. prope ædem Sanctæ Majoris, à ſexennio clauda, nec niſi fulcris aut ſcipionibus ligneis, (vulgò appellant *potentias*) fulta per domum ſe proripere valebat: Cujus cauſæ ſuberant, fœdiſſima, calloſa, & ferina (*a*) *ulcera*, quæ tibiarum oſſa carne ferè totâ denudârant; pedes, ob inſignem duritiem, glandulis ſcrophularum inſtar diſtincti, è quibus ſingulis glandulis ulcera ſeorſim oriebantur, & paulò pòſt conſeneſcebant, relicto tantùm tumore; ita ut in eodem membro materia peccans contrarios produceret effectus: in tibiis ſcilicet carnem arrodens, & in pede carnem lividam, & calloſam producens. Brevitatis gratiâ omittam, quæ incaſſum ab aliis Medicis experta erant; nec enim citra bilem recenſere fas eſt. Reliquum, & corpus totum cacochymicum, facies livida, narium extremitas, & labia plumbata, febri inſuper lentâ aſſiduè conficiebatur; quæ omnia ſolitâ nobis ratione perſanavimus.

NOTÆ

in CAPUT XLII.

(*a*) *Ulcera.* Ipſum ſal ſcorbuticorum acerrimum non ſolum

ſolum carnoſos tubulos corrodit & depaſcit, ſed & ipſa oſſa aggreditur, ipſisque cariem ac putrilaginem inducit. Conſtant oſſa ex tubulis tenerrimis poros habentibus innumeros, quibus circulationem ſuſtinent, depoſitæ particulæ ſanguineæ & lymphaticæ: inoſculantur enim illis & venæ & arteriæ. Particulæ hæ depoſitæ acuto corroſivo ſale imbutæ ex facili tenerrimos oſſis tubulos exedunt & ſauciant. Signa oſſis putridi & carioſi ſunt intolerabilis materiæ ulceroſæ fœtor, caro ulceris ſpongioſa nigricans, livida, curatio difficilis. Quamdiu os carie laborat nulla ſpes curæ eſt. Ad curationem ante omnia facit diſciſſio ſcirrhoſæ duræ carnis, ut os affectum conſpiciatur, à quo caries tollenda, medicamentis potenti ſale volatili acidum deſtruente imbutis, ex quibus eminent nominatim euphorbium, camphora, oleum caryophyllorum, cochleariæ, quod omnium acerrimum & penetrantiſſimum. In Euphorbio vis latet alcalina, quæ inter alia apparet exinde, quod ſternutamentum excitat. Chirurgorum quidam acidorum uſum ad putrilaginem oſſium avertendam frequentiſſimum habent; aſt malo eventu, ut pote acida oſſium texturæ inimica illam diſſolvere, quod vel exinde conſtat, quia diriſſima oſſa perapte menſtruis acidis ſolvuntur.

CAPUT XLIII.

De duplici tertiana cum horrendo ſymptomate.

NObilis Dominus Franciſcus de Salimbenis, 35. annos natus, prope Divum Dominicum, duplici tertianâ cum inſigni capitis dolor, & aliis graviſſimis ſymptomatis acerbè divexabatur. Hujus febris procatarctica cauſa (*a*) *fulgur* fuit, derepente palatii ruri conſtituti portas & feneſtras concremans. Is, ut flammas ſparſim excitatas extingueret, tantum laboris ſuſtinuit, ut ſpiritus & humores accenſi, atque tetro fulguris odore perfuſi, dictam febrem pepererint. (*b*) *Tempore exacerbationis* circa ventriculum tantos tamque immanes & celeres dolores ſentiebat, ut veluti fulguris ictu perculſus brevi ſpiritum efflaturus videretur.

Diro atque formidando huic ſymptomati intereſſe volui, ut quod opus conſultiùs agerem. Cùm ergo jamjam inſtaret dolor aquam cinnamomi ad unc. j. dedi, quâ ſtatim dolor ceſſavit; à ſimili fulguris incendio edoctus, id non aquâ, ſed potiùs altero igne extingui. Sic ardente illâ febre extinctâ, (*c*) *hemicrania* à fuliginoſis vaporibus proveniens, contumax & rebellis perſiſtens, ſequenti decocto ſublata fuit:

℞. Raſuræ ligni viſci querc. rad. chinæ minutim conciſæ, an. ʒ. j. ſalſæ parill. ℥. j. ß. fol. betonic. cicerbit. cichor. borrag. acetoſæ an. m. j. ſem. pæon. dauci, an. ʒ. j. Paretur decoctum in juſculo carnis vitulinæ.

NOTÆ

in CAPUT XLIII.

(*a*) *Fulgur fuit.* Magis cauſa hujus affectus in terrorem ex fulgure, quam in materiam fulguris referenda videtur. Terror ſpiritus actionum vitalium præſides inordinatè per genus nervoſum & muſculoſum movet & agitat; unde contractiones & tenſiones partium muſculoſarum oboriuntur. Pulſus cordis & arteriarum fit parvus, frequens & inæqualis, ſanguis cum ſero ad ſeceſſionem mutuam diſponuntur, excretiones, quæ ſtato ordine alias fiunt, ſupprimuntur, multaque & propemodum infinita mala in œconomiam animalem corporis noſtri redundant à vehementi terrore.

(*b*) *Tempore exacerbationis.* Invadente Parroxyſmo febrili ſpaſmi ubivis, præcipuè autem in partibus nerveis comparent vehementiſſimè; unde vomitus, dolor ventriculi, præcordiorum anxietas, pedum dolores contuſivi circa rigorem frequentiſſi ſunt.

(*c*) *Hemicrania.* Optimè hæc tollitur decoctis & pilulis cephalicis, nec non pulveris, qui conſtat ex ſuccino, ſtorace, benzoe, cubebis, ſemine papaveris, pœoniæ in caput inſperſione.

CAPUT XLIV.

De clauda muliere à biennio.

FUlvia Andreæ Siloni uxor, in via Nozadellæ, 40. ætatis ſuæ annum circiter agens, ferina duo ulcera, cava, ſordida, calloſa, dolorifica, toto biennio miſerè patiebatur: unde clauda, (*a*) *cachectica, macie confecta*, & aliis propè infinitis ærumnis obruta, toto illo tempore aliorum opem fruſtra experta erat. Sub noſtris tandem manibus brevi & paucis priſtinam recuperavit ſanitatem.

Primis diebus decoctum melanagogum ex ſenna, epithymo, polypodio, cuſcuta, & ſimilibus, ad aliquot dies accepit. Pro topicis unguento ex vitellis ovorum uſa eſt tantùm, (*b*) *traumatico pulvere* interdum adjecto.

NOTÆ

in CAPUT XLIV.

(*a*) *Cachetica.* Diu geruntur ulcera, tandem cachectici fiunt, & marcore conſumuntur, partim ob ſucci nutritii depauperationem, partim ob ſanguinis in temperie & motu ſuo depravationem à particulis fermenti ulceroſi ipſi ſubinde ſuggeſtis.

(*b*) *Traumatico pulvere.* Externè ad conſolidanda ulcera conveniunt, quæ nimias humiditates exſiccant, fibras partium corroborant, & acidum ulceroſum deſtruunt, cujus generis ſunt radix ari, pulvis ſuccini, cornu cervi uſtum, cinis tabaci, radix iridis florentinæ, maſtiches, gummi elemi, tutia præparata, &c.

CAPUT XLV.

De Paralyſi.

FRanciſcus Pinetus annos 35. natus, ſerici textor, in eadem via Nozadellæ, paralyſi in brachio ſiniſtro à ſemeſtri detinebatur, (*a*) *fotu ex pede bovino.*

℞. Fol. roriſmar. ſalviæ, menthæ, praſſii albi, calament. origan. an. m. j. baccar. lauri, juniper. an. pug. j. Coquebantur in vino & aquâ. Sumpto etiam potu (*b*) *ex dulci ſale vitrioli*, & (*c*) *tartari balſamo.* Ex his optimè convaluit.

NOTÆ

in CAPUT XLV.

(*a*) *Fotu ex pede bovino.* In nervorum affectibus à nimia tenſione & contractione ortis externè cæteris omnibus anteponenda ſunt, quæ ex animalibus petita ſunt remedia. Vidimus ſola axungia humana, oleo caryophyllorum exaltata, contracturam à copioſo fumo lithargyrii hauſto in manibus obortam feliciſſimè ſublatam, & hæc ratio eſt, quare qui talis modi in caſibus empiricorum opera utuntur, citius ſanitati reſtituuntur, quam ſi pretioſis chymiatrorum remediis indulgeant. Axungiæ utpote ſale volatili blando, demulcente, naturæ animalium amico, gaudent, cujus ratione nervos ſolantur, & ab acrimonia irritante egregiè defendunt.

(*b*) *Ex dulci ſale vitrioli.* Sal & oleum vitrioli dulce haud injuriâ in non-entium Chymicorum catalogum referre debemus, quippe quæ magis corroſiva, quam dulcia ſunt. Impropriè autem dulcedo hic ſumitur ab ipſis chymicis, dum grata hæc reddere ſtudent per additionem ſpiritus vini, qui nimiam aciditatem infringere aptus eſt. Unde fit ſpiritus vi-

trioli

trioli ſic dictus dulcis, qui cum ſpiritu tartari volatili nuptus rubedine in momento tingitur, & loco mixturæ ſimplicis uſurpari poteſt.

(c) *Tartari balſamo.* Arcanum ſic dictum tartari neutrum & enixum cum aceto deſtillato vini ſaturato conſtat, quod veteribus balſamum tartari audit; in detergenda venarum amurca & liberandis obſtructionibus præſtantiſſimæ eſt virtutis. Chymicorum filii ex ſalis tartari volatiliſatione magnum ſibi promittunt arcanum ad debellandam morborum pertinaciam; verum fruſtraneâ ſe lactant ſpe, cum tale ſal præ aliis ſalibus volatilibus nec ullam prorſus videatur habere prærogativam.

CAPUT XLVI.

De Arthritide.

NObilis Dominus Simon de Bruſattis, annorum 27. articulari dolore in genibus & pedibus graviter affectus, (*a*) *extracto ellebori & hermodactylorum* artificiosè præparato, materiâ purgatâ, ſtatim meliùs ſe habuit: dato tandem pulvere noſtro antipodagrico, ad 5. vel 6. dies tantùm; ut tartareus ille humor è ſede penitus extraheretur, & læſarum partium robur reſtitueretur, citò & jucundè convaluit.

NOTÆ

in CAPUT XLVI.

(*a*) *Extracto hellebori.* Helleborus cauſtico quodam ſale pollet, terreſtribus tamen particulis plurimis immerſo, cujus ratione tenaciſſimum primarum viarum mucum fundit, incidit & abſtergit, & ad chronicorum morborum mineram præſcindendam tam ab antiquioribus quàm à recentioribus impensè celebratur.

CAPUT XLVII.

De raro & portentoſo morbi genere.

DOmini Guigni Procuratoris Bononienſis colonus nomine Barba Franceſco, ſexagenarius, (*a*) *morbo quodam atroci, novo, aut ſaltem paucis audito,* à 15. annis malè detinebatur, cùm ad manus meas curandus pervenit. Is affectus erat tumor perexiguus in genu dextro, lentis magnitudinem vix ſuperans, lividus & durus, ſine inflammatione, ullave alteratione. Locum affectum nec digito, nec alio inſtrumento tangi patiebatur æger: intus nihil humoris deprehendebatur; unde, inter quas tumorum ſpecies annumerandus eſſet, modica difficultas non erat; neque enim malignam utramque bilem tamdiu tamque exiguis limitibus contineri, tamque diros cruciatus concitare, me legere unquam memini. Redibant inſultus ter & quater in die; toties etiam, quoties aliquid caſu duriter in tumorem incideret.

Præclaros Medicos conſuluerat. Quidam carcinomatis rudimentum arbitrabantur; alii fortaſſe Paræi malignam arthritidem, maximè cum ligni Guajaci decoctum ad 40. dies præſcripſerint. Verùm hallucinati ſunt omnes; tumore enim adaperto, neque humorem atrum, neque carcinomatis principium ſubeſſe deprehendimus. Cùm ergo ad me primùm venit, neque locum affectum me tangere, minùs emplaſtrum, aut quodvis aliud remedii genus apponi ſuſtineret, rogatus tandem, ut pennulâ aliquo oleo inunctâ tangi pateretur, annuit. Pennula igitur mercurii oleo imbutâ tumorem leviter tetigi, à quo dolor omnis ſublatus videbatur: hinc lætus unicuique genu tangendum permittit. Sequenti die, ut prævideram, rediit inſultus; quare mali radices intus ſubeſſe ratus, potentiale cauſticum tumori admoveo. Eſcharam, ut moris eſt, baſilicône unguento, & butyro procuro: quâ ſublatâ, vermes pertenues, veluti pili prodeunt, qui ſcalpro attriti, tantum doloris ſuſcitabant, ut non licuerit ipſos forcipibus evellere; æger enim ſtatim humi concidit, ut priùs. Quocirca carne circum circà epuloticis abſumptâ, ipſos volſellis fortiter extraxi, ſed unicum tantùm vivum, apis inſtar aculeo nigro armatum, cæteros laceratos & mortuos, ob applicata remedia. Cùm autem præfatum vermem vivum in manu poſuiſſem, ipſam illicò momordit, mihíque graviſſimum dolorem fecit, quod & viderunt plerique alii.

An ſit Aëtii, Paulive Æginetæ dracunculus, cuilibet judicandum relinquo; præſertim cum in multis diſcrepet & in multis conſentiat. Vulnere tandem perſanato, lætus ille ruſticus domum ſe contulit.

NOTÆ

in CAPUT XLVII.

(*a*) *Morbo quodam.* Laborabat ſimili affectu ante aliquot annos in Weſtphalia artifex præſtantiſſimus, nimirum enaſcebatur tumor durus dolorificus circa ani venas, qui à non tempeſtiva chirurgi apertione & tractatione in ulcus putridum fiſtuloſum abibat, quod omnem conſolidationem fermè reſpuebat. Tandem æſtate generabantur in ipſo vermiculi nigri ſtipati aculeis, qui manui applicati moleſtum excitabant pruritum. Chirurgus tentabat conſolidationem omni modo, quâ facta intolerabiles ſurgebant dolores, ita ut opus fuerit de novo apertionem inſtituere, quo facto, vermes in copia prodibant, quibus exemtis & ulcere ſervato aperto, dolores conquieſcebant. Memini ante aliquot annos me Hornhuſæ propè aquas ſalubres vidiſſe ſcabioſum cachecticum Quedlinburgenſem, qui pedes ulceribus putridis obſeſſos aquis iſtis fovebat, poſt quarum uſum vermes cinerei coloris ad minimum digitum longos ingenti cum admiratione quotidiè ferme extrahebat inſigni cum levamine. Circa hæc conferri poteſt Welſchius *in tractatu de vena Medinenſi.* Item Borellus *Cent. II. obſ.* 48. qui itentidem animalcula in ulceribus nata annotavit.

CAPUT XLVIII.

De Nephritide.

DOm. Franciſcus de Nanis, 50. an. in via vulgò *del Pradello,* nephriticis doloribus graviter excruciatus, brevi ſequentibus ſublevatus eſt (*a*) *Corpore univerſaliter priùs purgato.*

℞. Pulpæ caſſiæ ℥. j. ß. rhabarbari ſubtiliſſimè triti. ʒ. j.

Electuarium poſtea ſequens bis in die ſumpſit.

Rec. (*b*) *Lapid. lyncis*, judaici, ſpongitis, cryſtalli præp. an. ʒ. j. conſ. roſar. ℥. iij. conſerv. betonic. ℥. j. olei vitriol. gutt. xx. Hoc remedio calculos complurimos excrevit. Et quia in hunc morbum ipſe naturâ valde propenſus eſt, factum eſt, ut ineunte vere ad præcautionem ſumat.

℞. Terebinth. aquâ malvæ lotæ, ℥. j. ß. pulv. betonic. ʒ. j. ß. Corpore tamen anteà purgato, vel caſſiæ pulpâ vel ſequenti decocto.

℞ Betonic. m. j. ſennæ ℥. j. Coriand. & an. ʒ. j. liquiritiæ raſæ & contuſ. ℥ß. Bulliant in decocto pectorali, pro tribus doſibus.

NOTÆ

in CAPUT XLVIII.

(*a*) *Prius purgato.* In renum doloribus præſtat ſemper alvum habere mollem & laxam, illamque aut clyſtere aut laxativo quodam irritare. Ejus mollities multum quoque facit ad

ad præſervationem, quo ſine commendandæ ſunt ſequentes pilulæ: ℞. Succini maſtiches, extracti panchimagogi Crollii, diagrydii ſulphuratana ſcrupulum unum, ſalis ſuccini, mercurii dulcis ana grana decem, olei baccarum juniperi, balſami ſulphuris therebinthinati ana guttas ſex, de quibus capiat æger omni ſeptimana bis doſin ſufficientem.

(*b*) *Lapides Lyncis* &c. Specifica lapides creduntur antinephritica; vim ſuam exerunt textura ſua alcalina, quâ acidum primarum viarum, quod fundamentum concretionis calculoſæ eſt, abſorbent & imbibunt, quod deinde mixturâ tali degenerat in ſal neutrum amaricans inſigne abſterſivum tubulos & poros renales. Celebris pulvis tam ad præſervationem quàm ad curationem mali nephritici eſt Norimbergenſis, qui *E. Volckhamero* adſcribitur; hujus præparatio ex lapidibus calcinatis, ut plures arbitrantur, petenda eſt. Corallia, item teſtæ cochlearum in calcem albiſſimam uſtæ, excellens præbent antinephriticum, ſi non majorem, parem tamen cum Norimbergenſi edens effectum.

CAPUT XLIX.

De duplici tertiana.

Generoſiſſimus, & Illuſtriſſimus Comes, Dominus Stephanus Hungarus, Bononiæ in Collegion ationis Hungaricæ, duplici tertiana intermittente, cum inſigni lienis tumore, à quadraginta diebus graviſſimè detinebatur. Florentiæ primùm Medicos ad menſem incaſſum conſuluit. In noſtris verò manibus (*a*) *antidoto alexipyreto* ad x. dies datâ feliciſſimè convaluit.

NOTÆ
in CAPUT XLIX.

(*a*) *Alexipyreto.* Dominus A. in curationibus febrium mirum commendat hoc medicamentum. Ex antimonii propaſapia illud derivandum, inter alia & Authoris deſcriptio, quæ in pharmacopœa extat, ſuadet. Antimonium nimirum gaudet ſulphure & mercuriali ſubſtantia ſatis actuoſâ in motionibus inordinatis ſpirituum corporis noſtri excitandis. Vis ejus, ſi paulisper mitigetur, exuta veneni indole, in medicamentum tranſit efficaciſſimum, ad obſtructiones in anguſtiſſimis venis conſiſtentes removendas. Antimonium cum ſale gemmæ & tartari decenter igne mixtum privatur vi emetica, & abit in pulverem obſcurè rubicundum diaphoreticum excitantem ſimul lenes ſalivationes, in morbis, quorum obſtructiones graviores autores ſunt, depulſandis præſentiſſimi effectus. Notum eſt, quàm eximium uſum in medendo exibeat ſulphur antimonii correctum ſecundùm *Glauberi* deſcriptionem, qui paſſim illud pro panacæa venditat: Doſi ſuccifa ſi cum aliis aperientibus miſceatur, auget illorum vim, ſalivam movet. In malignarum exordio cum bezoardicis oblatum anxietates præcordiales egregiè abſtergit, in intermittentium contumacia, mixtum cum ſalibus aperitivis potenter obſtructiones harum genitrices reſerando divinam affert opem.

CAPUT L.

De ſuppreſſis menſibus, & aliis.

Angelica Jacobi Riarii Piſcatoris filia, annos 18. nata, in via *del Pradello*, graviſſimis capitis & ventriculi doloribus, crebris *ſyncopis*, & vigiliis, (quibus accedebant (*a*) *ſubrubræ puſtulæ in facie*, ob calidiſſimum vaporem aſſiduè ab inferioribus elatum, obortæ) torquebatur. Omnia venerant ſuppreſſis menſibus. Quocirca (*b*) *corpore primum* Ellebori nigri extracto ter & quater perpurgato: & aperientibus venis menſtrualibus adapertis, probè convaluit, utpote cum decocto hyſterico aperiente, & excalefaciente.

NOTÆ
in CAPUT L.

(*a*) *Subrubræ puſtulæ in facie.* Hæ minus rectè vaporibus ex ventriculo aſcendentibus adſcribuntur, ſunt potius fructus acidi volatilis ſubſiſtentis in poris & glandulis cutaneis.

(*b*) *Corpore primum purgato.* Præſtat in menſibus obſtructis purgantia præmittere venæſectioni quo pravorum humorum copia & colluvie ex regione inteſtinali & ſanguine educta liberiorem motum reliqui humores & ſanguis nanciſcantur. Vena ſecetur in pede, quo natura conſueſcat ad infetiores partes amandare ipſum cruorem. Notabile enim eſt, nimium menſium fluxum in momento ſiſti poſſe per venæſectionem in manu, revocato quaſi impetu ſanguinis ad partes ſuperiores, & vice verſa circa purgationis menſtruæ tempus conſuetum ſectæ venæ in talo ſanguinem ad uterum alliciunt. In omni menſium ſuppreſſione venæſectio convenit, quò plethoræ fiat ſolutio & dempta quadam portione ſanguinis reliquus magis rarefieri & motu ſe evolvere poſſit, hinc obſervamus, ſtatim poſt miſſionem ſanguinis pulſum citatiorem, venas magis turgentes, &c.

CAPUT LI.

De inſigni abdominis tumore.

Nobilis Monialis, Catharina Maria de Mareſcottis in Monaſterio D. Mariæ Magdalenæ 30. annos nata, ingenti tumore in abdomine, hydrope, capitis dolore, crebris ad caput evaporationibus, cum lenta febre, à 7. annis oppreſſa erat; quo toto ſpatio, multa multorum Medicorum, ſine fructu tentaverat remedia. Ei ſubveniendo, Electuarium unicum diſſolvens & diureticum exhibuimus, nimirum ex ſpecifico ſtomachico, (*a*) *croco Martis, & oleo acido ſulphuris*, cum conſerva roſarum, doſi ſingulorum ſervata.

NOTÆ
in CAPUT LI.

(*a*) *Croco martis & oleo acido ſulphuris.* Hæc ambo ſimul juncta abeunt in vitriolum, quod viſcidam pituitam potenter fundere & ex ſede ſua movere ſolet. Unicum granum vitrioli albi in nares ſuſceptum mucum ibi hærentem fortiter colliquat & educit, quinimò vitriolacea quandoque vomitiones & ſedes movent, id quod vellicando & conſtringendo tunicas nerveas & glanduloſas peragunt. Errant hinc, qui putant tincturas martiales, quæ omnes vitriolaceæ ſunt, operari abſorbendo & edulcorando acidum ſuccos corporis contaminans; quando enim acido jam dum ſaturatæ ſunt, nequeunt illud amplius recipere. Potius itaque effectus ſuos præſtant ſtimulando, & incidendo. Quo autem ſubtilius eſt ipſum vitriolum, eò excellentior quoque prodit effectus.

CAPUT LII.

De multiplicis morborum genere, eoque deplorato.

Nobilis Dominus Galeatius Pius, 35. annum natus, ſeſqui anno toto, (*a*) *à mille malis* undique impetitus decumbebat. Caput imprimis doloribus, ſurditate, viſus depravatâ facultate, vigiliis & aliis detinebatur: pectus, abdomen, & quæ in his continentur; crura inſuper, brachia, manus & pedes, eodem ferè modo ſimul afficiebantur: non hominis, ſed cadaveris effigiem gerens, ſingulis momentis animam efflare videbatur. Morbi naturâ ad unguem examinatâ, atque remediis, quibus priùs utebatur cognitis, alia jucundiora, certioraque propinavimus. Curam hanc ita-

que (*b*) *per ſelectiſſima alexipharmaca* aggredior; febre neglectâ, tanquam ſymptomaticâ; acceptiſque alexipharmacis ad 5. dies febris evaneſcit, miteſcunt dolores, & naturæ robur ſenſim adipiſcitur. Verùm ut morbi radices altiùs in oſſibus defixas funditus evellerem, ſolidiora humectare, ut faciliùs intrò ſubire poſſent alexipharmaca, decocto humectante refrigerante, ſolicitus fui. Hujusmodi decocta parantur ex cichoraceis, intubis, lactucis, capillaribus, & ſimilibus, juxta ægri, & partis magis læſæ conditionem, quibus ex animi ſententiâ peracta eſt cura.

Quod hîc vocamus alexipharmacum, fuit noſtrum antivenereum, quod require in noſtro *de ſecretioribus medic. præpar. & uſu.*

NOTÆ

in CAPUT LII.

(*a*) *A mille malis.* Omnia hæc ſymptomata debentur ſcorbuto, qui totius corporis ſuccos & maximè lympham ac fluidum nerveum ad coagulationem diſponere, in motu ſuo turbare & partes membranaceas ac nerveas præter naturam vellicare ſolet propter abundantiam ſalium excrementitiorum. Scorbutus quippe ſalium feraciſſimus eſt, & morbus ſaltim ſalinus; & prout illa ſalia differunt & magis vel minus volatilia vel fixa, acria, acida, differunt quoque ſymptomata & vehementia morbi ac ſtatus. Origo ſcorbuti deducenda videtur ex obſtructis glandulis & poris ſecretoriis viſcerum, quæ lymphæ depurationi & ſalium microcoſmicorum excretioni inſerviunt. Sal autem in humoribus latitans facilimè alios dulces humores ſuam in naturam tranſmutare poteſt, ſicque tota natura ſcorbuticorum ſalifica eſt.

(*b*) *Selectiſſima alexipharmaca.* Inſufficientia ad tollenda ſcorbuticorum ſymptomata ſunt edulcorantia ſeu ſalia diluentia: Appropiata magis cauſæ ſcorbuti opponi debent præſidia, talia ſunt, quæ evacuatoriorum poros recludunt & diſcraſiam acido-viſcidam expugnant, quorum ex cenſu nominatim ſunt varii generis ligna & parata ex ipſis decocta, eſſentiæ, deinde balſamica, gummea, uti reſina pini vel ejus oleum deſtillatum, gummi ammoniacum, myrrha electa, ſagapenum, hæderæ, ſuccinum, oleum ligni ſaſſafras, juniperi, & tandem volatilia, ut ſunt ſpiritus Cochleariæ, naſturtii, trifolii fibrini, ſpiritus ſalis ammoniaci, tartari, fuliginis, volatiles.

CAPUT LIII.

De contumaciſſimo ictero flavo.

Illuſtris D. Gozadinus de Gozadinis 30. annum peragens, in icterum morbum incidit, evidente cauſa prævia nulla, niſi (*a*) *ob calidius jecur*, bilem ſupra modum ingenerans, quæ è cholidocho reſiliens, & quoquoverſum in corpus ſparſa, cutem omnem defœdarat, atque in ipſo hepate, partibuſque vicinioribus ingentes obſtructiones produxerat: unde illius hypochondrii gravitas, &. tumor conſpicuus, à quo ſcirrhum citò enaſci, hydropemque certum erat, eoque magis, quòd à novimeſtri, morbum ipſum ut cunque ab aliis exhibitis exaſperatum pertuliſſet. Nec mirum, cùm ipſi (*b*) *chalybem* vulgato Pharmacopolarum more præparatum, ad complurimos dies exhibuerint. At chalybs quàm rectè exhibitus fuerit, facile eſt cognitu, ſi morbi indicationes, & medicamenti vires aliquantulum examinentur. Ad graviſſimum iſtud mali genus penitus removendum, Rubiæ tinctorum eſſentiam, ejuſdemque herbæ ſalem, cum conſervis roſarum, & ol. vitrioli dedimus, quibus intra viginti dies liber evaſit.

Pulvis auri diaphoretici horum omnium vices explet: ſolus febrem quoque, ſi quæ adſit, tollit. Specificum item ſtomachicum idem præſtat; imò & omnium feliciſſimè.

NOTÆ

in CAPUT LIII.

(*a*) *Ob calidius jecur.* Veterum fuit hypotheſis, in ictero calidum peccare jecur, quod bilem copioſiorem gignens, illam, dum à ciſtide expurgare totam nequeat, effundere in ſanguinem. At verò potius in temperies ſanguinis viſcoſa & acida hoc in morbo peccat, qua ductus minimi glanduloſi hepatis & biliarii oſtructi bilis ſecretionem ſupprimunt. Succum autem melancolicum in ſanguine exundare, colligi poteſt ex ſymptomatibus; corpora namque ictericorum vix ſudant, plurigine plerumque tentantur, & quaſi ſuſcepto onere ingraveſcentia torpeſcunt, mens ſenſuſque hebeſcunt, & variis laceſſuntur imaginibus. Urinæ craſſeſcunt atque rubent, adeò ut & probè nigreſcant. Dextro hypochondrio gravitatis quidam ſenſus ineſt, & nonnunquam obſtructiones jecoris, ſcirrhum renitentem ac prædurum ingenerant, qui non modo contumaciam morbi, verum etiam quandoque hydropem parit.

( ) *Chalybem.* Martialia prudenter exhibita ictericos perfectè ſanare apta ſunt, ſi nimirum 1. in forma liquida offeruntur, 2. cum amaris vel volatilibus miſceri debent, & 3. motus quantum poſſibile poſt illorum uſum imperandus eſt: Exitioſa autem ſunt & damnum inferunt ſicca & accido tacta, ſæpius conſtringentem magis quam aperientem vim edentia ſine ſtimulo ſalino, vel aromatico oleo corporibus oleoſis adminiſtrata. Hoc pacto enim dolores & anxietates præcordiorum augere & graviores obſtructiones efficere ſolent.

CAPUT LIV.

De prava tentigine inveterata.

Nobilis Dominus Guido Amorinus, triginta annos natus, ψώρα, Latinis prava tentigine, ita acerbè (*a*) *per ſexennium* divexabatur, ut, quamvis complures Medicos quotannis conſuluiſſet, atque medicamenta varia expertus eſſet, ne minimum quidem levaminis perſenſerit. Quidam ex his morbum à latente lue ortum ducere rati, decoctum guajaci, & ſalſæ malè ipſi præſcripſerant; alii in ſolius jecoris calidam intemperiem malum rejicientes, ſuccos cichoraceos; ſerum lactis, & ſimilia imperabant. Sed incaſſum omnia, etſi ad unguem præſcripta ſervaret. (*b*) *Auri tandem diaphoretici uſu* citò convaluit.

NOTÆ

in CAPUT LIV.

(*a*) *Per ſexennium* Impetigo ſpecies malignæ ſcabiei eſt, quâ cutis craſſior, ſiccior, durior & ſerpentibus puſtulis aſperior evadit: his vehementer roditur, exeditur, paſſimque finditur, ut furfures & ſquamulæ, modo pallidæ, modo ſubnigræ ibi generentur, decidantque. Huic malo originem dat lymphæ inſignis corruptela & vappeſcentia ex glandularum vitio & obſtructione maximam partem dependens: ægre hic morbus ſaneſcit, & nullis fermè cedit remediis, quia tota lymphæ maſſa inquinata eſt; & ingens evacuatiorum corporis deſtructio, nec non glandularum oppilatiò, ad quas vix pertingere poſſunt medicaminum virtutes.

(*a*) *Auri tandem diaphoretici uſu.* Medicamenta ex vegetabilibus & animalibus ad morbi hujus radicem non facilè penetrant, dum in variis digeſtionibus, quas ſubeunt, diverſas alterationes ſuſcipiunt. Quócirca requiruntur ſubtiliora, & quæ ſalva manente textura ſua corporis penetralia tranſire poſſunt, qualia ſunt mercurialia auri connubio nobilitata. Mercurius autem quo magis eſt metalli-

cus, ſeu ab impuritatibus magis defæcatus & ſpitituoſior, hoc eminentioris virtutis exuigit medicina, quæ citra magnum incommodum & notabiliorem excretionem placidè reſolvendo ſola tranſpiratione ſub patva doſi operatur & hinc optimè arcani titulum meretur.

CAPUT LV.

De Nephritide, & aliis.

NObilis Domini Horatii de Leonoris uxor, nomine Helena, in via Sancti Donati triennii ſpatio duplex morbi genus paſſa eſt, primum nephriticum dolorem, cujus immanitate triduo divexata, cùm me accerſeret, (*a*) *hoc remedio brevi ſuſtulimus.*

℞. Lapidum lyncis, ſpongitis, judaici, & aſtacorum, an. part. æq. fiat pulvis juxta artem. Cujus bis drach. j. exhibitâ, per exiguos calculos excrevit. Alterum erat ſpaſmus φυσώδης, quo mirum in modum noctu crura atque tibiæ obſidebantur; inſultus ad horam ferè perſiſtebat. Hujus affectûs cauſa non immeritò (*b*) *prætenui vento* in nervorum ductibus contento adſcribitur, qui exſuſcitatus celeriter crus, atque tibiam pervadens, animali ſpiritui viam intercludit: Unde ad originem ſpiritûs animalis converſus ſecum rapit partes nervoſas. Ad hujuſmodi ſtatum diſcutiendum ſpecificum ſudorificum exhibuimus, cujus beneficio diſcutiuntur flatus, & aperiuntur obſerati pori.

NOTÆ

in CAPUT LV.

(*a*) *Hôc remediô brevi ſuſtulimus.* Lithontripticorum efficacia potiſſimum conſiſtit in hoc, ut ſerum ſalſum perrenales tubulos ac glandulas tranſcolent. Quodcunque itaque ſerum viſcidum fundit, & ſal acidum, ceu primum coagulationis fundamentum deſtruit, poros renum obſtructos reſerat, illud diuretici titulum meretur. Inter hæc familiam ducunt ſalia fixa & volatilia omnis generis, nitroſa & quæ ſubtiliſſimo balſamico oleo gaudent. Omnibus autem præferenda cenſeo terrea alcalina uſta, quæ acidum coagulativum iſtud principium non ſolem potentur deſtruunt, & partibus ætbereis in poris ipſorum undulantibus humorum ac ſanguinis fluxum promovent ſudoremque movent. Magnam hinc laudem merentur corallia præparata, ſive uſta, conchæ uſtæ, item lap. cancri, tinctura tartari, tinctura calcis vivæ. Pertinent huc quoque liquores ita dicti antinephritici, e. g. ex teſtis ovorum lap. lync. ſpongiæ & ſpir. ſalis parati. Acidum enim ad mixtionem horum corporum alcalinorum ſalium alcalinum mixtum evadit; unde liquores ſic ſimilem effectum edunt cum omnibus ſalibus fixis. Et hæc quoque ratio eſt, cur animalia illa quæ ſal cauſticum volatile in ſe condunt, uti ſunt millepedes, vermes majales, cantharides, tanta vi polleant ſtimulandi renum glandulas & ductus urinarios.

(*b*) *Prætenui vento.* Fallacia ſenſus eſt, potius debetur hoc phænomenon contractioni nervorum ſpaſmodicæ in partibus extremis ſuſcitatæ, & inde natæ interceptioni ſpirituum animalium. Convulſionibus & morbis aliis ſpaſmodicis ſimile quid in principio complicatur, dum tenuem ventum frigidum ab extremis per dorſum tranſire percipiunt.

CAPUT LVI.

De Chironio ulcere.

HIeronymus de Clericis Barbitonſor, 50. annos natus, non procul ab Eccleſia fratrum Servitarum, in via Majori, ulcere Chironio, amplo, profundo: calloſo, (*a*) *circa poplitem* genu dextri à multo tempore detinebatur: cui decoctum melanagogum & cholagogum ad 15. dies præſcripſimus; additis meliſſa, chamæpit. ceterach, cicerbita, & cichoraceis. Extrà ad callos ſummovendos (*b*) *unguento ex vitellis ovorum*, adjecto Saturni balſamo, cujus deſcriptionem & præparationem, unà cum aliis in lucem proferendis, in aliud tempus diſtulimus. Vide noſtrum *de ſecret. mineral. remed.*

NOTÆ

in CAPUT LVI.

(*a*) *Circa poplitem.* Ulcera quo magis occupant partes, quæ ex anguſtiſſimis tubulis conſtant, uti ſunt oſſa, cartilagines, tendines, membranæ, eò difficilius ſaneſcunt, utpote virtus medicamentorum balſamica ægrius ad has partes ſufficienti ſanguinis affluxu deſtitutas accedit. Deinde fermentum peregrinum arctiſſimis in tubulis ſtagnans aciditatem & acredinem hoſtilem promtius induit.

(*b*) *Unguento ex vitellis ovorum.* Omnia oleoſa pinguia cautiſſimè applicanda ſunt læſis partibus tendinoſis membranaceis; ſiquidem hæc ramoſa ſua textura poros anguſtos tubuloſque minimos, ex quibus hæ partes conſtructæ, obſtruunt & obviſcant, quo tranſpiratio & via humorum libera præcluditur. Gaudent hæ partes magis balſamicis temperatis, inter quæ excellit unguentum ex Gummi elemi, oleo hyperici, maſtiche, terebintina & balſamo peruviano confectum, quod etiam egregiè reſiſtit Synoviæ vulgò *Olied baſſer*, læſioni harum partium frequentius ſupervenienti.

CAPUT LVII.

De duplici tertiana.

DOminus Horatius Morellus, annos 27. natus, duplici tertianâ decumbens, ſtatim in ſui opem me accerſivit; atque pulvere noſtro antipyretico bis exhibito febris evanuit. Et ſic, quæ ſecùs in longum protrahitur febris, accommodato remedio (*a*) *brevi profligatur.* Nec mirandum, quia in aliis intra horam ad ſummum febrem ſuſtulit, ubi videlicet pertinaces non ſunt defluxiones, & ſtatim oborto malo proprium medicamentum adhibetur.

NOTÆ

in CAPUT LVII.

(*a*) *Brevi profligatur.* Niſi intermittenti ſimul juncta ſit intemperies quædam ſanguinis, ſique pabulum & fomes morboſus in inteſtinorum canali deliteſcit, unico remedio aliquot vicibus exhibito tolli poteſt paroxyſmus. Tale remedium eſt China Chinæ cum ſale abſynthii mixta additâ pauca quantitate mercurii dulcis. Communis Medicorum error eſt, febres intermittentes non protinus appropriatis tolli debere, niſi prægreſſi fuerint aliquot paroxyſmi. Salva res eſt, ſi neglectis obſtructionibus in principio ſtatim conſtringentibus motum humorum, ſicque ipſius morbi ſpiritum ſuſpendere velimus; quod ſi autem ipſam radicem morbi aggredimur, tunc tutius eſt ſtatim ipſum morbum præſcindere, in quem finem ſæpius unica doſis emetici vel ſpecifici cujuſdam nullo in ſanguine conſiſtente vitio non rarò ſufficit.

CAPUT LVIII.

De malignis & Chironiis ulceribus.

PAulus de Bobus quadragenarius, monialium Divi Joannis Baptiſtæ tunc factor, (ut vulgò loquuntur) à ſexennio maligna, & verè Chironia ulcera in tibiis acerbè patiebatur, iiſdem claudus, & guajaci, ſalſæ, & ſimilium decocti pertæſus, corallorum, & (*a*) *aliorum ſanguinem ſpecificè repurgantium remediis* eſſentificatis, ulceri-

 bus

bus extrà minimè neglectis, intra 15. dies optimè valuit.

NOTÆ

in CAPUT LVIII.

(*a*) *Sanguinem ſpecificè repurgantium remediis.* Vis depuratoria ſanguinis multis adſcribitur remediis, conſiſtit illorum virtus maximè in hoc, ut acria ſanguinis & lymphæ ſalia extricata, vel urâ ſpecifica invertant, corrigant & ad evacuationem apta reddant, ſimulque ipſa evacuatoria publica blandè ſtimulent. Inter hæc locum inveniunt præter pulveres abſorbentes correctorios præprimis decocta variis ex plantis parata, v. g. Veronica, ſcabioſa, hedera terreſtri, agrimonia, tuſſilagine, ſcordio, centaureo minori. Taliſmodi vulgari remedio plus ſæpe in deſperato ſcorbuto & mali moris ulceribus efficiunt Galenici & plebeculæ, quam magni Chymiatri panaceis ſuis, eſſentiis ac elixiriis ſuis calidis chymicis, &c. Ut inde pateat tam Galenicorum, quam chymicorum medicamentorum in arte noſtra inſignem eſſe neceſſitatem & uſum.

CAPUT LIX.

De continua febre cum calculo.

NObilis Domina Smeralda de Salimbenis, ſexagenaria, (*a*) *ardenti febre, eaque continuâ*, ad 7. dies graviſſimè conflictata, circa nonum diem urinam multam craſſam, & ſubnigram, cum calculo terete & (*b*) *oblongo*, excrevit; à qua febri & excretione, ſequenti remedio ſollicitata, libera evaſit.

℞. (*c*) *Confect. alchermes* ℥. ß. unionum præparatorum, & lapidum aſtacorum ſecundùm artem præparat. an. gr. x. parabatur bolus, qui bis in die reiterabatur.

NOTÆ

in CAPUT LIX.

(*a*) *Ardenti febre eaque continuâ.* Plethorici à ſæviſſimis lumborum doloribus non rarò ita exagitantur, & incaleſcunt cum pulſu celebri, ut medentes minus circumſpecti pro febre ardente hæc habeant ſymptomata. Tali in caſu damnum ingens afferunt omnia ſpirituoſa calida calculum pellentia, nec non ipſa balnea, quæ, ubi ſanguine copioſo ſubtili venæ confertæ ſunt, minus conveniunt; Solatium magis hic invenimus in anodynis, nitroſis, venæſectione, clyſteribus.

(*b*) *Oblongo.* Calculi prægrandis magnitudinis & nuclei inſignis quantitatem æquantes quandoque per anguſtos tranſeunt ureteres; unde etiam tam crudelis enaſcitur dolor à dilatione harum viarum maxima. Et mirandum eſt has vias adeò ſæpius dilatari, ut major digitus immitti poſſit. Videatur Riolanus *in Enchyrid. anatom Lib.II. cap.29.* Tulpius *Lib.III. cap.6.* Fernel. *Lib.VI. de partium morbis ſeu ſymptomat. cap.12.*

(*c*) *Confectio alkermes.* In calculo quandoque frenum injiciendum impetuoſo ſpirituum motui, quandoque ſi langueſcunt ſpiritus, ſtimulus addendus eſt, prout nimirum rei ratio id exigit.

CAPUT LX.

De carunculis.

DOminus Horatius de Perſidoniis, annos 40. natus, in via Sancti Iſaiæ, (*a*) *carunculam in penis* ductu jamdudum patiebatur: ea autem temporis progreſſu admodum aucta, urinarium meatum penitus occluſerat. Ideoque triduo iſchuriâ oppreſſus ad me confugit. Alvo ſtatim enemate ſolutâ, locum affectum tepenti lacte fovendum, idemque cum ſeminibus melonum ſorbendum juſſimus: quibus inflammatio ab ipſo ægro concitata (dum (*b*) *candelis cereis*, virgulis ligneis, atque filo ferreo carunculam atterere conaretur) ſedata fuit. Terebinthinam ad ℥. ß. cum pulveris betonicæ ʒ. j. poſtridiè accepit, & candelis cereis unguento peculiari illitis carunculam ſenſim ſuſtulimus. Quid ad nos, ſi quinquennio poſt, eodem affectu correptus, aliorum in manibus curandus occubuerit?

NOTÆ

in CAPUT LX.

(*a*) *Carunculam.* Familiares hæ ſunt lue Gallicâ vel gonorrhœa virulenta infectis. Oriuntur hæ ex pororum figuratione præternaturali à fermento luis maligno acri ibi ſtagnante, quam ſubſequitur depravata nutritio.

(*b*) *Candelis cereis.* Cavendum eſt ab uſu acrium; quæ conſtrictionem ſpaſmodicam inducendo, & dolores augendo iſchuriam facilius producunt. Feliciſſime extirpantur candelis cereis, unguento ſaturnino inunctis, cui adjuncta eſt particula mercurii præcipitati bene edulcorati, ſi inflammatio metuenda, fotus cum lacte & camphora prodeſt.

CAPUT LXI.

De inſigni tabe, & ventriculi frigiditate.

PErilluſtris, & Excellentiſſ. Reverendiſſ. Dominus Bartholomæus de Floravantis, utriuſque ſignaturæ Referendarius, annum 25. agens, ultra quinquennium (*a*) *graviſſimis malis exercitus*, communem medendi viam Patavii, atque hac in urbe Bononienſi ſub doctiſſimis Medicis inutiliter comprobaverat. Patiebatur autem inſignem marcorem cum febre lenta, (*b*) *ventriculi frigiditatem* incredibilem, & tantam, ut ibi concalefactum, & ferè ignitum ſilicem appoſitum continuò geſtaret. Hinc cerebri dolores, & aſſidui rugitus in hypochondriis, mira inappetentia, & concoctricis facultatis imbecillitas. Propterea ipſe triduum jejunus utplurimùm agebat, nam magis à ſumptis cibis circa ventriculum doloribus vexabatur, & ad tertium uſque diem (*c*) *ciborum* pondus & *molem* perſentiebat. Mitto capitis dolorem, cui valdè obnoxius erat, alvi ſiccitatem, & alia complura. Is tandem à tot ærumnis, & infirmitatum incurſionibus, contra omnium ſpem, pauciſſimis remediis, facillimis, & delicatiſſimis priſtinam, & fortè quàm antea firmiorem, in noſtris manibus recuperavit ſanitatem. Non remediorum quantitate, ſed eorum vi & efficacia, ægri ſanantur. Scopus fuit, concretionem lapilloſam frigidam, & marmoream diſſolvere; natura dein, regimine victûs præſcripto, reliquas intentiones abſolvit. Victus fuit omnifarius, & à conſuetudine minimè alienus. Fructus, olera, & quæ magis guſtui ariderent, modicè conceſſimus: (*d*) *moroſos illos minimè ſequuti*, qui nihil porrigere ſtudent, quod ſapiat palato. Quod ad remedia: primis diebus aurum noſtrum diaphoreticum ad aliquot hebdomadas bis in die inſtar alimenti dedimus, ut denſatam materiam faciliùs diſſolveret, eandemque foràs propulſaret. Specifico poſtea ſtomachico noſtro ad duos ferè annos uſus eſt. Vivit nunc ipſe optimâ ſanitate gaudens. Hic invidorum ilia crepent, qui contra proximi charitatem ſimilia damnant.

NOTÆ

in CAPUT LXI.

(*a*) *Graviſſimis malis.* Affectus, quo æger conflictatur, eſt

eſt hypochondriacus, qui infinita propemodum mala ſecum trahit, notat digeſtionem primarum viarum penitus deſtructam. Plurimi morbi fundamentum ſuum primis in viis habent. Eſt enim ibi quaſi via regia & confluxus peregrinorum vitioſorum humorum. Concurrunt ibi bilis, liquor ſalivalis pancreaticus; pituita inteſtinalis, variaque ingeſta, quæ ſi vitio vel eminente quadam qualitate laborant, protinus digeſtio turbatur & chylus peregrino charactere imbuitur, qui ſanguini allatus ejus motus turbat, obſtructiones efficit, quæ ſemper magnas impuritates in humoribus cauſſantur: Preſſo enim pede obſtructiones evacuatoriorum ſubſequuntur impuritates, impuritates autem dolores, ſpaſmi, febriculoſæ motiones, &c.

(*b*) *Ventriculi frigiditatem incredibilem.* In hypochondriacis tam à muco tunicis inteſtinorum inhærenti, quam à flatibus coarctantibus impeditur liberior ad has partes ſanguinis, à quo omnis calor, influxus; unde imbecillitas ventriculi non tantum à vitio ſalivæ & menſtrui gaſtrici, verum etiam à debito ſanguinis influxu ſuppreſſo originem ſuam ducit.

(*c*) *Ciborum molem ſentiebat.* Alimenta, ſi non ſufficiens & temperata quantitas liquoris gaſtrici adeſt, & calore fraudatæ primæ viæ ſunt, non ritè reſolvuntur, ſed in maſſam iners tem μόλυνσιν & liquamen oneroſum concedunt, quod gravativum dolorem inducit.

(*d*) *Moroſos illos minimè ſecuti.* Uti in republica nec nimis laxa, nec nimis ſtricta convenit diſciplina, cum alias & ſummum jus ſumma ſit injuria: ita quoque in medicina & regimine dietæ vivendi leges non gaudeant nimia laxitate, nec nimio rigore. Spectat huc *aphoriſmus* 38. *ſect.* 2. *Hippocratis.* Cibus & potus paulò deterior, ſuavior tamen, melioribus quidem, ſed inſuavioribus, eſt anteponendus. In victu multum dandum eſt conſuetudini; natura enim aſſuetis gaudet, nec temerè aliquid circa conſueta, quæ magnam vim obtinent in corpus noſtrum, immutandum.

CAPUT LXII.

De ictero, arquatóve morbo.

QUidam Latomus annorum 30. prope Divi Pauli Eccleſiam, ictero arquatove morbo à multis menſibus graviter detentus, in hydropem aſcitem incurrerat; febre lentâ etiam, & continuâ, ventriculi pravâ conſtitutione, anhelitûs difficultate, & aliis mortiferis ſymptomatis conficiebatur. Is autem pilulis noſtris helleborinis (*a*) *ter purgatus*, ſulphur hidroticum ad 10. dies ſumpſit, cujus ope hydrops, febris, icterus, cæteraque ſymptomata feliciſſimè evanuerunt, Sulphur hidroticum medicamentum eſt metallicum, inter cætera à nobis deſcripta.

NOTÆ

in CAPUT LXII.

(*a*) *Ter purgatus.* In hydrope aſcite cautè purgationes efferendæ ſunt. Locum hic habet *aphoriſmus X. ib.* 2. *Hippocr.* Si quiſpiam corpora purgare voluerit, meabilia ut reddat, neceſſe. Redditur autem corpus meabile ſive ἰτρῶν excitata naturæ vi, præparata & correcta materia, liberatis obſtructis, & poſtremò comparata corporis virium humoris educendi & medicamenti proportione: Ubicunque enim hæc fuerint, ibi feliciter ſuſcipitur purgatio, maximè in ipſo hydrope, ubi alioquin omnia vehementiora purgantia nocent, niſi prius meatus obſtructi laxiores & aperti redditi fuerint. Quando autem indicationes purgandi adſunt in hydrope, fortiter agendum, & aliquoties inſiſtendum, rectè id annotante Domino Sydenhamio *in tractatu de hydrope.*

CAPUT LXIII.

De maligna febre cum ſæviſſimis ſymptomatis.

DOmina Virginia, Domini Horatii de Perſidonis uxor, 40. annos nata, in via Sancti Iſaiæ, malignâ febre, animi deliquiis, (*a*) *nauſeâ, ventriculi dolore*, & aliis ſæviſſimis ſymptomatis impetita, alexipyreti noſtri ope, bis in die exhibiti, probè convaluit. Alexipyretum medicamentum inter medicamenta metallica à nobis reponitur.

NOTÆ

in CAPUT LXIII.

(*a*) *Ventriculi dolore.* Morbi maligni iique contagioſi circa præcordia & primas vias fomitem ut plurimum ſuum habent. Nam ſalivæ vehiculo virulenta miaſmata ad ventriculum deſcendunt, ubi anxietates, nauſeam, cardialgias ſyncopticas & inflammationem ſphaceloſam, docente id ſectione, haud rarò pariunt. Quocirca prudens nonnullorum medicorum conſilium eſt, in ſuſpectis vel contagioſis locis nunquam deglutire ſalivam, ſed continuò illam excernere, quo infectio avertatur. Ex quo patet, leniora emetica, alexipharmaco juncta, vel ſi hæc contraindicuntur, ſalivam moventia, inter initia morbi laudatiſſimam locare operam. Novi Archiatrum feliciſſimum, qui in omnium malignorum principio ſulphur antimonii mitigatum, quod pro panacea à *Glaubero* venditatur, refracta doſi cum pulvere bezoardico exhibet, cujus poſt uſum ſaliva bene fluit, ſubſequitur ſudor, & infenſæ ille præcordiorum anxietates præcaventur.

CAPUT LXIV.

De hemitritæo cum lienis tumore.

ADmodum nobilis Domini Alexandri de Griffonis filius, annos duodeviginti natus, exactis tribus annis: in terrificam hemitritæum incurrit. Manârat hæc febris ab (*a*) *immaturi fructûs*, principio æſtatis, immodico uſu, atque à prava victûs ratione: ut juvenibus plèrumque accidit. Aderat & antea lienis tumor ſatis inſignis, ob eandem victûs intemperiem contractus. (*b*) *Purgato primùm corpore*, agarico, manna, & ſyrupo roſaceo, obſtructos meatus diaphoretico noſtro pulvere aperire deinde aggreſſus ſum; quibus incunctanter adapertis, febris confeſtim evanuit. (*c*) *Subactâ* autem *febre*, lienis tumorem croco martis, & aliis diſſolventibus brevi diſſipavimus.

NOTÆ

in CAPUT LXIV.

(*a*) *Immaturi fructus.* Copia fructuum horreorum multos impuros vitioſos facilè putreſcibiles, generat ſuccos, qui prima in regione flatus, tormina, ructus, alvi fluxum, deinde ulterius obſtructiones, tumores, febrem, ſcabiem, ulcera gignunt & producunt.

(*b*) *Purgato primum corpore.* China Chinæ decantatum & revera divinum contra intermittentes præſidium eſt, præpoſtera autem applicatione modo intermittentes in continuas vel lentas vertit, modo firmando obſtructiones recidivas plenas periculi, cachexiam, icterum, hydropem gignit, quotidiana id teſtante praxi. Quod ſi autem exhibeatur, quando prima regio, quæ impuritate facile ſordeſcit, & mali fomitem præbet, prius probè expurgata fuerit, & vis morbi paululum infracta, incredibilem in fuganda febre oſtendit efficaciam.

(*c*) *Subacta febre.* Rectiſſimè notavit *divus ſenex in Aphoriſmo* 32 *lib* 4 quibus à morbo reſtitutis quippiam eſt infirmum, ibi ἀποστάσεις ſeu ſtagnationes fiunt. Quod ſi enim à magno morbo evadentes liberalius ſe potu & cibo invitent, quam exhauſti corporis ratio & vires perferre poſſint, graviores morbi ſæpe propullulant, quia tam partes fluidæ, quam ſolidæ labefactatæ ſunt; hinc ſi non accurata diæta acceſſerit, hepatis & lienis ſcirrhi, vel cephaleæ, vel foras in artubus imbecillitas, dolores & tumores fiunt. Quare ne coacervetur, pilulæ aloephanginæ, Ruffi; variaque elixiria ſtomachalia & balſamica danda & ordinanda ſunt.

CAPUT LXV.

De ſuffuſione oculorum.

JOannes, Jacobi Durelli thecarum Fabri in platea commorantis, nepos, annorum duodecim, catarractam, quam Latini ſuffuſionem nominant, quinquennium in utroque oculo tulerat. Nec capitis, nec brachii fonticuli, nec purgantia quæque, ab alio Medico per integrum ſemeſtre exhibita, quicquam profuerunt: Quinimò, cùm ad me deductus eſſet, alterantibus cephalicis, & iis, quæ ſenſim per inaſpectabiles ductus ſanguinem fuliginoſis vaporibus, & aliis impedimentis liberant, utendum potius judicavi, quàm crucibus & tormentis, quæ multi ſæpius pro veris medicamentis infeliciter experiri coguntur. Miſſis quippe cucurbitulis, phlebotomiis, ſanguiſugis, veſicatoriis, ſinapiſmis, & ſimilibus ipſo morbo gravioribus; conſervas capitales cum (*a*) *argenti arcano* ad nonnullos dies exhibuimus: extrinſecus (*b*) *vitrioli aquam* admovendo, quibus paucis omnino liber & ſanus evaſit. Quid ſit argenti arcanum, vide in noſtro *de ſecret. med. præpar.*

NOTÆ

in CAPUT LXV.

(*a*) *Argenti arcano.* Eſt vitriolum lunare ſubtiliſſimum, & ſecundùm *Monſchnyderi* proceſſum optimum, quod in morbis nervorum à tenaci vitrea pituita ortis non infimam laudem meretur, dum & incidit & educit quàm promptiſſimè coagulatos craſſos humores. Si ſolvitur in ſpiritu liliorum convallium, tranſit in liquorem limpidum lunarem nullo colore imbutum. In affectibus melancholicis maniacis non contemnendi uſus.

(*b*) *Vitrioli aquam.* Vitriolum album vel melius cyprium ad plurima oculorum vitia tollenda extrinſecè mirum commendari ſolet. Operatur hoc modo, dum fibrillas oculorum tunicas conſtituentes nimis laxas roborat & conſtringit, quo minus ſtaſis humorum circa illas fieri queat.

CAPUT LXVI.

De Iſchuria.

DOminus Julius Cæſar Mainettus quinquagenarius in via Sancti Donati, (*a*) *ἰσχουρία ab ureteribus utriſque obſtructis* graviter detinebatur, cujus in cauſa materia potiùs viſcida & craſſa deprehenſa eſt, quàm calculus. Incaſſum jam ad multas hebdomadas alterius Medici opem imploraverat. Ille autem ter & quater accepto à nobis medicamine ex tribus animalibus probè convaluit. Hujus remedii deſcriptionem aliis etiam alibi annectemus. Quære in noſtro *ſuprà citato* iſtud remedii genus, cum aliis præſtantiſſimis.

NOTÆ

in CAPUT LXVI.

(*a*) *Iſchuria ab ureteribus utſrique obſtructis.* Non ſemper in urinæ ſuppreſſione uterque renum vel ureterum obſtructione laborat; ſed ſaltim unicus ſufficit, qui ſi obſtructus eſt, ſpaſmo & alterum afficiens urinæ fluxum cohibere poteſt. Riolanus *Lib. II. anthropogr. cap.* 26. ſcribit, non ſemel ſe obſervaſſe, uno rene obſtructo, alterum inutilem reddi, propriaque actione deſtitutum urinæ fluxum intercipere. Sic quoque dominus Marchette *in Anatomia cap. V.* affirmat: læſo uno rene, ut alter officium præſtet, vix contingere poteſt, propter mutuum inter ſe conſenſum, affectus enim unius alteri facilè communicatur. Contingit hoc indubiè à ſpaſmodica criſpatura fibrarum muſculoſarum, quibus ureteres conſtant. Proſunt tali in caſu antiſpaſmodica, ſuccinata, caſtorina & oleoſa demulcentia. Si in rene obſtructio hæret circa ureterum capita à calculis grandiuſculis, ſal ſuccini admirabile diureticum cum tartari arcano egregio reſolvente mixtum omne abſolvit punctum.

CAPUT LXVII.

De duplici tertiana, & immodico ſanguinis fluxu.

PErilluſtris Domina Iſabella Vizana, prope Divi Sebaſtiani Eccleſiam, duplici tertiana laborans, brevi auro noſtro eſſenſificato libera, & immunis extitit. Eidem Dominæ, (*a*) *immodico ſanguinis fluxu* è naribus affectæ, & quaſi confectæ, poſt varia uſualia remedia appoſita, tandem (*b*) *frontali* ex croco martis, bolo armeno, opio, & roſaceo oleo, temporibus admoto, deferbuit ſanguis, & feliciter convaluit.

NOTÆ

in CAPUT LXVII.

(*a*) *Immodico ſanguinis fluxu.* Nimiæ hæmorrhagiæ utplurimum contumaciores ſolent reddere morbos. Oriuntur ab incaleſcentia nimia motuque inteſtino ſanguinis adaucto, ejuſque impedita propter ſpaſmum per ſubſtantiam partium poroſam & venas circulatione. Omnia hinc, quæ compeſcunt ſanguinis æſtum, & volatilitatem bilis infringunt, internè & exrernè proficua ſunt.

(*b*) *Frontali.* Quæcunque capitis ex febre dolorem ſedant, qualia ſunt ex roſis parata, acetum roſaceum, camphora, nitrum, opium, illa etiam in nimiis hæmorrhagiis proficiunt: non fronti modo & temporibus, ſed collo quoque tutò applicantur.

CAPUT LXVIII.

De inveterata lue venerea.

DOminus Vincentius Nelli, Magni Ducis Etruriæ gemmarius, annorum quinquaginta, in domo Domini Petronii de Nigris hoſpitio exceptus, à duobus annis præduros tophos cum ſæviſſimis capitis & articulorum doloribus acerbè patiebatur. Patavii primùm tanti affectus curationem non ſine fructu, ſed imperfectè, ſub doctiſſimis Medicis tentavit. Extremam verò ſanitatis perfectionem adepturus Florentiæ, agyrtam quendam conſuluit, qui eum (*a*) *cinnabari ſuffumigiis* ad aliquot dies exercens, loco promiſſæ ſanitatis, malum duplo deterius reddidit, eumque eò adduxit, ut continuâ febre, membrorum tremore, & anhelitus difficultate, ac fœtore concitatis, extremum halitum emiſſurus videretur.

Tot malis ſuperandis decoctum humectans, alimentoſum ſimul, & alexiterium primis diebus ſumpſit. Febre aliquantulum propulſatâ, & viribus paulò vegetioribus antidotum antivenereum noſtrum exhibuimus. Quibus rebus intra 40. dies priſtinam, perfectiſſimamque recuperavit ſanitatem. Antidotum antivenereum noſtrum habetur pariter ubi ſuprà notavimus.

NOTÆ

in CAPUT LXVIII.

(*a*) *Cinnabari ſuffumigiis.* Equidem verum luis alexipharmacum

pharmacum conſtituunt mercurialia cautè adhibita, magnam autem perniciem parant ejus effluvia ſeu ſuffitus illis, qui imbecillos nervos habent. Compertum eſt, quam gravia incommoda fabri aurarii à ſolius hydrargyri vapore ſentiant: frequentes ipſis ſunt ſudores frigidi, lypothymiæ, laſſitudines, tremores, de quibus vid. *Ephemerides Germanorum Dec. I. anno I. obſ.* 181. Welſchius *in curationibus pag* 140. Schenckius *in obſ. pag.* 88. *Act. Anglicana* 1665. *Menſe April. pag.* 18. Fernelius *de luis vener. curatione.* Mercurius enim tàm gravitate, quàm tenuitate partium ſuâ anguſtiſſimos nervorum fibrillarum tubulos nimis aperit, laxat, ut ſic pituiroſi humores ibi facilè decumbant, obſtructiones, rheumatiſmos, lymphæ effuſiones, paralyſes, tremores, debilitates efficiant.

CAPUT LXIX.

De acerbiſſimo dolore.

DOminus Ludovicus N. ad Portam viæ Majoris, vectigalium exactor, annorum 45. in altera tibiarum acerbiſſimum, ac vehementiſſimum dolorem quinque dies tulit. Cùm autem ejuſmodi dolorem in tenui aura conſiſtere deprehendiſſemus, cucurbitulas exiguas (a) *per totam tibiam* admovendas cenſuimus: exiguis ſcarificationibus vix factis dolor penitus evanuit.

NOTÆ

in CAPUT LXIX.

(a) *Per totam tibiam.* Debetur hic dolor lymphæ ſtagnanti ſcorbuticæ corroſivæ perioſtium occupanti, quod cum eximii ſenſus ſit, facilè criſpatur, & intercepto ſic ſpirituum affluxu auræ frigidæ perceptionem efficit. Emplaſtrum mercuriale aſſociatum camphoræ & aliis volatilibus, evaporationem horum ſalium promovendo, omne curationis punctum abſolvit.

CAPUT LXX.

De pleuritide.

IDem aliàs pleuritide (a) *cum ardenti febre* detentus ſequentibus remediis probè convaluit. Primo die alvo enemate emollitâ, (b) *ſanguinem è latere affecto* detrahendum curavimus. (c) *Fotu* interim ex baccis juniperi, malva, parietaria, praſſio albo, chamomilla, meliloto, & cymino affecta pars demulcebatur.

NOTÆ

in CAPUT LXX.

(a) *Cum ardenti febre.* Febris acuta utplurimum jungitur pleuritidi, partim ob dolorem, partim ob inflammationem & circulationem tenuioris ſanguinis per partis affectæ poros anguſtiores celeriorem. Et quo acerbior dolor & gravior inflammatio, eò acutior quoque ſolet eſſe febris.

(b) *Sanguinem è latere affecto.* Venæſectio revultionis cauſſa, quæ elabentis ſanguinis in contrarium motum eſt inſtituta, evidens ſubſidium celeriter affert pleuriticis, maximè plethoricis, & ſi ampla vena finitimo loco ſecetur, ut quæ plus celerius atque potentius ab affecta ſede vacuat, & ſtaſin ac inflammationem graviorem avertit.

(c) *Fotu.* Fotus ex herbis emollientibus, carminativis, anodynis plus auxilii afferunt, quam unguenta pinguia poros inviſcantia & tranſpirationem liberam cohibentia. Adhuc autem magis commendandus eſt, dum dolor ille ortus eſt à frigore, aut à cauſſis flatulentis, quod patet, ſi vagus eſt, nec diu eadem ſede perſiſti: calore & fomentis tunc miteſcit, atque etiam ſæpius diſcutitur.

CAPUT LXXI.

De pleuritide.

NObilis adoleſcens Gaſparus Mozarellus, annos 16. natus, in via *di Val di Laoza*, pleuritide cum ardentiſſima febre vehementer cruciatus ſequentibus tutò & citò convaluit.

℞. Fol. Malvæ, parietar. violar. marrub. albi, an. m. j. florum chamæmel. melilot. an. pug. j. ſem. cumin. fœnicul. lini, an. pug. ij. Coquebantur in vino & aqua pro fotu ex veſica ſuilla adhibendo. Secunda die detractus fuit ſanguis è baſilica ejuſdem lateris, ad ℥. vij. Tertiâ die potu ſequenti (a) *purgatus.*

℞. Decoct. flor. & fruct. cord. cum ſenna q. ſ. mannæ Calabrini, ſyrup. roſ. ſol. utriuſque ℥. j. ß. miſc.

Expectoratio facilis reddebatur ſyrup. de jujubis, & liquir. penidiis, & ſacch. cand. Sequentibus verò diebus ſequentem julepum capiebat.

℞. Aquæ card. bened. ℥. vj. ſyrup. violacei ℥. j. miſce.

NOTÆ

in CAPUT LXXI.

(a) *Purgatus.* Omnibus in morbis pectoris, maximeque in illis, ubi febris aſſidua, reſpiratio difficilis, frequens atque parva, inflammatio adeſt, purgantia vel etiam laxantia internè data nocent, juxta Hippocratem *lib. de purgantibus* §. 4. ubi dixit: quicunque à febribus fortibus corripiuntur, iis medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiſerit febris. Locum magis inveniunt Clyſteres.

CAPUT LXXII.

De duplici tertiana.

IDem ſuperiori æſtate duplici tertianâ intermittente variè vexabatur. (a) *Corpore primis diebus cholagogis* perpurgato, alexipyreton noſtrum ter ſumpſit, quo confeſtim convaluit.

NOTÆ

in CAPUT LXXII.

(a) *Corpore primis diebus cholagogis.* Non omnia purgantia ægrè feliciter ſcopum ſuum attingunt. Et ſane multum intereſt, quo purganre certo in morbo uſus fueris. Non enim omne purgans æque omnibus morbis utile: Ita folia ſennæ copioſe aſſumta utut magnam quantitatem humorum educant, tamen non tantum præſtant in febribus, quantum ſalia abſterſiva exaltata ſtimulo purgantis fortioris. In frequentiſſimo habeo uſu ſal ſequens laxativum: accipe arcani duplicati, ſalis abſynthii ana grana ſex, diagrydii ſulphurati, reſinæ Galapp. Mercurii dulcis ana grana duo, olei macis guttam unam. Illud autem meretur notari circa ejus mixturam, ut mercurius dulcis non fortiter cum ſalibus teratur, ſed ſaltim leviter cum cultello miſceatur, quippe qui à ſalium arctiori connubio corroſivum induit genium, largioris ſalivationis & alvi fluxus cauſam.

CAPUT LXXIII.

De paralyſi à 15. annis inveterata.

DOminus Jacobus de Bartholis, aromatarius Poretanus, annos 40. natus, à multis annis

nis (*a*) *cruribus*, tibiis & pedibus paralyticus, & immobilis, infinita propè remedia in vanum expertus fuerat. Imò reſiccato radicali humido, decoctis exſiccantibus, & diætis attenuantibus, crura, & tibiæ veluti trunci lignei, rigida obduruerant. Cùm jam 15. annis in hoc ſtatu reperiretur, & de ſalute ne quidem cogitaret, dato ad 15. dies hellebori, & colocyntidis extracto, ſenſus & calor in cruribus & tibiis exſuſcitatur: eidem extracto auri diaphoretici grana aliquot admiſcebantur, ut eodem tempore natura morbi diuturnitate oppreſſa benignè purgaretur, & facilè inſtauraretur. Sub finem tandem vitrioli balſamum ad aliquot dies accepit. Et his gratiſſimis, deperditum ſenſum, & ambulandi uſum mirabiliter recuperavit. (*b*) *Magneſia ſaturnina*, & Luna terreſtris ſi ſudorifica reddantur, conſimiles curationes facillimè abſolvunt.

NOTÆ

in CAPUT LXXIII.

(*a*) *Cruribus*. Laborabat ante annos aliquot juvenis octodecim annorum ex panico quodam terrore paralyſi inferioris corporis ab umbilico uſque ad pedes: ſuprà umbilicum partes ſanæ, vegetæ erant, appetitus vigebat, & ſomnus placidus: Quæ conſiſtebant infra umbilicum, ſenſus ac motus omnimodo defraudatæ erant, caloré nativo tamen adhuc ſuperſtite, & conſtante nutritione. Mali ſedes in ſpinali medulla merito quærebatur. Feces & urina ſine omni ſenſu decedebant. Purgantia fortiſſima exhibita nulla tormina vel moleſtiam ullam creabant. Notabile tamen erat, cum aliquando pedes lapidibus, qui igniti erant, ex negligentia famuli valdè combureret, quod nullum ſenſum doloris, vehementem autem anxietatem pateretur. Adhibebantur generoſiſſima, ſed ſine omni effectu, ita ut poſt dimidium anni animam exſpiraret.

(*b*) *Magneſia ſaturnina*. Hæc nihil aliud eſt, quam regulus antimonii mixtus cum argento. Duo hæc decenti ignis regimine figi poſſunt in pulverem diaphoreticum aperientem magnæ efficaciæ ſub parva doſi, dum ejus vires coincidunt cum mercurio præcipitato fixo.

CAPUT LXXIV.

De icteritia flava cum multis aliis.

ALitera fila dictæ Dominæ Luciæ, annorum 18., aſſiduè icteritia flava detinebatur, idque (*a*) *à ſuppreſſis menſibus*: ventriculi & capitis dolore inde ſubſequuto.

Cùm autem triplici huic malo tertiana duplex intermitens ſuperveniſſet, pilulis noſtris catharticis univerſum corpus apprimè repurgandum cogitavimus; Quapropter ſubinde ſubſequens electuarium.

℞. Conſerv. roſar. ℥ij. Conſ. anthos, & betonic. an. ℥j. Croci Martis ℥ß: Ol. vitriol. dulcificati ℈j. Ol. cryſtalli ʒß. Miſcebantur, & capiebat ℈iij. ſingulis matutinis, quibus intra 20. dies & firmiorem, & uberiorem quàm anteà ſanitatem recuperavit: fluxere menſes, rediit nativus color, & dolores omnes evanuêre. Non raró ſpecificum ſtomachicum his omnibus præponendum, maximè ubi ventriculus eſt valdè debilis.

NOTÆ

in CAPUT LXXIV.

(*a*) *A ſuppreſſis menſibus*. Cachexia, menſes ſuppreſſi, icterus, terriana duplex ſororiantur inter ſe, eandem habent cauſſam, eundemque modum curandi requirunt. Optimus modus eſt primum ventriculum ſaturatum vitioſorum humorum colluvie deplere, poſtea jungere martialia, balſamica, eaque quæ blandam ſpirituaſcentiam ſanguini & humoribus inferunt, ac intemperiem acido viſcidam corrigunt.

CAPUT LXXV.

De lupia in capite.

FRater Vincentius Dominicanus Mutinenſis, 40. annos natus, in ſincipite ſub ſutura lambdoide tumorem inſignem de genere (*a*) *lupiarum*, ponderis ℔. ſ. à nonnuliis annis infeſtanter gerebar. In eo materia cyſtidibus complurimis, cepæ ad inſtar, ſpiſſa, alba, & ſebacea latens, foràs prodiit (tumore videlicet cauſtico adaperto.) Avulſis tandem 5. cyſtidibus, & radicibus unà cum cute exteriori epuloticis abſumptis, intra 15. dies liber evaſit. Annum nunc decimum agit à cura exacta, contra vulgi Bononienſium ſententiam, quâ putant, neminem à ſimili cura ultra annum vivere poſſe.

CAPUT LXXVI.

De lupia in vertice capitis.

QUidam textor Lucenſis, quinquagenarius, in via *del Foſſato* ſeptem annis elapſis, in vertice, ex pari tumore (excepto quòd unicâ cyſti materia coërceretur) iiſdemque mediis liberatus eſt. A præſenti cura undecimus annus agitur, & feliciter vivit.

NOTÆ

in CAPUT LXXV. & LXXVI.

(*a*) *Lupiarum*. Repeti huc poſſunt ſuperiora.

CAPUT LXXVII.

De aſthmate contumaci, & horrendo.

MArcus Antonius Graſſo in via *del Chiavadore* phrygio annos 30. natus, 4. annis à catarrho, in pectore exundante, (*a*) *præ aſthmate* vitam ſingulis momentis commutaturus videbatur. Eſulæ extractum ter exhibitum lentam craſſamque è pulmonibus materiam deturbavit, à quo ſequentes pilulas exhibuimus:

℞. Aloës ſuccotrin. ℥ß. myrrhæ, ammoniaci, an. ℥ß. Croci Orient. ℈j. Florum ſulphuris ter cum ſuo colchotar ſublim. ʒijß. cum ſyrup. è ſucco marrubiis albi fiat maſſa, cujus ʒj. ad aliquot dies ſumptâ feliciter convaluit.

Saturnina magneſia etiam vulgariter præparata hos affectus mirificè ſublevat: & licèt vomitum concitet, ea tamen non eſt formidanda.

NOTÆ

in CAPUT LXXVII.

(*a*) *Præ aſthmate*. Veriſſimè dicit *Seneca*: Omnia corporis incommoda per ſe tranſeunt aut franguntur, nullum autem moleſtius, quam aſthma. Oritur hoc malum à circulatione ſanguinis per ſubſtantiam pulmonalem liberiori impeditâ, dum veſiculæ pulmonum membranaceæ tartarea materia obſeſſæ ſunt. Opportuni huic morbo

bo eſſe ſolent, qui vitio lymphæ laborant, qui deſtillatione atque tuſſi frequenter tentantur, maximè verò ſenes & qui anguſtis ſunt pulmonibus. Malo ingraveſcente humor concreſcit tandem in veros calculos, quibus interdum diſſectos pulmones confertos deprehendimus, alioſque in his prædutos ac ſolidos, alios veteris caſei conſtantia incipientes, alios gypſeæ pituitæ duritie: Omnes quidem propria ciſte obductos. Sed etiam non ita pridem vir occurrit, qui, quoties exercitatione incaleſcit, concitata tuſſi calculos è pulmonibus edit præduros, eoſque excreat modo hordei, modo piſi magnitudine. Bona tamen is valetudine fruitur; præter quam quod paulò difficilius reſpirat & in medio thorace gravitatis cujuſdam pondus percipit. Videatur Fernelius *Lib. V. cap.* 10.

CAPUT LXXVIII.

De epilepſia.

IDem Marcus Antonius, in quoſdam terrificos inſultus, (*a*) *epilepſiæ ſpeciem* referentes, incurrerat: Cum primum morbus eum adoriretur, inſignes cordis palpitationes præſentiebat, dein oppreſſionem validam, & miram virium dejectionem; motibus quibuſdam convulſivis eadem æquè ſequentibus: tunc cogebatur propinquas ſedes accedere, aut humi ſedere. Ipſe autem ſupernè purgatus aſſumptione pilularum catholicarum cum conſervis capitalibus, vitrioli balſamo adjecto, ſanitati reſtitutus eſt. Fuit & illi adhibitum ſpecificum ſtomachicum, quo potiſſimùm ſublevatus.

NOTÆ

in CAPUT LXXVIII.

(*a*) *Epilepſiæ ſpeciem.* Epilepſia obſervatur duplex: una gravior, ubi mali ſedes eſt in ipſo cerebro, & ſeſe diffundit per totum genus nervoſum & muſculoſum & totius corporis abſoluta convulſio eſt, ubi ſpuma ſtridore quodam eliditur ab ore; altera, quæ ab extremis & inferioribus ſuſcitatur corporis partibus, ubi multo ante paroxyſmum tempore caput artuſque ingraveſcunt, & ægrotantes inſtantem paroxyſmum præſentiunt, poſſuntque impendentis repentini caſus pericula vitare, quæque levior eſt, tranſitoria magis, & ſymptoma ut plurimum affectionis hyſtericæ. Similem paroxyſmum ſemel notavi in juvene quindecim annorum, qui jam veneri, quæ juxta *Hippocratem* parva Epilepſia nuncupatur, nimium indulſit, ſæpius de die paroxyſmos patiebatur, quos antevertebat præcordiorum moleſta coarctatio, abdominis cruciatus immanes, mox derepentè quaſi attonitus corruebat, brachium ſiniſtrum contrahebatur, & facies à ſanguine ſubſiſtente tota nigricans apparebat. Curatio abſolvebatur decocto conſtante ex antiſpaſmodicis, nominatim ex viſco quercino, radice pœoniæ, herbæ betonicæ, floribus ſambuci, papaveris rheados, raſura cornu cervi, ungulâ alcis & oleo amygdalarum dulcium. Purgantia autem nec non ipſa cinnabarina affectus ferre non poterat, ſed ſymptomatum fere exacerbatio ſequebatur.

CAPUT LXXIX.

De brachio contracto.

PErilluſtris D. Marcus Antonius de Mareſcottis, annum 54. circiter agens, 8. annis proximè elapſis brachio contractus, extractum granorum acanthalidis, pulpæque (*a*) *cucurbitæ ſylveſtris* ad 15. dies accepit; cujus beneficio illic concreti humores diſſoluti, & expulſi fuêre. Pars interea extrinſecùs ſimili decocto fovebatur. ℞. Malvæ, violarum, calamenti, menthæ, camomillæ, meliloti, an. m. j. coquebatur cum pede bovino in vino & aquâ, pro fotu.

NOTÆ

in CAPUT LXXIX.

(*a*) *Cucurbitæ ſylveſtris.* Contractura brachiorum non rarò eſt ſymptomatica, & fit ex ſpaſmodica contractione inteſtinorum. Sic non ita pridem annotavi in fœmina, ſi quæ ulla, obeſa & cacochymica, dum ſumebat pulverem ex reſina Gialappæ & Tartaro vitriolato confectum, non modò vehementiſſima tormina, (dum reſina coagulata adhæſit inteſtinorum tunicis) verum etiam unius lateris paralyſin cum aphonia brachiique contractura moleſtiſſima: Curata fuit antiſpaſmodicis nervinis & oleoſis demulcentibus.

CAPUT LXXX.

De maligno, & inveterato ulcere.

DIamanta D. Hieronymi N. uxor, 35. nata, in via Nozadellæ, ulcere depaſcenti dolorifico, & horrendo, ſemeſtri toto in tibia dextra acerbè divexabatur. Aliis jam Medicorum auxiliis exercita, & fruſtrà defatigata, ſic à nobis ſanitatem conſequuta eſt. Ad 15. dies, quoad ſalſi humoris fluxus omninò excideretur, corallorum eſſentiam, quam tincturam vocant, uſurpavimus. Affectæ parti (*a*) *unguentum ex vitellis ovorum* tantùm admovebatur: quibus paucis, & facillimis citò indomitum ulcus ſuperavimus. Primis diebus purgata fuit (*b*) *decocto catholico* melanagogo, ex quo potiſſimùm emanavit ſanitas.

NOTÆ

in CAPUT LXXX.

(*a*) *Unguentum ex vitellis ovorum.* Huic junctum balſamum noſtrum antimonii cum balſamo peruviano conſtituunt excellentiſſimum unguentum vulnerarium balſamicum mundificans & repente conſolidans, non tantum in ulceribus ſordidis, ſed & in nervoſarum & tendinoſarum partium læſionibus laudantiſſimum.

(*b*) *Decocto catholico.* Quoniam ulcera impuris ſcorbuticorum corporibus familiariſſima ſunt, hinc rarius ſine internis curatio feliciter ſuſcipitur: ex his autem omnibus palmam præripiunt decocta mundificantia & depurantia, quippe quæ copioſius ſanguini ingeſta ejus intemperiem vitioſam quàm commodè corrigere valent: Parari poſſunt ex radice altheæ, enulæ, leviſtici, glyzerizæ, herbæ hepaticæ nobilis, agrimoniæ, veronicæ, ſcordii, malvæ, floribus ſambuci, papaveris rhœados, raſura ligni ſaſſafras, ſaſſaparillæ, rhabarbaro Alexandrino, polypodio, ficubus, &c.

CAPUT LXXXI.

De ardenti febre.

ILluſtris admodum D. Sfortia de Mareſcottis, 30. circiter annos natus, malignâ febre, cauſo dictâ, cum exanthematibus nigris, linguæ nigredine, acerbiſſimis tum capitis, tum univerſi corporis doloribus, & aliis lethalibus ſymptomatis detinebatur. Tertio tandem die accerſitus, atque de extinguendo ejuſmodi incendio ſtatim ſollicitus, relictâ communi & tritâ viâ ad artis abditiora me contulit: adeoque victus ratione præſcriptâ, alexipyreton noſtrum quater in die debatur; cujus ope, malignitate ad cutem projectâ, ceſsârunt ſymptomata, & ſeptimâ die febris evanuit. Et quoniam ſtatim primis diebus vomitu &

 nauſeâ

premebatur, atque lienis duritiei obnoxius erat, (*a*) *vinum exhibere* minimè recuſavi, maximè aquoſum. Siquidem multæ ſunt febres, quibus vinum minimè obeſt; his præſertim, quæ in ventriculo ſedem obtinent; & eò magis, ſi tale ſit vinum quod caput minimè tentet.

NOTÆ
in CAPUT LXXXI.

(*a*) *Vinum exhibere.* Vinum ſi ullum, cordiale eſt, ſpiritus reſtaurat, & motum ſanguinis & humorum vividum inducit, & nullis in morbis, ſi tenue eſt, & moderatè ſumatur, nec inflammationes ejus uſum dehortentur, noxium. Priſci medicinæ authores rariſſime ægris vini potum prohibebant, ut bene notat Mercurialis *annotat. in V. Epidemiorum pag.* 165. Ipſe *Hippocrates* vinum aquoſum album ex uvis paſſis ad refrigerandum in febre ardenti commendat *Lib. III. de morbis pag.* 161. Refert Zacutus Luſitanus *Lib. I. prax. admirand. obſ.* 93. ſe in febre maligna, præſente ſiti intenſa cum linguæ ſiccitate & nigredine, ægro jam deſperato, vinum exhibuiſſe feliciter, ut hoc ſolo remedio reſtitutus fuerit. Plura de hac re vide *in* Bartholino *Centuria VI. hiſtor.* 7. item *Miſcellan. natur. Curioſ. Decad.* 12.

CAPUT LXXXII.
De dolore colico.

Merulinus Aurifaber, annorum 27. in via *della Maſcarella*, à 20. menſibus (*a*) *incredibili dolore* colico vexabatur. Et quidem (*b*) *circa umbilicum tumore* ſatis amplo deprehenſo, in cœco inteſtino materiam ſolidam, & in lapidem concretam judicavimus; quapropter eandem emolliendam & deturbandam ſequenti fotu imperavimus.

℞. Baccar. lauri, juniper. ſem. fœnugr. lini, an. pug. ij. herb. malvæ, praſſii albi, parietar. calament. origari puleg. menthæ, an. m. j. florum chamæm. melilot. ſtœchad. ſem. aniſi, fœnic. cumin. an. pug. j. Parabatur decoctum in ſ. q. aquæ, & vini. Sequenti manè ol. amygd. amar. ad ℥. vj. exhibuimus, quo materiam quandam lapilloſam excrevit. Secundâ die idem oleum reiteratur, à quo & ſimilis dejicitur, & dolor omnis ceſſavit. Paucis pòſt diebus, hujus modi calculoſæ concretionis ſeminariis adhuc vigentibus, rediit dolor pariter atrox & mordax. Quocirca corpus pilulis noſtris catholicis ter purgavimus, & electuarium cum acetoſo eſurino ad 15. dies exhibuimus. Et ad firmiorem ſanitatem conciliandam ſpecifico ſtomachico noſtro uſus eſt ad aliquot dies.

NOTÆ
in CAPUT LXXXII.

(*a*) *Incredibili dolore.* Dolor hic natus fuit crudeliſſimus ex calculo, qui acido exundanti & gypſeæ pituitæ, quæ duæ facilè creſcunt in lapidem, debetur, qui adhærens cellulis, quæ copiosè ibi conſpiciuntur, coli intolerabiles dolores efficit, quaſi palus infixus ſit, cum alvi & urinæ cohibitione propter majorem ſpaſmum. Fernelius *de partium morbis & ſymptomat. Lib. VI. cap.* 9. ſcribit: Craſſior pituita in cœci aut coli inteſtini cellulis diutius coërcita, nonnunquam concreſcit in calculos, quales ſæpe vidimus inſtar nucis juglandis, & in quodam magnitudine caſtaneæ quarto aut ſexto quoque die dolore nullo exturbari.

(*b*) *Circa umbilicum tumore ſatis amplo.* Definit aliquando colica in herniam umbilicalem, quia flatuum multitudo coacervata intus eſt, quæ tendit, uti etiam prægnantibus aliquando evenit.

CAPUT LXXXIII.
De inſigni dolore coſtarum.

Nobilis Dominus Hieronymus de Senſifabris, annorum 30. in via Sancti Donati, ſub mendoſis coſtis (*a*) *acerbiſſimum dolorem* bimeſtri pertulerat. Contigit hic dolor ab aliquo humore illuc appulſo. Fruſtrà autem ab alio Medico tentatis remediis, ſequenti potu concretos humores diſſolvimus, eumque ſanitati brevi reſtituimus.

℞. Rad. vincetoxici, ℥. j. ß. fol. myrrhi m. j. ſem. hyperic. rhabarb. electi, an. ʒ. j. ß. parabatur decoctum in ſ. q. aquæ communis, in cujus colatura ℥. vj. diſſolvebatur ſyrup. capill. ven. ℥. j. ß.

NOTÆ
in CAPUT LXXXIII.

(*a*) *Acerbiſſimum dolorem.* Pleuritis hæc eſt mendoſa, quando muſculos exteriores dolor occupat à ſero acri ſtagnante obſtructiones hinc ſpaſmus & flatus tendentes. Diſtinguitur hæc à pleuritide vera magnitudine febris, nam non eſt acuta, & natura ſputi, quod eſt pituitoſum, & difficultate anhelitus, quæ longè remiſſior eſt, & ipſa curâ, quæ fit diaphoreticis poros aperientibus, nec non extrinſecis emollientibus, carminativis, & evaporationem ſeri ſtagnantis promoventibus.

CAPUT LXXXIV.
De dolore capitis, brachii paralyſi, & aliis affectibus.

Illuſtris admodum Dominus Gaſparus de Pacis, annum 49. agens, multa, & graviſſima mala à nonnullis menſibus patiebatur, jam elapſi ſunt 9. anni; imprimis acutiſſimum capitis dolorem, dextri brachii paralyſin, cum febre lenta, ventriculi imbecillitate, & capitis defluxione. Quocirca conſervis primùm roborantibus, & alterantibus, corpus licuit roborare; à quibus meliuſculè habenti decoctum exſiccans ſimul & purgans viſcidos & pituitoſos humores, ad nonnullos dies dedimus, quibus priſtinam recuperavit ſanitatem. Quid ſi novennio à cura elapſo, (*a*) *ob ſummam veneris incontinentiam*, (*b*) *diabete* occubuit?

NOTÆ
in CAPUT LXXXIV.

(*a*) *Summam veneris incontinentiam.* De veneris incommodis optimè ſcribit Hippocrates *Lib. II. prædictorum pag.* 67. Uxore ſemel uſus & acrior fuerit & magis expeditus. At ſi ſæpius venerem exercuerit, durior evadet cum quodam ſqualore, corpuſque decoloratius erit & majore laſſitudine tentatum. Celſus quoque *Lib. I. cap.* 1. hanc ſententiam tulit: Concubitus neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt. Rarus corpus excitat, frequens ſolvit. Moderata igitur venus corpus agilius & ſe ipſo levius reddit, ut immoderata depravat, pigrum, languidum & effœtum efficit, vires roburque exſolvit, uno verbo, in omnibus nervorum morbis immodica venus evitanda eſt, ut pote ceu parva epilepſia non tantum debilitat, ſed & ſpiritus ad inordinatos ſubſultus ac ſpaſmodicas contractiones adſueſcit.

(*a*) *Diabete.* Diabetes notat deſtructionem vinculi, quod intercedit ſero cum ſanguine, conſervatur hoc motu conquaſſatorio, qui fit in corde arteriis & ipſa viſcerum & muſculorum poroſa ſubſtantia. Hic motus ſi ob ſpirituum inopiam langueſcit, uti fit in febribus malignis, ſerum ſeparatur à ſanguine, & per renes maxima in quantitate ſecernitur.

CAPUT LXXXV.

De duplici tertiana.

EJuſdem Illuſtris D. de Pacis uxor, nomine Junipera, annos triginta nata, ſub fine menſis Julii, quo tempore æſtuant omnia, duplici tertiana continuâ graviter correpta fuit. Hujuſmodi febris ab accenſa, & retorridâ bile oriebatur, unde graviſſima, & (*a*) *maligna ſymptomata*, & maximè ſuffocationis metus, pulmonibus catarrho exundante oppreſſis. (*b*) *Detracto ſanguine* è malleolo, ad ſanguinis fervorem compeſcendum, difflationis beneficio, ſub hora aſtrologicè explorata meliùs habere cœpit. Poſtridie cholagogum, melanagogum ex manna, rhabarbaro, ſenna, & ſyrup. roſaceo ad convenientem doſim ipſi præſcripſimus, quibus febris ad 8. dies latuit. Cùm autem iterum in eandem incidiſſet, diaphoreticum pulverem noſtrum porreximus, cujus beneficio tutò & jucundè convaluit. Cùm enim (*c*) *febres ſunt contumaces*, & vulgaribus remediis rebelles, alia prorſus inquirenda & ex alio penu, quàm è vulgari pharmacopolio, depromenda ſunt. Qui verò in rebus naturalibus tanquam noctuæ in meridiana luce cæcutiunt, hæc remedia, quia ignota, minimè probant, & tanquam iniqui judices de re non comperta & perfecta ſententiam fuerunt. Cacodæmon bono oppoſitus, humanæque ſalutis invidus, hæc nobis conatur abſcondere.

NOTÆ

in CAPUT LXXXV.

(*a*) *Maligna ſymptomata.* Intermittentibus complicantur nonnunquam ſymptomata mali moris, quæ periculum videntur minari, nimirum animi defectus, pulſus intermittens, virium proſtratio, quæ tamen, modo ritè curam inſtituas, extra periculum verſantur. Convenit tamen antifebrilibus immiſcere alexipharmaca, è quibus eminent duo excellentiſſima, ſcordium nimirum & camphora malignitate mirifice reſiſtentia.

(*b*) *Detracto ſanguine.* Largior ſanguinis miſſio contumaciam alioquin ingenerat intermittentibus, ut quæ utilem ac neceſſarium humorem detrahit relicto noxio atque impuro. Sub his enim febribus attenuata corpora utplurimum eſſe ſolent paucique ſanguinis boni. At nihilominus ſi quando febris in corpus inciderit bene carnoſum, bonique habitus cui amplæ venæ copia diſtentæ ſint & plethoræ ſpeciem exhibeant, & bilis acrius ferociat æſtate intenſiſſimâ, ob hanc febris ſymptomata graviora exiſtunt, ut capitis dolor, temporum pulſatio cum metu levis delirii, ſpiritus difficilis, ſummaque corporis jactatio; ſanguis utique ob plethoram venæſectione minuendus eſt.

(*c*) *Febres ſunt contumaces.* Quod ſi intermittentibus fomitem præbent obſtructiones & diſcraſiæ ſanguinis & humorum, diuturniores eſſe ſolent, nec facilè vulgaribus cedunt remediis. Juvant hic remedia è regno minerali petita, quæ potentius oppilationes partium reſerant, & emunctoria publica aperiunt, ut ſunt præter ſalia mercurius dulcis, mercurius diaphoreticus jovialis, regulus antimonii ſic dictus medicinalis, ſulphura antimonii correcta & mitigata, &c.

CAPUT LXXXVI.

De intolerabilibus ventriculi doloribus.

DOminus Valerius de Simoninis, 35. annos natus, in via Nozadellæ, graviſſimis malis decennio toto divexabatur. Imprimis ſingulis diebus (*a*) *manè vomitu*, in quo pituitoſa multa excernebat, angebatur. Statim à ſumpto cibo acerbos ventriculi dolores patiebatur, & ſæpius ipſum cibum præ dolore vomere cogebatur: noctes ferè omnes inſomnes tranſigebat, & multoties à ſomno expergefactus pavore, & tremore concutiebatur: unde inſignem marcorem, terreſtrem & cadaveroſum colorem contraxerat, aliis inſuper morborum, & ſymptomatum procellis jactatus. Cùm in manus meas curandus venit, in hunc modum ſanitatem conſequutus eſt. Primis diebus cacochymiæ proſpicientes, extractum melanagogum ad 15. dies adhibuimus. Corpore repurgato, ſpecifica, cephalica, betonicæ, viſci quercini, & balſami dulcis vitrioli, ad totidem dies præſtitimus; quibus gratiſſimis conſimiles affectus edomare ſemper experti ſumus. Ab hac cura quatuordecim annos vixit incolumis.

NOTÆ

in CAPUT LXXXVI.

(*a*) *Manè vomitu.* Hypochondriacis, & quorum prima regio exundat vitioſa impuriorum humorum collectione ex prava ventriculi digeſtione, familiare hoc ſymptoma eſt, viam ſternens ad marcorem & diſpoſitionem hecticam, niſi maturius ſuccurras medicamentis balſamicis ſtomachicis, robur ac tonum ventriculo roborantibus. Acidi ſpiritus hic non accommodati ſunt, niſi dulcificati & ſpiritu maſtiches, menthæ, quæ ſpecifica in vomitu ſunt, remixti. Cauſſa mali eſt maximè acidum fixum fibras ventriculi vellicans, dum evaporata chyli dulciore ac blandiore parte particulæ fixiores viſcidiores acidæ in plicis ventriculi remanent. Inſuetos & alias ſanâ ac integra fruentes valetudine ſi ſubinde hæc ventriculi mala exercent, quæ ab Autore recenſita ſunt, calculus utplurimum ſubeſt in renali regione conſiſtens & viam per anguſtos ureteres moliens. Incaſſum tunc dantur omnia ſtomachica. Conducunt magis balnea emollientia & nervina.

CAPUT LXXXVII.

De hydrope aſcite.

IDem Dominus Valerius de Simoninis, 5. annis ab hac cura elapſis, in hydropem aſcitem cum lenta febre graviſſimè inciderat. Succedebat autem hic affectus ardenti malignæque febri; cui ut occurreret, alter Medicus (*a*) *lactis ſerum*, & ſuccum chichoraceum ad aliquot dies exhibebat. At quia hypochondria murmurabant, & lenta febris aderat, contra *Hippoc. Aph.* apertè agebatur, prout eventus facilè comprobavit.

Quare accerſitus, non frigida, cruda, & humida, ſed calida, coctu facilia, & actu ſicca exhibuimus, quibus etiam perbellè ſe habuit, & valetudinem priſtinam recepit. Quinquennio ab hac cura in terrificam epilepſiam incurrit, quâ è vivis ſublatus fuit. Hoc dictum ſit propter quoſdam perfidos calumniatores, qui ſuâ viperinâ linguâ Dei opera inceſſanter conſpurgant.

NOTÆ

in CAPUT LXXXVII.

(*a*) *Lactis ſerum.* In omni febris ardore congrua potulenta conceſſa non nocent, ſed magis ſunt neceſſaria, æſtum nimium exſtinguunt, & ad ſudorem diſponunt, vireſque collapſas reſtituunt. Ipſe Hippocrates *de morbis vulgaribus Lib. I.* Item in *lib. de ratione victus in morb. acutis*: in febribus ardentibus ægro quantum volet aquæ concedit, eamque exhiberi in morbis acutis teſtatur. *Lib. quoque IV. Epidemiorum* febribus acutis frigidam conſulit, & timidam medicorum cautionem aquæ potu ægris interdicentium his verbis arguit: Ἐν τούτοιν ὀξέσι πυρετοῖσι διψάδεις ὑπὸ ἰητρῶν

πεπιεσμένοι τῷ ποτῷ, ἢ καὶ ὑπὸ σφῶν αὐτῶν, δοκέοισι πολὺ ἦν ἐκπίνειν. ὕδωρ ψυχρὸν δοτὲον ἵνα ἀπιμίσῃ ὠφελεῖ. χολώδεα γὰρ πάρεσται. Quæ omnia intelligenda ſunt de uſu humidorum congruo & moderato, alias nimium perfrigerantia magna incommoda create poſſunt. Extat hanc in rem elegans locus apud Alpinum *in Lib. de Medicina Ægypt. pag.3.* Contra medicinæ dogmata fieri exiſtimo in febribus, abſque ullo delectu valde frigidis medicamentis ſemper uti, maximèque in iis, quæ ex humorum putredine oriuntur: nihil enim frigidorum remediorum uſus, quantum ad febrium cauſſas, quæ ſunt obſtructiones meatuum, venarum vel aliarum partium, ſpectat, aliquid prodeſſe, & multum obeſſe poteſt. Cum à frigiditate humorum cruditas, atque obſtructio augeantur, maximè vero quando pituitoſi ſucci ſunt obſtructionis autores. Tales enim humores ab uſu frigidorum incrudeſcunt, & craſſi fiunt magis, & ipſorum copia, ventriculo frigidiore atque ad concoquendum ineptiore ab eiſdem effecto, peraugetur. Potus in febribus optimus eſt decoctum ſcorzoneræ, vel cornu cervi mixtum cum parte vini diluti & momento nitri.

CAPUT LXXXVIII.

De contractura brachii cum ulceribus.

DOminus Horatius de Lojanis, laneæ mercaturæ incumbens, 35. annos natus, altero brachiorum contractus erat, (*a*) *propter malignum herpetem* exedentem, & dolorificum, poplitem circumcirca obſidentem, cum ulceribus calloſis, rotundis, & pro ratione partis altè defixis, cui opitulando (*b*) *totum annum in remediis ordinariis* impenderat: Cæterùm ipſe toto reliquo corpore ſatis rectè valebat, nec adverſâ valetudine antea affectus fuerat. Quapropter ejuſmodi ulcerum cauſam in ſalſum humorem, illic vel congeſtum, vel illapſum rejici, utroque modo non erat inconveniens. Ipſe autem cùm ſit & in (*c*) *victu intemperans*, & naturâ ſanguineus, (quæ proprietates ad humorum congeſtionem, & defluxionem aptæ) eodem tempore intrà, & extrà pharmaca exhibuimus: intrà, decoctum melanagogum, & phlegmagogum atque exſiccans, ex epithymo, cuſcuta, hermodactylis, aro, agarico, carthamo, cichoraceis, intubis, ſalſâ, & aliis: extrà, ut facilius calli ſummoverentur, citra recidivæ metum, utque mundificari, ac ad cicatricem perduci poſſent, unguentum deterſivum, & incarnativum admovimus; quibus paucis, & facillimis ægrum canonicè perſanavimus.

NOTÆ in CAPUT LXXXVIII.

(*a*) *Propter malignum herpetem.* Herpes eſt ardor cutem ſerpentibus minimis puſtulis exaſperans ac rodens. Ea quidem duplex; una ſimplex, quæ herpes eſt miliaris; alia fera, quæ herpes exedens nuncupatur, quæ ruptis puſtulis cutem exulcerat, depaſcit, ſerpit in latum atque in altum, ex eaque ulcuſcula manent arida. Herpetis materia continenſque cauſſa eſt ſal acre corroſivum ardentiſſimum, quod tenuitate ſua carnoſas partes tranſgreditur, & in cute denſiore ſubſiſtit, ubi inflammationem puſtulaſque movet. Idem ſal nervorum ingrediens poros ſpaſmum & interceptionem ſpirituum animalium cauſſatur.

(*b*) *Totum annum in remediis ordinariis.* Ulcera in partibus nerveis membranaceis & cardilagineis oborta difficillimè ſaneſcunt: nam quoniam partes hæ anguſtis tubulis conſtant, per quos liquor alibilis temperatus nullo ſale volatili vel oleo imbutus tranſit; hinc facilem ſtaſin & acorem concipit; ſecus fit in partibus carneis & ſanguineis, quibus ob præſentiam ſalis volatilis oleoſi, quod corruptionis cuſtos eſt, difficillime inducitur acor, quare ulcera hiſce in locis conſiſtentia facilius ſanationem ſuſcipiunt.

(*c*) *Victu intemperans.* Quotieſcunque in diæta peccatur, ſtatim pœnam luunt ipſæ partes ulceroſæ, nihil autem magis infenſum eſt, quam acidum, quod liberalius aſſumtum protinus percipitur in ulceribus moleſta ſenſatione. Idem contingit in illis, qui fonticulos geſtant.

CAPUT LXXXIX.

De quartana febre.

ILluſtris Domini Caſpari de Pacis filius, nomine Albertus, annorum 18. (*a*) *ſemeſtre quartanâ* cruciatus, ſequenti decocto, atque pilulis noſtris helleborinis brevi convaluit.

℞. Cortic. cappar. radic. polypod. liquirit. an. ℥ß. fol. ceterach, ſcolopend. cardui benedict. an. m. j. folior. ſennæ ʒvj. Epithym. ℥ß. aniſ. ʒij. prunorum Damaſcen. No. xx. In juſculo carnis parabatur decoctum, in cujus colaturæ ℥vj. diſſolvebatur Syr. roſ. ſolut. ℥ij. pro duabus doſibus matutinis.

Sæpius pilulæ noſtræ catholicæ conſimiles morbos ſanant: imò plerumque ipſis tantùm ſemel aſſumptis convaleſcit æger. Hoc tantùm obſervare monemus, ne (*b*) *peccantes humores* omnino crudi ſint: hinc in his, quæ aliquod coctionis rudimentum ſuſceperint, certiùs adhiberi poſſunt.

NOTÆ in CAPUT LXXXIX.

(*a*) *Semeſtre quartana.* Quartana maximè autumnalis longiſſimus eſt morbus teſtante ipſo Hippocrate *Aphor. XXV. Lib. 2.* Naſcitur utplurimum & ab infarctu viſcerum & intemperie humorum acida & viſcida. Notabile eſt Schenckium in venis quartana mortuorum fruſta alba pituitoſa reperiſſe vid. *Lib. VI. obſ. 57.* In ſanguine febricitantium minus ſalis volatilis, quam in ſano ſanguine notavit. Cl. Borrichius *in actis Haffnienſ. obſ. 67.* Totius itaque curationis cardo in eo conſiſtit, ut ſubtiliſatio, & ſpirituaſcentia humorum & totius corporis perſpiratio promoveatur, & meatus ab obſtructione liberentur. Præter medicamenta multum hic confert cœli clementia ſeu aër calidus, ſerenus, qui æthere vividiore & potentia elaſtica inſtructus celeriorem injungit humoribus motum, & perſpirationem corporis, quæ impedita febrium cauſſa, annotante id jamdudum Mercuriale *in annotat. ad Hippocrat. Libr. de arte pag. 17.* exiſtit, procurat, ut meatus ab obſtructionibus liberi evadant: ex quo jam facile conſtare exiſtimo, cur autumnus, in quo propter humidam aëris conditionem & ætheris motum languidiorem humorum motus & tranſpiratio tardior eſt, minus faveat quartanis, & uno verbo omnibus longiſſimis morbis; Nonnullis ſemeſtri tempore ad novam æſtatem, quibuſdam nono menſe ut Junio, quo, inquit doctiſſimus Holerius, ceraſa ſunt matura; unde inquit vulgò perſuaſum eſt, ea ſanare quartanas, quod tamen anni calor facit, demum ſolutiones fiunt.

(*b*) *Peccantes humores crudi ſint.* Quando crudæ aquoſæ tenues ſecedunt urinæ, & ſudor difficillime fluit cute exiſtente arida, contumaces ſolent eſſe febres; nec facilè ſolvuntur; Et tali in caſu nocent omnia evacuantia, & valet hic *aphoriſmus 22.* Hippocratis *lib.1.* concocta medicamenta purgare ac movere oportet, non cruda: Magis proſunt, ſi jam humores cocti hoc eſt ſubtiliſati, motu ſanguinis mitificati & ad temperiei mediocritatem reducti fuerint. Sique uno in morbo placide procedendum, ſanè in hoc eſt. Rectè dicebat Seneca: In morbis nihil eſt magis periculoſum, quam immatura medicina. Et Livius: Medici plus interdum quiete, quam movendo & agendo proficiunt.

CAPUT XC.

De atrociſſimo capitis dolore.

GEntilis Antonii de Santis, Fabri lignarii uxor, in via *Mira Sol grande*, annos 35. nata, à ſexennio acerbiſſimos, & funeſtiſſimos (*a*) *capitis dolores* patiebatur. Ejuſmodi autem dolores ab utero trahebant originem, & præſertim cùm ipſi menſtruales

ſtruales purgationes nonniſi inordinatæ, & decoloratæ fluerent. Dato autem ſpecifico cathartico uterino ex granis actes, radice bryoniæ, & aliis, meliuſculè habuit. Roborantibus poſtea uterinis ad aliquot dies exhibitis omninò convaluit.

NOTÆ

in CAPUT XC.

(*a*) *Capitis dolores.* Dolor capitis à circulatione ſanguinis per anguſtas capitis venas impedita utplurimum fit, hinc diſtendens ſanguis arterias comprimit pericranium, membranam eximii ſenſus; unde dolor & à diſtenſione etiam pulſatio. Extat de hac re locus notabilis *in* Hippocrate *lib de flatibus*, dum dicit: Capitis dolores una cum febre hanc ob cauſſam oriuntur; ſanguinis in capite viis anguſtia contingit, cum aëre replentur, cæque repletæ ac diſtentæ capiti dolorem afferunt: Sanguis enim vi pulſus, cum calidus exiſtat, per anguſtam viam tranſire celeriter nequit, quod eum multa remorentur, quæ impediunt & obſtruunt: eamque ob cauſſam pulſationes circa tempora contingunt. Optimum ad capitis dolorem remedium eſt, ſi à plethora & impetu ſanguinis vena ſecetur & alvus clyſtere aperiatur, extrinſecè ſacculus ex roſis, ſerpillo, anetho, nucleis perſicorum, ſemine papaveris & aceto madefactus fronti temporibuſque imponatur. Si ille dolor eſt ab alio morbo, nimirum ex menſibus ſuppreſſis, hi in ordinem redigendi ſunt.

CAPUT XCI.

De tribus graviſſimis morbis, duplici tertiana, arthritide, & ſtrumis.

ADmodum Reverendus P. D. Placidus Padiglius Neapolitanus, in Eccleſia Divi Stephani concionator egregius, annos 27. natus, triplici morborum genere detinebatur. Imprimis duplici tertiana intermittente, articulorum genuum dolore, cum tumore, & ambulandi impotentiâ, ac (*a*) *tumoribus frigidis in collo* obortis. Graviſſima hæc mala ſemeſtri toto, aliis etiam Medicis invitis, acerbè pertulerat; non enim per id temporis ex eorum (*b*) *remediis, ad nauſeam uſque adhibitis*, quicquam opis reportare licuit. Tria iſthæc mala, toto cœlo diverſa, triplici itidem medio brevi funditùs extirpavimus. Febris primùm alexipyreto noſtro facilè evanuit. Genuum tumor, dolor & imbecillitas decocto chinæ, viſci quercini, ivæ arthreticæ, granorum acanthalidis, liquiritiæ, & coriandrorum ad 15. dies ſumpto, feliciſſimè obliterata fuerunt. Frigidi tumores ſupererant, quos ad ſuppurationem primùm, communi poſtea ulcerum methodo, ad perfectam curationem citò reduximus. Aguntur nunc 9. anni à cura, & optimâ firmaque ſanitate gaudet.

NOTÆ

in CAPUT XCI.

(*a*) *Tumoribus frigidis in collo.* Strumæ glandularum tumores ſunt frigidi, propriis membranis, ut glandulæ omnes, obvoluti: Oriuntur in cervice, in qua plerumque longa ſeriæ diſpoſitæ glandularum more cernuntur. Si illarum humor non admodum craſſus eſt, ſenſim digeri diſſipariqué, vel etiam in abſceſſum mutari poteſt: Si autem nimis duræ ſunt, & materia acrior tandem evadens, circumſitam carnem cutemque exedit, ulcuſque efficit malignum ſerpens & exedens.

(*b*) *Remediis ad nauſeam uſque adhibitis.* Peccant mirum in praxi Medici, quod copia ac varietate medicamentorum miſeros ægrotantes ſubinde torqueant ac vexent, ſique unum auxilium non prodeſt, ſtatim ad aliud & fortius accedunt, ignari, quantum turbetur ventriculi actio & vires corporis convellantur. Scitè ſcribit Verulamius: Varietas medicamentorum eſt ignorantiæ filia. Non raro etiam contingit ipſos ægrotos pharmacomania quaſi laborare, dum vivere ſe non poſſe imaginantur, niſi continuò hauriant medicamina. Medicus tunc omnem lapidem movere debet, ut à nimio medicamentorum uſu illos avocet, ſi feliciter ſuccedere debet curatio.

CAPUT XCII.

De herpete maligno, atque contractura.

DOminus Hippolitus de Gratiolis, ſericeus mercator, annorum 35. in via vulgò *del Chiavadore*, decennio elapſo, ſæviſſimis doloribus ferè occumbebat, ob ferinum ulcus in altera tibiarum à duobus anteactis annis obortum, cum brachii ejuſdem lateris contractione, febre lenta, univerſali macie, cachexia, vigiliis, & aliis pravis ſymptomatis. Hujus ulceris atque brachii contracturæ cauſa, ſalſa, & acris defluxio fuit, (*a*) *à qua poſtea febris*, & alia ſymptomata dimanabant. Huic (*b*) *primùm occurrendo*, cholagogum cephalicum præbuimus: Dein extracta ſalſæ, chinæ, & (*b*) *hujuſmodi diaphoreticorum* bis in die ſumebat. Tandem ad capitis, & ventriculi robur, ſaccharum metallinum per intervalla dabatur: quibus paucis omnes indicationes & ſcopos, tutò, citò, & jucundè conſequuti ſumus. Extrinſecùs ſolo unguento ex vitellis ovorum contenti. Primis diebus, ad doloris vehementiam ſummovendam, oleum ſaturni, ſub finem autem, tantillum croci martis uſurpavimus. Sic qui biennio, & ultrà plurium Medicorum opem fruſtrà comprobârat, intra paucos dies priſtinæ ſanitati reſtituitur.

NOTÆ

in CAPUT XCII.

(*a*) *A qua poſtea febris.* Spicula lymphæ rigidiora & acutiora magno impetu in membranarum ſenſoriique fibrillas inſultant, & ſpiritus incolentes concitatius movent, ex quorum motu vehementiori increſcit motus partium fluidarum inteſtinus, & turbatio maſſæ ſanguinis tam in mixtura ſua, quàm in motu circulari, unde febres, vigiliæ, marcor corporis, &c.

(*b*) *Primum occurrendo.* Quando atrox dolor omnia conturbat, & vires ac corpus frangit, ejus mitigationi quantum poſſibile incumbat medicus, ante quam radicem mali aggrediatur: Cui ſcopo jam accommodatiſſima ſunt opiata ritè correcta, quæ medicorum ſæpius ſacra ſunt anchora. Optimus modus opium corrigendi eſt per volatilia, ſudorifera, nec non per ipſa purgantia, ſic opium in ſpiritu cornu cervi, vinoſo, qui ſale volatili probe eſſentificatus eſt, ſolutum, vel in ipſa tinctura antimonii tartariſata (quæ *Tackenii* fuit medicina) conſtituit medicamentum, quod divinam medentibus certis in morbis porrigit manum. Solida in forma omnibus præferendæ pilulæ ſic dictæ *Wildeganſii*, vel theriaca cœleſtis Dolore ſopito in momento quaſi conquieſcere ſolent cuncta horrenda ſymptomata.

(*c*) *Hujuſmodi diaphoreticorum* Salium morboſorum congruum evacuatorium præbet cutis, quæ inſtructa glandulis copioſiſſimis & vaſculis filtrat & ſeparat ab ipſo ſanguine per arteriolas adducto ſeroſitates ſalinas, quæ vel ſub forma vaporum, vel humoris ab intrinſeco calore & motu foras propelluntur. Quocirca ſalinos morbos optimè ſanat, qui non tantum ſalia illa peregrina diluendo & inviſcando manſuefacit & corrigit, verum etiam qui ſanguinem ad peripheriam movendo obſtructos meatus aperit & per illos evacuat. Laudem hic merentur decocta & infuſa herbarum emollientium & abſtergentium, decoctum radicis chinæ, ſaſſafras, infuſum veronicæ, hederæ terreſtris, Thee, &c.

CAPUT XCIII.

De tabe inſigni, cum febre.

PErilluſtris Dominus Joannes Baptiſta de Scala, Sancti Stephani eques, 20. tunc ſuæ ætatis annum agens, annis jam 7. elapſis in hecticam ſecundariam, ſecundi gradus, (*a*) *poſt ardentem febrem*, per 15. dies continuam, inciderat, eamque hecticam ſemeſtre pertulerat. Quam primis diebus tertianam duplicem fuiſſe, & per habitudinem in hecticam degeneraſſe comperimus. Toto ſemeſtri illo jecur & lien immensè creverant, unde morbi fomes: eoque magis, quòd acceſſionibus incaleſcerent. Is ſceletos, ac univerſali macie ſupra modum abſumptus; ad me tanquam ad triarios ſalutis extremum repoſcens adducitur. Primo die cùm ventriculum nauſeabundum, tum remediorum copiâ, tum morbi diuturnitate, adeò malè affectum deprehendiſſemus, (*b*) *ſatius arcanis*, quàm cæteris remediorum formulis uti exiſtimavimus, diætam apprimè immutando; & (*c*) *nonnulla guſtui grata*, atque conſopitum calorem irritantia præſcripſimus, Galeni in morem, qui garum, piper, & ſimilia ſuis infirmis aliquando concedebat. Remedium autem fuit ad fabæ magnitudinem, ex granis IV. auri eſſenſificati, cum conſ. violarum ʒ. j.

NOTÆ

in CAPUT XCIII.

(*a*) *Poſt ardentem febrem.* Familiare eſt poſt febrem non modo intermittentem, verum & ardentem, ſi æger regimen diaphoreticum neglexerit, & exhauſto corpore ac viribus fractis victus rationem non habuerit, contingere lentas, quæ naſcuntur ex ſaburra vitioſorum humorum collecta in primis viis, & ſenſim cum chylo in ſanguinem irrumpente, ejuſque mixturam ac motum turbante. In principio hic morbus facilioris eſt curationis, in progreſſu neutiquam: Non autem pugnandum acidis refrigerantibus ſaturninis, uti vulgaris practicorum mos eſt, ſed potius lenioribus emeticis in forma liquida ſubminiſtratis tanquam vecte expellenda eſt viſcida virore utplurimum tincta colluvies, non obſtante aphoriſmo Hippocratis *VIII. Lib.* 4. Tabidi vitent purgationes ſurſum. Subjungenda his ſunt Elixiria ſtomachica balſamica, nec non ſalia abſterſiva: Hac via ſi non inter initia ſtatim proceſſeris, calamitoſum & funeſtum erit malum.

(*b*) *Satius arcanis.* Dominus A. videtur nimis fidere ſuis arcanis, dum paſſim etiam ſubjectis tenerrimis & ſummæ debilitatis illa offert ex regno metallico deſumpta, quæ tamen magis validiora & robuſtiora ſubjecta bonamque ventriculi conſtitutionem deſiderant. Hoc tempore, qui panaceas & medicinas univerſales multum crepant, plerumque indocti & deceptores ſunt. Nam rectam medicamentorum applicationem vera medicorum arcana ſtatuenda eſſe exiſtimo.

(*c*) *Nonnulla guſtui grata.* In libro περιπατῶν præcipit Hippocrates cibos & potus optatos ægris concedi, modo ex his detrimentum non accedat corpori. Sic Galenus & vinum & fructus ægris guſtandos ſe permiſiſſe teſtatur, etiamſi naturæ morborum eam indulgentiam vetarent.

CAPUT XCIV.

De prava ventriculi conſtitutione.

ADmodum nobilis Domina Semidea Poggi de Zeris, prope Divum Dominicum à multis annis pravam ventriculi conſtitutionem, frigidam & humidam, patiebatur, (*a*) *propter quam* in graviſſimos morbos ſæpè incurrebat: quæ pulvere noſtro ſtomachico ad complures dies exhibito, meliùs habuit, & acuti morbi, quibus quotannis invadebatur, unaque dolores abdominis familiares prorſus evanuere.

NOTÆ

in CAPUT XCIV.

(*a*) *Propter quam.* Morborum myridias ex ventriculi & primæ digeſtionis vitio propullulant. Verus canon medicus eſt: Vitium primæ digeſtionis non benè corrigitur in ſecunda, qualis enim cibus, talis chylus; qualis chylus, talis ſanguis & lympha, qualis lympha & ſanguis, tales ſunt ſpiritus, & quales ſpiritus, talis vita & ſanitas. Et per circulum iterum argumentari ſic licet: quales ſpiritus, lympha & ſanguis, talis digeſtio & actio ventriculi & per conſequens chylus. Scitè huc applicari poteſt, quod ſcribit Hippocrar. *in principio Libri de locis in homine*: Nullum corporis eſt principium, ſed omnes partes ex æquo & principium & finis eſſe videntur. Deſcripto namque circulo, principium non invenitur. Eademque ratio membrorum in toto corpore. Unaquæque corporis pars altera alteri, cum hinc vel illinc perruperit, ſtatim morbum facit, venter capiti, & caput carnibus ac ventri, & reliquæ omnes eadem ratione, quemadmodum venter capiti & caput carnibus ac ventri. Multum hinc intereſt, ut in omnibus morbis ventriculi rationem habeat medicus adjuvando ejus digeſtionem & chyli ſpirituaſcentiam, ſic magnis etiam aliàs inſanabilibus languoribus ſuccurrere & obviam ire licet, chylus enim correctus ſucceſſivè corrigit intemperiem ſanguinis, hæc autem vitia viſcerum: hunc in finem impenſe mihi laudandum venit Elixir quod voco balſamicum, nec non ſpiritus oleoſus volatilis aromaticus.

CAPUT XCV.

De continua ardentique febre.

DOmina Julia Jacobi Riarii piſcatoris uxor, in via *del Pradello*, quadragenaria tunc, (*a*) *præpinguis & obeſa* ſupra modum, ſuperioribus annis in ardentiſſimam febrem eamque continuam, de his, quas bilioſas appellant, cum anhelitus difficultate, capitis dolore, ſiti, anorexiâ, inediâ, linguæ & faucium aſperitate, atque ſimilibus, immaniter incurrit. Orta eſt hæc febris vigente caniculâ, quibus temporibus, teſtante Hippocrate, ſimiles morbi oriri ſolent, dum ait: ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι πυρετοὶ ὀξέες γίνονται Ipſa, (*b*) *rimis diebus*, aptis remediis perpurgata, ἀλεξυπυρετὸν noſtrum ter accepit, quo libera evaſit.

NOTÆ

in CAPUT XCV.

(*a*) *Præpinguis & obeſa.* Veriſſimum eſt elogium Hippocratis: Craſſi admodum ſecundum naturam magis cito moriuntur, quam graciles, vid. *aphoriſm.* 44. *l.* 2. Habitus enim corporis magnas habent opportunitates vel difficultates curandi. Qui obeſi ſunt, venas utplurimum habent anguſtas, humores autem copioſos, qui tardius propter tonum partium laxiorem & ſpirituum debilitatem circulatione & motu evolvuntur, uno, verbo: corpora habent imperſpirabilia, quæ impuritatibus aquoſo-oleoſo-ſalinis copioſius repleta ſunt. Quare obſervamus in praxi, obeſos acutis morbis citius affici & difficilius curari ipſis gracilibus. Celſus *Lib. II. cap.* I. hæc prodidit: Obeſi plerumque acutis morbis & difficultate ſpirandi ſtrangulantur, quod in corpore tenuiore vix evenit. Graciles enim corpus habent περιπατῶν ac perſpirabile.

(*b*) *Primis diebus.* Inter initia acutarum febrium primam regionem expurgantia blandiora citra magnum tumultum & violentiam egregiam locant opem. Dum dempta humorum imputorum copia reliqui facilius circulantur & medicamentorum etiam vis magis ſalva non labefactata ad ſanguinem pertingere poteſt.

CAP. XCVI.

CAPUT XCVI.

De catarrho, auditu deperdito, & aliis graviſſimis.

ADmodum Rever. P. F. Petrus Martyr Lucatellus, vir præſtantiſſimus, & literis nemini ſecundus, Sacræ Theologiæ magiſter, & Dominicanæ familiæ Bononienſi in Academia Regens, triplici, graviſſimorum affectuum genere divexatus, quinque Medicorum hujus civitatis curam quadrimeſtri fruſtrà tentaverat. Horum affectuum primarius fuit crebra capitis defluxio, quæ in fauces & (*a*) *pulmones irruens*, tuſſim continuam, ſpirandi difficultatem, & amygdaloidibus, larynge, & œſophago tumefactis, loquendi impotentiam concitabat. Secundus erat aurium tinnitus, & auditus fere amiſſus. Tertius, febris lenta & continua, cum inſigni virium dejectione. Primis diebus, ut defluxioni occurrerent celeberrimi illi Medici, corpus totum potionibus, & catapotiis non ſemel repurgârunt, ac ſanguinem è brachio ad libram detraxerunt, hyeme licèt ſæviente: quæ cùm nihil opis attuliſſent, novâ purgatione reiteratâ, venas ſublinguales tundendas imperant, è quibus item altera lib. ſanguinis fluxit; cucurbitulæ etiam in nucha & ſcapulis cum ſcarificationibus affixæ; item è ſalvatella non parum ſanguinis detractum fuit, & hæc omnia incaſſum. Morbo nihilominùs pertinaci, ac viribus ſummoperè fractis, in manus meas curandum ſe recepit. Ad tot mala debellanda tres indicationes nobis propoſuimus. Primam, ut efferatos humores ſurſum ſublatos (*b*) *ad inferiores partes* deturbaremus, quod præſtitit blanda, mitis, & continua purgatio. Secundam, ut vires diu morbo & remediis attenuatas ſublevaremus, in quo diaphoretico auro noſtro feliciter ad ſolitum uſi ſumus. Tertiam, ut febris, aliaque inde orta ſymptomata citò oppugnarentur, & natura in ſuum ſtatum reſtitueretur, alexipyreto noſtro, corall. eſſentiâ, aliiſque propriis remediis aggreſſi, ſicque menſis ſpatio unius hominem integræ reſtituimus ſanitati.

NOTÆ

in CAPUT XCVI.

(*a*) *In pulmones irruens.* Subjectis teneerioribus hypochondriacis, quorum vaſa turgent & impuris humoribus tranſpirationis viæ præcluſæ ſunt, contingunt non raro copioſæ ſtagnationes ſeri & effuſiones quaſi in fauces, aſperam arteriam, & quidem certo ac ſtato tempore, dum lymphæ forſan ob ſpaſmodicam quandam contractionem per has partes liberum iter ac circulus impeditur.

(*b*) *Ad inferiores partes.* Optimum conſilium practicum eſt, quando natura conſueſcit certo ac ſtato quaſi tempore excernere per partes ſuperiores humorum copiam, ut naturam à motu & impetu conſueto quaſi avocemus, invitando illum humorum impetum ad alias & quidem inferiores partes, quod A. optimè præſtitit blanda, miti & continua apertione. Nos tali in caſu, ubi ἀῤῥόος ruit quaſi lympha ad fauces, pediluvia fida & experta deprehendimus.

CAPUT XCVII.

De paralyſi, hydrope, & aliis.

SUperat omnem fidem cura, quam paucis menſibus exactis in Domino Julio Spinula, in via lata D. Dominici, moliti ſumus. Is enim à quindecim menſibus in lecto immobilis, & planè veluti truncus ligneus jacebat, dextroque brachio (*a*) *paralyticus*: inde ſequebatur mentis torpor, & depravata ratiocinatio. Cæterùm hydropicus conſummatus, & omni ſpe deſtitutus: abdomine videlicet (*b*) *leucophlegmatiâ* diſtento, veluti ſcroto; cruribus & tibiis pari materiâ turgidis. Curationis difficultas ab ætate pendebat, quia tres annos ſupra ſexaginta habebat; imò & impoſſibilis credebatur duobus præſertim Medicis fruſtrà jam ad id adhibitis. Hi graviſſimi affectus à leviſſimis quidem initiis exordia traxerunt; cœpit enim dolor ſatis obſcurus genua & pedes obſidere, qui tractu temporis exaſperatus, & remediis, ut purgationibus, decoctis, & juſculis alterantibus, & ſanguinis miſſionibus inaniter factis, febrem, paralyſim, & ſenſim hydropem ſecum accerſivit. Tot verò morbis contrarias indicationes habentibus auxilium laturi, ab hydrope, cæteris non neglectis, per præfatum ſulphur noſtrum hydroticum curationem exorſi ſumus, cujus beneficio abdomen, & crura detumuerunt, febris evanuit, & paralyſis partis ſublata eſt. Ejus enim ea vis eſt & energia, ut fluxiones omnes ſiſtat; univerſalia, & particularia corporis emunctoria in ſuum officium deducat; inſuper viſcera principaliora roboret, cor exhilaret, & jecur, ac lienem mundet. Corpus tamen aliquando purgavimus pilulis catholicis, & in potu uſus eſt ligno ſaſſafras, & ſic intra menſem feliciſſimè convaluit.

NOTÆ

in CAPUT XCVII.

(*a*) *Paralyticus.* Cachectici, quorum venæ humoribus impuris pituitoſis redundant, facilè paralytici fieri poſſunt; introducto nimirum motu violento per febrem, calida acria, purgantia, exercitationem corporis fortiorem, affectus animi, in humores, & repreſſis quaſi ipſis ſuccis impuris à partibus exterioribus motu compreſſis in vaſa interiora, pori arteriolarum capitis nimis aperiuntur, & ad ſpinalem medullam & nervorum origines facilè demittuntur, ubi reſtitantes ſpiritus expanſivus ſua vi, robur partibus afferentibus, intercipiunt, & manuum ad motum actiones debilitant. Optimè de hac re philoſophatur ſapientiſſimus medicinæ parens *de morbo ſacro pag. m.* 89. Aër, inquit, qui ad venas pervenit, cerebrum ſubigens ad ventriculum accedit, ſicque intelligentiam & motionem membris præbet. Quare, ubi pituita è venis aërem excluſerit, eumque minimè admiſerit, vocis defectum & minimè intelligentem hominem efficiunt. Manus autem ad motionem impotentes redduntur & contrahuntur, ſanguine conquieſcente, neque, ut conſuevit, diffuſo.

(*b*) *Leucophlegmatia.* Paralyticæ partes facile in tumorem attolluntur, dum ſanguis per has tardius evolvitur & circulatur, uti benè in ſuperiori loco citato monet Hippocrates. Spiritus namque animales, qui nervos ac fibras muſculoſas vigorant ac animant, non ſolum ad motiones arbitrarias & voluntarias, verum etiam ad automanicas naturales & ſanguinis ac humorum circulum contribuunt, dum partes denſæ ac vi elaſtica ſpirituum inſtructæ renitentia ſua ad retrogreſſum ſanguinis concurrunt; Videmus hinc ſæpius partes paralyticas, tumidas, calore deſtitutas, vel etiam marcore confectas, propter deficientem ſanguinis motum ad vaſcula extrema capillaria.

CAPUT XCVIII.

De morbo venereo.

MOrbi venerei, quem Neapolitanum Galli vocant, Itali Gallicum, curationum myriades deſcribere poſſemus, ob ingentem afflictorum concurſum, à decennio aſſiduè habitum. Ægrorum tamen

tamen nominibus parcentes, & brevitati ſtudentes, pauca memoratu digniora paucis contrahenda duximus. Cùm autem hic affectus plerumque ſe prodat ulceribus in obſcœnis partibus, ano, & pene, cum fœda ſcabie, & prurigine, ſuſpicari quis poſſet, num ſit illa antiqua plaga legis, inobedientibus comminata: *Jatheca adonai biſchei in mitzeraim vuahepolim vuagarau vuetharem aſcer lothocal leherape*, *&c.* Percutiat te Deus ulcere Ægypti, & partem illam, per quam egeruntur ſtercora, ſcabie quoque, & prurigine, &c. & paulò poſt ſubdens: *Vacalim raiim*, & infirmitates peſſimas, & perpetuas addat. Nec inconſonum: nam dira hæc lues in ſcortorum flagellum à Deo immiſſa, ut planè certum eſt, in quibus perpetuari aliquando cernimus, cum doloribus, & ulceribus peſſimis. Quicquid ſit, merceſne ex India, an aliud mali genus, novum an recens, parum refert, dum ejus curationem aſſequamur. Eam verò aſſequimur remediis opportunè adhibitis; hæc autem opportunitas, methodo exactâ, (*a*) *à ſubjectorum ægrotantium* cognitione elicitâ, comparatur: quæ quidem cognitio, temperamenti calidi, vel frigidi collatione ſolùm minimè perficitur; verùm & quibus morbis ſit æger obnoxius, & ſi alio quopiam detineatur affectu, maximi faciendum eſt: ut interim taceam Aſtrologicam cognitionem in chronicis morbis Medico cuivis ſummè neceſſariam. Etenim alio & alio modo curatur Jovialiſta, & Martialiſta. Hinc audiendi non ſunt temerarii illi, qui unicam medendi formulam nacti, (*b*) *omnes eodem modo curare* aggrediuntur. Sic quoſdam levi diætâ citò & tutò ſanari vidimus, alios ne diætis quidem longiſſimis, minùs unctionibus, ſuffumigiis, aliiſque crucibus in hoc malum excogitatis: Multis guajaci decoctum profuit, fuitque ſufficiens alexipharmacum: aliis ne minimum auxilii attulit: ſalſæ, chinæ, ſaſſafras decocta idem præſtiterunt: Ab unctionibus, ſuffumigiis, emplaſtris, & aliis hydrargyratis, multi loco ſanitatis mortem reportârunt: cognovimus & multos iiſdem remediis utcunque reſtitutos. Venêre & ad noſtras manus nonnulli ex his, qui hiſce planè tabefacti, & ſemimortui, quibus plus laboris fuit in ſummovendis morbis ab his veneficis genitis, quàm in ipſo morbo ſuperando. Nuperrimè quidam lue venereâ infectus, ex conſilio alicujus Medici, ligni decoctum aſſumpſit; at is, quia jam dudum (*c*) *ſcirrhum in hepate* contraxerat, facilè in hydropem incidit. Hic quidem erat quinquagenarius, temperamento frigido & ſicco, Saturnicus, dixiſſes remedium appoſitè datum. Contraria contrariorum ſunt remedia; veruntamen remediorum qualitates non ſunt ſemper ſolæ aſſumendæ, ſed cum his actiones apprimè conſiderandæ. Hic inſuper catarrhum in pectus exundantem patiebatur, cum frigida ventriculi conſtitutione. Eum verò hac methodo ſanitati reſtituimus. Victum imprimis calidum & ſiccum imperavimus. Ad hydropem arcendum ſulphur noſtrum, ad aliquot dies, cum tantillo antivenerei noſtri, bis in die dedimus, cujus beneficio pedes, crura, & venter brevi detumuerunt, & ſcirrhoſa durities diſcuſſa eſt. Pulmones autem aſſiduâ fluxione vexatos, decocto alexiterio & exſiccante, cum lacte ſulphuris in priſtinum reduximus: ſic paucis & citra moleſtiam probè convaluit. Annis tribus elapſis, cuidam mulieri gonorrhœâ laboranti ligni guajaci decoctum pariter malè exhibitum fuit: ob id XL. diebus, quibus aſſumpſit dictum decoctum, vix expletis, ecce derepente necroſis genitalia & anum invadens, cum ardenti febre. Miſella de novo morbo Medicum objurgat, ſanitatemque ſibi reſtitui eundem vehementer obteſtatur: At ille errorem non in medicamentum parum cautè exhibitum, ſed in victum ab ea commiſſum rejiciens, aſtantibus eam brevi fato ceſſuram ſignificat. Advocati, licèt morbum veterum ſanctionibus deploratum inveniamus, ubi præſertim ignis, & ferrum: ſuas vires exercere nequeunt, remediis tamen veteribus incognitis inſtructi, majora ipſis præſtare valemus. Necroſim itaque acetò minerali, incendium videlicet extinguente, & mortuum à vivo ſeparante, ſuſtulimus. Ulcus profundum & ſordidum remanens, unguento ex vitellis ovorum cum calcinato majore mundificavimus, idemque ulcus more aliorum ulcerum ad ſanitatem perduximus. Intus ad ardorem febrilem compeſcendum, antipyreton ad tres dies dedimus. Antivenereo demum in ſanitatis ſummum reſtituta fuit. De argento vivo nobis recens eſt exemplum. Quidam mercator nomine Claudius *le Peſcheur*, quinquies per quinque annos hydrargyrii unctiones in Regno Neapolitano ſine auxilio, & toties cum magno vitæ ſuæ diſcrimine, fruſtrà expertus erat. Tentavit autem iſtud remedii genus, eo quòd ter ligni guajaci decoctum, cum diætis 45. dierum, incaſſum aſſumpſerat. Cùm venit ad noſtras manus, nonniſi ſceletos apparebat, aſſiduis doloribus vexatus, præ quorum immanitate noctes inſomnes perpetuò tranſigebat: mitto febrem lentam, quâ continuè conficiebatur, tophos cum gummis in capite, fronte, & tibiis, anhelitus difficultatem, & alia. Eum porrò ſanavimus decocto humectante & refrigerante, cum aliquot guttulis ol. ſulphuris, & auri diaphoretici granis nonnullis (*b*) *Prægnantes* non paucas antivenereo noſtro perſanatas, ſine fœtus incommodo, itidem recenſerem, nî famæ jactura, & brevitas, cui potiſſimùm ſtudemus, nos remorarentur. Pueros lactentes unà & nutrices pariter ab hac lue incolumes ſervavimus. Familias quoque integras cum pueris lactentibus, & paulò grandioribus; Patres, Matres, famulas etiam, citra viciniæ notitiam, & negotiorum incommodum, eodem ſervatas continuò habemus, cujus rei laus ſit Omnipotenti Deo.

NOTÆ

in CAPUT XCVIII.

(*a*) *A ſubjectorum ægrotantium cognitione.* Qui mederi aptè vult languoribus corporis, non tantum in genere cognitionem corporis humani ſecundum naturam morborumque indolem, genium, mores, cauſſaſque ex principiis anatomico-mechanico-medicis, verum in ſpecie naturam individui morbo laborantis cognitam ac perſpectam habere debet ex ætate, humorum temperie, habitu corporis, victu, excretis, conſuetudine, morbis familiaribus, ratione victus & motibus naturæ conſuetis; ſic feliciter prognoſin inſtituere, & curam ac conſilia cum emolumento dirigere, & medicamenta ad ægri ſalutem propinare poterit. Sapienter ſcribit Foëſius *in comment. ad* Hippocrat. *Libr. de morb. vulg.* Cauſſæ morbi inveſtigatio ejuſque primordia & occaſio in affectionis & remediorum cognitionem deducunt ampliſſimam. Et hanc ob rationem Hiſtoriarum medicarum ſcriptores ante omnia id ſibi faciendum obſervare debent, ut ægri naturam ac conditionem, corporis habitum, conſuetudines, alimentorum tranſpirationis & aliorum excretoriorum actiones, temporis circumſcriptionem & cœli temperiem, quæ definiunt certum morborum fomitem, prætexant, in quo attenti & ſeduli fuerunt omnes veteres.

(*b*) *Omnes eodem modo curare.* Medicamenta non operantur ſecundùm modum activitatis ſed receptivitatis ſuæ; hinc planè diverſus ejuſdem medicamenti pro differentia perſonatum reſultat effectus. Etenim activum quoddam

principium

principium ipſis remediis ineſt, aſt illud ratione operationis ſuæ impediri, ſuſpendi & immutari pro diverſitate ſubjectorum poſſe, teſtem cito quotidianam experientiam. Temerarii itaque ſunt illi, qui ſecretum infallibile contra certum morbum jactitant, & unicâ methodo omnes eodem morbo laborantes curare aggrediuntur. Veriſſimè ſcribit Siedenhanius *in tractat. de febribus*: Methodus curandi febres, quæ hoc tempore juvat, alio lethalis eſt.

(*c*) *Scirrhum in hepate.* In ſectis hydropicorum cadaveribus deprehenduntur utplurimum ſcirrhoſa viſcera depurationi ſanguinis & lymphæ motui & ſecretioni inſervientia. Vitium autem utplurimum eſt in hepate & glandulis meſeraicis, utpote quæ lympham in vaſis ſuis ibi copioſiſſimè exiſtentem motu tenſivo omnibus viſceribus communi, diſpenſant & circulum ejus promovent. Quod ſi autem hæ partes quoad minimos tubulos primum infarctæ, deinde ſpaſmodica contractione affectæ poriſque ac tubulis magis conſtrictis duræ evadunt, omnem lymphæ tranſitum, ſecretionem & motum impediunt; unde hydrops oritur. Omnia calida acria, dum ſerum magis abſumunt, obſtructiones adaugent, & majorem conſtrictionem ac duritiem viſceribusconciliant, hinc in hydrope & ejus principio vitanda ſunt, maximè in perſonis ſiccioribus. Quæ aliàs Dominus A. circa abuſum ligni guajaci propoſuit, notatu digna videntur.

(*d*) *Prægnantes.* Ipſe aliquando prægnantem luis Gallicæ ſymptomatibus & maximè ulceribus in faucibus malignis correptam feliciſſimè reſtitui, quamvis ipſa imprægnatio me latuerit; præmiſsâ nimirum purgatione ex rhabarbaro & mercurio dulci, nec non venæſectione, mercurium noſtrum ſolarem cum pauca quantitate theriacæ & roſarum conſerva ad aliquot ſeptimanas propinavi, conceſſo ſimul decocto tenuiori lignorum & diæta accuratiori præſcripta, ſic ſecundante gratia divina citra ullum notabilem ſalivæ fluxum aliaque incommoda, ulcera illa ſanata fuerunt: dolores acerbiſſimi pedum & capitis nocte ingraveſcentes extincti ſunt, & feliciſſime ægra reſtituta. Mercurius hic ſolaris tali modo exhibitus tutiſſimum eſt remedium, ſæpius citra ſalivationem operatur & ipſis infantibus tenerrimis lue hac infectis citra omne periculum & moleſtiorem ſalivæ fluxionem exhibui, illoſque intra menſis ſpatium feliciter ſanavi. In impuris autem & ſcorbuticis ſubjectis identidem & alvi fluxum ſatis largum quandoque provitat.

CAPUT XCIX.

De deplorato eryſipelatis genere, in facie à medelis malè adhibitis contracto.

Domina Julia Piſana, nobilis Veneta, Florentiâ Bononiam venit, ut rubori cuidam permoleſto in vultu jamdudum oborto mederetur. Medicum ſenem primæ notæ in civitate accerſit, qui mali cauſam in ſimplicem (*a*) *jecoris intemperiem* rejiciens, frigida & humida, tum in victu, tum in remediis imperat, ſanguinem ex utroque brachio detrahit, extrinſecùs unguenta repercutientia affectæ parti admovet. Nec propterea quicquam opis inde reportat; imò malo in deterius vergente, alterum Medicum inibi conſulit, cujus ope ad 15. dies itidem fruſtra utitur. Ejuſcemodi Medici vana cogitata ad hunc affectum compeſcendum non recenſeo, ne lectori ſtomachum efferam; hoc ſaltem connotare placet, quòd, cùm is eſſet aurâ populari impensè turgidus, exiſtimabat ſe omnes ſuæ tempeſtatis Medicos longè lateque ſuperare: ad quod fortaſſe plaudentibus manibus pervenire, haud erat ipſi difficile, ſi verbis opera fuiſſent æqualia, atque in ea Civitate artifices eo meliores comperti non fuiſſent. Taceo inſuper ejuſmodi Medici medicamentorum multiplicitatem, quibus ipſe uſus erat, in quæ ſumptus & impenſas incredibiles molita erat dicta Domina. Ea etſi præ lives, opulenta, & inclyta admodum, conquerebatur tamen, ſe pluſquam centum & quinquaginta coronatos impunè contriviſſe intra 15. dies, ejuſcemodi Medici opere, & induſtria: Nec crediddiſſem in deſtillata olea, & unguenta mirabilia, ſumptibus maximis parata, & compoſita. Ecquid vigeſies, & trigeſies in die unguenta mutabat? Accerſitus tandem mulierem invenio facie deformem, aſpectu horridam, cruſtis & inflammatione turgidam. Priores Medicos tanquam carnifices incuſat, ſemiviva, dolore & mœrore confecta, in hanc vocem prorumpit. Ego (inquit ipſa) nominis tui famâ commota, ad hanc civitatem perducta fui, ut à levi & imperceptibili malo ſublevarer: at ubi huc appuli, invidi quidam forinſecùs tuam famam auditam adeò annihilare penes me ſtuduerunt, ut mutato conſilio alium te ſeniorem, & in civitate magis venerabilem conſuluerim. Ah! præter extrinſecum apparatum, non medicum ſed teterrimum hoſtem comperi; tot & tot remedia ſemper in deterius in me præſtitit! Secundum ad me accerſiri feci, quem ipſo longè pejorem comperi, nam & in me alia primo longè ſæviora paravit. Eheu me miſeram! medicâ arte invita morior. Non pecuniis, non laboribus, non Medicorum mandatis peperci, & ecce tandem ſpiritu & vitâ plena animo deficio. Ejuſcemodi delicatulæ mulieris querelis commotus, & in Medicos conviciis, juſtè ab ea mihi enarratis, eâ quâ in proximum uti ſoleo charitate, compulſus, ſic effatus ipſi dixi: Cedo tibi, ô Domina, juſtiſſimas tuas querelas in Medicos; at animadverte Omnipotenti Deo ſic placuiſſe: quos amat, hos caſtigat: ſunt occulta, quæ, ni ſuperiori providentiâ coërceantur, longè latèque ſe propagant. Is eſt qui ducit, & reducit; eò redeunt, unde fluxerunt vitæ. Non caſu, aut fortunâ regitur orbis: rerum etiam minimarum ipſi cura eſt, nec putes ejus ſummam juſtitiam effugere. Nunc aptè ejus clementia, & miſericordia per me tibi conceditur. Etenim ab Altiſſimo jamjam mihi tuæ ſanitatis lumen affulgere ſentio: ſiquidem tui mali cognitione mihi notiſſimâ, tibi ſanitatem brevi polliceri audeo. Cæterùm nullam facies pecuniæ jacturam, non in me Medicum, non in Pharmacopolam, non in aliud quodvis remedium: Butyrum recens accipies, quod pluries lotum aqua communi pro unguento habebis, pulvere balſamico ſaturni adjecto, & hoc facto unguento ter & quater faciem illinies: ſic extrinſecus inflammatione ſublatâ, cujus cauſæ ante cedenti per ſpecificum ſtomachicum, & aurum diaphoreticum noſtrum proſpicere poſſe, haud diffido. Quod quidem facillimè præſtiti intra 7. dies ab his devoratis. Interea primis diebus ſimul cum unguento admovebantur petiæ lineæ (*b*) *collyrio* ſequenti imbutæ.

℞. Tuthiæ vulgato modo præparat. ʒ. j. Collyrii albi Rhaſis, ʒ. ß. Camphoræ ℈. j. Aquæ plantag. & roſor. an. ℥. iij Miſcebantur ſimul pro collyrio, quo frigidè die noctuque uſa eſt per tres dies: Reliquis diebus prædicto unguento. Quibus intra ſeptem dies, ut pollicitus eram, priſtinæ ſanitati reſtituta fuit.

NOTÆ

in CAPUT XCIX.

(*a*) *Jecoris intemperiem.* Nil frequentius eſt, quam quod Medici cauſſam morborum non penetrantes intemperiem viſcerum accuſent, cum tamen intemperies non cadat in partes ſolidas. Viſcerum autem debilitas conſiſtit in pororum ac tubulorum obſtructione, & illorum roboris, quod à ſufficiente & æquali ſpirituum anima-

lium elatere dependet ſecundùm naturam, deſtructione. A bile quod oriatur eriſypelas, falſiſſimum eſt. Et obſervamus illos, qui defectu bilis laborant, uti ſunt cachectici, hypochondriaci, ſcorbutici, hoc morbo lubentius infeſtari.

(*b*) *Collyrio.* In rubore faciei pruriginoſo, ardenti, dolorifico, maximè æſtate, ubi ſerum impurum, acre ſanguinis magis ſpumeſcit, electuarium purgans ex caſſia, recenter extracto ſucco roſarum ſolutivo, pulvere gialappæ & mercurio dulci paratum, ſumme erit proficuum, quo præmiſſo ſequens extrinſecus frequenter faciei applicetur: ℞. Aquæ florum ſambuci, fabarum, ſpermatis ranarum ana unciam unam. Magiſterii Wiſmuthi, saturni ana drachmam unam, eſſent. benzoes drachm. duas, ſacchari ſaturni, camphor. ana gr. decem, mercurii præcipitati albi gr. octo, olei tartari per deliquium guttas decem, quod remedium ſemper fidum ac expertiſſimum inveni.

CAPUT C.

De vulnere ſclopo illiſo, penitus deplorato.

NUperrimè, dum hæc ſcriptis mandare meditaremur, M. D. Joannes Baptiſta Bocchinus prope ædes Illuſtriſſ. D. de Bentivolis, ob vulnus in inguen ſiniſtrum ſclopo illiſum, 60. diebus ſæviſſimos dolores die noctuque immaniter pertulerat; quo tempore (*a*) *continua febris* oborta, totius corporis radicale humidum depopulata eſt: unde vulnerati femoris, & crurum mirum in modum emaciatorum carnes, in pede caloris inopiâ, in frigidum & œdematoſum tumorem verſæ ſunt. Incredibile dictu, quæ incaſſum tres alii Medici moliti fuerint remedia. Bone Deus quot fotus, litus, emplaſtra, embrocationes, balneationes in oleo communi, veſicæ ſuillæ oleo plenæ, ovorum placentæ! Et intus quot potiones laxativæ, & alterantes, catapotia, narcotica, theriaca, ſanguinis miſſiones, & alia nimis oneroſa, morbi radicem minimè attingentia! In tanta rerum anxietate, juvenem 30. annos agentem genua de ſuperiori ſolario ſuſpenſa habentem invenio. Ligaturam ſolvi jubens, ulcus frigidum, & (*b*) *ſphacelo quàm proximum*, lividum, fœtidum, & indolens detego, cum pauca ſanie, eaque incoctâ. Quibus mihi conjicere licuit, tanti doloris cauſam alios Medicos prorſus latuiſſe; nec mirum, laxantibus videl. & ſuppurantibus, putredinis fomitem eo in loco præbentibus, ab ipſis curationis initio uſurpatis. Nos autem contrà detergentibus eum ſanitati citò reſtituimus.

℞. Aſtacorum fluviat. n. 11. rad. ariſtol. rot. vincetoxici, an. p. 1. fol. vinc. perv. plantag. ſaniculæ, alchimill. an. m. 1. camomillæ cum floribus, m. ij. coquebantur in vino, & aqua. In colatura diſſolvebatur per vices ung. Ægypt. Hoc itaque decocto, putredine edomitâ, dolor confeſtim evanuit. Ad calorem tandem conſopitum & ſemimortuum revocandum ſequenti fotu uſi ſumus.

℞. Verbaſci maſc. hypericonis cum floribus ſalviæ, roriſmarini, lauri, abſinthii, verbenæ, an. m. 1. bacc. juniperi, lauri an. p. ij. parabatur decoct. in ſ. q. aquæ, & vini. Et ut ulcerata pars intrinſecum robur nanciſceretur, juſcula carnis hoc modo parata ſumebat:

℞. Rad. vincetoxici, ſalſæ parill. an. ℥. j. pimpinellæ, bugulæ, ſaniculæ, an. m. 1. coquebantur in juſculo carnis ad medietatem. Sic ſubacto dolore cæteriſque ſymptomatibus ſublatis, vulnus ſponte coaluit, extrinſecò levi adhibito.

NOTÆ

in CAPUT C.

(*a*) *Continua febris.* Vulneratis febres facillimè accidunt, & illæ dependent vel à dolore acutiſſimo, ſpaſmodico & inflammatorio, vel à ſtaſi ſanguinis, propter hæmorrhagiam violenter repreſſam ſeu cohibitam, vel ſi magna iracundia alioque affectu animi vehementiori, ebrietate inflictum vulnus fuerit, vel denique, ſi magna contuſio aut inflammatio partem, & quidem nobiliorem, ſenſibiliorem læſerit, neglecto ſemper ſex rerum non naturalium uſu. Tali in febre blandiora diaphoretica ſimulque anodyna, uti ſunt diaſcord. fracaſt. lapides cancrorum, antimon. diaphoret. nitri præparatum, & ex ſambuco parata, præſtantiſſimam opem ferunt.

(*b*) *Sphacelo jam proximum.* In ulceribus fœtidis in indolentibus, ſphacelo jam proximis fotus & cataplaſmata ex balſamicis putredini reſiſtentibus poros obſtructos reſerantia omnium optima ſunt; talia ſunt ex myrrha, aloë, floribus ſalviæ, roſmarini, ſambuci radice ariſtolochiæ rotundæ, herba ſcordii, centaurei minoris, baccis juniperi, camphorâ, vino, ſale ammoniaco vitriolo, & ſale tartari confecta. Intrinſecè omnia bezoardica diaphoretica & ſic dicta alexipharmaca appropriatiſſima ſunt, v. g. Tinctura bezoardica camphorata, ſpiritus cornu cervi ſuccinatus, ſpiritus eboris balſamicus, eſſentia ſcordii theriacalis, &c.

PETRI POTERII, INSIGNIUM CURATIONUM, ET SINGULARIUM OBSERVATIONUM *CENTURIA SECUNDA.*

CAPUT PRIMUM.

De deplorato, admirabili, & non priùs audito morbi genere, deque marcore inſigni, herpete maligno, ulceribus Chironiis, &c.

Rectè nauclerus quivis, etiam navigandi artis haud ſatis peritus, in tranquillo ponto, ventis ſilentibus, maria tranare, & ad tutiſſimum portum naves feliciter deducere novit. At æſtuante Oceano, ventis undique perflantibus, aëre, turbinibus, & procellarum furiis exagitato, idem, niſi peritiſſimus, & numeris omnibus abſolutus, numquam tutus ab eo emergit: imò navis malè hinc inde diſtracta ad ſcopulos alliditur, vel iratis undis demergitur. Sic in levi, & per ſe ſanabili morbo, Medicus quivis ægros ad optatum, & placidum ſanitatis portum reducere poterit; & contrà in graviſſimis morbis, ubi ſuſque deque omnia feruntur, & in quibus ſymptomatum, & ſignorum agmen magno impetu in nos ruit, nonniſi cordatus, & navigationis ejuſmodi expertus, mortales ab hac tempeſtate reducet incolumes.

Ecquid in hoc caſu ſimilitudinem proponere velim? velim (inquam) peritiſſimo nauclero me æquiparare: minimè gentium, non enim ejuſcemodi gloriolæ ſum valdè cupidus, neque hanc popularem auram affectare mihi eſt animus, nec item hoc præſtare aggredior, ut in æmulos maledicentiæ ſpicula retorqueam. Sed ut veritas magis atque magis eluceſcat, (Ε'λευθέρου γὰρ ἀνδρὸς τ' ἀληθῆ λέγειν) & ſimilitudo poſteris proficiat, & tandem ut tam præclari facinoris jucunda felixque memoria in ævum permaneat.

Itaque ſuperiori anno 1619. menſe Novembri, Româ Bononiam venit Perilluſt. D. Henricus de Sancto Petro. Romæ duos annos ſub cura doctiſſimorum virorum dictus Dominus varia medicamenta expertus eſt: bis ligni guajaci, & ſalſæ decoctum, cum ſtupha, atque eo in loco ubi ſudores quotidiè excitantur, cum exacto regimine, victu attenuante & exſiccante, purgationibus ſolitis, cum ſuis ſyrupis, & julepis præparantibus, & ſanguinis miſſionibus item poſtpoſitis. Nec his contentus, ad octo menſes decoctum cujuſdam aniculæ ebibit. Parabatur dictum decoctum cum (*a*) *antimonio crudo*, ſalſa, ſantalis, &c. Eodem decocto utebatur intrinſecùs, & extrinſecùs, hoc eſt, in potu, & in fotu. Verùm ut morbi hiſtoria clariùs innoteſcat, intelligendum eſt, prædictum Dominum à ſeptem annis in teterrima, dolorifica, & (*b*) *horrenda ulcera* incurriſſe; mirum dictu, quomodo juvenis annorum 27. in flore ætatis, dum ſanitatis vires maximè vigent, quando natura eſt magis vegeta, cùm flos pulchritudinis, ob eâ in ætate magis attenuatum, & defæcatum ſanguinem, conſpicitur, tam fœdo, turpi, & fœtido affectu corriperetur. Præceſſerat ejuſcemodi affectum febris continua per 14. dies vehemens, quæ non levem mortis timorem Medicis intulerat. Tunc Parmæ erat è patria exul. Ante dictum tempus circiter 8. vel 10. menſes fœda ſcabies eum vehementer invaſerat, propter quod purgationes reduplicatas ex caſſia, diacatholic. tryphera, & aliis, tum ſyrupis de roſis, violis, bizantin de epithymo, polypodio, tum ſuccis, & decoctis refrigerantibus, ex cichorio, endiv. lactuc. & aliis; phlebotomiis minimè omiſſis, ligni guajaci decoctûm præſcribunt, in quo ſcabies magis efferata redditur, contumacior, & magis pervicax. Stupet Medicus, & exactis 40. diebus, de refrigerando hepate cum ſuccis cichoraceis, ſero lactis, & ſimilibus cogitat. Executioni mandat præcepta Medici cuncta; ſed incaſſum, & morbus in dies vehementior redditur. Aër incuſatur, victus regimen ſuſpectum cenſetur, & mille aliis cogitationibus exagitatur mens Medici. In noſtris tandem manibus paucis & gratiſſimis brevi ſanatur, & curâ exactâ, ipſoque bene valente, Parmam adiit. Menſibus duobus vix elapſis, ibi graviſſimâ febre cum maximo vitæ diſcrimine acerbiſſimè conflictatus, ad 15. dies convaluit. Recuperatæ valetudini, menſe ferè exacto, ſuccedunt

ſuccedunt ulcera maligna in tibiis, & coxis, quæ mox totum corpus occupârunt, citra febrem, aut aliud pravum ſymptoma. Medici inibi malum ad calidam jecoris intemperiem rejicientes, contraria ipſi præſcribunt; quæ remedia, ut communia & omnibus nota, lubens prætereo: ſuas quoque potiones, purgantes, phlebotomias, lotiones, balnea, unguenta, frictiones, & ſimilia. Seſquianno toto intereà fruſtrà elapſo, Bononiam ad proprios lares rediit, atque tunc quatuor Medicorum conſilio, ſi non feliciter, ſaltem creduliter, ejus ſanitas concreditur: Interdum varias ineunt conſultationes, tribus aut quatuor aliis Medicis his ſuperadditis. Malo tamen ejuſcemodi Medicorum ſcientiam aſpernante, novi iterum Medici in conſilium advocantur, & ut his conſuetudo inolevit, verba pro optimis remediis in controverſiam adducuntur, quæſtiones fiunt de lana caprina, & morbus in dies efferatior redditur. Decoctum chinæ, ſalſæ, & multorum aliorum, cum diæta exſiccante & attenuante præſcribitur, non minus ſeverè, quàm inſigni gravitate, & ingenti ſtrepitu. Singula ad unguem ſervat. Præmittuntur ſolitæ purgationes, eædem & poſt diætam reiterantur. His nihilum proficientibus, nova initur conſultatio, num ad thermas Villenſes mittendus ſit: Affirmativam ſequitur, balnea adit, & (c) *thermales aquas* infeliciter bibit. En pro ſalute promiſſa, marcor inſignis, vigiliæ pertinaces, dolores in ulceribus longè acerbiores, inappetentia, & tandem cum novis malis nova emergunt ulcera! quid? demum mortuis invidet, & cuiſe devoveat, planè ignorat. Muſſitant Medici, lugent amici, incuſantur ſagæ, & malefici; morbum ſupernaturalem clamitant, ſolius Omnipotentis manum depoſcere dicunt, ferunt tandem ſe omnes Medicinæ theſauros in uſum protuliſſe, nihil quod ad artem pertineat reliquiſſe, omnes pharmacopolarum ciſtas excuſſiſſe, nulla non antiquorum dogmata protuliſſe. At æger infelix, ut dolor paululum mitior reddatur, ab his ſaltem expoſcit; at ipſi iterum ſuam hac in re produnt ignorantiam, dicunt ſe omnem moviſſe lapidem, unguenta ſuorum nuper mortuorum præceptorum haud intacta reliquiſſe, nullam anodynorum & narcoticorum claſſem omiſiſſe. Quâ denique morbi ſævitiâ & pervicaciâ, & æger, & Medici devicti, atque laboris tædio planè fracti, nec non ægri miſeriæ compatientes, nullâ ſalutis ſpe ipſis illuceſcente, ad alterum, inquiunt, Medicum tibi, ô patiens, liceat devenire, nos ipſi libenter palmam dabimus, ſi quid ſolatii tibi afferre valeat. Infeliciſſimæ affinis conditionis fratres miſerti, ſilent, & quem accerſere velit, ipſi liberum relinquunt. Tunc ab amico ipſi familiari neceſſitudine devincto adducor, atque ad eum circa tertiam horam noctis perductus patientem doloris immanitate victum, remediorum vehementiâ & pluralitate confectum, vigiliis inſuper moleſtiſſimis ob doloris vehementiam emaciatum, & plus mortuis quàm vivis ſimilem reperio. Tanti affectus vim & pertinaciam non tam extimeo, quàm medicamentorum malè peractorum virulentiam: Re tamen in animo probè expensâ, & tam horrendi, & crudelis mali naturâ cognitâ, egregium Patientem hilari fronte curandum ſuſcipio, ipſique intra horam dolorem, quo tempore cruciaretur, ſedaturum polliceor, atque ipſum totâ nocte dormiturum. Expleo omnia, pollicitationibus ſto: intra horam quievit, & dolor penitus receſſit. Manè ad eum revertor, dormientem invenio. Stupent omnes de recuperata ſanitate. Interea licèt tantum præſtitiſſem, antiquus tamen ille impoſtor Cacodæmon ſeſe opponere non negligit, & ad novas impoſturas adverſarios impellit dicentes me narcoticis venenatis dolorem ſedâſſe; ipſumque brevi rediturum, ac curam mineralibus infeliciter & empiricè ſuſcipere. Sic novum in me concitant odium, & inſidiæ undique parantur. Nihil eſt tam bonum, quod non in contrarium vertat culpa:

Sudat frigidus intuens quod odit:
Effundit mala lingua virus atrum.

His interim livore contabeſcentibus, patiens noſter intra 15. dies ad omnia quæque obeunda munia aptus redditur. Reaffulſit in eo deperdita ſalus circa Bacchanalia. Hinc mœrore depoſito, & dolorum querelis oblivioni datis gaudio incredibili ab omnibus exceptus, ad nobilium conventus, ad convivia, tripudia, & alia tempeſtati accommodata lætitiæ genera ſe contulit; quo fit ut non perfectè conſaneſcat: verùm etſi aliquot exigua ulcuſcula remaneant in tibiis, nihili facit, ſunt ſine dolore, feliciter, & hilariter vivit. Sic biennium peragit vitam, tribus ulceribus perexiguis, & indolentibus in tibiis relictis. Tunc Romam cogitans, primò Lauretum petiit, & inter Romam, & Lauretum penes Illuſtriſſ. Cardinalem Valentem in loco, qui vulgò *Trievi* dicitur, per aliquot menſes commoratur, ubi varia ad hæc tria ulcuſcula fruſtrà comprobat remedia, & præcipuè mercuriale unguentum, cujus causâ funeſto & (d) *gravi ſanguinis fluxu* corripitur. Ab eo ſanatus Romam adiit, ubi Medicos accerſit, ut de totali ejuſcemodi ulcerum curatione curam habeant: at contrarium experitur, infauſta ſunt omnia, quamvis ſingula ad Polycleti normam ſervaret. Hic biennio mille cruces, & tormenta medica ſuſcipit, circumforaneos conſulit, deliras anûs advocat, barbitonſores ſeſe offerunt, & horum omnium propoſita remedia utcunque approbat, ſed cuncta irrita & incaſſum: imò malum duplo deterius factum, in eum, quem ſuprà diximus, infeliciſſimum ſtatum recurrit. Quare Bononiam ad aërem nativum redire cogitat. Lecticâ delatus, poſt longos itineris labores domum repetiit, ac demum ſub cura mea ſanitatem intra paucos dies optimam, & firmiſſimam recuperat. Methodus, quâ his in affectibus propulſandis uſus ſum, ab Hipp. & Galeno non eſt diſſentanea, quanquam quidam medicaſtri, toto genere à vera medendi methodo alieni, contrarium clamitent; rationalis eſt, & firmiſſimis artis dogmatibus innititur. Ipſorum contraria, irrationalis, & vana, & mendax: è fructibus eorum cognoſcetis eos.

Itaque his in affectibus talis eſt noſtra methodus: Dolori, tanquam magis urgenti, balſamo mumiæ mineralis proſpeximus. Scio hoc medicamenti genus pſeudomedicis non eſſe notum; ideò ab his, tanquam ab iniquis judicibus, damnari haud poſſum. Si ſecus: quid mehercle injuſtius? rem ignotam dijudicare velle! Secundò, ut marcor, ventriculi imbecillitas, inappetentia, & cruditates ventris ſummoverentur, ſpecificum ſtomachicum ad aliquot dies dedimus. Tertiò decoctum ſeu juſculum melanagogum, aperitivum, & refrigerans ad 11. dies accepit: quibus meliùs in dies ſe habuit, & tandem è lecto erectus, ad ſolita munia, ut ſuprà diximus, rediit. Hæc fuit prima cura, antequam Romam proficiſceretur. Secunda verò & ultima Româ reverſi Bononiam ſic habet: Primis diebus, ut ulcerum dolor demulceretur, dicta ulcera prænominato balſamo replevimus: in nonnullis, ubi caro luxurians, & dura nimis creverat, æs

uſtum

uſtum præparatum admovimus. Intus accepit per 15. dies (e) *tincturam metallicam*, primum ens metall. dictam à Th. P. cum extracto bezoardico, cujus operatio fuit inſenſibilis, atque per inſenſibilem tranſpirationem corporis noxia foràs propellens. Hîc notent ſedulò, quàm à rei veritate abſint illi, qui putant nullam fieri poſſe curationem, citra alvi ſubductionem, citra phlebotomiam, & citra aliquam manifeſtam operationem. Hos ſanè ſtercorarios, non Medicos nuncupandos eſſe arbitror. Quòd ſi cum his mihi liceret per otium de ipſorum communi methodo medendi diſceptare, vellem hos Empiricis longè pejores commonſtrare, à circumforaneis, agyrtis, mimis & hiſtrionibus nihil differre. Egregia ejuſcemodi medicamenta non ubique proſtant, *in Archid.* habentur, atque in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica.*

ANNOTATIONES in CENTURIÆ II.

CAPUT I.

(a) *Antimonio crudo.* Zvvolfferus antimonium crudum nec non mercurium cum lignis aliiſque ingredientibus decoquit in aqua pro curanda lue venerea. Quamvis autem aqua deſtituta ſit ſufficienti clave reſerandi mineralium texturam, comperimur tamen experientia, illam ipſam fortiori decoctione tenuiſſimas mineralium partes in ſe recipere ac combibere: Manifeſtum hoc fit aqua, in qua ferrum candefactum extinctum fuit, quæ vim deobſtruendi & alvum ſubducendi notabilem poſſidet. Item aqua, in qua mercurius coctus fuit, quæ teſte ipſo Helmontio, & noſtro Domino Authore, vermes necandi vi pollet. Aqua quæ coquitur cum antimonio, ſulphureum quendam ſaporem & odorem præſefert, hinc nullum dubium eſt, illam quoque virtute imprægnari ſulphurea.

(b) *Horrenda ulcera.* Notatu digna eſt, quam recenſet Dn. A. hiſtoria: Eſt juvenis 27. annorum nec ſcorbuticus, nec lue venerea affectus, qui tamen deterrimis correptus fuit ulceribus. Indubiè hæc ipſa ortum ſuum duxerunt ex diſcraſia ſanguinis & humorum maximâ ſub gravioribus febrilibus paroxyſmis contracta. Laborabat ante aliquot annos juvenis viginti annorum pleuritide cum febre graviſſima, poſt cujus curationem totius corporis fermè partes occuparunt primum tumores ſatis notabiles dolorifici conjuncti cum inflammatione, quorum aliquot in pedibus abibant in ulcera peſſimi moris, quæ tamen feliciſſimè tandem ſanata fuerunt præmiſſo laxantium & edulcorantium uſu, pulvere viperino mixto cum cinnabari nativa, qui pulvis ad corrigendam ſanguinis & humorum pravitatem ſalino acrem mirificam opem affert tempeſtivè & ritè exhibitus.

(c) *Thermales aquas.* Uſus thermarum in inveteratis ulceribus non ſemper tutum exiſtit præſidium, ſed quandoque ſalia acriora reddendo & impuros hoſticos humores agitando dolores & febrem magis accendit: docente id ipſum Hildano *centuria quinta obſerv.* 90.

(d) *Gravi ſanguinis fluxu.* Globuli mercuriales ſpiculis rigidis ſalinis aſſociati corrodentem vim acquirunt: & cum ſanguine ad vaſa delati ex facili teneram illorum ſubſtantiam dilacerant & aperiunt. Sic poſt uſum turpethi mineralis fluxum hepaticum obſervavit quoque idem Hildanus *Centur.IV. obſerv.*39.

(e) *Tinctura metallica.* Primum ens metallorum *Paracelſicum* ex Regulo antimonii variis metallis aſſociato conficitur, ſi cum nitro & tartaro debitè miſcetur & calcinatur, ſpiritui vini concedit tincturam tartariſatam ſulphure metallico paululum imprægnatam, quæ non tantum inſignem vim aperitivam obtinet, ſed & præſtantiſſimum menſtruum exiſtit ad ſolvenda intimè olea deſtillata, item ad extrahendas ex corporibus reſinoſis, corticibus balſamicis laudatiſſimas eſſentias.

CAPUT II.

De rara, contumaciſſima, & ab omnibus Medicis immedicabili habitâ defluxionis ſpecie, & aliis graviſſimis morbis.

SI quâ in re, Medici probitas & ſolertia eluceſcit, non quidem in (a) *inani verborum ſtrepitu*, aut affectata quadam dicendi cupidine, minùs in comptu & decentia corporis, verùm in (b) *recta medicamentorum applicatione*, quâ ægrorum querelæ citò ſedantur. Sæpè divina ars malè (c) *apud pleroſque traducitur*, quaſi falſa præſtigiatrix ad crumenas emungendas parata, quòd mendax, labilis, & inconſtans, quòd veris careat fundamentis, quòd in ea omnia caſu, & fortunâ contingant. Hujus rei teſtis mihi hodie in mentem venit Perilluſt. D.D. Joannes Torfaninus, qui triennium graviſſimâ defluxione ſalſa & acri correptus, omnes Medicorum artes eluſerat, nam hinc inde quotquot reperirentur Medici melioris famæ, in ſui curam aſciverat. Unuſquiſque ſanitatem ipſi pollicetur; illorum præſcripta ad unguem ſervat, nec propterea quicquam auxilii ab his reportat, imò malum in dies invaleſcit. Novos atque novos prioribus addit: crebræ fiunt conſultationes, expenduntur ſingula tanto affectui neceſſaria, foris etiam ab exteris Medicis conſilium repoſcunt. Nihil prorſus intactum relinquunt, omnem ſe moviſſe lapidem putant. Bone Deus! quot potiones laxativæ! quot ſyrupi & julepi! quot pilulæ! quot phlebotomiæ! quot cucurbitulæ! quot enemata, balnea, lotiones, unctiones, frictiones, cauteria in nucha & brachiis, veſicatoria, & ſi quæ alia tormenta excogitare potuit Medicorum turba! Decoctis ſalſæ, chinæ, ligni Indici, viſci quercini, lentiſci, &c. quibus aſſiduò ferè utebatur, ſuperſedeo; nam longius foret, quàm inſtituti ratio fert, ſingula deſcribere. Sat ſi dixero, Perilluſt. Patientem eſſe ditiſſimum, & ſummè inclytum, Medicis obſequentem, & 26. annos natum, atque ſub eorum cura per tres annos ſtetiſſe.

Cùm omni ſpe ſalutis eſſet deſtitutus, & omnem artis Medicæ opem vanam & irritam exiſtimaret, pro ultimo refugio multorum precibus ad me confugit, licèt ejus voluntas aliò ferretur. Etenim convitia, quibus palam me inſequuntur æmuli, plurimum authoritatis & ponderis apud illum obtinebant, atque arbitrabatur, me cum cæteris loquacem, infidum, & falſum aſſentatorem: &, quia in deplorato caſu melius aliquando anceps, quàm nullum experiri remedium; eò magis, quòd Medicus ejus domeſticus (quem tunc tanquam alterum Apollinem venerabatur) ipſi indixerat, ſe nihil artis intactum reliquiſſe, nunc nullum eſſe locum remediis, obſtare hyemem, aſſiduis imbribus, & nivis ac glaciei rigoribus ſqualidam; ſic cunctandum, quoad ipſa pertranſierit, quo tempore ſtillicidium (*duciam* vocant) adhuc inexpertum in eo probatum iri; quod remedii genus palam fatebatur ſolum ſupereſſe opportunum, & in quo unicè ſanitatis ſpem repoſitam animadverteret; at quid? Dum adhuc procul abeſſet ver, ſole tunc ſolſtitium brumale percurrente, morbum ultrò ſævire, ac faucium ulcus palatum, & nares ipſas vaſtare, & depaſci neceſſe erat, & ante dictum tempus, egregium Patientem fatis cedere. Nec vana cogitatio,

nam eò res adducta erat, ut deglutire vix poſſet, & tantummodò potulentis nutriretur, & id magno cum labore, naribus ad hoc validè obſtructis.

Itaque ad me, tanquam ad extremum aſylum adductus, morbi hiſtoriâ nobis enarratâ, viſisque morbis & ſymptomatibus, & ipſius ægri naturâ probè exploratâ, ipſi polliceor fluxionem illam ſalſam & acrem intra quatuor dies ſiſtere, faucium dolorem temperare, ulceris malam qualitatem retundere, & cætera ſymptomata ſenſim compeſcere. Acie ergo inſtructâ adverſus tam immane monſtrum, vix quarta dies illuceſcit, & ecce truculentum hoſtem è Palladis arce dejectum. Stupet, & miratur Patiens, ſe tam brevi, & tam paucis, facillimis, & vix perceptibilibus remediis ſanitatem recuperâſſe; eoque magis quòd antea tam multis, tam laborioſis, tamque magnis ſumptibus partis remediis, ne minimum quidem levaminis reportaverat. (*d*) *Non ampliùs artem*, ſed artifices, falſitatis & ignorantiæ magiſtros incuſat: & quam hucuſque in pectore recluſam de Medicis, & eorum arte opinionem conceperat, deponit, detegit, & abjicit. Et quia primo die, antequam curam ſuſciperem, me enixè rogârat, ut ſecum blandè agerem, ſe debilem, morbi ſævitiâ & diuturnitate confectum, remediorum qualitate & multitudine excarnificatum, inſuper ſe ab aliis Medicis intellexiſſe, me ſolùm mineralibus, & hi venenatis uti, quæ etſi principio aliquod levamen ægris afferre videantur, mortem poſtmodùm ipſis brevi conciliarent. Ut hujuſmodi mendacia, turpiter & malitiosè adversùs nos conficta, à nobis eluerem, juſculo carnis in propria domo parato me ejus ſanitatem in priſtinum reſtituere aſſero, & omnia, quæcunque in ejus uſum advocarem, coquo ſuo domeſtico paranda committo.

Cuncta ad unguem ſervo. Paratur (*e*) *juſculum caponis* à coquo, idque ſorbet ad 15. dies, in quo tutam, & firmiſſimam ſanitatem manifeſtè recuperat. Fit & domi extractum liquidum in forma ſyrupi bibendum, quo utitur ad 20. dies. In hac curatione duos ſcopos nobis propoſuimus: primùm viſcera naturalia, & pravâ morbi qualitate labefactata, & medicamentorum multitudine & contrarietate malè exhibitorum fracta & dejecta reſarcire, & in integrum reſtituere. Jecur, & lien mirificè induruerant, ventriculus aſſiduâ fluxione vexatus, perperam cibos coquebat, inferiores partes naturales itidem ab officio aberrare neceſſe erat. Secundus ſcopus fuit caput exſiccare, roborare, & ad priſtinam temperiem reducere. Hos ſcopos unico illo juſculo explevi; quos firmavit ſubſequens extracti uſus. Factum fuit juſculum ex radicibus aperientibus, cortice tamariſci, chinæ pauco, ceterach, ſcolopend. piloſella, betonica, &c. Per aliquot dies adjecta fuerunt ſena, epithym. & cuſcuta. Extractum fuit ferè ex iiſdem paratum, cum vino albo, pauco ſacchari ſub finem adjecto. Hæc invidi & protervi æmuli rimentur, & contemplentur, num (ut perperam plebejis obtrudunt) iſtæc venenata ſint, aut quoquo pacto ſanitati infenſa. At *Præterita veniam dabit ignorantia culpæ.*

NOTÆ
in CAPUT II.

(*a*) *Inani verborum ſtrepitu.* Medici ſpeculativi nimis theoretici & cogitationibus ac meditationibus ſuis indulgentes citra reſpectum ad experimenta, raro ſunt boni Practici. Non enim ingenio, vel facundia, ſed remediis volunt curari morbi, quæ uti eleganter ſcribit Celſus *pag.* 11. ſi quis è linguis uſus diſcreta bene norit, hunc aliquanto majorem Medicum futurum, quam ſi ſine uſu linguam excoluerit. In omnibus enim ejuſmodi cogitationibus fermè in utramque partem diſſeri poteſt.

(*b*) *Recta medicamentorum applicatione.* Hæc præcipuum & verum Medici arcanum eſſe debet. Maximum medendi methodi momentum in hoc poſitum eſt, ut Medicus certo tempore, certa doſi accommodatum cauſſæ morbificæ morbo ſciat opponere remedium. Verſatur autem in horum applicatione maximè judicium Medici, quod eſt vera methodus medendi, quæ ex libris non addiſcitur, ſed ex univerſalibus multiplici experimento ac uſu ſtabilitis & habitu prudenter ratiocinandi acquiritur.

(*c*) *Apud pleroſque traducitur.* Multi ſunt qui artem medicam criminantur, quaſi morbis detenti, qui ex illis evaſerunt, fortunæ non artis beneficio evadant, imò ſæpius ſine ullius medici ope. Verum hiſce acutiſſimè reſpondit divinus noſter Senex in *Lib IV. de arte noſtra*, dum ita inquit: Qui etiam non adhibitis medicis ex morbis convaluerunt, ut intelligant, omninò neceſſe eſt, ſe, quod aliquid vel fecerint, vel non fecerint, idcirco ſanitatem eſſe conſecutos. Aut enim inediam, aut copioſiorem cibum & potum, aut ſitim, aut balnea, aut eorum abſtinentiam, aut labores, aut quietem, aut ſomnum, aut vigiliam, aut eorum omnium promiſcuum uſum adhibentes ſanitatem conſecuti ſunt. Quos ex eo ipſo quod utilitatem ſenſerunt, quodnam ſit, quod juvet, agnoſcere omnino neceſſe eſt, & ſi qua in re læſi ſunt, tum eos læſos eſſe, tum quidnam ſit, quod læſit. Jam vero qui inter medicos maximè celebrantur, & victus ratione & aliis etiam modis curationes faciunt, quæ non medicus modo, ſed ne plebeius quidem omninò rudis ex arte profecta eſſe negare audeat.

(*d*) *Non amplius artem.* Veriſſimè dicit Hippocrates alios medicos eſſe nomine, alios re, & uti in reliquis omnibus artibus opifices longè inter ſe tum manu, tum mente præſtant, ſic etiam in arte medica. *Videatur Lib. de Priſca Medicinæ.*

(*e*) *Juſculum caponis.* Præſtat ſemper mitiſſimè agere & blandè procedere in morbis inveteratis, & ubi à ſtatu & craſi ſua dejecta eſt tota humorum maſſa, vires collapſæ, & ventriculus imbecillis. Medicamenta temperata, balſamica, blande digeſtionem juvantia & chylum condientia hic omnibus præferenda ſunt. Ex ventriculo etenim tanquam ex fonte omne, quicquid puti, ſani ac medicamentoſi ad ſanguinem derivatur. Ante omnia itaque in morbis chronicis primarum viarum rationem habeat medicus neceſſe eſt. Optimè hinc proceſſit *Dominus A* quod juſculum roborans alimentoſum vi herbarum aperientium medicamentoſa imbutum porrigere voluerit miſero ægrotanti, juſcula v. g. ex chærefolio, acetoſa, ſpinachia, piloſella, hedera terreſtri, radic. aſparagi, ſeleri & braſſica rubra cum decocto carnis bubulæ parata, etiam incurabiles inveteratos & præpoſtero medicamentorum uſu exacerbatos mirum quantum ſæpius mitigant, ſi non penitus vincant.

CAPUT III.

De lenta febre, inſigni angore ventriculi, prava tentigine, continuis vigiliis, ſiti inexhauſta, inappetentia, &c. à 2. annis, complurimis Medicis pro incurabilibus habitis.

OMnem fidem excedit affectuum omnium vis & impetus, quibus biennio toto conflictatus fuit Illuſtris Vir, Dominus Hercules Amorinus, etiam in ipſo flore ætatis, dum vix trigeſimum annum attingeret. Inprimis inſigni ventriculi angore, quem contraxit à (*a*) *multiplicitate remediorum* perperam ipſi exhibitorum: Etenim ipſe biennio ſuperiori pravâ quadam tentigine vexatus, Medicos non paucos conſuluit, qui de more curationem per valida cathartica aggredientes, malum duplo deterius reddiderunt, ventriculo dictum angorem concitantes, cum aliis morbis, & ſymptomatibus. Cùm autem nihil levaminis ab his reportaret, imò naturâ jam remediis aſſuetâ, & reiteratis purgationibus, phlebotomiis, & aliis impunè factis fractus, quatuor alios

alios Medicos accerſivit, qui conſilio inito unanimiter ad guajaci decoctum, tanquam ad ſacram anchoram, eum relegârunt, ſicque conſuetis præparationibus, purgationibus, & phlebotomiis præmiſſis dictum decoctum ad quadraginta dies illi propinatur. At ecce quàm infeliciter, & quàm parùm appoſitè? Recrudeſcunt omnia, novus fit malorum proventus, & novos cogitur experiri morbos. Supervenit (*b*) *febris lenta*, & continua, cum veſpertinis exacerbationibus; ſitis item horrenda & inexplebilis, quâ die nocteque vinum prope lectum detinere cogebatur: vigiliæ contumaciores fiunt; inappetentia augetur, & tentigo prava & maligna exoritur. Unde per contraria procedendo, frigida & humida porrigere ſtudent, ventriculum magis lædunt, & eum ad extremum ferè præcipitant. Quo in ſtatu, ad quem confugiat, penitus ignorat; multis tamen de noſtrâ medendi methodo auditis, in noſtras manus ſe curandum tradidit. Primariis ergo affectibus initio neglectis, ſtatim in ipſo curationis limine, ab his, quæ magis urgerent, exordimur. Ventriculo quippe cum primùm proſpicientes, ſpecificum noſtrum ſtomachicum bis in die dedimus, quo confeſtim meliùs ſe habuit, tum à ventriculi dolore, tum ab aliis ſymptomatibus. Accipiebat dictum ſtomachicum cum conſerva roſarum. His ſæpe admiſcebatur portiuncula auri diaphoretici: quâ viâ omnes ſanguinis ſordes repurgavimus. In cibis capiebat (*c*) *pulverem viperarum*, & maximè in ferculis ℥. j. pro qualibet doſi. Sub fine, viribus reparatis, vigiliis, ſiti, & aliis in totum ſublatis, juſculum purgans ad octo dies ipſi conceſſimus, cujus hæc erat deſcriptio.

℞. Rad. lapath. acuti, gramin. an. ℥. j. ß. fol. cichor. taraxac. fumar. lupuli an. m. j. Epithym. ſenæ, an. ℥. j. liquirit. raſ. & cont. ℥. j. ß. aniſi ʒ. j. In ſ. q. juſculi carnis parabatur decoctum.

NOTÆ

in CAPUT III.

(*a*) *Varietate medicamentorum.* Quantum varietas medicamentorum imperitis & temerariis medicis frequens noceat ægrotis, dici vix poteſt; aliquot exemplis edoctus ſum, ægrum reconvaleſcentiæ unicum momentum poſitum fuiſſe in hoc, ut neglecto medicamentorum crebro ac vario uſu ventriculum ſaltim congruis alimentis juvando & unico temperato elixirio ſtomachico cum graviſſimo morbo in gratiam redierit. Et hnc trahendum eſſe *Livii* dictum: *Optima ſæpius medicina medicamento non uti.*

(*a*) *Febris lenta reliquaque ſymptomata.* Utplurimum febris lenta pronaſcitur ex colluvie vitioſorum acido-viſcidorum humorum in primis viis ſcatente, quare blandis evacuantibus, vel etiam emeticis ventriculum inteſtinorumque canalem liberare à ſordibus illis juvat; quo facto ſæpius ſimul & ſemel protinus omnia ſymptomata exſpirant. Et laudandus in hoc Dominus A. eſt, quod ventriculum ſtomachico ſuo ſublevare anniſus fuerit.

(*c*) *Pulverem viperarum.* Hunc ad unciam unam pro doſi commendat Dominus A. Vis depuratoria ſanguinis in viperis inter veteres celebrata fuit. Hinc ad corrigendas impuritates ſanguinis in lepra ſananda unanimi fermè conſenſu dilaudata fuit. Vid. Avicenna *Tom II. pag.* 72 *&* 73. Nec eſt de nihilo ejus efficacia, modo ſufficienti in copia offeratur. Egregie enim mucilagine ſua ſale volatili oleoſo ſubtili imbuta temperat ac obtundit acrimoniam, nec non ſanguinis aciditatem, & leniorem ſpirituaſcentiam ſanguini fœnerando graviſſimis morbis medetur. Novi practicum famigeratiſſimum, qui viperarum pulvere in deſperatiſſimis morbis feliciſſimo cum ſucceſſu utitur. Nos illum miſcendo cum cinnabari nativa adhibuimus in rebelli ſcabie, proximè ad elephantiaſis naturam accedente, magno cum emolumento.

CAPUT IV.

De hydrope aſcite cum acuta febre, ſiti, vigiliis, & marcore inſigni.

Dominus D. Anchiſes, Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Cardinalis Savelli .... annos 30. natus, à multis annis (*a*) *ſcirrhum* in utroque viſcere, liene & jecore, contraxerat; à quibus immedicabilis hydrops. Frequenter & ſanguinem expuebat cum tuſſi, ex quo pulmones inſigniter laborare certum erat. Febre continuâ correptus, in manus meas curandum ſe tradidit. Tot morbis contrarias indicationes habentibus per communem medendi methodum occurrere non erat facile. Si enim ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα, (*b*) *contraria contrariorum ſunt remedia*: febris adeſt continua, quæ poſcit frigida, hydrops verò contraria: cor in illo; jecur verò & lien in hoc afficitur. Turgens materia in utroque morbo medicamentum purgans reſpicit, at πέπονα φαρμακεύειν, καὶ κινέειν, μὴ ὠμά: In hydrope, & in tam refrigerato jecore, cruda ſunt omnia. Præterea in illo cholagoga, in hoc hydragoga. Ventriculum debilem, & tamdiu mali viciniâ fractum & oppreſſum, medicamentorum purgantium vim & impetum ſubſtinere haud poſſe, evidentiſſimum erat. Syruporum, apozematum, & decoctionum aperientium, refrigerantium, & ſimilium quis uſus? His augetur materia, & vis ac facultas viſcerum frangitur & ab officio diſtrahitur. Tanti affectus curam in unico (*c*) *metallorum croco* agnoſcentes, eo ad curationis finem uſus eſt: primis diebus bis, & polychreſti noſtri ℈. ij. dedimus. Hæc roborando & aperiendo aquas inſenſibiliter foràs protrudunt.

NOTÆ

in CAPUT IV.

(*a*) *Scirrhum.* Nullus fermè hydropicorum ſecatur, ubi non vel meſenterium lien, omentum, hepar indurata, exſucca, vel glutinoſa materia *wie ein Bærs* repleta vel etiam putrefacta viſuntur. Conſule de hac *Ephemerides Germanorum Ann. IX. obſ.* 3. *Boneti ſepulchretum Anatomicum*, *Acta Haff. ann.* 73. *obſ.* 84. Bartholin. *Cent.* 1. *p.* 7. *Cent.* 234. Tulp. *l.* 2. *obſ.* 35.

(*b*) *Contraria contrariorum ſunt remedia.* Communiſſima inter Medicos propoſitio hæc eſt, contraria contrariis curari; quæ ſano ſenſu non videtur carere ratione, ſi nimirum contraria quæ cauſis ſunt, intelliguntur, non autem hic reſpiciendum ad qualitates illas v. g. frigus, calorem, humiditatem, ſiccitatem, quippe quæ non entitates quædam abſolutæ ſunt, ſed ſaltim ſenſuum modi merè relativi; ſic qui intermittentes curare vellet humidis & perfrigerantibus, ille forſan febris cauſſam & vim morbi magis augebit, quam tollet. Aſt illa, quæ non tam morbo, quam cauſſæ ſunt contraria, id eſt, quæ obſtructa liberandi vim habent juxta Galenum *Libr. IX. Methodi medend.* calorem febrilem feliciſſimè extinguere poſſunt. Hincque etiam *Galenus* eodem in libro prudentiſſimè docuit, ſi multa ſimul curationem indicent, ei medicos attendere oportere, quod magis urget, aliis tamen non neglectis.

(*c*) *Crocum metallorum.* Hic ſine omni dubio non vulgaris ille emeticus eſt, ſed correctus & diaphoreticus, cujus indolis eſt regulus ſic dictus antimonii medicinalis, pharmacopœis & chymicis parum notus. Curioſum eſt, ſal commune, vel etiam gemmæ fuſum cum antimonio, ipſi communicare vim ſudoriferam, illudque exuere omni draſtica, emetica virtute. Quod ſi autem idem medicamentum cum ſufficiente quantitate ſalis tartari denuo tractas, & illud in igne fundis, regurgit priſtina vis emetica, ut adeò pateat, operationem & vim medicamentorum à mechaniſmo vel materiæ varia figuratione & conſtructione dependere. Regulus hic medicinalis cum croco martis mixtus ſale adjecto abſynthii medicamentum præbet in affectu hydropico excellentiſſimum.

CAPUT V.

CAPUT V.

De febre acuta, icteritia flava, & catarrhali fluxione moleſtiſſima.

ILluſtriſſ. D. D. Fabricius della Bourdeſiere, Summi Pont. Cubicularius, & Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Card. Savelli . . . tunc Bononiæ Legati, continuâ febre de genere bilioſarum ad ſeptem dies correptus fuit, cum inſigni fluxione capitis, dolore, vigiliis, ſiti, & inappetentiâ. Primis diebus leniter purgatus fuit cum pulpa caſſiæ recenter extractæ, ad ʒ. x. Sequentibus diebus detractus fuit ſanguis, & interim bis in die refrigerantes julepos accepit, ex aquis cichorii, endiviæ, & ſyrupo de ſucco limonum. Septimo die febris evanuit, & 4. vel 5. diebus elapſis ſubſequuta eſt (*a*) *icteritia flava*, intenſiſſima, adeò ut undique foràs erumperet flavus humor, (*b*) *vomitus* etiam aderat frequentiſſimus, cum magna copia pituitæ & bilis, ſitis ingens, & inappetentia intolerabilis. Ventriculo ſuppetias primùm ferre arbitratus, ſpecificum noſtrum ſtomachicum ad aliquot dies dedimus; quo meliùs valente, electuarium ſequens ſubſcripſimus.

℞. Conſ. roſarum ℥. iv. croci martis ℥. v. ol. vitrioli gr. xxx. miſceantur, & doſis erat ʒ. ij. manè 4. horis ante cibum. Interdum etiam ſumebat de pulvere ſtomachico ſtatim poſt cibum, ad 6. vel 7. grana ſingulâ vice: Et his gratiſſimis, ac facillimis priſtinam recuperavit ſanitatem.

NOTÆ
in CAPUT V.

(*a*) *Icteritia flava* Tertiana exquiſita teneriora ſubjecta invadens pro cauſſa agnoſcit materiam viſcidam, bilioſam, acrem, obſtructiones & irritationes efficientem in partibus membranaceis, maxime autem in membranis muſculorum & cutis poris, quare qui multum bilioſi iſtius excrementi recondunt in ſanguine, facilè fiunt tertianarii. Deſinit hæc febris facilè in icterum, dum nimirum refrigerantium abuſu vel morbi diuturnitate tenacitas major ad obſtruendas hepaticas glandulas apta in humoribus progignitur; unde icterus ſuum habet ortum. Icterici tales queruntur maximè de vehementi alvi adſtrictione, nec non compreſſione circa præcordia. Optima antiicterica & antifebrilia ſunt amara, martialia & leniora evacuantia.

(*b*) *Vomitus.* Quod ſi poro cholodochio obſtructo bilis acceſſus ad inteſtinum negatur, veſicula fellis bilioſo humore túrgida eſt, cujus pars ſubtilior & acrior per membranas tranſudat & confines partes non tantum colore flavo tingit, ſed & ob acrimoniam moleſtam irritationem fibris nerveis inducit. Novi aliquando generoſum juvenem variolis laborantem, qui per novem dies alvi conſtrictione fortiſſima corripiebatur, ductus cholodochus durus & conſtrictiſſimus erat, bilis in ciſtide apparebat nigra, craſſa inſtar roob ſambuci, extrinſecè tàm in hepate, quam in inteſtino colo guttulæ flavæ ſummè amaræ comparebant, ventriculi pylorus inflammatus & ſanguineis punctulis ſtipatus erat, unde intenſa cardialgia ægri profluxit.

CAPUT VI.

De hectica febre, & marcore inſigni ab aliis Medicis derelicto, & incurabili habito.

ADmod. Reverend. P. D. Angelus de Cambiis, Monachus in Cœnobio D. Michaëlis in Boſco, annorum 37. à duobus menſibus in incredibilem maraſmum inciderat, ob hecticam febrem duplici tertianæ ſuccedentem; quâ laboranti Medicus ſenex multa impunè attulerat remedia: victum quoque tenuem admodum, citra omnem rationem, præſcribens. Ad extremum adductus me accerſiri curavit. Eo invaluerat morbus, ut præ faucium, & œſophagi ſiccitate, nihil quicquam deglutire poſſet, ventriculo etiam mirum in modum cibos averſante. His in anguſtiis conſtitutus, per aliquot dies ſpecificum noſtrum ſtomachicum utcunque accepit, cui paucis pòſt diebus lac caprinum ſubjunximus: quibus duobus marcor, febris, & quævis inde ſuborta ſymptomata penitus evanuerunt. Hîc mihi annotare ſubit Medicorum aliquot imperitiam, qui in longis febribus tenuiori victu utuntur, contra Hippocratis leges, naturæ virium immemores, quæ morborum vi & perniciei plerumque ſuccumbit, ob impotentiam, & cibi penuriam. Si ex eodem authore inconſueta aſſuetis longè graviora ſunt, cur in ſuis ptiſanis, aliiſque inconſuetis cibis porrigendis tamdiu inſiſtunt? Hos in Galenum (quem ſuum falsò clamitant) non minùs turpiter peccare, alibi commonſtravimus. Hæc à nobis obiter dicta ſint, ne his moniti impoſterum ſimilem in errorem relabantur, atque hanc gratiam nobis referant. Vinum quod bimeſtri ſpatio denegatum fuerat, ſtatim ipſi conceſſimus; edulia quoque conſueta, inaſſuetis penitus abrogatis. (*a*) *Lac* cum pauco ſacchari pulverizati capiebat 5. horis ante cibum; primò ab ℥. ij. iij. ad iv. & tandem ad v. quo conſilio marcorem penitus delevimus, atque ægrum priſtinæ ſanitati reſtituimus.

NOTÆ
in CAPUT VI.

(*a*) *Lac*, &c. Martianus *L. I de morbis mulierum* ſcribit: Lac fuiſſe antiquitus velut ſacram anchoram & omnium remediorum caput, ita ut vix ullus eſſet morbus, in quo lac non adminiſtraretur. In phthiſi, marcore inſigni & hectica ejus uſus interdum miracula præſtat: ſed hæc circa ejus uſum attendi merentur, ut 1. primæ viæ à ſordibus acido viſcido purgatæ ſint, 2. Ut hectica & phthiſis magis ex diſcraſia humorum ſalina acri, quam ex abſceſſu & ſcirrhoſis partibus orta ſit. 3. Ut febris intenſa putrida cum capitis dolore deſit. 4. Ut vires adhuc conſtent, & corpus non penitus debilitatum ſit. 5. Ut lac calidum, & cum ſaccharo roſaceo aliquot horis ante cibum ad aliquot uncias poſt aſcendendo ad menſuram aſſumatur, & ab omnibus acidis etiam pane fermentato æger abſtineat. Signa, an æger lactis uſum tolerare poſſit, ſunt, ſi probè concoquat & nil moleſtiarum ex eo ſentiat, nec gravitatem in ventriculo poſt lac aſſumtum, aut ſingultum, vomitum, nauſeam, nec calor in corpore aut pulſus intendatur. vid. plura circa hanc rem *in praxi Joëlis.*

CAPUT VII.

De dolore uterino jamdudum inveterato, &c.

PErilluſtris Domina Helena de Faſaninis, annos quinquaginta nata, uterinis doloribus, nonnullis menſibus aſſiduè conflictabatur, cum inappetentia, cordis palmo, ſyncope, & aliis. Hujus doloris cauſa proxima erat (*a*) *fluor albus* uterinus, acrimoniâ membranas, nervos uteri, & circumjacentes partes vellicans. Fluxionis originem à toto corpore, à jecore, & cerebro potiſſimùm emanare, multis ſignis deprehendere haud erat difficile. Fluxionis materia ſubcitrina, & maleolens, & purulenta erat. Hinc ulcus, vel in corpore, uteri, vel in ejus cervice. Scopi curatorii erant, fluxionem ſiſtere, dolorem ſedare, ulcera mundificare & exſiccare: ad quæ peragenda, totum corpus priùs repurgare decrevimus;

decrevimus; quo facto, partes læſas roborare, & reliqua explere. Ad corpus repurgandum ſequenti potione uſi ſumus.

℞. Agaric. trochiſc. ℈. iij. ſ. infund. in aquæ arthemiſ. ſ.q. In colat. diſſolve Elect. diaphœn. ʒ.v. Data fuit manè, ut moris eſt, ex qua multoties purgata fuit. Sequentibus diebus, pro ſyrupis præparantibus, capiebat bis in die decoctum arthemiſiæ, matricariæ, meliſſæ, abſinthii pont. calendulæ, betonicæ, & pimpinellæ, ad ℥. vj. pro doſi. Iterum purgata fuit ſequenti potu.

℞. Rad. bryoniæ ſiccæ ℈. ij. ſ. infund. in ſ. q. decoct. præſcripti, in colat. diſſol. elect. de ſacco roſ. ſol. elect. diaphœnici, an. ʒ. ij. ß. Data fuit hæc potio manè, ex qua ſimiliter probè purgata fuit. Poſtmodum ut penitus fluxio ſummoveretur, capiebat ſequentes pilulas manè.

℞. Gummi ammoniaci, opopanacis, mirrhæ, maſtiches, an. ʒ. j. agarici throchiſc. ℈. iv. Scammoneæ ſpagyrico more præparatæ ℈. ij. croci martis reverberati ℈. iij. macis, ſuccini eſſentiæ, an. ℈. ß. lapidis hæmatitis ℈. j. ß. cum ſyrupo de arthemiſ. fiat maſſa. Capiebat ℈. ij. in tres pilulas ſingulis diebus; 3. horis ante prandium. Atque his dolores illi atroces & contumaces, unà cum fluore illo pravo, in totum ſublati fuerunt, & ab hinc quinquennio ſanitate fœliciſſimâ potitur.

NOTÆ
in CAPUT VII.

(*a*) *Fluor albus.* Affectus, quo ægra laborabat, eſt fluor albus, malum muſellas fœminas vehementer non rarò excrucians, præprimis vetulas: Etiam ipſas gravidas, menſtruoſas & puerperas affligere ſolet. Fit à glandulis uterinis obſtructis & vaſis lymphaticis apertis & eroſis. Dominus Dolæus *in Encyclop. ſua medica pag* 893. ſcribit, ſe Limburgi ad Lanum fœminam 40. annorum hoc morbo extinctam & ſterilem aperuiſſe, in cujus cadavere uteri glandulas tumefactas & magnitudine piſi induratas invenit. Meatus urinæ in mulieribus circumdatus eſt ſubſtantia membranacea glandulosa analogâ proſtratis glandulofis virorum, ex his liquor limpidus effluit tam in, quàm extra coitum, vid. Graffius *in Anatom. partium genital. mulier. cap. 6.* Cauſſa obſtructionis eſt acidum & viſcidum; hinc pleræque hoc morbo laborantes ſunt cachecticæ. Si ſales acriores in lympha contenti ſunt, inflammatio, dolor inſignis, ulcus putridum & hectica producitur. Pingues & macilentas hoc malum infeſtat. In illis hydropem, in his phthiſin & hecticam poſt ſe trahere ſolet; plerumque eſt cauſſa ſterilitatis. Adeſt ſpinæ dorſi debilitas ab arteriis oppoſitis vertebralibus ſuo ſpirituoſo nectare defraudatis. In Belgio hic affectus frequentior eſt, quia mulieres abutuntur acetariis.

CAPUT VIII.

De inſigni, & vehementiſſima ophthalmia, cum febre, & aliis graviſſimis ſymptomatibus, à tribus menſibus inveterata, à Medicis deplorata, cum ungula, epiphora, &c.

JOannes Paulus Faber in Via Sancti Vitalis commorans annos 45. natus, ob acerrimam (*a*) *defluxionem in oculos*, trimeſtri toto maximis cruciatibus excarnificatus erat. Duobus ad id acceſitis Medicis, ac his nihilum juvantibus, imò malo in dies efferatiore reddito, quamvis horum præſcripta ad unguem ſervaret, ego quoque acceſſor. Hominem invenio non tam morbi feritate fractum, quàm pravis, & malè adhibitis remediis confectum, & mortuis ſimillimum. (*b*) *Victum* ſervabat continuò refrigerantem & *humectantem abſque vino*, cum hordeatis, lacte ſeminum melonum, & ſimilibus. Pro remediis quot pilulas aureas, coccias, lucis maj. de agarico, potiones purgantes, &c. toto illo tempore accepit? quot item julepos, & ſyrupos alterantes, & roborantes, conſervas item capitales: & quot à chirurgis reiteratas phlebotomias, cucurbitulas, ſanguiſugas in ano, & pone aures frictiones, aurium perforationes, lotiones &c. pertulit? Quid plura? intra breve tempus in hæc tormenta totum ferè peculium impenderat, nec prorſus quicquam opis: Morbus in dies efferatior redditur, inflammatio geminatur, & miſer tandem doloris immanitate dilaniatur. Appoſita diceres omnia. Purgant, refrigerant, revellunt, derivant, & ſimilia præſtant, quæ à ſcholaſticis hodie tradita ſunt: at *Pectoribus duris dura eſt doctrina ſalutis.* Iſti Galeni immemores, cauſâ relictâ ad effectus reſpiciunt, & cæcis oculis Andabatarum in morem pugnant. Nos illam fluxionem ſalſam, & acrem, (*c*) *catholicis, & laudanis pilulis* ſuſtulimus brevi; & ventriculo, remediis perperam adhibitis, proſtrato, ſpecificum ſtomachicum dedimus. Extrà ad inflationem, inflammationem, dolorem coërcenda, collyrium ſequens admovebatur:

℞. (*d*) *Vitrioli Cypri* ℈. j. tuthiæ præp. ſacch. candi, collyrii albi Raſis, an. ℈. iv. camphoræ gr. vj. aqu. verbenæ, fœniculi, euphraſiæ, roſarum, an. ℥. iv. miſcebantur pro collyrio. Sedatis doloribus, inflatione, & inflammatione, ungula apparuit, quæ citò pulvere ſequenti ſublata fuit:

℞. Oſſis ſepiæ ℈. j. ſacch. candi ʒ. j. vitrioli ℈. ß. tuthiæ præp. ʒ. ß. Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſ.

NOTÆ
in CAPUT VIII.

(*a*) *Oculorum defluxionem.* Inter omnes inflammationes nulla magis conſpicua eſt, quam ophthalmia. In hac tenues oculorum venæ turgent, & quæ in oculorum albo obſcuræ fuerant, conſpicuæ fiunt: plerumque quicquid album fuerat rubeſcit. Summus ardor atque dolor affligit, quia acrium ſæpe lacrymarum fluxio em accerſit. Aliquando capitis dolori ſeu hemicraniæ complicatur, vel illam ſubſequitur. Inflammationis cauſſa eſt circulatio per tenues oculorum membranas ſanguinis impedita, prognata ut plurimùm à ſale lymphæ ſcindente tenuiſſimas fibrillas & ob copioſiorem ſpirituum animalium affluxum illas ipſas coarctante. Et quibus frequenti inflammatione pori ac viæ diſponuntur, hi quavis ex cauſſa rurſum hoc malo tentantur: plethoricis, bibonibus, ſcorbuticis, hypochondriacis & quibus circa collum glandulæ obturatæ & obſtructæ ſunt, valdè familiaris eſt. Ingraveſcente malo palpebra utraque intus foriſque pupillaque obfuſcata, adeò ut licet ſplendorem videre, tamen res diſcernere nequeant.

(*b*) *Victum humectantem abſque vino.* Hic colluviem ſeri copioſi ſalſi obſtructiones glandularum firmando, & ſpirituaſcentiam deprimendo magis auget, cum è contrario vinum tenue ac validum craſſos corporis ſuccos magis reſolvat ac diſcutiat. Meretur hic trutinari *aphoriſmus* 31. *Sect. VI.* Hippocrat qui talis eſt: Dolores oculorum vini potus vel balneum, aut fotus, vel phlebotomia, vel pharmacia ſolvit. Vini enim potus ſanguini motum vividiorem introducens obſtructiones diſſipat, & humorum craſſitiem corrigit. Balneum & fotus emolliens acredinem lymphæ oculos incurrentis, ſi reliquum

reliquum corpus purum fuerit, egregiè temperat. Si ex ſanguinis exundantia hoc malum oritur, phlebotomia & revellit & evacuat. Si à ſucco pravo fuerit, pharmaca eodem fine revellendi & evacuandi conveniunt. Hinc alio loco idem ſcribit, oculorum inflammationem diarrhœam ſolvere. *Vid. aphor.* 17. *Lib. VI.*

(*c*) *Catholicis & laudanis pilulis.* Opium cum purgantibus commodè quandoque miſcetur, ut nimirum præter finem evacuandi & acrimoniæ ſuccorum indeque enaſcentis doloris ſic habeatur ratio. Obtinet illud ipſum quoque in colicis & arthriticis doloribus in ſingulare ægrotantium æmolumentum: Hanc ob rem tam celebres laude & virtute in medendo ſunt pilulæ *Wildeganſii*, item Anglicæ *D. Starkeis*, utpote quæ ex purgante & anodyno concinnatæ ſunt, ut ſic quaſi una fidelia duos dealbemus parietes.

(*d*) *Vitriolum Cypreum.* Nimis hoc acre eſt; hinc in defluxione oculi nimis acri lædit potius, quam juvat per erodentem ſuam vim. Optima hic ſunt diſcutienta & unà dolorem mulcentia. Laudatur hinc aqua florum ſambuci, roſarum, camphora in ſpiritu roſarum ſoluta, crocus, ſief album cum opio cum pauca quantitate ſacchari ſaturni. Internè edulcorantia, uti ſunt decoctum radicis chinæ, cornu cervi, infuſum herbæ Thee, addito fœniculo ſtellato, eximiam opem ferunt. In diæta autem pariter & in cura abſtinendum ab omnibus ſalinis, aromaticis, acribus, imo volatilibus, ſpiritu ſalis ammoniaci, quem oculis valdè nocere olim deprehendit D. Ettmullerus, *vid. Diſputat. de uſu & abuſu præcipitantium.* Quoſdam uſu calidiorum, diureticorum & purgantium in ophthalmiam incidiſſe, Autor eſt Horſtius, *lib.* 2. *obſ.* 30.

CAPUT IX.

De febre nocturna cum ſudore, & tremore cordis.

Nobilis Domina Lucretia, quondam Domini Maximiliani de Bologninis vidua, annos 45. circiter nata, à ſemeſtri, (*a*) *febre moleſtiſſima ſingulis noctibus* vexabatur. Invadebat cum rigore, & horrore, & deſinebat cum ſudore, cordis palmo his ſuperveniente, unde in marcorem & cachexiam inciderat. Ad hæc accedebant capitis gravedo, inappetentia, ſiccitas, & inſignis virium languor. Toto eo tempore ſeniorem Medicum fruſtrà in ſui opem accerſierat: nam etſi varia illi de more præſcripſiſſet remedia, tum purgantia, tum alterantia, intrinſeca & extrinſeca, vani tamen & irriti fuerunt ejus conatus. Hujus pertinaciſſimi affectus cauſam in ſucco arido, quem melancholicum dicunt, deprehenſam, melanagogo extracto ſummovendam opportunum judicavimus: Et quia ejuſmodi humore univerſus corporis habitus erat infectus, validum itidem remedium eſſe adhibendum ſtatuimus. At his accedebat ventriculi languor & imbecillitas, ideò ſpecificum ſtomachicum ei immiſcuimus. Cumque morbus altè ſuas radices in natura defixiſſet, atque in viſceribus craſſi, & denſati humores ſtabularentur, electuarium ſequens ad quindecim dies accepit.

℞. Croci martis ʒ. iij. ſpodii ʒ. j. conſ. roſarum ℥. iv. ſpiritus vitrioli g. iv. miſce. Hujus dabantur ʒ. ij. pro doſi manè jejuno ſtomacho. Pertinax eſt hic affectus, & nullis unquam vulgarium medicamentorum cedit. Multos eo correptos in maraſmum incidiſſe vidimus. Ab illa die decennio exacto ſemper ſana vixit, & adhuc vivit.

NOTÆ in CAPUT IX.

(*a*) *Febre moleſtiſſima ſingulis noctibus.* Eſt è genere lentarum, quarum focus plerumque latet in primis viis & viſcerum infarctu, quare lenia evacuantia & martialia, aliaque deobſtruentia temperata, ut terra foliata tartari, ſolutio oculorum cancri, tinctura martis *Zwelfferi*, arcanum duplicatum præſentis effectus eſſe ſolent. Cum ſudore ut plurimum hæ febres ſunt, quo etiam illæ terminantur, id quod cutis & glandularum ſubcutanearum nimiæ laxitati, ac pororum debilitati adſcribendum eſt, quod etiam accidit in ſudoribus colliquativis, qui circulationem ſanguinis lentiorem in partibus cutaneis indicant: Tono etenim ſuo hæ orbatæ cauſſant ſubſiſtentiam ſanguinis, & ſic ſeri ab ipſo faciliorem efficiunt ſeparationem.

CAPUT X.

De Iſchiade pertinaci, atrociſſima, funeſtiſſima & deplorata, undè claudus, & impotens crurum & pedum, cum continuo dolore.

Joannes del Borgo Lapidicida, annos 40. natus, in foro Boario commorans, quadrimeſtre (*a*) *iſchiadico dolore acerrimo* excruciabatur; à quo claudus, & impotens factus, multa impunè ex Medicorum conſilio expertus erat remedia. Miſera hominum conditio in hoc paupere maximè enituit; ſatis enim non fuit, tot malis ſufferendis imparem eſſe, verùm & totum peculium, ex tenui fortuna partum, in Medicos, & Pharmacopolas amiſiſſe. Deus omnipotens ſuæ creaturæ non immemor, firmiſſimam ſanitatem per noſtras manus ſic ipſi reſtituit. Primis diebus (*b*) *pilulas catholicas* per tres dies accepit, quibus multum bilis, & pituitæ evomuit, atque dejecit. (*c*) *Semicupium* poſtea imperavimus hoc modo.

℞. Radicum bryoniæ ℔. ij. rad. ebuli faſc. iv. baccarum juniperi ℔. j. fol. primulæ veris, ivæ artheticæ, menthæ, majoranæ, ſalviæ, roriſmarini, chamomillæ, meliloti, an. m. iv. Parabatur in ſ. q. aqu. commiſſ. A ſemicupio partem detergendam tantùm judicavimus, unctionem ut moris eſt, conſultò omittentes. Sexies impoſitus eſt in ſemicupio, manè 4. horis ante prandium. Sex diebus elapſis ſequens admovebatur emplaſtrum.

℞. Picis navalis ℥. iv. Sulphur. communis ſubtiliſſ. triti ʒ. iij. Maſtices ʒ. ij. Terebinthinæ communis ℥. ß. Miſcebantur, & ſuper alutam extenſum Empl. coccygi locoque dolenti admovebatur.

NOTÆ in CAPUT X.

(*a*) *Iſchiadico dolore acerrimo.* Uti omnis arthritis, ſic etiam iſchias ſpecies ſpaſmi ſive morbus ſpaſmodicus eſt, quare etiam contracturam facile poſt ſe relinquit. Quoniam profundius mali cauſſa reſidet, difficulter ſanabilis hic morbus eſt; dum vaſtis muſculis, quibus femoris articulatio tegitur, remediorum acceſſus impeditur.

(*b*) *Pilulas catholicas.* In affectu iſchiadico prima regio & acido-viſcida pituita & flatulentiis utplurimum oneratur: alvus conſtricta ac tenſa eſt, quæ etiam purgantium fortiorum vim (non præmiſſis debitis digeſtivis & acidi correctivis) eludere ſolet. Commendationem autem merentur ex gummatibus, mercurio dulci, addita pauca quantitate mercurii vitæ concinnata, quippe quæ potentiſſimè obſtructiones reſolvunt, & tenaces humores fundunt. Plethoricis, ſanguineis, qui quamplurimum hoc affectu corripiuntur, venæ apertio vel hæmorrhoidum fluxus præſentiſſimum levamen afferre ſolet. Et intercepta harum evacuatio vel intermiſſio in illis, quibus olim fluere aſſuetæ erant, parit hunc affectum: ſi fluxus

ſi fluxus hic in ordinem iterum redigitur, protinus & ceſſat malum.

(c) *Semicupium.* Balnea ex nervinis & antiſpaſmodicis poros aperiunt, nervos ſolantur, & ſubſiſtentes humores diſcutiunt: Illis præmiſſis, felicius operationes ſuas exerunt emplaſtra, linimenta penetrantia & demulcentia. Ante ingreſſum autem balnei ſudoriferum, v. g. ſpiritus cornu cervi ſuccinatus, ſpiritus tartari volatilis cum ſpiritu ſulphuris vel vitrioli nuptus in uſum vocari debent, quo copioſiſſimè ſudent.

CAPUT XI.

De loquela amiſſa, caſus notatu dignus.

DOninus Alexandri Donini filius, in communi Zollæ Prædoſiæ villicus, annos 18. natus, ex procera quercu humi lapſus, (*a*) *omnem loquendi potentiam* amiſerat. Id contigiſſe ex cerebri concuſſione, nemo eſt qui ignoret, facultate motrici nervos tertiæ conjugationis, & muſculos linguam moventes relinquente, & ad ſuum principium recurrente, vel eâdem oppreſsâ ſanguinis multitudine eò confluxa. Utcunque ſit, nullus tumor intus, nec extrà apparebat, nullus dolor, nec inflammatio: tamen intra fauces, membranas & muſculos, pituitæ, humoriſve craſſi & viſcidi multum confluxiſſe ſuſpicatus, medicamentum purgans dictum humorem ipſi dedimus; ad quod cùm nullum præſtantius, ac hujus conditioni magis opportunum, magneſiâ ſaturninâ judicarem, de ea iiij. grana cum juſculo carnis dedimus, à qua multum craſſi & viſcidi humoris per os & nares emiſit, ſenſimque vocem recuperavit. Interim julepos attenuantes, & diſſolventes præſcripſimus, ut iidem humores ad expulſionem magis idonei facti, citiùs & faciliùs expurgarentur.

Fuerunt autem ex rad. fœniculi, ℥. j. ß. fol. verbenæ, abſinthii, agrimoniæ, pimpinell. capill. vener. an. m. j. In collat. ℥. vj. diſſolvebatur ℥. j. ſyrup. limonum.

NOTÆ in CAPUT XI.

(*a*) *Omnem loquendi potentiam.* Non ſolum perit loquela ex apoplexia, ſed quando recurrentes nervi copioſis humiditatibus etiam obſeſſi ſunt. Exempla habent *Schenckius & Bartholinus*, quod à tumore in iſta regione, ubi inſertio eſt nervorum quinti paris aphonia facta fuerit. Juvant tunc emplaſtra balſamica nervina collo applicata. A nimia humiditate laryngis muſculos reſolvi, exemplum habet *Tulpius.*

CAPUT XII.

De hydrope jecoris, & lienis tumore, febre lenta, menſium ſuppreſſione, & aliis ſymptom.

DOminica Pelegrini de Fuſariis uxor, in via *de Mirafol*, annos 30. nata, à tribus menſibus (*a*) *præduros tumores in utroque viſcere* patiebatur, quibus hydrops aſcites infeliciter ſucceſſit, cum febre lenta, anorexia, vigiliis, inexplebili ſiti, menſibus ipſi jamdudum ſuppreſſis. Traxerant originem ejuſmodi tumores à remediis perperam exhibitis in ciendis menſibus, & à pravo victus regimine ſic à Medicis inſtituto, ob febriculam à menſium retentione obortam, cui ſua humectantia & refrigerantia exhibentes, ut hordeacea, emulſiones, & aquam coctam, pervicaciores, & altiores obſtructiones pepererunt, quibus poſtmodum hydrops ſucceſſit. (*b*) *Cathartica* etiam ſæpe *reiterata*, ut & phlebotomiæ, calorem imminuunt, radicale humidum abſumunt, & animal tandem ad interitum deducunt. Primis diebus ſulphur metallorum bis in die dabatur, cum pauxillo olei balſamici vitrioli, quo ventriculus meliuſculè ſe habuit. Noctu in ingreſſu lecti parum theriacæ cum tantillo conf. roſarum, abdomine paulò ſubſidente, & febre propulſata: nec non ventriculi robore reſtituto, crocum martis cum conſerva roſarum ad pluſculos dies ipſi dedimus. Quibus priſtinæ ſanitati reſtituta fuit, vivitque ab hac cura decennio elapſo, quotannis natos utero feliciter gerens, citra minimum ſanitatis incommodum.

NOTÆ in CAPUT XII.

(*a*) *Præduros tumores in utroque viſcere.* Hepar, quoniam ſanguinem diſpenſat & ex vena portæ in venam cavam mediante tono ſuo infundit & impellit, ſi deficit in robore ſuo ſanguis craſſus ibi ſubſiſtens lentiori ſua circulatione deponit in ejus glandulis viſcidas ſordes, ſicque illud viſcus infarcit, indurat, ſcirrhumque parit; unde non tantum bilis, quæ humorum vitalium, ſanguiniſque balſamum eſt, ſecretio impeditur, verum etiam ſanguinis circulatio per interiores abdominis partes, quas vena portæ attingit, retardatur; unde & lien à ſanguine infarcto tumidus apparet. Uno verbo ad affectum hypochondriacum flatulentum, inteſtinorum tenſionem, urinæ ſuppreſſionem & hydropem aſcitem via panditur. Anatomen hydropici, ubi hepar ſcirrhoſum & induratum, exſuccum, venæ meſeraicæ autem quaſi glutinoſa materia *wie ein Hartz* repletæ inventæ fuerunt, deſcribunt *ephemerides German. Dec. II. ann. 9. obſerv. 2.*

(*b*) *Cathartica reiterata.* Purgantia fortiora ſpaſmodice agunt in inteſtina; omnis autem ſpaſmus conſtrictione quadam fit, hinc fibræ inteſtinales magis coarctantur, pori clauduntur; qui aliàs liberum tranſitum vaporibus in inteſtinis ſuſcitatis concedunt, quare præpoſterus purgantium uſus tumorem abdominis auget, & flatulentiam majorem ingignit, & tympanitidem acceſſit.

CAPUT XIII.

De pervicaci, & atrociſſimo iſchiadico dolore.

PErilluſt. Dominus Gaſparus de Herculanis, annos 37. natus, iſchiadicis doloribus acerbè conflictatus, vix ullis remediis conſaneſcere potuerat, etſi appoſitè datis. Primis dolorum inſultibus decocto cholagogo, & melanagogo purgatus fuit ad 15. dies, nec tamen multum opis inde retulit. Dolor ad breve tempus recurrit, quapropter radices altiùs in natura defixas habere morbum, à reſiſtentia deprehendi. Hinc pilulis noſtris catholicis eas evellere, & penitus averruncare ſtatuimus. His ergo reiteratis, & dolore adhuc non in totum ſublato, (*a*) *ſemicupium* ſic ipſi imperavimus.

℞. Radicum ebuli, bryoniæ, an. ℔. j. ß. baccarum juniperi, lauri, an. ℔. j. fol. ivæ arthriticæ, roriſmarini, ſalviæ, menthæ, majoranæ, primulæ veris, an. faſc. iij. flor. ſtœchados, anthos, camomillæ, an. p. iij. Coquebantur in aq. communis ſ. q. pro ſemicupio. Et ut pars affecta priſtinum robur adipiſceretur, & humor illic

firmiter

firmiter hærens penitus excideretur, ſequens emplaſtrum ad aliquot dies parti dolenti admovimus.

℞. Picis navalis ℥. iv. terebinth. ℥. ß. maſtiches Chiæ, ſuccini, an. ʒ. ij. ſulphuris communis ſubt. triti ℥. ß. miſce, fiat cerotum.

NOTÆ

in CAPUT XIII.

(*a*) *Semicupium.* Hæc, nec non balnea, in ſtatu plethorico & in iſchiatide calida ante uſum evacuantium & venæſectionis magis nocuiſſe, quam juvamen attuliſſe obſervata fuerunt, quandoquidem ſanguinem rarefaciendo & dilatando calorem & dolorem adaugent. Idem tenendum circa calida acria & ſudorifera volatilia, quæ ſtatim in morbi principio adhibita in majorem ebullitionem ſanguinem conjiciunt.

CAPUT XIV.

De catarrho ſalſo pertinaci, maligno, & Medicis pro incurabili habito.

DOminus Gaſparus Cantinella, annos 40. natus, tunc in via *Di Galiera*, à 9. menſibus moribundus, & omni Medicorum ope deſtitutus; cùm enim illi per tantum tempus fruſtrà adhibita fuiſſent varia remedia, tanquam faſcinatus ad unicum Exorciſtarum auxilium relegatur: à quibus nec pariter quicquam levaminis reportat. Tandem noſtrum quoque implorans conſilium, ipſi longè ſalubriora, quàm quæ hucuſque adhibita fuiſſent, certè polliciti ſumus. Etenim quum primùm catarrhi ſalſi & pravi, fontem & originem (*a*) *à jecore, & liene induratis* deduci judicarem, & hæc (*b*) *à pravo victus regimine*, eaque recta remediis perperàm adhibitis: curationis exordium duxi à ſpecifico ſtomachico, quo viſcerum obſtructionibus reſeratis, decoctum melanagogum, & cholagogum, ad 20. dies præſcripſimus, intra quod tempus priſtinam recuperavit ſanitatem.

Ejuſcemodi decoctionum formulæ habentur, *initio lib. noſtri de ſecretioribus med. præparat.* Memores interim eſtote, plures morbos lamiis tribui immeritò, quos qui curare ignorant, ſuperphyſicas habere cauſas mendaciter aſſerunt.

NOTÆ

in CAPUT XIV.

(*a*) *A jecore & liene induratis.* Catarrhi ſalſi per longum tempus affligentes originem ſuam ac fontem utplurimum habent in primis viis, hinc hypochondriaci penè omnes ſunt catarrhoſi: Viſceribus induratis ſordes ſalinæ excrementitiæ ſanguinis non ritè repurgantur & ſanguis craſſior ac limoſior gignitur. Optimum hinc conſilium tali in ſtatu obſtructiones primis in viis tollere & medicamentis balſamicis, ex quibus primas tenet noſtrum Elixir ſic dictum balſamicum digeſtioni ſuccurrere.

(*b*) *Pravo victus regimine.* Quævis acria nec non ſalita infumata, & difficilioris concoctionis, nec non cereviſiæ craſſæ, potus ſpirituoſi, ebrietas, vita otioſa & ſedentaria, aëriſque ſubita mutatio, alvus adſtricta ad catarrhales morbos valdè diſponunt.

CAPUT XV.

De raro uteri affectu ſuffocatorio, cum atrociſſimis, & horrendis doloribus per plures dies ſæviente.

DOmina Catharina Domini . . . . . de Ruſticellis uxor, annos triginta nata, in via vulgo *della Maſcarella*, annis 7. elapſis in graviſſimos uteri affectus incurrit: & primò in ſtrangulatum, nonnullis (*a*) *caducum uteri* dictum, & verè quidem, quòd in his affectibus veluti epilepſiæ quadam ſpecie mulieres detineri videntur. Per intervalla redibat ejuſmodi affectus, & pluries in die. Hunc præceſſerat immanis, & acerbiſſimus dolor in infimo ventris, (*b*) *ſub pectine, & inguinibus.* Interdum fundebat per alvum materiam pellucidam, vitro fuſo perſimilem. Nauſea, inappetentia, & vigiliæ perquàm moleſtæ concomitabantur iſthæc: febris item lenta, alvi ſiccitas, & alia. Primis diebus corpus totum purgavimus potione ſequenti.

℞. Agarici trochiſcati ℈. iv. infund. in aquæ arthemiſiæ ℥. iv. factâ colaturâ diſſolv. electi diaphœnic. ʒ. v. mixtis, fiat potio. Sequentibus diebus, ad uterum expurgandum, excalefaciendum, & roborandum, dabatur ipſi juſculum arthemiſiæ, matricariæ abſinthii, tanaceti, & praſſii albi. Interea (*c*) *inſtante horâ paroxyſmi*, capiebat ʒ. ij. aquæ theriacalis cum camphora. Aliquando guttulas duas ol. ſuccini. Suffitus etiam parabatur cum aſſa fœtida, & galbano, eumque per os & nares excipiebat. Diebus duodecim elapſis, morbo adhuc ſæviente, (*d*) *ſequentes pilulas* præſcripſimus.

℞. Aloës Soccotrin. ℥. ß. myrrhæ troglod. opopanacis, ammoniaci, an. ℈. ij. ß. maſtiches, ʒ. j. croci Orientalis, ℈. j. croci martis reverberati, ʒ. iij. ß. cum ſyrupo de arthemiſia, fiat maſſa, cujus ʒ. j. Sumebat quotidie manè in tres pilulas: & eo tempore quieverunt omnia, atque ſenſim recuperavit ſanitatem, nec ab illo tempore incommodum ſentit.

NOTÆ

in CAPUT XV.

(*a*) *Caducum uteri.* In graviori affectu hyſterico epileptica quædam viſuntur ſymptomata, nimirum pollicum contractio, ſtridor dentium, oculorum rotatio & omnium ſenſuum abalienatio, quæ cuncta proveniunt à ſpaſmo vehementiori interiorum partium nervoſarum abdominis, hiſce firmiter conſtrictis ſanguinis circuitus per has partes impeditur: hinc majori impetu in partes ſuperiores ruit, in pulmonibus & corde ſummas anxietates ſuffocatorias, in cerebro ſenſuum abalienationem & parvam epilepſiam producit.

(*b*) *Sub pectine & inguinibus.* Affectio hyſterica eſt morbus ſpaſmodicus, cujus cauſſa latitat vel in hypochondriis, vel in ipſis partibus genitalibus. Primas vias & hypochondria affecta eſſe, teſtantur ejus cardialgiæ, flatus & borborygmi ventris, vomitiones acidiſſimæ viridis bilis, tenſiones circa hypochondria, alvi adſtrictio, dejectiones viſcidæ mucoſæ materiæ per alvum. Simile annotavit quoque Dominus A. in ægra, quæ fundebat materiam per alvum pellucidam, vitro fuſo per ſimilem: Sic extat quoque *Obſervat. LXIX. centur. I.* apud Riverium, ubi hyſterica per alvum excrevit materiam quandam pituitoſam compactam & latam faſciæ inſtar palmi magnitudine, poſtea verò per aliquot ſedes materiam mucoſam.

(*c*) *Inſtante hora paroxyſmi.* Antiſpaſmodica, carminativa & deobſtruentia optima ſunt antihyſterica. Et quicunque

que novit ſanare ſpaſmum & hypochondriacum affectum, ille & perfectè ſanabit hyſterica pathemata. In paroxiſmo inſtar omnium eſt ſpiritus ſalis ammoniaci caſtorinus cum camphora, vel etiam pro re nata cum eſſentia anodyna nuptus & datus intrinſecè cum aqua florum aurantiorum, quæ egregia carminativa & refocillans eſt: Hoc remedio in momento levari ſolent ægrotantes, ſi præter id etiam alvi habeatur ratio, ut illa libera fiat beneficio clyſteris carminativi.

(*d*) *Sequentes pilulas.* Radices hujus affectus ſedato paroxyſmo præſcindunt omnium optime gummata & maximè fœtida mixta cum martialibus, ſale cornu cervi, ſuccini, & oleo carminativo, & poſſunt componi ſequentes pilulæ antihyſtericæ. Accipe gummi ſagapeni, ammoniaci, myrrhæ electæ, aſſæ fœtidæ ana drachmam ſemis, extracti caſtorei, trochiſc. alhandal ana grana XII. ſalis volatilis cornu cervi, ſalis ſuccini, mercurii dulcis ana grana VIII. camphoræ grana VI. limaturæ martis drachm. 1. Miſce, fiant cum eſſentia ſuccini pilulæ ex ſcrupulo 1. numero xx. de quibus capiat ægra ſingulo die XIV.

CAPUT XVI.

De aſthmate vehementiſſimo, & deplorato, cum inſigni cordis palpitatione, menſium ſuppreſſione, &c.

Domina Camilla de Acariſiis, prope Collegium de Montalto in via, quæ vulgò *San Mammolo* dicitur, annos 35. nata, (*a*) *in vehementiſſimum aſthma*, cum inſigni cordis palpitatione à ſex menſibus incurrerat. Tanta erat hujus horrendi affectus vis & impetus, ut crebrò vitam cum morte mutatura videretur. In eo debellando alterius Medici conſilio per multum temporis fruſtrà uſa erat: nec pepercit ullis remediis, tam chirurgicis, quàm pharmaceuticis. Advocatus morbum in bronchiis pulmonum ſtationem, firmamque ſedem habere quàm primùm agnovi: quapropter curam eò eſſe dirigendam ſtatui, ut crudos, atque viſcidos humores inde educerem, quod facillimè præſtitit vomitus. Hic bis in hebdomade concitatus per pilulas catholicas, citò, & tutò morbi radices evulſit. Etenim ſequenti nocte, poſt primam aſſumptionem dictarum pilularum, quieſcere cœpit, & quæ priùs totâ nocte errabunda vigil per cubiculum deambulaverat, in lecto blandè dormivit. Et quia (*b*) *cauſa fovens erat menſium ſuppreſſio*, apozema aperiens ad aliquot dies, tabellulâ ſequenti priùs devoratâ, accepit.

℞. Galangæ, macis cinnamomi, an. ʒ. ß. ſem. aniſi, fœniculi, an. ℈. j. croci martis reverberati ʒ. ij. ſacchari albi aquâ arthemiſiæ ſoſoluti, & cocti, ℥. iij. miſce, fiant rotulæ, quarum accipiebat ʒ. j. ſingulis diebus manè: deſuper bibens ℥. vj. apozematis, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. (*c*) *Rad. Valerianæ*, altheæ, aſparagi, an. ℥. j. ß. fol. arthemiſiæ, calendulæ, pulegii, abrotani, pimpinellæ, an. m. j. bulliant in ſ. q. aqu. cicerum rub. In collat. ℔. iij. diſſolve ſacchari albi ℥. viij. aromatizetur ℥. ß. cinnamomi, & ʒ. ß. croci Orientalis.

His redierunt menſes, & tam firmam adepta eſt ſanitatem, ut ne à decennio quicquam moleſtiæ perſenſerit.

NOTÆ in CAPUT XVI.

(*a*) *In vehementiſſimum aſthma.* Aſthma fit, quando ſanguis non liberè per cor & arterias circulatur, ſed ibi ſubſiſtit, angorem, ſuffocationis metum, cordis palpitationem & ſincopem non rarò excitat. Eſtque aſthma vel humidum vel ſiccum, ſiccum ſpaſmodicum eſt, & quaſi pulmonum apoplexia: Humidum autem vel ſanguineum vel pituitoſum: hoc diuturnum eſſe ſolet, & fit à muco tartareo cellulis pulmonalibus impacto. Illud autem fit à ſanguinis impetu ad pulmones vergente, & tale obſervatur maximè à ſubito ſuppreſſis & repreſſis hæmorrhagiis, & à ſpaſmo partium ſanguinearum abdominis.

(*b*) *Cauſa fovens erat menſium ſuppreſſio.* Hac colluvies & collectio fit ſanguinis ſeroſi impuri in corpore; pulmones autem cum corpus ſint laxum, ſpongioſum, poroſum, in illorum cavernulis facile ibi pituitoſæ, viſcidæ, mucoſæ ſordes ſubſiſtunt, & aſthma pariunt.

(*c*) *Radix valerianæ.* Specifica emmenagoga, quæ ſanguinem rarefaciunt & venas uti aperiunt, ſunt potiſſima hæcce, nimirum ſabina, crocus, myrrha, ſuccinum, cinamomum, radix valerianæ, artemiſia, pulegium, baccæ lauri, omniaque ſalia volatilia oleoſa: Quæ tamen nunquam adhibenda ſunt, niſi prius copia ſanguinis dempta per venæſectionem fuerit, & impuræ ſeroſæ ſordes debitè expurgatæ: Alias vitioſam humorum colluviem agitando & ad uterum illam movendo obſtructiones in ejus venis firmiores ingignunt & alia graviora ſymptomata acceſſunt.

CAPUT XVII.

De tertiana febre, cum graviſſimo dolore ventriculi.

Domina Laura Stiatica, puella annorum 14. ſuperioribus annis duplici tertiana ſpuria graviter cum (*a*) *acerbiſſimis ventriculi doloribus* vexabatur. Ei occurrendo, viam communem inſequuti ſumus, dando ei minorativum, ut dicunt, ex mannæ Calabrinæ ℥. j. ß. & ſyrup. roſ. ſol. ℥. ij. cum decoct. fl. & fruct. cum ſena. Pro ſyrupis, ſeu julepis decoctum cichorii, endiviæ, fumariæ, cicerbitæ, lactucæ, acetoſæ & pimpinellæ. His nihilum proficientibus, imò ventriculi dolore efferatiore reddito, ſpecificum ſtomachicum noſtrum cum aliquot granis antipyreti ad tres dies dedimus, quibus dolor, & febris penitus receſſerunt. Qui his ſunt deſtituti remediis, ægros ſæpè interficiunt, aut morbos in longum protrahunt.

NOTÆ in CAPUT XVII.

(*a*) *Acerbiſſimis ventriculi doloribus.* Si per aliquot menſes circa ventriculum & lienis regionem dolores vehementiſſimi & indefinentes urgent, ita ut præ dolore vigiliis macies corpori inducatur, fruſtra datis evacuantibus, anodynis, ſæpiſſimè obſtructio ſcirrhoſa ſubeſt vel ipſius pancreatis, vel etiam ipſius pilori & duodeni, quale exemplum refert Riverius *in obſervat. XC. centuriâ I.* alias omnia antiſpaſmodica, anodyna carminativa omne abſolvunt tali in caſu punctum.

CAPUT XVIII.

De angina cum febre, &c.

Domina Lucretia de Naſis vidua, *nelli Vinazzi* commorans, annos 30. nata, (*a*) *anginâ acerbè conflictabatur*, cum febre ardenti, gravi ſpiritu, & aliis graviſſimis ſymptomatibus. Cum primùm acceſſiti, venas ſub lingua tundendas curavimus. Inflammatione & dolore mitioribus factis, (*b*) *potionem ex agarico*, ſena, ſyrupo roſato ſol. cum elect. de ſucco roſarum ad ʒ. ij.

ʒ. iij. exhibuimus. Syrupis poſtmodum ad aliquot dies exhauſtis, facillimè curationem abſolvimus. Communibus utimur remediis, quando morbi non ſunt pertinaces, & præ manibus morbo accommodata remedia habemus. Ea tamen ſi chymicè pararentur, tutiùs, jucundiùs, & faciliùs ſuccederet uniuſcujuſque remedii operatio, & æger jam morbo oppreſſus medicaminis ingrato ſapore, & odore non terreretur.

NOTÆ

in CAPUT XVIII.

(*a*) *Angina acerbè conflictabatur.* Eſt hæc non tantum pediſſequa febrium ardentium, verum etiam ſoboles ſcorbuti & ſanguinis æſtuantis copioſi ſalini, maximè ſi tranſpiratio in taliſmodi corporibus à frigore extrinſeco impeditur. Similem effectum obſervavi ex nimia ira. Sanguinis miſſio tum è brachio, tum è venis raninis neceſſariò tunc eſt, poſtea alvus enematibus aperienda, & nitrum cum camphora ad inflammationem avertendam propinanda eſt. In quacunque angina ſpuma oris obſervatur, ſummum periculum præſens eſt, fit hæc dum arteriæ tum fibræ pulmonales & arteriæ aſperæ per conſenſum ſpaſmodicè contrahuntur. Fernelius *Lib. V. Pathologiæ cap. 9.* teſtatur ſe octodecim horarum ſpatio angina correptum è medio ſublatum ſæpè vidiſſe conſtante mente integriſque menſibus.

(*b*) *Potionem ex agarico.* Inflammatione & dolore mitioribus factis pilulæ purgantes vel potio laxans exhibenda eſt: Purgantia enim in omni difficultate reſpirandi, item angina ſuſcitata à rapido motu ſanguinis calidi ad fauces, præſentaneum levamen afferunt, quippè purgando vaſa primarum viarum deplentur, unde humoribus circa fauces ſtagnantibus via panditur ad depleta vaſa ſubeunda. Notabiles hiſtorias de uſu purgantium eximio in angina & faucium moleſtia notavit Antonius de Heyde *in obſerv. 1. & 2.*

CAPUT XIX.

De ſuppreſſione urinæ.

Admodum R. P. D. Antonius Bononienſis, Monachus Cæleſtinus in Cœnobio D. Stephani, annos 40. natus, à tribus diebus (*a*) *urinæ ſuppreſſionem* patiebatur, cum graviſſimis doloribus in pectine, & inguinibus, febre, convulſionibus, & aliis graviſſimis ſymptomatibus. Tot mala fuerunt ſuſcitata (*b*) *à candelis quibuſdam cereis* unguento pro carunculis atterendis illitis quas ſingulis diebus intromittebat in virgam, ex conſilio cujuſdam agyrtæ. Quum primùm advocatus eſſem, ſequens enema ipſi præſcripſi.

♃. Decoct. communis clyſt. carminat. ℔. j. elect. de baccis lauri, benedict. laxat. an. ʒ. vj. terebint. communis ℥. j. ol. anethini ℥. iv. miſce, fiat clyſter. Reddito clyſtere; fotum pectini admovendum juſſimus.

♃. Baccarum lauri, bacci juniperi, ſem. cymini, fœniculi an. ℥. iv. fol. ruthæ, abſinthii, majoranæ, praſſii albi, origani, calament. pulegii, an. m. ij. bulliant in ſ. q. vini & aqu. Poſt fotum inungebatur pars affecta ol. ſcorpionum. Intrò dedimus guttas 4. olei vitrioli cum juſculo pulli. Et his brevi, & intra tres horas convaluit.

NOTÆ

in CAPUT XVII.

(*a*) *Urinæ ſuppreſſionem cum graviſſimis doloribus.* Variæ ſunt cauſæ ſuppreſſæ urinæ, vel calculus in viis urinariis hærens, vel etiam ſpaſmus illarum viarum, quo ipſæ anguſtantur & conſtringuntur; unde patet, cur colicæ ſpaſmodicæ doloribus ureterum à calculo graviſſimis complicetur hic affectus. Omnes etenim dolores aliquid ſpaſmodici fovent. Confirmat illud ipſum aſſertum hiſtoria ſingulari Bonnettus *in ſepulchretto Lib. 1. obſervat. 13.* Nimirum refert, puerum à caſu in occipitium poſt alia ſymptomata demum cum ventris intumeſcentia per aliquot dies ad interitum uſque in iſchuriam minus ſolubilem fuiſſe conjectum, ipſo autem defuncto urinam per horæ quadrantem continuò profluxiſſe, ſpaſmis ſcilicet veſicæ ceſſantibus. Præter ſpaſmum etiam ſanguinis copia circa renes & vaſa nimium repleta & diſtenta affectum hunc producere poſſunt, uti illud ſæpius fit in nephritide, ubi phlebotomia largior in manu celebrata affectum ſuppreſſorium illud ſanat, poſſunt de hac re notabiles hiſtoriæ legi apud Riverium, *vide centur. I. obſervat. 1. & obſerv. 89.*

(*b*) *A candelis cereis.* Dolores ab applicatione candelarum acri medicamento pro carunculis abſumendis imbutarum enati fuerunt, ſimiles obſervationes tradit Hildanus *in centur. V. obſerv. 54. & obſ. 59.* Conveniunt tunc anodyna & antiſpaſmodica remedia, quæ ſpaſmum ſiſtendo vias laxant.

CAPUT XX.

De lue venerea, cum hydrope, cura rara, & admodum difficilis.

Pompejus de Blanchis *nella Maſcarella*, annorum 18. ab aliquot menſibus luem veneream cum puſtulis, pilorum defluvio, ſcapularum, & brachiorum nocturnis doloribus, & aliis ſymptomatibus contraxerat. Is eo in ſtatu intemperanter vivens, hydropem (*a*) *anaſarcam dictæ lui ſuperaddidit*, in quo affectu totum corpus mirificè intumuerat, capite, brachiis, abdomine, & cruribus eodem tumore æqualiter diſtentis. Urina alba erat, craſſa, jumentorum urinis haud valdè diſſimilis, & in magna quantite, contra hydropicorum conſuetudinem. Sitis in eo ingens erat, cum perpetuis vigiliis, febre lenta, & aliis. Hydropem à vigiliis illis continuis, ob nocturnos dolores à lue venerea concitatos, traxiſſe originem minimè diffido. Fit & propter vigilias maximus crudorum proventus, nulla fit, aut exigua inſenſibilis tranſpiratio, ſitis excitatur, hinc largior potus, unde hypochondriorum refrigeratio, à quibus flatus, & aqua. Ad tot mala propulſanda, methodo quàm facili uſi ſumus. Primis diebus, ut lues, primarius affectus, ſummoveretur, medicamentum ſiccum nobis in inveteratis morbis Gallicis uſitatiſſimum uſurpavimus, (*b*) *extractum videlicet antivenereum*, de quo in noſtra *Pharmacop. Spagyrica.* Et ut ſimul hydrops expugnaretur, ipſi extracto immiſcuimus ſulphur metallorum: quibus brevi priſtinæ ſaluti reſtitutus fuit. Evacuatio in hoc affectu ferè nulla fuit. Virus Gallicum, ut admittitur, ita ejicitur. Hydrops leucophlegmatia, per concoctionem, & non per evacuationem ſubigitur. His evictis, cuncta evanuerunt ſymptomata. Vos interim in conſilium advoco rerum Chymicarum oſores: quæ indicationes? quæ remedia? præmittere cathartica, & phlebotomias omninò mortiferum; decoctionum, & actu humidorum uſus ſuſpectus eſt. Sunt pulveres, electuaria, tabellulæ, pilulæ, & ſimilia, ſed invalida cuncta. Docti me intelligunt, ignaros, & loquaces pſittacos non compello.

NOTÆ

in CAPUT XX.

(*a*) *Anaſarcam dictæ lui ſuperaddidit.* Gallica lues & anaſarca facile ſororiari & complicari poſſunt: in utroque enim ſanguis limoſus & tenax eſt, qui in habitu corporis hærens intumeſcentiam gignit; Lue hac infectorum è vena emiſſus glutinoſus utplurimum conſpicitur. Notabile eſt, quod ſcribit Nicolaus Maſſa *in Tomo I. Epiſtola* 30. ſe nimirum cadavera innumera morbo Gallico defunctorum ſecaſſe, quorum ductus ac venæ pituita alba viſcida plenariè obſeſſæ fuerunt, pauco in illis exiſtente ſanguine.

(*a*) *Extractum antivenereum.* Poteſt tale parari ex reſina ligni guajaci, aloës, ladani, mixta cum mercurio dulci ſeu mercurio albo præcipitato, addito oleo ligni ſaſſafras; hoc in pilulas redactum per menſem ad ſminimum integrum exhibendum eſt. De quibus æger capere debet quatuor horis matutinis & totidem pomeridianis, non omiſſo uſu pilularum purgantium; ſic perfectè gallicæ luis ſymptomata, ſi non adeò inveterata ſunt, citra ullam moleſtiam expugnari poſſunt.

CAPUT XXI.

De repentina corporis inflatione, cum puſtulis exiguis, pungenti dolore, febre lenta, marcore inſigni.

PAris de Schiettis, ex his quos *torlidores* appellant, annum 25. agens, in via, quæ vulgò *di San Mammolo*, commorans, à multis annis inauditæ, & planè portentoſæ totius corporis intumeſcentiæ, cum puſtulis exiguis, & permoleſto dolore obnoxius erat. Suſcitabatur ejuſmodi inflatio cum febre, nauſea, ſiti, & vigiliis ad menſem ſæpe permanentibus. Alios Medicos etſi conſuluiſſet, nihil opis ab his tamen retulit, illos quandoquidem morbi cauſa lateret, & ex eo quòd continuò refrigerantia, phlebotomias, & purgantia in ejus curam advocarent, à quibus pravam corporis habitudinem nactus, in maraſmum incidebat. Ego mali cauſam in (*a*) *pororum cutis aſtrictione* conſiſtere certò ſciens, ad eorum laxitatem promovendam omnem medendi methodum direxi. (*b*) *Balnea* ad hoc perneceſſaria in principio præſcribere non erat locus, quòd adeſſet ſumma virium proſtratio, & marcor inſignis, ventriculi nauſea cum apepſia. Quare quàm primùm ipſi dedimus ſtomachici noſtri ſ. q. cum tantillo auri diaphoretici, quibus febris evanuit, appetentia rediit, & vigiliæ ceſſârunt. Balneum poſtmodum imperavimus ex aqua dulci. Victus fuit humectans, & mediocris. Jam 13. anni elapſi ſunt ab hac cura, à qua ſemper feliciſſimè vixit, nullis morbis obnoxius. Quid ergo cornicamini viperinæ linguæ? intra annum (dicitis) intereunt, qui Chymicis remediis utuntur. Aſini ſpernunt, quæ ſuis non arrident palatis.

NOTÆ

in CAPUT XXI.

(*a*) *In pororum cutis adſtrictione.* Intumeſcentiæ inſolitæ abdominis & corporis cauſſa in morbis adſcribi meritò debet ſpaſmo vehementiori partium muſculoſarum carnearum. Eſt ſolennis talis intumeſcentia corporis poſt venena aſſumpta cauſtica, quæ ſpaſmodica conſtrictione & corroſione tragœdias ſuas ludunt: Conſtrictis autem poris humores ſubjecti in fermentationem adacti vapores emittunt, quibus cum liber tranſitus denegetur, mirum attollunt & extendunt circumjacentes partes.

(*b*) *Balnea.* Præprimis ex antiſpaſmodicis nervinis & emollientibus herbis parata egregiam in omnibus pathematibus, affectibus etiam doloríficis opem ferunt, poros aperiendo, illoſque laxando, & acrimoniam humorum mulcendo.

CAPUT XXII.

De cæcitate, & graviſſimo oculorum dolore à multis menſibus deplorato & Medicis incurabili habito.

DOmina Urſina Franciſci Camerini ſartoris uxor, in via *del Chiavadore* commorans, annum 30. ſuæ ætatis agens, à tribus menſibus oculorum ſuffuſionem contraxerat, cum acerrimo, & (*a*) *acutiſſimo dolore*: cui ut ſubveniret alter Medicus, multa toto illo tempore incaſſum remedia dederat. Imprimis purgationes reiteratas, julepos, & ſyrupos capitales, & alterantes, pilulas plures etiam reiteratas, coccias, de agarico, lucis, & ſimiles; phlebotomiis, ſanguiſugis, cucurbitulis, frictionibus, & aliis medicis tormentis minimè omiſſis, imò pluries repetitis: evacuationibus ſemper præmiſſis; cauteriis in utroque brachio concitatis, atque in nuca ſetone. Quid? miſellam tot crucibus dilaniatam, mortem potiùs quàm vitam oppetere vidiſſes. Medicos, Pharmacopœos, & Chirurgos perhorreſcit ipſa, & eorum quæque non remedia, ſed venena appellitat: nec ſine cauſa; nam his invitis, morbus ſemper invaluit, & ad morbi ſævitiam, loco remedii, cruces & flagella addita fuerunt.

Quis non mecum malam mortalium ſortem ingemiſcat? Videte proximum languoribus, & doloribus dilaniatum, & auxilii loco graviores morbos, flagella, & cruces ipſi imponi! O cæcas mentes! Quid vobis confert titulorum hones, & gloria? Petenti panem, dabimuſne ſcorpiones? Abſit, nobis præfixa charitas in omnibus noſtris prævaleat ſemper. Itaque diris his malis afflictam ſequenti methodo brevi ſublevavimus.

Nauſeabundo ventriculò, tot remediis perperàm adhibitis fracto & dejecto, tanquam parti publicæ, ſine qua nulla corporis actio perfecta eſſe poteſt, ſtomachicum pulverem noſtrum ad aliquot dies dedimus: eo ſenſim prava ſymptomata, à remediis malorum Medicorum ſuſcitata evanuerunt. Roborato ventriculo, decoctum cholagogum, & cephalicum ad 20. dies accepit, à quo cæcitas, & dolor penitus receſſerunt, atque priſtinæ ſanitati reſtituta fuit, nec à decennio poſt curam ullum vitæ incommodum perſenſit.

NOTÆ

in CAPUT XXII.

(*a*) *Acutiſſimo dolore.* Dolor oculorum inflammatorius ſcorbuticis admodum familiaris eſt; hinc arthriticis etiam communis. Videtur ille dolor nihil aliud quam ſpaſmus tunicarum oculi ſubtiliſſimarum cum circulatione lymphæ ac ſanguinis per has partes impeditiori. Cauſſam hic ſuggerit ſal acre ex maſſa humorum præcipitatum & circa tenſiles membranarum oculi fibrillas hærens. Obſervavi hunc affectum ex retropulſis in facie puſtulis per medicamentum externum adſtringens. A tinea capitis repercuſſa externo remedio olim in milite conſpexi intenſiſſimam oculi inflammationem cum ſuppuratione & ſubſequente cæcitate. Sanguinis miſſiones, purgantia, cucurbitulæ, veſicatoria revellendi fine equidem utilia; aſt non omne punctum abſolvunt, ſi fomes morboſus

boſus eſt in maſſa ſanguinea, Antiſpaſmodica, diſſipantia, camphorata & anodyna tàm internè quàm externè deſideratiſſima ſunt. Si autem in abdominis partibus obſtructis radicatur malum, acidulæ, martialia, nitroſa & leniora evacuantia in uſum trahenda ſunt.

CAPUT XXIII.

De duplici tertiana cum atrociſſimo capitis dolore, & aliis.

IN communibus morbis, quibus radices haud altè defixæ ſunt, à communi medendi methodo minimè recedimus: Cùm itaque duplici tertianâ laboraret Thomas Spadarius, annos 40. natus, in via *della Braina*, & ſtatim primis diebus advocatus fuiſſem, ipſi præſcripſimus ſequentem potum.

♃. (*a*) *Mannæ Calabrinæ* ℥. ij. ß. diſſolve in decoct. pectoral. ſ. q. in quo bullierit thamarind. ℥. ß. Repurgato corpore, ſequentibus diebus dabatur juſculum, in quo incocta fuerant fol. hederæ terreſtris, pimpinell. & acetoſæ. Et quia nauſea, & ventriculi dolore haud leviter vexabatur, ſanguis è brachio non fuit detractus; febre tamen reluctante, ex hæmorrhoidalibus venis ad 3. vel 4. uncias eductus fuit, cui remedio non cedente febre, (*b*) *antipyreton* tandem noſtrum ad 3. dies dedimus, quo perfectè febris propulſata fuit.

NOTÆ

in CAPUT XXIII.

(*a*) *Mannæ calabrinæ.* In omni febre intermittente prima regio probè expurganda eſt à ſordibus ſalino-viſcidis, in quibus ut plurimum minera morbi delitescit, non autem hunc in finem omne purgans promiſcue eſt adhibendum, ſed potius tale, quod præter vim purgantem & facultatem habet reſolvendi, abſtergendi & incidendi, hinc ſalia v. g. arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, terra foliata tartari, ſal ſuccini, ſal ex capite mortuo, ſpiritus ſalis ammoniaci extractum, huic ſcopo maximoperè idonea ſunt, modo acuantur cum aliquot granis vel reſinæ galappæ, vel reſinæ ſcammonii, vel etiam, ſi febris contumacior, mercurio dulci. Manna, folia ſennæ aliaque lubricantia & laxantia huc non ſpectant, quoniam magis ventriculi digeſtionem turbant.

(*a*) *Antipyreton.* De hoc jam diximus ſuperiori in loco: Nos non ſemel feliciſſimo ſucceſſu in depulſandis intermittentibus etiam contumaciſſimus uſi fuimus liquore martiali è capite mortuo florum ſalis ammoniaci martialium parato, qui præmiſſis præmittendis doſi juſta oblatus febrim in momento tollit, appetitum acuit, urinam, quæ antea turbida erat, claram efficit, ſomnum inducit: Nonnunquam etiam ſalivam, nauſeam imò & ſudorem excitat. Similes effectus à tinctura martis ſolari collegit Clariſſimus D. Wolffius *in miſcellaneis Natur. Curioſ. Decur. II. ann.* 8. *obſ.* 190.

CAPUT XXIV.

De duplici tertiana cum inſigni lienis tumore.

PErilluſtr. Dominus D. de Cheſſi, Illuſtriſſ. Domini de Fourſi filius, tunc Româ Bononiam tranſiens, poſt diuturnas febres duplicem tertianam in itinere contraxit, cum inſigni virium dejectione, & (*a*) *lienis tumore.* Contumaciſſimæ ejuſmodi febris indicationes erant, craſſam materiam in hypochondriis conſiſtentem attenuare, attenuatam diſſipare, & foras protrudere; at viſcera febrium diuturnitate fracta, nec non imbecillia reddita, contrarium indicare videbantur, videlicet ſui ipſius roborationem. Inſuper diſcutientia calida ſunt omnia, & febri minimè apta, ex Medicorum cenſura. Hæc duo contraindicantia ſalutem Perilluſt. Patientis procul abeſſe quoquo pacto indicabant. At nos alia methodo, & aliis præſidiis inſtructi, quàm hodie Medicorum vulgus, has indicationes haud comperimus contrarias: nec Pànicus ille terror nobis obſtitit, quin brevi unico remedio febrem expulerimus, & lienis tumorem diſſolverimus, noſtro videlicet antipyreto, quod accepit ad 12. vel 15. dies, bis in die. Et quia lienis tumor non in totum ſublatus erat, & ipſe Dominus repetere patriam enixè volebat, electuarium, quo quotidie uteretur, hoc præſcripſimus.

♃. Conſerv. beton. roſar. ceterach, an. ℥. ij. Croci martis ℥. ß. ſalis betonic. ʒ. ß. miſcebantur pro electuario, cujus uſus fuit in itinere, quoad Pariſios natale ſolum perveniret.

NOTÆ

in CAPUT XXIV.

(*a*) *Lienis tumore.* Omnis tumor notat obſtructionem, qua non ſublata febris difficulter ſanatur, martialia autem amara & ſalina in eo omnibus palmam præripiunt. Martialia partim abſorbendo acidum operantur, partim leniori adſtrictione fibris nimis laxis robur & tonum reſtituunt, ne humores ibi tam facilè hæreant.

CAPUT XXV.

De duplici tertiana, & lienis tumore.

DOminus Albertus Polſonus, in via Sancti Stephani, annos 30. natus, duplici tertianâ cum pravis ſymptomatibus graviſſimè detinebatur, à qua citò antipyreti noſtri beneficio liber evaſit. Lienis tumor, cui jamdudum obnoxius erat, aliquantulum creverat: hac de re febre fugatâ, electuarium ſequens ad aliquot dies ipſi conceſſimus.

♃. Conſerv. ceterach. betonic. & roſar. an. ℥. ij. Specifici ſtomachici, ʒ. j. (*a*) *Croci martis* ʒ. ij. Olei ſulph. ℈. j. miſce. Doſis erat ʒ. iij. ſingulo die, manè. Ab illa die ſanus vixit ſemper, decennio à cura jam exacto.

NOTÆ

in CAPUT XXV.

(*a*) *Croci martis.* Martialia, ubi viſcera vel ſanguine limoſo vel amurca mucoſa tumida ac infarcta ſunt, mirifice proſunt, non tàm reſolvendo & incidendo, uti quorundam eſt ſententia, ſed magis fibras motrices nimis laxas roborando & adſtringendo. Hac adſtrictione procuratur motus & impulſus humorum, dum fibræ motrices & vaſa excretoria elaſticitatem & reniſum majorem acquirunt: quare obſervamus poſt data martialia pulſum ſtatim fieri celeriorem: in quibuſdam etiam ſubjectis alvum ſollicitant, ac ſi purgans eſſet propinatum, in aliis ſudorem vel urinæ fluxum provocant, in quibuſdam etiam alvum conſtrictiorem reddunt. Benè monet Tackenius *in clave Hippocratica pag.* 181. quod illis, qui calidioris & ſiccioris naturæ ſunt, & ad ſcirrheſcentiam diſpoſita viſcera habent, infenſa ſunt: E contra, quorum viſcera ſaburra pituitoſa obſeſſa ſunt, iis magnam opem præbent, vid. Borrichius *Hermet. ſapient. pag.* 303.

CAPUT

CAPUT XXVI.

De paralyſi cum graviſſimis ſymptomatibus.

CYrus Barbetta ex officio figulus, annos 53. natus, in via *del Pradello*, à tribus menſibus paralyſim, dextrum latus obſidentem, contraxerat, cum (*a*) *acerrimis occipitis doloribus*, vertebris ſuperioribus diſtortis; ob id (*b*) *collum adeò vehementer obriguerat*, ut ligneum planè appareret: quæ concomitabantur vigiliæ infeſtiſſimæ, & crebri motus convulſivi in ſcapulis, & dorſo, mœſtitia item, & apepſia. Traxerat originem iſte affectus à levi capitis dolore, cui ut ſuccurreret alter Medicus, ipſi multa incaſſum præſcripſerat remedia. Morbo ſic indies invaleſcente, in paralyſim, & prænominata ſymptomata incurrit: quibus idem Medicus ut mederetur, denuò multa planè irrita admovet; purgantes potiones, capitales, & phlegmagogas minimè omittit; phlebotomias in brachiis bis repetit, nucha ſetone vexatur, podex ſanguiſugis afficitur, ſcapulæ cucurbitulis dilaniantur, brachia tandem cauſticis inuruntur, & in vanum omnia. Miſer ſuam ſalutem conclamatam exiſtimans, ad me tanquam ad extremum aſylum refugit. Primis diebus pilulas catholicas ter ipſi dedimus. Sequentibus diebus decoctum ſequens.

℞. Ligni ſaſſafras ℥. j. baccarum lauri, j. ß. Infundebantur in ℔. vj. vini albi per 12. horas: demum coquebantur ad medietatem. De colatura dabantur bis in die, ſerò & manè, ℥. v. pro doſi.

Intra octo dies capitis dolor evanuit, & paralyſis cum omnibus ſymptomatibus obliterata fuit. Agit nunc octavum Annum à cura ſanus, & impoſterum ipſum meliùs valere exoptamus.

NOTÆ

in CAPUT XXVI.

(*a*) *Acerrimis occipitis doloribus.* Acutiſſimum capitis dolorem in parte poſtica non ſemel in fœmina hyſterica obſervavi cum ſiti & vigiliis, caput interim non incaluit, mox ſincope & paralyſis lateris dextri superveniebat cum nuchæ ſtupore ac ingenti rigiditate, aſthmate convulſivo ſuffocativo. Poſt clyſteres præmiſſos & venæſectionem adminiſtratam extrinſecè linimentum antiſpaſmodicum larga manu nuchæ & occipitis parti applicatum levamen attulit eximium. Conſtat hoc ex aquâ Anhaltina, ſpiritu lumbricorum, camphora, caſtoreo, oleo nuciſtæ expreſſo, ac balſamo peruviano.

(*b*) *Collum obriguerat.* Terribilem colli ſpaſmum ante aliquot annos vidi in viro quadraginta annorum, qui in autumno aëre exiſtente frigidiore per aliquot dies iter faciebat, mox ſentiebat crudeliſſimum dolorem pone aurem ſiniſtram, & caput hinc inde cœpit trahi retrorſum verſus ab uno latere ad alterum, poſt propinata ſudorifera volatilia nec non purgantia varia & remedia cephalica exaſperari potius malum cœpit, & caput ad dextrum latus convulſum uſque ad ſcapulam erat, ut non niſi vi ad naturalem ſitum reponi potuerit, muſculus nuchæ, qui caput retrorſum à tergo movent, omnibus graviter effectis, & qui in colli ſiniſtra parte ſunt, valdè relaxatis. Multa fruſtraneo conatu exhibita fuerunt, veſicatoria ſcapulis adhibita, venæſectio celebrata, ſanguine roſei coloris exiſtente. Æger valde inquietus erat, modo acceſſere lypothymiæ; modo convulſivi motus in toto corpore. Unguenta & emplaſtra emollientia ac anodyna benè profuerunt, calidiora & exſiccantia obeſſe viſa ſunt; Unguentum autem adhibitum fuit tale: Recipe pinguedinis humanæ, anguillæ, taxi, olei lumbricorum coctorum ana drachmas duas, pinguedinis caſtorei drachmam unam, olei nuciſt. expreſſ. drachm. tres, camphoræ, balſam. peruvian. ana drachm. ſemis, ſpiritus ſalis ammoniac. gutt. 15. Hoc linimentum antiſpaſmodicum in omni convulſione, epilepſia & ſpaſmo convenientiſſimum eſt, ſi collum cum nucha, totaque ſpinali medulla ipſo inungatur. Tandem autem æger hic circa æquinoctium vernum convaluit, convulſiones colli paulatim remiſerunt, & caput ad naturalem motum & ſitum rediit.

CAPUT XXVII.

De continuo, & permoleſto aurium tinnitu, cum pruritu, & gravi auditu.

DOmina Valeria Domini Alexandri de Monte uxor, prope Divi Pauli Fanum commorans, annos 33. nata, à multis annis, gravem & moleſtiſſimum aurium tinnitum, & pruritum patiebatur, non citra auditus læſionem. Oriebatur ejuſmodi affectus à quodam humore craſſo & ſalſo, è cerebro illuc affluxo; is in intimo aurium ductu conſiſtens (*a*) *nonnulla ulcuſcula* pepererat. Eo tempore Medicos nonnullos fruſtrà conſuluit: & quotannis, vere & autumno, ipſi non pauca in eo tentârunt remedia, nec ſine ſanitatis jactura: ea ſiquidem naturæ ordinem demoliuntur, & nos ſæpè in graviſſima mala impellunt, unde morbi plerumque incurabiles, maximè ſi frequenter reiterantur. Ejuſcemodi ſalſi, & craſſi humoris origo non aliunde, quàm à recrementis cerebri, & hæc à ſuppreſſis menſibus, quibus jamdudum detinebatur. Indicationes in hoc affectu curando fuerunt, ulcus mundificare & exſiccare, menſes movere & caput roborare. Ad menſes, corpore pluries decocto melanagogo & cholagogo repurgato, apozema hyſtericum incidens & aperiens dedimus. Ad aurium ulcus, unguentum roſaceum cum tantillo mellis roſati, mercur. Balſamo per intervalla adjecto, quibus brevi feliciſſimè convaluit.

NOTÆ

in CAPUT XXVII.

(*a*) *Nonnulla ulcuſcula.* Novi juvenem XX. annorum, qui ex variolarum morbo ante quinquennium ulcus contraxit in auribus: tempeſtate auſtrina ſanies fœtida etiam adſtantibus moleſta exſtillat, ſi ſiccus aër eſt, cruſta ſaltim in auditus camera naſcitur. Et notabile eſt, quod clauſis naribus ac ore, buccis inflatis ex aure aëris ſibilum exeuntem percipiat. Id quod indicat oſſa carie affecta eſſe, quo caſu de conſolidatione deſperandum. Præterea capitis gravativum experitur dolorem, ad ſomnolentiam continuò diſpoſitus eſt. Multa adhibita conſilia fuerunt ſuper hunc caſum, ſed fruſtrà, poſt potum coffee & eſſentiam ſuccini ambratam volatilem & fumum tabaci optimè ſe habet, nec tantus, quando his utitur, eſt ſibilus auris, tanta auditûs difficultas & capitis gravitas.

CAPUT XXVIII.

De ſtrumis in collo, marcore inſigni, & lenta febre, à multis annis inveteratis.

(*a*) STrumæ affectus & varius & pertinaciſſimus, Hiſpanis communiſſimus, in nonnullis etiam (*b*) *Italiæ partibus frequens.* Curationem ægrè ſuſcipiunt, & quicquid dicant Medici de earum ortu, & curatione, parum mihi probatur; eò magis, quòd viâ ab his traditâ earum curatio infeliciter ſuſcipiatur. Scrophulæ eâ fortè ratione dicuntur, quòd ſcrophis, ſeu porcis in ea parte frequenter enaſcantur. Quidam ſtrumas à ſcrophulis diſtinguunt, de quo parum laboramus. Utinam earum eſſentiam, & curationem feliciùs aperuiſſent. Nonnullæ equidem ſine dolore induratæ manent, per collum

collum, (*c*) *vel alias partes* glanduloſas, ſixæ, vel mobiles: aliæ, brevi dolentes ſuppurantur, & in ulcera maligna vertuntur. A pituita diverſimodè mixta eas oriri dicere, hucuſque profuit nihil; etenim purgent quantum velint, quid præſtant? magis, atque magis excarnificantur ægri, & inde in marcorem incidunt. Connaturale eſſe vitium ſæpè obſervamus, & id quidem radices in natura altè defixas habere. Ab utroque parente ſano & vegeto ſæpè infecti pueruli prodeunt: & quod mirum eſt, etſi multi infantes ab eodem parente orti, eodem alimento enutriti, in eodem loco nati, & educati, ex his tamen aliqui hac labe infecti, alii non, ſed perpetuò bene valentes vitam degunt. Sic puellulæ nobili cuidam Bononienſi contigit, quæ etſi ab utroque parente ſano & vegeto nata, & fratres, & ſorores optimâ & firmâ valetudine conſtitutos habeat; tamen ferè à cunabulis ſcrophulis, & fœdis illis tumoribus in collo obnoxia fuit; cumque jam 12. annum ſuæ ætatis perageret, & multa à multis Medicis incaſſum experta fuiſſet remedia; unde pro ſanitate marcorem totius corporis, & lentam febrem reportavit, ad me curanda deducitur. Marcori, & febri lentæ apprimè ut proſpicerem, (*d*) *pulverem noſtrum diaphoreticum* cum conſerva roſarum, ad 15. dies, bis in die dedimus, tinctura ſaturni philoſophici his aliquando mixtâ. Purgatio fuit roborando imperceptibilis, per cæcos corporis meatus. Cauſas, & rationes aliò reſervamus; ſat ſi notavero, eo remedii genere marcorem, ac febrem, intra dictum tempus expulſos fuiſſe, & ſequenti unguento mundificatos, carne repletos, ac cicatrice obductos.

℞. Fol. nicotianæ recentis, m. vj. butyri inſulſi ℔. ij. terebintinæ Venetæ, ℥. iiij. miſceantur ſimul, & inſolentur per octiduum, colentur, & torculari fortiter exprimantur: expreſſis adde ceræ citrinæ parum, gummi ammoniaci, galbani, an. ℥. ij. facto unguento, & ferè refrigerato adde pul. antimonii crudi ſubtiliſſ. triti cinnabaris, an. ʒ. iiij. myrrhæ, thuris, an. ʒ. ij. miſce, & fiat unguentum.

NOTÆ

in CAPUT XXVIII.

(*a*) *Strumæ.* Hæ ſunt tumores glandularum colli à concretione lymphæ orti: Vitiatis quippe poris & meatibus glandularum, vitiantur quoque humores: in illis enim particulæ vitioſæ lymphaticæ collectæ preſſione cavitatem ſibi formant, & tenuioribus abeuntibus per poros, craſſiores concreſcunt in tales tumores.

(*b*) *Italiæ partibus frequens.* Solennes etiam ſunt frigidorum locorum incolis, item montanis in regionibus degentibus, ut in Alpibus, montibus Herciniis, imprimis *auff dem vvilden Mann*, nec non in Helvetia, Styria, Carinthia. Certis quoque locis Germaniæ prope Francohuſam, item prope Trefort in diſtrictu Haſſiac. Endemiæ ſunt, forſan ob uſum aquarum, ſale ſtiptico conſtringente turgidarum.

(*c*) *Vel alias partes.* Platerus *lib. III. obſervationum pag.* 650. hiſtoriam recenſet nobilis adoleſcentis Auſtriaci, cui cœperunt ſcrophulæ in ambitu colli enaſci, nec ſolum illic, ſed & ſub axillis glandulæ intumeſcere atque indurari, uti & exiguæ in pectore, dorſo ſub cute patefacere. Inunctio mercurialis adhibita fuit, unde exſpuitio frequens & copioſa ſubſecuta, cœperuntque grandiores ſcrophulæ nonnihil detumeſcere, ſed mox iterum ceſſante ſpuitione augeri. Deinceps & thermæ fuerunt adhibitæ, aliaque externa reſolventia & emollientia, aſt ſine effectu. Tandem cœperunt pedes tumere, illeque difficultate ſpirandi & deglutiendi maximè angi, donec ſuffocatus & extinctus fuit. Sectione facta per longitudinem colli tribus in locis trium digitorum profunditate, antequam muſculi conſpicerentur, latera vulnerum, ſicuti porcis in dorſo apertis lardum ſpiſſum album, ſic & hic alba ſpiſſa craſſa apparuerunt: in quibus undique toto ductu glandulæ nunc parvæ, piſi, nunc majores, fabæ inſtar ſed mutuò cohærentes, & totam illam albam mucoſam ſedem undique opplentes deprehenſæ fuerunt. In taliſmodi ſubjectis videtur nimirum lympha tota ad coagulum admodum prona eſſe, quapropter obſervatum ab Authoribus, quod ſcrophuloſi in interioribus partibus maximè in meſenterio induratas glandulas & ſtrumas facta anatome plerumque habuerint. De quâ re legi poſſunt Riolanus *in anthropographia pag.* 15. Scultetus *obſerv.* 31 *item* Barbette *in praxi Lib. II. cap.* 2. Et Elſnerus *in miſcellaneis curioſis anno VI.* Tandem ſcrophularum anatomen deſcribunt quoque *acta Haffnienſia ann.* 1673. *obſ.* 16.

(*d*) *Pulverem diaphoreticum.* Omnis ſpes curationis, ſi ulla adhuc eſt, expectanda à mercurialibus & alcalinis terreis uſtis & mutatione aëris, aquarum, & victus.

CAPUT XXIX.

De hydrope, leucophlegmatia, & aſcite, à validis catharticis malè adhibitis.

Dominicum Palmarium ex officio *Tiraloro*, annos 27. natum, ad me curandum perduxit Dominus Hieronymus de Senſifabris. Dictus Palmarius, ob officium rotulam ferream vertendi continuò, dolorem graviſſimum in altero brachiorum contraxerat: cui ut occurreret, Medicum adiit. Is falsò dolorem referens lui venereæ, purgationibus ſuis conſuetis præmiſſis cum phlebotomiis, pulverem ex ſalſa parilla, cortice ligni, ſena, turbith, ſcammonea, & aliis per aliquod tempus ipſi præſtitit. At quàm infeliciter, experiebatur miſer ille æger: Loco ſanitatis, febris, & hydrops dolori ſuperadduntur; ſitis, & vigilia cum alvi ſuppreſſione, inappetentiâ fiunt morborum comites. Ad me tandem venit. Hydropi, & febri (*a*) *per ſulphur, & crocum metallorum* proſpicio. Ad vota ſuccedunt omnia: multum urinæ, & ſputi fundit quotidie: jecori vis, & robur ſenſim reſtituitur. Dolor interim, dum hæc perageret, & in requie perſtaret, omninò evanuit. Quæ labore fiunt, requie tolluntur: cui experientiæ ſuffragatur Hippocratis ſententia, & omnium Medicorum aſſenſus. Non verbis, ſed remediis appoſitè datis ægri convaleſcunt.

NOTÆ

in CAPUT XXIX.

(*a*) *Per ſulphur & crocum metallorum.* Dominus A. ſulphure & croco metallorum debellavit graviſſimum hunc affectum ſubſecuto effectu ſalivante & diuretico. Siquæ conjectare fas eſt, crediderim & ejus ſpecificum antihydropicum, quod tantoperè paſſim celebrat, ex eodem fonte derivari, ſive antimonii, ſulphuris & martis ſimul ſobolem eſſe. Crocus metallorum vomitorius, ſi cum portione ſulphuris communis decenti ignis temperamento miſcetur, faceſſit in medicamentum manſuetum diaphoreticæ & ſalivantis virtutis. Et in hoc conſiſtit omnium panacæarum & remediorum heroicorum ex minerali regno depromptorum vis atque efficacia, quod nimirum cuncta hæc agant deobſtruendo, quod fit, dum particulis ſuis ſubtiliſſimis, ſolidis tamen vividum fibris vaſorum motricibus & excretoriis partibus rurſus injungunt motum impulſumque, unde hæ antea langueſcentes & ad obſtructiones diſponentes officii ſui memores non tantum inhærentes particulas fortius impellunt, ſed & alias prætervehentes in motum celeriorem adigunt. In motum autem validiorem redactis corporis noſtri humoribus, obſtructiones graviſſimorum affectuum genitrices ſponte tolluntur.

CAPUT XXX.

De vulneribus juncturarum, cum oſſium fractura, facilis, & inaſſueta methodus.

MEdicam artem ratione, & experientiâ, tanquam duobus cruribus incedere, jamdudum prodidit Galen. poſteriorum Medicorum diſcrepante nemine. Et reverà, ut temerarium & inconſultum, experientiæ contradicere; ita ſapiens & juſtum, rationi obtemperare. Mihi ergo, cui firmiter reſidet in pectore, hos in arte tanquam præcipuos præceptores, & duces habere, quid in omnibus morbis medendis ſtatuerint antiqui, in vulneribus præſertim minimè ſequor, experientiâ, & ratione maximè contrarium docente. Et, ut res exemplis illuſtrior reddatur, quâ arte opem tulerim (*a*) *vulneratis aliquot*, extra communem medendi methodum paucis aperiam. In primis hîc Bononiæ, cùm degeret nobilis Dominus Carolus *de Nivelet* Gallus, is in prima dearticulatione phalangis, noctu, clam à ſicario vulnus ingens accepit, quo vulnere præciſi fuerunt 4. digiti ad exceptionem cutis, ſolius indicis oſſe non in totum fracto; cæteri tres pauxillùm cuti hærebant, pendentes eâ portiunculâ; quaſi ex induſtria cæſi. Horrendo, & dolorifico ejusmodi vulneri, & nocte mediâ accepto, extempore balſamum noſtrum vulnerarium tepidè appoſuimus, cum plagulis, & linteis in eo madefactis. Oſſa oſſibus diſpoſita fuerunt primò, & cutis cuti adjecta, quantum potuimus, ac demum manu ſuper tabellulâ extenſa, & digitis eidem aptatis, æger lecto traditus alteram noctis partem feliciter tranſegit, ſine ullo ſymptomate, & qui jam venerat dolor, receſſit: febris itidem, quæ ejuſmodi vulneribus infenſiſſima eſſe ſolet, abfuit per totum curationis tempus. Secundo apparatu manum tabellulæ affixam ſuis plagulis, & faſciis liberavimus; & perſpecto vulnere omni ſymptomate carente, annullari oſſe paulùm à proprio loco emoto, quod quidem iterum in ſuo loco reſtitutum fuit, vulnus ſequenti fotu detergendum curavimus, atque hoc bis in die, antequam novum balſamum admoveretur.

℞. Ariſtolochiæ rotundæ, ℥. j. myrrhæ elect. ʒ. ij. bacc. juniperi, p. j. fol. prunellæ, alchimillæ, vincetoxici, an. m. j. Parabatur decoctum in ſ. q. aquæ & vini, cum modico ſale communi.

Die tertio (*b*) *alvum ſubduximus* cum ſequenti medicam.

℞. Pulpæ caſſ. recent. extract. ℥. j. rhabarb. el. ſubtiliſſ. triti, ʒ. j. miſce, fiat bolus.

Sequentibus diebus (*c*) *potionem vulnerariam* bis in die accepit, quæ ſic parabatur.

℞. Radicum vincetoxici, ℥. j. fol. acetoſæ, prunellæ, piloſellæ, pimpinellæ, ſaniculæ, betonicæ, an. m. j. fol. violarum, p. j. liquirit, raſæ, ℥. ß. Parabatur decoctum in ſ. q. aquæ hordei. De colatura dabatur quantitas ℥. vj. pro ſingula doſi, cum ℥. j. ſyrupi limonum. Ejuſmodi decocti intentio fuit, naturalia viſcera in ſuo robore & officio continere ſanguinem vulneri carne implendo idoneum reddere, & ſitim compeſcere. Victus fuit mediocris: Ova ſorbilia, panis coctus in juſculis carnium, primis diebus pro ferculis dabantur. A vini uſu non abſtinuit, verùm oligophorum, & parum aquâ dilutum dabatur. Exacto 5. die carnibus uſus eſt, & meraciori vino: quo victu alvus laxabatur quotidie, quod raiò contingit in vulneratis, ob victum nimis tenuem, & ob hæmorrhagias, quæ in vulneribus juncturarum contingere ſolent. Et hac methodo, intra 25. dies, oſſibus optimè ferruminatis, vulnus omninò coaluit.

NOTÆ

in CAPUT XXX.

(*a*) *Vulneratis aliquot.* In vulneribus nervorum, oſſium ac tendinoſarum partium valde cavendum eſt à ſaturninis, mercurialibus, acribus, oleoſis, pinguibus: Excipit talem tractationem moleſtum illud ſymptoma, quod dicitur *das Glied-Waſſer.* Conferunt vulneratis dictis partibus balſamica, temperata tamen, quale eſt, oleum hypericonis cum oleo terebinthinæ remixtum. Item emplaſtrum noſtrum polychreſtum additione balſami peruviani pro re nata exaltatum.

(*b*) *Alvum ſubduximus.* Multum moratur conſolidationem vulnerum alvi ſegnities, quare tunc temporis alvum ſemper habere mollem, vel natura vel arte, bonum eſt.

(*c*) *Potionem vulnerariam.* Vulnerariæ ſic dictæ herbæ virtute pollent diſcraſiam ſanguinis & lymphæ acidam maximè & viſcidam corrigendi; pollent namque ſale quodam nitroſo terreo alcalinæ indolis, ob id ſuccus harum mercurii ſublimati ſolutionem turbat & præcipitat. Acidum autem mirificè ſanationi vulnerum reſiſtit; quod extinguendum eſt. Quem in finem alcalina valdè conducunt. Helmontius *cap. III. de lithiaſi* §. 26. meminit ruſtici, qui vulnera ingentia ſolo potu lixivii è tilia confecti curavit, quorum tamen lotium nil prorſus lixiviale oſtendebat.

CAPUT XXXI.

De ſimili vulnere juncturarum cum oſſium fractura.

CAſus ſuperiori haud diſſimilis contingit ferè eodem tempore cuidam fabro nomine Paulo, qui noctu à ſicario circumventus, quatuor digitos in eodem articulo phalangis magno vulnere penè abſciſſos reportavit, oſſibus fractis, & diſruptis, ſola cute volæ manûs exceptâ. Oſſa oſſibus annectens, & vulneris labra ad invicem deducens, ac demum balſamo vulnerario cum plagulis, & faſciis vulneri impoſito, curám feliciter abſolvimus, ſine ullo ſymptomate. Potiones vulnerarias, ut ſuprà diximus, bis in die dabamus, atque iiſdem ſale communi adjecto detergebatur vulnus. Mirum videre eſt, quàm tutò (*a*) *hæmorrhagiæ* firmentur ab admoto balſamo, & dolores, & ſpaſmi recedant. Cæterum ubi nulla, aut exigua adeſt contuſio, nulla aut perexigua fit ſuppuratio: at verò quando adeſt contuſio, vel primis diebus opus eſt validâ & longâ fomentatione, vel ſuppurantia ſunt uſurpanda.

NOTÆ

in CAPUT XXXI.

(*a*) *Hæmorrhagiæ firmentur.* Ramus inſignis venæ medianæ ad pollicem & indicem excurrit; hinc iſto abſciſſo, magna ſequitur hæmorrhagia, quæ pulvere colophoniæ ſubtiliſſimo, qui balſamica vi inſtructus eſt, haud difficulter ſiſti poteſt. Singularem obſervationem, ubi pollex cum magno tendine per morſum equi à manu ſeparatus fuerit, ſanato vulnere tradit Marchette *in obſervationibus ſuis.*

CAPUT XXXII.

De ſimplici vulnere in facie.

DOm. . . . de Serpa, annos 50. natus, in via *di Cento trecenti*, vulnus ingens in facie, quod vulgus *sfriſo* nominat, à proditore noctu accepit. Ut amplum, & profundum, atque à tempore ad mentem diductum, aſpectu horrendum videbatur; cumque vulneris labra inter ſe multum diſtarent, primo aſpectu ſuturam omninò neceſſariam judicabat barbitonſor, qui eum ad me vulneratum adduxit. At ego qui ejuſmodi carnificinam reſpuere ſoleo, & cui cordi eſt tantùm dolentem, & afflictum ſublevare, eâ arte, quam ſuprà dixi, ſine ſutura vulnus brevi ad optatum ſcopum deduxi, labra vulneris faſciis, & plagulis ſimul ad invicem deducendo, atque (a) *oleum vulnerarium parti* vulneratæ admovendo. Nec intereſt ſi primo apparatu vulneris labia ad invicem jungi haud poſſunt, etenim ſecundo aut tertio faciliimè conjungentur; nam ubi nulla ſuperveniens inflammatio, nullus humorum confluxus, cunctæ particulæ ad naturalem locum redire conantur.

NOTÆ in CAPUT XXXII.

(a) *Oleum vulnerarium.* Olivarum oleum ab aciditate ſua probè orbatum, ſi balſamica florum hyperici & millefolii virtute imprægnetur, addito gummi elemi & myrrha, nec non terebinthina, præſtantiſſimum vulnerarium evadit. Ad ulcera autem mali moris mundificanda oleum tartari fœtidum cum balſamo peruviano mixtum commendari meretur. Balſamum *Locatelli*, cujus deſcriptionem vide in inferioribus in omni continui ſolutione tam intrinſece quàm extrinſece effectum præſtat optatiſſimum.

CAPUT XXXIII.

De raro, & inaudito ulcere capitis, in quo cranium ad palmæ latitudinem ſponte emarcuit, in muliere octuagenaria, quæ ſanitati reſtituta cæca evaſit.

VEtula quædam mulier annos 84. nata, ex familia de Bourdinis, in via *di Strà Caſtione* commorans, ſupra verticem capitis lævam verſus, tumorem contraxit malignum ad palmæ latitudinem, cum dolore vehementi, & inflammatione inſigni, cum plumbeo colore. Ad dolorem, & inflammationem compeſcendam, embrocham ex oleo roſato, & oxyrrhodino imperavimus. Intus manna ad ℥. j. cum juſculo carnis dabatur, ut prima regio corporis expurgaretur. Interdum victus humectans, & refrigerans erat ex uſu.

Hæc inter cùm minùs de ſuppuratione cogitaretur, ecce (a) *nigredinem malignam*, & formidoloſam peſtilentiali carboni valdè ſimilem: ea ſuppurantibus procurata, puris multum fœtidi, & ſubviridis fudit. Cùm verò Barbitonſor ulcus goſſypio detergeret, ſub prima cranii tabula ipſum pus emergere deprehendit, ac paucis poſt diebus prima illa cranii tabula, tanquam à candenti ferro uſta à vivo ſenſim ſe ſeparavit. Ulcus tandem more ulcerum cum ſequenti unguento deterſum, mirificè citò coaluit.

℞. Reſinæ pini, picis navalis, an. ℥. ij. terebinth. claræ ℥. j. Vitellos ovorum, No. ij. riſtoloch. arotundæ, thuris, an. ʒ. j. Croci, ℈. j. Olei roſat. parum. Miſce, fiat Unguentum.

NOTÆ in CAPUT XXXIII.

(a) *Nigredinem malignam.* Similem caſum olim Mindæ Weſtphalorum in honoratiori viro ſexagenario notavi: unica in nocte in vertice capitis oboriebatur tumor cum magno ardore, dolore & febricula ſtipatus, exacto triduo conſpiciebantur veſiculæ, quibus diſſectis lympha acris emanabat & nigredo cutis ſubſtratæ apparebat, quæ ſine omni ſenſu erat, ſeparatâ parte corrupta beneficio forcipis, mox cataplaſma balſamicum putredini adverſum camphora probè imbutum applicabatur. Paulò poſt ulcera, quæ etiam ipſum cranii os depaſcebant, præſtò erant, ſtipata virium imbecillitate, calore præternaturali. Intrinſecè alexipharmacis contra malignitatem pugnabatur, ex quorum claſſe non poſſum non laudare ſequens euporiſton probatiſſimum, quod conſtat ex vino, theriaca, lapidibus cancrorum & ſucco cancrorum fluviatilium, hoc debite mixtum & ſufficienti in copia calidè hauſtum, expectando poſt ejus uſum ſudorem gangrænam in inſtanti ſiſtit, & ne ſphacelus ulterius ſerpat, impedit. Externè inſtar omnium eſſe poteſt ſpiritus vini camphoratus cum eſſentia ſcordii & tinctura tartari mixtus, additis floribus ſalis ammoniaci martialibus.

CAPUT XXXIV.

De catarrho à duobus annis inveterato, cum maximâ nervorum imbecillitate.

ILluſtriſſimus Dominus Joannes Malvézzius, annos tunc 24. natus, ante ſexennium in infenſiſſimam capitis defluxionem incurrerat, unde in ſiniſtrum latus irruens, brachii, coccygis, tibiæ, & pedis (a) *illius lateris inſignem impotentiam pepererat.* Tanto affectui ut occurreret, plurium Medicorum ope, toto biennio fruſtrà uſus erat; nec interea pepercerunt rarioribus, & præſtantioribus remediis: ſolitas purgationes, & phlebotomias ſemper præmittentes, ſuis poſtmodum decoctis guajaci, ſalſæ, & ſimilium, in uſum advocatis; cauteriis, cucurbitulis, frictionibus, unctionibus, embrochis, ſuffumigiis, minimè omiſſis. Cùm verò vana, & irrita hæc eſſent omnia, ad eum advocatus, ei quamprimum medicamentum cerebrum, & nervos roborans adhibui, idque cum conſerva roſarum. Decoctum poſtea cephalicum ad 30. dies accepit, oleo vitrioli balſamico per intervalla adjecto: & his paucis, & gratiſſimis, intra ſeſquimenſem, priſtinam recuperavit ſanitatem, quam ad hunc uſque diem firmiſſimam ſervavit, exceptis duobus menſibus peractis, quibus ferè in eundem affectum incurrebat, ni noſtrâ ope confeſtim ſublevatus fuiſſet. Eadem præſidia eidem affectui debellando ſemper conveniunt. Inter roborantia primas tenet aurum noſtrum diaphoreticum: Pulvis ſtomachicus eſt etiam roborans quoddam univerſale.

NOTÆ in CAPUT XXXIV.

(a) *Illius lateris inſignem impotentiam.* Paralyſis ſæpè enaſcitur ex ſpaſmo in principio ſpinalis medullæ ob membranas nimium conſtrictas exorto. Cauſſam hic præbet ſerum nimis acre in cerebro ſeparatum & ad medullam ſpinalem ceu locum inferiorem tranſmiſſum. Hypochondriacis & catharrhoſis hic affectus valdè familiaris eſt nec non illis, qui genus nervoſum debile habent, & ad ſpaſmodicas conſtri-

ctiones

ctiones facile proclive. Hinc per conſenſum etiam paralyſis fit ex colica ſpaſmodica. Non ita pridem fœmina ſummè obeſa, quæ reſinæ gialappæ XII. grana ad purgandum aſſumſit, paulò poſt paralyſi totius dextri lateris corripiebatur cum aphonia, ſtupore mentis, & maximis inteſtinorum torminibus, forſan quod colluvies ſeri impuri copioſi vehementiori motu exagitata ad cerebrum tranſlata ibi partim obſtructiones, partim ſpaſmum pepererit.

CAPUT XXXV.

De tertiana notha.

Perilluſtris Domini Bartholomæi de Bancis uxor, Domina Antonia, annos tunc 20. nata, ſuperioribus annis, *(a) tertianâ nothâ* graviter vexata, hunc in modum ſanitatem à nobis reportavit. Primis diebus corpus blandè purgavimus mannæ Calabrinæ ℥. ij. in aqua cichorii diſſolutis; victu humectante, & refrigerante imperato. Decoctum poſtea refrigerans & humectans, cum ſyrupo acetoſitatis citrii, bis in die ſumebat. Horâ paroxiſmi antipyreton dabatur, quo confeſtim febris feliciter oppugnata fuit. Ventriculo, ob febris æſtum, & bilioſorum humorum motum fracto & languido, ſpecificum ſtomachicum noſtrum ad aliquot dies dedimus, cum conſervis violarum, & roſarum: quibus non ſolùm ventriculi imbecillitas receſſit, verùm & menſtruales purgationes ſtatis diebus fluxêre, & alia quæque ceſsârunt ſymptomata. Videant quàm tutò, citò, & jucundè *(b) ſpagyricis remediis* oppugnentur morbi, & in quas Syrtes ægros præcipitent, qui hiſce deſtituuntur.

NOTÆ
in CAPUT XXXV.

(a) *Tertiana notha.* Appellatur ſic, quando calor non tam acris eſt, nec pulſus tam celer, ſed remiſſior, nec urina flammea, uti in exquiſita eſſe ſolet. Bilis hic magis delinquit mucoſa, quare hæc febris reſolventia & leniora emetica magis requirit, & obſervatum eſt per vomitionem tunc temporis bilem inſtar vitelli ovorum coloratam ejici nonnunquam etiam viridiſſimam: Et facilè tales febres degenerant in lentas.

(b) *Spagyricis remediis.* Eſt laus ſua medicamentis Galenicis, nec non chymicis. Miſer Medicus, qui chymiam ignorat, quæ tam ad theoriam, quàm praxin rationalem ſummè neceſſaria eſt. Chymica maximè ex regno minerali petita concentratioris virtutis ſub minima doſi magnas poſſident vires, in vitrea pituita plurimorum affectuum cauſſa liquefacienda & viſceribus à viſcoſiſſimorum humorum ſarcina liberandis, id quod neutiquam languidiora aperientium decocta (ut ut omnes hic accerſamus.) Pervadunt hæc univerſi corporis ſphœram, & ad remotiſſimas quoque partes virtute ſua pertingunt, quod maximè apparet in antimonio, marte, mercurio, herculeis illis remediis.

CAPUT XXXVI.

De Iſchiade.

Domina Conſtantia N. cujuſdam berretarii *(a) uxor*, annos 40. nata, tetro dolore iſchiadico ſupra vires excruciabatur à nonnullis diebus: cui obviam eundo duplicem indicationem nobis propoſuimus: unam à morbi eſſentiâ, alteram à natura ipſius patientis. *(b) Magno morbo*, atroci, & vehementi, magnum, efficaciſſimum, & velociſſimum remedium conveniens erat: *(c) Delicatulæ mulieri*, debili, conſimile remedii genus minimè aptum videbatur. Quocirca fotus calidos, & aperientes affecto loco admovendos juſſimus, ut

℞. Baccarum juniperi, lauri, fœnugræci, lini, cymini, an. p. ij. herb. menthæ, ſalviæ, roriſmarini, ivæ arthriticæ, arthemiſiæ, an. m. j. coquebantur in ſ. q. aq. & vini pro fotu. Quo peracto, affecta pars ſequenti unguento calidè ungebatur.

℞. Ung. martiati, ℥. iij. ol. laurini, ℥. ij. ol. petrolei, ℥. ſ. miſce.

Intus pilul. catholic. ad gr. viij. dabantur bis in hebdomade. Cruribus poſtea, *(d) cauterium inuri juſſimus*, quibus evanuit dolor, nec ultrà reverſus quinquennio jam elapſo.

NOTÆ
in CAPUT XXXVI.

(a) *Uxor.* Virilis ſexus præ ſequiori alias obnoxius eſt hujuſmodi affectibus, forſan quod non tam ordinate ſtaroque tempore ſuperfluum, parvumque ſanguinem excernat. His itaque deficientibus vel diætæ vitio graviori accedente & ipſæ non immunes ſunt ab his morbis. Cous *aphoriſmo XXIX. ſect. VI.* inquit: Mulier podagra non laborat, niſi menſes ipſi defecerint.

(b) *Magno morbo magnum remedium.* Proportio ſemper debet eſſe inter cauſſam morbi & ipſum remedium. Aureum dictum eſt *Meſuæ*: Eſt prudentiæ granum ad medicinas fortes non devenire, ſi debiles ſuffecerint; & ex adverſo timiditatis nota eſt, in magnis morbis immorari pigmæis remediis, qui non niſi giganteis cedunt. Dum ſecuritatis nimis conſulimus, in generoſitate deficimus.

(c) *Delicatulæ mulieri & debili.* Solerter antequam Medicus ad validiora accedat, conſtitutio corporis ejusque habitus, ſanguinis temperamentum, naturæ robur & vires inveſtigandæ ſunt: ſicuti enim in robuſtioribus tuta ſatis, ſic in delicatulis ac teneris ſubjectis noxia & inſidioſa ſunt. Utiliſſima in praxi regula eſt Hippocratis, quæ extat in *Libro de locis in homine*, medicamenta fortia à natura in debilibus morbis dare non oportet, neque pancitate medicamenti debilitas ipſius facienda eſt: ſed fortibus naturâ pharmacis utendum eſt, debilibus verò, pharmacis non fortibus. Neque partiendum eſt medicamentum, ſed ſingulis ſecundùm naturam, debilibus quidem debilia à natura, fortibus verò morbis fortis naturæ pharmaca exhibenda ſunt.

(d) *Cauterium inuri juſſimus.* In podagra nec non in omnis arthritidis ſpecie inuſtio actualis à veteribus dudum commendata, nuper autem ab Indis repetita ſub moxæ nomine in Germaniam tranſlata peragenda. Taliſmodi remedii mentionem jamdum fecit Hippocrates in *libro de affectionibus Capite XXX. titulo 12.* Si in unum aliquem locum incubuerit dolor, & conſtiterit, & medicamentis non fuerit exactus, urito, quocunque loco fuerit dolor: Urito autem lino crudo. Hic autem non intelligitur linum crudum, ſed magis in fila aptatum. Proceſſum integrum ſcitè deſcribit Proſper Martianus *commentario in lib. de affectionibus pag.* 170. Accipiatur linum crudum & arctè conglobatum reducatur in formam pyramidis, cujus baſis latior in anguſtum coarctetur. Magnitudinem, ſeu latitudinem baſis indicabit locus inurendus: non ignorato, uſtionem aliquanto latiorem fieri, quam ſit baſis pyramidis. Hæc igitur in ſummitate accenſa loco inurendo apponatur, ibique reſideat, donec tota materia abſumta ſit; nam ignis ſerpendo ad cutim perveniens uſtionem facit; Et quod mirum videtur, ferè inſenſibiliter & ſine dolore. Extincto igne, porrum elixum imponebat *Hippocrates*, donec, quod exuſtum eſt, decidat. Noſtri butyrum cum caule adhibent; indeque ulcus apertum ſervetur ad libitum.

CAPUT XXXVII.

De diuturnis ventris doloribus.

Benedicta Joannis N. ex illis, qui vulgò dicuntur *Adobador*, in via, quæ communiter dicitur *il Borgo di S. Giacomo*, commorans, annos 45. nata, à longo tempore inveteratos, & contumaciſſimos dolores ventris patiebatur; propterea à duobus menſibus in lecto infeliciter decumbens, & alterius Medici opem dicto tempore fruſtrà experta,

non

non niſi de morte cogitabat. Tacto ejus abdomine nihil præter *(a) flatulentum tumorem*, ventrem nimirum præter conſuetudinem diſtentum, deprehendere licuit. Calculum, aut induratas fæces in inteſtinis contineri certò conjecimus, cum quo vermium proventûs haud erat ſuſcipio: quare omnes curandi ſcopos eò direximus, ut calculus, aut quippiam ſimile non naturale foràs detruderetur; ad quod præſtandum, duplici incedere viâ operæ pretium duximus. Etenim cùm primùm accerſiti, *(b) enema ex oleo lini ſimpl.* infundi juſſimus: per os ol. amygdal. dulc. ſenſim ſorbendum: ſenſim (inquam) ne affatim hauſtum evomuiſſet. Horis 4. exactis, theriacæ ʒ. j. dedimus. Sequenti manè pilul. catholic. ℈. xij. cum trochiſc. alhandal. ℈. iij. Ab aſſumpta pilula præduras fæces cum multa copia pituitæ ejecit. Dolores inde paulò mitiores evaſerunt, & noctu dormire cœpit. Tertio die pilulis reiteratis, ſimiles fæces excrevit, & ſuprà multum bilis, & pituitæ. Reliquo temporis ſpatio conſervas roriſmarini, abſinthii, menthæ cum mithridatii tantillo, manè ſumebat: quibus brevi ſanitatem conſecuta eſt. Interea connotandum ſupereſt, quomodo bis à duobus Medicis purgata fuerat, à quibus, ut à remediis parum appoſitè adhibitis, nihil levaminis retulerat: *(c) non* enim *ſat eſt purgare*, ſed quando, quomodo, & quibus, obſervare oportet.

NOTÆ
in CAPUT XXXVII.

(a) Flatulentum tumorem. Nimia corporis à flatibus diſtenſio poris tunicarum inteſtinalium obſtructis vel ſpaſmo conſtrictis debetur; unde vapores liberum tranſitum non habentes, parietes inteſtinorum mirum diſtendunt, & tenſione hac cruciatus immanes efficiunt. Dicitur hic morbus colica ſpaſmodica ſeu tormina alvi convulſiva, & eſt maximè familiaris metallicolis, qui mineras ſaturninas igne tractant, & dicitur Germanicè *die Hütten-Katze*, quod intolerabilis ille inteſtinorum cruciatus ægrotantem nonnunquam rabioſæ felis circumgyrationem imitari cogat: illis hominibus aliquando nec ſtandi nec ſedendi datur poteſtas, inquieti huc atque illuc moventur, lecto ſi aliquantum incubuerint, terram viciſſim repetunt, unguibus eam rodunt, & immanes ventris dolores patiuntur cum ſudore nonnunquam frigido & lypothymia: Complicatur hiſce ſtatim vehementiſſima alvi conſtipatio, ita ut nihil flatuum, nedum excrementorum per anum exitum habeat. Purgantia omnia irrito effectu propinantur. Morbus hic à lythargyrii fumo cum aëre ore hauſto derivandus eſt; hinc non tantum illis, qui plumbarium metallicum lapidem igne urunt, liquefaciunt, ſeparant, ſed & qui lythargyrium ſaltim ponderant (vulgò *Glettwäger*) communis eſt. Fumus hic ad ventriculum & inteſtina delatus partim gravitate & mole, partim textura, quam ſub acidi miſcela acquirit ſtiptica in poris tunicarum nervearum & muſculoſarum obſtructiones efficit; hinc dum per poros obſtructos inteſtinales non æqualiter circulari poſſint partes impetum facientes, moleſtiſſimus ſpaſmus gignitur, dictorum ſymptomatum parens.

(b) Enema ex oleo lini. In ſpaſmodica colica & pertinaciſſima alvi conſtrictione, quæ ut plurimum cum ſpaſmo inteſtinali conjuncta eſt, clyſteres ex ſolis oleis parati & applicati omne fuerunt punctum, quo nimirum nimis fortiter conſtrictæ inteſtinorum fibrillæ relaxentur. Tales clyſteres *Rulandus* in empiricis ſuis curationibus frequenti in uſu habet. Emollitis ſic fæcibus & laxioribus factis inteſtinis purgantia reſolvendi ſimul virtute prædita ore aſſumenda ſunt, quæ alias ſpaſmum augendo ſymptomata exaſperant.

(c) Non ſat eſt purgare. Non levis res eſt, alvum movere & purgare, quivis agyrta & empyricus hoc tentat, ſed quando, quomodo & quibus, hoc opus, hic labor eſt. Veronæ olim in publico foro ſuſpenſa fuit tabula, elenchum medicorum iſtorum continens, quibus ſolis authoritate magiſtratus liceret purgans præſcribere. Poteſt de hac te videri *Diſſertatio noſtra de prudenti medicamentorum applicatione in tempore.*

CAPUT XXXVIII.

De gibboſitate in ſene cum doloribus ſublatâ.

MOnialis quædam, nomine Soror Fabricia, in cœnobio Corporis Chriſti degens, annos 70. nata, ab aliquot annis *(a) pertinaciſſimò catarrho* in ſpinalem medullam irruenti obnoxia erat; unde variis temporibus diverſos Medicos conſuluerat, à quibus nihil opis reportans, me quoque conſuluit. Examinatâ morbi naturâ, & catarrho per ſpinalem medullam decurrente cognito, morbum, etſi ab aliis Medicis incurabilem creditum, tamen ſubſequentibus remediis curandum ſuſcipio. In quinta vertebra, à qua gibboſitas, & convulſivi dolores, quibus aſſiduò cruciabatur, cauterium potentiale admovendum curavimus.

Intus bis in hebdomade ſumebat ſequentes pilulas.

℞. Agaric. trochiſcati, ʒ. iij. aloës ſuccotrinæ, ℥. ß. maſtiches, ʒ. ij. cum ſyrupo roſato ſol. paratur maſſa, cujus capiebat ʒ. j. pro doſi.

Per aliquot dies ſtatim ante cibum, pulverem noſtrum ſtomachicum ſibi familiarem reddidit: quibus paucis priſtinæ ſanitati reſtituta fuit, ſcipionibus, quibus utebatur, relictis, & doloribus planè ſublatis.

NOTÆ
in CAPUT XXXVIII.

(a) Pertinaciſſimo catarrho Ex ſtagnatione lymphæ circa vertebras dorſi luxationum harum contingere poſſe etiam in profectioris ætatis hominibus, loquuntur obſervationes. Et vice verſa etiam gibboſi fiunt catarrhoſi, phthiſici, difficulter ſpirant, ſtridulam faucium aſperitatem habent: & pauci quinquaginta annos tranſgrediuntur, quam tamen regulam non eſſe univerſalem, allata à Domino A. obſervatio teſtatur. Pueris, quibus ſpina dorſi extrorſum admodum exuberat, thoracem ferreum ex tenuiſſimis laminis fabrificatum atque intus foriſque pannis ſuffultum ac per integrum annum dies noctesque geſtandum commendat Platerus, *Lib. I. obſervat. pag.* 153.

CAPUT XXXIX.

De diuturna lævitate inteſtinorum, ventriculi attritione, abdominis cruciatibus, & aliis.

GUlielmus de Hortolanis ſclopetarius, annos 45. natus, ab 11. menſibus *(a) graviſſimis morbis* detinebatur, lævitate inteſtinorum, ventris doloribus, mirâ ventriculi, ac omnium partium naturalium imbecillitate, inappetentiâ, ſiti, & aliis. At uſus erat toto illo tempore trium Medicorum ope, ſed fruſtrà: in his enim peculio, & omnibus fortunæ bonis abſumptis, ad extremam pauperiem devenerat. Tunc ipſe ad me, tanquam ad extremum aſylum, confugiens, & perſonæ & morborum ratione habitâ, conſimilia, quæ brevi & citò, citra pecuniæ jacturam, ſanitati eum reſtituerent, ipſi præſcripſimus. Primis diebus, ad acrium & erodentium humorum vim, & impetum coërcendum, pilulas laudinas bis dedimus. Viribus paululum recreatis polychreſtas ad ʒ. ß. cum ℈. vij. catholicarum ter accepit. Tandem cachexiæ, & obſtructionibus in jecore, liene, & meſaraicis relictis, Electuarium ſequens efficaciſſimum dedimus.

℞. Conſ.

℞. Conſ. roſarum, ℥. iij. croci martis, ʒ.iij. macis, ʒ. ß. miſcebatur pro elect. cujus doſis erat ʒ. ij. manè.

His omnibus ad vota cedentibus, Deo optimo, nobiſque ejus inſtrumento gratias egit. Videant, ſi ſapient, in quæ tormenta conjiciant ægros illi, qui nimio faſtu innumera remedia unico morbo præſcribunt. Nonne uni unum contrarium ſufficit? Diceres ejuſmodi ſciolos alteros eſſe Galenos, cùm nec Galenum à limine ſalutârint unquam. Hi ſemper de deſtillationibus, obſtructionibus, & febribus, ad quæ tria capita tota ejuſmodi homuncionum ſcientia reducitur, deblaterant.

Pilulæ polychreſtæ noſtræ toto cœlo diſtant à polychreſtis officinarum; illis tamen dotibus, quibus illæ, donantur. De his, & de aliis, *in tertia parte noſtræ Pharmacopœæ Spagyricæ.*

NOTÆ

in CAPUT XXXIX.

(*a*) *Graviſſimis morbis.* Symptomata, quibus æger noſter detinetur, dubio procul ex hypochondriorum vitio derivanda ac ducenda ſunt. Per hypochondriorum vitium intelligimus obſtructiones viſcerum & glandularum ſubtiliſationi & deputationi ſanguinis & ſeri inſervientium; unde mille propullulant mala digeſtionis negotium continuò in illis depravatum eſſe, unde flatus, tormina, ventris dolores, inteſtinorum levitas, vel etiam adſtrictio, inappetentia ſuboriuntur. Hepar hoc in affectu non ſemper inſons eſt, hoc enim, ſi obſtructum mucoſa amurca eſt, bilem non filtrat, cujus balſamo chylus deſtitutus in primis viis in acidum viſcidum crudum ſuccum degenerat. Hinc rectè Helmontius plurimorum chronicorum originem petit à bilis defectu. Bartholinus *Hiſtoriarum Cent.* 1. *pag.* 131. in ſplenetico ſecto hepar lividum, veſicam biliariam pallidam tunica craſſiore conſtantem invenit: Ex aperta ſerum nudum effluxit, nulla bilis tinctura prodeunte: Plena quoque fuit grumis nigricantibus lapillisque piſorum magnitudine. Ad tollendum hoc malum opus eſt medicamentis temporatis, quæ balſamica ſua vi chylum condiunt & blande ſpirituoſum ſanguinem reddunt. Et horum remediorum claſſe non ſatisdilaudare poſſum ſequens Elixir balſamicum, quô maximo cum emolumento per plures annos in hiſce morbis uſus ſum, ſi ejus uſus per aliquot menſes continuetur, aſſumendo omni die bis 60. ad minimum guttas. Recipe Herb. ſcordii manipul. iij. flor. centaur. minor. manips j. myrrhæ electæ unciam ſemis, croci drachmam unam, ſuccini, Zedrariæ nuciſtæ ana drachmas tres, ligni aloës drachmam unam ſemis, corticum aurantiorum unciam ſemis, olei cardamomi, caryophyllorum ana guttas decem, ſpiritus vini tartariſati menſuram unam, ſpiritus ſalis ammoniaci unciam unam, fiat extractio.

CAPUT XL.

De iſchiadico dolore, quo claudus, & impotens jamdudum factus æger.

MIchaël N. in via, quæ vulgò dicitur *il Borgo di San Pietro* commorans, bajulus, de his, qui *Chariolari* dicuntur, annos circiter quadraginta natus, ex fortiſſimo, & robuſtiſſimo viro, (*a*) *iſchiadici doloris* immanitate, & tyrannide claudus & pedibus omnino impotens redditus, & virilibus officiis, cui tota die ex officio inſudabat, ad imbecille, & ignavum muliebre exercitium relegatur. Quo miſerando ſpectaculo commotus, ſciſcitor ab eo, quæ hucuſque in tam atrocem morbum expertus eſſet remedia: (*b*) *Multa inquit à duobus Medicis* ſibi fuiſſe præſcripta; in quæ non tantùm ſanitatis reliquias, verùm & quicquid in futuræ inopiæ ſubſidium coacervaverat, feciſſet jacturam: addens ſe in altero xenodochiorum quindecim dies curandum fruſtrà moratum, nunc autem nullam ſibi ſupereſſe ſanitatis ſpem, & muliebre nendi officium, quod nunc præ fame compellitur exercere, in tot anguſtiis unicum ſibi eſſe refugium, quò ærumnoſam vitam ſuſtentare poſſit. Implorato tandem divino Numine, ſanitatem illi brevi affuturam, ſi noſtris mandatis pareat, polliceor. Atque tum pilulas noſtras catholicas, cum ℈. iiij. trochiſc. alhandal. ter ipſi dedimus. Extrinſecus emplaſtrum ex ſulphure & pice affectæ parti admovendum juſſimus. Quibus ſenſim atrox, & pertinaciſſimus dolor evanuit: atque femori deperditum robur in totum fuit reſtitutum.

NOTÆ

in CAPUT XL.

(*a*) *Iſchiadici doloris.* Dolor Iſchiadicus vel latius ſumitur, vel ſtrictius, latius dolorem lumbarem coxendicis & femoris denotat, alter ſtrictior potiſſimum circa acetabulum oſſis Iſchii, in quo femoris os circumvolvitur, conſiſtit. Ab Hippocrate *Libr. de internis affectibus cap.* 54. *titulo* 6. *& Lib. II. Porret. cap.* 46. *titulo* 1. ille qui latius patet, deſcribitur ἴχις & lumbos notat & ἴχιον coxam ἀπὸ τῆς ἴχυος à robore, quod moles corporis hac potiſſimum parte ſuſtineatur. Sæpius lumbaris dolor ſeu arthritis præcedit ſubſequente iſchiatide ſtrictiori. Moleſtus hic morbus ex *Hippocratico* elogio, ſed non lethalis. Moleſtus eſt, quod & dolorum continuatione, & vigiliis, aliiſque ſymptomatibus ſatisfatigare & torquere ſoleat ægros, non tamen necare, quandoquidem ex ipſis ſanguinis undis naturæ quodam robore ad debiliora & ignobiliora membra vitioſa pellitur materia.

(*b*) *Multa à duobus medicis præſcripta.* Sanguinem exagitantia plerumque dolorem hunc augere ſolent, maximè in plethoricis & illis, qui vel ipſius naturæ beneficio, vel arte aſſueti ſunt certæ & ordinatæ ſanguinis excretioni, ſive per ſectionem venæ, ſive hæmorrhoidum fluxum. Juvat hic magis ſanguinis per conſuetas vias detractio. Nam obſervatum eſt per frequentiorem experientiam, nec arthriticos alios nec iſchiadicum cumprimis dolorem felicius tolli poſſe, quam ſanguinis eductione. Qui nephritide ſeu inflammatorio lumborum dolore laborant procliviores etiam ad hoc malum ſunt, ubi diuretica inconſideratè adhibita dolores hos augent & iſchiadicum malum inducunt. Capivaccius *apud* Cratonem *conſilio* 154. inquit: Diureticis calculus inducitur & iſchias augetur. Venæſectio & hic loci quoque ſuadenda. Bene meminit Galenus *Lib. de venæſectione cap.* 18. ſe iſchiaticum morbum una die facta ex cruribus evacuatione curaſſe.

CAPUT XLI.

De pertinaciſſima pſora.

DOminus Julius Cæſar Rivalus aurifex, annos ſexaginta natus, à multis annis (*a*) *Pſoram contumaciſſimam patiebatur*, in qua cutis aſpera, craſſa, dura, arroſa, fiſſa, & exeſa, furfuraceas ſquamas aſſiduè deponebat. Tanto affectui ſuperando Medicos plures & pluries incaſſum conſuluit. Illi ad atram bilem, pituitam ſalſam purgandam, atque ad jecur refrigerandum reſpicientes, morbum magis rebellem, curatuque difficiliorem reddiderunt. Nos naturæ methodum inſequuti, naturalia emunctoria aperienda, facultatemque expultricem promovendam duximus, noxios interim humores incidendo, & attenuando. Quibus ſubactis & confectis, viiſque naturalibus adapertis, qui in excubiis conſederat hoſtis, facillimè ejicitur. Igitur ut tot indicationibus ſatisfacerem, unico contentus fui medicamento, (*b*) *ſulphure* videlicet *embryonato ex magneſia ſaturnina* educto. Id verum eſt naturæ inſtaurativum, ſymphytum, ſeu balſamum naturale noſtrum

noſtrum mundat, & purgat, & modo communibus Medicis ignoto. Mirabatur interea quo pacto tam blandè ſanaretur. Nulla fit ſenſibilis purgatio, alteratio nulla; potionum, apozematum, & juleporum aſpectum minimè perhorreſcit. Sapor, color, & odor, in hoc medicamento naturæ amica ſunt: quantitas eſt perexigua, & omni tempore exhiberi poteſt, etiam in cibis ipſis. Æmuli interea, qui hæc ignorant, ut operibus deſtituti, ad verba ſe conferunt.

NOTÆ

in CAPUT XLI.

(*a*) *Pſoram contumaciſſimam.* Alia eſt pſora univerſum corpus defœdans, alia lepra Arabum ſeu elephantiaſis. Sæpius peccatur in hoc, quod confundantur hi affectus. Indicant elephantiaſin puſtulæ, ulcera cutanea, oculorum panniculi: poſtea hæc invaleſcunt, naſus collabitur, rauci fiunt, atque horrendum aſpectum præbent. Græcorum autem lepra ſcabies ſicca maligna eſt, univerſum corpus turpiter defœdans, ſquamiſque nunc tenuioribus, nunc craſſioribus obducens. Si altius radices egerit & piloſas capitis & ſuperciliorum ſedes invadit, licet curetur, facile rurſum redit.

(*b*) *Sulphure embryonato ex magneſia ſaturnina.* Eſt nimirum hoc nihil aliud, quam ſulphur ex antimonio ritè extractum, quod magneſia ſaturnina audit, quia inſtar ſaturni quaſi devorat & imbibit alia metalla. Sulphur hoc decenter paratum & præcipitatum penetrantiſſimum eſt, & in exiliſſima quantitate magna agit & univerſum corpus pervadit. *Glauberus* panacæam & ſulphur univerſaliter purgans appellat, cujus unicum granum aliis medicamentis immixtum in acrimonia ſeri ſcorbutici delinienda in defluxionibus acribus ad oculos, ad artus corrigendis maxima pollet efficacia, in majori doſi hoc remedium datum, emeticum eſt, in ſuccifa & refracta ſalivans & deobſtruens potentiſſimum. Ejuſdem cum ipſo indolis eſt regulus antimonii ſic dictus medicinalis, qui tamen in majori doſi exhiberi poteſt. Metallica hæc conſtantibus ſolidiſſimis mobiliſſimis ſimul gaudent particulis, quæ facili ala corporis poros pervolant, viſcidoſque humores colliquant. Generoſis hic morbus eget præſidiis, qui debilioribus & languidioribus non cedit, durus namque nodus durum requirit cuneum.

CAPUT XLII.

De Pſora pertinaciſſima à multis annis inveterata.

Dominus Franciſcus Palatinus nobilis Bononienſis, annum quadrageſimum circiter agens, (*a*) *à teneris annis* ſcabiem contumacem, ſiccam, & atram patiebatur. Traxiſſetne originem à victûs conſuetudine, an ab aliis, planè me latuit: ex præſentibus deprehendere licuit, dictum dominum eſſe temperamento calido & ſicco, (*b*) *pituitæ ſalſæ multum generare*, craſſum obtinere ſanguinem, cutis poros valde denſatos, eandemque cutem fuſco colore perfuſam. In fœda hac ſcabie debellanda, multa remedia per totum vitæ ſpatium à diverſis Medicis exhibita fuêre, ſed incaſſum: Nec mirum, cum ejuſmodi vulgarium Medicorum ſcientia tantùm ſit, alvum laxare, & ſanguinem detrahere. Quicquid de alterantibus effutiunt, nugæ ſunt, & quid ſit refrigerare, penitus ignorant. Indicationes curativæ nobis fuerunt, luxuriantem ſalſedinem compeſcere, eamque in venis conſiſtentem per renes & veſicam foràs propellere, & quæ in carnibus atque in cute ſtabularetur, eam diſcutere tum per ſudorem, tum per inſenſibilem evaporationem. Quæ facillimè ſubſequentia duo medicamenta præſtiterunt.

℞. Conſervæ roſarum, ℥. iiij. conſ. violarum, ℥. ij. auri diaphoretici, ʒ. j. Miſcebantur ſimul, & hujus mixtionis capiebat ʒ. iij. bis in die. Hoc medicamentum non tantùm ſudores, & inſenſibiles evaporationes promovet, verùm labantem noſtram naturam ſublevat, calorem & humidum inſitum recreat, & nectaris noſtri ſpiritibus pabulum affert. Efferatam verò & exuberantem ſalſedinem ſequenti medicamine brevi imminuimus.

℞. Radic. lapathi acuti, graminis, fœnic. an. ℥. j. ß. fol. cichor. taraxac. agrimon. fumar. lupul. betonic. pimpinell. ſcolopend. an. m. j. ſenæ, epithym. cuſcut. an. ℥. j. liquirit. raſæ & contuſ. ℥. ß. (*c*) *Parabatur decoctum* more ſolito in ſ. q. aquæ communis, cujus colaturæ ex arte depuratæ dabantur manè ℥. vj cum ℥. j ſyrupi limonum. Hujuſmodi decoctivis & energia ſalis copiam non tantùm repurgat, verùm & obſtructos meatus abdominis aperit, excrementitium ſulphur ejicit, inteſtinorum ſordes eluit; quicquid etiam renibus inhæret, nec non veſicæ, foràs protrudit. Extrinſecùs, ut cutis ſiccitas & aſperitas lævigaretur, unguento roſaceo cum balſamo ſaturni, & pulvere coſmetico, ter vel quater uſus eſt. Quibus paucis & facillimis dictum Dominum à fœdo illo affectu tutò & jucundè liberavimus. Hîc annotare licet ſenis Medici conſilium, qui cùm ſolis ſcholarum veſtigiis inhæreret, incognitis naturæ mediis, nec non ipſiuſmet naturæ viribus, quibus in expellendis morbis ipſa utitur, indixit dicto domino, ne in poſterum quemquam Medicorum conſuleret, ſecùs, ei imminere evidentiſſimum mortis periculum. Non aliâ ratione idipſum dixiſſe mihi perſuadeo, quàm quòd putaret congenitum omnino eſſe ejuſmodi affectum; unde ſi quis ejus curationem aggrederetur, id fieri haud poſſe, maximè blandis & ordinariis præſidiis, aliis verò valentioribus morbum magis exaſperatum iri; valida enim ſunt calida, & magnæ activitatis: atqui talia vim & moleſtiam naturæ afferunt; à qua ſymptomata multa, à quibus ſi non mors, ſaltem culpata ſanitas. At Medicus Galenicis & Chymicis artibus ſimul inſtructus, majora longè ſibi pollicetur, citra moleſtiam & vehementiam; non enim ſolùm fallaci & titubanti ſcriptorum ratiocinio judicium ſuum committit, ſed naturæ opera diu multumque rimatus, experientiæ rationi copulatæ ſe totum devovet.

NOTÆ

in CAPUT XLII.

(*a*) *A teneris annis.* Notus eſt mihi juvenis viginti annos non excedens, qui à nativitate pſora laboravit, tota cutis ſquamoſa & furfuracea eſt, excepta illa in facie, omni ferme menſe decidit hæc, & nova propullulat ſana, cui tamen mox ſquamulæ cinericei coloris innaſcuntur.

(*b*) *Pituitæ ſalſæ multùm generare.* Salium geneſis & evolutio in corpore noſtrò inchoativè fit in culinis viſcerum infimi ventris continuatione facta in reliquis locis, ubi filtrari & tranſire ſolent humores. Quando propter obſtructionem illud non fit, fluctuant in ſanguine motuque & impulſu inteſtino, nec non continua alliſione ætheris exaltantur, acriora & penetrantiora fiunt; unde tantus ſalium morboſorum in corporibus proventus eſt.

(*c*) *Parabatur decoctum.* Decoctum hoc ex meris vernaculis ac domeſticis paratum eſt, quæ profectò ad temperandam ſalium acrimoniam & evacuatoria blandè reſeranda multum facere queunt: Nec etiam in contumaciſſimo tali morbo omnia vegetabilia & Galenica ſpernenda ſunt. Spectat huc inſignis obſervatio Heurnii *in Commentario ad aphoriſmos Hippocratis pag.* 193. Hic cuidam nobili lepra laboranti multa remedia fruſtra exhibuit, ſecuit venam, purgavit, præparavit, tandem helleboro albo uſus, topica præclara admovit, ſed omnia fruſtra. Poſtremo uſu cucumerum evaſit, quibus etiam conditis totum per annum uſus fuit.

CAPUT XLIII.

CAPUT XLIII.

De Arthritide.

PErilluſtris Dominus Aloyſius Maria de Urſis, Sancti Stephani eques, annos triginta natus, à quindecim diebus arthritide graviter detentus, etiam duorum Medicorum opera fruſtra curatus, me accerſiri juſſit. Tunc genua, & brachia dolore accerrimo tentabantur, noctes inſomnes tranſigebat, cum cibi inappetentia, non ſine febre, eaque lentâ & continuâ. Hujus cauſas à naturali quadam propenſione pendere, & (*a*) *ab erratis in regimine victûs* commiſſis, exiſtimavi. Etenim quinquennio exacto, dolore non diſſimili correptus fuit; victûs verò ratio omnifaria, (*b*) *veneris illecebris* (*c*) *vitæque voluptariæ*, ut apud divites ſæpius moris eſt, nimiùm indulgens. Cæterùm cauſas antecedentes calidiori hepati & ventriculo minùs calido tribuunt Medici, & eò magis ætate, corporiſque habitudine, id ipſi condonantibus. Conjunctam à communi, & à nobis alibi explanatâ minimè diſcrepare judicavimus. Hac de re, earundem indicationum, quas in ſimilibus elicere conſuevimus; conſiderationem habentes, primo die, ut jam geniti humoris acrimoniam membranis, nervis, tendinibus & ligamentis articulos conſtituentibus, infenſam obtunderemus, aurum noſtrum diaphoreticum ipſi exhibuimus, cujus medio humoris illuc appulſi ſubtilis evaporatio acris & mordax evanuit. At relicto in articulis humori expurgando, fluxionique futuræ obviam eundo, (*d*) *pilulas catholicas* dedimus ad grana xv. cum gr. v. trochiſc. alhandal. Vini uſum ad 15. dies ipſi interdiximus. Victus inſuper primis diebus fuit ſolito tenuior, paulò tamen conſueto partior; ova loco carnium comedente ipſo, ut & pyra cocta ſaccharo conſperſa, ſicque brevi firmiſſimæ ſanitati fuit reſtitutus.

NOTÆ

in CAPUT XLIII.

(*a*) *Ab erratis in regimine victus.* Largior vini potus ad generationem arthritidis multum facit; quatenus ſcilicet particulis ſulphureis promptius evolantibus intemperatæ redduntur oleoſæ & roſcidæ ſanguinis particulæ; reſtitans verò ſub ingurgitatione amurca acida in ventriculo (mediante vomitu dentes ſtupefaciens) ſubinde chylum inficit, ejuſque dulcedinem vitiat. Peccat in hoc magis vinum rhenanum, de quo refert Sennertus, *libr. de arthritide cap. II. pag.* 19. quod è 24. menſuris vini rhenani ferè uncias tres tartari, è Tocavienſis verò inter Hungarica generoſiſſimi totidem menſuris vix drachmas duas in deſtillatione reperiſſe.

(*b*) *Veneris illecebris.* Venus nimia defraudando delibatiſſimam ſucci lymphatici partem & ſpiritus exhauriendo mirum partium robur debilitat, ut hinc excretiones moretur; & ſtaſi humorum in partibus ſolidis anſam præbeat. Bacchi & Veneris filiam eſſe podagram Poëtæ finxerunt juxta πολυθρύλλητον illud:

Λυσιμελοῦς βάκχου καὶ λυσιμελοῦς ἀφροδίτης
Γέννατοι θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

i. e. è ſolvilumba Venere, ſolvilumboque Baccho creata eſt ſolvilumba Podagra. Et *Ovidius*: Facit amor maciem & longa internodia crurum. Meritò itaque conjugati prudentia quadam moderentur congreſſus, eoque allaborent, ne vires capiant detrimentum, item ne forma externa patiatur jacturam.

(*c*) *Vitæque voluptuariæ.* Utplurimum qui vitam habent ſedentariam, voluptuoſam tamen, nec laborant ſed deſidioſi ſunt, laborant podagra. Veriſſimè dicit Cous *noſter Libr. I. de diæta cap. I. tit.* 18. homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi

etiam laboret: Labore enim & motu excitatur calor, qui diſſipat halituoſa ſeroſa effluvia, firmatque membra.

(*d*) *Pilulas catholicas.* Purgantia acriora & calidiora validioraque in arthritide apprimè volatica devitanda ſunt: Hæc enim ſalia morboſa magis ſubtilia & penetrantia reddunt. Et notabile quoque eſt, leniora purgantia in vigore morbi exhibita complures efficere ſedes, ſub declinatione autem vix aliquas; Adeo purgantium vim etiam intendunt acria illa morboſa ſalia.

CAPUT XLIV.

De funeſtiſſimo dolore alterum crus obſidente.

DOm. Virginius Piottus, annos 33. natus, prope Divi Matthæi Piſcatorum Eccleſiam, laneæ mercaturæ officio incumbens, à multis menſibus, vagum & errabundum, atrocem & acerbiſſimum dolorem in altero crure patiebatur. (*a*) *Redibat is dolor* per intervalla; nullo ordine ſervato; cauſis externis præhabitis nullis, ad integrum diem, aliquando per horas latitans, & non rarò per dies; febris interea aderat nulla; nec in parte dolente rubor, aut tumor conſpicuus, minùs inflammationis veſtigia ulla; verùm pars in ſuo colore; & naturali conformatione perſiſtebat. Ad tantum dolorem debellandum, multa incaſſum ab alio Medico, bimeſtri toto, ſumpſerat remedia; veluti purgationes ſolitas, julepos, phlebotomiâ minimè omiſſâ, cum multis localibus; item pulverem ivæ artheticæ, & alia: quibus (*b*) *dolore nihil remittente*, ſed indies pertinaciori facto, contumaciori, & magis ſævientе, me quoque conſulturus accerſiri juſſit. Relatis itaque ad unguem exploratis, malum in tenui aura conſiſtere facilè cognovi: quapropter cutis poros omninò eâ in parte aperiendos judicavimus, ad quod ſequentem fotum direximus.

℞. Baccarum juniperi, lauri, an. ℔. ß. fol. roriſmarini, ſalviæ, menthæ, abſinthii, majoranæ, an. m. ij. flor. ſtœchados, camomillæ, hypericonis, an. p. j. Coquebantur in vino, & aqua pro fotu. Quo peracto dolore renitente adhuc, cucurbitulas cum ſcarificationibus; uti monemus in noſtra *prima Centuria, curatione X. & curatione LXIX.* admovendas juſſimus, à quibus pro tempore dolor penitus evanuit. Verùm tenuis, & flatuoſa iſthæc materia ab intimis corporis receſſibus aſſiduò erumpens, aliud medicamenti genus ſubindicavit, nimirum diſcutiens, aperiens, purgans, & ſimul roborans: diſcutiens, ut viſcidam materiam, è qua prodeunt ſimiles flatus inanes, attenuaret, & diſcuteret: aperiens, ut obſtructos meatus aperiret: purgans, ut diſſolutam, & expurgationi præparatam materiam foràs propulſaret: roborans, ut pars diu doloris immanitate conflictata, priſtinum robur ſuſcipiens, noxia à ſe commodiùs repelleret: quibus virtutibus (*c*) *pilulæ noſtræ catholicæ* pollentes, has omnes intentiones jucundè, & tutò abſolverunt: dabantur autem ad ℈. xv. granis iiij. trochiſc. anhandal. aliquando additis.

NOTÆ

in CAPUT XLIV.

(*a*) *Redibat is dolor per intervalla.* Exquiſitum pedum dolorem certis horis per intervalla vehementer affligentem deſcribit Horſtius *Lib. VIII. obſ.* 16.

(*b*) *Dolore nihil remittente.* Dolores venerei iique continui diu noctuque quandoque à multis annis affligunt, præcipuè in tibiis, ſecundum illarum longitudinem. Multa

incaſſum hic tentantur tam intrinſecus ſudorifera, quàm intrinſecè fomenta, ſuffimigia, emplaſtra mercurialia. Potius extracto antivenereo, quod conſit ex extractis lignorum & mercurio diaphoretico, pilulıſque gummoſis & mercurialibus dolor hic tollendus eſt.

(c) *Pilulæ catholicæ.* Incidebat nuper fœmina in febrem tertianam ſcorbuticam cum doloribus crurum periodicis; urina lixivioſi erat coloris, appetitus erat proſtratus cum anxietate præcordiali. Accipiebat doſin florum ſalis ammoniaci vitriolatorum cum cereviſia calida, poſt quorum uſum materia reſinoſa alba viſcida inſtar terebinthinæ fuit ejecta, & paroxyſmus cum ipſis doloribus non rediit. Patet primis in viis non raró cauſam morbi ſtabulari, quæ removenda eſt; hac intentione *Dn. Author* ſummo cum fructu præſcripſit pilulas ſuas trochiſcis alhandal acuatas.

CAPUT XLV.

De aſthmate inveterato.

MArcus Antonius - - - ex his qui cannabinam artem exercent, annos 40 natus, *in via Nozadellæ*, funeſto, & pertinaciſſimo aſthmate toto anno detentus, ſub cura noſtra ſic brevi reſtitutus fuit. (*a*) *Ad craſſam, & viſcidam materiam* pulmonum bronchiis fixè inhærentem, & induratam, ſequenti oxymelite uſi ſumus.

℞. Foliorum peti, (aliàs herbæ reginæ) m. iiij. hyſſopi, praſſii albi, capill. ven. an. m. ij. rad. ireos ſicc. liquiritiæ, an. ℥. ß. fiat omnium decoctio in ſ. q. aquæ communis: colaturæ, fortique expeſſioni adde ol. ſulphuris, ℈. j. aceti ſcillitici, ℥. v. ſacchari albi, ℔. j. mellis albi, ℥. vj. Clarificetur albumine ovi, & coquatur ad ſyrupi craſſitiem, cui ſub finem adde tantillum croci, & pauxillum cinnamomi. Diſſolutam ejuſmodi craſſam materiam, pilulis catholicis quater repetitis optimè purgavimus, ægrumque priſtinæ ſanitati ferè tunc reſtituimus: Verùm cùm paulo pòſt ex nonnullis mali prænunciis morbum adhuc conſiſtere, ſtationemque nondum omninò deſeruiſſe cognitum eſſet, pilulas catholicas reiteramus, granis aliquot trochiſc. alhandal. additis. Item ne fluxio iterum in pulmones irrueret, utque iidem pulmones robore firmoque præſidio munirentur, tabellula, (*b*) *ex floribus ſulphuris* ad tempus ipſi præſcripſimus: quibus blandis remediis omnem aſthmatis moleſtiam longè à ſe propulſavit; annos ſeptem ab ejuſmodi tetri affectûs curatione vivens penitus immunis.

NOTÆ in CAPUT XLV.

(*a*) *Ad craſſam & viſcidam materiam.* In aſthmaticorum cadaveribus pulmonum ramos item cordis auriculas ſolido ampliores & refertas materia craſſa, compacta, alba, luridum colorem referente invenit Riverius *cent.* 1. *obſ.* 82. Maximoperè tunc cavendum eſt, ne dentur incraſſantia dulcia, opiata, quæ aſthmaticorum & hydropicorum mors ſunt.

(*b*) *Ex floribus ſulphuris* Sulphur anima pulmonum dicitur, quatenus nimirum balſamica ſua vi corroſivam humorum qualitatem infringit, putredini reſiſtit & fibras motrices roborando, ne ſtaſes humorum nocivæ fiant, impedit. Opus autem eſt, ut prius benè purgetur acido minerali ſuo ſucco, id quod omnium optimè peragi poteſt, ſi cum corporibus alcalinis, v. g. calce viva miſceatur & aliquoties ſuper illam ſublimetur. Flores ſic fiunt ex flavo virideſcentes, in reſolvenda craſſitie humorum penetrantis efficaciæ: Movent quoque illi ipſi diaphoreſin & nonnunquam alvum reddunt laxam, quandoque etiam nimis mollem & fluidam conſtringunt.

CAPUT XLVI.

De aſthmate, & hydrope.

FRanciſcus Monardus annos 33. natus, ad plateam in officina *della Roſa* alutarius, duplici affectu in lecto moribundus jacebat, aſthmate videlicet, & hydrope. Aſthma non diu ſolitarium exiſtens (*a*) *hydropem in ſocium* ſibi aſcivit, nullaque de cauſa quàm à continuis vigiliis, & immodica potûs ingluvie. Cùm enim aſthmate nocte dieque premeretur, omnem cibum averſabatur; vigiliis inſuper aſſiduè confectus, ſitim ingentem contraxerat, unde larga potatio: At jecur tot cruditatum, & humiditatum proventum conficere haud valens, loco laudabilis ſanguinis, pituitam, & aquas ingenerabat, à quibus hydrops. Aſthma ortum ducebat (*b*) *à nimio crudorum uſu*, ea enim ſurſum ſublata facili negotio in pulmones irruunt, ubi obſtructiones facilè pariunt, à quibus aſthma. Indicationes in his commixtis affectibus multiplices erant. In aſthmate, ut primario affectu, & magis urgente, materiam craſſam & viſcidam incidere, attenuare, & purgare. In hydrope, obſtructos meatus reſerare, naturales partes excalefacere, & flatus diſſipare. Et quia anhelitûs difficultas eum vehementer urgebat, ipſi breve, & momentaneum requiri remedium judicavimus, infarctos pulmones vomitu nonnihil ſublevans. Quapropter eſulæ, & aſari extracta ad juſtam doſim ſtatim præbui, quibus plurimum pituitæ per os excrevit, item per alvum non parum: ſiti poſtea, hydropis parenti & altrici, ſulphuris liquorem acidum præſtitimus, cum conſerva roſarum. Hydropis indicationes ſulphure noſtro hydrotico facillimè abſolvimus, nam meatus ubique obſtructos aperit; calorem inſitum auget; renum vim, facultatemque expultricem conſopitam irritat; ſi quæ ſint in viſceribus durities, vel tumores, emollit, & diſcutit: aquas tandem, & cruditatem omnem optimè conficit, & diſſipat, citra omnem moleſtiam, ſed ſemper cum levamine, certoque auxilio.

NOTÆ in CAPUT XLVI.

(*a*) *Hydropem in ſocium.* Aſthma lubentius cum hydrope conjungitur, ſeu cachexia & hydrops aſthmaticum morbum ſubſequitur, uterque etenim affectus ab eadem fovetur cauſa, nimirum pituita viſcida in ſanguine exundante, & viſcerum debilitate, quæ partim provenit ab obſtructione, partim à ſpirituum defectu, qui tonum illis fœnerant.

(*b*) *A nimio crudorum uſu.* Nimius dulcium ac humectantium uſus ac vulgò dictorum pectoralium abuſus ad aſthmatis nec non hydropis generationem magnum confert momentum. Elegans locus in hanc rem extat apud Montanum *conſult.* 77. qui ſic ſcribit: Ego maximè abhorreo ab Electuariis, ubi imbecillitas ventriculi ſuſpecta eſt. Vidi homines ſæpe, dum illis volumus catarrhum curare, ex frequenti & nimio uſu Electuariorum incidere in hydropem: dum enim illa frequenter ſumunt, die nocteque impeditur coctio, augeturque catarrhus. Obſervavi una nocte malum ex pulmonibus ad abdominis partes præcipitatum, reſpiratio facta fuit liberior, aſt intumeſcere ceperunt pedes cum abdomine.

CAPUT XLVII.

CAPUT XLVII.

De ſingultu lethali.

PEtro de Magis ſartori, in via *di val di Loza*, annum circiter 45. agenti, (*a*) *acutiſſima febre* circa undecimum diem laboranti, frequentiſſimus, & vehementiſſimus ſingultus obvenit. Febris fuit in principio ardentiſſima, eodem in ſtatu ad 11. dies perſeverans, quæ diarrhœâ veluti criticâ ſuperveniente ſoluta fuit. At cùm læta, & pacatiora viderentur omnia, ecce immaniſſimus, & fortè inauditus ſingultus, quo totum corpus eum in modum concutiebatur, ut vix momento ipſi reſpirandi daretur facultas, nec itidem efferendæ loquelæ propemodùm ſpatium eſſet. Quo terrore triduo ferè detentus, multa calida tum ſimplicia, tum compoſita, opiata item, philonium, theriacam, & ſimilia fruſtrà accepit. (*b*) *Suppreſſa diarrhœa*, & per aliquod ſpatium tetri affectûs violentiâ, opiatorum medio. Paulò pòſt in animi deliquium incidit; quo in ſtatu cùm de ejus vita conclamatum eſſet, accerſor: Ibi ego rebus in anguſto poſitis, lethalique affectu deprehenſo, melius duxi, in ſimili caſu aliquid antiquis inexpertum, ratione tamen probatum, uſurpare, quàm mordicùs eorum inventionibus ſolùm inhærendo ægrum ſine remediis deſerere. Itaque mali fomitem ab inanitione, & acri humore ventriculi fundum irritante exploratum, ſtomachico noſtro ſpecifico ſummovere decrevi, & maximè purgationi nullo loco exiſtente. Dato quippe dicto remedio bis in die, affectus ſenſim mitior factus eſt; continuato verò dicti remedii uſu ad 8. dies, dirum & lethale hoc malum planè evanuit, ſanitatemq; ab eâ die, ſeptennio decurrente, feliciorem conſequutus eſt.

NOTÆ

in CAPUT XLVII.

(*a*) *Acutiſſima febre.* Singultus motus quidam convulſivus vel concuſſio orificii ſuperioris ventriculi nec non ipſius diaphragmatis eſt, & provenit ab eisdem cauſſis, à quibus convulſio, nimirum à copia humorum nervos obſidente vel ab illorum nimia acrimonia, ſeu uti veteres dixerunt à plenitudine & inanitione. Febribus continuis ſub declinatione interdum ſe aſſociat, forſan ob vitioſas acres particulas ex ſanguine beneficio motus præcipitatas ad primas vias, ubi regia quaſi ſordium & excrementorum via eſt. Non ſemper tamen, quamvis ut plurimum, mortis eſt prænuncius.

(*b*) *Suppreſſa diarrhœa.* Opiatis diarrhœa critica, quâ nonnunquam terminantur febres ardentes, ſuppreſſa, item dyſenteria in principio ſtatim opio cohibita, funeſtum frequentiſſimè parit ſingultum, quatenus nimirum vitioſa materia reſtagnans malignitate adaucta convulſionem inducit diaphragmati. Sic quoque obſervante Riverio *vid. cent. III obſ.* 17. quidam centurio febre tertiana laborans, ſumto ſyrupo de papavere in medio paroxyſmi, tam importuno ſingultu pre nebatur, ut penè moreretur. Tali in caſu theriacalia, diaſcordium *Fracaſtorii*, abſorbentia, antiſpaſmodica, in quibus alias magnum hujus morbi ſolatium eſt, vix proſunt, niſi, cum leni emetico, quod impenſe commendat Platerus *lib. I. obſ. pag.* 203. vel purgante miſceantur, ut ſaburra humorum putridorum hac ratione ſimul eliminetur. Eſt alias hoc in morbo magnum præſidium balneum antiſpaſmodicis & nervinis herbis nobilitatum, nec non conſtrictio fortior thoracis cum linteis. Laborabat ante duodecim ni fallor annis vir honoratus in Weſtphalia febre ardente juncta cum difficultate reſpirandi & ſingultu, qui per decem & tres dies fermè affligebat. Viribus tandem omnibus fractis occubuit. Sectione cadaveris inſtituta reperiebamus in thorace uncias aliquot ſeri acris fœtidi diaphragmati innatantis. Pulmones exſucci & putridi erant. Confirmat & hæc obſervatio noſtram aſſertionem, ſcilicet pleroſque morbos lethales oboriri ex ruptione vel apertione vaſis vel ſanguinei vel lymphatici notabilis, & inde enata extravaſatione & cadaveriſatione humoris.

CAPUT XLVIII.

De Epilepſia.

POlonia Joannis Maccaferri filia, annos 11. nata, à tribus annis (*a*) *epilepſiâ* hæreditaria frequenter vexabatur. Hujuſmodi morbi talis erat inſultus. Paulò ante invaſionem, quandam oculi caliginem præſentiebat, & tunc humi derepentè convulſa procidens, ad dimidiam horam veluti mortua ſine ſenſu, brachiis & cruribus diſtentis jacebat, ſpumam ex ore fundens, & præteriti caſus à morbo expergefacta immemor erat: inſuper exſoluto paroxyſmo, ſolutiſque muſculis alvum deponebat. Hunc porrò affectum traxerat à patre, tanquam hæreditarium, ideoque tanti affectûs cauſas ulterius perſcrutatus, comperi patrem non modò in Epilepſiam, verùm & crebro in mentis alienationem incurriſſe, eâque alienationis ſpecie detineri, quâ correpti, lunatici vocantur.

Cujus nominis rationem non aliunde evenire mihi perſuadeo, quàm à motûs ordinatione, eò quòd pluries obſervatum ajunt, ejuſmodi affectum certis Lunæ coitionibus & quadraturis moveri & excitari. Mallem tamen rationi ſeminali id tribuere, quàm obſcuris, & à nobis remotis cauſis, ne dicam vanis & infidis; nec moramur quicquid in contrarium obſtrepant alii. Tanto affectu libera evaſit iſthæc puellula, (*b*) *ſaturninâ magneſiâ* ter aſſumptâ, quâ plurimum pituitæ & bilis porraceæ evomuit. Ejuſmodi ſaturninam magneſiam per calcinationem ad hoc paramus, de qua in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica in* 3. *cap. de ſtibio.* Vivit ipſa ſeptennio à cura elapſo, citra ullam morbi ſuſpicionem.

NOTÆ

in CAPUT XLVIII.

(*a*) *Epilepſia.* Graviſſimus hic morbus utplurimum fit ab obſtructione ſeu compreſſione ſubſtantiæ cerebri tàm glanduloſæ, quàm medullaris. Confirmant hoc ſectiones epilepticorum, ubi plerumque cerebri ventriculi aut materia viſcida, aut ſanguine, ſero acri, pure repleti aut compreſſi videntur. Welſchius *in mictonematibus pag.* 69. notavit hydropicum, qui balnei uſu, fuſis humoribus in epilepſiam incidit. Laborabat paucis ab hinc annis puer decem annorum febre intermittente chronica, ex qua contrahebat inflationem ac intumeſcentiam corporis, ad quam depulſandam ſuffimigia adhibebantur, quorum poſt uſum epilepſia corripiebatur. Cauſſam hujus morbi mechanicè & ingeniosè tradidit divus noſter Cous *in libro de morbo ſacro*, dum inquit: ſacer morbus fit, cum obſtructiones multis modis circa venas contingunt, & ſanguinis motus prohibetur, atque hic quidem ſiſtitur, ibi tardius permeat, alibi autem citius. Hoc ipſum à Domino Sponio *in Commentario ad aphoriſmos* obſervatione illuſtratur, hic inter alia in cadavere epileptici venas quasdam jugulares à muco tartareo viſcido gypſeo quaſi obſtructas invenit, hinc factum eſt, ut ob impeditam in iſta parte circulationem ſanguis ſeroſus ad cerebrum magis regurgitaverit, & ſomnolentiam ac inſultus epilepticos produxerit.

(*b*) *Saturnina magneſia.* Nihil eſt aliud quàm regulus antimonii ſeu antimonium ipſum per calcinationem tractatum. Sæpius epileptici mali fomes primis in viis latitat, quæ pituita & bile æruginoſa ſordeſcunt, his depletis malum remitti ſolet. Laudant emeticorum in epilepſia uſum Trallianus *lib. I. cap.* 15. Zacutus Luſitanus *praxi admirabili Lib. I. obſ.* 24. Petrus Johannes Faber *in curationibus pag.* 714. Angelus Sala *cent. II. curatione* 77. Fumo tabaci in os pueri inflato epilepſiam curatam evolve Riverium *cent. II. obſ.* 60.

CAPUT XLIX.

De tertiana febre cum ſuffocatione.

NObilis Dom. Magdalenæ de Creſcimbenis filia, nomine Hippolyta, annum decimum quartum ſuæ ætatis agens, ſub canicula vehementiſſimâ febre tertianâ, cum tetrico ſymptomate ſuffocatorio acerbè divexabatur. Hujus graviſſimi ſymptomatis tanta vis & pernicies erat, ut eo inſtante paroxyſmo ſpiritum jam efflare crederetur. Contingebat dirum hoc (*a*) *ſymptoma initio rigoris*, in præcordiis validam & intenſiſſimam oppreſſionem præſentiente ægrâ: unde conjicere licuit, illic mali fomitem deliteſcere. Quapropter ſpecificum noſtrum ſtomachicum cum aqua cinnamomi exhibendum certâ indicatione conjeci; idque non fruſtrà, eo enim bis exhibito cum antipyreto noſtro, febris, & ſymptomata confeſtim evanuerunt. Nec mirum: nam ubi magna morborum vis, & impetus, ibi cita mors, aut victoria læta. Interea hîc mihi in memoriam revocandum ſubit, quot ægri tali ſymptomate occubuerint hujus medicamenti privatione, & ignorantiâ.

NOTÆ

in CAPUT XLIX.

(*a*) *Symptoma initio rigoris.* Tremor, horror ac frigus ſpaſmodica affectio integumentorum totius corporis eſt, ubi moleſta conſtrictione ex venarum extremis reprimitur ſanguis in vaſa majora, à cujus congeſtione reſpiratio fit difficilior, ſique ſanguis copioſus & viſcidus eſt, in præcordiis & pulmonibus ſtagnans oppreſſionem vel etiam ſuffocationem crear. Qui ex febribus intermittentibus diem ſuum obeunt, ipſa ſub acceſſione & rigoris paroxyſmo decedunt. Laborabat Halberſtadii quatuor ab hinc annis fœmina 50. annorum febte quotidianâ intermittente, tertio die accipiebat à balneatore quatuor grana vitri antimonii in ſubſtantia cum vino, poſt hujus uſum purgavit per tres dies continuos ἀνῶ & κατῶ plus centum vicibus, febris omni die ſervabat ſuum typum, tempore frigoris miſerrimè torquebatur ſpaſmis, ſudore frigido, pulſu debili, reſpiratione difficili & cum purgatio inſiſtens vires ulterius deſtrueret, tertio die ab accepto emetico ipſo in frigore, quod per ſex horas cum ſudore frigido per totum corpus anxietate præcordiali, pulſu non ſenſibili & omnium virium dejectione inſtabat, moriebatur.

CAPUT L.

De cauſo, ardenti febre dictâ, cum vehementiſſimo ardore ventriculi.

CÆſar Agucchius, annorum 25. in domo admodum Illuſtriſſ. Dominæ Ludovicæ de Poggiis, ardenti febre, cum anhelitu gravi, & ardore ventriculi acerbè conflictatus, ad quartum diem ſine remediis perſtitit; quinto cùm valdè cacochymus eſſet, (*a*) *ſequentem potionem accepit.*

℞. Mannæ Calabrinæ, ſyrupi roſati ſol. an. ℥. ij. decoct. flor. & fruct. cord. cum ʒ. j. ſenæ q. ſ. fiat potus, quo medicamine multa bilioſa excrevit. Sexto die viribus minimè ſuadentibus non fuit detractus ſanguis. Septimò augetur anhelitus, parique modo cætera ſymptomata mirum in modum creverunt, croceæ urinæ apparent, lingua item nigrore perfunditur, ſcabraque redditur. Octavo die cùm ventriculi ardor, & anhelitus magis premerent, cumque ad extremum ferè adigerent, (*b*) *cardiacopotu* hunc in modum ipſi proſpeximus.

℞. Pulveris diamargariti frigid. ʒ. ſyrup. de papavere nig. ℥. j. aquæ acetoſæ, ℥. vj. ſuccini limonum, ℥. ſ. Miſc. Horâ à potu quievit, & ventriculi ardor, & dolor inde ortus ceſſavit, totaque nocte dormivit; exactâ verò vi ſoporificâ potionis, (quod fuit circa decimam horam ab aſſumpta potione) eadem reverſa ſunt ſymptomata; quare ſupervenienti nocte eandem potionem reiterandam juſſimus. Interim natura pugnam minimè deſerens, ſudores movit circa undecimum, morbumque planè ſubegit. Iisdem diebus alios ægros febri omninò ſimili cum iisdem ſymptomatis, ejuſdem potionis cardiacæ vi, & beneficio feliciter ſanavimus. Quo argumento Medicos quoſdam timidos, narcoticorum uſûs, & facultatis ignaros monere cupio, ne futili ſuo ratiocinio pellecti, ejuſmodi medicamentorum uſum reformident. Qui laudana, & alia opiata nôrunt, hæc vel illa uſurpare poſſunt.

NOTÆ

in CAPUT L.

(*a*) *Sequentem potionem.* In morbis epidemicis maximè caſtrenſibus & qui à vitio victus enaſcuntur, prima regio copia impurorum humorum utplurimum onetatur; hinc à cruditatibus illis purganda, non quidem vehementi pharmaco aut tali, quod œconomiam vitalem omnesque humores perturbat, viresque ſubtrahit, ſed è contra, quod præter lenem evacuationem vires potius addit & malignitati reſiſtit. Poſſunt hinc miſceri mixturis alexipharmacis, lenia laxantia v. g. tamarindina, Syrupus roſarum laxativus, diagrydium &c. A febre maligna epidemia plurimos præſervatos fuiſſe leviotibus purgationibus ſcribit Platerus, *lib. II. obſervat. pag.* 295. item leniora ineunte morbo petechiali ſummo cum fructu exhibita in innumeris ægris commendat D. Donckers *in idea febris petachialis pag.* 292. *&c. nec non* Diemerbroccius *in praxi pag.* 295. *Cardiaco potu.* Similes mixtùras ex acidis & anodynis conſtantes exhibet Dominus Donckers, paſſim *in libro citato.* Meritò opiata, narcotica, quæ ſpiritus ſuffocant & vires extinguunt, damnanda ſunt, papaveracea autem, ubi magna humorum ebullitio & acrimonia eſt, pulſus robuſtus & celer, circumſpectè adhibita & cum acidis mixta proficua ſunt. De horum uſu fuſius poteſt *videri* Zacutus Luſitanus *medicina tract.* 61. *lib.* 1. Riverius *in tract. de febr. peſtilentiali pag.* 136. Horſtius *lib. I. obſ.* 27.

CAPUT LI.

De Pleuritide in Septuagenario.

PErilluſtris Dominus Auguſtinus de Poggiis, S. Stephani eques, annos 70. natus, graviſſimo, & acerbiſſimo lateris dolore cum ardentiſſima febre correptus, hunc in modum ſanitatem conſequutus eſt. Dolori, ut magis urgenti, ad Hippocratis normam, (*a*) *fotum ſequentem* præſcripſimus.

℞. Fol. malvæ, violar. praſſii albi, camomillæ, ſeminis lini, fœnugræci, an. p. æq. Bull. in ſ. q. aq. communis: quo dolore paululum ſedato, linimentum, ut peracto fotu illineretur, admiſimus.

℞. Butyri recentis, ol. amygd. dulc. adipis galin. an. ℥. ij. Miſce f. linimentum. Dolore placato, (*b*) *multoque pure* circa 4. diem excreto, febris omnino receſſit; quæ paulò pòſt, diebus 6. vix elapſis reverſa eſt, unà & lateris dolor, unde mortis ſubſecuturæ haud parva ſuſpicio. Tertio verò die multum ſanguinis exſpuit, ſimul cum puris aliqua portione, febre penitus ceſſante, atque dolore, & aliis ſympto-

ſymptomatibus. In hoc affectu, nullis prorſus uſi ſumus remediis, niſi maturantibus, & expectorationem promoventibus, ſic naturæ ſagacitate potiùs quàm artis regulis opus perficiendum duximus. Cùm autem jam annum elapſum incolumis vixiſſet, & ab omni mali pernicie tutus eſſet, (*c*) *nova pleuritis primâ* vehementior eum adoritur, & mox quinto die, remediis etſi opportunè factis, fatis cedere coactus, è vivis receſſit. Ejus *cadavere adaperto*, ſiniſtri lateris, ubi dolor magis eum vexabat, pulmones ſuppuratos comperimus.

NOTÆ

in CAPUT LI.

(*a*) *Fotum ſequentem.* Quantum juvent fotus in pleuritide, docet Foreſtus *in Lib. XVI. obſervat.* 31. maximè in pleuritide ſpuria, ubi muſculi intercoſtales externi inflammatione affecti ſunt; nec non linimenta poros aperientia & diſſipantia, nimirum ex camphora, croco, nitro, ſpiritu vini & aceto deſtillato parata, quæ calidè parti dolenti applicata diſſipatione per poros magnam locant operam.

(*b*) *Multo pure.* In graviore pleuritide, quæ in ſuppurationem vergit, non tantum per os, ſed per alvum quoque materia ejecta fuit, obſervante *id* Wedelio *in tractatu de medicamentorum facultatibus*, *item* Johanne Rhodio *obſervatione medica C. II. cap.* 29. *&* Petro de Marchettis *obſ. Chirurg.* 43. *pag.* 99.

(*c*) *Nova pleuritis* Foreſtus *lib. citato obſ.* 32. refert exemplum, ubi quis inter quatuor menſes ter legitima pleuritide laboravit, & ſemper ſanguis detractus fuit ex ſiniſtro latere affecto, & ſic convaluit.

(*d*) *Cadavere adaperto.* Horſtius *lib. III. obſ.* 9. aperuit peripneumoniacum mortuum, & in pectoris cavitate ſerum ſanguinolentum copioſum invenit, pulmones undique ſanguine craſſiore, qualis venoſus eſt, ſcatentes, extremis eorum partibus induratis & nigricantibus, cor flaccidum jecur & exſangue.

CAPUT LII.

De catarrho ſalſo incurabili habito.

DOminus Hieronymus Tamburinus Bibliopôla, annos 45. natus, catarrho ſalſo impetitus, (*a*) *ſub trium Medicorum curâ infelicem*, & acerbam vitam biennio exegerat, modo purgationibus vulgatis, & phlebotomiis excruciatus, modò ligni guajaci diætis, nunc viperarum juſculis, julepis, (*b*) *ſyrupis*, & aliis ad nauſeam aſſumptis: mitto capitatas conſervas, confectiones, morſellos, pulveres, enemata, & plurima alia: tot enim inconſtantiæ fluctibus ejus ſanitas ferebatur, quot ejuſmodi Medicorum opinionum ſcopulos offendebat. Morbus tamen erat nótiſſimus, (*c*) *alopecia* à catarrho ſalſo producta, cum aſperitate, & ſiccitate cutis capitis, quas leviſſimus herpes cutaneus brevibus intervallis concomitabatur. Interim dum catarrhi ejuſmodi fomitem extirpare contenderem, atque de remedio apud me plurimùm cogitarem, latens ventriculi imbecillitas à tot medicaminibus orta mihi innotuit, cui ante omnia occurri enixè petit. Itaque morbi eſſentiâ in principio curationis neglectâ, ventriculo ut ſubveniretur, tanquam publico, & valdè neceſſario inſtrumento, ſtatim proſpexi, quod quidem feliciſſimè præſtitit noſtrum (*d*) *ſpecificum ſtomachicum*, noſtrum inquam, quòd nemo hucuſque de ejus uſu, & facultate, quod ſcimus, mentionem fecerit. Medicamentum eſt gratiſſimi, & ſuaviſſimi ſaporis: ſuas vires exerit ſine manifeſta alteratione, & in exigua portione exhibitum. Ad eam verò ſalſedinem è corpore exturbandam, decoctum melanagogum ligno ſaſſafras addito per 20. dies dedimus. Victum præſcripſimus plenum de conſueto ferè nihil immutantes: ab acribus, ſalſis, & piperatis, item acetariis, caſeo, & aliis mali ſucci abſtinendum tantummodò ipſi indiximus, hiſque paucis intra 25. dies pertinaciſſimo, & ab aliis Medicis proclamato incurabili morbo, liber omninò evaſit. Septennio à cura hac mortuus eſt ſub aliorum cura, ob tertianam ſimplicem malè curatam. Sic multis contigit, qui à me ex graviſſimis morbis ſanati, in aliorum manibus, levi morbo pereunt.

NOTÆ

in CAPUT LII.

(*a*) *Sub trium Medicorum cura.* Nihil æquè, cenſente Seneca *epiſtola II.* ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio, adde & medicorum. Rectè non minus, quam verè canit *Ovvenus*:

Nunquam crede mihi à morbo curabitur æger;
Si multis medicis creditur una febris,
Optima medicina, juxta Livium, ſæpè eſt, nullo uti medicamento.

(*b*) *Syrupis*, &c. Saccharata & dulcia in copia oblata ægrotis, multum officere ſolent, viſcedinem ac tenacitatem nec non acredinem humoribus conciliant. Obſervatione dignum eſt, ſaccharum aceto additum illud hoc longè acidius reddere, imò ſuccum ex arundinibus expreſſum, ex quo in India occidentali ſaccharum conficiunt, per diem vix ſervari, quin in acetum degeneret acerrimum. Poſtremò dulcia propter lentorem ſuum medicamentorum actuoſitatem labefactant & infringunt.

(*c*) *Alopecia.* Defluvium capillorum lepræ, lui venereæ, illiſque morbis, ubi ſerum nutritium acredine corroſiva defœdatum eſt, facillime jungitur, ita ut illam hodie indubitatum morbi gallici ſignum credant, ubi alia ſigna adfuerint. In leproſis etiam ſuperciliorum pili decidunt. Tale capillorum defluvium non curationem ſuſcipit, niſi poſt morbum principaliorem ſanatum.

(*d*) *Specificum ſtomachicum* De hoc in ſuperioribus diximus, eſt nimirum pulvis inſipidus albus gratiſſimus: ejuſdem indolis famoſa illa materia perlata *Krugeri* eſt: item certi quibuſdam practici *Zittavienſis* panacæa, quæ beneficio carbonum in regulum antimonii mox reducitur. Sunt, qui illud pro mera calce effœta æſtimant, ſed falluntur: Etenim regulus antimonii mercurialis ſtibii pars eſt in unum corpus collecta, & microſcopio ejus pulvis aſpectus ex minutiſſimis globulis mercurialibus conflatus apparet. Globuli acceſſu nitri in minutiſſimas minutias rediguntur, quæ ob repercuſſionem luminis oculo ſpectatoris albæ apparent; non ſecus ac mercurius ſolutus in aqua forti & ſale communi præcipitatus albus apparet.

CAPUT LIII.

De Carcinomate.

BEnedictus de Picininis ſartor, annos natus, *nella corte delli Gallucci* commorans, (*a*) *in medio labri* inferioris horridum, & formidoloſum cancrum patiebatur, ovi gallinacei craſſitie, acutiſſimo, pungentique dolore per intervalla moleſtum, à quo multum ſanguinis ſponte, vel ſi tantillum caſu tangeretur, effundebatur. Ejuſmodi tumor à biennio cœperat, perexiguam veſiculam primùm concitans. Hinc ratus ipſe nihil noxii ea in veſicula ſubeſſe, incuratam longo tempore reliquit; at invaleſcente, ſigniſque veri cancri apparentibus, nullus Medicorum ejus curam ſuſcipere auſus eſt. Et tandem ſupplex in lachrymas, ad nos prorepens, divinum auxilium per me repoſcit. Cognito morbi genere, præmiſsâ levi purgatione, affectum locum oleo mercurii perunximus, unde lancinans dolor parum mitior factus, ſalutis ſpem pollicebatur: Nec fruſtrà; ter enim eodem oleo perunctus, (*c*) *cum oleo antimonii* aliquando admixto,

mixto, tumor omnem vim, & ferociam amiſit. Primò ſiquidem rubens erat, durus, ſubtilique fumo circumciſus: hinc aſpicientes terrebat; formidoloſus tamen ejuſmodi tumor brevi unctionibus pluries repetitis totus excidit, radiculis eò loci inhærentibus, atque iiſdem oleis penitus ſubactis. Quod ſupererat ulcus, facilè coaluit, emplaſtro diapalmæ admoto. Vivit nunc felix, quinquennio à cura exacto.

Oleum mercurii non eſt cuivis notum, multiplici viâ paratur, uti & oleum antimonii. Optimum, & ad extrinſecos uſus accommodatum, ſubtile eſt admodum, corpora quæque denſiſſima facilè penetrat. Horum præparationem in peculiari noſtro *de ſecretioribus medicamentor. præparat. & uſu* docuimus *lib.* 1. *in noſtra Pharmacopœa Spagyrica.*

NOTÆ

in CAPUT LIII.

(*a*) *In medio labri.* Tumorem quendam ovi gallinacei in labio geſſit Halberſtadii Clericus quidam per multos annos, ſponte tandem apertus fuit effluente pauco ſanguine, altero die compreſſus emittebat magnam copiam puris: Inſtrumento immiſſo extracta fuit inſignis quantitas materiæ inſtar ovulorum halecis, *vvie Herings R^gen*, ulcus fuit mundatum & brevi conſolidatum, glandulæ, quibus conſtant labia, induratæ non rarò corroſivum ſuccum continent, qui aëre admiſſo in motum incitatus, inſtar cauterii exedit & depaſcit partes vicinas, leniora remedia ſpernit, fortioribus autem & acrioribus exaſperatur.

(*b*) *Cum o'eo antimonii.* Eſt nihil aliud, quàm vulgò ſic dictum butyrum antimonii, quod Johannes Faber *in curationibus pag.* 704. *&* 705. impensè commendat, quo tangit ulcera cancroſa & inſtillat aliquot guttas, poſtea ſucco ſemper vivi majoris illa exſiccat.

CAPUT LIV.

De phagedœnis ulceribus utrumque genu obſidentibus, cum nervorum retractione, febre, vigiliis, & aliis.

CAtharina Camilla Taroni muratoris uxor, annos triginta quinque nata, in via vulgò *delle Vinaccie*, à ſeſquianno in lecto clauda jacebat, ob fœda ulcera in utroque genu oborta. Ad hæc accedebant lenta febris, vigiliæ, dolores, inappetentia, & marcor totius corporis. Tot malorum concurſus (*a*) *à catarrho ſalſo*, humoreve ſimili per totum corpus luxuriante originem certò trahebat: is enim ſalſus humor eas in partes, ut imbecilliores irruens, carnes inibi arroſerat, magnum dolorem, & fœtorem concitans; à dolore ſubinde alia progrediebantur ſymptomata. A quibus ærumnis, morborumque procellis infelix mulier ſequenti methodo ſublevata fuit. Ad catarrhum ſalſum ſummovendum, (*b*) *decoctum catholicum* purgans melanagogum, ut in *libello noſtro Præparationum* habetur, ad viginti dies præſcripſimus; quo peracto (*c*) *unguentum mundificans* ex terebinthina, vitellis ovorum, & cera, ad nonnullos dies admovebatur. Mundificato ulceri rubrum unguentum adhibebatur, quo ulcus cicatrice citò obducitur. Et eo temporis ſpatio ſingula quæque ſymptomata ceſsârunt, rediit priſtina ſanitas, & ambulandi potentia.

NOTÆ

in CAPUT LIV.

(*a*) *A catarrho ſalſo.* Variis experimentis firmaque ratione aſſeri & demonſtrari poteſt, omnium ſalium, quæ in rerum natura continentur, primum originale a c fundamentale eſſe acidum, ex quo cætera omnia motu ſolo interveniente certâque terra proveniunt. In animantibus acidum facilè convertitur in ſalſum, quoniam in illis motus fortior & fermentatio ſanguinis intenſe viget, cujus beneficio attritio, diviſio, ſubtiliſatio particularum ſalinarum & per conſequens tranſmutatio fit acidi in ſalſum, qua de re legi poteſt *Diſſertatio noſtra de generatione ſalium.*

(*b*) *Decoctum catholicum.* Rarò ulcera contumacia ſolis externis ſanari poſſunt, ſed potius diſcraſiæ ſanguineæ habenda ratio eſt, & primæ viæ probè liberandæ ſunt à ſordibus, nec non victus laudabilis omnis ſalis & acredinis expers commendandus.

(*c*) *Unguentum mundificans.* Ad ulcera mundificanda chirurgi utuntur ſpiritu vini camphorato, item eſſentiâ myrrhæ, aloës, balſami peruviani, nec non ſpiritu terebinthinæ.

CAPUT LV.

De aſthmate inveterato.

JAcobus Bontanus, vir quadragenarius, in foro boario commorans, à 9. menſibus ſub cura trium Medicorum ex levi ſtomachi affectu in moleſtiſſimum aſthma incurrit, cum principio hydropis, ob refrigerationem ventriculi, pituitâ in eo redundante, ſputum copioſius, & inappetentiam. Medicamenta purgantia ſub variis formis accepit, item oxymel, julepos, juſcula alterata, & alia, phlebotomiâ de more pluries celebratâ, quibus infeliciter, & contra artem factis in graviſſimum aſthma incurrit; propterea alium Medicum ſeligendum curavit. At iſto nihil feliciùs agente; tertium iterum advocat, qui gallorum juſculis curam aggrediens ægrum penè ad mortem deduxit: incauti omnes ab Hippocratis, & Galeni ſemitis planè digreſſi; unde mirum non eſt, ſi in turpiſſimos hos errores facilè currant. Conſimiles Medicos extrinſeco apparatu alteros Galenos diceres: conſenuerunt in arte, publico ſtipendio docendi munus jamdudum ſuſceperunt: quis non veneretur aſpectabilem eorum majeſtatem? quis non fucatam eloquentiam, & ſubtilem dicacitatem, vernaculis, ſi non Latinis verbis comptam? Taceo alia majora, ut ad nos revertar. Hippocratis trita eſt ſententia: *πέπονα φαρμακέυειν ϗ κινέειν μὴ ὠμὰ* (*a*) *concocta medicari, & movere non cruda.* Iſti contrà, nullâ humorum coctione præmeditatâ ſtatim purgantia præſcribunt: aut ſi de eâ cogitent, eam ſatis aggredi putant, ſi quædam oxymelita, ſyrupos, juſcula, aut ſimilia ad 5. vel 7. dies adhibeant. Dum hæc peragunt, ventriculo negotium faceſſunt, naturæ munia ad ſui ipſius tutelam diſpoſita avertunt, & nova concitant ſymptomata. Etenim ventriculo magis refrigerato, & naturali œconomia à munere diſtractâ, plus humiditatis, pituitæve coacervatur. Quæ in pectore redundabat aſthma produxit in abdomine tumorem, quem & hydropem appellant: facto inde anhelitu gravi, præ vitalium partium oppreſſione, noctes ferè ſemper inſomnes traducebat, nec ſolùm vigilem in lecto jacere neceſſe erat, pulſum, verùm & erecta cervice, aut per cubiculum tota nocte ſtare, & deambulare.

Hujus aſthmatis conjuncta cauſa erat, catarrhus in pectore redundans: antecedens, naturalium partium refrigeratio: ad quæ duo methodum noſtram dirigentes, ad catarrhum exhauriendum, & ad ventriculum roborandum, aliaſque naturales partes in priſtinum ſtatum reſtituendas: hæc duobus remediis facillimè abſolvimus: pilulis noſtris catholicis,

catholicis, de quibus in noſtro *de ſecret. med. præparat.* & lacte ſulphuris in rotulis exhibito. His abſolutis, hydropi eâdem viâ proſpeximus, ſulphur metallorum aliquando exhibentes.

NOTÆ

in CAPUT LV.

(*a*) *Concocta medicari. Hippocratis* ſententia eſt: cocta eſſe purganda, non cruda. Cocta dicuntur, quæ vitioſas qualitates depoſuerunt, mitiora reddita & ad expulſionem aptiora: Huc ſpectant præparantia, quæ alterant & mobiles reddunt humores. Veteres Medicorum rigidè obſervarunt illam methodum, & Hiſpani ac Itali hodienum obſervant, ut 1. dent lenientia 2. præparantia, 3. purgantia; Verum non neceſſaria ſæpe eſt illa præparatio, ſi humor fluidus eſt, ſi quis victu utitur humido, in regione calidiori degit; aſt quicunque humor reſiſtit motui, glutinoſus acidus eſt; auſterus, ille non aptus ad purgandum, unde eget præparatione ſeu correctione. Si quis itaque rebelles hos humores validiſſimis purgantibus tractare & expellere contendit, ille magis lædit, quàm juvat. Deteſtandus ſanè multorum practicorum mos eſt, qui cogere ægros renitente licet natura ad purgandum volunt, dum fortiſſima propinant purgantia, quibus non operantibus ſubindè alia fortiora ingerunt, maximo cum ægrotantium damno, falsò ſibi perſuaſi, calamitoſum eſſe, ſi purgans ſubſiſtat, nec operatur.

CAPUT LVI.

De rara hæmorrhagiæ ſpecie, per omnes corporis meatus erumpente & aliis.

INauditam, & planè (*a*) *portentoſam hæmorrhagiæ ſpeciem* contraxit Perilluſtris Domina Semidea Poggi de Zeriis, dum ætatis ſuæ annum circiter quinquageſimum ageret. Exorta eſt autem ejuſmodi hæmorrhagia ſenſim, & à latente cauſa, ab omnibus ferè corporis hiatibus, ore, naribus, utero, & alvo: per alvum, & uterum copioſiùs; per os, & nares minus, & ſegniùs, atque tantùm per intervalla. Fluxit ſanguis ad octo dies, nullo adhibito remedio, niſi *pauxillo coralli* vulgariter præparati, ad duas libras circiter in die. Hoc fluxu fracta viribus, & maximo languore, cum animi crebris deliquiis, ſemimortua me advocandum curavit. Singulis ad penſum examinatis, corallorum tincturâ eam refici curavimus, interdum manè ipſi porrigentes ad ℥. ß. pulveris ranarum: quibus facillimè conſtitit ſanguis. Causâ verò nondum ſublatâ, paucis pòſt diebus idem fluor, ſed mitior revertitur, ſymptomata haud levia ſecum adducens; calore enim exhauſto ob penuriam ſanguinis, quicquid intus ingerebat, in pituitam ſuccoſve crudos corpori alendo minimè idoneos vertebatur, & potus pervicaci ſuâ velocitate, & penetratione, licèt crudus, exinanitas venarum cavitates, ut repleret, eas promptè ſubibat; unde confertim turgidum corpus, & leucophlegmaticum redditum fuit, cui pari celeritate ſucceſſit ſitis ingens, mira inappetentia, febris lenta, ventriculi dolor, vomitus, & alvi conſtipatio.

Qui morbi, & ſymptomata nobis haud parum timoris attulerunt. Verebar enim ne caloris defectu medicamenta in actum non deducerentur; adde quòd ſanguis ex quacunque exeat parte ſemper malum eſt, dictante Hippocrate, & uſu probante. Indicationes prætereà, quas curatorias appellant, abſolvi poſſe vix credebam, quandoquidem primarius noſtrarum functionum opifex deficeret, quo collabente tota humanæ molis fabrica ſoleat dirui, & annihilari. Illi igitur quæ cumprimùm dictum calorem adjuvarent, uti aurum noſtrum diaphoreticum, dedimus: paulo pòſt ſpecificum ſtomachicum ad aliquot dies, quo vomitus, & ventriculi dolor, unà & febris ſubacta fuerunt: tumor pariter ſubalbidus toti corpori æqualis ſenſim evanuit. Cùm verò firmam ſanitatem in longum minimè duceret, & paululum cibis aſſumptis nauſeâ plerumque premeretur, levi etiam ſyncope crebrò tentaretur; aliud ſubeſſe ratus ſum; forte alicujus partis corruptelam, vel aliud præter naturam computreſcere, è quo vapor teter, & malignus expiraret. Hinc poſtmulta, enemate deturbati ſunt tres calculi è ſuperioribus inteſtinis, qui in rectum illapſi dolores in pectine haud exiguos concitârunt; hos tandem maximis cruciatibus obortis feliciter excrevit, & confeſtim ipſa convaluit.

NOTÆ

in CAPUT LVI.

(*a*) *Portentoſam hæmorrhagiæ ſpeciem.* Variæ proſtant annotationes inſolitarum hæmorrhagiarum, ſic annotavit Horſtius *Lib. V. obſ.* 3. puellam, quæ menſium fluxu deſtituta erat, ſingulis menſibus per alvum ſanguinem excreviſſe: item aliam per vomitum. Per mammæ ſiniſtræ papillam apud *Cordæum* menſtrua excieta ſunt. Notabilis maximè eſt obſervatio, quàm habet idem Horſtius *Lib. V. obſ.* 17. prægnans nimirum fœmina ſeptimo menſe in hæmorrhagiam ſubitaneam gingivarum incidit, ita ut per 3. ſeptimanas tanta copia effluxerit, ut aliquot menſuras implere potuiſſet. Tandem à capite ad calcem maculæ ſuccedunt ſanguineæ, quas cum medicus ſudorifero & balneo diſcutere volebat, ſudor ſupervenit ſanguineus cum virium jactura ipſaque morte. Guttarum ſanguinearum ex gena manuque menſtruatæ, eruptionem tradit Bartholinus *cent.* 1. *Hiſtor.* 13. *l.* 52. *B. Parens* in analectis ſuis practicis in fœmina gravida Hallenſi binis vicibus in colli latere dextro ſpontaneam venæ jugularis rupturam obſervavit, quæ ſi fuit ſuppreſſa, incidit in tumorem œdematoſum & eriſypelaceum. Sanguis ſponte ex ſaphena prorumpens notatus à Schenckio *Lib. IV.* Hæmorrhagiam per omnes meatus à filtro deſcribit Henricus ab Heer *obſ.* 13. *pag.* 124. & ſeqq. quoſdam terrore agitatos per omnes corporis meatus ſanguinis fluxum paſſos fuiſſe autor eſt Schenckius *Lib. III. obſ.* 56. Wepferus *exercitatione de apoplexia pag.* 32. meminit maculæ atro rubeſcentis, ſanguinem ſingulis annis ter vel quater cum ſaltu exprimentis.

(*b*) *Pauxillo corallii.* Nunquam hæmorrhagia ſubitò ſiſtenda eſt, & maximè conſueta vel critica, obſervatum tunc fuit tempore conſueto utut non hæmorrhagia revertatur, vaſa tamen faciei plus ſolito fieri conſpicua, pulſum circa collum & tempora vehementiorem, dolorem tenſivum & inflationem quaſi internam capitis oriri. Scribit Wedelius *in opiologia pag.* 146. Viduam, cum menſes reſtitantes per os viam quærerent, ſanguineo vomitu ſubſequente, obſtructis viis inferioribus, ab imperito chirurgo ſumpſiſſe poculum adſtringens, cui admiſtum erat opium, illamque ſanam quæ videbatur de ſubito extinctam fuiſſe.

CAPUT LVII.

De continua ardentique febre, &c.

SEbaſtianus Dominæ Iſabellæ de Blanchis factor, annos ſexaginta natus, ſuperioribus annis in continuam, & ardentem febrem incidit, cum vigiliis, vomitibus, ſiti, & aliis ſæviſſimis ſymptomatibus. Hujus morbi cauſam nonniſi (*a*) *tempeſtatis conditioni*, atque ejus vitæ conſuetudini referendam exiſtimavi: Etenim tunc temporis multi eadem febre corripiebantur, & ii præſertim, qui tali & tali victûs regimine utebantur, atque (*b*) *qui tali temperamento* donati erant (de quibus alibi fuſiùs dicturi ſumus.) In hac febre curanda, præter communes indicationes, ob vomitum, & ventriculi dolorem,

dolorem, ætati conjunctum, aliâ quàm communi viâ incedere nobis fuit conſilium. Itaque ventriculo, tanquam publicæ parti, primùm eſſe proſpiciendum ſtatuimus, atque calori inſito, quantum in nobis erat, ſuppetias ferre; quæ duo abſolvere poſſe unico ſtomachico noſtro rati, idipſum bis in die dedimus. Ad febrem Antidotum antipyreton ſufficiens fuit alexipharmacum. In victu, vino albo uſi ſumus, etiam in principio febris, contra vulgarium Medicorum ſententiam, adverſus quos mihi ſufficiat opponere divinum Hippocratem, Galenum ipſum & recentiores nonnullos, item rationem ipſam, & communem conſuetudinem. Non omnibus convenit aqua, nullius eſt nutrimenti, ventriculo, & hypochondriis gravis eſt, obſtructiones parit, & inſenſibilem tranſpirationem prohibet. De uſu vini in omnibus febribus, legite Hippocratem, & obſervate ipſum in omni febre vinum exhibere, in continuis, & intermittentibus. Item Galenum legite *ad Glauconem*, is non modò vinum, verùm & diatrium pipereum, dioſpoliticum, (c) *& alia longè calidiora* febricitantibus imperare non dubitat.

NOTÆ in CAPUT LVIII.

(a) *Tempeſtatis conditioni.* Veteres omnes febrium epidemicarum cauſas in temporum & tempeſtatum mutationes retulerunt. Continui imbres, nebuloſum ac pluvioſum cœlum multum faciunt ad excitandam putredinem, apprimè in corporibus mollibus uſque humidis. Hippocrates *Lib. III. aphoriſm.* edocuit putredines humidis temporibus fieri atque videri. Fernelius *Lib. II. de abditis rerum cauſis pag.* 76. inquit: peſtilentiam graviorem evadere in regionibus putridis exhalationibus infeſtis, quam in ſicca & pura, & rurſus graviorem æſtate, quam hyeme, & auſtrinà tempeſtate, quam aquiloniâ, inæquali intemperatoque cœlo, quam æquali atque temperato. Porrò etiam aër nimis calidus morbos progignit epidemios, acutos. In Barbaria propter immodicum cœli calorem corpora excellentiſſimas ſuſcipiunt putredines, peſtemque producunt *Authore* Alpino *de medicina Ægyptiorum pag.* 31. dyſenteriam ſub autumni initium poſt ferventiſſimam diuturnam tamen aëris conſtitutionem, oboriri, res eſt notiſſima. Hippocrates *lib. VII. epidemiorum* teſtatur ſiccitates maximè ſub cane ventiſque calidis, febres malignas ſudatorias gignere. Facilis ergò ratio eſt, quare ex regionibus orientalibus peſtis utplurimum ad noſtra feratur loca.

(b) *Qui tali temperamento donati erant.* Si morbi acuti à ſtatu aëris humido proveniunt, & illi, qui tentantur his, humidæ conſtitutionis, habituſque corporis laxioris ſunt, ſimul, & pinguioris, tunc res periculoſior; idem accidit, ſi qui morbi à nimio fervore oriuntur, bilioſas teneras complexiones adoriuntur.

(c) *Et alia longè calidiora.* Præter vinum nonnulli & ſpiritum vini non verentur propinare. Sic Welſchius *in obſervationibus* refert, ſe aliquot centum lue Hungarica laborantes curâſſe ſequenti: Recipe albuminis ovi numero 1. ſpiritus vini cochleare 1. croci parum, poſt hujus uſum ſudor imperandus eſt. In malignarum febrium curatione ſummo cum fructu ſpiritum vini exhibitum *vide Ephemerides dec. II. an. 8, pag.* 405.

CAPUT LVIII.

De carcinomate in labiis, alias noli tangere, in ſeptuagenaria.

DOmina .... D. Joannis Antonii Righonis uxor, in via, quæ vulgò dicitur, *il Borgo di Strà Maggior* commorans, ſuper inferioris labii extremitate prædurum tumorem, lividum, & exiguum admodum ciceris inſtar, ad aliquot menſes perferebat. Huc uſque tumoris curam negligente ipſâ, omnia ſymptomata (a) *horrendi carcinomatis* apparuerunt, ut dolor lancinans & peracutus, calor fervidus & mordax, & per intervalla hæmorrhagia inſignis. Ad ejus curam nonnulli Medici advenerunt primò, qui ſuaſerunt omnes, ne curam, quam vocant curatoriam, aggrediatur, verùm in palliativa perſiſtat: At ipſa non verbis, ſed factis opus eſſe judicans, curatoriam per noſtras manus feliciter amplectitur: in quâ peragendâ locus localiter opitulari nos docens, partem affectam (b) *balſamo mercuriali* bis in die inungendam ſtatuimus, & hoc unico præſidio miraculi inſtar ſublatus eſt tumor; radicibus ejus jam altè defixis in totum avulſis.

Ante localis ejuſmodi medicamenti applicationem juſculum ſequens præmiſimus.

℞. Radicum lapati acuti, polypod. querc. an. ℥. j. ß. fol. meliſſæ, pimpinell. boraginis, fumariæ, an. m. j. epithym. ſenæ. an. ℥. ß. aniſi, ʒ. j. Hujuſmodi juſculum capiebat ſingulis diebus, manè per 8. dies. Ab hac curâ octennium peragit, optimâ ſanitate gaudens. Interim ſi pallitativâ contenta fuiſſet, ut monebant alii, quàm horrendam ante obitum pertuliſſet vitam? quos cruciatus, & quas miſerias fuiſſet experta?

NOTÆ in CAPUT LVIII.

(a) *Horrendi carcinomatis.* In extremitate labii quando tumor durus, rotundus, lividus, cœruleus conſpicuus eſt, venæque ſanguine turgidæ ſunt, apparente interdum hæmorrhagia, dolore lancinante & peracuto, affectus dicitur carcinoma labii. Dominus Overkamp *in chirurgia pag.* 347. laudat ſpiritum ſalis ammoniaci cum ſpiritu cochleariæ, camphorâ, tartaro vitriolato, elixirio vitæ, ſaccharo ſaturni, myrrhâ & aloë remixtum.

(b) *Balſamo mercuriali.* Paratur hoc, ſi oleum hyperici trituratione facta cum mercurio dulci probè miſcetur. Alii magnifaciunt in cancro exulcerato pulverem ex reguli antimonii, ſaturni & mercurii decenti mixtura paratum. Ab aliis arſenicum non cryſtallinum, ſed ab expoſitione aëris per aliquot annos, correctum & dulcificatum à ſale forſan aëris.

CAPUT LIX.

De vomitu, lienteria, & febre continua, ab aqua chryſulca epota concitatis.

DOmina .... Domini Andreæ de Cantoffis uxor annos 55. nata, dum æſtivis diebus inexhauſtâ ſiti premeretur, (a) *aquam fortem*, quam chryſulcam vocant, pro vino incautè bibit, à quâ nauſeam, vomitum, febrem continuam, & dyſenteriam reportavit. Cùm verò tunc ruri diverſaretur, ibi Medicorum inopiâ, remediis ruralibus ad 3. vel 4. dies uſa eſt. At invaleſcente morbo, dyſenteriâ potiſſimùm, & febre, factum eſt, ut ad civitatem adduceretur: ibi cumprimùm lac amygd. dulc. cum terræ Turcicæ gr. xv. dedimus: noctu theriacam ad ℈. ij. cum granis aliquot dictæ terræ ſigill. Sequenti manè lac vaccinum chalybeatum, cum ceræ flavæ ʒ. j. pauxillo nucis moſchatæ, & dictæ terræ Lemniæ addito. Extrinſecùs fotum ex abſinthio, mentha, roſis ſiccis, maci, nuce moſchata, & aliis præſcripſimus. Febrem tanquam ſymptomaticam neglexvimus, vinum rubrum ipſi concedentes, ſuccos carnium vervecis, & alia ventriculum roborantia, præcipuo affectu ita ſuadente, nec non ægri viribus ita poſtulantibus.

tibus. Eo in ſtatu per tres dies manſit, in quo ſingula quæque vomebat, purulenta per alvum dejiciens cum ſeroſis multis: eâ tandem methodo probè convaluit.

NOTÆ

in CAPUT LIX.

(*a*) *Aquam fortem.* Omnia ſalia acida corroſivam vim exerunt, nequaquam autem ſalia volatilia urinoſa: Videmus aquam fortem, veſicam, quâ vitrum obturatur, exedere, non autem id facere Spiritum ſalis ammoniaci etiam fortiſſimum. Aqua forti ſi cutis tangitur, brevi inflammatur, non mirum hinc eſt, eroſionem tunicarum ventriculi & inteſtinorum ab epotâ aquâ Aggia fuiſſe ſecutam & ſic vomitum atque dyſenteriam. Eadem ſymptomata ab epota aqua forti annotavit quoque Henricus ab Heer *obſ.* 16. *pag.* 151. *videri poſſunt hac de re & Ephemerides dec. I. ann.* 4. & 5. *obſ.* 119. *pag.* 121.

CAPUT LX.

De febre continua cum graviſſimis ſymptomatibus.

ILluſtris D. Joſephus, Scadinarius annos 24. natus, 5. annis exactis dum ruri diverſaretur, (*a*) *febre continuâ* de genere bilioſarum, cum vehementiſſimo capitis dolore, ſiti inexplebili, anhelitu gravi, & aliis corripitur. Sub veſpere advocatus, dictum Dominum æſtuantem, magnis angoribus, & ſupradictis affectibus triduo oppreſſum invenio. Ejuſcemodi febris cauſa fortè erat (*b*) *immodica venus*, aut intemperata victus ratio, voluptuaria, utpote cui tunc plus juſto indulgebat: (*c*) *plethoricum eſſe corpus*, & ob prægreſſa, & ob ejus naturalem ad eam propenſionem, certum erat.

Sic ipſum neceſſariò vacuare, tam (*d*) *per venæ ſectionem*, quàm per alvi ſubductionem, indicatio communis erat: nos tamen citâ virium dejectione cognitâ, & ejus antipathiâ in medicamenta, expensâ, aliò nos vertere ratio impulit. Itaque vi, & facultate antipyreti noſtri in memoriam revocatâ, eo dictum Dominum brevi ſanare poſſe certò ſciens, ipſi futuram brevi ſanitatem polliceor, quod equidem feliciſſimè præſtiti; etenim ab hora alexipyreti dati affulſit optatæ ſalutis indicium, ſomno placidè ægrum excipiente, in quo, blando madore oborto, febris in totum receſſit.

NOTÆ

in CAPUT LX.

(*a*) *Febre continua de genere bilioſarum.* Hæc quotidiè ſuas habent exacerbationes cum levi quadam horripilatione, calore magno, ſenſibili, arido, ſiti intenſa: Ut plurimum qui laborant ex illis, ad præcipitantiam, incoërcibilitatem & inquietudinem ſunt proclives. Alvus in hiſce aperta, ſivè fiat arte, ſive natura bonum eſt, omnis alvi obſtipatio periculoſa, quoniam hanc ſubſequitur æſtus gravior, major angor, ſiccitas linguæ ac faucium, nec non delirium.

(*b*) *Immodica Venus.* Hâc ſpiritus & ſanguis concitatius moventur: Eſt enim lenis quaſi convulſio, quâ exteriores partes conſtrictæ humores ſubjacentes fortiter concutiunt & conquaſſant; hinc poſt nimiam venerem frequentius obſervatur pulſus fortior, vomitus, hæmorrhagia, nimiaque ſanguinis rarefactio. Venerem nimiam vomitum & ſingultum excitaſſe *vid. miſcell. cur. dec. II. ann.* 10. *pag.* 160.

(*c*) *Plethoricum eſſe corpus.* Magis macilenti, bilioſi, iracundi, activioris ingenii, & qui venas amplas habent, hoc morbo corripiuntur, quàm ſucci pleni.

(*d*) *Per venæ ſectionem.* Revera venæ ſectio & alvi lenior ſubductio ſacra in hac febre ſunt anchora. Et in hoc peccare videtur *Dominus Author*, quod venæ ſectionem, quæ heroicum & præſentiſſimum eſt remedium, circumſpectè & certo tempore adhibitum, tantopere negligat & inſuper habeat in omnibus fermè curationibus.

CAPUT LXI.

De inſigni hæmorrhagia per nares.

DOm. Jacobi de Righis mercatoris filius, annos tunc 15. natus, ab aliquot menſibus (*a*) *quartana febre* vehementer detentus, hæmorrhagiâ inſigni correptus fuit, cui occurrendo alter Medicus multa incaſſum tulit, è brachio ſanguinem mittens, emplaſtica, (*b*) *frigida, & aſtringentia* fronti, & naribus admovens, non omiſſis intereà ligaturis validis, & aliis, quibus uti conſueverunt in ſimilibus. His penitus exploſis, ad cauſam nos convertimus, ſpiritus videlicet ſanguinis impetum concitantes, ad quod pil. laudinas ad ℥. iij cum ℥. xj. (*c*) *pil. catholicarum* dedimus: Harum unicâ doſi, & hæmorrhagia, & quartana propulſata fuit.

NOTÆ

in CAPUT LXI.

(*a*) *Quartana febre.* Utplurimum largior hæmorrhagia eaque conſueta etiam obſtructionem viſcerum vel ſpaſmum quendam vaſorum ſanguiferorum circa meſenterium vel abdomen in hypochondriacis occurrentem ſubſequitur. Rectiſſimè ſcribit *Fernelius*, eos è naribus ſanguinis fluxum pati, quibus viſcera ſunt imbecillia & jecur maximè, id quod hydropicis accidit. Affirmat hoc Heurnius *in aphoriſm. Hippocratis pag.* 193. dum inquit: quibus facies colore viridi ſubfuſa eſt, hepate laborant, & ſignum eſt jam adfuturi hydropis, frequens in his cruoris per nares effuſio. Praxis teſtatur Medica, illos, qui hæmorrhagiis affliguntur, plurimum in primis viis experiri flatulentias, murmura, tenſiones moleſtas, anxietates, appetitum dejectum & quandoque etiam vomitum viſcidæ viridis materiæ.

(*b*) *Frigida & adſtringentia.* Subitaneus terror, horror ipſumque frigus fortiter admiſſum hæmorrhagiam ſiſtunt quidem, ſed non felici ſemper cum ſucceſſu: ſi in principio & repentè id fiat, ſuccedunt anxietates præcordiales ſuffocatoriæ quaſi, arteriæ circa tempora & collum pulſant, facies inflatur &c. Suppreſſam talem morris cauſam fuiſſe vid. *in miſcellan. nat. cur. dec. II. ann.* 10. *pag.* 219.

(*c*) *Pilularum catholicarum.* In omnibus hæmorrhagiis commendanda eſt alvus aperta, ſic quoque Bonnetus *in Medicina ſeptentrionali lib.* 24. *cap.* 32. pertinacem hæmorrhagiam purgante prohibuit. Item hæmorrhagiam uteri ſublatam purgantibus *vid. in miſc. dec. II. ann.* 9. *obſerv.* 126.

CAPUT LXII.

De vehementiſſimo, & efferatiſſimo alvi fluore.

DOminus Antonius da Ben Notarius, annos 33. natus, ſub fine Septembris inexpectatâ, & portentoſâ (*a*) *diarrhœâ* corruptus fuit, in qua per integrum diem ſupra 40. libras materiæ ſeroſæ ejecit, à qua evacuatione facultates naturales, & vitales adeò proſtratæ fuerunt, ut jam jam vitam cum morte mutaturus videretur, ſine pulſu, cum facie Hippocratica, & extremis valdè frigidis. Quùm autem circa meridiem ad eum advocatus fuiſſem, (*b*) *morbi cauſâ probè cognitâ*, de viribus inſtaurandis tantùm ſolliciti fuimus; eaque de cauſa ventriculo ſupra modum dejecto, & cibos omnes

omnes averſanti, ſequentem fotum admoveri curavimus.

℞. Fol. abſinthii ſicc. menthæ, calament. major. an. m. j. fl. roſarum, ſtœchados an. p. j. maſtiches, macis, ſchœnanth. an. ℈. j. fiat decoct. in ſ. q. vini rub. Fotu peracto locus inungebatur ol. abſinthii, & nucis moſchat. Intus offas vino rubro madefactat. cum ſaccharo obtulimus: cætera quæque reſpuebat, eorumque aſpectum perhorreſcens cuncta evomebat, dictis offis diutius in ventriculo manentibus. Dum hæc peragerentur, litus factus fuit calidus in toto abdomine cum oleis cydoniorum, & maſtiches. Nocte appetente animi expiationi atque conſcientiæ emungendæ totus deditus, primam noctis partem ſine remediorum ſuffragio tranſegit: in ſecunda parte accepit potionem ſequentem.

℞. Syrupi papav. nig. ℥. j. ß. terræ Turcicæ ℈. j. aq. pimpinell. ℥. iij. mixtis fiat potio.

Manè ſequenti accepit mivam cidoniorum cum dicta terra Turcica, & meliùs valuit, & tandem poſterâ die probè ſanus evaſit.

NOTÆ

in CAPUT LXII.

(*a*) *Diarrhæa.* Sero ſpiculis ſalinis turgido ſalibusque ventriculi & inteſtinorum fermentativis in motum acriorem redactis fibræ ac glandulæ inteſtinales conſtrictione ſpaſmodica exprimunt copioſius ſerum. Sæpius à bile acriori malum hoc fit.

(*b*) *Morbi cauſa probe cognita.* A cohibita tranſpiratione alvus fluidior non raro fit, dum ſerum ſalſum per ſuperficiem corporis evacuari ſolitum inteſtina fortiter afficit: Bonum hinc ſignum ſudor eſt diarrhææ ſuperveniens. Quocirca qui ſunt denſæ texturæ, & habent cutim ſpiſſam & poros arctos, ſæpius quotidie egerunt, quàm qui poros habent apertos: in his enim egeſtiones exſiccantur, & corpora fiunt magis ſtipata. Opera itaque danda eſt in cura diarrhææ, ut corpus ad diaphoreſin blandam diſponatur. Riverius *in tract. de febre peſtilentiali pag.* 144. inquit: Alvi fluxum pernicioſum potentioribus diaphoreticis adhibitis magna doſi, momento cohiberi. Quando diarrhæa critica eſt, maximè in hypochondriacis & ſcorbuticis, non ſtatim ſiſtenda vel ſupprimenda: ſic ovis induratis ſuppreſſam diarrhæam febris continuæ, vomitus atrabilarii, alvi fluxus & phthiſeos cauſſam fuiſſe memorant M. N. C. *dec. II. an.* 10. *pag.* 125. ſæpiuſculè chronicâ diarrhæâ laborant infantes, quæ etiam optima eludit remedia: Animadverti tunc, acrem pituitam cellulis craſſi inteſtini impactam ad continuas excretiones ſtimulare, quare ſoli clyſteres demulcentes ex decocto raparum cum butyro parati egregium levamen attulerunt.

CAPUT LXIII.

De intenſiſſimo dolore oculorum Medicis deplorato, cum aliis graviſſimis ſymptomatis.

OCulus partium corporis nobiliſſimus, elegantiſſimâ, & admirabili ſtructurâ factus, in quo corporis ſpiritus ferè viſibiles redduntur, in quo animi vires eminus conſpiciuntur. Præterea (*a*) *oculus eſt hominis* ſtatûs lucidiſſimum *ſpeculum*, quo cuilibet nedum ſanitatis, verùm & morum conſtitutionem optimè rimari licet. Etenim ſcriptum eſt: *ſi oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus lucebit.* Is eſt omnium partium doloris impatientiſſimus: nec citra rationem; nam eo vexato, vexatur & totum animal: Ejus privatione, vita humana infeliciſſima redditur: nec immeritò: nam tunc vita non vita, ſed mors ipſa cenſetur. Perſimile ferè comprobavit Perilluſt. Eques D. Galeatius Arioſtus, dum ſex ſuperioribus annis ex fervida fluxione acerrimum dolorem per ſeſquimenſem pateretur: cui ut occurreret, duos Medicos toto illo tempore fruſtrà conſuluit, imò parum abfuit, quin loco ſanitatis vitam ab eo extorſerint, nunc reiteratis ſanguinis miſſionibus, nunc purgationibus variis, ſanguiſugis, cauteriis, veſicatoriis, & aliis tormentis, quibus cachecticus, & imbecillis factus, ultra dolorem acerrimum, vigilias, inſignem animi mœrorem, ventriculi imbecillitatem, & alia complurima acquiſivit. Cùmque minùs de ſalute cogitaret, & ipſi indixiſſent Medici, eum dolente oculo orbatum iri, vitam verò incolumem ſervaturum: advenit amicus, qui ejus ſortis compatiens, de nobis, noſtraque facili medendi methodo plura ipſi diſſeruit. Hunc ergo enixè flagitat, ut is cumprimùm me in ejus auxilium advocet: quo facto, morbi ſpecie, cauſis, & affecto loco ritè examinatis, nec non ægri conditione, & ſtatu cognito, brevi ſanitatem ipſi polliceor.

Imprimis diætam, quam humectantem & refrigerantem ſervabat, ex aliorum Medicorum judicio immutavimus; (*b*) *loco aquæ vinum*, loco lactis ſeminum melonum, & ſimilium inaſſuetorum, optima, & ejus naturæ conſentanea edulia porrigentes.

Cùm verò ejus ſanitatem in unico auro diaphoretico conſiſtere, optimè cognoſcerem, cauteria, ſetones in nucha, veſicatoria, frontalia, & ficta ejuſmodi præſidia confeſtim tollenda imperavi. His exploſis, triduo uſus eſt præfato medicamine, & ecce optata ſalus: recedunt dolores, vigiliæ, adepſia, inflationes, rubores; ſiſtitur fluxio, & citò priſtinum robur recuperat. Hæc perdiſcenda, non invidentiæ livore inſectanda. Vivit tandem felix, ſexennio à cura elapſo.

NOTÆ

in CAPUT LXIII.

(*a*) *Oculus hominis ſpeculum.* Veriſſimum eſt, quod ex oculorum ſplendore, conſtitutione & motu, ſanitatis non tantum, verum etiam morum ac ingenii conſtitutionem optime rimari queamus. Inſtantis mortis indicium optimè petitur ex oculis: Spiritus enim animales copioſiſſimè influunt per magnum nervorum opticorum par in hanc partem; unde qualis oculorum vigor & motus, talis etiam ſpirituum animalium indoles & motus. Notabile eſt, oculorum ſerenitatem & claritatem dependere unicè ab influxu ſpirituum animalium: quare oculi violentâ morte peremtorum per aliquot horas clariſſimi apparent, poſtmodum ſenſim ac ſeuſim claritas illa perit. Ut enim oculus valet: ita & corpus totum. Sic lucidus oculorum ſplendor animalis ſpiritus firmitudinem depromit: impuritas vero ſpirituum obtenebrationem & facultatem animalem prope emortuam arguit.

(*b*) *Loco aquæ vinum.* Notandus aphoriſmus Hippocratis *eſt* 31. *Sect. VI* dolores oculorum vini potus ſanat. Intelligendus eſt talis dolor, qui provenit ex ſucco craſſo oculos occupante: Hunc enim vinum tenue ac validum diſcutit. Hanc ob rationem *Dn. Author* ſuadet vini potum loco aquæ, quæ humores magis coagulat. Borellus *cent. II. obſ.* 77. Simili ratione vini potum in doloribus oculorum proficuum expertus eſt. In initio inflammationis gravioris circumſpectè vinum adminiſtrandum eſt: Quando autem calor & dolor remittit, ejus uſus utilis eſſe poteſt, etiam ad præſervationem inflammationum: Mirabile enim eſt, Riverium *cent. I. obſ.* 41. vini largioris potu plures præſervaſſe ab eryſipelate.

CAPUT LXIV.

De ſalſo humore circa anum luxuriante; hæmorrhoidibus dolorificis, &c.

PErilluſtris Dominus D. Joannes de Zanis, annos 45. natus, à nonnullis menſibus catarrhum ſalſum circa genitalia, & anum patiebatur. Huic graviſſimo affectui debellando, Medicos duos ſeniores conſulit: at hi, cùm minùs agnoſcerent morbi originem, datis inopportunè remediis, *(a) hæmorrhoides dolorificas* cum aliis graviſſimis ſymptomatibus *concitârunt.* Trimeſtri toto, & morbi ſævitiâ, & medicamibus nimioperè vexatus, ad me, tanquam ad ſacram anchoram, confugit. Interea mirum dictu quot purgationes, phlebotomias, ſyrupos, julepos, juſcula alterata, decocta exſiccantia, ſalſa, & ſimilia inutiliter expertus fuerat. Nos ergo ejuſce mali cauſam, non in ſolam jecoris intemperiem, ut hodie Empiricorum moris eſt, verùm in pravam renum conſtitutionem, ob quam excrementum ſalſum in corpore diu detentum conſimilia parere ſolet, rejicientes, aperientia non refrigerantia eſſe adhibenda, ſtatuimus. Re opinioni reſpondente, brevi ſequentibus ſanitatem recuperavit: at primò, quo pacto renes ejuſmodi labe afficiantur, dicendum. Sæpè ab immodica Venere, aut ſaltem eâdem intempeſtivè petitâ, quod debilibus primùm, delicatulis, ſenibus, & certis temporibus, quibus ea in nobis languere ſolet, contingit. Evenit & his, qui craſſis, lutulentis & ſalſis victitant; hinc expultrice facultate fracta, & renum meatibus obſtructis, ſalſum illud excrementum per venas remeare cogitur, & inde per reſudationem ad cutem protruditur, ubi pro varia ejus natura, aqua prodit. Varios producit effectus: nunc enim diſſolvitur, nunc coagulatur; nunc hanc, nunc illam induit naturam, de quibus alibi. Itaque his omiſſis, ad præſcripta medicamenta deveniendum. Primis diebus accepit tincturam corallorum, & ſpecificum ſtomachicum. Utrumque ſanguinem purgat, & viſcera roborat, ac renes præſertim. Ne verò prima corporis regio impura permaneret, *(b) decoctum catholicum purgans*, & refrigerans ad aliquot dies dedimus: de quibus decoctis ſatis in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica* dictum eſt. Extrinſecùs Saturni balſamus cum calcinato majore dulcificato, curam totam brevi abſolvit. Hæc eſt vera & inconcuſſa medendi methodus, cui ſi quis innititur, is verè canonicè & dogmaticè mederi dicitur; qui ſecùs agit, agyrtam & pſeudomedicum ſe præſtat, Nos optimè alloquutus eſt Galenus, dicens, ſi non tantum vobis reſidet in pectore, ut ſitis boni Methodici, ſaltem ſitis boni Empirici.

NOTÆ

in CAPUT LXIV.

(*a*) *Hæmorrhoides dolorificas concitarunt.* Excretio ſanguinis per venas hæmorrhoidales fit maximè in ſenibus, vel etiam in virili ætate, quando ſanguis craſſus copioſus non æqualiter per viſcera movetur, ſed circa ſplenem & meſenterium in vena portæ ſtagnat vel tardius circulatur, quare melancholicis & hypochondriacis hic fluxus admodum familiaris eſt & etiam ſalutaris, hinc etiam melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes bonæ ſunt juxta *aphor. X. lib. 6.* ab Iſchiatide quoque & podagra ejus fluxus præſervat. Quando autem ſanguis nimis craſſus & acris ſtagnat circa venas ani, ipſæ tument, & à nimia diſtenſione dolent & tunc dicuntur hæmorrhoides cœcæ: Tumores autem circa anum quam citiſſime aperiendi ſunt, ne in fiſtuloſa abeant ulcera. Aloëtica maximè hunc fluxum proritare ſolent, dum acri ſua reſina venas ipſas ſtimulant & ſanguini ὀργασμὸν conciliant. *Calvinus* ex immodico aloës uſu teſte Beza *in ejus vitâ* in hæmorrhoides ulceroſas & ſputum ſanguinis incidit.

(*b*) *Decoctum catholicum purgans.* In fluxu hæmorrhoidum vel nimio vel etiam ſuppreſſo pilulæ *Beccherianæ*, quæ ex vegetabilium extractis concinnantur ac leniſſimè alvum, ſubducunt, omnium optimæ ſunt, uti & in omni menſium negotio, ſive illi nimium, ſive parcius fluant; dum enim fluiditatem humoribus conciliando motum illorum ac circulum æqualem reddunt, utrumque affectum curant, cum uterque ex obſtructione ſanguiniſque craſſitie ortum ac originem ſuam habeat.

CAPUT LXV.

De fœdâ & horrenda ſcabie à multo tempore inveterata.

PErilluſtris Dominus Scipio Blanchinus, annos 33. natus, à nonnullis menſibus pravâ tentigine cum (*a*) *deplorata ſcabie* peſſimè vexabatur. Ad fœdum & moleſtiſſimum hunc affectum debellandum 4. præcipuos Bononienſes Medicos toto illo tempore conſuluit. Ipſi eum de more purgant, & repurgant, ſæpè phlebotomizant, aſſiduò refrigerant & humectant, tandem & exſiccant. In purgando, utramque bilem obſervant, phlegma ſalſum enumerant, calidum jecur incuſant, caput fluxionibus obnoxium prædicant, tandem expendunt ſingula, & tamen fruſtrà: efferatior morbus redditur, & miſerrimè vitam inter pocula medica ducit. Primâ vice advocatus, ſciſcitor ab eo, num præfati Medici omnes ingenii nervos in ejus ſanitatem intendiſſent, majora fortè adhuc penes eos reſtare: hac de re ut eos iterum conſulat ſuadeo. Ipſis iterum advocatis, plura ad menſes incaſſum experitur: purgant, repurgant, itidem phlebotomizant, humectant, abſtemius vivit, hordeacea & ſimilia fercula continuò uſurpat, quibus ventriculus malè torquetur: in his medicaminibus tres menſes infeliciter vivit. Pro ſecunda vice advocor, & eum rurſus moneo, ne ſuos deſerat Medicos; non omnem moviſſe lapidem tibi fatebuntur, non omnes Medicinæ theſauros deprompſiſſe dicent; artis abdita penes eos latere non diffido. Credulus eos iterum accerſiri juſſit, aliud trimeſtre in præfata cura reiteranda inaniter terunt; miſcent ſuccos cichoraceos ſero lactis, Guajaci decoctum cum iiſdem cichoraceis temperant: exſiccante & attenuante victu hâc vice utitur, nec propterea quicquam opis. Iterum accerſitus, affectum penes eos conclamatum obſervo; eum tamen rurſus increpo, ne tam doctos, tamque artis peritos, &, ſi Diis placet, alteros Galenos à ſua cura abdicet; quibus & maximus ſtimulus erit, ſi referat ipſis, quomodo eum viſitaverim, & dixerim, quomodo facillimè intra 15. dies eum ſanare poſſem, & omni tempore, paucis & gratiſſimis, ſe tamen ab his potiùs ſanitatem requirere, quàm à quovis alio. His impulſi curam de novo aggrediuntur, omnia quæque explent, ſuperiora mutantur, exceptis phlebotomiis, & potionibus laxativis, quas frequenter reiterant: omnia ſuſque deque miſcent, calida frigidis, ſicca humidis, cephalica thioracicis, thoracica cardiacis, cardiaca jecorariis & ſpleneticis, balneis

aquæ dulcis compoſitis, & aliis utuntur. Ultimò ab his malè vexatus, tanquam omni ſpe deſtitutus, ſub noſtra cura intra 15. dies, ut retuleram, ſanus evaſit, methodo non diſſimili à ſuprà citatis.

NOTÆ

in CAPUT LXV.

(*a*) *Deplorata ſcabie.* Scabies eſt exulceratio glandularum & vaſculorum cutis, proveniens à ſero corroſivo ſalſo, aculeis ſuis pruritum, dolorem, inflammationem excitante. Complicatur utplurimum ſcorbuto vel cacochymiæ. Cura conſiſtit partim in edulcoratione ipſius lymphæ, ſaliumque emollitione & correctione, partim etiam in ulteriori ſalium horum geneſi impedienda. Primo ſcopo inſerviunt decocta emollientia, qualia optima ſunt ex malva, fumaria, raſura cornu cervi, floribus ſambuci, borraginis, papaveris rhœados, non omiſſis extrinſecè balneis: Ex adverſo nocent & ſalium acrimoniam augent ſalia volatilia, ſpirituoſa, ſudorifera calida, & regimen nimis calidum. Impediunt autem ulteriorem ſalium generationem deobſtruentia, qualia ſunt omnium efficaciſſima mercurialia & antimonialia, nec non ſulphurata, item per epicriſin purgantia. Extrinſecè ſulphurata cum mercurialibus & taliſmodi, quæ inflammationibus reſiſtunt & exſiccant, v. g. ſaccharo ſaturni camphora ritè mixta, præmiſſis præmittendis, omne abſolvunt punctum. Cavendum autem ante omnia eſt, ne ſcabiem nimis intempeſtivè extrinſece ſiſtamus, exiſtente præprimis corpore plethorico & cacochymico. Hinc omnia quæ repellunt, uti ſunt frigida, unctuoſa, cautiſſimè adminiſtranda ſunt. Docet quippè experientia, à ſcabie ſic præpoſtere retropulſa ortas fuiſſe febres, convulſiones arthritides, cæcitatem, melancholiam deſperatam: de qua re conſule *miſcellanea nat. cur. in decur. II. ann.* 8. *pag.* 255. *& ann.* 12. *pag.* 417.

CAPUT LXVI.

De Paralyſi linguam, & brachium ſiniſtrum obſidente.

ADmodum Reverendus P. D. Claudius le Page, in Cœnobio D. Stephani commorans, annos 47. natus, dum diluculo ſacra facturus ſurgeret, vix indutus (*a*) *Paralyſi derepente* obſidetur, quâ loquelam penitus amiſit, & motum brachii ſiniſtri, cum gravi torpedine eo in latere. Confeſtim ad eum accerſitus, auri noſtri diaphoretici g̃. vj. cum aquæ theriacalis ℥.ß. ipſi dedimus, tunc paulatim loqui cœpit, & movere brachium; ſub veſperâ medicamine reiterato, perfectè convaluit, (*b*) *exiguo torpore affectis membris relicto*, qui & in totum propulſatus fuit, aquæ antiapoplecticæ uſu, de qua in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica.*

NOTÆ

in CAPUT LXVI.

(*a*) *Paralyſi derepente.* Sæpius in momento paralyſis invadit, præcedente fortiore animi motu; unde cum fortiter in anguſtias ſpinalis medulla cogitur, humor ibi ſubſiſtit, & ſtaſi ſua ſpirituum influxum intercipit.

(*b*) *Exiguo torpore affectis membris relicto.* Curata paralyſis relinquit ſæpius capitis maximam debilitatem, torporem nec non ſomnolentiam; unde facilè à pauciſſimo vino ebrii redduntur, & à ſuaveolentibus & vaporoſis læduntur, introductâ vitioſâ & præternaturali poris cerebri diſpoſitione, quare etiam qui ſemel tentati ſunt paralyſi vel hemiplexia, ex facili iterum in hunc affectum incurrunt.

CAPUT LXVII.

De vulneribus capitis.

CApitis vulnera, dummodò fractum non ſit cranium, ſequenti methodo brevi ſolidamus. Et primò vulnus ſimplex ſine contuſione manifeſtâ, ut quod acie ferri factum ſit, (*a*) *admoto oleo noſtro balſamico*, bis in die, cum goſſypio, vel filis cannabinis citiſſimè ſanatur: Cui vero contuſio adeſt, vulnus aquâ ſalsâ cum vino rubro priùs eluitur, ut contuſæ carnes oleum affuſum faciliùs combibant: tum oleum vel cum goſſypio, vel cum plagulis eo imbutis ſuperimponitur, faſciis ad id opportunis ex arte admotis. Quòd ſi contuſio ſit valida, tunc triduo à vulnere inflicto, mundificante, & ſuppurante opus eſt. In omnibus, vulnus bis in die deligatur, atque iiſdem plagulis & faſciis communitur. Occurrunt & nonnunquam alia ſymptomata, quibus ut proſpiciat Medicus, in practica phyſica bene eſſe verſatum neceſſe eſt. Aliâ etiam viâ per aquam, ſeu decoctum vulnerarium, vulneribus quibuſcunque facillimè & citiſſimè mederi poſſumus: de his decoctis vulnerariis in noſtra *Pharmacopœa* ſatis apertè diximus.

Ejuſmodi viis ſanatos complures in medium protraherem, confirmationis ergò: at multi ſunt, & per ſe ſoli integram Centuriam complere poſſent. Dominus Albertus Polſonus ſeptennio elapſo, quinque vulneribus profundis à ſicario clàm acceptis, eâ methodo feliciter curatus fuit. Dominus Hercules Lucatellus, ingenti vulnere circumventus à proditore, pari methodo convaluit. Magiſter Joannes . . . Sclopetarius, eâdem ſorte à proditore vulneratus, curatus fuit.

Ubi fractum eſt cranium, methodo ferè ſimili tractanda ſunt vulnera, ſuppurantibus & mundificantibus citò adhibitis. (*b*) *Terebra*, & alia chirurgica, quibus mali Medici ſæpius abutuntur, parcè uſurpare ſoleo; natura enim proprio motu extranea ejicere ſolet.

NOTÆ

in CAPUT LXVII.

(*a*) *Admoto oleo balſamico.* Omnia oleoſa pinguia & unguenta in partibus nerveis & membranoſis ſauciatis multum damni afferunt, dum poros obſtruendo graves inflammationes inducunt. Quo circa in capitis vulneribus & pericranii læſionibus meritò ab illis abſtinemus, & loco horum vel ſicca v. g. pulverem iridis florent., maſtiches, ſuccini, vel ſolum mel cum pauxillo balſami peruviani mixtum admovemus. Emplaſtrum de betonica utiliſſimè in omnibus externis capitis affectibus adhibetur: Exaltatur autem ejus virtus gummatibus balſamicis, v. g. gummi elemi, ſuccino, maſtiche, ſtorace, nec non pulvere cubebarum, caryophyllorum. Hac ratione redditur etiam efficaciſſimum in gravioribus capitis contuſionibus.

(*b*) *Terebra.* Plures obſervationes ubi trepanatio in cranio fracto & ſanguine ibi extravaſato optime ſucceſſit, collegit Dominus Marchette *in chirurgia ſua.* Valet hic *Celſi* monitum: quos ratio non reſtituit, juvat ſæpè temeritas; item ſatius eſt anceps remedium experiri, quàm nullum; dubia namque ſpes certa deſperatione potior eſt.

CAPUT LXVIII.

CAPUT LXVIII.

De maligna febre cum ſæviſſimis ſymptomatibus.

DOmina N. Domini Herculis de Lucatellis ſoror, propè Divi Sebaſtiani fanum, annos tunc circiter 24. nata, ardenti febre graviter conflictata, inter graviora ſymptomata, (*a*) *triduo animi deliquio correpta*, & mortuæ ſimillima jacuit. Tetro ejuſmodi affectui grana iiij. lapidis bezoardici animalis adhibuimus, cum grano j. auri diaphoretici: dabantur in ſucco carnis, nec alio cibo triduo enutrita fuit. His ter reiteratis ad ſe rediit. Interea cordis regio bis in die fovebatur ſequenti (*b*) *epithemate.*

℞. Pulver. diamargar. frig. ʒ. ij. granorum kermes, corall. præpar. an. ʒ. j. croci Orient. ʒ. ß. aquæ meliſſ. borag. acetoſ. an. ℔. j. vini Cretici ℔. ß. Miſcebantur pro Epithemate. Primis febris initiis per alterum Medicum purgata fuit. Syrupos & julepos item accepit: quin etiam ſanguis bis detractus fuit è brachiis. Serò advocatus, non mihi licuit tanti ſymptomatis cauſam in aliud rejicere, quàm in pravum & malignum vaporem ex hypochondriis expirantem. Rediit tandem ad ſe illa, quæ ab omnibus mortua cenſebatur, & vivit adhuc, ab eo tempore decennio elapſo.

NOTÆ in CAPUT LXVIII.

(*a*) *Triduo animi deliquio correpta.* Symptoma hoc indicat febrem fuiſſe hyſtericam, ſpaſmis præcordialibus ſuffocativis & hypochondriacis ſociatam, qui ex impuro ſanguine & ſero ſtagnante circa abdominis partes originem ſuam petunt.

(*b*) *Epithemate.* In ſyncope, quæ à ſpaſmo diaphragmatis & præcordiorum naſcitur, extrinſecus applicata antiſpaſmodica volatilia nervina egregium faciunt officium; ſpectat huc linimentum noſtrum cordiale ex theriaca, camphora, croco, balſamo peruviano, oleo caryophyllorum, & aqua Anhaltina paratum. Corallia & pulvis diamargaritæ frigidus omni fere uſu tali in ſtatu arcent.

CAPUT LXIX.

De vulnere in facie citra ſuturam curando, ubi iterum carnificina ſuendi vulnera exploditur.

DOminus Joannes Baptiſta Bocchinus, cujus ſuprà in *prima noſtra Centuria* mentionem fecimus, à quodam proditore, cum quo familialiter verſabatur, & cujus famulitio quotidie utebatur, vulnus in facie, vulgo *ſfriſo*, accepit. Inflictum vulnus barbitonſor primus advocatus, ſuit pro more acu & filo, ipſique ſuperimpoſuit album ovi, poſterâ die advocatus, abſciſſis ſuturæ punctulis, (*a*) *oleo noſtro balſamico* totum vulnus circumdari curavimus, vulneris labiis priùs invicem adductis: Et tandem quoad coaluerint dicta vulneris labia, quotidie uſus eſt dicto oleo.

Cur ſi paucis & facillimis tutiùs & certiùs ægros ſublevare poſſumus, multa infida ipſis morbis ſæpiùs graviora, tædii & laboris plena nos cogat uſurpare antiquitas, ſi medicamentum, non authoritas admoveatur ægris? Si experientia, & ratio, non opinio, artem efficit, cur contraria ſectemur?

NOTÆ in CAPUT LXIX.

(*a*) *Oleo noſtro Balſamico.* Balſamum vulnerarium tam ad internum quàm ad externum uſum optimum fit, ſi balſamum ſulphuris antimonii ex ſale ejus tartareo, & oleis deſtillatis confectum elegantiſſime rubicundum, miſcetur cum oleo hyperici, terebinthinâ & cera. Ex eodem fundamento fluit quoque præparatio balſami Anglici *Locatelli* dicti.

CAPUT LXX.

De lenta febre cum tuſſi, ventriculi imbecillitate, & aliis.

DOminus Martius Malvezzius ex Illuſtriſſima familia Malvezziorum, annos tunc triginta natus, annis ſuperioribus in duplicem tertianam incurrerat, à qua ſublevatus (*a*) *habitum cachecticum*, debilem, & catarrho valde obnoxium reportavit; non ſine flatibus, ventriculi refrigeratione, crebrâ expuitione, inappetentiâ, & quodam marcore. His malis ut ſubveniret, Medicos conſuluit, qui unanimiter chinæ decoctum ad menſem circiter ipſi porrexerunt. At medicamentum inappoſitè datum, morbos longè graviores reddidit. Etenim accerſitus, dictum Dominum ſummoperè emaciatum comperio, catarrho, inappetentiæ, flatibus, & aliis ſymptomatibus magis obnoxium, febre item lentâ per intervalla non rarò vexatum. Tot morbis ex arte curandis, duas indicationes curatorias conſtituimus. Primam, viſcerum obſtrictiones reſerare. Secundam, ſuccos crudos humoreſve incoctos conficere: quas indicationes nos tutò abſolvere ipſi indiximus; & non multiplicitate remediorum, ut Empiricorum mos eſt, neque errabundâ & fallaci opinione, quâ plerique Medicorum falluntur; verùm certâ & cognitâ ſcientia, atque tantùm unico remedio, eo pacto, ut diu in ejus uſu perſiſtat; non enim diu contractos habitus citò immutare poſſumus. Annuente ipſo, ſe in cura permanſurum, ſpecificum noſtrum ſtomachicum ipſi præſtitimus bis in die, cum ſaccharo roſaceo: eo febre ſenſim propulſatâ, & (*b*) *ventriculi robore aucto*, cuncta meliùs obire cœpit; in ejus uſu perſiſtens, eâ quâ nunc fruitur ſanitate, vivit.

NOTÆ in CAPUT LXX.

(*a*) *Habitum cachecticum.* Quandocunque intermittentes non legitimè curantur, vel ſtatim motus iſti febriles critici in bonum finem nimirùm excernendi illud, quod ſanguinis mixturæ infenſum eſt, inſtituti, nimis cito figentibus vel adſtringentibus ſupprimuntur, periculoſiſſima multa mala inde proveniunt, infarctus quippe viſcerum fiunt graviores, obſtructiones firmiores, perſpiratio corporis magis impeditur, ſicque febres lentæ, cachexia, affectio hypochondriaca preſſo pede ſequuntur. Sic febres ardentes, item intermittentes intempeſtivè curatas hecticæ cauſſam fuiſſe annotavit Foreſtus *Lib. IV. obſ.* 1. *& 4ta. item* Horſtius *lib.* 1. *obſ.* 30. *&* 34.

(*b*) *Ventriculi robore aucto.* Poſt graves perpeſſos morbos facilè ventriculi imbecillitas oritur, & tunc ſemper maxima ratio eſt habenda digeſtionis primæ, & præſtat

ſemper, poſt diuturnos morbos à parciori paulatim ad largiorem victum procedere. Proportio enim ſemper debet eſſe inter victum & vires, quandoquidem vires, ſi debiles ſunt, victus quoque tenuis ſuadendus, fortes autem & robuſtæ ſi ſunt, victus magis plenus & craſſus locum habet. Priſci ſapientiſſimi Medici in adminiſtranda diæta vel in ipſis morbis, vel poſt illos admodum religioſi & circumſpecti erant, quorum veſtigiis & nos inſiſtere debemus.

CAPUT LXXI.

De catarrho, febre lenta, virium imbecillitate, à multo tempore contractis.

DOminus Ludovicus de Urſis annos 30. natus, ab aliquot annis, multis malis acerbè conflictatus, extrema ducere videbatur, omnium graviſſimum erat (*a*) *inſignis ventriculi languor.* Tot malorum cauſas tam externam, quàm internam, ad pravam victûs rationem prægreſſam, & imbecillam viſcerum conſtitutionem referens, curationis argumenta eſſe dixi, viſcera naturalia cumprimùm roborare, dein fluxos, & congeſtos humores, tum in ventriculo, & inteſtinis, tum in aliis corporis partibus, conficere, & purgare. Primas indicationes brevi abſolvimus ſpecifico noſtro ſtomachico, ſecundas decocto ſequenti.

℞. Chinæ electæ in taleolas minutim diſſectæ, ℥. ß. ſalſæ paril. ʒ. j. ſaſſafras ʒ. ij. ſantal. ℥. ß. epithym. cuſcut. ſenæ, an. ʒ. v. aniſi, coriand. præpar. an. p. j. flor. borrag. bug. meliſſæ, betonicæ, an. m. j. flor. violarum p. j. coquebantur omnia in optimo jure caponis.

NOTÆ

in CAPUT LXXI.

(*a*) *Inſignis ventriculi languor.* Multa mala ex vitio primarum viarum proveniunt. Laborabat ante aliquot annos generoſa fœmina autumnali tertiana, poſt ejus curationem appetitui fortiori indulgebat; unde incurrebat in febrem lentam, phlogoſin, virium defectionem & dolorem pedum contuſivum, *als wann ſie zu ſchlagen wäre.* Medici in conſilium vocati pugnabant contra calorem refrigerantibus, julapiis, acidis, quorum aſſumptione ſymptomatum vehementia magis augebatur. Ego primis in viis colluviem impurorum humorum ratus, ordinavi lene emeticum, liquida in forma aſſumendum, quod tribus vomitionibus magnam copiam viridiſſimæ pituitæ educebat, huic experimenti gratia inſtillavi oleum tartari per deliquium, & mox viridis ille color mutabatur in flavum, indicio manifeſto, acidum ita tingere bilem, non ſecus ac ſpiritus vitrioli ipſi viriditatem conciliat. Poſt uſum hujus emetici protinus exſpirabant cuncta ſymptomata, notabiliter enim calor, ſitis & pedum dolores remittebant, adhuc ſemel idem remedium propinatum eſt, & Divinâ gratiâ mox in integrum reſtituta eſt fœmina.

CAPUT LXXII.

De ophthalmia.

UT non omnes ophthalmiæ ab una eademque cauſa, nec item uno eodemque remedio curantur, Perilluſtriſſ. & Excellentiſſ. Dominus Hercules de Mareſcottis, 4. annis elapſis id maximè comprobavit; is enim contumaciſſimam, & dolorificam ophthalmiam incurrerat, quam contraxit (*a*) *ab aëre ambiente nimis calido* & ſicco, quo in tempore fluxio ſalſa & acris, quâ priùs detinebatur, in ſummum irritata fuit: ea enim ab extrinſeco impulſa, & ad oculos detruſa, primùm in oculo ſiniſtro tumorem, & inflammationem peperit; ea remediis paulò mitior facta in dextrum recurrit. Multis tunc extraordinariis fruſtrà adhibitis, uti caſſiâ, pilulis de agarico, cocciis, phlebotomiâ, &c. (*b*) *decocto purgante*, & exſiccante intra paucos dies convaluit.

NOTÆ

in CAPUT LXXII.

(*a*) *Ab aëre ambiente nimis calido.* Ophthalmia ſæpe eſt epidemia, & debetur aëris vitio, ſi nimirum ille vel hyeme nimis ſiccus eſt, vel etiam ipſo vere ſiccus & aquilonius; tunc enim facilè rheumatiſmi & fibrarum tam cutanearum, quam membranacearum ſuptiliſſimarum fiunt contractiones & contorſiones propter particulas aëris rigidiores de quo ulterius conſule *aphor.* 11. & 12. *Lib. III.*

(*b*) *Decocto purgante.* Notabilis eſt *aphor.* 17. *Lib.* 6. Hippocratis: Oculis ex inflammatione laborantem diarrhæa corripi bonum eſt. Nam omnis alvi fluxus, ſive arte, ſive ultrò erumpat, inquit Heurnius *in commentario ad aphor. pag.* 432. repellit & una evacuat ab oculo. Quare ſi natura id ultrò non fecerit, pharmacia hoc agamus. Si valida phlegmone occupaverit oculum, venam ſeca, cucurbitas cervici admove: purga, dolorem mitiga, digere. In magnis doloribus fove oculum decocto malvarum, chamæmæmeli & fœnugræci.

CAPUT LXXIII.

De præduro quodam tumore jamdudum inveterato, in palpebra oculi enato.

SCirroſos tumores diſſolvere, non minùs arduum, quàm difficile, comprobant omnes, qui artem medicam exercent; ſic ejuſmodi tumores, vel in carcinomata vertuntur, vel incurabiles fiunt. Superioribus annis venit ad me curandus quidam Dominus Franciſcus Limidus, ſimili tumore affectus: cùm autem ipſe ad ejuſmodi tumorem deformem, & moleſtum exſcindendum, multos Medicos fruſtrà per longum tempus conſuluiſſet, noſtrâ tandem ope intra 20. dies convaluit. Itaque ut denſum, firmum, & compactum ejuſmodi tumorem, oſſeum potiùs, quàm carneum diſſolverem, corpore priùs purgato, collyrium ſequens admovimus.

℞. Stibii crudi, camphoræ, an. ʒ. ß. tuthiæ præparat. collyrii albi Rhaſis, an. ʒ. j. aquarum ſolatri, plantaginis, roſarum, ℥. ij. miſceantur, & fiat collyrium: Infundebatur collyrium bis in die inter adnatam, & palpebram. Extrà unguentum, hunc in modum applicatum fuit.

℞. Camphoræ ʒ. ß. ceræ albæ ℥. j. ol. roſati ℥. iij. liquentur omnia ſimul, refrigerato adde pul. tuthiæ, ſtibii, plumbi uſti, an. ʒ. j. miſce.

At nec his tantus tumor emolliri potuit; ſed (*a*) *ſpecifico ophthalmico* in uſum advocato, intra 4. dies tumor evanuit.

Artis abdita non omnibus reſeranda veniunt, maximè hodie propter pſeudochymicos, qui his perperam abutuntur, nec propterea illi verentur ſe ſcientiarum Monarchas appellare; veri illi ſunt jactabundi impoſtores, fumivenduli meri, auri potabilis decoctores, de quibus plura apud bonos Authores.

NOTÆ

in CAPUT LXXIII.

(*a*) *Specifico ophthalmico.* Tumor ſcirrhoſus durus ſæpiuſculè palpebris adnaſcitur, dicitur: vulgò *Gerſten-Korn*, ſed non tàm facilè diſſipari ſolet, maximè ſi induraverit. Novi chirurgum experciſſimum, qui ejuſcemodi dolores feliciter ſic abigit. Nimirum unguento gryſeo, cui momentum mercurii præcipitati albi immixtum eſt, cautè bis de die tumorem illinit, ſic ſpacio trium hebdomadum diſſipatio fit inſenſibilis fermè.

CAPUT LXXIV.

De dolore Capitis, amentiæ quadam ſpecie, & videndi impotentia.

ANdreas Rivannus, annos 30. natus *nel Borgo delle Touaglie*, tribus graviſſimis cerebri affectibus ab anno detinebatur, amentiâ, obtuſo capitis dolore, & viſûs imbecillitate. (*a*) *Amentia non erat perpetua*, ſed tunc eâ correptus, multa abſurda verbo & opere committere cogebatur, citra tamen violentiam: eam præcedebat gravis capitis dolor, cum ſopore quodam permoleſto. Suſcitari hunc dolorem à vaporibus, aut ſubtili & atro humore melancholico ex hypochondriis ad caput ſublato, certum erat; unde & videndi facultatis perverſio. Indicationes itaque erant, noxium humorem è præcordiis deturbare, & caput roborare; quæ duo præſtitimus decocto melanagogo & cephalico, prout habentur in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica*, atque oleo vitrioli balſamico cum conſervis caput roborantibus. Vivit nunc à cura liber, ſeptennio elapſo.

NOTÆ

in CAPUT LXXIV.

(*a*) *Amentia non erat perpetua.* Notus eſt mihi paſtor in principatu Mindenſi, vir robuſtus, plethoricus, ac facie ſanus, hic per intervalla certo tempore breves mentis patitur abalienationes, nimirum colloquens cum amico vel etiam ſacra faciens coram populo, præter omnem ſpem mox multa delira, abſurda & malè cohærentia loquitur, nonnunquam ad horæ quadrantem, nonnunquam etiam brevius. Ad ſe rediens ignarus omnium eſt, quæ fecerit; paroxyſmi utplurimum fiunt circa certas phaſes lunæ, vel etiam ſub veris & autumni initia, ubi etiam non rarò motus convulſivi & dolores tenſivi, gravativi pedum complicari ſunt. Affectibus animi vino ac venere malum fit vehementius, venæ ſectio autem & omnia ſanguinem diluentia nec non nitroſa cinnabarina & temperata antiſpaſmodica mitigant & leniunt paroxyſmos. Contraxit hoc malum ex febre tertiana ante 7. annos perperam curata, & quoniam videtur quaſi habituale, radicalis curatio non facilè expectanda eſt.

CAPUT LXXV.

De hydrope aſcite, in quo ventris tumor ad immenſam magnitudinem creverat, ab aliis conclamato.

NOnnulli ſunt morbi, aſpectu horrendi, formidoloſi, & à Medicis immedicabiles habiti. Talis fuit præſens affectus, quo laborabat quædam ancilla Perilluſtris, & Excellentiſſimi Domini Papiniani Bombelli, annos 45. nata. Etenim ad eam perductus per admodum Illuſtrem, & Excellentiſſ. D. Doctorem Mathaſilanum, primo intuitu ſe nobis obtulit mulier facie horridâ, extenuata, ſuſpiriis, & anhelitûs difficultate gemebunda, mortuis, & reſiccatis cadaveribus quàm ſimilis; cum incredibili abdomine, cruribus etiam ingenti tumore diſtentis, nec nos propterea deterrebat (*a*) *monſtroſus ille tumor*, ſed illa macies ſuperiorum partium, virum imbecillitas, anhelitûs difficultas, & alia graviſſima ſymptomata. Adverſus tam immane monſtrum multa ab aliis Medicis adhibita fuerant remedia, & toto anni ſpatio, quo cœperat dicto morbo detineri. Huic & morbi magnitudine ad extremum adductæ, & omni ſpe deſtitutæ mulieri, Omnipotens Deus, & miſericors, ſic per manus noſtras opem tulit. Primis diebus ſulphur metallorum cum conſerva roſarum bis in die dedimus, quo anhelitum paulò liberiorem ducere cœpit: Viribus tantiſper erectis, ad aquas citiùs exhauriendas, devorabat alternis diebus (*b*) *tres pilulas* ex polychreſtis, & catholicis, ponderis ℈. ß. quibus reſeratæ ſunt obſtructiones, communes viæ adapertæ, & ſanguis in utroque viſcere rectificatus: unde priſtina ſanitas, atque ab illo die, ſexennio videlicet elapſo, firmâ valetudine potitur.

NOTÆ

in CAPUT LXXV.

(*a*) *Monſtroſus tumor.* Offerebat ſeſe nuper nobis fœmina, 30. annorum in ſuperiori corporis parte mirum extenuata, reſpirandi difficultate, marcore partium & facie Hippocratica, ſemi mortua, incredibilis etiam erat tumor abdominis, brevi poſt ultro & ſponte umbilicus exiit & aperiebatur, magnaque quantitas ſeri lympidi, explens fere menſuras 20. intra duarum horarum ſpatium effluxit, inſtitutâ ſic ab ipſa natura paracenteſi. Ego accedens illicò curavi, ut foramen illud clauderetur, & probè à corruptela non tantum umbilicalis regio, ſed & totum abdomen defenderetur, quare cataplaſma ex ſpeciebus balſamicis cum vino coctum toti applicabatur ventri: aperto obturaculo tertio die poſt mox nova rurſus quantitas ſeri effluxit. Interea debilitabatur ægra, porrigebantur analeptica, balſamica. Elapſis aliquot diebus, venter, qui propter effluxum copioſæ aquæ valde detumuit, de novo increſcebat in molem, à flatibus quaſi diſtentus, interim deficiebant plus vires; extrema frigebant, pulſus rarior, & ægra diem ſic ſuum obibat. Hydropis per umbilicum ſponte ruptum evacuationem vide in Hildano. *obſ.* 14.

(*b*) *Tres pilulas.* Bene monet Sydenhamius *in tractatu de hydrope*: Aut fortiter in hoc morbo purgandum eſt, aut nunquam, & maxima curationis pars in eo videtur poſita, ut medicus naturam morbi exploret, an ferre poſſit cathartica, nec ne, ſi una benè ſuccedit purgatio, brevi plures inſtituendæ ſunt. Merentur autem laudari hunc in finem purgantes pilulæ emetico acuatæ, ſtimuli quippè, quæ egregie ſeroſam colluviem expurgant.

CAPUT LXXVI.

De ſanguinis, & puris fluore inſigni per alvum, à biennio inveterato, cum febre lenta, marcore, &c.

THomas Caſarius, de his qui vulgò *Tiraloro* dicuntur, in via ſancti Felicis commorans, annos 40. natus, (*a*) *fluore ſanguinis & puris* biennii ſpatio vexabatur, unde in incredibilem corporis maciem inciderat, cum apepſia, lenta febre, ſiti valida, & aliis. Toto illo tempore omne peculium in Medicos fruſtrà impenderat. Sub cura verò noſtra, paucis & nullius pretii remediis, intra 12. dies ſanitati reſtitutus fuit: præcipuum fuit crocus metallorum, non is quidem Rulandi & Quercetani,

Quercetani, ſed Th. P. hic roborat tantùm, ille verò purgat ſuprà & infrà.

NOTÆ in CAPUT LXXVI.

(a) *Fluore ſanguinis & puris.* Hic affectus dubio procul abſceſſus fuit aut meſenterii, aut ipſius pancreatis. Pancreatis abſceſſus curam deſcribit Sylvius *in praxi lib.* 1. *cap.* 15. Nimirum fœmina laborabat diuturno & gravi lumborum dolore, ſubſecutus fuit puris vomitus & dejectio ſpontanea, emetico aſſumto ultra uncias 20. puris cocti excrevit: exhibitis balſamicis & putredini reſiſtentibus, brevi perfectæ ſanitati reſtituta fuit. Abſceſſum meſenterii cum febre lenta dolore ac tenſione hypochondrii & excretione puris per alvum tradit Hollerius *obſervatione* 19. Abſceſſum intra muſculos abdominis & peritoneum latentem feliciſſimè curavit Beatus Parens *vid. meth. med. pag.* 370. Ulcus ventriculi annotavit Bartholinus *centur.* 1. *pag.* 40.

CAPUT LXXVII.

De quodam fœdo & horrendo morbi genere.

HOrrendum, fœdum, & ab omni humana cogitatione alienum mali genus, quinquennio elapſo, invaſit Magiſtrum Joannem N. textorem lanæ, in via, quæ vulgò dicitur *ſtrà Caſtione* propè portam Urbis. Ad eum perductus per Dominum Virginium Piottum, (a) *patientem invenio* vultu deformem, fœtidum vaporem exſpirantem, ſquammis conſperſum totum, etiam ſuperciliis ipſis, & adeò, ut ſolis oculis micantibus, non hominis, ſed alicujus monſtri facies videretur. Capilli guttulas aquæ aſſiduò fundebant, veluti è ſcaturigine proſilientes. Ut attentiùs corpus univerſum perluſtrarem, feneſtris, & cubiculi oſtiis adapertis, ut fœtidiſſimus ille vapor exſpiraret, aromatis etiam eo in loco combuſtis, tunc ſtragulis ſublatis, atque corpore denudato; mirabile, nec dictu facile, quo horrore perculſi fuerimus, videre divinum animal hominem, tam ſævâ, truci, & abominabili plagâ affectum, in quo cutis fruſtratim è brachiis, tibiis & coxis decidens, carnem cute denudatam, novas ſquammas producentem relinquebat; perpetua corruptio & generatio cutis videbatur. Dira hæc plaga à planta pedum ad verticem uſque miſerum inceſſanter affligebat: quo in ſtatu, trimeſtri toto ſtetit, antequàm noſtrâ ope uteretur. Qui eum primò viſitaverant Medici, ipſum eſſe leproſum; & ab hominum conſortio removendum ajebant. Certatim quis dixiſſet, omnia humanæ miſeriæ tela in eum vibrata fuiſſe: hæc enim omnia concomitabatur inſignis pauperies, cum numeroſa prole. Ad tam fœdum & horrendum monſtrum debellandum, ſpecificum ſtomachicum cum granis aliquot auri diaphoretici dedimus, cum conſerva roſarum. In ferculis pulvere viperarum utebatur, extrà unctione blandâ ex balſamo metallorum factâ, intra triginta dies priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, quâ potitus eſt ad quatuor annos: demùm eodem affectu correptus, priori diligentiâ minimè adhibitâ miſerè occubuit.

NOTÆ in CAPUT LXXVII.

(a) *Patientem invenio.* Signa lepram indicantia recitat hic *Autor.* Intenſiſſima hic lymphæ & ſanguinis coagulatio eſt. Marcellus Donatus *lib.* 1. *cap.* 4. *Hiſtor. medic. mirabil.* ſanguinem è vena emiſſum inſtar coagulati lactis obſervavit. Quapropter omnia calida & exſiccantia præſenti in morbo nocentiſſima ſunt. Ab uſu immodico & præpoſtero ligni guajaci juvenem in perfectam lepram incurriſſe Autor eſt Henricus ab Heer *obſ.* 22. Potius humectantia conveniunt; hinc Benivenius *cap.* 21. *abditorum* refert, quendam elephantiacum incurioſo & licentiore uſu frigidorum, citrullorum, peponum ac nucum recentium fuiſſe reſtitutum.

CAPUT LXXVIII.

De rara, mirabili, & incurabili morbi ſpecie in Marco Marci, filio piſtoris, prope ædes D. D. de Barbatiis.

EN formidandum, mirabile, rarum & ordinariis Medicis incurabile morbi genus: hîc ſileant ignavi calumniatores, perſonati Medici. Et vos deliri Phormiones, qui coram optimis & exercitatiſſimis Medicis, de re medica inanes veſtras leges proponere, atque totius artis medicæ, verbis pluſquàm ſeſquipedalibus, nec minùs ampulloſè, officia diſtribuere, ac tanquam Aſclepiadéæ familiæ patronos, & ſumma artis faſtigia tenentes, unicuique vos turpiter divendere vultis: Totâ die præclara adverſus catarrhum præſidia nobis occinitis, ejuſque mille cauſas aſſiduò effingitis: at quorſum tot verba inaniter jactata pro catarrhis præſcindendis & averruncandis? & ecce incipienti catarrho in juvene annorum 16. ne tantillum quidem levaminis afferre poteſtis; imò vobis, veſtriſque præſidiis invitis, ad tantam calamitatem perducitur æger, ut nemo mortalium cruces & tormenta, quibus inceſſanter conflictaretur, exprimere poſſet: ſatius ipſi fuiſſet inter mortuos computari, quàm ulteriùs tam acerbam vitam, & omni dolorum genere refertam traducere. Cœpit verò iſte juvenis initio veris articularibus doloribus vehementer cruciari, obſeſſis nimirum genubus, pedibus, utriſque manuum articulis, cum poplite, & iſchio. Primus Medicus in ejus curam advocatus multa de more ipſi præſcripſit, potus nimirum purgantes, julepos, apozemata, phlebotomiam, juſcula alterata, ligni Indici decocta, & alia. Extrinſecùs, litus, fotus, embrochas, cataplaſmata, frictiones, cucurbitulas; cauteria in nucha & brachiis, & ſimiles cruces. Quieverunt dolores aliquantulum, quadrageſimo die exacto, quo tempore dolores articulares ſponte conſopiri ſolent: at paulo pòſt vix menſe exacto, iidem dolores recrudeſcunt. Propterea novum Medicum accerſunt, qui non felicior primo, multà adhuc irrita præſcribit. Quâ de re tertius advocatur: hic priorum medelis omnino repudiatis, ad varia tum alterantia; tum purgantia ſe contulit, victu exſiccante, & attenuante perbellè mutato, atque tum hordeacea, carnes elixas, ova ſorbilia, & alia, pro aſſis, amygdalis toſtis, pane biſcocto, &c. Quid verò ultimus iſte athleta profecerit, intelliges. Nodos in juncturis firmat; dolores magis atque magis auget, & morbo efferatiori facto, miſerum in incredibilem maraſmum præcipitat. Inſuper (quod omnem captum excedit) (a) *oſſa omnia adeo contabuerant,*

buerant, ut ea infantium duorum annorum craſſitiem vix æquarent: oſſa ob dolorem continuum, & nimiam tendinum laxitatem, è loco exciderant: manus, & brachia, item genua, & pedes propter tophaceos tumores in articulis genitos, contorta adeò erant, ut nullo pacto quis credidiſſet ea erigi, & in propriam conſtitutionem reverti poſſe. Rurſus, quod magis mirabile, & formidandum videbatur, caput toti corpori in malis ferendis conſentiens, à juſta & naturali conformatione, tam magnitudine, quàm ſitu, mirum in modum deſciverat; etenim cum reliquo corporis continuè contabeſcens, perexiguum evaſerat.

Primo intuitu, tanti morbi curam aggredi velle, temerarium, & audax facinus eſſe exiſtimabam, nec niſi miſeratione, & remediorum magnitudine ſuffultus, ad id unquam adduci paſſus fuiſſem. Cauſis tanti affectûs conſideratis, ipſum priùs humectare, dolores conſopiendo, incipio. Eâ de re primis diebus optimum juſculum pulli, cum radicibus acori vulgaris, parari jubeo, idque manè & veſperi, poſt prandium, & cœnam. Matutinis horis aurum noſtrum diaphoreticum dabamus cum conſerva roſarum, quibus intra menſem optimam & firmiſſimam recuperavit ſanitatem. Videant illi, qui corporum fæcibus expurgandis aſſiduè incumbunt, propterea ſtercorarii dicti, ſimilia ſi præſtare poſſint. Scio ejuſmodi Medicos ab Empiricis, agyrtis, & circumforaneis minimè differre; nec obſtat, ſi per corporum ſordes, ut olim Uromantes, de morborum cauſis coram populo multa vaticinentur: plebs his faſcinatoribus deluſa credula redditur.

NOTÆ

in CAPUT LXXVIII.

(*a*) *Oſſa adeò contabuerant.* Mirabile eſt, oſſa omnia in præſenti ægro ita contabuiſſe, ut ea infantium duorum annorum craſſitiem vix æquarent. Oſſa ſcil. conflata ſunt ex tenerrimis tubulis, qui poros habent innumeros, in quibus circulationem ſuſtinent depoſitæ particulæ, & ſanguineæ & lymphaticæ. Inoſculantur namque illis venæ & arteriæ intrantes cavitatem, & deponentes ibi pinguem ſanguineo gelatinoſam ſubſtantiam: Hâc autem minimè oſſa nutriri, ſed temperata oleoſitate duram ac ſtabilem oſſium ſubſtantiam magis delinire & inungere veri videtur ſimilimum: Hac delibuta exterius impetibus, quos ſuſtinere coguntur, ſine fracturæ metu reſiſtunt. Inde jam conſtare poteſt ratio miræ oſſium fragilitatis, quam notarunt *Hildanus & Capivaccius* paſſim in ſcriptis ſuis. Porrò tubulis oſſium introductâ magnâ materiæ ſubtilis quantitate mollities in oſſibus generatur, qualem ceræ inſtar flexilem deſcribunt Acta Haffnienſium *obſ.* 24. *ann.* 73. & 74. Solidum enim à fluido non differt niſi ſola diviſibilitate. Quod ſi itaque effervеſcentia acrior in ſanguine concitata corpuſcula illa, è quibus oſſa contexta ſunt, diſſipat, oſſa minora & contractiora fiunt: ſimilem contabeſcentiæ oſſeæ hiſtoriam tradit Dominus Jacobæi *in actis Haffnienſ. anno* 71. & 72. *obſ.* 115. Nimirum chirurgus quidam per errorem aquam fortem bibebat, unde non mortuus eſt, ſed tota membra ita contracta & corrugata fuerunt, ut qui antea juſti viri ſtaturam habuit, nunc vix pigmæi vel ſeptennis pueri obtinuerit.

CAPUT LXXIX.

De dolore funeſtiſſimo per totum corpus oberrante, cum graviſſimis ſymptomatibus.

NOva quotidie in hominum perniciem vibrata eſſe tela cognoſcimus. Ecce hac de re novum doloris genus, per intervalla Conſtantium barbitonſorem, annos 40. natum invadens: (*a*) *Vagus is dolor, nunc per carnes*, nunc per articulos adeò vehementer vagabatur, ut ne per momenta quidem deſereret ægrum; mirum equidem quàm pervicaci velocitate per univerſum corpus oberraret: 15. diebus elapſis, in juncturis firmatâ ſede, ibi ingentes cruciatus peperit cum tumoribus, ut in arthritide conſuetum eſt. Inaſſueti ejusmodi doloris cauſas aliunde, quàm à communi Medicorum ſenſu, deducendas eſſe judicavimus; indicationes itidem ab his longè diverſas: de quibus alibi Deo favente. Interim ad tam immane monſtrum debellandum, pilulis noſtris catholicis uſi ſumus: Catholicæ hac de re dicuntur, quòd in univerſum quoscunque humores tartareos fugent, & ejiciant. (*b*) *Aurum noſtrum diaphoreticum* per vices dabamus, ad tranſpiratum corporis promovendum, & juncturas roborandas. Locis affectis ſæpè cucurbitulas per exiguas, vulgò *cornetti*, affigendas curavimus, cum ſcarificationibus, & eo tempore quo adhuc vagaretur dolor; nam in juncturis obfirmatâ ſede, fotus, & embrochas uſurpavimus. Victus in principio fuit refrigerans & humectans, tandem ſub fine decoctum phlegmagogum & exſiccans, ad 15. dies accepit, quibus ſenſim ſanitatem adeptus eſt. Sequenti anno iidem reverſi ſunt dolores, qui iisdem quoque remediis propulſati ſunt. Ne verò iterum reverterentur, pilulas catholicas ſemel in menſe deglutiendas imperavimus ipſi, quod præſtitit ad annum, nec à ſeptennio redierunt ejuſmodi dolores, vivitque nunc felix optima ſanitate donatus.

NOTÆ

in CAPUT LXXIX.

(*a*) *Vagus is dolor nunc per carnes* &c. Sunt dolores hi revera ſpaſmodici, & non tantum nerveas fibroſas partes, ſed & muſculoſas occupant, ſæpiuſque totum per corpus oberrant, ita ut mox pedes, mox ſpinam dorſi, collum, digitorum extremitates invadant, debitoque ſenſu ac motu iſtas partes privent: Quandoque etiam in ipſis partibus interioribus calamitoſam ludunt tragœdiam, dum in inteſtinis cruciatus horrendos efficiunt, urinæ ſuppreſſionem, cardialgiam & ſuffocationem pariunt. Ab hoc malo vidi nec immunes ipſos juvenes & infantes, qui à parentibus ſcorbuticis nati erant; Nam dolores hi ſcorbuticorum acidorum ſalium progenies ſunt, & illa potiſſimum corpora, quæ nervos imbecilles ac debiles habent, & quorum ſpiritus faciles ad ataxiam ſunt, mirum exercere ſolent. Dolores hi ſæpius quoque aëris vitio debentur & epidemici ſunt: Annotavi hoc anno poſt hyemem ſummè tepidam, ubi menſe februarii jam tum multæ arbores in flore erant, affectus arthriticos & rheumaticos familiariſſimos, qui maximè illos, qui proclives & obnoxii erant huic affectui, valde torquebant, diuque lecto præter ſolitum affigebant, recidivante ſæpius malo.

(*b*) *Aurum diaphoreticum.* Aurum à gaſtrico menſtruo & fluidis microcoſmi non benè vincitur, niſi ope mercurii ſubtilioris exaltatum & ſpirituoſum factum fuerit. Cum mercurio autem hac ratione cicuratum promptiſſime agit menſtruum ventriculi ſalivale ſubtiliſſimo æthereo ſale imbutum, quod, utut non totum mercurii nexum diſſolvat, nihilominus tamen mercurii ſubtiliores partes abradit & extrahit & ſecum per totam corporis ſphæram vehit. Inſipida autem menſtrua magnam in metalla & mercurialia poſſidere efficaciam comprobat inter alia decoctum mercurii cum aqua ſimplici, quod teſte experientia ad enecandos lumbricos ſummè proficuum eſt. Operantur autem mercurialia, ſi illorum textura integra manet, nec acceſſu cujuſdam acidi coroſivam naturam induit, colliquando & diſſolvendo partim gravitate, partim tenuitate ſua, ſeri ubicunque etiam illud ſit, coagulum: Quare ubi alia medicamenta non attingunt, ibi mercurialia penetrant, ac in diſſitis & anguſtiſſimis quoque partibus vim ſuam exerunt.

CAPUT LXXX.

De multiplici febrium genere.

FEbris, etſi affectuum communiſſima, & frequentiſſima, omnium tamen (*a*) *curatu difficillima*: nam licèt infinitæ ſub Medicorum cura quotidie ſanentur, non tamen eorum arte, ſed (*b*) *ſponte*, & naturaliter *deſinunt*. Contemplare, quomodo minima pars gentium utatur Medicis, & quo pacto nullus ſit mortalium febris tyrannidis expers; vide an horum minima pars, Medicorum abſentiâ pereat. Univerſa Aſia, Africa, & maxima pars Europæ caret Medicis, non carent tamen febre; ubique communis eſt morbus, eandem ubique locorum ſervat naturam. Quòd ſi quis objiciat, illis in remotiſſimis partibus, imò ubique reperiri Medicos, nec tam eſſe barbaram, & incultam gentem, quæ propriis Medicis careat: at utriuſque diſciplinam confer invicem, vel hos, vel illos non Medicos comperies. Barbari inculti, literarum rudes, Hippocratis & Galeni, & aliorum Authorum inſcii, per experimenta medicinam agunt. Noſtrates, ut plurimum bonis literis imbuti, Hippocratis, Galeni, & aliorum ſectatores, per dogmata rationibus innixa medicinam agere profitentur. Sed hæc contemplatio hujus non eſt loci. Dicamus ergò, febres ſæpè Medicorum vulgarium diſciplinam eludere, quod ſuperioribus annis experta eſt nobilis Dom. D. Iſabetta D. D. Auguſtini Piſtorienſis, aliàs de Dondolis, uxor. Etenim ipſa, dum 20. annum ſuæ ætatis ageret, quatuor annis elapſis, in ſimplicem tertianam incidit, circa initium menſis Auguſti; cui ſubveniendo, uſitata haud pauca remedia accepit, duobus Medicis ad id convocatis; quibus invitis ea in ſemitertianam vertitur, adverſus quam multa ad nauſeam uſque patrata fuerunt medicamenta, nunc potiones laxativæ, ſyrupi, juſcula alterata, pilulæ, trochiſci, & ſimilia. Febre tandem contumaciori factâ, atque Medicorum artem planè eludente, Medicorum præſentiam perhorreſcit ægra, atque affines enixè flagitat, ut eos procul à ſe amandent. Interea febre in hecticam verſâ, eam ſine auxiliis ſedere nolunt, meque in ejus curam advocant. At quum intellexiſſem odium, quo Medicorum adventum exciperet, aliam perſonam induo, amici videlicet conjugis, & ſic clàm ipſâ inſciâ eduliis, & ferculis antipyreton miſcebamus, quo brevi febris & pertinaces obſtructiones propulſatæ fuerunt.

NOTÆ

in CAPUT LXXX.

(*a*) *Curatu difficillimâ.* Medici titulo indignum illum judicat *Helmontius*, qui non omnis generis febres, citò & tutò profligare novit. Nec enim ſunt intermittentium ſanationes jam temporis difficiles invento uſu chinæ chinæ, modò quis ritè procedat cum ipſa in applicatione. Tenendæ autem circa ejus exhibitionem ſequentes ſunt regulæ; 1. Ut palato conſulatur, optimè ſumitur in forma pilulari, ſi nempè cum mucilagine tragacanthi ex ſolo pulvere fiant pilulæ. 2. Longè efficacior ejus effectus percipitur in ſubſtantia, quam in eſſentiis, decoctis & elixiriis. 3. Offerri debet ſæpius repetita, parca tamen doſi, & nunquam ſtatim ante paroxyſmum vel in ipſo paroxyſmo, ſed ſemper diebus intermiſſionis, incipiendo ſtatim poſt febrilis paroxyſmi declinationem. 4. Nunquam china chinæ danda eſt, niſi prius deterſis purgante primis viis, ſolutâ phlethora, obſtructionibus expeditis & tranſpiratione liberiori. 5. In exhibitione chinæ chinæ alvus non movenda, nulla ſudorifera calida, purgantia, vomitoria, turbantia, vel in uſu, vel poſt ejus uſum exhibenda, aliàs facillimè febris recidivat.

(*b*) *Sponte deſinunt.* Notari meretur circa & poſt æquinoctia & ſolſtitia variè affici febricitantes, utpote vel circa illud tempus plane ceſſat febris nunquam rediens, vel deſinit, poſt autem redit, vel etiam tunc temporis ejus vis remittit, aut ſimplex tertiana in duplicem mutatur, non obſcuro indicio: ab ætheris motu, qui circa hæc tempora varius eſt, magnam quoque mutationem ſubire corporis noſtri fluores. Quartanæ autumnales & hybernæ circa tempus æſtivum ſæpius ſponte deſinunt: vividiori enim facto ætheris tunc temporis motu, non modo inteſtina ſanguinis ſed & circularis motio promptior eſt; hinc tranſpiratio liberior, & obſtructiones in cutis poris reſidentes facilius diſſolvuntur.

CAPUT LXXXI.

De morbo raro, & deplorato.

QUidam ſartor Bononienſis Venetiis commorans, annos 40. natus, nomine Hieronymus Barbiero, juſtæ ſtaturæ homo, aliàs ſanus, & vegetus, tribus ſuperioribus annis (*a*) *ſub finem æſtatis* in lævitatem inteſtinorum incurrit, cui occurrendo, Medici Veneti ope ad multum tempus utitur: morbus tamen pertinax & rebellis; at ipſe ſanitatis impatiens alium medicum acceſſit. Is multa, ex vulgato more facta, ad aliquot menſes ægrotanti ingerit, utpote juſcula alterata, morcellos adſtringentes, litus, embrochas, clyſteres, & ſimilia: At nec his morbo mitiori, imò eodem in dies efferatiori reddito, nova ſuperveniunt ſymptomata, corpus mirum in modum extenuatur, lentâ febre conficitur: artuum extremitates adeò laxantur, ut manus & pedes emortui omninò cenſerentur, reliquum corpus macrum, & luridum, coloreque terreo perfuſum, non hominis, ſed cadaveris effigiem præ ſe ferebat. Hoc in ſtatu Venetiis Bononiam reverſus, in noſtras manus curandum ſeſe obtulit. Morbi cauſis à nobis exploratis, atque indicationibus hinc inde collatis (*b*) *jecoris & lienis obſtructiones* reſerare ſtatuimus, craſſos, viſcidos, & concretos humores incidendo, attenuando & purgando, quod primis diebus præſtitimus per pilulas noſtras polychreſtas, ad ℈. j. ß. pro doſi. Sequentibus diebus ſumebat manè electuarium ſeq.

℞. Mithridatii optimi, ʒ. ß. conſerv. roſarum, ℥. j. ß. croci martis, ℥. iij. macis, ʒ. j. miſce.

Hujus electuarii dabantur ʒ. ij. pro doſi manè. Sub veſperam dabamus ſpecificum ſtomachicum, quibus gratiſſimis graviſſimum, & incurabilem morbum facillimè ſuperavimus.

NOTÆ

in CAPUT LXXXI.

(*a*) *Sub finem æſtatis.* Æthere facto tunc denſiori ſtrictiores pori corporis noſtri evadunt, & perſpiratio effluviorum difficilior, quare ſuppreſſâ conſuetâ ſudoris excretione ſerum ſalſum ad interiora vertit, & partes inteſtinorum membranaceas varie afficit, & conſtringit, hinc tormina ventris, alvi fluxus, tunc temporis valdè familiares ſunt.

(*b*) *Jecoris & lienis obſtructiones.* Hypochondriaci, in quibus ſanguinis motus, per vaſa meſeraica, ramum ſplenicum & venam portæ, non legitime ſeſe habet, præter alia ſæva ſymptomata experiuntur etiam quandoque levitatem inteſtinorum & alvi criticum quaſi fluxum, ſecedunt ſæpius feces nigræ & à ſanguine tunicas inteſtinorum perrumpente, ſic tinctæ, dum natura ſubſiſtentem

circa

circa hæc vaſa colluviem ſeroſo-ſanguineam per vaſa, inteſtinalia, interdum etiam ipſius ventriculi ſeu gaſtrica bonum in finem exonerat. Proſunt hic aſſentiente ipſo *D. Authore* martialia, theriacalia & carminativa, præmiſſis lenioribus purgantibus, concretos humores educentibus.

CAPUT LXXXII.

De hydrope aſcite in ſene, inveteratâ, & ab omnibus Medicis deploratâ.

MAgiſtri Gerardi Schaion lanionis uxor, in viâ vulgò *di Galiera* commorantis, propè Moniales D. Magdalenæ, à quatuor menſibus poſt diuturnas febres, & alvi profluvium in hydropem aſcitem incurrerat, annum ſuæ ætatis tunc agens 52. hunc affectum concomitabantur febris lenta de genere putridarum, cum exacerbationibus quotidianis frigoris & caloris, more tertianarum; ſitis ingens, urinæ rubræ, craſſæ, & ferè ſuppreſſæ, vigiliæ immodicæ, apepſia, crebri animi languores, & exolutiones, cum inſigni marcore totius corporis. Ad dira hæc mala propulſanda, multa à duobus Medicis ſatis notis per quatuor menſes accepit. At hi, malum initio blandum, ſenſim (*a*) *remediis exaſperârunt*, idque ad ſummum perniciei gradum perduxerunt. Unde ventris tumor in ingentem molem invaleſcens, reliquo corpore macie, & tabe confecto, omnem ſalutis ſpem ademerat: hinc Medicorum nullus ejus ſaluti proſpicere audebat. Ego tamen Dei miſericordia fretus, quid noſtra in his deploratis valerent, experiri minimè recuſo, licèt invitus, & anceps valdè, num optatum finem conſequerer. Quòd ſi fortè aliquando votis contrarium contingat, tum ob ſubſtantiæ viſcerum corruptionem; tum ob ægri aut aſſiſtentium errores; mirum videre eſt, quot convitia in nos evomant invidi: horum tamen nebulonum vocem minimè extimeſco. Curationem auſpicatus per noſtrum ſpecificum ſtomachicum, ut publicâ viâ ritè reſtauratâ, remediorum copiæ bene inſtructæ ſanitatis iter faciliùs peragerent; Ventriculo quippe paulò firmiore reddito, (*b*) *crocum metallorum* bis in die dabamus, pro quo, ut ſuprà monuimus, Rulandinum à Quercetano hauſtum minimè intelligimus. Per intervalla pilulas polychreſtas dabamus ad ʒ. j. ut tantam aquarum copiam partim per alvum propulſarem. Quibus ad vota ſuccedentibus, (*c*) *mulier ab omnibus conclamata* his paucis, & gratiſſimis ſanitati reſtituitur. Victus interim fuit in principio humidus, contra morbi naturam, & Medicorum leges, nam tunc ſicca deglutire non valebat; paulò pòſt magis ſiccus; quem ad finem ſervavit. Sitis primis diebus evanuit, aquâ abdominis per os ſenſim exſtillante, & fauces irrorante; urinæ etiam copioſiores evaſerunt; & tandem abdomen, crura, & tibiæ detumuerunt; & intra ſeſquimenſem perfectè convaluit.

NOTÆ

in CAPUT LXXXII.

(*a*) *Remediis exaſperarunt.* Omnia potentia calida, ſudorifera, acria, volatilia, ſulphurea, maximè ſi in principio propinantur, valdè affectum hydropicum exaſperant, dum dolores, anxietates adaugent, & ſanguinis fluxus vel per nares vel hæmorrhoides proritant, & calorem accendendo nimium marcorem ſuperioribus inducunt. Præſtat in ſanandis hydropicis curam inchoare à deobſtruentibus & vaſa occluſa recludentibus, temperatis tamen nec exceſſiva qualitate imbutis, & ſenſim ſemper à purgantibus lenioribus aſcendendo ad fortiora.

(*b*) *Crocum metallorum.* Antimonialia ritè correcta & præparata, uti ſunt Regulus Antimonii Medicinalis, Panacea Glauberiana in hydropicis, ſi viſcera adhuc quodammodo ſalva, & appetitus non prorſus dejectus, aperiendo, reſolvendo, & evacuando, divinam ferunt opem: Quod ſi enim pro hydropicis auxilium quærendum eſt, certè in martialibus, antimonialibus, ſalibus fixis, & purgantium fortiorum prudenti applicatione illud inveniendum eſt.

(*c*) *Mulier ab omnibus conclamata.* Retulit mihi non ita pridem practicus fide digniſſimus, hydropicum deſperatum ſervatum fuiſſe, dum veſiculæ magnæ in abdomine ſponte obortæ, magnam quantitatem aquæ ſingulis diebus effundebant: Poſtea dyſenteriâ, tunc temporis graſſante, correptus, ſanguinem cum ſero copioſo per alvum excrevit, ſicque detumeſcente abdomine ſanitati reſtitutus eſt.

CAPUT LXXXIII.

De iliaca paſſione, miſerere mei, *dictâ.*

IN via, quæ vulgò dicitur *Inanzi Gardino*, commorans D. Gio. Battiſta Borſo, ex officio de his vernaculâ linguâ *filatoieri* dicuntur, annos 40. natus, in iliacam paſſionem inciderat, à colico dolore initia ducentem: ei opitulando varia, & egregia medicamenta alter Medicus præſcripſerat; At his nihilum proficientibus, imò dolore magis ſæviente, ſeniorem, & magis venerabilem Medicum conſuluit, qui aquam Tetucianam exhibens, malum duplo deterius reddidit, ex ſimplici dolore coli, iliacum efficiens. Nec ſine cauſa, nam jecore antea imbecillo facto, largâ humidi actualis potatione, iterùm imbecillius redditur: hinc cruditates ingeminantur, & pituitæ novus fit proventus. Propinqua hujuſce doloris cauſa erat lentus, & craſſus humor, coli cellulas variè contorquens. Remota intrinſeca, naturalis jecoris, ventriculi, & inteſtinorum debilitas. Procatarctica, calida aëris conſtitutio, propter quam crudorum, & frigidorum immoderatus uſus: Ex quibus manifeſtè apparebat, indicationes curativas eſſe, viſcidum, lentum, & incoctum excrementum attenuare, incidere, & coquere; viſcera, jecur, & alia roborare: ea verò præſtari non poſſe per aquam Tetucianam, lippis & tonſoribus notum erat: ea enim quæ actu humida ſunt, viſcerum conſtitutionem multifariàm lædunt; inprimis diſtendendo, refrigerando, humectando, tranſpirationem cohibendo, & ciborum coctionem avertendo; quæ omnia ſponte hos affectus parere conſueverunt. Nec me latet, verboſos ad verba ſe conferentes, nobis objicere, ejuſmodi aquam eſſe ſalſam, calidam, & ſiccam, atque his qualitatibus tanto affectui convenientem. At inexperti, ſuam magis imperitiam produnt: Rerum actiones, non ſolæ qualitates explorandæ veniunt, non ut qualia, & ut tali qualitate prædita, ſed ut ſunt talia, ſic conformata, & conſtituta. Præcipuum quod agit forma eſt; qualitas eſt quo meliùs, vel deteriùs. Rurſus non ſolum agentis, ſed & patientis ratio habenda eſt, loci præterea, temporis, & aliorum paſſim à Galeno, cæteriſque Authoribus enumeratorum. Hæc omnia confirmat præſens exemplum. Etenim datâ Tetucianâ aquâ, morbus ingeminatur (*a*) *flatibus inter craſſa, & tenuia inteſtina oppreſſis*; ileum comprehenditur, idque motu converſo, & periſtaltico

ſtaltico violenter contrahitur, unde acerbiſſimi dolores, alvi ſuppreſſio, & vomitus. Poſtquam verò æger eo in ſtatu perſtitiſſet ad 5. dies, atque eo tempore multa inaniter expertus fuiſſet, ex ſenis Medici conſilio, ad eum perducor: tunc hominem languidum, ſemimortuum, doloris immanitate confectum, cibaria quæque vomentem invenio. Cumprimùm ventriculo proſpicientes, aquam cinnamomi dedimus, dein (*b*) *fotum excalefacientem*, & roborantem, paulo pòſt pilulam laudinam; quâ dolore mitiori facto, oleum ſuprà, & infrà infundendum juſſimus: per os, oleum amygd. dulc. infrà ol. commune. Curam poſtremò abſolvimus granis aliquot auri diaphoretici noſtri: ſicque brevi, & citò convaluit, vivitque ab hac cura incolumis, ſexennio jam exacto.

NOTÆ
in CAPUT LXXXIII.

(*a*) *Flatibus inter craſſa & tenuia inteſtina oppreſſis.* Non omnis Iliaca paſſio ab hernia eſt, verum etiam à flatibus & fæcum infarctu; ubi tamen notandum, quod magis tenuia inteſtina & maximè Ileon circa ingreſſum coli obſtrui & infarciri fecibus poſſint, quam craſſa ſatis amplæ capacitatis. Quando autem motus inteſtinorum periſtalticus invertitur, à continua ipſorum contractione ſpaſmodica, clyſteres, ſuppoſitoria, per os rejiciuntur, praxi ipſa id teſtante. In cadaveribus ſectis, plerumque Ileon læſum & gangrænòſum reperitur, vide Harderii *Apiarium. obſ.* 64. *pag.* 253. 254. *item* Foreſtus *lib.* 30. *obſ.* 17. & 18. Sylvius *l.* 5. *c.* 15. §. 17.

(*b*) *Fotum excalefacientem.* Hic affectus hernioſos, maximè ſi iracundiæ dediti fuerunt, & corpus frigidiſſimo aëri expoſuerunt, ſemper ferè detinet, principalis itaque labor eſt, poros conſtrictos relaxare, quod optimè peragitur fotibus, balneis ex emollientibus & carminativis paratis. Intrinſecè omnia illa quæ compeſcunt ſpirituum animalium motum, & inflammationem inteſtinalem præcavent, præſentiſſima ſunt. Cum opiatis tamen cautè mercandum eſt, quæ proficua ſunt, non niſi refracta doſi, & cum confortantibus, ac diaphoreticis: commode autem miſcentur cum purgantibus, (quæ aliàs ſibi relicta, facilè cedunt in vomitoria) duplicem nimirum in finem, ut ſpaſmo & dolori ſuccuratur, & excrementorum depletio fiat.

CAPUT LXXXIV.

De atrociſſimo, contumaciſſimo & deploratiſſimo morbi genere.

MEdici ſæpè ob rerum metallicarum imperitiam, ægros in maxima vitæ diſcrimina præcipitant. Quod infeliciter comprobavit Illuſtriſſ. Comes Hannibal Ibertus Mantuanus, qui fluxione in genua & pedes correptus, poſt multa medicamentorum genera, neſcio quo conſilio (*a*) *hydrargyrii unctione uſus* eſt ad 15. dies, à qua fluxione irritatâ, novis etiam morbis ſuperadditis, pro ſanitate miſerrimam vitam traxit. Medicus, qui unctionem ſuaſerat, non hydrargyrii virulentiam incuſat, ſed morbi pervicaciam: hac de re novis purgationibus præmiſſis, diætâ etiam cum ligno Indico, ſalſa, & aliis ad menſem ſervatâ, ad novam unctionem patientem induxit. Reiteratur ergo unctio ad alios 15. dies, nec feliciùs, etenim fluxio magis efferata redditur, & ægri ſanitas ad extremum deducitur. Viribus in eo paulùm recreatis, novi Medici conſilio utitur, qui ad fluxionem ſolùm reſpiciens, loca affecta ferro & igne tractanda ſuſcipit. At nec is, cæteris felicior, mercurialem perniciem intus pellit, novas cruces patienti imponit, & morbum incurabilem prædicat. Tunc Mantuâ Bononiam ſe aſportari curavit: atque tum in noſtris manibus tutò, & jucundè ſanitatem conſequutus eſt. Ad hydrargyrii perniciem excidendam primum ſcopum direximus; nam eâ relictâ, fruſtrà erat fluxioni mederi velle: & quia ſolida pervadere ſolet ejuſmodi prava qualitas, mirum non fuit, ſi trium aut quatuor menſium in id inſumpſerim ſpatium. Principio dedimus liquorem ſulphuris dulcoacidum, cum aqua ſtillatitia: paulo pòſt hydrargyrii malignitate conſopitâ, aurum noſtrum diaphoreticum ad nonnullos dies ipſi præſtitimus, quibus duobus gratiſſimis, & fluxionem firmavimus, & Mercurii pravitatem ſuſtulimus.

NOTÆ
in CAPUT LXXXIV.

(*a*) *Hydrargyrii unctione uſus.* Sanatio morborum rebellium beneficio mercurii circumſpecte applicati glorioſe ſæpè peragitur, & vice verſa, etiam nulla ratione habita individuorum, nec cognita natura indoleque morbi, & humorum peccantium ingenio, temere exhibitus mercurius; ſæpiùs quoque non ritè præparatus, infinita mala accerſit, cujus rei teſtem cito quotidianam experientiam, qua propter ſequentes tenere oportet regulas: 1. Nunquam offerri mercurialia debent impuris corporibus ſcorbuticis acribus ſalibus ſcatentibus, & ubi viſcera labem & corruptelam quandam contraxerunt. 2. Ubi inflammatio adeſt, vel metuenda, aut ad phthiſin, vel hecticam proclivitas eſt, maximopere fugienda ſunt. 3. Evacuatoriis corporis publicis adapertis, humorum corroſiva qualitate correcta, exhiberi debent, & magis tempore vernali & autumnali, quàm æſtate ac hyeme. 4. Exactiſſima vitæ & diætæ ratio ſervanda eſt, ſecùs mercurialia magnum damnum corpori invehere queunt. Nuper ad juvenem vocabar ſcabioſum, qui opera empirici uſus, ab ipſo accepit aquam mercurii ſublimati, quâ ex præcepto ejus lavabat manus, pedes, dorſum: elapſo aliquot dierum ſpatio, animi defectione & brachii ſiniſtri contractura prehendebatur, crebrius de die revertente malo; reſtitutus tamen ſanitati eſt, per decoctum emolliens, diaphoreticum, & ſimul anodyna virtute conſpicuum. Intentio enim fuit corroſivos mercurii atomos temperare ac invertere, quo minùs ſanguini coagulum inferre queunt, experimento quippe conſtat, ſolutionem ſublimati, ſanguini recenti infuſam ipſum coagulare. Similis ferè hiſtoria evolvi poteſt apud Borellum *Cent.* 11. *obſ.* 92.

CAPUT LXXXV.

De arthritide cum lue venerea, febre, & aliis.

QUidam vir de infima gente harpiculus, cujus nomen ſcriptis noſtris interſerere, indignum arbitramur, annos tunc natus 40. circiter, in abominabiles articulorum (*a*) *cruciatus à lue venerea* concitatos incurrerat. Diro huic malo ut occurrerent duo Medici, multa impunè per ſeſquimenſem tentârunt remedia, cathartica varia, ſolida, & liquida; alterantia, cephalica, jecoraria, & articulos reſpicientia; ſanginem è brachiis detrahentes, & nucham cauſtico inurentes. Diætam item imperant attenuantem & exſiccantem: quibus ſanitatis loco, morbus efferatior redditur, & ad extremum perducitur. Deplorato ejuſmodi affectui ut ſubvenirem, grana aliquot auri noſtri diaphoretici, cum portiuncula ſtomachici ſpecifici ad paucos dies ipſi dedimus, cum conſerva roſarum, quibus dolores, & febres breviſſimè propulſatæ fuerunt: ac tandem victûs regimine mutato, ſenſim priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit.

NOTÆ

NOTÆ

in CAPUT LXXXV.

(*a*) *Cruciatus à lue venerea.* Gallicus morbus arthritidis ſpecie & nomine non rarò ludit tragœdiam ſuam, nam ſororiantes affectus ſunt, dum uterque à principio plus minus coagulativo & corroſivo cauſam ec originem ſuam trahit. Differre tamen videtur cura in hoc, quod lues venerea balnea laconica, ſudatoria, & ſudorifera bene ferre poſſit, non autem arthritis, quæ hiſce magis exaſperatur.

CAPUT LXXXVI.

De Iſchiatica inveterata.

ADmodum R. P. Thomas Dominicanus Bononienſis, Fratrem ſuum annorum 45. ex iſchiatico dolore (*a*) *claudum & impotentem* jamdudum factum, ad nos curandum duxit. Deprehenſis articuli tendinibus, & ligamentis, præ copia humoris laxatis, ut & membranis, cum cæteris particulis juncturam conſtituentibus, ad validè exſiccantia, & roborantia nos contulimus, interea decoctum ſequens præſcribentes.

℞. Rad. filicis maris, ℥. j. ſalſæ paril. ℥. ij. fol. betonic. ivæ arthetic. arthemiſ. an. m. j. hermodactyl. ſenæ, an. ℥. j. aniſi ʒ. j. liquirit. raſæ, ℥. ß. Parabatur decoctum in ℔. viij. aqu. communis, ad medietat. de colatura dabantur ℥. vj. pro ſingula doſi ad 15. dies.

Extrà, Emplaſtrum ex pice & ſulphure admovendum juſſimus, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. Picis navalis ℥. iiij. terebinth. communis ℥. ß. maſtiches ʒ. iij. ſulphuris ſubtiliſſimè triti, ℥. ß. miſce.

His duobus remediis ſatis vulgaribus, & omnibus perviis, ex deplorato morbo, feliciter convaluit.

NOTÆ

in CAPUT LXXXVI.

(*a*) *Claudum & impotentem.* Iſchiatis ſi perperam curatur, ſæpiùs contracturam relinquit. Nil autem magis officit, quam corpora, antequam ſoluta plethora eſt, & ſufficienter per alvum evacuatæ viſciditates, ſubinde macerare ſudoriferis calidis, & balneis laconicis, dolores, ſic evadunt acerbiores, intimis quaſi adactis peccantibus humoribus in affectæ partis tendines, unde dolore increſcente circulatio humorum per hanc partem impeditior fit, ſicque tumor prægrandis non raró partem occupat, mox autem ipſe tumor retrocedit. Adeoque dum vel nimia conſtrictione & ſpaſmo, vel nimia relaxatione tendines & nervi majores tonum ac robur ſuum amittunt, impotentia & claudicatio membri ſupervenit.

CAPUT LXXXVII.

De paralyſi, marcore inſigni, diuturnis vomitibus, capitis gravedine, inappetentiâ, vigiliis, & aliis, à duobus annis inveteratis.

ADmodum R. P. F. Archangelus Guidi Mutinenſis, annos 30. natus, Mutinæ in Cœnobio Reverend. PP. Divi Dominici, lethaliter decumbens, in ſui auxilium nos advocari juſſit. Bononiâ eò profectus, Reverendum Patientem marcore confectum, & veluti truncum ligneum frigidum, & immobilem reperio, diuturnis vomitibus excruciatum, inappetentiâ, vigiliis & aliis confectum. Tot morborum magnitudine, & (*a*) *tot ſymptomatum multitudine* deterritus, vix ægrum è tam procelloſo Oceano tutum eripere poſſe arbitrabar: attamen Divino numine fretus ſanitatem ipſi polliceor, ſi Bononiam affines eum ad me advehi curent: Ne autem conditio impoſſibilis appareat, aſſevero ipſum brevi mobilem evaſurum, ſi duo allata remedia bis in die aſſumat, aurum videlicet diaphoreticum, & ſpecificum ſtomachicum, quibus ter aut quater aſſumptis mobilis & portatilis redditur. Bononiæ receptus, intra ſeſquimenſem priſtinam ſanitatem recuperavit: in prædictis remediis perſtitit, ad menſem, pilulis polychreſtis & catholicis aliquando exhibitis: ſæpè etiam dabamus ol. balſamicum vitrioli; quibus paucis & gratiſſimis optimè convaluit, valet nunc & in præſens, ſeptennio à cura exacto.

NOTÆ

in CAPUT LXXXVII.

(*a*) *Tot ſymptomatum multitudine.* Multum inter ſe differentia eaque plurima ſymptomata ſæpiùs ab una ſaltim radice propullulant; quâ dempta & evulſa omnes provenientes fructus una extinguuntur. Artis itaque eſt, cauſam morbi exactè indagare: quâ cognita facilis ſymptomatum ratio eſt, & ſecura remediorum applicatio; in noſtro ægro nervi imbecillitate laborant, & digeſtio regionis primæ vacillare, & venter impuris ſordibus ſcatere videtur.

CAPUT LXXXVIII.

De raro, acerbiſſimo, & funeſtiſſimo capitis dolore à multis annis inveterato.

PErilluſtris D. Bartholomæus Bologninus annos 33. natus, à quatuor annis vago & atrociſſimo dolore divexari cœpit, cum graviſſimis ſymptomatibus, animi mœrore, inappetentiâ, vigiliis, ſiti inexplebili, & aliis, non tam morbi naturâ, quàm remediorum perperam exhibitorum multiplicitate. Præceſſerat ejuſmodi dolorem (*a*) *affectio quædam hypochondriaca*, ob quam varia & multiplicia à pleriſque Medicis præſcripta exercuerat remedia. In hac paſſione hypochondriaca diverſa erant ſymptomata, mæror animi & timor haud exiguus, flatus multi per os, inappetentia, alvi adſtrictio, vertigo frequens, & alia melancholiæ communia. Triennio ferè in remediis perſeverans nihil opis retulit. Ad me tandem adductus, decocto melanagogo ad 20. dies probè purgatus fuit, à quo non parum levaminis percepit. At morbi radices altè in natura defixæ paucis pòſt menſibus repullulant, cui rei ut ſubveniret ipſe, alios Medicos conſulit, at fruſtrà: & morbo tunc maximè ſæviente, ſe iterum in manus noſtras curandum recepit. Reiterato, ut priùs, decocto, iterum conſaneſcit, licèt adhuc morbi vis me lateret: propterea quatuor tantùm menſes ſanus & incolumis vivit. (*b*) *Rediit hoſtis*, quàm antea, longè truculentior, cujus causâ novos conſulit Medicos, at incaſſum. Novus fit ſymptomatum concurſus, in coccyge dolor fit immaniſſimus, contrahuntur brachia, & caput acerrimo dolore aſſiduè vexatur. Interim agyrtas in conſilium pariter advocat, à quibus ne minimum opis reportans, novos adiit Medicos; at infauſtè nimis. Atque tunc pro tertia vice in ejus auxilium advocor. Singulis excuſſis, in jam præſcripto & bis

bis experto medicamine tam diu ſtandum eſſe judico, quoad morbi radices exciſæ fuerint: ventriculo verò nauſeabundo, vi præteritorum medicamentorum fracto, ſuppetias ferre primùm exiſtimavi. Itaque ſpecificum noſtrum ſtomachicum ad aliquot dies ipſi dedimus: ad capitis dolorem leniendum, pilulas polychreſtas ter exhibentes: tandem ventriculo roborato, decocto præſcripto ad longum tempus uſus eſt, ſicque perfectæ ſanitati reſtitutus eſt.

NOTÆ

in CAPUT LXXXVIII.

(*a*) *Affectio hypochondriaca.* Hæc fœcunda mater graviſſimorum morborum & ſymptomatum eſt, & malum admodum frequens; hinc fermè in omni curatione chronicorum affectuum ratio hypochondriorum & primarum viarum habenda eſt. Dependet autem hic morbus potiſſimum à ſanguinis & humorum craſſitie, nec non motu progreſſivo per totius corporis partes, maximè per viſcera depurationi & ſubtiliſationi ſanguinis inſervientia, nimirum hepar, lienem, pancreas, meſenterium valdè tardo & impedito; unde hæ dictæ partes ſanguine craſſo infarctæ ac tumidæ fiunt, præprimis cum ob ſtructuram venæ portæ ſanguinis regreſſus, ex abdominis partibus ad hepar aliqua ex parte difficilis, impulſum ſatis validum requirat. Ex præpedita autem ſanguinis circulatione per abdominis viſcera non tantum fiunt tumores, dolores, fluxiones, ſpaſmodicæ contractiones, flatulentiæ, verum etiam propter non ſeparata excrementa lympha ventriculi & inteſtinalis impurior facta, digeſtionem turbat, & chylum crudum acidum progignit, qui ſanguini infuſus, illum ulterius deturpat. Unde à ſanguine craſſo & imminuta ſanguinis circulatione, nec non chylificatione depravatâ petenda jam ratio ſymptomatum eſt, nimirum mœroris inſoliti, timoris, melancholiæ, alvi adſtrictionis, vertiginis, inappetentiæ, anxietatis præcordialis, cardialgiæ, doloris colici, ſiniſtri lateris tumoris, inflationis, intrinſeci ardoris, & quæ ſunt ejus generis alia. Nobile eſt, hypochondriacos poſt mortem diſſectos viſcera in hypochondriis detenta multo ſanguine & ſucco nigro tanquam atro jure oppleta ac diſtenta habere: Novimus, quibus ſimilis ex iis locis humor ſupra infraque abſceſſit, quod licet cum periculo conjunctum eſſet, tamen evaſiſſe: plures ſcio & honeſto viro Philippo Johannis Schleidani fratri bis illud accidiſſe memini, ſcribit Solinander *Conſil.* 7. *ſect.* 2. *pag.* 121. Et ante menſem honeſta & nobilis matrona iſtius atri ſucci, & quod mirum eſt, ferè inſipidi ex dextro hypochondrio ad libras ſex vel ſeptem vomitu rejecit. Plerumque autem taliter conſtituti aſcite moriuntur.

(*b*) *Rediit hoſtis.* Habet affectio hypochondriaca ſuos periodos & paroxyſmos, quibus vehementiſſimè affligit, maximè autem in autumno & hyeme: æſtate utplurimùm optimè ſe habent hoc affectu detenti, qui autumno graviſſimè decumbunt. Nam ille aër, qui liberiorem perſpirationem impedit, valdè horum corpora offendit.

CAPUT LXXXIX.

De raro, inveterato & deplorato affectu virgineo.

RAri & portentoſi planè ſunt nonnulli morbi, qui virginibus nonnunquam accidunt, ut in præſenti caſu facilè videre eſt. Itaque nobilis quædam virgo de Illuſtriſſima Familia Coſpiorum, in Monaſterio Sancti Vitalis, annos 20. nata, à tribus annis (*a*) *innumerabiles contraxit affectus*, nunc febres, nunc ſyncopas, nunc capitis dolores, modò vigilias, modò cardialgias, & continuò moleſtiſſimum ventriculi dolorem, unde in inſignem marcorem inciderat, & quaſi ſceletos pelle indutus cernebatur. Ad tot mala debellanda, qui triennio ejus curam ſuſceperant, nihil ex vulgata medendi methodo intactum relinquunt: at infeliciter & amethodicè omnia agunt, corpus delicatulum purgationibus, phlebotomiis, decoctis, juſculis alteratis, cucurbitulis, cauteriis, frictionibus, ſtillicidiis, & ſimilibus tormentis variè exagitant, & incaſſum vento prohibente ad ſanitatem contendunt, unde ab his incurabilis habetur. Eâ ſic deploratâ, & ſine remediis relictâ, ad me, tanquam ad extremum remedium, parentes confugiunt: Morborum, & ſymptomatum ideis, cauſis, & indicationibus probè exploratis, obſtructiones, præcipuas cauſas, reſerandas apprimè duximus, quòd blandè præſtitit ſpecificum noſtrum ſtomachicum; verum enim verò quia morborum tyrannide jamdudum fracta, & ejuſmodi obſtructiones pertinaciſſimæ, factum eſt, ut hucuſque in totum ſublatæ non fuerint: dicti tamen remedii uſu, atque auri noſtri diaphoretici ope, eam feliciſſimè valere arbitramur.

NOTÆ

in CAPUT LXXXIX.

(*a*) *Innumerabiles contraxit affectus.* Affectus hic eſt hyſtericus, qui tamen ejuſdem naturæ ac indolis eſt, eandemque cauſam habet cum hypochondriaco, modo quod in fœminis graviora complicata ſunt ſymptomata, partim, quod hæ nervos habeant imbecilliores, partim quod ob vitium menſtruæ purgationis faciliùs in ipſis progignatur ſanguis copioſus iſque craſſus impurus. Symptomata, quæ prehendunt hyſtericas, ſpaſmo & contractioni partium nervoſarum fortiori debentur; hinc remedia, quæ ſpaſmo opitulantur & hypochondria obſtructa liberant, optima ſunt antihyſterica. Sæpius etiam hoc malum oritur in virginibus, junctum cum cachexia, colore faciei plumbeo, laſſitudine, febre lenta, anxietate, à ſuppreſſione veneris, ubi ex mora liquor genitalis vappeſcens ac corruptus ſuccos vitales in mixtura & in motu ſuo varie turbat & alterat. His ſuadendum optimo jure conjugium eſt, utpote excreto liquore ſeminali, & à ſpiritu genituræ virilis tanquam novo elixirio & fermento ſuſcitatâ & vegetiori facta maſſæ ſanguineæ fermentatione, maxima alteratio fit in corpore, novuſque vigor vividuſque color partibus reſtituitur. Notabile eſt, quod hac ratione fœdæ prius virgines per conjugium elegantes & majori venuſtate affluentes aliquando fiant; exemplo uxoris *Ariſtonis* apud *Pauſaniam*, quæ Spartanarum omnium virginum turpiſſima, mulier verò pulchritudine omnium præſtantiſſima, & quæ cum *Helena* certandum haberet, fuiſſe, legitur. Et hoc ſenſu, quod venus pulchritudinem corpori conciliet, admitti poteſt.

CAPUT XC.

De marcore inſigni, lenta febre, &c.

JOannes Baptiſta Vicinelli, Perilluſtris Domini Hieronymi de Bobus factor, annos 35. natus, (*a*) *poſt diuturnas febres* in inſignem maraſmum inciderat. Alterius Medici operâ per multum temporis fruſtrà uſus erat. Nos in principio ſpecificum ſtomachicum dedimus, cum conſerva roſarum: poſtea ſequens decoctum ad viginti dies bibit.

℞. Ligni ſaſſafras, ℥. vj. chinæ electæ in taleolas diſſectæ, ℥. ß. fol. boraginis, meliſſæ, pimpinellæ, capill. ven. an. m. j. flor. violarum, uvarum paſſ. aniſi an. p. j. liquirit. ℥. ß. Parabatur decoctum in ſ. quantitate juſculi Caponis: dabatur bis in die quatuor horis ante & poſt cibum. Et his facillimis & gratiſſimis priſtinam ſanitatem conſequutus eſt, nullâ purgatione factâ: quod dictum ſit propter eos, qui in exoneranda alvo totam ſuam artem reponunt.

NOTÆ

NOTÆ

in CAPUT XC.

(*a*) *Poſt diuturnas febres.* Plerumque poſt chronicas febres vel perperam illas curatas extremus marcor, lenta febris, dolor artuum contuſivus, urina cum ſedimento multo rubicunda accidit. Peſſime autem illi faciunt, qui acidis, refrigerantibus, incraſſantibus malum hoc tollere ſuſtinent, longè præſentiora hic ſunt leniora emetica, circumſpectè tamen & viribus adhuc conſtantibus, & integris adhuc viſceribus propinata. Vidimus ſic viridiſſimam ſeu æruginoſam veteribus dictam bilem excretam, quâ evacuatâ ſenſim lenta febris, cunctaque ſymptomata remiſerunt. Præter hæc infuſa leniora laxantia, nec non ſalia deterſiva, uti ſunt terra foliata tartari, ſolutio oculorum cancri, nitrum antimoniatum, (quæ tria elegantiſſimum aperitivum ſal, quod *Tackenius* ille celebris Medicus frequentiſſimo in uſu habuit, conſtituunt) egregiam opem ferunt.

CAPUT XCI.

De arthritidis quadam ſpecie rarâ.

PErilluſtris Domina D. Junipera Domini Herculis Fabæ uxor, diu graviſſimis articulorum doloribus conflictata, duorum Medicorum conſilio, ad quatuor menſes fruſtrà utitur, purgatur, repurgatur, juſcula alterata ad longum tempus bibit; nunc tandem calidis & ſiccis, nunc frigidis & humidis ejus ſanitas concreditur: ad menſem chichorii ſuccum cum ſero lactis aſſumit. His irritis, & malo vegetiori facto, ad noſtras manus curanda ſe recepit. Nos per methodum curandi tartareos morbos incedentes, eam citiſſimè & tutiſſimè ſanitati reſtituimus. Itaque ad tartarum univerſaliter è corpore deturbandum duo catholica remedia uſurpare ſolemus, catholicas, & (*a*) *polychreſtas pilulas.* Qui hæc ignorant, vituperare ſolent: proximi ſanitati ſtudentes, & conſcientiæ invigilantes, ſycophantarum linguas ſpernimus. Interea obſervare licet (*b*) *mulieres rarò arthritide* laborare, quod jamdudum literis prodidit Hippocrates.

NOTÆ

in CAPUT XCI.

(*a*) *Polychreſtas pilulas.* Cauſa arthritidis latet interdum in primis viis, quæ confertæ ſuccis bilioſis acidis ſunt; hos ſi commodè purgantibus eduxeris, mirum levabitur malum & in diſſitis quoque partibus medicamenti vis percipietur. Solenander *in Conſil. pag.* 78. magno cum ſucceſſu in principio arthritidis aliquod purgans exhibere ſolet, edoctus primum ab Alexandro Tralliano *lib. XI.* licet à multis hoc tempore reformidetur, quaſi quæ exagitata ſit, non amplius moveri debeat materia. Sic quoque vomitus interdum ſummè utilis arthriticis eſt. Patiebatur non ita pridem virgo XXVI. annorum dolorem acerbum ſub genu ſiniſtro, qui veſperi accedebat & totam noctem durabat: altero die recurrebat eadem hora idem dolor, aſt acerbior per totam coxam ſe diffundens; pulſus erat magnus ac celer cum vigiliis. Exhibui emeticum, & mox pituita ſummè viridis copioſè excernebatur, mitior ſtatim erat paroxyſmus, altero die idem emeticum repetitum ſimili cum effectu eſt, & iterum longè mitior factus, donec tandem uſu tincturæ bezoardicæ volatilis omnis penè dolor ſublatus fuerit. Obſervavit Martialis *commentario in Hippocratem pag.* 382. quamplurimos podagricos ob acorem in ventriculo peccantem à dolore corripi fuiviſſe, liberatoſque aut ſaltim mitigatos eſſe, ubi acetoſa evomuiſſent. Arthritidem annuam vomitu & diarrhæa ſolutam evolve in *decuria* 1. *anno* 6. *&* 7. *Miſcell. N. C. pag.*210.

(*b*) *Mulieres rarò arthritide.*) Eſt *aphoriſmus* 29 *Hippocrates lib.* 6. Mulier ex arthritide non laborat, niſi menſes ipſi deficiant. Regula hæc patitur exceptionem, ſi luxui, intemperantiæ & libidini deditæ ſunt, & faciles ſunt ad iram, quæ, quantum commoveat impuros ſuccos, & nervoſas partes debilitet, dici vix poteſt. Per menſium aliàs fluxum detrahitur ſentina ſuccorum impurorum; nam ut pedes artuſque hoc malo affligantur, neceſſe eſt, ut ſit ſentina ac ſcaturigo ſuccorum; nec enim artuum imbecillitas ſolitaria hoc malum evocat. Quare in mulieribus ante omnia excitandi ſunt menſes, ſi ex tali morbo laborant.

CAPUT XCII.

De oris tortura, linguæ paralyſi, continuis vomitibus, & aliis graviſſimis morbis, & ſymptomatibus.

PErilluſtris D. Hieronymus Marſilius, annos 25. natus, poſt continuam febrem, (*a*) *in graviſſimos affectus* incurrerat, in paralyſim, in qua oris, & oculorum contorſio, cum auditu gravi, & continuo capitis dolore: hæc omnia concomitabantur crebri vomitus, vigiliæ, ſtomachi morſus, inappetentia, alvi ſiccitas, & inſignis virium proſtratio. Ad tot mala debellanda duorum Medicorum operâ fruſtrà uſus eſt; ſub cura verò noſtra ſanitatem priſtinam ſic feliciter conſequutus eſt.

Primis diebus, ob proſtratas vires, morbis capitis neglectis, ventriculo, tanquam publicæ viæ inſtaurandæ, proſpeximus, bis in die porrigentes ſpecificum noſtrum ſtomachicum, & aurum diaphoreticum: quibus ſenſim ſublevatus aptior redditur, ad morbos capitis funditùs excidendos, quod pil. polychreſtæ, & catholicæ partim præſtiterunt: reliquias ejecit balſamum vitrioli.

NOTÆ

in CAPUT XCII.

(*a*) *In graviſſimos affectus.* Sunt hæc ſymptomata hypochondriaca. Poſt diuturnos perpeſſos morbos, qui vires ſolvunt & Spiritus depauperant, affectus hypochondriacus creberrimè naſcitur: Solenne enim eſt, unum morbum producere alterum, maximè qui diuturnus eſt; hic enim diſcraſiam peregrinam inducit humoribus, ſpiritus humorum motores conſumit, ut deinde obſtructiones graviorum morborum genitrices ex ſanguinis craſſitie & immobilitate facilè propullulent. Optimum itaque eſt poſt gravem morbum perpeſſum præcavere & antevertere alium; roborando primam digeſtionen & vires amiſſas reſarciendo, quod partim exactâ diæta, partim & roborantibus medicamentis perficitur. Eſt regula hæc generalis ibi ſervanda: Parca ſemper manu in morborum declinatione exhibendos eſſe cibos, quo eò promptior fiat ſolutio.

CAPUT XCIII.

De pertinaciſſima & contumaciſſima capitis defluxione, deplorata & incurabili habita.

DOmina Prudentia D. Hieronymi de Ferro mercatoris ſericei uxor, (*a*) *ſalſam & acrem fluxionem* ex ſeſquianno patiebatur, toto illo tempore alterius Medici operâ uſa erat: At quia nihil quicquam levaminis ab eo reportârat, ad nos deplorata venit. Morbi origine cognitâ, extractum antiven. ad 15. dies ipſi dedimus; decoctum poſtea melanagogum, quibus priſtinam recuperavit ſanitatem. Extract. antivenereum habetur in noſtra *Pharmacopæa Spagyrica*, uti & decoct. melanagog.

NOTÆ

NOTÆ

in CAPUT XCIII.

(*a*) *Salſam & acrem fluxionem.* Catarrhoſæ vulgò dictæ defluctiones & rheumata muſculoſas partes affligentia hypochondriacis, ſcorbuticis, & lue venerea affectis valdè ſunt familiaria. Tota quaſi natura ſcorbuticorum ſalifica eſt. Vomitus inſtar aquæ fortis corroſivi ſæpiuſcule deprehenduntur, ut etiam limaturam martis, quod edoctus experimento ſcribo, in vitriolum vertant. Borcellus *cent.* 11. *obſ.* 1. vomitum bilis bullientis inſtar aquæ fortis notavit. Salmuthus *Cent.* 11. *obſ.* 4 & Sennert *Tract. de Conſ. & diſſenſ. cap.* 16. urinam & ſanguinem ſcorbuticorum lintea corrodentem vidit; item Dœringius *tract. de ſcorb. p.* 109. Inſignem maſſæ ſanguineæ acredinem in ſcorbuto annotarunt quoque *Miſcell. A. N. C. dec. II. no.* 2. *obſ.* 107. dum in phlebotomia phlebotomi cuſpis tam friabilis fuit reddita, ut leni in particulas attritu abierit, guttaque fortuito in denudatum brachium incidens veſiculam excitarit. Rarum eſt, quod refert Boyle *in Chem. ſcept. p.* 68. de milite hypochondriaco lapides & fruſtula horum devorante & ita conſumente, ut alvi excreta arenoſa inde rejecta fuerint, lapidibus in ſtomacho ab acido in arenulas reſolutis.

CAPUT XCIV.

De paralyſi, & gangræna, cum marcore, & aliis.

FLexiles & naturâ debiles, magnos & curatu difficiles morbos experiuntur ſæpius, quod veriſſimum comprobavit Dominus Vincentius de Albonis, annos 25. natus, in via, quæ vulgò dicitur *della Maſcarella* commorans. Ipſe dum ruri diverſaretur itinere fractus, ſub quercus umbra quieſcens, maximam capitis gravedinem contraxit. Paucis pòſt diebus domum in Civitatem reverſus, ambulandi impotentiam ſentit, cujus causâ ad eum advocatus, cauſam tanti affectûs ab eo ſciſcitor, nec ullâ quàm ea ſupradicta, deprehenſâ, ad ejuſmodi inſolatum cauſam referre potui. Etenim (*a*) *rara & debilia corpora* facillimè permeat aër, fuſis verò humoribus, & per ſpinalem medullam collapſis, mirum non fuit, ſi obſtructi fuerint nervi, vique motrice inferiores partes orbatæ, atque paralyſi correptæ, cui necroſis paulo pòſt advenit, cum febre, & aliis graviſſimis ſymptomatibus. Etenim maximum dolorem patiebatur paulò ſupra os ſacrum, cui poſtea obvenerunt urinæ fœtidæ cum puris quantitate. Ad dira hæc monſtra debellanda, plura dirigere oportuit. Corpore ejus blandè purgato, ſequenti decocto, terebinthinam ad menſem ipſi conceſſimus. Fuit decoct. ſic.

℞. Ligni ſaſſafras, viſci quercini, an. ℥. ß. fol. ivæ artheticæ, betonicæ, ceterach, pimpinellæ, cichorii, an. m. j. cuſcutæ, epithym. ſem. carthami, an. ʒ. vj. ſenæ ʒ. j. aniſi, ʒ. ij. liquirit ʒ. ß. parabatur decoct. in ſ. q. aq. communis, cujus colaturæ dabantur ℥. v. pro doſi bis in die, ad 12. dies.

Terebenthinæ doſis fuit ʒ. iij. lotæ cum aqua betonicæ; per intervalla addebatur ʒ. j. rhabarbi ſubtiliter triti.

Extrinſecùs ſemicupium ſic parabatur.

℞. Baccarum juniperi ℔. ij. bacc. lauri ℔. j. fol. roriſmarini, ſalviæ, menthæ, majoranæ, abſinthii, calamenthi, origani, rutæ, camomill. melilot. an. m. iiij. flor. ſtœchados, roſarum, anthos, an. p. iij. coquebantur in vino & aqua pro ſemicupio: Quo peracto inungebantur partes affectæ ſequenti litu.

℞. Adipis taxi, adip. vulpis, an. ℥. vj. ol. lumbricor. ol. laurini, an. ℔. j. ol. petrolei. ℥. j. aquæ vitæ, ℥. iiij. Miſce pro linimento. (*b*) *Ad necroſim acetum minerale* admovebatur, digeſtivo ex vitellis ovorum ſuperpoſito. Ulcera profunda à necroſi relicta, more aliorum ulcerum ſolidata fuerunt. Et quia ægrè & lento gradu incedebat curatio, aurum diaphoreticum cum conſervis ſæpè ipſi dabamus, & ſic firmam ſanitatem conſequutus eſt, atque nunc vivit ſatis bonâ valetudine præditus.

NOTÆ

in CAPUT XCIV.

(*a*) *Rara & debilia corpora.* Robuſta dicuntur corpora, quando partes carneæ & fibroſæ duræ & denſæ ſunt, & membra grandiora parteſque fluidæ non facilem alterationem vel heterogeneum motum ſuſcipiunt. Debile corpus dicitur, ubi rarior, ſubtilior & mollior partium textura, & humores æquè ac ſpiritus ad motum ſubeundum inordinatum admodum proclives ſunt. Talia corpora jam facilè lædit aër peregrinis effluviis ſtipatus, qui facilem in tali corpore inveniens ingreſſum, irregulares motus ſuſcitare aptus eſt. Quantum ſuaveolentia noceant hyſtericis, res in proclivo eſt. Umbra quercus vel juglandis arboris non nocet, ſed effluvia exhalantia, ſcheſin & craſin ſpirituum animalium variè alterant ipſoſque inordinatè movent. De effluviorum autem efficacia, legi fuſius meretur Boyle *in Tract. de mira ſubtilitate effluviorum.* Item Kerchringius *in ſpicilegio anatomico Obſerv. XV.* ubi docet, odorifera corpori unico temporis momento vel prodeſſe vel nocere poſſe. Notari meretur, quandoque admodum lædi odoriferis penetrantibus etiam illos, qui odore prorſus privati ſunt.

(*b*) *Ad necroſin acetum minerale.* Eſt hoc nihil aliud quàm butyrum antimonii, quod corrodendo abſumit partes mortuas, ſed quoniàm non profundius agit, melius eſt, vel ferro illas ſeparare, vel profundius partem ſcarificare & applicare liquorem balſamicum, qualis conficitur ex ſale ammoniaco, Vitriolo, Camphora, ſpir. vin. aloe, myrrha, ſcordio, ruta, ſale nitri, &c.

CAPUT XCV.

De acerrimo, & vehementiſſimo dolore capitis.

DOm. Jacobus de Peſis tinctor, annos 35. natus, prope ſacellum Crucifixi commorans, à menſe (*a*) *vehementiſſimum dolorem* patiebatur, cui ut mederetur, per id temporis ſpatium alterius Medici operâ fruſtrà uſus eſt. Sub veſperam advocatus, pilulam laudinam ipſi dedimus: ſequenti die (*b*) *pilularum* ℈. xiv. *catholicarum*: at poſtridie altera pilul. reiteratâ, citò & tutò convaluit. Interim annotare placet alterius Medici curam: ille primò patientem purgavit potione, cum agarico infuſo, & ſena, cum diſſoluto ſyrupo roſat. ſol. detraxit ſanguinem è brachiis, admovit cucurbitulas, ſanguiſugas non omiſit; cauterium in nucha, & brachio excitavit; pilulis non pepercit: at his invitis, dolor truculentior efficitur. Non quanta, ſed qualia purgari debeant, medicum conſiderare oportet.

NOTÆ

in CAPUT XCV.

(*a*) *Vehementiſſimum dolorem.* Cephalalgiæ ſubjectum ferè ſemper ſunt membrana cranium inveſtientes, rarius meninges,

meninges, quam ob cauſam etiam veſicatoria, pulveres inſperſi cephalici, cataplaſmata, & nonnunquam ſetacea, in Cephalalgiis præſentem locant operam: quæ ſi malum internum eſſet, præſtare non potuiſſent. Cauſæ Cephalalgiæ non ſolum eſt ſerum viſcidum, corroſivum, in pericranio hærens & vellicans; uti id fit in ſcorbuto, & lue Venerea affectis, nec non hypochondriacis, ſed ſæpius etiam ſanguinis per vaſa integumentorum capitis impeditior motus, & hinc enata nimia venarum diſtenſio & turgeſcentia, ſubjectas membranas premens. Perpulchrè & mechanicè *Hippocr.* cauſam doloris capitis in *Tract. de flatibus* deſcribit his verbis: Capitis dolores una cum febre hanc ob cauſam oriuntur. Sanguinis in capite viis anguſtia contingit, cum aëre replentur, eæque repletæ ac diſtentæ capiti dolorem afferunt: Sanguis enim vi pulſus cum calidus exiſtat, per anguſtam viam tranſire celeriter nequit, quòd eum multa remorentur, quæ impediunt & obſtruunt. Eamque ſanè ob cauſam pulſationes circa tempora contingunt. Patet hinc, cur febribus & maſſæ ſanguineæ ebullitionibus frequenter complicentur cephalalgiæ?

(*b*) *Pilularum catholicarum.* Magna eſt diſcrepantia purgantium, nec promiſcuè quævis in omni affectu propinanda ſunt: revera enim certis humoribus quædam purgantia dicata ſunt, cætera neutiquam. Sic Rhabarbarum in hepatis vitiis & bilioſorum humorum exundantia & devia qualitate eximium, fol. ſenæ ad expurgandum humorem melancholicum, tamarindi ad bilem nimis volatilem ſalinam educendam, Jalappium ad ſeri copioſi evacuationem, helleborus niger ad mucum viſcidum eliminandum, manna ad acidos humores purgandos magis quadrant & apta ſunt. Peccant itaque, qui non expenſa humorum indole ſine diſcrimine purgantia corporibus offerunt. Sic ubi prima regio ſordibus impuris viſcidis ſcatet, præpoſterè adhibetur manna vel purgans ex tamarindis. Tamarindi viceverſa perperam applicantur, ubi acido-pontici humores inteſtina occupant.

CAPUT XCVI.

De Apoplexia, Paralyſi, imminutâ memoria.

DOminus Joſephus Guidetus, annos 52. natus, apoplexiâ jampridem correptus, & eâ in Paralyſim verſâ, inde linguæ laxatis muſculis fandi impotentia inſignis, (*a*) *interioribus cerebri ventriculis* frigido, pituitoſo humore repletis, imaginativâ, & diſcurſivâ facultatibus inſigniter læſis. His tractu temporis meliùs habitis, memoria valdè imminuta conſpicitur, eodem humore in poſticam partem fortè excuſſo. Apoplexia brevi tempore ejecta, ut quæ ſponte in paralyſim deſinere ſolet ut plurimùm. Duorum Medicorum conſilio multo tempore utitur: & ab his nihil aliud beneficii accepit, quàm quod tempus afferre conſuevit: quamvis purgent, & repurgent, phlebotomias celebrent, brachia, & nucham inurant, & ſimilia patrent; ad ligni Indici decoctum, tanquam ad ſacram anchoram, confugientes, id ad menſem ipſi præſtiterunt, exquiſitâ diætâ ſervatâ. Sub cura verò noſtra, ad mali originem reſpicientes, ſic ipſi ſanitatem, quali hodie potitur, reſtituimus.

NOTÆ
in CAPUT XCVI.

(*a*) *Interioribus cerebri ventriculis.* In apoplecticorum cadaveribus, ut plurimum aut ſanguis aut ſerum copioſum & coagulatum reperitur, cerebri ſubſtantiam occupans, ſic *Bartholinus* Batavii vidit in cadavere apoplectici omnes ventriculos concreto ſanguine turgidos, ut ne guttam amplius exciperent. Vide *Hiſt. Anatom. C.* 2. *Obſerv.* 60. Bonetus *in ſepulchreto L.* 1. *ſect.* 2. *obſ.* 12. totam cerebri baſin cruore obductam vidit, Hollerius *L. I. c.* 7. *d. m.* 1. refert, Quæſtorem quendam, qui cum in ſole ambulaſſet, liquatuſque inde ſanguis per venam ruptam in cerebrum eſſet diffuſus, repente apoplecticum interiiſſe: uti id docuit anatomia. Porro diſſectionem apoplectici, in cujus cerebro ſanguinis extravaſatio facta v. ap. Fernel. *de abdit. r. cauſ. p.* 235. *&c.* Tulpium *obſ.* 13. qui & plurimum aquæ in demortuorum apoplecticorum capite reperiit. *v. l.* 1. *c.* 27. *ib.* Nymannus *de apoplexia.* it. H. ab Heer. *obſ.* 11. *p.* 120. *Riolanus* craſſum & viſcoſum humorem ad contextam retiformem invenit, cerebri ventriculis nec oppletis nec obſtructis. Nullum dubium eſt, apoplexiam oriri à rupto ſanguinis vel lymphæ vaſe: Quemadmodum enim propter impeditum æqualem ſanguinis circulum in externis partibus vaſa aperiuntur & ſanguinem effundunt: pari ratione intus recondita vaſa, ſi ſanguinis motio per partes æqualis ſuſpenditur, rumpi & aperiri poſſunt. Ex quo jam patet, quare Plethorici, maximè ſi in ipſis propter externum frigus ſeu aliud quid tranſpiratio impeditur, ad apoplexiam, item lethargum, paralyſin, admodum ſint proclives, item cur venæſectio tam celebratiſſimum in apoplexia ſit remedium, patet & porro ratio, cur hypochondriaci, lienoſi, in quibus ſanguis & humores in abdominis partibus propter infarcta viſcera non rite circulantur, in apoplexiam facilè incidant, imprimis præcedente vehementi ſpirituum per iram vel terrorem motu. Novi plethoricos, qui podagra it. eryſipelate affecti, facti fuerunt apoplectici. Cavendum hinc tali in caſu eſt, uti optimè id monet Beat. Ludovici *in Pharmacia p.* 575. à medicamentis calidis, arcendæ, apoplexiæ cauſa tituloque aliâs propoſitis. Frequens etiam illud apoplecticum malum eſt, in quibus conſuetæ ſanguinis evacuationes ſive per nares ſ. per uterum aut anum ſupprimuntur. Benè hinc Hippocrate. *In coacis p.* 178. In ſideratis ſuccedentes hæmorrhoides utiles ſunt.

CAPUT XCVII.

De duplici quartana cum principio hydropis.

ILluſtriſſimus Comes D. Nicolaus Taſſonus Ferrarienſis, duplici quartana jamdudum excruciatus, leucophlegmatiam contraxerat, cum (*a*) *inſigni lienis tumore*, & aliis. Bononiæ ſub cura noſtra ſic brevi ſanitatem conſequutus eſt: Ad quartanam propulſandam, pilulas catholicas dedimus ad ℥. xv. quibus multum bilis & pituitæ excrevit; iiſdem ter reiteratis febris in totum evanuit. Ad hydropem & lienis tumorem, ad menſem accepit ſulphur metallorum cum croco martis, conſervis roſarum admixta. Et his paucis & facillimis ſanitati reſtitutus fuit.

NOTÆ
in CAPUT XCVII.

(*a*) *Inſigni lienis tumore.* Veteres quartanam ex humore melancholico prima in regione putreſcente deduxerunt. Per melancholiam autem intellexerunt acetoſam & viſcidam ſanguinis diſpoſitionem. Invadit autem quartana maximè eos, qui melancholicum humorem puta ſanguinem craſſiorem lentioriſque motus congeſſerunt: cujusmodi ſunt lienoſi, hypochondriaci, & qui olim alias febres erraticas & adurentes paſſi ſunt. Hanc ob cauſam veteres ſubjectum quartanæ ſplenem putarunt. Ipſe *Helmontius* quartanam in ſplene veniſque illi contiguis hoſpitium habere ſcribit *lib. de Febr. c. X. §.* 6. Sæpius etiam ipſi quartanarii circa regionem lienis tumorem & dolorem ſentiunt. vid. Boneti *Anatom. pract.* Timæus *in caſu Medic.* 16. & 50. Helwigius *in obſ.* 69. *p.* 228. mentionem injicit quartanarii ſecti, qui prius ictero laboravit, ubi inventum fuit hepar & lien inſolitæ magnitudinis, utraque ſubdura, & tartarus lienis cellulis inciſis, proſiliit, ſerum in abdominis cavitate ſtagnavit, & inteſtina lumbricis referta.

CAPUT XCVIII.

De cachexia, antiqua ventriculi imbecillitate, febre lenta, &c.

PErilluſtris Dominus D. Marcus Aurelius Donatus Romanus, Bononiam venit, ut cachexiæ jampridem (*a*) *poſt diuturnas febres* contractæ, mederetur. Ad hanc accedebat lenta febris, dolor & imbecillitas ventriculi, inſignis virium proſtratio, alvi ſtipticitas, & ſimilia; quæ omnia, ſolius ſpecifici noſtri ſtomachici uſu, intra ſeſquimenſem ſuſtulimus. Specificum ejuſmodi ſtomachicum inſenſibiliter ſuas vires exerit, aperit, diſſolvit, & roborat: ter & quater in die in magnis morbis adhibetur, cum vino, conſerva, aut quovis alio condito.

NOTÆ

in CAPUT XCVIII.

(*a*) *Poſt diuturnas febres.* Poſt morbos diuturnos maximè febres admodum vitiatur ſanguinis & lymphæ craſis, nec minus ventriculi ſolvens liquor iners & languidus fit; unde digeſtionis vitia propullulant, & inteſtina ſordibus acido-viſcidis replentur, quæ fores pandunt febri lentæ, dolori colico, cachexiæ, affectioni hypochondriacæ &c.

CAPUT XCIX.

De phthiſi.

ADm. Rever. D. Horatius, Sacerdos Mutinenſis, cognomine Parma, annos 35. natus, ad nos Bononiam venit phthiſi abſumptus, & deploratus: totâ die maximam copiam (*a*) *ſputi cruenti* & purulenti ejiciebat, cum tuſſi, & febre. Mutinenſes Medici varia & egregia medicamenta ipſi per tres menſes præſtiterant, quem cùm deploratum cenſerent, incurabilem dimittunt. Ad præcipuam indicationem, videlicet ad pulmonum ulceris exſiccationem, animum dirigentes, ſulphur triplex ipſi dedimus: commune in flores exaltatum, (*b*) *in liquorem verſum*, & in magiſterium adductum: metallicum, & animale; & hæc tria in Electuarii formam mixta ad menſem accepit, bis in die, quatuor horis ante & poſt cibum. Uſus eſt etiam ad 15. dies decocto ſimili.

℞. Ligni ſaſſafras, ℥. j. radicum ſymphyti majoris, ℥. ß. fol. pulmonariæ, hepaticæ, piloſellæ; capil. ven. ſcabioſæ, pimpinel. betonicæ, tuſſilaginis, an. m. j. liquirit. ℥. ß. fiat decoct. in ſ. q. juſculi carnis: quibus tutò & citò priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit; quinetiam vivit hodie feliciſſimâ & firmiſſimâ ſanitate præditus.

NOTÆ

in CAPUT XCIX.

(*a*) *Sputi cruenti & purulenti.* Non omnis phthiſis eſt cum ulceratione pulmonum, ſed ſæpius phthiſis nomine venit nutritio depravata ſeu carnis conſumptio à lento calore, enato ex viſcerum corruptela & deſtructione. Si ulcus adeſt, excreta ſunt fœtida, purulenta, ſanguinea, & fœtor oris; frequentiùs malum provenit ex hæmophthiſi, & de ea phthiſi verus eſt canon *Hippocratis* ultra 36. ann. phthiſin amplius non oriri. Vidimus alias ſenes & vetulas pulmonis ulcere laborantes, diuque ſervatos & viventes citra ardorem quendam hecticum. Scimus etiam, ulcera talia conſolidata per balſamica & leniter adſtringentia, tamen ſtato tempore redierunt.

(*b*) *In liquorem verſum*; eſt nimirum balſamum ſulphuris temperatum cum oleo amygdalino factum minus calidum, ſicuti illud, quod oleo deſtillato puro conficitur: Huic ſi adjicitur modica quantitas balſami peruviani, olei aniſi, fœniculi, nuciſtæ, exſurgit balſamum pectorale præſtantiſſimum.

CAPUT C.

De arthritide, & de dolore.

ARthritis nomen Græcum eſt ab ἄρθρον, articulus: Gutta, Barbaris dicitur: Hermeticis ſynovia. Græci, & Latini ejus differentias à locis affectis deducunt, hinc podagra, gonagra, chiragra, &c. Inter ſe diſceptant ſcholaſtici, an ejuſmodi dolor ſit ſymptoma, an morbus. Hermetici, ſpretis infrugiferis quæſtionibus & partium læſarum differentiis, à ſynoviæ diverſitate ejus ſpecies inſtituunt, quas ſub nomine podagræ, ut plurimùm reponunt. Cauſas procatarcticas, antecedentes, & conjunctas, Dogmatici exponunt artificio magno, nec non modum ejuſmodi cauſarum haud minori arte. Curam duplicem inſtituunt, prophylacticen & curatricem. Quàm parum appoſitè, experimur quotidie. Enemata præmittunt; purgant nunc omnes humores per diacatholicum; electuaria ad id opportuna ſeligentes. Magis oculati diacaryocoſtinum & diacarthamum accipiunt; præparant humores per apozemata, incidere dicunt, attenuare & coquere, addunt & exſiccare, per ſuas diætas ligni Indici, ſalſæ, Chinæ & ſimilium. Recentiores addiderunt lignum lentiſci & viſci quercini. Mitto cauteria, ſetones, frictiones, unctiones, ſanguiſugas, ſinapiſmos, embrochas, fotus, litus, & alia innumera, quæ ægris imponere ſolent, ut fluxiones derivent, & exſiccent.

Etenim ipſis Arthritis eſt articulorum dolor per intervalla ejuſmodi partes invadens, ab humorum fluxione ſuſcitatus: per intervalla, ad differentiam aliorum dolorum, qui ſemel, & continuò articulos affligunt: à defluxione, ut qui aliunde exoriuntur dolores, arthritici non cenſeantur, licèt eam partem obſideant. Doloris modum, per ſolutam unitatem exponunt: mitto alia quibus immodicè defatigantur ipſi. Hermetici, ad curationem animum intendentes, pro effectu, quem Dogmatici definiunt pro morbo, cauſam efficientem accipiunt, atque ſic Arthritidem dicunt eſſe morbum tartareum, in quo ſynovia acris & mordax redditur, propter (*a*) *exaltationem ſalis* mineralis. Synovia eſt gluten in articulis, & veluti (*b*) *lac* quoddam dulce, cui ſi accedat ſal acidus, ſtypticus aut contagioſus, exoritur dolor ob contrarietatem: contrarietas non ex frigore & calore, ſed forma totâ principioque intrinſeco, quod fuſiùs poſtea demonſtrare oportet. Synoviam rurſus duplicem faciunt, materialem & formalem, propriam & impropriam. Materialis ubique reperitur, in ſanguine rubra, in cerebro alba; in corde, renibus, his membris ſimilis; in liene nigra; in felle citrina; & in utero punica: hìc denſa, alibi compacta. Forme-

lis

lis vis eſt uniuſcujuſque membri retentiva, attractiva, digeſtiva, expulſiva, &c. Modus ipſius arthritidis, quo videlicet pacto dolorem ſuſcitet, jam conſtat eſſe ſalis exaltationem, à qua principiorum, & cauſarum contrarietas: verùm antequàm ulteriùs progrediar in Hermeticorum placita, liceat nobis priùs Dogmaticorum ſententiam de dolore examinare. Vide ſuprà curationes de arthritide interim. Dicunt dolorem fieri per ſolutionem unitatis, & hanc excitari tenſione, compreſſione, & divulſione, per humorum defluxionem concitatis. Quis non tantæ doctrinæ ſubtilitatem demiretur, eamque liberè ſuſcipiat, & ad ſidera extollat? Lex omnium conſenſu fit, vetuſtate temporis firmatur, & antiquorum authoritate roboratur, & inconcuſſa redditur: At Veritas temporis minimè filia, mortalium legis inſcia, nullius antiquorum judicio ſubdita, omnia æquali ſeveritate ponderat, & examinat. Itaque ad inſtitutum redeuntes, vix crederem ſolutionem eſſe doloris cauſam, ea quandoquidem ſæpe in nobis exſuſcitatur ſine dolore; etiam in articulis ipſis, gypſea illa materia poſt dolorem articularem relicta, continuò efficit ſolutionem continui, nec propterea dolorem. Tumores alii fiunt in juncturis citra dolorem, œdematoſi, ſcirrhoſi, &c. Cauſæ naturales nunquam otiantur, poſitâ causâ ponitur effectus, ſunt reciproca, relatorum eadem lex eſt. Plura de ipſa ſolutione adducerem, nî ipſa fuſiori ſermone eventilanda ſuſcepiſſem in noſtris quæſtionibus. De unitate ridiculum planè, & ab omni ratione alienum judicare quis poſſet. Etenim unitas doloris expers eſt; eſt abſtractum quid, quo unum eſt. Quòd ſi non hoc preſſiori ſignificatu, ſed pro continuitate, quid inde? Continuum quantum eſt: quantum dolere perabſurdum nimis: Partem, quantum dices: non ergo unitas dolet, aut per eam dolor fit, ſed ipſa pars. Tu iterum, neque pars, ſed ipſa ſoluta. Ego iterum, non pars per ſe, neque ſolutio per ſe, ergo tertium ex his reſultans; id verò eſtne ens per ſe, an per accidens? Cave ne in abſurdiora impingas. Si per ſe ſubſtantia, ſubſtantia ſic erit ex non ſubſtantia: Verùm enim vero malo hîc te deſerere, quàm ulteriùs te per hæc invia concomitari: Sat exiſtimo, ſi tibi connotavero immanem, & atrocem ejuſcemodi dolorem in articulis excitari, citra ullam ſolutionem, (interea imaginariam ſolutionem non mihi objicias) ſolutione verò apparente dolorem remitti, & evaneſcere. In dolore duo animadvertenda cenſeo, quid dolet, & à quo doleat: neque partem informem dolere, neque formam ſine parte, hoc eſt, non forma ſine materia, neque materia ſine forma dolet, non ambarum unitas ſeu unio, quod ſuprà tetigimus; eſſe in corpore tertium quid ab his diſcretum, doloris capax, litem immortalem cum Peripateticis eſſet ordiri. Sit quid ſit, neque anima totius forma, doloris capax eſt, minùs materia; totum verò compoſitum; vel id inexplicatum manet, vel tertium quid, actionis & paſſionis capax intelligendum venit. Dum verbis alii irretiuntur, ad opus nos accingimus, & ejus curam multiplici experientiâ confirmatam in medium proponimus. Solvimus paroxyſmi, doloriſve impetum, intrinſecis, & extrinſecis. Intrinſecis nunc anodynis, confortativis, nunc roborantibus, & diaphoreticis: nunc verò validis catharticis, & vomitoriis. Anodyna ſunt laudana opiata, & ſimilia. Confortantia, roborantia, & diaphoretica, (*c*) *aurum diaphoreticum*, metallorum ſulphur. ſaccharum magneſiæ ſaturninæ, ejus tinctura, & ſimilia. Purgantia ſunt decocta melanagoga, cholagoga, de quibus in *prima parte Pharmacopœæ noſtræ Spagyricæ*. Extracta, eſulæ, ellebori nigri, hermodactyl. pil. polychreſtæ, & præcipuè ipſæ catholicæ, quæ in tartareos morbos ſummum obtinent imperium.

Extrinſeca ſunt anodyna quæque aquea, lac, juſcula ranarum, earum ſperma, & aqua. Sæpè utimur, nec infeliciter, fotibus calidis ex baccis juniperi, lauri, herbis calidis, roremarino, ſalviâ, menthâ, majoranâ, arthemiſiâ, calamentho, pulegio, & ſimilibus. Succos herbarum etiam haud infrequenter uſurpamus, & præſertim ebuli foliorum, baccarum ejuſdem ebuli, plantaginis, ſolatri, ſedi majoris, thapſi barbati, anagallidis, & aliorum ſimplicium, uſu & experientiâ probatorum. In teſtimonium hujuſce methodi plures adducere poſſem teſtes irrefragabiles, nobiles & ignobiles, at graviſſimis curis obrutus, receptui canere omnino compellor.

NOTÆ

in CAPUT C.

(*a*) *Salis exaltationem*. Eſt ſal illud arthriticum dolorem cauſans indolis maximè acidæ, magis vel minus volatile, figuram habens rigidam, anguloſam, ſcindentem. Præſentiam acidi ſalis indicant appetitus voracior aliquot diebus ante paroxyſmum, item vomitus acidus virore tinctus, nec non ſudor odorem acidum ſpirans, procatarcticæ arthritidis cauſæ ſunt ut plurimum larga vini potatio, nec non diæta abundans ſale fixo tartareo vel acido. Arthritici poſt mortem ſi ſecantur, ſemper fere calculoſa concreta in veſicula fellis ſive in pulmonibus, venis ſive inteſtinis conſpiciuntur. Vidi arthriticos deponentes copiam ſabuli duri per alvum: Notum quoque eſt, arthriticos facilè fieri calculoſos & vice verſa: Vero ſimile enim eſt, ſal acidum in fluoribus corporis undulans, ſi involvitur particulis viſcoſis terreis fixis, conſtituere ſolidum corpus, non ſecus uti videmus ſal tartareum generari, quando vino acidulo imponitur teſta ovi: eodem ex fundamento cauſæ tophorum etiam peti debent. Non raro lympha quæ ex veſicis in podagricorum pedibus excitatis effluit, quæ ſummè corroſiva actis eſt, ipſa linteamina corrodens.

(*b*) *Lac*. Omnia edulcorantia ſanguinem & ſalium acrimoniam mitigantia optima ſunt antiarthritica. Plinius jam tum refert, *Lib*. 28. *c*. 9. plurimos aſinini lactis uſu ab articulari morbo liberatos. It. Corn. Celſus *Lib*. 4. *c*. 24. Dom. Sachſius *in M. C. Dec*. 1. *an*. 1. *obſ*. 141. plura exempla recenſet, talium, qui ſolo lacte curati fuerunt. Hunc in finem Langius *in M. C. p*. 26. *&* 27. emulſiones valdè hoc in affectu commendat.

(*c*) *Aurum diaphoreticum*. Radicalis podagræ cura conſiſtit maximè in reſeratione partium lymphæ depurationi inſervientium, maximè in glandularum obſtructarum apertione, ibi enim latet minera ſeu ſeminium ſalinum multiplicativum. Hûc autem ſpectant non vulgaria remedia, ſed ex metallico regno petita, ſpiritu minerali æthereo reſolvente inſtructa, uti ſunt; Mercurius cum auro fixatus, qui nihil aliud eſt, quam aurum diaphoreticum *Dn. Authoris*, quod lympham fortiter movendo obſtructiones egregie expedit. Salivationem mercurialem ritè inſtitutam feliciter tollere podagram, author eſt Wedelius *in tr. de medicament. facultat. p*. 209. Nec obſtat exemplum infelicis curationis Hildani *cent*. 4. *obſ*. 82. Ipſe enim *Hildanus* errorem hic agnoſcit, adhibitam ſcilicet illam fuiſſe non prius purgato corpore. Methodus *Dn. Cnœffelii* in curatione feliciſſimâ podagræ per mercurium fixum notiſſima eſt. vide *ejus Epiſt. de podagra curata*.

PETRI POTERII INSIGNIUM CURATIONUM, ET SINGULARIUM OBSERVATIONUM CENTURIA TERTIA.

CAPUT PRIMUM.

Dolor quid ?

UT eſt voluptatis, ita & doloris ratio. Eſt verò voluptas Philoſophis, res animæ affectibus conveniens. Quod ſatis ſapienter dictum non videtur; etenim actio ejuſmodi non animæ tantùm, ſed totius compoſiti eſt. Rurſus, res animæ convenientes ſunt non paucæ, quæ ipſi nullam afferunt voluptatem. Placeret magis rei convenientis perceptionem dicere, adeò ut voluptas ſit rei convenientis perceptio: ſed adhuc, quo pacto perceptio, ſi perceptio fieri debeat per ſenſus: & voluptas, & dolor ſint ſpeciei naturam juvantis vel lædentis?

Uterque ergo eſt impreſſio in ſenſum delata ſpeciei. Quæ ſpecies, ſi ſit naturæ conveniens, ejus perceptio voluptas erit; ſi inconveniens, dolor. Et quia duplex eſt voluptas, totuplex erit dolor. Vel voluptas eſt perceptio convenientis ſpeciei, vel ipſius perceptionis fruitio. Prima eſt in apprehenſione ſenſus, vel intellectus; Altera eſt in præſentis judicio, vel in memoria, quæ reducit in mentem perceptionem factam; quibus patet, rei inconvenientis impreſſionem eſſe doloris cauſam. Sed hæc, ut minùs medica, Philoſophis diſcutienda relinquimus.

(*a*) *Dolor* ad Galeni mentem 2. *de locis affectis*, eſt ſenſus triſtis, ſeu ſenſatio triſtis ob mutationem confertim factam: fit vero ejuſmodi mutatio, vel ſolutione, vel intemperie; ſolutio continui fit, dum pars ſecatur, uritur, pungitur, diſtenditur, &c. Quod fortè ex Platone *in Tim.* deſumptum eſſe videtur; dum inquit, pathos præter naturam violenter & affatim incidens, dolorem excitare; dum verò corpus ad naturalem habitum affatim, & derepente redit, delectationem.

Definitio, & quævis deſcriptio obſcurior definito, nedum Ariſt. judice, verùm omnium Philoſophorum turbâ approbante, mala eſt; fruſtrà in re clara declarationem requirimus: exoptarem Medicos in cathedris doloris ſedationem docere potiùs, quàm ejuſcemodi tricas. Gal. ſæpiſſimè eſſentiales & generaliſſimas morborum, & ſymptomatum differentias, à partibus quibus inhærent, deſumit: hinc ſimilares, organicæ, & communes, 1. *de diff. morb. cap.* 2. 9. *method.* Et quanquam ipſe *de ſympt. cauſ. cap.* 6. *& de different. ſympt. cap.* 8. doceat; dolorem & delectationem omnibus ſenſibus contingere, ſubjectum doloris propterea non probat. In dolore, ſenſus quidem læditur, non propterea ſenſus eſt ejus ſubjectum, nam ſubjectum accidentis eſt, cui inhæret.

Dolor præterea morbus, an ſymptoma dicatur, parum refert: ejus curationem ex vero fonte expiſcari contendimus, quam, miſſis ſcholaſticorum nugis, quæ ad rei veritatem, ejus nempe remotionem ſpectant, quoad ejus fieri poteſt, perſcrutamur.

Dolor itaque cùm per ſe ſatis ſit notus, nullâ definitione indiget. Rurſus, quorum una eademque non eſt natura, non poteſt eſſe eadem definitio; dolores invicem toto cœlo diſcrepant, nec tam ratione ſubjecti, quàm ratione differentiæ, quæ pendet à cauſa. Dolor Nephriticus, cujus cauſa eſt calculus, quantum diſtet à dolore capitis, ſatis notum eſt. Imò dolores ipſiusmet capitis, quantum ſubjecto, ſeu parte, & differentiâ & cauſâ invicem diſcrepent. Sed dicamus, id quod dolet, idem eſſe in capite, idem in pectore, idem in febre, idem in aliis morbis; & ut voluptas dolori oppoſita, in animo reſidet, ita dolor in ipſomet. Atqui jam intelligo animam non eſſe ſenſibilem, immaterialem, & omnino doloris expertem, corpus itidem animâ deſtitutum dolorum ſpiculis minimè obnoxium. Ridiculum dictu Animum taxare: actiones ſunt ſuppoſitorum, totum compoſitum eſt id quod agit, & patitur, hæc Ariſt. & omnium ſcholaſticorum opinio. Gal. ut nimis Empedocleus, qui in rebus nihil præſtantius temperamento agnoſcit, & ſolam temperiem ſubjectum doloris conſtituit. Nos doctrinæ gratiâ, tria in homine

homine reperiri ſtatuimus cum ſacris litteris, animam, ſpiritum, & corpus, quæ Platonici pariter agnoſcunt; Plotinus, *Tria ſunt* inquit, *ſupremum, infimum, & medium, quæ tria nedum in homine, ſed in omni re, quæ continetur ſub concavo Lunæ.* Fuit enim tanta naturæ ſagacitas, ut juncta mediis connecteret: Aërem & aquam, terrâ; cœlum & terram, aëre; extremos colores, album & nigrum, flavo, & rubro; ſapores amarum & dulce, auſteris, & acidis. Quid inter cœleſtia? Summum Deum & hominem Angelis. Ubique tandem proſtant rerum vincula, quæ facilius admirari, quàm enarrare. His clarè conſtat, in divina hominis fabrica, inconſonum non eſſe, tria iſthæc reperiri, de quibus in ſacris paginis multoties fit mentio. Anima ſi pro ſuprema parte ſumitur, ea verè immaterialis, indiviſibilis, & doloris incapax eſt; corpus utroque deſtitutum, dolore non affici; reſtat ſpiritus, qui ſi non vinculum, ſaltem pars ea tenuiſſima, in qua anima potiùs hoſpitatur, quàm in quovis alio: hæc tria, non tres formas, ſed totum complere, & ſub unius imperio contineri fatemur.

Nec propterea compoſitam eſſe humanam formam, immò ſimpliciſſimam, indiviſibilem, & incomprehenſibilem; hinc meritò ſupremi numinis imaginem, quaſi divinitatis ſuæ portiunculam, in quo diſcutiendo cæcutit omnis intellectus. Portionem ergo illam, ſeu ſpiritum, aut ſubſtantiam doloris ſuſceptricem, quotieſcunque libera, & ab omni re aliena expedita eſt, gaudere, & optimâ valetudine frui, perbellè deprehendimus: contrà ubi exceſſu aliquo, ut alienâ re præpeditam, mirâ contentione exagitari, nunquam quieſcere, donec confecto hoſte victricem ſe recipiat ſub ſalutaria vexilla ejus, cui militat. Hinc patet, quæ cauſæ eſſe poſſint doloris; etenim omne quod naturæ limites excedit, ſive intrà, ſive extrà, dolorem parit; verùm antequàm præſentem dirimamus litem, Galen. & univerſum Medicorum gregem conſulere, & quid de doloris cauſis ſentiant, in medium proponere fas eſt. Medici dolorum cauſas in internas, & externas dividunt; hæ à rebus non naturalibus derivantur, illæ in antecedentes, & conjunctas dividuntur. Conjunctæ ſunt ſpiritus, & humores; antecedentes ſunt partes illæ generantes. At hæc minutiùs per exempla conciduntur. His propterea ſtudio brevitatis ſuperſedentes, ad particulares deveniamus.

NOTÆ

in CENTURIÆ III.

CAPUT I.

(*a*) *Dolor.* Dolor triſtis ſenſatio animæ eſt, nata ex membranarum nervearum & fibroſarum partium violenta paſſione. Cauſa materialis ut plurimum ſalia ſunt, quæ ſpiculis armata, lancinando nerveas partes influxum impetuoſiorem ſpirituum & contractionem excitant; unde moleſta animæ ſenſatio. Quapropter in omni dolore concitatius moventur ſpiritus, unde ſanguis orgaſmum paritur, & cor ipſum frequentius ad contractionem ſe accingit, ut major ſanguinis ſit impulſus; unde non mirum eſt, vigentibus adhuc atrocioribus dolorum tormentis delirium ſæpius conjungi. Salmuthus *Cent.* 3. *obſerv.* 32. ſcribit. Novi quoſdam præ aſſidua dolorum vehementia penè exanimatos, imò alios ad inſaniam ferè redactos fuiſſe. Quale exemplum quoque de muliere Alcmariana refert Foreſtus *L.* 14. *obſerv.* 3. Cura dolorum in genere verſatur in componendo ſpirituum animalium diſcurſivo & actuoſo motu; quâ vi maximè eminent, vaporoſa, & anodyna ſic dicta, quæ blanda ἀναθυμιάσει nervos replendo ſpirituum motum efferatum ſuſpendunt, & tardiorem efficiunt: laudem ex his merentur pilulæ de cynogloſſa, Wildeganſii, & Matthiæ Anglicæ.

CAPUT II.

De dolore Capitis.

MUltiplices eſſe capitis dolores comprobamus quotidie: majores Cephalæam, Cephalalgiam, & Hemicraniam dixerunt; noſtra ætas plures agnoſcit, quia (*a*) *victus, quo hodiè utimur,* ab eo quo antiqui, longè diſcrepat, de quibus in ſequentibus.

Hîc Bononiæ ad manus noſtras venit Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Archiepiſcopus Rhodi, Alphonſus Gonzaga, Novelaræ Dominus, annos 40. natus, temperamenti calidi & humidi, ſeſquianno acerbiſſimo, & atrociſſimo capitis dolore vexatus, cum febre lenta, vigiliis, inappetentia, & aliis graviſſimis ſymptomatibus. Ad tam pertinacem dolorem multos conſulit Medicos, qui in eo ſedando nihil intactum reliquerunt: potiones purgantes, item & alterantes, ad nauſeam reiterantes; pilulis haud parcentes; à phlebotomia tam è brachiis, quàm ab hæmorrhoidibus minimè abſtinentes; cauteria variis in locis excitârunt; quibus decocta exſiccantia, & alterantia; item conſervas capitales, & ſexcenta alia addiderunt. Hic tandem morbi pernicie, & medicamentorum multitudine fractus, ad nos, tanquam tutiſſimum Aſylum, confugit. Tanti doloris cauſas in hypochondriis ſtabulari ratus, his proſpiciendum eſſe judicavi: nec me fefellit opinio, nam ſub veſperum, exhibito laudano ſine opio ad ℥. vj. dolor mitior evaſit, & ſomnus, qui anteà gravis erat, placidus fuit. Sequentibus diebus dedi decoctum cum ligno ſaſſafras, viſco quercino, betonica, ſena, & aniſo, pro ſyrupo, quinque horis ante prandium cum guttulis tribus liquoris vitrioli dulcoacidi. Poſt prandium, dabantur aliquot grana ſpecifici ſtomachici: quibus facillimis, & gratiſſimis firmiſſimam recuperavit ſanitatem. Mirantur cur non inſtituerim univerſalem purgationem; cur non phlebotomiam; cur pro conſuetis inaſſueta reponam? Sciant velim, me non malè operantium conſuetudinem, ſed rectè medentium leges, & canones ſectari. Nec nobis obſtat, ſi neoterici contradicant. Legant Hipp. & Gal. Nos cum ipſis veritatem agnoſcimus.

NOTÆ

in CAPUT II.

(*a*) *Victus quo hodie utimur.* Certiſſimum eſt, ex diverſa ratione vivendi diverſos quoque propullulare morbos, qualis enim victus, talis humorum & ſanguinis diſpoſitio. Veteres ſimplici ſaltem utebantur victu, noſtro autem ævo ſexcenta invicem miſcentur & componuntur, ut non niſi ex diverſitate particularum diverſum etiam humores induant ingenium, ſæpius à nativâ & genuina ſanguinis & humorum naturali ſcheſi multum diſcrepans. Videmus hinc, quo diverſior eſt victus, hòc etiam morbos eſſe pertinaciores & curationis difficilioris. Contrarium apparet in ruſticis & plebejis, qui victu gaudentes ſimplici longè citius ſanantur, etiam medicamentis vilioribus, quam qui delicatæ aſſueti ſunt vitæ cibiſque variis.

CAPUT III.

De funeſtiſſimo capitis dol. per intervalla recurrente.

DOlor in vertice præciſè tantâ ferociâ adoriebatur Sereniſſimum Mantuæ P. D. D. Vincentium Gonzagam (qui mox fratri mortuo Dux ſufficitur) ut eo tempore quo ſæviret dolor, caput in parietem pluries impingeret, pugnis plorans ſe vehementer impeteret, miris clamoribus miſerrimam ſuam ſortem deflens. Locus affectus vix ciceris latitudinem æquabat, ſine tumore, livore, nigredine, aut quovis alio ſigno ſenſibus obvio. Mantuam advocatus per Sereniſſimum ejus fratrem, tanti doloris cauſas perveſtigare, unà cum domeſticis Medicis non recuſavi. Fuerunt, qui vaporem aliunde ſuſcitatum dicerent, qui *(a) carioſum os*, *(b) qui vermem*, qui bilem atram, qui pravum quid; cùm verò ad quinque & ſex horas perduraret, nec rediret niſi poſt quindecim, & viginti dies, ad pertenuem & ſubtiliſſimam materiam referendam eſſe cenſebamus, & eam inibi coërcitam, nec aliundè derivatam. Non defuerunt, qui incuſarent ventriculum, qui hypochondria, qui cerebrum, & qui intemperiem quandam ineffabilem. Loco affecto, *(c) potentiali cauſtico* adaperto, & perpaucâ materiâ purulentâ ſublatâ; quievit omnis dolor. In cauſis tanti doloris perpendendis, nulla probabilior mihi viſa eſt, quàm uſus quarundam pilularum mercurialium, à domeſtico Medico jamdudum ipſi exhibitarum; dictus enim Princeps cunctis voluptatum illecebris non parum indulgens, mirum non fuit ſi aliquando ſeſe miſcuerit impuro concubitui.

NOTÆ

in CAPUT III.

(*a*) *Carioſum os.* Cranium, quod conſtat ex duplici lamella, carie magnâ affici poſſe in concava ſua parte, hiſtoriam retulit. Dn. Schlevogtius *in diſſertatione de carie cranii.*

(*b*) *Qui vermem.* A verme dolorem capitis annotarunt *Miſcellanea nat. cur. Dec.* 1. *annot. IX. & X. pag.* 127.

(*c*) *Potentiali cauſtico.* Quando cauſa cephalalgiæ immanis eſt, & ſerum acre ſtagnat & perioſtium cranii lancinat, ægrè curatio fit, niſi extrinſecus fiat apertio circa partem affectam. *Dn. Author* applicavit cauterium. Simili modo intenſum capitis dolorem ſanavit *Mœckern.* vid. *ejus obſervat.* Satius eſt cutim tali in caſu decuſſatim incidere, ut ſtagnanti humori corroſivo pateat exitus, quod conſilium etiam valet in gravioribus contuſionibus, ex quibus ſæva naſcuntur ſymptomata, nimirum vomitus, delirium, convulſio, ſopor. Notabile eſt, frequentiſſime ſimulac inciſio facta eſt, ſtatim ad ſe redire & melius ſe habere læſos. In gravioribus cephalalgiis, quæ ſaltim in certa capitis parte conſiſtunt, Medici ſemper maximi fecerunt veſicatoria parti dolenti applicata: Quâ de re poteſt videri Rivetius *Cent.* 1. *obſ.* 37. Septalius *animadv. med. lib.* 1. *cap.* 18. *it.* Muys *obſ. chirurg. dec. II. obſ.* 2. Horribilem capitis dolorem, nihil in illo proficiente arte medica, à natura per nares plurimo expulſo pure brevi devictum deſcribit Tulpius *lib.* 1. *obſ.* 32. Spectat huc aphor. *Hippocr.* Ex capite dolente & effuſione puris vel aquæ vel ſanguinis in naribus morbus ſolet ſolvi. Scarificationes tali in caſu non quoque ſunt de nihilo. In magnis doloribus, inquit Heurnius *in aphoriſmis Hippocrat. pag.* 426. Turcæ ſolent auriculas validiſſimè fricare, mox novaculâ ſcarificare ac ſanguinem elicere. Noſtrates Cantharidibus veſiculas pone aures excitant & venam frontis ſecant.

CAPUT IV.

De dolore capitis acerrimo, ſeſquitertianæ febris periodos ſervante in veſperis.

EST quidam capitis dolor teterrimus, rarus, ſed funeſtiſſimus, (*a*) *febrium periodos* ſervans, & (*b*) *ſæpiſſimè cum febre.* Periodi ſunt trium, & quatuor horarum, aliquando ad quinque, & ſex: frequens non eſt. Inter nonnullos nobis ſeſe offert Dominus Gaſpar Moronus, annos triginta natus, temperamenti calidi & humidi, qui præteritis annis Mantuæ commorans, ſub finem æſtatis in ſimilem dolorem incidit, cum febris ſeſquitertianæ periodis. Ad dirum hunc affectum debellandum, Mantuani Medici nihil intactum reliquerunt; nunc bilem purgantes, modò eandem alterantes, ac tandem utriuſque brachii, & frontis venas tundentes, nec non ſanguiſugas ano admoventes; victum ſervaverat humectantem & refrigerantem, cum emulſionibus, & juſculis alterantibus. At incaſſum hæc omnia fuerunt: unde remediorum multitudine, & morbi ferociâ fractus, clàm Mantuâ ſecedens, Bononiam venit, ad nos, tanquam ad ſacram anchoram confugiens. Tanti morbi cauſis ad unguem expenſis, ſequens præſcripſi remedium. ℞. Pil. cathol. ℈. xx. opii Thebaici ℈. iij. miſce, fiat pil. I. hoc unico remedio dolor mirificè ſedatur. Ad pituitam verò, craſſumve humorem è capite deturbandum, (*c*) *Magiſterium Lunæ* alternativis diebus dabamus. Ad ventriculum verò roborandum, & morbi radices in totum averruncandas, ſpecificum ſtomachicum ad menſem accepit, quibus utiliſſimis convaluit.

NOTÆ

in CAPUT IV.

(*a*) *Febrium periodos.* Dolores non ſecus ac febres dilucida ſua habent intervalla, ita ut certis ac ſtatis horis redeant. Etenim dolores ſpecies ſpaſmi ſunt, excitati in partibus nerveis & membranaceis. Sicuti autem omnes ſpaſmodici affectus per certa intervalla ac periodos afficiunt corpus, pari ratione dolores id faciunt. Hiſtorias periodici doloris capitis evolve in Tulpio *lib.* 1. *cap.* 13. Bartholin. *hiſtor. obſ.* 51. *Miſcell. nat. cur. dec.* 1. *ann.* 3. *pag.* 124. *it. dec.* 11. *ann.* 3. *p.* 112.

(*b*) *Sæpiſſimè cum febre.* Uti omni dolori acerbiori propter ſpaſmum fortiorem conjungitur facilè ſanguinis & humorum in craſi ac motu ſuo turbatio, dum circulatio ejus per partem ſpaſmo affectam non libera & æqualis ſatis eſt; ſic quoque dolori capitis, qui nil niſi ſpaſmodica contractio pericranii, perioſtii vel etiam duræ matris eſt, perfacilè aſſociatur febricula.

(*c*) *Magiſterium Lunæ.* Eſt nihil aliud, quam luna in aqua forti ſoluta & ſale communi præcipitata: poſt debitam elutriationem remanet calx candida, quæ propter ſpicula ſalina in poris lunæ relicta, & maximè, ſi acidum primarum viarum præternaturale accedat, viſcidæ pituitæ reſolvens eſt, non ſecus ac aurum fulminans propter ſimilem rationem haud rarò purgat, imò corrodentem vim quandoque in tenerrimis inteſtinorum membranis à muco liberis exerit.

CAPUT V.

De Hemicrania inveterata.

PLures recenſere poſſem dolore ſævo, & atroci conflictatos, ſed paucis contentus nonnullos referam. Hic (*a*) *differt à cephalæa*, & cephalalgia loco quem occupat; illæ totum caput vexant, hic tantùm dimidiam partem. Mirum eſt, quomodo ejuſmodi dolor certis temporibus, ſtatutis horis, nonnullis adveniat; aliis Vere, aliis Autumno, aliis ante, aliis poſt Occaſum, nonnullis ante, aliis poſt cibum. Cauſas conjunctas iſtius doloris, ut plurimùm agnoſcimus vapores tetros, ex hypochondriis ad caput ſublatos ut antecedentes, viſcerum infarctum, qui non niſi ab ingluvie, aut inordinatâ victus ratione. Utcunque ſit, ubi ab inordinatâ victus ratione, à pilulis catholicis incipimus, ℈. xxij. porrigentes. Ubi verò dolor eſt vehementiſſimus, (*b*) *hanc pilulam* loco cœnæ exhibemus.

℞. Pil. catholicarum ℈. xiv. Pil. laudinæ ℈. iv. miſce, fiat Pil. j. In quibus pertinax eſt morbus, & hypochondria malè affecta, incipimus à pilulis; quas ob crocum Martis, baſim earum compoſitionis, Martiales appellamus, de quibus in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica* de quibus ℈: ij. vel ʒ. j. pro doſi, in duas, vel tres pilulas pro ſingula doſi ad menſem. Aliquando, ubi dolor in ſolo capite reſidet, elect. ſequens damus.

℞. conſ. citri. cydoniorum, ana ℥. ij. cinnamomi ʒ. j. magiſt. lunæ ʒ. ß. miſce, capiat ʒ. j. quolibet manè jejuno ſtomacho. Admodum R. P. F. Sanctes Dominicanus, Sac. Theolog. Lector, & Concionator egregius, annos 35. natus, nuperrimè conſimili hemicraniâ ſub alio Medico toto trimeſtri miſerrimè conflictatus, hanc noſtram methodum feliciſſimè expertus eſt. Is enim loco tot laborum, quos miſeri ſub aliorum cura, pro præſidiis ſubire ſolent, unicâ pilulâ ſanus evaſit; ſetonem, cauteria, & alia in ejus perniciem parata omiſit. Plures pro præſenti non recenſeo, diverſa commemoraturus.

NOTÆ in CAPUT V.

(*a*) *Differt à cephalæa.* A reliquis capitis doloribus hemicrania differt (1) continuitate, (2) laterali ſenſatione, (3) quod in modum febrilem cum exacerbatione redeat. Præcedit utplurimum hemicraniam Vagabundus capitis dolor, per intervalla affligens, donec ſenſim pori arteriolarum ita diſponuntur, ut humorem peccantem certam ad partem derivent.

(*b*) *Hanc pilulam.* Purgantia optimè miſcentur cum opio: ſi enim ullum datur opii correctivum, ſanè purgans eſt, vel etiam emeticum: horum enim amico conjugio deponit vim ſuam ſtupefactivam & magis acquirit virtutem reſolventem, mitigativam tamen, quæ valdè expetitur in dolorum atrocitate. Hanc ob rationem pilulæ *Starchiana & VVildeganſii*, quæ utræque purganti ſtimulo gaudent, diaphoreſin optatiſſimam excitant.

CAPUT VI.

De raro Capitis dolore, in quo caput rigidum nullo pacto flecti poterat ſine gravi dolore.

SI (*a*) *affectus*, quibus aſſiduò divexantur homines, ſimplici *narratione* (uti res eſt) & ſine fuco, memoriæ hominum conſignarentur, tutiùs & certiùs ageretur de humana ſalute. At ô, infelix humana ſors! pro veritate medica turpiſſimè logicorum ſophiſmata amplecti cogimur. Quamobrem mihi in mentem venit Eminentiſſimus, & Reverentiſſimus Princeps Cardinalis Eſtenſis, ad quem viginti annis elapſis Mutinæ tunc commorantem advocatus, eum inveni macilentum, facie lurido colore deturpatâ, tam ob continuum dolorem, quàm propter aſſiduas vigilias, quas à longo tempore patiebatur. Cauſas hujus morbi plures recenſebat: eas ad unicum (*b*) *hydrargyrii uſum* revocavi: illo vere uſus erat, ad ulcuſcula in gutture genita; unde verò iſthæc ulcuſcula, non erat ſatis compertum. Multitudinis remediorum à domeſticis Medicis adhibitorum, & nauſeâ pertæſus, quendam deſtillatorem accerſivit; is autem dedit ipſi pilulas mercuriales ad quindecim dies, ex quo contumacia illa ulcuſcula perfectè convaluerant. At paulo pòſt præfatus dolor ipſum adoritur, cui iterum multa Medici inaniter præſcribunt. Ad eum tandem advocatus, decoctum ipſi præſcribo, ex radice felicis maris, China, & herbis capitalibus, cum oleo ſulphuris dulcoacidi, ex quo perfectè ſanus evaſit. Hîc hydrargyrii Antipatheiam annotarem, ſed de hoc alibi fuſiùs; placet tantùm ſignificare, quomodo dictus Eminentiſſ. D. ſexennio à cura vixerit ſanus, & tandem Romæ ex pleuritide occubuerit.

NOTÆ in CAPUT VI.

(*a*) *Affectus narratione.* Inſigne adminiculum felicioris comparandæ praxeos eſſet, ſi medicinam facientes dextrè ac fideliter morborum hiſtorias cum attenta & ſedula ſymptomatum annotatione, nec non medicamentorum efficacia colligerent & conſignarent. Turpe dictu eſt & veriſſimum, propter accuratiorum obſervationum defectum mancam ac incertam eſſe magna ex parte praxim medicam. Quidam ſaltim in eo aucupari gloriam vanam intendunt, ut monſtroſas quaſdam inſolitaſque conſignent hiſtorias & caſus, vel etiam miraculoſas quaſdam curas, ſæpius tamen mentitas, ut magni videri velint. Nemo fermè eſt, qui vulgariter graſſantium morborum hiſtorias fideliter & ſine fuco recenſet, nec non errores in praxi vel ab ipſo commiſſos agnoſcit vel detegit. Profectò ſi haberemus veras & accuratas morborum obſervationes, longe tutius ac certius ageretur de humana ſalute.

(*b*) *Hydrargyrii uſum.* Quod gladius eſt in manibus furioſi, id medicamentum generoſum eſt in manibus imperiti. Habent id fatum heroica remedia, quæ magnam vim in ſanatione morborum promittunt, ut ex illorum abuſu maxima quoque oriantur incommoda. Magnificæ famæ mercurialia in praxi medica ſunt. Sæviſſima tamen minus rectè præparata, vel non habito reſpectu temperamentorum, ætatis, virium, cauſæ morbi, temporis & regiminis decentis applicata, excitant ſymptomata. De hoc legi merentur *Miſcell. nat. cur. dec.* 1. *ann.* 1. *obſ.* 80. *item dec.* 11. *ann.* 10. *obſ.* 120 Williſius *part.* 2. Pathol. *cap.* 2. Hildanus *obſ. chirurg. cent. V. obſ.* 92. Foreſtus *lib. XXX. obſ.* 4. *Acta* Haffn. *vol. V. obſ.* 2. Panarollus *obſ. med. pag.* 103. Fernel. *de luis vener. cur. pag* 560. Welſchius *in curat. pag.* 144. Schenckius *in obſ. pag.* 588. Notabile eſt, ipſum mercurium vivum in cerebro aliquoties repertum fuiſſe poſt cadaverum diſſectionem, vid. Granius *in praxi reformata pag.* 18.

CAPUT VII.

De dolore Capitis inveterato.

DUm Mediolani agerem propter graviſſimam ægritudinem D. Joannis de Corduba, ad quem curandum Bononiâ Mediolanum advocatus fueram,

fueram, incidit curandus in manus meas egregius vir, civis præclarus & optimus, D. Franciſcus Romanus, annos quadraginta natus: Is autem tanto dolore, tam acerbo & violento vexabatur continuò, ut ſæpiſſimè violentas manus ſibi injicere cogitaret, eligens potiùs mori, quàm tam acerbam vitam in longius protrahere. Cauſæ tanti doloris perobſcuræ erant, cachecticus erat valdè, pertinaciſſimas vigilias à longo tempore perferens, cum incredibili inappetentia. Quot medicamentis toto anno quo laboravit, uſus ſit, non eſt facile dictu. Ligni decoctum ex Medicorum præſcripto ad menſem ebiberat, catapocia ferè infinita devoraverat, ſanguinem è brachiis pluries detraxerunt, è fronte pariter, ſetonem in nucha, & in brachiis uſtiones non omiſerunt, & hæc omnia incaſſum. Mitto revulſiones, ſanguiſugas, & alia tormenta medica. Nos curam ſuſcepturi, ad *(a) univerſam ſanguinis ſaburram* in venis jamdudum ſtagnantem reſpeximus; hac de re decoctum ex filice mare, ſalſa parilla, betonica, ſena, &c. ad menſem præſtitimus, ex quo penitus liber evaſit. Ad caput roborandum, *(a) Magiſterium Lunæ* ad plures dies dedimus; & his utiliſſimis ſine ulla moleſtia priſtinam recuperavit ſanitatem.

NOTÆ

in CAPUT VII.

(*a*) *Univerſam ſanguinis ſaburram.* Diuturnus capitis dolor ſcorbuticos, lue venereâ affectos, menſium ſuppreſſione laborantes, & quibus ordinariè ſanguinis evacuationes impediuntur, valdè exercere ſolet, ut non rarò in vomitus animi defectionem & furorem quaſi adigantur. Accidunt quoque tales dolores ſæpius ex narium obſtructione. Memini ante aliquot annos fœminæ per menſis fermè ſpatium truculento capitis dolore vexatæ, cui nares antea ſolebant fluere & madere copioſo muco. Hæc poſt intruſum ſal volatile in nares, ejecit aliquot cochlearia ſeri ſanguinei inſtar loturæ carnis, & ſic evanuit omnis dolor. Unde autem hoc ſerum ſanguinolentum ortum fuerit, an ex ipſo cerebro an ex ſinubus oſſium cranii, res altioris indaginis apud Anatomicos eſt. Nos ex foraminulis oſſis cribriformis, dura matre ut ut firmiter cinctis, liquidam materiam extravaſatam ibi ſtagnantem penetrare & ejici poſſe, vero ſimile eſſe exiſtimamus.

(*b*) *Magiſterium Lunæ.* Hoc ſociatum cum Cinnabaris, antimonii anatica portione in capitis diuturnis affectibus eximium præbet uſum. *Tackius* talem pulverem in uſu frequenti habuit ad ſanandam maniam & melancholiam. Cinnabaris ſufficienti in doſi & quantitate propinata egregiè reſolvit non tantum ſanguinem congrumatum, ſed & lymphæ ſubſiſtens coagulum: quare in omni graviore concuſſione ejus uſus præſentiſſimus. Movet quandoque ſalivæ fluxum maximo cum emolumento & fructu. Rolfincius *L. 6. ſect. 3. cap. I. Method.* Inveteratum capitis dolorem levi ſalivatione ſublatum vidit.

CAPUT VIII.

De rara, & non obſervata doloris ſpecie in facie.

PLures in medendo novos, & à nemine obſervatos morbos quotidie experimur; inter hos mirum (*a*) *dolorem in facie*, citra ullum tumorem, ruborem, aut aliud ſignum evidens, per intervalla recurrentem, & tantâ ferociâ portionem faciei, quam occupat, divexantem, ut in ejulatus & lachrymas prorumpere cogantur obſeſſi. Nonnulli ad duos, & tres menſes perſeverat. Aliis per octo, & quindecim dies, quibuſdam breviori temporis intervallo evaneſcit; alios horæ, aut quadrantis ſpatio vexat. Quibuſdam Vere contingit, aliis æſtate, nonnullis hyeme, ut plurimùm (*b*) *ſiccis temporibus*, & quò tempeſtas ſiccior, eo efferacior redditur. Mulier quædam annoſa hoc acerrimo dolore diu conflictata, ſanitatem hunc in modum conſequuta eſt. (*c*) *In temporibus*, ubi firmiter hoſpitabatur dolor, (*d*) *cauſticum argenteum* apponi curavimus: eſcharâ ſublatâ, & ulcere pus copioſè fundente, dolor evanuit. Tanti doloris cauſa, non pus, ſed filamenta quædam prætenuia, & dura eſſe comprobavimus, quæ ſi cauſtico haud lacerentur, forcipibus, & volſellis eximantur; ſecus dolor qui latet, conſolidato ulcere recrudeſcit. Ubi conſimilis dolor nondum altè egit radices, ſed oberrat prætenuis aura, ſolo ſuffitu hyoſcymai ſubigitur. Quidam ſolo ſuffitu lactis ſeri conſanuit.

NOTÆ

in CAPUT VIII.

(*a*) *Dolorem in facie.* Eſt nihil aliud, quàm ſpaſmodica conſtrictio tendinum muſculoſorum, quæ ſcorbuticis non rarò contingit; Obſervamus ſæpius, leniſſimo, aëre admiſſo inſigniter illos lædi, & dolores exacerbari, dum facillimè in ſpaſmos conſuetos fibrillæ à quavis cauſa extrinſeca adiguntur.

(*b*) *Siccis temporibus.* Quò tempora ſunt ſicciora & æther liberioris ac celerioris motus in aëre eſt, eò magis creſcit motus ſanguinis & humorum tàm inteſtinus quàm progreſſivus in corpore noſtro, & ſpicula ſalium morboſorum ab hoc intenſo ætheris motu, magis acuuntur, ſubtiliſantur, & majorem acquirunt acrimoniam, quare dolores rheumatici, arthritici, ſcorbutici, poſt ſiccas longius durantes tempeſtates vehementius affligunt.

(*c*) *In temporibus.* Dolor hic major eſt, propter muſculum & tendines copioſiores, ac membranas eximii ſenſus circa os temporum ſitos.

(*d*) *Cauſticum argenteum.* Error eſt à Dn. *Authore* commiſſus, qui putat à filamentis prætenuibus & duris natum fuiſſe dolorem, quæ filamenta cauſticum dilacerare debebat. Potiùs poſt applicationem cauſtici dolor evanuit, dùm facta apertio in loco aperto, ſtagnationem ſeri acrioris, ſpaſmum dolorificum efficientis, impedivit.

CAPUT IX.

De dolore oculorum inveterato.

RAra quædam doloris ſpecies invadit oculos, cui ſuppetias ferre ſtudentes Medici, oleum, & operam perdunt. Inter multos, quidam Faber Ferrarius in via S. Vitalis, ſuperioribus annis tanto (*a*) *dolore excruciabatur*, tam pertinaci, & tam violento, ut omnem cogitationem humanam excederet. Dolor erat lancinans, & continuus, cum rubore, & inflammatione, nec ſine febre, noctes ducens inſomnes. Ad hunc ſævum dolorem, tres primæ notæ Medicos adhibuerat. Illi de more mille cruces ipſi imponunt, cauteria, ſetones, cucurbitulas; & ſanguiſugas, cum veſicatoriis pone aures, præmiſſis purgationibus, & phlebotomiis, pluries repetitis. Ad decocta tandem deveniunt ſalſæ, & ligni Guajaci; ſed cùm ab his nihil opis retuliſſet, immò dolor evaderet indies efferatior; ad eum perducti nos, ſic brevi ipſi ſanitatem reſtituimus. Ad tantum ergo dolorem exſcindendum, (*b*) *pilulas catholicas* ad ℈. xx. dedimus, cum ℈. v. pilul. laud. primâ die: ex quibus

quibus quieſcere cœpit. Sequenti die pilul. catholicæ reiterantur, quibus in totum dolor evanuit. Ad roborandum caput conſervas capitales, & ad partem læſam, (*c*) *collyrium* ex verbena, fœniculo, ſumach, & tuthia admovebatur, & his paucis priſtinæ ſanitati fuit reſtitutus.

NOTÆ in CAPUT IX.

(*a*) *Dolor excruciabatur.* Eadem ferè cauſa, cura ac Geneſis doloris oculorum capitis eſt. Meninges & pericranium quæ cephalalgiæ ſubſectum ſunt, ad oculum etiam & orbitam ejus pertingunt: unde in pertinaci capitis dolore dolent & oculi, in utroque ſpaſmus quidam violentus fibrillarum membranacearum ac nervearum eſt, qui quadantenus circulationem ſanguinis & lymphæ liberiorem impedit; unde dolor ardor, tumor, color, ruber, & lachrymarum effuſio. Cauſantur hunc ſpaſmum partes ſalinæ anguloſæ, rigidæ, à ſanguine præcipitatæ, & ex poris arteriolarum nimis apertis ſecedentes.

(*b*) *Pilulas catholicas.* In omni fermè dolore convenit mitigare ſalium acrimoniam, tumultum ſpirituum animalium componere, alvum & cutis ſpiracula aperire, quod omne præſtat opium cum purgante, ſeu maſſa pilularum catholicarum Dn. Authoris, cum opio correcto remixta.

(*c*) *Collyrium.* Si dolor nimis urget, cataplaſma mitigativum ex mica panis lacte, croco, camphora, ſaccharo ſaturni, floribus roſarum, ſambuci, ſemine fœniculi, mucilagine ſeminis cidoniorum tepidè applicatum, inſignem utilitatem præſtat.

CAPUT X.

De dolore Oculi atrociſſimo cum magnitudine aucta.

MUlier quædam annos 30. nata, in via *del Pradello* commorans, à tribus menſibus (*a*) *in peſſimum doloris genus* incidit, in quo oculus ad inſignem magnitudinem creverat. Pulſatilis erat dolor cum puncturis in medio orbitæ oculi. Ad tam immanem, & truculentum dolorem, tres Medicos fruſtrà conſuluerat. Illi cauteria, ſetonem, veſicatoria, cucurbitulas, & alia tormenta minimè omiſerunt, ſanguinem pluries è brachiis fundentes; at incaſſum omnia, immo dolor efferatior redditur continuò, & oculus extra naturalem locum cum inſigni magnitudine excidit. Tanti doloris cauſa, ut abdita, non minimum laboris in ea perveſtiganda dedit: traxerat tamen initium à lachrymis, quas paulo ante copioſas fuderat, cui mœror ſuccedens miram inappetentiam pepererat, unde loco cibi, vino ventriculum copioſè implerat; hinc coacervata ſunt calida excrementa, quæ ad partem læſam detruſa dolorem illum concitârunt. Cura fuit initiata pil. catholicis ad ℈. xv. laudin. ℈. iiij. ſequentibus diebus dabatur magiſterium lunæ cum conſ. betonicæ, & euphraſiæ. Extrinſecùs fotus parabatur ex decoct. fol. verbenæ, fœniculi, euphraſiæ, roſar. Pro potu dabatur decoct. Saſſafras, quibus dolor evanuit, & priſtinæ ſaluti reſtituta fuit.

NOTÆ in CAPUT X.

(*a*) *In peſſimum doloris genus.* Memini generoſi juvenis, ante ſexdecim annos Rhintelii ſtudiorum cauſâ morantis, qui omni die matutino tempore, præcedente oſcitatione ac febrili horrore, corripiebatur intenſiſſimo oculi dextri dolore, pulſabant circa hanc oculi & capitis partem mirum arteriæ, oculi erant magni, non autem rubicundi, lachrymæ effluebant, inappetentia, ſitis erat conjuncta: durabat hic dolor per ſex fermè horas, & per menſem fere excruciavit ægrum. Ipſo in paroxyſmo ſal volatile oleoſum naribus oblatum, levamen quoddam afferebat. Ratus ego primis in viis ſpaſmi hujus dolorifici cauſſam hoſpitari, exhibui pilulas mercuriales cum gummatibus, & grano uno tartari emetici, roboratas; hæ aſſumptæ, ſedes & vomitum movebant, poſt aliquot dies paroxyſmo finito, regimen lene ſudoriferum ordinavi, oblato hunc in finem liquore ex tinct. bezoard. Eſſ. ſuccini, anodyna, & ſpir. Cornu cervi conſtante, ſudori ſic indulſit æger per aliquot horas, & altero die ſemper mitior evadebat paroxyſmus, donec elapſis octo diebus planè ceſſaret.

CAPUT XI.

De oculi dolore ſuperioribus paulò diſſimili.

SUperioribus annis duobus, idem (*a*) *affectus oculorum* contingit cuidam Fabro Ferrario, in quadrivio S. Martini commoranti, cui oculi ambo mirum in modum creverant, ſine gravi dolore, rubore, aut alio ſymptomate. Mirum erat, quomodo corpus oculi in tam inſignem magnitudinem creviſſet citra dolorem manifeſtum. Ambo eâdem methodo, iidemque remediis curati ſunt. Utrique pilulas catholicas dedimus, ſtomachicas deinde; conſervas poſteà capitales, cum guttulis aliquot olei vitrioli. Extrinſecùs ſequenti fotu utebatur. ℞. fol. hormini ſativi, verbenæ, fœniculi, euphraſiæ, ana m. j. roſ. rub. ſtœchados, ſem. fœniculi, ana p. j. fiat decoct. in ſ. q. aquæ & vini, quibus in priſtinum reſtituti ſunt perfectè. Alteri Fabro lignario utrique laxati erant muſculi, membranæ, & tres humores mirum in modum aucti. Rari iſtius affectus cauſam particularem invenire facilè non fuit: fortè ab immodico potu, & ſomno deperdito. Tunc vigebat canicula, in quâ ſomni ſunt breviores, jucunda poculorum frequentia.

NOTÆ in CAPUT XI.

(*a*) *Affectus oculorum.* Ad melius cognoſcendam ophthalmiæ cauſam quæ ſequitur, inſervit obſervatio: In conſilium non ita pridem vocabar ad puerum 16. annorum, qui per anni fermè dimidium, dolore oculorum truculento, cum rubore, ardore & impatientia lucis conjuncto, confectus erat. Alvus, nullo etiam fortiſſimo purgante moveri ac ſolicitari poterat, ſed dura ac denſa manebat. Alterandi fine ſemel præſcripſi pulverem ex Nitro Antimoniato, Antimonio diaphoretico, & ejus Cinnabari; & ecce, poſt hujus uſum atrociſſima ventris tormina experiebatur, & plus quàm vigeſies alvum deponebat; hic affectus haud dubiè adſcribendus eſt Cinnabari, quæ acceſſu primarum viarum acidi corroſivam indolem, fibras inteſtinales ſtimulantem, iterum contrahit.

CAPUT XII.

Aurium Surditas cum ulcere à multo tempore.

MOrbi etſi exigui, ſæpè tamen magni fiunt ob Medicorum imperitiam. Elegans quædam Monialis, nomine Angela Semidea de Gypſo, annos triginta nata, in cœnobio S. Mariæ novæ, à duobus annis, ſurditatem utriuſque auris patiebatur, ex utraque aure, (*a*) *pus fœtidum* conti-

nuò fundebatur: hinc in utraque ulcus ſubeſſe judicavi; de cætero ſana erat, optimi coloris, & ad cuncta naturæ munia probè ſe habebat. Propterea loco affecto tantummodò opitulari decrevimus eâ de re unguentum roſaceum, cum Mumia Minerali præſcripſimus, quo perfectè ſublata ſunt ulcera, & auditum recuperavit. Mitto, quot medicamenta intrinſeca fruſtra ab aliis Medicis exercuerat; (b) *gravis* quamvis fuerit illi *auditus* de ſurditate tamen ampliùs conqueſta non eſt.

NOTÆ
in CAPUT XII.

(a) *Pus fœtidum.* Ulcera aurium diuturna fiſtuloſa ut plurimum ſunt, & cum carie oſſis conjuncta, hinc ægrè ſaneſcunt. Vide alias poſt gravem inflammationem, auris ulcus, & ex ipſo pus egrediens ad aliquot cochlearia, quod tamen feliciter melle cum balſamo peruviano mixto, ſublatum fuit. Solet alias auris dolor vehementiſſimus eſſe, propter tunicam nerveo-tendineam, quæ meatum auditorium cingit. Poſt mixtionem in aures petulanter factam inexplicabilem fermè dolorem notârunt *Miſcell. Nat. Cur. Dec. I. ann.* 4. *pag.* 277.

(b) *Gravis auditus.* Vel fit vitio meatus auditorii, quando cerumine firmiter eſt obſtructus, ubi balnea, fotus, ex herbis emollientibus & balſamicis conveniunt, vel fit vitio nervi auditorii, ſi ille per paralyſin tactus vel obſtructus eſt, vel fit vitio tympani, quando illud nimis laxum, ruptum aut exeſum ab ulcere eſt. Tympani membrana laxa nimis, & flaccida fit, ac tenſionem debitam amittit à nimio madore, & humiditate, vel ab improvide inſtillatis medicamentis, vel ab aëre pluvioſo ac nebuloſo. Interdùm etiam accidit, ſonos acutos prorſus eſſe intolerabiles, quod fit, quando tympani membrana ſpaſmodicè nimis tenditur, vel in affectu hypochondriaco flatulento, vel à nimio dolore capitis in febribus; ſi biennium exceſſerit ſurditas, vel aurium tinnitus, non facilè curatur.

CAPUT XIII.

De inaudita doloris ſpecie in facie, in quâ nares mira magnitudine incraſſantur, & mira fœditate in pomum granatum augentur, &c.

INcredibilis ſanè, nec multum viſa narratio, quòd ſi cunctis haud innotuiſſet, vix ulli crederetur. Hîc Bononiæ decennio fortè elapſo, mercatori cuidam Thomæ de Capello nomine, contigit (a) *dolor in facie, rodens* & lancinans, qui poſtquam vagatus eſſet per totam faciem, tandem fixit ſedem in naribus, & circa oculos, nares intumuerunt ſenſim, ita ut pomi granati formam, & magnitudinem æquarent. Tunc dolor vagus ille penitus evanuit. Ad hanc turpem deformitatem, nihil intactum reliquit. Plures conſuluit Medicos, toto nonimeſtri ſpatio multa remedia impunè exercet. Purgationes de more, cum reiteratis phlebotomiis, plures adhibentur. Ligni Guajaci cum ſalſa decoctum, ad quadraginta dies ebibit. Cauteria, ſeu fonticuli in nucha, & brachiis excitantur. (b) *Extrinſecus* linimenta refrigerantia & exſiccantia admoventur, at his invitis morbus efferatior redditur. Qui ejus curæ præerant Medici palàm profitentur, ſe omnem moviſſe lapidem, ut morbi ſævitiem ſaltem retunderent, & fruſtra morbum jactant cunctis incurabilem; carcinoma, & noli me tangere appellari, ſolius ſupremi numinis opem efflagitare, nullam ſupereſſe humanam ſpem. Ne tamen ſine omni humana conſolatione extremum vitæ clauderet, ad me venit Excellentiſſ. Dominus Guido Monticellus ejus affinis, & Medicus, enixè me rogans, ut amici, & affinis cariſſimi curam ſuſciperem, ſolis medicamentis chymicis veram & ſolidam deberi gloriam. Hæc & plura dicens, ad dictum patientem inviſendum me ſenſim deducit. Primâ facie morbum incurabilem judico, & tantum onus ſuſcipere recuſo. At ipſe lachrymis, & precibus me rogat, & vehementer commovet, ut tam miſeri patientis curam aggredi velim, ne ſpe deſtitutus extremos dies ſuos in deſperatione compleret. His, & aliis charitatis erga proximum ſtimulis impulſus, curam hunc in modum ſuſcipio. Primò ad hepar; (c) *maſſamve ſanguineam repurgandam*, primum ens metallorum ad 15. dies exhibeo, ℥. iij. pro qualibet doſi. Forinſecùs mumiam mineralem bis in die naribus admoveo, quibus gratiſſimis citra ullum dolorem, moleſtiamve quamcunque narium durities ſolvitur, ulcuſcula intus, & extra nares repurgantur, & quæ intumuerant in inſignem turpitudinem nares, mirificè detumuerunt; oſſa verò humoris pernicie eroſa foràs ſeſe produnt, & leviſſimo tactu evocantur, & ferè ſponte decidunt, facies tandem, & nares oſſibus exceptis in priſtinum reducuntur. In hoc teterrimo affectu multa eſſent dicenda, tam circa patientis conditionem, quàm circa morbi naturam. Hoc tantùm addam; eum ab hac cura duodecim annos vixiſſe ſaniſſimum, levi tandem dolore ventriculi laborantem alios conſuluiſſe Medicos, à quibus pro ſalute mortem reportat. Sub fine quidem me conſulere volebat, ac cùm præteriti beneficii parum memorem eum obſervâſſem, in illorum manibus eum defecturum relinquere ſatius duxi.

NOTÆ
in CAPUT XIII.

(a) *Dolor in facie rodens.* Dolor hic ortus fuit à ſale ſcorbutico, corroſivo, fibras carneas diſcindente, unde inflammatio faciei ac narium cum rubore, dolore, tumore, & ulcere, ſive eryſipelas capitis exulceratum ortum, quod non raro cum gravi periculo junctum; nam ex eryſipelate putredo aut ſuppuratio malum, teſte Hippocrate *Sect. VII. Aphor.* 20. Conſpiciuntur non raro tali in caſu, veſicæ ſat magnæ, pellucidæ, flaveſcente aquâ repletæ, ex quibus vel ſponte apertis, vel chirurgi manu diſſectis, ſerum flavum, acre, & ſubviſcidum effluit.

(b) *Extrinſecus.* Unguentum Saturninum cum aqua florum ſambuci, Camphora, Croco, Spir. Vini, & ſaccharo ſaturni permixtum, calideque applicatum, tali in caſu egregium eſt.

(c) *Maſſam ſanguineam repurgandam.* Malum hoc ſæpius recurrit. Ubi purgantia ex Gummatibus, item Diaphoretica, uti Tinctura bezoardica volatilis, cum Tinctura Antimonii Tartariſata, nec non lignorum infuſa, vel etiam Martialia, commendari merentur, ipſo in paroxyſmo Antimonium Diaphoreticum, flor. ſulphuris, Nitrum Antimoniatum, Camphora, & Theriaca cœleſtis nec non aqua florum ſambuci experciſſimæ virtutis ſunt.

CAPUT XIV.

De Paralyſi, febre lenta, inappetentia, vigiliis, &c.

PRæcipuum in medendo eſt, (a) *morbum cognoſcere*, etſi non minoris ſit ponderis, arma quibus quiſpiam eſt dimicaturus, benè movere, & ad nutum conducere. Hujus civitatis Medici duo, ſex menſium ſpatio Perill. Dominum Innocentium

centium Ringherium curaverant, at quia mala, quibus vexabatur, non agnoverunt, ideò dictum Dominum non ſanârunt. (*b*) *Initium erat* catarrhus ſatis levis & curatu facillimus: huic ut occurrerent, ipſum purgant, bis ſanguinem detrahunt, potiones purgantes pluries reiterant, opiata, & conſervas propinant, decocta alterantia ad nauſeam; ſed fruſtra omnia. Ad nos confugiens brevi priſtinam ſanitatem recuperat. Ad nervorum laxitatem, & capitis obſtupeſcentiam, Aurum noſtrum Diaphoreticum dabamus cum conſerva Roſarum; & quia ventriculi languor & inſignis imbecillitas aderat, ipſi ſæpè miſcebamus Specificum Stomachicum. Ad tartarum verò, carnibus infixum ſolvendum, Aquam Hidroticam bis in die dabamus, quibus gratiſſimis priſtinæ ſaluti reſtitutus fuit.

NOTÆ

in CAPUT XIV.

(*a*) *Morbum cognoſcere.* Duo ſunt, quæ potiſſimum in illo deſiderantur, qui ſapienter & dextrè medicinam facere & ægrotantes juvare allaborat, primum, ut exactè morbi ejuſque cauſæ indolem ac originem perſpectam habeat; deinde ut medicamentum probatæ & expertæ virtutis, ac removendæ mortificæ cauſæ aptum prudenter applicet. Huc ſcopus collineat totius ſcientiæ medicæ. Prudens cenſetur judex, qui claro & ex circumſtantiarum ſerie evidenti reddito facto jus ex lege, cauſæ conformi applicare novit; ſic felix & rationalis Medicus reputandus eſt, qui ex circumſtantiis & ſignis elicitæ morborum cauſæ aptum applicat medicamentum.

(*b*) *Initium erat.* Ex levibus initiis ſæpè maximi pro-pullulant morbi, & ex male cognito & curato levi morbo lethalis quandoque ſuccedere ſolet eventus. Confirmant hæc ſequentes obſervationes. Ex punctura veſpæ circa carpum dolorem immanem & lypothymiam annotavit Hildanus. *Cent. IV. Obſerv.* 80. A tendine muſculi bicipitis ſauciato in venæ ſectione mortem ſubſecutam eſſe Author eſt idem Hildanus *Cent. IV. Obſerv.* 70. Eryſipelas pedis oleoſis tractatum in gangrænam: clavus pedis diſſectus in eandem cum Sphacelo ſæpius tranſit, quod frequenti conſtat obſervatione. Materiam Podagricam aluminoſo cataplaſmate repercuſſam lethargum induxiſſe non ita pridem notavi.

CAPUT XV.

De inaudito Carcinomatis genere in lingua.

SI quâ in re infelicem hominis ſtatum deplorare debemus, maximè in hoc conſimili recenſendo. Erat vir quidam nobilis nomine Hieronymus Fava, annos 40. natus, cui obortum erat (*a*) *exiguum ulcuſculum* in extremitate linguæ. In principio duorum Medicorum conſilium ad hoc adhibuit, qui de more ipſum purgant & repurgant, ſanguinem ter & quater detrahunt, julepos refrigerantes, lactis ſerum cum ſucco cichorii, & multa alia ipſi longo tempore porrigunt, & hæc omnia incaſſum. Ad noſtras tandem manus curandus venit. Ulcus ſtatim ter aut quater, oleo ſeu (*b*) *Balſamo Antimonii* tetigimus, ex quo tutiſſimè ulcus obliteratum fuit: duobus annis ſanitate fruitur, & poſtea recruduit ulcus, pro quo ſanando non me advocat, ſed ſeniores conſuluit, qui plures ſimul vocati conſultationem ineunt. Reiteratas purgationes, & Chinæ decoctum ad ſeſquimenſem præſcribunt: omnia infeliciter ab ipſo executioni mandantur, ulcus augetur & efferatius redditur. Forinſecùs nunc oleo vitrioli, nunc oleo ſulphuris utuntur, gargariſmata uſurpant varia, item collyrium Lanfranci, & infinita alia. Me accerſere non audet, ulcus horrendum fit, dolorificum, & fœtidum, & tandem die noċteque ejulans, miſerrimè vitæ finem impoſuit. Sub fine, nullâ ſpe exiſtente, ad eum inviſendum advocor, at tardè, in tantam enim molem linguam creviſſe comperi, ut ejus os occluderet.

Doctor Guardinus, in via *delle Lame* conſimili modo, eodemque morbo extremum diem clauſit, quamvis 30. eſſet annorum.

NOTÆ

in CAPUT XV.

(*a*) *Exiguum ulcuſculum.* Venit ad me nuper fœmina XL. annorum tota cachectica quæ conquerebatur de tumore & dolore in lingua, qui cum horrore invaſit. Valdè illa tumebat, ut ampliùs eam nec exerere vel movere intus poſſet, digito ſaltim inter vocem inconditam indicans malum. Brevi poſt in media ipſius linguæ parte apoſtema rumpebatur, pure non pauco, & ingenti cum fœtore prodeunte. Gargariſma ex emollientibus injiciebatur, nec non decocto myrrhæ, roſarum rubrarum, ſaniculæ, os eluebatur inſperſis ſimul in ulcus oculis cancri, ſic perſanata egregie eſt.

(*b*) *Balſamo antimonii.* Hujus deſcriptionem vide infra in pharmacopea. Eſt medicamentum egregiè conſolidans, & in recentibus vulneribus nec non ulceribus balſamica ſua vi inſignem præſtat opem.

CAPUT XVI.

Linguæ rarus affectus.

NOn minùs in linguæ ſtructura, quàm in aliis membris, naturæ prudentia eluceſcit; ea enim cùm ſit humanæ vitæ tantoperè neceſſaria, materiâ denſâ, firmâ, & durâ, ut ab injuriis, quibus alia membra ſunt obnoxia, ſe tutaretur, indiguiſſet; at quia ipſa variis expoſita eſt laboribus, ideò ex tenui, & facilè generabili materia fuit compoſita, ipſique fontes dicati, quorum benignâ humiditate foveretur, ut munera, quibus dicata eſt, faciliùs exequeretur. Fieri tamen non potuit, quin verſatile iſtud membrum aliquibus injuriis afficeretur, cùm iiſdem conſtet principiis, cum omnibus ſublunaribus creatis: Intemperiem, & alios leviſſimos affectus ſileo, in mentem tantùm revocare placet rarum mali genus, quod nuperrimè cuidam ſacerdoti contigit, qui inſignem linguæ craſſitiem diuturno tempore pertulit, cum fœdo colore, ſine dolore, aut quovis alio accidente. Ad hoc removendum, plures conſuluit Medicos, & totum quinquennium in medicamentis aſſumendis fruſtrà inſumpſit. Tandem cùm morbi ſævities in dies invaleſceret, & pro ſanitate, lingua pluribus (*a*) *malignis ulceribus* infeſtaretur, & per medium inſignes ſciſſuras, ad longitudinem trium digitorum perferret: huic pravo affectui curando impunè à diverſis Medicis adhibita fuerunt remedia, unde ſexcenta malorum genera. Nos curam abſolvimus unico vino hidrotico: inter prandendum aquam bibebat ex vini magmate. Contumaces morbi valida & continua expoſcunt remedia. Lingua bis in die tangebatur mumiâ minerali.

NOTÆ

in CAPUT XVI.

(*a*) *Malignis ulceribus.* Lingua ex acinis glanduloſis copioſiſſimis & eminentiis ac filamentis nerveis conſtructa eſt: Continuè madida eſt, propter copiam lymphæ ex-

ſtillantis tàm ex contextu faucium toto glanduloſo vaſiſque ſalivalibus, quàm ex ductibus ipſius linguæ lymphaticis, qui cuivis glandulæ appoſiti ſunt. Quocirca commodè ex linguæ colore ac facie in morbis ſeri ac lymphæ ſtatum cognoſcere licet, unde ejus inſpectio multum ad prognoſin neceſſaria. Cum autem tota ejus textura ſatis ſit mollis & ſpongioſa, non mirum, ſi recrementa ſalino-cauſtica bilioſa ſanguinis ibi depoſita gravia ſuſcitent ſymptomata. Ante aliquot annos Halberſtadii vir ſexagenarius robuſtus, horrore ac calore præter naturam affectus, mox ſentit inſignem tumorem ac dolorem in lingua, qui ita increvit, ut per tres dies nihil deglutire ac loqui potuerit. Applicabatur collo emplaſtrum diachylon ſimplex cum ſuccino, benzoë, ſtorace & balſamo Peruviano remixtum: Gargariſma emolliens frequentius quoque injiciebatur. Quarto die remiſerunt ſymptomata & mox convaluit. Hiſtoriam contumaciſſimi linguæ tumoris, ubi ipſa ad partem ſui dimidiam induruerat, ita ut aridi inſtar ligni immobilis in ore hæreret, & malum ſolis hirudinibus applicatis opportunè ceſſit. *Vid. Miſcell. Nat. Cur. an. VI. & VII. obſ. 9.*

CAPUT XVII.

De loquendi impotentia à ſeſquianno contracta, cum anhelitus difficultate.

CONtumaces morbos in extremo ſenio incurabiles eſſe, quotidiana docet experientia; hos tamen curare docet naturalis pietas, & ſæpe contra conſuetudinem ex graviſſimis morbis convaleſcunt. Quod in ſeptuagenaria quadam muliere mihi feliciter ſucceſſit. Nobilis itaque & optima Monialis, Soror Vincentia Bolognetta, annos ſeptuaginta nata, (*a*) *loquelam ſenſim amiſit*: principio exiſtimabat morbum eſſe levem, & propterea Medici illius cœnobii operâ tantùm indigere; at cùm per ſeſquiannum fruſtrà ab eo accepiſſet remedia, immò propter reiterata cathartica in inſignem marcorem incidiſſet, me quoque conſulendum curavit. Utrique affectui proſpiciens, duo remedii genera uſurpavi: ad marcorem, ſpecificum ſtomachicum cum conſerva roſarum dedimus; ad faucium aſperitatem, & ſiccitatem emolliendam, ol. Amygd. dulc. ſine igne, & ol. ſacchari: Quibus gratiſſimis priſtinam loquendi potentiam recuperavit. Duobus annis ab hac cura elapſis, in eundem affectum incidit, & iterum iiſdem remediis ſanata fuit.

NOTÆ in CAPUT XVII.

(*a*) *Loquelam ſenſim amiſit.* Accidit hoc, quando nervi recurrentes vel ſpaſmodicè conſtringuntur, vel ex humore quodam in cerebro collecto obſtruuntur: Raucedo oris utplurimum conjungitur, & cachecticis ac ſcorbuticis familiaris eſt. Riverius *Cent. IV. obſ.* 80. exemplum habet virginis, quæ externo aëre frigefacta graviſſima laboravit raucedine abſque tuſſi & catarrhis: Tandem è dormientis aure aquei humoris portio quædam effluxit, atque exinde iterum rectè loqui incepit, ex quo colligere licet, cumulatum & depoſitum fuiſſe quendam humorem in cerebro, qui ipſos nervos ad laryngis muſculos pergentes occupavit. Eodem modo Stalpartius *vaon der VViel. Cent.* 1. *obſ.* 27. refert de muliere, ſudore per totum corpus ſuffuſa, quæ frigidioris cereviſiæ hauſtu inſignem ſine tuſſi catarrho ve ullo raucedinem & loquelæ amiſſionem ſibi contraxit, ut vix ſonum reddere poſſet, quod diu admodum ipſi adhæſit incommodum. Tali malo ſuccurrunt potius diaphoretica, ſuccinata, nervina, decocta lignorum, &c. quàm pectoralia, dulcia, incraſſantia.

CAPUT XVIII.

De ſimili loquendi impotentia, cum inſigni anhelitûs difficultate, in muliere quadragenaria.

DUm Regii Lombard. à nonnullis accerſitus, inviſerem ægros, nobis occurrit honeſta quædam mulier; virgo adhuc, annorum quadraginta, macie incredibili confecta, quæ loquelam omninò amiſerat, anhelitum difficillimè trahens, (*a*) *menſes ad nonnullos annos* minimè viderat, unde mali origo. Ad morbi radicem exſcindendam, primis diebus ſpecificum ſtomachicum dedi, deinde croc. Metallor. cum conſ. violarum, boraginis & roſarum ad tres dies, quibus ſuaviſſimis priſtinam recuperavit ſalutem.

NOTÆ in CAPUT XVIII.

(*a*) *Menſes ad nonnullos annos.* Cauſſa hujus mali meritò deducenda eſſe videtur à copioſo ſero viſcido ex menſium reſtagnatione producto, quod nervos recurrentes & fibrillas pulmonum nerveas obſidet. Gravidis idem incommodum ſæpius accidit ob eandem rationem. Præcipuus nervorum recurrentium uſus eſt, juxta Do. Vieuſenſ. *in Neurographia pag.* 356. ut circa arteriam axillarem dextram & deſcendentem aortæ truncum velut trochleas convoluti, tracheæ annulos pro ſpiritu tum anhelando tum ſonoro reddendo, tanquam plicas follium diducant, aut ſaltim iis diducendis inſerviant. Emplaſtrum ranarum cum mercurio nobilitatum cum balſamo peruviano externè egregiè reſolvit & roborat. Ad morbi radicem exſcindendam, rectiſſimè *Dn. Author.* ordinavit ſpecificum ſtomachicum & crocum metallorum cum conſervâ violarum & borraginis.

CAPUT XIX.

De Phthiſi.

PHthiſis non ſemper incurabilis cenſenda eſt; ut plurimum tamen curatu difficilis eſt, & ubi altè jecit radices, nulla habenda eſt ſpes. Præcipuum eſt ſcire, an utrinque (*a*) *Pulmones eroſi* ſint. Nonnumquam par dextra tantùm læditur, mediaſtino illæſo, & ſiniſtrâ parte integrâ manente, tunc medicamentis ritè adhibitis ſanantur, de quibus nunc. Admodum Rev. D....... annos triginta natus, ſanguinem copioſè pluries evomuit, cui puris rejectio, & tuſſis moleſtiſſima (*b*) *lenta & habitualis febris* ſucceſſit; ad hæc marcor inſignis, & cutis aſperitas ac ariditas, omnium tandem peſſimum, alvi laxitas, & pilorum capitis defluvium. Qui primi ejus curam ſuſceperant Medici, multa, & propemodum infinita medicamentorum genera fruſtrà præſcripſerant, utpote clyſteres, purgationes, phlebotomias, ſyrupos, cucurbitulas, ſanguiſugas, cauteria, ſetones, lambitiva, rotulas, & ſexcenta alia; diætam humectantem & refrigerantem, hordeacea nempè, emulſiones ſem. melonum, juſcula refrigerantia, & ſimilia: nec pepercerant conf. violar. roſar. betonicæ; minus ceratis pro capite, unctionibus pro pectore, & innumeris aliis. Nos quum primùm advocati ſumus, ad ulcus pulmonum detergendum, dedimus (*c*) *ſulphuris balſamum*, ad quindecim dies ℨ. v. & ſyrup. pro ſingulâ doſi manè; ad febrem Antihecticum

Antihecticum in veſperis; totâ verò die tabellulas ex ſulphuris floribus, & pul. Ireos, *(d) in ore tenebat.* Victûs regimen mutavimus, *(e) vinum* & carnes concedendo, cum aliis aſſuetis, quibus optimè & perfectè convaluit; vivitque à cura ſanus & vegetus, elapſo jam decennio.

NOTÆ

in CAPUT XIX.

(a) Pulmones eroſi. Pulmones ex tenerrimis fibris membranaceis conſtant, in quibus facilè ſordes viſcidæ acres hærere, illaſque dilacerare poſſunt; unde ſcorbuticis familiares pulmonum eroſiones, eæque fiſtuloſæ ſæpius ſunt, quod omne adſcribendum ſali lymphæ cauſtico. Mirabile eſt, quod refert Panarollus *Pentecoſt.II. obſ.* 42. expectoratum ſputum ex confirmato ulcere pulmonum adeò virulentum & malignum fuiſſe, ut muſcas illud guſtantes inſtar arſenici interemerit. Præterea & hoc notabile eſt circa pulmonum ulcera, quod ſine contabeſcentia corporis, reliquis viſceribus ſalvis, per plures annos durare queant. De qua re poteſt videri Kerckringius *in ſpicilegio anatom. cb.*72. *&* Bartholin. *Cent. II. hiſt.*14. Uti enim quandoque natura vitioſa ſalina excrementa, magna cum utilitate ad certam partem amandat: Sic quoque illud nonnumquam locum habet in pulmonum ulceribus. Sic notavit exemplum Thyrmayerus *in conſiliis Lib.II. pag.*85. Quendam ex ulcere pedis ſanato factum fuiſſe phthiſicum.

(c) Lenta & habitualis febris. Fit hæc, dum à fermento ulceroſo mixtura ſanguinis in craſi & motu ſuo continuo turbatur, & motus ejus inteſtinus ſerum roſcidum valdè conſumens, plus juſto adaugetur, undè marcor, ſitis, cutis aſperitas ac ariditas, & pilorum capitis defluvium dependet.

(c) Sulphuris balſamum. Hoc ſi cum oleis deſtillatis præparatum fuerit, cautiſſimè dandum, utpote quod hecticum calorem & corporis marcorem intendit: Potius commendandum eſt temperatum, quod fit cum oleo amygdalarum dulcium, cui deinde pro re nara & circumſtantiarum ratione certa olei cujuſdam balſamici quantitas adjici poteſt. Commode tale balſamum accipitur cum lacte, quo melius humorum temperetur acrimonia.

(d) In ore tenebat. Probabile maximè videtur, aerem particulis balſamicis ſulphureis imbutum, & ſic ad pulmones inſpiratione ductum & hauſtum egregie eroſis pulmonibus conferre: Quam ob cauſam ſuffimigia & medicatum aërem attractum phthiſicis valde commendat Benedictus *in theatro tabidorum.* Phthiſicam ſolo odore aſæ fœtidæ, camphoræ, caſtorei curatam notavit D. Gehema *in obſervat.* Ex omnibus myrrham electam omnibus phthiſicis & pectore laborantibus commendo, quæ in ore detenta & ſenſim ſalivâ ſoluta, balſamicum aerem ad pulmones intro ſubeuntem efficit, & à putredine egregie defendit.

(e) Vinum. Vinum maximè nocet phthiſicis, quoniam propter acidum acrimoniam inducit, propter particulas ſpiritroſas calorem ſanguinis accendit: Si tamen ventriculus roborandus eſt, Hiſpanicum, pauca tamen in doſi, & cum gelatina cornu cervi temperatum, inter cibos concedi poteſt.

CAPUT XX.

De Phthiſi in muliere, 35. annorum.

PHthiſis eſt quædam ſpecies, in qua ſenſim ſuppurantur pulmones, cum febre hectica, tuſſi, & excretione purulenta, citra præviam ſanguinis expuitionem, aut ſaltem perexiguam. Putat Medicorum vulgus, hujuſmodi Phthiſim fieri à ferina deſtillatione à capite. Sic mihi obſervare licuit in D. Helena Jacobi Ajacis uxore, quæ annos 25. nata in phthiſim incidit: tuſſis aderat moleſtiſſima, febris hectica, difficilis reſpiratio, marcor inſignis, ſanguinem per intervalla expuebat, capilli adhuc non decidebant, neque diarrhœâ premebatur, propterea morbum non adhuc altè radices egiſſe exiſtimavi. Eum edomari poſſe ratus, *(a) antihecticum* propinare cœpi, cum ſaccharo roſaceo, bis in die, cujus medio febris propulſata fuit, & reſpiratio difficilis facilior reddita, dejectus appetitus corrigitur, & vigiliæ miteſcunt: ſic paulatim ſanitatem priſtinam recuperat. Mitto, quot medicamenta ab alio Medico impunè ſumpſerat. Antihecticum fit ex duabus partibus Jovis, & unâ parte reguli Antimonii; hæc mixta ſimul ter coquuntur in ſicca aqua hermaphroditica: hujus vires ſunt, ignem ſaturninum in ſolidis accenſum extinguere, reſpirationem difficilem juvare, & vermes enecare; alia tandem præſtat, quæ brevitatis causâ omitto.

NOTÆ

in CAPUT XX.

(a) Antihecticum. Ejus deſcriptionem vide infra in *Pharmacop.* Quod hoc medicamentum acrimoniam vitioſam ſeri egregiè temperet, vel exinde quoque conſtare poteſt, quoniam in ulceribus malignis extrinſecus inſperſum temperando fermentum corroſivum magnum habeat uſum.

CAPUT XXI.

De Phthiſi.

VEram *(a) Medici theoriam* in praxi conſiſtere, ſemper cognovimus, & hoc quotidie comprobamus, & maximè in morbis, qui requirunt artem. Phthiſis in principio cognitu difficilis videtur, maximè ubi ſanguinis expuitio non præcedit. Hanc *(b) ad ferinam deſtillationem* referunt, cujus originem ad calidius jecur, & frigidiorem ventriculum, & ad cerebri intemperiem. Multæ de terminis, à quo, & ad quem, circumferuntur nugæ; nos venarum eroſionem, & pulmonum ſuppurationem altiùs inquirimus. Scimus ſalſedinem eroſionis conjunctam eſſe cauſam, *(c) ſalſedinem non à calidiori jecore*, ſed à retento ſalſo excremento, quod cùm expurgandum eſſet à renibus, & veſica, reſiliit ad pulmones, vel ob inordinatum motum, vel ob aliam injuriam, de quo alibi. Aliquando demandatur ad pulmones, alimenti penuriâ; ſæpiſſimè *(d) aër ambiens naturâ ſalſus* pulmones replet & naturalem ſalſedinem acriorem reddit, unde venarum eroſio, & ulcus. Sunt rurſus *(e) morbi quidam* venenati, qui pulmones labefactant, & in phthiſim multos præcipitant. Ut anno trigeſimo primo, & trigeſimo ſecundo nobis obſervare licuit, ubi poſt peſtis fervorem remiſſum, complurimos phthiſi laborantes vidimus. In lue venereâ perpaucos, inter quos nobilem quendam presbyterum, annorum quadraginta, qui biennio toto in propulſanda lue venerea, quâ ipſe miſerrimè torquebatur, infinitis medicamentorum generibus defatigatus, & maximè poſt longam ligni Guajaci diætam, ſanguinis vomitu primò tentatur, cui poſtea acceſsêre tuſſis, puris ſputum, & marcor inſignis. Reſtitutus ille fuit balſamo ſulphuris, floribus dicti ſulphuris diverſimodè apparatis, *(f) cum juſculo carnium* manè cum ſalſa, China, fol. boraginis, & cap. veneris, ad menſem. Duobus annis elapſis, in eandem pthiſim incidit, domeſticum Medicum conſulit, medicamenta uſualia ipſi imperat, & cùm nihil opis ipſi tuliſſet, eum à Lamiis effaſcinatum ſuadet; unde loco Medici, Exorciſtas adire ipſi ſuadet, mulieres in eam ſententiam citiſſimè

 deveniunt

deveniunt. In his exorciſmis patrandis augetur morbus, & tandem credulus fatis cedere cogitur. Sub fine advocor, ſed infirmi, & (*g*) *parentum imbecillitatem* agnoſcens, ejus curam amplius ſuſcipere nolui. Fuit & illis temporibus ſacrificulus quidam, qui aliâ ex cauſa in phthiſim incidit. Is erat annorum XIX. (*h*) *naturâ melancholicus*, devotionibus immodicè indulgens, totâ die vigiliis, orationibus, jejuniis, & vitæ nimis ſolitariæ: derepentè ſanguinis rejectione corripitur, cui ſucceſſerunt puris rejectio, tuſſis & febris. Ejuſcemodi (*i*) *eruptionis cauſa*, erat jecoris, & lienis durities, cui proſpiciens, dedi pilulas Martiales ad ℨ. j. pro doſi, ſingulo manè ad menſem, quibus optimè convaluit. Mirum non eſt; ſi ejuſmodi affectus per medicamenta naturâ diverſa ſanentur. Sunt qui per ſaccharum roſaceum, qui decoctione ligni Guajaci, qui lacte Aſinino, Caprino, &c. de quibus Cardan. Valeriol. Zacut.

NOTÆ

in CAPUT XXI.

(*a*) *Medici theoriam.* Nullus bonus theoreticus eſt, niſi in praxi ille benè ſit verſatur: Omnes enim ſuppoſitiones & hypotheſes theoreticæ niſi fluant ex ſollicitis & attentis obſervationibus practicis veris & perpetuis morborum circumſtantiis & hiſtoriis, non in paucis, ſed numeroſis ægrotis, nullius momenti ſunt; ſemper enim in theoria & hypotheſibus de cauſis morborum ponendis prius ad practicorum exercitatorum & circumſpectorum teſtimonium & fidem reſpiciendum eſt, ut deinde ex omnibus connexis morborum circumſtantiis veritas cauſarum colligatur & ad uſum medicum dirigatur. In quo negotio cum univerſa medicæ Pathologiæ ſoliditas conſiſtat, ut ante omnia perpetuæ, individuæ ac eſſentiales morbi notæ cognoſcantur & deinde rationali collatione examinentur; hinc nullus bonus theoreticus, qui non eſt, vel fuit practicus.

(*b*) *Ad ferinam deſtillationem.* Quod veteres appellarunt defluxionem vel deſtillationem, id nihil aliud eſt, quam ſtagnatio lymphæ in partibus, ejuſque circulatio impedita, vel propter partis affectæ tonum nimis languidum & tenuem, vel propter vitium lymphæ nimis ſalſæ aut viſcidæ.

(*c*) *Salſedinem non à calidiori jecore.* Jecus per ſe non eſt calidum, vel calorem fœnerat corpori, quod ſi autem vitio laborat, vel obſtructum eſt, & ſalia bilioſa ſulphurea minus recte expurgat, quæ ſanguinem collutulant & calorem accendunt, per accidens fit cauſa caloris p. n.

(*d*) *Aër ambiens natura ſalſus.* Nullum dubium eſt, aërem ſalſugine vel acribus effluviis imbutum, cum immediatè ad ipſos pulmones ducitur, labem ipſis affricare, id quod jam ſatis ſuo damno experiuntur miſeri illi homines, qui metallorum ac mineralium effoſſioni, fuſioni, ſeparationi variæque tractationi inſerviunt. Hi ſanè ab effluviis aëris nocivis & aſthmata & pulmonum exulcerationes patiuntur. Angli propter atmoſphœram copioſis carbonum foſſilium ſalino ſulphureis repletam frequentiſſime in aſthma, tabeſcentiam, phthiſim & corporis conſumptionem incidunt.

(*e*) *Morbi quidam* Morbilli, variolæ, lues venerea, & catharri frequentiores, omneſque morbi ſalini facilem pulmonibus labem inducunt, & diſpoſitionem phthiſicam accerſunt.

(*f*) *Cum juſculo carnium.* Juſculum carnis bovinæ, in quo coctæ fuerunt herbæ, hæderæ terreſtris, veronicæ, ſcordii, marubii, ſcabioſæ, pulmonariæ, ſaniculæ, flores bellidis, urtica mortua, in diſpoſitione phthiſica & pulmonum eroſionibus plus præſtant quam magna arcana; Si ullo enim in morbo, ſanè in hoc leniter & blandè agendum eſt, omnia vehementia hic devitanda.

(*g*) *Parentum Imbecillitatem.* Phthiſis hæreditarium malum eſt, conſiſtens partim in nimia membranarum pulmonalium mollitie & laxitate, partim in acrimonia lymphæ congenitâ. Contagioſa quoque phthiſis eſſe ſolet, quæ ex ulcere pulmonum naſcitur, quandoquidem particulæ ex hoc evectæ pulmonem ſanum ſimili diatheſi inficiunt, quare maritus ſi phthiſicus eſt, facile conjux inficitur & contra. Schenckius *in obſerv.* refert, adeò contagioſa eſſe phthiſicorum confirmatorum ſputa, ut medicus ſubinde illa olfaciens factus ſit inde phthiſicus.

(*h*) *Natura melancholicus.* Frequentius phthiſis fit à viſceribus abdominis obſtructis & induratis, nullo vitio principaliter exiſtente in pulmonibus. Confirmant phthiſicorum ſectiones, ubi ſæpius viſcera indurata ac pallida, bilis lixivioſa, vel loco hujus ſerum rubrum flavedine infectum reperitur, vid. Bartholinus *Cent. I. hiſt.* 75. Anatomen phthiſici, ubi plurimæ meſenterii glandulæ piſi magnitudine, & ad magnitudinem fabarum conſpiciebantur, item veſicula fellis bile inanita erat, pulmones autem tuberculis puris ſcatentes deſcribunt *Acta Haffnienſia obſerv. XIV. ann.* 73. Secuti Mindæ Weſtphalorum phthiſicum cadaver, in quo hepar induratum cum pallore & veſiculam fellis loco bilis ſcoriis lixivioſis refertam, lienem putrefactum, & pulmones inflammatos cum empyemate inveni.

(*i*) *Eruptionis cauſa.* Hæmophthici affectus uti aliarum hæmorrhagiarum cauſa utplurimum dependet à circulatione ſanguinis impedita, dum nimirum viſcera abdominis maximè hepar, & lien vel indurata ſunt; unde ſanguinis motus æqualis impeditur, vel vaſa ſanguifera ſpaſmodicè conſtringuntur; unde ſanguis ad alias partes majori impetu ruit, orificia diſtenſione ſua aperit, & qua data porta erumpit. Quapropter in praxi rarius ſanguinis eruptiones copioſas videmus ſine viſcerum labe vel ſpaſmodica partium abdominis conſtrictione.

CAPUT XXII.

De Aſthmate.

Tanta eſt reſpirationis neceſſitas, ut eâ ſublatâ ne quidem ad momentum vivere poſſimus. Omnis reſpirandi difficultas, Aſthma appellatur: & hoc in Orthopnœam, & Dyſpnœam dividunt. (*a*) *Cauſas tradunt multiplices*, pituitam in bronchiis exundantem, eamque aliquando addenſatam, & (*b*) *in calculum verſam.* Tubercula etiam in pulmonum ſubſtantia genita. Sunt qui deſtillationes pro cauſſa antecedente incuſant: qui coacervationem dictæ materiæ, propter intemperiem partis, & alia hujuſmodi. In hoc affectu curando communem viam non ſequimur. Initio (*c*) *vomitorium cum pilulis catholicis* porrigimus: ubi vires ſunt debiles, vel in delicatulis, qui ſupernas evacuationes recuſant, ſolo ſpecifico ſtomachico utimur, quo remedii genere omnis cura tutiſſimè abſolvitur. In quibuſdam tanta eſt (*d*) *morbi ferocia*, ut à laudano incipere cogamur. Pro laudano accipe pilulam ſequentem. ℞. Croci Orient. gr. iij. opii Thebaici gr. iiij moſchi gr. j. cum guttula cujuſvis liquoris, formetur Pilula, quam capiat horâ unâ ab aſſumpta cœna. Vel accipimus Pil. cathol. gr. xij. vel xiij. opii gr. iiij. cum guttulis vini, formetur pilula, quam capiat loco cœnæ. Et hoc medicamentum non eſt neque vomitorium, neque dejectorium, pauperibus peropportunum. Sequentibus diebus elect. de croc. Martis porrigimus; ubi adſtricta eſt alvus, pilulas Martiales potiùs. Plures recenſerem, quos ſolis pilulis catholicis ſanavimus, ſed exempla patent in aliis duabus centuriis. Sunt qui multum pituitæ generant, propter malam jecoris diſpoſitionem, & hi croci Martis uſu convaleſcunt. Sunt quibus jecur, & lien induruit, cujus cauſâ deprimitur diaphragma, unde inſignis reſpirandi difficultas: illi pariter croci Martis uſu ſanantur. Sunt quibus aqua in pectore redundat, quibus pariter opitulatur croc. Martis. Quibus calculi fiunt in ductibus pulmonum, ol. ſulphuris ſuccurrit, ſicuti oxymelita compoſita, ſcillitica, &c. Ubi ſeptuagenarios adoritur, vix curabilis eſt. Inter complurimos Admodum Rev. P. in Cœnobio Gra-

tiarum

tiarum Subpriorem ſanavimus annis præteritis. Primò ad paroxyſmum, pilulas catholicas ad ℈. xiij. cum gr. iiij. laudani dabamus. Sequentibus diebus pilul. Martiales devorabat, quibus duobus perfectè convaluit. Erat ætatis 45. annorum, & cauſa erat pituita redundans in pectore. Quædam eſt reſpirandi difficultas, quæ per intervalla deambulantibus accidit; in hac fit præceps virium lapſus, propinquis tenentur niti adminiculis, aliàs humi corruerent, hi utplurimùm derepentè moriuntur: In hac ſpecie vena arterioſa in ſiniſtro cordis ventriculo diſrumpitur, & ſanguine effuſo ſpiritus vitæ illicò ſuffocantur, aliquando eſt pulpa cordis ſuppurata, aliquando quidpiam præter naturam genitum, vel tuberculum, vel calculus. Ex his nonnulli ad manus noſtras curandi venerunt, & hos ſoli prognoſtico reliquimus. Hos tamen ſi neceſſitudinis ergò curare, aut vitam in longius protrahere tenemur, hac incedimus viâ. Primò victum attenuantem & exſiccantem imperamus, à motu ſe abſtineant, & ab omnibus animi paſſionibus. Pro præſidiis, levi purgatione præmiſsâ, in ore teneant frequenter rotulas cum ebore, margarit. præp. & ſaccharo factas. Cordis regionem muniant unctione ol. ſcorpionum comp. Matth. Cryſtallos Martis capiat manè cum juſculo carnium. Rurſus ſunt alii quibus (e) *pulmones hærent coſtis*, & pariter incurabiles ſunt. Sunt quibus flaceſcunt pulmones citra ullam manifeſtam cauſam; contabeſcit ſimul univerſum corpus: hi ſolius lactis uſu, ſive capræ ſive aſinæ, perfectè ſanantur. Refert Hollerius *lib. de morb. int.* quendam aſthmate brevi periiſſe, ac in hujus diſſecto cadavere, abſceſſum repertum fuiſſe in vena arterioſa, integris pulmonibus: Quod in pluribus, nobis obſervare licuit.

NOTÆ

in CAPUT XXII.

(a) *Cauſas multiplices.* Nonnunquam mala ab hæreditate conformatio pulmonum cauſa hujus affectus eſt, ſic hæreditarium aſthma toti familiæ tradunt M. N. C. *Dec. II. ann. 6. pag.* 152. It. Foreſtus *lib.* 16. *Obſerv.* 9. Ex retrofacta ſcabie Brendel. *Conſ.* 13. ex repulſa podagra Crato *in Conſ. p.* 367. It. M. N. C. *Dec. II. ann.* 4. *p.* 112. *à menſibus ſuppreſſis* Zacutus Luſitan. *Lib. III. Med. Hiſt. II.* annotârunt, aſthmaticum affectum.

(b) *In calculum verſam.* A calculis in pulmonibus latitantibus, obſervârunt aſthma Dodonæus *Obſerv.* 23. Platerus *Lib. I. Obſerv.* 180. Rentman *lib. de calc.* Thom. Barth. *hiſt. c.* 1. Kerkring *obſ.* 27. Joh. Rhod. *cent.* 11. *obſerv.* 3. conferatur Piſon. *lib. de morb. à ſeroſa colluvie Sect.* 3. *cap* 4. *Obſerv.* 46. *miſc. nat. cur. ann.* 4. *obſ.* 11. it. *dec.* 2, *an.* 2. *obſerv.* 303. Hipp. *Sect.* 3. *Aphor.* 22.

(c) *Vomitorium cum pilulis catholicis.* In aſthmate humido ac ſtomachali it. infantili emeticum ſacra anchora eſt.

(d) *Morbi ferocia.* Quando aſthma eſt ſpaſmodicum, uti hyſtericum & hypochondriacum, anodyna cum antiſpaſmodicis mixta præſentiſſima ſunt. Membranaceæ veſiculæ pulmonum ipſorumque bronchia & ſanguifera vaſa nerveis fibrillis velut loris varie circumligata videntur, ne concidentia proprium tonum ſeu naturalem tenſionis ſtatum amittant, qui ad ipſorum nutritionem ad aëris inſpirandi & exſpirandi neceſſitatem, facilioremque ſanguinis, quo irrigantur, commeatum requiritur. Ubi autem nerveæ hujuſmodi fibrillæ ſpaſmodicis motibus corripiuntur bronchia pulmonum, utpote inordinate contracta, aërem debito modo nec inſpirant, & ſanguifera illorum vaſa inordinate quoque huc illuc contracta, laticem, quem devehunt, non exonerant, aſthma horrendum oboritur. Malam jecoris diſpoſitionem in aſthmate frequentius adeſſe certiſſimum eſt, quando ſanguinis circulatio per venam portæ & abdominis partes non æqualis & legitima eſt; unde cachectici ſemper ferè ſunt aſthmatici. Tali in caſu Martialia & omnia quæ hepatis obſtructioni opitulantur, & liberum ſanguinis circulum efficiunt, uti ſunt Martialia, & maximè Antimonium Martiale cachecticum, egregium levamen afferunt.

(e) *Pulmones hærent coſtis.* In multis ſubjectis viſuntur pulmones pleuræ adnati citra ullum reſpirationis incommodum, ita ut nonnulli hac in opinione ſint, talem ſtatum magis eſſe naturalem, quam ſi pulmones liberè pendeant, quod tamen non videtur vero ſimile.

CAPUT XXIII.

De Icteritia flava cum principio hydropis, inappetentia, ſumma virium jactura, vigiliis, &c.

MOrbus regius non rarò in hydropem deſinit. Mirantur nonnulli, cur in curandis ejuſmodi affectibus viâ tritâ non incedam. Sciant velim, nos ægrorum tantùm conſulere ſaluti. Hic affectus in nonnullis curatu eſt facillimus, in aliis difficillimus. In contumaci icteritiâ plerumque (a) *calculi in cyſti fellis* reperiuntur. Plures ejuſcemodi calculos è cadaveribus exciſos domì aſſervamus. Quidam ex his (b) *ventriculi torminibus* vexantur continuò, & poſt longos labores vitam miſerrimè terminant. Nonnulli vitam breviſſimè abſolvunt; major pars cachectica, & hydropica fit. Nonnullos ſimplici apozemate ſanavimus, uti

℞. Rad. rubeæ tinct. ℥. ij. Rad. petroſelini, apii, fœniculi, an. ℥. xv. fol. cichorii, meliſſæ, ceterach, capil. veneris, chamædryos, chamæpithyos, an. m. j. ſem. carthami contuſ. ℥. ij. ſenæ Orient. ʒ. iij. Rhabarbari el. ℥. v. cum ſaccharo fiat Apozema, de quo ad ſeptem, & novem dies, damus manè ℥. iij. pro doſi. Ubi morbus altiùs radices egit, Excell. Martis utimur, ut faciliùs vires ſuas exerat, præmittimus doſim ſalis vitrioli. Sunt quibus ineſt tanta virium imbecillitas, ut ad tutiora, & ſelectiora confugere neceſſe ſit, ut in Domino Octavio Beccatello, qui cùm ætatis ſuæ perageret annum ſupra ſexageſimum, incidit in Icteritiam flavam cum incredibili inappetentia, vigiliis, & aliis, cujus causâ duos Medicos advocat: at illi eum ad extremum vitæ deducunt, etſi pro viribus omnem moviſſent lapidem trimeſtri toto, inaniter tamen, immò infeliciter inſumpto. Advocor: cunctis ad amuſſim exploratis, ejus curam proſperè ſic incipio.

℞. (c) *Sulphuris Martialis* gr. iiij. ſpecifici ſtomachici, gr. x. cum elect. de cert. citrii cord. ʒ. j. fiat bolus, quem capiebat bis in die. Hoc unico remedio ſanus evaſit. Operatio medicamenti eſt incidere, attenuare, & roborare viſcerum intemperiem, & humorum ferociam apprimè corrigere.

NOTÆ

in CAPUT XXIII.

(a) *Calculi in ciſtide fellea.* Lapides in veſicula fellis reperiri plurimos, proſtant apud practicos hinc inde exempla. *Fabricio Hildano* monſtrati fuere lapides in veſicula fellea Coloniæ 1612, in ſeptuagenarii Comitis cadavere reperti, exciſi, quorum major drachm. xiv. minor drachm. iv. ponderavit, quamvis pondus minus videatur propter inſignem eorum magnitudinem, quod factum, quia ſpongioſi fuerunt. Hildan. *Cent. II. obſerv.* 44. *f.* 320. qui etiam illos depictos exhibet. In fœmina 63. ann. veſicam biliariam prægnantem pluribus calculis, fabæ molem excedentibus iiſque viridantibus, Carol. Piſo *Sect. II. de morb. ex ſero p.* 2. 4. *obſ.* 17. vidit. *D. Olaus Borrichius* vidit anno 1661. Leidæ in Noſocomio, ſecante *D. Sylvio* Mulierculam, in veſicula fellea pluſquam 90. calculos, magnitudine

gnitudine fabarum, ſed figurarum irregularium, tactu molles, & qui in aqua calida penè toti colliqueſcerent. vid. *Cent. III. Ep.* 85. *Barthol.* plura hac de re vid. *in Eph. nat. cur. Dec. I. ann.* 1. *obſ.* 44. Notari hoc meretur calculum felleæ ciſtis non eſſe tartareum ſalinoterreum, ſed generari ex bile glutinoſa viſcida, quod conſtat exinde, quia in aqua calida fermè tota ſolvitur. Spiritus vini rectificatus ipſi affuſus extrahit tincturam flavam amaricantem, quæ mixta cum aqua lacteum conſtituit colorem.

(*b*) *Ventriculi torminibus.* Jenæ enſifaber ante nî fallor octodecim annos ſectus miram veſiculæ biliariæ ſtructuram habebat, utpote ingens erat amplitudo & longitudo ejus, ultra 366. grana inſtar piſorum, partim & globulorum bilis coagulatæ tenebat. Per integrum vicennium dum viveret, intolerabiles patiebatur dolores, & putabat ſe habere in corpore carbones ignitos. In pertinaci ictero diriſſimi ſæpè cruciatus conjuncti ſunt, dum alvus ſimul adſtricta eſt, & bilis ſubtilior, obſtructo poro cholodocho, per poros veſiculæ facilius tranſit, & acrimonia ſua, partim & calore afficit partes contiguas. De quo legi meretur elegans *obſervatio* 47. *Cent. I.* Stalpartii *van der VViel.*

(*c*) *Sulphuris martialis.* Eſt nihil aliud quam ſpecificum Authoris antihydropicum. Mars duplicem habet ſubſtantiam, unam adſtringentem, alteram aperientem, quæ etiam commodè ab invicem certa enchryneſi ſeparari poteſt, hinc anticachecticum martiale, ſi non rite præparatum fuerit, ſeparata nimirum ſubſtantia martiali adſtringente, vix ſatisfaciet indicationi deobſtruendi. Quapropter ritè illud paratum medicamentum excellentiſſimum eſt antihydropicum & anticachecticum, quod ſi non majorem, ſaltem parem cum Dn. Authoris ſpecifico habebit efficaciam.

CAPUT XXIV.

De funeſtiſſimo dolore Oculorum.

Mirabilis oculi textura vix ullam patitur moleſtiam; & ubi in aliquam incurrit, non eſt credibile dictu, quantum doloris in homine concitet, nec quieſcit, donec eam à ſe depulerit. Quidam Tabellio nomine Antonius Mazini, annos 35. natus, tunc in via S. Iſaias, modò in Montanis propè Albergatum commorans, tribus menſibus atrociſſimum utriuſque oculi dolorem patiebatur. Toto illo tempore duorum Medicorum ope fruſtra uſus erat. Nos ad pituitam humoremve falſum foràs propulſandum, dedimus decoctum hidroticum phlegmagogum 20. diebus. Ad capitis robur conciliandum capiebat ſub veſperam ſaccharum roſaceum, cum magiſterio Lunæ, quibus duobus priſtinam ſalutem recuperavit.

Sunt nonnulli dolores Oculorum in quibus iſthæc methodus non ſervatur. Ubi enim inflammatio cauſa eſt doloris, ab ebulliente tartaro, pilulæ catholicæ primas tenent, quibus ſæpè addimus gr. iiij. (*a*) *opii* correcti, & maximè in robuſtis; & præſertim ſi à capitis gravedine malum inceperit: in delicatulis ſpecificum ſtomachicum non rarò ſufficit.

NOTÆ in CAPUT XXIV.

(*a*) *Opii.* Commodè purgantia opio immiſcentur in gravioribus doloribus ad manuductionem Rondeletii *lib.* 11. *cap.* 26, Deodati *valetudinario p.* 191. *&* Riverii *in praxi paſſim.*

CAPUT XXV.

De admirabili dolore Colico, raro & incurabili habito, cum continuis vomitibus.

Qui morborum cauſas ex falſo dogmate tradunt, non rationales & canonici Medici, ſed larvati & nudi circulatores, (*a*) *Empiricis longè pejores* habendi ſunt. Hoc frequentiſſimè nobis innoteſcit in curandis ægris, & maximè in his, qui ſolâ arte curantur. (*b*) *Coli dolor* ubique terrarum frequens eſt. Cauſas conjunctas flatus eſſe certum eſt; flatuum pituitam; pituitæ, jecoris intemperiem frigidam. Si ventriculi pariter inæqualem intemperiem addas, univerſalem morbi cognitionem habere ne diffidas. Indicationes, ex quibus medendi methodum efformant, ſi ritè perpendas, non niſi ſubtilem dicacitatem ad cathedræ pompam inventam comperies; ſed pedantiſmo ejuſmodi relicto, de raro & vix à quopiam viſo caſu dicamus.

D. Victoria, D. Nicolai de Fabris Pharmacopôlæ, propè divi Laurentii Templum, uxor, ter intra quindecim annorum ſpatium coli dolore vexata fuit, cum continuis vomitibus. Principio cùm juvenis eſſet, morbum ſex menſibus pertulit, quo tempore multorum Medicorum operâ uſa eſt. His invitis dolor perſeveravit, & in inſignem maraſmum incidit, omnia quæcunque ederet evomens; ſic ipſa miſerè vitam trahens, à Medicis tanquam incurabilis relicta eſt. Eſt enim quædam Medicorum ſpecies adeò indocta, ut ſi morbus fuerit curatu difficilis, morbum ſtatim non eſſe naturalem; ſed à Lamiis clamitent: eorum ſtultam vafritiem in præſenti detegere non eſt animus, alibi tamen Deo favente. Cùm verò minùs de ſalute cogitaret, dolor ſenſim remittitur, & ſpontè nullis adhibitis remediis convaluit, & ſana ab eo tempore vixit circiter ſex annos. Deinde (*c*) *ſecundâ vice* in eundem dolorem incidit, cum iiſdem continuis vomitibus: Doloris ferociam, ut retunderent alii Medici, pul. Eleſcoph. ipſi pluries dederunt, ol. amyd. dulc. pariter pluries, Aquam Tetucianam per multos dies, Philonum R. theriac. triferam M. & alia propè infinita; extrinſecùs fomenta, emplaſt. ſaccul. unctiones innumeras, clyſteres quoque ſine numero, & hæc omnia incaſſum; cùmque ad multos dies ſine Medicis & ſine remediis vixiſſet, ad eam inviſendam perducor. Singulis ad amuſſim expenſis; (*d*) *fæces in inteſtinis mirum in modum induratas* eſſe agnoſco, propterea longo tempore nullas ejeciſſe; eas hac de re aliquâ arte emolliendas eſſe impero: hinc Balneum cum emollientibus præſcribo, uti cum althæa, malva, parietaria, viol. branc. urſina, praſſ. alb. menth. majoran. camomill. & melilot. in vino & aqua cocta: manebat in ſemicupio ad mediam horam, paulo ante hauriens ℥. j. ol. amygd. dulc. hoc non evomebat, propter exiguam quantitatem & ventriculi inanitionem. In prandio, unica res, & pauca dabatur, ne ipſam emoveret. Serò duabus horis ante cœnam reiterabat Balneum, & paulo ante cœnam ſumebat circiter ℥. ij. vini ſequentis. ℞. fol. ſenæ ℥. v. ſaſſafras, cinnamomi, an. ʒ. ij. aniſi ʒ. xv. infunde in ℔. j. vini albi per horas duodecim, & fiat vinum. His ſolutæ ſunt fæces, & quotidie deponebat alvum. Ad ventriculi robur ſtabiliendum, gr. x. ſpecifici ſtomachici paulò poſt cibum capiebat,

cum pauco vini albi, & hac methodo probè convaluit. Quatuor, vel quinque annis exactis in eundem affectum incidit, cui ut ſuccurreret, præfatam methodum ſervat, at nihil opis; quâ de re iterum accerſitus, novum ordinem aggredior. Primâ die flor. Antim. corr. ℈. iij. exhibeo. Sequentibus diebus ſalis Martis ℈. iiij. cum conſ. roſ. Singulis quinque diebus reiterabantur dicti flores: ſic tutiſſimè ſanitati reſtituta fuit, in quò animadvertere licet, tartareum hunc affectum uno eodemque modo curari poſſe. Ab hac curâ annos quinque ſana vivit.

NOTÆ

in CAPUT XXV.

(*a*) *Empiricis longè pejorrs.* Si fateri licet, quod res eſt, nil niſi ſubtilis empiria, veris rationibus deſtituta, facundia ſaltem & ingenio tecta, hactenus inter plures medicos regnavit, qui ſapientiſſimi etiam videri volebaut. Nullus enim ferè rationalis medicus cenſendus eſt, niſi qui Phyſicus ſit, & principiorum naturalium exactam cognitionem habeat. Plurimarum in medicina ſectarum ac errorum originem ignorantiæ naturalis Philoſophiæ adſcribendam eſſe, veriſſimum eſt. Equidem non exiſtimandum, antiquiores & omnes, qui tali philoſophiâ carent, ob eleganter fideliſſimeque multa tradita negligendos penitus eſſe: Utpote ex quorum ſcriptis hiſtoriæ & morborum obſervationes, & quæ ad prognoſin pertinent, ſufficienter peti poſſunt, illis tamen anteponendos credo, qui altius & ſubtilius excolunt ipſam naturam & ejus ſtudium, in ſubſidium vocatis experimentis variis ex mechanica, anatomia & chymia deſumptis. Non tamen & hic in mera ſubtilitate ſubſiſtere, ſed & fructus inde petere, & omnia transferre ad uſum debent; unde non minus à prudentia & uſu, quàm ſcientia commendandus eſt medicus.

(*b*) *Coli dolor.* Præ aliis inteſtinis colon maximè exquiſito ſenſu gaudet propter ligamentum tendinoſum, quo cellulæ per longitudinem dicti inteſtini percurrentes conſtant.

(*c*) *Secundâ vice.* Dolor colicus ſi frequentius invadit, ſubeſt plerumque ſcorbutus vel affectio hypochondriaca; hinc ſtomachica cum carminativis mixta & ſæpius in uſum ducta, commodum inveniunt locum.

(*d*) *Fæces in inteſtinis induratas.* Fumus lithargyrii hauſtus in metallurgis contumaciſſimam cum crudeli coli dolore efficit obſtructionem alvi, ut ſitum nonnunquam contrahant excrementa. De quò latius videri poteſt Stockhuſius *in tract. de lythargyrii fumo noxio.* Conveniunt hic maximè balnea, emollientia, nec non clyſteres merè oleoſi, qui etiam in colica convulſiva præſentiſſimam ferunt opem, aliis Clyſteribus prorſus languidis & dolores magis exaſperantibus, maximè ſi ſubſiſtant & in copia injiciantur.

CAPUT XXVI.

De contumaciſſimo, & ab omnibus deplorato dolore Colico.

CONſimilem dolorem formoſa juvenis, annorum viginti, nomine Victoria de Vitalibus Comica, patiebatur: (*a*) *vomebat pariter* quidquid aſſumeret, & continuis coli doloribus cruciabatur. Toto trimeſtri duorum Medicorum operâ fruſtrâ uſa eſt: (*b*) *ſanguinem* eo tempore bis *è pedibus* detraxerunt, toties pariter è brachio, purgationibus ſemper præmiſſis, ſolitos ſyrupos mitto, julepos, decoctiones, conſervas, pilulas, theriacum, philonium, pilulas de cynogloſſo, pulverem Eleſcoph, aquas Theriacales, cinnamomum, piper integrum & pleraque alia diſcutientia. Præfatis Medicis duo alii ſuperadduntur, qui primis nihil feliciores, integrum menſem ina-

Poterii Opera.

niter inſumpſerunt, etſi priorum mutatis ordinibus, pro calidis frigida reponentes. Tandem in extremam maciem deductæ cùm ſalutis nulla ſpes ſupereſſet, ad eam perducor. Tanti morbi cauſis ad unguem explanatis, curam exordior per ſpecificum ſtomachicum. Manè ergo exhibita fuerunt ℈. xv. ex quibus robuſtior factus ventriculus cibum diutius retinere cœpit. In veſperis exhibita fuit pilula ex ℈. xij. pil. catholicarum, & gr. iiij. laudin. Sequenti die reiteratur ſpecificum ſtomachicum, & in ejus uſu perſeverat ad quindecim dies, bis in die, in quibus integram & firmiſſimam recuperat ſanitatem.

NOTÆ

in CAPUT XXVI.

(*a*) *Vomebat pariter.* Vomitus & continui cruciatus coli à dolorifico ventriculi & inteſtinorum ſpaſmo proficiſcuntur. Spaſmus ab obſtructione pororum inteſtinalium & hinc orta flatuum copia provenit: ubi enim obſtructio pororum talis, ut effluvia per illos non legitimè tranſire queant, ibi diſtenſio illarum partium naſcitur moleſta, quæ à flatibus provenire dicitur. Quare in omni colica diaphoretica cum carminativis mixta laudem merentur, uti infuſum calidum chamomillæ romanæ, hederæ terreſtris, ſpiritus volatilis oleoſus, ſpiritus de tribus carminativus *Michaëlis*, ſpiritus tartari volatilis cum ſpiritu nitri mixtus. Extrinſecè balnea ex herbis emollientibus & carminativis, quatenus obſtructiones removent & fibras tenſas & conſtrictas laxant, egregiè opitulantur.

(*b*) *Sanguinem è pedibus.* Colica varia eſt, vel humoralis, vel nephritica, convulſiva, ſcorbutica, item hæmorrhoidalis. Obſervavi talem in viro, qui ſingulo ferè menſe, patiebatur fluxum hæmorrhoidalem: quotieſcunque autem ille vel ex diætæ vel alio quodam vitio ſubſiſtebat, immani torquebatur dolore colico, quem ſpirituoſa & calida quævis nimium exaſperabant, levamen autem ſentiebat ex venæ ſectione & pulveribus præcipitantibus cum caſtoreo mixtis. Nullum dubium eſt, ſanguinem, qui ad ani extrema magno cum impetu ruebat, ibi & in meſenterio ſtagnantem copioſeque collectum, pathemata ejuſmodi ſpaſmodica excitaſſe. Colicam identidem venæ ſectione ſublatam vid. in Rivetio *Centur.* 1. *obſerv.* 44.

CAPUT XXVII.

De acerbiſſimo Abdominis dolore, matricali falsò habito, à novem menſibus patientem ſupra vires divexante.

SI quâ in re eluceſcit unquam nonnullorum ſupina ignorantia, maximè in his; quæ cùm ſint notæ, ipſis tamen obſcuræ & impoſſibiles redduntur: quod obſervare mihi contigit in Nobiliſſ. muliere, nomine D. Claricea de Leonibus, ex Nobiliſſ. ſtirpe Illuſtriſſ. de Nigro Florent: quæ anno ætatis ſuæ 35. in dolorem colicum ſenſim incidit, (*a*) *ob pituitam vitream* in inteſtinis coacervatam, hanc tartarum fæcale appellant neoterici. Propter ſtatum vidualem, & florentem ætatem, Medici, qui ejus curæ præerant, uterum incuſant, & ad uterum omnes curandi ſcopos dirigunt. Deus bone! quot matricalia remedia fruſtrâ inſumpſerint, recenſere pudet. Conſultationes ineunt pluries; ſic ludere de corio humano licet his, qui ſe mederi canonicè jactitant. Interea dolor efferatior redditus parentes impulit, ut me accerſerent. Nobilem patientem in ſacerdotum manibus invenio. Singula ab adſtantibus ſciſcitor: Medicorum fœdam & ſupinam ignorantiam agnoſco: colicum dolorem à Tartaro paroxyſmante invenio;

venio: ſanitatem ipſi polliceor, quam ſic brevi per me à Deo conſecuta eſt. Ad paroxyſmum itaque, dolorem videlicet, ipſam immaniter dilaniantem, pilulam ſequentem ipſi præſcripſimus.

℞. Pil. catholicarum gr. xvj. laudani gr. iiij. Miſce, fiat pil. j. quam primis diebus devorabat veſpere; manè verò ſpecificum ſtomachicum. Et quia tota regio viſcerum naturalium erat infirma, ad complures dies dedimus ſulphur Metall. quibus minimè nauſeabundis totalem recuperavit ſanitatem. Domeſticus ejus Medicus propriis convitiis ſanitatem talem non deſtitit lacerare, & ignaram ſuam methodum ad ſidera extollere.

NOTÆ
in CAPUT XXVII.

(*a*) *Pituitam vitream.* Salmuthus *Cent V. obſ.* 78. vidit in Italo quodam Colico conſumto diſſectoque totum colon pituitâ obductum, relicto ſaltem foramine digiti craſſitie. Sennertus *lib.* 3. *Prax. de Clariſſ. Lipſio* refert: Hunc ſcilicet aliquando materiam adeo lentam & tenacem, paulatim in toto inteſtinali fiſtula à vita ſedentaria ac in ſtudiis contabeſcente coacervatam, ejuſque figuram remittentem per alvum rejeciſſe, ut ſe omnia inteſtina effudiſſe putâret.

CAPUT XXVIII.

De dolore Ventriculi à longo tempore contracto, cui ſævus & atrox colicus ſuccedit.

PErilluſtris D. Aloyſius Mozarellus, nobilis Ferrarienſis, annos 27. natus, optimi temperamenti, ab octo, vel novem menſibus permoleſtum ventriculi dolorem patiebatur, qui cùm quotidie invaleſceret, ad manus noſtras curandus venit. Antequam verò ejus curam ſeriò aggrederer, ipſi obortus eſt atrociſſimus dolor colicus, cui ſucceſſit horrendus vomitus, & inſignis alvi ſtypticitas. Ad ſaburram tartaream, ſeu pituitam excrementitiam, in prima regione conſiſtentem, exiguam quantitatem (*a*) *ſalis vitrioli* exhibuimus, cujus beneficio multum pituitæ per os ejecit. Cùm verò per alvum nihil depoſuiſſet, non deerant qui ſuaderent, ut aſſumeret medicamentum ſcammoniatum; Nos contrà, nam ubi adeſt jecoris intemperies, ſeu prava conſtitutio, ſcimus ſcammoniatis nihil eſſe deterius. Quapropter non tam Gal. authoritate, 9. & 11. *methodi*, quàm propriâ experientiâ freti, roborantibus, incidentibus, & attenuantibus uti maluimus, quàm purgantibus, & laxantibus: etenim certò ſcio, ipſum (*b*) *in pejus ruiturum fuiſſe*, ſi talia aſſumpſiſſet. Nec raro obſervavimus, inde exortos fuiſſe volvulos, hydropes, & ſimiles affectus incurabiles. Loco igitur ejuſcemodi medicamentorum, hoc accepimus.

℞. Auri diaphoretici gr. iij. ſpecifici ſtomachici gr. xx. cum conſ. cyoon. fiat bolus. Primâ doſi dolor mitior factus eſt valdè; ſecundâ, is in totum ſublatus fuit; tertiâ & quartâ, confirmatus, & priſtinæ ſaluti reſtitutus. Medicamentum eſt gratiſſimum, famelicos ſpiritus reſtaurat benigna ſua præſentiâ, & mordaces fervidoſque vapores mitigat, retundit, & fugat. Verùm ſtupent omnes, quomodo hæc peragam citra fæcum ſubductionem: ſtercorarios Medicos ejuſcemodi nunc noſtra reſponſione indignos cenſemus.

NOTÆ
in CAPUT XXVIII.

(*a*) *Salis vitrioli.* Hoc ex capite mortui vitrioli elicitur, ad drachmam unam, ſi vitriolum martiale fuerit, ſi venereum, ad ſcrupulum unum propinatum, vomitus in inſtanti parit, & pituitam viſcidam educit, magna in copia. Ut adeſt vitriolatorum emeticorum uſus non prorſus contemnendus ſit, quippe quæ, ubi vitrea pituita ventriculus obſeſſus & robuſtior natura eſt, longe efficacius & præſentius operantur, quam Antimonialia De horum egregio uſu fuſius videri poſſunt Angelus Sala, Chriſtianus Langius *in Miſcell. N. C.*

(*b.*) *In pejus ruiturum.* Purgantia præprimis draſtica & acriora graviſſimos morbos excitare & augere, præpoſterè ſi adhibeantur, poſſunt. Crudelem dolorem colicum exinde ortum Author eſt Foreſtus *Lib. XXI. Obſ.* 13. it. Bartholin. *Hiſt. Anat. Cent. IV. Obſ.* 23. Maximè autem hydropem & abdominis tumores augere ſolent incautius adhibita. Agunt enim illa ipſa ſpaſmodica fibrillarum inteſtinalium conſtrictione, unde pori & tubuli vaſorum lymphaticorum magis clauduntur, & libera circulatio lymphæ per abdominis viſcera ſic impeditur, unde tumores incrementum accipiunt.

CAPUT XXIX.

De dolore Abdominis inveterato, Uterino habito, cum inſigni Ventriculi imbecillitate.

QUi morbus ex arte curandos ſuſcipit, eos primo cognoſcere neceſſe eſt: atqui ut morbum cognoſcamus, partem, cui inſidet ipſe, perveſtigare convenit; At ubi in eodem loco, in abdomine videlicet, plures ſunt partes, doloris ſitu ipſam diſtinguere non eſt facilè; ab actione læſa, pariter difficilè; à retentis non minùs. Totius ventris actio ſic læditur: aderat vomitus, alvi adſtrictio, menſes valdè diminuti, urinæ craſſæ & ſubrubræ, unde (*a*) *jecur*, & per conſequens omnes partes naturales, laborare, verò ſimile erat, quæ loco ſanguinis, cùm multum pituitæ generarent, eamque ad inteſtina detruderent, ibi flatus, à quibus dolores.

NOTÆ
in CAPUT XXIX.

(*a*) *Jecur.* Vomitus, alvi adſtrictio, menſes valdè diminuti, urinæ craſſæ & rubræ, pathemata hypochondriaca ſunt, quæ non ſemper ab obſtructione glandularum meſeraicarum dependent, ſed latet potius vitium in viſceribus ſanguinis & lymphæ depurationi inſervientibus. Horum tubuli excretorii ſi obſtructi ſunt, non tantum ſanguis craſſus & viſcidus, verum etiam impurus generatur, & circulatio ejus æqualis ac libera impeditur, unde conſueta ſymptomata hypochondriaca propullulant, quibus removendis *Dn. Author.* prudenter ponit pilulas Martiales & ſpecificum ſtomachicum.

CAPUT XXX.

De dolore Ventriculi, poſt cibum, in ſene 66. annorum.

DUm hæc typis mandare decreveram, occurrit nobis Reverendiſſ. Abb. D. Salvatoris, annorum ſexaginta ſex, curandus: is à multo tempore (*a*) *ingentem ventriculi dolorem* patiebatur, cui occurrendo, multa uſualia toto illo tempore inutiliter

inutiliter aſſumpſerat. Medici qui eum curabant, hunc affectum, non minùs ignoranter quàm audacter, incurabilem eſſe pronunciabant, Hypochondiaci nomine ipſum falsò deſignantes. Nos tanti doloris cauſam, eſſe flatus ab imbecillo calore ortos, judicavimus. Durabat is dolor duabus, aut tribus horis à prandio uſque ad ſequentem diem. Tantam Medicorum ignorantiam demiratus, ut qui fractis viribus cathartica imponere audent, & totam curam in evacuationibus reponunt: inſuper de immodico calore jecoris bonum ſenem incuſantes. Nos qui expultricem fractam, & debilem in ſenibus probè cognoſcimus, excrementum tartareum in ventriculo, & inteſtinis coquere, atterere, & expellere curavimus, idque duobus ſpecificis, ſpecifico videlicet ſtomachico, & pilulis Martialibus. Ad doloris vehementiam cito retundendam, Pilulam ſequentem porrigebamus.

Rec. Ambaris griſei gr. ij. Moſchi, croci orient. an. gr. j. Opii Thebaici gr. iiij. Miſce, fiat pil. una. Pilularum Martialium deſcriptio habetur in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica*, *cap. de Pilulis*. Medicus, qui novit Tartari naturam, non rixatur circa quæſtiunculas de calore & frigore; ſed altiora & certiora contemplatur. Uni tandem ſpecifico cura tota committitur.

NOTÆ

in CAPUT XXX.

(*a*) *Ingentem ventriculi dolorem.* Producitur dolor in ventriculo maximè à flatibus, qui ſi pori tunicarum ventriculi obſtructi ſunt, gravius infeſtant, & orificia ejus nervea & exquiſiti ſenſus lancinant & vellicant; Quo caſu Elixiria balſamica, eſſentiæ carminativæ cum pauxillo caſtorei & opii mixta conferunt. Nonnunquam etiam à nimis corroſivo acido liquore gaſtrico in melancholicis & hypochondriacis dolor intenſus exſurgit, qui poſt coctionem peractam præcipuè invadit, ubi acidum ſaturantia & imbibentia commodum locum inveniunt.

CAPUT XXXI.

De dolore ventriculi.

QUidam Monachus Sacriſta Rever. P. Cæleſtinorum, annos 35. natus, inſignem ventriculi dolorem à nonnullis menſibus patiebatur, cui nihil profuerant pilulæ de hiera, maſtichinæ, pulveres digeſtivi, ſyrup. de abſinthio, aquæ Tetucianæ; &c. Extrà fotus, litus, olea, unguenta; & cerata. Tandem uſu (*a*) *decocti ligni ſaſſafras*, ad 20. dies convaluit.

NOTÆ

in CAPUT XXXI.

(*a*) *Decocti ſaſſafras.* Uti dolor colicus ſic quoque ventriculi ex obſtructis poris maximam partem dependet, quare quæ ſudorem movent, uti ſunt decocta lignorum calidiſſimè hauſta, plus præſtant, quam alia remedia. Hanc ob cauſam quoque in Colica flatulenta Clyſteres, quibus diaphoretica & ſpirituoſa immixta ſunt, ſolamen præ ceteris afferunt præſtantiſſimum. Vide Solenander *Conſil. XXVIII. Sect. III.*

CAPUT XXXII.

De dolore ventriculi acerbo, Tacamahaca ſanato.

PLurimos recenſere poſſem, qui ſolo (*a*) *cerato* ex Gummatibus Tacamahaca convaluerunt ex acerbiſſimis ventriculi doloribus. Extendatur Gum. ferro, vel piſtillo, vel alio calido ſuper alutam. Velut idem Gum. frequentiſſimè uſurpamus adverſus vagos membrorum dolores: Caragna tamen magis eſt efficax. Utrumque ex India ad nos convehitur. Pix noſtra, quam navalem dicunt, iſtis non eſt inferior; at exotica majoris ſemper habentur.

NOTÆ

in CAPUT XXXII.

(*a*) *Cerato.* Emplaſtra ſtomachica ex Gummatibus, reſinis, balſamicis, & oleis aromaticis parata, ac regioni ventriculi applicata, roborare dicuntur ventriculum; quatenus effluviis balſamicis ſulphureis fibras nimis laxas erigunt, & particulas viſcidas obſtruentes reſolvunt & diſſipant.

CAPUT XXXIII.

De Aſcite, duplici quartana, lienteria, &c.

HYdrops longis morbis ſuccedens ſemper lethalis, maximè ubi plurimis ſymptomatibus ſtipatur. Superioribus annis, juvenem 30. annorum Venetiis curavimus ex hydrope, duplici quartana ſuccedente, cui aderant ſitis ingens, mira inappetentia, vigiliæ permoleſtæ; & diarrhœa. (*a*) *Quartana* per duos dies vehementer excruciabat patientem, frigore, & calore. Hæc verò quartana præterito anno Patavii illum invaſerat, & ibi doctiſſimorum Medicorum conſilio uſus eſt totâ hyeme; at reluctante febre, novus emerſit morbus, Hydrops videlicet, cui ſe junxit diarrhœa: Tunc Venetias in propriam domum ſe tranſtulit, ubi iterum duorum Medicorum conſilio utitur, nec propterea rediit deſiderata ſalus. Eò advocor. Ægri ſtatum conclamatum etſi exiſtimarem, aurum Diaphoreticum tamen ipſi exhibeo, ex quo intra quatuor dies inappetentia, & vigiliæ corriguntur; perſeverat ad nonnullos dies, unde febris miteſcit, detumeſcit venter, & ſingula ſymptomata evaneſcunt. In hoc affectu mirum fuit, quomodo (*b*) *longiſſima*, dura, & tenuia corpora, tanquam inteſtinorum particulas ex arte conciſas, excreverint, lumbricorum pelles arbitrabamur, at capitis & caudæ nullum veſtigium, durities major, & longitudo, lumbricis longè prolixior. In hoc caſu multa dicerem de malâ hominum natura; nî ſupremo numine monitus eſſem, qui pluit ſuper juſtos & injuſtos; & omnibus æqualiter benefacit. Quartana febris Medicorum opprobrium meritò cenſetur. Ecquid quæſo notus eſt morbus? Ejus cauſa in atra bile dicitur conſiſtere, quidni ipsâ purgatâ, & tot tantiſque contrariis ad officium redactâ; non ceſſat febris? Medendi methodum nobis toties inculcant, indicationes; quibus ab empiricis ſe diſcrepare jactitant, ad ſidera extollunt: & ubi de minimo morbo curando agitur, imbecilles ſunt, & nullius momenti, & tanquam aſini ad lyram, quid agant planè ignorant.

NOTÆ

in CAPUT XXXIII.

(a) *Quartana.* Nullus morborum naturâ ſua tam lentus & contumax eſt, quam febris quartana, quæ etiam multorum ſæculorum decurſu, in ludibrium tranſiit medentium. Notârunt antiquiores; plures in annos ipſos protractas, modo triſti, modo felici eventu: *Joſ. Rhodius Cent. I. Obſ.* 14. Gabelchoferus *Cent. VI. Obſ.* 47. Marcellus Donatus *Hiſtoria Medica cap.* 14. Nos autem hodierno tempore, per Dei beneficium, altius in cauſas morborum penetrantes, & præſentioribus remediis inſtructi præ veteribus, etiam deſperatis ac rebellibus morbis, medendi gloriam nobis vindicamus.

(b) *Longiſſima.* In Febre hâc craſſities humorum ad aciditatem vergens maximè delinquit. Præter alia confirmant hoc, ſuppreſſio ſudoris, cutis ſicca, arida, item facilis quartanæ tranſitus in melancholiam hypochondriacam, hydropem, icterum nigrum. In diſſectis cadaveribus quartanariorum ſanguinem craſſum, lentum, corporaque alba reperiiſſe, teſtatur Schenckius *in obſervationibus.*

CAPUT XXXIV.

De Hydrope Aſcite, febre lenta, macie incredibili, duabus fiſtulis in Crure dextro, &c.

ANno 1627. menſe Novembri, Bononiâ Mediolanum accitus, ut Illuſtriſſ. D. D. Joannem de Corduba inviſerem, D. D. ad extremum vitæ deveniſſe comperio. Hac de re potiùs de receſſu, quàm de ejus cura cogitabam: At in ejus domicilio duos Medicos invenio, qui enixè me rogant, ut ſaltem in ejùs gratiam, & illorum benevolentiam, aliquid dicere vellem. Deliberato, ſequenti die nos ſimul eſſe conſulturos, ſubſtiti. Primo loco dicens retulit, quomodo ſeptennio elapſo, fœdam luem veneream contraherat, & quomodo à complurimis Medicis curatus fuiſſet; tandem in coxa obortum eſſe apoſtema, cui fiſtulæ duæ relictæ erant. Cauſas morbi, indicationes, prognoſim & therapeiam expendens, ſocio cuncta amplificanda reliquit. Is longâ & nimis prolixâ oratione, morbum ſuâ naturâ incurabilem, pronuntiat; omnem moviſſe lapidem, ut opportuna inveniret remedia; nihil ex arte reliquiſſe, huc uſque canonicè curatum; morbum à ſuperis, non humanum, ſed divinum expoſcere auxilium. Singulis hinc inde auditis, omnia (ut moris eſt) laudo, doctrinam, prudentiam: & ſolertiam propriis extollo encomiis: viam tamen intactam adhuc ſupereſſe, quâ complurimos conclamatos è faucibus Orci eripui, & hanc legitimam, & planè canonicam cenſeri, nec obſtare, ſi ſcholis inviſam, & vulgò Medicorum ignotam. Docebam inſuper communem medendi methodum vanam, & irritam eſſe. Nullum eſſe purgantibus locum. Alterantia, aperientia, incidentia, & attenuantia, huc uſque fruſtrà adhibita fuiſſe. Chirurgica omnino contraria, vires ne quidem minimam Chirurgicam operationem ſufferre poſſe; ſed ſeligendum aliquod medicamenti genus, quod Solis inſtar, Microcoſmi exhauriat aquas. Tale commemorare Paracelſum, *ſub fine ſexti Tomi operum ſuorum*, at pauciſſimis notum, atque id ipſum cum pleriſque aliis ex arte occultâſſe, atque ad ipſum revelandum proprium ejus genium requiri. Nos tamen poſt diuturnos labores longamque contemplationem, quidpiam ſimile inveniſſe; unde ægri corpuſculum calore deſtitùtum ejuſmodi remedio concalefieri, & ad meliorem conditionem reduci poſſit, ſenſim poſtea aquas inſenſibiliter exhauriri, ſemper roborando, citra ullam manifeſtam operationem, & meritò medicamentum hoc Soli macrocoſmi æquiparari, qui è terris omnem abſumit humiditatem, benigno & vivifico ſuo calore. Ægre tamen ferebam, tam pretioſum medicamentum in ancipiti, & deplorato caſu profanare, at tam longum iter emenſo indecorum erat, aſymbolum veniſſe. Quâ de re concordes, ipſi porrigimus antedictum præſidium, quater in die, in cochleari argenteo, cujus ope ſenſim recuperat vires, appetitum, ſomnum, & ad omnia meliùs ſe habet, detumeſcit venter, & intra ſeſquimenſem penitus convaluit. Medicamentum erat (a) *Sulphur. metallor. quod alibi Aurum diaphoreticum, quod ex auro fiat potiſſimùm.*

NOTÆ

in CAPUT XXXIV.

(a) *Sulphur metallorum.* Medicamenta metallica heroïca, quale eſt ſulphur metallorum & aurum Diaphoreticum *Dn. Authoris*, in morbis magnis ritè adhibita nonnunquam præſtant miracula. Quid *Paracelſus*, *Helmontius*, *Knæpffelius* mercurio ſuo diaphoretico effecerint, in foro medico notiſſimum eſt. Edidit nuper *Praxin Medicam Italus quidam* Lucas Tozzi *in quâ pag.* 359. tale deſcribit remedium mercuriale: Febribus ferè omnibus prodeſt mercurius fixus, qui vomitum non movet, nec dejectionem, niſi cum catharticis jungatur, illamque blandam nimis & moderatam, color rubet, ut coralliorum pulverem æmuletur, comminuitur in pollinem, & inſtar cinnabaris tingit, igni reſiſtit, neque à lixivio reviviſcit aut permutatur, levis eſt, nec temporis diuturnitate, quicquam aut virtute aut mole diminuitur. Mirabiliter autem operatur in doſi 3. aut 4. granorum cum aliquo electuario commiſtus. Luem etiam veneream quamvis diuturnam & inveteratam doloribus articularibus, ulceribus, tumoribus cæteriſque ſymptomatibus comitatam, brevi depellit & curat, nec unquam memini ſeptiès ejus doſin repetiiſſe, quin certò morbum hunc funditus debellaverit.

CAPUT XXXV.

De Cachexia, & Leucophlegmatia, poſt inſignem Hæmorrhagiam.

INcurabilem, & penitùs deploratum Hydropem, Hæmorrhagiæ ſuccedentem, quotidie experimur: nam (a) *in magno ſanguinis effluvio*, fit maxima caloris, & ſpirituum jactura; quemadmodum prava ſuccorum concoctio, à qua phlegma & aqua. Sic contigit Doctiſſ. & optimo viro, Admodum Rev. P. Roſſano, tunc collegii Bonon. P. Jeſuit. Rectori, qui poſt longam, & continuam ſanguinis fluxionem, in Leucophlegmatiam inciderat, pedes, & tibias inſigniter tumentes habens, cum inſigni ventriculi imbecillitate; unde inappetentia, ſitis, &c. (b) *Ad hæmorrhagiam firmandam* coral. Tinct. ſaccharo roſaceo miſcebamus. Ad ventriculi, & aliarum partium naturalium robur conciliandum, ſpecifico noſtro ſtomachico, cum conſ. roſar. contenti fuimus, quibus gratiſſimis priſtinam recuperavit ſanitatem. Videant interim, ſi ſciant, illi, qui ſe jactitant canonicè mederi, num cura hæc tuta, vera, & legitima ſit. Quid ſi medicamenta hæc ipſis non ſint nota, an propterea non ſunt canonica? Ejuſcemodi Ariſtarchis conſulerem potiùs, ut natu-

iæ miraculis ſedulò operam darent, quàm inani, & infrugifero ſuo cachinno. Sæpiſſimè demiror, quomodo ad ſidera eorum pedantiſmus ab his, qui docti habentur, extollatur. Scio, quantum apud mortales valeat exterior apparatus. Pauci ſunt, qui docti ſunt. Non in verborum ſtrepitu, ſed in factis, vera ſapientia reſidet.

NOTÆ in CAPUT XXXV.

(*a*) *In magno ſanguinis effluvio.* Cachectici facilè incidunt in hæmorrhagias, quandoquidem hæ ex vitio & obſtructione alicujus viſceris maximè hepatis eveniunt. Notanter ſcribit Heurnius *in Notis ad Aphor. Hipp. pag.* 193. quibus facies viridi colore eſt ſuffuſa, ex hepate laborant: & ſignum eſt jam jam adfuturi hydropis, frequens in his cruoris per nares effuſio. Vidi tales cum à vini liberaliori uſu æſtuarent, & in hæmorrhagiam ſæpiùs traherentur, tandem ictericos evaſiſſe, mox in hydropem id malum abiiſſe calamitoſum. Sanguis enim in motum adactus, cum liberè propter obſtructa vaſa tranſire nequeat, in alia vaſa irrumpens illa nimium diſtendit & aperit. Copioſè autem cruore effuſo, omnes motus & actiones vitales languidiores fiunt, & ſanguificatio læditur, & multi crudi ſucci in venis, loco ſanguinis remanent, qui calorem præternaturalem accendunt, pariter etiam ad obſtructiones ulteriores fores pandunt.

(*b*) *Ad hæmorrhagiam firmandam.* Adſtringentia in hæmorrhagia maximè ea, quæ ab obſtructione viſceris alicujus depender, malum reddunt deterius, hinc cane pejus & angue fugienda: magis aperientia mixta cum nitroſis locum habere poſſunt, uti eſt Antimonium Martiale cachecticum cum duplicato mixtum.

CAPUT XXXVI.

De Hydrope Aſcite cum Anaſarca.

DOminus Paulus à Portu, annos 45. natus, Ravennâ ad nos Bononiam curandus venit. Is à quinque menſibus primò Anaſarcâ, poſtea Aſcite laborabat, cui ut ſuppetias ferrent Ravennâtes Medici, nihil intactum reliquerunt. Ad hunc deploratum affectum, Sulphure Metall. uſi ſumus 20. dierum ſpatio, cujus medio in totum detumuit, & priſtinam ſanitatem recuperavit. Ut verò dictum medicamentum faciliùs (*a*) *vires ſuas exereret*, in principio, ter dedimus pilulas Catholicas ad ℈. xxij. alternativis diebus. Ejuſmodi Hydropem ſenſim contraxerat, nullo alio prægreſſo morbo, (*b*) *obſtructis* fortaſſe primò *venis Jecoris.* Is erat fuſci, & terreſtris coloris, in facie, urinæ paucæ & rubræ, cum ſiti, maxima inappetentia, vigiliis, ſumma laſſitudine, & inſigni alvi adſtrictione. Cauſæ iſtius affectus tam intrinſecæ, quàm extrinſecæ multiplices ſunt. Quas vulgus Medicorum affert, ſatis probare non poſſum. Quicquid velint dicere de intemperie jecoris, nimis univerſalis eſt hæc, & ut alibi dicemus, caret fundamento: magis particularis danda, quare videlicet ſanguinis ſerum ſatis à renibus haud proliciatur; & quare reſudans per meatus, ſenſim intra abdominis membranas ſe inſinuet. Chymicorum placita ſtudio brevitatis omitto. Interea placet juniores commonefacere, purgationes, quas in his caſibus ſolent uſurpare, non modò eſſe irritas, verùm utplurimùm (*c*) *augere morbum*, quod quotidie experimur maximo ægrorum damno. Nonnullos eſſe incurabiles non diffido, ſed hi tantùm, ubi adeſt ſubſtantiæ corruptio.

NOTÆ in CAPUT XXXVI.

(*a*) *Vires ſuas exereret.* Martialia ritè præparata & applicata, ſi ullum remedium, mirabilem opem præſtant. Notanda autem circa illorum uſum hæc ſunt: 1) ut ventriculi & inteſtinorum regionem liberam ab excrementis inveniant, quod commodè efficitur lenioribus rhabarbarinis & ſalinis deterſivis, 2) Ut motus imperetur poſt illorum uſum & accuratum regimen inſtituatur. 3) Ut ſufficiens tempus ejus uſus continuetur.

(*b*) *Obſtructis venis jecoris.* In hydrope ſæpius peccat hepar, quoniam illud propter inſigne vas venoſum portæ diſpenſat motum ſanguinis, nec non ipſius lymphæ, propter copiam vaſorum lymphaticorum ibi exiſtentium, quare tubulis ejus obſtructis, vel tono ejus deſtructo, ſanguinis circulatio per meſenterium non ritè ſe habet, unde lympha facile ſecedit, vaſa lymphatica diſtendit & tandem rumpit. In hydropicæ cadavere obſervata varia, inter quæ hepatis glandulas admodum tumefactas vide in Ruyſchio *Obſ.* 45. It. in hydropicæ cadavere hepar male affectum, & veſicam felleam calculo ſcatentem vide apud *eundem Authorem Obſ* 86. 87.

(*c*) *Augere morbum.* In valentiorum hydragogorum uſu ſemper maxima ventriculi habenda eſt ratio: majori enim ex parte tonum illius labefactant, ſi frequentius, ut à multis ſolet, exhibeantur, niſique ab illorum exhibitione ventriculi habeatur ratio, imminutâ aquâ flatus augebuntur, & deterior ſpecies hydropis & curatu difficilior inducetur, vide Septalii *animadverſ. med. p.* 237. Præſtat autem evacuata primum parte materiæ per ſeceſſum viſcera roborare & ſufficienter aperire, deinde purgantia adminiſtrare.

CAPUT XXXVII.

De Cachexia, cum aſcite incipiente, & febre lentâ.

OPtima valetudo, quâ nonnulli meorum amicorum fruuntur, mihi in mentem revocat curam, ferè jam è memoria elapſam, quâ multis exactis annis ſublevatus fuit Chariſſ. D. meus, D. Carolus Beccatellus, tunc fortè trigeſimum ætatis ſuæ annum agens. Is in Cachexiam, & principium Aſcitis inciderat, cum graviſſimis ventris doloribus. Duorum, vel trium menſium ſpatio, alterius Medici operâ uſus erat. Verùm cùm eſſet multitudine remediorum fractus, ad me, tanquam ad extremum Aſylum, confugit. Ad tot mala unico ictu jugulanda, (*a*) *ſulphur metall.* dedimus, cum conſerva roſar. bis in die. Hoc pretioſum, & nobiliſſimum medicamentum vias omnes obſtructas reſerat; non calore (ut falsò poſſent arbitrari pſeudomedici) ſed reſtaurando naturam, refocillatis famelicis ſpiritibus: quâ viâ, quâ methodo infinitos propè è cymba Charontis eduximus. Sanis non minùs conducit. Corpus ab omni materia tartarea præſervat: omne humidum ſuperfluum inſenſibiliter abſumit: catharros, ſeu quasvis fluxiones ſiſtit; & mira alia præſtat, de quo alibi. Præparandi formulam à Paracelſ. traditam *ſub fine ſexti Tomi*, ænigmaticam eſſe ſatis patet: quod feciſſe conſtat, ne Sanctum daret Canibus. Nec eſt quòd clamitent æmuli: non omnibus datum eſt adire Corinthum; virtutem enim poſuêre Dii ſudore parandam.

NOTÆ in CAPUT XXXVII.

(*a*) *Sulphur metallorum.* Præter hoc remedium tantopere ab *Authore* celebratum merito magnificandæ ſunt pi-

lulæ

lulæ *Becheriana*, quæ meatus obſtructos aperiendo & ſanguinem fluidum reddendo, nec non viſcerum tonum roborando in chronicorum morborum cura magna præſtare poſſunt. Præter has & commendari merentur extractum florum bellidos, abſynthii, cent. minoris, Vincetoxici, marrubii, reſina ligni Guajaci, flores Sulphuris, benzoes, crocus martis aperitivus, ſal abſinthii, radix ari, extractum rhabarbari: quæ cuncta in formam pilularem commodè rediguntur.

CAPUT XXXVIII.

De Hydrope in ſene.

HYdropem pluries commemoravimus in juvenibus, & ætate conſiſtentibus, non ſine labore fieri ſanabilem; in ſene rariſſimè, nec citra maximam difficultatem curari, & eò magis, quòd ut plurimùm à pulmonibus originem ducit; unde non niſi coactus, conſimilium ægrotantium curam aggredior. Cùm verò Bononiâ Parmam advocatus fuiſſem, ad curam Illuſtriſſ. Comitis Fortunati de Caſis, annorum 67. Arcis Parmæ Gubernatoris, recuſare non potui, quin ejus curam ſuſceperim. Etenim Parmam deductus, labore & moleſtiâ inſigni, cùm tunc urgeret hyems, & itineri tunc me committere non auderem, precibus tamen adductus, factum eſt, ut lecticam conſcenderem, Parmam contendens, ibique ad palatum dicti ægri perductus, nobilem patientem invenio in extremis conſtitutum, à Medicis omnino conclamatum, & ſolis ſacerdotibus derelictum, ex quorum manibus ſacram, & extremam unctionem recipit, ſacra ſynaxi pro viatico, præmiſsâ, de funere potiùs, quàm de Medico cogitans. Lachrymas, & patientem vix loquentem invenio, quocirca de receſſu potius, quàm de medicinâ faciendâ ſtatuo. Parentes tamen, & amici me enixè obſecrant, ne patientis opinionem de me conceptam eludere velim. Ego qui crudele nimis exiſtimo, impium, & omnino inhumanum, homini etſi morienti auxilium non ferre; ideò ſemimortuo patienti aliquot grana ſulphuris metall. porrigo, cum vino, in cochleari argenteo, à quo meliùs reſpirare cœpit. Manè ſequenti totidem grana reiterantur; tunc & dormire, & quieſcere potuit. Ad octo dies perſeverat, & ecce ſurgit è lecto, detumuit corpus, & ſanus omninò videtur, per civitatem diſcurrit. A morte reſurrexiſſe fatentur omnes; & cùm quatuor menſibus eo in ſtatu perſtitiſſet, & ſolitariis vacaret negotiis, derepentè inexſpectata mors eum invaſit. Nos qui Bononiæ morabamur, præſentes mortis cauſam explorare non potuimus: (a) *alicujus viſceris corruptionem* extitiſſe conjicimus.

NOTÆ

in CAPUT XXXVIII.

(a) *Alicujus viſceris corruptionem.* In juvenibus, & ubi viſcera ſalva ſunt, & hydrops ex ſuppreſſa quadam conſueta evacuatione ſubnaſcitur, malum non adeò calamitoſum exiſtit, ſed roborantibus extractis herbarum & radicum, martialibus, ſalibus lixivioſis & debito hydragogorum uſu feliciſſimè debellatur. Tali in caſu etiam paracenteſis opem ferre poteſt, cujus adminiſtratio in illis, cujus viſcera ſunt corrupta, magis mortem accelerat. Frequenti conſtat obſervatione, in hydropicis naturam per ſe quaſi talem evacuationem fieri ſuperfluè tentaſſe maximo cum emolumento. Vid. Hildan. *obſ.* 47. it. 49. it. *Decur. II. Miſc. nat. cur. ann.* 1. *pag.* 187. it. *ann.* 8. *p.* 182. De hac re meretur legi Peptalius *in annotationibus pag.* 239 Qui ita ſcribit: duos hydrope laborantes ſanatos vidimus, veſicis in cruribus per ſe excitatis & diſruptis, multa aqua per eam partem evacuata, exhibitis poſtea multis hepar roborantibus.

CAPUT XXXIX.

De Leucophlegmatia.

LEucophlegmatia, quam Anaſarcam appellant, propriè jecoris vitium eſt; in eo, pro ſanguine phlegma fit, nec tantùm in hoc affectu abdomen, ſed totum corpus intumeſcit. Tribus annis elapſis Ferrariâ Bononiam venit ad nos Tabellio quidam, nomine Joannes Baptiſta Chiapino, Leucophlegmatiâ totus tumens, facie, brachiis, ventre, cruribus & pedibus mirum in modum diſtentis. Varia ad hunc affectum impunè à Ferrarienſibus Medicis acceperat medicamenta. Ad jecur roborandum nos accinximus; eâ de re Electuarium ſequens ipſi præſcripſimus.

℞. Specierum Dialaccæ, ℥. ß. Croci Martis ʒ. iij. conſ. roſarum ℥. iiij. miſce. Doſis fuit ℥. ß. ſingulo manè. Electuario ejuſmodi uſus eſt, quindecim diebus. Singulis octo diebus Pilulam Cathol. xxij. gr. capiebat, quibus duobus priſtinam recuperavit ſanitatem, ad quam firmandam aliquot grana ſulphuris metallorum dedimus. Hydrops Anaſarca ſemper curabilis eſt, quia in eo non eſt ſubſtantiæ corruptio. Elaterium, Jalappa, mechioacan. radix, Gotta gummi, ſoldanella, medianus cortex ſambuci, ebuli ſemen, & alia pleraque communiter uſurpata, ut plurimùm non modò non ſanant, ſed potiùs morbum augent, & miſellos in pejus præcipitant. Ricini ſemen, fabæ purgatrices, eſulà, turbith, rhamni ſuccus, & pleraque alia ſemper nos deceperunt. Cauteria, (a) *veſicatoria in tibiis*, & cruribus excitata, cum ſcarificationibus, peſſima & funeſtiſſima experti ſumus ſemper: quod dictum ſit propter incautos.

NOTÆ

in CAPUT XXXIX.

(a) *Veſicatoria in tibiis.* Hildanus *Cent. I. obſ.* 3. ſcribit, ſe gangrænam in pedibus hydropicorum aſciticorum vel centies obſervaſſe, ſi ſerum ſalium in faſciis pedum hærens pedes madefecerit. De uſu veſicatoriorum in hydrope ſic ſcribit Septalius *cit. loco*: Nullos unquam ſpatio hoc 40. annorum, quo in magna hac urbe medicinam facio, curatos vidi, quibus à medico veſicantia cruribus admota fuere; ſed ferè ſemper gangrenæ ſubſecutæ ſunt curatu impoſſibiles: ut optimè etiam doctiſſimus Maſſaria longa experientia obſervavit. Idem ſentiendum eſt de ſcroti apertione in hydrope. Lege de hac re Bartholinum *cent.* 2. *hiſt.* 64.

CAPUT XL.

De Hydrope Aſcite, cum Leucophlegmatia.

HOneſta mulier, uxor . . . . Piſtoris, poſt diuturnas febres, in leucophlegmatiam, & aſcitem inciderat; cui ſuccurendo, à pil. Catholicis incepimus. (a) *Croc. Metall.* poſteà cum conſerva roſar. ad complurimos dies accepit, à quibus perfectè ſanata fuit. Menſes, qui ſuppreſſi erant, foras erumpunt, & integram ſalutem recuperat. Juvenis erat viginti octo annorum, in quo animadvertere licet, eâ in ætate morbos faciliùs edomari poſſe.

NOTÆ

NOTÆ

in CAPUT XL.

(*a*) *Crocum metallorum.* Non eſt ille emeticus draſticus, ſed ſale communi correctus; notabile enim eſt, ſal commune vel gemmæ demere antimonio, ſi cum illo liquetur, ſuam vim emeticam & virulentam, commode ſubſtitui poteſt huic croco metallorum regulus antimonii medicinalis, qui cum antimonio martiali cachectico & ſale abſinthii mixtus in reſerandis obſtructionibus vix par habet: Sic etiam panacea Conerodingiana refracta doſi cum croco martis mixta, addito arcano duplicato, eundem in finem convenientiſſima eſt.

CAPUT XLI.

De Uterinis affectibus.

OMnes (*a*) *Mulierum morbos* ab utero provenire, ſanxit olim Hippoc. etſi contrarium quotidie experiamur: nam cum viris omne morbi genus patiuntur. Tres verò ſunt ſpecies, quæ potiſſimùm conſiderandæ veniunt. Prima ſpecies, omnium frequentiſſima, in menſium diminutione conſiſtit; altera in immodico, & inordinato eorum fluxu: tertia in eorum motu, in quo de præfocatione, & ejus prolapſu. Quæ mala, ut diverſa, varias habent cauſas, de quibus in ſingulis curationibus. Ad hæc tria, reliqua facilè reducuntur. Sunt quidam morbi, quos communes appellant, utplurimùm inde geniti, ut ſterilitas, & fœcunditas. Furor, & alia ſymptomata à retento, & corrupto ſemine orta. Origines ut faciles, facilè cognoſcuntur, & facilè curantur.

NOTÆ

in CAPUT XLI.

(*a*) *Mulierum morbos.* Effato *Helmontii* fœmina omnem morbum bis patitur, quatenus eſt homo, & quatenus eſt fœmina. Hoc certum eſt, mulieres frequentius corripi morbis, quam ipſi viri, partim propter menſium evacuationem ſuppreſſam, ingravidationem, partum, partim & quod in illis tranſpiratio ſit debilior, & ad ſpasmodicas contractiones & ἀτάξίας motuum ſpiritus animales promptiores ſint.

CAPUT XLII.

De ſuppreſſione, & imminutione Menſium.

INfinita ferè mulieres numerate, quas (*a*) *facili, & tutâ methodo* ſanavimus, nobis non eſt inſtitutum; nam non centurias, ſed myriades, & plurima volumina deſcribere oporteret. At peculiari, certâ & tutâ methodo dicamus, quomodo primùm imminutos menſes curemus.

Juvenes virgines frequenter in menſium ſuppreſſionem, & diminutionem incurrunt. Potiſſimæ cauſæ ſunt ſanguinis craſſities, & anguſtia venarum; incipit utplurimùm pubertatis tempore, ubi genitalium ſenſim invaleſcit ardor. Juvenibus complurimis, ob pravam viſcerum jecoris & lienis conſtitutionem, menſium fit ſuppreſſio, diminutio, & coloris pravitas. Viſcerum mala conditio, ſæpè ab utero matris. Aliquando à mala educatione, à nutrice, à genere victus. At inſtituti limites excedere videor. Quæ à teneris annis ſenſim invaleſcunt pallidæ, & decoloratæ, id maximè illis contingit ex malâ viſcerum conſtitutione; quibus occurſurus, à ſequenti Apozemate incipio.

℞. Rad. fœniculi, apii, & graminis, an. ℥. ij. cort. tamariſci, ℥. j. ß. fol. ceterach. abſinthii, abrotani, matricariæ, chamædrys, chamæpytys, calendulæ an. m. j. fol. ſenæ Orient. ℥. j. aniſi ʒ. ij. liquiritiæ, ℥. ß. fiat omnium decoctum in ſufficienti quantitate aquæ communis, Colat. dulcoretur ſaccharo, clarificetur albumine ovi, & fiat Apozema, de quo capiat ℥. v. vel ℥. vj. pro ſingula doſi, per ſeptem, vel novem dies. Quibus exactis præbeo electuarium ſequens. ℞. conſ. roſ. ℥. iij. conſ. beton. ℥. j. Croci Martis, ʒ. v. vel ejus loco limat. chalyb. præpar. ʒ. vj. miſce, capiat ʒ. ij. pro doſi ſingulo manè. Ubi per menſem uſa erit hoc electuario, poterit (*b*) *reiterari Apozema* præſcriptum, addendo radicum althéæ, valerianæ, an. ℥. j. ß. pulegii, matricariæ, tanaceti, ſabinæ, an. m. j. (*c*) *Ubi adeſt plethora*, ſanguinem è pedibus detrahere opportunum erit.

Quando verò ſupprimuntur, poſtquam adoleverint, & jam primò copiosè fluxerint, incipio à pil. ſequentibus. ℞. (*d*) *Galbani* purificati, ℥. ß. Opopanacis, ſagapeni, myrrhæ, Ammoniaci, an. ʒ. ij. aloës ſuccotrinæ, ℥. j. croci Martis, ℥. j. ß. cum ſyrupo de arthemiſia, fiat maſſa. Doſis erit ℈. ij. & ʒ. j. Dantur ad quindecim dies, & ad integrum menſem. Ubi morbus eſt pertinax, nil magis opportunum Pilulis Catholicis, quæ ubi bis & ter reiterantur, omnem cachexiam removent, & menſes promovent. Via eſt omnium facillima, & tutiſſima, & eſt uſus ſpecifici ſtomachici, auri etiam diaphoretici; quæ medicamenta ſenſim repurgant ſanguinem, craſſa & viſcida incidunt, & attenuant, & naturæ emiſſaria ab omni impedimento liberant. Nonnullis vinum ſequens mirificè profuit.

℞. Limaturæ chalybis non præp. ℥. ij. Cinnamomi contuſi ℥. j. Sacchari albi, ℥. iiij. Vini dulcis, albi vel nigri ℔. ß. macerentur ſimul in vaſe vitreo: de quo quotidie capiat ℥. ij. horâ prandii; totidem horâ cœnæ. Ad hoc nulla præmittitur purgatio. Hiſtorias plures commemorare poſſem hoc vino ſanatarum. Rurſus ſunt pulveres, & alia complurima; ſed hæc nobis experta tibi damus.

NOTÆ

in CAPUT XLII.

(*a*) *Facili & tuta methodo.* Curandi menſium ſuppreſſionem methodus *Dn. Authoris* ſat bona & tuta eſt. Martialia; decocta ex herbis & radicibus amaricantibus & ſale volatili oleoſo pollentibus, item purgantia ex gummatibus ſat potentia ſunt, acidum ac viſcidum præternaturale edomare, ſanguiniſque ſpiritualſcentiam promovere, nec non capillaria uteri vaſcula obſtructa aperire. Sectio quoque venæ in cruribus, ubi menſes vel ſuppreſſi vel diminuti ſunt, præſens auxilium promittunt. Sæpius poſt venam ſectam aut unicum purgans datum redeunt menſes. Cautela hic attendi meretur practica, ut triduum circiter ante tempus ordinarium fluxus medicamenta propinentur. Si menſes diminuti procedunt, & ſufficiens non ſit evacuatio, per ſanguinis ex talo miſſionem promovenda tunc temporis ejus evacuatio eſt, quod benè annotavit *Septalius loc. cit. p. 288.*

(*b*) *Reiterari Apozema.* In decoctis menſes promoventibus exhibendis hæc adſit animadverſio, ut illorum magnam quantitatem concedamus, quo integris viribus ad uterum pervenire poſſint; atque non ſolum ſanguinem in venis exiſtentem craſſiorem attenuare, ſed & eum, qui in utero impactus, & obſtruens impedimento effluxui eſt, ſecernere & ſubtilem reddere queant.

(*c*) *Ubi adeſt plethora.* Menſium ſuppreſſio etiam à nimia ſanguinis quantitate fieri poteſt: Nam obſervamus,

mus, venis à cruore nimium diſtentis, motum ſanguinis & pulſum fieri languidiorem: ſimulac autem ſanguinis quantitas demitur, protinus pulſus liberior & major fit, impulſuſque ſanguinis ad partes citatior eſt: Quocirca obſervamus tribus diebus ante debitum purgationis menſtruæ tempus venam in brachio ſectam, corpore exiſtente plethorico, longè liberiorem & largiorem poſtea fieri menſium fluxum. In ſuppreſſione menſium à nimia ſanguinis quantitate venæſectionem in manu celebratum contuliſſe, in pede autem non, Author eſt Riverius *Cent.* 1. *obſ.* 2.

(*d*) *Galbani* &c. Gummata omnia, maximè ammoniacum bdellium, myrrha, ſuccinum, magnam potentiam habent menſes movendi. Ratio mihi videtur talis, quoniam ſalia volatilia & olea deſtillata ceu ſubtiliora citius avolant, hæc autem cum oleo ſubtili copioſo, particulis terreis immerſo conſtent, diutius in ſanguine morantur, & turgeſcentiam ac orgaſmum in eo efficiunt majorem & longiorem.

CAPUT XLIII.

De immodico Menſium fluore cum leucophlegmatia.

HOneſta mulier ..... uxor cujuſdam calceolarii, in via *de Maramont*, à ſeſqui anno immodicos, & inordinatos menſes patiebatur, cui ventriculi dolor, ſitis, (*a*) *leucophlegmatia*, & maxima anhelitus difficultas adjungebantur. Toto illo tempore multorum Medicorum operâ uſa erat; ſed fruſtrà, multa de more cathartica ipſi præſcribentes, Gal. fortè imitati in hiſtoriâ uxoris Boëtii. Nos omnes intentiones medicas unico præſidio abſolvimus, pilulis videlicet Martial. de quibus ℥. j. quotidie accepit ad menſem. Medici loquaces, qui neſciunt applicare activa paſſivis, miſeras mulieres in immenſos gurgites præcipitant.

NOTÆ

in CAPUT XLIII.

(*a*) *Leucophlegmatia, &c.* Uti in nimia hæmorrhagia; ſic quoque in nimio menſium profluvio obſtructio & vitium quoddam eſt in abdominis viſceribus, vel ad minimum ſpaſmodicæ fortiores conſtrictiones in partibus interioribus ſunt, unde liber & æqualis ſanguinis commeatus impeditur, & motus æquilibrium tollitur; unde increſcente motu in aliis partibus apertio ex nimia diſtenſione vaſorum & ſanguinis eruptio fit. Quapropter peſſimè conſulimus taliſmodi ægris adſtringentibus & opiatis, utpote quæ utplurimum anxietates præcordiales, palpitationem cordis, calorem, dolores & hyſterica pathemata augere ſolent. Revulſionis gratia vena in brachio bis eadem die aperienda eſt, vel etiam leniter evacuandæ ſunt primæ viæ à ſordibus bilioſis: obſervavimus, ſic poſt talem evacuationem remiſiſſe ſtatim cum doloribus lumborum & abdominis ipſum ſanguineum profluvium. Henricus Petræus *in diſſert.* 47. & Riverius *lib. IX. trax. cap.* 3. nec non Mayerne *in praxi pag.* 523. lenia emetica commendant, quæ etiam binâ experientia, ubi anxietas præcordialis maxima fuit juncta, deprehendi optima. Hoc certiſſimum eſt, ſine evacuantibus rarò tutò & citra recidivam hunc fluxum curari.

CAPUT XLIV.

De menſium ſuppreſſione, ventris dolore, aſcite, lienteria, & reſpirandi difficultate.

ARs ſæpè præſtat ea, quæ rationis limites excedunt. Quædam honeſta mulier, in via *di San Petronio vecchio*, naturâ delicata nimis, temperamento ſatis bono, annos 30. nata, uxor D .... nomine Franciſca, patiebatur longos, & acerbiſſimos dolores abdominis, quorum causâ Medicorum duorum conſilio utitur, at incaſſum. Alter ex his mulierem eſſe prægnantem falsò prædixerat, ex eo quòd abdomen inſigniter intumuerat. Cùm verò (*a*) *venter indies tumidior* fieret, ſitis augeretur, & univerſalis habitus collaberetur, ad nos, tanquam ad ultimum refugium, perducitur. Ad ventris tumorem, & lienteriam perſanandam, Electuario de Croc. Martis ad integrum menſem uſi ſumus. Propter verò flatus, & inſignem ventriculi imbecillitatem, de ſpecifico ſtomachico aliquot doſes dedimus: quibus gratiſſimis priſtinam recuperavit ſanitatem.

NOTÆ

in CAPUT XLIV.

(*a*) *Venter indies tumidior.* Non raro ſub ipſo hydrope latitat ingravidatio, hâc cauſam ſæpius præbente ipſius hydropis: Nihil ſolennius eſſe ſolet gravidis fœminis plethoricis, quam quod nimium tumeant pedes, vel ipſe venter ab aqua: ab utero enim diſtento comprimuntur vaſa tàm ſanguinea quàm lymphatica, ſicque circulatio lymphæ impedita efficit tumores aquoſos. Poteſt hanc in rem videri Cl. Dn. Albrecht *in annot. ad Bontekoes Chirurg. pag* 806. Uteri hydropem, quem fœtus comitabatur, obſervavit Bartholinus *in hiſt. cent.* 1. *p.* 9.

CAPUT XLV.

De Menſium ſuppreſſione.

VIrginum myriades numerare poſſem, quas perfectè à menſium ſuppreſſione liberavimus. Tribus verò modis id præſtamus. Primò ubi adeſt Cachexia cum ipſa ſuppreſſione, ſpecificum Hyſtericum, cum Croco Martis, maximè delicatulis exhibemus; aliis ſolum ſpecificum ſtomachicum; ſunt quibus (ut diximus) Apozemata aperientia, & hyſterica addimus. Hæc pſeudomedici Empirica jactitant. Illi cùm ſint ita vecordes, ut nihil ex ſe reperire poſſint, mirum non eſt ſi nihil boni præſtare poſſint: ſanguinem è pedibus frequenter detrahunt; purgationes ſæpiſſimè celebrant; juſcula aperientia præſcribunt, frictiones inſtituunt, fonticulos in cruribus excitant, & (*a*) *ſexcenta alia* in vanum exhibent. Si quis ſine his tormentis quempiam ſanat, conviciis excipitur, & ut ſunt aſſueti nihil ſcire ſine commentario, à Gal. multa confinxerunt, probos bonosque Medicos variè traducentes; & quibus conviciis ſuo tempore Galenus, utuntur & ipſi. Vir verò cordatus; vaſtiſſimum pelagus iſtud ſulcare nihilominùs nimis intrepidè audet; ad unicam veritatis cynoſuram iter ſuum dirigit, quicquid in contrarium ruentibus ventis; immò ſi totus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.

NOTÆ

in CAPUT XLV.

(*a*) *Sexcenta alia.* Olim Empirici ad unumquemque morbum magna remediorum ſylva comparata, quodlibet nullo delectu ad curationem adhibebant. Id ſi fortè parum profuiſſet, continuo ad alterius opem concurrebant, ſubinde facta mutatione, dum morbus vel ſponte, vel naturæ beneficio quam remediis potius ſaneſceret, poſtremo adhibitum totius curationis cauſam fuiſſe perſuaſi. Hæc ratio tantam remediorum ſylvam peperit, nihil ut toto obverſetur orbe, quod non in medicinæ uſum accommodetur. Medendi viam, quæ uni remediorum multitudini fidit, parum tutam intelligens *Hippocrates* ipſo artis quaſi veſtibulo dixit, experimentum fallax; id nimirum, quod

quod nec ratione, nec methodo nec judicio ſuffultum ſtabilitumque ſit.

CAPUT XLVI.

De Uteri Tumore.

PLures in utero generari (*a*) *tumorum ſpecies* experimur quotidie. Carcinomata primas tenent, ut quæ omnium perniciofiſſima, & curatu difficillima. In hac regione complurimas mulieres diro huic malo obnoxias comperimus. Nonnullas hac viâ ſanavimus. Primò, quando tumorem conſpicuum, aut ſaltem exiguo labore viſibilem nacti, uncino ferreo forâs extrahimus, eumquè tunc filo ſericeo fortiter ligamus, per filum extractum novaculâ ab utero præſcindo, citra ullum dolorem. Ad immodicam hæmorrhagiam, vitriolum, vel alumen uſurpamus, cum bombace; ſequenti die locum more ulcerum tractamus. Tempore quo hæc meditamur, occurrit nobis honeſta mulier, quæ duorum annorum intervallo ab infenſiſſimo carcinomate vexabatur. Hæc ut ſibi proſpiceret, multos conſuluerat Medicos. Ad extremum advocor, partem affectam manibus attrecto, tumorem extraho (digitis,) ipſumque filo ſericeo duplicato circumligo; ligatum ad pudenda adduco, ubi facillimè exſcindere potui. Ad hæmorrhagiam compeſcendam, alumine uſto uſus ſum. Quandam aliam mulierem annos 35. natam, ab eodem tumore, eâdem methodo liberavimus; ſed nomina pudoris ergò taceo.

NOTÆ

in CAPUT XLVI.

(*a*) *Tumorum ſpecies.* Chirurgus Halberſtadienſis ſatis felix & expertus ante aliquot annos tumorem utero extrinſecus adnatum, tres libras ponderantem, ſecuit in virgine 24. annorum. Tumor cute firma obſeſſus erat, aſt nil niſi pinguedinem continebat & cardilaginoſa quædam dura fruſta. Valido cinxit filo tumorem, poſt novaculâ ſectionem cordatè peregit, ſanguinis fluxum compeſcuit capite mortuo vitrioli, quo non datur excellentius externum ſtypticum. Vid. de hoc Heurn. *in aphor. Hipp. Lib.I. aph.*3. vidi nuper tumorem durum, qui ipſum uteri orificium occupabat in infante 10. annorum.

CAPUT XLVII.

De Tumore raro, in mulierum pudendis oborto.

IN duabus nobiliſſimis mulieribus, (*a*) *tumores præduros*, ovi magnitudine, in exteriori cervice uteri ſanavimus. Longo tempore cum ſolo ponderis ſenſu iſti tumores nati erant. Ad hos curandos melioris notæ medicos adhibuerant, qui cùm nihil opis eis attuliſſent, & tumores ſenſim ad inſignem molem creviſſent, me quoque accerſiri curant. Res in conſultationem venit: multa proponuntur, reiteratæ purgationes, phlebotomiæ, cauteria, tandem decocta Guajaci, ſalſæ, &c. Topica pariter diverſa, emollientia, diſcutientia, &c. Nos inciſionem cum novacula proponimus. Rejicitur remedium, tanquam crudele, & ſævum: quippe quæ ſunt communia potiùs amplectimur. Trimeſtri toto illo, aliorum arte utuntur, ſed infeliciter grandiores fiunt tumores, & remediorum multitudine obruuntur. Coactæ tandem mandatis noſtris obtemperant: Tumores in utraque aperiuntur, in quibus materia craſſa, viſcida, & verè albuginea, albumini ovi perſimilis; more vulnerum curantur, & perfectè ſanantur.

NOTÆ

in CAPUT XLVII.

(*a*) *Tumores præduros.* Tota uteri ſubſtantia cum vagina & pudendis ſpongioſa, fibroſa & glanduloſa eſt, in qua varii generis humores ſtagnare & ſubſiſtere queunt; unde etiam tumores in partibus hiſce fœminarum frequentiores ſunt. Plurimas excreſcentias fungoſas fœtentes uteri prolapſum mentientes annotavit Segerus *in miſc. cur. dec.*1. *ann.*2. *obſ.*81. *fol.*200. *it. dec.*2. *ann.*2. *obſ.*186. it. Theodor. Kerckringius *obſ. anatom.* 53. *pag.*113. Item *Aquapendens chirurg. cap.*85. Tales tumores glanduloſi ingentis magnitudinis intrinſecè etiam uteri fundo adnaſci ſolent, de quo legi meretur *dec.*2. *ann.*7. *obſ.*9.

CAPUT XLVIII.

De inaſſuetis doloribus Arthriticis in muliere.

MUlier quædam annos xxx. nata, in via, quæ dicitur *il. Campo de Bovi*, octo, aut decem diebus à nuptiis elapſis, acerbiſſimè divexabatur doloribus arthriticis, utpote in coccyge, genibus, pedidus, & manibus; propterea noctes inſomnes tranſigens, ne minimum quidem requiei experiebatur: hos febris comitabatur, ſitis, inappetentia, & maximus animi mœror. Tumor tamen nullibi aderat, nec inflammatio conſpicua, ut in Arthritide evenire ſolet. Primo intuitu mulierem haud ſatis menſtruali purgatione repurgatam falsò judicavi, hac in re Hipp. ſecutus in Aph.29. *lib.6.* dicentem, mulieres podagrâ non laborare, niſi menſtrua defecerint. Hinc morbum aliunde provenire ſtatuendum propterea inquirens, ab ea ſciſcitor, num bibax ſit, an irâ frequenter tentetur, & an coitum impensè flagitet, eique nimiòperè indulgeat? Bibacem ſe eſſe fatetur; iraque vehementer angi; nec minùs ad coitum pronam, unde certiſſimum erat, materiam morbificam, ab uno ex his pendere, non ſanè à vino ſolo, neque ab irâ, cùm à vino materia ſit calida & ſicca, inflammationes magnas pariens; ab ira item non fiunt dolores, citra inflammationem inſignem; ſuperaret à retento ſemine: nam etſi ipſa ſit nupta marito, tamen raro ejus congreſſu gaudere fatebatur ipſa. His tamen nec acquieſcere volui, & ſatiùs exiſtimavi, cauſam eſſe materiam quandam tartaream, à nimia vini potatione ad articulos confluxiſſe. Hac de re ipſi proſpiciens, ſummo manè gr. iiij. (*a*) *flor. ſtimmeos* exhibui, quibus ter evomuit, & nonnullas ſedes habuit. Sequenti nocte, doloribus adhuc vigentibus, pilulas de cynogloſſo ad gr. x. adhibuimus, & manè ſuccedente alia gr. iiij. dictorum florum, à quibus probè convaluit.

NOTÆ

in CAPUT XLVIII.

(*a*) *Flores ſtimmeos.* Arthritidis cauſſa ſæpius latet in primis viis, hinc illis expurgatis, vel vomitorio, vel purgante, anodyna temperata, ad quæ referri merentur pilulæ de cynogloſſa, ſæpius protinus malum depulſant.

CAPUT XLIX.

De immodico, & continuo ſanguinis fluore ex utero, duobus annis durante, cum Cachexia, & Leucophlegmatia.

FRanciſca Martella, annos 30. nata, in via quæ dicitur *dell'inferno*, inſignem, & continuam hæmorrhagiam ex utero, ſupra duos annos patiebatur, cum graviſſimis, & (*a*) *acerbiſſimis doloribus* in imo ventris, cui ſucceſſit leucophlegmatia, cum febre lenta, ſiti inexplebili, & mira inappetentia. Ad hunc contumaciſſimum affectum plures conſuluit Medicos, citra ullam opem. Nos feliciter curam abſolvimus (*b*) *vitrioli Martis uſu*, & pilulis laudinis.

NOTÆ in CAPUT XLIX.

(*a*) *Acerbiſſimis doloribus.* Obſervavimus in nimio menſium fluxu circa hypochondria tenſionem & quaſi compreſſionem, imò in toto externo habitu corporis aliquam conſtrictionem; unde pallor faciei, & horripilationis ſenſus contingit, uteri verò partes, etiam exteriores manifeſto laxæ & magis turgidæ fiunt, dum nimirum ab externis partibus corporis movetur ipſe ſanguis ad uterum, quatenus nimirum illæ ſpaſmo quaſi leni quodam afficiuntur, qui fermè in omni graviori ſanguinis & humorum excretione obſervatur.

(*b*) *Vitrioli martis uſu.* Adſtringentibus ſi citò hæmorrhagias ſupprimamus, contingunt regurgitationes ad cor, & inde ſuffocationes pectorales: Quod non fit, ſi tardè & lento modo id fiat, nam cautiſſimè ſemper cum adſtringentibus fortioribus mercandum eſt. Hæmorrhagiæ ab iracundia optimè curantur anodynis: ſi à nimia ebullitione & impetu ſunt, acidis.

CAPUT L.

De uterinis affectibus rarum exemplum.

HOneſta mulier, annos 35. nata, nomine...... uxor probi viri, duobus miliaribus à Civitate Bononiæ diſtans, prope Eccleſiam S. Raphaëlis, in (*a*) *præfocationem uterinam* creberrimè incidebat, cui febris lenta, ſyncopæ frequentiſſimæ, vigiliæ, ad hæc (*b*) *menſium ſuppreſſio*, tot malorum Lerna, cui ſitis, inappetentia, ventriculi morſus, cordis tremor, & capitis dolor adjungebantur. Ad tot mala radicitùs evellenda, à menſium ſuppreſſione exordior; hac de re ſequentes pilulas ipſi præſcribo.

℞. Aloës ſuccor. ℥. ß. opopanacis, ſagapeni, an. ʒ. j. galbani, ammoniaci, an. ʒ. ij. Scammonii præpar. ℈. j. croci Martis ʒ. vj. cum ſyrupo de arthemiſia formabantur Pilulæ, de quibus doſis erat ʒ. j. in tres pilulas. Ejuſmodi pilularum uſu intra menſem convaluit. Sanguis non fuit detractus, nec aliis uſa eſt medicamentis, ad tantam ſanitatem, quâ nunc fruitur.

NOTÆ in CAPUT L.

(*a*) *Præfocationem uterinam.* Paſſio hyſterica affectus eſt ſpaſmodicus graviſſimus, antipilepticis & fortiſſimis aperitivis curatur, purgantibus autem & decoctis impeditur. Vitent frigidum potum, nimium motum, moſchum, Zibethum, omniaque ſua veolentia, quæ in diſpoſitis anxietates præcordiales & ſuffocationem inferunt. Poſt paroxyſmum ſæpius ex locis mulieribus delabuntur ſordes, etiam cruor in paroxyſmo: vomitus quandoque adeſt, & contumax alvi adſtrictio, quare ſi uno in morbo, ſanè in hoc, alvus debet eſſe libera.

(*b*) *Menſium ſuppreſſio.* Si ab hac malum hyſtericum oritur, venæſectio in pede inſtituta juvat & mitigat ſymptomata.

CAPUT LI.

De Icteritia in ſeptuagenario.

ANnum agens 77. Dominus Antonius Bondius, in principio Autumni 1640. (*a*) *poſt inſignem laſſitudinem* in icteritiam incidit, cum febre lenta, inappetentia, laſſitudine, & aliis. Is autem cum valdè debilis eſſet, conſuetâ methodo curari non poterat; ideò ad inaſſueta devenimus. In principio ad ventriculi robur conciliandum, ſpecificum ſtomachicum dedimus: ut verò jecoris, & cholidochi folliculi vias reſerarem, ſulphur. metall. ad nonnullos dies accepit cum conſerva roſarum, & convaluit.

NOTÆ in CAPUT LI.

(*a*) *Poſt inſignem laſſitudinem.* Ab acido & viſcido principio morbum hyſtericum naſci, probabile videtur. Vidimus ſæpè poſt julepos acidos in febribus ardentibus copioſius hauſtos, icterum ſubſequentem. Si ſanguini immiſceas oleum vitrioli, vel aquam fortem, exurgit talis color luteus, qualis eſt in ictero. Quapropter martialia, amara, & quæ in ſanguine ſpirituaſcentiam excitant, optima ſunt anti icterica. In veſicula fellis plerumque poſt mortem humor ſeroſus pallidiuſculus minimè amareſcens, ſed ferè inſipidus, dulcique ſapori proximus, reperitur. Vid. Dn. Muys *in Podalyrio rediviv. p.*132. Hippocrates 7. *Epidem.* icterico commendat laborem & ſudorem. In graviori malo non ſolum partes externæ flavent, ſed & interna viſcera, hepar & inteſtina colore flavo infecta obſervantur. Vid. Zacutus Luſitanus *in praxi admirab. Lib.III. p.*156.

CAPUT LII.

De Febre.

REctè Seneca monet nos, & ſapienter, *in Epiſt. Nihil eſſe tam bonum, quod non in contrarium vertat culpa.* Quod ſanè veriſſimum quotidiè experimur, & maximè in caſu Nobiliſſimi Domini Joannis de Torfaninis. In primis notandum venit nos eum curâſſe ex deplorato morbo, annis 20. elapſis, ut patet in *ſecunda Centuria curationum noſtrarum*: Cùm verò à cura ſanus decem annos vixiſſet, in febrem acutam incidit, ex qua ſub noſtris auſpiciis, poſt xiv. diem immunis evaſit, dum feliciſſim â ſanitate, reliquo tempore potiretur. Ecce tandem, decem aliis annis exactis, neſcio quo fato, in affectu hypochondriacum incurrit, cui ut ſuccurrerem, communia & uſualia dedi medicamenta, utpote melanagoga, & cholagoga, cum refrigerantibus & præparantibus julepis, & apozematibus; & ſanguis è venis ſedalibus copioſè detractus fuit. Pulverem Bezoardicum ad plures dies accepit: at nihil opis. Quâ de re ad chalybis uſum devenimus, ex quo pariter nihil levaminis ſenſit. Bononiâ tandem Patavium petiit, ibi Medicos per annum conſulit, eorumque juſſa eo tempore exequitur, ſed omnia incaſſum; proprios tandem lares repetit, & quum animi gratiâ ruri diverſaretur,

tur, duodecim miliaribus à civitate, acutiſſima febre corripitur. Tertiâ die ad eum perducor, ibi cum acutâ febre correptum invenio, cum inſigni rubore in genis, calore in fronte, & ſicco; cùm verò in veſperis eum inviſiſſem, & ſummoperè ingenti febe vexatum deprehendiſſem, Enema aſſumendum eſſe ipſi ſuadeo, ut paulo pòſt de (*a*) *ſanguinis miſſione* verba facerem. Enema recuſans, aſſerebat ſibi alvum ſatis lubricam eſſe. De ſanguinis verò miſſione non eſt mihi quicquam dicendum, propter graviſſima errata. Vir autem cùm eſſet valdè moroſus, nullis conſiliis acquieſcere voluit, ipſi tantùm placuit in civitatem aſportari. Lecticâ ad hoc paratâ, ſequenti die aſportatur, & ibi ſequenti die præſcribo ipſi infuſionem ℥. ß. tamarind. cum mannæ calab. ℥. ij. ex qua potione (*b*) *leniſſimè purgatus* fuit. Sequenti die julepum refrigerantem, & cardiacum præſcribo. Veſpertinis horis confectionem hyacinthinam, cum pulvere lapid. Bezoardici. Quartâ die invaleſcit febris. Tunc propinquum mortis periculum ſignifico. Quintâ die melius ſe habere videtur. Sequenti nocte recruduit febris. Periculum mortis brevi inſtare inculco. Cuncta nobiliſſ. Patiens congrua, tam circa Confeſſionem, quàm Communionem exequitur: Extremam unctionem pariter ſibi dari petiit. Septimâ die tandem Creatori ſuo reddidit animam. Hîc notandum êſt, communibus, uſualibus, ſelectiſſimis, & maximè blandis medicamentis nos fuiſſe uſos, nullo pacto chymicis, ne æmulis noſtris anſam maledicendi, in re dubiâ, præberem, & maximè ubi ipſa inutilia cognoſcerem: ubi enim eſt ſubſtantiæ corruptio, ſola mors expectanda venit; quia à privatione ad habitum non datur regreſſus. Rabies, & furor noſtros æmulos eò adegit; ut viperinam ſuam linguam exacuerent, contra ea quæ ſic peregimus; at conſcientiam rectam nemo ledit unquam: Vir prudens ad malevolorum cachinnum non movetur, conſimilium moribus non invidet, ipſis potiùs compatitur, & vitæ rectitudinem, eamque magis tranquillam à Deo precatur.

NOTÆ
in CAPUT LII.

(*a*) *De ſanguinis miſſione.* De venæſectionis uſu in febribus acutis mirum inter ſe certant Practici: ad meam mentem hæc nunquam accommodata videtur malignitati removendæ: Poteſt tamen admitti in plethoricis, & qui aſſueti miſſioni & excretioni ſanguinis ſunt, venas habent majores, atque intemperies ſanguinis bilioſa magis peccat, quam pituitoſa. Inſtituatur autem ſtatim in principio, quando vires conſtant, & pulſus robur indicat.

(*b*) *Leniſſimè purgatus.* Purgantia omnia fortiora in malignis tàm in principio, quam in progreſſu morbi diſſuadeo, utpote quæ vires conſumunt, & ſanguinem ac humores ad majorem turbationem concitant. *vid. de hac re* Platerum *in prax. p.209.* Sudorifera fortiora & calida quod concernit, illa quantum noceant & debilitent, practici optimè norunt; vulgaris quidem, ſed peſſimus eſt mos, in principio vel progreſſu horum morborum ſudorifera volatilia exhibere & ad ſudorem ægrotos cogere. Methodus hæc revera omnes morbos malignos, & ubi exanthematum eſt eruptio, ſic tractandi peſſima eſt, utpote volatilia ſanguinis elementa magis diſſolvunt, & malignam acrimoniam augent.

CAPUT LIII.
De duplici tertiana.

ADmodum Rev. P. F. Joannes à Clerico Minorum Obſervantiæ, ſuperioribus annis in duplicem tertianam incidit, hanc (*a*) *ſex menſes pertulerat* invitis Medicis. Qui primi ejus curationem ſuſceperant, febrem non tam formidabant; quàm maciem, quâ mirificè conficiebatur, propterea ſceletos potiùs erat; quàm homo; aderat inappetentia, ventriculi mira imbecillitas, vigiliæ, alvi ſtypticitas, & alia ſæva ſymptomata. Eo tempore Medicos cœnobii ejus curæ adhibuerat; ubi verò amici ſalutem tanti viri in deterius ruere conſpiciunt, me advocari curant. Initio ad vires inſtaurandas, & obſtructiones reſerandas, Aurum diaphoreticum dedimus; curam poſteà abſolvimus ſolo ſpecifici ſtomachici uſu. Victus fuit plenior, more ſolito, humectans, & refrigerans, & ſic gratiſſimis priſtinam recuperavit ſanitatem.

NOTÆ
in CAPUT LIII.

(*a*) *Sex menſes pertulerat.* Tertiana duplex plus faceſſit Medicis negotii, quàm ſimplex. Symptomatum diverſitas à temporibus anni plurimum pendet. Invadunt nonnunquam cum hypothymiis, ſed citra periculum. Quò vehementiores initio ſunt inſultus, hòc citius materia peccans conſumitur, morbique periodus brevior evadit. Si non magnum prima in regione eſt vitium, unicum diaphoreticum & externum cataplaſma ad pulſus jugulare poteſt illam. Si vehementior eſt, & autumnalis, ſine emeticis, martialibus, mercurialibus, & ſalibus abſterſivis cura vix tranſigi poteſt feliciter. Arcanum hîc practicum eſt, Diaphoretica ſalia combinare cum emeticis, hoc modo ſordes partibus inferioribus & venis impactæ felicius ejiciuntur. Anodyna quoque cum purgantibus & diaphoreticis, item emeticis, mercurialibus amicâ miſcelâ conſpirant in penetrantiſſima medicamenta, magnorum ac chronicorum morborum præſidia: Ex hoc cenſu eſt pulvis meus antifebrilis probatiſſimus. Notum habui in Anglia Empiricum, qui electuario, quod conſtabat ex theriaca, gummi guttæ & vitriolo martis, feliciſſimè omnis generis profligabat febres ſummo cum applauſu.

CAPUT LIV.
De duplici quartana.

SÆpè febres quartanas ex arte ſanari poſſe, commonſtravimus: exemplis id firmare ſupereſſet, ni pariter in aliis centuriis comprobâſſem; verùm quæ juvant, repetita placent. Hîc Bononiæ duo fratres Lugdunenſes erant, ambo mercatores. Senior nomine Joannes Roma, (*a*) *trium, vel quatuor menſium ſpatio* duplicem quartanam patiebatur, cui Veronæ occurrens multa remedia irrita præſtitit; huc tandem (*b*) *Bononiam venit*; ubi fratrem Michaëlem adinvenit optimâ ſanitate donatum: ambo in hoſpitio concubuerunt. Simul & qui ſanus erat, derepentè eâdem quartanâ corripitur. Ad nos curandi veniunt. Junior primus curæ noſtræ ſe ſubjecit; cui Antipyreton primùm ter dedimus alternativis diebus, ex quo penitus liber evaſit.

NOTÆ
in CAPUT LIV.

(*a*) *Trium vel quatuor menſium ſpatio.* Notandum eſt, circa quartanæ ingenium, aliam alia longe eſſe obſtinatiorem, & differre eam plurimum pro humorum varia diſpoſitione; nimirum ubi ex pravo victu vel diætæ vitio orta fuerit, idem accidit, ſi excitata fuerit ab affectibus animi, vel ab aëris vitio, quia ſanguinis temperies ab aëre non tam ſubito penitus vitiari & in diſcraſiam acido-viſcidam mutari poteſt. Quod autem hæc febris adoritur corpora ſegniora, craſſis & fæculentis ſuccis infarcta, quæque obſtructionibus pancreaticarum vel meſeraicarum glandularum laborant, durum lienem habent; ibi longè difficilioris ſanationis & multo obſtinatior exiſtit, eludens etiam præſentiſſima alioquin præſidia.

(*b*) *Bononiam venit.* Aëris mutatio ad curam quartanæ multum confert; vid. Solenander *in Conſil. p.* 94.

CAPUT LV.
De duplici quartana.

Artem & methodum, quâ in curandis febribus utimur, repetere ſupervacaneum exiſtimo. Felices eventus recenſere juvat. Nuperrimè dum hæc ſcriberem, duo nobis occurrerunt curandi, ambo medio menſis Septembris, præſentis annis 1640. Alter ex his magno horrore primò, calore poſteà ad duodecim horas vexatur (*a*) *Victus refrigerans*, *& humectans* præſcribitur, & initio medicamenta uſualia præſcribimus, utpote (*b*) *infuſionem Rhabarb.* ʒ. *ij. & ſennæ* cum aniſo, in cujus colatura ſyrup. roſat. ſolut. ℥. iij. diſſolutæ fuerunt. Pro præparantibus ſyrupis ut ajunt, exhibitum fuit decoct. refrigerans cum ſyrup. limonum, ad novem dies. In principio poſt primam evacuationem *detractus fuit ſanguis ad* ℥. vij. in fine potio purgans reiterata fuit, additis ʒ. ij. El. de ſucc. Roſar. Cùm verò nihil opis, ſed febris indies invaleſceret; ad Antipyreton p. ſol. devenimus, de quo duas doſes alternativè ſumpſit, & his feliciſſimè curatus fuit: quâ pariter methodo alter tractatus fuit, & convaluit.

NOTÆ
in CAPUT LV.

(*a*) *Victus humectans.* Humidus victus teſte Hippocr. *Sect.* 4. *Aphor.* 14. Omnibus febricitantibus convenit. Victus autem craſſus plenus, vel etiam copioſus potus ante acceſſionem, vel etiam ipſius in paroxyſmi principio aut intermedio tempore oblatus, mirum quantum nocet. Hippocr. *Sect.* 7. *Aphor.* 62 dudum id notavit, dum inquit: Si quis febricitanti dederit cibum, quem ſano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit. It. *in Aphoris* 11. *l.* 1. In paroxyſmis à cibo abſtinendum eſt, nam ejus acceſſio damno eſt. Egregiam rationem tradit Heurnius *in hunc Aphoriſmum* inquiens: eo enim tempore refluï ſunt cuncti ſucci ad centrum corporis, undè opprimitur, anxiaque evadit reſtrictio, ac alvina regio ab impuris ſuccis incurritur. Si cibum tùnc dederis, in impuritatem ille abit, ac diſtento hypochondrio pectus opprimitur: unde anxià reſpiratio ac calor cordis major; præprimis autem ova in febribus nunquam danda ſunt, de quo vide Montani *Conſultationem* 77. nec panis copioſus, ex hoc enim plenitudo omnium peſſima eſt, vid. Mercurial. *Sect. I. l. de aëre p.* 46. Quare etiam quartanarii illi ſemper citius convaleſcunt, quibus appetitus minor eſt.

(*b*) *Infuſionem rhabarbari & ſennæ.* In quartana Medicus primam alvinamque regionem ante omnia expurget, & ibi reſidentem vitioſam materiam, correctam tamen expellat; non autem huc quadrat omne purgans, ſed tale indicatur, quod humorem acido viſcidum, qui aliàs difficilioris purgationis eſt, ad temperiem reducit, & ad purgandum aptum reddit; quo ſpectat *Hippocrati* tantopere commendata humorum coctio ante purgantis acceptionem; purgandus autem hic humor eſt per inferiora, quoniam eò craſſus omnis viam affectat. Veriſſimè enim ſcribit Hippocrates *in lib.* 4. §. 9. *melancholicos liberalius pleniuſque per inferiora purgabis.* Hinc paſſim obſervationibus legitur, diarrhæas imò dyſenterias quartanis ſupervenienres illas ſolvere, de quibus legi meretur obſervatio in M. N. C. *ann.* 90. *p.* 373. Decad. IIdæ. it. Schenckius *p.* 741. Quartanam feliciter cum decocto aperiente & purgante curatam vid. *in lib.* 1. *obſ.* 1. *Thonneri*; item pulvere purgante *lib.* 1. *obſ.* 11. Securiſſima autem hîc ſunt purgantia leniora, corrigente ſimul qualitate prædita, v. gr. folia ſennæ, rhabarbarum, epithymum, polypodium &c. Solo infuſo foliorum ſennæ cum aqua & oleo tartari per deliquium inſtituto *Riverius* feliciſſimè ſe curaſſe quartanas plus viginti obſervationibus confirmat. Vid. *in Cent. obſerv. plures.* Oleum tartari per deliquium ſolutionem coloratiorem, & ſaturatiorem extractionem præſtat; & acidum humorum ſimul mitigat. Beatus Ettmüllerus *in Diſſertatione de uſu & abuſu præcipitantium* identidem hujus infuſi uſum magnificat; poſſunt autem pro re nata huic addi laudatiſſimum centaurium minus, antifebrilium excellentiſſimum, tàm vi obſtructa liberandi & evacuandi, quàm corrigendi, item polypodium, rhabarbarum, helleborus niger, epithymum, fumaria, &c. Si quis infuſum antifebrile laxans in fnrmula expetat, ſequens fidum expertùmque commendari meretur.

℞. *Fibrar. hellebor. nigr.*
radic. polypod.
fol. ſennæ ſ. ſtip. ana unc. j.
Herb. abſinth.
centaur. minor.
trifol. fibrin.
*fumariæ ana M*j.
raſur. lign. colubrin.
cort. citri rec. ana drachm. iij.
Tartar. tartariſat. unc. j ß.
ſpir. ſal. ammon. drachm. iij.
quo irrorentur ſpecies.

Infundi hæc poſſunt duabus menſuris vini, quotidie hauriendo, tempore intercalari, bonum hauſtum. Si potentius ad infarctus viſcerum liberandos quis reddere velit, adjiciantur aliquot drachmæ limaturæ martis.

(*c*) *Detractus fuit ſanguis.* Venæſectio, in illis, qui plethorici ſunt, conſuetas habuere evacuationes ſanguineas, illaſque forſan ſuppreſſas, quique ſanguinis miſſionibus aſſueti, ſuadenda eſt, maximè in pede, & quidem morbi vel in principio, vel etiam in augumento, quod ſi autem quartanæ diutius duraverint, viribus fractis, & cachectico quaſi reddito corpore, omnes omittendæ ſunt. Præprimis autem ſi biliosa quartana fuerit, concedi poteſt; hanc autem indicant, ſi extrema non admodum longo tempore, ab initio in paroxyſmis frigeant, vel horreant, ſi rubeat lotium, pulſus ſit vehementior atque celerior: caloris æſtus acrior, ſi æger irrequietior & bilis vomitus ſequatur, ſique acceſſio tota & paroxyſmus brevior. In melancholica quartana contraria cuncta videntur, v. Solenander *in Conſil. pag.* 94.

CAPUT LVI.
De febre quartana (*a*) in muliere utero gerente *à ſex menſibus.*

Communis medendi methodus tàm in quartanis, quàm in Arthritide, ab omnibus inutilis cenſetur, & communi adagio fertur: *en la fiévre quarte, & en la goutte, le Medecin ny voit goutte*, Itali eodem proverbio utuntur, non ſine maximo artis dedecore. Nos qui ab ineunte ætate veram Medicinam excolimus, aliorum commentariis minimè contenti, abſtruſa ſemper quæſivimus, inter quæ veram quartanæ curationem adinvenire non fuit difficile. Duplex nobis eſt via: una ſimplex, ubi nulla ſunt ſymptomata & ſimpliciter curanda eſt; altera eſt compoſita, ubi varia ſunt ſymptomata, aut ubi morbi ſunt plures invicem commixti. De ſimplici, inter infinita,

ta, nonnulla hîc erunt exempla; de compoſitâ pariter. Ad compoſitam pertinet illa, quam non rarò patiuntur gravidæ mulieres, ſicuti ſuperiori anno contigit D. Helenæ, uxori D. Joannis Franciſci de Paduanis, annos triginta natæ, cui principio Septembris peſſima febris quartana advenit, quæ initio duplex fuit, poſtea ſimplex. Ad febrem exſcindendam ſolo (*b*) *Antipyreto* ſecundo uſi ſumus; de quo vix tribus doſibus aſſumptis, altera ex illis evanuit: ex reiteratis pariter aliis doſibus, altera receſſit pariter, & ſana evaſit, abſque fœtus detrimento. Infinitos ferè commemorarem, ſed hos amore brevitatis omittimus.

NOTÆ

in CAPUT LVI.

(*a*) *In muliere utero gerente.* Obſervavi gravidam quartanâ laborantem, quæ poſt partum ab illa evadebat libera. In gravidis propter circulationem humorum liberiorem impeditam magna ſordium viſcidarum accumulatio eſt, imprimis, ſi appetitui nimis indulgeant: poſt partum autem tranſpiratio & circulatio humorum liberior fit.

(*b*) *Antipyreto* Antifebrilia præſtantiſſima ſunt mercurialia, martialia, antimonialia & ſalina; nominatim mercurius dulcis, vel ſolus, vel cum auro fulminante, aut foliis auri, ſulphuriſque antimonialis particula bene trituratus ac mixtus; item mercurius dulcis aſſociatus mercurio vitæ, quòd medicamentum Antiquartium celebratiſſimum *Riverii* eſt. Mercurius diaphoreticus jovialis, Regulus antimonii medicinalis, Panacea antimonii Glauberiana, ſal antimonii tartareum, antimonium martiale cachecticum, limatura martis, arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, ſal abſinthii, tartari, ſal ammoniacum, flores ſal. ammon. martiales, ſal digeſtivum ſylvii, & ſal enixum ex mixtura ſpiritus ſalis ammoniaci, & ſpiritus vitrioli proveniens.

CAPUT LVII.

De alia febre quartana.

LOngo uſu, experientiâ comprobatum eſt illud Hipp. dictum, *lib.* 3. *Aphor.* 19. nempè (*a*) *certis temporibus certi morbi fiunt.* Quod quidem nedum in genere, ſeu de univerſalibus temporibus, ſed & de particularibus intelligendum. Autumnali hac tempeſtate, febres non paucæ fuerunt; quæ principio tertianæ fuerunt, deinde in quartanas degenerarunt. Nonnullæ poſt decimam acceſſionem, aliæ poſt decimam quartam: & quia tertianæ, ex communi Medicorum ſchola, quinque vel ſeptem circuitibus abſolvuntur, in his uſualia tantùm, chymia rarò uſurpamus, & ſæpè ſimplici victus regimine eſſemus contenti, niſi ægri, & aſſidentes aliud inſinuarent. Quantum valeat in morbis præjudicata opinio, ſcimus; in his enim primò curam per communia, & uſualia aggredior, nî ſuperveniat aliquod ſævum ſymptoma, uti cardiogmos, ingens capitis dolor, nauſea, vomitus, &c. ut aliis in locis annotavimus. Nuperrimè talem febrem contraxit mercator quidam, amicus noſter, annos 27. natus, nomine Philibertus Heracleus, natione Burgundus, nunc Bononiæ commorans. Primis diebus detractus fuit ſanguis & bis purgatus fuit infuſione Rhabarbari cum ſena, in qua ſoluta fuit manna. (*b*) *Julepos refrigerantes* & Apozemata per quindecim dies accepit. Ubi febris duplex cognita fuit quartana, Antipyreton accepit bis, ex quo confeſtim febris receſſit, ut in multis aliis, quos, ne prolixior videar, enarrare non placet.

NOTÆ

in CAPUT LVII.

(*a*) *Certis temporibus certi morbi.* Morbi epidemici dependent maximè ab aëre, qui pabulum ſpirituum eſt, & vitales humores corporis noſtri variè movet & modificat; prout itaque ille varius eſt, ratione gravitatis & levitatis, raritatis & denſitatis, caloris & frigoris, diverſi quoque propullulant morbi. Quartana præſertim autumni ſoboles eſt, & fit regione cœlique ſtatu inæquali exiſtente, quoniam tunc minus celer, qui omnia animat, vigorat, movet, ætheris circulatio eſt, adeoque tunc temporis humorum lencior motio & evaporatio; unde copioſior excrementitiorum humorum collectio fit.

(*b*) *Julepos refrigerantes.* Hi copioſius hauſti in quartana diſponunt ad icterum, cachexiam & hydropem.

CAPUT LVIII.

De (*a*) repentina morte.

PRobo, ſapientique viro fauſta feliciaque ſequi ſemper, conſilium non eſt, ſed ſæpè triſtia, & quæ animo ingrata ſunt, evolvere mente opportunum eſt ad hoc maximè, ne ullo naturæ eventu ejus tranquillitas mutetur. Decet autem probum Medicum, ab ejuſcemodi inquietudine eſſe alienum; ſuis enim oculis in ſumma pace fixis, vivit mente & corpore ſanus. Paucis diebus elapſis, inter multa nobis parum grata, immò conditioni noſtræ valdè infenſa, ad inviſendum D. Albertum Slonſum accerſitus fui, Mercatorem Germanum, annorum 67. cumque ab eo ſciſcitarer, quid ipſi doleret, reſpondit, ſe in præſenti nihil mali ſentire; nocte verò proximè exactâ gravedinem, & tenſionem quandam ventriculi paſſum fuiſſe, modò verò ſurrecturum, & bene valere; gravedinis verò, & tenſionis cauſas rejiciebat in vinum vetus in proxima cœna ebibitum, quod ejus palato gratum, & optimum aſſerebat, quamobrem famulum in cellam vinariam mittit, ut merum mihi guſtaturo hinc afferat, famulo illuc pergente, nobis jucunda narrat facieque hilari pauca obmurmurans, animam efflat. Mors ſanè ipſi felix, cùm doloris, & anguſtiæ fuerit expers; at nobis graviſſima, cùm ipſum, tum propter amicitiam, tùm propter vitæ integritatem, plurimùm adamaremus. Quid ſi ſyrupum de abſinthio, aliàve hujus generis leviuſcula accepiſſet? Quid ſi chymica olfeciſſet? Nonne noſtrorum æmulorum viperina lingua, invidiæ veneno armata, in nos, noſtraque medicamenta obſtrepuiſſet?

NOTÆ

in CAPUT LVIII.

(*a*) *Repentina morte.* Polypus in cordis ventriculis, auriculis vel vaſis ejus majoribus hærens, dum toti circulationi ſanguinis obicem ponit, frequentiſſimæ ſubitæ mortis cauſa eſt, quod ego etiam expertus ſum in milite juvene 20. annorum ſaniſſimo, qui in lectum concedens benè paſtus matitutino tempore mortuus reperiebatur; ejus cordis auricula dextra firmo & longo polypo obturata erat: poſſunt etiam de hac re evolvi M. N. C. *Dec. I. ann. I. p.* 233. item *Dec. II. an.* 0. *p.* 340. it. *Dec. II. an. II. p.* 48. & *Dec. II. ann. III. p.* 300.

CAPUT LIX.

De repentina morte.

QUidam juvenis annos 24. natus, ex arte figulus, cùm pertranſiret per viam, quæ dicitur, *de maſcontenti*, ad oſtium proximum pulſat, introgreditur, & de doloribus ventris vehementer conqueritur. Vix accerſito Pharmacopôla; cum ſacerdote, qui ipſi poſtulanti Theriacam afferunt, animam agit, & derepente moritur. Hæſitant amici, an veneno potus fuerit; ideò ad judicem criminalem recurrunt, qui de more præcepit, ut à Medico, & Chirurgo cadaver viſitaretur. Cadaver omnino lividum reperitur; plebs hac de re hominem fuiſſe veneno peremptum putat: quâ de cauſâ, ut cadaver à Chirurgo aperiatur, jubeo. Adaperto ergo cadavere, inventum eſt Omentum ſemicorruptum, inteſtina mirum in modum diſtenſa, jecur malè coloratum, pulmones circa coſtas putridi, (*a*) *cor inſuper flaccidum, & ſuppuratum.* In hoc caſu ſatis mirari non poſſum, quo pacto vir iſte ſanus à cunctis haberetur, nec de ullo affectu conquereretur, imò nuptias brevi erat celebraturus.

NOTÆ

in CAPUT LIX.

(*a*) *Cor flaccidum & ſuppuratum.* Cor eroſum à vermibus deſcribunt M. N. C. *Dec. I. ann.* 1. *pag.* 147. Cor in viro, qui diuturno mœrore conficiebatur, repertum penitus exſiccatum & inſtar pyri toſti contractum memoriæ mandavit Thonnerus *Conſil.* 2. *lib.* 5.

CAPUT LX.

De repentina morte.

PAulo antè conſcriptum caſum, contigit, ut quidam ruſticus carceribus detineretur abſque ulla mortis ſuſpicione, cumque optimè cœnâſſet, & dormitum iviſſet, paucis habitis verbis cum ſocio, quicum decumbebat, perpetuo ſomno ſe tradidit. Socius perterrefactus, carcerum cuſtodes advocat; cuſtos Judicem monet, qui cadaver aperiendum eſſe docet; cadavere à Chirurgo diſſecto, apertoque, reperitur Omentum laceratum, & putridum, jecoris portio circa coſtas ſuppurata, pulmones putridi. In neutro horum tuſſis aderat, neque reſpirandi difficultas. Corpus pariter lividum erat, & potiſſimum eâ in parte, in quâ jacebat. Hujus tantùm repentinæ mortis fuit cauſa, (*a*) *diſruptio venæ* in ventriculo cordis.

NOTÆ

in CAPUT LX.

(*a*) *Diſruptio venæ.* Subitanea morte concidentes aperti à chirurgo Regio Philippo Hacquinet variam detexerunt fati præcipitis cauſam: In altero enim pinguedo nimia pulmones compreſſerat, Polypo cordis ventriculi ſiniſtri tranſitum ſanguinis retardante: In altero fodiendi labore fatigato, vena cava prope cor diſrupta, ſanguine inundavit viſcera. Vide *obſ.* 101. *Dec. I. ann.* M. N. C.

CAPUT LXI.

De Paralyſi, cum mira imbecillitate ventriculi.

PAucis annis elapſis Nobiliſſ. vir, Dominus . . . annos agens 54. de capitis deſtillatione cum quodam doctiſſimo Medico conqueritur. Potionem purgantem Medicus ipſi ſtatim præſcripſit, alterâ die phlebotomiam, ſequentibus diebus julepos, & ſub fine aliam potionem purgantem, deinde cucurbitulas, & hirudines: & quia incuſatur jecoris caliditas, ſuccus cichoraceus cum ſero lactis ipſi exhibetur, ad menſem: At nil opis, (*a*) *inſignem ventriculi imbecillitatem* pro ſanitate reportat. Tandem alterius brachii motum amittit, cum oris tortura. Ad me tanquam ad Oraculum confugit, quem ſic brevi ſanitati reſtituimus. Ad ventriculi robur conciliandum, ſolo ſpecifico ſtomachico uſi ſumus. Ad capitis fluxionem Aquam hidroticam ad menſem præſtitimus; & his paucis non nauſeabundis convaluit.

NOTÆ

in CAPUT LXI.

(*a*) *Inſignem ventriculi imbecillitatem.* Magna eſt communio capitis, ventriculi & inteſtinorum. Sic obſervamus in praxi, in graviori capitis dolore vel læſione ventriculum facilè incitari ad vomitum: Atrox coli dolor in paralyſin frequentius terminatur. Infantum tormina abire in epilepſiam quotidie obſervamus: Idem quandoque accidit in adultis, ubi colica graviſſima tranſit in epilepſiam. Vid. Thonnerus *obſ.* 3. *lib.* 2. A vermibus paralyſin, epilepſiam, alioſque affectus convulſivos fieri, quotidianæ experientiæ eſt.

CAPUT LXII.

De Paralyſi inveterata.

CUm puer adhuc eſſem, & è Gallia primò in Italiam veniſſem, militem quendam Gallum Piſis me inveniſſe recordor, qui prope Liburnum in locum, qui dicitur *il Stagno*, me duxit, hîc enim Sereniſſ. Hetruriæ Ducis famulus aderat, qui vocabatur Matthæus, annos 50. natus, à ſeſquianno jacens (*a*) *Paralyticus* ſiniſt. lateris, ſceletos, non homo videbatur, ab omni ſpe humana deſtitutus. Ætatem noſtram puerilem deridet, vix enim vigeſimum annum attingebam; ſed quia ſatius ſibi duxerat è vita migrare, quàm diutiùs vivere, ideò quicquid ipſi propino, hilariter ſumit. En tertiâ die, miraculi inſtar, è lecto ſurgit baculo incedens: in eodem medicamine pergit, & priſtinam recuperat ſanitatem. De quo Sereniſſ. Ferdinandus, Magnus Hetruriæ Dux monitus, qui tunc animi gratiâ Liburni hyemabat, hîc enim nullos frigores ſentiunt habitatores. Quâ de re me accerſiri fecit, & pluribus ſermonibus cum Sereniſſ. habitis, juventutem ſummopere inter ſe perpendens, Gubernatori, me præſente, imperat, ut mihi cuncta neceſſaria provideat, curetque ut infirmi omnes à Medicis conclamati, mihi curandi traderentur: quod factum minimè fuit, quia hujuſmodi ſubſidii genere non indigens, aliò, majora indagaturus, pergere volui.

NOTÆ

in CAPUT LXII.

(*a*) *Paralyticus.* Vir quadragenarius ſatis robuſtus ſanguineæ complexionis ad iracundiam valdè propenſus, appetitu gaudens ſatis vivido, à podagrâ omni anno ſemel vel bis infeſtabatur, nonnunquam etiam à catarrhalibus defluxionibus; ante annum impetigo ſiniſtrum pedem occupabat, quæ interdum iterum evaneſcebat; quoties autem aderat, ſemper melius ſeſe habebat: Podagra autem per tres annos non revertebatur, & impetigo illa penitus etiam ceſſabat. Tempore autumnali graviſſimo corripitur catarrho cum febricula quadam. Medicus præſcribit purgantia, & quidem unum ex gummi gutta concinnatum, mox ſubſequebatur paralyſis dextri lateris cum dolore in occipitio: Poſt duos menſes inſultu corripiebatur apóplectico & moriebatur. Reinerus Solenander *in ſuis conſiliis* refert, multos in uno latere reſolutos, ſi à principio fortiora exhibita purgantia fuerint, humoribus exagitatis etiam in altero paralyſi tentatos & tandem extinctos fuiſſe. In omni paralyſi omnes fructus horæi, lacticinia, caſeus, leguminoſa, allium ac cibi acidi vitandi ſunt. Plerumque etiam à nimiis ſuaveolentibus læduntur. Nocent porrò illis ipſis multum flatus auſtrini, & poſt ipſos ventus Aquilonaris, qui quaſi ex ſpongia exprimit ſuccos è capite. Aquæ liliorum convallium, lavendulæ, nuciſtæ, pœoniæ primulæ veris, roſmarini, cubebarum cum vino abſtractæ, egregiè nervos ſolantur & roborant, & in paralyſi optatiſſimam dant operam. Illud autem circa illarum uſum tenendum eſt, ut nunquam dentur, niſi prius alvus benè purgata fuerit, deinde, ut circa plenilunium maximè aſſumantur, & tandem, ut vitentur in paralyſi ſanguineâ.

CAPUT LXIII.

De Polypo.

PLures enumerare poſſem curationes de (*a*) *Polypo*: & verè fateor ejuſmodi affectus non parum laboris nobis olim attuliſſe; in iis enim curandis, quem ſequerer planè ignorabam: & quos curari obſervaveram, infeliciter ſemper. Qui peritiores habebantur, (*b*) *ferro & igne* utebantur; nonnulli (*c*) *corrodentia*, ut æs uſtum, præcipitatum, ſublimatum, &c. uſurpabant; nonnulli omnium peritiſſimi accipiebant Butyrum Antimonii, quod apponebant cannulâ argenteâ, ne vicinas partes tangeret. Sed iſta omnia cum magno dolore, & ſæpe tales Polypi in carcinomata vertebantur. Nos unicâ herbulâ exſiccatâ, & in pulverem redactâ facillimè ſanavimus. Pulvis ipſe in nares immittitur, cum goſſypio, bis in die: carnes liquat & diſſolvit citra morſum; in hoc, unguento nullo opus eſt. Planta hæc verrucas, & quaſdam carnis excreſcentias tollit & abſumit; appellatur ſcorpioides, & (*d*) *heliodropium.* Arbuſta eſt etiam conſimili virtute pollens. Hæc ignorant, qui nugis & cachinno delectantur. (*e*) *Plantarum cognitionem in Medico* tantoperè exoptatam, Medicorum hodierna cohors ignorat, & ſi quis hanc ſibi arrogat, quod tamen rarum eſt, ſcias velim, extrinſecam tantùm ipſos poſſidere, at intrinſecam faciem ne quidem à limine ſalutâſſe. Ejuſmodi ſcientiam longam eſſe, & difficilem ſcio, non tamen impoſſibilem; in eâ etenim ſi quis ſe exerceret, & pro tribunalibus, & inutilibus quæſtiunculis eam amplecteretur, Medicinam certiorem, & uberiorem haberemus. At (ut inquit Plinius) gratius eſt cathedras aſcendere, quàm per vaſtas ſolitudines herbas alias aliis diebus colligere.

NOTÆ

in CAPUT LXIII.

(*a*) *Polypo.* Polypi concretiones ſunt fibrarum ſive membranularum ita ſe mutuo excipientium, ut congeriem quandam ſuppoſitarum pellicularum ipſumque corpus polypi forment: Fibroſæ autem propagines in faſciculos plures vel pauciores collectæ ramos vel pedes referunt. Variis in locis maximè glanduloſis & in cavitatibus majoribus generantur, uti in corde, pulmonibus, ſinubus cerebri, & in ipſis venis hypogaſtricis. Molæ muliebres nihil videntur aliud, quam polypoſæ concretiones ſucci nutritii, generatæ ex ſanguine acido, craſſo; hinc fœminæ ſcorbuticæ & hypochondriacæ tales facilius progenerant: Quod ſi enim ſuccus gelatinoſus nutritius ad partes ſpongioſas & glanduloſas plus juſto affluir, quàm requiritur, & propter obſtructionem quandam vel craſſitiem refluere nequit, pori nimis diſtenduntur, membranæ tenuiſſimæ valdè incraſſantur; & vaſa ſanguifera mirum in modum increſcunt & dilatantur: uti etiam illud ipſum videmus in fungoſa carne, partibus vulneratis accreſcente: Sicque facilè generari poſſunt concretiones carneæ membrana ſua obtectæ. Tales concretiones carneas in ipſis inteſtinis quoque inſtar molarum muliebrium generari in viris poſſe, lege diſſertationem elegantem clariſſimi Celleri Prof. Tubing. *de molis virilibus mirabilibus.*

(*b*) *Ferro & igne.* Qua ratione polypus exſcindendus ſit, vid. Celſus *lib. VII. cap.* 10. it. Meckern. *obſ. chirurg. cap.* 10. 11. *&* 13. & Petrus Marchette *in obſ. chirurg.* 27.

(*c*) *Corrodentia.* Poſt corpus probè purgatum tentandum eſt, an polypus tolli poſſit adſtringentibus & eſcharoticis, v. g. colcothare vitrioli, alumine uſto, quæ in nares inflari poſſunt per aliquot dies: hæc ſimul reſiſtunt hæmorrhagiæ, quæ ſæpius jungitur polypo. Poteſt quoque in nares trahi aqua mercurii ſublimati, quæ ſtanneo vaſi prius infuſa fuerit.

(*d*) *Heliotropium.* Multæ virtutes in plantis ſpecificè latitantes nondum detectæ ſunt; quas fruſtra in aliis regnis quærimus. Si enim dantur ſpecifica, certo morbo vel certæ cauſſæ morbi accommodata, certè in regno vegetabili illa quærenda eſſe exiſtimo: hîc enim mechaniſmus naturæ eſt ampliſſimus. Heliotropium in Gallia Narbonenſi & in Sicilia maximè luxuriat. Circa Moguntiam in Germania etiam creſcit. Verrucas affricata hæc herbâ valenter adimere dicitur. Efficaciſſima eſt adverſus carcinomata, ulcera gangrænoſa & tumores ſtrumoſos. Vid. *Matthiolus.*

(*e*) *Plantarum cognitionem in Medico.* Plantarum cognitio exacta non tantum quoad virtutes & uſus, ſed & quoad ipſum verum nomen & characteres ſuos eſſentiales, quibus facile una ſpecies ab altera diſcernitur, admodum jucunda eſt, & medico etiam neceſſaria, facilis tamen, ſi methodo recentiorum & excellentiſſimorum Botanicorum *Moriſonis*, *Raji*, *Rutbeck.* *Hermanni*, *Tournefot*, *Rivini* tractetur & addiſcatur.

CAPUT LXIV.

De Herpete inveterato, & incurabili habito.

MUltis annis exactis, Româ Bononiam venit Dominus Ferdinandus Ghiſellus, cum (*a*) *pertinaciſſimo*, & ab omnibus deplorato Herpete in tibia, genu, & coccyge. Ad tantum expellendum hoſtem, plures conſuluerat Apollines, & infinita ferè aſſumpſerat remedia; ſed fruſtrà: imò malum contumacius redditum vix medicabile cenſebatur. Ad noſtras vero manus confugiens, Gal. decretis inſiſto, totum corpus primò ab omni terreſtri ſaburrâ purgans Decocto Catholico; poſteà ſanguinem renovans Tincturâ Corallinâ, cum ſaccharo Roſato, quibus gratiſſimis rebus perfectiſſimè convaluit. Qui Theoph. in *chirurg. magna* conſuluerit, omnia ulcera, & Herpetum genera ſanare poterit.

NOTÆ

in CAPUT LXIV.

(*a*) *Pertinaciſſime.* Obſtinata ſcabies & herpes pertinaciſſimus ſæpius eſt in perſonis ſiccæ & vulgò ſic dictæ atrabilariæ conſtitutionis. Certum autem contumaciæ indicium eſt, ſi externè in partibus corporis, v. g. in brachiis, pedibus, collo glanduloſi renitentes tumores, quod ſæpius accidit, deprehenduntur: Niſi tali in caſu adhibeantur antimonialia & mercurialia, v. g. mercurius dulcis, regulus antimonii medicinalis, vix felix & conſtans cura ſubſequitur.

CAPUT LXV.

De Herpete contumaciſſ. ab omnibus conclamato in facie, collo, & tibiis.

Contumaciſſima, & efferata ulcera ſæpè in facie fieri obſervamus, hæc nonnunquam à lue venerea. Annis ſuperioribus fuit vir quidam nobilis Faventinus, nomine Carolus Bonacurſius de Tardotiis, annos 30. natus, qui poſtquàm Medicos Bononienſes, & Patavinos in ſui curam adhibuiſſet; trium annorum ſpatio, nos quoque conſulere voluit. Bononienſes primò venit viſitatum, exponens luem veneream recenter contractam, cum puſtulis, capill. defluvio, & ſimilibus. Ipſum de more purgant, deinde Guajaci uſum ad menſem imperant: ex qua curatione meliuſculè ſe valere putat, & Faventiam revertitur, ubi nova ſymptomata reſurgunt. Tunc ut doctiores Medicos comprobaret, Patavium adiit. Patavini novas purgationes ipſi inſtituunt, exactiori diætâ ſervatâ, ad 60. dies (*a*) *ligni Guajaci decoctum* iterum ebibit, ſudores in hypocauſto excitantur: ſervat cuncta, & pro ſanitate Telephia ulcera in facie excitantur, eaque profunda, fœtida, & maligna. Ad hæc perſananda nihil intactum relinquunt. In tibiis, ubi ſimilia ulcera aderant, ignitum ferrum in uſum advocatur; at nihil opis. Ubi verò multa de noſtra medendi methodo audiviſſet, ad nos Bononiam revertitur, tanquam ad tutius aſylum confugiens, & intra menſem priſtinæ ſanitati reſtituitur. Curam primò aggredior ſuaviſſimis, & delicatiſſimis, non tantum quod delicatus eſſet, ſed quia extremâ imbecillitate erat confectus; nec tam morbi ſævitiâ, quàm remediorum perperam adhibitorum varietate, & multitudine. Primis diebus aurum Diaphoreticum dedimus, cum extracto Antivenereo. Sæpè poſt cibum aliquid de ſpecifico ſtomachico. Ulceribus mumia mineralis admota fuit in principio, cum unguento digeſtivo, ſequentibus poſtea diebus Calcinat. Maj. quibus gratiſſimis modis priſtinam recuperat ſanitatem.

NOTÆ

in CAPUT LXV.

(*a*) *Ligni guajaci decoctum.* In ſcabie ſicca, pſora & lepra Græcorum, acria & calida, uti ſunt lignoſa ſedulò devitanda ſunt. Ejus abuſum Thonnerus *in obſ.* 3. *lib.* 4. annotavit ſequenti hiſtoriâ: Cum ante complures annos præfectus carceris Ulmenſis pſora perverſa ad leprum Græcorum inclinante, inquinatus, inſpectioni ſubjectus, in leproſorium relegatus, aliquandiu ibi detentus, ex gratiâ inclyti Senatus in domum Gallicam ad medicandum eſt translatus, ibi per medicamenta chymica ſæpius evacuatus, ſuccedente decocto ligni ſancti cum ſarſ. paril. in hauſtu ſudorifero, etiam antimonio diaphoretico mixto, ad copioſius ſudoris elicium. Sed qualis exin fructus? Non modo nihil levaminis ſubſecutum, quin malum triplo deterius redditum, magno in totius corporis cute ardore & rubore concitato, ut cancro elixo ſimilis appareret, idcircò denuò in leproſorium amandatur, & ibidem poſt trimeſtrem moram è vivis eſt ſublatus.

CAPUT LXVI.

De dolore articulari.

Arthritis non omnes æqualiter invadit. Nonnullos ſeverè nimis dilaniat, viros ante 45. longè vehementiùs, quàm qui ſupra hanc ætatem. Reverendus D. Stephanus Sibanus, annos 30. natus, communis Argelatenſis Plebanus, in Bononienſi comitatu, ſuperioribus annis id maximè comprobavit: & tam atroci arthritide correptus fuit, cum febre, (*a*) *doloribus ſæviſſimis* in omnibus juncturis, inediâ, ventriculi ſubverſione, vigiliis, & aliis. Trimeſtri toto alterius Medici opem fruſtrà implorat, imò maximo cum damno; unde pro ſalute ad extremum perducitur. Hic erat annorum triginta, temperamenti calidi, & humidi, ſtaturæ mediocris, nigros & duros gerebat capillos, pedum & manuum articuli intumuerant parùm, cum exiguo rubore. Vigiliis, & inediâ propter ventriculi ſubverſionem, confectus, nullum remedii genus ex uſualibus admittere volebat. Ut illam ventriculi ſubverſionem corrigerem, primis diebus ſpecific. ſtomach. dedimus: granis poſtea aliquot Auri Diaphor. curam abſolvimus.

NOTÆ

in CAPUT LXVI.

(*a*) *Doloribus ſæviſſimis in omnibus juncturis.* In arthritide partes tendinoſæ & nerveæ ſpaſmo violento torquentur, qui ſali corroſivo acido utplurimum debetur, hic, quò magis eſt volatilis, vel fixus, dolorem ſtabilem vel vagum producit: In melancholico ſanguineis, & qui nervos habent debiles, & ad affectus animi vehementiores proclives ſunt, frequentior eſt. Interdum mirum excruciat ægros, mox in pedem circa talum intolerabilem movet cruciatum; mox tranſilit in genu dextrum, illumque in tumorem ſat grandem levat: Serpit quoque in oculos & lippitudinem graviſſimam plures dies perſeverantem concitat, exinde manante ichore velut ſanioſo: Quando in colli nervos materia vitioſa ſe inſinuat, clamoſum parit dolorem, ut per multum tempus ne minimum dimovere vel inflectere queant. Invadit quoque linguam, illamque motu convulſivo exagitat: Quando inteſtina aggreditur, cruciatus enormes & vomitum excitat. Obſervatur interdum tali morbo conjunctus continuus ptyaliſmus. Per paroxyſmos invadere ſolet. Præcedit arthritidem utplurimum horripilatio per dorſum & lumbos, laſſitudo muſculorum cervicis, & lumborum immobilitas, & in ſuris quaſi convulſio & ſpaſmus.

CAPUT LXVII.

De Arthritide, ſeu dolore articulorum.

Illuſtriſſimus Dominus Dominicus Vainus Equitum Turmæ Dux, annum trigeſimum circiter agens, poſt inordinatam victûs rationem, in ſæviſſimum articulorum dolorem incidit, cum febre continua. Pedum articuli præcipuè affecti erant, genua & manus. Ad hunc contumaciſſimum affectum ex arte exſcindendum, aurum Diaphoreticum in principio dedimus, cujus uſu febris evanuit, & dolores miteſcunt: in eodem perſeverat ad quin-

decim

decim dies, intra quos perfectiſſimè ſanitati reſtituitur. (*a*) *In potu aquam cum ſaccharo*, & cinnamomo dedimus. Victus erat communis plenus, ex carnibus vitulinis, & volatilibus, parum à conſuetudine recedens. Medici ante nos ejus curæ incumbentes, ſolita ſua ſtercoraria ter & quater ipſi præſcripſerant, totidem phlebotomiis celebratis, cum unctionibus, cataplaſmat. & aliis inaniter celebratis in hoc morborum genere. Placeret plebeios noſtræ ætatis Medicos monere, ne miſellos ægros pro re facili mille tormentis ſublevent.

NOTÆ
in CAPUT LXVII.

(*a*) *In potu aquam cum ſaccharo.* Arthritis, quæ conjuncta eſt cum phlogoſi & pulſu magno non benè ferre poteſt calida, acria & ſalia volatilia, ſed magis refrigerantium acidulorum uſum expetit. Commendationem maximè merentur loco potus ordinarii aquæ florum vi anodyna fulgentium, quales ſunt; ptimulæ veris, flor. tiliæ, lil. convall. pœoniæ cum aqua pluviali vel rore majali deſtillatæ, hiſce addi poteſt Corn. Cetv. uſtum & parum ſacchari, item pto ratione circumſtantiarum tinctura roſarum: ſit autem modus in hiſce, aliàs inteſtina à nimis frigidis imbecillitatem quandam contrahunt. Multos ſcio curatos arthriticos ſolo aquæ frigidæ putiſſimæ tamen, frequentiori potu.

CAPUT LXVIII.
De Arthritide.

Dominus Leonardus Chiarenci, nobilis piſtorienſis, annos triginta natus, quindecim annis elapſis Bononiam venit, ut ab acerbiſſimis doloribus Arthriticis, quos à ſeſquimenſe patiebatur, ſe liberaret. Ejuſmodi dolores genua, & pedes primò vexare cœperunt, manus deinde. Ad morbi cauſam excidendam, (*a*) *pilulas catholicas* principio dedimus; deinde decoctum ſequens.

℞. Rad. Acori vulg. ℥. j. ß. Rad. Caryophyll. ℥.j. in ſuffic. quant. aquæ commun. parabatur potus. Hoc uſus eſt in cibis ad quindecim dies, & his duobus priſtinam recupavit ſanitatem.

NOTÆ
in CAPUT LXVIII.

(*a*) *Pilulas catholicas.* Pechlinus *lib.2. obſ.26.* refert, ſe noviſſe empiricum, qui medicamento chymico, ſive lunæ cryſtalli eſſent. ſeu martis aliquod vitriolum, etiam inveterato jam morbo, poſtquam biduò antè paregoricum dediſſet, alvum magno cum fructu provocabat. Et eſt fortè ab hac occaſione nata purgantium cum opiatis mixtura, & famigeratum illud ex pilulis aloëphanginis & laudano opiato compoſitum, quod & dolores ſedare & alvum ducere poſſet: Res notabilis eſt, arthritidem nonnunquam diarrheâ vel etiam dyſenteria ſolvi. *vid.* Solenand. *in conſil* & *M. N. C. dec.1. ann.6.* & *7. p.220.* cum tamen & ipſam dyſenteriam arthritis vaga interdum ſubſequatur. *Vid.* Thonerus *lib.V. Conſult.6.*

CAPUT LXIX.
De Icteritia flava, cum principio hydropis, inappetentia, ſumma virium jactura, vigiliis, & aliis, cujus causâ à Medicis conclamatur.

Mirantur nonnulli, cur tam ſeverè animadvertam in Medicos noſtræ ætatis, & ipſi (quod pejus eſt) putant, eodem, quo ipſi incedunt pede, nos iter peragere. Malè feriati homines, artiſque Medicæ imperiti, & Chriſtianæ pietatis immemores, nos cum inani plebe potiùs delirare velle putant, quàm cum probis & peritis viris, veram & legitimam medendi methodum ſectari. (*a*) *Larvatos Medicos* ubique inveniri non me latet, veros & legitimos raro. Sed ô deliræ mentes! ex cachinno & garrulitate, quos bonos creditis, ſeligitis, ſpretis ex opere bonis. Congaudeo ſæpiſſimè, ejuſcemodi cachinnis deludi, pro ſalute infelicem ſanitatem, nec rarò mortem reportantes.

Perilluſt. Dominus...... annos LXIV. natus, ſub duorum Medicorum cura, multorum menſium intervallo perſeveraverat. Ubi eorum opem inaniter exploraviſſet, ad nos confugit, jam ad extremum adductus: pulſum imperceptibilem, urinam perpaucam, & aqueam, inappetentiam, vigilias, & alia graviſſima perferebat. Ad ventriculum roborandum, ſpecificum ſtomachicum dedimus. Ad obſtructiones jecoris, (*b*) *Elect. de ſulphure metall.* Rec. Auri p.j. ferri limati p.ij. fuſa calcinantur ſimul duplo ſulph. poſteà ſolvuntur aceto, & eſſentia vini alkaliſata, in perfectionem reducitur opus.

NOTÆ
in CAPUT LXIX.

(*a*) *Larvatos Medicos.* Non minus verè, quam ſcitè ſcribit Hippocrates *Libr. de arte p.2.* Omnium profectò artium medicina nobiliſſima. Verum propter eorum, qui eam exercent, ignorantiam, eorumque qui temerè de his judicant, omnibus artibus jam longè inferior habetur. Cujus quidem erroris iſta mihi potiſſimum eſſe cauſſa videtur, quod ſoli arti medicæ nulla in urbibus, præterquam ignominiæ præfinita pœna eſt, quæ eos, qui ex ea conſtant, minimè attingit. Qui quidem perſonarum, quæ in tragœdiis producuntur, maximè ſimiles eſſe videntur. Quemadmodum enim illi formam, habitum & perſonam hiſtrionis referunt, neque tamen hiſtriones ſunt: Sic & Medici nomine quidem multi, re ipſa perpauci. Judicium de medicorum meritis admodum fallax eſſe ſolet, quod per fraudes & alia artificia ſæpius redduntur famigeratiſſimi, & exiſtimatio eorum fortunæ magis, quam meritis adſcribenda eſt.

(*b*) *Electuarium de ſulphure metallico.* Ecce deſcriptionem ſulphuris metallorum, quod in ſananda hydrope tantopere extollit A. Et videtur nihil aliud eſſe, quàm ſubtile ſal martis, de auro parum participat, quoniam tam ſulphur, quam acetum ejus repagula reſerare vix poteſt. Quantum autem martialia in depulſandis morbis chronicis faciant, res in foro medico notiſſima eſt.

CAPUT LXX.
De caſu raro, ab omnibus conclamato, & incurabili habito.

Thomas Scribanarius, in via quæ dicitur, *de Malcontenti*, annos XL. natus, intra ſpatulam ſiniſtram & collum, punctim enſe vulneratus fuit, cui (*a*) *vulneri proſpiciens Medicus* quidam eum ſanitati ferè reſtituit. Cùm verò in fine curationis Enema præſcripſiſſet, eo vix rejecto, ingens dolor ipſi advenit in ſiniſtro pede, ex quo plures noctes tranſegit inſomnes. Novos propterea acceſſit Medicos; at illi de more infinita præſcribunt remedia. Perſeverat tamen dolor, intumeſcit tota tibia cum genu, febris fit continua, vigiliæ perſeverant, inappetentia, & alia varia ſymptomata. Qui ejus curam gerunt, multa præſcribunt cataplaſmata, fotus, emplaſtra, & alia infinita ex-

teriùs. Intrinſecùs decocta ligni Guajaci, ſalſæ, chinæ, ad juſtam doſim, bis in die ad quadraginta dies. Omitto potiones, pilulas, electuaria, conſervas, & multa hujus generis alia: item phlebotomias, cucurbitulas, cauteria, & pleraque alia: ſed cuncta irrita fuerunt. Genu adapertum fuit cauſtico, & ferro, citra tamen ullum auxilium. Eò tandem devenit, ut ſceletos potiùs, quàm vivens cenſeretur. Ad manus tandem noſtras curandus adducitur. Ad dolorem demulcendum, mumiâ minerali utimur exteriùs, cum unguento ex vitellis ovorum, fotibus item utebamur cum baccis lauri, juniperi, foliis plantaginis, millefol. hypericonis, camom. meliloti, roriſmarini, & aliis. Sed curam omnem abſolvit (*b*) *Tinctura Antimonii* cum ſaccharo roſaceo bis exhibita eodem die. Quo medicamine aſſumpto mirum fuit quomodo evanuerit febris, & pus in totum brevi ſecretum, unde tibia, genu, & crus perfectè detumuerunt, dolor receſſit, & potiori ſanitate inde donatus perfectiſſimè convaluit. Galenus ſi viveret, hanc medendi methodum realem, & rationalem appellaret, oppoſitam erroneam, & falſam, Empiricæ nomine dignam. Qui convitiis probos prudenteſque Medicos excipere ſolent, hanc non eſſe canonicam turpiſſimè mentiuntur: ſed hos à fructibus cognoſcere, nos Sacra Scriptura docet.

NOTÆ
in CAPUT LXX.

(*a*) *Vulneri proſpiciens medicus.* Ut ulcus vel vulnus curetur, opus eſt benigno ac dulci ſanguine, ac partibus illi vicinis moderatis. Chirurgis itaque illud ſtudio ſemper ſit, ut partem firment, & humorum cacochymiam caſtigent; quo ſpectant omnia temperantia, edulcorantia & blandiora balſamica.

(*b*) *Tinctura antimonii.* Metallicorum & mineralium medicamentorum efficacia non ſolum conſiſtit in ſubtilitate particularum; ob hanc enim reflectuntur & avolant facilè ex corpore, ſed in eò maximè, quod firmos & valdè ſtabiles habeant poros, qui certam, ſtabilem ac copioſam ſecum ferant materiam ſubtiliſſimam, amicam noſtri ſanguinis ætheri. Hâc ſubtili materia fermentationes augentur, humores viſcidi attenuantur, obſtructiones tolluntur; hâc ratione ſufficere poteſt minima quantitas alicujus medicamenti. Concludimus, poſſe dari medicamentum univerſale, ſi poſſet dari univerſale deobſtruens.

CAPUT LXXI.

De Pſora Lepræ finitima.

NObilem mulierem Mutinenſem, annos 35. natam, nobilis viri Franciſci de Cervello uxorem, huc Bononiam ad me curandam deduxit maritus, ut à fœdiſſima pſora mundaretur, à qua tribus annis cruciata fuerat. Mutinæ Medicos primæ notæ toto illo triennio fruſtrà conſuluerat, cujus causâ purgationes, cum phlebotomiis, & ſanguiſugis pluries comprobaverat, ſuccos cichoraceos cum ſero lactis, ad nauſeam aſſumpſerat. Hinc remediorum multitudinis pertæſa, omne auxilii genus à nobis recuſabat. At cùm audiviſſet nos ſolo ſaccharo roſaceo eam ſanare poſſe, confeſtim ſe ad noſtra juſſa paratam eſſe annuit. Quâ de re ſaccharum roſaceum bis in die dabamus, cui exigua portio tincturæ antimonii miſcebatur. Vera antimonii tinctura palato eſt grata, (*a*) *ſanguinem purgat*, ſine manifeſta evacuatione. Deridendi planè ſunt, qui hac ſanandi methodo ſunt deſtituti.

NOTÆ
in CAPUT LXXI.

(*a*) *Sanguinem purgat.* Antimonialia dicuntur ſanguinem depurantia, quatenus obſtructionem glandularum & vaſorum minimorum reſerant, quod efficiunt, partim dum particulis ſuis ſtabilibus ſolidiſſimis acutis fibras motrices vaſorum ac tubulorum corporis noſtri ſtimulent & uberiorem influxum ſpirituum invitent; unde promptius humores propellunt & ſtagnationi illorum reſiſtunt, partim quod rigidis & acutis ſuis partibus humorum viſcidorum tenacitatem fundant ac diſſolvant.

CAPUT LXXII.

De Calculo.

COncretio lapilloſa non omnium minima eſt eorum, quæ in albo deſignant, communium Medicorum ſcientiam haud ſatis eſſe tutam. Quod calori, tanquam cauſæ efficienti tribuunt, jamdudum falſum fuiſſe convictum fuit, & iterum à nobis, ſi opus eſt, declarabitur. Ex cu rationibus, quas quotidie molimur, primò adaperiemus, rationibus poſteà certiſſimis id firmabimus, certumque faciemus.

Quid mehercle ab omni Philoſophia magis eſt alienum, quàm concedere aliquid ſupra vires ſuas agere poſſe. Noſtri ævi Medicaſtri in calculi generatione nihil aliud frequentius habent in ore, quàm calorem renum, & veſicæ. Concedo id ab aliis ſcriptoribus hauſiſſe; ſed quid ineptius, nil ſcire poſſe quàm ex commentario? ſemper pueri ſumus, nihil à nobis diſcimus, quod ut vile & abjectum cenſemus, nihil è proprio pectore depromere poſſe. De craſſa & viſcida pituita rimari oporteret, unde illa craſſities & viſciditas: ſemper eodem hæremus luto; ſi iſthæc cruda ſunt, quomodo nimius calor adeſt? & duplicem inibi calorem, inſitum, & adventitium agnoſcunt, inſitum eſſe debilem, & adventitium ſolito validiorem, quo argumento rem acu tetigiſſe putant. Sed nænias iſtas infringere velle, pudet ſanè; dum enim hæc aſſerunt, plura committunt abſurda. Caloris primò duplicem conſtituunt originem; ſecundo, ponunt accidens ſine ſubjecto; tertiò, ſi adventitii aut extranei ſubjectum faciunt renes, ſequitur, renes ſui ipſius detrimenti ſubjectum fovere. Quid tandem? calculus ſubſtantia eſt: calor verò accidens. An mobilia, vimque habeant agendi accidentia, non eſt minùs ridiculum. Recentiores, etſi ſcholaſtici non ſint, & huc uſque cathedras ignorent, veriorem viam, & certiorem tamen invenerunt. Et dicunt eandem eſſe calculi microcoſmi generationem, ac lapidum procreationem in macrocoſmo. Nec Ariſtot. opinio obſtat, dicentis (*a*) *lapidum ortum* fieri per materiæ appoſitionem. At is cùm lapillificandi vim nonnullis ſubſtantiis à primordiis fuiſſe inditam non agnoverit, ideò de illa, ac de pluribus aliis non eſt locutus. Sed de his alibi fuſiùs, ſint modò de eo curando nonnulla exempla.

NOTÆ
in CAPUT LXXII.

(*a*) *Lapidum ortum.* Calculi generatio fit, quando particulæ viſcoſo-ramoſo-terreſtres ciborum à ſalibus ventriculi

ventriculi non ritè dividuntur; unde poſtea ſerum tartari terreſtrioris copia onuſtum, alluens poros canaliculoſos renum, ibidem efficit ſtagnationem particularum. Eodem modo ut videmus in liquoribus calide filtrandis, v. g. lixiviis & aliis craſſioribus, ubi filtro magnâ copiâ limi onuſto, vel liquore frigido facto, hic diutiùs ſtagnans, vel planè non deſtillat, vel ſatis lentè, aut multum de ſale iterum cryſtalliſato in filtro relinquit. Id quod manifeſto videmus in renibus calculoſorum, ubi circa pedem anſerinum dictum tartareæ lamellæ conſpiciuntur: Quæ poſtmodum ſeminium perpetuum calculi ſuggerunt. Acidum autem & terra elementa calculi ſunt, quæ invicem juncta, dura conſtituunt corpora. Cryſtallus pulveriſata cum aceto in priſtinam abit duritiem. Calculus humanus ſi deſtilletur, ſpiritum acidum acrem præbet; qui capiti mortuo ſuper infuſus priſtinam duritiem acquirit. Præterea ſi deſtilletur, parum præbet olei, & putat B. Dn. Waldſchmidius *in inſtitutionibus pag. 86.* calculos generari ex defectu particularum oleoſarum, & ob id ratio in promptu eſt, quare omnia fermè oleoſa, item oleum amygdalarum dulcium in copia hauſtum à calculo præſervent. Oleoſæ enim particulæ ramis ac tricis ſuis impediunt, quo minùs arctè coire queant in durum corpus ſpicuta ſalina: Compertum enim ex Chymicis eſt, oleum reſiſtere cryſtalliſationi, hinc nonnulli, ut elegantes cryſtallos acquirant, addunt lixivio ſalino ſpiritum vini rectificatum, ut illè particulas pingues oleoſas abſorbeat.

CAPUT LXXIII.

De Calculo in veſica.

Inter complurimos à calculo per me liberatos, mihi in mentem venit Illuſtriſſ. D. Gregorius Malvetius, qui viginti annis elapſis (*a*) *in calculum veſicæ* incurrit. Alios præter me conſuluit Medicos, qui omnes calculo veſicam laborare aſſerunt. Hac de re medicamenta plurima fruſtrà ipſi præſcripſerunt. Ad nos tandem venit, maximè cum ab illis intellexiſſet ſolam ſupereſſe inciſionem, quam toto pectore reformidans, undique conquirere remedia ſtatuit. Nos ipſi duo præſcripſimus in quibus ejus ſalutem repoſitam eſſe aſſero, ſi in eorum uſu perſiſtat: primum fuit Herniaria, cum Betonica in juſculo carnium cocta, (*b*) *bibit quotidie* ejuſmodi juſculum, ad tres, vel quatuor menſes; at cùm ipſe Aſtrologiæ deditus eſſet, ſub explorato, & benevolo ſiderum poſitu plantas eas colligi curavit. Secundum fuit (*c*) *Aſtacorum fluviatilium* lapis, de quo quotidie in veſperis ℥. ß. accipiebat cum ſucco limonum. His duobus feliciſſimè convaluit. Quid mirum ſi quindecim annis à ſanitate elapſis, ſanguinem expuere cœperit? cujus occaſione Patavinos Medicos conſuluit; ſed eum ad propriam civitatem remittunt, ubi poſt aliquod tempus in manifeſtam phthiſim incidit: tuncque pluribus in hac re habitis conſultationibus, extremum diem clauſit, quamvis ſexageſimum quintum annum ageret. Hic affectus raro ſenes adoritur. Unde quidam Medicus ad eminentem cathedram evectus, morbum hunc non eſſe Phtiſim aſſerebat, quòd ex Hippoc. intellexiſſet, poſt trigeſimum quintum raro advenire.

NOTÆ

in CAPUT LXXIII.

(*a*) *In calculum veſicæ.* Calculorum generationem in veſica elegantiſſimè tradit Nuckius *in Adenographia curioſa pag. 77. & 78.* Obſervatum ſæpius, calculos ejuſmodi, mole ſua quidem parvos, ſed ob materiæ unionem compactiorem, in veſica hærere, calculorum futurorum nucleum conſtituere, cui facilè incruſtationes lapideæ tanquam ſtratum ſupra ſtratum ſuperveniunt. Hocque iterum faciliùs accidit vitam ſedentariam agentibus, quorum urina tardius in renibus ſecreta, diutiùs in veſica moram nectit; dum particulæ ejus ex ſale volatili urinoſo, ſpiritu limpidiſſimo, oleo fœtido, & terra fatua compoſitæ, nucleoque dicto junctæ, molem calculi adaugent. Nucleus itaque talis, aut alius naturæ corpus aliquod terreſtre plerumque adeſſe debuit, ejuſmodi poris donatum & ſuperficie, cui particulæ ab ipſa urina ſecretæ adhærere & calculi incrementum promovere poſſent. Ut autem hæcce certò magis conſtarent, Experimentum aliquod inſtituendum erat. Inciſo vivi animalis (canini v. g.) hypogaſtrio, per vulnus inflictum veſica extrahatur, dein per ejuſdem veſicæ membranas, ſecundum ductum fibrarum, inſtrumento acutiori in fundo læſas, globulus immittatur ligneus; mox contrahentibus ſe fibris, veſica per vulnus abdomini ante inflictum repellenda vulneriſque ratio habenda. Animal primò biduo triſtius quidem, ſed brevi poſt alacriter vivere & comedere incipit. Globulus autem veſicæ jam incluſus, vix aliam animali cauſſat moleſtiam, quam quod veſicam ad excernendam urinam frequentius ſtimulet. Hoc in ſtatu animal per aliquot ſeptimanas ſervetur: hinc inſpecto abdomine & veſicâ, jucundo planè aſpectu obſervamus, globulum dictum exiguis calculis, quaſi totidem cryſtallis, eſſe incruſtatum: Uti hiſce diebas, feliciſſimo cum ſucceſſu ſtudioſis fuit propoſitum, demonſtratumque. Diſſimili haud modo (ſi parva magnis comparare liceat) quo ſaccharum album bacillis ſuis adhærere videmus. Et hoc quidem modo calculus in renibus primum genitus, bacilli inſtar, nucleum conſtituit, poſtmodum verò in veſica particulis calculoſis, cum urina aliàs excernendis, obducitur, & in monſtroſam tractu temporis, non raro, magnitudinem excreſcit. Ubi verò ejuſmodi nuclei deficiunt, rariùs calculi veſicæ formantur, quoniam corpora non adſunt, quibuſcum particulæ hæ heterogeneæ jungi poſſunt. Hinc non tantum nucleus talis, aut globulus ligneus, ſed varia alia, nucleorum inſtar ſe habentia, calculorum fundamentum conſtituere valent.

(*b*) *Bibit quotidie.* Multa numeroſa lithontriptica in Medicorum ſcholis proponuntur, quæ tamen quando ad praxin venitur, raro fidem ſolvunt. Et ſi abſque partium ſtudio judicium feram, dico, omnia illa, quæ veſicæ calculo vulgò deſtinantur, prorſus evanida eſſe, quæ enim jam factum & duriter compoſitum lapidem compactumque, qualis veſicæ eſſe ſolet, ſolvere poſſe, non video. Certum eſt, liquores corroſivos, & maximè ſpiritum nitri dulcem prompta facilitate calculum humanum ſolvere: ex cujus poris etiam oleo tartari fundò præcipitari poteſt, ſed quam parum à corroſivis illis exſpectari poſſit tali negotio, perpendat quiſque ſecum quantos cruciatus & vel ipſo calculo certantes peregrinus in veſica acor conciliet. Poſſe autem injectione veſicæ calculum ſolvi, tum demum credam, ſunt verba ingenioſi *Pechlini*, quando menſtruum erit repertum, quod inſipidum ſit, & aurum aut aliud metallum ſolvat, cujus tamen exſpectatio hactenus nos fefellit, & fortè ſemper fallet. Quo minus opinor verum eſſe, quod *editor Zodiaci Gallici* de *D. Brochardi* lythontriptico meminit, illud etiam ore aſſumptum lapidis tum renalis, tum veſicarii attritionem moliri. Hoc in univerſum cenſeo, à medicamentis tartareis, imprimis autem aquarum calidarum & thermarum inundatione, imò etiam naturæ quodam ductu, calculi mollioris elementa in partes tartarumque quendam viſcoſum reſolvi poſſe, aut quod frequentius eſt, totos lapides & integros diluvio talismodi propulſos laxatis antè viis erumpere.

(*c*) *Aſtacorum fluviatilium.* Calculus penè ſiliceus in veſica pueri fractus & expulſus pulvere ex lapidibus nec non balſamo ſulphuris & lapidibus cancrorum in *Actis Haffnienſibus ann. 71. obſ. 77.* legitur. Lythontriptica vera debent rigidis, ſubtilibus, & pori calculi adaptatis conſtare particulis, quæ intus motæ poſſint dimovere vectis inſtar. Tale ſal obtinet petroſelinum. Aqua hujus, quamvis eſt inſipida, effectum tamen dat calculoſis; quoniam aculei ſunt inviſcati ſulphuri, & hi, cum à motu in ſanguine, & ab urinæ ſale privantur ſuo ſulphure, hinc priorem nacti figuram priores etiam edunt effectus. Tales aquæ ſtricto clauſo vaſe ſunt aſſervandæ diutius, tunc acquirunt aliquam acredinem excuſſo ſulphure laxiori.

CAPUT LXXIV.

De Calculo.

Admodum Rever. Pater, moribus, & vitæ integritate clarus, P. T. Antonius Vernicius Franciſcanus annos XLV. natus, poſt varia tormenta, & infinita remedia pro calculo in veſica atterendo, me accerſiri curavit. Re citra ſpem habitâ, & potius de morte, quàm de vitâ cogitans, ad extremum confugiendum eſſe ſtatui, ne ipſum ne ipſum ſine remediis periturum relinquerem; (*a*) *Salem itaque vitrioli* ſublimatum, & ad extremam puritatem adductum ipſi ſtatim exhibui cum juſculo carnium. Horâ poſt ipſum aſſumptum vomuit, & excrevit calculum ſatis magnum, ex quo confeſtim ab omni dolore liber evaſit.

NOTÆ in CAPUT LXIV.

(*a*) *Salem vitrioli*. Vomitoria per accidens, ſi calculus non adeò grandis & in veſica eſt, ad ejus expulſionem faciunt. Vomitus enim fit cum conſtrictione partium, quæ in omdi expultione neceſſaria eſt. Obſervamus nonnumquam in praxi poſt maximos & intolerabiles ventris dolores, calculos ingentis magnitudinis præter omnem ſpem proſilire. *Joh. Theodorus Schenkius exercit. anatom. pag.* 554. meminit mulieris, quæ, poſt atroces perpeſſos dolores calculos duos cum fragore exploſerat: quos ex veſica magno ſanæ naturæ conatu ejectos fuiſſe notatæ ibi circumſtantiæ perſuadere volunt. Nec diſſimilis admodum eſt hiſtoria, quam *obſ.* 7. *ann.* 6. *dec.* 1. *M. N. C.* legendam exhibet.

CAPUT LXXV.

De Calculo.

Vetula quædam, annorum LX. in via quæ dicitur *il Borgo della Paglia*, longo tempore à calculo in veſica cruciabatur. Poſt multa remedia incaſſum adhibita, Lithotomus ad eam conducitur, qui (*a*) *cathetere calculo explorato*, de mercede paciſcitur. At illa non tam expenſas timens, quàm operis ſævitiem, ſic diu incurata manebat, ac vitam nimis infauſtam ducebat. Quum verò minùs de ſalute cogitaret, ecce calculus ad orificium externum veſinæ ſe profert. Ad eam perductus conſului, ut ſequenti manè pro viribus per civitatem deambularet, & ubi non ſufficerent vires, aliquem ſecum perduceret, aut per viam inniteretur, & antequam egrederetur domo, pudenda benè inungeret (*b*) *oleo ſcorpionum*: quod ad unguem exequitur; unde vix domum reverſa, calculum prædurum ovi gallinacei magnitudine excernit, non ſine admiratione, à qua excretione libera penitus evaſit.

NOTÆ in CAPUT LXXV.

(*a*) *Cathetere calculo explorato.* Maxima tormenta excitat violentia catheteris, ut ægri ſectionis, quam catheteris molitionem æquiori animo ferre velint. Certum indicium calculi veſicarii eſſe dicitur, ſi cum ſonitu repellatur emiſſus catheter, modo ante probè compertum ſit, calculum adeſſe, non aliud forſan corpus carneum ſcirroſum renitens. Poteſt de calculi exploratione legi *obſ.* 2. *lib.* 1 *Dn. Pechlini.*

(*b*) *Oleo ſcorpionum.* Omnia emollientia, lubricantia intrinſecè & extrinſecè data, optimè cruciatus calculi compeſcunt, dum vias emolliunt nimis à ſpaſmo conſtrictas relaxant, ſicque partim dolori medentur, partim etiam vias ad expultionem præparant. Hanc ob rem etiam calculoſi magnum ſolamen in balneis & fotibus inveniunt. Certè inconſultò illi agunt practici, qui antequam emolliant vias, nimio diureticorum fortium uſu calculos propellere annituntur: de quo lubeat legere *diſquiſitionem Matth. Unzeri lib.* 1. *de nephritide cap.* 17

CAPUT LXXVI.

De calculo renum.

Tanta eſt (*a*) *nephritici doloris affinitas* cum dolore coli, ut non rarò periſſimos Medicos ambo deludant. Talis fuit is, quem nuperrimè patiebatur Admodum Rever. D. P. M. Joann. Evang. de Juncis, in celeberrimo cœnobio D. Franciſci, ipſe enim quindecim diebus atrociſſimo dolore ventris premebatur. Locus doloris erat circa regionem renum per ureteres ſe extendens, cum frequenti nauſea, & vomitu (*b*) *urinæ erant multæ, & tenues.* Curationem aggredimur per communia, tanto magis, cùm tres eſſemus vocati ad curam. Primâ die (*c*) *ſubducta alvo* cliſtere emolliente accepit pluries de ſpec. Eleſcoph. quod ſtatim evomuit. Sequenti die pulpa caſſiæ, cum Diaphœnic. adhibetur, quod pariter per os rejecit. Interea fotus cum carminativis, bacc. lauri, junip. menthæ, calament. majoranæ, abſinth. fœnug. lino, cymino, camomil. & melil. Poſt ejuſmodi fotus, oleis diſcutientibus, & aperientibus inungebatur. Clyſt. quoque diſcutientes. cum decocto carminat. elect. de bacc. lauri benedict. laxat. terebint. & ſimilibus, frequenter reiterabantur. Cùm dolor magis ſæviret, ſapientiſſimè à ſeniore Medico balneum olei communis præſcribitur: ſtat per horam in dicto oleo, à quo cùm nihil levaminis percepiſſet, imò dolor vehementior redditus videretur, conſulationem inter nos inire cœpimus, rem eſſe conclamatam videbamus. Vitrioli ſalem propono, & in his morbis verum eſſe rhizotomum. Abnuunt alii duo Medici, ſed ſagaciſſimè; nam ab aſſumpto tribus horis ceſſat omnis dolor. In quo ſatis videre eſt, boni & legitimi Medici eſſe, chymica remedia non ſpernere, indocti ſoli vituperant, quæ ignorant.

NOTÆ in CAPUT LXXVI.

(*a*) *Nephritici doloris affinitas.* Calculus ſæpè confunditur cum dolore Iſchiatico & dolore colico: quandoque cum calculo conjuncta eſt colica. Si gravidæ querantur de dolore in lumbis. it. febre ardente laborantes: non cogitandum de calculo: defluxiones catarrhales fingunt quoque calculum, non enim omnis dolor lumborum etiam gravior indicat calculum: bene enim diſtinguenda in praxi nephritis à calculo eſt, ille ſæpius à ſtagnatione ſanguinis circa renes provenit, & in calculum, niſi venæ ſectione & remediis nitroſis ſuccurramus, terminatur.

(*b*) *Urinæ multæ & tenues.* Hæ notant poros renum valde conſtrictos ſive ſpaſmo; ſive materia limoſa: viſuntur etiam urinæ in calculoſis interdum ſatis craſſæ mucoſæ & turbidæ, quod bonum ſemper ſignum eſſe ſolet, teſtantur enim Obſervationes, in primis *D. Joh. Henrici Brechtfeldii quæ volum. III. Actis Medic. Haff. Obſer.* 70. *proſtant.* ubi puella bimula materiam albam, mucilaginoſam emiſiſſe cum urina, ſcribitur, quæ ſtatim ab aëre externo in ſubflavum oblongum riguerit, duritie quemvis alium calculum æquantem: à qua ſanè muccagine albedinem & duritiem calculorum derivare libuit *Helmontio tract. Aliment. tartar. inſont.* § 28. eandemquem veræ calculi materiæ junctam, à ſemine Duelech petreſcere, *cap.* 2. *de Lithias. cap.* 3. conceſſit.

(*c*) *Subducta alvo, Galenus libro de renum affectibus* non ſolum pro præſervatione, ſed etiam curatione calculi nihil

tantopere

tantopere conducere ſcribit, quam alvum habere congruè apertam & lubricam.

CAPUT LXXVII.

De inſigni alvi profluvio.

DOmina Antonia Domini Alberti Zambonii Aromatarii, annos XL. nata, quatuor menſibus inſignem diarrhœam patiebatur, cui ut opem ferrent Medici, omnia uſualia fruſtrà ipſi præſcripſerant, cum verò minus de ſanitate cogitaret; in manus noſtras curanda venit. Rem etſi arduam, & periculo plenam, ſic tamen feliciſſimè abſolvimus. (*a*) *Ad jecoris obſtructiones* referendas, ipſumque in officio detinendum, dabantur manè croci Martis gr. x. in veſperis de eodem croco gr. vj. cum conſerva roſarum. Sub fine ad ventriculum roborandum, flatuſque diſcutiendos miſcebantur grana aliquot ſpecifici ſtomachici; & his duobus priſtinam recuperavit ſanitatem.

NOTÆ
in CAPUT LXXVII.

(*a*) *Ad jecoris obſtructiones.* Sectiones cadaverum, cholerâ, diarrhæâ, & dyſenteriâ extinctorum docuerunt integro pancreate cauſam morbi & mortis in folliculo fellis alii ſque biliariis vaſis latuiſſe, videatur *Dimeroccii Anatomia p.* 115. Bilis enim humorum acrium vehiculum eſt. Anatomen diarrhæâ defunctæ, ubi veſica fellis tota bile ex viridi nigricante repleta erat vide in *Actis Haffnienſ. anno* 76. *Obſerv.* 21. Puer diarrhæa mortuus, ſectus fuit à *Dn. Bierlingio* par & lien magnus & totius meſenterii glandulæ ſcirrhoſæ inventæ fuerunt. Vide *M. N. C. ann.* 2. *Obſerv.* 153.

CAPUT LXXVII.

De Hectica febre cum ulcuſculis in faucibus.

DEcreveram ſilentio præterire ea, quæ acerba mors jam dudum ab oculis noſtris præripuit: at quomodo commemorare deſinam omnium mortalium Excellentiſſimum clariſſimum Eminentiſſimum & omnibus gratum litterarum Phœnicem, natali ortu verè Principem Romanum, in omni facultate primum doctorum recognitum, quem omnes fleverunt, de quo tot celebrata fuerunt encomia, luctûs, & gemitûs, cum lachrymarum fluctibus, per omnes Academias tanti exauditi fuerunt, ut omnis lætitia, tam curiæ Romanæ, quàm univerſæ Italiæ in mœſtitiam verſa ſit. Cùm verò Excellentiſſ. P. annos tunc XXIV. natus, graviſſimâ fluxione in fauces tentaretur, ac Romanos Medicos, qui tunc doctiores habebantur, fruſtrà ad duos annos conſuluiſſet, ad me Bononiam mittit, ut per litteras opem ipſi ferre vellem: quantum poſſum ipſi me offero. Agnoſcit tanti morbi curam abſente Medico perfici non poſſe, quâ de cauſa itineri ſe commiſit, & lectica iter faciens per Spoletum in peſſimam febrem incidit. Tunc Excellentiſſ. ejus parentes judicârunt, me ad eum potiùs convocandum eſſe, quàm tanti Viri itineris periculo committere ſalutem. Lecticam ad hoc, cum litteris multorum Principum, & amicorum commendatitiis, quibus enixè me rogabant, ad eum curandum accederem, mittunt. Eminentiſſ. Princeps Cardinalis Sabellius, tunc Bononiæ à Latere Legatus, non parum quoque me rogavit, ut hoc iter peragendum ſuſciperem. Lecticam ergo aſcendo, & Florentiâ Romam peto, & dum per Aquam pendentem pergo, nobis fuit obvius quidam, dicens Excellentiſſ. Principem, ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. ejus fratre Orvietæ expectari: tunc enim Illuſtriſſ. & Rever. frater, modò Eminentiſſ. Card. Cæſarinus nuncupatus, illius civitatis Gubernator erat. Orvietâ per aſperrimos montes Umbriæ ſuperata, ad Aquam Spartam deducimur, ubi dictum Principem febre lentâ confectum invenio, cum ulcuſculis in gutture. Cum verò maraſmo totus eſſet conſumptus, & (*a*) *febris* jamdudum *inveterata*, cum quadam raucedine, & cute aſpera: idcircò decreveram apud me nullo pacto hanc curam ſuſcipere, videns Excellentiſſ. patientem omni humanâ ſpe deſtitutum. At multa interea mihi ob oculos verſabantur, itineris labores, immodicæ expenſæ, tam in lectica, equis, & famulis, quàm in proprio honoratio: item videre omnes, malè de concepta in me opinione ſentire: & quod magis urgebat, tantum virum omni humano auxilio orbatum relinquere: quibus non minimùm impulſus, ei morem gerere non recuſavi. Ad ardorem itaque febris compeſcendum, bis in die dabatur Antihecticum cum Antipyreto, quibus vix ad decem dies uſus eſt, & evanuit omnino febris. Hac ſedata deperditum appetitum recuperat, & vires ſenſim revertuntur. Sic qui omnibus & mihi pariter incurabilis habebatur, ſanus omninò evaſit. Poſt ejuſmodi curam, vixit ferè decem annos; at ſæva mors eum derepentè è vivis ſuſtulit, & eo tempore, quo Summus Pontifex Urbanus VIII. ſupremus honoribus eum proſequebatur. Non defuerunt, qui maledicentiæ venenum evomentes, culpam mortis in præfata remedia referre ſtuderent; at mos eſt hujuſmodi homuncionum, ut qui infami invidiâ correpti, omnia etſi limpidiſſima Lycambeo ſuæ ignorantiæ ſucco inficere, atque tetris nocturniſque dicteriis obnubilare.

NOTÆ
in CAPUT LXXVIII.

(*a*) *Febris inveterata.* Diſtinguenda hectica eſt inter incipientem & confirmatam. In incipiente largiſſimus ſolet eſſe ſudor, urina rubicunda, facies bene colorata. In confirmata tumor pedum, cutis aſpera, alvi fluxus, urina tenuis, vocis raucitas. Si ex ventriculi vitio febris hectica vel potius lenta fit, vinum album, pauca tamen in quantitate convenit, quo videlicet ciborum coctio melius peragatur, & vires refocillentur. An vinum in hectica conveniat. *Exc. D. Phil. Jac. Sachſius. lib.* 2. *Ampelograph. ſect.* 6. *membr.* 2. *cap.* 6. *pag.* 285. *ex Lælio à Fonte, Mercuriali, Rhodio & Heurnio edocuit.*

CAPUT LXXIX.

De ulcere Chironio in facie.

OMnium ulcerum genus peſſimum, & contumaciſſimum iſtud eſt, Quod faciem occupat. Qui Aſtrologiæ favent, ejuſmodi ulcera Martialia appellant, non tam naturæ loci conſideratione, quàm ejus malâ conditione. Inter multos ſuperiori anno venit Ravennâ Bononiam Illuſtriſſ. D. Luciana Ginani Bifolci, ad manus noſtras curanda ex peſſimo ulcere in facie circa aurem ſiniſtram. Juvenis erat xxx. annorum, optimo temperamento, venuſtâ facie, & ſtaturâ mediocri: hæc enim cùm optimâ ſanitate frueretur, neſcio quo fato (*a*) *in ejus facie* obortum eſt malignum, & ferinum *ulcus*, quod ut ſuperarent Ravennatenſes Medici, multa tam intrà quàm, extrà adhibuerunt remedia: ſed fruſtrà. Quamobrem ad me Bononiam curanda venit.

nit. Intrinſecè decocto catholico uſi ſumus, ad ſaburram primæ regionis deturbandam. Ad ſalſedinem verò compeſcendam, eamque foràs trudendam, (*b*) *tincturam Saturni Philoſophici* per intervalla dabamus. Extrà verò ſolâ mumiâ minerali utebamur, cum unguento magiſtrali.

NOTÆ

in CAPUT LXXIX.

(*a*) *In ejus facie ulcus.* Ulcus præcedit ſemper inflammatio, quæ ſi conſpicitur in cute, Eriſypelas dicitur, cauſa eſt ſal biliofum tenue & cauſticum, quod motu critico ex ſanguine excutitur, & quoniam tenuitate & mobilitate ſua viam facilè invenit, ſuperficiem partium carnoſarum, crurum, uberum, faciei occupat, emunctoria paſſim in inguinibus ſub axillis afficit, inque iis aliquid velut in via deponit, eodem modò uti in peſte ſolet; atque à peſtis invaſione vix alio diſcrimine eriſypelatis acceſſio differre videtur, quam ſolo contagio & venenoſitate. In principio talia, quæ naturæ motum adjuvant, & quod intus noxium eſt, ad cutem excutiunt, danda ſunt, vulgò dicuntur *die Röſe vom Hertzen treiben.* Quod ſi autem hoc ſal corroſivum craſſioris & rigidioris texturæ eſt, minuſque mobile, in carneis fibrillis firmiter hæret, ibique continue ſolutionem & ulcus efficit, idem accidit, ſi oleoſorum infrigidantium abuſu evaporatio ſalis corroſivi ſubtilis impeditur. In Diæta abſtinendum eſt ab omnibus pinguibus, oleoſis, dulcibus, butyro, acidulis, ſalſis, acribus, ſynapi, cepis, porro, raphano.

(*b*) *Tincturam Saturni Philoſophici.* Eſt nihil aliud, quàm Tinctura Antimonii, quod Saturnus Philoſophorum nuncupatur.

CAPUT LXXX.

De herpete malignove ulcere nares depaſcente.

PRovidentiam divinam in minimis relucere experimur. Quotidiè veniunt ad nos Exteri ab aliis Medicis incurabiles habiti, ut de ſuis malis ſubleventur, & qui in vicinio proſtant, opem noſtram ſæpè negligunt. Concedo inter pares vigere invidiam, at quid invidia cum proximi dilectione! Si proximi laboribus levamen ullum ferre non poſſunt, quare conviciis putidisque ſuis mendaciis alios à ſalute deterrent? Juvenis erat quidam Mutinenſis nobilis, (*a*) *Herpete* quodam pravo, propè nares depaſcente, malè vexatus, cui occurrere non poſſe cognoſcentes Medici Mutinenſes, eum ad me miſerunt curandum: pluris ipſi fecerunt proximi ſalutem, quàm quemvis alium reſpectum humanum. Ipſi duobus modis priſtinam ſalutem reſtituimus. Intrà corpore repurgato, Melanagogo decocto, tincturam ſeu eſſentiam Marcaſitæ Saturninæ dedimus. Extrà ſolâ Mumiâ Minerali contenti fuimus cum unguento roſaceo. Plures conſimili ulcere laborantes eâdem facilitate ſanavimus.

NOTÆ

in CAPUT LXXX.

(*a*) *Herpete.* Differt Herpes exedens à miliari majori & minori acrimoniâ, in herpete remiſſior, in exedente vehementior exiſtit, ita ut non tantum ad corporis peripheriam ſecedat, ſed & eandem cum vicinis partibus exulceret & depaſcat. *Celſo* Herpes hic dicitur, ſacer ignis *in Lib. 5. de re Medica cap.* 28. quod nomen poſtea eriſypelati impoſuerunt. Hippocr. *lib. II. Prorrhetic.* tale prognoſticum de hoc conſignavit: Omnis ſacer ignis, ut minimum periculi habet ex his, quæ ſerpunt; ſic propè difficillimè tollitur. Quam difficultatem illi potiſſimum experiuntur, qui malè diſpoſita viſcera habent, à quibus continuus Ichor tranſmittitur.

CAPUT LXXXI.

De Pſorâ antiquâ, ſolo carnium, & juſculorum viperarum uſu ſanatâ.

NOn ſemper Chymica uſurpare novit verus & legitimus Medicus, ſed omnia habeat ritè parata ad manus. Non raro herbula jugulat morbos. Gal. ſuis temporibus, ſimplicia potiùs quàm compoſita uſurpabat, quod nos idem non ſemel præſtitimus. Sed dicamus, quomodo Rev. Pater . . . . de Tabia, totius ordinis Dominicanorum Provincialis per Lombardiam, ad nos venit curandus. Contraxerat ille Pater fœdam Pſoram per totum corpus à quinque vel ſex annis, pro quo affectu curando plures Medicos, infinitaque medicamenta fruſtrà tentaverat. Nos in tam contumaci morbo (*a*) *ſolâ viperarum carne* uſi ſumus: eas modò coctas in aqua cum pauco ſale comedebat, juſculum deſuper bibens: eas aliquando torrefactas, & in pulverem verſas, quo pulvere utebatur in cibis, nunc cum ſaccharo, nunc cum cynnamomo, & aliis. Totâ æſtate pluſquàm centum & quinquaginta viperas comedit. Quare renovatâ cute, totus alter factus eſt, & qui valdè ſenex apparebat, quaſi juvenis factus eſt, robuſtior videlicet ſolito, ad cuncta obeunda aptior. Uſus viperarum vix eſt utilis, niſi ad longum tempus; hinc fides adhibendane ſit Gal. in duabus illis hiſtoriolis, judicent alii. Nos in lepra dictis viperis uſi ſumus citra ullam utilitatem, etſi ad longum tempus.

NOTÆ

in CAPUT LXXXI.

(*a*) *Sola viperarum carne.* Viperarum carni magna vis depurandi ſanguinem à priſcis medicorum aſſignata fuit, ita ut etiam ad vitam prolongandam commendaverint. Vulgò creditur in iis animalibus, quæ exuvias ſuas deponunt, uti ſunt Cervus, viperæ, araneæ, cancri, eximium vitæ balſamum deliteſcere. Mirabile eſt, quod ſcribit Solenander *Conſil.* 25. *pag.* 110. Quando ſerpentibus coctis, nutriuntur pulli gallinacei per aliquot dies, implumes evadunt, & tandem rurſus plumis veſtiuntur, hiſce elephantiacos nutriendos eſſe ſuadet. Noſtrâ opinione viperæ conſtant ſale volatili oleoſo, ſubtili, immerſo mucilagini, unde ad longum tempus, ſi caro aſſumitur, non poteſt non ſanguini blandam introducere ſpirituaſcentiam, & evacuatoria publica, à quibus obſtructis omnis impuritas in ſanguinem emanat, aperire.

CAPUT LXXXII.

De Tabe cum inſigni ventriculi imbecillitate, vigiliis, &c.

MEdici officium non eſt ſemper ſanare, id enim ad Deum Omnipotentem propriè ſpectat, ſed appoſitè medicamenta ad hunc finem applicare. Atqui multi Medici putant ſe rectè, & canonicè mederi, ſi purgent, refrigerent, exſiccent, & humectent: finis, quales ſint, demonſtrat; ab operibus cognoſcetis eos. Ad hoc quidam Medicus, nomine Guinus, probus & doctiſſimus

ctiſſimus, Ravennâ Bononiam venit, ut à Tabe, ſeu potiùs inſigni Marcore eum ſublevarem. Hic annos 33. natus erat, & trium annorum ſpatio ab hoc graviſſimo affectu cruciatus fuerat; cui ſuccurrendo, alii Medici Ravennatenſes infinita propè remedia incaſſum adhibuerant. Conſilio tandem inter eos inito, unanimes ipſi ſuaſerunt, ut ad me curandus ipſe veniret; ſe cuncta à ſcriptoribus enarrata pro ſimilibus uſurpâſſe, in his fruſtrà triennium inſumpſiſſe; & melius aliquid cum ancipiti fortuna tentare, quàm ipſum miſerè ſine remediis moriturum relinquere. His, & aliis impulſus, ad nos curandus advehitur. Explorato morbo, quippe viſceribus ſiccâ (ut ajunt) intemperie laborantibus, (*a*) *ſpecificum* noſtrum *ſtomachicum* ad ſeſquimenſem dedimus, cum ſaccharo roſaceo; cujus beneficio in tantum convaluit, ut portione quadam datâ pro ejus uſu, cùm eſſet ad propriam domum reverſus, hilariter poſtea vixerit, pinguis admodum factus ſit, & ab hac cura quindecim annos in perfectâ ſanitate vixerit decimo ſexto anno tandem ex Pleuritide occubuit.

NOTÆ

in CAPUT LXXXII.

(*a*) *Specificum ſtomachicum.* Nullum dubium eſt, parari hoc ex Regulo Antimonii Martiali & Nitro, & coincidere maximam partem cum Antimonio Diaphoretico. Regulus autem eſt purior & ſaltim Mercurialis Antimonii pars, utut cicurata ſit cum Nitro in reſolvendo & deobſtruendo laudabilem adhuc recondit efficaciam; unde jam dudum ceruſſam Antimonii magni Chimiatri in abſceſſibus internis, morbo venereo, ſcabie, pruritu, puſtulis pertinacibus & ulceribus magni fecerunt. De ſpecifico noſtri Authoris conferri poteſt, Bartholinus *Volum. III. Act. Med. Haffn. Obſerv.* 26. Item Senertus *cap.* 18. *de conſenſu & diſſenſu*, & Chriſtianus Winckler*us* *ann.* 6. M. N. C. *obſerv.* 98. & Kerckringius *Comment. in currum Triumphalem Baſilii Valentini p.* 230.

CAPUT LXXXIII.

De Hectica febre.

Febrium obſervationes, & curationes in peculiari libro fuſiùs tractandas decreveram, ne verò rei memoria in totum pereat, hiſtoriam hîc referam de quodam Patre Jeſuita annorum viginti ſeptem; qui cùm longo tempore lentâ, & habituali febre laboraſſet, & ad ſeſquiannum multa è communibus Medicorum præſcriptis ſubiiſſet remedia, ad me tandem venit curandus. Cùm verò facie, & febre conſumptus eſſet, medicamentorum pariter multitudinis pertæſus, ſolis (*a*) *reſtaurantibus* & *humectantibus* tractandus erat. Quapropter ſolo Antihectico uſi ſumus, cum ſaccharo roſaceo. Fruſtrà fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, æque, & benè. Reſeratis obſtructionibus, & roboratis viſceribus, ſemper ceſſat calor extraneus; febrilis ille calor ſenſim humidum primigenium depaſcitur, unde putredines, & conſumptio totius corporis. Ejuſmodi medicamentum facili negotio paratur. (*b*) *Baſis eſt ſtella* ſignata Regis, cui benigna Jovis præſentia adveniens, Balneo Maris medio, pura & amica naturæ fit: ſic depurata, & optimè defæcata hominem ſibi reddit benevolum, non eum vexando, ſed amicâ ſocietate eum ſaturando; conſopitis videlicet malevolis aſpectibus, ſummam pacem vitalibus ſpiritibus tradit.

NOTÆ

in CAPUT LXXXIII.

(*a*) *Reſtaurantibus & humectantibus.* Ranas, teſtudines, limaces, it. oſtreas, Jammoros, ad extinguendum calorem hecticorum & reſtituendum glutinoſum alibilem ſuccum, multi ſunt, qui commendant, id quod etiam non eſt de nihilo. Illud tamen circa illorum uſum tenendum eſt, ut nimirum decoctum & juſculum ex illis magis præbeatur ægris, maximè ſi ventriculus imbecillis, vires labefactatæ & morbi principium non amplius ſit, ubi duriores cibi minus feliciter concoquuntur.

(*b*) *Baſis eſt ſtella ſignata Regis.* Deſcribitur hic Domini Authoris remedium antihecticum, quod ex regulo antimonii martiali & ſtanno puriſſimo mediante nitro parari poteſt, *de quo vid. plura infra.*

CAPUT LXXXIV.

De dolore teterrimo in tibiis inveterato, & continuo.

Implacabilis, & longo tempore (*a*) *pertinax dolor* in tibiis vexabat nobilem, & egregium patientem, Dominum Bernardum de Taſchis Mediolanenſem, tunc Mantuæ habitantem, ex qua ad nos Bononiam venit ipſe curandus. Ejuſmodi dolor, tam die, quàm nocte mirificè patientem torquebat. Ibi nullus tumor, & à quo oriretur hic dolor, vix erat comprehenſibile. Mantuani Medici dictum dolorem à lue venerea oriundum exiſtimarunt, propterea ligni Guajaci, & ſalſæ decocta pluries ipſi dederunt, excitatis ſudoribus in hypocauſto ad 40. dies; cerata viperina cum Mercurio tibiis admota fuerunt, & hæc omnia incaſſum. Obſervato loco affecto, cùm luis venereæ veſtigium nullum deprehendiſſem, ſtatui locum affectum cauſtico eſſe aperiendum; quod factum fuit. Inter oſſa, & carnes inventa fuit materia quædam dura, ſubalbida, naturæ & conſiſtentiæ nervi, cum alia materia ſebacea. Hac ſublatâ dolor penitus evanuit.

NOTÆ

in CAPUT LXXXIV.

(*a*) *Pertinax dolor in tibiis.* Dolorem tibiarum venereum diuturnum ſuſtulit Riverius, *vid. Cent.* 1. *obſ.* 8. pilulis mercurialibus, quarum duæ horis matutinis, & totidem pomeridianis per menſem integrum datæ fuerunt. Quinto quoque die interpolatus eſt uſus pilularum purgantium.

CAPUT LXXXV.

De dolore ſuperiori ſimili, eâdem methodo curato.

Superioribus annis, antequàm Pedemontana regio bellorum incurſionibus vaſtaretur, è Caſali Montisferrati ad nos Bononiam venit Illuſtriſſ. Comes Isbertus, Mantuanorum Ducum à conſiliis primariis, annos tunc 60. natus. De utriuſque tibiæ dolore maximè conquerıtur: & cùm dolor multis annis eſſet inveteratus, & ab aliis Medicis, tàm Pedemontanis, quàm Mantuanis inutiliter

inutiliter curatus, tibias ſtatim adaperiendas eſſe decrevi. Adapertis, non oſſa carioſa, (ut arbitrabamur) inventa ſunt, ſed tantùm (*a*) *materia gypſea*, quâ ſublatâ receſſit omnis dolor.

NOTÆ
in CAPUT LXXXV.

(*a*) *Materia gypſea.* Tophacea materia ubique fermè reperitur, & facilè adhæret membranis; hanc cum alvi excrementis ejectam recenſent *Miſcellanea N. C. Dec.* II. *ann.* 7. *p.* 349.

CAPUT LXXXVI.

De naſi, nariumque auctâ magnitudine, cum ulcuſculis erodentibus.

UT concinna, & apta membrorum proportio hominis pulchritudinem perficit; ita inconcinna & inepta turpitudinem parit. Cuidam piſtori nomine Petrus Caffonus, annum ætatis ſuæ 40. agenti, anni ſpatio naſus, & nares in inſignem magnitudinem creverant, cum inſigni livore, cui ulcuſcula quædam erodentia accedebant; cumque ab omnibus notaretur, & ab aliis Medicis fruſtrà curatus fuiſſet, ad nos tandem venit. Curam exordior à decocto melanagogo, quod ebibit 40. diebus bis in die. (*a*) *Extrinſecè* loco affecto mumiæ mineralis balſamum admoveri curavimus: quo medicamine repreſſa eſt turpis illa magnitudo, & ſanata fuerunt ulcuſcula. Rarus eſt ejuſmodi affectus, & quibus contingit, membrum putreſcit & excidit. Illi ſuccedit (*b*) *teterrimum ulcus,* quod poſtea carnes & oſſa vaſtat, & depaſcitur.

NOTÆ
in CAPUT LXXXVI.

(*a*) *Extrinſecè.* In gutta roſacea & in omni inflammatione glandularum ſubcutanearum faciei ſequens mihi ſemper ſalutarem præſtitit opem: Rec. aquæ fl. fabarum, ſambuci, roſarum ana unciam 1. Magiſt. ſaturni, Wiſmuthi, ana drachmam 1. mercurii præcipitati albi grana 10. eſſentiæ Benzoës drachm. 1. Camphoræ gran. 6. Hoc facies ſæpiùs madefiat.

(*b*) *Teterrimum ulcus.* Differt inflammatio ab eryſipelate, quod in hoc ſanguis ſeroſus acris ex capillaribus venis per poros in ſuperficiem & cutem diſpergatum. In inflammatione autem in muſculorum cavitates ſpargatur, atque vacua ſpaciola ibi capeſſat; unde tenſio, reniſus & pulſatilis dolor, ex inflammatioue in corporibus cachochymicis, & quando perperam tractatur, ulcus ferinum ex facili ſoboleſcit.

CAPUT LXXXVII.

De ulcere narium peſſimo.

MEdicus qui Chirurgiam ignorat, proprii nominis inſcitiam prodit. Gal. ipſi non obſervatur in primis quatuor libris methodi medend. Exteriora Medicum manuducunt ad interiora. Jactabundi quidam gracculi ut ignari nimis, profitentur hæc opera ad eos non pertinere; ſed ubi Hippocrates, Gal. & omnis antiquitas? Demiramur ſæpè, cur tam inglorii hodie vivant Medici: jactant ſe eſſe ejuſcemodi antiquorum aſſeclas; at vide quàm turpiſſimè mentiantur. Nobilis quidam Mutinenſis, annos 35. natus, ad nos venit, (*a*) *nares præferens vaſtatas* & putridas, cum inſigni fœtore. Ulcus illud ſordidum, depaſcens, & ferinum brevi Mumiâ minerali curatum fuit. Intus ad cauſam antecedentem deturbandam, decocto catholico uſi ſumus: quibus duobus, ulcus in totum conſanuit. Hoc medicamenti genus omnes indicationes explet, detergit, mundificat, incarnat, & cicatrice partem obducit.

NOTÆ
in CAPUT LXXXVII.

(*a*) *Nares præferens vaſtatas.* Sunt hæc ulcera admodum familiaria lue venerea & ſcorbuto infectis, & non niſi ſalivatione mercuriali radicitus tolluntur.

CAPUT LXXXVIII.

De Palpitatione cordis, cum inſigni anhelitus difficultate.

IN domo Illuſtriſſ. Comitis, Domini Hieronymi de Ranutiis, nobilis quidam Ferrarienſis, nomine D. Joannes Poretta, annos 30. natus, inſignem (*a*) *cordis palpitationem* patiebatur, cum graviſſima, & pernicioſiſſima reſpirandi difficultate ab anno integro. In eo curando alter Medicus totum illum annum fruſtrà inſumpſerat, multitudine medicamentorum illum obruens, modò cardiacis, modò thoracicis, nunc his, nunc illis localibus, ſuis ſolitis purgationibus præmiſſis, phlebotomiis, & ſimilibus. Nos (*b*) *ad morbi cauſam* reſpicientes curam paucis perficimus. Ad ſanguinem ſurſum ad cor aſcendentem, Elect. de Croc. Martis ℥. j. ad complures dies dedimus. Ut verò ſaburra omnis terreſtris, ſulphurea Jatrochymicis dicta, per inferiora deturbaretur, decoct. lign. ſaſſafras cum melanagogis, quindecim diebus dedimus, quibus optimè convaluit.

NOTÆ
in CAPUT LXXXVIII.

(*a*) *Cordis palpitationem.* Hæc frequens eſt ſymptoma hypochondriacorum & hyſtericarnm, & nihil aliud, quàm convulſio quædam cordis à materia quadam acri irritante vel ſanguinis coagulo aut polypoſa concretione exurgens, poſt paſtum plerumque ingraveſcit, prout nimirum chylus à nova fermentatione acrior accedit, & falſior, preſſioque major tunc efficitur. Omnia antihypochondriaca antiſpaſmodica & mixturam ſanguinis reſtituentia huic affectui ſanando inſerviunt.

(*b*) *Ad morbi cauſam.* Eſt acidum copioſum primis in viis hærens hypochondriacum, quod penè omnium morborum quoddam ſeminarium eſt. Nihil autem magis contrariatur huic ſali, quam mars, qui vera panacæa hypochondriacorum exiſtit.

CAPUT LXXXIX.

Apoſtema inſigne in crure.

CAſum nec communem, nec conſuetum commemoro. Dolor primò acer, & mordax ſentitur pluribus diebus, cui exiguus, & prædurus tumor ſuccedit; dolor immanis ſenſim invaleſcit, noctes ad plures menſes ducit inſomnes; tandem tumor grandior fit, & duorum menſium ſpatio augetur: noctu doloris acerbitas magis ſentitur.

Poſt

Poſt multa inaniter ab alio Medico facta, ad eam advocor. Præſentibus, & peractis cauſis ad unguem expenſis (*a*) *cauterium potentiale* dolorifico tumori affigitur, ex quo pus, hinc dolor evanuit. Antequàm infigeretur cauterium, varia cataplaſmata admota fuerant, tam ex farinis, quàm herbis emollientibus.

NOTÆ

in CAPUT LXXXIX.

(*a*) *Cauterium potentiale.* Securiſſimum & optimum eſt lapis infernalis; cujus deſcriptionem vide infrà. Liquida, uti butyrum antimonii, ſpiritus vitrioli concentratus, propter inæqualem extenſionem feliciter operantur.

CAPUT XC.

De ulceribus contumaciſſimis in tibiis.

SI qui ſint morbi, in quibus elucеſcat Medici ars & ſolertia, maximè ſunt ulcera, in quibus non tempus, neque fortuna, ſed Medici peritia requiritur. Ad noſtras manus nuperrimè venit curandus, Dominus Daniel Giupponi Ariminenſis, annos xxxv. natus. Is à duobus annis, (*a*) *ulcera exedentia*, dolorifica, fœtida, calloſa, & profunda, in ambabus tibiis contraxerat. Ut his proſpiceret, Medicos Ariminenſes conſuluit ſex menſium ſpatio; at in vanum. Quâ de re Patavinos adiit; qui cum non eſſent fœliciores aliis, ad nos Bononiam venit. Ad ejuſmodi curam perficiendam, à totius corporis habitu indicationes deſumpſimus: Is verò (*b*) *totus erat cacochymicus*, à longo tempore in lecto decumbens. Propterea univerſam ſanguinis maſſam, ab omni ſaburrâ repurgandam eſſe ſtatuimus: quâ de causâ Tincturam Saturni Philoſophici in principio dedimus; decocto poſtea melanagogo repurgatus fuit. (*c*) *Extrinſecùs* mumiâ minerali cum unguento magiſtrali d. n. Hæc verò medicamenta concedo non eſſe uſualia, communia tamen facimus, partim in noſtrâ *Pharmacopœa Spagyricâ*, & partim vivâ voce, prudentiſſimo Pharmacopôlæ noſtro Rev. Patri Hyacintho . . . . . . Rever. P. Dominicanorum Aromatario.

NOTÆ

in CAPUT XC.

(*a*) *Ulcera exedentia.* Notabile eſt in lue venerea vel menſium ſuppreſſione laborantibus, item in ſcorbuticis paucea vulnera in magna abire ulcera, & fœtorem ulcerum in mulieribus menſibus inſtantibus eſſe peſſimum.

(*b*) *Totus erat cacochymicus.* Cacochymia fœcunda mater ulcerum eſt, quæ tali in ſtatu rarò feliciter curantur, & quando extrinſecus conſolidantur, funeſta exoriuntur ſymptomata, qua de re legi merentur *miſcellanea naturæ curioſ. dec.II. ann* 5. *pag.* 318. *it. dec.II. ann.*8. *p.* 197. Præſtat itaque medicamentis antimonialibus & ſanguinis maſſam edulcorantibus nec non aperientibus ſpecificis cacochymiam tollere, quàm ſolo externo uſui fidere.

(*c*) *Extrinſecus.* Externe ulceribus magno cùm fructu inſpergi poſſunt varia fermentum ulceroſum imbibentia, v.g. Lac lunæ, radix ari, ſuccinum, cineres tabaci, cinnabaris nativa, aurum fulminans, ceruſſa antimonii, crocus metallorum & ejuſdem generis alia. Suffitus ex cinnabari & gummatibus ad ulcerum ſanationem multum quoque faciunt.

CAPUT XCI.

De uteri prolapſu.

HOneſtæ cuidam mulieri, cujus nomen pudoris gratiâ taceo, annorum XL. poſt nonnullos labores domeſticos, derepentè (*a*) *uterus totus inverſus è* pudendis prolabitur. Ad eam inviſendam accerſitus, mulierem invenio trementem, & lachrymis totam perfuſam: Blandis verbis à me recreatur, & ut ſupina jaceat ipſi ſuadeo, clunibus capite elatioribus. Partem oleo amygdalino perfricandam eſſe aſſero; tunc clunibus ex unâ parte compreſſis, ex alterâ manibus fortiter adductis intus uterus retropellitur, & in naturalem ſitum reducitur. (*b*) *Fotibus* poſtea *aſtringentibus* affecta pars fovebatur, bis & ter in die. Sequentibus diebus potu ſequenti uſa eſt.

℞. Nucum cupreſſi, num. xij. Rad. ſymphit. major. ℥. ij. fol. polygoni, herniariæ, beton. piloſellæ, an. m. j. fiat decoct. in vino, & aqua. Dabantur ℥.vj pro doſi, bis in die, cum ſyrup. limonum ℥.j. Fotus fuit.

℞. Nucum cupreſſi, gallarum, cort. granat. balauſt. ſumach. an. ℥.ij. fol. myrthi olivæ, quercûs, polygoni, an. m.j. flor. roſarum p.ij. Bull. in vino rubro.

Quibus paucis brevi convaluit, nec ſimili affectu unquam cruciata fuit. Et quia flatus ut plurimùm cauſa ſunt ejuſmodi prolapsûs, ideò ſeminibus aniſi, & fœniculi, ut utatur, ipſi ſuadeo, & ut ad complurimos menſes victum ſervet attenuantem, & exſiccantem, ſuadeo, Galeni præceptorum memor, peculiari *libro de attenuanti, & exſiccante victus ratione.* Quod dictum ſit propter eos, qui non ſapiunt niſi ex commentariis: his conſulerem, ut fontes non rivulos adirent.

NOTÆ

in CAPUT XCI.

(*a*) *Uterus totus inverſus.* Non dari procidentiam uteri veram, multi negare conantur, certum tamen eſt per avtopſiam, procidiſſe eundem ita, ut ſpitamæ ferè diſtantia ipſum orificium uteri internum extra corpus elatum, menſes foras ſtillaret, quod obſervavit Dn. Wedelius in fœmina honeſta. *Vid. M. N. C. dec.II. ann 6. obſ. 9.* Harvæus *exercitatione de partu pag.* 518. teſtatur ita procidiſſe uterum, ut infans intus geſtatus in prolapſo hoc corpore viſus fuerit. Jam dudum etiam id annotavit *divus* Hippocrates *Lib. de natura mulierum* §. 38. Johannes Riolanus *lib.2. antopagr.*35. hæc nobis reliquit: Corpus uteri, relaxatis ligamentis intra cervicem laxiorem & ampliorem, corpore uterino devolvitur, & extra orificium externum prominet, atque propendet, ut ſæpè obſervavi. Vid. reliq. Cui aſſentiuntur Joh. Fernelius *lib.6. cap.16. It.* Daniel Sennertus. *lib. de morbis mulierum part.1. Sect.2. cap.14. Exemplo autem clariſſimo id confirmat* Dn D Peyerus *in obſ.* 84. *dec. II. ann.* 1. *M. N. C.* Obſtare quidem videntur huic experientiæ rationes, dum firmatus ſatis & ligamentis affixus uterus eſt, ut incarceratum manere oporteat: At verò magna in utero vis expanſiva eſt, imò major ac in ulla parte corporis alia, hinc etiam ipſa ligamenta accedente imprimis intemperie humida laxari & extendi mirum poſſe, veroſimile videtur.

(*b*) *Fotibus adſtringentibus.* Adſtringentia fortiora evitanda hic ſunt, magis conveniunt decocta ex ingredientibus terreo-balſamico ſulphure ſtipatis, quæ, uti leniora ſunt, ſic etiam ſecuriora, v.g. Myrrha, maſtiche, cortex thuris, nux moſchata, mentha, quinque folium, fœnicula, folia myrthi, flores balauſtiorum, roſarum rubrarum, ſuccinum, quæ in vino rubro coacta egregium conſtituunt fotum. Intrinſecè autem ſuccinata & ex lignis parata medicamenta egregiè conveniunt.

CAPUT XCII.

De catarrho.

De catarrho verè poſſumus dicere, quod olim Ovidius: *quâ terra patet fera regnat Erynnis.* Hic non puero, non viro, non fœminæ parcit, ſed in omnes, & maximè in ſenes vires ſuas intendit. Eſt verò catarrhus, deſtillatio, ſeu defluxus præternaturalis humoris ſupervacanei à cerebro ad membra ſubjecta. Scholaſtici pro ratione cathedræ, multa de nomine, & poteſtate in medium proponunt. Nos qui mortalium utilitati conſulimus, neceſſaria tantùm amplectimur; & cum Fernelio dicimus, catarrhum *deſtillationem humoris excrementitii è cerebro ad ſubjecta membra.* Excrementitius eſt, quia omne quod comedimus, habet in ſe mucilaginoſum, & lutoſum tartarum, ſanitati humanæ noxium; quæ tartarea impuritas, cùm in ventriculo à calore noſtro atteri, ſubigi, & ſeparari non poſſit, manet excrementum, quod per ſeceſſum, (*a*) *vel per urinas exire deberet*: at ubi ſimul cum puro ad membra tranſit, hæc prima baſis, primumque fundamentum catarrhorum. Unde verò catarrhus peculiares differentias ſortitur? non à calido, frigido, &c. ut aſſerit garrula plebs, ſed à natura excrementi, & à loci differentia. Quod ad loci differentiam, ſparſim in praxi facilè quis obſervare poteſt. Excrementi differentiæ nonniſi longo tempore perdiſcuntur, uſu, & exercitio. Quare cerebrum ſupra omnia membra abundat catarrho? Non aliunde, quàm quòd cùm ſit corpus molle & humidum, pariter magno, & conſimili alimento eget, nec tam ad corporis molem enutriendam, quàm ad ſpirituum reparationem, & regenerationem. Ad omnem catarrhum præſcindendum, naturales partes primò roboramus, quæ in eo ſunt vitia removemus, atque eas ab omni ſaburra repurgatas ad naturalem ſtatum reducimus. (*b*) *Cur cerebrum exſiccare* non curamus? Quia ipſum alimento probo enutritum parum excrementi generat; proinde & ptyaliſmus, frequenſve expuitio, ſub catarrhi nomine ſupputatur, & perperàm cenſetur à cerebro venire, quamvis à ventriculo, aut à pulmonibus. Verùm, quia de morborum eſſentiis hîc noſtrum inſtitutum non eſt tractare, ſed per hiſtoriolas curationem aperire; non ex convaſatis, & ex aliorum ſcriptis confictis, ſed propriis laboribus partis: propterea in ſequentibus de ſingulis dicere decrevimus.

NOTÆ

in CAPUT XCII.

(*a*) *Vel per urinas exire debere.* Sal excrementitium retentum in lympha & ſanguine fons & origo catarrhorum maximè eſt, cum autem renes congruum ſint ſalium evacuatorium, hinc felici cum ſucceſſu diuretica rhevmatiſmos ſeu dolores ſpaſmodicos flatulentos muſculorum, à ſero acri ſalſo ſtagnante ortos, egregiè ſanant, quatenùs ſalia evehendo è corpore, operantur. Suduriferorum maximè fortiorum uſus in catarrhis cautiſſimus ſit: Obſervavimus, paralyſin, imò dolores colicos præpoſterum illorum uſum ſubſecutos fuiſſe.

(*b*) *Cerebrum exſiccare.* Staſes ſeri acris ſalini in partibus muſculoſis vel nerveis potiſſimum fiunt à tono partium læſo, hic autem dependet à ſpirituum animalium & nervorum debilitate, hinc quicunque nervos imbecilles, cerebrum humidum poſſident, & ſpirituum animalium defectu laborant, facilè incidunt in catarrhales defluxiones, arthritides; quapropter ſi velimus debitè catarrhorum fontem reſcindere, oportet id efficere nervinis, ſale volatili oleoſo, & blando temperato ſulphure pollentibus remediis; inter quæ laudem merentur ſuccinum, ſerpillum, lignum ſaſſafras, majorana, ſalvia, betonica, lignum aloës, ambra & ex eo parata medicamenta.

CAPUT XCIII.

De catarrho à longo tempore inveterato.

Perilluſtris, & Rever. D. D . . . . . Carpii Archipresbyter annos 35. natus, Bononiam ad nos venit, ut de (*a*) *contumaciſſimo catarrho*, in juncturas à longo tempore delapſo, curaretur. Carpii, & Mutinæ plures in vanum conſuluerat Medicos. Sub cura noſtra brevi ſic convaluit. Ad cachexiam, cujus cauſâ ad hydropem propendebat, conſ. roſarum dedimus cum ſpecifico ſtomachico. Ad viſcerum obſtructiones, ſulphur metall. Refocillatis viribus, & viſceribus novo robore donatis, fluxio tollitur, & priſtinæ ſaluti reſtituitur æger. Hac viâ incedit vera medendi methodus, in quâ animadvertere licet, quàm à veritate ſint alieni, qui totâ die nobis inculcant, cerebrum eſſe exſiccandum, jecur refrigerandum, & ventriculum excalefaciendum. Id non præſtant, quia contrarium incuſant, mira de ſuis malè inventis indicationibus effutiunt: oculati diſtinctionum tenebris offunduntur.

NOTÆ

in CAPUT XCIII.

(*a*) *Contumaciſſimo catarrho.* Catarrhi vel etiam rheumatiſmi in partibus muſculoſis oriuntur à læſo iſtarum partium tono, quod maximè fit ab inæqualitate aëris modò frigidi, modò calidi. Non autem ſemper à mutatione aëris calidi in frigidum & vice verſa, catarrhi epidemicè graſſantes ortum ſuum ducunt, verum ſerenâ etiam cœli temperie & ad ſenſum æquali quoad calorem & frigus oboriuntur ſæpiùs graviſſimi catarrhi, quod adſcribendum venit aëris mutationi & inæqualitati ratione gravitatis & levitatis ſuæ, vel etiam humiditatis & ſiccitatis. Obſervamus in barometris tempore autumnali maximam mercurii quoad aſcenſum vel deſcenſum variationem, quæ omnis ab inæquali pondere aëris provenit, qui modò poros cutis nimis relaxat, modò nimis conſtringit, ſicque tonum ejus deſtruit, & tranſpirationem turbat & inæqualem efficit, mirum enim externus aër, prout variat ratione caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, moderatur ac modificat tranſpirationem, à quâ prohibitâ ſtaſis lymphæ & catarrhi oriuntur.

CAPUT XCIV.

De Iſchiade.

Iſchias in omnibus non eodem modo curatur. Acutiſſimus eſt dolor in nonnullis cum inſigni pulſatione; tunc (*a*) *ſanguinis miſſio* è malleolo mirificè confert. In nonnullis eſt quidem acutus, ſed non pulſatilis; tunc phlebotomia inutilis eſt. Eſt altera ſpecies, quæ in principio non eſt acuta, ſed paulatim augetur; in hac neque purgationes, neque phlebotomiæ juvant: & hæc potiſſimùm oritur à lue venerea. Eſt altera ſpecies Arthritidi communis, quippe quæ vel eam, tanquam ejus prodromus, præcedit, vel in ipſa Arthritide venit; hujus, vel illius curandi artem per exempla faciliùs tradere eſt, quàm quibuſvis aliis præceptis.

præceptis. Quidam Admodum Rever. P. F. Vincentius de Coccapannis ex Carpio, modò in finali Mutinenſi Cœnobio ſuperior, annorum 35. ad Arthritidem, & Iſchiadem erat valdè propenſus, modò in genuum, pedum, & manuum articulis acerrimos dolores patiebatur: cùm verò juvenis eſſet (*b*) *natura biliosſus*, & ad id mali genus nimiopere propenſus, certum erat intra paucos annos ipſum in tanto affectu defecturum, aut ſaltem omnibus membris correptum iri, atque in lecto dolentem perpetuò decubiturum. Ad curationem, & præcautionem, pilulas ipſi dedimus catholicas, alternis diebus, quater aut quinquies; poſtea ſingulis menſibus, bis aut ter. Perſeverat per quatuor annos, intra quos firmiſſimam recuperat ſanitatem.

NOTÆ

in CAPUT XCIV.

(*a*) *Sanguinis miſſio.* Venæ ſectione ſolâ iſchiaticum dolorem ſe curaſſe, gloriatur Galenus C. 18. 24. Cura per venæ ſectionem. Item Celſus *lib.* 4. *de re medica cap.* 24. Per cucurbiculas curatam iſchiadem, referunt M. N. C. *Dec. II. ann.* 5. *p.* 338. Videmus hinc rationem, cur hæmorrhoidum fluxus juxta *Aphor. Hippocratis*; item cur dyſenteria quandoque, uti talem obſervationem communicat Solinander *ſectione* 5. *Conſil.* 1. *pag.* 431. tollant obſtinatum iſchiaticum morbum. Quare idem Autor ſanguinis detractionem & ad præſe vationem ab hoc malo & ad curationem iſtius ſuo tempore adminiſtratam utilem eſſe ſcribit. Vid. p. 452.

(*b*) *Natura biliosſus* Nitroſa, maximè nitrum artificiale cum cinnabare nativa vel antimonii maritatum tali in caſu omnium præſtantiſſimum eſt. Iſchiatici mali curationem tinctura refrigerante acida & ſucco ribii peractam vid. in M. N. C. *Dec. II. ann.* 90. *obſ.* 61.

CAPUT XCV.

De immodico menſium fluore.

MEnſium immodicè fluentium varia eſſe ſymptomata jam ſuprà tetigimus: inviſa tamen, nec ab aliis memoriæ conſignata obſervantur continuò. Honeſta quædam mulier annos 40. nata, prope Divi Martini fanum commorans, à 4. annis in menſium inordinatiſſimum fluorem quolibet menſe incurrebat, unde qui ad eam primò advocabatur Medicus, de phlebotomia in utroque brachio ſtatim ſollicitus erat; cathartica poſteà ad nauſeam præſcribens, nihil aliud præſtabat, niſi intolerabilem cachexiam. Et reverà dicta mulier, tam propter immodicam ſanguinis fluxionem, quàm propter inconcinnam medicamentorum applicationem in leucophlegmatiam inciderat. Ad 15. & 20. dies perſeverabat ſanguinis fluor, cui crebræ lipothymiæ, animive deliquia ſuccedebant. Dorſo ceratum comitiſſæ toties admovebatur, quoties immodica fluxio adveniret, & pulveres adſtringentes ipſi porrigebantur, utpote ex corallis, granis Kermes, lapide hæmatitæ, ſuccino, maſtiche, & ſimilibus; & tamen ſine fructu. Ad eam curandam, (*a*) *cachexiæ*, quâ mirificè donata erat, proſpeximus. Quâ de re Martis eſſentiam, cum tinctura coralliorum bis in die dabamus, cum conſerva roſarum, quibus mirificè ſanitati reſtituta fuit. Nugivenduli, qui nihil præter nugas, ex cortice commentariorum eductas nôrunt, clamitant iſthæc canonica non eſſe: ſtercora repoſcant, & conſimilia habeant.

NOTÆ

in CAPUT XCV.

(*a*) *Cachexia.* Cachectici, imò ipſi hydropici ad inordinatos & immodicos ſanguinis fluxus admodum proclives ſunt. Noſtra regula eſt, nullam hæmorrhagiam largiorem fieri ſine obſtructione cujuſdam viſceris vel ſpaſmo quodam fortiori internæ partis cujuſdam: Notabile eſt, in ipſa hæmophthiſi, vel etiam menſium fluxu nimio, quando per paroxyſmos ſanguis cum impetu erumpit, cutem extrinſecè corrugari, venas evaneſcere & anſerinam quaſi cutem fieri.

CAPUT XCVI.

De fame canina.

RArus eſt planè affectus in mulieribus ætate provectis: Erat tamen matrona quædam honeſtiſſima, ætatis ſupra 40. annos nata, quæ neſcio quo fato (*a*) *ingentem famem* contraxerat. Ad eam debellandam, pluries purgata fuit conſuetis remediis, cum ſanguinis miſſionibus. Hæc verò erat 40. annorum, nupta P. Albino Calceolario: Ad quam curandam accerſitus, mulierem invenio totam tumefactam, leucophlegmatiâ confectam, infinitorum propemodum remediorum pertæſam. Sub cura noſtra brevi ſanitatem conſequuta eſt in hunc modum. Primis diebus pil. de hiera ſimpl. Gal. dedimus ad ℨ. ij. in v. pilulas. Sequentibus diebus decoctum infra ſcriptum. ℞. Ligni ſaſſafras, ℨ. ß. rad. rubiæ tinct. fœnic. apii, an. ℥. j. ß. fol. abſinthii, agrim. capill. omnium, an. m. j. ſem. aniſi, ameos, an. m. j. coq. in aq. communis ſ. q. de colatura dabantur ℥. vj. pro doſi, cum ſyrup. limonum ℥. j. Decem diebus exactis ſaccharum roſaceum dedimus, cum eſſentia chalybis, & guttulis aliquot liquoris ſulphuris per campanam educti: de eo capiebat ℥. ß. pro doſi, bis in die: quibus gratiſſimis priſtinæ ſanitati reſtituta fuit.

NOTÆ

in CAPUT XCVI.

(*a*) *Ingentem famem.* Obſervamus ſæpiùs poſt morbos & febres nimiam famem, quæ tamen utplurimum graviſſimos morbos producit. Spiritus etenim per jejunium nimis impetuoſi facti, impetuoſius alimenta aggrediuntur, chylum nondum ſpecificatum per totum corpus nimis feſtinanter diſſipant, qui crudus & immaturus obſtructiones, ſcirrhos in partibus, atrophias, hydropem inducit; hinc omnis paſtus largus poſt febres peſſimus. Præſtat ſucceſſivè & paulatim virium refectionem inſtituere per alimenta, & quoad victus rationem regula hæc generalis attendenda eſt: Proportio ſemper debet eſſe inter vires & victum, ſi vires ſunt debiles & imbecilles, parcâ manu cibi, iique tenues dandi ſunt, plenior, ſi ſatis robuſtæ ſunt, & largior concedendus.

CAPUT XCVII.

De hydrope (*a*) poſt immodicam ſanguinis rejectionem per os.

Concedo rara non eſſe artis, & ex multiplici rerum eventu artem conſtituere velle, imbecillis eſſe ingenii; nec minùs culpandi ſunt illi, qui nihil ſciunt, niſi ab aliis dictum fuerit. Ingeneroſum planè, cum Seneca *in Epiſtolis*, nihil ſciri poſſe à nobis, quòd tamdiu vixerimus ſine ulla inventione; in aliorum dicteriis ſemimortuos, & quaſi conſepultos jacere. Vivit quidem qui ſibi ſapit; contrà qui nihil niſi ex commentariolis, cum larvis perpetuò luctatur. Petrus Thieri Ambianenſis, annos 40. natus, hîc Bononiæ commorans duobus annis elapſis pluſquam tres libras ſanguinis rubri, & ſpumoſi cum tuſſi rejecit: ſequenti die ſimilem quantitatem evomuit. Tunc propinquior Medicus ad eum vocatus, ipſi ſanguinem eſſe detrahendum ſuadet. Præſcribit & rotulos cum bolo. Quinto die pariter novum ſanguinem fundit per os, cui abdominis, & crurum tumor ingens ſucceſſit. Tunc ad eum inviſendum acceſſitus, conclamatum hominem, atque omni ſpe deſtitutum eſſe reputans, ipſi parum ſulphuris metall. propino: Croco tandem Martis bis in die exhibito perfectè convaluit, vivitque adeò ſanus, ac ſi nihil quicquam paſſus fuiſſet.

NOTÆ in CAPUT XCVII.

(*a*) *Poſt immodicam ſanguinis rejectionem per os.* Vomitus ſanguinis ex ruptis vaſis brevibus ventriculi originem ſuam habet. Vidimus id nuper in puella, quæ ex vomitu cruento & cordis palpitatione moriebatur, ubi hepar induratum ſcirrhoſum quaſi coctum apparuit. Lien prægrandis & tumidus, & venæ circa ventriculum tumidæ & apertæ in ipſius ſinu. Et quoniam noſtra ſententiâ hæmorrhagiæ fermè omnes enormes & crebriores ab inæqualitate motus ſanguinis propter obſtructas vias & venas viſcerum dependeut; hinc facile videmus viſcerum labem & ſcirroſitatem, quæ cachecticos & hydropicos ferè ſemper comitatur, excitare ſanguinis effuſiones per varia loca, quare hæmorrhagiæ tam per nares, quam per hæmorrhoides crebriores & præcedere & comitari ſolent hydropicos, ipſa praxi quotidiana id teſtante.

CAPUT XCVIII.

De Calculo.

Prudens, & honeſta mulier, nomine Bianca, annos 60. nata, dilectiſſimi Domini noſtri, & Patroni pluribus de cauſis amantiſſimi, familiæ gubernatrix, poſt diuturnos ventris dolores in inſignem maraſmum, cum lenta febre, incidit. Trimeſtri toto, aut circiter alterius Medici operâ uſus eſt. Brevitatis cauſâ omitto, quæ illo tempore aſſumpſit medicamenta. In Civitatem reverſus, à quâ diſceſſeram à menſe, mulierem invenio macie incredibili confectam, quæ ob virium imbecillitatem, vix dolorem ſentiebat. Ut tamen utrique affectui proſpicerem, (*a*) *lac caprinum* exhibeo quotidiè, cum ſaccharo albo pulveriſato. Primis diebus unciæ quatuor tantùm exhibentur, ſenſim augetur quantitas, & ad uncias octo uſque. Sub fine dierum 15. excrevit nonnullos calculos oblongos, & præduros, à quo confeſtim ſana evaſit. Perſeverat in dicti lactis uſu ad menſem; quo tempore depellitur marcor, recedit febris, & appetitus rediit. Vivit ab hac cura ſana, & vetula, agens modò 68. ætatis annum.

NOTÆ in CAPUT XCVIII.

(*a*) *Lac caprinum.* Lac omne diureticam vim habet propter ejus ſerum ſale ſubtili abſterſivo gaudens, hinc obſevamus poſt copioſum lac aſſumptum non tantum urinas tenues & aquoſas, verum & largiores.

CAPUT XCIX.

De Arthritide inveterata à multo tempore, cum tophis, nodis, in quo æger impotens à multis annis, nonniſi fulcris, & ſcipionibus ambulabat.

Dominus Cæſar Levante in juventute peſſimâ arthritide vexabatur, cujus causâ 5. & 6. menſes in lecto decumbebat. Primi dolorum inſultus adeò efferati erant, ut ad duos menſes nullo pacto quieſceret. Primis diebus ad eum vocatus, pilulas catholicas alternis diebus ipſi præſcripſi. Ubi contumax erat dolor, laudinas ipſis miſcuimus. Ad totalem curationem ipſi indicavimus, ut bis in menſe de dictis aſſumeret, & in potu loco vini (*a*) *biberet aquam perpetuò*, quod præſtitit ad decennium: quo tempore perfectam adeptus eſt ſanitatem. Scipiones, & cruces, quibus utebatur in ambulando, primò abjecit; baculum tandem, & modò rectus ſine auxiliis incedit. Modò agit 60. annum, optimo robore donatus, & optimâ valetudine fruens.

NOTÆ in CAPUT XCIX.

(*a*) *Biberet aquam perpetuò.* Cum arthriticorum natura fermè ſaliſica ſit, non melior potus ipſis conducit, quàm pura aqua, ſincera tamen & levis, quæ facilè invenit vias per ſudorem & urinam. Talis copioſius hauſta diluit & eluit ſalia peregrina microcoſmica, & fluidos ſuccos efficit. Vidimus hinc aquis dictis ſalubribus, quæ primum ſcaturire cœperunt, & ſæpiùs nil niſi aquæ fontanæ ſunt, leviores tamen & ſubtiliores, curatos perfectè arthriticos, & contractura ſpaſmodica partium laborantes, ſi in largiſſima quantitate hauſerint iſtas, & meretur hic recenſeri ſingulare exemplum cujuſdam viri, qui per novem annos pedum & manuum laboravit contractura, ex febre terriana diuturna perperam curata. Hic aquam noſtram ſalubrem, quæ optima aqua eſt & vitriolo volatili pauco tamen imbuta hauſit quotidie ad ſexdecim fermè menſuras, & quidem ultra menſem. Urinam excrevit copioſiſſimam, & ſucceſſivè tàm manus quàm pedes reliquit contractura, ita ut commodè ambulare & manibus prehendere poterit, maximâ cum hominum, quibus ejus ſtatus prior cognitus fuit, admiratione. Ut adeò ex hac hiſtoria pateat, copiam aquarum non nocere, ſed illam potius maximam vim preſſione ſua in deobſtruendis viis obtinere.

CAPUT C.

De arthritide, cum lue venerea.

PLures novimus ex tenui fortuna ad ſublimia evectos, è paupertate ad divitias, arthritide miſerrimè conflictatos, occubuiſſe; è contra, qui divites arthritidis doloribus infeliciter cruciarentur, ad pauperiem delapſos, ab iiſdem liberos evaſiſſe. Crapulam, an otium, Venerem, an Bacchum incuſare velle, non eſt facile. Modò nobis eſt præ manibus quidam nobis amicus, qui nullis voluptatum illecebris parcens, ab arthritidis cruciatibus liber evaſit, ſolius aquæ potus uſu. Novimus quoſdam ab omnibus Venereorum ſpiculis alienos, & pariter ab omnibus aliis ſeculi voluptatum blanditiis, præterquam à vini potu, & otiis, quibus ex dignitate officii, & profeſſionis indulgere tenebantur, arthritidis tyrannide ſummopère dilaniatos. Cur vinum tantopere arthritidi noceat? Non aliâ de causâ, quàm ejus tartaro, quo inter cætera alimenta copiosè abundat. In *prima Centuria* de ejus ortu, & eſſentia, paucis multa diximus, nunc de ipſa cum admixta lue dicendum. Circa utriuſque notitiam deſudet Medicus, nam tam arcta eſt utriuſque affectus conjunctio, & affinitas, ut non raró Medicos etiam oculatos decipiat. Nuperrimè quidam amicus noſter nobis ſeſe offerebat curandum. In principio, (*a*) *juncturarum dolore* immaniter excruciabatur, cui ſuccedunt vigiliæ, capillorum effluvium, puſtulæ, nocturna febris, &c. Juncturarum dolori advenit inflatio, rubor, & tumor: Non, ut in ſimplici arthritide, ceſſat dolor intra 15. aut 20. dies, aut (ut inquit Hippoc. 40.) ſed eodem modo divexat hominem. Genua præſertim, & utrumque poplitem adoritur, nec raró manus, & pedes. Deſinit ſæpè in apoſtemata, in quibus humoris acrimonia oſſa erodit. (*b*) *Gonorrhœa*, aliquando fit morbi prodromus, cum inſigni ophthalmia, aut ad minus oculi rubent, & prurigine moleſtâ vexantur. Iſchias nonnunquam incipit, & hæc nullis miteſcit remediis, præterquàm peculiaribus alexipharmacis. Ejuſcemodi affectuum tam eſt efferata pernicies aliquando, ut nî opportunis occurrat mediis Medicus, membrum totum vaſtet, oſſium etiam robur, & craſſitiem perimat. Curam utriuſque affectus uno eodemque tempore aggredior. Ubi dolor magis premit, eſſentiam corallinam exhibeo. Ejus loco, accipio pilularum polychreſtarum, deſcriptionis noſtræ, ſcrupulos duos, pil. laudinæ gr. vij. miſce, fiant pil. tres: capiat duabus vel tribus horis ante cibum. Decoctum poſtea ex ligni Guajaci ℔. ß. ſalſæ paril. ℥. ij. Infundantur in ℔. ix. aq. communis, & coquantur ad medietat. Sub fine adde fol. ivæ arthreticæ, bethonicæ, cichorii, an. m. j. ſenæ orient. ʒ. vj. hermodactyl. ʒ. ß. aniſi, ʒ. ij. liquiritiæ ℥. ß. fiat decoctum, de quo capiat ℥. vj. pro ſingulâ doſi, bis in die. Ex magmate cum ℔. xij. aquæ communis, parabitur decoctum ſecundum, cujus uſus erit in cibis; loco vini. Diæta præſcribitur pro ratione temporis, & perſonarum conditione. Præter ejusmodi decoctum, ſunt pleraque alia, uti extractum antivenereum, Chaos mercurii, &c. de quibus in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica.* Sed reverà certam, & determinatam medendi methodum inſtituere velle, omninò eſt impoſſibile.

NOTÆ in CAPUT C.

(*a*) *Juncturarum dolore.* Scorbutus & arthritis ſi excellentior eſt, ſæpiùs habetur & curatur pro lue venerea, & hæc quoque ſub arthritidis vel ſcorbuti nomine plurimum ſuas tragœdias exercet, item ſub ſpecie catarrhi quandoque latet cum anhelitus difficultate & anorexia.

(*b*) *Gonorrhæa.* Scorbuticis, arthriticis, nephriticis ſæpiſſimè accidit gonorrhæa: In ſcorbuticis ſemen ſæpe rubellum & arenoſum viſitur. Et gonorrhæa benigna plerumque eſt ſcorbutica ob ſal immixtum chylo, quod impedit coagulationem; hinc ſemen nimis fluidum eſt, & ſic tranſcendit capſulas: Adjuncti ſunt dolores capitis, ſtranguria, livor, tabes, dolor lumborum. Hanc ob rationem ſcorbutici ſunt ſputatores, & chylus bonus ſive lac non in copia generatur in illis. Præter purgantia lac cum terebinthina, item cum oſſe ſæpiæ ſumptum, arcanum eſt hoc in morbo.

CAPUT CI.

De lue venerea.

LUes venerea, quam Itali & Germani Gallicum morbum appellant, à variis variè deſcribitur. Cùm verò ejuſcemodi deſcriptiones ad eum curandum nihil lucis afferant, eas merito ſpernimus. De ejus ortu, & cauſis quicquid deblaterant, itidem parum refert. Etenim mercesne ex India, an *contagium in Neapolitana expeditione* contractum, vel, ut ſomniant nonnulli, Planetarum malevolus aſpectus, hucuſque profuit nihil. Mercatores in hoc Medicis longè peritiores obſervamus, qui attulerunt nobis arma, quibus debellare poſſimus tam dirum morbi genus. Indicationes ſi quæras, vel univerſum Medicinæ ordinem invertis, vel craſſam, & ſupinam ignorantiam multorum confiteri teneris. Etenim methodus, ſeu ars debellandi ejuſcemodi truculentum, & immaniſſimum hoſtem, ab uſu, & experientia tota pendet. Uſus verò, & experientià longo tempore parta docet, non omnes eodem modo, iiſdemque mediis curandos. Inprimis videndum, an cum ipſo morbo alter affectus ſit ipſi complicatus; etenim ambo eodem tempore curandi ſunt. Deridendi planè ſunt illi, qui unicâ methodo, unico decocto, unico unguento, ſuffumigio, cerato, pilulis, pulvere, & ſimilibus, unumquemque curare tentant. Hoc peculiare habet iſte affectus, ut ſæpè tartareis morbis ſe immiſceat; unde incautos Medicos non raró decipit; nonnunquam arthritidem in conſortium trahit: aliquando febrem habet comitem. Differentias, quas olim fecerunt per gradus, docti quidam viri, ad curationem pariter parum conducunt. Majoris ſunt conſiderationis, quæ ab ægrorum natura, & conditione deſumuntur. Sunt nonnulli, in quibus longo tempore latet; in quibus uno, & quibus alio modo ſe prodit. In nonnullis ſtatim poſt contactum, vel carie in pene, vel gonorrhœa, vel bubonibus manifeſta fit. In quibuſdam ſine his poſt aliquod temporis ſpatium, vel per puſtulas, vel per tubercula, vel per capill. defluvium, vel tandem per dolores, modò in capite, modò in ſcapulis, brachiis, pectore, pedibus, tibiis, &c. Aliquando adeò eſt obſcura, ut in arte verſatiſſimos plerumque decipiat. Peculiaria, veriora, & certiora ſigna,

gna, per negativam facilè inveniuntur, dicentes hoc non eſſe hujus, vel illius affectus, nocturnum magis, quàm diurnum, & continuum. Non rarò in principio veluti fervidus vapor per carnes ſerpit, ibique dolores accerrimos concitat. Mirum eſt, quomodo aura iſthæc virulenta, horum magis, quam illorum commercio gaudeat. Item quomodo tam exigua, fiat tàm ampla, & temporum brevitati minimè ſubdita, & quomodo fertilitate mirâ ſe per regiones, & per ſecula propaget. Cura ejus cunctis innoteſcit. Non eſt Medicus, qui in hac re ſuam peritiam ad ſidera non extollat. Quiſnam eſt Barbitonſor in Gallia, qui propria arcana non prædicet? Unusquiſque peculiarem methodum jactitat. Quatuor modi, quibus utuntur Medici, & Chirurgi, adhuc ſunt in uſu. Omnium hîc in Italia communiſſimus eſt, præbere ligni Guajaci decoctum cum ſudoribus, & ſine ipſis, purgationibus, qui modus in quibuſdam eſt laudabilis. Secundus, ſunt frictiones ex argento vivo. Tertius *ſunt ſuffumigia*. Quartus, emplaſtra, ſeu cerata. Mitto pilulas mercuriales, pulveres, vina, &c. Quod ad nos, prædictas etſi inutiles haud cenſeamus, eas tamen minimè uſurpamus. Decoctis, tanquam iis, quæ naturæ noſtræ magis conveniunt, frequenter utimur. Item extractis, electuariis, & confectionibus. Decocta in emaciatis in juſculis paramus. Hæc ſi ad Chymiæ normam parentur, communibus longè ſunt efficaciora. Dantur & in minori quantitate. Parandi modus in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica* habetur.

Symptomatum varietas medicamentorum diverſitatem conſtituit. Morbi verò eſſentia ſemper eademAlexiteria proponit. Matrimonium pariter, quod contraxit cum aliis morbis, medicamenta quoque diſcriminat.

Certam tradere regulam vix eſt poſſibile de iſto affectu: peculiares obſervationes tibi tradere arbitramur: quâ de re manum à tabula.

NOTÆ

in CAPUT CI.

(*a*) *Contagium in Neapolitana expeditione.* Omnia omnium ſeculorum præter lepram mala ſuperavit diritate & ſui propagatione lues venerea, maxima vagæ libidinis peſtis, quæ circa annum 1464. in obſidione Neapolis inter oppugnatores Gallos quaſi furia ab inferis exorta in ultimas terras propagata eſt, & niſi hydrargyri & aliorum remediorum uſus tempeſtivè innotuiſſet, omnium fœdiſſimum detrimentum intuliſſet.

PETRI

Spagiritæ, à σπάω, & ἀργύριον, vel à σπαργάω, educo, attraho, avello, &c.

PETRI POTERII PHARMACOPOEÆ SPAGYRICÆ LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De ſecretioribus Medicamentorum præparationibus, & uſu.

Sanitatis & morbi triplex origo.

QUICQUID ſagax & inimitabilis Natura ad mortalium calamitates propulſandas, ſanitatemque in ſuo robore ſtabiliendam excogitavit unquam, id (*a*) *è triplici penu*, eruendum optimè cenſuit; vegetabili nimirum, animali, & minerali. Nec ipſi ſatis fuit, tantam plantarum copiam adinveniſſe, quæ noſtris ſuperandis morbis ſufficeret, ni animalia ſimul, & mineralia in uſum advocarentur: Undè haud exigua ſuſpicio, num morbi pariter è triplici illo penu depromerentur. Vegetabilium atque animalium quotidiano uſu humana corpora manifeſtè alterari, nemo eſt qui ambigat, quandoquidem hæc duo in noſtri alimoniam cedant. At mineralibus non adeò apertè, ſed occulto quodam modo veſcimur, nimirùm cæteris eduliis naturæ induſtriâ cum his admixtis; uti vini exemplo liquidò conſtat, quod in ſuo tartaro naturam quandam metallicam è terræ viſceribus hauſtam continet. (*b*) *Omitto aquam*, quâ quotidie utimur, varia ſalium, & mineralium genera in ſe coërcere. Quâ de re horum trium naturam, vires, & facultates jàmdudum contemplari, præcipuas, & quas potiſſimùm in Medicina factitanda uſurpamus, ſeligere, atque commodo publico tradere cupientes, præfatum naturæ ordinem ſequi, óptimum duximus.

Animalibus, vegetabilibus & minerabilibus nutriri hominem.

Ordinis ratio.

ANNOTATIONES IN PHARMACOPOEÆ SPAGYRICÆ *LIBRI PRIMI* CAPUT PRIMUM.

(*a*) *E Triplici penu.* Res dubia eſt, ad quod regnum naturæ ſpectet aër, qui magnum jus habet corpora noſtra afficiendi, vel etiam morbida ſanandi; aër quippe mutatus magnis ſæpe morbis remedio eſt; Et qualis aër, tales ſunt ſpiritus rectores machinæ noſtræ; unde in ipſo ingens momentum ſanitatis noſtræ ponitur.

(*b*) *Omitto aquam.* Aqua ſicuti eſt menſtruum macrocoſmi; ita quoque microcoſmicum, & quo purior, atque heterogeneis partibus magis privata, eò meliores & ſinceriores generantur ſucci corporis; quo circa ab hujus ſalubritate magna pars ſanitatis noſtræ pendet. Rarius aqua puriſſima invenitur, ut plurimum de ſoli naturâ ejuſque contentis participat.

CAPUT II.

De Medicamentorum præparatione in genere, deque hujus partis præſtantia, ſubjecto, & officio.

Pharmacopœa duplex. Pharmacopœa ſpagyrica. Phyſica practica. Ejus finis ſanitas. Præſtantia, & dignitas. Ejus ſubjectum. Utilitas. Officium. Fautores & Authores.

EAm Medicinæ partem, quæ medicamentorum præparationem docet, (*a*) *olim unicam*, nunc verò duplicem agnoſcimus: antiquam Pharmaciam; & recentem licet antiquiſſimam, quæ Spagyrica & Chymica dicitur. Si ad hanc legitimi ejus uſus cognitio accedat, verè Phyſica praxis dicetur, omnium ſcientiarum nobiliſſima, utiliſſima, & præſtantiſſima, cujus finis & intentio ad ſanitatem perpetuò dirigitur, ſibique pro ſubjecto vendicat rem omnem; ad humani generis commodum primitùs comparatam. Hujus partis tanta eſt dignitas, & præſtantia, ut nihil ſit, quod tam de repentè Medicum exornet, nobilitet, & clarum, famóſumque reddat. Hæc firmiſſima Naturæ clauſtra reſerat, corpora in ſua elementa, & elementa in ſua principia reſolvit. Qui in eâ claruerunt olim, apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Perſas Magi, apud Gallos Druidæ vocabantur. Ei quandoquidem virtutum omnium terreſtrium, cœleſtium, animalium, vegetabilium, & mineralium clavis concreditur. In ea non modò rerum eſſentiæ perpenduntur, verùm & in lucem conſpectumque hominum adducuntur, purum ab impuro ſegregatur,

cortex

cortex à nucleo, contrarium à contrario; multa denique miranda præſtat, & multò majora, quàm quæ humanus intellectus excogitare poſſit.

NOTÆ
in CAPUT II.

(*a*) *Olim unicam.* Pharmacia ſeu præparatio medicamentorum Galenica eſt, vel chymica. Galenicam amplexi ſunt veteres, chymica ſelectior quaſi recentioribus magis arridet. Antiqui olim vegetabilibus contenti erant, & ex herbis medicinas ſuas parabant; Verum noſtro tempore ex animali & minerali regno magno acceſſere augmenta, ut jam chymicis pharmacopolia mirum ſplendeant. Unica tamen eſt ars præparandi medicamenta ex omnibus regnis, quæ pharmacia eſt, & utraque methodus tam ſimpliciter Galenicè & diffuſius, quam conciſius, ſubtilius & chymicè parandi medicinas hodienum valet, nec ſuâ laude caret utraque, ſed ambæ amicè conſpirare debent. Innoxia & ſecuriſſima remedia chymica ſunt, magnæque activitatis, modo prudentem nanciſcantur medicum. Certè indignus eſt Medici nomine, qui chymiam ignorat, miſerior, qui illam odit, Remedia Galenica ſatis quoque tuta, imo neceſſaria ſunt, ubi imbecillia adſunt ſubjecta, & lento gradu procedendum; tunc ſæpè plus juvat ſimplicis herbæ decoctum, quam famoſum quoddam elixir, quinta eſſentia, aut panacæa magni cujuſdam Chymiatri.

CAPUT III.

De ſecretioribus medicamentorum vegetabilium præparationibus.

Vegetabilia, ex quibus prima morbis accommodata remedia educimus, multiplicia ſunt: vel enim exotica, & è diſtantiſſimis maris tractibus allata; vel noſtratia, ſub cœlo, ſoloque noſtro nata. Inter hæc, ſunt herbæ, frutices, ſubfrutices, arbores, & ſimilia, quæ integra vel eorum partes ſumimus, ut radices, cortices, ligna, folia, flores, fructus, ſemina, gummi, reſinas, & alia: his aliquando cum aliis mixtis, nunc in formam decoctionis, julepi, ſyrupi, pulveris, confectionis, electuarii, opiatæ, pilularum, & ſimilium; nunc in formam aquæ, olei, ſalis extracti, Clyſſi, magiſterii, &c. chymicè paratorum. Et quia Illuſtriſſimo D. Equiti Cassianoa Puteo, cui hæc primò dicata ſunt, tantùm polliciti ſumus (*a*) *ſelectiora*, & ea quæ ſæpius apud Chymiatros in uſum veniunt, unà & hæc, quibus paſſim in curandis morbis utimur, deſcribere: Ideò communibus & vulgatis omiſſis, ad prædicta recto tramite nos transferimus, initium ducentes à decoctis, ut à levioribus, omnium paratu facillimis, & nobis uſitatiſſimis.

Medicamenta vel exotica, vel noſtratia.

NOTÆ
in CAPUT III.

(*a*) *Selectiora.* Quivis medicus, uti miles contra hoſtem inſtructus armis optimis, ſeu medicamentis præſtantiſſimis ſit oportet, quibus adverſus naturæ hoſtes inſurgat. Non huc quadrant vulgaria vagè conſarcinata, ſed probatiora & ſelectiora, quorum experientia fida & tuta eſt: hæc enim medicum decorant, illumque nobilitant, ac ægros juvant; quare horum diſpenſatio Medicis propriè convenit. Qui in ſanatione morborum magna præſtare vult, utique præparare ipſe medicamenta ſelectiora euporiſta pauca, illiſque prudenter uti debet, ſic certior de illorum modo agendi & operandi fit, quod non facile contingit in diffuſo remediorum apparatu.

SECTIO PRIMA.
CAPUT PRIMUM.
De decoctis in genere.

In noſtris decoctionibus parandis plerumque à vulgari methodo minimè recedimus, in his præſertim, quas Pharmacopœis quotidiè parandas concedimus, & eò magis quando morbus non eſt admodum pertinax, ſimplicique medicamenti præparatione ſubigi & everti queat. Inſuper tædioſum nimis foret, unumquemque ad noſtri libitum docere velle. Fateor equidem (*a*) *in diuturnis graviſſimiſque morbis*, in delicatulis, & his, quibus ventriculus nauſeâ premitur, & qui ſolum aſpectum medicamentorum, odorem, & ſaporem perhorreſcunt, longiori artificio oportere uti, nam tunc crebris coctionibus, filtrationibus, clarificationibus, & diſtillationibus, ea adeò guſtui, palatòve grata reddimus, ut ipſis ægris in deliciis ſint.

Decoctiones parandi ratio multiplex, & cur.

Decoctiones, ut palato jucunda reddantur.

Vis, & facultas decoctionum in tinctura, ſaleque tartareo potiſſimùm conſiſtit; & ſic in multis parum intereſt, an in clauſo vel aperto, duplici vel ſimplici vaſe fiant. Vaſa autem ſumimus, vel terrea vitreata, vel vitra ipſa, item vaſa ænea ſtanno interiùs obducta, cum ſuis cooperculis ejuſdem materiæ. Pro humiditate aquas deſtillatas non raró uſurpamus, aliquando vinum, hydromel, aquam communem, & alia intentioni noſtræ convenientia. Quantitas humiditatis pro ratione rei coquendæ ſumitur, in duris & ſiccis plus; in raris, & humidis minus.

Decoctionum vis, & facultas in quo conſiſtat.

Earum vaſa.

Earum humiditas.

Item, (*b*) *dura, & ſicca* longam ſuſtinent coctionem, contrà rara, & humida, aromata quoque, & ea quorum vis, & facultas in ſuperficie conſiſtit, exiguam admodum requirunt coctionem: in his ſæpius ſolâ infuſione contenti ſumus; in aliis, mediocri, vel tertiæ, vel quartæ partis conſumptione; in aliis fortiſſimâ, & tunc ad medietatem, vel duorum tert. conſumpt.

Quantitas, & coctionis tempus.

(*c*) *Doſis.* eſt ℥ 1. 2. 3. 4. 5. & 6. pro viribus ægri, & rei natura. Decoctis utimur multis de cauſis: & primò, ubi medicamenta actu humida requiruntur, veluti in aliquibus morbis ſiccis, item in arefactis, &

Decoctionum doſis. Utendi ratio.

& attenuatis corporibus, ubi longâ humorum præparatione opus eſt. Quando ſiccorum, & ſolidorum lignorum, radicum, & ſimilium, virtutes & facultates elicere, eaſque in formam potabilem deducere volumus, medicamenta quoque actu humida æſtivis diebus magnoperè conveniunt, eo quòd calori noſtro, extrinſeco æſtu depreſſo, & dejecto, facilè humida ſuccurrant. Utimur & decoctis, quando temporis brevitas longiorem præparationem non fert.

Decoctiones quando & quibus conveniant.

Uſus decoctionum nobis eſt longè à paſtu, poſt paſtum, in cibis ipſis loco potus, ſemel, bis, & ter in die.

Decoctionum uſus.

Hìc contra Staticæ Medicinæ præcepta obſervavimus, decocta tutò dari poſſe, *(d) horis majoris tranſpirationis*, intrò fortè revocato calore, quo natura ſimul cum medicamine ſtipata & roborata, noxios humores expeditiùs ſubit, extrudit, foraſque propellit.

Statica medicina notatur.

In his adhibendis apprimè videmus, ut utrumque viſcus, lien, & jecur naturali robore ſint donata, & ventriculus minimè nauſeabundus, & imbecillis.

Cautiones in decoctionibus adhibendis.

NOTÆ

in CAPUT I.

(a) *In diuturnis graviſſimiſque morbis*, &c. Decocta requirunt integrum ac firmum ſtomachum, qui liber eſt, nec copia vitioſorum humorum obſeſſus, nec nauſea premitur; item vias primas lubricas, patulas nec obſtructas; denique tranſpirationem & motionem ſanguinis liberiorem, tonumque viſcerum, maximè hepatis & lienis, ſalvum, alioquin majus damnum, quam juvamen adferunt. Horum uſus ad menſes duos vel tres minimum continuandus, in chronicis: alias parum proficiunt.

(b) *Dura & ſicca.* Quæ duriora ſunt, uti partes animalium oſſa, radices, ligna, diuturniori egent coctione, minori aromata, ſale volatili prædita, omniaque purgantia, quæ melius infunduntur, quàm decoctione tractantur.

(c) *Doſis.* Variat doſis pro diverſitate ingredientium. Temperans & diluens decoctum ad libram unam vel duas, purgans ad uncias duas vel tres, aperiens ad uncias ſex aſſumendum eſt.

(d) *Horis majoris tranſpirationis.* Optimè adhibentur liquida & diffuſa, uti ſunt decocta & infuſiones, horis matutinis, quando coctio ventriculi eſt perecta, circulatio & motio ſanguinis ac tranſpiratio liberior, tunc longè citius pervadunt in ſanguinem, quem diluunt, ſalia ejus morboſa imbibunt, ac per debita evacuatoria proſcribunt; Ex adverſo ſi circulatio cum perſpiratione minus ſecundùm naturam ſunt, ut in pluribus morbis, vel etiam ſtatim poſt poſtum, exulent dicta.

CAPUT II.

De Dedoctis in ſpecie.

QUi huc uſque decoctorum formulas in ſpecies diſtraxerunt, eas præcipuè ad ſingulas corporis partes contraxere: hinc cephalica, thoracica, cardiaca, jecoraria, & ſimilia inventa ſunt quæ poſtea minutiùs concidenda duxerunt, veluti in multiplicem intemperiem. Sunt propterea decocta cephalica calida, frigida, humida, & ſicca; ſic de ſingulis partibus: cui & addere poſſem excalefacientia & exſiccantia, excale facientia humectantia, & alia, in quæ ultrò non progredimur, ne ejuſmodi inanis prolixitas inſtituti noſtri ſcopum evertat. Nos in medendo non ad ſolam intemperiem reſpicimus, verùm magis ad partium conformationem & compoſitionem; non qualitatum, ſed principiorum, cauſam morborum efficientem. Rurſus decocta ſunt vel ſimplicia, vel compoſita; laxativa, vel alterantia, de quibus fuſiùs apud Weckerum, Quercetanum, & alios. Inſuper quædam ſunt particularibus morbis expugnandis deſtinata, ut Epileptica, apoplectica, &c. Nos paucis exemplis contenti proponimus noſtra.

Decoctiones multiplices.

In medendo quid reſpiciendum.

Decoctionum diſtributio.

(a) *Decocta Cephalica.*

PArantur ejuſmodi decocta ex ſimplicibus capiti deditis: Ut Ligno viſci quercini, rad. pæoniæ, betonicæ foliis, capil. ven. &c. floribus ſtœchados, violarum, lilij, pap. rub. ſem. aniſi, fœniculi, carui, &c.

Decoctio Cephalica alterans & roborans.

Quibus addere, & demere pro natura morbi, ægri conditione, & tempeſtatis qualitate, unuſquiſque poterit; hæc roborantia, & alterantia dicuntur, ſi his immiſcemus agaricum, turbith, ſennam, polypodium, hermodact. eſulam, & ſimilia.

Quæ poſtmodum phlegmagoga, cholagoga, & melanagoga dici poſſunt.

NOTÆ

in CAPUT II.

(a) *Decocta cephalica.* Non dantur remedia ſpecifica hoc nimirum ſenſu, quæ ſaltem uni parti medeantur, inque aliis nihil efficiant. Medicamenta ſunt nihil aliud, quam menſtrua, quæ ſi prius ritè fuerint ſubacta à liquore gaſtrico-ſalivali, agunt imprægnatione humorum, quos in quoddam menſtrui quaſi genus convertunt, vel ſi intemperie laborant, ad temperamentum reducunt, ut deinde obſtructa reſerare & excretoria blande ſtimulare queant. Prout autem principium in ſanguine, humoribus, vel partibus peccans varium eſt; ita quoque medicamentum requiritur peculiare, vel ſalinum ſulphureum, vel reſinoſum, vel aqueum, volatile, mucilaginoſum, aut acre; adeò ut qualitatibus manifeſtis agant remedia, vel mechanicâ quâdam ratione explicari debeat horum virtus. Morbis capitis, qui vel ex diſcurſivo ſpirituum motu, vel ex obſtructis anguſtiſſimis nervorum & cerebri tubulis, naſcuntur, duplicis generis potiſſimum conveniunt. Prioris ſunt anodyna, blandâ ἀναθυμιάσει ſpirituum impetum ſiſtentia, qualia ſunt nominatim, flores primulæ veris, tiliæ, pœoniæ, acaciæ, ſambuci, roſarum, violarum, papaveris rhœados, liliorum convallium, &c. item vaporoſa, moſchus, caſtoreum, ambra, crocus. Ad poſteriorem pertinent claſſem ſale oleoſo ſubtili imbuta, cujuſmodi ſunt omnia ex animalibus oleoſa & ſpiritus volatiles, ex herbis majorana, ruta, lavendula, valeriana, lignum aloës album, roſmarinus tam hortenſis, quàm ſylveſtris, cardamomum, cubebæ, ſerpillum, baſilicum, ſuccinum, ambra, balſamum peruvianum, quæ omnia cum aquâ vel vino decocta, aut infuſa cum apto menſtruo ad vitia capitis præbent laudatiſſimam medicinam.

(b) *Decocta pectori inſervientia.*

ASthmati potiſſimum ſequens decoctum conducit.

℞. Radicum enulæ campanæ, ireos, liquiritiæ raſæ, & parum contuſæ, an. ℥. j.

ficuum pinguium No. xij. cap. ven. paſſii albi, ſcabioſæ, boraginis, tuſſilaginis, peti, (aliàs herbæ reginæ) hyſſopi, an. m. j. Flor. violar. boraginis, an. p. j. Coquantur in ſ. q. aq. communis ad tertiæ partis conſumptionem: clarificetur, aromatizetur cinnamomo, & dulcoretur ſaccharo, & melle. Si ejuſmodi decoctum coquatur ad craſſitiem mellis cum tantillo ſacchari, efficiet ſyrupum præſtantiſſimum; cujus dantur cochlearia 2. & 3. pro doſi, cum juſculo carnis, vel ſimplici vel alterato. Eadem iterum in alterantia, & purgantia ſubdividuntur. Verum purgantia nunquam uſurpamus, eo quòd eadem pectori vim ſemper inferant.

(*b*) *Decocta pectori inſervientia.* Morbi pectoris ſicuti proveniunt vel à ſtaſi tenacium humorum, vel à nimiâ illorum acrimonia pendent; ita quoque pectoralia ſic dicta Medicis, agunt vel incidendo ac reſolvendo humorum craſſitiem, uti ſunt helenium, ſquilla, hyſſopus, myrrha, radix iridis, ros ſolis, ſcordium, leviſticum, cherifolium, epithymum, naſturtium, gummi ammoniacum, ſulphur, benzoë: vel operantur deliniendo humorum acredinem, qualia ſunt liquiritia, ficus pingues, dactyli, uvæ paſſæ, herbæ emollientes, tuſſilago, flores violarum, borraginis, ſemen papaveris, pulmo vulpis, & ejus generis alia.

Decoctum ad phthiſim.

℞. Fol. gnaphalij montani, (Gallis *pied de chat*) Roris ſolis, ſive ſophiæ herbæ, Bugulæ, boraginis, an. m. j. Florum violarum p. j. Liquirit. raſæ, Uvarum paſſarum, p. ij. Fiat decoct. ut ſuprà in juſculo carnis, vel decocto hordei integri. Cum ſaccharo commodè in ſyrupum coquitur, evaditque medicamentum phthiſi utiliſſimum; coctio verò fiat in Balneo Mariæ, vel vaporoſo, vel ſimili.

Ad Pleuritidem.

Papav. rhœadis decoct. EX floribus papaveris rub. ad pugilli quantitatem in aqua communi more ſolito, & ſimplici ebullitione, fit optimum decoctum ad pleuritidem.

(*c*) *De Cardiacis Decoctis.*

TEmpore peſtis ejuſmodi decoctis opportunè utimur, tum etiam in putridis malignisque febribus. Adverſus venena quoque eadem non raró uſurpamus. Inter hæc calida ſunt, frigida, & temperata.

(*c*) *De cardiacis decoctis.* Hæc adhiberi ſolent ad malignitatem in morbis diſcutiendum. Optima ſunt, quæ parantur ex radice ſcorzoneræ, acetoſæ, raſura Cornu cervi, ſcordio. Guſtui & palato redduntur gratiora ſyrupo acetoſitatis citri recenti, granatorum, aqua cinnamomi, ſpiritu nitri dulci.

Decoctum Cardiacum temperatum.

℞. Fol. agripalmæ, cicerbitæ, Reginæ pratenſis, (aliàs ulmariæ) boraginis, bugloſſi, an. m. j. Florum cordialium, an. p. j. Cum aquis cordialibus meliſſæ, boraginis, ſcabioſæ, ſcorzoneræ, vel etiam juſculis carnis, fiat decoctum ſecundùm vulgatam methodum.

Aliud.

℞. Fol. meliſſæ, ſcabioſæ, ulmariæ, ſcorzoneræ cum rad. cardui ben. cicerbitæ, borag. an. m. j. fiat decoctum, ut ſuprà.

Aliud Peſtilentibus morbis inſerviens.

℞. Santal. albi, ℥. ß. rad. Scorzonoræ, tormentillæ, biſtort. an. ℥. j. fol. rut. caprariæ, pimpin. ſcabioſ. cardui ben. boraginis, an. m. j. fiat decoctum, ut ſuprà.

Aliud.

℞. Radicis ſcorzoneræ ℔. ß. rad. tormentil. biſtortæ, an. ℥. j. fol. ulmariæ, pimpinellæ, melliſſæ, boraginis, an. m. j. fiat dedoctum, ut ſuprà. Redduntur guſtui palatoque grata cum ſaccharo, & eadem cinnamomo, ſchœnantho, ſantalo, aut aliis ſimilibus priùs aromatizata.

De dedoctis (*d*) reſpicientibus hepar.

DEcoctiones, & juſcula, quibus utimur in affectibus jecoris medendis, multiplices ſunt: propterea ſolitâ brevitate, cui ſtudemus, ſeriem rerum, quas in his parandis uſurpamus, hîc inſerere tantùm decrevimus: Ut

(*d*) *Reſpicientibus hepar.* Ad hepatis obſtructionem conſiſtentem in poris & glandulis biliariis decocta ex herbis amaris, ſale abſterſivo imbutis, cum vino vel aqua egregia ſunt, ſi autem ſcirrhoſum minatur leucophlegmatiam, vel hydropem, minus conferunt. Principatum ex hepaticis habent centaurium minus, chelidonium majus, cichorium, fumaria, hepatica, agrimonia, capilli veneris, taraxacum rhabarbarum, & radices quinque aperientes Si additur tartarus tartariſatus, vel vinum martiale, majorem aquirunt efficaciam exinde decocta.

Radices apii, graminis, ruſci, aſparagi, fœniculi,	calid.
Radices acetoſæ, cichorii, taraxaci,	frigid.
Ligna ſantal. omnium, Folia cichorii, Herb. endiviæ, cicerbitæ, lactucæ ſat. lactucæ ſilv. portulacæ.	frigid.
Hepaticæ, agrimoniæ, fumariæ, lupuli, capill. ven. ſcolopend,	temperat.
Fol. Abſinthii utriuſque abrotani, chamædryos, &c.	calid.
Flores Violarum, roſarum, borraginis,	temp.
Semina 4. frigid. ma. &c.	

(*e*) *Sple-*

(*e*) *Splenetica Decocta.*

Ratione haud abſimili decocta ſplenetica paramus. Inter præcipua ſunt cortices tamariſci, cort. capparum, radices filicis maris; Herbæ, aſplenium, ſcolopendrium, piloſella, pimpinella, betonica, & ſimilia. Sæpè ea incoquimus in aqua chalybeata, in juſculis, aquis graminis, hydromelite, & aliis. In his parandis tribus vel quatuor rebus contenti ſumus, uno videlicet, vel duobus, quæ diſſolvant, & attenuent, altero roborante, & tertio, vel quarto purgante, aut alterante, vel aliud ſimile reſpiciente. Qui ſecùs agunt, & in uno decocto omnia ſingulas corporis partes reſpicientia ſimul miſcent, Empiricos ſe præbent, & artis præcepta evertunt.

Multitudo haud amplectenda.

Agrimonii decoctio.

Agrimonium in ſimplici aqua decoctum, ad duos, vel tres menſes, pro omni potu feliciter cuidam hepatico, & maximo cum fructu, dedimus.

Ivâ artetica item in potu per aliquot dies exhibitâ cruentam mictionem ſanavimus.

Plantag.

Plantagine ſolâ in juſculo vervecis coctâ ad diarrhœam, & lienteriam feliciter utimur. Poſſem multa alia ſimplicia recenſere, quorum in morbis medendis, nobis multiplex experientia conſtat. At paſſim in *curationibus noſtris* eadem obſervare haud difficile erit.

Bugulæ decoctio in Phthiſi.

Decoctum bugulæ in juſculo vervecis factum, hîc prætermittere nolo; maximè in phthiſi, atque in intrinſecis ulceribus: parum, & clementer ventrem laxat, contra naturam conſolidarum, inter quas ipſa ab Herbariis reponitur: hepati mirificè confert, & aliis ſuccurrit.

(*e*) *Splenetica decocta.* Lien utplurimum infarctus eſt craſſo & copioſo ſanguine, quare quæ blandè ipſum reſolvunt, ſpleni dicata ſunt, quâ facultate pollent ſcolopendrium, fumaria, piloſella; epithymum, agrimonia, radix filicis, cortices tamariſci, capparum, maximè ſi coquuntur ex aquâ chalybeata, quæ lenem conſtrictionem ac tonum ſpleni reſtituit.

(*f*) *Decoctum Nephriticum.*

♃. Radicum apii, ononidis, altheæ, an. ℥. j. ß. fol. argentinæ, betonicæ, piloſellæ, herbæ Turcicæ, an. m. j. liquiritiæ raſæ, & parum contuſæ, ʒ. v. ſem. milii ſolis, fœniculi, an. ℥. j. Bulliant in ſ. q. Aquæ communis: colaturæ dantur ℥. vj. cum ʒ. j. ſyrupi limonum, & guttis iij. ol. vitrioli. Calculum in renibus potenter diſſolvit, è veſica pellit & ejicit, & urinam copioſè movet.

Argentin. decoct. Piloſellæ.

Argentina in juſculo per ſe data mira præſtat, Piloſella item ſola exhibita non minima præſtat. Prætereo lubens infinita alia renibus dicata, ut quæ paſſim aliis in locis ad nauſeam uſque reperiantur.

(*f*) *Decoctum nephriticum.* Nephritica dicuntur, quæ ſubtiliſſimo oleo, vel nitroſo quodam ſale ſiphunculos & glandulas renales aperiunt, talia ſunt petroſelinum, chærefolium, fœniculum, geniſta, equiſetum, virga aurea, ſeſeli, althæa, ſaxifraga, baccæ alkekengi, juniperi, ſemen milii ſolis, amygdalæ amaræ, liquiritia &c. quæ decocta cum aquâ ſimplici addito ſpiritu ſalis dulci & ſyrupo limonum, pota calculos diſcutiunt. Argentina, piloſella, hedera terreſtris mira præſtant in læſione renum, ſeu illorum continui ſolutione, ulcere &c. Ad avertendos calculos non poſſum ſatis dilaudare uſum amygdalarum amararum, ſi tres vel quatuor ſingulis diebus mane ſumantur. Dici vix poteſt, quantum hæ juvent in diſpoſitione calculoſa, dum urinam movent, & arenam, quæ calculi elementum eſt, educunt, quod frequenti experimento ſum edoctus.

Decoctum pro gingivis roborandis.

♃. Fol. Roriſmar. ſalviæ, myrti, an. m. j. corticum granatorum, ℥. v. aluminis crudi ℥. j. Bulliant in ſ. q. aquæ & vini. Ejuſmodi decocto colluatur os bis, & ter in die. Gingivarum ſuperfluam humiditatem exſiccat, atque dentes roborat, firmatque.

Aliud dentes conſervans.

♃. Fol. olivæ, myrti, roriſmarini, an. m. j. caryophyl. contuſorum, ʒ. j. fol. roſarum p. j. Bul. in vino, ſub fine adde ſalis communis p. j.

(*g*) *Decoctum pro ulceribus ſordidis.*

♃. Fol. plantaginis, anagallidis, quercus, an. m. j. radicum ariſtolochiæ rot. ʒ. j. baccarum juniperi, florum camomillæ, an. p. j. aluminis crudi, ℥. ij. coquantur parum in ſ. q. aquæ fabrorum.

(*g*) *Pro ulceribus ſordidis.* Myrrha, aloë, maſtiche, radix ariſtolochiæ rotundæ, flores hyperici, roſarum, cocta in vino cum alumine, item unguento Ægyptiaco, ad ulcera mundanda, & luxuriantem carnem removendam utiliſſima ſunt.

Aliud.

♃. Fol. abſinthii, anagallidis, hypericônis, an. p. j. fl. camomill. roſarum, an. m. j. coquantur in vino, & aqua.

Aliud.

♃. Bacc. juniperi, p. j. rad. ariſtol. rot. ʒ. j. ſummit. hypericônis, camomillæ, an. p. ij. myrrhæ el. ℥. ß. ſublimati, ʒ. ij. fiat decoctum in ſ. q. aq. & vini. In hujuſmodi decoctionibus non rarò incoquimus Filipendulam, millefolium, vincam pervincam, plantaginem, ſolatrum, prunellam, & alia pro ulcerum natura, & temporis conditione. Item his ſæpè addimus oleum ſulphuris, vitrioli, & alia.

(*h*) *Decoctum purgans, nobis catholicum dictum.*

♃. Radicum polypodii quercini, ℥. j. ß. rad. ellebori, nigri, ℥. ß. fol. ſennæ mundat. ℥. j. ſem. carthami contuſi, ℥. ij. florum violarum, p. ij. prunorum Damaſcenorum,

N°. xx. aniſi, fœniculi, an. ℥. j. Macerentur triduo in ſ. q. aquæ endiviæ, cum ℈. j. ol. ſulphuris: dein parum bulliant, & colentur. Colatura clarificetur, dulcoretur, & aromatizetur, more vulgarium apozematum, Doſis eſt ℥. iij. & iv.

(*h*) *Decoctum purgans.* Folia ſennæ, rhabarbarum, flores violarum, acaciæ, perſicorum, polypodium infuſionem ferunt melius, quam coctionem, quia illorum vis, quæ in ſubtili ſale conſiſtit, diſſipatur; Decoctione rurſus partes terreſtres vim purgantis obtundentes extrahuntur; unde plerumque horum decocta flatus & tormina provocant, quod infuſa non efficiunt. Stimulo tartareo acuata addito eleoſacharo carminativo felicius operantur.

Decoctum melanagogum, cholagogum, & phlegmagogum.

Parantur ejuſmodi decocta ad libitum. Sumimus ex his ſimplicibus, alterum humorum purgantibus, eaque incoquimus, vel in juſculis carnis, vel aquis deſtillatis. Conſimilia remedia nobis ſunt extemporanea, nam citò ſitum, & putredinem acquirunt. Melanagoga nobis familiaria ſunt:

Sena, Epithym. Cuſcuta, Elleborus niger, Polypodium, &c.	Melanagoga
Caſſia, Tamarindi, Rhabarb. Violæ, Pruna, &c.	Cholagoga.

Multa alia ſtudio præterimus, ut quæ ubique cuilibet obvia ſint. Superſunt adhuc decocta, quæ ab affectu Antivenereà dicuntur, quorum aliquot deſcriptiones, uſu & multiplici experientiâ comprobatas hîc annectere placuit.

(*i*) *De Decoctis Antivenereis.*

DEcocta Antivenerea multiplicia ſunt, vel ſimplicia, vel compoſita; alterantia, vel purgantia. Simplicia ſunt.

Lignum Guajacum, Salſa parilla, Chinæ radix, Saſſafras, Buxus, Juniperus, Quercus, Saponaria, & alia.

(*i*) *De decoctis antivenereis.* Lignum Guajacum propter copiam reſinæ acris calidæ, decoctum præbet nimium exſiccans, quare emollientia, ut radix althex, glycyrrhizæ, herba malvæ, flores ſambuci, ficus, paſſulæ conſultò adduntur, quo ejus acrimonia paulùlum demulceatur; Sibi relictum & copioſè potum ſiccis magnum damnum adfert; Decoctum chinæ, ſcorzoneræ, ſaſſafras, ſi cum paſſulis temperatum eſt, acres humores temperat, & per urinam evehit; In praxi frequentior horum uſus eſt, rarior ligni guajaci ob ejus caliditatem.

Decoctum ligni Guajaci.

♃. Raſuræ ligni guajaci, ℔. j. corticis ejuſdem contuſ. ℥. iv. macerentur octiduo in ℔. viij. aquæ fontis, cum ʒ. j. ol. ſulphuris, in fimo equino, & vaſe vitreo capaci, cera & ſulphure priùs benè obturato. Coletur, & in colatura novum lignum reaffunde, ut ſuprà in eodem vaſe, & fimo macera triduo, & cola ut priùs. Colatura ad libitum per cohobationem purificatur, item edulcoratur, & aromatizatur, prout poſtulat neceſſitas, & ægri natura. De ſimplici colatura, neque purificata, neque edulcorata, & aromatizata, dantur ℥. ii. iij. & iv. pro viribus ægri. Hujus decoct. ℔. j. convenit picrocholis, & lienoſis. Iſthæc decocti formula tuta eſt: hydrope, & gallico morbo confectis medetur, apoplecticis, & aliis graviſſimis capitis morbis ſuccurrit. *Uſus, & facultas.*

Aqua, quæ inter coquendum elici poteſt, optima erit ad novam infuſionem parandam. *Quibus conveniat.*

Ex magmate, ſecundum decoctum poteſt parari, additâ aquæ quantitate ſufficienti: ejus uſus erit in menſa loco vini, aut pro nova infuſione paranda. *Secundum decoctum.*

Aliud decoctum.

ÆStivis diebus aliùd decoctum paramus, cum majori quantitate aquæ, & minori ligni guajaci, hunc in modum:

♃. Ligni Indici recenter limati, ℔. j. aquæ fontis ℔. xij. infund. per 24. horas, & coquantur, vaſe aperto, & valido, ad duarum tert. conſumptionem. Hujus decocti damus vj. viij. & x. uncias. Ex magmate ſecundum decoctum paramus, additis aquæ communis ℔. xx. ad tert. vel 4. partis conſumptionem. *Doſis.*

Salſæ, Chinæ, Saſſafras, Juniperi Decoctum.

EOdem ferè modo parantur decocta ſalſæ, Chinæ, Saſſafras, Juniperi, & aliorum, quibus & alia addere, vel demere non eſt abſurdum, dummodò à perito, & docto Medico id fiat. Pro unaquaque uncia ſumimus aquæ vel alterius liquoris ℔. j. ij. & iij. pro ratione morbi, & ægri natura, ut

♃. Salſæ parillæ minutim inciſæ ℥. iij. Aquæ communis, ℔. ix. macerentur per 24. horas ſuper cineribus calidis: coquantur poſtea in vaſe terreo vitreato, vel vitro, ſive urinali, aut alio ad medietatem, vel ad duarum tert. conſumpt. Sub fine adde parum liquiritiæ, & cinnamomi. Damus hujus decocti ℥. vj. pro doſi.

Decocta Chinæ, &c.

PArantur & eo modo, quo diximus de guajaco, ut & ea, quæ ex his mixtis fiunt compoſita, quorum vires & uſus experientia docuit. Inter hæc quædam ſunt purgantia, quædam alterantia. Purgantia multis non placent, quòd variis modis corpora eodem tempore exerceant; & tamen quidquid dicant, experientia, certiſſimum rerum criterium, rationes quaſcunque in contrarium adductas enervat, nullaſque reddit. Inter multa, à multis excogitata, quædam damus uſu & experientiâ clarâ: ut *Purgantia alterantibus tutò miſceri.*

Decoctum Antivenereum compoſitum purgans.

♃. Radic. chinæ in taleolas diſſectæ, ℥. xviij.

xviij. Salſæ parillæ itidem minutim inciſæ, & parum contuſæ, ℥. xxiv. cort. ligni Indici, ligni Saſſafras, an. ℥. iv. Hermodactyl. Turbith, an. ℥. ij. Aniſi, ʒ. ij. liquiritiæ raſæ, & parum contuſæ, ℥. j. cinnamomi ℥. ß. radicis Cyperi ſicci, ʒ. vj. contundantur contundenda, & infundantur ligna, radices chinæ, & ſalſæ in ℔. xxiv. aquæ communis. Coquantur lento igne ad medietatis conſumptionem. Factæ colaturæ exhibeantur bis in die ℥. ix. pro doſi. Hujus deſcriptio tota eſt empirica, doſis fortuita & temeraria; attamen famoſiſſimus quidam agyrta, hinc magnas opes corraſit, multis deploratis ejus medio ſanitatem afferens; verùm ultra dictum decoctum, cinnabaris ſuffumigiis eodem tempore ſæpius utebatur. Utrumque tamen minimè probavimus, uti nec alia temerè ab hujuſmodi homuncionibus patrata.

Aliud ex ſuperiori correctum.

℞. Radicum chinæ in taleolas inciſæ, ℥. j. Salſæ parillæ, ℥. iij. cort. ligni Indici, ligni Saſſafras, an. ℥. j. Hermodactyl. turbith, an. ℥. ß. florum violarum p. j. Liquiritiæ raſæ, & parum cont. ℥. ß. Infundantur infundenda in ℔. xij. aq. communis, per 24. horas: coquantur poſtea ad duarum tert. conſumptionem. De colatura dentur ℥. vj. bis in die. Robuſtis, & inveteratis morbis tutò exhiberi poteſt, cæteris minimè.

Aliud purgans præſtantiſſimum.

℞. Corticis ligni Ind. ℥. j. Salſæ parillæ minutim inciſæ, ℥. ij. Chinæ electæ, ℥. ß. Polypodii quercini parum contuſi, ℥. j. macerentur per 24. horas in ℔. viij. aquæ communis, & coquantur lento igne ad medietatem. Sub fine adde fol. ſennæ, ℥. j. Epithym. ʒ. vj. Liquiritiæ raſæ, & parum contuſæ, ℥. ß. Aniſi, ʒ. ij. fiat omnium decoctum: cujus colaturæ exhibeantur ℥. v. aut vj.

Decoctum Antevenereum non purgans.

℞. Raſuræ ligni Ind. ℥. iij. Chinæ elect. ℥. j. Salſæ parill. ℥. j. ß. Infundantur in ℔. viij. aquæ communis per 24. horas, & coquantur ad medietatem. Sub fine addatur cinnamomi, & Sacchari parum, ſaporis gratiâ. Doſis erit ℥. v. vj. & viij. ſero & manè.

Aliud non purgans omnium præſtantiſſimum.

℞. Salſæ parill. ℥. vj. Cort. lign. Ind. ℥. iv. Chinæ electæ in taleolas diſſectæ, ℥. v. Ligni Saſſafras, ℥. iij. macerentur triduo in ℔. xij. aquæ fontis, cum ʒ. j. ol. ſulphuris dulcoacidi. Factâ ebullitione colentur, & in colaturâ nova medicamenta iterum triduo macerentur, atque ut priùs colentur. Sub finem adde Liquiritiæ raſæ, & parum contuſæ, ℥. ß. aniſi, ʒ. j. cinnamomi, ʒ. ij. coletur, & ſecundum artem purificetur, variis videlicet reiteratis cohobationibus, & filtrationibus, ſine quibus vix tutò adhiberi poteſt. Doſis eſt ℥. ij. ad ſummum. Fæces ſerventur ad ſalis confectionem, ut inferiùs dicemus.

Qui ex ejuſmodi decocto extractum parare voluerit, methodum, atque ordinem loco de extractis præſcriptam ſervet, quâ etiam viâ aquam elicere non erit difficile: Alembico videlicet roſtrato vaſi coctioni inſervienti appoſito, cum ſuo recipiente. Delicatioribus, & his, qui ægrè medicamenta aſſumunt, aquam & decoctum damus: cæteris decoctum, & extractum, & ſal; quæ ultima deploratis, robuſtiſque exhibere ſolemus. Doſis certa & legitima, nonniſi longo uſu, & experientiâ cognoſcitur. Uſus itidem non unicuique æqualis, & uniformis tradi poteſt. Variæ ſunt naturæ, morbi quoque varii, ſymptomata multiplicia, ideò doſis, & uſus multiplex, & inæqualis erit.

Quantum ad victus rationem, nec quoque omnibus ſimilem tradere licet. Nobis utplurimùm ſiccam, & tenuem illam ab omnibus acceptam diætam uſurpare non eſt conſuetum: ſed apprimè videmus, ne ordinaria, & longo uſu comparata vivendi habitudo temerè mutetur; tantùm interea ſubtrahimus potus, quantum decocti in die porrigimus, nî alia ſubſit contraria cauſa.

Hucuſque de decoctis antivenereis pro inſtituti noſtri ratione, ſatis ſuperque dictum eſt; ſuperſunt alia, aliis morbis dicata, ut Epileptica, arthritica, &c. Ea autem arthritidi convenientia reddimus, his arthritidi appropriata immiſcentes: uti & Epileptica, nec non aliis morbis accommodata, ut radices hellebori utriuſque, hermodactylorum, eſulæ, acori, &c. herbas chamædryos, chamæpityos, primulæ veris, & ſimiles. Sed his omiſſis ad vulneraria nobis uſitata deveniendum. *Epileptica.*

(k) *De Decoctis vulnerariis.*

℞. Radicis aſclepiadis, ℥. j. rhabarbari electi ʒ j. fol. bugulæ, alchimillæ, borraginis, agrimoniæ, an. m. j. coquantur in vino & aqua, ut artis eſt colaturæ, dentur ℥. vj. aut vij. bis in die.

(k) *De decoctis vulnerariis.* Vulneraria agunt ſalia acria edulcorando, illaque per urinam ac ſudorem educendo, vel etiam balſamum temperatum ſanguini & humoribus fœnerando. Ex horum cenſu maximè eminent radix ſymphyti majoris, ſanicula, veronica, virga aurea, ſcabioſa, pulmonaria, maculoſa, plantago, alchimilla, betonica, agrimonia, hypericum; nuciſta, ſuccus cancrorum fluviatilium, lapides cancrorum, & quæ ſunt generis alia; hæc debitè cocta in aquâ aut juſculo carnis, extrinſecus non minus, quam intrinſecus vulneribus medentur cum paſſulis & ficubus.

Aliud.

℞. Fol. coronopi, ſaniculæ, betonicæ, agrimoniæ, Capillorum ven. baccarum juniperi, an. p. j. liquiritiæ parum, fiat decoctum ut ſuprà.

Aliud intrinſecùs & extrinſecùs adhibendum.

℞. Aſtacorum fluviatilium, (vulgò, *gambari*) N°. xx. ariſtolochiæ rot. ℥. ß. radicis ſymphyt. majoris, ℥. j. fol. bugulæ, alchimillæ,

chimillæ, ſaniculæ, agrimoniæ, betonicæ, m. j. Bulliant in ſ. q. aquæ communis, & vini, ut ſuprà. Extrinſecùs vulneri apponitur cum plagulis in eo madefactis. Intrinſecùs hauritur ad ℥. vj. bis in die, 4. horis ante paſtum, cui additur ℥. j. ſyrupi capill. ven. Quòd ſi ſitis adſit, tantundem ſyrupi limonum addimus: non rarò guttulas iij. vel iiij. olei Vitrioli dulcoacidi. Extrinſecùs ſi ulcus cruentum ſit, ſalis communis p. j. addimus; myrrhæ aliquando ℥. ß. alia etiam pro natura ſymptomatum vulneri ſupervenientium.

Decocti vulnerarii uſus.

Mira eſt hujus decocti vis, & energia; per ſe enim cuicunque vulneri etiam deploràto extrà & intrà exhibitum medetur. In articulorum vulneribus, nervis, & oſſibus in totum præciſis, ſuperiori anno, in duobus ægris, id certiſſimum & tutiſſimum experti ſumus; quare non immeritò cæteris decoctis vulnerariis anteferendum ducimus.

Decocti vulnerarii vis & facultas.

Decoctum coronopi, piloſellæ, roris ſolis, ivæ arthet. &c.

(*l*) EX *ſimplicibus* decoctiones ſimplices ſæpè paramus, & more ſolito, ſimplicibus videlicet in aqua, vino, vel juſculo coctis, aut infuſis. Ut

Decoct. coronopi. Ejus facultas.

♃. Coronopi cum radicibus, m. iiij. coquantur in ſ. q. juſculi carnis: colaturæ adde olei ſulphuris tantillum. Hoc decoctum vulnera pectoris intus hauſtum ſanat.

Decoctum aliorum ſimplicium eodem modo fit.

Piloſellæ vis. Piloſellæ decoctum, renum calculum frangit, & lienem imminuit.

Roris ſolis. Roris ſolis decoctum cruentis vulneribus medetur, phthiſi ſuccurrit, &c.

Ivæ arthetica. Ivæ arthericæ decoctio cruentæ mictioni mirificè confert.

Agrimoniæ. Agrimoniæ, urinæ ardorem reprimit. Multa alia, quibus frequenter utimur, conſultò omittimus, & eò magis, quod in *noſtris curationibus reperiantur.*

(*l*) *Ex ſimplicibus.* Non promiſcue ex varii generis herbis decoctiones fiant, ſed ſæpius unum bonum ſimplex decenti coctione cum debito ſuo liquore plus valet, quam compoſitum. Sic decoctum equiſeti, item radicis eryngii, nec non hederæ terreſtris adverſus calculum egregium eſt. Decoctum veronicæ vel fumariæ ſcabiem & impuritates ſanguinis tollit, urticæ mortuæ contra læſiones pulmonum valet: papaveris rhœados ad tuſſim & acrimoniam temperandum adhibent, Chamomilla Romana, vel etiam ſimplex tormina ſedat. Arremiſia vel etiam ſabina cocta & pota movet menſtrua; Florum cyani & geniſtæ ad hydropem expertiſſimum decoctum eſt. Fœniculi in lactis defectu replet mammas. Infuſum chinæ chinæ expugnat intermittentes, viſci quercini, epilepſiam.

De decoctis ex animalibus deſumptis.

PRæmiſſis vegetabilium decoctis, nunc de his, quæ (*m*) *ex animalibus* parantur, dicendum.

Cùm autem ejuſmodi decocta cuivis innoteſcant, vulgari modo propriè juſcula vocentur, eaque mulieribus, & coquis potiſſimùm conficienda jubeamus, ſupereſt, ut ab his, unico exemplo, nos expediamus.

Animalium decocta, idem ac juſcula.

Decoctum lienis.

♃. Lienes caſtrati vituli, aut alterius animalis, hos minutim incide, vaſique vitreo ſtricti orificii indantur, vinum generoſum ſuper affundendo, tantum, ut quatuor digitos ſupereminęat: coquantur vaſe priùs ſuo operculo probè obturato, ad calorem balnei maris, donec lienes ſatis cocti apparuerint: huic principiò adduntur cortices tamariſci, capparum, ſub fine ceterach, lingua cervina, piloſella, & alia ſplenetica, ſi pro liene. Si verò pro ciendis menſibus, radices valerianæ, fœniculi, apii, folia arthemiſiæ, calendulæ, matricariæ, & ſimilia: colatura pauco cinnamomi, & croco aromatizetur. Saccharo etiam edulcoretur. Hujus decocti doſis eſt ℥. iiij. manè jejuno ſtomacho. Sic ranarum, vermium terreſtrium, teſtudinum, aſtacorum, limacum, viperarum, & aliorum animalium decocta, & juſcula parari poſſunt.

Lienis decoctum pro liene, & pro utero.

De Decoctis, ſeu (*n*) *infuſionibus mineralium.*

QUanquam novum & fortè inauditum dogma, in medicamentorum præparatione, introducere videar, mineralia utpote elixationem ſuſtinere poſſe docendo; at ratione, & multiplici experientiâ edocti, magnas vires è mineralibus hac viâ elicimus, atque in noſtri uſum transferimus. Quid aqua chalybeata in decoctione ferri? Si de ferro, cur non de cæteris? Agnovimus virum ictericum, epoto vino, in quo pluries aurum extinctum fuerat, convaluiſſe; aquam, in quâ plumbum fuſum pluries extinctum fuerit, ferrum emollire, & ventrem, atque artus refrigerare, alvum laxando.

Auri decoct. *Plumbi decocti virtus.*

Antimonium crudum, & coctum, in aqua qualibet infuſum, maceratum, & ebullitum, corpus ſuprà & infrà purgat; ut qui voluerit eo uti medicamine, accipiat antimonii crudi ſubtiliſſimè triti, ℥. ß. maceretur per noctem in iii. vel iiii. aquæ, vel vini: detur cuilibet, egregiè purgat ſuprà & infrà.

Stibii decoct. vis & facult.

Fit verò alia infuſio, ſive decoctio antimonium primò præparatum, ſive in flores, ſive in calcem, ſive in vitrum uſurpando. Pulvis ille, qui Venetiis vulgò vocatur, *La polvere de l'Algarot*, eâ ratione uſurpatur. Eum enim priùs per noctem infundunt in vino, manè vinum percolatum exhibetur.

Polvere de l'Algarot.

Sic & de regulo antimonii infuſio fit, & datur. Pulverem illum Algutetum antimonii vires & facultates de ſe promere, lippis, & tonſoribus notum eſt: cur ergo tam anixè auri eſſentiæ nomine indigitabitur.

De mercurio quoque infuſio fit & datur. Argentum vivum ad ſcrupulum, in vino vel aqua infuſum, puerulis exhibitum, vermes enecat. Ex eo more noſtro calcinato, per coctionem, liquorem educimus, multiplici uſui accommodatum.

Mercurii decoct. *Sublimati abuſus.*

Su-

Sublimatum multi hodie Empirici in aquis roſarum, vel alterius generis ebulliunt, quâ decoctione ſæpè non infeliciter utuntur, tam in fœda ſcabie curanda, quàm in aliis graviſſimis morbis propulſandis. Quidam nunc Bononiæ degit, ſuæ profeſſionis deſertor, uti ſunt omnes hujuſce farinæ homines, qui eâ aquâ, in quâ bullierit ſublimatum, auſus eſt multos ſanare velle, juncturas, & alias partes inungendo. Non deſunt & alii, qui eâ ulcera ſanare aggrediuntur, non citra ſæviſſima ſymptomata; non raro etiam cum aliquo proſpero eventu: unde Empiricorum turbæ elatiores fiunt, & in Medicos graviſſima convitia evomunt, non ſine maximo eorum dedecore.

Sublimatum Empiricos complures efficit.

Item ex ſublimâto in convenienti liquore elixato, fit ſuffumigium, medicamentum rarum, & ad multos uſus utile. Poſſem plures decoctiones, & infuſiones Mercurii addere; At perito, & ingenioſo Medico his longè præſtantiores ſibi effingere non erit difficile.

Sublimati ſuffitus, ſeu vapor.

Chaos Mercurii à Paracelſo ſic dictum, decoctionis ſpecies eſt, de qua dum in particulari metallorum tractatu verſabimur, aliquid dicemus.

Chaos Mercurii.

Sulphur in ſimplici aqua coctum, præſtantiſſimum quoque medicamentum eſt. Aqua enim, in qua ipſum tota nocte maduerit, vel excoctum fuerit, intus ſumpta hepar refrigerat, febres juvat, & alia præſtat. Extrà, inflammationi cuicunque medetur, ſcabiem ſanat, & rubores faciei tollit.

Sulphuris decoctum.

Ejus facultas & vires.

Vitriolum album in aqua communi, vel in juſculo carnis diſſolutum ad ʒ. ß. & ʒ. j. ſuprà & infrà validè purgat, quo remedio crebrò utuntur ruſtici in agro Nemauſenſi, & Uticenſi degentes, montani præſertim, & maximè in pleuritide, & doloribus quibuſcunque lateralibus, nec ſine fructu.

Vitrioli albi utilitas & uſus.

Alumen in gargariſmate pro gingivis roborandis, ulcuſculis in ore obortis, & aliis utilitatibus, commodè coquitur.

Alumen ad quid utile.

Auripigmentum item coctionem ſuſtinet. Ærugo æris itidem, ut & pleraque alia, quæ brevitate omittimus. Placet tantùm collyrium iſtud viride, multis in locis uſitatum, hîc apponere pro coronide. Igitur pro collyrio viridi.

Auripigmenti decoction. facultas.

℞. Æruginis ʒ. ij. auripigmenti citrini ʒ. j. aquæ roſarum, plantag. vini albi, an. ℥. iij. miſce, bulliant ſimul parum. Maneat decoctio ſupra fæces, nam ab his novam vim continuò elicit.

Collyrium vir. de.

(*n*) *Infuſionibus mineralium.* Aqua ſpiritu ſubtiliſſimo æthereo abundat, hinc menſtruum, ut ut inſipidum, ſatis tamen eſt efficax; Ex vegetabilibus & animalibus partes ſalinas, oleoſas, terreſtres item & mucilaginoſas extrahit, & rurſus ex metallis & mineralibus ſubtiliores in ſinum capit. Comperimus id aqua, in qua chalybs ignitus ſæpè extinctus eſt, quæ ſapore & virtute non parum alteratur. Veteres in aquis cordialibus aurum plus centum vicibus extinguebant, pro confortandi ſcopo; Aquæ, quæ in mineris ſaturninis reperiuntur, alvum fortiter cohibent, nec ſecundùm D. *Authoris* mentem ipſam ducunt ac ſolvunt, potius ad contracturam & paralyſin diſponunt. Fallunt, qui antimonium crudum coctum vel maceratum in aquâ ſupra & infra purgare, ſibi & aliis perſuadent. Vitrum antimonii vel ejus regulus aquam pluvialem coctione imbuit ſalivante & nauſeam movente vi. Regulus ſive mercurius vitæ, aut crocus metallorum, vel ejus ſulphur, flores, aut vitrum, in minimâ quantitate, ſi vino infunduntur, aliquot horis vis emetica tranſit in ipſum, quod ſi eſt acidum, eo magis ad ſolvendas arſenicales antimonii partes aptum exiſtit. Mercurius cum aqua ſimplici infuſus imbuitur virtute anthelminticâ, nobiſcum ſentiente experientia. Neque exiſtimandum hic eſt, aquam ſpiritu mercurii lucido gravidam fieri, ſed reverâ particulæ mercuriales ſubtiliores recipiuntur in ejus poros, quæ etiam ſucceſſu temporis ad fundum ſecedunt, & nigro ſe manifeſtant colore. Notum eſt mihi artificium, amalgama mercurii & auri ſola aqua inſipida, beneficio trituræ ſufficientis penitus diſſolvendi, ita, ut totum in aquæ poros tranſeat, ex quâ deinde pulvis ſi igni paululum tradatur, eleganter purpureus magnæque in morbis efficaciæ extrahitur; Sublimatum propter ſalia adjuncta facile cedit in aquam, quæ ab empiricis mirificè prædicatur, ad malignam ſcabiem ſanandam. Si humores ritè ſubacti & depurati fuerint, tranſpiratione ſimul liberâ confert, alias paralyſin & contracturam excitare aptum eſt. Si in vas ſtanneum aqua ſublimati infunditur, remittit multum de vehementiâ ſuâ propter mercurialium præcipitationem, & corroſivarum à jovis conjugio temperaturam. In ſpiritu vini rectificato ſublimatus leni coctione tractatus, reſolventem tophos acquirit ſpiritus efficaciam.

SECTIO SECUNDA.

De Infuſionibus.

(*a*) INfuſio, quæ & maceratio dicitur, ut perfacilis, & trita, ita non paucis, vel unicuique innoteſcit. Fit verò infuſio in aliquo liquore, nam nonniſi ſicca, dura, aut ſimilia, quæ aliquo humore indigent, ad tranſmittendam ſuam facultatem, infunduntur: & hæc vel integra, vel trita, aut minutim conciſa. Vaſa ad id opportuna non ſunt à vaſis decoctionum diſſimilia.

Tempus, quo id fit, varium eſt, quod paſſim in decoctis, extractis, deſtillationibus, & operationibus obſervare licet.

Per ejuſmodi operationem tincturas florum elicimus, ut ex roſis rub. ſiccis, violis, &c.

NOTÆ in SECTIONEM II.

(*a*) *Infuſio*, Infuſum eſt medicamentum liquidum, ex ſpeciebus concentratioribus, aromatibus, ſiccis mediante liquore accommodato factum, ſolâ maceratione & extractione per lenem calorem, item ſtimulo ad extrahendum idoneo. Animalium oſſeæ partes melius decoquuntur, quam infunduntur; Aromata, purgantia, radices, ſale volatili turgida, melius infuſioni auſcultant.

Tinctura roſarum.

SIc fit, ℞. roſar. rub. ſicc. ℥. ij. has impone in ℔. vj. aquæ tepidæ, cum ſpiritus vitrioli, vel ol. ſulphuris, vel ol. ſac. ʒ. iij. maceratio poſt 3. vel 4. horas, filtro tran-

tranſcoletur, & ad uſum ſervetur. Guſtui, palatòve grata redditur, addendo ſacchari albi ſeſquilibram. Ejus uſus eſt in febribus putridis: cor exhilarat, ardorem febrium compeſcit; ſitim etiam extinguit, &c.

(*b*) *Tinctura violarum.*

EOdem modo ex violis tincturam habebis; at meliùs ex recentibus, quàm ex ſiccis, ſuccum parant pharmacopôlæ ex recentibus, his prius à virore quocunque liberatis: ejuſmodi ſuccus cum tantillo ſpiritus vitrioli depuratus, & ad perfectionem adductus, cum ſaccharo pariter optimè depurato, ſyrupum efficit, & præſtantiſſimum, & pulcherrimum. Hoc interea animadvertendum venit, ne coquatur igne, nam coctionem minimè ſuſtinet. Cardiaca eſt ejuſmodi tinctura, atque trhoracica.

(*b*) *Tinctura violarum.* Flores violarum recentium in aqua acetoſellæ infuſi, addito ſpiritu vitrioli philoſophico, leni calore tincturam dant elegantiſſimè rubicundam. Si ſyrupum violarum expetis pulchrè purpureum, infuſionis violarum terna vice cum recentibus factæ tres libræ ſumantur, & ſacchari depurati libra una, leniſſimo calore fiat ſolutio, intenſiori color facillimè invertitur, quod etiam accidit fermentatione, à qua ſyrupus hic ſollicitè defendendus. Optimum arcanum eſt ſervandi hunc ſyrupum à corruptione liberum, per ſuperfuſum ſpiritum vini rectificatum, qui in ſuperficie detineatur.

(*c*) *Croci Tinctura.*

EOdem planè modo paratur, quo de Roſis diximus. Spiritum vitrioli non addimus, non enim hîc liquidam ſervamus, ſed ſole, vel ſtupha ad inſtar mellis addenſata ſervatur, ad laudanum, vel aliud ſimile concinnandum. Liquida tamen pota calculis renum mirificè conducit, cardiacis etiam affectionibus non parum confert; at dolores capitis in nonnullis excitat.

(*c*) *Tinctura croci* Ex unciâ croci & ſpiritus vini librâ unâ fit tinctura: rectificato non opus eſt, quoniam crocus & ſubtili oleo, & mucilaginoſa ſubſtantiâ gaudet; In extractum tinctura facile redigi poteſt, per evaporationem, quod tincturâ longè poſterius, propter particularum ſubtilium diſceſſum. Si cum tincturæ tartari æquâ portione miſcetur, nephriticis, hydropicis, & pectore affectis mirificè conferre dicitur.

Tinctura florum Papaveris rhœadis.

ÆStivis diebus tincturam florum papaveris rubri per infuſionem paramus, abſque additione ſpiritus Vitrioli: ea ſaccharo in formam ſyrupi condita, medicamentum evadit anodynum optimum. Ejus doſis eſt ad ℥. j. & ℥. ij. & iij.

Rhabarbari Tinctura.

(*d*) EX *rhabarbaro infuſio* fit, & tinctura clementiſſimè purgans. Modus, loco de extractis, clarus eſt.

(*d*) *Ex rhabarbaro infuſio.* Rhabarbaram tincturam ſuam facile dimittit, leni calore in aquam vel ſpiritum vini: parum ſalis alcalini adjecti pulchrè colorem & virtutem exaltat.

(*e*) *Senna in frigida infuſa* & manè colata, melanagogum efficitur præſtantiſſimum: in vino facta corrigitur. Bis, & ter repetita infuſio ſuper ipſiſmet foliis, eandem efficaciam obtinet. Foliorum tithymali, laureolæ, peplii, lathyridis, &c. infuſio idem quoque præſtat, ſed non adeò clementer.

(*e*) *Senna in frigida infuſa.* Optime placet infuſio ſennæ in frigidâ: ſumuntur drachmæ duæ foliorum ſennæ ſine ſtipitibus, radicis glycyrrizæ drachma ſemis, florum roſarum rubrarum pugilli duo, nitri, coriandri, ſcrupuli duo Hæc mixta infunduntur aquæ frigidæ, per noctem ſtent, & mane colentur: ſic tutiſſimum, blandum, ſatis tamen efficax obtinemus laxans, quod hecticis, phthiſicis, ſummo cum fructu à nobis ſæpius datum fuit.

(*f*) *Mineralium infuſiones.*

NEc infrugiferæ ſunt mineralium infuſiones, quinimò ſummis virtutibus præditæ.

Stibii infuſio, etiam crudi, & cocti, mira præſtat; calcinati, meliùs & commodiùs; vitri, & reguli, vehementiſſimè.

Mercurii infuſio, crudi, & cocti, mira quoque præſtat, vermes cujuſcunque generis enecando, eoſque foràs propellendo. Infuſio utriuſque fit in aqua, vel vino, ab ℥. ß. ad ℥. j. pro ℥. vj. & viij. liquoris. Aqua ſit, vel communis, vel ſcopo accommodata.

Sulphuris infuſio in frigida facta per noctem, Eryſipelati medetur, ac cutaneis affectibus facillimè ſuccurrit.

Vitrioli infuſio Cyprini potiſſimùm, oculis medetur: fit in aqua euphraſiæ, roſarum, fœniculi, etiam in aqua communi.

Tuthiæ magiſtraliter præparatæ infuſio, in aqua vel vino albo auſtero facta, oculis tutò medetur.

(*f*) *Mineralium infuſiones.* Antimonium crudum infuſum vel coctum in aqua commendatur ad diaphoreſin excitandam, & obſtructiones veteres ſolvendas in hydrope, lue venerea, ſcorbuto. Infuſio ſulphuris in frigida facta, vel melius ejus decoctio ſubcutaneis affectibus ſuccurrit; ſi in balneo vel fotu cum aliis adhibeatur. Unum granum Cyprii vitrioli ad unciam unam aquæ roſaceæ oculorum partes egregiè firmat, illorumque vitia tollit.

(*g*) *Metallorum infuſiones.*

SAturnus calcinatus in aceto infuſus inflammationi citò ſuccurrit, & oculorum ophthalmiæ medetur.

Jupiter, ſive ſtannum calcinatum, & in vino infuſum, mira præſtat in affectibus uterinis.

Martis, ſeu ferri calcinati infuſio in vino, mulierum obſtructiones reſerat; menſes movet, & lienis tumores diſſolvit.

Solis terreſtris præparationes, & infuſiones aliò diſtulimus.

Veneris

Veneris calcinatæ, & lotæ, ut *in ſecunda parte* dicturi ſumus, infuſio, in renum affectibus mirabiles edit effectus, & extrinſecè oculorum vitiis omnibus ſuccurrit.

Lunæ, ſeu argenti calcinati infuſio, in aqua communi facta, oculis pariter ſuccurrit; multaque alia præſtat, de quibus *in ſecunda parte.*

(*g*) *Metallorum infuſiones.* Saturnus quâcunque ſub formâ cum aceto vini ſal dulce præbet, quod inflammationibus præſertim oculorum reſiſtit. Stannum in vino infuſum & intrinſecus datum laxantem vim habet; in affectibus autem uterinis ſingulare quid præſtare, haud immerito dubitamus. Mars in vino aciduló, vel aceto vini infuſus, vitriolum ſubtile largitur, quod fibras motrices excretoriorum conſtringendo, ſuccos in motum promptiorem concitat, pituitam colliquat (quod manifeſte videmus, ſi granum unum vitrioli albi indamus naribus) in infarctu & obſtructionibus viſcerum ſumme efficax eſt. Venerea medicamenta in renum affectibus vix ſingulare quid præſtant; uti & luna extrinſecus in oculorum vitiis, niſi ubi venus immixta fuerit.

SECTIO TERTIA.

(*a*) *De vinis medicatis.*

VIna medicata quotannis in chronicis morbis præſcribere ſolemus, & maximè vindemiarum tempore, muſto adhuc fervente, cùm adhuc ſubtilis ejus eſſentia in fæcibus ſeparandis nondum fracta, ſimul mixtorum ſimplicium corpora permeat; & ab his congenerem ſubſtantiam educere potens eſt. Quâ ratione veteres ejuſmodi vina pararent, nondum ſatis exploratum habemus; & de his, atque de multis aliis ſolam experientiam ducem agnoſcimus. Qui ad communes qualitates reſpiciunt, multa calida ſimul miſcent, peculiaribus qualitatibus non neglectis, ut ubi excalefacere caput avent; non tantùm calida, ſed & cephalica ea eſſe oportere judicârunt; qui idem purgare & ſimul excalefacere deſiderant, calidis purgantia ſimul miſcuerunt. Sic & per 4. humorum diſcrimina facta eſt componendi ratio. Singulæ item corporis partes varias quoque vinorum medicatorum ſpecies connotant, de quibus Weckerum in *ſuo Antidotario* poſt Dioſcoridem, Columellam, Arnald. Villanovan. & alios multos recitat Quercetanus, omnium noviſſimus, qui in *ſua Pharmacopœa reſtit.* elegantiſſimas, & optimas vinorum Medicatorum formulas proponit, ad quem liberè lectorem remittimus. Nonnulla interim exemplum adducemus; quædam præſertim nobis uſitata.

NOTÆ in SECTIONEM III.

(*a*) *De vinis medicatis.* Vina dum ſunt in fermentatione, vegetabilia, aromata conciſa, optimè extrahunt illorum texturam reſolvendo; Aſſumi ſolent, quæ ſaporem, odorem, & virtutem ſingularem ipſis conciliant. Ex cochlearia, roſmarino, ligno ſaſſafras, corticibus citri acceptiſſima ſolent parari. Compendioſe cum eleoſaccharo corticum citri, vinum citratum, cinnamomi, cinnamomiſatum, cochleariæ, vinum cochleariæ, & ſic porrò parantur; Idem fit, ſi eſſentiæ aromaticæ cum clarificato ſaccharo vino addantur.

Fiunt quoque vinoſi liquores ex ſuccis v. g. ceraſorum, rubi idæi, ſi ipſi ſucci vinis addantur cum ſaccharo. Componuntur etiam eſſentiæ ſuccorum ſpirituoſæ, v. g. ceraſorum, fragorum, rubi idæi per fermentationem mediante ſaccharo longiſſimo tempore durantes, quæ ſi debita proportione adduntur vinis, ſaluberrima ſuaviſſimaque fiunt. Notabile eſt ex omni ſucco vegetabilium & maximè fructuum dulcium per fermentationem mediante ſaccharo vel melle, ac fæcibus cereviſiæ minus amaræ parari poſſe inebriantem vinoſum liquorem, item ſpiritum vini ardentiſſimum. Ex melle quoque cum aqua ſecundum præſcriptum *Authoris* conficit liquor, inſtar vini generoſi.

Vinum ex herbis, floribus, ſeminibus, radicibus, & aliis.

VIna pro quotidiano uſu paranda adverſus chronicos morbos, ſunt vel ex radicibus, vel ex lignis, corticibus, foliis, floribus, fructibus, & ſeminibus, vel ex eorum eſſentiis extractis, ſuccis, &c. vel tandem ex mineralibus.

Vinum ex lignis, & radicibus.

RAdices & ligna priùs ſicca tundantur; vel incidantur, vel limentur, ut Guajacum. Quantitas pro ægri natura, & radicis, vel ligni conditione deſumitur. Hæc (ut dixi) tuſa vel inciſa, vini dolio indantur, ac deſuper muſtum vini affundatur, nullâ coctione præmiſsâ. Sic eos non leviter errare arbitror, qui priùs radices vel herbas cum muſto coquunt. Vas abhinc tres vel quatuor dies optimè obturare oportet; eâ tamen lege, ne fervore nimio, muſto videlicet æſtuante, diſrumpatur vas. Superiori foramini ſoleo aptare alembicum vitreum, quo ſubtiliſſimum, & fragrantiſſimum ſpiritum educo, quem ſeorſum ſerva ſi velis, aut deferveſcenti muſto reaffunde, ut medicamenti integra vis remaneat in vino.

Vinum Elleboratum.

RAdices ellebori nigri, aquâ communi lotas, & ab omni terreſtreitate liberas, ad ℔. j. accipio: has in umbra paululum exſiccatas incido forficibus, & citra aliam præparationem in lib. CL. muſti infundo. Exacto tempore 40. dierum vinum poteſt uſurpari ad libitum, ℥. vj. manè jejuno ſtomacho. Ejus uſus mirabilis eſt in morbis lienis, capitis, & uteri. Sanguinem in liene rectificat, cordis palpitationes inde ortas tollit, melancholiam abigit, Epilepſiæ, & Apoplexiæ maximopere conducit. Ejus uſus ſit ad menſem integrum, & duos menſes.

Vinum Guajaci.

IN vino Guajaci parando à communi conſuetudine minimè recedo, excepto in ebullitione, quam nonnulli præmittunt. Sæpius

pius ligni limaturæ cortices ipſius ligni addo, vaſis orificium ſuperius obturo cum alembico vitreo, & per ipſum elegantiſſimum ſpiritum prolicio, quem vini dolio reaffundo, exacto fermentationis tempore. Interea alternis diebus novum muſtum ſuperaffundo, quò vas ferè ſemper plenum remaneat, ferè inquam, ut faciliùs ferveat, & commodiùs alembici os vaſis orificio aptetur. Uſus ipſius eſt in cibis loco vini, pro potu ordinario, ut moris eſt.

Ex Corticibus ejuſdem Guajaci, tamariſci, &c. vina medicata fieri poſſunt.

Ex foliis item ſiccis, floribus, & ſeminibus, &c.

Ex fructibus ſuccus extrahitur, ipſis priùs contuſis, ac prælo, vel torculari expreſſis. Ejuſmodi ſuccus ſi vinoſus per ſe, vinum exhibet, & palato gratum, & uſui medico peropportunum. In frigidis regionibus, maximè in Brittannia, & Normandia, ubi vitis ob frigoris inclementiam minimè adoleſcit, vinum ex pomis conficiunt, item ex pyris, ſorbis, & aliis fructibus vinoſis.

In nonnullis Italiæ locis vina parant pro febricitantibus ex ceraſis, dulco acidis, vulgò *marentes*, aut ex magis acidis, vulgò *maraſche*, atque ex malis granatis. Sed hæc ut trita, & ab inſtituto aliena miſſa facimus.

Hydromel vinoſum.

VInum proximè æmulatur liquor ille, quem ex melle conficiunt, Hydromel vinoſum à Medicis appellatum. Id à nobis non alia ratione conficitur, quàm eâ, quæ habetur penes Bern. Penotum, & Joſephum Quercet. Fit verò ex ℔. xv. mellis albi Hiſpanici, & aquæ communis ℔. LXXV. factâ coctione ad unius tertiæ partis conſumptionem, reponitur in doliolo ligneo, vinum album & generoſum, malvaticum, vel aliud ſimile jumdudum continente. Inter coquendum, ſpuma continuò exſurgit, quæ cochleari apto aſſiduè removeatur, & ut craſſiores fæces mellis certiùs ſegregentur, in principio cola totum per pannum laneum, manicæ inſtar conſtructum, & eo modo quo muſtum recens in nonnullis locis Italiæ percolant, vel ut Galli ſua vina Hippocratica, & ubique aromatarii ſuos julepos. Vas plenum in loco calido, uti in ſtupha repone; etiam æſtivis diebus Solis radiis exponatur, & vas quotidiè, vel alternis diebus hydromelite plenum convertatur, ſicque meliùs fermentatur, & quæ ſuperſunt fæces, tam craſſæ, quàm ſubtiles, ſegregantur. Seſquimenſe peracto, quo tempore hydromel fit vinoſum, & planè generoſum, ad inſtar vini generoſi, malvatici, vel alterius generis, vas in cella vinaria ad uſum ſervetur. Nos quidem ſæpè intra duos menſes eo uſi ſumus, verùm poſt trimeſtre potentius eſt, & melius.

Interea mirum videre eſt, quomodo id liquoris genus aquam vitæ, & flagrantiſſimam, & excellentem exhibeat; item & acetum generoſiſſimum, & fortiſſimum.

Verùm magis miremur, quomodo ex fermento, fermentationis medio, fiat vinum pariter generoſum, & guſtui gratum, & quo pacto ex eodem liquore, aquam vitæ, & acetum elicere poſſimus. Sed hæc noſtrum excedunt inſtitutum.

Hydromelitis vinoſi vires ſunt multiplices, in podagra, calculo, aſthmate, tremore membrorum, Epilepſia, alvi ſiccitate inveterata, & in nonnullis febribus.

Vina ex mineralibus compoſita.

FErreo hoc noſtro ſeculo, ubi morbi plusquam Martiales, imò & Saturnini maximè vigent, durum videre non eſt, ſi ſæpiùs cogamur metallis ipſis uti in eduliis, pro ſalutiferis remediis. Etenim in quibus vegetabilia, & animalia non valent, valeant ſaltem mineralia. Nec obſtat, quòd contrarium ſentiat ignarum vulgus, ſcimus hos ſciolos invidentiæ, & ignorantiæ plus habere, quàm eruditionis, & doctrinæ: ſi mineralia explodenda, explodantur & ipſi, qui ægros ad minerales aquas remittunt, qui chalybem, quotidie uſurpant, qui hydrargyrium, qui auri, & argenti foliola, qui ſulphur, vitriolum, & diverſa ſalium genera, ſed de his alibi.

Sulphur ſublimatum in doliis vini ad ſufficientem quantitatem infuſum, vinum mirabile reddit, ad diverſa morborum genera, imprimis adverſus mercuriales morbos. Sic qui caſu, vel arte fumum mercurii exceperunt, vel qui mercuriali unctione peruncti ſunt, conſimile vinum aſſiduò bibant. Pulmonicis, aſthmaticis, ſcabie infectis, lue venerea contaminatis, mirificè confert.

Si attentè Medici notarent, cur ſulphuris vapor (quod artificium fit hîc Bononiæ, & in aliis Italiæ locis,) vinum ne pendulum fiat, cohibeat, ſcirent, quâ vi polleat ipſum, in arcendâ putredine è corpore humano. Poſſem de ejuſcemodi vino plura dicere; at vereor ne ultrà dicendo, invitus cogerer in inveteratum errorem, de abuſu mineralium incidere. *Vinum ne pendulum fiat.*

Vitrioli Balſamum vino adjectum, id ipſum vinum reddit præſtantiſſimum, & ad multos morbos utiliſſimum. *Vitrioli Balſamum.*

Antimonii Tinctura vinum reddit omnium præſtantiſſimum: id verò ſanguinem renovat, cutis infectiones, lepram ipſam ſanare creditur, erraticis febribus medetur, cacochymiam tollit, arthritidem, & omnes tartareos morbos è veſtigio delet, roborat & confortat cor, & cerebrum & multa alia miranda præſtat, quæ nonniſi uſu & experientiâ cognoſcuntur. *Tinctura Antimonii Vinum.* *Ejus præſtantia.*

Ipſummet Antimonium crudum, & citra ullam præparationem vino continenter detentum, imprimit mirabilem proprietatem contra concretionem calculoſam. *Crudi antimonii vinum.*

Excoctum tamen, & à mercuriali parte illa volatili liberum, magis probo; nam crudum flatus multos parit, & nonnunquam ventriculi ſubverſionem. Ejus quantitas perexigua ſit. *Ejus noxa.*

Non deſunt, qui & mercurium crudum in dolioli fundo detinent. Ferunt vinum ne *Mercurii uſus in vino.*

ne aceſcat, aut vaporem contrahat, aut pendulum fiat, eâ ratione fieri. Nos tale vinum ad ventris lumbricos plurimùm valere certò ſcimus, item è capite per os multum pituitæ educere, & inveteratis coli doloribus mederi. In ejuſmodi vinis recenſendis brevior, & Laconicus nimis ſum, & fortè pluſquàm rei natura exigat; at tyronibus res eſt periculo plena, artis vero peritis notiſſima, & facillima.

Ex Metallis.

Vinum ex ferro.

OMnium metallorum, ſolum ferrum vina medicata efficit. Quidam idem ferrum limatum accipiunt, idque doliolo imponunt, vel ſacculo incluſum, vel ſic ſeorſim; ſit verò priùs à ſordibus repurgatum.

Nos chalybem vel ferrum optimè limatum accipimus, idque cum duplo pondere ſulphuris calcinamus, uti in *ſecunda parte hujus operis* dicimus ſpeciali *capite de ferro*. Præparatum ex eo vitriolum vini cado infuſum, & diſſolutum, vinum reddit efficaciſſimum, & nobiliſſimum: vitrioli verò parandi ratio in *ſecunda parte* habetur.

Item cum ſimplici limatura chalybis, in hanc formam:

♃. Limaturæ Chalybis ſine ulla præparatione, ℥. iv. Cinnamomi parum contuſi, ℥. ß. Vini albi dulcis, ℔. viij. Stent triduo in infuſione in cella vinaria, & in vaſe vitreo. De colatura bibat æger ℥. iiij. vel manè jejuno ſtomacho, vel in prandio, & cœna.

Hoc vinum ſanguinem repurgat à craſſis, & viſcidis humoribus, craſſos & terreſtres ſolvit, alvum ſubducit, uterum ab omni fluore exſiccat, & fertilem reddit.

Ex metallorum tincturis, & eſſentiis vina complurima excogitari poſſunt; at hæc nec nobis in uſum veniunt, nec à quopiam uſurpata fuiſſe exiſtimo.

SECTIO QUARTA.

(a) De Aquis deſtillandis.

AQuis frequentiſſimè utuntur Chymici, eſtque earum deſtillatio prima operatio, quâ ipſi primò in arte medica vulgò innotuerunt. Verùm ejuſmodi operatio hodie adeò nota eſt, ut ne lippos quidem, & barbitonſores lateat. Vulgaris illa methodus, quâ herbæ per vas plumbeum deſtillantur, meritò exploditur; in aquis tamen plantaginis, ſolatri, & aliis extrinſecè admovendis, ea non omnino rejicienda eſt: ſic aqua roſarum pro inflammationibus oculorum ſedandis pulchrè per plumbum deſtillatur. Aqua item illa à noſtris Chirurgis aluminoſa dicta non ſine occaſione per id vas deſtillatur. At ad intrinſecos uſus, eam cum cæteris planè condemnamus. Vaſa terrea vitreata, vitra ipſa optima ſunt. Formæ eorum omnibus notæ ſunt; vas, quod refrigeratorium dicitur, hodiè ubique locorum innoteſcit. Eſtque æneum, utplurimum interiùs ſtanno obductum, cujus pars inferior ampla eſt admodum, res deſtillandas continens; ſuperior tribus partibus conſtat, cannulâ pro vaſis proportione, amplâ, & altâ, Alembico cum roſtro, & cacabo æneo. Nos loco hujus vaſis aſſumimus vas rotundum terreum devitreatum, ſtricti & anguſti orificii; rotundum inquam, pilæ inſtar, cujus orificio, craſſioris digiti amplitudine, cannula ſtannea, vel ferrea, vel ænea, ſtanno obducta, inſeritur. Ejuſmodi cannula vaſi alteri aqua pleno immergitur, hócque pacto eſſentiæ herbarum ſine odoris, & ſaporis jacturâ educuntur. Item aquæ vitæ mirum in modum excellentes, & pretioſæ.

Vaſa plumbea reprobata. *Eadem in nonnullis approbata.* *Aqua aluminoſa.* *Eſſentia herbarum cum odore & ſapore.*

Per ſimplex vas vitreum, vel terreum, fiunt etiam ejuſmodi aquæ, at non tanti valoris.

Supradicta vaſa igni multiplici aptantur; etenim quidam ipſis ſupponunt ignem lucernæ, alii ignem carbonum lignorum, cinere, ſcoriâ ferri, arenâ, vel aliis interjectis; alii ſtupham, balneum Mariæ, & balneum vaporoſum. Calor fimi equini hæc omnia longè ſuperat, at mitis eſt admodum, & quo ægrè, aut non niſi longo tempore aqua exſtillari poſſit. Nos ejus medio aquam vitæ fragrantiſſimam è vino elicimus.

Ignis Lucernæ cum oleo, vel cum aqua vitæ. *Ignis carbonum, Raſura lig. cineris, &c.* *Fimi equini calor.*

Aquas vulgato more deſtillatas raró uſurpamus, eò quòd parum efficaces, ne dicam nullius facultatis participes. Eâ de cauſâ, quæ in noſtri uſum veniunt, eas ſic parandas jubemus: ſi herbæ ſint recentes, & ſucculentæ, eas primùm inciſas cultro, vel forficibus, in mortariolo contundimus, contuſas cum novo ſucco, vaſi vitreo, vel terreo vitreato, ſtricti orificii indimus, dictum vas in loco frigido per aliquot dies reconditur, donec herbæ, & ſuccus acorem quendàm contraxerint, tunc per refrigeratorium diſtilla, vel per vas noſtrum rotundum, cum ſua cannula aquæ frigidæ immerſa: cannula contorta ſit, ea maximè pars, quæ aquæ immergitur; ſerpentes & hoc modo ipſi poſſunt inſeri.

Diſtillandi modus præſtantiſſimus.

Item & aliæ formæ, de quibus plura apud artifices. Hac viâ prohibit mercurialis ille liquor cœleſtis; qui ſi non ſatis vim plantæ redoleat, recentem herbam iterum accipe, cui tuſæ in mortariolo, ut priùs extractam aquam reaffunde, quam denuò deſtilla, ſic ſecundò præſtantiſſimam aquam excipies: quàm denuò ad majorem perfectionis gradum deduces, ſi tertiâ vice aqua recente herbæ reaffundatur, atque deſtilletur. Ex multis herbis, floribus & ſeminibus hâc viâ aquam vitæ ſuaviſſimam elicies.

Aquarum virtus quomodo multiplicanda.

Si herbæ ſint ſiccæ, aut parum ſucculentæ,

Aqua aro-

matum fermentatione non ſemper indigent.

tæ, inciſis, & tuſis aquam communem affundimus, vaſaque, eo modo quo diximus, in loco frigido per aliquot dies aſſervamus; ei etiam addimus parum fermenti, ad hoc præſertim, ut citiùs acorem, ſeu fermentationem nanciſcantur, tunc procede ut ſuprà.

Aquæ aromatum ejuſmodi fermentatione non ſemper indigent, eorum maximè, quorum odor in ſuperficie conſiſtit: ut florum caryophyllorum, jaſmini, & aliorum, ſecùs odor in auras abit; ſed cumprimùm collectis floribus, & vaſi inditis, educitur aqua per balneum vaporoſum, quæ novis floribus reaffuſa, & iterum extillata, floris odorem elegantiſſimè redolet. Aqua fragrans, & adorifera in ſuperficie conſiſtit, ideò pauca admodum è floribus educitur, & ea quæ ſtatim primam inſequitur, ingrati eſt odoris.

Aquæ cinnamomi, caryophyl. Indorum, macis, piperis, & aliorum aromatum exoticorum, maceratione duorum vel trium dierum tantùm indigent.

Cæterum in aquis deſtillandis, nihil quod non ſit cognitum, habemus dicendum; quapropter qui de his plura deſiderat, aliorum libros evolvat, inter neotericos Quercetanum, Weck. Portam, Ulſtadium, Euonymum, &c. Superſunt nobis quædam compoſitæ, proprio uſu, multiplicique experientiâ cognitæ, quas hîc cum aliis noſtris appendere volumus.

NOTÆ

in SECTIONEM IV.

(a) *De aquis deſtillandis.* Deſtillatio aquarum eſt evaporatio, & clauſa quaſi coctio, requirens ſufficientem aëris quantitatem & vacuum ſpatium ſatis amplum, quare quæcunque coqui poſſunt, & evaporabiles poſſident particulas, bene etiam deſtillantur; & contra, quorum particulæ ad evaporationem ſunt ineptæ, abſurde deſtillantur. Hinc ſalia fixa & media, omnia dulcia, ſaccharum, mel, manna, item ſtyptica terrea, mucilaginoſa, nec non purgantia reſinoſa, item amara non auſcultant deſtillationi, unde aquæ adſtringentes proprio ſenſu non dantur. Conſiſtit enim illorum energia neutiquam in evaporabili, ſed in terreſtri, item reſinoſa portione. Amara omnia aquas præbent dulces, manifeſto documento, amaritiem in ſale quodam terreo acido reſidere. Omnes aquæ deſtillari debent, ſi bonas deſideramus, in mariæ balneo, & ſufficiens herbæ quantitas, pauca autem aqua ſumatur. Quo autem aqua eſt purior, ſubtilior, levior, eò utilior, probantur quæ profluunt, curſu enim percuſſuque ipſo extenuantur atque proficiunt; item pluvialis, quæ ſolis vi deſtillata eſt, melior & ſubtilior ros majalis, qui ad herbarum vim medicamentoſam extrahendam ac perficiendam aptiſſimus. Memorabile eſt, rorem majalem citiſſime incaleſcere leni calore & inſtar Spiritus vini avolare, nec non in evacuo emittere bullulas inſtar liquorum ſpirituoſorum, indicio, plures ſpirituoſas ſulphureas partes ipſi ineſſe. Aquæ ante annum deſtillatæ denuo reaffundantur vegetabilibus recentibus, ſic virtus earum concentratior fit. Ex fructibus ſine additione deſtillari debent aquæ rubi idæi, fragorum, ceraſorum nigrorum. Item cydoniorum cinnamomiſata, cordialis *Herculis Saxoniæ* frigida ex ſuccis: nonnulli loco aquæ affundunt cereviſiam v. g. Breuhanium vel Wettinenſem præſtantem, ſic prævia maceratione prodit aqua temperate ſpirituoſa, quæ denuo deſtillata ſpiritum φλογιςὸν largitur, indicio infallibili, cereviſias etiam abundare ſpiritu ardente: fiunt ſic excellentiſſimæ aquæ, menthæ, veronicæ, meliſſæ, carduibenedicti, florum primulæ veris & ſimiles. Optime conſervantur in loco frigido, minus recte in calido; ex facili enim ſic diſſiparis partibus tenuioribus, vires ſuas deperdunt & mutantur.

Aqua Cardiaca adverſus venena, & contagium.

Recip. vincetoxici, valerianæ, ſcorzoneræ, anthoræ, an. ℔. j. ß. fol. galegæ, ſcabioſæ, ſucciſæ, card. ben. ulmariæ, cicerbit. pimpinell. borag. an. m. iij. (b) *Macerentur triduo* in ℔. iij. ſcorzoneræ, veronicæ, ℔. j. vini albi. Diſtillentur in balneo Mariæ, & fiat aqua. Doſis erit ab ℥. iij. & iiij.

(b) *Macerentur triduò.* Quoniam plantarum vires arctioribus quaſi clauſtris irretiuntur, & ab illis non tam facile ſeſe extricari patiuntur; hinc maceratione & additione clavis nimirum ſalis aut tartari egent, vel fermentatio lenis præcedat in doliolo querno, v. g. quinque libris herbæ duodecim libræ aquæ addantur, una cum fecibus cereviſiæ, elapſis duobus diebus, deſtillationi committantur. Quæcunque autem vegetabilia varioris texturæ ſunt, & ubi virtus quaſi in ſuperficie hæret, uti ſunt flores, herbæ antiſcorbuticæ, acidæ, fructus, maceratione non indigent; quæ magis autem ſunt compacta & dura, uti ligna, radices, cortices, diuturniorem requirunt digeſtionem.

Alia.

℞. Radic. Angelicæ, ℥. iij. ſcorzoneræ, valerianæ, imperatoriæ, an. ℥. ij. fol. ſcordii, veronicæ maris, ulmariæ, agripalmæ, meliſſæ, borag. an. m. iij. Infund. per 4. dies, in ſ. q. vini albi; deinde deſtillentur in balneo Mariæ. In diſtillata aqua item infunde Confect. Hyacint. Alkermes, Damargar. frig. an. ℥. iij. Theriacæ antiq. ℔. ß. Deſtillentur rurſus, & fiat aqua. Doſis ℥. iij. ante bubonum eruptionem.

(c) *Aqua Nephritica.*

Rec. Radicum anonidis, ℥. iiij. apii, raphani, an. ℥. ij. Herbarum argentinæ, Turcicæ, (alias herniariæ), betonicæ pimpinellæ, piloſellæ, ceterach, an. m. iij. fructuum roſarum ſilveſtrium, alkekengi, ſem. milii ſolis, hyperic. carui, dauci, an. ℥. j. ſucci limonum ℔. j. vini albi generoſi, ℔. v. Macerentur hæc omnia parum trita, in fimo equino in vaſe vitreo per ſex dies: demum calore cinerum eliciatur aqua, quæ ſecundò novis, & recentibus reaffundatur; eaque triduò macerentur atque deſtillentur, ut priùs. Fæces crementur in vaſe fictili; & à cineribus ſal extrahatur, quod aquæ immiſcere poteris, vel ſeorſum ſervare. Hujus aquæ doſis eſt ℥. ij. & iij. Calculum in renibus, & veſica comminuit, & urinam potenter movet: Extant apud Quercetanum aquæ hujuſmodi virtutes, quas qui deſiderat, ſuum authorem conſulat.

(d) *Aqua nephritica.* Baccæ alkekengi, juniperi, flores acaciæ, petroſelinum, herba ſeleri, nuclei

nuclei ceraſorum, fraga in ſero lactis vel vino quam poſſit excellenti, digeruntur & deſtillantur, fundunt aquam diureticam; infuſa autem illorum ſunt utiliora.

(*d*) *Aquæ Antipilepticæ, apoplecticæ, & ſimiles.*

HAbenter ejuſmodi aquarum perpulchræ deſcriptiones apud eundem Quercetanum, quas tamen minimè uſurpamus, minus aliis uſurpandas ſuademus; nobis enim ſemper diſplicuit tanta rerum farrago. Pro Theriacali aquam ſequentem uſurpamus, quâ in prædictis affectibus uti poteris.

♃. Radicum imperatoriæ, angelicæ, gentianæ, biſtortæ, zedoariæ, an. ℥. iij. foliorum meliſſæ, ulmariæ, agripalmæ, ſcabioſæ, acetoſæ, card. ben. an. m. iij. corr. citrii, ligni aloës, ſchœnantos, ſantali albi, & rub. cinnamomi, caryophyll. macis, an. ℥. ß. Infundantur omnia triduò in ℔. vj. vini albi, & ℔. j. ſucci borraginis: deſtillentur poſtmodum per balneum Mariæ. Affectibus cordis ſummopere confert; hinc in peſte præſtantiſſima eſt. Valet & ad ferarum venenatarum morſum, &c.

Uſurpamus etiam ſæpè aquam ſequentem pro affectibus uterinis, ut & in multis affectibus capitis, in his maximè, in quibus vis roborans, & narcotica deſideratur.

(*d*) *Aquæ anteipilepticæ.* Merito illæ diſpeſcuntur in calidas & frigidas. Frigidæ ex anodynis & maxime floribus parantur ſola aqua ſimplici. v. g. ex floribus liliorum convallium, tiliæ, primulæ veris, pœoniæ, liliis albis: Calidæ cum vino vel ſpiritu vini maximè Gallici ex aromatibus & herbis cephalicis, hujus generis eſt epileptica Langii, Hæ magis præſervant, illæ curant.

(*e*) *Aqua Hyſterica.*

REcip. Radicis Valerianæ maj. ſiccæ, ℥. iiij. fol. matricariæ, tanaceti, arthemiſiæ, abſinthii, menthæ, majoranæ, pulegii, an. m. iij. Infundantur per 24. horas, in ſ. q. vini albi generoſi, in loco calido, tum forti expreſſione in prælo ſubigantur. In colatura infunde galangæ, zingiberis, macis, piperis longi, an. ℥. j. ſpicæ Indicæ, croci, ſchœnanthos, calami aromatici, an. ℥. ß. Opii Thebaici, ℥. iij. ſem. papaveris albi, ʒ. j. ß. camphoræ, ℥. ij. Macerentur triduò in fimo equino: & iterum torculari exprimantur: Fæcibus aquam vitæ affunde, & reliquum tincturæ ab his abſtrahe. A colaturis ſimul commixtis, urinali vitreo cum ſuo capitello aquam prolicito, quam ad uſus multiplices ſervabis. Uterinis affectibus potentiſſimè ſuccurrit, ejuſdem ſuffocationibus citò medetur, cuicunque flatulento affectui promptè levamen affert, vertigines ſanat, quemcunque capitis dolorem ſedat, articulorum doloribus non minimum conducit. Magma à diſtillatione in fundo vaſis relictum, extracti ſpecies eſt, laudani illius opiatici tantoperè laudati, vires & facultates obtinens, cujus doſis eſt ℈. ij. iij. iiij. & v. De aqua datur ℥. ß. & ℥. j. ad duas uſque.

Laudani ſpecis. Ejus uſus.

(*e*) *Aqua hyſterica.* Meliſſa, pulegium, artemiſia, mentha & omnia carminativa aromatica vino albo generoſo infuſa, præbent optimam aquam hyſtericam. *Auctor* addit opium, item ſemen papaveris albi, hoc quidem parum anodyni ſpargit in aquam per deſtillationem, opium autem propter volatile ſulphur aquam reddit, vel ſpiritum vini abſtractum ſuper id, longe magis ſoporiferam, tam intrinſeco, quam extrinſeco uſu laudatiſſimam probatiſſimamque. Interim aqua opii deſtillata meâ ſententiâ longe conſultius datur, quàm eſſentia aut extractum ejus, quod reſinâ firmiter adhæret membranis & nervis, ipſiſque ſtuporem inducit; Aqua vel ſpiritus opii ſedato ſpirituum tumultu facilius ſubigitur & diſſipatur. Aquâ florum papaveris rhæados vi anodynâ nobiliſſima pollet tàm extrinſecus, quam intrinſecus, longe tutior, quam ex ipſis extractum.

(*f*) *Aqua Hydrotica.*

REc. Limaturæ ligni Indici, ℔. j. ß. corticis ejuſdem ligni, ℥. vi. Salſæparillæ, Chinæ electæ, an. ℥. ix. ſem. cardui ben. bacc. juniperi, zingiberis, an. ℥. j. ß. Macerentur octiduo in ſ. q. vini albi generoſi, cum ol. vitrioli ℥. ß. & calore cinerum, vel arenâ aquam prolicito, quæ recentibus reaffuſa, & deſtillata uſui reponatur. Dentur iij. iiij. v. unciæ pro doſi. Sudores movet, luem veneream ſanat, & aliis graviſſimis affectibus ſuccurrit, uti apoplexiæ, paralyſi, hydropi, & aſthmati.

(*f*) *Aqua Hydrotica.* Ex lignis nihil pene exſtillat, niſi ſint admodum recentia, vel fermentatio præcedat. Ex ligno aloës ſuaveolente bene triturato, beneficio aquæ pluvialis, addita quantitate debita ſalis communis, præviaque digeſtione obtinui aquam odoratiſſimam, cui ſupernatabat oleum craſſum, quod inſtar camphoræ in frigido coagulabatur ſuaviſſimi odoris. Hoc promte ſolvebatur in ſpiritu vini rectificato, qui cum ipſo tranſibat in eſſentiam, ſaluberrimam in capitis vitiis, nervorumque debilitate eximiæ virtutis atque odoris & ſaporis gratiſſimi.

(*g*) *Aqua Febrifuga.*

REcip. Hederæ terreſtris cum foliis, & radicibus, apii item integri, fol. cichorii, acetoſæ, centaurii minoris, an. m. vj. Macerentur triduò herbæ omnes contuſæ, & per balneum Mariæ proliciatur aqua, quæ recentibus herbis reaffuſa, iterum extilletur, ut priùs. In dictæ aquæ ℥. iiij. ſi per noctem infundatur Magneſiæ Saturninæ bis calcinatæ, ℥. ß. & manè coletur, fit aqua verè febrifuga, cujus doſis erit ℥. iiij. v. & vj. paulò ante paroxyſmum.

(*g*) *Febrifuga.* Centaurium minus & carduus benedictus neutiquam fundunt aquam amaricantem, quæ tamen non eſt expers omnis acredinis, indicio, ſal quoddam tenue, penetrans, quod in ſublime fertur, in ipſis contineri, ſudoriferum deobſtruens.

(*h*) *Aqua Zingiberis.*

REcip. Zingiberis integri, q. ſ. infunde in q. ſ. vini generoſi per 8. dies: dein deſtilletur,

ſtilletur, & fiat Aqua, quæ ventriculum excalefacit, roborat, & exſiccat; Appetitum excitat, & ſudorem movet. Datur ab ℥. ß. ad. ℥. ii.

(*h*) *Aqua Zingiberis.* Zingiber ſive cum aqua, ſive cum vino aut ſpiritu vini infundatur & deſtilletur, nullum ſaporem vel odorem liquori adfert, quod indicat evaporabilem ſubſtantiam ipſi non inexiſtere. Ejuſdem indolis eſt piper, quod tamen pauxillum olei fundit. Quocirca minus recte zingiber additur aquis ſtomachicis: decoctum acerrimum ſapore eſt.

Aqua Cinnamomi.

AQuam cinnamomi ſæpiùs cum ſola aqua communi prolicimus, præmiſsâ maceratione trium vel quatuor dierum. Utimur ad hoc vaſe refrigerante, vel alio ſimili, item urinali vitreo cum ſuo capitello, cujus recipiens aquæ immergitur. Alio modo, at cum vino albo, ut ſic; accipimus cinnamomi ℔. j. eam parum contundimus, atque in urinali vitreo cum ſufficienti quantitate vini per tres dies infundimus: vaſe autem probè obturato cum ſuo recipiente balneo Mariæ committitur, igneque adacto elicitur aqua. Huic aquæ oleum innatat in exiguâ quantitate. Prima aqua, quæ lactea cernitur, recenti cinnamomo reaffunditur, atque deſtillatur, ut priùs: ter ejuſmodi operatio reiteratur, quâ viâ multum olei elicitur, & aquam odoratiſſimam & ſuaviſſimam percipies.

(*i*) *Aqua Cinnamomi.*

℞. Cinnamomi electi ℔. j. Spiritus vini, ℔. iij. Aquæ roſarum, ℔. ß. macerentur triduo in fimo equino, demum per balneum Mariæ educitur aqua fragrantiſſima.

(*i*) *Aqua Cinnamomi. Author* ſpiritus vini libras tres aſſumit & aquæ roſarum libram ſemis, ſic deſtillatione ſpiritus potius ardens obtinetur, qui de cinnamomo odore ſaporeque parum participat, ſed oleoſæ ſapidæ cinnamomi partes gravitate ſua remanent in phlegmate; Felicius res ſuccedit, ſi libras tres aquæ roſarum; vel alterius, & libram ſemis ſpiritus vini rectificati aſſumamus, in quo cinnamomum benè tuſum per aliquot dies probè maceratum eſt. Laudatiſſima, quæ proxima eſt odore ac ſapore cinnamomo, fit cum generoſo vino malvatico aut Hiſpanico; Indicium generoſæ cinnamomi aquæ eſt, ſi lactea, quoniam tunc oleoſæ partes intime immerſæ aqueis ſunt. Cum ſucco cydoniorum elegans paratur; quæ ad fluxiones ventris & ubi ſine magno calore confortandum eſt, valdè ſalubris datur.

Aqua Cinnamomi.

℞. Cinnamomi electi parum contuſi, ℔. j. ß. ſchœnanthos, folii Indici, an. ℥. j. caryophyll. ℥. j. vini malvatici, ℔. iv. aq. roſarum ℔. j. triduo maceratis in urinali vitreo, lento calore prolicitur aqua præſtantiſſima. Epilepſiæ confert, animales ſpiritus recreat, auget memoriam, & refrigerato ventriculo ſuccurrit. *Facultas.*

(*k*) *De aquis odoriferis.*

EX omnibus odoratis floribus, fragrantiſſimas, & odoratiſſimas aquas elicere poſſumus: ut ex roſis, jaſmino, violis purpureis, caryophyllis, floribus aurantiorum, & aliis; modum autem ſuprà tetigimus. Interim colligantur flores, tempore quo Solis calor ipſorum virtutem non reſolverit, eoſque ſtatim urinali vitreo reconde, atque blando calore proliciatur aqua: cave ne ignis vehemens ſit, paucaque eliciatur, & ea quæ à primo vapore reſolvitur, ſervetur; ſecùs quæ à toto compoſito prodiit, ingrati eſt odoris, & alteri mixta odorem illius evertit omnino. Augebis odorem, primam aquam novis floribus reaffundendo; quòd ſi ter reiteretur hujuſmodi operatio, aqua fit præſtantiſſima.

Ex roſis aqua eodem modo paratur, & quia odor fixius inhæret ſubſtantiæ, longiorem ſuſtinet evaporationem. Patiuntur & macerationem, ut in principio diximus. Flores verò, qui in ſola ſuperficie continent odorem, maximâ cautelâ exſtillantur; primi enim vapores in roſtrato capitello tantummodò excipiantur, contrarium agentes oleum & operam perdunt. Uſus ejuſmodi aquarum maximè eſt in ſpiritibus roborandis, & exhilarandis. Vires earum multiplices ſunt, etiam in peſte morbiſque contagioſis. *Uſus, & facultas.*

(*k*) *De aquis odoriferis.* Non dubitamus ex floribus odoratis fragrantiſſimis, roſis, jaſmino, violis purpureis, caryophyllis floribus citri & aurantiorum odoriferam aquam deſtillari poſſe, modò ſufficientes & recentes aſſumantur, ac leniſſimo calore in balneo tractentur; Cuſtodiunt revera hi flores oleum quoddam volatile ſubtile, quamvis pauciſſimum, à quo etiam roſæ odoratiſſimam dant aquam. *Tachenius* refert, quod ex octuaginta quatuor libris roſarum tantummodò olei unciam unam Dominicani Florentiæ ſeparaverint. Styrax, benzoe, balſamum peruvianum, ſi recentia deſtillantur cum aquis, concedunt quoddam odoriferum oleum. Ex balſamo peruviano cum ſale tartari probè trito ac digeſto cum ſpiritu vini puriſſimo, elicitur eſſentia, quæ ſi deſtilletur ad ſiccitatem, ſpiritus prolicitur balſamicus fragrantiſſimus, præſtantiſſimæ virtutis ad roborandos nervos medicamentum, quod omnes Medici commendatum ſibi habeant; Dubito, an ullus de hoc ſpiritu vel etiam prædicto oleo ligni aloës, utroque remedio excellentiſſimo, unquam ante me mentem injecerit.

Aqua adorata compoſita.

℞. Santali citrini, ℥. j. ß. radicis cyperi, ligni aloës, calam. arom. corticis citrii, an. ℥. ß. roſarum rub. ſicc. benjoini, ſtyracis calamit. an. ʒ. x. terantur terenda, & octiduo macerentur in ſuff. q. aquæ roſarum: demum aqua proliciatur calore balnei vaporoſi, & ſervetur ad uſum. In dictâ aquâ nodulus ambræ griſeæ & moſchi orientalis, an. ʒ. j. plenus continuò immergatur.

Alia.

℞. Radices ligni rhodii, ſantali citrini, cyperi, ireos, an. ℥. j. ß. calami aromatici, ſtyracis calamitæ, benjoini, caryophyll. an. ℥. ß. macerentur triduo in ſ. q. aquæ florum aurantiorum, vel roſarum: poſtmodùm balneo, vel refrigeratorio diſtilletur.

(*l*) *Aqua Soporifera.*

REcip. Seminis cicutæ, ℥. j. ß. ſem. papaveris albi, ʒ. vj. hyoſcyami, lactucæ an. ℥. iij. fructuum maturorum mandragoræ

dragoræ, an. ℥. j. ſtramonii cum ſemine, opii Thebaici, an. ℥. j. ß. ſuccorum lactucæ ſilveſtris, aquæ vitæ optimæ an. ℔. j. ß. Hæc omnia tuſa macerentur triduo in urinali vitreo, poſtmodum lentus ignis ipſis ſubjiciatur. Doſis aquæ erit ℥. j. & ij.

(*l*) *Aquæ ſoporiferæ.* Talis aqua paratur optimè ex floribus papaveris hortenſis, & tota planta cum capite & ſemine: addi poteſt crocus integer, item nuciſta, & cum aqua vel cereviſia bonæ notæ deſtillatio adornetur, & ubi anodyna vis in morbis requiritur, certè majorem utilitatem, talis aqua præſtat, quam omnia extracta & laudana ad cœlum uſque elata. Illud notari meretur, ex papavere ſativo verum opium confici poſſe, quod longe ſubtilius & efficacius eſt exotico, exſtillat è maturis capitibus incifis, medio æſtatis, lacteus liquor, qui ſolis operatione in reſinam nigricantem induteſcit, quæ in omnibus ab exotico non diſtinguitur, & ſi verum facere judicium volumus, minus noxia.

Alia.

℞. Succorum hyoſcyami albi, fol. papaveris albi, & nigri, mandragoræ, hederæ, cicutæ, an. ℔. ß.

Alia.

℞. Daturæ, ſeu ſem. ſtramonii albi, ℔. j. macerentur triduo in ſ. q. vini albi: diſtilletur poſtea, & ad uſum ſervetur. Doſis erit ℥. j. In his ſuccis infunde lolii, ſem. lactucæ, opii, an. ℥. j. ß. Hæc aqua ter à magmate abſtrahatur, atque ſic potentiſſima aqua educitur.

(*m*) *De Aquis animalium.*

ANnimalium, ut ſtirpium aquas præpaparare, uſuique noſtro reponere nobis moris eſt. Itaque aquas animalium, vel integrorum, vel eorum partium, variis modis, variiſque inſtrumentis elicimus: quasdam putrefactione, ſubſtantiarum ſegregatione, heterogenearum videlicet, quibus conſtant præmiſſa; quaſdam nullâ, ſed eas ab integris ſeparamus. Nonnullas balneo vaporoſo, atque calore aquæ tepidæ. Quaſdam igne cinerum, arenæ, igneque ipſo aperto. Quædam ſine alterius mixtione, ſeu ex ſolis animalibus, aut eorum partibus, quædam verò cum mixtione alterius, vel alicujus additione aquæ commodiùs educuntur, & nobilitantur.

(*m*) *De Aquis animalium.* Menſtrua aquea ex animalium partibus per coctionem extrahunt gelatinoſi quippiam, & quo duriores partes animalium ſunt, adhuc integræ, nulla putredine infectæ, eo præſtantior acquiritur gelatina. Commodiſſimè & celerrimè extrahitur gelatinoſa ſubſtantia ex oſſibus vel partibus durioribus machinâ Papinianâ omnibus pharmacopœis commendanda. Decocta animalium ob gelatinam hanc nutritiva pollent virtute, hinc tabidis à morbis longis extenuatis & deploratis in phthiſi proſunt, præcipuè cum aqua cinnamomi & pauxillo ſucci citri acidi exhibita, juſcula talia plus præſtant, quam aquæ deſtillatæ caponum, aliorumque animalium, quamvis non negandum ſit, etiam aquas illas non pure elementares eſſe, ſed re vera differre ab alia aqua ſimplici, ſapore, odore, virtute & ſedimento, quod dimittunt; ſiquidem gelatinæ ex particulis oleoſis ſalinis conſtant, verum ſubtiliores aqua in poros abripit & ſecum in altum attollit. Aqua cerebri animalium in epilepſia magnopere laudatur, & *Burrho*, famigeratiſſimo illi Chymico in uſu fuit. Notabile autem hic eſt, cerebrum animalium fere totum in aquam liqueſcere, & ſubtiliſſimum largiri oleum, paucum tamen, ſal volatile autem planè exiguum.

De Aquis Caponum, & aliarum viribus reparandis dicatarum.

DUplici modo fiunt ejuſmodi aquæ, vel enim per balneum Mariæ, carne priùs inciſâ, & urinali vitreo inditâ, pauço vini malvatici adjecto, ut irrorentur carnes, & tantillo cinnamomi ſaporis gratiâ; vel priùs capones benè coquunt, & juſculum caponum balneo rorido diſtillant; qui modus hodie uſitatiſſimus eſt. Alio modo: Carnium portio filis alembico appenditur, exhalanteque vapore è ſubjecto urinali caro excoquitur, eaque aquam, ſive juſculum fundit gratiſſimum. In urinale vinum, vel aqua roſarum, boraginis, aut alterius generis liquor priùs immittitur. Urinale ſit cæcum, & ferè in modum circulatorii. Si cinnamomum, aut aliud aromaticum ſuperaddatur, ſuaviorem reddet liquorem.

Aqua cancrorum fluviatilium, vermium terreſtrium, &c.

AQuæ cancrorum fluviatilium, Gallis *Eſcreviſſe*, Italis *gambari*, per balneum Mariæ, vel etiam calore cinerum excipiuntur. Integri ſumuntur, iique bene loti urinali vitreo induntur, cum pileo roſtrato, ſine additione alterius liquoris. Ejuſmodi aqua uſus eſt mirabilis inflammationibus ſedandis, urinam pellit, & rabidorum canum morſibus ſuccurrit, vulneribus pectoris continuò ſumpta mirificè opitulatur, ſitim extinguit, & renum calculum comminuit. Aqua vermium terreſtrium eodem planè modo fit, ipſis priùs vino albo probè à terreſtreitate lotis & repurgatis. Hæc aqua phthiſicis auxiliatur, ſanguinem ſiſtit, menſes provocat, obſtructiones reſerat, vermes puerorum enecat, intrinſecis vulneribus confert, & alia præſtat adhuc incomperta.

Aqua Ranarum.

RAnæ capiuntur ſub fine menſis Martii, vel initio Aprilis, (omnibus etiam temporibus, neceſſitate cogente, ſed tunc minùs efficaces) vivæ domi triduo in aquâ ſervantur; tuncque lotæ, urinali vitreo integræ & vivæ immittuntur, atque pileo roſtrato ipſi impoſito, per calorem balnei maris exſtillatur aqua. Ejus uſus eſt manè jejuno ſtomacho, ℥. ij. pro doſi. Diuturnas hæmorrhagias reprimit, muliebres fluxus, quos flores albos appellant, mirificè juvat. Quòd ſi ulla ſubſit prava cacoëthia, radicitùs ſanat. *Proprietas, & uſus aquæ ranarum.*

(*n*) *Spermatis ranarum aquam*, eo quo diximus, modo elicimus. Colligitur ejuſmodi ſperma menſe Aprilis, nullaque lotione præmiſſâ, *Aqua ſperm. ranarum.*

præmiſsâ, balneo vaporoſo aqua educitur. Et quia iſthæc aqua citò corrumpitur, ejus ſuccum linteaminum fruſtulis combibimus, eaque umbrâ, vel ſole exſiccantur.

Ejus uſus & vires. His utimur, aquâ ranarum priùs madefactis, in omni ſanguinis fluore, in eryſipelate, in arthriticis doloribus, & in ambuſtis. Eæ etiam cancro ulcerato non parum proſunt, nam ab eo enatos dolores ſedant.

Pulv. ranarum uſus, doſis, & virtus. Quidam ranarum partem inferiorem, rejecto pectore, & capite, cum pelle, tantùm accipiunt. Nos eas integras deſtillamus, & eæ in vaſe poſt extractionem remanent, quæ poſtea lento igne exſiccantur, atque in pulverem reducuntur; cujus ℥. ß. & ʒ. j. quotidie exhibemus. Pulvere dicto utimur in fluxionibus ſiſtendis, maximè uterinis.

(*n*) *Aqua ranarum ſpermatis.* In inflammationibus foras egregiam fert opem, nec non intrinſecus in omni ſanguinis fluxione, utpote ſale ſuo ſubtili reſolvit & temperat igneum ſanguinis motum; ex tenellis cervorum cornibus recentibus in balneo, quæ prodit aqua, non inefficax eſt, ubi humidum reparandum, & vires reſtaurandæ in malignis.

Aqua ſanguinis humani.

Aqua ſanguinis humani utilitas. IN oleo ſanguinis humani extrahendo aquam ſimul extrahimus, de quâ eo in loco ſermonem habebimus. Hac aquâ raro utimur, & non niſi in extrinſecis. Roborat artus, quominùs fluxiones excipiant, & arthriticis doloribus confert. Ex ſanguine hirci, & aliorum animalium, aqua, modo non diſſimili educitur.

(*o*) *Aqua ſtercoris animalium.*

Gallinarum ſtercus. MUlta animalium ſtercora mirabiles, & præſtantes obtinent virtutes: & ut interim humanum ſtercus taceam, (res profectò indigna, ut à quopiam in uſum advocetur) gallinarum ſtercus nonnunquam uſurpavimus in doloribus côli. Id in pulverem exſiccatum furno, vel ſtupha, commodè abſque aliâ præparatione exhibetur adverſus colicos dolores. *Unaquæque animalium ſtercora in propria animalculorum genera verti.* Stercora cujuscunque animalis in aliquod animalculi genus vertuntur, quod per alembicum vitreum diſtillatum, aquam & oleum exhibet *Eorum aqua, & oleum.* mirandæ virtutis. Ad hoc opus eſt magnâ ſtercoris copiâ, longumque tempus requiritur. Sed hæc tantùm per tranſennam annotare placuit; non enim arbitramur, fœda ejuſmodi remedia ad humanum uſum comparata eſſe. Non propterea nos latet, *Aqua ſtercoris bubuli.* ſtercus bubulum menſe Maii collectum, miram præbere aquam, ſi per alembicum diſtilletur, adverſus nephritidem, calculos *Adverſus calculum.* enim citò ſolvit & urinam copioſè movet, quam & nigram primâ die pellit, fortè calculis vehementer attritis.

(*o*) *Aqua ſtercoris animalium.* Excrementa alvina activo principio ſalino nimirum ſulphureo (quod ex reſolutione ingeſtorum & commixtione variorum liquorum, bilis, ſalivæ, ſucci pancreatici, emergit) copioſo conſtant, & hujus reſpectu magnam vim poſſident, uſu exteriori ſedandi inflammationes, nec non per ſudorem vehementer dimovendi ſalia inflammantia. Aqua ſtercoris hirundinum vires antipilepticas recondit, præſertim ſi cum floribus vegetabilium anodynis deſtilletur. Infuſum pavonis ſtercoris cum ſimplici ſpiritu vini adverſus capitis morbos, vertiginem epilepſiam probatæ & ſpecificæ virtutis ſemper exſtitit. Maximi olim habita fuit aqua omnium florum, quæ in ipſa gangræna, peſte, inflammationibus, arthriticis, & ſpaſmodicis affectibus, tam intra quam extra divinam præſtitit opem: Dignum notatu eſt, ex ſtercoribus cujuſcunque animalis non ſecus ac ex urina inſpiſſata, flammæ tortura phoſphorum lucidiſſimum confici poſſe. Videntur ſtercora aliquid ſingulare fovere, quod ſale ſuo ſubtili facilius penetrent, & ex ſymboliſmo quaſi ingreſſum in anguſtiſſima partium inveniant, cum alia ſalia volatilia ignis vi elicita non tam blande agant, ſed vehementius afficiant.

(*p*) *De Aquis mineralium.*

SUb foſſilium atque mineralium nomine metalla quæque complectimur, mineralia, lapides, gemmas, terras, bitumina, omnium ſalium genera, & quæ in imo maris, & intimis terræ viſceribus denſata ſunt, & in ſubſtantiam lapideam verſa.

Ab his aquam ægrè excipimus, & nonniſi artificio, & labore: ſic ejuſmodi aquas vulgus Medicorum planè ignorat, eo quòd nimis delicatuli, labores ad ſe non pertinere dicant.

Tanta eſt hujuſmodi aquarum neceſſitas, & utilitas, ut his ignotis, tota chymica ars corruat. Eæ enim denſiſſima metallorum corpora penetrant; ſic in momento firmiſſimam auri, & argenti compagem ſolvunt. Taceo miranda, quæ invicem præſtant. In Medicina uſus ſunt multiplices & admirabiles: ut à vilioribus, & minùs compoſitis exordiar, paramus aquas vitrioli, aluminis; & quorundam ſalium, hunc in modum.

(*p*) *De Aquis mineralium.* Antiqui pretioſos lapides, aurum, miſcuerunt ſuis deſtillatis, exſpectantes ſingularem vim roborantem ab illis, in quo valdè deluſi, ſiquidem nihil ab ipſis aſcendit; alia autem eſt res ſalium & vitriolorum, quæ deſtillata leni igne fundunt aquam odoris ſulphurei, ſaporis aciduli, uti phlegma vitrioli eſt, quod ob ſulphur minerale reſolutum ſubtenue obſtructiones capitis egregie diſſipat, hinc motus ſedat epilepticos, ſanguiniſque ebullitiones compeſcit, & hecticis lentoque calore confectis ſolamen adfert. Phlegma hoc efficacius evadit, ſi cohobetur ſæpius ſuper caput mortuum, vel ſi ſpiritus vitrioli ſumme volatilis acceſſione augmentum virtutis acquirat. Notari meretur phlegma vitrioli recens majoris eſſe virtutis, quam quod ſpiritu ſulphureo & materia ſubtiliori ſucceſſu temporis defraudatum & effœtum eſt.

Aqua Vitrioli, & aluminis.

VItriolum vel alumen accipimus, eaque integra retortæ, vel etiam urinali, aut alteri vaſi terreo devitreato indimus; pileum roſtratum excipiendo idoneum imponimus; vas in communi fornace collocamus, & levi igne adhibito aquam exugimus, recipiente ad hoc capaci vaſi adhibito, ejuſmodi aqua vocatur phlegma, ob inſipidum ejus ſaporem. Eo tramite ab utroque ſpiritum elicere ſolemus, igne validiori adacto, & retortæ collo cùm reſpiciente luto firmiter obturato, & loricato. Hæ aquæ ſummopere refrigerant, ſine ulla mordacitate, ideò ophthalmiæ haud parum conferunt. *Vitrioli ſpiritus.*

(*q*) De

(q) *De Aquis fortibus.*

INter ſimplices & magis communes, hæ maximè reponuntur. Omnium ſimpliciſſima ea eſt, quæ ex ſolo ſale educitur, ſive ſale nitro, gemma, armoniaco, communi, vel alio.

Sal nitrum duplo boli, cretæ, terræ argillaceæ ſiccæ, aut alius corporis mixtum, aquam fundit fortiſſimam, maximum in Lunam, & alia inferiora corpora imperium obtinens. Vocatur ejusmodi aqua ſpiritus, ob ſubtilem, tenuem, & raram ſuam ſubſtantiam: quæ tanta eſt, ut continuò in auras abeat, atque facilè denſa & dura penetret corpora.

Item cum duplici pondere aluminis uſti mixtum, aquam omnium vehementiſſimam de ſe promit. Pariter cum duplici pondere vitrioli calcinati, aquam etiam efficaciſſimam exhibet.

(q) *De Aquis fortibus.* Aqua fortis nil niſi ſpiritus nitri eſt, magis exaltatus & ſulphureus per reactionem cum vitrioli terra factus, compendioſe illico parari poteſt, ſi ſpiritus nitri abſtrahatur, ſuper limaturam martis, igne vehementiori. De ſpiritu vitrioli aqua fortis nihil participat, & ſi ipſo prægnans eſt, ſolutioni lunæ non quadrat, quoniam ſtatim calx lunæ in tali aqua forti fundum petit, quare aurifabri, & qui puram aquam inſontem à contagio vitrioli deſiderant, tali ratione depurare ſolent; ſolutionem lunæ parva tamen doſi injiciunt ipſi, ſic ſpiritus vitrioli aggreditur lunam & præcipitat ipſam, ſiquidem ſpiritus vitrioli non ſolvit ipſam lunam, præcipitat autem ſolutam in aqua forti. Ulterius circa aquam fortem tenendum, eſſe nimirum illam ipſam inſontiſſimam, etiam intrinſecus loco nitri ſpiritus adhibendam, ſive in ſubſtantia cum ſpiritu vini ad affectum colicum; ſive cum ſpiritu vini rectificatiſſimo quis velit ſpiritum nitri dulcem efficere, qui propter ſulphur explicatum ſuavioris longè odoris, & majoris virtutis eſſe ſolet, quam ſi cum vulgari ſpiritu nitri paratus fuerit. Conficitur alias optima aqua fortis ex nitri & vitrioli aquis exactiſſime mixtis, deſtillatio peragitur in olla ferrea, alembico terreo capacis roſtri impoſito: Spiritus prodit flammei coloris plerumque tanta in quantitate, quantum nitri aſſumtum fuit: Fortior obtinetur, ſi cum calcinato vitriolo, vel cum uſto alumine inſtituitur negotium. Fundamentum proceſſus hoc eſt; vitrioli ſal, ceu potentius terram aggreditur nitri, quæ vinculum ſpiritus nitri eſt, ſicque liberatus hic facile ſecedit, & ignis motu in altum aſcendit. Simile quid obſervatur, ſi vitriolum cum ſale communi mixtum deſtilletur, obtinemus tunc purum ſpiritum ſalis, qui ſolvens mercurium vivum una additum conſtituit ſublimatum. Ad compendium ſpiritus ſalis igne arenæ elicitur, ſi oleum vitrioli addatur ſali communi vel ammoniaco, relinquitur in retorta celebratiſſimum ſal *Glauberianum.*

Communis. Aqua fortis.

℞. Salis nitri, Aluminis uſti, Vitrioli uſti, an. ℔. ij. Indantur retortæ luto firmiter loricatæ, & recipiente amplo, ac capaci, igne per gradus adhibito, excipiatur aqua. Qui minùs fortem deſiderant, alterum horum crudum ponatur, & meliùs aqua communis in recipiens immittatur.

Alia.

EXtant paſſim apud artifices aliæ aquarum fortium deſcriptiones; at omnes illegitimæ, & parum fidæ. Quidam *Poterii Opera.* florem æruginis æris; alii ſalem communem, gemmeum, cinnabarim, ſublimatum; nonnulli ſalis nitri legitimam doſim omittunt; alii exſiccationem, & præparationem corporum.

Aqua fortis tertia.

℞. Salis nitri, ℔. j. Aluminis uſti, ℔. ij. Cinnabaris, lib. iij. ſtibii, ℥. j. miſce.

Aqua fortis quarta.

℞. Salis nitri, ℔. j. Salis gemmæ, ℥. iij. Sandarachæ, ℥. ij. Aluminis, vitrioli, an. ℔. j. miſce.

Aqua fortis quinta.

℞. Salis Armoniaci fixi, ℥. iij. Salis nitri, ℔. j. Aluminis uſti, ℔. ij. ß. Arſenici, ℥. ij. miſce.

(r) *Aqua Regia.*

AQua Regia ſic vocatur, ob vim diſſolvendi aurum. Fit autem ejuſmodi aqua, ut cæteræ Aquæ fortes. Efficitur talis ſalis armoniaci interventu, quod additur vel in recipiente, vel in retorta. In recipiente, ob nimiam ejus naturam fugacem. Si retortæ indatur, ignis principiò admodum levis ſit; ſecùs ad collum retortæ ipſum ſublimabitur, & aquæ exſuctionem inhibebit. Fixatur etiam dictum ſal, quominùs fugax ſit, ut in ſpeciali *tractatu de mineralibus* docetur. Mitto pleraque alia brevitatis causâ.

(r) *Aqua regia.* Paratur hæc; ſi in libram unam aquæ fortis, unciæ quatuor ſalis ammoniaci ſolvantur: liquor flaveſcens à fæcibus decantatus, uſui ſervandus eſt. Penetrantior magis fit dicta aqua, ſi mixra hæc deſtillentur. Ex nitro & ſale ammoniaco anatica portione junctis, identidem provocatur aqua Regis præpotens, ex arena in retorta vitrea amplæ capacitatis. Negotio peracto, ſi rite operatus fueris, & concentratiora ſalia fuerint, vel ſpiritus nitri fortiſſimus à ſale ammoniaco abſtrahatur, aqua Regis fumans, aurum illico ſolvens acquiritur. Fundamentum in eo conſiſtit: nitrum potentius ſal eſt ipſo culinari, vel ſale ammoniaco, & ideo in ipſius terram agit, ac ſpiritum ſalis à compedibus ſuis liberat & carcere emancipat. Quod remanet in capite ſic appellato mortuo, ſal eſt nitroſum.

(s) *Aquæ Metallorum.*

MEtallorum aquæ variæ ſunt, variiſque modis à perito artifice educi poſſunt. Et quoniam earum methodus varietatem ſortitur à natura uniuſcujuſque metalli; ideò earum præparationem rejicimus in peculiarem noſtrum tractatum *de mineral. & metal. Præparatione*, ubi non modò aquas, verùm & ſingula quæque remediorum genera è metallis educta, conficere docebimus.

(s) *Aquæ metallorum.* Ex metallis per deſtillationem cum aqua nullas particulas metallicas in ſubſtantiâ evehi dictum eſt, nihilominus concreta metallica particulas ſui quaſdam & cum his virtutem medicamentoſam ſimplici aquæ etiam concedunt, ſi candefacta ſæpius in ipſa extinguantur.

Burrhus *in Epiſtola ad Bartholinum* 4. ad ſedandam diarrhœam & cordis palpitationem aquam extinctionis auri mirifice dilaudat, quamvis compactior hujus textura à molliore taliſmodi aquâ parum deradi patiatur. Certum tamen eſt, folia auri aqueo menſtruo ſimpliciſſimo in mortariis vitreis per aliquot dies pertuſa ac trita, tandem ipſo penitus diſſolvi. Præparaſſe, ſuccurrit menſtruum aqueum plane inſipidum, quod ſolo tritu interveniente mercurium vivum plane abſorbebat, & in poros recipiebat, ex quibus tamen ſucceſſu temporis forma nigri pulveris dejiciebatur. Ut adeo fateri cogamur, inſipida etiam maxima pollere efficacia, prout magis vel minus materia ſubtiliori fluidiſſima ſive ætherea turgida ſunt, & minus de heterogeneis terreniſque partibus (quæ etiam ex limpidiſſima per repetitas ſemper deſtillationes evocari poſſunt) participant. Limatura martis cum aqua diutius decocta ipſi martialem & vitriolicum lenem ſaporem fœnerat.

SECTIO QUINTA.

(a) *De Succis, & Extractis.*

PRæmiſſis jam decoctis, & aquis, tanquam his, quibus in ſequentibus parandis crebrò utimur; ad ea, quæ extracta dicuntur, deveniendum, ſub quorum denominatione ſuccos rerum ſimplices complectemur, & primùm de his, ut paratu facillimis.

Æſtivis temporibus plantarum ſuccos uſurpamus, nam tunc earum virtus in ſucculento, & madido humore conſiſtit, quem non raro ſponte, aut exiguâ vi factâ, fundunt.

Parantur etiam dicti ſucci, ut hyeme loco plantarum, ex quibus eliciuntur, haberi poſſint: tunc enim ſunt mortuæ, effœtæ, & languentes, unde nullam, aut exiguam vim de ſe promunt.

Parantur & aliis de cauſis, ut ab his ex arte fermentatis, ſpiritus, quinta eſſentia, vel liquor mercurialis educatur.

Item ut ſal eſſentiale, ſive tartarum inde parari poſſit.

Succos autem elicimus è viridi ſtirpe, ejus radice, foliis, floribus & fructibus. Itaque ex his minutim conciſis, tuſiſque ſuccus exprimitur. Aliquando ex his priùs probè tuſis, & ad nonnullos dies in vaſe vitreo, atque in fimo equino maceratis, in linteum rarum conjectis, vel manibus, vel prælo torculari ſuccus exprimitur.

Ex extractis pilulæ & ſyrupi fiunt. Succi ſæpè per nos in extracti formam perducuntur, ut hi in pilulas devorari poſſint. Non raro in mellis vel ſyrupi craſſitiem, nullo etiam addito melle aut ſaccharo, ipſis tamen priùs defæcatis, & probè depuratis. Depurantur verò ipſi antea inſolatis, quo ritu vinum poſtquàm efferbuerit, fæces deponere ſolet; ſed quicquid leviorum fæcum continebunt, in ſpumam ſubſidebit, quæ depurandi methodus potiſſimùm valet in vinoſis ſuccis.

Nonnulli, ut craſſi, terreſtres, fæculenti viſcidi, priùs coctionem ſuſtinent, vel ad ignem, vel ad fimum equinum fervidum. Depurationes, & clarificationes, quæ acidorum medio fiunt, item per albumen ovi non ſemper improbamus, neceſſitate temporis ad id ſæpiùs compellente.

NOTÆ in SECTIONEM V.

(a) *De ſuccis & extractis.* Succi vegetabilium optime depurantur per ſolam ſubſidentiam, poſtea filtratio inſtituitur. Ex quo intelligitur, vix dari ſuccum plantæ alicujus, qui non terræ aliquantulum contineat, & fæces quaſdam deponat. Ex facili vegetabilium ſucci vappeſcunt, ſitum contrahunt, & corrumpuntur propter aëris fluidum, quod continua actione texturam illorum permutat, vinculaque mixti ac unionem ſolvit. Videmus ſuccos plantarum à putrefactione ſervari immunes in vaſis, ex quibus aer evacuatus eſt. Quapropter vitris clauſis anguſti orificii indantur, quo aëris fluidum arceatur. Eandem rationem afferunt Pharmacopœi, dum ſuccis ſuperfundunt oleum. Olei quippe particulæ contiguæ ſibimet ipſis ac permanenter cohærentes tranſitum aëris non admittunt. Inſuper fumus ſulphuris in clauſo vaſe detentus, obnoxios putredini ſuccos diu conſervat. Acidum quippe poros illorum occupando impedit, quo minus introeat aer, præterea & texturam particularum mixti coagulando firmat. Putrefactio enim conſiſtit in deſtructione unionis partium, quam certum mixtum poſſidet.

Succorum evaporatio commodiſſime procedit leni igne, & ideo in balneo, vel etiam in vaſis ſtanneis, libero aere vel leniori vento accedente: ſic enim humiditas citius conſumitur. Fortis enim calor motu intenſiori texturam, quæ fons virtutum eſt, alterat, adeo ut leni inſpiſſatione extracta vegetabilium fiant laudatiſſima; quæ in conſiſtentiam pilularum redigi queunt.

(b) *Succi exotici, ut ſcammonea*, opium, aloë, & ſimilia, quia impuri, non minimâ purificatione indigent: malè tamen in officinis tales immiſcentur pilulis. Satius eſſet hac de re ſcammoneam purgare, quàm malo cotoneo coquere, meliorque eſſet correctio. Ea verò depuratur, atque ab omni pravâ, malignaque qualitate corrigitur, ſi trita ex aqua vitæ lento igne diſſolvatur, diſſoluta per inclinationem à fæcibus ſegregetur, demum ab eâ aqua vitæ abſtrahatur, quoad ſicca remaneat, pura, clara, & pellucida. Hujus correctæ ſcammoneæ ℈. j. tutò exhiberi poteſt. *Scammonea præp. correct. & doſis.*

Aloë hepatica, ſuccis, vel aquis ſtillatitiis diſſolvitur, & eodem modo à ſordibus repurgatur. Succotrina, quæ pura, nitida, & pellucida eſt, à nobis ſic abſque aliâ præparatione uſurpatur. *Aloës præp.*

Succos probè depuratos, ad mellis vel ſyrupi craſſitiem coctos, ſacchari tantillo adjecto, plerumque uſurpamus, raroque crudos, nî temporis neceſſitas, vel ægri conditio aliò nos avocent.

Doſis ejuſmodi ſuccorum coctorum, erit ab ℥. j. ad ij. & iij. Horum ℥. j. plus pollet tribus, quàm uſitatorum ℥. viij. & x.

Qui hujuſce rei periculum facere cupit, ſuccos limonum accipiat, vel cydoniorum ad

Succi, ut validiores reddantur. ad ℔. ij. Remaneant poſt evaporationem in balneo Mariæ factam, ℥. iv. quarum ſingula uncia plus virium habebit, quàm integra libra. Nos parum ſacchari ipſis addimus, non tam ad ſaporis gratiam, quàm ad formæ elegantiam; ut pro una ℔. ſucci, ℥. ij. vel iij. ſacchari.

Succos cichorii, meliſſæ, borraginis, cicerbitæ, lupuli, endiviæ, fumariæ, agrimoniæ, acetoſæ, ſcorzoneræ, & ſimiles, hac viâ paratos, ad ℥. j. & ij. uſurpamus, citra nauſeam, & ægri moleſtiam.

In Italia frequentiſſimus eſt ſucci cichorii crudi & impuri uſus, menſibus præſertim Maii, & Junii, quem ſæpè cum ſero lactis miſcent. Quæ conſuetudo à nobis minimè probatur, maximè in his, qui ventriculum frigidum, & natura imbecillum nacti ſunt: lienoſis etiam, & his, quibus jecur obduruerit, non minimùm obeſt, hos enim frequenter in hydropem præcipitat, obſtructiones auget, totum genus venoſum refrigerat, naturales tandem functiones ſummopere pervertit, irritat, & dejicit; inde apoplexia, colici dolores, & alia graviſſima mala, nec raro mors ipſa: ſic qui jecur temperare ſtudebant, immaturam mortem ſibi concitârunt.

Hîc in acutis febribus oxalidis ſuccus promiſcuè exhibetur, & horis, & diebus, quibus natura ſæpius criſes movere ſolet. Quam conſuetudinem probare minimè poſſumus; tunc enim adhibenda ſunt pauca, & cocta, ne ab officio natura avocetur. Sic ſi unica tantùm uncia aut ſemuncia adhiberetur dicti ſucci probè cocti, & per ſe purificati, citò in actum deduceretur, & natura tantoperè ab his minimè læderetur, nec eos averſaretur. Sed *Cicerbitæ ſuccus.* his amore brevitatis omiſſis, quòd Cicerbitæ ſuccus adverſus venenatorum morſus valeat, aperiendum: Narravit mihi amicus fide dignus, ſe eo ſucco à viperis demorſos curâſſe.

Scorzon. ſucc. Scorzoneræ ſuccum idem præſtare, palam eſt. Succi præterea omnes plantarum, è quibus educuntur, facultatibus, & viribus pollent. Addam inter extrinſecos uſus, & familiaria experimenta noſtra.

Heliotrop. ſucc. Heliotropii ſuccum manuum verrucas brevi tollere abſque dolore; equorum item, & mulorum poros pariter emollire, & abſumere; certas etiam carnis excreſcentias, & ſuperfluitates reprimere & reſolvere, ad quæ & non parum conducit ſuccus ſabinæ, *Sabina.* qui & carcinomata maximè ulcerata mirificè juvat. Idem ſuccus in pilulas coctus, & priùs depuratus, in ciendis menſibus mira præſtat.

Hedera. Succum hederæ narium fœtorem reprimere, pluribus experimentis cognovimus.

Anagallidis. Succus anagallidis floribus purpureis cum herba trita, ulceribus malignis impoſitus medetur, ipſaque perfectè ſanat.

(*b*) *Succi exotici* concreti, uti ſcammonium, opium, aloë, catechu, acaciæ, glycyrrizæ, ſæpiuſculè ſordibus impuris terreſtribus ſcatent, hinc menſtruo aqueo vel leviter ſpirituoſo ſolventi leni evaporatione inſpiſſantur. Succi herbarum, quæ ſanguinem depurare dicuntur e. g. cichorei, fumariæ, acetoſæ, agrimoniæ, ſcorzoneræ, hederæ terreſtris, Veronicæ, ſcabioſæ, ſcordii, pimpinellæ, recenter expreſſi & in juſta quantitate calidè poti in morbis, ubi dilutione ſalium acriorum opus eſt, eximiam quandoque locant operam. Circa illorum uſum obſervetur, ne dentur illis, qui flatibus obnoxii ſunt, ex imbecillo calore ventriculi, vel nauſea facilè premuntur, ubi meliùs eſt illorum extracta propinare vel calide eos offerre. Succus anagallidis floribus purpureis per ſal ſuum nitroſum abſterſivum mirificè opitulatur maniacis & melancholicis alvumque fluidam tenet.

SECTIO SEXTA.

(*a*) *De Extractis.*

Extracta non multum à ſuccis differunt; ſuccorum ſiquidem ſpecies ſunt, utplurimùm cum alieno liquore facta. Herbæ recentes, & ſucculentæ ſine alieno liquore ſuccum fundunt, quem & extractum nominare poſſumus. Itaque ad hæc paranda accipimus herbarum recentium ſufficientem quantitatem, eæ minutim inciſæ, & contuſæ urinali induntur, atque in fimo equino diu macerantur: eximuntur dein, & per pannum lineum ſub prælo valdè ſubiguntur, quoad omnem ſuccum deponant: in eodem liquore recentes herbæ reponuntur, macerantur, & exprimuntur, ut priùs, iſque labor ter, & quater repetitur, prout validum & efficax requrimus medicamentum. Liquor tandem diſtillatur, & aqua optima educitur, ad multos uſus neceſſaria. Quod in fundo vaſis remanet mellis ad inſtar craſſeſcit, vocaturque Extractum.

Siccorum corporum, lignorum, corticum, radicum, foliorum, ſeminum, & ſimilium extractum cum convenienti liquore, longaque maceratione paratur: macerationes, infuſiones, & filtrationes, ſæpè reiterantur, & ut ſuprà monuimus, ad mellis craſſitiem exſiccantur. Ejuſmodi extracta paulò tenuiora relinqui poſſunt; quibus etiam addere licet pauxillum ſacchari, ſic habebitur ſyrupus excellentiſſimus, cujus ʒ. ij. pro doſi, plus viribus pollent, quàm multæ unciæ ſyruporum, in officinis pharmacopolarum paratorum. Tutò ejuſmodi ſyrupi citra nauſeam, & ventriculi ſubverſionem exhiberi poſſunt, etiam delicatulis, & his, qui non modò ſaporem, ſed & conſpectum medicamentorum perhorreſcunt.

Eſt inſuper extractorum alia parandi formula, quâ in pulverem nobiliſſimum perducuntur, quorum quantitas exigua mira præſtat. Fit autem hoc modo: Ab herbis propria

propria aqua elicitur, fermentatione priùs præmiſsâ, hac colorem ſive tincturam elicimus, quam in exſiccando, aquam per alembicum exſugimus, & toties craſſeſcente materiâ, aquam reddimus, quoad dicta materia omnem humiditatem abſorpſerit; atque vaſis juncturis luto probè munitis lento calore ſenſim in pulverem exſiccetur. Si inter exſiccandum, herbæ ex aqua extractum parare intendis, ſalem immiſceas, extractum omnibus ſuis numeris abſolutum conficies. Liquores ſive menſtrua, quorum medio extracta conficere nobis eſt animus, ſint pura, clara, & omni aliena qualitate orbata, ut aqua communis ſtillata, aqua propria. Spiritus vini licèt aliena qualitate præditus ſit, attamen propter ejus naturam volatilem, & ſulphuream, ab extracto planè totus recedit.

Sæpè dum perficitur humidi abſtractio per alembicum, guttulæ quàm exiguæ olei, ſub aqua natantes, conſpiciuntur, quas, ſi volueris, ſeorſum ſervabis; ſin minùs, unà cum aqua ſerventur, vel in reiteratis cohobationibus extracto reddantur.

Uſus extractorum multiplex eſt: ſolida in pilulas devorentur, liquida cum appropriato liquore diſſolvantur, in pulverem reducta; vel cum juſculis, vel in pilulis, confectionibus, pulveribus, conditis, & aliis formulis dentur.

Compoſita extracta eodem modo, quo ſimplicia, parantur, ex quibus alia ſunt alterantia, alia purgantia, utraque ex lignis, radicibus, foliis, floribus, & ſeminibus. Nobis uſitata, longoque uſu comprobata, hîc tantummodò interſerere placuit; alia apud alios authores, qui deſiderat, inveniet.

NOTÆ

in SECTIONEM VI.

(*a*) *De Extractis.* Extracta vegetabilium parantur, ſi ſucci illorum aut decocta, mediante menſtruo fluido parata, inſpiſſantur. Et ſunt vel ſolidiora, vel liquidiora. Solidiora magis accommodata ſunt pilularum formæ, illa admixtioni liquorum inſerviunt. Complectuntur extracta vegetabilinm leviores ſalino terrenas ſulphureas partes, quæ ab impurioribus magis craſſis & terreſtribus ſeparatæ ſunt. Vegetabilia, quorum virtus conſiſtit in principio volatili oleoſo ſalino, minus opportune extrahuntur, rectius, quorum virtus eſt in ſale fixo tartareo aut reſinoſo amaro. Stupida res eſt, ex Moſcho vel ex aromatibus parare velle extracta. Crocus & Caſtoreum in extractum redigi poſſunt, at verò quoniam partes volatiles ſulphureæ anodynæ per coctionem avolant, languidioris virtutis ſunt, quam data in ſubſtantia. Extracta purgantium efficaciora eſſe ſolent, ſi parantur cum menſtruo aqueo, vel ſpiritu vini ſaltim leviori, quam cum rectificatiſſimo. Obſervamus ſcammonium, item aloetica, colycynthidem, cum aqua ſimplici extracta, in unico grano plus præſtare, quam grana quinque reſinoſorum extractorum. Reſidet enim vis purgandi in ſale ſubtili acri, quod debilitat & contemperat Spiritus vini ramoſis ſubtilioribus ſuis particulis: Et ſalia quoque, quæ maximè latitant in parte viſcoſa ac gummoſa purgantium, facilius ſolvuntur in aqueo quam ſpirituoſo menſtruo.

(*b*) *Extractum adverſus peſtem.*

♃. Rad. tormentillæ, ſcorzoneræ, an. ʒ. iv. fol. galegæ, ſcabioſæ, ſucciſæ, cardui bened. an. m. iij. ſem. echii, ℥. j. flor. borag. p. ij. flor. ſulphuris, ℥. j. ß. Theriacæ, ℥. ij. aquæ vitæ ter rectificatæ, q. ſ. fiat extractum ad mellis craſſitiem, cujus doſis ſit à ʒ. j. ad ij. cum ſ. q. aquæ cardui ben. ſudorem movet, corroborat, & omnem putredinem abjicit, venenis reſiſtit, & contagioſis morbis ſuccurrit.

(*b*) *Extractum adverſus peſtem.* Ex omnibus compoſitionibus clariſſimum ſubtexemus ſequentes, nimirum ſpecies alexipharmacæ, varia remedia ſolida & liquida compendioſe ſuggerunt. Recipe Radicis angelicæ, vincetoxici, leviſtici, Zedoariæ, contrajervæ, tormentillæ, valerianæ, ana unciam unam, gentianæ unciam ſemis, herbæ ſcordii manipulos quatuor, florum ſambuci pugillos ſex, myrrhæ electæ unciam unam ſemis, croci drachmas quinque, corticum citri uncias duas, ſuccini, ligni aloës ana drachmas ſex, camphoræ drachmas tres, opii drachmas duas. Hæc tuſa cribrataque permiſceantur melli, ita, ut libra una hujus capiat uncias quatuor, fiat electuarium inſtar diaſcordii; Si infundantur aceto vini, oritur acetum theriacale bezoardicum in peſte valentiſſimum, quod fortiſſimè movet ſudorem: ſi cum aqua deſtillantur vel aceto, exſurgit aqua bezoardica ſeu theriacalis; ſi ſpiritus florum ſambuci vel baccarum juniperi menſura una ad uncias quatuor ſpecierum addatur; & extractio decenti calore fiat, profluit exinde dioſcordium liquidum, Eſſentia theriacalis vel liquor bezoardicus, qui ad guttas 50. 60. ſudorem movet. Hæc eſſentia ſi leniſſimo calore evaporetur, extractum remanet bezoardicum, quod fungi poteſt vice theriacæ cœleſtis. Si recipiuntur eſſentiæ hujus theriacalis unciæ octo, ſpiritus tartari volatilis alkalini unciæ tres, ſpiritus vitrioli volatilis uncia una, ſantali rubri drachmæ duæ, camphoræ drachma una, mixtione debita conſtituitur, tinctura rubicunda, quæ dicitur Bezoardica, quæ medicamentorum unum omni virtute ſemper exiſtit præſtantiſſimum.

Aliud.

♃. Rad. vincetoxici, valerianæ, ſcorzoneræ, an. ℥. iij. fol. veronicæ maris, ſcabioſæ, ſucciſæ, meliſſæ, galegæ, Pimpinellæ, agripalmæ, cardui bened. cicerbit. borag. an. m. j. rad. anthoræ, imperat. angelicæ ſicc. an. ℥. ij. flor. ſulphuris, ℥. j. flor. antimonii per 8. dies reverberati, ℥. ß. Theriacæ, ℥. j. ß. cum ſpiritu vini rectificati tincturam extrahe, & in craſſitiem mellis coque. Omnibus contagioſis morbis medetur, venenis mirificè ſuccurrit, febribus etiam malignis loco confect. de hyacint. & theriaces, tutiſſimè adhibetur.

(*c*) *Ligni guajaci extractum.*

♃. Ligni Guajaci limati, vel in ſcobem minutim inciſi, q. ſ. ad minus ℔. x. macerentur 12. vel 15. dies, in ſ. q. aquæ communis, in vaſe vitreo probè obturato, & in loco calido, fimo, vel ſtupha. Principiò adde olei ſulphuris, circiter ℥. ij. aqua ligni colore & odore imbuta coletur: fæcibus nova aqua reaffundatur, macerentur iterum ad tres vel quatuor dies, quoad aqua denuò coletur, atque ſapore ligni imbuatur: hæcque per filtrum trajiciatur, urinalique vitreo indatur, atque pileo roſtrato ipſi impoſito, per lentum calorem humiditas omnis proliciatur à colore, qui in vaſis fundo mellis ad inſtar remanet. Interea à fæcibus per retortam, valido igne adhibito, duplicem liquorem extrahes, primum aqueum,

aqueum, ſecundum oleagineum. Qui primus exit, ferè inſipidus, ſeorſum ſervetur pro nova extractione paranda; ſecundus eſt ſubacidus, & eſt præſtantiſſimus, hic cum oleo ſubrubro egreditur. Oleum nunquam intrinſecùs uſurpamus; liquorem verò ſubacidum extracto reddimus, vel per ſe damus, qui eſt potentiſſimus. Si hæc agnoſcerent Medici, conſultius agerent erga infirmos, nec eos in tot tormenta facilè conjicerent.

(*c*) *Ligni Guajaci extractum.* Hoc lignum reſinâ exſuperat, quæ extrahi poteſt ſpiritu vini rectificato. Si lignum hoc coquitur in aqua per aliquot horas, ſpiſſatione extractum etiam fit reſinoſum, magis tamen ſalinæ acredinis particeps. Ineſt enim copioſum ſal acidum, uti palam eſt, omnibus lignis, maxime reſinoſis, quare ſpiritus acidi ex omnibus reſinis omnibus liquorum partibus deſtillantur, nam reſina nil niſi oleum ſubtile, acide ſale coagulatum eſt. Quinimo quodvis deſtillatum oleum ſpiritui concentrato nitri mixtum, leni calore abit in concretum reſinoſum ſtabile, quod promptiſſimè ardet, & in ſpiritu vini rectificato diſſolvitur.

Rhabarbarum, agaricus, folia ſennæ conſultius extrahuntur aqua calida, quam ſpiritu vini, illorum extracta languidiora ſunt, quam infuſiones, quæ blande primam regionem expurgant, modo ſit infuſio prima, non ſecunda vel tertia, & ſine magno calore facta. Salia hiſce infuſis addita valde augent purgantem vim.

Extractum antivenereum.

℞. Corticis ligni Indici parum contuſi, ℥. vj. raſuræ ejuſdem ligni, ℔. iij. chinæ electæ in taleolas diſſectæ, Salſæ parillæ minutim inciſæ, an. ℔. ij. baccarum juniperi, ℔. ß. ſem. cardui benedicti, carui, an. ℥. iij. fol. ſucciſæ, ſcabioſæ, an. m. iij. radicum cyperi, vincetoxici, an. ℥. ij. Infundantur omnia parum contuſa octiduò in ſufficienti quantit. vini albi generoſi, fiatque extractum, ut ſuprà monuimus, cui ſalem ex fæcibus factum adde. Oleum à dictis fæcibus facilè educitur per retortam, à quo empyreuma aquâ communi deſtillatâ, per varias cohobationes tollitur. Doſis eſt ʒ. ij. & ʒ. iij.

Extractum aliud antivenereum purgans.

℞. Raſuræ ligni Guajaci. ℔. vj. Salſæ parillæ minutim inciſæ, ℔. iiij. Chinæ electæ ℔. ij. radicum mechioac. ℥. vj. fol. ſennæ, ℥. ix. ligni ſaſſafras, baccarum juniperi, an. ℔. ß. Infundantur ligna & radices in ſufficienti quantitate aquæ communis, cum ℥. ij. olei vitrioli vel ſulphuris, in loco calido, per octo dies: coquantur poſtea in urinali vitreo, vel terreo vitreato cum ſuo capitello, ad conſumptionem duorum tertiorum, quæ humiditas in recipiente ſervetur pro nova infuſione paranda. Coletur decoctum, & in colatura macerentur fol. ſennæ, & radices mechioac. per tres dies: Bulliant parum, & denuò colentur. Dum hæc fiunt, prima aqua à decocto educta fæcibus reaffundatur cum nova humiditate, ſi tantâ opus fuerit; novaque infuſio paretur, quæ priori unita ſimul per urinale cum ſuo alembico in extracti formam adducuntur. Saccharum nonnunquam ad ſelibram addimus, & ut ſolidius reddatur, pulverem ſequentem ei commiſcemus.

℞. Salſæ parillæ, ℥. j. ß. chinæ electæ, ℥. ß. fol. ſennæ, ℥. j. caryophill. ℥. j. ſalis ſupraſcriptorum ʒ. ß. Miſce, fiat maſſa. Doſis eſt ℥. ij. &. iij. bis in die.

Extractum hyſtericum.

℞. Extracti bryoniæ, ext. viſci quercini, ext. granorum ebuli, an. ℥. j. aloës Succotrinæ repurgatæ, ʒ. ij. ext. hellebori, ʒ. ij. pul. croci, myrrhæ, macis, ſem. apii, an. ʒ. j. Salis Jovis, vel ejus loco, Jovis calcinati cum ſale nitro, Vitrioli martis, an. ʒ. iij. Liquentur, & miſceantur extracta ſimul, demum pulveres adjiciantur. Doſis à ʒ. ß. ad ʒ. j. *Salis Jovis uſus.*

Aliud.

℞. Extracti bryoniæ, ext. ellebori nigri, an. ℥. j. croci martis, ʒ. iij. pul. macis, maſtiches, ſpodii, an. ℈. j. miſceantur, ut artis eſt, & fiat Extractum.

Aliud quo frequenter utimur in uterinis affectibus, cum albo flore uterino.

℞. Extracti ellebori nigri, ℥. j. ſcammoneæ more noſtro repurgatæ, ʒ. iij. aloës Succotrinæ pellucidæ, ℥. j. ß. croci martis, ʒ. iij, ß. lapidis hæmatitis, ʒ. j. olei ſuccini, ℈. j. olei macis, ℈. ß. Miſceantur omnia pauco melle roſato addito. Ejuſmodi extractis utimur, quando purgatione longâ opus eſt, atque mulieres ſunt validæ: ſecùs extracta roborantia, & exſiccantia tantùm uſurpamus, ut: *Extractum uterinum purgans, quando uſurpandum.*

Extractum hyſtericum roborans & exſiccans.

℞. Arthemiſiæ ſiccæ, abſinthii utriuſque an. faſc. iv. menthæ, faſc. ij. abrot. faſc. j. zingiberis, galangæ, an. ℥. iv. macis, myrrhæ, ſuccini, an. ℥. j. cum aqua vitæ optima, more artis fiat extractum. Adde ſub fine, liquoris ſuccini, ʒ. j. vitrioli martis, ʒ. iij. ſacchari albi ʒ. iij. Doſis erit ʒ. j. &. iv. ℈. manè jejuno ſtomaho. *Uſus, & doſis.*

Extractum aliud, ſive confectio uterina minus compoſita, fortè à quodam Empirico chymico reperta.

℞. Conſervæ roſarum, ℥. iij. ſalis betonicæ, ʒ. j. olei ſulphuris cum cryſtallo facti, g. xij. Miſce, dantur ʒ. ij. manè. Ejuſmodi compoſitio certiſſimè uterinos meatus obſtructos reſerat, lienis, & jecoris durities emollit, item maſſam ſanguineam ab omni craſſa, & lutulenta materia repurgat. Quid? deperditum colorem juvenibus reſtituit: quibus nihil profuerat tota ars medica, invincibili Marte etiam pluries adhibito, & reiterato, profuit hæc ſimplex compoſitio, caſu & fortuna reperta. *Doſis & exhibendi ratio.*

Extractum Sennæ.

Sennæ extractum, doſis, & facultas.

EX foliis, & folliculis ſennæ, cum aqua communi modo, quo ſuprà diximus, fit extractum. Secunda infuſio non magis quàm prima, flatus concitat, eſtque prima & ſecunda ejuſdem efficaciæ, tertia paulò debilior eſt. Prima infuſio cum parva quantitate aquæ communis facta, ſi cum pauco ſacchari pulveriſati miſceatur, & canicularibus diebus Soli exponatur, formam excellentiſſimam nanciſcitur: cujus doſis erit, cochlear integrum & ſemicochlear. Blandè purgat, & citra ullam moleſtiam.

Extractum roſarum.

Extract. roſarum, uſus, & facultas.

INfuſiones illæ, quæ vulgò in Officinis Pharmacopœorum fiunt, probè purgatæ, in urinalis fundo poſt humiditatis eductionem extractum relinquunt purgationibus peraccomodatum. Datur à ℈. j. ad ʒ. j. alvum & urinas blandè movet, & eadem ac ſyrupus roſarum officinarum præſtat, licet in longè minori quantitate. Datur aliquando ad ℥. ij. In eo parando magna eſt habenda cautela; ſecus non purgat.

(*d*) *Extractum roſarum.* Roſis & violis laxativa vis inſidet, maxime, ſi recentes fuerint. Et tota planta violarum laxativæ virtutis eſt, quæ in exceſſu etiam obſervatur in ſemine, quod ad drachmam unam ſive in pulverem, ſive emulſionem redactum & potum egregie humores ſeroſos educit.

Rectiſſime notat *Author ipſe*, pulverem etiam roſarum ſiccarum alvum lubricam reddere, vulgo adſcribitur roſis ſiccis vis adſtringens & recentibus laxans; Et experientiæ reſpondet, etiam ſiccas majori doſi datas alvum fluidam ac mollem reddere. Eſt enim in roſis ſal quoddam ſubtile acre, cujus ratione etiam roſarum pulvis nares ſtimulat, & errhinum laudabile exiſtit.

Extractum violarum.

Purgativa facultas in quo conſiſtit.

Pulveris violarum facultas.

Violarum ſemen ad quid utile.

Roſarum pulvis laxat alvum.

Violarum extractum fit laxans, & roborans.

Syrupi violarum vis & præſtantia.

VIolarum, ut & aliorum florum complurium vis in ſuprema ſuperficie conſiſtit, roborans præſertim; nam laxativa vis in toto corpore reſidet; etenim ſi violarum ſiccarum pulverem exhibeas, alvum concitabis, quod & ipſorummet florum ſemen validiùs præſtat. Nec credendum his, qui contrarium putant. Roſarum item ſiccarum pulvis non minùs purgat, ad ʒ. j. exhibitus. Experientia rationes, & authoritates contrarias enervat, vanaſque reddit. Itaque violarum extractum ſi purgans deſideras, procede ut de roſis dictum eſt: Si verò roborans, & purgans, ſimul exoptas, ab his recentibus aquam odoriferam prolice, ut ſuo loco diximus. Colorem item habebis tantillo ſpiritus vitrioli adjecto, vel ſuccum ex recentibus violis exprimendo. Ex dicto ſucco ſyrupum excellentiſſimum conficiunt Pariſienſes, quàm methodum pulchrè docet Quercetanus in ſua *Pharmacopœa reſtituta.* Hi miſcent unam partem dicti ſucci, cum duabus partibus ſacchari, penè in formam electuarii ſolidi cocti: mixtio fit extra ignem, ſecùs periret color, & odor. Hujus vis eſt thoracica, & cardiaca. Ejus uſus eſt ad libitum. Syrupum potiùs uſurpamus, quàm Extractum.

Extractum (*e*) *florum papaveris rhœadis.*

Syrupus ex fl. papav. rhœad.

Uſus, & vires.

Pulvis florum papav. rhœadis, ad quid utilis.

COncinnamus ſyrupum ex dictis floribus excellentiſſimum cujus uſus nobis eſt admodum frequens in magnis febribus, ventriculi ardoribus, & vigiliis continuis. Ex dictis floribus mediocriter in umbra ſiccatis, fit infuſio cum ſufficienti quantitate aquæ communis, eaque infuſio probè per digeſtionem clarificata, cum pauco ſacchari in ſyrupi conſiſtentiam ducitur, cujus ℥. ß. ad ʒ. vj. exhibetur. Flores in pulverem ſæpe dedimus in pleuritide, & phrenitide, maximo cum fructu. Eâdem ratione ſuccos, & extracta cæterorum florum, & ſeminum conficere poſſumus, ex quibus vina, juſcula, Syrupos, & julepos in promptu parare unuſquiſque poterit.

(*e*) *Extracto florum papaveris rhœados* prævalet ejus ſyrupus excellentiſſimus, volatile enim vaporoſum principium, quod hic expetitur, avolat. In affectibus ventriculi ſpaſmodicis, vomitu, ardore nimio, item in inflammationibus, febribus & inſultibus quoque epilepticis maximo cum fructu datur, præcipue ſi cum volatilibus amicum & optabile ineat conjugium. Præparatur alias ex dictis floribus recentibus liquor anodynus, maximarum virium, ſequenti ratione: Recipiuntur florum horum manipuli ſex, croci orientalis integri uncia una, induntur cucurbitæ vitreæ, affunditur ſpiritus vini rectificatus ſaltem ad macerationem, ſtent hæc in digeſtione per aliquot ſeptimanas, poſtea totum mixtum linteo involutum exprimatur, exurgit liquor rubicundus anodynæ ſimul & reſolventis virtutis in tuſſi ſicca, pectoris affectibus, catarrho ſuffocativo probatiſſimæ.

Extractum Cholagogum, Phlegmagogum, & Melanagogum.

Extracta in pilulas, rotulas, Syrupos, confectiones, electuaria, &c. redacta.

QUi extracta tam cholagoga, quàm phlegmagoga, & melanagoga parare deſiderat, ea quæ hujuſmodi humoribus educendis dicata ſunt, accipiat, & cum his procedat, ut ſuprà diximus. Ex his efformabit pilulas, ſi in ſolidam formam reducantur: vel ſyrupos, confectiones, electuaria, tabellas, & alia ad libitum. A fæcibus ſal facillimè extrahitur, eiſque immiſcetur, quò efficaciora reddantur. Rurſus ſi dextrè in pulverem reducantur, in admodum parvâ quantitate vires ſuas exerunt; at modus non eſt omnibus obvius.

Extractum Catholicum.

Extracta in pulverem reducere.

℞. Extractorum elleb. nigri, eſulæ, bryoniæ, ſenæ, an. ℥. j. ß. His ſimul calidè mixtis, adduntur pulverum macis, cinnamomi, maſtiches, ſpodii, an. ℈. ij. Datur à ʒ. ß. ad ʒ. j. Purgat infrà omnes humores.

Eſulæ Extractum.

Eſula noſtras, tithymalus cypariſſias.

ESulæ extractum, eodem modo, quo extractum Ellebori, paratur. Eaſdem planè vires, ac ſcammonea poſſidet. Pro Eſula uſurpamus eam herbulam, quæ communiter tithymalus cypariſſias appellatur: vocetur autem eſula, vel tithymalus, vel hoc, vel illo nomine, parum laboramus; dum-

dummodò ejus virtus experientiâ certâ nobis innoteſcat. Hoc dictum ſit, propter loquaces quoſdam, verborum cortici inhærentes. Dubitant adhuc Medici, & Pharmacopolæ, quid ſit vera eſula: unaquæque provincia peculiarem retinet eſulam, & quæ vera ſit, planè ignoratur.

(*f*) *Aliud extractum catholicum nobis uſitaſſimum.*

Recip. Aloës Succotrinæ claræ, & nitidæ, ℥. j. myrrhæ Troglodyticæ cum ſpiritu vini optimè correctæ, ℥. ß. extracti fol. ſennæ ℥. vj. extracti colocynthidos; vel ejus loco gummi cathartici vegetabilis, ʒ. j. extracti croci, ℈. j. ſulph. magnetici meteorizati, ʒ. j. ß. miſce cum ſyrupo roſarum, ſi liquore opus fuerit, fiat maſſa. Doſis eſt ǵ. xv. & xvj. & xviij. in delicatulis x. & xij. Cum ſolo (*g*) *ſulphure magnetico moteorizato* pilulas efformamus omnium præſtantiſſimas, quas verè catholicas nuncupare licet, ob inſignem, & mirabilem earum virtutem in corpore æqualiter purgando. Hæc vera radix purgationum omnium humorum microcoſmi. Blanda eſt, & tuta, & nonniſi noxios purgat humores: repurgato etenim corpore (quod fit, eâ ter, vel quater adhibitâ) non ampliùs movet alvum. Fugat pravos humores, non tam ſenſibiliter, quàm inſenſibiliter.

Præſtantia & vires.

(*f*) *Adponam* igitur exempli cauſa, extractum catholicum purgans, quod nobis in uſu probatum eſt: ℞. Extracti aloes ſuccotrinæ unciam unam, extracti colocynthidis, reſinæ jalappæ, ſcammonii, gummi guttæ ana drachmas tres, florum martis drachmas duas; exactiſſima hæc tuſa miſceantur. Pilulæ hoc modo paratæ præter vim purgantem etiam ſudoriferam cuſtodiunt, quam ſæpius obſervavimus. Huic extracto adjici poteſt, pro circumſtantiarum & indicationum ratione gummi ammoniacum, myrrha, crocus, ſic ſuſpirioſis & hypochondriacis jucunde medentur, caſtoreum ad hyſtericum, ad fotum, mercurius dulcis in lymphæ malignæ & benignæ coagulo; ſal ſuccini ad renes purgandos, oleum ſabinæ, ſuccini ad profluvium fœminarum ſuſcitandum.

(*g*) *Sulphur magneticum metheoriſatum Dn. Authoris*, quantum colligere licet, flores hæmatitis cum ſale ammoniaco ſublimati ſunt, qui ad ſcrupulum ſemis vel ulterius dati humorum tenacem ſaburram non tantum incidunt, ſed & ſæpius feliciſſimo cum ſucceſſu educunt. Commodiſſime hi flores adjiciuntur purgantium extractis, nam latitat in his etiam ſingularis virtus corrigendi acre illorum principium, quod nonnunquam in diſpoſitis ſævos ſpaſmos torminaque ciet. Ex floribus bellidis, hædera terreſtri, veronica, agrimonia, chamæpythi, abſinthio, carduo benedicto, centaurio minori, ſcabioſa, ſcordio, extracta parantur virtutis admirandæ ad morborum chronicorum expugnationem, modo dictarum herbarum infuſa magis quam decocta leni calore ſiccentur. Poſſunt ejuſmodi extractis admiſceri aloe, ammoniacum, benzoe, ſtyrax, myrrha; ſic extractum pilularum alterans catholicum fit, quod fundamentum etiam eſt pilularum *Becherianarum*, quæ in ſpirituaſcentia ſanguinis & humorum blande promovenda & viſcerum obſtructionibus reſerandis admirabiles vires produnt, aſt continuetur illarum uſus per aliquot dies opus eſt, & plethoricis corporibus niſi vena prius ſectâ, minime offerantur: Hoc circa illarum uſum maxime in memoria tenendum eſt, quod fluxiones ſanguinis ordinarias ſuppreſſas præſentiſſime revocent & nimias quoque cohibeant, quoniam & nimiæ hæmorrhagiæ & ſanguinis excretiones ordinariæ ſuppreſſæ ab eadem cauſa foventur, nimirum obſtructione viſceris cujuſdam, vel etiam ſpaſmo partium notabiliori.

Vulgaris eſt ſententia, ex herbis antiſcorbuticis non commode parari poſſe extracta, quoniam illarum virtus ſub elemento quodam volatili latet: aſt contradicit experientia, utpote ex cochlearia extractum confit ſatis mordax & acre, virtutis antiſcorbuticæ non expers, argumento luculento: non ſolum in cochlearia ſalem volatilem ſed & fixioris indolis quendam hoſpitari.

Extractum Nephriticum.

Non ſemper eodem modo conſimilia extracta paramus: ſæpè pro ratione temporis, & ægri naturâ. Aliquando ſimplicia, & ex unica herbula; aliquando ex tribus, & quatuor. Diverſificantur etiam occaſione ſymptomatum. Inter præcipua ſequens non raro uſurpamus.

℞. Radicum Ononidos, lib. iii. radicum 5. aperientium, raphani, an. lib. j. ß. ſeminum hyperic. milii ſolis, ameos, an. ℥. iv. fol. pimpinellæ, betonicæ, ceterach, arthemiſiæ, argentinæ, piloſellæ, an. m. iii. fructuum alkekengi, lib. j. Infundantur omnia minutim inciſa in ſufficienti quantitate aquæ graminis, cum lib. j. ſucci limonum depurati, fiatque extractum, ut ſuprà diximus. Antequàm perfectè craſſeſcat, adde ſacchari albi, circiter lib. j. ß. & efficies extractum ventriculo gratum. Sine ſaccharo reducitur in formam pilularum. Utrumque per ſe, vel cum liquore convenienti, de ſimplici ʒ. ß. & ʒ. j. exhibetur; cum ſaccharo, ℥. ß. & ℥. j.

Vſus, & doſis.

Ex Iva arthetica præſtantiſſimum efficitur extractum: Item ex herniaria, piloſella, & aliis.

Extract. ivæ arthetticæ. herniariæ, piloſellæ.

(*h*) *De Extractis Animalium.*

Animalium extracta, ſive Magiſteria, ſemper cum alieno liquore parantur, & potiſſimùm cum aqua vitæ, & aceto deſtillato. Fiunt autem ratione haud diſſimili ab eâ, quæ de vegetabilibus dicta eſt.

Itaque ſi ex mumia ſicca, aut alia carne extractum conficere volumus, mumiam probè ſelectam accipimus, eamque tritam cucurbitæ vitreæ cum ſufficienti quantitate aquæ vitæ, quæ quatuor digitos ſupereemineat, indimus. Ea fimo equino per octo dies reconditur; atque tunc tincta aqua, virtuteque mumiæ imbuta, per filtrum educitur: Fæcibus nova ſuperaffunditur aqua, quæ denuò colorata, ut prima, abſtrahitur. Ter nova aqua reaffunditur, ſi opus eſt. Has omnes aquas per balneum Mariæ diſtillamus. Prima aqua pro nova extractione paranda ſervatur; ſecunda ferè inſipida rejicitur; tertia graviori odore perfuſa, fæcibus toties reaffunditur, quoad dictam aquam, extractum in fundo vaſis remanens mellis inſtar, totam combiberit.

Mumiæ extractum.

(*h*) *Extracta ex animalibus* certe invalida ſunt, & amplius in uſu vix eſſe ſolent: probantur magis illorum decocta vel gelatinæ; Deinde ſpiritus vini, quem oſſibus, carnibus, ſanguini exſiccato affundere ſolent nihil ferme extrahit, par-

particulæ

ticulæ enim oleoſæ ſalinæ, ramoſis & viſcoſis admodum implicitæ ſunt, ideò ſpiritus vini nullum jus in oleoſas habet; Extractum mumiæ, nil niſi aloës & bituminoſorum corporum eſt, de carne humana nihil participat. Si tale quid deſideratur, ſanguis florentis juvenis lento calore ſiccandus eſt, qui deinde cum ſpiritu nitri vel ſalis dulcis mixtus eſſentiam ſuppeditat non contemnendam. Animalium fel inſpiſſari ſolet in extractum, quod ſpiritu vini tartariſato ſolutum & præcipitatum cum aqua ſpermatis ranarum coſmeticum evadit.

Extractum ſerpentum, viperarum, vermium, ranarum, &c.

QUanquam viperarum, vermium, ranarum, & ſimilium vis in tota eorum ſubſtantia demerſa ſit; atque ſolitaria, & per ſe ſatis efficax, adeò ut ſuperfluum videatur aliam præparationis ſpeciem meditari; tamen quia magis atque magis præparatione attenuantur, exaltantur, & in nobiliorem formam reducuntur, eâ de re in præſens ſicco pede tranſeunda non ſunt. Cùm ergò facturi ſumus extractum viperarum, ranarum, vermium, vel hujuſce generis, ea primò furno, vel ſtupha exſiccamus; vel meliùs urinali vitreo ipſa integra, & viva indimus, atque per balneum roris, ab his omnem humiditatem abſtrahimus. A viperis caput, & cauda præſcinditur, tanquam exanguia, & inutilia, cæterùm neque in cauda, neque in capite venenum conſiſtit, ſed in dentis extremitate. Liberantur etiam à cute, & omnibus interaneis. Ranæ verò, & vermes integri ſumuntur; & hi tantùm abluti, & ab omni terreſtreitate purgati, vel per alembicum exſiccantur, vel in furno, vel ſtupha, vel etiam tigello terreo vitreato ad lentum ignem. Quocunque modo ſint exſiccata, parum terimus, & in pulverem reducta, cucurbitæ, cum ſufficienti quantitate ſpiritus vini induntur; atque cucurbita fimo equino per octo dies reconditur: aqua, ſive ſpiritus vini tinctus, per inclinationem à pulvere effunditur; eidem pulveri novus ſpiritus additur, atque ut ſuprà, poſt octiduum abſtrahitur. Sicque ultrà progredimur, ut de mumia proximè diximus.

Viperarum ſerpentium ranarum, &c. extractum.

Viperarum virus in qua parte conſiſtat.

Serpentum extractum, viperarum præſertim, plurimùm adverſus peſtem, pſoram, lepram, & venena omnia valere, experientiâ conſtat. Vermium, ad pthiſim, mulierum menſes, lienis, atque jecoris obſtructiones. Ranarum ad hæmorrhagias præcipuè, & pthiſim. Sic de cæteris animantium generibus extracta facilè parari poſſunt.

Eorum facultas.

Juſcula, gelatinæ, ſucci carnium, & ſimilia à mulierculis pro ægris parata, ſpeciem extracti quodammodo referunt. Ab excrementis animalium, extracta haud ignobilia parari poſſunt, cujuſmodi moſchus eſt: modus non erit à ſuperioribus diverſus. At quia eâ in operatione multi ſpiritus pereunt, & ipſum moſchum, veluti alteram quintam eſſentiam habemus, meritò eo, tantummodò à ſordibus repurgato, utimur.

Excrement. animalium extract.

A vilioribus excrementis extracta parari omnino debent, & præſertim ſpiritu vitæ, qui fœtorem & graveolentiam corrigit: inter quæ caſtoreum uſurpamus, verrucas equarum, & alia multa.

Labdanum excrementi ſpecies, id quidem eodem modo, qui de ſcammonea dictus eſt, repurgatur, & in extractum reducitur. Aqua vitæ, cum qua diſſolvitur, ab eo penitus recedit. Cæterum diſſolventis extractio fiat in vaſe bene clauſo, & non perfectè ad ſiccitatem abſtrahatur, ſed adhuc liquidum relictum, aëri expoſitum per ſe exſiccatur. Huc uſque de extractis dictum ſit: nunc ad oleorum extractionem, ſeu deſtillationem tranſeundum.

SECTIO SEPTIMA.

(a) *De oleorum præparatione.*

PArs hæc, ſulphur Hermeticis dicta, communiter Oleum appellatur, ſulphur analogicè, eo quòd more ſulphuris ignem ſuſcipiat, flagranſque ſit pars rebus naturaliter indita. Miranda ſanè iſthæc ſulphurea ſubſtantia, cui rerum præcipuè vires, & facultates inſident: quo quidem contrario argumento dicere poſſumus, præcipua humani corporis mala huic potiſſimum inhærere, ſicque naturam in pari gradu ſubſtantiæ, morbum, & remedium collocâſſe. Vis roborans, anodyna, tum cephalica, tum cardiaca in ea potiſſimùm conſiſtit. Odoris etiam ſedes eſt, & baſis. Plura inſuper de ea circumferuntur, utpote quòd ſit ſubjectum pulchritudinis, lucis, ignis, & vitæ pabulum, quæ, ut à ſcopo aliena, omittimus. Nunc ergo ad eorum extractionem.

Vinum idem morbi & ſanitatis ſubjectum.

Antiquitùs dum adhuc rudis & inculta erat ars medica, dum, inquam, balbutiens; & ferè à cunabulis expergiſceretur, ea fieri per ſolam rerum infuſionem, & expreſſionem, agnoſcebat; nunc verò comptior; vitiligineque omni ſepoſitâ, viam longè ſublimiorem adinvenit, quâ viâ ab aliis jamdudum traditâ; nobis tantùm ſupereſt; aliorum veſtigiis inſiſtere, exempla aliquot rerum medicamentorumve proprio labore comprobatorum, in medium afferentes.

Methodus itaque, quâ hodie olea ex rebus educuntur, multiplex eſt. Quædam enim fiunt per infuſionem, poſtmodum diſtillantur; quædam per diſtillationem tantùm: quæ diſtillatio vel fit per deſcenſum vel per aſcenſum; quædam per calorem ignis potiſſimum, ſcoriam ferri, arenam, cineres, & balneum Mariæ. Ex his nonnulla ſunt compoſita, nonnulla ex ſimplicibus tantummodò fiunt. In nonnullis longa maceratio præmittitur, in aliis nulla. Rurſus & differentiam poſ-

ſunt

ſunt ſuſcipere, pro ratione vaſorum per quæ fiunt; item pro varietate menſtruorum, quorum medio educuntur: nam nonnulla niſi menſtrui beneficio educi non poſſunt; multa verò citra quemcunque medii interventum. Exordiemur autem ab his, quæ ſolam infuſionem, & expreſſionem repoſcunt; à ſcopo tamen minimè recedentes, pauca & ſelectiora breviter complectemur. Inter præſtantiſſima, & paratu facillima, ea, inquam, à vegetabilibus educta, ſunt olea florum, ut hypericonis, thapſi barbati, roriſmarini, ſalviæ, &c. in quorum præparatione, nihil à conſuetudine recedimus; niſi quod bis & ter infuſionem reiteramus, atque loco inſolationis, quâ tantùm Pharmacopôlæ contententi ſunt, fimo equino utimur, vel balneo Mariæ, ſed illo potiſſimùm, in quo tutò infuſiones poſſunt fieri, cum apto, æquali, & naturæ analogo calore.

Fimus equinus calor optimus.

NOTÆ

in SECTIONEM VII.

(*a*) *De oleorum præparatione.* Olea quæ infuſione fiunt, præcipua ſunt, liliorum alborum, hyperici egregia traumatica, ſi oleum olivarum recens ipſis ſuperfundatur, & æſtivo ſole maceratio fiat, negotium inſtituendo ter ad minimum recentibus floribus ac foliis. Ex floribus odoratis, violarum, roſarum, aurantiorum, citri, jaſmini, cum oleo fructuum Been, vel nucum juglandium recentium crebriori infuſione & expreſſione, fragrantiſſima parantur olea, quæ ex Italiæ locis ad nos adferuntur, ut ut etiam in noſtris regionibus, modo ſufficientem florum copiam poſſideamus, ſimili modo confici queant.

De oleo Hypericonis.

IN hoc oleo parando ſumimus tam flores, quàm ſemina: ea parum contuſa infundimus in ſ. q. olei communis, per octo dies, ad calorem fimi equini, & in vaſe vitreo; coletur calidè, & in colatura novi flores reponantur per idem temporis ſpatium: quo peracto iterum colentur ejuſmodi flores; atque tertiâ vice novi flores denuò in fimo equino recondantur per totidem dies. Peractâ hac tertiâ colaturâ, oleum ad uſum ſervetur. Pro liquore, loco vini, quod cæteri addere ſolent, libram unam circiter ſucci totius plantæ accipimus, ſicque oleum redditur præſtantiſſimum. Ex ſiccis floribus, atque totâ ſummitate cum floribus, & ſeminibus, dictum oleum parari, at non adeò efficax. Quod in Officinis componitur, terebinthinam excipit, quam hîc habens omiſimus, experientiâ edocti, quòd oleum cum terebinthina factum minùs ſit exſiccans, atque vulneribus minùs univerſale. Noſtro ita parato terebinthinam, vel aliud ſimile pro re natâ addere poſſumus. Hoc tantùm te monere volumus, omnium balſamorum, & oleorum cruentis vulneribus dicatorum, præſtantiſſimum eſſe. Ipſi non rarò addimus parum olei picis navalis per retortam educti, ut & terebinthinæ. Ex hoc denique nonnulla balſama, & olea conficere, nobis moris eſt: ut

(*b*) *Balſamum præſtantiſſimum, ſive Oleum vulnerarium compoſitum.*

REc. Radicum aſclepiadis, (aliàs vincetoxici) ℔. ß. Valerianæ pratenſis, ℥. iv. ſymphyti majoris. ℥. iij. flor. verbaſci maris maj. hypericonis, an. ℔. ß. foliorum plantaginis, prunellæ, filipendulæ, an. m. iij. Contundantur hæc omnia in mortariolo lapideo, & in ſufficienti quantitate olei ſupraſcripti hypericonis, macerentur octiduò in fimo equino: colentur poſtea, & in colaturâ forti prælo factâ fiat nova infuſio, ut priùs: In aquâ iterum infunde myrrhæ elect. ℥. ij. thuris, maſtiches, mumiæ, an. ℥. j. terebinth. ℔. ß. ramentorum rhabarbari, rad. ariſtolochiæ rot. an. ℥. j. ß. Coletur iterum validâ expreſſione, quæ ſeorſum ad uſum reponatur. Tenuioris ſubſtantiæ, magiſque penetrans redditur, ſi per retortam impellatur: feces tunc in fundo vaſis remanentes, cerati ſive emplaſtri adinſtar, craſſæ ſunt, eodemque modo cuti inhæreſcunt: quâ de re vulneribus ſuperficialibus ſufficiens eſſe remedium experti ſumus.

(*b*) *Oleum ſeu balſamum vulnerarium* liquidum nobiliſſimum ſequenti modo concinnatur: Recipe florum hyperici, millefolii, liliorum alborum ana pugillos ſex, myrrhæ, maſtiches, thuris, ſtoracis ana drachmas duas, aloës drachmam unam, balſami Peruviani ſcrupulos quatuor, olei olivarum vel lini libram ſemis, ſpiritus vini, terebinthinæ ana unciam, ſacchari ſaturni drachmas duas, camphoræ drachmam unam. Hæc invicem accurate mixta balneo mariæ vel vaporoſo extrahantur, & validè exprimantur, ſic emergit balſamum vulnerarium uſu interno & externo præſtantiſſimum, poteſt ſi placet etiam addi cera flava, ad meliorem conſiſtentiam. Rurſus *Pharmacopœa Holmenſis Scriptores*, p. 32. egregiam deſcriptionem vulnerarii balſami inſinuant. Modus eſt talis: accipitur oleum abietis & terebinthinæ, quibus oculi populi albi recentes infuſi, poſtea adjicitur limatura martis, & deſuper inſtillatur ſpiritus vitrioli per vices; agitetur mixtura ſæpiùs, ſic ſolvitur limatura & eſſentiam ſuam affuſo oleo communicat idque reddit rubicundiſſimum, quod deinde ſejungendum à limatura omnique humiditate.

Aliud minus compoſitum.

♃. Summitatum hypericonis cum floribus, & ſeminibus, q. ſ. olei olivarum, q. ſ. ſucci hypericonis, parum macerentur in loco calido per aliquot dies. Factæ colaturæ recentes flores, & ſummitates indantur, novaque fiat infuſio, in cujus colaturâ diſſolve terebinthinæ Venetæ, ℔. ß. thuris, maſtiches, vernicis, ℥. iij. fiat oleum ut ſupra.

Aliud Oleum Balſamicum omnium præſtantiſſimum.

♃. Radicum aſclepiadis, ℔. ß. ariſtolochiæ rot. valerianæ maj. ſiccæ, an. ℥. ij. fol. ſymphyti maj. plantaginis, ophioglosſi, filipendulæ, ſaniculæ, alchimillæ, bugulæ, an. m. ij. bac. juniperi, p. j. ſummitatum hypericonis cum floribus & ſeminibus m. vj. flor. camomillæ, ſpicæ, an. m. i. vermium terreſtrium ℔. j. olei hypericonis cum duabus ſaltem infuſionibus parati,

rati, olei lumbricorum, an. q. ſ. Macerentur octiduò in fimo equino, eximantur, deinde forti prælo ſubigantur, quoad omnem humiditatem profundant. Factæ colaturæ adde myrrhæ ℥. j. ß. maſtiches, thuris, vernicis, an. ℥. iij. terebint. claræ, picis navalis, an. ℔. ß. colentur poſtremò, & uſui reponantur. Hoc oleum ſi per retortam pellatur, magis penetrans reddetur, atque tunc altis profundiſque vulneribus maximè efficax. Sine ulla diſtillatione optimum eſt, eoque multoties uſi ſumus maximâ cum utilitate. Hîc Bononiæ cuidam amico artis medicæ penitus ignaro, hujuſmodi olei conficiendi methodum aperuimus, quo ruſticos pleroſque, dum ruri diverſaretur, ſanitati reſtituit. Inter hos duos cognovi, quorum alter tali juncturam ad malleolos fortuitò ſibi præciderat, is amicus ſolis plagulis hoc oleo imbutis, abſque Chirurgiæ peritiâ, vulneri compoſito, magno, & perdifficili, in quo nervi cæſi manifeſtò apparebant, perfectè medetur. Alter vulnus profundum ſub genu ſiniſtro accepit, in quo pariter nervi præciſi erant, eodem modo ab amico ſanitatem reportavit. Mirum eſt quàm citò vulnerum doloribus ſuccurrat.

Uſus & vires.

De vulneribus hiſtoria duæ mirabiles.

(c) *De oleis diſtillatis.*

SUprà breviter attigimus olea, quæ fieri ſolent per infuſionem, ad quorum exemplum quævis oleorum genera facillimè fieri poſſint. Nunc quæ per deſtillationem parantur olea, eadem brevitate complectemur. Sunt verò ejuſmodi olea præſtantiſſima, & quibus potiſſimùm rerum vires, & proprietates inſunt, earum videlicet, quæ ſubſtantiâ ſulphureâ referta ſunt, prout ſunt aromata.

Oleorum deſtillatio per aſcenſum.

Extractio ejuſmodi oleorum duplici modo fit, per deſcenſum, & per aſcenſum. Omittemus, brevitatis causâ, ea quæ per deſcenſum. Quæ autem per aſcenſum fiunt, ſunt vel ex lignis, reſinis, adipibus, liquoribus, gummis, &c. vel ex foliis, floribus, ſeminibus, & aromatis.

Primæ claſſis, ut ligna, reſina, &c. fiunt potiſſimùm per retortam. Secundæ, ex foliis, floribus, &c. per vas refrigeratorium.

Notanda in deſtillatione peragenda.

Totum ſecretum conſiſtit in vaſis forma; ignis regimine, rei fermentatione, & herbarum collectione.

Quædam vas collo oblongum expoſcunt; alia brevius. Aqua refrigeratorii crebrò mutetur. Ignis mitis, & æqualis perſiſtat, duris & ſiccis, item his, quæ ægrè ſuam ſulphuream ſubſtantiam fundunt, longiori fermentatione opus eſt; ſic pleraque olea tum aromatum, tum aliarum rerum diſtillamus, ut caryophyllorum, piperis, macis, cinnamomi, zingiberis, lavendulæ, thymi, majoranæ, menthæ, ſalviæ, roriſmarini, multorumque aliorum: inodoratorum, herbarum frigidarum, aut ſaltem temperatarum, & aliarum nihil aut parum odoris redolentium: illarum brevi, etiam nullâ præmiſſâ fermentatione; harum verò longâ, & tædiosâ maceratione, & putrefactione priùs factâ. Sine ulla infuſione, vel maceratione, per retortam fiunt olea lignorum, lignis ipſis in ſcobem priùs conciſis, & retortæ inditis: veluti lignum guajacum accipimus, vel in ſcobem diſciſſum, vel limatum; hoc retortæ capaci indimus, atque igne cinerum, vel arenæ adacto, oleum elicitur ſubrubrum & craſſum, cum aqua ſubacida. Eodem modo ex buxo limato oleum fit excellentiſſimum. Poſtremò herbæ plenilunio collectæ, & ſiccæ, plus olei fundunt, quàm virentes, & alio tempore excerptæ.

Ol. lignorum.

Oleorum Empyreuma ut tollatur.

Olea lignorum per retortam facta, empyreuma gravemque odorem ſæpiùs redolent, igne quantumvis blando, & æquali adhibito. Tollitur ejuſmodi empyreuma variis, & repetitis cohobationibus cum aquâ communi deſtillatâ, aqua roſacea, ſpiritu vini, & aliis. Temporis etiam diuturnitate, citra ullam cohobationem, ejuſmodi graveolentia non parum imminuitur. Præterea oleum non eſt pellendum ad extremos ſpiritus. Rurſus ſi per multum temporis cum aliquo liquore, vino, vel alio, loco frigido maceretur, oleum minùs graveolens redditur, & copioſius exſtillatur.

Ol. Guajaci uſus.

Guajaci olei vires, & facultates omnibus notæ ſunt; eo libentiùs extrà quàm intrà utimur, ob ejus graviolentiam. Buxi oleum à Quercetano ſummoperè commendatur in Epilepſia; nos ſolùm ad dentium dolores, ipſoſque eroſos & perforatos, idipſum mirabile comperimus.

Reſinarum, & gummi cujuſcunque generis olea, & balſama, eodem modo, eâdem viâ per retortam paramus, ut terebinthinæ, reſinæ pini, picis, thuris, maſtiches, vernicis, & ſimilium. His nonnulli arenam, vel pulverem terræ coctæ immiſcent. Nos terebinthinam ſolam retortæ inditam, per ignem arenæ deſtillamus. Bocciæ etiam ad hoc optimæ ſunt. Vas quoque quodvis terreum vitreatum. Aqua quæ prima exit, acetum nuncupatur, ſolvit corralla, uniones, & alia corpuſcula dura. Secunda, clara eſt ferè ut aqua. Tertia, citrina, & craſſa. Quarta, rubra, ſubnigra. Poſt ſecundi olei extractionem, quod in fundo remanet, colophonia ab aromatariis dicitur, quæ nihil aliud eſt quàm terebinthina cocta. Raro in intrinſecis affectibus hoc oleo utimur ob gravem ejus odorem. Diu diſtillatum, nonnihil de ſuo odore valido amittit.

Acetum terebinthinæ.

Ol. ſuccini facultas.

Succinum etiam per ſe, aut pauco ſpiritus vini addito, diſtillari curamus: attenuatur reiteratis diſtillationibus, quibus purior, & clarior etiam redditur. In affectibus uterinis maximè conducit, & in albo fluore matricis.

Picis nigræ ol.

Pix nigra oleum balſamicum fundit per ſe præſtantiſſimum, maximè ad vulnera capitis.

Aqua vitæ ex vino ſubacido, & ex racemis uvarum peculiaris facultas diſſol.

Maſtiche, & thus, ut ſuccinum per retortam pelluntur. Vertuntur & per ſe in oleum citra ullam deſtillationem, medio aquæ vitæ, à vino ad acorem vergente deſtillato: quæ etiam aqua vitæ, vindemiarum tempore, ex racemis uviſque, torculari poſt vini eductionem preſſis, diſtillatur. Camphora validiori diſſolvente in oleum mutatur;

tatur; at ejuſmodi olei uſus ferè nullus, eo quòd exulceret, corrodat, & vim eſcharoticam poſſideat: cum aqua vitæ ægrè admodum diſſolvitur. Per retortam impellitur, ut cætera reſinarum genera.

Secundæ claſſis olea, per aſcenſum facta, diximus fieri per vas refrigeratorium: ſicque olea ex floribus, ſeminibus, fructibus, & aromatis exoticis; per id vaſis genus extillantur. Ejuſmodi autem vas ſatis notum eſt, & licet multiplicis figuræ ſit, tamen ſemper idem eſt. Id verò quod formâ alembici vitrei effigiem repræſentat, nobis magis probatur, dummodò cacabus æneus ipſi probè annexus ſit. Per vaſa etiam vitrea, quorum cannulæ frigidæ aquæ continuò immerguntur, commodè fieri poſſunt. Veſicæ æneæ optimè aptatur alembicus vitreus, ſive pileus roſtratus, cum refrigeratorio. Glutine ad hoc utimur ex gypſo, & oleo lini: vitrum enim eo glutine fortiter hæret æneis vaſis. Præterea gluten ejuſmodi diu in aqua perſiſtit integrum.

(*c*) *De oleis deſtill.* Olea ſalia ſubtilia ſunt, ſphæricis, globoſis, conglobatis ac ramoſis terreis particulis, nec non æthereis intime intertexta; Et ſpiritus φλόγιςοι ſeu inflammabiles nihil aliud ſunt, quam olea per fermentationem intime diſſoluta, quare etiam ſpiritus vini rectificatus experimento *Glauberiano* cum ſpiritu ſalis concentrato ita condenſari poteſt, ut notabilem olei partem de ſe dimittat. Prout ſalia, oleorum deſtillatorum craſin conſtituentia, differunt, ita diſtant etiam olea, quæ magis acido acria ſunt, uti ſtomachica vel blanda alkalina, uti carminativa, vel fortiora, uti ſalia animalium, vel acida magis ſunt, uti oleum ſuccini, lignorum, differunt quoque vires & illorum facultates. Notabile eſt, olea deſtillata, quæ copioſo taliſmodi ſale imbuta, uti pleraque carminativa, item oleum cinnamomi, caryophyllorum, in aquam injecta, fundum petere, contra oleorum naturam. Ex ſeminibus, v. g. fœniculi, angelicæ, erucæ, aniſi, cochleariæ, rutæ, petroſelini, nigellæ, copioſius elicitur oleum, quam ex aliis plantarum partibus; largiorem copiam præbent humida & recentia ſi fuerint, quando per veſicam deſtillantur, ac ſi exſiccata ſint.

Ad deſtillationem oleorum, tam ex aromatibus, quam ex aliis vegetabilium partibus, opus eſt maxime clave, nimirum ſale communi, tartaro, vel etiam ſpiritu ſalis, quæ in debita quantitate extrahendis addenda ſunt. Deinceps longiori maceratione opus eſt cum aqua, & quo res duriores, eò longior debet eſſe maceratio. Salia hæc ramoſas & oleoſas partes intimè terreis immerſas ſeparant, & liberas efficiunt, partim motu & actione ſua in partes terrenas, partim etiam quod leviores ſulphureas in vicem coadunant. Olea diſtillata duplicis ſunt generis, vel ſunt ſubtiliora magisætherea, vel craſſiora & graviora. Illa facilius avolant, & ſeparari ſunt apta; hinc per alembicum, rectius per veſicam, bulliente tamen calore deſtillantur, graviora ſublimitatem illam renuunt, adeoque per retortam potius deſtillantur. Prioris generis ſunt ſemina, & herbæ aromaticæ, aromata, cortices, reſinæ ſubtiliores, terebinthina, ex quibus, prævia debita præparatione & maceratione, olea magis ſui juris, libera, nec terreis, piceis & mucoſis partibus irretita unica deſtillatione promptiſſime evolvuntur. Poſterioris exempla ſunt, gummata, reſinæ compactiores, ligna, ſuccinum, cera, ſapæ, pinguedines, & quæ ſunt ejuſdem generis. Olea horum magis empyreuma ſpirant, graviora ſunt & in aqua fundum petunt. Memorabile autem hoc loco eſt, quædam ex his duplex fundere oleum, unum magis ſubtilius ſuaveolentius per veſicam deſtillandum: alterum per retortam compactius eſt & magis fœtidum, quod obſervamus in raſura ligni aloes, rhodii, cortice ligni ſaſſafras, maſtiche, benzoe, ſtyrace, balſamo peruviano, quæ rite tractata fragrantiſſima olea ſuppeditant.

Tollitur oleorum deſtillatorum empyreuma per rectificationem ſuper calcem vivam, cornu cervi uſtum, vel affuſione aquæ, ſi per veſicam denuo deſtillentur. Sic evadunt ſubtiliora uti oleum ſuccini, quod prius ex retorta deſtillatur, aquæ autem affuſione & per veſicam rectificatione ſubtilius & odoratius ſit. Melius res ſuccedit, ſi loco aquæ communis aqua roſacea ſumatur. Spiritus vini tartariſatus fœtidis oleis, uti cornu cervi, tartari affuſus, illa ipſa ſolvit & in eſſentias penetrantes diaphoreticas convertit, unâque ipſis ſuavem odorem fœnerat. Temporis etiam diuturnitate particulæ malè olentes exſpirant.

Buxus, teſte ejus graveolentia, narcoticam vim habet, hinc oleum ejus à *Quercetano* in epilepſia commendatur, à *Rulando* dicitur Heraclinum, dolorem dentium non ſecus ac tabaci, quod ſimili gaudet virtute, mirabiliter emendat. Nonnulla uti gummata, reſinæ, bituminoſa, pinguedines per ſe oleum non facile fundunt, niſi additis terreis, ex. gr. bolo, arena, ſilicibus calcinatis, ſale communi, calce viva. Hæc namque florum moderantur, & ut magis evaporent partes oleoſæ, quam fluant, efficiunt. Ex galbano, ammoniaco, myrrha, alibano, maſtiche, ſtyrace, benzoë, ſuccino, ſequenti modo oleum elicitur commodiſſime, v. g. recipitur galbani libra una, ſilicum calcinatorum libra una ſemis, ſalis communis unciæ ſex. Deſtillatio fiat per arenam ex retorta vitrea, ſic prodit liquor albus cum oleo flavo: ſuccedit tandem rubicundum, quod poſtea rectificandum. Oleum camphoræ genuinum ex camphora deſtillari minime poteſt. Difficillime hoc concretum deſtruitur igne: ſed potius in clauſis vaſis aſcendit & ſublimatur in flores: per combuſtionem in fuliginem atram vertitur. Verum cum terrâ certâ crebrius igne tractanda tandem parum olei ſinceri elargitur. Nota genuini olei camphoræ eſt, quando aquæ affuſione non præcipitatur ſive irreducibile eſt, quod alias facile accidit, ſi per olea expreſſa, vel addita corroſiva in olei formam redigitur. Verum oleum camphoræ ſuaviſſimi odoris, propter admixtas cinamomi partes, deſtillatur ex cortice radicis cinamomi per retortam, & affertur ad nos ex Indiis. Ex eodem cortice camphora elegantiſſima per ſublimationem conficitur.

(*d*) *De Oleis florum.*

FLores debito tempore collecti, vaſi æneo intus ſtanno obducto integri indantur, cui tantum aquæ communis affunde, ut quatuor digitos aut ſemipalmam emineat; tum pileum roſtratum cum ſuo refrigeratorio vaſi imponito, juncturis ad hoc glutine ex farina probè munitis: ſic vas fornaci imponitur cum flagrantibus prunis, & in ſubjecto vaſe, recipiente dicto, aqua, & oleum excipitur.

(*d*) *De oleis florum.* Ex floribus per deſtillationem parciſſimum oleum paratur. Particulæ enim ſulphureæ magis reſoluto & incoërcibili conſtant principio. Ita ex roſarum centum libris vix ac ne vix quidem uncia una olei acquiritur, quod tamen odoratiſſimum, & conſiſtentiâ butyroſum eſt. Ex floribus chamomillæ vulgaris paucum quidem, ſed præſtantiſſimum propter virtutem anodynam ad ſpaſmodicos morbos doloremque levandos deſtillatur. Hujus genuini character eſt color cœruleus, qui huic oleo quaſi proprius, nec uti quidam putant, adſcribendus eſt deſtillationi per ænea vaſa, cum etiam per alembicum vitreum ſimilis cœrulei perpulchri coloris oleum obtineamus.

De Oleis herbarum.

EX thymo, roremarino, ſalvia, mentha, majorana, ſpica, abrotano, & ſimilibus herbis odoratis olea facillimè educuntur.

cuntur. Eæ inciduntur, atque vaſi æneo ſupradicto cum ſufficienti quantitate aquæ communis induntur: impoſito poſtmodum pileo roſtrato cum ſuo refrigeratorio, & flagrantibus prunis ſuppoſitis, oleum cum aqua odoratiſſimum funditur. Si vinum loco aquæ imponas, aquam vitæ in principio educes odoratiſſimam & ſuaviſſimam. Legantur herbæ in plenilunio, dum floridæ, virentes, proprioque odore magis perfunduntur; ab his, ſi placet, ſolam comam accipe, & eo tempore, quo maximè floribus, & ſeminibus coma diteſcit.

(e) *Olea ſeminum.*

EOdem planè modo, ut de ſupradictis, olea ſeminum deſtilantur. Tunduntur nonnulla groſſo modo; alia integra in vaſe æneo, & in aqua communi per aliquot dies immerguntur. Sic ex fœniculo, aniſo, & aliis oleum exſugimus, ut & ex baccis juniperi, lauri, & ſimilibus, baccis priùs in ſufficienti quantitate aquæ maceratis. Aqua, quæ cum oleo copioſè educitur, ad novam deſtillationem ſervetur; eo enim medio plus olei elicies. Ex aniſo vix pro unaquaque libra, ʒ. ij. ex fœniculo minus; copioſiùs verò ex baccis juniperi hac etiam viâ producuntur.

(e) *Olea ſeminum.* Semen rutæ, erucæ, per retortam ſi deſtillentur, penetrantiſſimi odoris oleum cum liquore oleoſo volatili elicitur. Ex reliquiis ſeminis erucæ validiſſimo igne exprimitur ſubſtantia lucida, quæ phoſphori nomine gaudet. Si ſal tartari hiſce ſeminibus additur, per retortam deſtillatione acquiritur liquor ſalinus, volatilis. Ex ſeminibus alias oleoſis, maceratis aquâ, cum clave, tartaro & ſale, per veſicam obtinetur oleum, & longe abundantius, quam ſi per balneum Mariæ vel cucurbitam in arenâ deſtillatio procedat: Ignis enim immediatus, qualis veſicæ eſt, longe exſuperat arenæ calorem. Oleum aniſi & fœniculi à frigore facile concreſcit, inſtar ſpermatis ceti, ob abundans ſál volatile ramoſis ſulphureis partibus intimè nuptum, quod etiam mediâ æſtate nonnunquam accidit. Ex ſemine aniſi, cochleariæ, per expreſſionem obtinemus quoque oleum ſubtile, non tàm calidum quam ſi deſtillatum fuerit.

(f) Olea aromatum, *Caryophyllorum*, *macis*, *cinnamomi*, *piperis*, *zingiberis*, &c.

SUnt qui in ejuſmodi oleis eliciendis amygdalas, tartarum, aut alia addunt, ut inde majorem olei copiam proliciant, quæ fraus omnino rejicienda venit. Caryophylli Indici multum olei per ſe fundunt. Piper parum admodum; parum etiam zingiber; nec major quantitas elicitur è cinnamomo. Inter ejuſmodi olea diſtillanda, præſtantiſſimæ aquæ educuntur, quibus olei penuriâ, haud inconcinnè uti poſſumus.

(f) *Olea aromatum.* Simplicia, quæ acerrimo ſale volatili imbuta ſunt, paucum dant oleum, uti piper, cochlearia, legitimo tempore collecta, ex qua penetrantiſſimum prolicitur oleum, ut pote unica guttula totam menſuram vini ejuſdem plantæ ſapore, odore & virtute implet, nec non Spiritum cochleariæ languidum corroborat. Arum, ſedum minus, zingiber, identidem paucum fundunt oleum. *Glauberus l. 1. furno phil. c. 7 p. 15.* commendat affuſionem ſpiritus ſalis ad pretioſa aromata, pro aquirendo meliori & copioſiori oleo, ita ut unciæ uni ſpiritus ſalis communis addatur libra una aromatum, non tamen neglecta priùs in aquâ maceratione. Traditur, ſpiritum ſalis ſeparationem olei adjuvare, & odorem empyreumaticum præcavere. Quando macis aſſumuntur, duplex oleum prodit, nimirum unum limpidum & tenue, quod exſtillat cum aqua, alterum, quod ex fecibus reſiduis calide & fortiter per prelum exprimitur. Ex cubebis & cardamomo præſtantiſſima parantur.

(g) *Cinnamomi oleum.*

QUia nobis in frequentiſſimum uſum venit oleum cinnamomi, ideò quid de eo nobis experientiâ conſtet, dicendum. Extillamus ejuſmodi oleum per balneum Mariæ, infundendo priùs cinnamomum parum tritum in ſufficienti quantitate vini albi, per 3. vel 4. dies. Pro pileo æneo cum ſuo refrigeratorio, vitreum alembicum ſumimus gypſo incruſtatum, cujus frigore vapores in apice denſantur; pro recipiente ſumimus vas vitreum amplum, & rotundum, collo ſatis longo. Prima aqua lactea eſt, quæ novo cinnamomo reaffundenda venit, hæcque operatio iterum pro tertiâ vice reiteratur; & in hac ultima deſtillatione habebis oleum ſubalbidum, aquæ primò innatans, at quod tractu temporis in imo ſubſidebit, & ſubſtantia illa ſubalbida per totam aquam diffuſa in oleum cogetur. In tertiâ deſtillatione, prima aqua eſt fragrantiſſima, cujus vix ſemicochlear exhiberi poteſt, ob ingentem ejus ſubtilitatem; hinc miſcetur cum alio liquore, per ſe enim maximæ eſt activitatis. Menſes mulierum potenter provocat, partum facilitat, cor exhilarat, memoriam auget, ventriculo confert, venerem ſtimulat, &c.

Oleum, cordis & cerebri robori maximè dicatum, exhilarat animum, mœſtitiamque & omnem timorem pellit.

Nec ſolùm intus ſumptum, ſed & extrinſecùs admotum; ſic epilepticis, apoplecticis, & ſyncope correptis mirificè confert, eo naribus tantùm admoto.

A zingibere oleum, & aquam, eo quo diximus modo, exſugimus. Aquæ damus cochlear integrum cum juſculo carnis in coli doloribus. Confert etiam mirificè ventriculi affectibus; ſic apepſiam tollit, appetitum concitat, flatus mirificè diſcutit, & alia præſtat. Oleum vires ſuas in longè minori quantitate exerit; ſic guttula integra pro doſi ſufficit.

Oleum & aqua caryophyllorum mirum eſt quàm facilè intus & extrà exhibita, noſtram naturam labantem ſublevent, feſſaque membra juvent. Olei guttula eroſis dentibus cum goſſipio immiſſa, dolorem adimit, fœtorem reprimit, & ad ſenſum integros ſervat.

Macis, piperis, cubebarum, granorum paradiſi olea, vires eaſdem, quas obtinent ſimplicia, è quibus eliciuntur, poſſident: tamen in minori quantitate effectus ſuos producunt. Sed ne noſtrum excedere inſtitutum videamur, ad ea, quæ ex animalibus educuntur, tranſeundum.

(*g*) *Cinnamomi oleum.* Cinnamomi acuti libra vix drachmam olei refundit, quocirca vilius emitur, quam præparatur, quoniam ex inſula Zeilan, ubi arbores cinnamomum ferentes, magna in copiâ proveniunt, ad noſtras oras affertur, ibi facili negotio parari poteſt. Adulterari ut plurimum ſolet à mercatoribus; vel pharmacopœis additione pinguium, v. g. olei amygdalarum, cannabini, unde odorem ac ſaporem ſuſcipit. Fraus hæc facillimè detegitur, modo ſpiritus vini tartariſatus ſumme rectificatus ſuperfundatur; Sic oleum cinnamomi tranſit in ſpiritum, & expreſſum petit fundum. Aſt longè pejor dolus eſt, qui non facile dignoſcitur, ſi olea deſtillata cum ſpiritu vini rectificatiſſimo: ſingulari encheireſi parato æquâ in portione miſcentur. Spiritus hic tam fortis eſt, ut drachma una ejus integram olei drachmam capiat & ſolvat. Adeo citra ullam explorationem non facile mercatoribus fides habenda. Oleum porro cinnamomi genuinum in aqua fundum petit, quod alia renuunt. Rurſus ex caryophyllis, ligno ſaſſafras parata gravia ſunt, & in aqua ſubſident. Ex zinzibere nullum oleum vel aqua zinziberis virtute imbuta prolici poteſt, in quo *ipſe Author* fallitur.

(*h*) *De oleis Animalium.*

EX animalibus varia quoque oleorum genera conficiuntur, variis item modis, ut de ſuperioribus diximus: hinc varia ad hæc requiruntur inſtrumenta. Fiunt quædam vulgato more per infuſionem, qui mos, ut valde popularis, à nobis omittitur. Nec propterea propriis carere laudibus arbitramur, maximè ſi triplici infuſione parentur, & in fimo equino, ut de oleis vegetabilium per infuſionem paratis annotavimus. Sic lumbricorum olea, vulpis, & ſimilia in officinis parata, vires haud ignobiles obtinent. Ea verò deſtillatione ſubtiliſata, præſtantiori & efficaciori virtute pollent. Non rarò etiam ejuſmodi ſubtiliſatione vim propriam amittunt, & loco olei optati, commune oleum diſtillatum reportas, in fundo retortæ remanente extracto, in quo animalis vis conſiſtit. Hoc à nobis dictum ſit, ne quis putet majorem vim in magno labore conſiſtere ſemper.

(*h*) *De oleis animalium.* Infunduntur animalcula v. g. lumbrici, ſcorpiones, vermes maiales, oleis, & debitâ maceratione & digeſtione expreſſio inſtituitur. Parata ſic olea virtute ſua præferenda ſunt deſtillatis, quoniam ejuſmodi ſubtiliſatione vim ſuam ſpecificam & propriam amittunt.

(*i*) *De oleo ſanguinis humani.*

♃. Sanguinis humani adhuc calidi, partem unam, aquæ vitæ optimæ, ſive ſpiritus vini, partes quinque: Reponantur ambo in vaſe circulatorio ſatis amplo, & in modum, ut tres partes vacuæ permaneant. Dictum vas reconde ſub fimo equino ad 20. dies, quo tempore materia in magnam molem aſſurget, duploque aucta conſpicietur; (hinc genuino Philoſophico Medico multa præclara de aliquot morborum origine liceat contemplari.) Hoc verò fit, craſſioris partis ſanguinis rarefactione, uti in hæmorrhagiis ſponte per nares, & alias partes factis. Tum per urinale vitreum cum ſuo pileo roſtrato, ad balneum Mariæ aquam vitæ primò prolice, ſerum poſtea ſanguinis, quod guſtu facilè deprehendes, fæcibus, ſive ſanguinis magiſterio, in vaſis fundo relictis, novum vini ſpiritum reaffunde, iterumque per 12. dies in fimo equino, ut priùs, reconde. Tunc calore balnei vaporoſi, aut Mariæ, vini ſpiritum priùs evoca; ſubſtantiam tandem oleagineam, calore vegetiore adacto, habebis ad multos uſus mirabilem, apprimè ad arthriticos dolores, ad epilepſiam, phthiſim, & alios morbos nobis adhuc incompertos. Datur à ℈. ß. ad ℈. j.

Alio modo paratur dictum oleum, accipiendo ſanguinem ſiccum à ſero purgatum, & in ſole exſiccatum: Is craſſo modo teritur, & retortæ inditur, cui prunis ardentibus adjectis, vel calore arenæ, vel ſcoriæ ferri, educitur oleum, quo in arthritide illinantur artus. A ſanguine hirci, cervi, & aliorum olea educi poſſunt. Oleum cervi in arthritide maximè commendatur, hirci in calculo.

(*i*) *De oleo ſanguinis humani.* Ex omnium animantium ſanguine eorumque partibus non modo oleum duplex grave & ſubtile, ſed & volatile ſal conficitur. Commodiſſimus autem modus tam pro obtinendo oleo ſubtile quàm ſale volatili hic eſt. Lumbrici ſiccati, vel ſanguis aut partes animalium exſiccatæ miſcentur cum anaticâ portione calcis vivæ, & deſtillatio in retortâ vitreâ igne vehementiſſimo fit. Memorabile hîc eſt, formicas majores duplex poſſidere ſal, utrumque volatile, unum acidum penetrantiſſimum, alterum urinoſum, quod exſiccatæ & mixtæ cum calce vivâ, deſtillatione elargiuntur.

Oleum Mumiæ.

EXtat apud Paracelſum triplex Mumiæ ſpecies, recens, ſicca, & liquida. Recens cum oleo olivarum triginta dies in fimo equino putrefacta, per retortam pellitur. Ad articulorum dolores ab eodem maximè commendatur. Siccam cum aqua vitæ diu priùs maceratam, more dicto diſtillamus. Liquidam ſuprà tetigimus, cùm de ſanguinis oleo verba faceremus.

(*k*) *De Oleo Excrement.*

IN animalium excrementis arcana latere plurima, experientiâ multiplici conſtat. E ſtercore humano mirabile exugitur oleum: ad quod exequendum magna ejus copia requiritur, quod ſit immixtum, & ex homine ſano. Priùs autem per ſe corrumpitur, atque in exigua quædam animalcula vertitur; hinc ferè in pulverem abit, qui retortæ inditus, calore blando primùm adacto, mox validiori, oleum reddit ſimul cum aqua; ambo non ſine aliqua graveolentia, quæ rectificationibus, & cohobationibus planè tollitur. Valet ejuſmodi oleum ad complurimos affectus, & præſertim adverſus icterum, arquatumve morbum. Creditur à nonnullis ejuſmodi oleum eſſe perpetuò duraturum. Sed hoc neque ratione, neque experientiâ probatur. Placet ejuſmodi figmentum ad vitri malleabilis confectores relegare, ad motus perpetui cultores, & ad illos famatiſſimi lapidis chimerici perſcrutatores.

(*k*) *De aleo excrementorum.* Notabile eſt, urinam humanam deſtillatam ſpiritum volatilem ſed

 maximè

maximè urinoſum ſuppeditare. Unde etiam illo, qui ex ſale ammoniaco deſtillatur, ingratior eſt, propterea malum odorem, majoremque nauſeam concitat. Et ob hanc rationem ſpiritus urinæ commaritatus cum ſpiritu vini dephlegmato, in coagulum abit facillimum, ad quod haud facilè proclivis eſt ſpiritus ſalis ammoniaci, qui ramoſo tali ſulphure deſtituitur. Ex ſtercoribus, quod paratur, oleum ingratiſſimum eſt, nec facilè intrinſecus adhibendum. Putant vulgò in medicinis ſtercoreis latitare magna arcana ſanandi affectus, ab incantatione ortos. Obſervatum eſt in inflammationibus & tumoribus tam benignis, quam malignis, inque bubonibus peſtilentialibus, pro ardore temperando cataplaſma ex ſtercore humano, vel vaccino inſignem vim fovere. Attentione dignum curioſumque eſt, quod moſchus odore ſuo privatus, in latrina ſi ſuſpendatur, ſuavem ſuum odorem iterum acquirat.

(*l*) *Oleum adipis, medullæ, axungiæ, &c.*

AXungiæ, adipis, medullæ olea per retortam bis, & ter pelluntur, modo ſupradicto. Ipſis priùs immiſcetur duplum arenæ; quidam ſalem arenæ loco addunt. Diſtillantur autem eâ ratione, ut citiùs corpora permeent, & quo pluries deſtillantur, ſubtiliora evadunt. Ejuſmodi oleorum uſus notiſſimus eſt: nos ſemel pleuritide correpti, humani adipis olei, cum duplo olei adipis taxi illitu, miraculi inſtar convaluimus. In paralyſi contractiſque membris, maximæ ſunt utilitatis.

(*l*) *Oleum adipis, &c.* Axungiæ omnes, medullæ & expreſſa olea magnam ſubtilitatem & tenuitatem acquirunt, ſi ſuper cineres, vel melius calcem vivam deſtillantur. Tali ratione axungia fatiſcit in oleum nervinum admirandæ virtutis, in paralyſi & contractura. Hyoſcyami oleum expreſſum ſuper calcem vivam facta deſtillatione ſummè penetrans evadit, in quo ſi ſolvitur camphora, medicina emergit, quæ extrinſecus inſtar incantamenti dolores podagricos ſiſtit ac mulcet.

(*m*) *Oleum ceræ.*

POpulare eſt nimis ejuſmodi oleum, maximè inter Chymicos. Quidam ceram multoties aquâ communi calidâ lavant; quidam eam fundunt, ipſique arenæ duplum immiſcent; ſalem nonnulli loco arenæ; ſunt qui alumen uſtum, laterum pulverem, plumbum uſtum, tandem qui aquam vitæ. Qui modi omnes à nobis probantur: nihil enim in cera perit, redditur ſubtilior, & iterum bis, & ter hac de re exſtillatur ſola, in quibus deſtillationibus ſi quam qualitatem à commixtis reportârit, penitus amittit. Hoc apprimè ſervandum, ut vas ſit amplum, vixque tertiam partem occupet materia; ea enim excalefacta nimis dilatatur, & ſæpè integra in ſubjectum recipiens effunditur.

(*m*) *Oleum ceræ.* Paratur hoc optime ſequenti modo. Recipe ceræ flavæ uncias octo, fluat in terreo vaſe, cui duas partes arenæ miſce; Maſſa refrigerata in partes minutim fracta indatur retortæ vitreæ; exſtillat liquor, qui appellatur oleum ceræ limpidum: Ultimo ſubſequitur fluor ſubcraſſus, qui refrigeratus inſtar butyri concreſcit; unde etiam oleum ceræ butyraceum nuncupatur. Utrumque in affectibus & vulneribus nervorum valet.

De Oleis oſſium.

EJuſmodi olea multiplici modo parantur. Primò recentia adhuc & ſucculenta, fracta parum, & comminuta, per retortam vitream, vel terream etiam, per duas ollas luto ſapientiæ probè munitas, ad ignem apertum oleum fundunt, virtutis haud ſpernendæ.

Secundò eadem limata, diuque in aqua vitæ, & in fimo equino macerata, tum per retortam deſtillantur; quâ in deſtillatione exſugitur aqua cum oleo, aqua (inquam) virtute dictorum oſſium imbuta, & ad multa perneceſſaria.

Tertiò ignita, & oleo communi imbuta more olei laterum; qui tertius modus licèt non omnino ſpernendus, attamen cæteris duobus longè inferior eſt.

(*n*) *De Oleo Caſtorei, vermium, ſerpentum, &c.*

CAſtoreum, priùs in ſpiritu vini per aliquot dies infuſum, per retortam, ut ſuprà, pellitur.

Vermes terreſtres per ſe in fimo equino putrefacti, in oleum vertuntur.

Serpentum adipes igne purificatæ, & excolatæ cum pauco ſpiritu vini per retortam, ſubtiliores evadunt. Ipſis per ſe, & citra omnem deſtillationem utimur, colatis tantum, & à membranulis ſuis liberatis. Earum vires, & facultates ad extrinſecos uſus mirificè conducunt.

(*n*) *Oleum caſtorei, &c.* Serpentum adeps igne purificatus, & pauco ſpiritu vini exaltatus, & ſubtilior redditus, ob penetrantiam ſuam commendari meretur, in ſpaſmodicis partium tendinoſarum ac nervoſarum contractionibus. Eximium quoque uſum ophthalmicum habet, de quo videri poſſunt *Ephemerides Germanorum dec.* 1. *pag.* 208. *Avicenna* tradit adipem alephe remedium eſſe efficax contra oculorum hebetudinem.

(*o*) *De oleis Mineralium.*

VUlgus hoc olei nomine in mineralibus maximè abutitur; etenim ſpiritus aliquot ſalium oleum nuncupat, ut de vitriolo, & ſulphure liquidò conſtat. Vocat etiam oleum, mineralium, & metallorum ſalem in liquorem per humidum reſolutum, uti apparet de oleo Saturni, & aliorum metallorum. In tartari oleo item notum eſt, quàm facilè eo abutantur nomine, qui cùm ſal reſolutus ſit, olei tamen ſibi vendicat appellationem.

Spagyrici veri, qui ſulphureæ ſubſtantiæ naturam probè nôrunt, oleum id tantùm appellitant, quod eſt naturâ inflammabile, ignemque ſuſcipit, atque non miſcetur aquæ: ſicque ex mineralibus, & metallis olea vera elicienda docent. Verùm cùm ejuſmodi præparationem ad *tractatulum de mineralibus* ſervaverimus, ab his hoc loco abſtinebimus: ne tamen hoc caput vacuum penitus remaneat, perpauca vulgò nota, in tyronum gratiam paucis complectar.

(*o*) De

(*o*) *De oleis mineralium.* Mineralia pauciſſima olea ſuppeditant. Carbones foſſiles deſtillati copioſum promunt ſulphurei odoris, quod etiam argentea vaſa non ſecus ac balſamum ſulphuris, ſive hujus ſolutio, in oleo facta nigro colore inficit. Et memorabile eſt, carbones hos omni abſtracto per deſtillationem oleo nullam flammam ulterius concipere. Dantur quoque & hic loci terræ bituminoſæ, quæ carbonibus injectæ, odorem ſuccini ſpargunt, & oleum copioſum ſuppeditant. Deſtillavi aliquoties ex terris fontium ſalubrium, quales aliquot ab hinc annis fuerunt Hornhuſani, non tantum oleum, ſed & ſpiritum volatilem, quod etiam circa alias terras nitroſas valet. Ad mineralium claſſem ſpectant quoque petroleum oleum ex aſphalto, & ejuſdem generis alia.

(*p*) *De Tartari Oleo.*

TArtarum, etſi è vegetabilium familia erutum, tamen tantam habet cum mineralibus affinitatem, & ſympathiam, ut meritò in eorum ordine reponendum videatur. Duplex autem ab eo ducitur oleum; unum verùm inflammabile, & aquæ immixtum, alterum abuſivè ſic dictum, ob ejus craſſam conſiſtentiam, quod quidem nihil aliud eſt, quàm ſal reſolutus. Primum educitur per retortam, ipſo priùs in pulverem redacto; extrahitur autem valido igne retortâ ad hoc luto probè munitâ: in qua operatione oleum cum aqua educitur: oleum eſt ſubrubrum cum quadam graveolentia, quæ cohobationibus variis, ut de aliis diximus, facilè tollitur; vel ſic cum capite mortuo iterum diſtilletur. Calculum in renibus denſatum ſolvere traditur, jecoris obſtructiones reſerat, &c. Reſolutio ſalis tartari, quod abuſivè oleum communiter dicitur, fit ex tartaro ſimpliciter calcinato, vel uſto, demùm in cella vinaria reſoluto: ſi ad albedinem comburatur, faciliùs in liquorem reſolvitur. Rurſus ſi dictum oleum exſiccatur, & reſolvatur bis & ter; redditur potentiſſimum & efficaciſſimum. Comburitur autem in igne aperto, in fornace quavis, ſive in his in quibus terræ coquuntur, ſive in his, in quibus vitrum, & metalla funduntur. A calcinato tartaro ſal poteſt extrahi, qui in fornace calcinatus, in oleum dictum reſolvitur totus.

(*p*) *De tartari oleo.* Circa tartari oleum fœtidum hoc curioſum eſt, quod ſingulari encheireſi accedente ipſo volatile reddi poſſit fixiſſimum ſal tartari, ita ut in ſublime attolli queat, verum urinoſo odore deſtitutum eſt. Conſiſtit hoc maximè in beneficio aëris, qui virtute diſſolvente fixa facilè volatiliſat, it. in exactiſſimo & creberrimo tritu, quo textura intricata olei diſcedit, & volatilem indolem induit.

(*q*) *Oleum Sulphuris.*

MUltiplici modo paratur Sulphuris oleum. Quod vulgò dicitur oleum, liquor eſt aquoſus ex reſolutione ſpiritus ſulphuris: hic enim ſpiritus à ſale in ſulphure contento progreditur, cujus natura ad ſpiritum vitrioli proximè accedit; ideò vires haud paucas communes cum oleo vitrioli obtinet. Ejus præparatio maximè nota eſt. Sulphuris, dum comburitur, vapor, campanâ vitreâ, vel cyatho magno ad latus parum inclinato excipitur, qui frigore reſolutus in vaſe aliquo vitreo exſtillatur: vix ſingula libra ſulphuris, ʒ. ij. exhibet olei.

Sæpè cum tribus, vel quatuor cyathis vitreis amplis, filo ferreo in aëre ſuſpenſis, vaporem excipimus, & cyathis paulùm inclinatis oleum vitrum ſuppoſitum delabitur. Per ſe flagrat ſulphur, ſi purum ſit, & priùs tritum. Subjectum vas ſulphur continens ſit terreum, & parvum, ad proportionem vitri, vel campanulæ, ut pro ſingulo cyatho libram ſulphuris contineat, aut paulò minus. Vaſis inferioris pars ſuperior, ſit duplo minor orificio vaſis ſuperioris. Aliquando cum igne ejuſmodi oleum elicuimus optimum, & in majori quantitate. Per retortam etiam elicitur. Parabis & hoc modo oleum, ſive liquorem multiplicabilem, & cujus uncia una intra menſem alteram unciam dabit, pro ratione tempeſtatis: nam ſi auſtralis ſit tempeſtas & humida, plus; ſi ſeptentrionalis & ſicca, minus. Ad ejuſmodi oleum, ſive liquorem conficiendum, addantur pro ſingulo vaſe ſulphur continente, ʒ. ij. cryſtalli calcinati. Calcinatur autem cryſtallus, eo priùs ignito, & in aqua frigida extincto, quod bis, & ter reiteratur, donec ſponte in pulverem abeat cryſtallus; quâ ratione gemmæ multæ calcinantur, ex quibus poſtea varia poſſunt confici remedia. Pro liquore noſtro multiplicabili, cryſtalli pulvis in vaſis fundum priùs immittitur, ſecùs deflagrationem ſulphuris cohibet. Virtus hujus olei mirabilis eſt, nam continuò augetur, & quod ab eo prodiit, eſt veluti aqua diſtillata ſubacida, hæc cùm aliquo liquore data ſitim extinguit, obſtructiones, & infarctus renum, & jecoris ſolvit, menſes movet, & alia egregia præſtat.

(*q*) *Oleum ſulphuris.* Oleum ſulphuris ſpiritus ſulphuris eſt, ſive ſal acidum ſulphuris flammâ aëreque humido colliquatum. Aër potiſſimum momentum præparationi affert. Hic enim ſal ſulphuris acidum fixum ſubtiliſat, ideoque tota encheireſis ſpiritum copioſum parandi conſiſtit in hoc ut (1) ſulphuris tribus partibus admiſceatur nitri una, ſic facilius ſulphur accenditur, largioremque ſpiritus præbet quantitatem. Alias ſolum ſi aſſumitur, flores ſurgunt. (2) In retorta tubulata optime negotium inſtituitur, vel etiam ſub campana vitreâ lata, in parte ſuperiori perforata: Sic fumus ab externo aëre frigido & humido quaſi in deliquium abit. (3) Utile eſt campanam prius madefacere, & in loco ac tempore humido deſtillationem adornare. Spiritus ſulphuris longè purior eſt ipſo ſpiritu vitrioli, qui magis terreis metallicis impurioribus partibus conſtat: quare etiam vitriola cum ſpiritu ejus parata auſteri & magis adſtringentis ſunt ſaporis, dulcis autem, quæ cum ſpiritu ſulphuris fiunt. Meminiſſe verò hic etiam oportet, aliquoties ſpiritum vitrioli mixtum ſpiritui ſalis ammonici evaſiſſe cæruleum, quod non obſervamus cum ſpiritu ſulphuris, forſan quod adhuc particulæ quædam venereæ in ſpiritu vitrioli reconditæ fuerint, quæ præcipitatæ poſtmodum à volatili ſale ſolvuntur. Cæterum ſpiritus ſulphuris longè etiam volatilior eſt ſpiritu vitrioli vulgari, quare in doloribus capitis & nervorum affectibus, præ illo ejus uſus commendatior eſt. Probè conſervari debet hic ſpiritus, alias facilè volatilis ejus portio vitri orificia pertranſit.

(*r*) *De Oleo Talci, & aliorum Mineralium.*

OLeum Talci pro mulierum mangonio vehementer exoptatum, adhuc nos latet legitimum; & quicquid jactent circumforanei

foranei diſtillatores, purum eſt mendacium: vel enim eſt liquor ſalis ejus reſolutus, vel oleum rei mixtæ. Siquidem, vel ipſum per ſe, vel cum alio calcinant, & à calcinato ſalem extrahunt, quem poſtea in loco humido reſolvunt, vel aliis rebus idipſum commiſcent, tumque retortæ indunt, vel denique varia alia figmenta nobis obtrudunt, quibus ſæpè credulos decipiunt. Verùm cùm hujuſmodi oleum in arte Medica nullum habeat uſum, quid uſu & experientiâ in eo tractando cognoverim, alium in locum rejicimus.

Oleum de lateribus, quod & Philoſophorum dicitur, notum eſt, ideò ab eo, atque à multis aliis hîc abſtinebimus. Sub quâ etiam conſideratione oleum gagatis, ſuccini, & aliorum multorum, hîc conſultò omittimus, & eò magis, quòd ſimilia in *tractatum mineralium* diſtulerim.

Olea quoque metallorum Saturni, Jovis, & aliorum eademmet causâ in eum locum reſervavi. Nunc ad ſalium extractionem, & præparationem deveniendum.

(*r*) *De oleo talci.* Meritò hoc ad non entia refertur. Talcum lapidis ſpecularis ſpecies eſt fixiſſima; extremum ignis gradum ſuſtinens, vitrô tamen cauſtico prægrandi, quod ex munificentiâ Sereniſſimi Electoris noſtri poſſideo, cedit, & in vitrum gryſei coloris colloquatur. Redigi tamen ipſum talcum in liquorem poteſt, ſicut ſilex, quando ignitum ſæpiùs aquæ frigidæ immittitur, poſtmodum pulveriſatur, & cum nitri partibus duabus calcinatur. Maſſa frigefacta in humido aëre facilè deliqueſcit, & ad præcipitationes chymicas, calculumque frangendum vim non contemnendam poſſidet. Coſmetica vero virtus vix propter corroſivitatem & acredinem inveniri poteſt.

SECTIO OCTAVA.

(*a*) *De Salium extractione, & præparatione in genere.*

SAl, tertium Hermeticorum principium, ab omni antiquitate miris laudibus extollitur. Ab Homero Divinus appellatur. Plato in Timæo, amicum Dei corpus nuncupat. Antiquitùs nullum dabatur ſacrificium
Levit. c. 2. ſine ſale. *Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo: In omni oblatione offeres ſal.* A ſupremo numine his verbis exaltatur, dicente Apoſt. *Vos eſtis ſal terræ, quòd ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet ultrà, niſi ut mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus.* Tribus literis ejus nomen deſignatur, apud Hebræos *Sala*, quaſi Rex, Græcos ἅλς, Latinos ſal: fortè à ſignificatione *Sele*, pacificare, & quieſcere, item perficere; etenim ſine ſale nihil perfectum eſt. Mitto alias linguas ab his derivatas eandem ſervare harmoniam. Tanta eſt ejuſmodi ſalis neceſſitas, ut etiam referente Plinio *lib.* 31. *c.* 7. ſine ſale vita perſiſtere nequeat, à putredine tutus eſt, & alia ab ea ſervat & tutatur: propterea in ſacris æternitatis ſignum habetur. Sal ventriculum excalefacit, venerem ſtimulat, prolificumque ſemen reddit, ob id *Ægyptii* canes ad coitum inertes ſalſamentis carnibuſque ſale maceratis ad venerem alacriores reddebant; hinc Veneri dediti ſalaces dicuntur; propterea Venerem è ſalo natam finxerunt. Aves prolificæ, ut columbæ, ſale haud parum oblectantur. Paſtores apud Plutarchum de cauſ. nat. pabula pecorum ſale conſpergebant. Sed his miſſis, ad inſtitutum revertamur. Sal, qui ex vegetabilibus educitur, à Theoph. Parac. per metonymiam Alcali dicitur, ex eo, quòd ſal quilibet plantæ fiat per incinerationem; qui verò ſine incineratione fit, proprie eſt tartarum, ſale, ſulphure, & tincturâ plantæ conſtans; ejuſmodi ſal, eſſentialis à recentioribus nuncupatur. Fit autem ſal ex vegetabilibus uno eodemque modo, eorum videlicet cineribus in ſufficienti quantitate aquæ communis infuſis, & percolutis, & commune fit lixivium, quod exſiccatur in vaſe terreo devitreato, aut in alembico cum ſuo capitello: in imo vaſis ſubſidebit ſal impurus, qui reiteratis ſolutionibus, filtrationibus, & coagulationibus purificatur; bis terque repetitur dicta operatio, ſi admodum pellucidus deſideretur: caventes ne in fine omnimoda humiditas evaneſcat: ſed ſenſim, & per ſe in ſtupha, vel in aëre calido exſiccetur. In hujuſmodi extractione triplex ſalis ſpecies poteſt conſiderari, volatilis, fixus, & utriuſque naturæ particeps, quas vocant, vegetabilem, animalem, & mineralem. Vegetabilis facilè in auras abit, atque cum aqua vitæ illius plantæ, ex qua ſalem educturus es, elicitur, ipſique perpetuo commiſcetur. In tinctura etiam volatilis ſervatur, ſi rectè operatus fueris. In tinctura tamen, utriuſque naturæ particeps, qui & animalis dicitur, propriè reſidet. Fixus, qui & mineralis, cineribus, arctè hæret, in hiſque firmiter conſidet. In ſuccorum anatome cuncta hæc rimari liceat; in vino nihil apertius & certius.

NOTÆ

in SECTIONEM VIII.

(*a*) *De ſalium extractione & præparatione.* Salia univerſalia rerum quaſi fundamenta & inſtrumenta naturæ ſunt, quibus plurimæ mutationes ac rerum alterationes perficiuntur. Veſtigia ſalium circumquaque conſpiciuntur, & tota rerum œconomia illis abundat. Nulla ferme in arte chymica & docimaſtica peragitur operatio, ubi non ſalia baſes & fundamenta ſunt. Medicamentorum activitas potiſſimum eſt à ſale. Verbo, tota quaſi natura ſeu univerſalis rerum motus, & concentus in ſalium geneſin nititur, ſalinaſque particulas principaliores corporum mixtorum eſſe partes, illorum reſolutio artificialis, ſive fermentatione, ſive igne peracta, ſatis ſuperque arguit. Oſtenſum à nobis in peculiari

peculiari *diſſertatione de generatione ſalium*, omnis generis ſalia ab uno ſeu primogenito ſimpliciſſimo acido ortum trahere. Commode diſpeſcitur ſal in acidum & alkali. Acidum eſt, quod particulas rigidiores oblongas & graviores, conſtantioreſque poros habet, & cum alkali quovis conflictum edit. Alkali ſive lixivioſum conſtat particulis levibus & copioſis poris, in quibus plurimus æther deliteſcit, & ſi cum acido miſcetur, ebullitionem concitat. Sal neutrum eſt, illud, quod ex acido & alkali compoſitum eſt, ut ſal commune, nitrum, ammoniacum. Cæterum eſt ſal, vel volatile, quod partibus ſubtilioribus conſtat, & facili ignis contactu in altum elevatur, vel fixum, quod ex craſſioribus vorticoſo ætheris motui neutiquam obtemperantibus compoſitum eſt. Hæc dicta omnia ſalia debentur ætheris motui & ſali univerſali acido, nec non peculiari terræ. Prout itaque terra diſſidet, vel actio ætheris in terram debilior, & vehementior eſt, atque ſal univerſale magis vel minus concentratur, magna illa varietas ſalium tam volatilium quam fixorum dependet. Sic in terris ſulphureis coagulatur nitrum; in bituminoſis alumen; in martialibus vitriolum, uti id palam eſt in marcaſithis, quæ ſi aëri exponuntur, vitrioleſcunt & in liquorem acidum penetrantem abeunt; Omnes mineræ, ſilices, cryſtalli, & ex ſubterraneis locis recenter eruta fortiori igne dant ſpiritum acidum; de quo conſule *Glauberum furn. phil. p.* 84. Beccherus *in minerâ arenaria p.* 7. 8. perhibet, ex arena & ſilicibus vehementi igne ſe deſtillaſſe ſpiritum acidum in febribus ardentibus ſummè ſalubrem. Vapores ſubterranei vulgò *die VVitterung* ſulphurei & acidi ſunt, ipſos lapides penetrant, & mineras jam perfectas in calcem corrodunt. Eſt enim in regno minerali acidum magis purum, ſimplex, ſibi relictum, propter ætheris actionem languidiorem. In regno vegetabili, propter motiones ibi particularum æcherearum magis efficaciores, ſal illud univerſale mediam indolem, uti tartarus eſt, obtinet. In animalibus ob vividiſſimam & celerrimam ibi actionem & reactionem ætheris, volatile & urinoſum magis invenitur.

(*b*) *De Speciali ſalium vegetabilium præparatione.*

IN uniuſcujuſque plantæ ſale conficiendo, ſi herba recens ſit, & ſucculenta, priùs aquam ab ea abſtrahe, eamque ſeorſum ſerva, ſiccatam herbam in olla terrea vitriata combure ad juſtam incinerationem: cineribus in vaſe vitreo, urinari, aut ſimili, affunde aquæ ſupradictæ tantum, ut quatuor digitos ſupereminеat, bulliant parum & colentur. Relictis cineribus novam aquam reaffunde, quæ iterum bulliat, & coletur. Tum iſtas aquas, ſive lixivium utrumque filtra, & per alembicum omnem humiditatem abſtrahe, in fine parum humiditatis relinque, ne volatiles ſpiritus evaneſcant, quod facilè per incuriam contingere ſolet: propterea melius erit in fine vas in ſtupha collocare, vel calido aëri exponere, quam ſubtiliorem partem perdere, ob nimiam, & feſtinatam exſiccationem. Sal, ut purior evadat, cum extracta aqua diſſolvatur, filtro procoletur, & ut ſuprà, exſiccetur.

(*b*) *De Speciali ſalium vegetabil. præparatione.* Inſignis inter Chymicos fuit diſſenſio circa geneſin ſalis fixi, dum quidam formaliter exiſtere in vegetabilibus hoc ſal perſuaſum ſibi habuerunt, alii vero ex intima unione partium terreſtrium cum urinoſis volatilibus in ipſo concremationis actu illud reſurgere arbitrati ſunt. Nonnulli ex terra cum acido mixta & per flammam juncta originem deduxerunt. Noſtra ſententia hæc eſt: ipſa nihil aliud eſſe, quam ſalia plantarum tartarea ex acido & terra conſtantia, cum principio phlogiſto oleoſo, miniſterio flammæ intimè unita atque copulata. Evincere id poſſunt ſequentia; utpote omnia vegetabilia, quæ ſal ſic dictum Tartareum eſſentiale copioſum continent, & hujus ratione Martem aggrediuntur, mediante concrematione copioſum ſal fixum elargiuntur; & ex adverſo quæcunque vegetabilia ſale ejuſmodi tartareo acido inſtructa non ſunt, parum vel nihil ſalis fixi concedunt. Quod autem acidi tranſitus ſit expeditus in ſal fixum mediante oleoſo principio, clariſſime edocemur ſequenti experimento: dum ex cremore tartari acido & ſale acetoſellæ eſſentiali acido ſola fuſione in igne vel deſtillatione in aperto igne copioſum ſal alkali fixum fit, quoniam oleum mediante igne ex cremore tartari elicitum intimè miſcetur cum terra alkalina & acido tartari. In majori autem copia fit, ſi pulvis carbonum addatur; hac ratione etiam ex ſale communi, ſale Digeſtivo Sylvii, tartaro Vitriolato, ſale Glauberi, nitro ſolo vel cum oleo Vitrioli mixto, magna quantitas ſalis purè alkalini haberi poteſt. Quod autem porro fixa ſalia nihil aliud ſint, quam ſalia media Tartarea, mediante phlogiſto principio unita & metoſchematiſmum paſſa, exinde etiam convincitur, quoniam, quando hæc terra ſulphurea ſucceſſive ſeparatur atque exhalat, ſal alkalinam ſuam naturam deponat & iterum tranſeat in ſal neutrum.

Salia vegetabilium fixa virtute medicamentoſa inter ſe non diſſident, dum quodvis in deſtructione acidi egregiè ſe gerit. Variare tamen ipſa quoad compoſitionem, terreumque ipſorum elementum, non habeo nunc pluribus oſtendere. In vitrificatione diverſimode ſe exerunt, & unum præ altero nitidius largitur vitrum. Sic ſal ſilicis elegantiſſimum omnium cryſtallinum facere vitrum retulit *Kunchelius in arte vitriaria* p. 17. *In miſcellaneis curioſis an.* 6. *ob.* 199. extat ſingularis caſus, dum civi, qui abſynthium plane adverſabatur, pharmacopœus ſalis abſynthii fixi aliquot grana propinavit, quibus aſſumtis non minus conſueta ſymptomata, deliquium, ſtomachi ſubverſionem paſſus eſt. Porro notum eſt in arte docimaſtica, ſal fixum unum præ altero longe eximiores præſtare effectus. Sic maſſa illa, quam dicunt, plagma, ex mixtura ſulphuris & lunæ conſtans, non bene ſale tartari, optime autem nitro fixo reducitur.

De ſale ſine incineratione parando, quem eſſentialem vocant.

QUædam herbæ ſale, & tartaro magis refertæ, ſine incineratione, ſucco earum expreſſo, colato, filtrato, & coagulato, atque per aliquot dies aſſervato, ſpeciem ſalis colorem, & ſaporem plantæ quoquo pacto referentis, de ſe promunt. Quædam etiam integræ, contuſæ & in amplo vaſe cum ſufficienti quantitate aquæ excoctæ, ſalem, ſive tartarum, aut cremorem exhibent. Juſta eſt danda coctio, aliàs totum perit negotium. Ex ſiccis plantis, & lignis, tum noſtratibus, tum exoticis, ſalem hac viâ paravimus, res priùs per aliquot dies macerantes, deinde excoquentes; atque colatura ad juſtam craſſitiem perducta ſenſim tartarum deponit. In aliquibus reiteratæ infuſiones ſufficiunt. Quæ omnia manualis operatio expreſſè docet.

De viribus, & facultatibus ſalium, atque de eorum uſu, &c.

FAcultas ſalium, non ſemper plantæ, ex qua ſal educitur, reſpondet, nec propterea ejuſmodi diſſimilitudo ab igne provenit: quis enim tam hebes, & philoſophiæ rudis, ut credat accidens de ſub-

jecto in ſubjectum migrare, caliditatem ignis in cineres, & ſalem? Empedoclei, ſeu potiùs materiales ejuſmodi medicaſtri de empyreumate adverſus Jatrochymicos multa quotidie deblaterant, & quid dicant, planè ignorant. In ſale vis laxativa potiſſimùm reſidet, & maximè in volatili: Vis etiam aperitiva, attenuans, & incidens, vis quoque diaphoretica. Eâ de causâ, ubi purgatione opus eſt, nulla commodior fit quàm per ſalem cum ſuâ tincturâ. Sic extracta, quæ quoque pacto ſalis ſpecies ſunt, commodiſſimè purgant, ſi cum ſuo ſale exhibeantur. Aperitiva item: ob id in ciendis menſibus, ſalibus frequentiſſimè utimur, ſicut & atterendis, ac rejiciendis calculis. Pollent denique vi diaphoreticâ, prout eſt principium ex quo eliciuntur. Particulares ſalium facultates ſæpè plantis, ex quibus eliciuntur, reſpondent: ut capiti, ſal betonicæ, qui & mulierum menſes movet; ſal ligni, viſci quercini, radicum pœoniæ, ſem. fœniculi, & ſimilium. Conferunt oculis ſal fœniculi, verbenæ, euphraſiæ, &c. Pectori, ſal ſcabioſæ, hypericonis, polypodii, &c. Cordi, ſal meliſſæ, borraginis, & aliorum cardiacorum. Ventriculo ſal abſinthii, menthæ, &c. Renibus, ſal anonidos, argentinæ, pimpinellæ-camomillæ, geniſtæ, &c. Utero medentur ſal tanaceti, matricariæ, arthemiſiæ, meliſſæ, chelidonii, &c. Juncturis, tum purgando, tum alterando, ut ſal ivæ artheticæ, chamædryos, primulæ veris; purgando, ut ſal hellebori, hermodactylorum, turbith, agarici, & ſimilium. Et eorum uſus plerumque eſt in cibariis, alterantium præſertim; purgantium manè, & ſerò, cum juſculo carnis, vel alio liquore, vel cum conſervis, 4. vel 5. horis ante cibum. Doſis eſt pro natura ſalis, ægri conditione, & morbi magnitudine.

Vis laxativa in ſale.

(c) De Salis animalium præparatione.

SI antiqui tanti fecerunt craſſam illam ſalium theriacalium præparationem, quæ tantummodò incineratio erat, quanti & nos præſentem elegantiorem, & illorum longè præſtantiorem, quæ non ſolùm incineratio, verùm ſubſtantiæ vivificæ ſalis à cineribus ſegregatio eſt, qualis hodiè ab artificibus excolitur, & ſola in uſu habetur. In animantibus parum ſalis fixi reperitur, qui verò mediam naturam obtinet, copioſus, uti & volatilis. Raro ejuſmodi ſalium ſpecies in uſum advocantur, ſed eorum loco magiſteria, aut ipſa integra in pulverem tantùm reducta. Ex vipera neque ſalem, neque magiſterium uſurpamus, ſed eam integram; & ſolum in pulverem reductam; etenim tædioſas, & prolixas præparationes planè rejicimus, inutiles præſertim: ſic vermes terreſtres, quos lumbricos vocant, aſellos, & alia pleraque; ſecùs ad eorum ſalia paranda, viperæ plurium regionum non ſufficerent. Rurſus in his vis eſt quædam alimentalis, quæ incineratione perit. Ex oſſibus, & ſanguine, in quibus ſalis haud parum continetur, ſalem elicimus: qui è ſanguine, excrementitius, & volatilis; ex oſſibus, alimentarius, & magis fixus. Extrahendi modus non multùm diſcrepat à modo ſuprà allato, de ſalium vegetabilium præparatione.

(c) *De ſalis animalium præparatione.* Animalia copioſiſſimo gaudent ſale volatili, alkalinæ indolis; unde hoc proveniat, res eſt non levibus difficultatibus expoſita. Ad illorum prompte accedimus ſententiam, qui deberi horum generationem circulationi globulorum æthereorum celerrimæ, quæ in viventium ſuccis peragitur, exiſtimant. Motu enim, attritu & pertuſu ætheris partes corporis craſſiores & rigidiores actuantur, dividuntur, & ſubtiliſantur, ut faciliorem motum ac naturam tenuiorem ſubeant. Acidum, ſcribit *Carteſ. princ. part.* 3. §. 50. quod conſtantioribus poris gaudet, & irregulare ac rigidum corpus eſt, motu diviſum, magis fit obtuſum, poroſum, & majores ſuperficies acquirit. Ex quo jam facile conſtat ratio, cur fermentatione, & putrefactione (quæ conſiſtit in vehementiſſima ætheris trajectione per poros irregulares corporum fluidorum) ex partibus terreſtribus, fixioribus, acidis, ſalinæ volatiles ſpirituoſæ fiant? Tartarus crudus, qui nunquam dabit ſal volatile, in motum autem fermentativum cum ipſo ſale tartari fixo adactus & deſtillatus, ſpiritum præbebit ſale alkalino volatili abundantiſſimum. Sic quoque per putrefactionem ſalia acida, v. g. tartarus ſolutus abit in ſal volatile. Hinc tartari putrefacti meminit *Helmontius tract. progym.* Aqua pluvialis in vaſe quercino diutius detenta, aëre exiſtente calido, putreſcit, & dejicit materiam putridam in fundum, quæ deſtillata ſpiritum alkalinum volatilem fundit. Genuinus quoque ſalis tartari volatiliſationis modus latitat hoc in experimento: ſal tartari aquæ pluviali immittatur, & in vaſe querno inſtituatur putrefactio, debita adhibita diligentia, facile ſal tartari volatile obtineri poterit. Aqua communis, ſola deſtillatione ſæpius repetita, eo penetrantiæ redigi poteſt, ut metalla adoriatur. Spectat huc quoque experimentum egregium, dum minirum lixivio alkalini ſolvitur ſulphur commune, & in vaſe ligneo quercino diutius digeſtioni exponitur, fit præcipitatio particularum ſulphurearum, rubicundarum, & enaſcitur inſignis fœtor urinoſus: liquor deſtillatus præbet perfecte alkalinum volatilem ſulphureum ſpiritum, qui omnes effectus communes habet cum ſale volatili urinoſo. Uno verbo omnis putrefactio & fermentatio ſalia volatiliſat & ex acido alkali & fixo volatile facit. Salia autem volatilia in ſe non differunt, niſi ratione ipſius oleoſi ſulphurei principii, quod intimè illorum poris adhæret, facileque per ſublimationem cum corporibus terreſtribus ſeparari poteſt.

Sal ſanguinis humani.

SAl ſanguinis humani præparatur ex fæcibus poſt olei extractionem relictis. Extracto ſiquidem oleo, ignis augetur: tunc ſal volatilis ad retortæ, vel capitelli latera ſublimatur. Fæcibus concrematis, & in cinerem verſis, vel in eodem vaſe, vel alio, aqua priùs è ſanguine educta, vel alia ſtillatitia affunditur, atque per filtrum trajicitur, tandem per alembicum diſtillatur, & in fundo vaſis ſal remanet, repurgatur ſal, & pellucidus redditur, uti de variis ſalium vegetab. præparationibus dictum eſt. Hac in re parum intereſt, an cum aqua vitæ, vel per ſe diſtillatus fuerit. Illas verò præparationes, quæ cum ſale, aut ejus ſpiritu fiunt, omnino ab hac operatione rejicimus; ſecùs non ſimplex, ſed compoſitum haberetur.

Sal

Sal Carnium, Oſſium, & aliarum partium.

CArnes, oſſa, & aliæ partes animalium, eo quo diximus modo, ad ſalis formam reducimus, verùm his parcè utimur. Eâ de cauſa brevi hac explicatione contentus, ejus loco torrefactionem, longo uſu & experientiâ nobis comprobatam, ſubjiciemus. Aſſumimus itaque viperas, capite, & cauda abſciſſis, eo loco ubi exangues, & ſine carne ſunt, non autem quatuor digitis à capite, ut falsò putat vulgaris opinio; etenim earum virus in ſola dentium extremitate conſiſtit: eas pelle, & interaneis liberamus, atque triplici aquâ lotas in partes ſeptem, vel octo ſcindimus; tum demum urinali vitreo capaci ejuſmodi partes induntur, quibus pauxillum aquæ vitæ affunde; tandem per arenam lento calore diſtillationem inſtitue, prolectâ omni humiditate. Caro in vaſis fundo ſicca remanet, quæ facillimè teritur. *Hoc pulvere* crebro utimur in cutaneis affectibus, & maximè in cibis, quòd gratiſſimi ſaporis ſit: manè etiam jejuno ſtomacho, ad ℥. ß. & ʒ. j. cum conſerva, vel vino. *Uſus, & proprietas,* Sunt qui putant, ejuſmodi pulveres nullius eſſe efficaciæ; at errant toto cœlo, ut è ſequentibus millies experientiâ nobis conſtitit.

(*d*) *Hoc pulvere.* Viperarum caro cum corde, hepate, felle, vino malvatico bene lavanda, & in balneo mariæ ſiccanda eſt, poſtmodum in pulverem redigatur, qui mane jejuno ſtomacho per aliquot menſes ad drachmam unam ſumptus creditur maximi effectus ad leproſos & ſubcutaneos affectus ſanandos, nec non ad hydropem, & morbos chronicos, etiam à veteribus mirum commendatur. Sunt etiam qui ad vitam longam ejus uſum magnifaciunt. Indi frequenter ipſo utuntur. Ejus operandi ratio conſiſtere videtur in blanda ſanguinis & humorum reſolutione ſive ſpirituaſcentia promovenda propter ſal ſubtile volatile particulis ramoſis intimè immerſum.

Pulvis Ranarum.

♃. Ranas integras, & viventes, ad numerum quinquaginta: eæ urinali vitreo induntur, atque per balneum Mariæ, vel vaporoſum extillantur. Quæ primò exit aqua, ſeorſum ſervetur: exhibita hæmorrhagias ſiſtit, febres hecticas mitigat; omnem inflammationem admota ſedat, hæmorrhoidibus, & aliis ex inflammatione ortis doloribus confert. Exhibetur ad ℥. ij. & iij. De pulvere datur ʒ. ß. & ʒ. j. Fluores albos mulierum ſummopere juvat, hæmorrhagias, quoque ſiſtit, & gonorrhœam ſanat, denſat tandem, & coagulat humores, quos diſſolvit.

(*e*) *Pulvis Vermium terreſtrium.*

EXſiccantur Vermes ſive lumbrici, vel eo quo ſuprà diximus modo, vel in furno poſt panis extractionem. Hic pulvis manè per ſe, vel cum pauco cinnamomi exhibitus, obſtructiones jecoris, & lienis reſerat, mulierum menſes movet, urinam pellit, hydropicis non parum confert, vermes enecat, & alia præſtat adhuc incomperta.

(*e*) *Pulvis vermium terreſtrium.* Lumbrici terreſtres eodem modo uti viperæ exſiccantur, præbent pulverem, qui facultatem admirandam poſſidet ad depulſandam epilepſiam etiam chronicam. In omnibus nervorum vitiis, ſpaſmodicis affectibus, atque articulorum doloribus mirificæ virtutis eſt. Præter vim anodynam alit diureticam & diaphoreticam, propter ſal nitroſum volatile abſterſivum. Hoc ſaltim tenendum, quod menſe Maio collecti longè inſignioris virtutis ſint, quam alio tempore.

(*f*) *Pulvis Cancrorum fluviatilium.*

INnotuit antiquis vis, & facultas ejuſmodi pulveris, ut ex Gal. & aliis habetur, adverſus rabidorum canum morſus. Nos in concepto fœtu retinendo ejus uſum pluries experti ſumus. Mulier cujuſdam phrygii ſepties abortum paſſa, hoc pulvere ad duos menſes accepto, parum ad finem fœliciter tulit. Eos vivos, ut ranas, in olla vitreata, poſt panis extractionem exſiccamus. De pulvere datur ad libitum in cibis, ſerò, & manè. Si rite non exſiccentur, gravem odorem nanciſcuntur; ideò cautè agendum, calor ſit mitis admodum, & æqualis. Doſis non excedat ℥. ß. in diem.

(*f*) *Pulvis cancrorum fluviatilium.* Ejus uſum expertus eſt *ipſe Author* in conceptu fœtuque retinendo. Subſtitui poſſunt cancrorum lapides. Omnia quippe, quæ acidum primarum viarum corrigunt, ſanguinem & humores, nec non tranſpirationem movent, abortum præcavent; & fœtum roborant.

Halecis Pulvis.

HOc pulvere utimur in calculis renum & viſicæ atterendis. Exſiccantur modo ſupradicto. Accipitur hujuſce pulveris ʒ. j. Sanguinis hirci vulgariter parati, ʒ. ij. Lapidum oculorum cancrorum fluviatilium, ʒ. iij. Hujus pulveris datur cum conſerva aliqua, ſingulis diebus manè, pro calculo comminuendo, ʒ. j. pro doſi. Qui ex his tincturas, eſſentias, magiſteria, & conſimilia parare cupiunt, hoc ipſis per nos liceat: noſtra proferimus, difficilia aſſerimus, & impoſſibilia rejicimus.

De excrementorum animalium præparatione.

IN animalium excrementis, mirum dictu quàm rara, & perfectâ remedia reperiantur; & ut ab homine omnium principe exordiar, in humano ſtercore mira vis latet, in viſcerum obſtructionibus aperiendis. *Stercoris humani facultas.* Tritum eſt, ipſum tumoribus admodum eos emollire; & ad ſuppurationem perducere: unde in tumoribus peſtis ſummopere celebratur. Intus adhibendum Galenus non perhorreſcit, *lib. de his, quæ facilè parantur ad Solonem*: etenim ipſe inquit, *humanum ſtercus in panniculo deligatum, & crematum potui dato, hoc jam ſuffocatis opem fert.* Apud eundem Gal. videre eſt, quid præſtet idem ſtercus adverſus anginam *lib. x. de ſimpl. med. facul.* ubi dicit fuiſſe arcanum ab alio, pretio coemptum, cujus ope omnes anginâ detenti con-

convaluerunt. Extat recentiſſimum experimentum adverſus epilepſiam, de primo ſtercore infantium, quod vulgò apud Italos dicitur *paganina*, id dicunt ſiccum, & in tenuem pollinem reductum, atque ad complures dies exhibitum, caducum morbum radicitùs evellere. Salem ex eo confici poſſe, modo à nobis ſuprà allato de aliis in cinerem verſis, facilè eſt cognitu, ad quod magna quantitas requiritur. Verùm ejuſmodi remedii genus nobis hucuſque non fuit in uſu, ideò ab ipſo libenter ſuperſedeo. Quidam nobis notus, poſt olei eductionem, ut ſuprà notavimus, ſalem ex eo paravit, ut proprio oleo mixtus, materiam præberet igni inextinguibilem; at propriâ opinione deluſus, ut alii pſeudochymici oleum & operam perdidit: quod propter incautos annotare placuit.

Sal ſtercoris humani.

Inſuper in ſtercoribus magnas latere virtutes minimè diffido, at nobis haud ſatis cognitas, ideò ne cramben recoquere videamur, ab his abſtinemus. Qui plura deſiderat, videat Galenum *de ſimp. med. facult. lib.* 10. *ſub fine.* Ab eo prætermiſſa, ipſique incognita referam. Stercus Lacertæ viridis oculorum ſuffuſionibus mederi, experimento conſtat: multum reperitur in Provincia Galliæ, ubi ejuſmodi animalcula copioſa, & magna reperiuntur.

Lacerta viridis ſtercus. Ejus vis, & proprietas.

Ex ſterquiliniis magna ſalis copia habetur; hinc agrorum fœcunditas, olei etiam non minima quantitas; ſubſtantiæ verò mercurialis, ſeu veræ, ſpiritualiſque materiæ aqueæ, quàm minima.

Reliqua excrementorum genera, ut urina, ſudor, ſordes, ſtrigmenta, pili, & ungues raro nobis in uſum veniunt, idcirco ea conſultò præterimus. Equorum verrucæ, cornua cervi, & ungues alcis, vulgato more ab eorum penuriam, (ſecùs enim in nobiliorem formam eſſent reducenda,) uſui noſtro ſubjiciuntur integra, & per ſe.

SECTIO NONA.

(*a*) *De Magiſteriis.*

MAgiſterium tam plantarum, quàm animalium, & mineralium, præparatio eſt quædam citra ſubſtantiæ ſeparationem, cum additione alicujus rei, propter quam rei parandæ vis, & facultas augetur, exaltatur, & conſervatur. Hujuſce rei Hydromel nobis ſit rude exemplum, quod quidem virtutem longè diverſam à melle, & aqua nanciſcitur. Contemplare & acetum, quod ex optimo vino fere in momento fit, additione unius rei. De virtute & præſtantia magiſteriorum, ita ſcribit Theoph. Parac. *Herbarum itidem magiſteria adeò efficacia ſunt, ut eorum uncia ſemis plus operetur, quam ipſorum corporis unciæ centum, ideo quod vix centeſima pars eſſentia quinta ſit. Quare cum iſtius tàm pauca ſit quantitas, illius major foret adhibenda moles, quod in magiſteriis non requiritur; nam in iſtis integra quantitas herbarum in magiſterium reducitur: hujus una pars adhibita plus prodeſt, quam partes centum ſimilis corporis, ea ratione quia præparata ſunt magiſteria, tum ad ſummum acuta facta. In eis eſt penetrabilitas, & vis integri corporis expermixtione orta, &c.* Horum conficiendi methodus apud eundem reperitur, *lib. ſexto Archidoxorum*, cujus verba ſunt hæc. Author perobſcurus eſt: Nos hanc ſequimur methodum. Herbas virentes accipimus, eaſque tuſas in mortariolo lapideo exprimimus, eiſque permiſcemus ſuccum aliquem vinoſum; tunc addend. aliquando portionem aliquam fermenti, ut ejus medio vinoſam ſubſtantiam acquirat, per balneum Mariæ ſpiritus educitur, qui novæ materiæ reaffuſus novam inducit fermentationem; ter, & quater eadem repetitur operatio, & ſic major elicitur ſpiritus, ſeu magiſterii quantitas.

NOTÆ in SECTIONEM IX.

(*a*) *De Magiſteriis.* Magiſteria herbarum ſequenti ratione confici ſolent. Recipiunt herbam cujuſcunque generis, illam in ſufficiente quantitate aquæ communis leviter oleo tartari per deliquium alkaliſatæ coquunt leni igne, ut ſaturatum liquor nanciſcatur colorem: ſolutio aluminis crudi infunditur, ſic in fundum deſcendit pulvis eluendus & exſiccandus. Curioſi lapidem bezoarticum factitium ex herbarum alexipharmacarum magiſteriis, nimirum ſcordii, cardui benedicti, ſcabioſæ, &c. conficiunt Hæc nimirum gelatinæ cornu cervi puriſſimæ intimè immergunt, & primum minimam pilulam efformant, quam exſiccant, & deinde gelatinæ tepidæ immergunt, ſic per ſucceſſivam accretionem cortex cortici ſemper inducitur, uti in lapide bezoardico genuino & in omnium animalium calculis id cernitur.

Magiſterium lignorum.

REcip. Lignum minutim inciſum, quod in ollam vitreatam, & in igne conſtantem, ac optimè coopertam poſitum, igne carbonum horis quatuor aduratur: exemptumque putrificetur in vitro per menſem; poſt ſuper cineres urgeatur, uſque ad ultimos ſpiritus, quibus præceptis mox ceſſa, ne magiſterium fœtorem ab igne concipiat. Fateor equidem ejuſmodi methodum eſſe admodum obſcuram; nec omnes authoris mentem aſſequi poſſe; hoc verò conſultò ab eo factum eſt, ne ſacra profanis, & margaritas porcis projiceret, quod & in aliis præſtantiſſimis Medicinæ arcanis exactè ſervavit. Nos præſentem ſequimur viam. Ligna minutim incidimus primò, atque tum ea in vaſe vitreo capaci maceramus in ſufficiente quantitate aquæ communis, per 15. vel 20. dies in cella vinaria. In ea maceratione,

ratione, quod intus latebat manifeſtum fit: tunc per balneum Mariæ elicitur ſpiritus fragrans, & vinoſus, qui novo reaffunditur ligno, & ut priùs præmiſsâ maceratione, liquor ſpiritualis elicitur, &c.

Magiſterium herbarum.

REcip. Herbas, eaſque tuſas vino ardenti permiſce, atque per menſem putrefieri finito; poſtmodum per balneum maris diſtilla, diſtillatum iterum reaffunde, ſicque tamdiu procedendum, quouſque tota quantitas ardentis vini quater ſuccis herbarum minor ſit. Hoc ipſum diſtilla per pellicanum, novis cum additamentis uno menſe, tandem ſeparato: quo peracto, magiſterium habebis materiæ, vel herbæ quam accepiſti. De quibus idem author inquit: *Majus in extractionibus iſtis latet artificium, quàm dicitur, aut intelligitur, quamvis integer proceſſus hic demonſtretur.*

(b) De Magiſterio animalium.

MAgiſterium ſanguinis humani ſic paratur. ℞. Sanguinem humanum, quem pellicano concluſum, tranſcendere ſuper ventrem equinum tamdiu ſinas, donec tertia pars pellicani impleatur, nam ſanguis omnis in ſua revificatione dilatatur juxta quantitatem, & non ſecundùm pondus: hoc tempore peracto, rectificabis ipſum per balneum. Hac viâ phlegmata recedunt, in fundo magiſterio manente, quod quidem retortâ ſigillo Hermetis concluſâ novies diſtillato, prout *libro de præparationibus* apud ipſum docetur.

Ex cranio humano paratur magiſterium duplici modo. Primò, per Quercetani modum, ut habetur in ſua *Tetrade fol.* 326. Secundò, eo quo diximus de extractis, paucis mutatis, & adjectis. Diſſolvente ad hoc utimur aquâ vitæ ſpiritu vitrioli exaſperata, extractæ tincturæ ſal ipſius cranii ſub fine adjicitur. Vermium terreſtrium magiſterium nobis aliquando uſurpatum, fit cum ſpiritu illo balſamico, ex vegetabilium familia educto. Aſtaci, ſive cancri fluviatiles eum in modum in magiſteria reducuntur.

Item Ranæ, Viperæ, & ſimilia animalcula, de quibus alibi fuſiùs.

(b) *Magiſteria* cornuum, dentium, fiunt, ſi in ſpiritu nitri ſolvuntur & cum ſpiritu vitrioli præcipitantur ac edulcorantur. Quodcunque enim à ſpiritu nitri ſolutum eſt, confuſus ſpiritus vitrioli, quoniam acidum potentius eſt, præcipitat. Corallia & teſtacea ſoluta in aceto, cum ſpiritu ſalis acuato è ſolvente dejiciuntur cum ſpiritu vitrioli. Verum hæc memoriæ mandare oportet, ejuſmodi magiſteria, quoniam acido tacta & inverſa ſunt, non prompte amplius abſorbere ac contemperare acores morboſos, & ideò rarius à ſolidioribus practicis hodienum uſurpari: quod etiam circa perlarum magiſterium valet. Præferenda jure meritoque ſunt ſimpliciter ſaltim parata. Ad albedinem magiſteriis conciliandam commendatur hæc enchireſis, citò exſiccanda ſunt, quod fit, ſi terreis figulinis, non tamen vitriatis vaſis imponuntur, & ſolis radiis objiciuntur.

De Magiſteriis mineralium.

FOſſilium, atque mineralium magiſteria, ab eodem Parac. *lib. de archidoxis* deſcripta in medium adducemus. Quid verò de his ſentiamus, quidve experientiâ agnoverimus, huc uſque diſtulimus, his maximè temporibus, dum omnia nòn veritatis criterio, ſed ſolâ protervorum malignantium opinione conſpurcantur, & fœda avaritia ſupremas obtinet.

(c) Magiſterium auri.

REcip. Circulatum optimè, nec non ad ſummam eſſentiam repurgatum, cui tenuiſſimas laminas metallicas impones, aut limaturas cujuſcunque metalli libuerit, optimè ſubtiliſſimeque malleati, nec non mundati. Hæc duo ſimul pondere ſufficienti congeſta, ſeptimanis quatuor circulentur, & per temperatum hoc laminæ reducentur in oleum & formam pinguedinis ſupernatantis, juxta conditionem ſui metalli coloratæ, quam per attractorium argenteum ſeparabis à circulato. Hoc ipſum eſt aurum, vel argentum potabile. Simile cum cæteris metallis etiam extrahetur, quod abſque detrimento ſumi poteſt in potum, vel unà cum cibo. Circulatum illud eſt valdè obſcurum: an ſit Lulii diſſolvens, planè nos latet. Spiritum vini ad ſupremum adduximus, eumque proprio ſale exacuimus, nec propterea diſſolvens tam inſigne comperimus. Nobis nota eſt quædam magiſterii ſpecies; at quia obſcura eſt nimis, difficilis, & paratu difficillima, neque eſt ut omnibus tutò concredatur, ſatius ab ea deſiſtendum exiſtimavimus.

(c) *Aurum fulminans* magiſterium auri eſt, ſolutione & præcipitatione peractum, potentiſſime etiam in minore quantitate fulminat; quæ virtus deducenda à particulis nitroſis auri poris inſinuatis, quæ dum inceduntur, & eluctuari ob firmiſſimam auri compagem nequeunt, exitum quærunt & fulminant. Fulminans vis fortior eſt, ſi aqua regis cum ſale ammoniaco parata fuerit: alvum laxat, maximè, ſi non rite fuerit dulcoratum, tenacem pituitam inteſtinalem incidit, hinc ad tormina & epilepſiam infantum commendatur. Si ſale volatili ammoniaci præcipitatio facta fuerit, præcipitatum ſubtilius & magis diaphoreticum emergit.

Magiſterium Gemmarum, & Perlarum.

GEmmæ, inquit Parac. ſunt prius terendæ, & calcinandæ per reverberatorium, cum æquali pondere ſalis nitri, & tamdiu, donec nulla materia ſuperflua ſit reperta. Poſt ablutionem iterum calcinentur, & per omnia fac ut priùs, & totum in vinum ardens tranſit. Hoc per ebullitionem evaporare ſinito, & ſic habebis alcali, quod reſolutum in aquam ſervato. Gemmas cum floribus ſulphuris calcinant nonnulli: Nos per ſe ignitas in frigidam injicimus, terque hoc repetimus, & eæ in tenuem pulverem facillimè abeunt, quæ poſtea proprio diſſolvente in perfectum magiſterium reducuntur. Uniones citra calcinationem, ut & coralla, cum aceto, vel alio liquore acido deſtillato facillimè ſolvuntur. Repercuſſio, quæ fit cum oleo tartari, nobis minimè arridet, eo quòd tartari ſpiritus unionum ſali adeò arctè cohæret, ut ſeorſum ſeparari haud facilè ſit, ablutionibus quamvis pluries repetitis. Propterea hîc notandum venit, Paracel. verba

 ad

ad unguem non eſſe ſervanda, non quòd probè non nôrit quæ dixerit, ſed quòd id ſtudio ab eo factum ſit, ut ſuprà notavimus: ſiquidem in Chymicis præparationibus peritiſſimus, & ſolertiſſimus fuit, adeò, ut ipſi ſimilem reperiri neminem poſſe credam, quod omnes etiam inviti unico ore fatentur.

De Cliſſo.

CLiſſus, compoſitum quid ex ſupradictis præparationibus, longâ non eget explicatione: eſt enim Cliſſus, unio quædam omnium virtutum cujuſlibet plantæ, in tribus primis ſubſtantiis exiſtentium, ſulphure, ſale, & mercurio, ex ſingulis plantarum partibus eductis: ut ſi ex radicibus ſeorſum iſthæc tria educantur; ex foliis itidem, floribus, fructibus, & ſeminibus: poſtea invicem miſceantur, & probè uniantur. Oleum ſali primò miſcebitur, ad lentum ignem, levi agitatione factâ, aqua ultimò ſuperadditur. Aquam hîc intelligimus, ſpiritualem illum liquorem aquæ vitæ ſimilem, qui propriè Mercurius dicitur, elixir, & quinta eſſentia, de cujus præparandi methodo ſuprà de aquis parandis nonnihil diximus. Si adſit multum humiditatis per reiteratas cohobationes, vaſorum orificiis ad id probè obturatis, faciilimè invicem miſcentur. Poſſunt in pulverem verti, vel in aliam formam ad libitum tamen ſub extracti forma ritè ſervantur. Eorum uſus, atque magiſteriorum, eſt admodum facilis: dantur diſſoluta in aliquo liquore, vel in boli, vel pilulæ formam. Doſis ſolâ experientiâ cognoſcitur. Tempus quoque ſeligitur à Medico, pro natura morbi, ægri conditione, & tempeſtatis ratione.

SECTIO DECIMA.

(a) *De Quinta eſſentia.*

QUinta eſſentia adhuc multos latet, an ſit, & quid ſit: & eâ conceſsâ, an à rebus ſegregari poſſit, necne. Eam non eſſe, contendunt Philoſophi, & medici haud pauci: derident ſpecioſa vocabula, quibus illa exornatur, utpote Cœlum Philoſophorum, ignem cœleſtem, ſpiritum, & calorem inſitum, humidum primigenium, balſamum, mumiam, lapidem azoot, mercurium, elixir, aurum potabile, rorem cœleſtem, univerſale diſſolvens, materiam primam, &c. Quæ quidem vocabula perobſcura ſunt, his maximè qui artem non callent. At hi in varias opiniones abeunt. Qui namque nullam aliam formam, niſi temperamentum agnoſcunt, magno ſibilo eam à ſcholis penitus explodunt. Qui verò præter elementa, aliquid divinius in mixtis reperiri fatentur, formam videlicet à temperamento diverſam, ut quæ ſubſtantia, illud verò accidens, cujus medio nihil poteſt ſubſiſtere; hanc tamen à materia inſeparabilem dixerunt. Sunt præterea hujuſce ſententiæ variæ opiniones: nam quidam volunt in mixtis elementa actu remanere, alii virtute; nonnulli pluralitatem formarum, alii unicam tantùm formam ponunt. Cæterùm aliqui pluralitatem, aliqui corporeitatis formam tantùm, alii tot formas, quot prædicata eſſentialia: tandem quot capita, tot ſententiæ. Hiſce ambagibus irretiti Academici, rerum caducarum opinionem ſolùm haberi, ſcientiam verò non, conſtanter aſſerebant; nec immerito Socrates hiſce rerum difficultatibus ad amuſſim excuſſis, eò tandem devenit, ut ſe nihil ſcire fateretur; & nî fallor, adeò eſt hebes, & obtuſus humanus intellectus, ut quotieſcunque extra ſe excurrit, & ab ignobilibus, & corruptibilibus, & incertis nobiliſſimam, & incorruptibilem, & certiſſimam ſcientiam colligere ſtudet, toto cœlo oberrans, à veri cognitione penitus excidat. Medicus, qui eſt artifex ſenſatus, ſolo experientiæ criterio res ponderat, examinat, probat, & reprobat; quod quidem agendo, non rationem ſpernit, ut temerè Empirici, ſed eam tanquam judicem in omnibus advocat, quâ perbellè ſuffultus, audet tot facultatum, & virtutum rei uniuscujuſque peculiares ſedes, & loca, quibus potiſſimùm inſunt, ſcrutari; eaſque in medium protrahere. Cùm autem rerum facultates & vires, quas ſpecificas & occultas nuncupant, plus uni, quam alteri parti inhærere videantur, ea pars à toto mixto ſegregata, eſſentia quinta dicitur, quâ appellatione tam ſal, quàm ſulphur, & Mercurius, eſſentia quinta vocantur. An hæc vis & energia à temperamento, vel à forma, vel à materia emergat, Medici non eſt ultrà contemplari: nam in medendo, rerum actiones, & affectus obſervat, non ejuſmodi effectuum, & actionum cauſas. Quod ſi quis à nobis id enixè flagitat, dicimus, tales vires, neque à materia, neque à temperamento progredi; ea quandoquidem ad agendum ſint in efficacia: nam temperamentum accidens eſt, & penitus immobile; materia cùm pura ſit potentia, actio verò & motus ab eo quod actu eſt, emânet tantùm, ridiculum eſt, ipſi velle actionem tribuere. Formam in plantis avulſis, & emortuis periſſe, partim ſibi, partim verò non, nobis enim non, imò vivere tunc incipere: nam finis cui deſtinatæ ſunt, dum vivunt, nullus eſt, incipit verò eſſe, cùm nobis in uſum veniunt. Forma verò rei ab actione cognoſcitur, & actionis ejuſmodi rerum perfectio, finis eſt. Itaque cùm viventi corpori præbere auxilium, mederi, & afferre commodum, in divina mente ſtatutum eſſet, peropportunum erat, materiam ad id ſenſibilem, & viventem decernere. Facta eſt igitur vita plantarum rerumque omnium, quæ

quæ in hominum uſum cedunt, tam in alimoniam, quàm in Medicinam, corporea, & ſenſibilis, quæ cùm huic magis quàm illi materiæ hæreat, eaque delectetur, atque ſub tali veſte nobis appareat, mirum non eſt, ſi à reliquo inutili, craſſo, & emortuo ſegregare poſſimus, & hanc materiam, quartam, vel quintam eſſentiam appellemus; de quo nomine parùm intereſt, non enim de nominibus Medicus multùm debet eſſe ſolicitus, verùm magis de rebus ipſis. Ex præmiſſis patet, Quintam eſſentiam eſſe rerum vitam corpoream, & ſenſibilem, non vitam quidem, quâ vivunt ſibi, ſed eam, cujus cauſâ nobis vivunt; quæ opinio nedum Hermeticorum propria eſt, verùm & Platonicorum. Item ſi Peripateticorum principem ritè examinemus, ejuſque mentem exactè perpendere velimus, non eum ab hac opinione longè diverſum comperiemus. At hæc contemplatio hujus non eſt loci, ideò manum à tabula.

Eſſentia quinta quid.

Præparatio ſive extractio Quintæ eſſentiæ multiplex eſt, pro varietate rerum, ex quibus educitur: nam alio modo ex plantis, alio ex animalibus, & alio ex mineralibus, ſub quibus complectimur metalla. Vitam, ſeu Quintam eſſentiam metalla in calore potiſſimùm continent; Animalia in ſapore, & odore; Plantæ in odore, ſapore, colore, & tincturâ. Ex quibus manifeſtè liquet; in præmiſſis præparationibus quodammodo edocuiſſe methodum extrahendi Quintas eſſentias plantarum, quanquam adhuc ſecretior, & nobilior deſideretur. Ex animalibus, non ita apertè; at qui in ſupra notatis ſe aliquandiu exercuerit, illi perfacile erit veram methodum invenire. Ex metallis, res eſt admodum ardua, & unumquodque metallum peculiarem methodum requirit, uti in progreſſu latiùs patebit. Non me latet interea erronea aliquot novorum dogmatizantium opinio, quâ putant rerum omnium vitam eſſe ſenſibilem, eamque perpetuam, & cùm plantæ, & aliâ vitâ donata exſiccantur, & viſibili vitâ privantur, non propterea eandem vitam perire, imò in arido, & exſucco corpore ſervari; ſenſibilem quidem, licet non viſibilem: artis tamen beneficio viſibilem rurſum fieri. Sed ne ultrà cum his in ampliſſimos gurgites, & profundiſſimas voragines excurrat ſermo noſter ad earum præparationem tutiſſimum portum appellamus.

Theoph. P. in archidoxis, & alibi. Quercet. in Apolog. & in tetrade.

Quintæ eſſentiæ herbarum extractio.

A Pluribus variè traditur iſthæc quintæ eſſentiæ extractio. Quidam intra menſes; alii intra dies & ſeptimanas; alii intra diem; & nonnulli intra horulam, imò & intra quadrantem. Nos non ex omnibus eodem modo, nec eodem tempore fieri poſſe aſſerimus. Quædam in ſuperficie, quædam in centro conſident; alia poſtmodum ſunt tenuia, alia denſa, & compacta. Quod ſit verò diſſolvens aliquod univerſale, planè ignoro, & vereor, ne cum famoſo lapide Philoſophico æquali pede incedat. Ampulloſi illi jactatores eâdem fronte utrumque pollicentur. Diverſa igitur, pro re nata, ſunt habenda diſſolventium genera, ſulphurea, & aquea; & hæc contraria materiæ, ex qua ipſa ſit extrahenda: & hoc ut diſſolvens in totum à quinta eſſentia recedat, herbas hunc in modum paramus. Accipimus ſufficientem quantitatem ſiccæ, vel virentis herbæ: virentem contundimus, cui ſi non ſatis ſucculenta ſit, aquam ab ipſamet planta diſtillatam adde, atque tum per menſem in fimo equino reconde. Succo prælo fortiter expreſſo, iterum novas herbas infundimus, totidemque diebus ſub fimo detento, ſecundâ vice exprimitur ſuccus; quem per balneum Mariæ exſtillamus, ſucco ipſo priùs à craſſioribus fæcibus defæcato. Spiritualis, & mercurialis aqua ſeorſum ſervetur, & ſuccus vel extractum colore proprio imbutus, itidem ſeorſum. Ex ſiccis cum aliquo liquore, vel propriâ aquâ, vel ſpiritu vini, vel quovis aliquo liquore, quintam eſſentiam extrahimus, fermentatione, & putrefactione breviori, vel longiori ſervatâ, prout poſtulat neceſſitas, & rei natura. Si in ſpirituali & ætherea illa aqua ſiccam plantam iterum infundas, elicies veram quintam eſſentiam, odore, ſapore, & colore plantæ præditam. Ex omnibus plantis, fructibus, ſeminibus, floribus, hac viâ Quinta eſſentia elicitur. Mineralium, & metallorum præparationes alio in loco tractandas ſuſcepimus. Qui de Quinta eſſentia plura deſiderat, Theoph. Parac. *Archidoxa* conſulat. Nec te deterreat ejus dicendi obſcuritas, neque cum quodam temerario archichymico garrulo, tanti viri peritiam obſcurare contendas, quin magis ſolertiam, & induſtriam in ſecretioribus medicaminibus parandis mirare; aperit enim januam bonis, & eandem pravis occludit: Non omnibus datum eſt adire Corinthum, his ſolùm, quos æquus amavit Jupiter, & evexit ad æthera virtus.

Quinta eſſentia herbarum extractio.

Lapidum, & gemmarum quoque quintam eſſentiam parandi formulas, eundem in locum diſtulimus. Uſus, & vires probum artificem non latent, & qui noverit earum extractionem, earum vim, & efficaciam haud ignorabit. Interea non eſt magnopere laborandum de artificio illo, quo putant eſſentiam quintam intra quadrantem elici poſſe, multa hujuſce farinæ circumferentur, quæ nullius ſunt frugi.

Oleum camphoræ cum aqua forti factum, à Thuniſerio traditum, nihil commune habet cum quintæ eſſentiæ extractione, ſed hæc cum ipſius aſtrologicis experimentis, ſeu potiùs magis, reponenda cenſeo. Hîc pro coronide placet verba ſummi, & maximi illius Chymici Germani recenſere, ut quid verè ſit rerum eſſentia, cuilibet innoteſcat.

Lib. 3. de Vita longa.

SUprà, ubi eſſentia herbarum memini, nihil aliud eſſe niſi vinum, oſtendi: id quod ſic accipias oportet. Spiritus vini à ſubſtantia ejuſdem prodit, nam hujus ſubjectum exiſtit vinum, ſicut marrubium proprii ac nativi vini; & ſicut Perſicaria ℔. j. ℥. ij. *emittit, ſic vini* ℔. j. *plus* ℥. j. *non capit. &c.*

NOTÆ

NOTÆ
in SECTIONEM X.

(*a*) *De quinta eſſentia.* Diu in Chymicorum ſcholis invaluit ille error, dari panaceas, & univerſalia remedia ſumme activa, quæ etiam ex omnibus corporibus tam vegetabilium, quàm mineralium elaborari queant. Dicent enim arbitror, ſicut ſane dicunt, omne corpus ſuſcipere ſpiritum quendam, quem appellarunt balſamum, cœlum Philoſophorum, ignem cœleſtem, &c. qui ſi à materiali principio liberatus fuerit, magnis viribus præditus credebatur. Statuebant nimirum materiam, ex quâ omnia corpora conſtant, eſſe ens iners, paſſivum, & languidum, & formam, quæ actuat & movet materiam, eſſe ſpiritum cœleſtis proſapiæ. Hunc deſiderabant inter medicamenta ſua, & varias operationes inſtituebant ad illum capiendum; verum ſemper fruſtra laborarunt, nam illorum panaceæ nil niſi commenta & figmenta ſunt, quæ inflant quidem hominum ſpem, poſtea autem deſtituunt, & fruſtra ſpiritum ceu cauſam titulis virium ac promiſſis eorum aptare aniſi ſunt. At verò antiquiſſima eſt opinio de ſpiritibus Herodoti, qui omnes alias pravas ſectas reputabat, præter eam, quæ ſpiritibus omnia tribuit (πνευματικὴν Græci vocant.) Fluxit nimirum hic error, uti etiam alii, ex ignorantiâ veræ Philoſophiæ naturalis in artem chymicam & medicam. Nullus ſpiritus ſingularis præeſt corporibus, ſed omne extenſum à Deo creatum eſt virtute activa & paſſiva ſimul inſtructum. Fluidum autem tenuiſſimum, quod materiæ ſubtilis nomine venit, & ubique diſperſum ac minimorum corporum poros occupat, magnas vires à Deo nactum eſt, movendi & immutandi corpora craſſiora. Sicut itaque omnis corporum, ita & medicamentorum actio dependet à motu materiæ ſubtilis, qui variè modificatur, pro diverſa diſpoſitione & conſtructione materiæ medicaminis, ex ratione figuræ, magnitudinis ac ſitus particularum, ſive uno verbo pro variâ materiæ mechanicâ conſtructione. Quoniam itaque virtus quintarum eſſentiarum falſo veterum fundamento innititur, nolumus hic eſſe longiores, maximè cum nobis in præſentia non ſtatutum ſit, hæc accuratius exquirere.

PETRI POTERII PHARMACOPOEÆ SPAGYRICÆ LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De ſecretioribus Mineralium præparationibus, & uſu, complectens terras, varias ſalium ſpecies, bitumina, mineralia, & lapides.

In præcedenti libro, medicamentorum, tam vegetabilium, quàm animalium præparationes, eas præſertim, quas frequenter in uſum adducimus, breviter & laconicè abſolvimus; interea non omiſi aliquot præparationes mineralium, etſi eaſdem fuſiori ſermone in ſequentem librum diſtulerim. Etenim mineralium præparationes arduæ ſunt nimis; & à præmiſſis toto genere diverſæ. In his peragendis multorum opinionem non ſequor, qui aliorum ſcriptis perpetuò hærentes, conváſatores, (ut ajunt) & nudi tranſcriptores mihi videntur. Quæ manus noſtræ tractaverunt, & quæ oculi noſtri viderunt, in medium proponimus. Quòd ſi quædam ab aliis tradita nonnunquam affero, ſcias velim, me iſthæc haud ſemel proprio labore expertum fuiſſe. Multa impoſſibilia, incomperta, à multis tamen vera habita, examinanda minimè ſuſcepi, ut qui rixas, & lites ex aliorum commentis componere minimè ſtatuerim. Hæc verò ſcabra, ſtylove haud ſatis terſo ſcripta, obſcura, & auribus tuis nimis aſpera fore minimè diffido; at naturæ rei partim tribuas, nobis etiam, cui, ut cunctis, inſitum eſt errare: poſtmodum non decet caſtam virginem, (veritatem ſupple) fuco &, mangonio deturpare. Nonnunquam ſi majores noſtros in dicendi genere æmulari videar, id nobis eſſe condonandum arbitror, ii enim naturæ arcana haud omnibus nota eſſe voluerunt, ſed eadem ſæpè ex induſtria occultârunt, ſolis filiis artis, Jatrochymicis videlicet, ea bona demeritis, per ænigmata ipſa concredentes. Nunc verò arte propagatâ, & filiorum multitudine auctâ, nec non miſochymicorum grege dilapſo, & vehementer diruto, non eam veterum ſeveritatem, ſed mediam quandam viam ſervare cogitavimus. Statim in hujus operis limine univerſales illas ſex famatiſſimas præparationes præmittendas duxi, ne ſæpè eadem repetere cogar. Etiam ut tyrones eodem in loco artis principia reperiant, methodum & ordinem ad medicinas particulares diſpoſui. Nec moror,

moror, quid Chryſopœi adverſus nos clamitent: noſtris enim contenti, famatiſſimi ipſorum lapidis acquiſitioni minimè invidemus.

CAPUT II.

(a) De Calcinatione, Præparatione primâ.

Calcinatio quid. Quotuplex.

CAlcinatio eſt foſſilium in calcem reductio, quæ duplex eſt, actualis & potentialis. Actualis ea eſt, quæ fit actuali, validoque igne, & hæc vera calcinatio dicitur. Potentialis, ea quæ potentiali igne fit, ut ſunt aquæ fortes, chryſulcæ Stygiæ regiæ, ſpiritus ſalium, & quotquot extant diſſolventium genera; & hæc potiùs ſolutio eſt; quàm calcinatio, atque inde ea vocatur præcipitatio, cùm poſt ſolutionem exſiccantur, vel cum aqua ſalſa in aqua præcipitantur. Calcinatio propriè dicta, fit vel per ſe, vel cum additione: uti ſtannum, vel aliquod aliud metallum per ſe, (excepto auro) calcinatur, vel cum ſale. Ad calcinationem reducuntur reverberatio, & cœmentatio. Reverberatio ignis eſt repercuſſio in rem jam calcinatam. Cœmentatio eſt quoque ignis repercuſſio, at diverſo modo: hæc enim in aperto, & cum aliis rebus; cujus & compoſitio cœmentum dicitur; illa verò in furno clauſo, & per ſe ſæpiùs fit. Per reverberationem fixæ tincturæ ſub calcis forma latentes manifeſtantur; item calces in vitrum vertuntur, ſalibus aliquot additis vel tartari, vel Kali, vel alterius herbæ. Per cœmentationem mundantur metalla, eaque novam perfectionem nanciſcuntur; item aſpera lenia fiunt, colores eorum exaltantur, & alia.

Reverberatio quid. Cœmentatio.

Ejus facultas.

Vaſa nota ſunt, ignis item notus, nec non ejus materia, furnus quoque cuilibet in chymicis parum verſato maxime innoteſcit.

NOTÆ in CAPUT II.

(a) *De Calcinatione.* Calcinatio, ſublimatio, deſtillatio, fermentatio, liquefactio, ſolutio, præcipitatio, ſolutorum coagulatio, abſolvunt ferè omnes operationes chymicas.

Calcinatio, ſub quâ incinerationem ſimul complectimur, eſt deſtructio nexus & cohæſionis particularum, quibus corpora naturalia conſtant, mediante igne, aëre, vel menſtruo quodam, immutans colorem, ſaporem, & ſubſtantiæ texturam. Vegetabilia igne tam culinari, quam ſolari, qui omnium vehementiſſimus eſt, reducuntur in cineres, ex quibus ſal mediante aqua elici poteſt. Animalia & marina vertuntur in calcem quandoque ſatis urentem acrem: quo ſpectant etiam lapides. Mineralia abeunt vel in calcem; uti antimonium, vitriolum, ſtannum, vel in crocum, qui nihil aliud eſt, quam calx colorata; uti ferri, cupri. Aurum & argentum vehementiſſimo igne propter particularum homogeneitatem ac tenacem contiguitatem in calcem non ſecedunt. Aër vim quoque calcinatoriam habet, partim quod ſalinas ſemper atomos ſecum vehat, partim etiam, quod penetrantem vim ſolventem cuſtodiat, hinc ferro rubiginem, cupro æruginem inducit. Menſtrua tam ſucca, uti ſulphur & mercurius, quàm humida, uti liquores corroſivi, tum per arroſionem, tùm per ſolutionem & ſubſequentem præcipitationem animalia & mineralia in magiſteria, calces & crocos vertunr. Per aquæ vapores oſſa, cornua, ungulæ animalium philoſophicè, uti chymici loquuntur, calcinantur, dum gelatinosâ eorum ſubſtantiâ extracta friabiliora redduntur, ut pulveriſari commode queant. Sic machinam ad inventionem Papini, aſt faciliori & meliori viâ elaboratam, poſſideo, in qua mediante calore in humido per aeris elaſticitatem quadrantis horæ ſpatio oſſa ſolidiſſima, ebur, dentes apri, tam friabilia & mollia conficio, ut inſtar cafei diſcindi poſſint.

Metallis calcinatis ſemper ferè aliquid accreſcit, vel à particulis igneis, vel à menſtruis; uti patet in calcinatione reguli antimonii cum venere, minio, calce vivâ, lateribus coctis & ſimilibus. Etenim flamma eſt motus & reſolutio partium corporis phlogiſto terrearum, quas inſtar menſtrui cum calcinatis intimè quandoque miſcet; unde & pondus & textura ac virtus mutatur. Menſtrua ſolutis ſemper affricant partes quaſdam; hinc ponderoſiora poſt præcipitationem exſurgunt magiſteria.

(b) De Sublimatione, Præparatione ſecundâ.

Sublimatio quid.

SUblimatio, eſt propriè rei mineralis per validum ignem elevatio, in qua corpora craſſa ſubtilia redduntur, corroſiva & acria, evadunt dulcia & benigna; & è contra dulcia & benigna, acria & corroſiva: item ejus medio volatilia fixantur, & corpora purificantur. Fit ſublimatio, aut per ſe, aut cum additione: Per ſe, ut antimonium, ſandaracha, & multa alia; Per additionem, ut in mercurio ſublimando liquet. Adduntur, vel ut faciliùs in ſublime attollantur; vel ut in fundo vaſis craſſior pars remaneat. Vaſa quibus ad eam utimur, ſunt vitrea, vel terrea oblonga, vel ſi curva, ea annectuntur invicem, in modum, ut ab ignis calore ultimum haud incaleſcat. Ad hæc urinalia, matracia, bocciæ, & ſimilia peropportuna ſunt. His aptantur pilea roſtrata, & non roſtrata: Vaſa luto ſapientiæ priùs probè muniuntur. Fit autem ejuſmodi lutum ex Terræ argillaceæ partibus duabus, Fimi equini, parte una, Pulveris teſtarum, parte altera. Vel fit ex Terræ argillaceæ, partibus tribus, Tomenti, vel pilorum barbit. Fimi equini, an. parte una. Fit etiam ex Terræ Valentiæ partibus duabus, Tomenti, vel bombacis parte una, cum aqua miſce. Quibus addunt nonnulli ſcoriam ferri, minium, & alia pro re natâ. Ad ſublimationem reducuntur, exaltio, elevatio, & fixatio: ejus medio res fixantur, & conſtantes fiunt.

(b) *De Sublimatione.* Sublimatio eſt evaporatio ſeu deſtillatio ſicca, mediante ignis vehementiſſimo gradu, vel ſolo, vel alio accedente corpore, ſive ſalino, ſive ſulphureo, evaporationem promovente. Omnia ſalia volatilia animalium, ex vegetabilibus camphora, ex ſalibus ſal ammoniacum, ex mineralibus ſulphur, antimonium, mercurius, ex gummatibus benzoë, ex metallis plumbum, ſolo calore debitè adminiſtrato, ſub formâ florum in altum elevantur. Reliqua per ſe ſublimationi haud parent, niſi horum acceſſu; unde ſal ammoniacum etiam fixiſſima ſecum in ſublime vehere ſolet. Aurum graviſſimum metallorum, ſi prius debite ſolvatur, & cum ſpiritu tartari præcipitetur, ſingulari encheireſi in flores purpureos elevatur.

Variat ignis gradus in ſublimandis rebus pro materiæ mobilitate & fixitate. Sic mercurius dulcis & cinnabaris potentem requirunt, mitiſſimum

ſalia volatilia, camphora, flores benzoës, validiorem ſulphur, ſal ammoniacum. Quæ majore ignis gradu egent, commodiſſimè in crucibulis, vel cucurbitulis vitreis, crucibulo, arena impleto, repoſiti ſublimantur.

(c) De ſolutione, Præparatione tertia.

SOlutio, eſt propria corporum in liquorem reſolutio: quæ duplici modo fit, per ſe; & cum aliquo liquore. Sub primam differentiam Fuſio reduci poteſt, licèt impropriè: Sub ſecundam, multiplices operationes, quæ, ut à brevitate noſtra alienæ, meritò omittuntur. Solutio rurſus, quædam ignis medio fit, quædam citra ejus opem. Ignis hac in re duplex ſubintelligitur, naturalis & intrinſecus, artificialis & extrinſecus; hic naturalem & intrinſecum juvat, atque ad agendum proritat. Solutionis modus unicuique ſatis innoteſcit. Per hanc operationem corporum vincula ſolvuntur, & ad Medicinæ uſum adducuntur, ſolida liquida fiunt; effœta & ſemimortua, rediviva; occulta, manifeſta. Vaſa ad eam neceſſaria, ſunt cucurbitæ, urinalia, bocciæ, pellicani, & alia terrea, vel ex vitro, cum capitello roſtrato, & non roſtrato.

Ignis multiplex.

Proprietas.

(c) *De Solutione.* Solutio dicitur, quando corpora ſolida fluidam naturam aſſumunt, ſive in liquoris poros recipiuntur, mediante certo menſtruo ſeu liquore ſolvente.

Menſtrua primaria ſunt aër, qui particulas ſulphureas, odoriferas ac ſubtiliores in ſinu capit, & ſalia humiditate ſuâ tàm acida, quam alkalina diſſolvit, quæ ſolutio deliquium communiter audit.

Maximè concentrata & à terreo munimento immunia, uti nitrum fixum, ſal quodvis lixivioſum, ſal dictum ammoniacum fixum, ſolutio oculorum cancri, terra foliata tartari, item ſalia ex teſtaceis alkalinis cum menſtruis acidis parata, vitriolum martis cum ſpiritu ſalis vel nitri paratum, butyrum, antimonii ſimiliaque facili negotio ſe ſubmittunt deliquio. Reliquas ſolutionum præcipuas ſpecies abſolvunt menſtrua, quæ pro diverſitate ſolvendorum vel aquea ſunt, vel ſpirituoſa, ſulphurea, acida, alkalina.

Aqua omnis alterius ſubſtantiæ miſtione vacans ex vegetabilibus mucilaginoſas, gummeas, ex animalibus gelatinoſas partes maximè extrahit, & ſalia undiquaque deliteſcentia promptiſſimè imbibit, præterea & terreas, ſulphureas ſalinas ex vegetabilibus diſſolvit partes, nec non ipſas auſteras conſtringentes, uti ſolutiones gallarum, corticum granatorum, foliorum quercus, florum balauſtiorum, & ejuſmodi alia id oſtendunt, quæ cuncta ad mixturam vitrioli atramentoſum colorem recipiunt. Ex adverſo menſtruis aqueis reſiſtunt ſulphur, pinguedines, ac reſinoſæ partes, bitumina, terræ, metalla, mineralia.

Acida menſtrua ſunt vel ſubtiliora, uti ſpiritus vitrioli, veneris ſachari ſaturni, formicarum, ſulphuris, vitrioli volatilis, acetum deſtillatum, item ſpiritus mineralium dulces; vel potentiora & magis corroſiva, uti ſpiritus ſalis, nitri, & vitrioli, vel magis concentrata, uti butyrum antimonii, ſpiritus nitri fumans, aqua regis, oleum vitrioli. Diſſident maximè menſtrua acida ratione effectus. Acetum vini vel ejus ſpiritus aggreditur plumbum, item lapides cancrorum, corallia, quod minus commodè præſtant ſpiritus ſulphuris, vitrioli, aut ſalis. Venus facili negotio diſſolvitur ab aquâ regis vel aquâ forti, ægerrimè à ſpiritu ſalis. Spiritus ſalis martem in vitriolum vertit, minime autem argentum, quod aquâ forti vel ſpiritu nitri ſolvitur.

Spiritus urinoſi volatiles ſpiritui vini magnam potentiam conciliant, intimè concreta reſinoſa difficilioris aliàs ſolutionis, item olea deſtillata diſſolvendi, quod etiam certo reſpectu de ſalibus lixivioſis valet, quæ etiam in mineralium ſulphura peculiare jus ſibi vendicant.

Salia media ſoluta vim quoque menſtrualem varie exercent; Ita ſolutio ſalis communis & tartari, item ſolutio aluminis conjunctim diſſolvunt debita coctione venerem, unde dependet fundamentum dealbationis argenti cum cupro mixti. Eodem menſtruo ex mineris cupreis via humida ſeparatur metallum.

Solutio nitri & ſalis ammoniaci, folia auri, vitrioli ſtannum, tartari jovem & martem, ſalis ammoniaci venerem, vitrioli & nitri lunam, erina auripigmentum, ſolutio terræ foliatæ tartari gummea & reſinoſa corpora facili negotio in poros recipiunt & diſſolvunt.

Spiritus phlegmate ſuo exuti olea deſtillata promte abſorbent & reſinoſa corpora extrahunt, quod etiam præſtant olea deſtillata & certo reſpectu etiam expreſſa, quamvis in minori gradu, quâ de cauſâ balſamum peruvianum ambra ab expreſſis non tangitur. Hoc tamen tenendum, ſpiritum vini rectificatiſſimum cum oleo terebinthinæ ſe non libenter conjungere, neque cum ſanguine humano, neque cum gelatinoſis ac mucilaginoſis his ſubſtantiis. Item olea deſtillata ætherea, opium, extracta vegetabilium, ac gummata minimè penetrare, & ſolutionem vel extractionem in ipſis efficere poſſunt.

(d) De Putrefactione, Præparatione quartâ.

PUtrefactio, nomine & effectu nota eſt: ea præcedentes operationes immediatè ſequitur; corpora ſiquidem ſoluta putrefactionem faciliùs ſubeunt, vel eadem ſolvuntur, ipſis priùs calcinatis, & ſublimatis. Digeſtio, & circulatio, hujus ſunt veluti appendices. Fit autem putrefactio per ſe, & cum aliis, in fimo, vel in balneo maris, vel alio loco calido. Ejus præſtantia, & dignitas non cuivis innoteſcit. Ejus medio purum ab impuro ſegregatur, multa renovantur, & in novam formam adducuntur; ſic per eam multa vitâ exuta revireſcunt; corroſiva quæque acrimoniam deponunt, levia ac dulcia efficiuntur: venenata & efferata cicurantur; colores tranſmutantur, & alia mira præſtat.

Digeſtio. Circulatio.

Præſtantia, & dignitas.

(d) *De Putrefactione.* Putrefactio locum habet in regno animali nec non vegetabili: utpote animalia fermentationi nunquam auſcultant, ſed ſibi relicta, & vita exuta cum graveolente odore, qui individuus putredinis comes eſſe ſolet, in putrilaginem abeunt. Memorabile eſt, vegetabilia humidiora maxime & denſius cumulata, dum putreſcunt, ſenſibilius ſæpe incaleſcere, & odorem etiam ſalis volatilis urinoſi exſpirare.

Putrefactio fit, quando unio corpuſculorum, mixtum conſtituentium, diſſolvitur, maxime ab aere calido & humido, quare omnis putredo texturam corporum deſtruit, ſimulque cum ipſa ſaporem, odorem & virtutem. Quæcunque unionem partium firmant, uti ſunt rigidiora ſalia, acida, humidum abſumunt, uti ſpiritus vini rectificatiſſimus, aeremque arcent, quod fit in vacuo, & non putredinem admittunt, uti ſunt olea deſtillata, ſalia, corpora bituminoſa, ſpiritus vini, à putredine defendunt, & in hoc fundamentum conſiſtit omnis balſamationis corporum.

Effectus putrefactionis in chymicis eſt productio ſalis volatilis. Hinc animalium partes etiam excrementitiæ, uti urina, ſalvia, per putrefactionem copioſius, pejoris tamen odoris, ſuppeditant ſal volatile, quam ſi deſtillentur citra illam. Motu enim validiori inteſtino, qui in putrefactione obſervatur, fixiores corporum partes ſaliuæ volatilis ſpeciem induunt, unde vegetabilia incinerata multum ſalis lixivioſi in ſe habent; putrefacta ſal volatile copioſe promunt. Horum autem caput mortuum vix tantillum ſalis alcaliſati ſuppeditat.

(e) De

(*e*) *De Deſtillatione*, *Præparatione quintâ.*

Aſcenſio, lavatio, fixatio.

DIſtillatio æquè omnibus nota varias ſuſcipit differentias, quæ pariter ſatis communes ſunt. Aſcenſio, lavatio, & fixatio ad eam reducuntur. Ejus utilitas, & neceſſitas cuivis patet. Ejus medio fixantur corpora, variis cohobationibus ad id repetitis; multa item amara dulceſcunt, & dulcia amareſcunt. Vaſa diſtillationi inſervientia, multiplicia ſunt, pro materiæ diſtillandæ natura, & diſtillationis ſpecie, hæc penes artifices facillimè addiſcuntur.

Proprietas.

(*e*) *De deſtillatione.* Deſtillatio evaporatio eſt, hinc quæcunque corpora non habent partes evaporabiles, non bene deſtillantur. E contra quæcunque odorem fortem & exhalationes copioſas emittunt, deſtillationi auſcultant. Pugna eſt inter Eruditos, an dentur aquæ purgantes: Plurimi negant, ex eo, quod purgantium vis reſideat in parte reſinoſa, quæ vero nullo modo aſcendit. At vero certum hoc eſt, non ex omnibus, quæ purgant, poſſe fieri aquas purgantes, cum tamen purgans virtus ſæpius in quibuſdam magis in volatili, quam in fixiori ſubſtantia ſalina acri conſiſtat; hinc illa ipſa deſtillando fundere purgantes aquas non dubitandum. Confirmat id etiam certiſſima omnium judicatrix experientia. Aqua nicotianæ ciet vomitum: aqua hellebori nigri ſedes movet, *vid. Zwölfer. in Pharmacop. p. 26. Item* Borrich. *in apolog. contra Conringium p.* 349. *Mynſichtus* aquam aloëticam: Heurnius, *l.* 1. *method. ad Praxin p.* 39. aquam purgantem ex floribus perſicorum, ſcammonio, turpetho, proponit. Hæfetus *in Hercule Medico l.* 8. *p.* 240. aquam laxativam ex manna cum nitro ana deſtillatam; Freitagius *in errore med. p.* 130. aquam florum iridis purgantem conſignavit.

Quæ deſtillantur ordinarie non tincta ſunt colore quodam, ſed limpida procedunt. Obſervavimus tamen curioſe etiam coloratos liquores per alembicum vel per retortam ductos. Privilegium in hoc ſingulare habent flores chamomillæ, qui oleum præbent ſumme cæruleum, itidem pimpinella, ſanguiſorba, quæ ex cœruleo viridem fundit ſpiritum, quando ſpiritu vini parciori rectificato ſaltim maceratur, facta poſtea deſtillatione. Ex croco flaveſcens quoque liquor prodit, ſi parum aquæ affuſum fuit, ne diffundatur tinctura. In regno minerali ex ſulphure, nec non ex ſcoriis antimonii, mediante ſale ammoniaco & calce vivâ, liquor volatilis, ſulphureus, aurei coloris, prolicitur: eodem modo in ſublimatione ſalis ammoniaci florum cum hæmatite ſpiritus flaveſcens urinoſus viſitur.

Curioſa obſervatio eſt, deſtillari etiam ſpiritus poſſe largiori in copia, nullo ſubdito igne. Miſcuimus aliquando ſpiritum nitri ſatis fortem cum ſpiritu vini rectificatiſſimo. Retortam, cui mixturam committebamus, poſuimus, veſperi in arenam, quo altero mane deſtillatio adornaretur, eo tempore acceſſimus ad ignem ſubminiſtrandum: ecce per noctem ſua ſponte deſtillatus fuit ſpiritus nitri dulcis penetrantis odoris ſulphurei, præſtantiſſimus. Simile obſervavimus, dum oleum vitrioli acerrimum nitro & ſale ammoniaco miſcuimus: item dum aquam fortem amalgamati mercurii & jovis retortæ impoſito infundebamus: illico prodibat ſpiritus ſub flammeo in recipiente vaſe colore. Motu enim & reactione vehementiori intenſè hæc invicem incaleſcunt, quo calore particulæ volatiles avolant & aſcendunt.

Datur etiam adhuc alius minus notus deſtillandi modus beneficio vitri cauſtici intenſiſſimum ignem ſuppeditantis. Quando nimirum retortæ vel phiole vitreæ nigro colore quoad dimidiam partem tinctæ (ut eo melius ſolares radii colligi & uniri queant) immittitur maſtiche, ſuccinum, olibanum &c. & capax recipiens vitrum admovetur, ſic in libero aëre radiis ſolaribus copioſum oleum & ſpiritus elici poteſt.

Poterii Opera.

(*f*) *De Coagulatione*, *Præparatione ſextâ.*

COagulatio omnium poſtrema, nomine etiam notiſſima, frigore fit, & calore. Calore coagulata, fixa permanent: non ita quæ frigore. Ad hanc fermentatio, & fixatio reducuntur, ad quas operationes duplex calor præmeditandus venit, artificialis & naturalis. Artificialis ex variis lignis rebuſque combuſtilibus fit; naturalis etiam multiplex eſt: quæ in ſequentibus, in particulari mineralium præparatione manifeſta reddentur. Ad has ſex præparationum ſpecies univerſales, multæ plures reducuntur, quæ ut notæ, & faciles, explicatione non egent: inſuper manualis operatio longè plura docebit.

Fermentatio. Fixatio. Color duplex.

(*f*) *De Coagulatione.* Quod ſi ad ſpiſſitudinem extracti craſſioris abſtrahendum ſolutum quoddam eſt, in Mariæ balneo id fiat, ut eô aduſtio particularum extracti & empyreuma præcaveatur, quod in extracto aloës, opii aliorumque vegetabilium obſervandum, vel adhuc conſultius ſuper ignem nudum vel arenæ, maxima liquoris portio auferenda. Deinde leniore calore intercedente inſpiſſatio abſolvenda. Obſervationem meretur, extracta quædam, item rob. & ſimilia ad debitum conſiſtentiæ gradum igne nudo vel calore fortiori non redigi poſſe, ſed ſemper fluida remanere, juſtam autem & ſpiſſiorem formam acquirunt, ſi debita prævia coctione: leniſſimo hypocauſti vel fornacis calori per ſufficiens tempus admoventur.

CAPUT III.

(*a*) *De communis terræ proprietatibus.*

IN foſſilium arcanis primùm deducendis, ab his, quæ è variis Terrarum ſpeciebus educuntur, exordiemur, ut quæ nobis magis ſunt obvia, leviorique præparatione egent. Sicque de univerſali terra, cui Plinius *ob ejus eximia merita, maternæ venerationis cognomen indidit, quaſi hominum illa, ut cœlum Dei: quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper: noviſſimè complexa gremio, jam à reliqua natura abdicatos, tum maximè, ut mater operiens; nullo magis ſacramento, quàm quo nos quoque ſacros facit, etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque prorogans noſtrûm, & memoriam extendens contra brevitatem ævi. Cujus numen ultimum jam nullis imprecamur irati grave: tanquam neſciamus hanc eſſe ſolam, quæ nunquam iraſcatur homini. Aquæ ſubeunt in imbres, rigeſcunt in grandines, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes: aër denſatur nubibus; furit procellis. At hæc benigna, mitis, indulgenſque, uſuſque mortalium ſemper ancilla, quæ coacta generat! quæ ſponte fundit! quos odores ſaporeſque, quos ſuccos! quos tactus! quos colores! quàm bona fide creditum redit fœnus! quæ noſtri cauſa alit! Illa medicas fundit herbas, & ſemper homini parturit.* Vis univerſalis ſeminum à primo ævo illi indita fuit, hinc excepta ſemina fovens, ea in ſe convertit, ſibique aſſimilata vitali

Communis terræ laus, & proprietates.

 ſuo

ſuo motu producit: & ultra in ejus viſcera penetrantes, auri & argenti venas, æris, plumbi, ac aliorum metallorum fodimus: gemmas etiam cum aliis quærimus, ſcrobibus in profundum actis: Ab hac tanquam ab uberrimo fonte, naturæ arcana affatim proſiliunt. Non ergo mirum, ſi ab ea exorſi, ejus facultates, & vires apprimè meditemur. Relictâ verò communi terrâ agricolis, medica proſequamur. Eam eſſe frigidam, & ſiccam, communis eſt ſententia. Verùm dum hoc afferunt, terram illam ſimplicem, opinione potiùs, quàm re intelligunt, quæ in centro, aut ſaltem in imis ejus viſceribus reperitur; hæcque verum elementum reputatur. Nos terram nullibi ſimplicem reperiri; ſed undique ſpiritu perfuſam, variiſque rerum ſeminibus, mineralium, metallorum, gemmarum; plantarum, & animalium, plenam, eſſe arbitramur. Ex quacumque terra ſal balſamicum educitur, quod varias obtinet virtutes, pro natura ſoli ex quo educitur: hoc terra orbata, inutilis, infœcunda, & planè evanida, ac iners cenſetur. De hoc ſale balſamico alibi plura dicenda relinquo. Nunc de terris ad noſtri uſum ſpectantibus.

Terræ ſterilitas unde.

NOTÆ

in CAPUT III.

(*a*) *De communis terræ proprietatibus.* Omnes terræ argillaceæ ſpiritum æthereum acidulum continent; unde etiam ſpiritus ſalis & nitri deſtillati cum argilla longe excellentioris in medicina uſus ſunt, quam ſi ſine illa parati fuerint. De ſpiritu ex terra fontana egregia habet *Beccherus ſect. II. c.* 3. 1. 7. Spiritum terræ ſigillatæ acidulum in malignis morbis ad ſudorem eliciendum *Samuel Gloſſæus & Gregor. Horſtius cent. probl. therapeut. decad.* 1. *de febr.* mirificè laudat. Singularem ſpiritum ex argilla flava in Fionia vehiculum omnium bezoardicorum definiunt *acta Hafnienſia obſ. X. An.* 1671. Cæterum nonnullæ terræ & argillæ recondunt quoddam ſal volatile indolis alcalinæ. Sic ego ex terra Hornhuſana olim extraxi genuinum ſal volatile. Spiritum & ſal volatile paratum ex terra Zeilonica vide *in ejus laboratorio p.* 138. *Dominus Bogle de Gemmis p.* 156. *perhibet*, argillam quandam deſtillatam reddidiſſe ſal volatile acre, ob virtutem cardiacam, laxativam & diaphoreticam commendabile. Lapides, ex quibus calx viva ordinarie fit, ſal quoque largiuntur urinoſum.

CAPUT IV.

(*a*) *De variis terrarum ſpeciebus, earumque præparationibus.*

QUanquam extant plures terrarum ſpecies præſtantiſſimis virtutibus donatæ, ut Eretria, Samia, Chia, Selenuſia, Cimolia, Melia, ampelites, ochra, rubrica ſinopica, rubrica fabrilis, & ſimiles, hodie tamen duæ ſpecies tantùm reperiantur in uſu: Bolus, & terra ſigillata. Sub boli nomine, omnem aſtringentem terram rubram, & citrinam vulgus intelligit. Sub eo verò terræ ſigillatæ, omnem terram albam, & cineritiam. Bolus Armenus, qui & Orientalis dicitur, omnium optimus cenſetur. In Europa variis in locis ipſi non valde diſſimilis calore, & virtute reperitur, at quæ è longis terrarum tractibus advehuntur, majoris apud nos habentur ſemper.

Terra quoque ſigillata, quæ nunc ex Conſtantinopoli ad nos defertur, omnium judicio optima habetur, cum Lemnia idem nomen retinens, quamvis hodie ex Inſula Lemno minimè aſportetur; ſed è Conſtanſtantinopoli, ſigillo Turcico inſignita. Prope Turones terram leucophæam valde aſtringentem, Turcicæ perſimilem, & viribus fortè non imparem comperimus. In Allobrogum montibus, in Provincia, & in Gallia Narbonenſi non inferiores vidimus. Quæ ex Melitenſi Inſula tranſportatur, his eſt valde affinis inſignes virtutes obtinens. In multis præterea Italiæ locis optimam inveniri poſſe minimè negamus, uti prope Bononiam obſervare nobis licuit. Qui tandem cunctas regiones luſtraverit, in unaquaque terram aliquam medicatam reperturum minimè diffido. Eſt inſuper alia quædam aſtringentis terræ ſpecies, è meditullio eboris foſſilis educta, cujus vires maximæ & præſtantiſſimæ ſunt, præſertim in venis edomandis: valet & ad ventriculi laxitatem, inteſtinorum, item & alvi.

Terra Conſtantinopolitana pro Lemnia.
Turonenſis terra.
Medicata terræ multiplices.
Eboris foſſilis terra.

Hæmorrhagias ſiſtit, & jecori robur conciliat, refrigerat, & aſtringit, ut terra Turcica. Illuſtriſſimus eques Caſſianus à Puteo, virtute, & moribus inſignis, cui hæc dicata ſunt, maximam ejuſce eboris quantitatem in ædibus ſuis nobis commonſtravit, ex quo (inter alia miracula) lapidem vulgò *Turquina*, Gallis *tourquoiſe*, à ſe paratum, nobis libenter dedit.

Ejus facultas, & vires.

NOTÆ

in CAPUT IV.

(*a*) *De Variis terrarum ſpeciebus &c.* Innumerabiles fere terrarum Medicinalium ſpecies ſunt: ita nonnulli ultra quingentas numerant terrarum ſigillatim ſpecies, colore ipſaque textura variantes; ita variæ dantur lithormargæ, cretæ argillæ, boli, ochræ. Obſervavimus terram Lemniam rubram rubrocrocaceam, ſubluteam, albam ex toto, aliam ex una parte rubram, *Hocrhoth* punctulis cœruleis & albicantibus ſignatam, ex altera parte venis ex rubro atris & cæruleis diſtinctam, aliam colorem Jaſpidis æmulantem, & ramis tranſverſim diſſectam, aliam colorem caſtanearum habentem & nigris diſtinctam coloribus, aliam magis cæruleis ramis divaricatam & viſu perquam jucundam. Quod terras ſigillatas attinet, curioſa eſt Melitenſis alba latitudine digiti unius, ab una parte effigies S. Pauli, tenentis viperam gladio circumvolutam, ab altera figura crucis Melitenſis conſpicitur, in alia hæc verba inſcripta ſunt, *Initium ſapientiæ, timor Domini*; In alia imaginem Chriſti crucifixi adorans; In alia ſpectatur Dianæ antiquum ſigillum, capra nempe, infra quam Luna & Stellæ; Rariſſima varo eſt illa, colore flavo prædita & longitudine digiti, exprimens imaginem D. Mariæ Jeſum infantem in brachiis tenentem: cum inſcriptione antiqua. Dantur inſuper Terræ ſigillatæ, carnei, albi, cineritii, flavi, rubri, hepatici coloris, paſtillorum formam præſe ferentes; In Germania ſunt terra Laubacenſis, cum inſignibus Comitum Solmenſium: Item Stringonienſis, Goldbergenſis, Lemnizenſis, Javverenſis, &c. Præſtantiſſima vero omnium eſt terra ſigillata ſtrigonienſis flava, qua etiam in officinis in uſum vocatur, & habet præ ceteris, quod reniteat uti ſpeculum,

lum, ut etiam faciem intuentis reddat, linguæ impoſita firmiter adhæreat; ori immiſſa diſſiliat, & ictu quaſi tangat dentes, *es ſpringet wider die Zähne*; vitro aqua pleno injecta, fortiter latera vitri concutiat. Eadem hæc flava terra etiam vocari ſolet Axungia ſolis, vel aurum converſum. Datur etiam alba ſtrigonienſium perquam rara, quæ nec ſigillo notatur, nec in uſum vocatur, & creditur ibidem flavam continere aurum, albam vero argentum. Hæc terra difficillimè eruitur & non niſi cultro ex monte vel lapide divulſo erui poteſt, & lapis etiam eſt valdè ſpongioſus, cui hæc terra ſtrigonienſium innaſcitur. In ſuperficie montis illius ſcaturigo aquæ, maximè pellucidæ fuit, quæ tamen ante duos abhinc annos exſtincta eſt ex delapſu rupis ſcaturiginem deſtruentis, ex hoc verò fonte homines tam in vicinia quàm diſſitis etiam locis aquam haurire conſueverunt, & quidem ſecundo ſucceſſu in febribus ardentibus & malignis. Plura qui deſiderat circa naturam & uſum hujus terræ in morbis variis, adeat Joh. Montanum, Strigonienſem. Goldbergenſis etiam datur alba & rubra; Officinalis eſt alba, quæ aquilam habet impreſſam. Rubra vero ſigillo non premitur, hinc nec in Medicum vocatur uſum: Ex hac terra conficiuntur fictilia varia, ſed multum luti intermixtum illis eſſe nota, & hoc ob abundantiam illius, quæ non in fruſtulis uti ſtrigonienſis, ſed maſſis integris haberi poteſt.

Datur inſuper Legnicenſis, quæ tamen ob defectum terræ non amplius ſigillatur, neque in officinis illius loci haberi poteſt, in Bohemiâ plurimæ ſigillantur terræ, interdum etiam ſatis ridiculè ſigillatæ & notatæ, præ cæteris tamen, extollitur ratione virtutis Medicæ terra Brandeiſenſis, in ſudoribus excitandis, loco tribus horis Pragæ diſtante.

Dantur inſuper Turcicæ terræ coloris varii, rubri ſcilicet, incarnati, crocei, albi, rubri ex nigro ſplendentis variæ figuræ & magnitudinis, literis Turcicis inſignitæ: Mirum tamen eſt in Ungaria has terras in pharmacopoliis non haberi, nec in Medicina adhiberi, ſed ſaltim Bohemicas. Viennæ è contra quotidiano in uſu ſunt Terræ Turcicæ, & literis illorum inſignitæ. Reperitur etiam terra aliqua ſigillata propè Altdorffium in crypta nota vulgò *Kreisloh*, meminit verò hujus terræ Caſpar Hoffmannus *in Paralipomenis Officinalibus cap. 25.*

Omnes terræ & boli maximè pinguiores, alexipharmacæ ſunt, & in ſiſtendis fluxionibus ſanguinis & attemperandis humoribus ſalſis eximium uſum habent. Galactites ſive lac lunæ eſt ſpecies margæ ſaxatilis, in fodinis ſuis lactea & butyracea eruitur: Sub dio indureſcit, eaſdem cum terris pinguibus vires habet attemperantes & confringentes. Pertinet ad terrarum claſſem etiam unicornu foſſile, quod revera non minerale quoddam eſt, ſed ſaltim animale, dum nimirum, uti multiplici experimento & ratione confirmatus ſum, oſſa & cornua animalium ſive caſu quodam olim in ſpeluncas vel terræ cavernas arenoſas, ubi aquæ deſtillant, illata fuerint, ſive etiam fraude ab hominibus, qui præſunt iſtis, uti in Baumanniana, Brunſvicenſi fit, ſub terra arenacea condantur, continua evaporatione ſeu deſtillatione ſubterranea molleſcunt & Philoſophice quaſi calcinantur, ſæpiùs magnitudine ipſorum valdè aucta; dum particulæ lapidoſæ fixæ, quas aquæ ex lapidibus abſtergunt ſecumque trahunt, contentæ, ipſorum poris concreſcunt. Ulterius autem quod unicornu animalium progenies ac ſoboles ſit, ex eo colligitur, quod igni injectum, niſi vetuſtum admodum ſit, adhuc ſpiret more animantium odorem volatilem, & nigro colore inficiatur. Adhæreſcit linguæ & bullulas copioſas emittit, ſi in aquam ponatur, quod etiam familiare eſt, aliis Philoſophicè ſic dictis calcinatis oſſibus, unde meritò hæc ſubſtituuntur, eaſdemque vires cum ipſo poſſident.

CAPUT V.

(a) *Præparatio & uſus.*

OMnium præparatio ſimplex eſt admodum: nam vel abluuntur, colantur, ſiccantur, purioreſque redduntur, vel variis cohobationibus, menſtruis ad id appropriatis, in aliam formam reducuntur, & efficaciores fiunt. Per ſe non rarò eas in uſum vocamus, præparatione ad hoc præmiſsâ nullâ. Ad peſtem, venenatoſque morbos terram Turcicam ſic paramus. Accipimus dictam terram aquâ meliſſæ, & boraginis, ſcorzoneræ, vel alterius generis priùs mundatam, & probè exſiccatam; cui ſuperfundimus ſequentis aquæ tantum, ut quatuor digitos ſupereminead. *Præparatio adverſus peſtem.*

♃. Succorum radicum ſcorzoneræ, fol. ulmariæ, (aliàs reginæ pratenſis) rutæ caprariæ, an. ℔. ij. fol. meliſſæ, boraginis, cardui benedicti, an. m. iv. corticum citri, ℔. j. ſem. echii, ʒ. vj. macerentur triduo omnia ſimul, & deſtillentur per balneum maris, maceratio fiat in urinali vitreo, calore fimi equini: Alkali è fæcibus paretur, ut ſuprà diximus, quò dicta aqua virtuoſior, & efficacior reddatur. Tunc dictam terram cum hac aqua in fimo equino per aliquot dies reconde, poſtmodùm aquam per alembicum abſtrahe. Terræ in urinalis fundo relicto iterum deſtillatam aquam reaffunde, parique tempore in fimo relinque, ac demum aquam abſtrahe; hæcque operatio toties reiteretur, quoad terra veluti in liquorem vertatur, qui liquor ab urinali eductus, & ſoli expoſitus exſiccatur, & ad uſum aſſervatur. Uſus ejus eſt cum aliquo liquore convenienti, vel cum aliqua conſerva, electuario, aut opiatâ: Omni tempore à ʒ. ß. ad ℈. j. deſuperbibitur parum aquæ. Supradicta valet ad venenatos morſus animalium, contra peſtem, & febres acutas. *Præſtantia & virtus.*

Bolus Armenus eâdem viâ, eodemque proceſſu cum ſimili liquore paratur, & cum phlegmate vitrioli, & aluminis, maximè ad extrinſecos uſus. Poterimus & aliis facultatibus hac methodo terras, & etiam lapides inſignire. Ejus uſus planè idem eſt cum terra Turcica: extrinſecùs vulneribus cruentis admovetur cum aliquo unguento, vel per ſe, vel cum aliis pulveribus. Cruentis vulneribus commodè ſiccus, & in pulverem verſus admovebatur, pauxillo rhabarbari, thuris, & maſtiches adjecto. *Boli armeni præparatio.* *Facultas & vires.*

Ex vitriolo, aliiſque ſalibus peculiaris quædam terra educitur, cujus vires planè ſunt inſignes. Item ex aliis mineralibus particularis terra habetur.

Sunt inſuper quædam terræ bituminoſæ, quarum uſus in Medicina non eſt ſpernendus. Cæterùm his, quarum uſus non latet, brevitatis cauſâ omiſſis, ad ſalium præparationem deveniendum.

NOTÆ in CAPUT V.

(*a*) *Præparatio & uſus.* Terræ ſi ſordibus & recrementis lapideis adhuc infectæ ſunt, meritò lavandæ & elutriandæ ſunt, vulgò *ausſchvvemmen.* Sunt qui irrorant illas decocto viperarum, cornu cervi, ſcordii, radicis ſcorzoneræ, tormentillæ, & poſtea ſiccant in finem majoris adverſus venenæ virtutis attrahendæ. Alii ad corroborandum imbuunt illas ſæpius rore majali vel etiam ejus ſpiritu: pro adſtrictione fortiori obtinenda ſpiritum ſalis dulcem ipſis infundunt, & poſtmodum redigunt in pulpam per ſe exſiccandam.

CAPUT VI.

(*a*) *De variis ſalium præparationibus, atque de Sale communi.*

TOt tamque diverſæ ſunt ſalium præparationes, quot eorum ſpecies; nam alio modo præparatur ſal communis, alio vitriolum, & ſic de cæteris.

Sal communis, quem & marinum vocant, varias obtinet proprietates, & propterea multiplices præparationes ſubit. Vis refrigerans & acida, ſpiritui ipſius inhærens, valido igne per retortam pellitur: ſubdulcis & excalefaciens, ejus ſubſtantiæ craſſiori connata, blando igne per coctionem emergit. Fit verò ſic:

Spiritus ſalis.

SAle nimirum communi priùs aquâ communi ſoluto, filtrato, coagulato, & decrepitato. Solvitur, atque per filtrum pluries tranſcolatur, ut purior reddatur. Coagulatur, ut ſuperflua humiditas evaneſcat, quam & perfectè abſumit decrepitatio. Is ſic paratus teritur, & duplo arenæ lotæ & ſiccæ, vel pulveris laterum, vel boli armeni commiſcetur: poſtmodum retortæ inditus, valido igne adacto, liquorem fundit acidum, quem ſpiritum vocant, alii oleum, cujus ſapor eſt dulcoacidus. Doſis ejus eſt gutta una, duæ, aut tres ad ſummum, cum juſculo carnis, vino, aquâ diſtillata, vel alio liquore. Movet urinam, extinguit ſitim, hydropicos juvat, & putredini reſiſtit, tophos podagricos cum oleo terebinthinæ diſcutit: cum unguentis mixtus vulneribus putridis medetur. Lapides, corralla, uniones, durioraque corpora ſolvit, ritè præparatus aurum ipſum aperit.

Uſus.

Cryſtalli Balſamici ſalis.

POſt ſpiritus ſupradicti extractionem cryſtallos dulces extrahimus, maſſam in fundo retortæ relictam diſſolvendo cum apto proprioque liquore: diſſolutum in fimo equino per aliquot dies reconditur, & frigido poſtmodum aſſervatum in dulces cryſtallos concreſcit, quos ſi dulciores deſideras, iterum ſolve, & coagula. Vas ad hoc boccia, vel urinale dictum, peropportunum erit. Diſſolvens noſtrum hac in re eſt aqua vitæ, ex uvæ racemis vindemiarum tempore deducta. Omnis etiam aqua vitæ poteſt extrahere ejuſmodi cryſtallos, ſed una alterâ meliùs.

Dicti cryſtalli multiplices habent uſus: ventriculum apprimè excalefaciunt, apepſiæ ſuccurrunt, inappetentiam corrigunt, nauſeam cohibent, & alia pleraque præſtant miranda.

Salis dulcis vires & proprietates.

Eſt & alia ejuſcemodi cryſtallorum parandi via, quam require apud Quercetanum, in ſua *tetrade*, *cap.* 29. ubi plura de ſale marino docet.

Rurſus eſt alia ſalis communis præparatio, quæ verè haloſanthos dici poſſet, licet hac appellatione, ſpuma maris apud antiquos intelligatur. Hæc cùm in noſtram praxim minimè cadat, brevitatis cauſâ à nobis omittitur.

Dos ſalis, & haloſanthos.

NOTÆ in CAPUT VI.

(*a*) *De variis ſalium præparationibus, & ſale communi.* Spiritus ſalis eſt vel ſubtilior ac penetrantior, qui cum bolis deſtillatur, item extempore facilioris deſtillationis qui confit ex ſale marino, vel ſale ammoniaco imbuto oleo vitrioli; Hic enim fumoſus eſſe ſolet; Vel gravior, corroſivior, fixiorque, qui præparatur ex ſalis communis & vitrioli ſive aluminis anatica portione longe majore in copia, quam ſi bolus acceſſerit: hic in re magis metallica & mechanica, ille in re medica uſum habet eximium. Quo ſubtilior ſpiritus hic eſt, eo majorem vim reſolventem & diureticam poſſidet. *Mæbius* Chymiater inſignis adornavit ejus rectificationem in balneo Mariæ ſuper pulverem vitri venetiani, ut refringatur quodammodo ejus corroſivitas, addit deinde doſi refracta ſpiritum ſalis ammoniaci pro virtute inſigniore aperitiva, ipſumque ad gratiam rubro bellidum colore induit, unde nomen nactum tincturæ aperitivæ ad erigendum appetitum, ad reſolutionem ac diureſin promovendam, nec non ad ebullitiones hypochondriacorum calidas compeſcendas mirifice laudatum eſt medicamenrum. Lodov. *in Pharm. p.* 453. exiſtimat, ſpiritum ſalis eſſe aroma Philoſophicum & aroph. *Paracelſi.* Spiritus ſalis cum ſpiritu vini dulcificatus longe tutior eſt uſu interno in medicina, quam ſpiritus ſalis purus. Si ipſi ſpiritus ſalis ammoniaci ad ſaturationis punctum additur, largitur per evaporationem præviam ſal aperitivum inſigne ſtomachicum & antifebrile, quod ſi non ſuperat, ſaltim æquare videtur cryſtallos ſalis dulces à *Celebri Authore* deſcriptos. Spiritus ſalis dulcis egregium menſtruum eſt coralliorum, Obſervavi aliquando eorum ſolutionem cum illo factam, ſucceſſive calore leni evaporatam inſtar arboris cujuſdam Philoſophicæ latera vitri elegantiſſimo ſpectaculo pinxiſſe. Solutio hæc coralliorum eximiam vim aperiendi & diureticam alit, pravorumque ſuccorum correctricem. Spiritus ſalis dulcificatus, ſi dextre paratus fuerit, etiam ſubtiliſſimum auri crocum aggreditur, & ſapore metallico ac colore inde flavo imbuitur, quæ tinctura admirandæ virtutis contra calculum, & renes purgandos creditur, alvum laxat, & feces quandoque nigredine tingit: confert maximè ſubjectis pituitoſis.

Sal commune in perfectum ſal alcali convertitur, ſi ejus partes tres colliqueſcant cum parte una antimonii, addito carbonum pulvere. Lixivium, ſi aqua affunditur, emergit ſulphureum, cui inſtillatus ſpiritus acidus in fundum dejicit antimonii ſulphur. Curioſa obſervatione dignum eſt, ſal culinare deſtrui poſſe, & in terram inſipidam converti, modo ſolvatur aqua & evaporetur: deinde aliquot horarum ſpatio igne aperto exuratur; quæ ſolutio, filtratio, evaporatio, exuſtio repetitis aliquot vicibus fiat, ſic in limum vel terram puram, omni ſale privatam quæ in filtro remanet, tranſit.

Mercurius ſublimatus vel etiam ſpiritus ſalis

com-

communis remixtus cum lapide calaminari vel auripigmento fortiſſimum ſpiritum fumantem, qui ob craſſitiem oleum ſalis vocatur, & metallis ſolvendis aliiſque uſibus chymicis inſervit, conſtituit. Experimentum curioſum eſt, aquam ſale communi ſaturatam minime conglaciari, maximum autem frigus aquæ & glaciei conciliare, ita, ut ſal vel ejus ſolutio addita nivi, in momento aquam ſubjacentem vel circumfuſam etiam in calido hypocauſto permutet in glaciem. Notabile porro eſt, ſalinas, quæ ſale perpauco imbutæ ſunt, concentrari poſſe frigore, dum aqua copioſa in glaciem vertitur, & ſalina ſubſtantia affectat fundum, quod arcanum ſibi commendatum habeant, qui ſalinas non adeo ſale valentes poſſident.

CAPUT VII.

(a) De Sale Nitro.

SAl nitrum, vulgò ſal petræ dictus; non ſemper æquales obtinet virtutes, ob varietatem locorum, in quibus naſcitur. Qui ſpontè è terra erumpit; atque citra artificis opem habetur, de natura ſalis armoniaci participat. Is copioſè colligi poteſt in pluribus locis agri Bononienſis, ubi nunc commoramur, & maximè in montibus ad meridiem expoſitis. Sic in communi, vulgò *monte Paderna*, dum per otia illic diverſaremur, haud exiguam quantitatem reperimus; quo loco marcaſita alba, & citrina, cum lapidibus quibuſdam adhuc incognitis, virtutibus tamen præſtantiſſimis, de quibus paulò inferiùs dicendum diſtulimus, copioſè reperitur. Qui artificiosè è terra educitur, atque ex muris, & antiquis ruderibus colligitur, nihil quicquam de ſalis armoniaci natura participat. Ex utroque ſpiritus educitur valde acer & mordax, baſis aquarum fortium, quibus aurifabri utuntur, in auri, & argenti ſeparatione. Fit verò ejuſmodi ſpiritus eodem modo, quo ſpiritus ſalis communis. Is vehementiſſimus eſt, continuò in auras ſpirans, cujus vapor per ambientem aërem frigidum & humidum denſatur, & in aquam vertitur, ſicque aqua pondere, & mole augetur. Eſt etiam ejuſmodi vapor totus igneus, metalla, & corpora quæque dura penetrans, vim habens eadem calcinandi, quæ calcinatio communiter præcipitatio dicitur. Figitur ſal nitrum per validum ignem, fixum ſolvitur, ſolutum iterum figitur, quod ter, & quater reiteratur. Ex dicto fixo cryſtalli dulces eliciuntur, prout de ſale communi dictum eſt.

Aquarum ſtygiarum baſis. *Spiritus ſalis nitri.* *Aqua, ſeu ſpiritus aëre actus.* *Salis nitri fixatio.*

Sal prunellæ, qui ex eo conficitur, nunc admodum vulgaris eſt; fitque ipſum in crucibulo fundendo, atque ipſi flores ſulphuris injiciendo, hocque toties reiteratur, quoad probè repurgetur, ſalque cryſtallinus evadat. Uſus hujuſce ſalis prunellæ, eſt in febribus ardentiſſimis, quas Hungaricas nuncupant, & cauſodes: Gravis eſt tamen ventriculo, & nauſeantibus propterea minimè dandum eſt. Mirum eſt, quomodo aquæ injectus eam tantopere refrigeret. Ex eo fit lapis ad hunc effectum, qui aquâ minimè ſolvitur.

Dulces cryſtalli nitri. *Salis prunellæ præparatio.* *Ejus uſus.* *Lapis ex ſale nitro.*

Summa hujus ſalis præparatio in concoctione conſiſtit, cujus beneficio vires admirandas ſuſcepit. Jungitur & aliis corporibus, ex quibus vires elicit, eaſque exaltat, & præſtantiores reddit.

Quidam Chryſopœi, famoſiſſimi lapidis phyſici materiam in eo conſiſtere comminiſcuntur: hinc triplicem habere naturam, vegetabilem, animalem, & mineralem. Nos in eo vires, & effectus admirabiles latere agnovimus, quos hîc ultrà proſequi præſens excedit inſtitutum. Qui de eo plura deſiderat, legat Quercetanum in ſuo *de medicam. priſc. philoſoph.* item Penotum in ſuo *de chymicis præparationibus.*

NOTÆ

in CAPUT VII.

(a) *De ſale nitri.* Nitrum quod ex India afferrur, præſtantiſſimum judicatur propter efficaciſſimum pulverem pyrium, quem conſtituit.

Spiritus nitri facili parabilis, famoſus, ac penetrans faltim per arenam in retorta conficitur, ſi oleum vitrioli affundatur nitro: Sal enim potentius vitrioli aggreditur terram nitri, & ſic ex hoſpitio ſuo dejicit ſpiritum acidum: quod relinquitur in retorta per crebriorem ſolutionem, tranſit in ſal figuræ octangularis, arcano duplicato ſeu ſali polychreſto non abſimile.

Notiſſima res eſt, nitrum in crucibulo etiam fortiſſimo igne non fluere, aſt quando immediate vel pulvis carbonum vel ſulphur adjicitur, inflammari & alcaliſari: Sic lapis prunellæ alcali naturam quodammodo redolet, quoniam cum ſpiritu vitrioli ebullitionem concitat cum tetro aquæ fortis odore. Quod ſi autem nitro limatura veneris, jovis additur, & ignis fortiſſimus detur in crucibulo etiamſi clauſo, cui ſaltim relictum in ſuperiori parte foramen eſt, flammam concipit; in argumentum clariſſimum, metalla hæc ſulphur quoddam recondere.

Habet nitrum admirabilem uſum in arte docimaſtica, ipſaque medicina. Separat omnia metalla; excepta luna, ab auro prius cum antimonio mixto, utpote illa in calcem redigit.

Non ignotum quoque eſt, per antimonium mire purificari & colore aurum exaltari, ſi cum ipſo fundatur. Fundum nimirum petit ipſum, cum regulo antimonii, qui alias ſecundum ordinem fortiſſimo follium igne in auras diſſipandus eſt, aliquot ad minimum horis. Per compendium vero ſicque melius partes antimoniales ab auro ſecernit nitrum, modo maſſæ in fluore exiſtenti partes ejus tres adjiciantur; ita aurum pulcherrimum ſplendore & puriſſimum protinus evadit, quod artificium lucri & compendii cauſa magni æſtimant Aurifabri. Notum porro eſt; quantum olei & operæ conſumant docimaſtæ in ſeparatione ſtanni ab auro: hoc vero obtinetur mediante nitro & ſulphure. Cum auro diutius calcinatum nitrum rubicundum colorem extrahit.

Nitrum ſaltim purificatum nullo alio corpore vel ſale tactum nec ignem paſſum, medicina præſtantiſſima eſt, quâ vix par datur in naturæ regnis: Anodynum eſt, ſomnum conciliat, ardores & inflammationes extinguit, ſitem ſedat, ſudorem movet, delirium diſſipat; Cauſa eſt, quoniam ſanguini & humoribus fluiditatem conciliat, & acredinem ſalium lenit ac mulcet. Nam nitri ſolutio, injecta ſanguini craſſo, è vena emiſſo, illum floridum & fluidum efficit, ita ut etiam ad thermometrum loco liquoris diu à corruptione immunis ſervari queat. Nobilius autem ratione virtutis eſt nitrum regeneratum, ex bonæ notæ ſpiritu nitri & ſale tartari paratum, quod actius & magis urinam promoveat, ad ſaturationis punctum permiſcentur, ſolvuntur, & cryſtalliſata præbent ſal pyramidalis figuræ ſumme refrigerans, quod cum terreis abſorbentibus, item cinnabari mixtum polychreſtum conſtituit pulverem etiam in diarrhæis, quæ febribus inflammatoriis junctæ ſunt, non contemnendum, contra vulgarem opinionem id confirmante experientia. Si immittitur aquæ ſimplici cum cornu

cervi

cervi uſto & ſyrupo papaveris rhæados, fit potio refrigerans in æſtu febrium incredibilis virtutis; In malignis & deliriis nitrum cum camphora exhibitum, divinum ferme eſt præſidium. Nitro etiam veteres multum uſi fuerunt. Sic lapidis prunellæ apud *Hyppocratem* quatuor vicibus mentio fit; nimirum *L. 3. de morbis*, bis in libro *de internis affectionibus*, denique *libro* 11. *de morbis mulierum*. Idem lapis etiam *Plinio* notus fuit *vid. l.* 31. *c.* 11. Complectitur particulas quaſdam ſulphureas, ideoque prodit in deſtillatione flammeus. In ſpiritu nitri, ſi ſolvantur cornua vel oſſa, fit rubicundiſſimus, quod neutiquam facit ſpiritus ſalis vel vitrioli, ſpiritus ſalis ammoniaci conjugio vertitur ſpiritus nitri in artificiale nitrum flavi coloris, conſiſtentiæ non adeò firmioris, hoc crucibulo ignito immiſſum luculentiſſimam eructat flammam, qnod vulgari nitro contrarium. Idem illud cum arena in retorta vitrea deſtillatum totum abit in ſpiritum acidum volatilem, quod etiam obſervatur in alio ex ſale fixo regenerato, in documentum, Salia tam fixa quàm volatilia urinoſa acidi ingenium perfacile aſſumere.

Uberrimo proventu nitrum generari poteſt ex terra communi pingui, modo cum ſale communi, calce viva & urina probe imbuatur, liberoque aëri exponatur. Notandum in terris etiam excoctis abundantiſſimè naſci nitrum tempore verno & æſtivo, minimè autumnali & hyberno.

Ex nitro & tartaro, addito ſpiritu vini, deſtillatione igne aperto in retorta tubulata fit ſpiritus anticolicus *Michaëlis* ſummè volatilis ac penetrans. Spiritus nitri dulcis cum ſpiritu tartari & cornu cervi mixtus evadit diaphoreticus, in omnibus morbis, ubi diaphoreſi opus eſt, maximè utilis.

Spiritus nitri dulcis optimè ſic paratur. Sumuntur ſpiritus vini rectificati partes duæ, ſpiritus nitri ſumme depurati pars una, mixta digerantur per aliquot dies, deſtillentur ex retorta vitrea leniſſimo calore, & ſpiritus qui prodit, bis, ſi placet, ſuperfundatur capiti mortuo, repetatur deſtillatio, ut exacta ſpirituum fiat unio. Signum autem optimæ conjunctionis ſpirituum eſt, ſi ſubtilem effervescentiam in prima ſtatim commixtione ſubeunt.

Quod ſi hic ſpiritus affunditur coralliis, exurgit inde tinctura coralliorum flaveſcens, amaricans elegantiſſima, quæ in epilepſia, ſcorbuto, malo hypochondriaco, variolis & aliis ebullitionibus ſanguinis uſu eſt excellentiſſima, & ſi paucæ guttulæ liquoris martis adduntur, rubicunda evadit, & tinctura martis coralliata dici poteſt, quæ in omnibus morbis egregie exerit ſuam efficaciam, ubi exolutum partium robur firmandum eſt.

CAPUT VIII.

(*a*) *De Sale armoniaco.*

SAl armoniacus, ammoniacus, & armeniacus, ſic dictus vel ab Armenia, ex qua ipſe aſportari creditur, vel à Græco *ἄμμος*, id eſt, arena. Qui in Officinis habetur, omnino factitius, & artificialis apparet: nec mirum, ejuſmodi enim ſalem ferè ubique reperiri arbitror. Hîc Bononiæ puteales aquæ ejuſcemodi ſalis haud exiguâ quantitate abundant, quod nuperrimè nôrunt novi quidam Chryſopœi, qui dictas aquas pluries alembico comprobârunt. Verùm quidem ejuſmodi ſal purus, & ſimplex minimè eſt, ſed cum magna portione ſalis marini mixtus. Ejuſmodi ſal radix eſt ſaporis acidi, quo fit, ut denſiſſima, & tenaciſſima corpora diſſolvat. Volatilis eſt admodum, & fugax, mercuriali naturâ præditus. Abundat etiam ſulphure, propterea in propria aqua ipſe ſolutus, in varias formas ſalium mineralium exurgit, cum etiam non paucâ varietate vegetabilium. Hinc conjicere licet, dictum ſalem duplici illâ naturâ eſſe præditum. Qui hanc admirabilem, & ſtuporis plenam ejus naturam intueri vult, ipſum diſſolvat in convenienti liquore, & coctione humiditas ad juſtam quantitatem abſumatur; tum vas calidum in loco frigido collocetur: inibi plures vegetabilium ſpecies inſpecturus eris. Hac præparatione ſal ammoniacus ad perfectam puritatem adducitur. Sic depuratus efficacior, & naturæ magis penetrabilis per ſublimationem redditur, quam peragendo, portio quædam ſpirituum elicitur. Sublimatur per ſe, & cum aliis, nec ejus ſublimationis ratio ab aliis diverſa eſt: citò ſublimatur ob ejus naturam volatilem, per vaſa terrea, & vitrea. Dulcoacidus redditur putrefactione, & coctione, præmiſſis ſolutionibus, filtrationibus, & coagulationibus. *Salis armon. ſublimatio.*

Propter ejus naturam nimis fugacem, ejus fixatio ſummoperè deſideratur; propterea eum ter calcinant cum æquali portione calcis vivæ, quod fit in crucibulo per fortiſſimum ignem, ſingulis vicibus eum diſſolvendo, filtrando, & coagulando: ad unamquamque calcinationem, recentem calcem addere oportet, & hoc toties, quoad ſal armoniacus figatur, & liquabilis reddatur ad inſtar metalli. Figitur & cum aliis corporibus, prout uniuſcujuſque ſententia eſt. *Dulcificatio. Fixatio.*

NOTÆ

in CAPUT VIII.

(*a*) *De ſale ammoniaco.* Salis ammoniaci duæ ſpecies, unum nativum, alterum arte factum. Nativi hiſtoriam deſcribit Plinius *lib.* 31. *cap.* 7. memorans, quod Rex Ptolomæus, cum caſtra faceret, juxta Peluſium ſal invenerit, poſtea vero etiam intra Ægyptum & Arabiam ſqualentibus in locis inveniri certum fit, detractis arenis uſque ad Ammonis jovis oraculum. Ex officinis jam penitus exulat. Copioſe adhuc repeirtur in Ætna, Veſuvii montis confiniis, collibus Leucogris propè Puteolos in Italia videtur progenies ipſius ſulphuris mineralis inflammati & cum terra nitroſa alcalina mixti, utpote notus eſt mihi modus ex ſulphure & tartari ſale, ſi invicem igne miſceantur, parare ſpiritum volatilem urinoſum. Hoc ſal ſive ſulphur Veſuvianum non ſecus ac artificiale ammoniacum cum ſale tartari ſpiritum ſumme urinoſum volatilem largitur. Notabilis hanc in rem eſt locus Caroli Fracaſati *diſſert. de Lingua ad Malpigh. p.* 149. referentis, Philoſophum quendam per agrum Neapolitanum iter facientem ſal ammoniacum reperiſſe, & ad ſereniſſimam Magni Ducis Hetruriæ aulam attuliſſe, ubi ipſo coram præſente inſtitutis experimentis omnibus omnino requiſitis ſatisfecerit.

Sal ammoniacum corpora ferme omnia terrea fixa mineralia & metalla in altum elevat, quâ de cauſa etiam à veteribus dicitur aquila. Præterea & figendi quadam potentia inſtructum eſt. Sic hujus & ſulphuris beneficio mercurius figitur in ſatis fixum igniſque patiens, quod æthiops mineralis dicitur, medicamentum. Hoc liberaliori doſi ſumptum ſolvit lymphæ coagulum, variis in rebellibus morbis, quam promptiſſime. Ex ſale ammoniaco ſulphure, mercurio & ſtanno ſublimatur ſubſtantia ſimilis auro.

Primus, qui ſpiritum ſalis ammoniaci urinoſum invenit, *Glauberus*, quantum mihi de hac re conſtat, eſt. Præparatio exſtat *in furno phil. pag.* 220. ubi etiam mentio reperitur ſalis volatilis S. Spiritus urinoſi ex zinco, lapide calaminari, & ſale ammoniaco parati. Ex duabus partibus ſalis tartari & una ſalis ammoniaci puri mediante ſpiritu vini

non

non rectificato per alembicum ducitur ſpiritus urinoſus ſummè volatilis, qui ex tempore olea deſtillata cujuſcunque generis ſolvit in medicinas præſtantiſſimas, & camphoram, ſuccinum, ambram, myrrham, promptiſſimè imbibit. Spiritus hic vel ſal volatile medicamentorum vim maximè internorum penetrantia ſua adauget, & extractionem in medicinis reſinoſorum corporum promovet. Aloë, ſi in eo ſolvitur, eſſentia evadit perpulchre rubicunda ad menſium ſuppreſſionem utiliſſima: Illud vero memoria tenendum, amaritiem valdè manſuefacere additum alcali. Sal ex capite mortuo ſpiritus quod elicitur, egregium ſtomachicum, aperitivum & antifebrile eſt, & ideò κατ' ἐξοχὴν digeſtivum audit. De hoc ſale memorabile eſt, quod metalla mirum fluidificet, unde etiam inter alia adhibetur ad fluorem, quo mineræ ferreæ, alias difficillimæ fuſionis, emolliuntur atque tractantur. Quod ſi pars una limaturæ ferri vel cupri, duabus ſalis prædicti partibus admiſceatur, in crucibulo prompta fit liquefactio & metalli diſſolutio, ita ut in vitriolum martis vel veneris, facilè deliqueſcens in aëre, abeat, ſaluberrimo uſu mediciuam. Sal hoc aliquando per decem calcinationes, filtrationes, ſolutiones & coagulationes tractatum, pene totum convertebam in terram foliatam, amaro ſalinam; quæ igne fluebat inſtar antimonii ſine fumo: color erat flavus, forſan quia in tigillo ferreo coagulatio inſtituta fuerat: Poſt fluorem in igne Gryſeum accepit colorem, ut hac ratione ſalia reſolvi poſſint in terram igne fluxilem.

Quando ſal ammoniacum cum calce viva deſtillatur, prodit liquor penetrantiſſimus; qui vero non ſub ſalis forma apparet in alembico, fortaſſe quod igneæ & æthereæ in calce viva particulæ ſtabilem illam formam recuſaverint. Neque hic ſpiritus cum ſpiritu vini rectificato mixtus inducit ipſi coagulum. Quod remanet in cucurbita, per elutriationem tranſit in ſal amaricans, quod dicitur ſal ammoniacum fixum, hoc non facilè ſiccatur, ſed aëre humido deliqueſcit: minerarum liquefactionem facilitat, ita, ut ſi in fluore igneo ſtet, lapides injectos prompte colliquefaciat. Mirabile circa ſal hoc eſt, quod ſpiritus vini ſumme dephlegmatus, ſi legitima tractatio fiat ipſum ſolvat, quod aliis contra naturam eſt ſpiritus vini. Spiritus hic inde redditur graviſſimus, ſi accenditur dimidium ſpiritus vini, avolat relicto ſalino liquore pinguiori & denſiori, adeò, ut hoc ſal ſingularem virtutem obtineat ſeparandi adhuc phlegma ex ſpiritu vini rectificatiſſimo. Curioſum eſt, ſpiritum ſalis ammoniaci rubicundum prodire in deſtillatione, quando ſcoriæ antimonii cum parte ana ſalis ammoniaci miſceantur, & deſtillatio ex retorta fiat igne validiori.

CAPUT IX.

(a) *De Alumine.*

Aluminis crudi uſus. Alumin. phlegma, & ejus virtus. Ophthalmiæ remedium. Vlcuſculorum oris remedium. Aluminis dulcedo. Aluminis duplex natura. Alumen calore & frigore denſatur. Dulcedinis præparatio.

Alumen commune multiplices nobis exhibet uſus: crudum ſæpè uſurpamus abſque ulla præparatione, maximè ad oris ulcera, gingivarum laxitatem, & ſimilia. Ex eo paratur aqua per alembicum, vel per retortam, quæ ferè inſipida eſt; dicitur phlegma à nonnullis: pellitur lento igne abſque ferè ullo artificio. Refrigerat, & leviter exſiccat ejuſmodi aqua. Propterea oculorum inflammationes reprimit, fluxiones ſiſtit, valet etiam ad omnem oris calidam intemperiem, uvulæ, amygdalarum, & gingivarum laxitatem reprimit, & linguæ, ac palati ulcuſcula ſanat.

Ad febres ardentes ex alumine remedium præſtantiſſimum paratur, in qua præparatione ejus auſteritas in dulcedinem vertitur. Hujus præparationis ſecretum in putrefactione, & concoctione conſiſtit: in quibus peragendis notandum venit, Alumen duplicem poſſidere ſubſtantiam, unam, quæ frigori expoſita coagulatur, alteram, quæ ſolo calore denſatur, aſtringens eſt admodum, & parum acida; quæ verò frigore coagulatur, acida eſt, & jam dulcedinis particeps. Itaque ad hanc præparationem perficiendam, omnes ejus ſubſtantiæ ſunt primùm in unum ſimul coercendæ, eæquæ firmandæ, ita ut terra ſuam aquam ampliùs non reddat. Fixum aquâ communi diſtillatâ ſolutum, per quindecim dies in fimo equino circulatur; tunc refrigerato vaſe, portio coagulata à diſſoluta ſegregatur, eaque coquitur, quoad alumen totum coaguletur: in quâ operatione purum ab impuro ſemper ſecernendum venit. Coagulatum alumen iterum in pulverem reducitur, idque novâ aquâ diſſolvitur, & in circulatorio vaſe in fimo equino per menſem detinetur. In eo diſſolvenda aqua, veluti lac efficitur, quæ poſtea ſubſidet, eaque lactis ſero ſimilis evadit; quo temporis ſpatio diſſolutio exagitanda venit ſingulis octo diebus. Vaſe refrigerato, portio quædam calore denſata, in vaſis fundo reperitur, quæ nimis adſtringens, & auſtera evadit. Altera pars ſoluta, frigore coagulatur, eaque dulcis & acida efficitur, cum exigua adſtrictione. Non denſantur autem niſi longo temporis intervallo, nam ſingulis ferè octo diebus portiuncula denſatur. Eæ partes quæ ſic frigore coaleſcunt, aquâ ſtillatitiâ iterum ſolvuntur, atque per ſeſquimenſem iterum in eodem vaſe circulatorio ſervantur, & ſic aciditas omnis in dulcorem inſignem vertitur: cujus uſus eſt in ardentibus febribus cum juſculo carnis, ad ℨ. ß. & ℨ. j. Valet etiam in omni intrinſecâ inflammatione. *Aluminis dulcoris uſus.*

Alumin. uſti. Aluminis cocti uſus.

Alumen præterea vulgariter per ſe excoquitur in igne aperto, & vaſe terreo: cujus uſus popularis eſt nimis. Eo utimur frequenter in ſublimationibus, aliiſque Medicorum præſidiis: item in aquis fortibus eliciendis; etenim ſuâ ſiccitate prohibent, ne ſalia fuſa ſuos ſpiritus retineant. Suos etiam ſpiritus acres, & mordaces unà ſimul fundit, quo fit, ut dictæ aquæ fortiores reddantur.

NOTÆ

in CAPUT IX.

(a) *De Alumine.* Elicitur alumen ex terris ut plurimum bituminoſis. Parari & depurari ſolet affuſione urinæ humanæ, unde ſpiritus urinoſus, qui ex alumine leviter uſto vel crudo cum ſale tartari paratur, hujus ſoboles eſt. Quinimo artificiale ammoniacum ex alumine producitur, ſi caput mortuum ſpiritus ſalis cum ipſo miſceatur & deſtilletur: prodit ſpiritus ſalis aluminis acidus & flores ſalis ammoniaci roſtro retortæ adhærent: de quo experimento legi meretur Wedelius *in Catal. Nat. Curioſ.* Ex alumine per ſe ſpiritus difficillime deſtillatur, vaſa enim in deſtillando rumpit, adſtringens quodammodo eſt, ſi rectificatur; & terra quædam in cucurbita remanet.

Alumen, ſi à terra ſua ſtyptica per crebras ſuas ſolutiones & coagulationes cum ſpiritu vini liberatur, dulce, ſenſu medico, dicitur, & efficax eſt remedium in ſiſtendis profluviis ſanguinis, paroxyſmis febrium ſupprimendis, circumſpectè tamen, ut ſemper adhibeatur, neceſſe eſt.

Paratur ex alumine, mediante ſale tartari, ſal quoddam purgans abſterſivum, quod ad drachmam unam datum, feliciſſimos edit effectus in illis perſonis, quæ ſtipatæ ac conſtrictioris alvi ſunt, & incaſſum aliàs tentantur purgantibus.

Confit quoque ex alumine crudo egregium & commodum ſuppoſitorium ſatis efficax, cujus inventionem debemus *Angelo Sala.* Cæterum in laxitate & gangræna gingivarum Scorbutica, uvula laxata, ulceribus malignis, decoctum ex maſtiche, myrrha, floribus roſarum, balauſtiorum, alumine & vino decantatiſſimi effectus exiſtit.

Nihil clarius monſtrat regenerationem ſalium ex aëre, quam alumen, quod in ignem apertum injiciendum & extremo calcinandum eſt, ita ut nullum ſalis veſtigium relinquatur, ſed ſaltim terra ſpongioſa levis, ac prorſus inſipida remaneat. Hæc ſi ponderatur, & aëri committitur per aliquot dies: mox videbimus mirum incrementum, ita ut cum antea drachmam unam ſaltim ponderabat; jam drachmas duas pondetet cum inſigni aluminoſo ſapore, & elapſis aliquot diebus drachmas duas cum ſemiſſe, ita ut magna quantitas ſalis aluminoſi denuò extrahi queat. Quod ſi autem eadem terra aluminoſa, ſale ſuo orbata, in vaſe, ex quo per anthliam omnis aër exhauſtus fuerit, ſervetur, nullum prorſus augmentum ſentitur. Et quamvis materia ætherea in vaſe exhauſto relicta fuerit, inſufficiens tamen, nimisque exigua illius portio eſt ad terram ſale ejuſmodi gravidam reddendam.

CAPUT X.

(*a*) *De Vitriolo.*

Vitriolum ſalis ſpecies. Vitriolum Cyprium & Hungaricum, omnium optimum.

Vitriolum ſalis ſpecies eſt, cujus multa habentur genera, pro diverſitate locorum, ex quibus advehitur. Omnium præſtantiſſimum eſt Cyprium, cærulei coloris. Romanum poſtea ipſi proximè ſuccedit, quamvis Hungaricum præſtantiâ, & excellentiâ nulli cedat. Germanicum, & Anglicum his inferiora jure cenſentur. In agro Lugdunenſi in Gallia, cæruleum, & fortè omnibus præferendum habetur.

Phlegma vitrioli. Ejus uſus.

Parta ex vitriolo medicamenta penè innumera ſunt: ex eo ſiquidem aqua inſipida, ſpiritus, oleum duplex, ſal, balſamus, ſulphur, magiſterium, colchotar, creta, & alia educuntur.

Aqua inſipida, phlegma communiter dicta, ut phlegma aluminis, per retortam elicitur: cujus vires, & facultates à phlegmate aluminis paulùm differunt; etenim ophthalmiæ ſuccurrit, oris ulcuſculis medetur, & fluxiones in fauces irruentes ſiſtit, quarum extrinſecè inflammationi tutò admovetur; pollet enim vi adſtringente, & refrigerante. Spiritus, poſt phlegmatis eductionem, validiori igne adacto pellitur; ob id per retortam commodiſſimè diſtillatio inſtituitur. Oleum rubrum acidum, educto ſpiritu, elicitur recipiente mutato, & igne vehementiſſimo per gradus aucto, ad quod vaſa luto probè munita requiruntur. Utriuſque uſus omnibus maximè innotuit: guttulæ tres, vel quatuor cum aliquo liquore exhibentur. In ardentibus aliquot febribus ſummum eſt ſolatium; in nonnullis eſt dandum. In tartareis viſcidiſque humoribus tutò exhibetur aliud olei genus vitrioli: propriè eſt oleum aquæ innatans, quod verè ſulphur vitrioli dicendum eſt; ad vis ejus non eſt narcotica, verùm potiùs anodyna. Balſamum in *noſtris curationibus* appellatur, eo quòd balſamum noſtrum, ſive radicale humidum inſtauret. Dicitur & arcanum, quòd pauciſſimis innoteſcat. Ejus parandi methodus fit medio aquæ cœleſtis, poſtquàm vitriolum omnem vim narcoticam, omnemque auſteritatem, & aciditatem depoſuerit. Id enim ſic paratum, in dicto diſſolvente fructus maturos, & ſubdulces producit, qui lento igne impulſi liquorem ſuaviſſimum fundunt. Vitriolum ad hoc maximâ cum diligentiâ ſolvendum venit; cavendum etiam, ne ignis violentiâ perdat ſulphur.

Spiritus, & ol. vitrioli uſus & vires.

Oleum Balſamicum vitrioli.

Arcanum vitrioli.

Sal Vitrioli.

Sal Vitrioli ex ejus colchotare educitur cum quovis diſſolvente. Aliam etiam ſalis ſpeciem uſurpant multi pro vomitorio, fitque vitriolo albo pluries repurgato. In Gallia Narbonenſi ruſtici eo frequenter utuntur, ſine Medici conſilio, maximè in pleuritide. Accipiunt verò vitriolum album, uti habetur in officinis, citra ullam præparationem: à quo edocti, planè ignoro. Scio ejus reiterata experimenta, tanti remedii apud eos confirmare uſum. Datur ad ℈. j. Vomitum movet, caput purgat, ſudores, & ſomnum non raiò concitat, vermes enecat, & multis aliis ſuccurrit morbis, jecoris potiſſimùm, & ventriculi.

Vitrioli albi uſus.

Sulphur vitrioli.

Sulphur, quod per ſalem ammoniacum attollitur, fit per vas ſublimatorium, & hoc nonnullis dicitur ſulphur narcoticum: fit eo cocto in vaſe æneo; item & in ferreo. Magiſterium vitrioli, quod & tartarum vitriolatum appellant, fit inſtillando ſenſim oleum acidum vitrioli ſuper ſalem reſoluti tartari. Ea in operatione contemplare duellum utriuſque ſpiritus, quàm citiſſimè ferveant, quem rumorem concitent. Hic videre eſt, quo pacto mixti humores incandeſcant, ratio haud exigua, ut ad febrium cognitionem deveniamus. Quantitas olei vitrioli ſit duplo minor oleo tartari. Humiditas, quæ à coagulato albo ſegregatur, ipſique ſupernatat, blando calore evocatur. Hoc remedii genus vomitum ſæpiùs concitat, alvum ſubducit, urinam movet, & ſudores non raro excitat.

Magiſterium vitrioli.

Colchotar vitrioli.

Colchotar vitrioli, ipſum eſt vitriolum ad rubedinem calcinatum. In chymicis multiplices habet uſus: in Medicina pollet vi adſtringente; propterea hæmorrhagias ſiſtit, fluxiones vulnerum cohibet. Ejus præparatio omnibus nota eſt.

Creta vitrioli, terra, ochra, &c.

Creta Vitrioli, ochra, & terra nihil aliud eſt, quàm fæx ipſius vitrioli à præfatis præparationibus relicta; eſt tamen alia fæx vitrioli, quæ exſurgit poſt repurgationem dicti vitrioli. Quidam putant, hoc eſſe ſulphur narcoticum; ſed errant toto cœlo. Quidam hoc maximè reputant, quod æneo, vel ferreo vaſi hæret.

Sulphur narcoticum.

Tinctura. Acetoſum eſurinum.

Tinctura vitrioli hîc à nobis conſultò omittitur, noſtro balſamico oleo contentis, cujus præparatio longè eſt facilior, & nobilior. Tinctura Chryſopœis expetita ad nos minimè ſpectat, tractant fabrilia fabri.

Acetoſi eſurini parandi methodus.

Ex vitriolo, cum ferro & ære calcinatis, acetoſum eſurinum paramus. Paracelſus id ex ſolo vitriolo Martis, & Veneris parari annuit: at nos tantum laboris ægrè abſolvi

poſſe

poſſe meditantes, ſequentem methodum excogitavimus Quis enim è calcinatis metallis tantum vitrioli extrahere nôrit, ut ex eodem iterum calcinato, tanta dicti liquoris quantitas educatur, quæ pluribus ægris ſufficiat? Accipimus igitur colchotaris, ut ſuprà præparati, ℔. iij. ferri cum ſulphure calcinati, ℔. j. pulverizatis, & ſimul mixtis, vaſique vitreo ampli orificii inditis, tantum aquæ vitæ ſuperfunditur, ut quatuor digitos ſupereminet: vas in fimo equino ad octo dies reponitur; tunc tincta aqua ſenſim in aliud vas effunditur per inclinationem, novaque aqua fæcibus iterum reaffunditur, atque extrahitur: toties ejuſmodi operatio reiteratur, quoad omnis calor, & ſapor educatur. Omnes ejuſmodi aquæ tinctæ, lento igne per alembicum, vel retortam amplam cum ſuo recipiente extillantur: igne ſenſim aucto, & omni aquâ vitæ prolectâ, acidulus ille liquor eſurinus in mutato recipiente pellitur, fitque præſtantiſſimum medicamentum adverſus plures morbos tartareos; unde & lienis, & jecoris pertinaciſſimas obſtructiones reſerat, famelicum reddit ventriculum, eumque roborat, vertigini, & Epilepſiæ non parum confert, multis etiam aliis graviſſimis affectibus medetur, mentium ſuppreſſioni, hydropi, ictero, & aliis. Gutulæ ij. iij. & iv. pro doſi exhibentur, cum juſculo carnis, vino, vel alio liquore.

Acetoſi eſurini parandi methodus.

Præterea vitriolum cum aliis mixtum, varia medicamentorum genera nobis exhibet, quæ ſtudio brevitatis prætterimus: addam tantùm pro coronide, quomodo cum ipſo condenſari poſſit mercurius.

Acetoſi eſurini facultates, & vires nec non ejus uſus.

Compoſita ex vitriolo.

Accipio mercurii crudi, quem vivum appellant, partem unam: Vitrioli cœrulei, quod ad hoc aptum eſt, partes quatuor: Bulliant ſimul in ſ. q. aquæ communis in vaſe terreo, Marte terſo & polito, benigno aſpectu operationem inſpiciente; quo peracto, mercurium elice cum aqua frigida; atque vivum, & nondum coagulatum per alutam à coagulato ſepara: miraberis mercurium auſtero, & immaturo ſpiritu Veneris coagulari, fuſibilemque reddi. Mercurii, & ferri, amalgama, vitrioli medio, alibi reſervamus, & alias præparationes.

Coagulatio mercurii cum vitriolo.

Mercurii & ferri amalgama cum Vitriolo.

NOTÆ

in CAPUT X.

(*a*) *De Vitriolo.* Vitriolum eſt vel martiale, vel venereum, vel utriuſque metalli particeps; venereum cæruleo eleganti colore ſplendet, veluti æs cyprium martiale magis virideſcens eſt, quale obtinetur ex marcaſitis, minerâ martis Haſſiacâ & ex ſpiritu vitrioli, limaturæ martis affuſo; Goſlarienſe ex viridi cæruleum eſt: quoniam & martialis & venereæ naturæ. Meretur attentionem, vitriolum nativum venere infectum, pure martiale reddi poſſe, ſi diſſolutum coquatur cum limatura martis: Hæc enim inſtar magnetis æneas partes attrahit; hinc etiam tali colore in ſuperficie tingitur, ſicque purum à contagio redditur vitriolum. Patet ex eo facile ratio, quare, ſi atramento immittimus cultrum, ipſe venereo colore imbuatur. Conſiſtit etiam in eo fundamentum tranſmutationis ferri in cuprum, ſeu potius præcipitationis cupri in ferrum, quæ perficitur aquis vitriolicis Hungariæ Neuſeulenſibus. Tentavimus in ejus imitationem ſimile experimentum, dum ſolutioni veneris aquâ dilutæ per menſis ſpatium immiſcuimus baculum ferreum; quo elapſo, ille obductus erat cruſta ſeu cortice cupreo ſatis notabili. Sunt etiam, qui magnum lucrum quærunt in debita præcipitatione veneris ex vitriolo vulgari, dum prius illud calcinant, cum calce viva miſcent, & terram vitrioli reducunt in cupreo ferream maſſam. Denique experimentum non vulgare eſt, ex vitriolo vulgari venereæ indolis conficere cæruleum, quod Cyprio quoad omnia proximum eſt, modo veneris ſolutio & tinctura ipſi intime, prævia coctione, miſceatur. Circa ſolutionem vitrioli illud notabile, ipſum à ſpiritu ſalis ammoniaci in ſufficienti copia affuſo non præcipitari, quod familiare eſt aliis vitriolorum ſolutionibus, ſed limpidam permanere, cœruleo colore multum exaltato. Solutio hæc vitrioli aqua ſimplici facta, affuſo ſpiritu ſalis ammoniaci exaltata, per evaporationem non tranſit in ſal cœruleum, ſed viride magma difficulter coagulabile remanet, ſpiritus enim volatilis in auras avolat. Nihilominus pulchre cæruleum ſplendens, dulcis quoddammodo ſaporis ex ſolutione veneris, mediante menſtruo volatili & affuſo alterius ſalis liquore, confici poteſt vitriolum, in Alchymia & medicina non ſpernendum.

Oleum vitrioli, ſpiritus vitrioli concentratus eſt, paratus extremo ignis gradu cum carbonibus; minus autem lignis, quæ gradum ignis debiliorem addunt. Limpidum eſt ſi recens paratum fuerit, facillime autem tincturam recipit, ſi vel tantillum chartæ bibulæ, ſtraminis, aut panni immiſſum ipſi fuerit.

Vitrioli oleum eſt quaſi primogenitum ſal: in ipſo ſolvi poſſunt omnia metalla, etiam argentum, ſed longiore digeſtione & veluti coctione opus eſt. Si phlegmate ſuo privatum & valde concentratum eſt, affuſione aquæ communis, vel etiam glacie injecta, incaleſcit. In aëre humido vitrioli concentratum oleum incrementum capit, non ſecus ac butyrum antimonii. Non ſolum enim ſalia fixa alcalina vehementer calcinata, ſed & concentrata acida deliquium patiuntur.

Quando oleum vitrioli vel ejus ſpiritus miſcetur cum ſpiritu ſalis ammoniaci; efferveſcentia fit frigida, & paratur ex hac mixtura ſal, quod aperiente virtute nobile eſt, inque extrahendis metallorum antimoniique ſalibus ex ipſorum terris & calcibus ſingularem nec minus notam efficaciam ſe cum recondit. Spiritus ſalis ammoniaci junctus oleo vitrioli in ſal neutrum quidem tranſit, aſt non eadem natura ſublimabile, ſed volatile, nam ſub igne relinquit fixum acidum.

Vitriolum præter ſpiritum acidum fixum, etiam volatilem ſulphureum ſummæ penetrantiæ poſſidet; qui obtinetur, quando a phlegmate ſuo liberatur vitriolem, deinde lutatur recipiens, & dato igne ſpiritus in forma nebularum cum liquore prodeant, ſi ceſſat liquor & copia nebularum, deſiſtendum eſt. Ex relicto corpore in retorta oleum fortiſſimo igne elici poteſt, ſi hæc manet integra, alias nihil acquiris. Spiritus hic volatilis longe penetrantior eſt & fugacior ſalino quodam urinoſo, & vix in vitris teneri poteſt, maximè ſi rectificatus ſit, quod peragitur longiſſimo calore in phiolis, ubi clauſuræ admodum tectæ ſunt. Spiritus hic parum acidus ſapore eſt, odore ſulphureus, metalla tamen ſolvit promptiſſime; ſal vertit, ſicuti eſt tartarus vitriolatus, & inſigne augmentum ſali tartareo apponit. Spiritus hic ſummæ eſt efficaciæ, propter penetrantiam ſuam ad diſſolvendas veteres abſtructiones, quæ altius anguſtiſſimis capitis & nervorum tubulis inſident. *Paracelſus* ſpiritum vitrioli volatilem adhibet in mixtura ſimplici, quæ cum tali ſpiritu, & ſpiritu tartari parata potenter ſanguinem movet, obſtructiones capitis in epilepſia tollit, & malignitati reſiſtit.

Veteres crediderunt, vitriolo, ſi volatilis & ſulphurea ejus pars in liquorem reſolvatur, magnam ineſſe vim cephalicam & epilepticam: unde variis modis adornarunt taliſmodi ſpiritus præparationem. *Paracelſus* octies ſuper caput mortuum deſtillat ſpiritum, ultimo addit ſpiritum vini rectificatum. Alii ſpiritum vini ſimplicem maſſæ ex vitriolo Cyprio & ſale ammoniaco affundunt, & deſ-

deſtillant ſpiritum, quem aliquoties cohobant, ut ſic reddatur cephalicus. Nonnulli ex regenerato vitriolo è capite mortuo exiſtente eliciunt. Optimus modus mihi videtur talis eſſe, quando vitrioli libræ tres ſolvuntur in urinæ humanæ libris ſex: mixturam inſpiſſa, & poſtmodum igne aperto deſtilla: Prodeunt ſimul flores, qui in ſpiritu vini ſoluti egregium reſolvens ſunt. Imo hic liquor exterius ad arcendam gangrænam divinum exiſtit præſidium. Alias ex vulgari ſpiritu vitrioli recenter deſtillato per phiolam longioris colli leniſſimo igne evocari poteſt ſpiritus vitrioli volatilis: reliquum committatur retortæ vitreæ, ſic prodit primo phlegma, deinde ſpiritus, poſtea ponderoſum & corroſivum oleum remanet in retorta. Sal vitrioli ex capite mortuo paratum, emeticum eſt, & prout magis vel minus de venere participat, majori vel minori doſi adhibendum: quandoque purgat; Et notabile inprimis eſt, emetica vitriolacea longè celerioris operationis eſſe ipſis antimoniatis. Inſidioſa autem ſunt phthiſicis & debilioribus ſubjectis: è contrario conferunt pituitoſis, & quorum ventriculus ſaburra viſcida repletus eſt: cum nitro præparato ſi miſceatur, conſtituit ſal emetico-diaphoreticum antifebrile *Mœbi*. Parvum vitrioli Cyprii fruſtum ſolutum in aquâ, & matutino tempore epotum, quartanam felici cum ſucceſſu aliquoties propulſavit. De qua virtute etiam videri poteſt Petrus Borellus *obſ.* 77. *cent. IV.*

Ex terrâ vitrioli edulcorata cum ſpiritu ſalis & ſpiritu vini extrahi poteſt tinctura flaveſcens adſtringentis ſaporis; quæ in minori doſi nauſeam, in majori vomitus excitat, quod non contingit, ſi terra hæc purè martialis eſt; & cum ſpiritu vini rectificatiſſimo tinctura confecta fuerit.

Caput mortuum vitrioli bene uſtum omnibus ſtypticis palmam præripit, ſive in formâ ſolidâ vel liquida, addito alumine, oleo vitrioli, & debita quantitate aquæ ſpermatis ranarum, applicetur. Nonnulli vitrioli ſolutionem miſcent cum ſale ammoniaco ſoluto; digeſtioni expoſita mixtura deſtilletur: tum prodit eleganriſſimus ſpiritus aperitivus, qui tamen magis ſalis ammoniaci fœtus, quam vitrioli eſt. Quando terræ vitrioli dulci adjicitur ſal ammoniacum, ſublimatione exurgent flores, qui à *Boyleo* nominantur *ens veneris*, quod ad grana aliquot datum, mirum extollit ad chronicos morbos eradicandos.

Spiritus vitrioli vulgaris non rectificatus de terra vitrioli multum participat, quare tartarus vitriolatus cum tali paratus ſæpenumero nauſeam vel vomitum procreat. Ad oculum patet hæc terra, quando ſpiritus vini commaritatur cum ſpiritu vitrioli, ad deſtillationem ſpiritus vitrioli dulcificati: Remanet magma terreum in retorta.

Acetoſum eſurinum *Celebris Authoris* compendioſe paratur, ſi ſpiritus vitrioli jungatur cum ſpiritu vini, & invicem deſtillentur, vel ſi vitriolum martis eductum ex minera martis Haſſiacâ miſceatur cum æquâ parte ſalis ammoniaci. Affunditur ſpiritus vini ſimplex, ut aliquot digitos ſuperemineat: vas ad octo dies reponatur in digeſtione, tunc ſolutio per inclinationem effundenda, & tamdiu ſuperfuſio & extractio reiteranda, donec omnis color & ſapor eductus fuerit. Solutiones hæ indendæ retortæ, & igne evocetur ſpiritus vini, quod reſtat, igne vehementiore tractetur, ſic prodit ſpiritus acidus cum nebulis albis, odoris ſulphurei gratiſſimi: flores quoque albi variegati coloris retortæ collo ſe applicant, in cujus fundo remanet materia levis, rubicunda, ſaporis paulatim conſtringentis.

Coagulatio mercurii, quam *Author* cum vitrioli cœrulei ſolutione inſtituit, non eſt proba, ſed ſoboles veneris mercurius ille coagulatus eſt: nam mercurius ex ſolutione vitrioli veneris in amplexum arripit particulas æneas ipſaſque in amalgama convertit, unde evocato mercurio remanet venus, flaveſcente colore tincta & ductilis. Longè autem compendioſius hæc procedit operatio, ſi aſſumantur viridis æris, tutiæ ana partes æquales, nitri, tartari ana pars una ſemis. Fuſorio igne in crucibulo clauſo liquefactio fiat; ſic maſſa aurei coloris inſtar reguli fundum petit, ex quo annuli varii confici poſſunt.

CAPUT XI.

(a) De Sulphure.

SUlphur, metallorum pinguedo, & alter pulmo terræ, varia nobis exhibet remedia, ut flores, butyrum, lac, balſamum, tincturam, acidum liquorem, vulgò oleum dictum, & alia. Flores ſulphuris duplici modo parari jubemus, cum colchotare bis, & ter ſublimatio reiteratur; cum alio corpore, arenâ, vel bolo, pumice, vel alio, ſemel tantùm. Vaſa ſublimatoria, vel vitrea accipimus, non rarò ollas terreas vitro obductas. Dictos flores ad varios uſus uſurpamus, & præſertim ad pulmonum affectus, cutaneis morbis item maximè conferunt. Ad tuſſim, tabellulas hoc modo conficiendas præſcribemus. ℞. Flor. ſulphuris ℨ. j. ireos ℨ. ij. ſacchari albi aquâ roſarum ſoluti, ℥. iij. fiant tabellulæ, vel rotulæ, ut artis eſt. Harum uſus, in die eas frequenter in ore tenere. Lac, & butyrum ſulphuris fit cum dictis floribus in oleo tartari ſolutis, atque ipſis guttatim affundendo parum aceti albi. Oleum tartari cùm primùm acetum apprehendit, mirificè incandeſcit, atque ebullire incipit, uti ſuprà diximus de oleo vitrioli cum hoc oleo tartari. Aqua vitæ oleo vitrioli mixta idem præſtat; quod & ſimiliter videre eſt in repercuſſione auri in aqua regia ſoluti. Quod à nobis dictum ſit, ut animadvertatur, quomodo incandeſcat corpus noſtrum, ob variam humorum mixtionem: nec putent hoc fieri ob ſolam obſtructionem, & putredinem; minùs, id ſolius caloris exuberantiæ tribuant, quod ejuſmodi antipathiæ debetur. Sed ad rem. Segregatur liquor omnis ab illa materia alba in vaſis fundo repercuſſa, per inclinationem; eaque poſtmodùm variis ablutionibus cum aqua communi dulcoretur, & ad uſum ſervetur. Aſthmati, tuſſi, & aliis pulmonum affectibus confert. Ante repercuſſionem, obſerva dictorum florum auream tincturam, cum cochleari argenteo in his tincto: quod per tranſennam annotare placet, ut videant quomodo ſulphur naturæ aureæ ſit particeps.

Sulphuris remedia.

Flores ſulph.

Tabella fl. ſulph.

Lac ſulphuris.

Liquores ſimul mixtos incandeſcere.

Corpus caleſieri ob humorum mixtionem.

Ejuſmodi lac dicitur & magiſterium.

Lactis ſulphuris vires.

Oleum, ſeu liquor acidus ſulphuris, propriè eſt ſpiritus ſalis ſulphuris reſolutus, cujus facultates & vires toto genere à reliquo ſulphure diverſæ ſunt, imò planè contrariæ. Spiritus iſte, ſive oleum acidum, & omnia acida, refrigerat; reliquum ſulphur ſuſcipit flammam, hoc verò nunquam, & tantum abeſt, ut potiùs res eo perunctæ flammam concipere non poſſint: ſitim ſedat, febrium ardores mitigat, & alios producit effectus ſimiles; at mordax eſt, & acer, & maximè penetrans, hæc verò ad caliditatem ſpectant. Gal. *lib.* 1. *de facult. ſimpl.* acetum ſtatuit frigidum cum participitatione caliditatis: acrimoniam, & mordacitatem non propterea caliditati acceptas refert, ſed potiùs frigori, dicens aërem

Sulphur eſſe naturâ aureâ.

Spiritus ſulphuris refrigeratio

Galenum ſibi contradicere.

aërem frigidiſſimum eſſe ulceribus mordacem, quod ante ipſum annuit Hippoc. Quâ in re multa eſſent dicenda, & ex qualitatum doctrina Galenum errare, ſibique contradicere. At nos garrulos pſittacos, doctrinarum Monarchas imitari nobis non eſt animus: veritatem profitemur, & loquacitatem ſpernimus. Sed probabiliorem afferamus rationem, cur ejuſmodi liquor tantoperè adverſetur igni, & nihil quicquam de natura ſuæ originis retineat. Ferunt Hermetici res triplici ſubſtantiâ conſtare, ſale, ſulphure, & mercurio: ſalem igni reſiſtere, experientiâ conſtat; ſulphur contrà igni amiciſſimum. Per ſulphur, intelligunt ſubſtantiam illam oleoſam ignis ſuſceptricem. Per ſalem, ſubſtantiam poſt ſulphuris deflagrationem in cineribus relictam, atque per aquam diſſolubilem. Cùm ergo liquor ejuſmodi, ſalis ſit eſſentia, planè conſtat cur igni adverſetur; acrimonia verò, & mordacitas, ſubtili ejus ſubſtantiæ tenuitative partium tribuenda ſunt. Scio quoſdam non his prorſus acquieſcere, & affirmare ſalem, quia acrem & mordacem, eſſe calidum; & ignis reſiſtentiam non à frigore procedere, ſed ab ejus terreſtri ſubſtantiâ. Sed cum hæc effuciunt, non vident ſe in graviora impingere, concedentes motum immobili, quid quali, actionem patienti. Deveniendum tandem ad id, quod primùm movet; & ſi illud habeat annexa inſtrumenta, videndum, an recta inſtrumenti ratio ipſis competat, & quibus modis his utatur agens, & id, num unitatis agentis ſit, vel planè alterum. Quam unitatem per agentium fines contemplari unuſquiſque poterit. In univerſum agentia quæque ad vitale principium diriguntur, & indè ad id quod magis affectant. Hinc ipſa nituntur aſſimilare ſibi paſſa: properant omnia ad eſſe perfectum, non ad imperfectum. His longè plura addere poſſem. Acrimonia ergo, & mordacitas, caliditati non eſt tribuenda, ſed ipſius ſalis naturæ, quam vocemus formam, vel ſubſtantiam, ſpiritum, vel quodcunque aliud, nec de nominibus cum Galeno multùm laboremus. Verum quid opus eſt verbis, ubi res ipſa loquitur? Accipiant ſalem, eumque in flagrantiſſimas prunas immittant, percipient ipſum, ut metalla liquari, repurgari, & veluti ſalamandram in igne fixum manere; hinc aqua permanens, & fixa: ibi non craſſities, terreſtreitaſve impedit, quominùs ab igne abſumatur. Spiritus ejus tenuiſſimus eſt, nec propterea minùs reſiſtit igni. Quid demum? ſalem eſſe frigidiſſimum ſtatuemuſne? minimè gentium, nec calidum quoque. Et quæſtioni quid, ſalem dicemus eſſe id, quod eſt affectum ſupradictis paſſionibus; & eodem modo quæſtioni quale. Nec obſtat, quid elementarii, & minis materiales Philoſophi nobis occinant, de ſuis primis, & ſecundis qualitatibus, quibus alibi reſponſum dedimus. Sed infrugiferâ ejuſmodi dicacitate relictâ, ad praxim veniendum. Itaque fit ejuſmodi liquor per campanam, vel vas aliud ſimile, crucibulum accipiendo ſulphure trito plenum, quod admoto igne, per ſe flagrat: fumus per campanam excipitur, iſque denſatur, & inferiùs in ſubjectum vas labitur. Si humida ſit tempeſtas, & frigida, plus olei habetur. Si in fundo crucibuli, pro libra ℥. ij. cryſtalli calcinati immittas, efficies liquorem multiplicabilem, qui non parum idiotarum animos in admirationem trahit, decipit, & materiales illos medicaſtros, qui ex ſenſibus omnem philoſophiam, aut potiùs dicacitatem ſuam hauſerunt, putantque nihil quicquam benedictum eſſe in phyſicis, niſi ex quatuor qualitatibus derivetur. Sed afferant quæſo rationem, cur uncia dicti liquoris intra menſem alteram unciam producat.

Rationes cur refrigeret ſpiritus ſulphuris.

Spiritus præparatio.

Oleum multiplicabile.

Ejus uſus & facultates.

Uſus hujuſce liquoris multiplex eſt: intrinſecùs nunquam per ſe, ſed cum alio liquore. Dantur tres vel quatuor guttæ cum juſculo, aquâ deſtillatitiâ, decocto; vel aliquore: conſervis etiam immiſcetur. Ventriculum roborat, craſſos & viſcidos humores in eo contentos incidit, & attenuat, vermes enecat, menſes mulierum movet, ſitim compeſcit, ardores febriles extinguit, hydropi ſuccurrit, vulneribus intrinſecis cum decoctis vulnerariis medetur; aſthmati à craſſorum humorum infarctu orto multum confert; juvat & eos qui hydrargyro peruncti fuere, vel eundem intrò ſumpſerunt, dentium dolores ſedat, eoſque nitidos reddit.

Sulphuris Balſamum 1.

Balſamum ſulphuris per ſpiritum terebinthinæ factum, omnibus parum in chymicis inſtructis notum eſt, fitque ex ipſius ſulphuris floribus, in eo terebinthinæ ſpiritu ad calorem fimi equini maceratis, quouſque dictus terebinthinæ ſpiritus rubeam ſulphuris tincturam elicuerit. Reaffunditur novus ſpiritus ſupra dictos flores toties, quoties ſpiritus ab his tinctus prodierit. Ab hac tinctura ſpiritus per alembicum prolicitur, & in urinalis fundo remanet tinctura in formam extracti, quæ demum per vini ſpiritum purior redditur ipſo extracto vini, ſpiritum ab eo extrahendo.

Balſamum 2.

Eſt & aliud ſulphuris balſamum non ita notum, quâ viâ & ejus tinctura extrahitur: ad quod aliud diſſolvens requiritur, de quo alibi, Deo favente.

Balſamum 3.

Eſt & tertium balſami genus, ad extrinſecos uſus tantùm paratum. Fit verò cum florem ſulphuris ℔. ß. olei lini, vel communis, vel alterius generis, pro ratione medicamenti, ℔. j. ß. coquantur parum ſimul in vaſe amplo terreo devitriato, ſpathulâ ferreâ ſemper movendo: ignis interea ſit lenis, ac lente ipſum coquito ad mellis ſpiſſitudinem, tunc ſuper marmor effundatur, & refrigeretur: hoc denique in tenues partes ſcinde, eaſque per retortam diſtilla, & exibit oleum ſubnigrum, fœtidum, & graveolens, quod quidem ad plurimos uſus conducit, frigidos tumores diſſolvit, vulneribus medetur, convulſionibus ſuccurrit, & omnibus nervorum affectibus, ſurditatem juvat, & juncturarum frigidos dolores ſanat. Per ſe, & cum oleis, aut unguentis uſurpamus. Odoris eſt acutiſſimi: propterea qui ejus vehementiam extimeſcit, cohoba-

cohobationibus (ut alibi diximus) removeat, aut ſaltem imminuat ejuſmodi odoris acumen, aut ſaltem commiſceat olea odorifera, vel unguenta. Vulneribus ex linteamine duplici apponitur, plagulis, ac faſciis more vulnerum admotis.

NOTÆ

in CAPUT XI.

(*a*) *De ſulphure.* Sulphur nativum mirabile & præcipuum minerale eſt; Spiritus mineralis ſubterraneus, qui ſolutiones, coagulationes & generationes metallorum efficit, lapides diſſolvit, ſulphureus eſt. Veteres chymicorum uno animo crediderunt, ſulphur metallorum primum principium eſſe, eo maximè, quod aſſiduus illorum & mineralium ſit comes. Mineræ ferme omnes è venis erutæ, ſulphur olent, & igni aperto commiſſæ, ſtagma fundunt acidum, non ſecus ac ſulphur in libero aëre accenſum.

Præterea ingens copia ſulphureorum fumorum apparentium vel in ipſis mineris, vel extra illas evidens indicium habetur venarum ditiſſimarum latentium. Sæpiſſimè accidit in mineris ſylvæ Hercyniæ, de nocte flammulas ſulphureas ſalientes circa terræ ſuperficiem vagantes cerni, procul dubio à metallorum effluviis ſulphureis, ſubterraneo calore in copia exhalantibus, & ex ipſa tellure ſurſum elevatis. Refert Kircherus *mund. ſubter lib.* 10. *ſect.* 3. in fodina Hungarica quadam tantam exhalationum ſulphurearum copiam eſſe, ut facillimè ab accenſo lumine incendi poſſint, maximo cum fragore & ambuſtione operariorum, adeò ut cutis facillimè detrahi poſſit, ac ſi aqua fervente aduſta ſit. Simile contigit aliquando Clauſthali, (*in dem Roſenhœffer Zug*) dum foſſores locum pro vacuo habitum a veteribus aperire volebant; ecce magno cum impetu erumpit aqua, ſulphurei odoris, quæ in momento accenſa fortaſſis à flammâ lampadis, veſtes ipſamque cutim mirum quantum adurebat, ut vix medicamentis præſentiſſimis adverſus ambuſtionem ſervari potuerint. Sulphureum principium fluidum per totum terræ ambitum circulatur, perque omnes mineras, me judice, diſperſum eſt, & prout terra metallica differt in bolis & lapidibus, varias metallorum ſpecies producit, adeò ut ſulphur & terram fluxilem pro veris & unicis metallorum principiis agnoſcam. Ab hoc etiam non immerito caloris ſubterranei affectus mirabiles, montium deflagrationes & terræ motus incredibiles duci & derivari debent. Sulphur minerale alit aliquandoque metallum & maximè venerem, de quo videri poteſt Boyle *in chym. ſcept. pag.* 135. Goſlarienſe ex mineris cupri liquatur. Curioſum experimentum eſt, ex ſulphure & ferro fieri poſſe cuprum, dum nimirum vitriolum ex ipſis paratur, quod cupreæ naturæ non expers eſt. Aſt vero cum omni ſulphure id non ſuccedit, ſaltem illo, quod particulas quaſdam metallicas in ſe recondit. Lapidi lydio attritum ſulphur obſcuram maculam relinquit, indicio latitantis cujuſdam metalli. Mediante ſpiritu nitri, vel aqua forti ex ſulphure communi concretum naturâ ſuâ parari poteſt arſenicale.

Sulphur ſuper caput mortuum vitrioli veneris ſublimatum, optimè depuratur; ſed felicior eoque melior modus eſt, ſi recipitur ſulphuris libra ſemis, calcis vivæ libra una; hæc mixta indantur crucibulo magno, cui aliud adhuc ſuper lutatum eſt; applicetur ignis per gradus, ſic in ſuperiorem locum ſulphur aſcendit, quod exemplum denuo cum calce vivâ miſce, & repete ſublimationem: ſic ſulphur evadit puriſſimum hoſtili corroſivitate orbatum; Hoc modo correctum egregium balſamum, tincturam, & cinnabarim præbet. Sulphur à coralliis anatica portione ſæpius elevatum, quavis vice recentia corallia recipiendo, uſque dum flores rubicundum referant colorem, magnam largitur medicinam. Deprehenditur in ſulphure virtus ſingularis roborans & conſtringens; In dyſenteria igitur ac diarhœa laudabilem edit effectum, videlicet excretiones non tam promovet, quam ſiſtit.

Sulphur accenſum in aëre humido, emittit vaporem odoris penetrantis ſulphurei acidulum, qui collectus ſub campana vitrea liquorem dat, paucum tamen. Hic à ſpiritu vitrioli efficaciâ parum differt. Maximam enim affinitatem inter ſe alunt vitriolum & ſulphur, imo ex ipſo ſulphure cum limatura martis debitâ calcinatione vitriolum parari poteſt. Dum ſulphur colliquatum cum marte, vehementiſſimo igne tranſit in ſpeciem marcaſitæ, quæ tuſa aërique exhibita in vitriolum vertitur, non ſecus ac minera ſic dicta martis ſolaris, quæ ex ferro & ſulphure conflata ac concreta eſt. Si cruda & aërem nondum experta minera retortæ ignique vehementiori tradatur, ſulphur obtinetur copioſiſſimum cum phlegmate acidulo ſulphureoque. In aere autem eadem minera, quæ antea vix ullius ſaporis erat, vitrioleſcit, unde elegans vitriolum martis, paulo tamen acrius, & tinctura martis aurei coloris propter inexiſtentes ſimul particulas ſulphuris unctuoſas, aurei coloris profluit. Goslariæ copioſum præparatur ſulphur, ex minera ſulphuris; ſtratum ſupra ſtratum fit cum ipſa & lignis, ſubſtuitur ignis, ſic vapor denſiſſimus naſcitur ſulphureus. Quo in aere ſi quis obambulat, qui capitis dolore ex ebrietate vel aliâ causâ tenetur, protinus ab illo liberatur, fortaſſe quod poros capitis ſubtilitate ſuâ referet, ut major fiat tranſpiratio. Unde liquet facile ratio, cur ſpiritus vitrioli volatilis, exterius & interius datus, cephalalgias egregie diſſipet.

Sulphur commune, tractatum cum argento in igne illud in fuſilem ac pulveriſabilem maſſam convertit. Stanno autem & plumbo, quæ facilem admittunt fuſionem, tantam ſtabilitatem conciliat, ut vix colliquari queant. Latitat in ſulphure arcanum præcipitandi ex ingenti mole argenti, aurum etiam parciſſima quantitate contentum, nimirum via ſicca, & fuſione. Sulphur enim aggreditur lunam intime, partes autem auri relinquit intactas, quæ deinde gravitate ſua fundum petentes, aliis tamen adhuc permixtæ in regulinam ſubſtantiam fatiſcunt. Præparatio hæc valde lucroſa eſt, & novi quoſdam, qui ſolâ hac operatione largiſſimè ſe ſuoſque alunt. Circa reductionem autem præcipuè attendendæ quædam enchireſes ſunt.

In ſulphure latitat arcanum imbuendi plumbum argento, ſi repetitis vicibus cum ipſo tractetur, calcinetur & reducatur. Ex uncia una ſaturni quandoque obtinentur grana octo argenti: pulchrum quoque experimentum conficitur cum luna ſulphure calcinata, ſi in maſſam invicem redigantur, quæ leni ignis calore effloreſcit, & conſtituit floſculos capillares argenteos. Germanico idiomate exprimitur, (*das Silber wachſend machen.*)

Meretur etiam attendi ſequens experimentum & medicamentum ex ſulphure & marte parabile. Recipe ſulphuris libram ſemis, limaturæ martis uncias quatuor, mixturam inde vitro conſervali & aquam illam humecta, ut fiat inſtar pultis, elapſis ſex vel ſeptem horis maſſa incaleſcere incipit, ita ut vitrum non raro frangatur, & copioſiſſimi fumi eructent: Ebullitione hâc limatura martis reſolvitur, ab acido ſulphuris, quod addita aqua fluorem acquirit, & pulvis coloris ex bruno nigricantes evadit, hanc jam exime, pulveriſa, & carbone vivo accende, ſic leniter incipit urere, emittere acidum fumum, qui ulterius limaturam martis vertit in ſal vitriolicum, quod elue & coagula, fit vitriolum album ſaporis gratiſſimi, quod in medicina eſt commendatiſſimum. Quod ex puriſſimo ſulphuris acido confectum eſt, longe magis præferendum vitriolo martis, quod fit ex ſpiritu vitrioli, qui particulis terreis metallicis conſtat. Vitriolum hoc eſt egregium aperitivum, antihypochondriacum, & ebullitiones acres humorum ſiſtens, bilem volatilem figendo & enervando; poteſt miſceri cum pulvere quodam abſorbente.

Ex ſulphure paratur magiſterium album, quod dicitur lac ſulphuris, hoc modo: recipe florum ſulphuris, ſalis tartari ana unciam unam, liqueſcant in crucibulo: quo facto affunde aquam calidam, filtra & ſolutioni affunde acetum deſtillatum vel ſpiritum vitrioli: Sic cum tetro fœtore ſubſidet pulvis lactei coloris, qui mitior adhuc eſt floribus; hi enim calidiores ſunt; nam acidum, quod hæret in lacte, corrigit calorem.

Quando

Quando cineres clavellati fluunt in tigillo, & additur ſulphur, fit hepar ſulphuris ſanguinei coloris, ex quo cum ſpiritu vini rectificato digeſtione debita fit Tinctura. Notabile autem eſt, ſimilis coloris ſubſtantiam fieri poſſe ejuſdem ſaporis & virtutis, ſi loco ſulphuris addatur pulvis carbonum, indicio, carbones à ſulphuris mineralis indole non alienum quid recondere.

Paratur ex ſulphure cum ſale ammoniaco & calce vivâ vehementi arenæ igne liquor volatilis urinoſus, ſulphureus, fumans, aurei coloris, qui volatilitate ſuâ ſulphurea argentum involutum corio vel multis chartis, flavô colore inficit. Paratur quoque atramentum ex eo, ſympatheticum, quod per totum librum chartaceum operatur, & ſcripturam non apparentem viſibilem reddit. Notabile tamen & hîc eſt, effluvia hujus ſpiritus amittere efficaciam tingendi, ſi argentum chartæ oleo imbutæ involutum fuerit. Liquor hic additus mercurio ipſum coagulat, quatenus ipſe ſulphur atripit, cujus ramoſitate & unctuoſitate in fluore ſuo ſiſtitur. Quod ſi in liquore hoc volatili opium & camphora ſolvitur, affuſo ſpiritu vini rectificatiſſimo, nobiliſſima medicina antipodagrica externa oritur. Mirabilis hujus ſpiritus præparatio jam dum nota fuit *Baſilio Valent. v. Currum ejus triumphal. p. 92.*

Balſamum ſulphuris cum oleis æthereis diſtillatis, vel etiam expreſſis confici ſolet: hoc temperatius, illud calidius eſſe ſolet. Optatius autem res ſuccedit, ſi flores ſulphuris aſſumantur, vel melius, ſi cum ſale tartari prius igne recludantur: addatur oleum deſtillatum cum pauca ſpiritus vini rectificati quantitate, & in phiola digeſtio fiat ſub moderato arenæ calore: Memorabile hic eſt, balſamum ſulphuris, cum oleo terebinthinæ facto, juncturis firmiſſimis clauſis, calore arenæ vehementiſſimo ſtupendum fragorem aliquando edidiſſe, cum intenſiſſimâ percuſſione vicinorum locorum, quaſi tonitru & fulgur eſſet factum in pharmacopolio Clauſthalenſi Soceri mei amantiſſimi: Quod experimentum naturam terræ motus clariſſimè explicat, de quo alio tempore fuſius tractabimus.

Cum oleo lini maſſa ex ſulphure & ſale tartari conſtans ſi coquitur, fit egregium balſamum externum, reſolvens vulnerarium, quod abſceſſus præcavet, & ſtagnantem lympham diſſipat. Si fortiter coquitur, abit oleum cum ſulphure in ſubſtantiam ſolidam, inſtar duri bituminis, ſive fuliginis male olentis, quæ exhibita nauſeam movet & vomitum: Si deſtillatur, prodit oleum nigrum fœtidum.

Balſamum ſulphuris cum oleo amygdalarum dulcium, vel vitellorum ovorum paratum, in empyemate, pulmonum ulcere, tuſſi ſicca expertiſſima medicina eſt, poteſt addi crocus, oleum aniſi, &c.

CAPUT XII.

(*a*) *De Antimonio.*

QUàm injuſtè virus ſuum evomunt in hoc præſtantiſſimum minerale pſeudo quidam Medici, quos plebeii nonnulli, rudes & ſtolidi loquaces palàm inſequuntur, ſatis conſtat. Sed hos Phormiones de re incompertâ ſinamus delirare. Eſt autem Antimonium, minerale præſtantiſſimum, omnium metallorum radix, propterea Saturnus philoſophicus à Chymicis dictum. Ejus vires, & proprietates planè ſunt imperſcrutabiles, de quibus poſt F. Baſilium Valentinum, & Joannem de Rupeſciſſa, Theoph. Parac. multa, & præclara dixit. Recentiores, poſt ipſum, ut Penotus, Gerardus, Dorneus, Matthiolus, Quercetanus, Suctenius, Rulandus, Crollus, Phædro, & alii idem ad ſidera extollunt: quâ de re non ampliùs venenum, ſed præſtantiſſimum alexipharmacum à doctis habetur. Doctos non appello deſides, & otioſos, quos piget manus ad fortia mittere; minus eos, qui ſacræ artis gloriam in verborum lenocinio reponunt: ſed hos, quos ſedulus labor Mnemoſynes filiabus arctè conjunxit. Medicamenta, quæ potiſſimùm ex eo conficimus, ſunt, Tinctura, non ea, quæ Chryſopœis exoptatur, ſed ea, quæ ad medicos uſus tantùm conducit: Oleum, Sal, Mercurius, liquores varii, vomitoria, alvum ſubducentia, diaphoretica, & alia. Tinctura variis modis à nobis paratur. Primo, eo quo habetur apud Theoph. Parac. ipſum primùm calcinando, atque in reverberio per aliquot dies exercendo: demum per ſpiritum vini tinctura nobiliſſima educitur: cujus proprietas eſt aperire meatus, vires corporis augendo, ac radicale humidum ab omni ſorditie repurgando: ſanguinem, & alios humores renovat, quare & lepram ſanare creditur. Eâ utimur, omni tempore, cum quavis re, ſive potu, ſive cibo. Doſis ad libitum, granorum tamen aliquot, vel per 5. vel 10. vel 20. ad 30. uſque dies. Alio modo per varia diſſolventia. Omnium nobiliſſima, & præſtantiſſima ea eſt, quæ alia tinctura fit citra omnem calcinationem, cum proprio diſſolvente, quod quidem non aliunde, quàm ab eodem antimonio educitur. Ejuſmodi diſſolvens ab antimonio duplici modo fit, primò ex puro, & crudo ſtibio, abſque adjectione; ſecundò ex regulo cum adjectione, eâ cum regulo remanente, vel ab eodem poſt ſolutionem recedente. Hac methodo parata medicamenta, ſeu potiùs arcana, filiis artis tantùm innotuerunt, & qui tanti theſauri fuerunt participes, eum ſibi ipſis tantummodò ſervarunt, ne ſuos labores æmulis impunè traderent; & magis quidem, cum non liceat ſanctum dare canibus, & uniones ante porcos projicere. His ſi aurum accedat debito modo paratum, vera, & perfecta antimonii præparatio habetur. Hinc exurget optatiſſimus, & laudatiſſimus morborum alexicacus, medicamentum ferè univerſale, adverſus ſingula quæque mala ab inordinato victus regimine profecta. Ultrà poſſem ejus vires, & facultates dilatare, eaſque encomiis, & magnis laudibus exornare; at filiis artis, quibus ſolis hæc dicata ſunt, ſatis me viam aperuiſſe confido. Interim ne rudes, artiſque tyrones ab ejus uſu arceantur penitus, ſequentes præparationes primùm meditentur, eaſque in uſum frequenter advocent. Vitrum antimonii non omnino ſpernendum venit. Id verò multiplici modo fit. Modus noſter eſt, ut priùs per ſalem nitrum ipſum ſemel coquatur, poſtmodùm vulgato modo in vitrum reducatur: & hoc præſtantiſſimum eſt, ſi à docto, & experto Medico exhibeatur.

Antimonii tinctura uſus.

Tinctura 2. & nobiliſſima.

Tinctura antimonii cum auro.

Vitrum antimon.

Aliud, ſed compoſitum, fit cum auro per duplicem viam: elegantiorem, & nobiliorem, cum oleo antimonii, in quo diſſolvitur aurum, eaque diſſolutione fermentatâ per coctionem in vitrum vertitur ſplendidiſſimum, cujus vires mirandæ ſunt,

Vitrum aureum.

&

& ſummis laudibus extollendæ. Alio modo cum crudo antimonio, de quibus alibi plura.

Flores Antim. Flores item antimonii propriis non carent laudibus. Fiunt & per ſe, vulgato modo, & cum adjectione. Cum ſale armoniaco rubicundiſſimi fiunt. Utrique vomitum, & alvum proritant, quas qualitates coctione amittunt, & evadunt ſudorifici. Modus conficiendi flores albos, omnibus patet, & ferè artificio caret. Crucibulum ad hoc requiritur, vel aliquod vas terreum fortiſſimum. Ignis etiam vehementiſſimus deſideratur. *Flos triplex.* Flores in ſuprema parte ſublimatorii collecti, vomitum valde concitant; qui in medio, mediocriter; qui in ima parte, parum, aut nihil vomitum cient. Iidem flores in reverberatorio per plures dies detenti varios nanciſcuntur colores, qui per ſe abſque aliâ præparatione, multis pollent viribus.

Fixatio. Fixatur Antimonium ipſum, bis vel ter cum ſalepetræ calcinando: ſal aquæ communis medio, ab eo removetur. Putant nonnulli, nec ſine cauſa, portionem aliquam ſaliſpetræ cum antimonio remanere, quod ex pondere poſt calcinationem facilè deprehenditur.

Mercur. ant. Mercurius Antimonii multiplici modo fit, cum adjectione, & citra adjectionem. Sine adjectione, regulum, more florum antimonii, ſublimando. Ignis ad hoc ſit æqualis, & fortiſſimus, atque viginti quatuor horarum, & accipies per alembici roſtrum Mercurium vivum.

Nonnulli cenſent, Mercurium ejuſmodi fieri poſſe per cinnabarum, & per Mercurium ſublimatum: at hi non nôrunt utriuſque antipathiam, hæc eſt potiùs Mercurii reſuſcitatio, quàm ejuſdem generatio. Gummi, quod ex regulo antimonii extillatur, ab antimonio procul dubio educitur. Mirum eſt, quàm ſeſe averſentur iſthæc duo mineralia. *Alius Mercur. antimon.* Alio modo cum ſalis tartari in loco humido diſſoluti ℔. ij. antimonii ſubtiliter triti ℔. j. tartari crudi ℔. iij. per retortam Mercurius in aquam frigidam pellitur.

Sal antimonii. Sal antimonii pluribus modis fit: at in omnibus calcinationem precedere neceſſe eſt, ſive ea ſit per ſe, ſive in ſicco, ſive in humido. Per ſe, uti de floribus ipſius antimonii dictum eſt: cum aliis, ut cum aliqua ſpecie ſalis, quæ calcinatio ſicca eſt, reſpectu ejus, quæ fit cum lixiviis, & aquis fortibus. Modus optimus eſt, ſtibium in ſudorem reſolvere, reſolutum in pulverem dulcem reducere. Ab exſiccato, per ſpiritum vini, ſal educitur præſtantiſſimus, alvum tandummodò ſubducens.

Regulus antimonii fit etiam multis modis. Communis methodus eſt, accipere partem unam antimonii, ſalis nitri partes duas, tartari crudi ſubtiliter pulveriſati totidem: *1. Regulus.* ex his ſimul commixtis fit pulvis, qui ſenſim in crucibulum ignitum projectus regulum producit. Regulus in fundo crucibuli poſt reiteratas fumigationes reperitur.

Alter modus fit cum ferro, eo ignito, & in fuſum antimonium projecto. Funditur verò antimonium in amplo crucibulo ad libras 6. vel 7. & candens ferrum ad digiti *2. Regulus.* majoris craſſitiem, pendens circiter ſemilibram, ei commiſcetur. Antimonium ferro inimicum: ferrum ipſum diſſipando in fumum, unà cum ferro ab omni ſorditie ſimul repurgatur.

Oleum, & liquores antimonii variis itidem modis à nobis præparantur. Qui ad Chryſopæam ſpectant, noſtri non ſunt inſtituti; medica proponimus, & vana rejicimus. *1. Oleum Antim.* Fit verò oleum antimonii, vel ex ſolo antimonio, abſque ullius rei interventu, qui modus non omnibus innoteſcit: vel alterius, multorumve adjectione. Ad primum modum magna quantitas antimonii requiritur: à quo crudo poſt putrefactionem aqua per varia inſtrumenta vitrea educitur; *Antimonii acetum.* hæc novo reaffunditur ſtibio, à quo poſt reiteratam putrefactionem aqua iterum exſtillatur. His pluries repetitis operationibus, oleum ſive liquor oleagineus exurgit præſtantiſſimus, diſſolvens egregium, & nobiliſſimum.

Alio modo per adjectionem fit, vel ex eo primùm calcinato, vel abſque calcinatione. A calcinato ſal per proprium diſſolvens educitur, à quo extillatur oleum ſubrubrum, *2. Oleum.* præmiſſis aliquot cohobationibus. Ejuſmodi liquorum uſus eſt ad intrinſecos uſus, ad quantitatem trium, aut quatuor guttarum, cum liquore convenienti.

Cum variis rebus oleum ſtibii fit compoſitum, cum ſale cummuni decrepitato, cum ſale gemmæ, cum pane bis cocto, cum radicibus, & aliis multis, cum quovis etiam metallo calcinato, cum ſublimato, & tandem cum ſaccharo. Is modus valdè eſt popularis: ejus deſtillatio, à præmiſſis per retortam non diſcrepat. Qui recenſent olea ſtibii, aquarum fortium medio facta, nos decipiunt; non enim aquis fortibus & corroſivis diſſolvitur, item neque per acetum diſtillatum poteſt atteri. Stibium ſale armoniaco apertum quoquo pacto diſſolvitur cum aceto; at ejuſmodi diſſolutio nobis minimè arridet. Diſſolutio etiam cum ſpiritu vini ſale armoniaco exaſperato, nobis ſuſpecta eſt: hinc ab ejuſmodi liquoribus abſtinendum ſatius eſſe judico. Quantum verò ad medicamenta diaphoretica, purgantia ſuprà, & infrà, qui præmiſſis inſtructus erit, ea facilè habebit. Omitto volens calcinationes cum ſale nitro, ut quæ ſint populares & cognitæ. Compoſita poſtmodùm medicamenta alterantia, quàm purgantia ex eo parata, longiorem tractatum à nobis exigerent; eâ de cauſâ hoc alibi explicandum diſtulimus. Quercetanus jam multa habet *in ſuâ Tetrade*, alii etiam alia. Interea te monitum velim, ipſum maxima cum utilitate omnibus metallis miſceri, auro, argento, æri, ferro, ſtanno, ex quibus non vulgaria arcana prodeunt.

NOTÆ in CAPUT XII.

(*a*) *De Antimonio.* Antimonium crudum non eſt venenum, ſed potius medicina. Interne *Schrôderus* illud commendat in epilepſia, *Ludovicus* & *Zwelferus* contra luem veneream, *Hartmannus* & *Michaëlis* cum cornu cervi uſto adverſus dyſenteriam, *Helmontius* contra hydropem adhibet. Proſtant morſuli in pharmacopoliis Berolinenſibus nigri, ex ſaccharo & antimonio parati, contra phthiſin.

phthiſin. Conſtat antimonium ex ſubſtantia ſulphurea, & regulina mercuriali : ab hac draſticam ſuam vim potiſſimum mutuatur, quandiu hæ ſubſtantiæ invicem arctiori vinculo ſunt unitæ, nulla obſervatur vehementia, ſimul ac autem illud ſolvitur vel igne, vel variorum ſalium adjectione, protinus ſe exerit virulenta vis. Pulvis reguli in ſubſtantia oblatus canibus, illos brevi interficit, apparente in ventriculo nigricante macula : quod ſi autem cum ſulphuris vulgaris partibus tribus colliquatur : maſſa non ſecus ac magnes arſenicalis, qui ex ſulphuris & arſenici mutua naſcitur colliquatione, omni virtute vehemente exuitur.

Antimonium cum cornu cervi uſto reverberio igne aliquot dies calcinatum, defraudatur virulentia ſua, & cornu cervi inſigni diaphoretica & alexipharmaca virtute imbuitur.

Mineræ antimonii parum ſpiritus acidi ſulphurei dant, qui appellatur acetum antimonii, quod tamen non tanti effectus in medicina & alchymia eſt, quanti vulgo creditur & habetur. Nobiliſſima antimonii minera eſt Hungarica, quæ punctulis rubicundis interſperſis emicat. Dicunt, ſi ſublimetur, elargiri ſulphur rubicundum, quod foliis auri æquali portione mixtum, ſub leni calore conſtituat pulverem inſtar coralliorum rubicundum, qui, argento injectus, aliquot partes immutet in aurum.

Vitrum antimonii pellucidum non tam facilis præparationis eſt, quam creditur. Optime fit ita : Calcinetur antimonium ſub aeris liberioris acceſſu igne moderato tàm diu, donec abeat in glebas ; tunc deſiſte : glebæ pulveriſentur & iterum calcinatio fiat continuo materiam agitando, donec in glebas faceſſat, quo denuo in pulverem vertendæ ſunt, uſque dum antimonium carboni vivo impoſitum fumum vix emittat, indicio, copioſum & ſuperfluum ſulphur avolâſſe, quod ſi nimis copioſum eſt, pelluciditatem non acquirit vitrum.

Si mercurii vitæ partes duæ cum foliis auri exactiſſime miſcentur primo in mortario, deinde calore leni fluant invicem, emergit maſſa interdum pellucida, quæ ad grana quatuor vel quinque data in diſpoſitis nauſeam & vomitum, in aliis nonnunquam ſalivationem & diaphoreſin movet. Cum ſale ammoniaco puriſſimo ſi teratur accurate, poſtmodum ſufficiente igne ſublimatur, flores qui aſſurgunt ſolares & antimoniales, decenter elutriati, medicinam præbent, ad grana duo vel tria, in graviſſimis chronicis morbis, continuato uſu virtutis admirandæ. Spectat huc tinctura antimonii ſicca *Gramanniana*, cujus meminit Beatus Parens *in clave Schrœderiana p.* 211. Sublimatur ſal ammoniacum cum vitro antimonii lento ignis gradu, edulcorantur flores aquâ calida per chartam bibulam, & reliquiæ ſalis ammoniaci per ſpiritum vini repetitâ deſtillatione ſeparantur. Doſis eſt à granis duobus ad tria, vel ultra ; nec alvum movet, nec vomitum, ſed diaphoreticam ſaltim vim obtinet.

Eſt novus ac veteribus incognitus modus, regulum antimonii ſumme emeticum cicurandi, ac convertendi in medicamentum diaphoreticum, mediante ſale communi. Aſſumuntur antimonii crudi unciæ octo, ſalis communis unciæ ſex, ſalis tartari uncia una pulveriſata & exacte mixta, funduntur debito calore ignis : Regulus ſeparandus à ſcoriis eſt, qui inſtar chalybis politi apparet : Contuſus in pollinem ſubtiliſſimum exhibet obſcure rubicundum colorem : edulcoratus à ſalſugine ſufficiente aquæ communis elatione uſui ſervit. Eſt remedium in chronicis morbis, & qui ex diuturnioribus viſcerum ac glandularum obſtructionibus naſcuntur, efficaciſſimum, in hydrope commodiſſime miſcetur cum limatura martis, in epilepſia cum cinnabarinis, in ſcorbuto cum arcano duplicato, in febribus cum ſale abſinthii. Inter initia morborum malignorum & variolarum ac dyſenteriæ refracta doſi additur pulveribus bezoardicis terreis : ſic lenem ſalivationem cum diaphoreſi procurando, præcordiorum anxietates, mucum primarum viarum diſſolvendo egregie diſſipat. In diſpoſitis facile excitat vomitus, vel etiam ſedes, quod præcaveri poteſt, ſi refracta doſi & bene edulcoratus exhibeatur, & non tam cum ſalibus, quam terreis abſorbentibus. Ejuſdem notæ ac efficaciæ eſt panacea ſic dicta in pharmacopæis Brunsvicenſibus *Conerdingiana*, qui Author Archiater ac Chymiater experientiſſimus ipſam in frequenti habuit uſu. Inventionem hujus remedii debemus, *Glaubero*, qui hoc tanquam panaceam extollit in ſcriptis ſuis, *vide ejus Pharmac. Spagyricam. p.* 20. Præparatio eſt talis : Sumitur antimonii pars 1. nitri pars 1. & ſalis tartari pars ſemis. Invicem hæc in crucibulo fluant, maſſa exemta hepatici coloris à ſuperiori parte ſeparata coquitur in aqua, lixivium filtratur, ipſique infunditur ſolutio tartari crudi cum aquâ ſimplici inſtituta, in fundum ſic dejicitur pulvis flavus, qui fluviali bene edulcorandus & exſiccandus eſt. In majori doſi ſi exhibetur cum cremore tartari, tutiſſimum evadit emeticum, quò dictus Chymiater frequentius uſus eſt. Si ejus ſucciſa doſis præbeatur cum pulveribus bezoardicis, vim edit reſolventem, deobſtruentem & leniter ſalivantem. In principio variolarum, morborum malignorum, ubi anxietates urgent, in lymphæ vitio ſanguiniſque impuritate, ſeri coagulo ac glandularum tumoribus, mirificæ virtutis eſt. *Glauber. I. cap. I. p.* 26. præſervare illud dicit à variolis, quod confirmat experientia ſeptem infantum. Idem perhibet, ulcera linguæ ſe curaſſe aliquoties pauciſſimis hujus pulveris granis. Expertiſſimum ejus uſum ego inveni in intermittentibus chronicis & autumnalibus. Unum granum ejus pro doſi maritetur cum ſalibus abſterſivis & præcipitantibus antifebrilibus, quorum vim reſolventem mirifice adauget ; at vero repetitis vicibus exhiberi debet. Mirum enim eſt, quantum ſe diffundat vis puri ac ſubtilioris ex antimonio educti ſulphuris etiam in exili quantitate, univerſum corpus pervadit, & ad remotiſſimas quoque partes & extimam corporis plagam pertingit. Deprehendit in ægris ſuis Clariſſimus Schraderus *in Diſſertatione de Medicamentorum Galenicorum & Chymicorum neceſſitate* mirificam ſulphuris *Glauberiani* vim in acrimonia ſeri delinienda, lachrymarum mordacitate oculos infeſtante, lippitudines moleſtiſſimas, opthalmias cum unguis & panni metu producente, corrigenda. Idem annotavit in muliere, laborante artuum ſcorbutico dolore, & defluxionibus ad pectus tam acribus, ut eroſionem pulmonis & ſanguinis ſputum inducerent, tantillum hujus ſulphuris antimonii doſin tenuis & acris ſeri motum ſtitiſſe, & periculoſi morbi incrementa impediviſſe. Ejuſdem uſus & virtutis eſt ſulphur, quod deſcribit *Vigani in Chym. p.* 50. Ex nitro, tartaro, ſale communi & antimonio regulus conficitur, ex cujus ſeparata ſcoria & diſſoluta in fortiſſimo lixivio calcis vivæ, ſæpe agitando nobiliſſimum ſulphur antimonii acquiritur, qui levis pulvis antimoniatus odoris eſt gratiſſimi & ſaporis non ingrati, febres ardentes unica doſi profligans, ſudorem & urinam movendo, præterea in doloribus Gallicis ſumme eſt proficuus. Ceterum ex regulo antimonii medicinali, ſi cum aqua calcis vivæ coquatur, & lixivio infundatur ſpiritus vitrioli, conficitur ſulphur elegantiſſimum ſatis correctum, quod cum panacea *Glauberiana* aliiſque dictis, ſi non majorem ſaltim parem exhibet effectum. Quod attinet tincturas antimoniales, inſtar omnium ſequens eſſe poteſt. Miſceatur regulus antimonii medicinalis cum æquali portione ſalis tartari fortiſſimo igne, mixtura injiciatur ſpiritui vini ſuper ſcorias antimonii abſtracto, digeſtione decenti, uti in præparatione tincturæ tartari monitum fuit, extrahatur eſſentia. Notabile eſt, ſpiritum vini ſuper ſcorias reguli antimonii vulgari modo cum ſalibus paratas abſtractum, ſuaviſſimum odorem ob ſulphur antimonii expanſum acquirere, & ſudorifera ac anodyna virtute ſimul imprægnari, ut menſtruum hac ratione exurgat aptiſſimum ad extrahendas tincturas & eſſentias varias. Si ſcoriæ dictæ antimonii anatica proportione miſceantur cum ſale ammoniaco & ex retorta adornetur deſtillatio, tinctura antimonii volatilis, quæ aureo prodit colore, conficitur medicamentum potens tam extrinſeco quam intrinſeco uſu, in reſolvendis ac diſſipandis humoribus. Ejus vapor inficit argentum, & deaurat ipſum, ut ut color non ſit conſtans. Alias egregiæ virtutis anodynæ tinctura antimonialis parari poteſt ſequenti ratione : ℞. Decoct. reguli antimonii medicinalis cum calcis vivæ aquæ menſ. 1. opii thebaici in partes diſciſſi uncias duas,

duas, has ſolve in lixivio leni calore, filtra, filtratum inſpiſſa, cui affunde vel vinum malvaticum, vel ſpiritum vini tartariſatum, & extrahe eſſentiam, quæ divinum ferè in doloribus compeſcendis, placandis, ſomno procurando eſt remedium; Lixivio calcis vivæ ſulphure antimoniali imbuto optime corrigitur vis opii narcotica ſtupefactiva, & ſimul ſymptomata, quæ alioquin ab opii uſu accedere ſolent, nempe obſtructiones alvi, vaſorum minutiſſimorum obturationes, incraſſationes humorum hoc pacto præpediuntur, dum vis reſolutiva ſulphuris antimonialis ſimulque anodyna ſpirituum impetuoſum motum cohibens quaſi in æquilibrio ſtat, & ſic medicamentum excellentiſſimum conſtituit. Loco Antimonii diaphoretici vulgaris ceruſſa ejus, quæ nihil aliud eſt quam regulus antimonii cum tribus nitri partibus in pulverem albiſſimum calcinatus, commodiſſime adhiberi poteſt. Regulus enim mercurialis naturæ eſt. Nonnulli in modum panaceæ illam habent; ad graviſſimos morbos depulſandos. Quo referimus etiam materiam perlatam *Krügneri*, item *Richteri Practici Zittavienſis* panaceam, utrumque reducitur quam opportune beneficio carbonum in regulum rurſus. Ipſum quoque ſtomachicum *Authoris* ejuſdem proſapiæ eſt. Mayerne *lib.* 1. *de affect capitis. p.* 48. ſcribit: Medicus quidam Gallicus nomine *Potieur* (qui eſt noſter Author) ſolebat dare ſolam ceruſſam antimonii bis terve in die, per plures dies conſequentes, ad debellandos graves morbos chronicos.

Mercurius vivus ſine additione mercurii ex regulo ejus ſed pauciſſimus, quique craſſioris conſiſtentiæ eſt, quam vulgaris, parari poteſt, Regulus antimonii aliquoties per ſe ſublimetur; deinde cum ſale tartari & ſale ammoniaco probe trituratus deſtilletur, de novo ſublimetur, ſic tandem abit in mercurium currentem, vide plura de hac præparat. *in Epiſt. Langelott. ad Naturæ Curioſos.*

Sal ex antimonio paratur, ſi tinctura antimonii tartariſata leni calore inſpiſſetur, vel ſi craſſius & copioſius expetis, decoctum ſcoriarum antimonii decenti evaporatione redigatur in ſal ſiccum. Hujus ſalis recipe unciam ſemis; affunde olei juniperi, item menthæ, cort. citri ana unciam unam: Mixturam inde retortæ vitrëæ, & per arenam moderato calore abſtrahe intra viginti quatuor horarum ſpatium circiter olei unciam unam, quod remanet in retorta, inſtar ſanguinis rubicundum pauloque craſſioris conſiſtentiæ eſt, & nuncupatur antimonii balſamum, quod intrinſecus & extrinſecus commendatiſſimum eſt remedium: Perpulchre miſcetur cum liquidis, v. g. cum elixirio pectorali, eſſentia carminativa, tinctura tartari vel ſpiritu volatili oleoſo Sylvii, in his enim quam promtiſſime ſolvitur. Oleum antimonii ex ſolo antimonio parare vult *Celebris Author.* Experimentum non procedit, ſed in locum olei acquirimus flores.

CAPUT XIII.

(*a*) *De Mercurio.*

Mercurii uſum primò ab Arabib. fuiſſe inventum.

MErcurius, argentum vivum, hydrargyrus idem ſonant. Is qui hodie in uſum venit, naturalis eſt totus, & ex Germania, & Hiſpania ad nos delatus. Hiſpanicus magis probatur, maximè ſi argenteum cochlear aureo colore inficiat, poſtquàm ex eo effumigaverit. Ejus uſum in Medicinam invexiſſe primùm Arabes fertur; at craſſo modo, crudum videlicet, citra ullam præparationem. Chymici poſtmodùm rerum metallicarum peritiſſimi, ejus præparationes primi invenerunt. Rudiores artifices præcipitatum, cinnabarim, & ſublimatum, tantùm agnoſcebant. Cultiores, è cunabulis Chymiatriâ emergente, præparationes his longè nobiliores invenerunt: ut olea, balſama, liquores, fixationes, calcinationes, tincturas, & alia pleraque tam ſimplicia, quàm compoſita.

Medicamenta ex mercurio deſumpta.

Corpus mercurii ſuſpectum.

Spiritus ſive chaos mercurii præparatio.

Nos corpus mercurii, intrà nunquam aſſumimus, ſed ejus loco, dictum mercurii ſpiritum, chaos à Theoph. Parac. appellatum. Fit autem dictus ſpiritus hunc in modum. Mercurium primò præcipita in pulverem albiſſimum, vel cum oleo ſulphuris, vel cum aqua forti, aquâ ſalsâ ad ejus repercuſſionem uſurpatâ. Pulvis pluries edulcoretur aquâ communi. Ab hoc pulvere ſicco, cum proprio diſſolvente acido, ſalem educimus duplicem: unum leviſſimum, aquæ innatantem, lanugineum, goſſipii inſtar; alterum ponderoſum, & pellucidum, veluti cryſtallum. Ab utroque per vini ſpiritum ſubſtantiam magis tenuem, & ſulphuream, variis cohobationibus in fimo equino repetitis, elicimus, à qua ut omne corpus recedat, ſpirituſque ſolus remaneat, ignis admovetur, quò vini ſpiritus evaneſcat, & corpus fundum petat. Liquor interim flagrantiſſimus remanet, & admirabiles effectus comparat. Adverſus luem veneream vires ſuas potentiſſimè exerit, epilepſiæ medetur, cerebri & jecoris obſtructiones reſerat, lienis duritiem diſſolvit, & alia plura præſtat.

Sal mercurii duplex.

Chaos mercurii vires.

Alter mercurii ſpiritus.

Dictus mercurii ſpiritus fit etiam ex ſolo mercurio crudo citra omnem calcinationem: at modus hic valde eſt obſcurus, & manualem operationem requirit, nec niſi ſolâ inſpectione addiſci poteſt, uti multæ aliæ operationes. Spiritum præterea in liquores verſum aliis modis præparamus, quos tamen liquores præparare non poſſumus, nî aliis operationibus præmiſſis, coctionibus videlicet, putrefactionibus, calcinationibus, diſſolutionibus, & aliis, de quibus nunc.

Multiplices mercurii coctiones.

Excoquitur mercurius multis modis, vel per ſe, & crudus, citra aliam præparationem; vel cum aliis & jam ſublimatus, vel præcipitatus, vel in ſalem verſus.

Coctio, præcipitatio, & calcinatio per ſe.

Mercurius per ſe in rubicundiſſimum pulverem vertitur.

Per ſe in vaſe oblongo, uti matracio, vel alio, collo alto ſeſquicubitali, in furno aperto, cum calore valido, vaſe priùs in arena demerſo, cantino ſive alio vaſe terreo ad hoc adaptato. Ignis ſit continuus, quadraginta dierum ad minus, vel quoad mercurius in rubicundiſſimum pulverem calcinetur. Hæc operatio valde eſt onerofa, ſed tantæ eſt efficaciæ, & virtutis, ut facilè utilitas damnum, & laborem compenſare poſſit. Hoc medicamentum eſt ſummum alexipharmacum adverſus peſtem, epilepſiam, apoplexiam; vertigines, & alios graviſſimos affectus capitis. Datur ad 4. 5. 6. 7. & 10. grana. Vomitum non concitat, vix alvum ſubducit; nam eſt tantummodò roborans, & diſſolvens. Diſſolvit ſiquidem pravos humores, partes continentes, adjuvando. Etiam ab hoc ſpiritus, ut ſuprà diximus, elicitur, præſtantiſſimus.

Mercur. adverſus peſtem, Epilepſ. apopl. &c.

Mercur. per ſe calcinati doſis.

Mercurii coctio cum auro.

Mercurii ſublimatio.

Cum aliis; & jam ſublimatus, nonnullis etiam modis à nobis excoquitur, & potiſſimùm cum auro. Præmittitur ferè ſemper ſublimatio, maximè ut is priùs probè repurgetur; purgatio enim illa, quæ fit cum ſale, & aceto, nullius ferè eſt momenti. Quantum ad ſublimationem, eam ſic paramus. Accipio mercurii ſelecti ℔. j. vitrioli

vitrioli rubificati, ſalis nitri, an. ℔. j. terantur ſimul paulatim, & ex arte probè miſceantur. Mixta bocciæ ſatis amplæ & capaci, cum collo oblongo, ſapientiæ luto priùs loricatæ indantur, ſicque boccia igni ſuppoſita, eum primò lenem, paulo poſt fortiorem, & tandem fortiſſimum excipit, ad 10. vel 12. horas. Refrigerato furno, ſublimatum à vitro ſegregatur, quod denuò cum ſolo colchotare ſublimatur, & tandem tertiò, quartò, & quintò, per ſe iterum ſublimatur, & in his ultimis ſublimationibus evadit pellucidum, veluti vitrum Venetianum, quod cryſtallum vocatur.

Cryſtalli inſtar.

Item cum ſale communi, & alumine rochæ ſublimatio inſtitui poteſt; nec etiam dubito, quin & cum aliis ſublimari poſſit. Ut verò puriſſimum, & perfectiſſimum argentum vivum ad prædictas operationes habeamus, dictum ſublimatum accipimus, eumque per retortam, cum duplo, vel æquali portione calcis vivæ, ex tartaro uſto, & una parte farinæ volatilis, diſtillamus, & in recipiente aquâ frigidâ ſemipleno prodit Mercurius, qui regeneratus dicitur, à nonnullis Philoſophicus, quem Quercetanus Mercurio metallorum æquiparat. Hunc regeneratum Mercurium ſanare lepram, jamdudum prodidit Theoph. Paracelſ. *in lib. de cauſis, & origine luis Gallicæ.*

Mercur. regeneratio.

Mercurius Philoſophicus quid.

Mercurius regenerati vis.

Suprà jam diximus, ſolo Mercurii ſpiritu nos uti ad intrinſecos uſus; quod quidem verum eſt, ſi is priùs crudam, & immaturam ſuam naturam depoſuerit.

Etenim is eſt adeò crudus, ut ſic exhibitus mille mala ipſis morbis deteriora concitare poſſit, quod rectè annotavit Theoph. Parac. *in lib. de curatione luis Gallicæ.*

Mercurius crudus intus non eſt dandus.

Itaque coctio in Mercurio parando apprimè procuranda venit, in qua coctione Mercurius debet ſuam mobilitatem deponere, ſuum etiam ſaporem auſterum mutare, quod omnes aſſequi haud poſſe maximè diffido; qui enim hanc methodum ſemel nacti ſunt, eam nemini impertiri volunt. Interim communia, & paratu facilia afferamus, & ea quæ in communem uſum quotidiè cedunt: ab his enim ad abditiora facilior eſt tranſitus. Mercurius diaphoreticus concoctione talis redditur, cujus parandi formula habetur apud Theoph. Paracelſ. *lib. 2. de impoſt. in curat. luis venereæ corr80ect.*

Cocti mercur. conditiones.

♃. Mercurii cum ſtanno coagulati, q. ſ. redigatur in tenuiſſimum pulverem, qui in aureâ ſcutellâ in aceto vini conſtitutâ, ac vino ſublimato repletâ aliquandiu aſſervetur: tandem vinum alcoholizatum accendatur, idque aliquoties iteretur, & videbis vinum, mercurium, ac ſtannum in quandam oleitatem reſolvi. Uſus (inquit) hujus olei, eſt granum unum in vino optimo, atque æger ſtragulis optimè tectus, ad ſudorem ſe componat; ſudoris autem normam ac modum, experientia abundè docebit. Ex Mercurio corallato, qui ab eodem Mercurius laxus dicitur, ſimilis liquor paratur. Fit verò corallatus cum aqua ovorum ab eo pluries diſtillata. Alia præparatio à nobis non ſemel uſurpata, apud Penotum *lib. de medicam. chymicis* ſic habetur.

Mercurius Diaphoretici præparatio.

Vſus mercurii diaphoretici.

Mercurius corallatus. Mercurius laxus. Altera mercur. diaphoretici præparat.

Purgetur Mercurius ſale ſiccato, & ſublimetur cum vitriolo, ſale communi, & ſale petræ, ut artis eſt: poſtea aceto diſtillato ſolvatur, diſtilletur acetum, materia ſiccetur, pòſt ſpiritu vini correcto digeratur, donec in mucoſam pinguedinem tranſeat. Hinc liquor extrahitur, & in arena fortiſſimo igne urgetur, quoad humor lactis inſtar exſtillet: hoc iterum affunditur, & oleum albiſſimum, ac ſuaviſſimum, omnis erodentis facultatis expers provenit. Per os aſſumptum, veſicæ, faucium, aliarumque partium abditarum exulcerationem perſanat, & renum morbos per ſudores urinamque diſcutit.

Mercurius diaph. ret. vires.

Præcipitatio, quæ fit cum ſmiride, coctionis ſpeciem repræſentat; verùm ea, quæ fit cum auro priùs in ſalem reducto, longè præſtantior eſt. At ſalem auri conficere arduum, & perdifficile eſt: ideò his ſatius ſuperſedendum duco, quàm legentis mentem tricis involvere. Rurſus alias Mercurii coctiones agnovimus, quibus etiam pro re nata nonnunquam utimur. Ad has priùs coagulatur Mercurius, qui ſi regeneratus, melior, cum ſpiritu cujuſvis metalli, accipiendo partem unam Mercurii, ſalis communis partes tres, vel quatuor, metalli, ex quo vis educere ſpiritum, partes ſex, vel circiter, quod parum referat doſim ſervare ad unguem: coquantur ſimul cum aqua puteali in nonnullis metallis, ex quibus ſpiritus facilè educitur; in aliis cum alio liquore, aceto, vino, &c. Simili methodo omnium metallorum vim, & facultatem ad ſe allicit; eſt enim naturæ verſatilis, & aliorum planetarum impreſſiones facilè ſuſcipit. Cum Marte verò, ob innatam inimicitiam, medium requirit, putà vitriolum: Ideò loco ſalis, pono vitriolum, & maximè Cyprinum; vix enim cum alio vitriolo ſuccedit operatio.

Mercur. præcipitatio cum ſmiride.

Mercur. coctio cum auro.

Coagulatio mercurii per ſpiritus metall.

Mercurius naturæ verſatilis.

Mercurius Marti inimicus.

Sub qua conſideratione ſicco pede non eſt tranſigendum, quo pactò ferrum cum mercurio amalgametur. Fit itaque ejuſmodi amalgama cum ferro recentiſſimè limato & mercurio optimè purgato, ſufficienti quantitate vitrioli cærulei adjectâ, cum debita portione aceti acerrimi, excoquantur ſimul per tres, vel quatuor horas, atque ſpatulâ ligneâ aſſiduè moveantur, novum acetum ſemper addendo: projiciantur omnia in aquam frigidam, & mercurius à ferro, & aliis ſegregatur, atque demum per corium impellatur, ſic in corio habebis amalgama. Cum ære pariter amalgama parari poteſt, imo citiùs, nec tanto cum labore.

Amalgama ferri cum mercurio.

Mercur. amalgama cum ære.

Præcipitata omnia primo intuitu quoddam coctionis rudimentum demonſtrant, attamen mercurius adhuc crudus in his planè exiſtit.

Hæc verò præcipitatio, in hoc minerali propriè calcinatio eſt, quæ varia à compluribus excogitata fuit. Commune præcipitatum fit cum una parte mercurii, & duabus aquæ fortis communis, in matrario, vel alio vaſe vitreo, evaporando aquam fortem ad ignem apertum: manet in fundo vaſis præcipitatum colore flavum, & ſubrubrum.

Præcipitatum vulgare.

Per retortam commodiſſimè poterit perfici iſthæc operatio, cum qua elicies aquam fortem ad plurimos uſus neceſſariam. Eſt & aqua fortis adeò potens, ut æquali portione præcipitare poſſit mercurium: talis eſt ea, quæ fit cum ſuo bolo armeno, vel cum alumine uſto, & ſale nitro; huic tanta vis ineſt, ut ferè in momento mercurium præcipitet, etiam citra ullum calorem. Fugaces ſpiritus nitri à præcipitato per ſublimationem abſumuntur; ſiquidem ejuſmodi præcipitatum facillimè per ſe cum boccia ordinaria ſublimatur. Quòd ſi adhuc ſpiritus magis hebetiores reddere cupis, ſublimationem ter, & quater repete. Hac viâ duplicem operationem perfeciſti, præcipitationem, & ſublimationem, ex rubro album, & pellucidum reddidiſti mercurium. Inſuper ſi ſublimatum dulce deſideras, huic ſublimato commiſce, terendo, æqualem portionem mercurii, & iterum ſublima. Quòd ſi adhuc ulteriùs pergere velis, eodem calle ſalem lanuginoſum, & cryſtallos parare poteris, ut ſuprà commemoravimus, è quibus liquores præſtantiſſimos conficimus. Hinc vides, quàm arcta præparationum mercurii connexio, ut inde mirum non ſit, ſi unam exponendo, plures amplecti cogar. Interim cùm de variis præcipitationum formulis ſermonem inſtituerim, non abs re eſſet, ſi præcipuas & ſelectiores, nedum à nobis jamdudum probatas, verùm & aliorum publico teſtimonio communis juris factas, hîc interſererem.

Mercur. in momento præcipitare ſine igne.

Fugaces ſpiritus nitri per ſublimationes enervari.

Sublimatum ex præcipitato.

Sublimatum dulce.

Arcta mercurii præparationum connexio.

Præcipitatum album, neſcio à quo edoctæ nonnullæ mulieres nobiliſſimæ Gallæ, quæ id pro nitore faciei comparando, in uſum traducunt. Fit verò mercurio in aqua forti diſſoluto, atque in aquam ſalſam effuſo. Aqua fortis, & ſalſedo omnis, variis abſolutionibus ab eo removetur. Sub fine aquâ roſaceâ, vel aliâ odoriferâ abluitur, & poſtmodum exſiccatur. Pulvere hoc præcipitato utuntur per os nonnulli; at errant toto cœlo: repercutiuntur quidem adjectione ſalſæ aquæ ſpiritus aquæ fortis, firmiuſque tunc pulveri hærent, non verò in totùm recedunt. Extrinſecùs ejus uſus in ulceribus cancroſis ſummoperè nobis arridet: Intus exhibitum per inferiora tantùm purgat, & maximè ſi aqua fortis ſine vitriolo facta ſit; ſecùs, vomitum plerumque concitat.

Præcipitati albi præparatio.

Ejus uſus.

Spiritus aquæ fortis per ablutionem haud removeri.

Cum duplici pondere olei ſulphuris rectificati præcipitatur etiam in pulverem album. Et quia oleum non eſt tantæ activitatis, ut eſt aqua fortis, ideò per retortam oleum à mercurio deſtilletur: variis cohobiis repetitis: pulverem, ſive maſſam albam tere, & lava calidâ aquâ, & hoc tamdiu, quoad in pulverem flavum vertatur. Hujus uſus non eſt adeò formidabilis, ut prioris. Doſis ſingulorum eſt 3. 4. 5. & 10. granorum, pro viribus aſſumentis.

Præcipitati albi vis & facultas.

Alia præcipitati albi præparatio.

Cum oleo vitrioli in præcipitatum quoque vertitur. Quòd ſi ſublimatio præcedat, nobilius, & præſtantius erit præcipitatum. Per retortam mercurius præcipitatus ab oleo vitrioli ſegregatur: atque tum aquam vitæ optimam ab eo pluries abſtractam, ferunt Chryſopœi materiam eſſe auro (cui plus juſto anhelant) augendo idoneam. Hoc præcipitatum, ſi cum unà parte calcis Lunæ, & alterâ ſalis armoniaci, ad duas partes ipſius præcipitati, per ignem ſublevetur, in fundo vaſis relinquit materiam pulcherrimam auro perſimilem; hæc denuò in crucibulo fuſa, vitrum fixum, & tranſparens relinquit.

Vitrum mercurii.

Præcipitatum cum ſmiride, nî fallor, vanâ lucri ſpecie excogitatum, etiamnum in uſum Medicum adducitur: fitque ipſum cum aqua regia, quæ à ſmiride calcinato educta fuerit. Sic plures aquæ regiæ ſmiridis colore prægnantes, per evaporationem in viſcidam aquam verſæ, brevi tempore mercurium præcipitant.

Præcipitatum cum ſmiride.

Præcipitatum alio modo fit rubicundiſſimum, ſanguinis inſtar, hoc modo. ℞. Sublimati eſſenſificati q. ſ. hoc diſſolve aquâ communi per ſimplicem ebulitionem, diſſoluto guttatim affunde olei, liquoriſve reſoluti ſalis tartari, ℥. aliquot, & quàmprimùm mercurius in fundo vaſis cadit in pulverem rubicundiſſimum, qui verè poteſt appellari magiſterium mercurii. Dulce pariter efficitur variis ablutionibus cum aqua communi ſtillatitia factis. Ex hoc quoque liquores, olea, & balſama confici poſſunt, de quibus, ut de multis aliis, quum nobis licuerit otiis commodiùs vacare, fuſiùs dicturi ſumus. Nunc ſupereſt ejus uſum, vires & facultates, nobis compertas ſaltem, connotare. Quoad ejus uſum, certè cuilibet aſſerere poſſum, eum eſſe adeò obſcurum, & difficilem, ut nullo pacto literis poſſit commodè tradi. Garriant quicquid velint agyrtæ, & circulatores fumivenduli, ſe plures hoc medio ſanâſſe, ſeque verum, & legitimum ejus uſum poſſidere: perrari ſunt tamen illi, qui ejus naturam perſpectam habeant; etenim ſolâ experientiâ ipſe addiſcitur. Varius equidem eſt mercurius, & mineralium, & metallorum facultates facilè induit, miram ſympathiam, & antipathiam in noſtris corporibus exercet, & in certis temporibus meliùs, quàm in aliis. Nonnullos lue venereâ infectos mirificè ſanat, alios plerumque ob ejus antipathiam, non modò non ſanat, verùm & morbum contumaciorem, imò & incurabilem ſæpè reddit; ultra graviora mala, ac ſymptomata, quæ malo primo longè deteriora efficit. Humidi in univerſum ejus uſum non tantum abhorrent, ut ſicci, & melancholici. Quidam bilioſi ejus uſum omninò reformidant. Commodiùs Hyeme, quàm Æſtate; mediis verò temporibus, Vere, & Autumno, commodiſſimè. In auſtrina temporis conſtitutione tutiùs, quàm in boreali, & his proximè mediis conſtitutionibus. Quantùm ad ejus facultates, exiſtimo ſanè eas nondum eſſe compertas, propter varietatem ſuarum operationum, refrigeretne, an excalefaciat, certant adhuc Chymiæ ignari. Utrâque vi pollere manifeſtum eſt: Quòd enim refrigeret, jam patet ſenſibus; quòd verò excalefaciat, dum incidit, attenuat, diſſolvit, purgat, & ſimilia præſtat, nemo inficiabitur. At non his qualitatibus tantummodò inhærendum ſuadeo, verùm magis ſpecificis,

Magiſterium mercurii.

Mercurii uſus, facultas & vires.

Mercurii uſus perdifficilis.

Pauci mercur. naturam callent.

Luem veneream ſæpè contumaciorem reddit.

Humidi facilè mercurii uſum admittunt.

Quibus temporibus ſit exhibendus mercur.

Qualitates mercur. adhuc non ſatis compertæ.

ſpecificis, & individualibus. Sub quâ conſideratione ipſum agnoſcimus dura pleraque diſſolvere, & multa alia coagulare. Crudus, & incoctus ſemper corpori nocet; contrà coctus, & ad perfectam maturationem adductus, omnibus prodeſt. Durities quaſcunque in quocunque loco factas diſſolvit, & attenuat: jecori, lieni, cordi, & carnoſis partibus ſuccurrit: cerebro non ſemper tutò adhibetur: pulmonibus obeſt, & renibus: ſiccis etiam partibus, nervis, membranis, & oſſibus frigore ſuo, ſaporeque pontico non parum adverſatur: ſalſos humores denſat, & laxam cutim ſalſo ſudore conſperſam adſtringit. Mirum dictu quàm facilè omnem putrilaginem, vermes, & omnia animalcula fuget, & enecet. Blandè alvum ſubducit, & bilem clementer purgat. Luem veneream potenter dejicere, à multis creditur: & quidem in eam ſummum habere imperium pluries expertus ſum; at non ſemper, & in multis ſæpè morbum contumaciorem reddit. Epilepſiæ, apoplexiæ, vertigini, hydropi, & aliis ſimilibus multum confert. Aliis denique affectibus ac graviſſimis morbis medetur, tam intrinſecis quàm extrinſecis; ſed practicum, & exercitatiſſimum Medicum requirit. Nec hoc quidem ſatis inculcare valeo, propter agyrtas, & circumforaneos, item propter quoſdam ignaros Medicos, qui vix à limine Chymiam ſalutârunt, ſe tamen archichymicos unicuique divendere non erubeſcunt. De ipſius uſu, & facultatibus ulteriùs non progredior, garrulis pſittacis id diſſuadentibus; deſides enim illi nihil boni probare ſolent. Qui plura deſiderat, legat Theoph. P. Penotum, Dornæum, Quercetanum, Crollium, Phædronem, & alios.

Mercurius crudus ſemper malus. cerebro, pulmonibus, renibus, nervis, membr. & oſſibus contrarius.

NOTÆ

in CAPUT XIII.

(*a*) *De Mercurio.* Mercurius dicitur virgineus, qui reperitur in ipſis fodinis & ſine igne exprimitur & appellatur *gediegen Queckſilber*; præcipua vena quæ mercurium fundit. eſt Idriæ in Ducatu Carneoliæ. Mercurius beneficio ignis ex retorta ſæpius propulſus mutatur tandem in pulverem gryſeum non reducibilem, aſt minus fixum.

Spiritus mercurialis parari ſic poteſt. Spiritus vini rectificatiſſimus abſtrahatur ſuper mercurium ſpiritu nitri ſublimatum, poſtquam prius per aliquot dies ſteterit in digeſtione. Hoc negotium ad minimum vigeſies repetatur, ſic dulcis evadit mercurius, qui cum anatica proportione croci auri mixtus, debito ignis temperamento, faceſſit in medicamentum ſummæ activitatis. Spiritus ſuavem & penetrantem habet odorem, ſapore paulum acidulus eſt: Si inſtilletur ſpiritus ſalis ammoniaci, evadit albus, ac parum turbidus. Menſtruum eſt excellentiſſimum ad varia metalla & mineralia ſolvenda & extrahenda.

Mercurii decoctio cum aqua facta coſmetica virtute imbuitur, teſtante *Byleo in Chymiſta Sceptico p.* 133. Ad delendas maculas faciei & guttam roſaceam probatiſſimæ virtutis eſt aqua florum fabarum, ſi in ejus libra una unicum ſaltim granum mercurii ſublimati ſolvatur. Mercurius puriſſimus, qualis ex cinnabari antimonii vel mercurio ſublimato regeneratur, per ſe vel cum metallis perfectioribus, mediante continuato conveniente ignis gradu in pulverem redactus, rubicundum vomitum excitat, ulteriori expoſitus igni, eoque graduato vix alvum ſubducit, diutius detentus fortiori adhibito ignis gradu acquirit vires per inſenſibilem tranſpirationem operantes in morbis contumaciſſimis. Notabile eſt, mercurium cum ſole & luna decenter amalgamatum & inditum phiolæ brevi tempore interjecto, debito ignis gradu adhibito, tranſire in arborem elegantiſſimis ramulis & coloribus ſplendentem, quæ vitri lateribus adhæret.

Mercurius coagulatus & diaphoreticus ſequenti ratione fieri poteſt; Diſſolvatur auri portio in aqua Regis, identidem antimonium ſeorſim in eadem aqua: alio vitro ſtannum in aqua forti mitigata, ſolutiones has infunde mercurio, mixturam agita, ſic promte abit in coagulum, abſorbendo particulas metallicas, abſtrahatur ſpiritus acidus, & accendatur crebrius ſpiritus vini rectificatiſſimus ſuper pulverem remanentem, qui decenter exhibitus in morbis rebellibus partim ſalivatione, partim diaphoreſi mirificam fert opem.

Mercurius philoſophicus, puriſſimus, ſpirituoſus arſenicali ſua parte maximam partem orbatur, optime paratur ad præſcriptum *Philalethæ* vide *Introitum apertum ad occluſum regis palatium*, item *Riphæum redivivum.* Mercurius amalgametur cum regulo antimonii marțiali, quod alias difficillime procedit, niſi conjunctione aliorum corporum, quæ binæ Dianæ columbæ à *Philaletha* ſalutari ſolent. Per has *Suchtenius* intelligit duas partes lunæ: Becherus *in ſupplemento phyſicæ ſubterraneæ* duo ſalia, nimirum ſal alkali & ſal ammoniacum, utrâque via negotium ſuccedit: verùm melius eſt, præter duas partes argenti quibus regulus martialis igne admiſcetur, dicta ſalia ſimul in conſortium aſſumere, ſic longe felicius res peragitur, cardo autem totius rei conſiſtit in repetita ſublimatione mercurii ab iſtis corporibus, & exactiſſima ac longiori trituratione ac lotione. Notabile eſt, quod luna cum tali mercurio mixta amalgama conſtituat, quod leni ignis calore duriſſimum evadit. In Anglia ante quindecim annos retulit mihi chymicus perſpicaciſſimi ingenii, ſe quoties mercurium per decem ſublimationes nobilitatum ex retorta deſtillaverit, inveniſſe aliquot grana pulveris rubicundi inſtar arenæ rubræ, quæ cum borrace reducta fuerunt in puriſſimum aurum. Certiſſimum hoc eſt, quod tali modo depuratus mercurius ſive cum auro decenti longiore digeſtione reducatur in pulverem; ſive cum depurato ſulphure minerali puriſſimo abeat in cinnabarinum concretum, vel extemporanea elaboratione in æthiopem mineralem, præbere remedium, quod ſub exiliſſima doſi efficaciſſimum ſit, permeando totam corporis ſphæram, anguſtiſſimoſque partium tubulos, ubi obſtructiones & humores ſtagnantes egregie diſſolvit & diſſipat. Mercurius cum luna ex facili amalgamatur, at vero ſi hæc cum minima ſaltim ſulphuris quantitate cæmentetur, omnem amalgamationem & conjunctionem reſpuit. Mercurialia ſive in unguento ſive in emplaſtro pulſibus applicata, vel pedum plantis, facillime movent ſalivam & fauces petunt, anguſtiam ibi excitando. Helmontius in tract. catarrhi deliramenta: Mercurius foris illitus fauces, dentes, linguam afficit, imò mercuriali aſſumto larinx ac fauces nonnunquam præcluduntur.

Quandò ſulphur cum æquali parte mercurii ſublimati miſcetur, & deſtillatio in retorta adornatur, aſcendit ſublimatus cum ſulphure mixtus flavus inſtar ſulphuris, elegantibus ſtriis cryſtallinis apparens. Caput mortuum relinquitur inſtar antimonii nigrum, ſcoriæ quæ adhærent ſunt gryſei coloris. Crediderim, quod hac encheireſi ſi mercurius crebrius cum ſulphure tractetur & ſublimetur, tandem deponat omnes ſuas ſcorias atque impuritates, & fiat puriſſimus. Cinnabaris medicamentum mercuriale eſt, & prout ſulphure puriori vel antimoniali, item ſubtiliori mercurio conſtat, variat ejus virtus. Una pars ſulphuris ſufficit ad ſeptem partes mercurii. Ex tempore parari poteſt intra duarum horarum ſpatium, ſi cum ſulphure probe miſceatur mercurius leniori igne: Maſſa indatur cucurbitæ vitreæ & immittatur crucibulo. Sic fortiſſimo igne ſublimatur cinnabaris. Cinnabaris antimonii in maxima quantitate fit, ſi deſtilletur igne aperto ex retorta. vid. tractat. noſt. de Cinnab. ant.

Quando ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis urinoſus affunditur corpori mercuriali, ſive argento vivo bene depurato, diſſolvit partes quaſdam mercurii ſubtilioris, & ſingulari odore nec non ſapore ac virtute reſolvente imbuitur.

Securiſſimum ex mercurialibus medicamentum eſt cinnabaris, ſive vulgaris rite præparata, antimonii aut nativa. Cinnabaris eſt mercurius ſulphuris, ramoſo contextu ligatus ac exceptus, ut non tam facile ſalia acida ejus texturam aggredi ac corroſivam qualitatem producere queant: quare cinnabarina rarius efficiunt ſalivationem. Præſentiſſimam opem ferunt in epilepſia, vertigine, affectibus capitis, qui à ſero vel ſanguine extravaſato ortum ducunt, quem egregie reſolvunt, quod bene notandum, in majori & ſæpius repetita doſi exhibenda ſunt; aliquoties feliciſſimo cum ſucceſſu epilepſiam ex graviſſima capitis contuſione ortam expugnavi cinnabarinis, offerendo pro una doſi ſemper ſcrupulum unum cum aqua cephalica, bis de die, continuando per decem uſque dies, ſola ſaltem adhibita cucupha ex caryophyllis, aromaticis, cubebis & cardamomo.

Cinnabarinis flammeus & ſumme coccineus color conciliari poteſt, affuſa certi ſalis ſolutione & exactiſſima trituratione & lævigatione in marmore. Metallica, mercurialia gravia, quo exactius ſunt triturata & in ſubtiliſſimum pollinem redacta, eò nobiliores ſunt illorum virtutes.

CAPUT XIV.

De ſecretioribus Metallorum præparationibus, & uſu.

EXactâ in ſuperioribus mineralium pharmaciâ, nunc ad metalla deveniendum. Et primùm ad aurum, tanquam omnium optatiſſimum, & perfectiſſimum. Quâ in re, ob rei difficultatem, nobis haud ſatis notam, quid de eo ſenſerint alii, breviter recenſebimus; quid poſtea ferat noſtra opinio, more noſtro paucis aperiemus.

(*a*) *De Auro.*

CIrca Auri appellationem, aliquam latere æquivocationem reperio. Quidam enim pro auro, non id quod communiter proſtat, & cui hodie rerum meta, & pretium aptatur, avaritiæ fonti, à quo mille incommoda vitæ continenter profluunt, accipiunt: ſed quandam materiam, ſanitatis radicem, & uberrimum fontem, nullius invidiæ ſubditam, ſolis probis, & veris Medicis notam, de qua longè plura, quàm de vulgari auro, ſublimia decantant. Sol etiam aurum cæleſte dicitur. Vulgare verò aurum, cui propriè hæc competit appellatio, & ad quod verè præſens noſter dirigitur ſermo, nullo vocis ſignificatu laborat. Hujus nominis etymon quidam nimis curioſi deducunt ab Hebræâ voce, *aor*, quæ lucem ſignificat. Hebræi tamen id aliâ voce efferunt, *betzar*, quaſi in tribulatione, ſiccitate; *tzar* enim tribulatio, & ſiccitas, & præpoſitio *ben.* Item *zahu* à colore, & puritate, alii à Græco ὁρέω, quod eſt cuſtodio. Alii χρυσὸν dicunt ab inventore. Poteſt & ab illa voce ὦρος, quâ Sol apud Ægyptios dicitur. Inſignitur & aliis nominibus penes Chymicos: nunc enim Solem ipſum nominant, nunc ſulphur fixum, fermentum, ſperma, tincturam, & alia. Olim Græcis ejus in Medicina uſus fuit incognitus. Arabes primi tanti metalli vires experti ſunt, atque ſuis compoſitionibus immiſcuerunt, limatum primùm, aut in foliola redactum, quam craſſam præparationem adhuc pharmacopôlæ noſtri retinent: quo cum fructu, adhuc inexploratum habeo. Id à noſtri ventriculi calori atteri ſubigi, & concoqui nequit; at tunicis ventriculi, & inteſtinorum hærere poſſe, ſæpè compertum eſt, inde ſymptomata graviſſima non rarò emergunt. Chymicos, hac in re ſolertes, & ingenioſos comperimus, ut qui variis, & præſtantiſſimis inventis Pharmaceuticam non modò auxerunt, & ditârunt; verùm & ad ſummum perduxerunt: inter quos primas tenent Raimund. Lull. Arnaldus Villanovanus, Theoph. Germanus, quibus viam ſtraviſſe Iſaacum Hollandum, Johannem de Rupeſciſſa, & F. Baſilium Valentinum quodammodo creditur. Ab his multi alii profluxerunt, ut Gerardus Dorneus, Penotus, Ulſtadius, Phædronus, Quercetanus, Crollius & alii penè innumeri; ut interim vetuſtiſſimos præ brevitate omittam.

Nomen auri æquivocum.

Dabab.

Summa hujus metalli præparatio in diſſolutione conſiſtit. Diſſolutio verò procuranda eſt ſine corroſivis; ſecùs non medicamentum, ſed venenum conficitur. At ſunt corroſiva, ea omnia, quæ è ſalis ſpiritibus educuntur: In quo loco reponendus eſt tædioſus ille labor, qui ex aqua puteali fit, cum reverà per id laboris nihil aliud quàm ſpiritus ſalis armoniaci proliciatur, quod ſapore & colore, quo digitos inficit, facilè cognoſcitur. Aquam vitæ alkalizatam, ut & acetum alkalizatum idipſum diſſolvere poſſe, minimè diffido; ſed ejuſmodi modus perobſcurus eſt, & ejus calcinatio vera præmittenda venit. Quod de eo ænigmaticè loquutus eſt Parac. ambiguum eſt admodum, nec quid velit à quopiam percipitur. Legitimum diſſolvens à multis aqua vitæ dicitur, à nonnullis *azot*, & quibuſdam mercurius, ſpiritus, ignis, & alia pro uniuſcujuſque captu nacta. Quid ſit tandem, videant, ne nobis impoſſibilia, lapide ſuo imaginario cuncta in aurum vertente obſcuriora, obtrudant. Si tanti arcani fuerint participes, cur non ſibi ipſis ſaltem profuerint? ſi aurum condendi ars tam familiaris, ubi tot divitiæ, & opes contractæ? ſi mortis, & ſanitatis tutelare præſidium, cur non morborum immunes longiſſimè vixerint? cur non morborum ſeminariis eodem funditùs evulſis, ſenectam depoſuerint? at hi ut plurimùm morboſi, crudaque ſenectute confecti, ocyſſimè occubuerunt. Siccine deluditur veſtrarum præceptionum labor? commentariane ſunt, tot tamque varia de eo à vobis decantata encomia? ſed quorſum iſthæc? liceat unicuique proprio ſenſu abundare. Quercetanus *lib. de præparat. medic. Spagyr. cap.* 1. auri diſſolvens duplex facit, ſpiritum acerrimum, & ſanguinem hydræ, quo in loco medium, quo educitur color à diſſoluto, alcohol glaciati corneoli proponit.

ponit. Quid ſit ſpiritus ille acerrimus, aqua regia, an fortis alia ex ſale marino, ut & ſanguis hydræ, parum laboramus, ſolâ voce iſthæc corroſiva nobis innoteſcunt: ipſius item alcohol glaciati corneoli, ſive aqua vitæ ſit alkalizata, ſive aliud quippiam ſimile, nobis admodum ſuſpecta eſt hujuſmodi præparatio; nec minùs reliqua *in eodem capite* eodem filo contexta, quæ nî fallor ex Paracelſo deſumpta ſunt, & maximè ex *Chirurg. mag. lib.* 2. quo argumento multos vanitatis, & gloriolæ cupidos deprehendere licet. Paracelſum nemo intelligit, quis Quercetanum idem per obſcuriora dicentem? Idem author in *ſua Tetrade cap.* 32. de Sole & Luna, unam ſibi compertam multis verbis ænigmaticè depingit. At quis non videt deſcriptionem fundamento à ſe & aliis poſito minimè quadrare? Quod inibi Philoſophicè calcinatum appellat, id fit cum ſale armoniaco cum reſoluto ſale tartari, ut de fulminante auro habetur. Stygiam poſtea aquam è fontibus draconis omnivori glaciatam, eſſe corroſivam ſatis liquet: & inſuper colorem ibi mutaturum ſolem in nigrum. Ex mercurio corroſivis ſpiritibus imbuto fieri, manifeſtè patet hucuſque dictam præparationem, mortificationem nuncupatam, quâ variis ablutionibus repetitis, ſplendidum, & magis nitidum redditur; à quo poſtmodum per ſpiritum fructuum juniperi tincturam elici docet: quam tandem Saturni balſamo æthereo exerceri vult per alembicum, crebris cohobationibus ad hoc repetitis. Hujuſce præparationis veritatem penes ſuum authorem relinquimus, nec propterea tanti viri fidem labefactare, aut ſuſpectam reddere nobis eſt animus. Scimus pro certiſſimo, ejuſmodi calcinationem, & diſſolutionem haud eſſe legitimam, & Saturni ſpiritum, quamvis ardentem & ſubtiliſſimum, aurum minimè tangere, minùs quemcunque ſpiritum fructuum juniperi. His fortè alia præſtantiora diſſolventium genera nobis occuluit. Tincturam, quam ferunt per lapidem pumicis educi poſſe, manibus propriis tractavimus; eam tamen nec probamus, nec aliis parandam ſuademus.

Per oleum juniperi creditur quoque aurum propriâ tincturâ ſpoliari poſſe, cujus credulitati neminem parum in chymicis verſatum hærere exiſtimo. Cæterùm paſſim in Chymicorum libris varia tincturarum, & auri potabilis præparationum genera offendes, quæ (nî fallor) incerta, impoſſibilia, & omninò à veritate aliena cenſemus. Quid tandem de vera, & legitima ejus præparatione ſentiam, paucis ſic habeto. Aurum prius ſuâ naturâ metallicâ ſpoliandum venit, quod omnes ferè innuere videntur; at in modo docendo nos fallunt, vel ipſis ſic volentibus, vel his planè rudibus, & ignaris: hoc verò fit per calcinationem. Calcinatio ejuſmodi non fit cum aquis fortibus ſale armoniaco exaſperatis; minùs per ſpiritum ſalis urinæ, nec itidem per quemvis ſpiritum ſalium. Spiritus ſalis aquæ communis optimè aurum ſolvit, & tamen vera non eſt ſolutio, nec calcinatio ulla ejus medio fieri poteſt; aurum etenim his calcinatum iterum in corpus revertitur. At vera calcinatio fit cum quadruplo corporis ſicci diſſolubilis, trituratione diligenti præmiſsâ; prunis ardentiſſimis tunc probè calcinatur, calcinatum liquore acido potabili diſſolvitur, à quo poſtmodum cum ſpiritu ſulphureo pariter potabili, tinctura à corpore ſegregatur. Sic verùm, & legitimum aurum potabile habes cum ſua tinctura. Si ulteriùs pergere velis, aurum eſt apertum, facilè tibi erit vitriolum, eſſentiam quintam, magiſterium, & alia arcana parare. Quòd ſi primâ vice corpus auri non ſit ſatis apertum, calcinationem reitera, imò ter, & quater: quò plus, eò melius. Jam ſic calcinatum maximas virtutes obtinet, eoque tunc frequenter utimur citra tincturæ extractionem, aut aliam ſolutionem.

Auri calcinatio vera.

Auri potabilis legitima præparatio.

Calcinationes vulgatas ſuis carere dotibus minimè exiſtimamus, eâ de re nonnullas nobis notas hîc delineare haud infrugi duco.

Calcinationes communes duplici viâ potiſſimùm fiunt, per mercurium, & per aquas fortes, quas regias vocant. Per mercurium accipiunt ſolis puriſſimi in bracteolas, vel tenuiſſima folia reducti partem unam, mercurii vivi partes 6. vel 8. Mercurio parum concalefacto additur aurum, idipſum probè miſcendo piſtillo ligneo: atque hoc fit extra ignem. Tum amalgama aquâ dulci multoties abluatur, donec omnis nigredo recedat. Superfluum Mercurium per corium exprimimus, & in corio manet amalgama, quod iterum accipimus, cum duplo ponderis ſalis albi decrepitati, utrumque fortiter ſimul terendo in mortariolo, vel lapide marmoreo cavo, cum piſtillo etiam marmoreo: Poſtmodum materia crucibulo indita, prunis ardentiſſimis committitur, à qua Mercurius recedit. Sal per ablutionem aquæ dulcis ab auri calce ſegregatur. Calx adhuc tenuior redditur, ſi ea bis, vel ter cum duplo florum ſulphuris comburatur. Fit & calcinatio cum ſolo Mercurio, ſed non adeò perfecta, & cum aliquo detrimento.

Item cum Mercurio ſublimato, modo haud valde diſſimili.

Item cum ſale armoniaco, ſale communi, & ſale aquæ communis.

Per aquas fortes ſale armoniaco exaſperatas, aurum in calcem vertitur, accipiendo aquæ fortis, ℥. iv. ſalis armoniaci, ℥. j. auri puriſſimi, ℥. ß. diſſolvuntur omnia lento calore in urinali vitreo; poſtmodum humiditatem omnem evapora, & remanet aurum cum ſale armoniaco calcinato. Per validum ignem ſalem ſublimando, dictum ſalem ab auro ſeparabis; item per adjectionem ſalis tartari; & poſtea per ablutionem cum aqua communi exſtillatur, & aqua regis ſine fæcibus, & ſic ſimplex evaporatio ſufficit. Aurum poſtmodum in aqua regis ordinaria ſolutum, & cum ſale tartari reſoluto repercuſſum in tenuiſſimam calcem vertitur, quæ poſtmodum aquâ communi pluries lota, evadit tenuiſſima, fitque illud aurum ſclopetarium, volatile, ceraunochryſon; quâ occaſione ab aëre calido exſiccanda venit, ne ignem concipiat; ſecùs ejuſmodi

Aurum ſclopetarium.

modi aurum concipiens ignem, ingenti cum ſtrepitu vaſa etiam fortiſſima diſrumpit, & in mille partes diſtrahit, fulminis ad inſtar; quâ ratione & aurum fulminans, à multis dicitur. Hujus operationis cauſam Crollius refert antipathiæ ſalis armoniaci cum mixtis, & medio ol. tartari compactis, & denſatis, aurum ob ſuum pondus vim fulminantem ſalis nitri ad ſe trahit, unde vires ſuas inferiùs exerit. Aurum præterea in calcem reducitur per ſpiritum ſalis aquæ communis. Solvitur primò aurum cum ſufficienti quantitate dicti ſpiritus, ſolutum evapora lento igne, & in fundo calx relinquitur. Aurum ſolvitur etiam cum ſpiritu urinæ hominis, & ſolutum, modo ſupradicto exſiccatur, & in calcem reducitur. Rurſùs ſolvitur aurum cum oleo ſeu liquore antimonii, & poſtmodum in pulcherrimum vitrum evadit, cujus vires etiam maximæ ſunt. Hoc denuò vitrum in calcem facillimè vertitur, atque ab ea tincturam proprio diſſolvente extrahere poteris. In calcem tandem vertitur aurum cum ſpiritu ſalis aquæ putealis, qui ſpiritus valde eſt affinis ſpiritui ſalis armoniaci, vires, nempè eaſdem obtinens; hinc ſalem armoniacum primùm è terra enaſci credendum eſt, atque his in locis plurimum reperiri. Hinc tribus miliaribus ab hac Civitate, meridiem verſus, è terra quandam ſalis ſpeciem ſponte enaſci comperimus, toto genere ſali armoniaco ſimilem. Is certis temporibus, proprio impetu, dum terra rore quodam madido perfunditur, foràs erumpit. Solum illud hujuſce ſalis copiæ ferax, omnino inutile perpetuò manet; ſiccum & ſterile, incultum & horridum. Sunt præterea multæ aliæ calcinationes, quas paſſim Chymicorum in libris offendes. Nos præſentibus contenti ſumus. Adderem varias ſolutiones, item infinitas alias auri præparationes, tam præcipitationes, quàm ſublimationes, varia denique ex eo compoſita medicamenta; pariter ſolutiones complures, Mercurii extractiones, & alia innumera: Verùm nobis iſthæc non parum ſuſpecta ſunt; demum rhapſodos æmulari nobis non eſt conſilium: proprio labore parta tradimus, aliena, & incomperta omittimus, uti & inutilia, veluti arborem Hermetis, ab aliis arborem auream dictam; quo in loco poſſem connotare novam cujuſdam Chymici antichymici præparationem, ab ipſo germinationem dictam. Sed futiles ejuſmodi præparationes, malo remittere ad ejuſdem fabuloſam ex auro, & argento Mercurii extractionem, quoad palàm edoceat ſuum aurum potabile. Conſimiles cognoſcimus, qui multum de arte pollicentur, & eam vix à limine ſalutârunt unquam. Quid mehercle aurum potabile votis habere? & minimis morbis ne tantillum opis afferre? Artis magiſtros convellere, & inſcitiæ atque ſupinæ ignorantiæ incuſare, nonne eſt audax, & temerarium facinus? & horum nî pollicitationibus veritas promptè innoteſcat, non modò calumniatores, verùm & inſignes mendaces, & garruli impoſtores apud probos meritò cenſebuntur.

NOTÆ

in CAPUT XIV.

(a) *De auro.* Character ac nota eſſentialis auri eſt gravitas, non datur enim auro gravius corpus, dum duplo ponderoſius eſt in eadem menſura ac portione ſtanno ab ferro. Depuratur aurum Ducatorum (quod non finum eſt, quia unus ducatus tribus lunæ granis & totidem veneris participat) quam optimè per antimonium, ſic ſplendidiſſimum & puriſſimum evadit, ac mirabiliter ductile, quoniam ab admixta venere & luna rigiditatem acquirit. Non opus autem eſt, ut follibus antimonium difficillimo labore ab auro ſeparetur, ſed in momento id fieri poteſt, adjecto nitro ſufficiente, quod partes antimoniales in calcem vertit relicto puriſſimo auro.

Auri calx ſi ſit citrina, bruna vel nigra, aliquid adhuc continet lunæ, ſi autem obſcurè rubra, tunc puriſſima eſt. Auro conciliari poteſt color ſaturate rubicundus, ſi fundatur cum venere & antimonio, poſtea depuretur & hoc negotium aliquoties repetatur. Memorabile eſt, aurum candefactum ſi admoveatur laminæ orichalceæ, illud ſtatim reddi friabile, ita, ut poſſit pulveriſari. Stanni momentum cum auro commixtum, tantam vim ipſi conciliat ut igne non poſſit liquari, Steeb. *tractatu elixir ſolis & vitæ* dulci liquore lymphatico tenui aurum in ſubtiliſſimam tincturam convertit. Vapor ſpiritus vini rectificati inflammati ſub campana collectus pauciſſima utut quantitate auri folia intime diſſolvit. Boyle *hiſtoria fluiditatis, p. 26.* aurum menſtruo quodam traduci poſſe per alembicum aſſerit.

In auro parum latitat virtutis medicamentoſæ, eſt enim nimis fixum & compagis & texturæ firmiſſimæ, quam non facile penetrare & diſſolvere valet menſtruum quoddam activum vel corroſivum, multo minus ſalivale gaſtricum, quod ferme nullum jus in illud habet: deinde etiam pauciſſimo pollet ſpiritu minerali, adeoque omnis activæ virtutis per ſe expers eſt. Omnes ferme tincturæ, eſſentiæ & liquores potabiles, tantopere commendati & celebrati, revera deſtituti ſunt ſingulari & experta virtute, imo plus nocuiſſe quam profuiſſe obſervati fuerunt. Et ſi accurate examinentur, pleraque auro prorſus orbati ſunt, & tincturam ſuam ac virtutem, ſi quam fovent, mutuantur à menſtruo; ſi autem continent aliquid auri, ſine corroſivitate illud non eſt. Hac ratione auri crocus tenuiſſimus. Spiritu ſalis volatili dulcificato, ſpiritu Sacchari Saturni, viridi æris diſſolvi ad partem equidem poteſt, attamen liquor hic aliud efficit, quam ut ſtimulet primas vias, & ad excretiones ipſas irritet, tenacemque mucum ibi reſidentem colliquet, quo nomine etiam commendari poteſt aurum fulminans, maximè quod cum ſpiritu ſalis ammoniaci præcipitatum & non ſufficienter edulcoratum fuit, quod corrodente ſua vi alvum ducit, & in epilepticis inſultibus ac torminibus convulſivis à pituita vitrea obortis, quandoque exerit laudabilem effectum, ceteroquin ipſi inteſtinorum ſubſtantiæ vim inferre poteſt; ſic aurum medicinale acceptum pondere unius grani per 30. aut 40. dies in vehiculo convenienti ſanare infallibiliter epilepſiam *Author eſt* Vigani *in medull. Chym. p. 48.* Hœferus *in Hercule medico lib. 6. p. 292.* in quartana auri fulminantis vires extollit. Nonnulli parare ſolent ex ipſo liquorem nephriticum hac ratione: Aurum ſolvunt in aqua regis bonæ notæ, ſolutionem inſpiſſant, coagulatum urgent vehementiſſimo igne ſublimatorio in phiola. Sic aſcendit ſublimatum circa phiolæ latera ſuperiora flaveſcens, quod in aëre humido abit in deliquium, hoc deinde variis aquis dilui vel ſpiritibus miſceri, & in uſum trahi ſolet: fæces poſt ejus uſum ſecedunt nigræ, obeſis pituitoſis & robuſtioribus perſonis ejus uſus plus quadrare videtur, quam macilentis, bilioſis & tenerioribus.

Quamvis autem ex auro pauciſſima expertæ virtutis remedia prodeant, ſingularem tamen præſtat uſum & concurrit ad efficaciſſimi medicamenti compoſitionem, ſi cum mercurio, qui abundat ſpiritu minerali actuoſiſſimo, in temperamentum

feliciſſimo

feliciſſimo connubio redigatur: Fixum enim auri corpus partes tenuiſſimas mercurii in poros ac ſinum recipit, ut æquabilis harmonia & proportio exurgat; unde nihil magis meâ opinione mercurium corrigere poteſt, quam aurum, & ex adverſo, nihil aurum exaltare, actuate & virtute medicamentoſa magis imbuere aptum eſt, quam ipſe Mercurius.

Auctor quidam Anglus luci expoſuit tractatum dictum *Antelixir of Gold*, in quo ſcribit ſe poſſidere pulverem, quo mediante auri corpus penitus deſtruere, illudque in concretum arſenicale volatile nocivum, quod vitrificari aptum ſit, converti poſſe, quod fieri poſſe non dubitamus.

Auctor calcinat aurum cum quadruplo corporis ſicci diſſolubilis, quod nihil aliud videtur mihi, quam mercurius ſublimatus, vel vitriolum martiale, cum ſpiritu ſulphuris volatili paratum, quod aurum propter ſulphur egregium in calcem rubicundam igne vehementiſſimo vertit, remanente ſimul terra ſulphurea martiali: huic calci affundi debet ſpiritus ſalis volatilis & cum ipſo diſſolutio tentanda, poſtmodum ſuperfundendus ſpiritus ſulphuris, potabilis, id eſt ſpiritus vini tartariſatus. Inde exurgit tinctura elegantiſſimi coloris aurei, aſt naturæ magis martialis quam ſolaris. Scribit Auctor, quod etiam citra tincturæ extractionem auro ſic calcinato utatur, procul dubio in cachexia, hydrope, affectione hypochondriaca. Ex auri foliis, cum ſale ammoniaco alumine & nitro tritis, ignique commiſſis, extrahi poteſt tinctura auri non contemnenda.

CAPUT XV.

(a) *De Argento.*

ARgentum, Chymicis Luna, Græcis ἀργύριον, Hebræis *cheſeph*, quaſi amabile, à *chaſaph*, amare. Proximè ad auri naturam accedit: Vires etiam auro valde affines obtinet. Errant tamen illi, qui putant ejuſdem eſſe ſpeciei, & ſolo calore differre. Qui utriuſque vivam anatomiam perſpexerit, nôrit & utriuſque maximam differentiam: quod dictum ſit propter quoſdam Chryſopœos, vanis opinionibus plus juſto inhærentes. Arabes pariter argentum, ut aurum, cardiacis medicamentis primi immiſcuerunt: hinc foliorum argenti uſus, adhuc in officinis retinetur; quâ in re craſſam adhuc vigere medicamentorum præparationem, ſatis mirari non poſſum. Sumpſerunt omnes artes ſummam perfectionem, ſola hæc pars Medicinæ inculta manet; quod graviſſimum piaculum non aliunde oriri mihi perſuadeo, quàm ex nimia garrulitate, quâ qui plus pollet, is cæteris longè doctior præfertur. Nonne hac tempeſtate videmus Medicos ad diſputandum longè paratiores, quàm ad bene medendum? Non fit ex opere, ſed ex loquacitate, Medici electio. Sed ſimiles habeant labra lactucas: nos meliori opinione imbuti, operantem Medicum requirimus, non auditu ſolùm, ſed & proprio labore inſtructum. Rejecto quippe craſſo illo foliorum auri, & argenti uſu, eorum diſſolutionem apprimè docemus.

Et quia de auro diximus, calcinatio ſemper præcedere debet. Calcinatio argenti à calcinatione auri non differt, licet longè faciliùs id in calcem vertatur, quàm aurum.

Et ſicuti aurum duplici modo calcinatur, ita & argentum, utpote cum Mercurio, & cum aqua forti. Cum Mercurio, eo quo diximus modo de auro. Cum aquis fortibus, modo etiam non diſſimili, excepto, quod ſolâ aquâ forti abſque ſale armoniaco probè calcinetur, calcinatione (inquam) communi, non Philoſophicâ. Et quemadmodum aurum in aqua regia ſolutum, per ſalem tartari, ſeu oleum repercutitur, ita & argentum in ſimplici aqua forti ſolutum, cum aqua ſalſa præcipitatur, pulvere albiſſimo cum aqua fontana pluries edulcorato: & hoc utuntur nonnulli pro vera calcinatione, licet iterum ejuſmodi pulvis in argentum revertatur. Dictus pulvis intra exhibitus ventrem ſolvit, ventriculo pergravis eſt, vermes enecat, & hydropicorum aquas educit. Ex hoc pulvere nôrunt pſeudochymici quidam plumbum in argentum fallere, quâ inſpectores credunt Saturnum in Lunam fuiſſe mutatum. Ad hoc deraſum, & limatum plumbum accipiunt, cui prædictum argenti pulverem addunt, & his igni admotis, pulvis in argentum vertitur, & plumbum in pulverem cineritium, argenti pulveri ſimilem. Qui non nôrunt argenti pulverem, atque exiſtimant aliud eſſe ab argento, facillimè illaqueantur. Idem cum Luna cornea efficiunt, ut optimè animadvertit Crollius. Ab hoc præcipitato argento, cum aceto ſtillatitio fiunt Cryſtalli argenti, qui denuò in liquorem oleagineum evadunt. Pelluntur & per retortam, à quibus inſignis ſpiritus argenti educitur. Hæc calx denuò cum duplici pondere ſalis communis minutiſſimè trita, & mixta, atque quatuor horas tantùm in furno venti detenta, ſubtiliſſima, & perfectiſſima efficitur ad tincturam eliciendam.

Alia tamen calcinatio nobis nota eſt, longè melior & facilior, fit cum quadruplici pondere aquæ ſiccæ, ut de auro diximus. Perficitur dicta calcinatio intra tres, vel quatuor horas, filiis artis, veris, non putatitiis ſatis nota eſt, ideò propter pſeudochymicos apertiùs non eſt dicenda. Calcinatio in auro non ſæpè unicâ vice abſolvitur; in argento contrà, quòd non ſit adeò tenax, & compactum. Hac viâ metallorum corpora adaperiuntur, & in his invenies quodcunque volueris: nam ſic adaperta quocunque liquore potabili diſſolvere poteris: nec ad hoc opus eſt aquâ vitæ alkalizata, aut alio fortiori diſſolvente, ſimplici aquâ communi diſſolvuntur, & poſtea ulteriùs progredi poteris. Scio virum illuſtriſſimum, in cujus gratiam hæc ſcripta ſunt, graviter laturum, ſi tantum arcanum omnibus patefacerem. Qui hanc ergo diſſolvendi methodum nactus fuerit, intelliget, quo pacto argentum in quintam eſſentiam adduci poſſit, item in oleum, & Balſamum.

Calcinatio quæ fit cum ſulphure, non omnino reprobanda venit; hac enim calcinatione, ſi ritè inſtituta fuerit, Lunæ corpus aperitur, licet non adeò perfectè; fit verò dicta calcinatio cum duplo ſulphuris triti, ſumendo argentum priùs cupellatum, & in bracteolas reductum; in crucibulo ſtratificando lamellas argenti cum ſulphure: atque tum igne ſuppoſito crucibulos flagrat ſulphur totum, & in auras abit.

Repetitur iſthæc operatio bis, aut ter, donec Luna perfectè ſit calcinata.

Calx ejuſmodi aceto ſtillatitio in vitriolum vertitur; à quo poſtmodum quintam eſſentiam, oleum, liquorem, & ſimilia elicere poteris; de quibus uſus, vires, & facultates omnibus innoteſcunt.

Præterea ex argento liquor argenteus ad multa utilis hunc in modum paratur, citra ponderis ipſius Lunæ jacturam: ad hoc Lunam in foliola redactam accipimus, eamque aquâ forti diſſolvimus, diſſolutæ lento igne tertiam partem evaporamus, ſicque in ſcutella vitrea lata eam in ſecreto loco reponimus, ubi intra 24. horas cuticula argentea ſuperficiei inducitur, quam in alio vaſe ſeorſum ſervabis. Hæc operatio toties repetenda venit, quoties ejuſmodi cuticula apparebit. Demum iſtæ cuticulæ in cella vinaria repoſitæ in liquorem facillimè abeunt, vaſe ad id parum reclinato. Ferunt quidam uniones fictitias eo liquore illitas colorem nativum adipiſci.

Argentum tandem variis liquoribus diſſolvi poteſt pro uſus varietate. Promtiſſimè ſolvitur cum ſimplici ſpiritu ſalis nitri; hujuſce verò ſpiritus ſalis præparationem ſuprà docuimus.

Germinatio metallorum notatur. Quod ad præparationem illam, falsò germinationem dictam ſpectat, puto omnino eam nullius eſſe frugi: & quanquam ejus artifex incuſet magnum illum Germanum, Hermeticorum, non infimum, ignorantiæ, & inſcitiæ, mirum non eſt, quia ſic ſolet omnes bonos authores protrahere.

Juvenum mos eſt multa ſibi credere. Laudari poſtmodum ab illaudato non magna laus eſt. Mercurius ob fugam caloris ſecum trahit amica metalla, quod potiùs ſublimatio, quàm germinatio dicendum eſt. Potiori ratione arbor Hermetica in humido nata, nuncupanda eſſet germinatio. Sed tricis his miſſis, ad ſeria deveniendum.

Uſus. Uſus argenti liquoris, ſalis, quintæ eſſentiæ, calcis veræ multiplex eſt pro varietate affectuum, eorum magnitudine, temporis conditione, & infirmorum natura: quæ omnia probo, & erudito Medico facilè nota ſunt.

Vſus. Vires maximæ ſunt adverſus capitis morbos, epilepſiam, apoplexiam, vertiginem, imbecillitatem cerebri; valent & ad oculorum morbos.

Quantitas perexigua eſſe debet, nî morbi magnitudo majorem repoſcat.

Tempus exhibendi erit, ut de aliis alterantibus, quæ omnibus horis præbere poſſumus, etiam intra cibos.

Rurſus lubens prætereo methodum conficiendi Mercurium ex metallis, ex argento præſertim, & auro, eo quod in his plus opinionis, quam veritatis comperiamus. Si tempus contrarium indicaverit, ſententiam mutare non recuſo.

NOTÆ

in CAPUT XV.

(*a*) *De Argento.* Luna à veneris contagio penitus depurata non amplius colorem cœruleum vel viridem menſtruis impertit, ſed præparavi ex ipſa ſecundum proceſſum *Montſchnyderianum deſcriptum in tractatu Metamorph. planet.* Vitriolum albiſſimum ſplendeſcens ſquammulatum ad inſtar: hoc ſolutum in ſpiritu liliorum convallium non adeo rectificato exhibebat liquorem qui léniter purgabat, pituitam primæ regionis viſcidam incidebat, lumbricos feliciſſime educebat, varioque experimento nobis comprobabat ſuam efficaciam in epilepſia, menſium ſuppreſſione, & atrophia infantum. Major efficacia huic liquori conciliari poteſt, ſi ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus addatur, qui tamen nec viridem nec cœruleum producebat colorem. Singularem obſervationem meretur, quod ſal illud in aqua deſtillata ſolutum progreſſu aliquot menſium nobis ſubinde exhibuerit ultra ſex colores: Nimirum mixtura clara & diaphana primum incipiebat virideſcere, deinde ſubſequebatur color ex flavo obſcurus & tandem ater, elegantiſſimo ſane ſpectaculo, ut exinde appareat, ferme omnes colores latitare in corpore lunæ per ſe omnis coloris expertis.

Hactenus argentum non niſi aqua forti ſolvi traditum fuit, nihilominus vitrioli oleo eoque rectificato forti adhibita coctione commodiſſime diſſolvitur.

Actor cum quadruplici pondere aquæ ſiccæ calcinat lunam; aſſumitur lunæ depuratæ in lamellas redactæ drach. 1. mercurii ſublimati unc. ſem. fiat ſtratum ſuper ſtratum in crucibulo, mixtura calcinetur, ſic relinquitur calx lunæ gryſei coloris, cui affundi poteſt ſal volat. urinæ cum ſpiritu vini paratum pro extrahenda tinctura.

Argentum corpus grave eſt & fixum in igne, ita tamen volatiliſari ſequenti via poteſt, ut plane volaticum fiat & in auras abeat. Accipiantur lunæ finæ drachmæ 2. aquæ fortis depuratæ drachm 6. fiat ſolutio, quam coagulat ſal ex albo virideſcens, hoc ſolve in ſpiritu cryſtallorum viridis æris, quem tribus vicibus abſtrahebam, remanebat ſal, quod leniſſimo calore in fluxu perſeverabat, quod ſolvebatur in ſpiritu vini ſaltem ſimplici, mixturam infundebam cucurbitulæ, cui ignis admovebatur, & evaporabat primo ſpiritus vini, dedi ignem fortiorem, ſic omne ſal ſub ſpecie fumorum volatile factum fuit, & in auras evanuit, pauco relicto quod renuebat amplius coagulari. Liquoris hujus lunæ antefactam evaporationem aſſumebam quatuor partes, & affundebam mercurii vivi part. 1. Sic in momento coagulabatur mercurius in cinericii coloris amalgama, liquorem ſupernatantem effundebam, ipſique admiſcebam ſal volatile Caryophyllatum, unde mixtura ex nigro fuſca apparebat ac penitus coagulabatur inſtar butyri.

Memorabile eſt, ſulphur ad mixtum lunæ, ipſi protinus leniſſimo calore fluiditatem ſimul & fragilitatem conciliare, inducendo colorem ex gryſeo atrum. Argentum hoc modo cum ſulhure cœmentatum, ſi ignitis carbonibus vel regulis imponatur, exurgit in tenuiſſima fila, ac creſcit & dicitur *gevvachſen Silber.* In ſulphure latitat arcanum ſeparandi aurum ab argenti inſigni mole per ſolam fuſionem in igne, qui proceſſus multum ſuppeditat lucri. Sulphur aggreditur ipſum argentum illudque intime penetrat; ſolis autem interſperſas atomos relinquit intactas, quæ gravitate ſua tendunt deorſum ibique collectæ & concentratæ abeunt in regulum ſulphuris, ſcoriis adhuc immixtum, à quibus aurum & argentum mediante nitro ſeparandum, ſic ex viginti libris lunæ, in quibus drachmæ duæ auri latitant, hoc ſeparari poteſt ſine ſingulari ſumptu, cum ſecundum vulgarem procedendi modum, mediante aqua forti, plus damni quam lucri proveniat.

Calx lunæ cum aqua forti & ſale communi parata educit pituitam, & hydropicis, pituitoſis, melancholicis convenit. *Ta kenius* nobilis Venerorum Medicus frequentiſſimo in uſu habuit hanc calcem anatica portione mixtam cum cinnabari antimonii in mania, melancholiâ, epilepſiâ. Calx lunæ ſi fluat in igne, fit inde luna cornua, Germ. *Horn-Silber.* Similiter calx hæc ſi miſceatur cum mercurio ſublimato confecto cum nitro & ſale communi ac ſublimetur, potior pars argenti cum mercurio aſcendit, fitque leviter mercurius currens. *vid.* Beccheri *ſupplem. 2. p.* 113.

Arbor ſic dicta philoſophica ex luna ſeq. mod. para-

paratur : ſolvitur lunæ drachma una in tribus partibus aquæ fortis per præcipitationem præparatæ, *geſället*, adde mercurii drachm. duas, aquæ pluvialis unc. unam, expone digeſtioni & poſtmodum frigori.

CAPUT XVI.

(*a*) *De Ære.*

UT Luna in ſuperioribus maximam cum Venere affinitatem habet, ita argentum in inferioribus cum ære. Sic etiam, ut Venus cœleſtis ſymbolum obtinet cum benè compoſitis, ita noſtra terreſtris cum perfectis metallis. Ex lapidibus, cum berillo, qui geſtantem reddit alacrem, divitem, magnificum, ad unionem conjugalemque amorem aptiſſimum; favet mulieribus prægnantibus, ne earum contaminetur partus: & aqua, in qua jacet, ſuſpiria tollit, & cunctas infirmitates hepatis. Smaragdus inſuper eidem reſpondet. Ex plantis roſa, myrtus, thymus, laudanum, ambra, & cætera benè olentia. Ex animalibus columba, turtur, paſſer, ut quæ in purgatione lepræ, jubente lege, conſuetum eſſet offerri, ut quæ etiam proficua ſint venereis.

Ejus uſus antiquitùs fuit ante argentum, ac penè etiam ante aurum, referente Plinio lib. 34. hinc ære ſignatò primò uſum fuiſſe Pop. Rom. inde à rege Numa collegio tertio fabrum ærariorum inſtituto.

Virtutes etiam ejus, ac facultates ab omni ævo nobis innotuerunt. Vetuſtiſſimus Hippocrat. multa ab eo perfecta remedia multis morbis præſcribit, tam intrinſecis, quam extrinſecis, *Lib. de victus rat. in acutis*, ad hydropem ejus ſquammam: eandem Pleuritidi, *lib. de morbis*, & alibi ſtomachum inquit ſubvertere, alvum laxare, & hydropicorum aquas educere. Quid demum? referente Langio, de nullo metallorum ſalubrior ſpirat aura, quàm de ære ex chalcitide confecto, quod viridi ærugine quoque ſcatet: de quo clavus, ſuillæ, aut cervorum carnibus infixus, eas à putredine illibatas, & ſua ſtyptica exſiccandi potentia diu conſervat: quod hi quoque foſſores, qui in ſcaptenſulis, Græcè χαλκωρυχεῖα dictis, chalcitidem cum ærugine ſcrutantur, fatentur.

Galenus multis in locis ejus uſum in extrinſecis morbis multùm commendat, in intrinſecis liberè fatetur, de eo atque de aliis mineralibus periculum nullum feciſſe, ut qui in his non eſſet valde eruditus: de hydrargyro, quem non eſſe de ſpontè naſcentibus dicit, manifeſtè denotat. Poſteriores Græci nec ejus intrinſecum uſum commemorant. Ad ulcera verò ſuis unguentis, & emplaſtris ſæpius immiſcebant æris ſquammam, ejus eruginem, florem, & æs uſtum. Medici verò chymicâ arte edocti, alias præparationes his longè præſtantiores agnoſcunt, ex quibus hæc paucula frequenter experimur.

Vitriolum æris pluribus modis fit. Præſtantiſſimum omnium hunc in modum: Laminatum æs cum duplici pondere ſulphuris, igne aperto in vaſe terreo bis calcinamus; hoc eſt, ubi jam ſemel calcinatum fuerit, iterum ſecunda vice calcinatur cum eadem ſulphuris quantitate, quod fit ſtratificando lamellas, & ab his parum tuſis cum aqua communi facillimè vitriolum abraditur, infuſionibus nonnullis ad hoc præmiſſis, & dictas infuſiones ſenſim evaporando, quoad coagulationis ſigna apparuerint. Hanc methodum pulcherrimè docet *in ſua Baſilica chymica* Crollius, & poſt eum Beguinus *in ſuo Tyrocinio.* A fæcibus iterum calcinatis, novum educitur vitriolum: æs tandem totum in vitriolum vertitur.

NOTÆ in CAPUT XVI.

(*a*) *De Ære.* Venus ex omnibus metallis difficillime redigi poteſt in fluorem: commode tamen id præſtari poteſt cum pulvere detonante nigro. Facillime funditur cum antimonio: hanc maſſam typographi pro typis ſuis formandis fundamenti loco habent, eique poſtmodum plumbum vel ſtannum debita in copia addunt ut fiat ductilis.

Cuprum multum ſulphuris poſſidet, ſi cum ſale ammonico miſcetur, inflammari poteſt, quatenus ſal ammoniacum extrahit internum veneris ſulphur, illudque extravertit, ut eo citius flammam concipiat. Si caput mortuum vitrioli veneris miſcetur cum ſale tartari, vel alio ſale volatili aut ſale ammoniaco, ſublimatione exſurgunt flores, qui nomine entis veneris veniunt, medicamentum in majori doſi vomitus excitat, in minori reſolvit, incidit, ſalivam & ſedes excitat. Extrinſecus hoc ſal cum ſpiritu vini ſolutum vel mixtum cum balſamo ſulphuris ulcera antiqua depurando ſanat.

Dicitur ſulphur veneris magnam cognationem habere cum ſulphure auri, quare etiam cuprum cum pallido auro mixtum reſtituit ipſi priſtinum ſuum colorem, & quo frequentius cum venere funditur & cum antimonio depuratur, eo ſaturatior prodit color. Aurum cum luna mixtum, ſi cæmentatur cum viridi æris, ſale ammoniaco & nitro, ſplendidiſſimum acquirit aureum colorem. Sunt qui ex vitriolo Cyprio & mercurio vivo ſingulari præparatione auri particulas quaſdam extrahere volunt. Certum hoc eſt, ſi antimonium æqualiter miſceatur cum luna & venere, prævia decenti cæmentatione lunam auri optimi portione ditari, ita ut ex una uncia argenti duo grana ad minimum auri mediante aqua forti ſecerni queant. Solvitur cuprum egregie in decocto tartari, ſalis communis & aluminis; unde fluit modus mineras venereas, quantum cupri contineant, probandi & examinandi per viam humidam, modo contuſæ coquantur cum tali lixivio. Fluit quoque inde fundamentum dealbationis argenti, quod cum venere mixtum eſt.

Ex venere intrinſecus pauca proſtant remedia, niſi emetica vel nauſeam moventia: Nihilominus in Belgio famigeratiſſima eſt tinctura, dicta *Helvetii*, quæ ex vitriolo veneris ſive Cyprio & ſale ammoniaco paratur, hæc invicem miſcentur & in crucibulo funduntur, affunditur ſpiritus vini vel ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus. Tinctura proveniens cœrulea commendatur ad epilepſiam infantum, menſium ſuppreſſionem, atrophiam, vermes interficiendas. Doſi pleniori movet vomitus in pituitoſis & illis, quorum inteſtina viſcido humore obſeſſa ſunt. Tinctura hæc eſt egregium menſtruum pro extrahendo opio: optime aſſumitur cum vino Hiſpanico.

Quando cuprum cum antimonio & marte miſcetur per ignem exurgit maſſa, cujus inferior pars regulina eſt, ſuperior magis ſulphurea, huic affunditur acetum deſtillatum vel melius ſpiritus aceti, ſic dulcem acquirit ſaporem & colorem rubicundum. Solutio decantanda ac inſpiſſanda in magma, cui affuſus ſpiritus vini conſtituit eſſentiam elegan-

elegantiſſimam aperitivam omnis virtutis emeticæ & purgatricis expertem. Regulus ſulphure Veneris prægnans eſt ; unde longe ſaturatiorem auro conciliat colorem , quam regulus purus ſive martialis , & ſi diffletur in capella igne vehementiſſimo , fumi ac vapores longe rubicundiores ſunt , quam ſi regulus antimonii ſimplex fuerit. Regulus hic Veneris miſceatur per ignem cum ſulphure vulgari optimo , addatur mercurius ſublimatus ſub æquali parte : invicem hæc deſtillentur per retortam vitream bene lutatam in igne aperto (uti mos eſt Cinnabarim ſic in copia deſtillare) ſic Cinnabaris ſulphure veneris ſubtiliori gravida evadit. Cum quavis terra vitreſcibili & optime cum tutia ; quæ flos lapidis calaminaris eſt , liquatum cuprum album fit , poteſt adjici ad meliorem fuſionem promovendam borrax. Idem per liquationem cum arſenico fixato in argenti æmulum metallum convertitur.

Viride æris vel etiam æs uſtum in abſumendis callis fiſtularum antiquiſſimi chirurgorum , inter quos eminet ipſe *Hippocr.* ſummo cum fructu adhibuerunt. Sic novi chirurgum celebrem , qui hoc remedio fiſtulas curat feliciſſime : uſus ejus hic eſt : redigitur in pulverem, deinde cum liquido vel ſola ſaliva miſcetur , & hac mixtura fiunt turundæ , quæ in cavitates iſtas quantum licet, intruduntur, ſic callum fiſtularum duriſſimum intra tres vel quatuor dies citra dolorem citra quandam inflammationem ita abſumunt & exedunt , ut totus ſeparatus à parte ſana extrahi queat. Si una vice non totus exprimi poteſt , propter obliquum cuniculorum ductum , ſecunda vel tertia vice applicetur , ſicque omnis auferri poterit. Semper autem hoc tenendum eſt in applicatione , ut profundius immittatur in fiſtulam : & quamvis non omnibus calli partibus immediate applicari queat , accidit tamen , dum ſucceſſive ſolvitur hæc turunda , ut vis medicamenti penetret ad abſconditos ductus , & efficaciam ſuam ibi exerat. Egregius quoque locus de hac re extat in *Fallop. tractat. de foſſil. p.* 313. Notate inquit , quod omnia quæ ex ære oriuntur & præcipue ex ære depurato , habeant vim erodentem ; unde quando eſt callus in aliqua parte abdita , & non poſſumus inibi aptare midicamenta , ſolemus conficere fiſtulam ex ære , & injicere , & ſic corroditur callus. Spiritus veneris paratur hoc modo , recipe viridis æris , vel loco hujus cryſtall. veneris , libr. tres , indantur retortæ vitreæ , fiat deſtillatio ex arena primo igne leniori, poſtea bene lutatis juncturis augeatur flamma gradatim , ſic replebitur recipiens nubeculis albis , & prodibunt circiter duæ libræ liquoris , ſub finem ſpiritus fortiſſimus , ubi nubeculæ ceſſant , deſiſtendum eſt. Crocus veneris relinquitur in retorta omni acido exutus.

Alio modo.

VItriolum Veneris fit ex ære in viride verſo , vel cum racemis uvarum tempore vindemiarum , quod in Monſpelienſi agro paſſim fit , vel cum aceto ſolo. Quod verò fit cum ſale, & tartaro , ad hoc ineptum eſt. Ab iſto viridi ære cum aqua communi , eo quo ſuprà diximus modo, vitriolum extrahitur.

Alio modo.

CAlcinatur æs cum quadruplo ſalis ſulphurei : poſtmodum cum aceto diſtillato tinctura extrahitur , ſale priùs cum aqua communi remoto. Concreſcit in lapillos , modo quo ſuprà dixi , humiditate ſufficienter per evaporationem ablatâ. Requiritur primùm , ut æs probè teratur , & ſali per minima ritè commiſceatur , ac demum violentiſſimo igne calcinetur in crucibulo , vel alio vaſe ad hoc accommodato.

Alio modo.

CUm aqua forti ex ſale nitro , & alumine uſto factâ , ſolvitur æs , per evaporationem humiditatis aliquâ portione ſublata , vas in loco frigido reponitur , & in eo concreſcunt lapilli pulcherrimi.

Alio modo.

CUm ære tandem per ſe igne vehementiſſimo calcinato , quod fit per tres , vel quatuor dies , modo jam dicto vitriolum fit pulcherrimum.

Oleum Veneris.

EX Vitriolo veneris oleum rubicundiſſimum elicitur per retortam , modo quo educitur oleum vitrioli communis. Hic liquor à Theoph. Parac. dicitur acetoſus eſurinus : cujus uſus eſt mirabilis in affectibus renum , & veſicæ , item in uterinis affectibus. Ventriculum etiam haud parum roborat , caput etiam ; & alias partes ventriculo condolentes : pro quo accipiendum venit vitriolum Veneris ſine corroſivis factum. Uſus ejus eſt duarum , vel trium guttarum cum juſculo carnis, cum aliqua conſerva manè , & ſerò. Pollet & aliis viribus , de quibus apud Theoph. Parac. *lib. de tartaro , & lib. de vita longa ,* & apud Crollium *in ſua Baſilica Chymica.* Cautiones circa ejus uſum , à dicto Crollio poſitæ , non ſunt adeò certæ , ut fortè ipſe exiſtimat. Bilem ſiquidem haud parum coërcet , & inflammationes ab ea concitatas facilè compeſcit. Dandum eſt ſemper cum quantitate ſufficienti humiditatis , actu enim ejus aciditas vellicat propinquiores partes , quas actu tangit. In intrinſeco apoſtemate equidem ejus uſum non admitterem : ubi namque mollientia , ibi incidentia non ſunt adhibenda.

Vitrioli uſus abſque alia præparatione etiam valdè utilis eſt : In cachexia id pluries experti ſumus. Ventriculo prodeſt, inappetentiam corrigit ; fluores genitalium tam hominum , quàm mulierum ſiſtit ; viſcerum obſtructiones reſerat. Sed apprimè videndum , quibus conveniat , & quibus obſit , quod non ſolo temperamenti criterio aſſequemur , verùm aliis ſignis , de quibus fortè in peculiari *methodo medendi noſtra.*

Veneris tinctura.

IStud Vitriolum Veneris tincturam continet , ideò ab eo tinctura elicienda venit. Itaque cœruleum tuum vitriolum cum aceto diſtillato pluries ſolve , & coagula : paratum ſic Vitriolum retortæ lutò firmiter munitæ indatur , atque igne per gradus exhibito , phlegma , & ſpiritum abſtrahe. Fæces cum aceto diſtillato iterum ſolve , à qua ſolutione per coagulationes novum elicies vitriolum ; hoc autem ſpiritui miſce diligenter , & cum ſpiritu vini , lento calore , ut fimo equino , infuſione trium , vel quatuor dierum præmiſsâ , tincturam pulcherrimam elicies. In Epilepticis morbis ,

bis, vertigine, apoplexia, & aliis graviſſimis morbis capitis mirificè confert. Hæc præcipua ſunt medicamenta ex cupro educta, quibus intrinſecè utimur. Ea verò, quæ extrinſecus uſurpamus, cum cæteris nota ſunt. Calcinatum bis cum ſulphure, ſi aquâ communi pluries lavetur, magnam partem ſuæ acrimoniæ amittit, fitque præſtantiſſimum medicamentum pro laxis, & putridis ulceribus ſanandis. Ærugo æris pariter lota ſuam quoque amittit acrimoniam. Sed hæc trita ſunt, uti & ſquamma, flos, crocus, & ſimilia. Pompholyx, ſeu tuthia ad hoc etiam pertinet, cujus præparatio ſatis nota eſt in Officinis.

CAPUT XVII.

(a) De Ferro.

FErrum metallorum omnium utiliſſimum, optimum vitæ, peſſimumque necis inſtrumentum, atque inquit Plin. *hoc tellurem ſcindimus, ſerimus arbuſta, ponimus pomaria, vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus juveneſcere. Hoc extruimus tecta, cædimus ſaxa, omneſque ad alios uſus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus ſolùm, ſed etiam miſſili, volucrique, nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis nunc verò pennato*, & aliis, recenter in perniciem hominum inventis. Græcè Σίδηρος, à σίζω ſtrideo: Hebraicè, *barzel.* Ferrum, & chalybs ejuſdem ſunt generis, unum altero magis defæcatum. Chalybs ſic naturaliter è terræ viſceribus elicitur. Arte etiam ferrum in chalybem excoquitur, cujus methodum hîc animi causâ annectere placet. Itaque ferrum accipe in virgulas, vel lamellas digiti majoris craſſitudinis reductum: virgulæ vel ſint rotundæ, vel quadratæ, parum refert; has ſtratifica in vaſe terreo oblongo, & capaci, cum duabus partibus pulv. carbonis ſalicis, aut fagi, & una parte raſuræ cornu bovis. Vas undique luto probè muniatur, idque, per 4. vel 6. horas, pro quantitate ipſius chalybis, in furno venti cum ardentiſſimo igne excoquatur. Exacto tempore, & refrigerato vaſe, chalybem invenies perfectiſſimum. Quod ſi artifex emolumentum majus ab hoc opere percupiat, pro lamellis & virgulis, inſtrumenta cujuſcunque generis, gladios, enſes, & alia ex ferro ſimpliciter conficere poterit, eaque hoc artificio in chalybem reducere. Medicamenta, quæ ex eo paramus, ſunt potiſſimùm Crocus Martis, vitriolum, oleum, &c.

Crocus Martis nobis maximè arridet, ſi ſolo igne abſque ulla mixtione conficiatur. Fit verò per ſimplicem ignis vehementiam in reverberatorio, per 8. vel 10. dies, crucibulo probè cooperto, & luto bene munito, quod opus artificio caret. In hac operatione, volatilis pars metalli recedit, & fixa manet, quæ maximè optabilis eſt.

Ferrum facillimè in rubiginem vertitur, quæ ſi in reverberatorio per aliquot horas detineatur, in optimum crocum evadit.

Limatura chalybis, vel ferri ſubtiliſſima, intra paucos dies in crocum vertitur, ſi diebus canicularibus, ſolis radiis, ea communi aquâ priùs irrorata, exponatur: hæc in maſſam compingitur, ac denuò ſimplici aquâ madefacta radiis ſolaribus per duos, vel tres dies relinquitur. Dicta operatio ſi ter, & quater reiteretur, crocus fit pulchrior, & nobilior. Vas ad hoc requiritur ex terra vitreata. Mirabile dictu quantum dictum vas incaleat.

Calcinatur ferrum, & cum ſulphure, & cum ſale; at meliùs cum ſulphure. Ad quod duplicem ſulphuris portionem aſſumimus, & unam ferri limati: dato igne flagrat ſulphur totum, & in vaſe terreo remanet calcinatum ferrum; quod ſecundâ vice iterum calcinatur, eâdem portione ſulphuris ſervata. Baculo ferreo ſub fine move, ne quicquam de ſulphure remaneat.

Ejuſmodi calcinatum ferrum ſuper lapidem porphyriten in tenuiſſimum pollinem factum, evadit in crocum pulcherrimum, ſola aqua communi irroratur, & in fine in paſtillos compingitur.

Crocus Martis fit etiam cum aqua forti, ejus limaturam in ea diſſolvendo, diſſolutum à fæcibus abſtrahendo, atque tum extractum per evaporationem exſiccando. Quantitas ſit utriuſque pro ratione efficaciæ aquæ fortis. *Crocus Martis.*

Item cum oleo vitrioli, ſulphuris, & ſimilibus liquoribus acidis parare unuſquiſque poterit Crocum Martis. Qui cum his corroſivis parantur, rarò in uſum Medicinæ veniunt, nî priùs valida lotione præmiſsâ. *Crocus Martis.*

Crocum tandem, nobiliſſimum omnium, paramus cum Mercurio, cujus operationem ſatis apertè diximus, cùm de Mercurii præparationibus ageremus. *Crocus Martis.*

Ex croco ferri varia componimus remedia, quibus paſſim utimur. Communia ſunt rotulæ, pilulæ, & electuaria; minùs uſitata ſunt vitriolum, oleum & balſamum. Rotulæ fiunt cum ℥. j. croci, & ℥. j. ſacchari in electuarium ſolidum cocti. His ſæpè immiſcemus macerem, cinnamomum, galand. caryophill. aut ſimilia, ſcopo noſtro accommodata. Pilulas etiam compingimus cum aloë lota, & purgata, myrrha, croco, nuce moſchat. Maſtiche, ammoniaco, ſcammonea, rhabarbaro, & aliis, pro tempore, & infirmorum opportunitate. *Croci Martis compoſita.*

Electuaria item componi curamus, pro ægrorum natura, morbi conditione, & temporis occaſione: nunc cum conſervis aliquot, nunc cum opiatis, mithridatio, theriacâ, & ſimilibus. Pro ſingula uncia ſeſquidrachmam, & drachmas duas croci commiſcemus. Et de Electuario ℥. ij. & ʒ. iij. damus ſingulo die, manè 4. & 5. horis ante cibum.

De rotulis eadem ferè eſt doſis; Pilulæ pro ratione compoſitionis exhibentur. Vires croci ſunt multiplices: obſtructiones viſcerum reſerat, ictæritiæ medetur, lienem præter naturam auctum imminuit, mulierum menſes movet, ventriculum laxum roborat, fluores alvi & uteri ſiſtit.

Hæc omnia felicius præſtat vitriolum ex eo paratum, ejus liquor, & balſamum.

Vitriolum martis. Vitriolum Martis ex omni ferro quoquo pacto calcinato educitur. Id verò, quod cum ſulphure calcinatur; peropportunum eſt, & maximè in Medicinæ uſu id ipſum paramus; ut docet Crollius *in ſua baſilica Chymica*, cum aqua communi nimirum, eam calcinato ferro affundendo ad juſtam quantitatem ebullitione levi factâ, & refrigeratâ, collatam evapora, donec quaſi cruſtam acquirat aqua; vaſe in loco frigido repoſito, concreſcent lapilli viridis coloris, à fæcibus iterum calcinatis ſimile eadem viâ educes vitriolum. Calcinationem procuramus ſemper cum duplici quantitate ſulphuris.

Oleum, liquor & balſamum martis, ex hoc præparato vitriolo elicimus. Nec interea me latet, aliam ab aliis traditam eſſe viam; hanc tamen eſſe veram, & legitimam minimè inficior. Ejuſmodi liquor verum eſt Theoph. Parac. acetoſum eſurinum, de quo miranda prædicat in *lib. de vita longa* & in *lib. de tartaro.* Hoc labentem, feſſumque ventriculum ſublevat, multis morbis à vulgo Medicorum incurabilibus habitis medetur, alia denique in arte miranda præſtat. Guttulæ tres, vel quatuor cum quovis liquore exhibentur. Ejuſcemodi liquor, vera eſt chalybis potabilis præparatio, Medicis ordinariis, communibus, & plebeiis ignota: Iſtius loco, acetum à ferri infuſione extractum accipiunt, quâ in re ſuam inſcitiam, & ignorantiam produnt. Subrubram enim tincturam, quam in hoc fuſo chalybe putatitio conſpiciunt, non à chalybe, ſed ab alio extraneo contractam exiſtimant.

NOTÆ

in CAPUT XVII.

(*a*) *De ferro.* Datur revera in marte duplex, atque diverſa ſubſtantia, una adſtringens, altera aperitiva: hæc ſubtilior, tenuis ac ſalina, illa plus terrea craſſiorque eſt. Seorſim illa quam commode comparari poteſt, quando ſub æqua portione limatura martis miſcetur antimonio: duo hæc addito nitri ſale fluant in crucibulo, mixtura tuſa decoquatur in aqua, decoctum decantetur, & nova aqua elutrietur omnis ſalina & ſolubilis martialis portio. Pulvis ſubſidens cum nitri duabus partibus calcinetur, ſic evadit crocus martis antimonialis eximiæ virtutis aperitivæ ad cachexiam viſcerumque obſtructiones ſolvendas. Illud quod ab elutriatione remanet, ſi eodem modo tractetur cum nitro, faceſſit in pulverem manifeſtius ſtipticum, conſtringentemque, & qui ſapore & virtute multum differt à priori: poſterior, ubi laxiori tono inteſtina parteſque laborant, egregiam fert opem. Elegans crocus martis paratur ex vitriolo martis vel ſolutione martis facta cum ſpiritu nitri, aut aqua forti, modo extremo ignis gradu crementur diſſipato omni ſpiritu acido, ſic remanet terra pulcherrime rubicunda, quæ croci martis nomine venit. Apex & baſis eſt pulverum cachecticorum, in affectu hypochondriaco, ictero, hydrope magni uſus. Quod ſi huic affunditur ſpiritus ſalis dulcis, exurgit tinctura martis elegans, quæ connubio arcani tartari ſeu terræ foliatæ liquidæ colorem ſanguineum acquirit. Eidem tincturæ, ſi ſolutio ſacchari Saturni paululum inſpiſſata admiſceatur, in momento prodit tinctura celebratiſſima *Grammanni*, quæ via ſicca difficillimæ eſt præpationis: remedium ad ſanguinis ebullitiones & tumultus cohibendos ſatis probatum.

Nonnulli, iique peritiores practicorum crudam martis limaturam omnibus iſtius crocis ac præparatis in medicina anteponunt, quandoquidem hæc acido non tacta minuſque inverſa, promptius agit in acidum ventriculi exſuperans, illud ſaturando ac abſumendo: hujus poſt uſum oriuntur, præcipuè ubi acidum præſens, ructus ovum fœtidum redolentes, fæces ſecedunt nigræ, qui color debetur mixturæ vitrioli cum fæcum partibus terrenis non bilioſis; uti recepta opinio eſt. Limaturæ crudæ uſus validum requirit ventriculum, ne ibi hæreat, ructus nauſeamque excitet ac appetitum dejiciat. Refert *Panarollus*, ſe poſt mortem eorum, qui uſi fuerint martialibus, in ventriculo limaturam martis adhuc crudam reperiſſe, quia ventriculus erat debilis.

Tincturæ omnes martiales; ſaltem martis ſolutiones ſunt cum acido factæ, & quo ſubtilior liquor ſolvens eſt, eo efficacior exurgit tinctura. Notum eſt cum ſuccis pomorum, cydoniorum berberum, acetoſellæ, tamarindorum elegantiſſimas præparari poſſe, ſi ſolutio inſpiſſetur, cui poſtmodum affunditur ſpiritus quidam aromaticus veantiſcorbuticus: minus tamen nota eſt illa, quæ fit cum ſpiritu formicarum acido, ſumme volatili præſtantiſſimi uſus ad omnes affectus, ubi vitriolacea locum inveniunt. Egregie corrigunt bilis volatilitatem ad paroxyſmos præcavendos, epilepſiam, arthritidem, malum hypochondriacum, vomitum, diarrhæam, icterum, hæmorrhagias, febres intermittentes multiplici uſu & experimento, probatiſſimæ.

Operantur felicius, ſi alvus ſui officii memor, quod ſi paulo ſegnior ſit, blando aloëtico vel paſſulato ſtimulanda eſt. Ubi tamen tenendum; non quemvis ferre poſſe martialia, præſertim qui ſpaſmis obnoxius eſt, ideò ſæpè numero tormina alvique conſtipationem & anxietates intempeſtivus illorum uſus procreat.

Nigræ tincturæ martis fiunt, ſi eſſentiæ ligni aloës pro ſcopo cephalico, eſſentia terræ catechu vel tormentillæ pro ſcopo adſtringendi, Cinnamomi pro fine roborandi ipſis admiſcetur. Caput mortuum florum ſalis ammoniaci martialium cum hæmatite præparatorum per deliquium præbet liquorem flavum ſaturatum ſtiptici ſaporis, qui in largiori doſi per inferiora & ſuperiora purgat, ſine ullo ægri incommodo, & qui loco ſtiptici liquoris in enormibus ſanguinis profluviis extrinſecus præſentanei effectus eſt: ſi diluitur aqua quadam deſtillata, tinctura martis fit, quæ vario uſu, prout miſcetur, juvat.

CAPUT XVIII.

(*a*) *De Stanno.*

STannum, quod & plumbum album, nuncupant Chymici Jovem. Græcis dicitur κασσίτερος, & καττίτερος, Hebræis etiam *Bedil*: alterum alteri alludens, quaſi menſura dividens. Eſt hoc metallum naturæ amicum, ut quotidiano uſu comprobamus, Saturno ſeu plumbo longè præſtantius, atque materia ejus plumbi materiâ valde nobilior; hinc & ab eodem plumbo toto cœlo diſcrepat. Et ut à ſuperioribus exordiar, beneficio Jovi potiſſimùm quadrat ipſum ſtannum, aëri etiam convenit. Et ut cuncta calida & humida, dulcia, & odorata: ſanguis quoque, & omnia ad nutrimentum, & augmentum comparata: ſic ſapores, & colores quinque optimi Jovi ſuccenturiantur, rurſus cum ſtanno, Jove noſtro terreſtri, ſympathiam nacti ſunt. Ex lapidibus cryſtallus, ſaphyrus, aliique albi, & virentes. Habet & concentum cum nonnullis arboribus, cum oliva, quercu, lauro,

ro, & aliis. Mitto brevitatis gratiâ alia complura, cum quibus naturalem quandam habet propenſionem.

Noſter verò terreſtris muliebri ſexui valde convenit, quod multis conſtat experientiis, & maximè partibus generationi dicatis. Mirum eſt, quâ virtute polleat in roborandis pulmonibus, jecore & aliis partibus naturalibus. Quæ verò cum Saturno harmonizant, atque cum eo deliciantur, ab his diverſa ſunt, ut in ſequentibus dicemus. Vires etiam ipſius ſtanni inter utrumque diſcrimen afferunt. Excalefacit, aperit, roborat, & alia præſtat plumbo haud propria. In tribus potiſſimùm celebratur à Theoph. Parac. *lib. de præparat.* in Icteritia, in Aſcite, & in Vermibus.

NOTÆ

in CAPUT XVIII.

(*a*) *De ſtanno.* Stannum eſt metallorum leviſſimum: Terrâ conſtat metallicâ volatili ſubtiliori, quam ſulphuream chymici vocant. Nullum metallum tantam fovet affinitatem cum ipſo auro, quàm ſtannum: hoc unicum cum ipſo tranſit in regulum, cum cætera in ſcoriis antimonialibus retineantur. Per aquam regis una ſolvitur cum auro & ægerrimè ab ipſo ſeparari poteſt, nec antimonio, nec per capellam; unde etiam à nonnullis dicitur diabolus metallorum. Ejus ſolutio inſtituta aqua forti leniori vel mitiori aquâ regis, ſi infundatur in aquæ ſimplicis quantitatem, infuſis deſuper aureæ ſolutionis guttulis, color exurgit rubineus, & pulvis ejuſdem coloris ſecedit in fundum qui vitri rubinei confectioni inſervit. Ipſe hic pulvis ſolaris & jovialis mixtus cum æquali parte mercurii præcipitati albi ac probe edulcorati exquiſita trituratione in mortario vitreo tranſit in diaphoreticum, potens in ſolvendis veteribus obſtructionibus medicamentum. Ex ſtanno, arſenico & mercurio ſublimato paratur ſpiritus perpetuo fumans, qui ad uſus chymicos pariter & mechanicos utiliſſimus eſt. Magiſterium jovis difficillime reducitur in metallum; ita etiam calx reſpuit ſalium alkalinorum vim, quod ſi autem additur ſapo ſive Alkali oleoſum, negotium procedit. Sal balſamicus ſubdulcis, cujus *celebris Auctor* meminit, elicitus ex ſale hermaphroditico, quod nitrum eſt, & calcinato cum venere, Saturno Philoſophico, ſeu antimonio, naturæ mediæ eſt, ſimilis arcano duplicato vel nitro antimoniato ſexangularis figuræ.

Antihecticum Authoris optimè paratur, ſi cum antimonio ſtannum redigatur in calcem cæruleam: nam una uncia antimonii debita calcinatione ſex uncias ſtanni in pulverem redigit, qui cum nitro ſufficienti convertitur in medicamentum tutiſſimum temperans, & diaphoreticum. Quando non rite proceſſeris, ſervat vim emeticam vel etiam laxantem, præſertim ſi acidum exſuperet primis in viis, quod congrediendo cum calce jovis ſtimulans ſal evadit, in inteſtinorum ſubſtantiam agens, non ſecus ac ſol jovis, quod virtute laxante & anthelmintica eminet.

Notabile eſt, calcem Jovis neque cum aqua forti neque aqua regis effervеſcere, ſed uſurpatur ad polituram chalybis.

Præparatio in Icteritia ſic habet, &c.

℞. Stanni calcinati, ℔. j. Salis communis, ℥. v. cineris fabarum ℔. ß. reduc in lithargyrium per ignem reverberationis. Hujus lithargyrii. ℞. ℥. x. alcohol vini, ℥. ß. poſt reſolutionem reduc. in alkali. Doſis à g̃. vj. ad g̃. x. & xij.

Præparatio in Aſcite.

℞. Stanni purgati, ℥. j. Antimonii, ℥. ij. limaturæ cineri, ad pondus omnium: reduc in calcem per reverberationem, horis 24. deinde

℞. Hujus calcinatæ materiæ, ℔. j. alcohol vini, ℔. j. ß. reduc in alkali. Doſis à ℥. j. ad ℥. j. ß.

Præparatio in Vermibus.

℞. Stanni, ℥. iij. Salis communis, ℥. iv. Aſphalti, ℥. j. fiat pulvis cum aduſtione. Doſis à ʒ. ß. uſque ad ʒ. iij.

Ejuſmodi præparationes, Theoph. Parac. intentionem in edocendis præparationibus manifeſtè detegunt. Ex una parte res patefacit, ex altera eaſdem abſcondit. Sic ne ſuis æmulis Apollinis Orgia citra pulverem tradat; filiis verò artis iſthæc ſatis nota duxit.

Crollius in *ſua baſilica Chymica*, ſalem Jovis in ſtrangulatu uteri præparat: cujus doſis (inquit) eſt trium aut 4. granorum in aurora, cum aqua arthemiſiæ, vel aquis cordialibus.

Quercetanus exiſtimat ſtanni uſum in Medicina eſſe nullum: Nos contrà, ut experientiis nobis notum eſt, ejus neceſſitatem, & uſum ſatis celebrare non poſſumus. Ex eo componimus medicamentum egregium, quod nulli alteri ſatis æquiparare poſſum. Fit verò ejuſmodi medicamentum ex tribus, Venere, Jove, & Saturno Philoſophico. Hæc tria primùm ex arte calcinamus: Venerem bis cum duplo ſulphuris; Jovem cum duplo ſalis hermaphroditici; Saturnum Philoſophicum (pro quo accipe marcaſitam Saturninam) cum eodem ſale ad quadruplum: Hæc tria probè calcinata, ad æqualem portionem commiſcemus, mixturam denuò cum duplo ſalis excoquimus. Sale, aqua communi pluries reaffuſa remoto, & pulvere reſiccato in urinali vitreo, ſub fimo ad octo dies recondimus pulverem, cum ſufficienti q. ſpiritus vini. Hoc pluries reiteratur, & tandem debitâ evaporatione factâ, colligitur ſal quidam balſamicus ſubdulcis cum quadam auſteritate, cujus vires imperſcrutabiles cenſeo. Ad hydropem mirificè conducit, cachexiam perfectè tollit, viſcerum duritiem emollit, mulierum menſes movet, ventriculum roborat, & inappetentiam corrigit.

Calcem Jovis non rarò uſurpamus cum conſerva aliqua, ſed ejuſmodi calcem paramus cum duplici pondere ſalis hermaphroditici, adeò ut coctionis quædam ſpecies ſit. *Calx Jovis.*

Flores ejuſdem, cum eodem ſale facilè paramus: ad hoc accipimus unam partem ſtanni in nigrum pulverem adducti, & duas partes ſalis: commixta hæc ſenſim projicimus in vas candens ferreum, alembici adinſtar cum urinali, & capitello. Capitellum habeat in ſummitate foramen rotundum, per quod injiciatur mixtura, & confeſtim obturari poſſit cùm pila ferrea. *Flores Jovis.*

Salem, oleum, ſpiritum, ab his floribus elicere poſſumus, cum aceto diſtillato, modo ſupradicto. Ex ſtanno liquorem diaphoreticum ſubdulcem cum mercurio paramus

mus cujus parandi methodum *in cap. de Mercurio* explicamus.

CAPUT XIX.

(*a*) *De Saturna ſeu Plumbo.*

PLumbum, quod Saturni nomine indigitatur apud Chymicos, à Stanno toto genere differre exiſtimo, quamvis alterum album, alterum nigrum cum Plinio, à pleriſque vocentur; Græcè Μόλιϐδος, Hebraicè *gophereret*, quaſi pulvis; eſt enim à nomine *gaphar*, quod pulvis, & terra: ſic dictum, quòd multum terræ contineat, aut quòd metalla in cinerem, & pulverem redigat. Sicut cum Jove ſtannum, ita cum Saturno plumbum mirabilem ſympathiam trahit, atque cum multis aliis, quæ Saturno convenire traduntur, ut nigra quæque, terrea, ſapores, & odores tetri, & fœtidi, & amari, & inſuaves. Ex plantis, ipſi reſpondet ruta, cyminum, helleborus, papaver, mandragora, hyoſcyamus, aſſa fœtida, &c. Ex animalibus; ſus, Camelus, ſimia, urſa, catus, mulus, aſinus, pavo, ſtruthio, grues. E ſerpentibus, ſcorpiones, & reptantia in terris, in aquis, & ruinis murorum, aut tectorum, ut mures, formicæ, & vermes multiplices. Præeſt inſuper Saturnus autumno, & hyemi, ventis fortioribus & gravibus, ſicut & locis ſubterraneis, & ſolitariis, piſcinis quoque, ſtagnis, paludibus, & locis horrendis. Sed his omiſſis, ad ejus medicamenta properandum. Sunt verò medicamenta ex plumbo multiplicia, tam communia quàm chymica. Communia ſunt iterum compoſita, & ſimplicia: ſimplicia ſunt, ceruſa, minium, lithargyrium, plumbum uſtum, limatura, &c.

Compoſita ſunt penè innumera: nam plurima cerata, ſeu ut magis propriè dicam, emplaſtra ex eo componuntur, ut emplaſtrum diachalciteos, quod falsò nuncupant, empl. de ceruſa, empl. de minio, empl. diachyl. patvum, & ireatum, & magnum, empl. triapharmacum. Quid? vix ullum extat emplaſtrum, quod non habeat lithargyrium, vel ceruſam, vel minium pro baſi. Ex unguentis etiam multa ſunt, ut de ceruſa, de lithargyrio, de tuthia, & pleraque alia. Chymicomedica ſunt balſamus, ſpiritus, & ſulphur, quæ calcinatio præcedit: ad hæc alia complura quotidie accedunt, tam ſimplicia, quàm compoſita, ut ſuccus Saturni in aceto excoctus, &c. Pulvis Mercurii cum Saturno, variæ inſuper calcinationes, diſſolutiones, & mixtiones.

Quod ad balſamum ſpectat, extrahitur ipſe, vel ex calcinato plumbo, vel ceruſa, vel ex minio, vel ex quovis alio liquore acido, modo quo de ſale ſtanni eliciendo diximus. Nos ſic ipſum præparare ſolemus. Accipimus calcinatum plumbum ad quatuor vel quinque libras; ipſi tum addimus aceti, quantum quatuor digitos ſupereminet: hoc fit in boccia vitrea, quam mox in loco calido, ſive fimo, ſive alio per octo dies recondimus: acetum poſtmodùm per inclinationem abſtrahitur, & ſeorſum ſervatur; ſuper dicto calcinato plumbo novum reaffunditur acetum, totidemque diebus ſepelitur in fimo boccia, atque ſi voles, ut meliùs res procedat, ſingulis diebus moveatur leviter. Abſtrahe acetum ut priùs, & novum iterum reaffunde, ſic quinquies, & ſexies dicta infuſio repetatur. Has omnes infuſiones per alembicum vitreum abſtrahe, & in fundo remanebit ſal, ſeu balſamus plumbi. Theoph. Parac. eundem balſamum deſcribit in *ſua Chirur. mag. Tom.* 2. *de ulcerib. & puſtul. morbi Gallici, lib. x.* cujus verba placet annectere, ut ipſemet ſuam præparationem patefaciat. *Plumbi balſamus,* (inquit) *qui cum aceto ex ipſius cineribus per diſtillationem extrahitur: corpus autem illud ubi exaltatum fuerit per reverberationem, in minium redigi debet, & per aquam ſerpentinæ pictæ in ceruſſam reduci. Ex tribus iſtis experimentis originem ducunt curationes ulcerum depaſcentium, phagedænarum ac ignis perſici: verùm ex depravata horum trium remediorum, phlumbaginis, minii, ceruſæ, (quæ ſecreta remedia in his affectibus putantur) præparatione, plurimi errores a pſeudo medicis committuntur, unde magnum plumbo convitium conciliatum fuit.* Hucuſque ille. In quo liceat iterum ejus loquendi formulam connotare, cujus corticem ſi ſpectes, balſamum minimè conficies. Equidem poſt dicti balſami extractionem, corpus quod in retortæ fundo manet, iterum reducitur in minium, & ceruſam præſtat, & lithargyrium aureum, & tandem cum exiguo ſale tartari in vitrum vertitur. Oleum verum aquæ innatans, rubicundiſſimum & fragrantiſſimum, ex ejus ſale per retortam educimus. Ex ſingula libra paulo plus ℥. ij. olei habetur. *Oleum Saturni.*

Spiritus Saturni unà cum oleo pellitur: is flammam citiſſimè concipit, nihilominus ventriculum, & artus vehementer refrigerat, pectori nimioperè adverſatur, & quendam animo mœrorem incutit. Doctiſſimus Hartmannus Landgravii Haſſiæ Archiater, jamdudum ſcripſit ad me, ſe ejuſmodi ſpiritus plumbi medio quoſdam leproſos ſanâſſe. *Spiritus Satur.* *Facultas & virtus.*

NOTÆ

in CAPUT XIX.

(*a*) *De Plumbo.* Ex metallis nullum tam prompte in auras avolat ignis violentiâ, quam ipſum plumbum; nam totum in fumum ſubdulcem ex albo flaveſcentem convertitur, qui nebuloſo ſub cœlo coagulatus & intro hauſtus horrenda ſymptomata, ſpaſmatica tormina, cum alvi pertinaciſſima obſtructione convulſiva excitat, ſubſequente ſæpius paralyſi manuum, qui morbus dicitur *die Hütten-Kranckheit*, & familiaris eſt illis; qui mineras ſaturninas igne tractant, vel lythargyrium ponderant, de quo legi meretur *diſſertatio noſtra de metallurgia morbifica.* Fumum ſaturni ore improvide hauſtum vomitum & ſedes excitâſſe retulit *D. N.* Boyle *hiſtoria fluiditatis & firmitatis p.* 75. Noxa Saturni merito ducenda eſt à terra mercuriali (quæ etiam facile in verum mercurium tranſit, ſi fumus cum oleo tartar. per deliquium exactiſſime teratur & deſtilletur: vid. Becheri *mineram*

neram arenariam p. 42.) quâ conſtat copioſa. Etenim hæc & gravitate ſua & textura craſſiori adhæreſcit intime tunicarum nervearum poris, & partim obſtruendo, partim rodendo nocet, & ſpiritus animales in motu ſuo turbat. Quare medicamenta ex Saturno parata parum tuta ego judico. Sic à Sacchari Saturni immodico uſu paralyſin ortam lege apud Johannem Rhodium *centur.* 3. *obſ.* 10. de eodem ſale notatu digna memorat Borellius *cent.* 4. *obſ.* 32. Amicum inquit, habui, qui Sacchari Saturni hauſit nimiam qualitatem; unde tanquam paralyticus & fere mortuus factus eſt, tandemque conclamaretur, rigebant membra ejus & tanquam congelatus & apoplecticus erat. Fernelius *tract. de lue venerea c.* 7. ſcribit de empirico, qui plumbi pulverem adverſus artritidem commendavit, quo ad ſeſquilibram aſſumpto, æger primum dyſenteria crudeli, deinde ventris graviſſimis roſionibus & torſionibus cum contumaciſſima adſtrictione, virium & appetitus dejectione, vigiliis internoque incendio correptus fuit. Saturnus, licet aceto tectus, dulciter delineat palatum, non tamen ſine noxa ingeritur, nequam eſt, & mercuriale virus oci ac faucibus afflat. Verba ſunt *Billichii p.* 144.

Ex hiſce clariſſimum evadit, medicamenta ex Saturno parata ſatis tuta non eſſe; unde obſervavi non ſemel à magiſterii vel etiam Sacchari Saturni uſu ad cohibendum ſeminis fluxum obortam fuiſſe colicam convulſivam; cum alvi pertinaci obſtructione, ictero, ardore interno, appetitus dejectione.

Ex remediis ſaturninis ſplendet maxime inter pharmacopolia tinctura antiphthiſica ab Auctore dicta *Grammaniana*, cujus uſus, ad ſanguinis concitatiorem motum refrenandum in nimio ipſius profluvio non contemnendus obſervatus fuit. Proſtant hujus deſcriptiones variæ, dum alii via ſicca miſcendo vitriolum martis cum Saccharo Saturni, alii, quod rectius, via humida ipſas parare nituntur. Optimus autem eſt ſequens modus: Solutioni Saturni Saturatæ cum aceto deſtillato vel ejus ſpiritu paratæ infunditur liquor martialis, ſive ſolutio vitrioli è minera martis Haſſiaca confecti, illico præcipitatio viſitur terræ martialis cum colore pulchre rubicundo exurgente: liquor ſupernatans decantandus. Vitio hæc tinctura laborat, quod, ſi diu ſteterit, deponat ad vitri latera particulas tàm ſaturninas, quàm martiales, ideo conſultius eſt, ſi ejus uſus expetitur, recenter illam & ex tempore parare.

Quod ſi ſaccharo Saturni affunditur ſpiritus vitrioli, deſtillatione acquiritur ſpiritus aceti deſtillati. Ipſum ſaccharum ſi deſtilletur, prodit ſpiritus ardens, qui nihil aliud eſt, quam ſpiritus vini regeneratus latitans in particulis aceti: aſcendit in formâ ſtriarum, uti ſpiritus vini, odorem habet roſmarini eſſentiæ. Oleum quod prolicitur, eſt pars terreſtrior gravis aceti reſoluta. Remanet in retorta terra nigra, quæ ſimulac aëri exponitur, incipit flaveſcere, ſi liqueſcat in crucibulo, tranſit in plumbum perfectum. Memini aliquando caput mortuum ſpiritus ſaturni, cum retortam adhuc calidam frangerem, luculentam flammam concepiſſe, fortaſſe propter ſpiritum vini reſtitem ſumme calefactum; qui aëris acceſſu in flammam ſolvebatur.

Cryſtalli Saturni cum aceto præparatæ, ſi addatur debita portione ſal tartari, vel nitrum, fulminant non ſecus ac mixtura nitri, ſulphuris, & ſalis tartari. Si ſaccharum Saturni velis cryſtalliſare, non illud aqua communi ſolvas, ſed quod monitum *Billichii* eſt *in obſervat. p.* 68. aceto. Ignis in evaporatione lenis eſſe debet, ſi nimis intenditur, liquidum ſemper manet, & hinc dicitur butyrum ſaturni. Sub leniore ſemper ad fundum præcipitantur cryſtalli. Oleum ſaturni fit ſi ſal ſaturni ſolvatur in ſpiritu vini, per aliquot ſeptimanas digeratur, abſtrahatur, caput mortuum cum arena permixtum ex retorta deſtillatum largitur oleum rubicundum ac ſpiritum album.

Spiritus terebinthinæ vel oleum juniperi affuſum ſaccharo ſaturni, mixturam frequentius agitando, inque debitam digeſtionem ponendo, acquirit colorem rubicundum, & tranſit in balſamum buod, camphora & balſamo peruviano nobilitatum, in gonorrhæa, fluore mulierum albo, præmiſsâ debitâ purgatione, efficaciſſimum eſt. Memorabile

Poterii Opera.

eſt, ſaturnum lunæ puriſſimæ, quæ nullum colorem menſtruo urinoſo amplius largitur, aſſociatum, & cum ipſa calcinatum, de novo ipſi communicare tincturam.

CAPUT XX.

(*a*) *De Lapidum, & Gemmarum præparatione.*

LApides tam communes, quàm pretioſi, gemmæ dicti, ob inſignes eorum virtutes ab omni ævo exoptati fuerunt ſemper, nec adhuc eſt tam barbara & inculta gens, quæ non eorum præſtantiæ, & pulchritudinis detineatur admiratione. Et ſanè nulla ex parte naturæ majeſtas mirabilior, quàm in gemmis. Quid non tantæ varietati, coloribus, materiæ, duritiei, decori, gratiæ, & venuſtati debetur? ut interim eorum dotes, & occultas facultates prætereuam. Gemmarum ortus eſt planè cognitu difficilis, uti materia, ex quibus à natura primùm productæ ſunt. Sintne ex aqua puriſſima, frigore nimio in viſceribus terræ denſata: an verò vitrum quoddam ex genere metallino per nimium calorem productum; an puriſſima alia materia, ſpiritu lapidifico compacta, & eam in formam lapideam reducta, demum ex ſulphure, & Mercurio puriſſimo; an ex puriſſima elementorum materia, parùm refert, dummodò earum vires firmiter teneamus. Cum metallis; & viciſſim cum planetis, item cum præcipuis corporis noſtri membris, ac cum plantis, gemmas ſympathiam habere nonnulli demonſtrant. Ut enim fulvi, & rubri, igneo colore micantes, Soli, & auro, ita & cordi conveniunt, plantis item aureis floribus decoratis. Virides veneri, cupro, & renibus, ſicut plurimis plantis. De cæteris eandem ferunt ſententiam. His verò miſſis ad inſtitutum redeo. Lapidum, & gemmarum præparatio, & uſus planè recens eſt, & ante Arabes nullum reperio, qui de his quicquam ſcripſerit. Apud Hipp. perpaucorum fit mentio: apud Gal. Hippocrate longè inferiorem ætate, lapides haud pauci recenſentur, at quàm breviſſimis, ex quibus manifeſtè liquet, de his per exiguam habuiſſe cognitionem. Arabes ipſos multis compoſitionibus immiſcuerunt: quam conſuetudinem ſervat hodiè vulgus Medicorum. At duriſſima illa corpuſcula, etſi tenuiſſima, à noſtro calore atteri, atque in actum deduci haud poſſe, ſatis liquet, nec noſtros corporis meatus ſubire valent, niſi potabiles, & in liquorem verſas gemmas uſurpemus. Incipiam à corallis, & unionibus, tamquam ab uſitatiſſimis.

NOTÆ

in CAPUT XX.

(*a*) *De Lapidum & gemmarum præparatione.* Sicuti omnia ſolida fluidum agnoſcunt principium, ita quoque lapidum & gemmarum origo ex fluido eſt: comprobat id illarum figura, diaphaneitas,

neitas, intimaque particularum unio, dum ex pluribus tenuibus bracteis conſtant, quæ ex commiſſuris ope microſcopii cognoſcuntur: Vid. Boyle *de gemmis pag.* 7. Fiunt mediante cryſtalliſatione, dum particulæ inſenſibiles invicem coagmentantur. Quod aqua in lapidem mutetur, qui igne vehementiſſimo in calcem acerrimam uritur, ſpelunca Baumanniana id ſufficienter confirmat. Boylæus *hiſt. fluidit. & firmit. p.* 91. exempla aliquot notabilia profert, quod aqua in lapides mutata fuerit.

Color gemmarum à connubio particularum metallicarum eſt; unde etiam aſſociatione certorum metallorum elegantiſſimæ gemmæ varii coloris elaborari poſſunt. Aurum cryſtallo amethyſtinum concedit colorem, qui etiam obtinetur, modo auri crocus terræ porcellaneæ imponatur, & vitro prægrandi cauſtico aurum vehementiſſimè calcinetur, ſic vitrum pulchrè amethyſtinum naſcitur. Rubineum vitrum ex jove & auro; Saphirinum ex lapide Lazuli; Smaragdinum ex viridi æris & minio; Hyacinthinum ex ceruſsâ & croco martis: Chryſolithinum ex minio & ceruſsâ conficitur. Plumbum lateri impoſitum vitro cauſtico abit in perfectum vitrum viride ponderoſum.

De viribus gemmarum multa traduntur fabuloſa. Equidem non omni carent virtute, ſed peti illa quam optime poteſt à corpore cryſtallino acidi deſtructivo, non autem ab ipſarum tinctura, quam à ſuccis mineralibus poſſident, quæ quidem menſtrui certi ope ex ipſis elici poteſt. Vid. Boylæus *de gemmis.* Falluntur qui ſingularem confortantem vim illis adſcribunt, illamque derivant ab æthere putiore anguſtiſſimos illarum poros incolente. Eâdem forma qua aſſumuntur, iterum ejiciuntur. Ingrediuntur gemmæ varii generis remedia, nominatim, pulverem bezoardicum *Sennerti*, confectionem de hyacintho, electuarium de gemmis calidum, ſpecies cordiales temperatas, ſed profectò ſine ſingulari effectu, cum ipſe, ſi quis eſt, à ſolo cryſtallo repeti queat, quo circa effectus horum reliquis potius ingredientibus adſcribendus erit.

CAPUT XXI.

(*a*) *De Coralliis.*

Corallum, vel, ut aliis placet, Corallium, ut in imo maris incredibili naturæ artificio productum, ita mirabiles ab ea dotes ſortitum eſt. In pelago veluti mollis arbuſcula creſcit, & vegetabili vitâ vivit; extrà verò naturam lapideam induit, ut non ampliùs ad vegetabilia, verùm potiùs ad mineralia reducatur. Tres ſunt hujus fruticis lapidei ſpecies: rubrum, quod omnium cenſent optimum, album, quod peculiares habere facultates exiſtimant omnes, nigrum rariſſimum, & minùs in uſum receptum. Sunt & ex his ſtellatum, articulatum, & poroſum, ſub iiſdem ſpeciebus reponenda. Rubrum potiſſimùm nobis in uſum venit, quod quidem non nobis ſolùm Europæis innoteſcit, verùm & Aſiaticis & Afris. Hinc Turcæ, Indi, & pleræque aliæ nationes barbaræ ipſum integrum collo geſtatum, inſignes habere vires conſtanter credunt. In plurimis etiam Europæ locis, ad nocturnum timorem, cui pueri & juvenes ob cruditates valdè obnoxii ſunt, valere creditur. Bononiæ, ubi hæc meditamur, puellæ id collo geſtant, tanquam ornamento, & virginitatis ſigno. Avicenna corallum inter cardiaca repoſuit, Veteres Græci, neque Hipp. neque Gal. ejus meminerunt. Colligitur hodie in maxima quantitate in mari mediterraneo Barbariam verſus, quò Maſſilienſes id quotannis adeunt piſcatum, ſic id artificii genus appellant, eò quòd retibus ipſum ex imis Oceani viſceribus extrahant. Traditur etiam id in Liguſtico mari enaſci: verùm potiùs Ligures cum Maſſilienſibus in Barbarico ipſum reperiunt, & indè poſtmodum Genuam advehunt. Communis ejus in Medicina uſus eſt, in pollinem reductum ipſum priùs calcinando, vel integrum ſuper porphyriten lapidem terendo. Nos vel ejus tincturam, vel ejus ſalem uſurpamus, ex quibus ſyrupos, & alios liquores componere poſſumus.

NOTÆ
in CAPUT XXI.

(*a*) *De Coralliis.* Corallium frequentiſſimum in uſu eſt rubrum, quod in mari Tyrrheno & Siculo invenitur, rarius album, nigrum vix reperitur, niſi in curioſorum cameris; dubitant, an corallia in mari mollia ſint, & an extremitates ipſorum rotundæ, uti refert *Paulus Bocco*, ſuccum lacteum ad modum tithymali præbeant.

Corallia deſtillata in retorta igne aperto fundunt liquorem acrem urinoſum, caput mortuum eſt acerrimum album, & inſtar calcis vivæ ebullit aquâ affuſâ. Potentem vim alit diureticam in urinæ ſuppreſſione, ſi connubio ſalis ſuccini commaritetur, expertiſſimam. Tincturæ nihil aliud ſunt quam ipſorum ſolutiones, ſique in digeſtione rubedinem induunt, id non tam coralliis, quam menſtruo potius, quod calore talem colorem ſuſcipit, debetur. Idem noſtrum judicium eſt de cera alba, quâ mediante tentant extrahere colorem rubrum ex ipſis. Inter ſexcentos fermè modos præparandi tincturas ex coralliis eminet maximè illa, quæ fit cum ſpiritu nitri dulci, quæ præſtantiſſimæ virtutis eſt in reſerandis obſtructionibus, ſanguiniſque impuritate per diaphoreſin diſſipanda. *Baſilius Valentinus* ſpiritum ſalis dulcificatum adhibet. Langelottus *in Epiſtola ad Nat. Cur.* meminit coralliorum intimæ ſolutionis cum oleo quodam deſtillato. Verum dubito, an res unquam ſucceſſerit. Boyle *tractatu de gemmis* commendat ſpiritum æruginis, quo corallia ſoluta poſt abſtractionem ſpiritui vini non rectificato tincturam & vires concedunt. Cnœphelius *in M. S.* corallia repetitis vicibus in ſpiritum roris majalis projicit, qui ſaturam inde adipiſcitur flavedinem, & debitâ evaporatione evadit rubicundiſſimus.

Spiritus qui ex ſale coralliorum vulgari modo parato conficitur, eſt non niſi ſpiritus aceti cum ſpiritu vini rectificato mixtus.

Sal Corallorum.

Methodus, quâ corallorum ſalem præparamus, non eſt à vulgari diverſa; ea ſolummodò priùs ab omni ſalſedine maris per varias ablutiones repurgamus, ipſa coralla probè terendo in mortariolo marmoreo, eaque fortiter exagitando cum piſtillo, & aqua communi. Toties aqua à corallis removetur, quoad omnis fæx receſſerit, quod ex rubore, nitore, & pulchritudine coloris deprehendes. Exſiccata, & minutim trita in aceto acerrimo diſtillato diſſolve, in fimo equino: diſſolvuntur in variis infuſionibus, hiſque pluries repetitis. Infuſiones ejuſmodi urinali vitreo induntur, ac demum lento calore exſtillantur, & ſic omnis humiditas ferè abſumitur. Tunc reponendum eſt vas in loco frigido, in cujus fundo ſal concreſcet. Eo ſale ſi uti volueris, hac correctione eget: ipſi ſuperinfundes aquam vitæ optimam, quam ab

ab eo ſale deſtillabis, hacque via aceti vis acida retunditur. Putant nonnulli longâ hac maceratione in fimo equino dictum ſalem in oleum verti; ſed his, ut multa alia ſua cogitata relinquimus.

De tinctura Corallorum.

INter plurima à Pſeudochymicis conficta, hæc corallorum tinctura non eſt ex infimis. Omnes corallorum tincturam extrahere norunt, & nemo ipſam vidit unquam. Circumferunt aliquot ſolutiones ſubrubras, eaſque falsò pro dicta tinctura nobis offerunt. Sed magis adhuc miror, viros præſtantiſſimos, eruditiſſimos, & de arte Spagyrica benè meritos, de ea præparanda, tam falsò ſcripſiſſe: horum nominibus utcunque parcam; nobis enim animus non eſt cum larvis luctari. Paracelſ. eo in genere haud eſt reponendus, quia, quod de ea ſcribit, totum ænigmaticum eſt, atque eam ſub verborum involucris planè occuluit. Eas verò, quas Beguinus in *ſuo Tyrocinio chymico* proponit, irritas eſſe, & penitùs rejiciendas exiſtimo. Quidam coralla priùs calcinanda docent. Quidam ſolâ trituratione, cum aqua communi pluries affuſa, contenti ſunt. Quidam infundunt cum aqua quercus, juniperi, & ſimilium. Sunt & qui putant parari poſſe cum ſpiritu vini longa maceratione præmiſſâ. Tandem vana ſunt hæc omnia. Quercetanus ad veritatem propiùs accedit, dicens ex ſale ſpiritum, & tincturam elici poſſe, quam quidem methodum manibus propriis pluries experti ſumus. Et quia ipſa ex dictorum corallorum ſale per acetum diſtillatum facto elicitur, dubitare quidem poſſumus, num dictus liquor ex aceto potiùs, quàm ex corallis procedat: Liquor ab aceto eſt, ut manifeſtè liquet, color verò non ita; etenim ſtillatitium acetum ejuſcemodi rubeo colore caret. Odor ille fragrans itidem ſuſpectus eſſe poteſt; neque immeritò: nam Saturni ſpiritus eodem ferè odore præditus eſt. In utriuſque ſpiritu idem color conſpicitur, & eadem rubedo. An ex aceti fæcibus, an à corporibus ſolutis, nec res certa eſt. In aceto ſtillatitio, quamvis limpidiſſimo, per aliquod temporis ſpatium ſubſidet fæx quædam, tenuiſſima, & albiſſima, & nonnunquam per univerſam aceti materiam, veluti urinæ nubecula, volitat. Aceti vis omnis, quæ in ſuo ſale volatili reſidet, cum ſolutis corporibus manens mixta, denuò novum ſpiritum fundit, diſtillatione per retortam ritè inſtitutâ: at is ſpiritus ſapore, colore, & odore corporum ſolutorum præditus eſt, & poſteà is non ampliùs acidus, ſed æthereus, & planè ſulphureus, flagrans, & cœleſti virtute balſamica donatus apparet. Ex quibus manifeſtè patet, inſignem & præſtantiſſimum eſſe ſpiritum, graviſſimorum morborum humido noſtro balſamico inhærentium domitorem. Hæc verò tinctura ſic fit.

Accipe ſalem ſupradictum variis ſolutionibus, filtrationibus, & coagulationibus depuratum, ad libram unam: is retortæ luto munitæ indatur, atque blando igne primùm phlegma, ſeu aqua inſipida prolicia tur: Aucto igne, & mutato recipiente, ſpiritum ſupradictum excipies, cum exigua portiuncula olei veri; ambo fragrantiſſima, & rubicundiſſima.

Hujus tincturæ, ſeu ſpiritus vis eſt admirabilis in corde exhilarando, cerebro reficiendo, & in aliis; uti in fluxionibus capitis, quas ſiſtere credunt. Sanguinem pariter repurgare traditur, immoderatos mulierum menſes reprimere, flores albos exſiccare, & alia miranda præſtare.

Utendi modum praxis potiùs, quàm litera docebit; nec eſt, ut quis putet ſe ſolâ librorum lecturâ in chymicis Doctorem evaſurum.

CAPUT XXII.

(*a*). *De Unionibus.*

UNiones, nobilium mulierum delitias, & ornamentum, concharum in imo pelagi exiſtentium partum, & genituram credimus; unde & ſemini augendo, nec non & humido primogenio plurimùm conferre. Hodie ex India Orientali, & Occidentali aſportantur, quibus in locis arte perforantur omnes: parvæ, Margaritæ; majores, Uniones appellantur. Eos olim Romæ in frequentem, & promiſcuum uſum veniſſe, tradit Plinius, Alexandriâ in ditionem redactâ: & Clodium Æſopi Tragœdi filium, ſingulos uniones convivis ad ſorbendum dediſſe. Tradunt margaritas primùm Arabes medicamentis cardiacis immiſcuiſſe; quos Græci ſequuti; & poſt hos Hermetici. Illi, tritas & porphyrite, vel alio lapide duro lævigatas; hi verò diſſolutas, & in liquorem verſas: durum enim erat credere, per corporis meatus, ſolidiſſima corpuſcula, quamvis tenuiſſima, permeare, eaque calore noſtro ſubigi, & atteri, denique defeſſis membris opem ferre.

Parantur modo à corallis haud diſſimili: Itaque, ut de corallis ſuprà diximus, eæ ſunt primò in mortariolo marmoreo, vel porphyrite terendæ; demum in proprio, aptoque diſſolvente per aliquot dies macerandæ: erit autem ejuſmodi diſſolvens, vel ſuccus limonum, vel acetum ſtillatitium. In ſucco limonum citiùs diſſolvuntur, & forte majori cum utilitate. Diſſolvens ab iis ſegregatur, ipſis affundendo guttatim parum olei tartari: ſicque remanent hæ margaritæ in fundo vaſis in ſuccum album ſolutæ. Ab hac ſolutione ſuccum limonum effunde per inclinationem; ſolutum verò aquâ communi diſtillatâ abluatur, & toties, quoad omnis acrimonia diſſolventis receſſerit. Solutio ejuſmodi Magiſterium perlarum vocatur; quod verò in liquorem oleaginoſum vertitur, per ſpiritum vini diu in fimo equino putrefactum, perlarum oleum appellant. Si cum aceto ſtillatitio ſolvantur, & ab his ſolvens per alembicum abſtrahatur, citiùs in oleaginoſum liquorem abeunt. Correctio ſalis acidi variis cohobationibus cum ſpiritu vini factis optimè

optimè fit, quibus non modò ſpirituum acrimonia retunditur, verùm & perlarum vis exaltatur. Spiritum unionum, quem Quintam eſſentiam nuncupant, eo, quem ſuprà diximus modo de corallis, præparamus. Extant apud varios Authores aliæ præparationes longæ diverſæ, de quibus ſimilem cenſuram proferre audemus, ac de tinctura corallorum.

Vires margaritarum eſſe admirabiles; nobis primùm retulerunt Mauri, & poſt hos Chymici. Præcipuas referunt in corpore ſano, & vegeto conſervando, idque ab omni morbifica cauſa coërcenda. Item uniones ad reſolutionem nervorum, eorumque convulſionem plurimùm valere, necnon ad marcorem ſenilem, ſicuti & ad phrenitidem, tradunt; & lac muliebre augere, ulceribus, cancro, hæmorrhoidibus, & melancholicis affectibus valdè conferre; tandem capitales eſſe, & memoriam augere. Dentes dealbare eorum pulverem, experientiâ conſtat, mira tandem de his circumferuntur, quæ quia nobis inexperta, ſilentio præterimus.

NOTÆ

in CAPUT XXII.

(*a*) *De Unionibus.* Perlæ ex variis tunicis ſeu pelliculis coagmentatæ ſunt: Creſcunt ex humore; uti recentiores putant, genitali, quem piſces concharum marinarum bivalvium, quas margaritiferas appellant, ſtato tempore pro teſta efformanda eructant. Intra teſtes formantur ex liquore dicto, qui in fila tenuiſſima ducitur, quæ ſucceſſivè novis ſemper ſuper inductis abeunt in taliſmodi grana modo rotunda, modo anguloſa argentei coloris. Notabile eſt, piſces hos aliâs ſapidiſſimos, cum margaritas gerunt, inſipidos fieri, minores & morboſos, non ſecus an cancri, ſi lapides habent. Majores dicuntur uniones, quoniam duæ utplurimum conjunctæ reperiuntur in Indiis ſinu Perſico, & Inſula Zeylan. Ignobiliores & minores etiam in noſtris oris reperiuntur. Illarum uſus in medicina quamvis non prorſus ſpernendus ſit, penitus tamen exterminandus videtur, quoniam mater perlarum vilis pretii & quæ ex ſimili materia contexta eſt, eaſdem vires fovet, videlicet abſorbentes acidumque corrigentes.

Magiſteria tam coralliorum, quàm perlarum in uſu amplius vix eſſe ſolent propter deſtructionem texturæ alkalinæ factam cum acido. Solutionem ſi deſideras ad medicum uſum, peropportunè illa inſtituitur cum ſpiritu formicarum acido volatili.

CAPUT XXIII.

(*a*) *De Cryſtallo.*

CRyſtallus gemmæ quidem ſpecies eſt, & notiſſima, & communiſſima; & ut ejus ortus mirabilis, ſic ejus vires non ſunt ſpernendæ. Quid ipſa per angulos, non fortuitò, ſed ſummâ naturæ providentiâ è terræ gremio producitur; minutiſſimæ etiam cryſtalli ſexangulares exoriuntur ſemper, quaſi tornatiles, & miro artificio affabrè factæ. Ob id cryſtallus iris præ cæteris candida, & limpidam iridem nobis repræſentat. Primo aſpectu glaciem frigore denſatam diceres, & ſanè ſpeciem aquæ in viſceribus terræ denſatam: vix, ac ne vix quidem aliud credere, omnino eſt poſſibile. Frigore verò addenſatam non eſſe, diſſolutionis ratio indicat; ignis poſtmodùm, qui ex eo, ut ex pyrite excutitur, veritatem confirmat. Non durities cauſa eſt, cur excutiatur ignis, ſunt & lapides hac duriores, ex quibus ferrum ignem minimè excutere valet. Quid quòd nullo liquatur igne? Ignita, & candens in frigidam projecta in partes diſſilit, atque hac viâ in calcis ſpeciem vertitur; nec calx tamen propriè dicenda venit, adhuc enim lucet, & ſplendet: ab hac ignis vehementiâ vitrum efficiunt. Puriſſimâ tandem ipſam conſtare materiâ certum eſt, aqueâ, nitidiſſimâ, & perfectiſſimâ: communis quædam natura lapidifica in gemmis cernitur perfecta, & colorum ſpecie diſtincta.

Puriſſimo ſulphure, & ſale gemmas conſtare, multis convincitur argumentis: ſulphure, citra diſſolutionem, ut ex eo, quod ſuprà diximus, de ignis extractione, manifeſtè liquet; apertiùs per paleæ attractionem, omnes ſiquidem gemmæ paleam, ut ſuccinum attrahunt, quod non fit, niſi ſubſtantiâ illâ ſulphureâ, quæ validè attrita concalefit, concalefacta attrahit.

Cryſtallo Medici perraró utuntur, ut quibus vix natura ejus innoteſcat. Spagyrici in rerum virtutibus diſquirendis, analogiâ, & experientiâ freti, cryſtallum calculum in renibus, & veſica genitum diſſolvere, & forâs trudere agnoverunt. Item lac mulierum augere tradunt, & dyſentericis conferre, alba uteri profluvia ſiſtere, & alia ipſis (nî fallor) incomperta.

Theoph. Parac. multiplices cryſtalli præparationes docet *lib.* 1. *de præparationibus.* At hæc pro more ipſius tradita ſunt.

Prima eſt elevatio, ſeu ſublimatio, cum triplici pondere ſalis armoniaci.

Secunda, Alkali ex ſuprà ſublimata cryſtallo in aqua communi diſtillata ſoluta, & per evaporationem in Alkali converſa.

Tertia, diſtillatio in aqua. Accipit ſublimatæ cryſtalli, ℥. j. ʒ. Aquæ nitri, & aluminis ſine diſtillatione, an. ℥. ij. Reduc in digeſtionem ad dies tres, vel quatuor, deinde diſtilla, & diſtillatum coagula, coagulatum reſolve. Ejuſmodi præparationum uſus nobis nullus eſt, & eas prorſus inutiles, & imperfectas exiſtimamus: ſic propter pſeudomedicos ſuos æmulos, ſuique nominis convitiatores multa occultare voluit.

Et ſanè tanto viro haud exigua laus debetur, quòd ſolis filiis artis iſthæc arcana nota eſſe voluerit. Interim præparationes nobis uſuales patefacere, atque omnibus ob oculos proponere non recuſabimus.

Cryſtallum calcinamus, ipſam priùs in crucibulo igniendo, atque in aquam frigidam confertim projiciendo: ter, quaterque reiteratur iſthæc operatio, quâ diſſilit cryſtallus, & digitis contractata in aqua facilè in pulverem abit: teritur poſtmodum ſuper porphyrite, & in alcohol evadit.

Secundo modo cryſtallum calcinamus cum duplo ſulphuris ſuper ardentiſſimis prunis in furno venti.

Tertiò cum duplo ſalis nitri.

Quartò

Quartò cum aqua forti peculiari, quâ viâ molleſcit ad inſtar pultis, quæ poſtmodùm naturalem ferè duritiem recuperat in acetum demerſa. Sicque varias formas nanciſcitur: per ſe in calcem vix vertitur, ſed in vitrum liquatur.

Ex calcinata cryſtallo ſalem elicere haud eſt difficile qui poſtea in liquorem mutatur per reſolutionem.

Ejus ſuprà memorato alcohol utimur ſæpius, & potiſſimum in renum, & veſicæ calculis atterendis. Dictum etiam aliis mixtum, in lacte muliebri augendo uſurpamus.

Iſtius alcohol medio, oleum fit mirabile, quod quidem vi pollet vegetabili; augetur enim ſenſim vegetabilium in morem, adeò ut uncia una intra menſem, vel ſeſquimenſem alteram unciam dederit, contra omnium liquorum naturam, qui ab ambiente continuò abſumuntur, hoc contrà augetur mole, & pondere. Hujuſce multiplicationis ratio non ſoli ſiccitati tribuenda, ut materiales Philoſophaſtri quidam putant, verùm potiùs ſubſtantiæ cuidam famelicæ, ejuſce ſalium ordini peculiari, quâ etiam proprietate mineralium, & metallorum ſales ut plurimùm donati ſunt. Hunc liquorem eſſe actu humidum inficiabitur nemo; poteſtate ſiccum eſſe non conſtat: extinguit ſitim, ardorem in febribus coërcet. Siccitas eſt lima caloris; at hic liquor igni reſiſtit, & idem præſtat quod liquor ſulphuris. Quod verò refrigerat, nec hoc quidem aſſerere volumus: aperit obſtructiones, menſes movet, calculos ſolvit, extrinſecùs eſcharam concitat, urit, & carnem ſuperfluam abſumit. Quid tandem? contraria præſtat, excalefacit, & refrigerat. Elementales Medici rationes ad hoc ſatis pueriles, imò inanes afferunt; rationales verò chymicis inſtructi, his longè probabiliores afferunt. Sed de his alibi.

NOTÆ

in CAPUT XXIII.

(*a*) *De Cryſtallo.* Eſt lapis glaciei inſtar pellucidus; unde etiam ipſum ex glacie naſci vehementiſſimo gelu longiori tempore intercedente fabulantur. Creſcit enim etiam in calidiſſimis regionibus, uti in inſula Cypro, Magdagaſcar, & pondere quoque glaciem ſuperat. Celebratiſſima eſt cryſtallus, quoad figuras elegantiſſima, quæ in Italiæ ditione Pergamenſi reperitur, ubi mons fertiliſſimus eſt cryſtalli minera, ſi pars eruitur, pauco tempore alia propullulat.

Cryſtallus candefacta aliquoties in aquam ſi injicitur, frangitur, & abit in pulverem, qui cum ſale tartari mixtus & vehementiſſimo igne tractatus conſtituit ſal, quod aëris acceſſu abit in deliquium, & præbet liquorem, qui vino inditus ipſum imbuit rubedine, ſimulque præſtanti vi diuretica. Eadem cryſtallus calcinata ſolvi poteſt in aceto, vel ſpiritu ſalis, quæ ſolutio confert ad calculum. Notabile eſt, ex cryſtallo parari poſſe liquorem, cujus una pars duabus partibus aquæ affuſa ſucceſſu temporis ipſas mutat in verum lapidem. Beneficio vitri cauſtici, lapis ſpecularis, talcum, lateres, omneſque terræ, ipſaque ex quâ crucibula conficiuntur, vitrificantur: Minime autem pulvis cryſtalli vel ſilicum, qui etiam vehementiſſimo ſolari calori reſiſtit.

CAPUT XXIV.

(*a*) *De Saphyro, Hyacintho, Smaragdo, &c.*

Non negarem Gemmas undique præſtantes virtutibus planè admirabiles eſſe, at non talibus, quales ab authoribus olim celebratæ fuerunt. Græci hanc peſtem Latinis olim invexerunt, ut cuncta mendaciis refercirent. Superſtitioſi Arabes hos ſequuti, plurima Aſtrologiæ vanitati dederunt, quæ mendacia magicis artibus haud parum auxerunt. Pravi Judæi hujuſce factionis fortaſſe authores, ut qui jam Ægyptiorum artibus imbuti, ſummi Pontificis ornatum ad falſas magiæ cæremonias detorſerunt. Sicque quod præceperat Deus in gemmis Humeralis, & Rationalis ſummi Pontificis ſculpi nomina filiorum Iſraël, idem de ſtellarum configurationibus proterve confinxerunt. Sed his miſſis, in Medicinæ uſu, gemmas vulgato more vix uſurpamus; & quicquid clamitet vulgus Medicorum, pulcherrimas illas compoſitiones, gemmis, auro, & argento refertas, in roborandis viribus, atque in morborum maligna pernicie naturæ inimica propulſanda, parvi facere decrevimus; imò ni falſa extaret vulgi opinio, ab earum uſu penitus abſtinerem: at hodie tanta eſt mortalium vana perſuaſio, ſimul & Medicorum multorum ſocordia, ut putent nihil ſupra quod ſcriptum eſt, ab aliis innovari poſſe, quaſi omnes Medicinæ theſauros deprompſerint, omnem perfectionem arti dederint, atque ſacro Apollinis invento extremam manum adhibuerint antiqui. O dementes, & ſtolidi aſini! non vobis per naturam licet philoſophari? Alieno egetis pabulo, & materiæ ſemper inhærentes, cortice pro nucleo oblectamini. Non propterea diffido gemmis mirandas ineſſe proprietates; verùm nos latere, nec de his quicquam etiam minimum agnoſci. Nec obſtat, quid de his ſcripſerint majores noſtri, ut Bocus, Aroo, Thetel, Zenotemis, Zoroaſtres, Hermes, Evantes, Dioſcorides, Joſeph, & alii complurimi, ut Plinius, Arnoldus, Cardanus, & nuperrimè Anſelmus Boëtius, qui omnes ſolâ opinione ducti, citra ullam experientiam, de his haud pauca commentati ſunt.

Exiſtimarem ejuſcemodi lapidum præparationem in ſola ſolutione conſiſtere: Quòd ſi quis vel univerſale, vel particulare diſſolvens nactus eſſet, earum præparationem veram, & legitimam inveniſſe haud diffiderem. At videant, ne quis fumivendulus nos decipere velit, & cum ſuo imaginario lapide, univerſale diſſolvens nobis obtrudere ſatagat. Agnovi & viros apud vulgus magni nominis, qui mendaciis deliniti, aut ſaltem falsâ opinione correpti, aliis iſthæc pro veris divendere non erubeſcerent. Nos gemmarum uſum probamus, ſi ſolutas, & in formam potabilem reductas habeamus. Hinc liquores gemmarum optatiſſimi, ſolis principibus dicati. De his verò

 liquo-

liquoribus, quos gemmatos appellant, ſeu julepos, ſeu ſyrupos, qui hodie Florentiæ ſunt in uſu, & nuperrimè magnâ ſuaſione Bononiam delati, aliud cenſemus: arbitramur enim ejuſmodi medicamenta neque rationibus, neque experientiâ comprobata eſſe. Ecquid quæſo gemmarum infuſio, & trituratio, etiamſi calcinatio præcedat, niſi ſtulta opinio? & quam vocant calcinationem, videant, num in eâ individua proprietas remaneat, ſi hac eò adductæ ſunt gemmæ, ut ſolvantur: non ſic ars opinione, ſed experientiâ rationi copulatâ firmatur, ſtabilitur, & vera probatur.

Sapphyrus lapis duriſſimus proximè ad adamantem accedit; eſt & omnium pretioſorum lapidum duriſſimus; adamante excepto. Pulcherrima eſt gemma, cærulei coloris, albus etiam: ſed fit arte, modo gemmariis trito. Ejus præparatio communis eſt cum cryſtallo, & aliis gemmis. De ejus facultatibus nihil certi hucuſque habemus.

De hyacintho (qui & optatiſſimus, & pulcherrimus lapis eſt, item & duriſſimus, miro ſplendore nitidus, & colore fulgidus) nihil etiam certi comprobavimus. Interim magna prædicant Medici de uſu compoſitionis hyacinthinæ, & hîc maximè, ubi eſt in frequentiſſimo uſu, & præſertim citra ullum diſcrimen in omni febre: quo conſilio viderint ipſi. Scio iſtius, & cæterarum gemmarum fragmenta à noſtro calore ſubigi, atteri haud poſſe, minùs in actum deduci, imò ventriculo, univerſæque naturæ potiùs moleſta eſſe; quòd ſi quid in his virtutis, & perfectionis, ab ambare, moſcho, & aliis potiùs proficiſci. Paratur itidem more aliarum gemmarum, priùs præmiſsâ calcinatione, quæ fit cum igne, & diſſolutione in aqua. Sal ſuas etiam peculiares dotes poſſidet.

Smaragdus, gemma & notiſſima, & pulcherrima, multiplex eſt, pro diverſitate locorum, ubi naſcitur. Orientalis Occidentali longè præſtantior. Virore, & nitore viſui gratiſſimus conſpicitur. Multa de eo, atque de aliis gemmis falsò circumferuntur, ut quòd ferenti opes augeat, caſtum reddat, &c. De ejuſmodi gemma idem planè atque de cæteris conjicimus; nec eſt ut quis à nobis aliud expectet, donec tempus certiora attulerit. Interim ſucceſſivis horis, dum à gravioribus negotiis reſpiramus, gemmarum præparationibus, earumque facultatibus indagandis ſolerter incumbimus.

Interim qui ejuſmodi lapidem in porphyrite, vel marmore lævigant, eumque ægris ſic paratum propinant, errant toto cœlo. Mallem ipſum calcinare priùs, ut de cryſtallo diximus, calcinatum in liquorem deducere. Sic non eſſet difficile eo uti; ut ſuprà præcepimus.

Sæpè adulteratos pro veris ſmaragdis in Officinis uſurpant; eſt enim ejus adulteratio perfacilis. Accipiunt ſodam, ſeu kali, albos fluviorum ſilices, & viride æris, nonnulli minium, quantitate convenienti: crucibulo indunt mixturam, atque forti igne adacto, fit vitrum ſmaragdo perſimile. Sed gemmis omiſſis, ad cætera lapidum genera divertere placet.

NOTÆ in CAPUT XXIV.

(*a*) *Sapphiro, Hyacintho, Smaragdo.* Sapphirus lapillus eſt pellucidus coloris pulchrè cœrulei, qui maris, & pallidioris, qui fœminæ nomine venit, colligitur ex arena ad ripas fluminum, & invenitur in Zeylan.

Tincturam & colorem igne perdere, ut adamantem mentiatur, dicunt.

Crudus ſapphirus, qui venditur in pharmacopoliis, nil niſi minera ferri eſt, ut pote promtiſſimè accedit ad magnetem.

Hyacinthus ex colore rutilo & flavedine rubet, colligitur in ripis varium regionum, variis fluviis, ubi etiam ſmaragdus reperitur, qui grato virore oculos paſcit; dicitur hic phoſphorus, quoniam in tenebris lucet, quod optimè procedit, ſi crudi ſmaragdi pulvis in pultem cum aquâ redigitur, cum qua literæ in lamina ænea efformantur, quas leni carbonum calori admove, in tenebris ad notabilia momenta videbis illas igneas.

Adamas non politus ſed crudus in Indiis repertus interdum inſtar ſilicis, ſacchari canarii vel lapidis gryſei coloris apparet. In fundo fluminum inveniuntur optimi, qui è fodinis eruuntur, ſæpius habent rimas, quod vitium adſcribitur violentis rupis contuſionibus. Maculæ debentur conditioni terræ, aut arenæ in quâ reperiuntur, ſi ea non exiſtit pura, ſed pinguiuſcula & nigra. Adamantes lapides pretioſorum ſunt ponderoſiſſimi, ſicut inter metalla aurum.

Ex gemmis topaſius orientalis pretioſiſſimus eſt qui ponderat drachmam ſemis: ſexcentis venditur imperialibus.

Carbunculus, cujus ſacræ literæ mentionem injiciunt, ut Rabbinorum ſententia eſt, adamas eſt, cujus aliàs nulla mentio fit in Bibliis.

CAPUT XXV.

(*a*) *De lapidibus minùs pretioſis.*

DE cæteris lapidum generibus hîc non nihil interferendum puto, & maximè de his quæ nobis in uſum veniunt.

* Et primùm Lapides aſtacorum, qui in capite cancrorum fluviatilium reperiuntur, frequenter ad nephriticos dolores uſurpamus. Reperiuntur tantùm bis in anno, menſe Maij, & Septembris, his nimirum temporibus, quibus ipſi veterem corticem deponere conſueverunt; ſic molliori cortice ſubrubro tecti, gerunt in capite propè oculos lapides utrinque ſubalbidos, quos nonnulli falsò cancrorum oculos appellant. Ejuſmodi lapides plerumque integros uſurpamus, & tandummodò tritos, ac in pulverem reductos, ad pondus ℨ. ß. & ℨ. j. in doloribus nephriticis, quos brevi ſedare annotavimus. Dictos etiam lapides in aceto diſtillato ſolvimus, itemque in ſucco limonum, & ſic potentiùs vires ſuas exercere, adverſus calculos tum renum, tum veſicæ deprehendimus. Cæterùm qui de his ſalem, liquorem, aut aliud ſimile præparare voluerit, liberum eſto: modus ab aliis non erit diſſimilis; noſtra tradimus, & aliena relinquimus.

* *Cancrorum fluviatilium lapides.*

Lapides Judaici, Spongites, Lyncis, nobis etiam frequenter in uſum veniunt, eos pariter integros citra ullam præparationem, ſolâ trituratione exceptâ, uſurpamus. Sunt

ſalinæ

ſalinæ naturæ, & facillimè in actum deducuntur. Judaicus, & Lyncis, ob duritiem, ſoluti cum aliquo liquore acidulo, aptius devorantur, atque potentiùs vires ſuas de ſe promunt.

Lapis Bezoar modo haud diſſimili à nobis uſurpatur, tritus videlicet, & in pollinem redactus. Legitimus hodie vix habetur, & magna pars illius, qui hinc inde circumfertur, adulterina eſt, vel factitia, vel in diverſo animali ab eo, in quo generari ſolet, reperta. Anno ſuperiori, utriuſque nobis copiam fecit Sereniſſimus Dux Mantuæ, qui ultra mira, & portentoſa naturæ arcana, lapides Bezoardicos omnis generis, magnos, parvos, Orientales, Occidentales, incredibili quantitate penes ſe habet. Eſt enim Sereniſſimus Princeps ſanè in rerum naturalium cognitione peritiſſimus, rerum Chymicarum indagator ſtrenuus, & expertiſſimus. Mirum dictu, quàm doctè, & quàm aptè de his ſentiat; nec modò in theoria, verum & in praxi, in qua manibus propriis artem exercuiſſe cognoſcitur: auderem & affirmare, ſi ipſe hoc mihi concederet, neminem ipſi ſimilem inveniſſe, qui tam dexterè, tam doctè de ſingulis Encyclopediæ partibus diſſeſerat. Sed ne laus tanti Principis oratiunculâ hac noſtrâ labefactetur, relinquo cæteras ejus animi dotes, quas in eo multiplici familiari colloquio deprehendi, & ad lapidem noſtrum Bezoardicum revertor. Itaque de eo multa aſſerere poſſum, & maximè in affectibus melancholicis, malignis febribus nonnullis, & in hyſtericis paſſionibus. Legitimi notæ apud ſcriptores habentur, at meliùs uſu, & experientiâ ipſe cognoſcitur. Qui dictum lapidem frequenter tractant, eum ſolâ inſpectione faciliùs agnoſcunt, quàm qui ſolâ librorum lecturâ. Uſurpamus ejuſmodi lapidem more communi tritum ſubtiliſſimè, & cum juſculo carnis, vel aliquo liquore morbo accommodato. Eſt equidem friabilis, ac mollis, & facillimè in pollinem comminuitur; facilè etiam ſubigitur, & à calore noſtro atteritur. Nobis non licuit alia ex eo medicamenta parare; rarus enim eſt, nec copia tanta reperitur, ut de eo liquores, vel alia medicamentorum genera componere valeamus.

Nominis affinitas mihi in memoriam revocat Bezoar minerale, tam naturale, quàm artificiale. Naturale porrò à figura, & extrinſeca facie potiùs ſic appellatur, quàm à virtute: artificiale, à virtutis ſimilitudine tantùm; nam ſicut verum Bezoar humores veneno infectos reprimit, ſubigit, & conficit, ita & minerale.

Commonſtrant aliqui cornu quoddam lapidificatum, in antiquis ruderibus repertum, quod monocerotis cornu nuncupant. Ferunt ejuſmodi cornu multum valere adverſus venena, idque viribus unicornu æquivalere. Verùm puto in his rebus plura ex opione dicta eſſe, quàm quòd experientiâ conſtent.

Unicornu multis laudibus adverſus venena ejuſce generis decantatum eſſe videtur: lapides item ophioglоſſi, vulgò in Gallia *Langue de Serpent*; in Italia *Saette*, quòd ejuſmodi lapides ignarum vulgus putet è cœlo decidiſſe. Sed errant omnes: ſunt ſanè dentes piſcis marini, à nonnullis *canis*, à quibuſdam *lupi* dicti: Hi olim cum multis aliis, in altiſſimis montium jugis, & in quibuſdam etiam locis à mari remotis, relicti fuerunt à diluvio, & ibi in lapidem converſi. Mirum ſanè, & portentoſum, omne cruſtaceum genus his in locis lapidificatum reperiri. Hæſitant plerique, num verè univerſali diluvio eò deportata fuerint iſthæc? quod nobis dubium facillimè excutitur, & ratione loci, & exploratо genere rerum lapidificatarum, cui ipſi rei & ſacræ literæ ſuffragantur. In Gallia Narbonenſi propè Uticenſem, ubi lapides molares excavantur, multos invenimus cum quibuſdam aliis lapidibus, & his præſertim, quos bufoninos appellat vulgus Galli *Pierres de Crapault*, Itali *Pietri di Roſpi*. In Italia multis in locis à mari remotiſſimis, integros montes ejuſcemodi rerum maritimarum lapidificatarum vidimus.

Ebur foſſile ad ejuſmodi rerum lapidificatarum genus optimè reducitur: hujus ingentem copiam vidimus penes illuſtriſſimum Dominum Equitem *Caſſianum del Pozzo*, Patronum meum plurimùm colendum, Romæ in ædibus ſuis, cùm illic per otium miranda naturæ arcana permulta nobis commonſtraret. De ejuſmodi Ebore duo quædam præclara, & inſignia ab eo accepimus, videlicet terram ex dicto Ebore confectam, Lemniæ perſimilem, adverſus venenatos morbos valdè efficacem, nec non turcheſios lapides, ex dicto Ebore factos, veris, & naturalibus Turchinis gemmis ſimillimos, atque in omnibus convenientes, colore, duritie, & virtute præſtantes. Ab alio amico accepimus, dictos lapides fieri poſſe ex quibuſdam piſcibus lapidificatis, quod certâ experientiâ ſibi conſtare aſſerebat: totum ſecretum in calcinatione conſiſtit. Sed nos medica tractamus, cætera aliis relinquimus.

NOTÆ
in CAPUT XXV.

(*a*) *Lapidibus minus pretioſis.* Lapides cancrorum naſcuntur in ventriculo, ſito in ſummitate capitis, ex ſucco cruſtaceo, ex quo etiam generatur cruſta, unde ſaltim illo tempore, quando cancri exuvias deponunt, Julio & Junio reperiuntur, quibus menſibus cancri quaſi ægrotant, minus vegeti ſunt, & liquor lacteus in illorum ventriculis invenitur, qui poſtea indureſcit in lapides, qui ideò perperam dicuntur oculi.

Lapides cancrorum præ aliis abſorbentibus etiam ad diaphoreſin & diureſin diſponunt, propter ſal volatile texturæ alkalinæ intimè immerſum, quod tamen licet parciſſimum elevatur ignis vehementia. Cruſtæ cancrorum cum lapidibus eandem virtutem obtinent, illarum ut & lapidum calx levis & ſpongioſa eſt, nec tam urens, uti coralliorum.

Lapis bezoardicus coloris ex atro virentis cinerei eſt, ex compluribus lamellis ſive foliis, ſibi invicem incumbentibus, more calculi humani coagmentatus eſt. Intus ut plurimum cavitatem habet, ubi continentur ſæpius nuclei, fruſta ligni, fibrillæ, pulvis. Reperiuntur in ventriculis damarum, cervorum, ovium, aliorumque ruminantium

nantium

nantium domeſticorum pariter, atque ſylveſtrium animantium, Indiis orientalibus.

Cavitas in meditullio ſplendida & levigata, fructus intus contenti & elegans lamellarum ſeries, eaque pariter ſplendens levi lapidis uſtione in conſpectum prodiens, ſignum & character orientalium eſt; Quidam chartam creta imbuunt, & huic aliquoties affricant lapidem bezoardicum, ſi juſtus eſt, tingitur charta hæc colore ex nigro flaveſcente, ſi adulteratus, neutiquam; at verò hoc non univerſale eſt. De generatione horum lapidum diverſa eſt opinio. Nonnulli ex herbis alexipharmacis ſolutis in ventriculo & præcipitatis in magiſterium, quod deinde in lapidem induteſcit, ipſos deducunt, quod tamen veritati minus conſonum videtur, quoniam omnia animalia, quamvis iiſdem veſcantur plantis, lapidem hunc non poſſident, cujus rei teſtis eſt Bontius *de Medicina Indorum lib.* 1. *in notis ad Garcium.* Magis arridet illorum ſententia, qui lapides hos à ſucco lympharico morboſo, & ſtomachi cruditatibus corpori cuidam lamellatim ſuperinductis derivant, quo circa macilenta & morboſa animalia lapidem talem fovent plus quàm vegeta. Conſtat hic lapis ſale volatili ſulphureo particulis terreis intimè nupto. Sulphuris ramoſi præſentiam manifeſtat ſpiritus nitri, qui pulveri lapidis hujus infuſus intenſam excitat efferveſcentiam cum maxima ſpuma, vapore flammeo, & diſſolvitur in liquorem ſanguinei coloris, cui ſpiritus vini rectificatus ſuperfundendus, ſic fit tinctura elegantiſſima. Nonnulli huic lapidi plane denegant ſingularem vim alexipharmacam. Certum hoc eſt, ipſum ſufficienti in quantitate datum propter ſal terreum oleoſum ſudorem largiſſimè promovere, ſecus ac evenit ab aliis abſorbentibus. Nullum tamen dubium, lapidem humanum, item bovinum, qui in cyſtide fellea vel bovina invenitur, iiſdem facultatibus ſplendere, id quod etiam expertus eſt Bontius *Lib. citato cap.* 46. *in peſte Lugdunenſi*, quo tempore in penuriâ lapidis bezoar ſe calculos humanos adhibuiſſe ſcribit, & ſudoriferum excellentiſſimum ſic inveniſſe.

Occidentales orientalibus laxiores & fragiliores ſunt, foras ſcabri & minus levigati, coloris pallidi, vel ex viridi nigricantis, generantur in ventriculis cervorum caprorum & caprarum ſylveſtrium Peruanorum.

Unicornu foſſile mea ſententia eſt pars animalis, uti etiam rectiſſimè monet Author, quæ in cryptis ſubterraneis montium ab aqua nitroſa & ſucco lapidifico ejuſque vaporibus diſſolvitur, irrigatur, & ſic philoſophicè quoque calcinatur, nonnunquam etiam ſolideſcit in lapideam duritiem humido omni abſumpto longiori tempore. Eaſdem virtutes roborantes, conſtringentes, abſorbentes obtinet cum terra ſigillata ac oſſibus & cornibus, philoſophicè, uti loquuntur, calcinatis.

CAPUT XXVI.

(*a*) *De Lapide Armeno*, & *Cyaneo.*

HOdie rerum foſſilium perrarus eſt uſus, quòd nunc noſtri Medici ab antiquis valdè receſſerint; & ſanè paucis exceptis, hos adeò rudes, & inexpertos agnoſcimus, ut vix titulum, nihil quicquam artis redoleant. Ecquid (quæſo) toties dogmaticos Galenicos ſe nominare juvat, & tamen præcipua, ac ſelectiſſima Medicinæ præſidia, & remedia ignorare? Ubi peregrinationes veſtræ cum Galeno in Cyprum, Lemnum, & alia loca? Ubi manus veſtræ medicamentorum præparationem addidicerunt? Non ſic majores noſtri, relictis laboribus, ſolis verbis operam dederunt. Deinde Græcos obſervate, atque ipſos etiam Arabes, quàm ſedulos in medicamentorum inventione, & præparatione! & in his potiſſimùm lapidibus, quorum uſus penes ipſos olim frequens erat. Nunc verò Medicos noſtræ ætatis planè latet, & nî extaret celeberrima illa compoſitio Alkermes dicta, nulla ſanè in Officinis de iſto lapide haberetur memoria. Armenus lapis pilularum quarundam compoſitionem ab Arabibus inventam ingreditur; at ejuſcemodi pilularum uſus nullus eſt. Lapidis Armenii, & Cyanei virtus ab antimonio non eſt valdè diſſimilis: antimonium tamen, (ni fallor) minùs periculoſum. Suſque deque purgant omnes humores, aquas præſertim, & utramque bilem: magnis morbis magna conveniunt remedia. Uterque lapis duplici ſulphure conſtat, ut cæteræ omnes mineralium ſpecies; ſale item duplici, volatili, & fixo. In ſale volatili vis vomitoria reſidet; in ſulphure, confortans, roborans; & cardiaca, in fixo præſertim. Quotieſcunque ergò de præparatione dicti lapidis ſermo habetur, manifeſtè patet, quæ præparatio uſurpanda veniat, & maximè in compoſitione confectionis Alkermes. Cùm enim dicta compoſitio ſit tota cardiaca, roborans & fortificans, atque ea tantùm deſideretur, certum eſt genuinam præparationem dicti lapidis eam eſſe, per quam contraria vis, purgativa & vomitiva & removetur. At per calcinationem omne volatile recedit, ablutione ſuperadditâ, ad majorem cautelam. Quare dicta præparatio uſurpari debet in hac compoſitione. Lotio ad hanc accedit, ut certiùs dicta vis purgativa removeatur. Qui putant ſolam lotionem ſufficere, errant toto cœlo; nam citra calcinationem ſal minimè educitur, compacta invicem tenet ſulphur utraque, quod ſola calcinatio ſolvit. Interim non ignoro, loquaces quoſdam Medicos, chymicarum rerum rudes & ignaros, contrarium ſentire, & authoritates veterum mihi objicere, parùm memores, artem hanc tunc adhuc incultam, & in cunis adhuc balbutientem penes eos fuiſſe; non verò recentiorum labores contemplati, artem non ampliùs vagientem, & balbutientem, ſed magis cultam, grandiorem, & provectiorem colimus. Hinc mirum non eſt, ſi multa antiquis incognita, à veris Medicis hodie in uſum advocentur, etſi novæ præparationes nobis nunc innoteſcant; quæ jampridem veteres ignorârunt. Itaque lapis noſter lazuli per calcinationem, & ablutionem, facultatem omnem purgatricem amittit, & fortificans, roborans, ac cordis affectibus aptus redditur. Si ex calcinato lapide ſalem, & ſulphur à corpore terreo ſegregare volueris, cum aqua vitæ, ſeu ſpiritu vini, aut cum aceto, aut alio liquore, modo, quem ſuprà diximus de aliis, non erit difficile. Hæc pauca de Cyaneo lapide dicta ſint.

NOTÆ

in CAPUT XXVI.

(*a*) *De Lapide Armenio & Cyaneo.* Lapis Armenius eſt ſubſtantia metallica coloris pallidocœrulei,

rulei, ad viridem vergentis, interlucentibus argenteis quibuſdam micis, ex fodinis argenteis effoſſa, maximè Tyrolenſibus. Gaudet virtute emetica vel etiam purgante, propter ſulphur veneris volatile inexiſtens, quod calcinatione perit. A veteribus in epilepſia, melancholia, & apoplexia uſurpatus fuit.

Lapis lazuli ejuſdem fermè virtutis, & naturæ eſt cum lapide Armenio, ſpiritus urinoſos cœruleo imbuit colore, manifeſto veneris indicio. Orientalis & qui ex Aſiâ affertur optimus eſt, quique colorem in igne minus mutat, fit exinde cum lunâ Ultramarinum pretioſiſſimum auro carius quod optimè ætatem fert. Ignobilior reperitur in Germania, minus ignis patiens eſt, & progreſſu temporis mutat ſuum colorem, & vireſcit. Effoditur utplurimum ex aureis fodinis & ſolaribus quoque maculis inter cyaneum elegantem colorem conſperſus eſt. Commodè cum purgantibus exhibetur in epilepſiâ, maniâ; In deſperatiſſima elephantiaſi ejus uſum inſignem expertus eſt Scaliger *Exercitat. p.* 272. Imo in melancholiâ plus fidunt ipſi, quàm helleboro. Langius *in Epiſtolis Lib.* 3. componit pulverem ad melancholiam & epilepſiam ſequ. Rec. Lap. Armen. abluti & præparat drachm. j. fol. ſenn. epithymi à ſcrup. ij Zinzib. croci, macis à drachm j. ſpir. nitri drachm. j. ſemis F. pro doſi drachm. j.

CAPUT XXVII.

(*a*) *De lapide quodam incognito, admirabilis virtutis, à paucis annis in agro Bononienſi reperto.*

EN quotidiè nova emergunt in rerum natura, ubique exſtant magna naturæ miracula. O deſides veritatis oſores, addiſcere vos pudet! falsò arbitramini cuncta antiquis fuiſſe cognita; at quot plantæ, quot foſſilia majoribus inviſa, in lucem erumpunt? In agro Bononienſi inter cætera veteribus incognita, nobis ſeſe offert peculiare quid de genere lapidum, planè novum; & inauditum. Eſt autem quædam lapidis ſpecies, quem nonnulli luciferum, alii Solarem; quidam Lunarem appellant, à proprietate hominis quod à Sole vel Luna mutuatum repræſentat. Etenim mirum eſt, quo pacto corpus opacum lumen à Sole, vel Luna recipiat; idemque in tenebris referat: in quo philoſophari haud infeliciter poſſumus; num verè lumen corpus, & quodnam corpus? an ſubſtantia, an accidens? & alias plures de lumine movere quæſtiones, quas hoc medio enodare forſan non eſſet difficile. At nos; quibus non eſt in præſenti animus dirimere lites, iſthæc omnia brevitatis ſtudio omittemus, & dicemus hujuſce lapidis naturam, differentias, locum, uſum, proprietatem, & præparationem. Quoad ejus naturam, lapis eſt pellucidus, gypſo valdè ſimilis, ſale, & ſulphure cauſtico; mordaci & adurente conſtans.

Triplex eſt in ſuo genere: Primus, & pulcherrimus, pellucidus eſt, ſpeculo aſinino perſimilis; gypſoque nobiliori, quale in his montibus reperitur, quod vulgus Talcum nominat, quo multi utuntur ad varia opera, vitri inſtar, idipſum dividentes in foliola tenuiſſima; at hic lapis, ut ſiccior, & durior, tam latam diviſionem non patitur. Diaphanus eſt quidem; ut Talcum, & in tenuiſſimas bracteas ſcinditur & perbreves, figura ejus varia eſt, nunc oblonga, nunc rotunda, nunc tabulata. Secundi generis is eſt, qui non adeò pellucet, multùm terreſtreitatis in ſe continens, hic non in bracteas, ſed in ſtrias diſpeſcitur. Eſt & tertium genus, multiplicis magnitudinis, craſſiſſimum omnium, opacum; ſtriis; & lineis contextum, at breviſſimis; ad ſecundæ ſpeciei diſtinctionem, unde in pulverem potiùs, quàm in ſtrias abit. Invenitur ejuſmodi lapis in quibuſdam collibus, propè in agro, vulgò *Monte Paterna* dicto, quatuor milliaribus ab urbe diſſito; atque in agro, vulgò *Pradalbino* nuncupato, octo vel decem milliaribus diſtante. Reperitur etiam propè dictum montem *Paternum*, in rivulo quodam innominato, propè *Ronchariam*. In monte *Paterno*, atque eo in rivulo ſæpiùs per otium dictos lapides, unà cum multis aliis rebus non ubique obviis, tum plantis, tum mineralibus, mirâ jucunditate collegimus, etiam multoties patronis, & amicis nobiſcum eò animi cauſâ divertentibus. Cujus rei occaſione non poſſum quin commemorem eruditiſſimum, & prudentiſſimum pariter, ac nobiliſſimum Dominum D. *Claudium Gobellinum* Pariſienſem, adhuc juvenem, Bononiæ ſtudiorum cauſâ tunc commorantem, qui pluries; ut erat rerum naturalium cognitioni valdè deditus, ad eum locum nobiſcum venit; ubi ad ſatietatem lapidis naturam; vires & locum natalem contemplati ſumus; graviſſimis quæſtionibus Philoſophicis inibi habitis; & maximè de ortu mineralium ibidem repertorum, de marchaſitis, de vitriolo ibi latente, de ſale nitro, de ſale ammoniaco; deque variis lapidum ſpeciebus eo loco paſſim obviis. Duplici viâ itur ad dictum montem: Utraque via dividitur propè portam Civitatis, quæ dicitur *S. Mamolo*; una ſuperior, altera inferior. Per inferiorem ſeſe offert rivulus admodum exiguus; qui aquis pluvialibus tantùm irrigatur; in illius rivuli decurſu, lapides iſti nonnunquam reperiuntur, pluviarum vehementiâ è proximis montibus educti; atque eò depulſi. Ad ejus dextram, in agro, qui *Roncharia* vulgò dicitur, magna copia lapidis cujuſdam albi primâ facie ſalem ammoniacum repræſentantis reperitur. Ibi etiam pullulat naturaliter efflореſcentia quædam vitriolata, auſtera, & acida; lapides etiam ferruginei, & æruginei haud pauci, cum Talco gypſario hinc inde ſparſo. Solum ſterile eſt totum eâ in parte, paulò ſuperiùs fertiliſſimum: ex quo facilè argumentari poſſumus, metallorum mineras ſubtùs deliteſcere. Per ſuperiorem viam, recto tramite itur ad montem *Paternum*, & primo intuitu ſeſe offerunt, fornaces quædam terreæ, ubi varia vaſorum genera craſſa, & ampla miro artificio excoquuntur. Paulò ulteriùs à ſiniſtris, ad meridiem videlicet; apparent vaſtiſſimæ montis rimæ ab ipſo montis cacumine ad imum tendentes, aquarum pluvialium impetu deorsùm ruentium excavatæ, quæ ſulcorum adinſtar per ordinem diſpoſitæ ſunt. Inter ejuſmodi ſulcos, terræque rimas, atque per totum illius ſoli ambitum; marchaſitæ aureæ

aureæ exiguæ ſatis conſpiciuntur; eæ nunc terræ glebis hærent, nunc aliquot lapides albidos cruſtâ obducunt: parvæ ſunt ut plurimùm, & rarò nucis juglandis magnitudinem æquant. In imo, atque inter profundiores ſulcorum hiatus, ſal nitrum copioſiſſimum certis temporibus foràs erumpit. Locus ſaxoſus eſt totus, & variis terræ hiatibus, rimis & ſciſſuris conſitus: atque ſic montem conſcendendo, & deſcendendo, nonniſi per laborioſos an fractus, atque devia perquàm difficilia incedere valemus. Hîc lapis noſter in terræ ſuperficie colligitur, atque inter cætera ſaxa poſt pluvias multò faciliùs; nam è ſolo pluviæ ipſos lapides educunt, atque aquâ recenter loti pellucent, & intuentium oculis faciliùs ſeſe objiciunt. Vehementes pluviæ ſolum aſſiduò excavant, unde novi lapides continuò emergunt. Quanquam hæſitare quoquo pacto poſſemus, num in terræ viſceribus generentur, an in ſola ſuperficie: quandoquidem hi in extima parte hucuſque inventi ſunt, atque nemo terræ penetralia eâ de re viſitavit unquam. Non procul ab hoc ſitu, Occidentem verſus, paulò ad ſiniſtram, monticuli quidam ſubrubri ſeſe offerunt, ubi aliquando creditum fuit ditiſſimas metallorum fodinas adeſſe; ibi etiam non rarò lapides iſti reperiuntur. Totus hic terræ tractus, tam qui ſulcis, aquarumque rimis conſpicuus eſt, quàm qui ejuſmodi monticulis diſcernitur, ſterilis eſt, & maximè ad Auſtrum. Natura ſoli ſicca eſt, & ob ſaxa copioſiſſima, marchaſitas, & alios diverſi generis lapides, fortè etiam ob declivium, propter quod ſolares radios vehementiſſimè excipit, quorum repercuſſione omne pabulum humidum à tellure abſumitur. Superior pars montis, ad Orientem, & Septentrionem declinans, fœcunda eſt, & ferax admodum: ſunt equidem agri ubertate magnâ referti, etenim omni arborum fructiferarum genere conſiti, vitibus, pomis, pyris, & ſimilibus; at hîc lapides ſolares nulli reperiuntur: ſolum eſt pingue & glutinoſum, nullibi telluris fœcunditas major, nec fructuum præſtantia, & bonitas optabilior. Hæc de ſitu, nunc de ejus proprietate, uſu & præparatione. Referunt quidam Argyropœi, hunc lapidem plurimùm valere ad metallorum tranſmutationem; ad quem uſum primò eum fuiſſe repertum certò ſcimus. Inventionis exordia, & cauſas nobis olim aperuit Dominus *Scipio Bagatellus*; is autem tranſmutatoriæ arti plurimùm anhelans, omnes Chryſopœos, quotquot in Civitate reperirentur, conſulebat. Ex his fuit myrmecio quidam, ſuæ profeſſionis deſertor à ſutoria arte advanam Chryſopœam transfuga, dicto Domino turpiter ſe veram lapidis Philoſophici materiam in proximis montibus reperiſſe jactitans, & hanc eſſe lapidem noſtrum ſolarem, tam ob pondus, quàm ob ſulphuris copiam, quo plurimùm ſcateret ipſe lapis. Alias etiam afferebat rationes, quibus in animum induxit dicti Domini, ut experiundi cauſâ, pecunias haud paucas brevi temporis ſpatio inaniter contereret. Itaque multis incaſſum Chryſopœam jactatis laboribus, pro auro ſequentes præparationes invenerunt. Quod ad ejus facultates & vires, multiplices ſunt, & proximè ad ſandaracam accedunt; vi enim cauſticâ pollet, unde ex eo pſilothrum facillimè concinnatur. Fœtido ſulphure quàm plurimo conſtat, cum ſale acerrimo, mordaci, & verè arſenicali, cujus odorem, & ſaporem valdè ſimiles refert. Ejus natura tamen non eſt ita fugax, ut arſenici, imò fixum manet in igne, fortemque ſuſtinet calcinationem. Uſus ejuſmodi lapidis ad extrinſeca tantùm hucuſque nobis innotuit. Fit ex eo lixivium pro pſilothro, cujus uſus eſſet peropportunus ad barbam, & pilos excidendos, nî odorem valdè ingratum effunderet, moſcho tamen, aut ſuavi aliquo odore hunc corrigi perfacilè poſſe arbitramur. Ea proprietas, quâ cunctis ſeſe præſtitit mirandum iſte lapis, nullum ex ſe præbet uſum, præter quoddam viſui oblectamentum, ut noviter inventis plerumque contingere ſolet. Qui de voculis lites, & jurgia componere affectant ſuper his quæ circumferunt de lumine haud trita, ad ſatietatem per ejuſmodi lapidis furatum ſplendorem; aut receptum à Sole & Luna, meditari, rimari, & contemplari poſſunt. Nos interim præparationes docebimus.

Et quidem pro facultate illa lucifera, in eo potiſſimùm exoptatâ, calcinatur duobus modis: primò lapis in tenuiſſimum pollinem redactus, fortiſſimo igni in crucibulo calcinatur. Secundò, idem in pollinem redactus, in placentulas, thaleri inſtar compingitur, vel ſolâ aquâ communi, vel albumine ovi. Hæ per ſe exſiccatæ in furno venti cum carbonibus ſtratificantur, & dato igne validiſſimo per quatuor, vel quinque horas, calcinantur: furno per ſe refrigerato placentulas exime. Quòd ſi prima vice non ſint ſatis coctæ, quod cognoſcitur ſi parum lucis receperint, tunc eodem modo calcinationem reitera, dictas placentulas eodem modo ſtratificando, ut priùs. Ter nonnunquam reiteratur dicta calcinatio. Optima ea eſt, quæ fit ex electiſſimis lapidibus, nitidis, puris, & diaphanis. Sic lapis ſubtiliſſimè tritus, in furno reverberii tam diu excoquitur, quoad lucem facilè excipiat. Ex eo pulvere varia in pyxidiculis efformantur animalia, quæ in tenebris mirificè lucent. Paratur lixivium eâdem methodo, quod ad ſiccitatem perductum, ſal ſulphureum fœtidum, acre & mordax exhibet.

NOTÆ

in CAPUT XXVII.

(*a*) *De lapide quodam incognito.* Minera ſmaragdi triturata & leviter calcinata ad brevè tempus ſplendet & lucet. Creta, à qua abſtractus eſt ſpiritus nitri, prævia decenti calcinatione, exhibet materiam lucidam candentis ferri in modum. Omnibus tamen præferendus eſt phoſphorus ſic dictus ante viginti annos nî fallor inventus à Germanis, qui ex urinâ ac ſulphureis corporibus paratur, qui leviter tritus ac commotus in luculentas ſurgit flammas: ſine motione in loco obſcuro totus quaſi incenſus admirabili lucis ſplendore fulget; jactiſque radiis ambientem aërem lumine quoquo verſus implet: Fixitatis eſt impatiens, confeſtim

confeſtim enim in ſublime evolat, cuſtodiendus eſt in aquâ. Et reverà eſt quoddam naturæ miraculum, Litteræ cum ipſo pingi poſſunt igneæ, quarum fulgor diu durat. Nullo ſolvitur menſtruo, nec aqueo, nec acido, nec urinoſo. Si cum Spiritu vini rectificato miſcetur, intactus relinquitur, ſpiritus autem lucidis particulis imprægnatur, quæ luculenter apparent, ſi calidis locis admovetur. In oleo caryophyllorum promptè diſſolvitur, quod lucidam valdè flammam ſpargit, ſive inter digitos agitetur, ſive aër vitro intromittatur. Idem fit cum oleo cinnamomi, non autem cum oleo terebinthinæ, quo quidem ſolvitur, ſed non lucet. In vacuo *Boyliano* clariſſimè ſemper fulget. Memorabile eſt, phoſphorum hunc mixtum cum camphorâ multiplicari & totam camphoram lucidiſſimam reddi, amittere autem virtutem ſuam inflammativam, ſive, utut hæc materia fortiſſimè agitetur, nullum concipere ignem: quod experimentum, uti memini, nondum ab aliis commemoratum.

Ex veteribus phoſphori fermè ſimilis meminit Fernelius *Lib.* 2. *cap.* 17. *de abditis rerum cauſ.* Cœpiſſe quoſdam in Anglia penetrabilem hunc ignem medicinæ loco in epilepſiâ habituali, & in podagra non ſine ſucceſſu adhibere, relatum eſt. Lapis Bononienſis videtur talci ſpecies, ſale & ſpiritu nitroſo ſulphureo impletus: in tenuiſſimum pollinem redactus fortiſſimo igne in crucibulo calcinandus eſt, deinde iterum pulveriſandus & cum carbonibus ſtratificandus ac calcinandus, donec eluceat. *Author* meminit, quod ſale acerrimo mordaci & ſulphureo conſtet, hinc ejus lixivium pſilothrum peropportunum eſt ad pilos extrahendos.

PETRI POTERII PHARMACOPOEÆ SPAGYRICÆ LIBER TERTIUS.

SECTIO PRIMA.

(a) De *Conſervis.*

IN præcedentibus, medicamentorum ſimplicium præparationem, & compoſitionem brevi compendio tradidimus. Nunc ea, quæ ſunt magis compoſita, & quæ Dogmaticorum leges jamdudum ſubierunt, aperiemus, Jatrochymicorum placita interponentes, & ſi quæ alia ad Pharmacopœam ſpectant, difficilia, & ad ejus ornatum facientia, exponentes. Præmittemus autem ea, quæ minorem recipiunt præparationem, ut Condita, Conſervas, & ſimilia: ab his progrediemur ad Syrupos; à quibus ad Electuaria, & Antidota: paulò pòſt Pulveres, & Trochiſcos proponemus: tandem Localia, ſeu ea omnia, quæ extrinſecùs admoventur. Quâ methodo Antidotarium commune perluſtrabimus, compoſitiones ſingulas uſui commodiores reddemus, ſuperflua reſecabimus, inutilia rejiciemus, & obſcura illuſtrabimus.

Conſervæ non tàm neceſſitatis gratiâ, quàm palati ergò parantur. Pharmacopœus Chymica arte inſtructus, eas longè nobiliores, elegantiores, & efficaciores reddet: nam non ſimplici trituratione, & mixtione contentus, non ſolâ ſacchari, aut mellis ad juſtam craſſitiem coctione, verùm eſſentias florum, fructuum, radicum, &c. primò præparabit, eaſque ad ſuum libitum commiſcebit. Sed primùm demus compoſitionem antiquorum. Condiunt flores ſaccharo, vel melle, vel integros, vel tuſos, vel recentes, vel ſiccos: ſaccharum ad hoc, vel in pulverem, vel prius coctum uſurpatur. Sic roſæ condiuntur,

NOTÆ

in SECTIONEM I.

(*a*) *De Conſervis.* Ad unum modum omnes conſervæ parari poſſunt, ita ut non ſit neceſſe, omnes ad unum præſcribere, hoc tamen animadvertendum, ut conſervanda omnia rufa ſint & humiditate rorida repleta non madentia. Quando herbæ & flores ſunt ſucculenti vel mulcilaginoſi, requiritur major quantitas ſacchari, ſecus fit in ſiccis floribus, ubi æquale pondus ſacchari ſufficit.

Conſervæ roſarum palato gratiores fiunt, ſi folia immittantur ferventi aquæ, ut ſuccus amaricans extrahatur, roſæ manibus exprimendæ, & in aqua roſarum ſolvatur ſaccharum, cui roſæ incoquendæ. Aqua roſarum odoris gratiam auget & conſervæ vires. Conſerva violarum lenitivum eſt medicamentum, aptiſſime ipſi miſcentur purgantia.

Conſervæ cochleariæ in ſcorbuto, anthos in affectibus capitis, florum aurantiorum ad confortandum proſunt.

Conſerva Roſarum.

℞. Roſarum rubrarum non omnino apertarum, ab unguibus repurgatarum, ℔. j. ſacchari albi, ℔. ij. bis, vel ter tere roſas in mortariolo marmoreo per ſe, poſtea adde parum ſacchari, & tandem bene tuſis, ſaccharum totum adde: inſolentur per aliquot dies.

Alio modo.

ROſas bene tundunt, & cum duplo ſacchari albi in opiatam redigunt, aut eo ferè in Electuarium ſolidum cocto, calidè ab igne remoto,

moto, miſcent. Inſolentur, aut in ſtupha, locove tepido detineantur, maximè ſi nimia humiditas adſit.

In regionibus humidis, aut cum tempeſtas eſt humida nimis, antequàm condiantur, in umbra paululum exſiccantur: contrà verò in calidis & ſiccis regionibus, exſiccatione non opus eſt.

Alio modo.

ROſæ integræ ſaccharo condiuntur, ad quod ipſæ priùs in umbra exſiccantur, poſtea in ſaccharo benè coćto demerguntur, atque in eo vix demerſæ removentur, locoque ſicco aſſervantur.

Alio modo.

ROſæ ſiccæ in umbra in tenuiſſimum pulverem reducuntur: harum ℥. j. accipe, ſacchari albi in formam Electuarii ſolidi coćti, ℥. iv. miſce, fiant rotulæ. Sacchari plus, & minus addunt ad libitum. Nonnulli, ut coloratior evadat conſerva, roſarum pulverem inſpergunt ſucco limonum. Ejus loco alii, oleo ſulphuris aquâ communi temperato, vel oleo ſalis communis. Hi ſunt uſitati modi, quibus utuntur hodie Pharmacopœi.

Spagyrica præparatio.

SPagyrici aliâ viâ Conſervas parant, atque ipſi materiâ illa craſsâ ad agendum ineptiſſimâ arte ſegregatâ, ſpiritualem accipiunt, eamque ſaporis tantùm gratiâ (nam per ſe optimè aſſervatur, citra ullum corruptionis metum) ſaccharo miſcent. Duæ ſunt autem ſpirituales ſubſtantiæ in roſa: aqua vitæ, ſeu liquor mercurialis, & oleum, ſeu liquor ſulphureus. Ex utraque varias conſervas parare poſſunt. Ex aqua vitæ roſarum, addito ſaccharo, in ſolidi electuarii formam coćto, formentur tabellulæ, vel rotulæ ad placitum. Saccharum coćtum ab igne removeatur, & tantiſper refrigetur, ne ſpiritus avolet. Debet etiam plus ſolito coqui, ut plus ſpiritus excipiat. In Gallia tabellulæ fiunt cum aqua roſarum eo modo. In Italia maximè in pleriſque locis, quas appellant Manus Chriſti cum perlis. Nonnulli ejuſmodi tabellulas ſaccharum roſarum appellant.

Alio modo cum gummi trachaganto effingi poſſunt formulæ, amylo pro corpore addito. Sic quas vocant bechicas effingere perfacile erit.

Quidam, nec inconcinnè, inungunt tabellulas cum aqua vitæ, vel cum liquore ſulphureo.

Alio modo, & omni tempore.

℞. Roſas rubras in umbra ſiccatas, ad ℥. ij. macerentur in ſ. q. aquæ communis cum ℨ. j. ol. ſulphuris pro qualibet libra aquæ, ut pro ℥. ij. accipe ℔. ij. aquæ communis: & ut efficacior, & longè nobilior ſit, pro aqua communi, pone aquam roſaceam diſtillatam: macerentur tandem in loco calido, ſtupha, aut balneo vaporoſo, aut fimo equino. Aquam tinćtam cola per filtrum, & pro ſyrupo componendo in vaſe vitreo ſerva. Roſæ interim poſt colaturam remanentes, in mortario marmoreo tundantur, eiſque ſaccharum duplo plus, & triplo adde. Atque ſic fit ſaccharum roſaceum pulcherrimum, & palato gratiſſimum.

Vis & facultas ejuſmodi Conſervæ omnibus patet: hodie utplurimùm magis palato, quàm ſanitati inſervit. Placet hîc obiter annotare, roſas rubras laxare alvum, contra Medicorum opinionem, qui putant ipſas adſtringere, pallidas tantùm, & albas laxare. Qui id certò ſcire avet, capiat ℨ. j. pulveris dićtarum roſarum, & veritatem comperiet.

Conſerva violarum.

NOn diverſo à ſuperiori modo fit violarum Conſerva. In humidis regionibus, & in tempeſtate nimis humida, paulò diutius in umbra ſiccantur: hæc eſt communis via; Spagyrica autem ſic ſe habet.

Sicuti de Roſis, ita de violis cenſendum eſt. De violis id annotare placet, earum eſſentiam in extima ſuperficie conſiſtere; ideò ebullitionem, & triturationem longam vix ſuſtinent. Cùm primùm collećtæ ſunt cœlo ſereno, & minimè pluvioſo, confeſtim infundendæ, diſtillandæ, & tundendæ veniunt. Vires, & uſus ejuſmodi Conſervæ notiſſima quoque ſunt: ea alvum emollit, tuſſim juvat, faucium ulcuſcula ſanat, & cor exhilarat. Inter frigida & humida computatur; hac de re putant ſomnum excitare, quod quidem experientiâ non conſtat.

Conſerva Roriſmarini.

FLores Roriſmarini ab omni parte herbacea liberant: hos in mortariolo marmoreo tundunt, atque ipſis ſaccharum immiſcent, ut de roſis diximus. Ejus oleo ſacchari tabellulis tantiſper inunćtis, fit Conſerva gratiſſima, & efficaciſſima. Ad roborandum caput maximè commendatur; item ad refrigeratum ventriculum excalefaciendum. Plura de eis circumferuntur, quæ brevitatis causâ omittimus.

Conſerva florum Arantiorum, Jaſmini, &c.

QUoniam methodo non diſſimili flores omnes condiuntur, fruſtrà de ſingulis ſermo eſſet habendus. Amari plus ſacchari repoſcunt, humidi minùs; contrà ſicci paululum vel humećtantur, vel exſiccantur. Qui in aqua ſtillatitia dićtorum florum ſaccharum ſolvet, vires augebit, præſtantioreſque evadent. Integri condiuntur, ſaporis & venuſtatis gratiâ, ſed ut parum efficaces omittuntur. Flores autem totius plantæ vim, & facultatem retinent; ideò qui eas deſiderat, rei herbariæ Authores conſulat.

Fructuum Conſervæ.

COnditurae frućtuum vix ad nos pertinent, quòd potiùs palati, quàm Medicinæ gratiâ repertæ ſint. Ex India tamen Mirabolani, Nuces myriſticæ, Caſſia, & ſimilia deferuntur, quæ & palato grata ſunt, & in Medicina plurimum valent.

Citrii integri, vel cortices eorum ſaccharo condiuntur in nonnullis locis, in quibus pariter citrulli, & melonum cortices, præcocia, pruna, berberis, omphacium, nuces juglandes, amygdalæ, & quod rarum eſt, Ravennæ nuces pini. Baccæ juniperi in vino maceratæ, ac poſtmodum ſaccharo coćtæ:

coctæ : Apoplexiæ, Paralyſi, & aliis graviſſimis morbis ſuccurrunt, ventriculum roborant, Arthritidi proſpiciunt, calculum renum expellunt ; in peſtilentibus, venenatiſque morbis mira præſtant.

Radicum Conſerva.

RAdices vel ſiccæ, vel virentes condiuntur, integræ, vel earum partes. Siccæ, vel priùs in aqua macerantur, vel ſtatim coquuntur, vel denique in pulverem reducuntur. Enula campana in aqua communi lota, atque in eadem cocta, cum triplo ſacchari albi in electuarium cocti, conditur : Radix priùs in taleolas ſecatur, & per aliquot dies in aqua communi maceratur, ut tenuior, & minùs amara evadat : ſicca etiam in ea aqua diu coquitur, & tenera ſaccharo conditur, ac demum in vaſe vitreo ſervatur. Item ex radice cocta pulpa elicitur per cribrum tranſverſum, hanc cum triplo ſacchari in formam elect. ſolidi, ſi ſolidam exoptas, vel liquidi, ſi liquidam, rediges. Vel fit pulvis ex dicta radice, cujus pulveris drachmam accipiunt, pro qualibet uncia ſacchari, ſicque fit in rotulas, vel in paſtillos conſerva.

Angelicæ, dauci, & ſimilium radices modo non diſſimili condiuntur. Eringium, & Satyrium, quia Veneri, & palato dicata ſunt, potiſſimùm, dum coquuntur cum ſaccharo, cinnamomo, & caryophyllis aromatizantur. Nonnulli moſchum, & ambram addunt.

Spagyrica ars in medicamentis impuritates perhorreſcens, aliâ incedit viâ. Primùm à fructibus præcipuam ſubſtantiam magis à fæcibus depuratam accipit ; atque dictam ſubſtantiam in modum præparat, ut vel ipſa ſeorſum ſervetur, vel ſi ingrata, ſaccharo miſceatur. In fructibus vinoſis, quorum præcipua vis in liquore mercuriali conſiſtit, eam quo diximus modo eliciunt, atque ſaccharo commiſcent. Succi dictorum fructuum etiam per ſe ſervantur, eos priùs à fæcibus repurgando.

Præterea defæcati ſucci balneo roris ſenſim excrementum humidum deponunt, atque ad extracti formam reducuntur ; quâ methodo perfacile eſt dictum ſuccum in quolibet vaſe aſſervare, & quovis locorum circumferre, citra metum frangendi vitra, quibus alia aſſervantur, & circumferuntur.

Calor fimi equi in ſuccis defæcandis, exſiccandis, & in varias formas reducendis, nulli alteri calori eſt æquiparandus. Solis calore, maximè æſtivis diebus, multi ſucci depurantur, atque etiam in extracti formam reducuntur.

Limonum ſucci, citrii, ceraſorum, berberis, granatorum, eodem modo defæcantur, & depurantur. Tunc de his ſemicochlear, imò & unica drachma gratiſſimum potum efficit, ſaccharo ad libitum addito ; per ſe etiam, abſque ullo additamento.

Uſum ejuſmodi ſuccorum multiplicem agnoſcimus : Palato maximè in his, quibus denegatur vinum, apprimè eſſe utile, nemo eſt qui ignoret. Pro medicamento egregiè conducunt ad febrium ardorem extinguendum, ad tartareos, viſcidos ; & craſſos humores attenuandos, & diſſolvendos. Rurſus, ex dictis ſuccis ſal eſſentiale paratur, ut in *primo libro* docuimus, quod quidem pro conſerva aſſervari poteſt.

De radicibus, & aliis præcipuæ partes ab impuris ſegregatæ, ut *in prima parte* diximus, ſive tinctura, ſal, ſulphur, vel mercurius, ſaccharo poſſunt commiſceri, & ſic palato accommodari : verumtamen in ſuapte natura citra dulcorationem conſervari poſſunt ; nec etiam amara, guſtui multùm eſſe poſſunt ingrata.

SECTIO SECUNDA.

(*a*) *De Syrupis.*

QUantum diſtet formula medendi, quâ hodiè Medici utuntur, ab ea quam vetuſtiſſima ætas olim agnoſcebat, ſatis videre eſt per medicamenta C C C. annis inventa, inter quæ ſyrupi primas tenent.

Syrupi appellatio Hippocr. & Galeno omnino ignota fuit. Id medicamenti genus jamdudum in artem invexerunt Arabes ; ſaccharo maximè reperto. Etenim licet perobſcura ſint ejus inventionis veſtigia, uti apud M. Varronem, ejus tamen uſus non erat notus, & præſertim Medicis. Galenus in rebus à ſe notis haud mutus, id ſilentio non involviſſet, præ quo neſcio, an ſit res ulla guſtus voluptati adeò grata. Plinius in eo recenſendo *lib.* 12. *cap.* 8. adeò eſt brevis & conciſus, ut ſuâ tempeſtate ipſum fuiſſe raro in uſu, & fortè tunc paucis Romanorum notum oſtendat : etenim non voluptati, ſed Medicinæ tantùm inſerviebat. Syrupi nomen Græumne ſit, ab ὀπὸς & σύρω, vel potiùs à σύρια, & ὀπὸς, quod eſt liquor ex Syria, unde primò delatum ſaccharum, parum refert. Conſtat ſuccum eſſe, vel decoctum ſaccharo conditum, ad certam craſſitiem. Multiplices ſunt, compoſiti & ſimplices, purgantes & alterantes, capitales, pectorales, &c. quidam refrigerant, alii excale faciunt. Verùm hac curioſâ diſtinctione omiſsâ, ad uſuales veniendum.

NOTÆ

in SECTIONEM II.

(*a*) *De Syrupis.* Syrupi qui diutius durare debent, ad craſſiorem conſiſtentiam coquendi ſunt, & neceſſum eſt, ut tempore æſtatis ſpiſſiores ſint, quam hyeme. Cavendum tamen ne nimium coquantur, alias facile concreſcunt. Acidi uti berberum, ribium in figulinis vaſibus non in æneis coquantur, alioquin facile nauſeam vel vomitum movent ; Melius eſt ipſos conficere cum ſaccharo quàm cum melle. Probe examinandi ſunt, an mucorem vel cuticulam contraxerint, quod ſæpiuſcule fieri ſolet, quæ deinde ſeparanda ſunt. Succi per ſubſidentiam prius vel cocturam ſunt depurandi. Ad libram unam ſucci ſumatur libra una ſemis ſacchari, ad ſuccos fructuum autem plus ſumatur ſacchari. Ex floribus v. g. pœoniæ, roſarum, tunicæ, anthos, ſi vis parare ſyrupum, affunde ipſis contuſis illarum aquam, exprime fortiter ſuccum, qui cum ſufficiente quantitate ſacchari in vaſe clauſo vitreo redigendus in

ſyrupum eſt. Syrupus cinnamomi, caryophyllorum, florum aurantiorum ex tempore fieri poteſt, ſi julapio roſarum, id eſt, ſolutioni ſacchari cum aqua roſarum paratæ, & ad debitam conſiſtentiam coctæ, paucæ guttulæ horum oleorum ſpiritu vini ſolutæ, ipſis indantur. Syrupus balſamicus fragrantiſſimus & gratiſſimus fit minùs notus, quando libra una aquæ hordei affunditur balſami peruviani unciæ ſemis, per balneum fiat deſtillatio ad dimidiam aquæ partem, quæ cum illa in cucurbita relicta balſamo ſupernatante combinanda, & cum ſacchari ſufficienti quantitate ad ſyrupi conſiſtentiam redigenda. Cum ſyrupis optimè miſcentur & aſſumuntur ingrata etiam nimis calida & ſpirituoſa; Tinctura ſulphuris, item liquor martialis indito julapio roſarum, parari poteſt ſyrupus martialis vel etiam ſulphureus ſanguinem depurans. Syrupus de ſpina infectoria, item fl. perſicorum nec non violarum leniter purgant. Præſtat purgantia illorumque tincturas & eſſentias ex tempore miſcere cum ſaccharo ſoluto, quam ipſos purgantes ſyrupos ſeorſim aſſervare. Præſtantiſſimi ex ſyrupis ſunt papaveris rhœados, granatorum, rubi idæi, ribium, acetoſitatis citri, menthæ, maſtichinus, cichoreii cum rhabarbaro, violarum, papaveris albi, hederæ terreſtris, de althea. Triplex ad minimum florum infuſio aſſumenda eſt ad præparationem ſyrupi roſarum vel violarum.

Syrupus roſarum ſimplex.

ROſa inter odoratos flores principatum tenet, hinc ῥόδον Græcis, à nimio odoris effluvio; nec immeritò, nam hortorum eſt decus, & orbis delitiæ. Multiplex eſt, domeſtica, & ſylveſtris. Domeſtica, etſi multiplex in hortis appareat, tamen ea vera & legitima eſt, quam uſurpant hodie Pharmacopôlæ in ſyrupo roſaceo conficiendo. In nonnullis locis Damaſcenæ appellantur, in aliis incarnatæ, ſubrubræ, rubræ, pallidæ, &c. Negant alii veras eſſe Damaſcenas, & rubras eo nomine ſolùm appellitant: Quicquid ſit, ſubrubræ odoratæ, & domeſticæ tantùm uſurpantur, ex quibus primùm fit infuſio, ex qua ſyrupus.

Infuſio roſarum.

℞. Florum Roſarum Damaſcen. manè antequam Solis calore perfundantur, & dum adhuc ros ille aëreus earum fragrantiam & poteſtatem coërcet; ℔. x. aquæ fontis ℔. xl. Integris roſis aqua tepens affundatur, & in vaſe terreo vitreato, ſtricti orificii bene clauſo, ſub cineribus calidis, vel in ſtupha per xxiv. horas macerentur. Manè infuſio tepefacta, & parum calida, coletur forti expreſſione, etiam per torcular; in colatura adhuc tepente novæ roſæ macerentur, & ſequenti die pariter colentur; atque tum novæ roſæ infundantur: ſic novies, aut decies fiat infuſio. Tunc ad ſyrupum roſarum.

℞. Infuſionis ſupradictæ, ℔. x. ſacchari albi ℔. vj. clarificentur ſimul cum albumine ovi: & per manicam laneam colentur. Colatura duplici vaſe, aut ſaltem lento igne coquatur, donec craſſeſcat in formam ſyrupi. Si minus ſacchari addideris, validiùs & efficaciùs operabitur, ut pro ℔. iij. infuſionis ℔. iv. ſacchari. Saccharum uſurpare ſolent multi, craſſum illud & fæculentum, quod nigrum & rubrum appellant, & malè, nî fallor, falsò arbitrati, in craſſitie, & fæculentia purgandi facultatem conſiſtere. Infuſio in cucurbitulis vitreis, ſola & per ſe, abſque ſaccharo ſervatur, oleo ad duos digitos impoſito. Oleum ejuſmodi ſit dulce, & abſque ſapore, & odore gravi. Infuſio priùs inſoletur & fæculentiores fæces ſegregentur; tunc ejuſmodi infuſio poteſt omni tempore ſaccharo condiri, & ſyrupus fieri.

Mel ſi addas, mel roſarum efficies; id tamen quod Officinis uſurpant, non adeò diligenti infuſione paratur. Commiſcent nonnulli roſas tuſas melli tepenti, idque Soli expoſitum ad aliquot dies aſſervatur: colatur ad libitum, ipſis priùs bene concalefactis; vel bis parant infuſionem; quam melle condiunt, & ejuſmodi melle pro Clyſteribus utuntur: quam verò parum diſcrepet à melle communi, judicent ipſi.

Syrupus Roſarum Spagyricus.

SPagyrica ars, elegantiores medicamentorum formulas docens, in primis terreſtreitatem, fæculentiam, & omnem impuritatem ſemper ſegregat à medicamentis, eaque pura & defæcata, concoquit, exaltat, & nobilitat.

Concoquit, ut gratiora, & naturæ magis amica reddantur, nobilitat & exaltat, ut in medendo, non mœſtitia & horror, ſed voluptas percipiatur, & omnis labor à patiente ſatis afflicto procul amandetur: item ut eorum vires efficaciores, penetrantiores, & elegantiores reddantur. Nonne laborioſa ſunt nimis, & morbis ipſis prorſus graviora, fœtida illa, craſſa, ingrata, & obſcura medicamenta, quibus quotidiè utimur? Horret adhuc animus recordatione eorum, quibus olim uſus ſum, dum adhuc puer, & præſentis artis ignarus.

Itaque ut Spagyricus nobiliſſimum, & elegantiſſimum ſyrupum conficiat, infuſionem novies, vel decies factam capit, atque eam non albumine ovi depurat, ſed in fimo equino collocat, vitro ad hoc electo oblongioris colli. Exactis nonnullis diebus fæces in fundo deponit, colatur, & colatura iterum in fimo collocatur. Hoc toties reiteretur, quoufque fæces omnes ſubſederint; & infuſio clara, ac diaphana evadat. Ut verò ſyrupum efficias, ſacchari albi ℔. j. pro ℔. ij. infuſionis adde: coquantur ad ſyrupi craſſitiem. Hujus ſyrupi doſis erit ℥. j. uſque ad ℥. j. ß. Validior evadet, ſi minorem quantitatem ſacchari addideris. Alvum purgando, renes refrigerat, & roborat. Bilem purgare dicitur, ſicque ad bilioſas febres commendatur. Blandum eſt medicamentum: puerulis delicatulis tutò exhibetur, ſenibus etiam, & prægnantibus: mannæ, caſſiæ, & aliis exoticis præferendum. Præterea infuſio in duplici vaſe, vel balneo Mariæ, ſi ſeorſum coquatur, craſſeſcit, in formam extracti, ex cujus ʒ. j. pilula formetur: & hæc eadem præſtat, atque ſyrupus.

Si paretur infuſio in ſucco earundem roſarum, (ut Quercetanus inquit) erit ipſa adeò craſſa, & viſcida, ut vix quidem ullo medio depurari poſſit: ſolo ſulphuris, aut vitrioli liquori acido, per longam fermentationem, & digeſtionem id præſtabimus; ſed tunc in aliam tranſeunt naturam, nec adeò omnibus convenient. Etenim quibus acida ſunt ſuſpecta, omninò contraria, & moleſta erunt. Succus per ſe probè depuratus, & ſaccharo condîtus, ſyrupum efficit purgantem, & palato gratum, minùs tamen efficacem.

Roſæ, quas rubras appellant, ex quibus fit conſerva, purgant contra omnium ſententiam: id experientiâ, non noſtra opinione conſtat. Quòd ſi hujus rei periculum facere velint: accipiant

cipiant de ejuſmodi roſis ℥. j. in pulvere cum quovis liquore; vel cum aliqua re in forma boli, & obſervare licebit, ab ea ſubduci alvum ter, & quater.

Interea nequis nobis objiciat perſonarum conditionem, ætatem, & temperamentum, item temporis qualitatem, ſympathiam, &c. Sciant velim, me idem in omnibus, & per plures annos ubique comperiſſe. Sympathia, & Antipathia non eſt tamen negligenda, & maximè in roſis, quibus nonnulli tantoperè adverſantur, ut ſolo odore multos excruciet.

De Syrupo Aureo.

A Paucis annis hic Syrupus eſt in frequentiſſimo uſu: plauſibile eſt nomen, colore, & odore placet, demum blanda eſt, & tuta ejus operatio. Plures compoſitiones, eæque diverſæ hîc Bononiæ habentur apud Pharmacopôlas, quæ omnes admittunt Mannam, & Sennam; vera tamen & genuina hæc, quæ fit cum roſarum floribus rore matutino madentibus, at eo manè collectas integras demerge in calentem julepum ex ſaccharo. Vas ſit ſtricti orificii, & julepus non valdè calidus: Cola ſequenti die, ac lento calore coque, & ſi coctus non ſit ſatis, blando calore adacto, inſpiſſetur ad juſtam craſſitiem.

Syrupus Violarum.

VIola etſi multiplex, eo tamen nomine indigitatur propriè, quæ Martialis appellatur, & purpurea, quæ ut veris prænuntia, ita inter vernos flores emicat prima. Ejus virtus in odore, & colore potiſſimùm conſiſtit; ideò in ejus infuſione paranda, maxima habenda eſt cura. Imprimis eligantur nigriores, hoc eſt, purpureo colore ſaturatiores, enatæ in apertis, & minimè umbroſis locis. Decerpantur antequàm Solis calor eorum odorem reſolverit, itemque rore non madidæ, ſi poſſibile, nam eo vis & odor maximè obtunditur. Itaque cùm primùm apertæ, antequàm ullâ aëris injuria odor effluxerit, colligantur; tunc ollæ vitreatæ ſtricti orificii indantur integræ, quibus ſuperfundatur aquæ tepidæ ſufficiens quantitas, ut eas ſuperemineat duos digitos. Infuſione factâ per 12. horas, atque eâ tepefactâ, & tantiſper calefactâ coletur, colatura ſaccharo condiatur, & fiat ſyrupus, ut de roſis diximus.

Alio modo.

FIt ex floribus diligentiſſimè ab omni parte herbacea, atque albedine repurgatis, quos in mortariolo marmoreo cum piſtillo ligneo tere. Tritis optimè, ſacchari albiſſimi commiſce triplum, & quadruplum; ſaccharum excoquatur priùs in formam electuarii ſolidi, & calidè commiſceatur: ita maneant in infuſione per 24. horas, deinde parum concalefacta per torcular exprimantur: hoc expreſſum ſerva, quod erit in formam ſyrupi pulcherrimi.

Alio modo.

VEl fit cum ſucco dictorum florum: ex his enim priùs tuſis in mortariolo marmoreo, cum piſtillo ligneo, educitur ſuccus violaceus, qui ſaccharo mixtus pulcherrimum efficit ſyrupum. Sacchari ſint duæ partes pro una parte florum: mixta foveantur ſimul in balneo Mariæ quoad juſtam craſſitiem ſyrupi nanciſcantur, ſpuma interim removeatur. Tandem cum oleo vitrioli fit violaceus, addendo oleum infuſioni dictarum violarum; at tunc pectori, cui potiſſimùm dicatur, non eſt admodum opportunus.

Multis in locis ex dictis floribus plures infuſiones parantur, ex quibus ſyrupus, & mel conficitur.

Hic ſyrupus ad ℥. v. & vj. exhibetur. Purgat clementer bilem, & pituitam, in Eryſipelate, & phlegmone intrinſecâ nulla purgatio tutior, aut commodior.

Violaceus ſyrupus, qui violarum retinet colorem, & odorem, pectoralis eſt, & cardiacus; in pleuritide, & febribus ardentibus commodiſſimè exhibetur.

Syrupus florum Cynorrhodontis.

PRo floribus Cynorrhodontis ſylveſtres roſas intelligimus; eaſque albas moſchi odore perfuſas, & quæ in dumetis reperiuntur. Ex his fit ſyrupus verè aureus, & modo ſuprà dicto de ſyrupo aureo. Validiùs purgat, quam quivis alter ſyrupus roſarum. Flores dicti in pollinem redacti, in exigua quantitate purgant. De ſyrupo, una ad duas uncias exhibetur pro doſi, Pulveris doſis, & ſcrupulo ad drachmam unam.

Noſtrâ ſocordiâ pereunt multa vitæ tuendæ neceſſaria, & utiliſſima, atque eorum loco exotica, ex longiſſimis tractibus allata ſuponimus: Roſæ Caninæ, quas Cynorrhodon profert, hujus ſunt generis. Eæ penes nos copioſiſſimè naſcuntur, formæ elegantiâ & pulchritudine, atque fragantiâ, peregrinis aromatis minimè inferiores. Aquas purgant citra morſum, bilem quoque, ac pituitam: propterea conſervæ ex his parantur, uti & ſyrupus. Conſerva, modo ſuprà dicto de roſis Damaſcenis, paratur, cujus ℥. ß. validè bilem, & pituitam purgat, abſque ulla moleſtia.

Item ex his paratur ſyrupus, cujus odor, & color elegantiſſimus eſt, ejuſdem efficaciæ, & valoris. Parantur ex his tres, & quatuor infuſiones, ac cum ſaccharo fit ſyrupus, ut ſuprà diximus. Doſis eſt, ℥. j. ad ij. uſque ad tres.

Syrupus florum Perſicorum.

MAlus perſica, cenſetur olim ex Ægypto in Perſiam, deinde in Europam veniſſe. Fructus eſt planè elegans, guſtum mirâ voluptate afficiens. Plures ſortitur ſpecies. Primas tenent, quæ aureo colore donantur; ſecundas, quæ ſanguineo. Ex omnibus colliguntur flores, manè ante ſolis ortum, eoſque vel integros, vel parum tuſos macerant triduo in ſuff. quantitate aquæ communis. In colata infuſione novos flores infundunt, terque hoc repetitur; colatura ſaccharo conditur, & ad uſum ſervatur. Sacchari quantitas ſit æqualis infuſioni, aut duplo minor, ſaporis gratiâ. Aquæ quantitas floribus reſpondeat. Succus dictorum florum, ut ſuprà diximus, defæcatus & depuratus, ſaccharo mixtus, ſyrupum quoque præſtantiſſimum efficit. Idem ſuccus in ampullis vitreis ſervatur, uti ſuccus roſ. oleo communi ad duos digitos ipſi affuſo, ut officinarum mos eſt. Ad unciam ſemiſſem exhibetur, ad ij. uſque. Ventrem blandè purgat, vermes

enecat,

enecat, obſtructiones reſerat, & putredini reſiſtit; ideò in putridis febribus tutiſſimè porrigitur.

Syrupus Papaveris; Rhœadis rubri, ſeu erratici.

ISti flores menſe Junii inter ſegetes rubeo colore ſaturati, odore verò ingrati, copioſiſſimi reperiuntur. Syrupus ex his duplici modo pariter conficitur: vel ex ſucco eorum prœlo expreſſo, vel ex eorum infuſione.

Efficacior, & præſtantior redditur, ſi infuſio paretur in eodem ſucco, eaque bis, & ter reiteretur. Vis ejus eſt adſtringens, & roborans, cum facultate bechica, & hypnotica; hinc omnibus pulmonum inflammationibus, peripneumoniis, & pleureſibus certò medetur. Datur ab ℥. j. ad ij. per ſe, & cum aquis pectoralibus.

Syrupus Roris ſolis, Pedis catti, Capillorum ven. &c.

AD phthiſim, & alios morbos pectorales, multis in locis parantur ſyrupi lagopi, (alii gnaphalium montanum nominant) roris ſolis, capillorum ven. & complurium, modo ſupradicto. Mitto brevitatis gratiâ plura alia, ex quibus ſyrupos ad libitum parare poſſumus.

Syrupi acidi.

LImonum ſuccus, ob præſtantiam, & ſaporis dignitatem, omnes alios facilè ſuperat. In vaſe vitreo, calore balnei vaporoſi, vel maris ſeorſum excoquitur, dum ipſe incraſſeſcit, ſacchari candidi triti additur exigua quantitas, & fit ſyrupus extracti ſicci inſtar. Idem ſuccus ſolis calore addenſatus, aut in hypocauſto, aut alio loco calido exſiccatus in formam ſolidam, ſervatur in pyxide, vaſe vitreo, aut quovis alio. Ejus minima quantitas in juſculo diſſoluta aquâ ſtillatitiâ communi, aut ſimili, potum reddit gratiſſimum, & elegantiſſimum.

Alio modo.

PAratur ſuccus limonum, uti moris eſt, eum videlicet purificando, & clarificando. Interea ſaccharum albiſſimum ſolvitur, excoquitur, & depuratur more ſolito: excocto in electuarii ſolidi formam additur dictus limonum ſuccus, & fit ſyrupus aliis ſyrupis liquidior, & tenuior; etenim acidi ſyrupi non tam citò ſitum contrahunt, ac cæteri: rurſus ſi in eandem craſſitiem aliorum ſyruporum excoquuntur, brevi canditi fiunt, aut ſi nimis indurati, coaleſcunt gemmarum inſtar. Incauti nonnulli ſuccum cum ſaccharo in principio coquunt: unde Syrupi ingrati, & mali coloris fiunt. Ratio vaſis, in quo excoquuntur, non negligenda: ænea peſſima, vitrea, aut terrea vitro inducta ſeligenda ſunt.

Syrupus Ribes, malorum granat. &c.

ACidorum omnium ſyrupi methodo non diverſâ parantur; ideò ipſis libenter ſuperſedeo, & ad compoſitos devenio, primò ad purgantes, eos præſertim, qui in officinis habentur.

Syrupus de Epithymo M.

JOannes Meſuës *in ſuo Antidotario* miris laudibus extollit Syrupum de Epithymo, maximè in atra bile expurganda; propterea omnibus affectibus ab ea originem trahentibus eum conferre aſſeverat, uti cancro, elephantiaſi, ulceribus malignis, & aliis.

℞. Epithym. ℥. xx. mirobal. citrin. Ind. an. ℥. xv. cuſcutæ, fumiterræ, an. ℥. x. thymi, bugloſſi, calamenthi, mirobal. emblicorum, bellericorum, glycirrhyz. polypodii, agarici, ſtœchados, an. ʒ. xv. roſarum, fœniculi, aniſi, an. ℥. ij. ß. prunorum, num. xx. paſſul. enucleat. ℥. iv. Thamarind. ℥. ij. ß. Aquæ communis, q. ſ. Bulliant ſecundum artem, & in colatura clarificata diſſolve ſacchari albi, ℔. iv. ſapæ, ℔. ij.

Si hujuſce ſyrupi compoſitionem perpendamus, multa facilè reſcindemus, ſapam præſertim, & ejus loco ſaccharum ſubſtituemus, pruna item, & Thamarind. quia aceſcunt.

Spagyricè fieri poteſt, bis vel ter reiteratis infuſionibus, eiſque depuratis addendo ſacchari quantitatem ſufficientem, eaſque in extracti liquidi formam coquendo. Doſis ab ℥. ß. ad ℥. ij. cum juſculo carnis.

Syrupus de Polypodio.

℞. Polypodii querc. ℥. x. meliſſæ, bugloſſæ, an. man. j. cyperi, cort. rad. capparum. acori, aſari, an. ℥. ß. fol. ſennæ, epithym. lactucæ, endiviæ, ſcariolæ, an. ℥. j. ß. coquantur in ſ. q. aquæ communis, colaturæ adde mellis roſati colati, ℔. j. fiat ſyrupus. Humores lentos, & craſſos digerit, vacuat bilem, & atrum ſuccum, nec non pituitam craſſam viſcidam è juncturis.

Spagyricè fit hunc in modum. Cuncta per noctem infunde in ſ. q. aquæ communis: colatura clarificata, tepenti calore balnei, in extracti formam reducatur, cui ſub finem adde ſacchari albi circiter ℥. iv. doſis erit à ʒ. ij. ad ʒ. v. & integram unciam.

Syrupus de Cichorio comp. cum Rhab.

℞. Endiviæ ſativæ, & ſylveſtris, Cichorii, Taraxaci, an. m. ij. cicerbitæ, hæpaticæ, ſcariolæ, lactucæ, fumi terræ, lupulorum, an. m. j. hordei integri, ℥. ij. fructuum Alkekengi, glycyrrhiz. capill. ven. aſplenii, polytrichi, adianti, an. ʒ. vj. rad. apii, fœniculi, aſparagi, an. ℥. ij. coquantur in ſ. q. aquæ communis, & percolentur: in colatura diſſolve ſacchari albi q. ſ. pro unaquaque libra. Inter coquendum, adjiciantur Rhabarbari optimi ℥. ß. Spicæ Ind. ʒ. iv.

In nodulo colligentur, & inter coquendum frequenter exprimantur. Nicolaus tradidit ipſum valere contra materiam venenoſam, in alterando, & mundificando eam, & propriè in anthrace, &c. item in febre peſtilentiali, & in jecoris intemperie, cum obſtructionibus.

Spagyricè fit methodo non diſſimili, omnia ſimul infundendo, coquendo, clarificando, & in extracti formam reducendo. Sal ex fæcibus poteſt extrahi, cumque extracto commiſceri.

Syrupus

Syrupus de pomis Regis ſaporis M.

℞. Succi pomorum dulc. ℔. ij. borraginis, buglоſſæ, an. ℔. j. ß. folliculorum Senæ, ℥. ij. croci ʒ. j.

Sena contrita horis 24. in ſuccis maceretur: ſemel, aut bis ferveſiat: coletur: expreſſum cum ſacchari ℔. ij. percoquatur in ſyrupum. Crocus panno lineo ligatus inter coquendum infricetur.

Succi ſeorſum depurati more ſpagyrico, longè efficaciores ſunt illis, qui non ſunt defæcati, aut ſuo albumine clarificati.

Syrupus ejuſmodi non aliâ indiget correctione. Si præſtantiorem reddere volumus, Senæ quantitatem augebimus. Coctio fieri debet in duplici vaſe in vapore balnei, vel ſtuphæ. Vas ſit vitreum aut terreum vitro inductum. Vires ejus ſunt in melancholicis affectibus optatiſſimæ, cordis palpitationibus utiles, vertiginibus, &c.

Syrupi de radicibus Ellebori, de Hermodactylis, de Bryonia, &c.

PRobare non poſſum ſyrupos de radicibus Ellebori, Hermodactylorum, Turbith, Bryoniæ, & ſimilium vehementium, cum additione calidorum ſimplicium, tam purgantium, quàm alterantium; natura enim noſtra tantam rerum confuſionem ſine moleſtia ferre non poteſt: mallem in pertinacibus, ubi benigna non ſufficiunt, ſimplicibus uti. Hac de re ſyrupos ſimplices, tam Ellebori, quàm aliorum probamus. Illi verò ſic parantur.

℞. Radicum Ellebori nigri, q. ſ. macerentur integræ ſi recentes, aut ſi ſiccæ, leviter tuſæ, in q. ſ. aquæ communis. Colatura ſaccharo condiatur, fiat ſyrupus. Doſis ſit ℥. j. ad ij. pro quantitate radicis, & ſacchari.

Syrupus fructuum ſpinæ Cervinæ.

℞. Succi fructuum ſpinæ infectoriæ depurati, ℔. ij. Sacchari albi, ℔. j. ß. Coquantur ſimul in ſyrupi craſſitiem, depurando priùs ſuccum, ut artis eſt. Aromatizetur pauco cinnamomi. Bilem, pituitam, & ſeroſos humores purgat.

Syrupus fructuum Cucumeris aſinini.

℞. Succum fructuum Cucumeris aſinini probè depuratum, ſacchari albi ad libitum, coque ſimul, & fiat ſyrupus. Ab ℥. ß. ad integram datur. Vehementer ſeroſos humores purgat.

Syrupus Corallorum.

℞. Corallii rubicundi, q. ſ. hoc primò pluries lavamus aquâ communi, in mortariolo porphyritico, cum piſtillo ferreo; in quo peragendo comminuitur in pulverem craſſum: tunc Sole exſiccatur, exſiccato ſuperinfunditur ſuccus limonum optimè defæcatus, & depuratus. Macerentur triduo in urinali vitreo, in fimo equino, vel in balneo vaporoſo. Effunde per inclinationem, quicquid diſſolutum fuerit, fæcibus novum ſuccum reaffunde: cola, & procede, ut ſupra.

Deinde dicti ſucci accipe ℔. j. Sacchari albi ℥. vj. Coque in balneo vaporoſo, in fimo equino ad juſtam ſyrupi conſiſtentiam. Vas omnino ſit vitreum, & calor mitis.

Vires ſunt in omni fluxu ſanguinis; & in cardiacis affectibus, atque in inveteratâ dyſenteriâ.

Syrupus Perlarum.

℞. Unionum perforatarum, vel non perforatarum, q. ſ. Succi limonum optimè depurati, q. ſ. Solve, ut ſuprà dictum eſt; in ſolutione ſaccharum Candum diſſolve, & coque, ut de corallis dictum eſt. Uſus eſt in exſiccatis, phthiſicis, & in deliquiis animi.

****

SECTIO TERTIA.

(*a*) *De Electuariis.*

ELectuarium dicitur, ex eo, quòd ex electis rebus componatur. Sunt verò ipſa, vel alterantia, vel purgantia: à purgantibus, tanquam uſitatioribus, incipiemus, & primò.

NOTÆ

in SECTIONEM III.

(*a*) *De Electuariis.* Ad confectionem mithridatii; theriacæ, vel diffuſioris electuarii, ſequentes regulæ ſervandæ ſunt: Species in ſingulas claſſes diſtribuendæ; Pulveres anguſtiſſimo cribro ſunt tranſmittendi; Thus terebinthina Veneta liquetur. Myrrha, reſina ſtyracis, oppopanax, galbanum, caſtoreum, pulveriſata diſſolvantur ac diluantur cum vino Hiſpanico q. ſ. ut fiant inſtar pulticulæ; ſucci etiam in vino Hiſpanico liquari poſſunt. Non ſimul & ſemel melli miſceantur ſpecies in præparatione theriacæ, ſed optimum eſt, in diplomate aquæ calidæ immerſo, alternatim permiſcere ſpecies: Gummatum autem mixturæ liquefactæ in diplomate diu multumque agitandæ. Quando omnia cum melle mixta ſunt, ſingulis diebus penitior mixtio inſtituenda per ſeptimanam, deinde ſingulis ſeptimanis, poſt ſingulis menſibus per totum annum. Tandem annuo ſpatio contingit fermentatio & inteſtinus motus.

Diagrydium nunquàm addendum calidis liquidis, aliàs in grumos facilè concreſcit, ſed in electuariis frigidè immiſceatur. Conteritur illud cum amygdalis vel ſeminibus quatuor frigidis aut vitello ovi: In electuario hieræ obſervetur, ne melli calido aloë addatur, aliàs rurſus conglobatur & picis inſtar indurata coit. Electuaria purgantia ubi præſcribuntur à Medico, requirunt ante uſum circumagitationem: ſubſident enim eadem, & quandoque purgantia à reliqua maſſa ſeceſſionem faciunt; unde improportionata evadit mixtura. Superſedere omnibus electuariis purgantibus ab *Authore* præſcriptis commodè poſſumus, ſi unicum & quidem ſequens, quod inſtar omnium eſt, poſſidemus. Rec. Syrupi roſarum recentis, violarum, florum perſicorum ana unciam unam, pulpæ tamarindorum, caſſiæ, mannæ ana unciam ſemis, extracti fumariæ, centaurei minoris, rhabarbari ana drachmam unam ſemis, gialappæ reſinoſæ drachmas tres, diagrydii ſcrupulos duos, olei cinnamomi, corticum citri, macis, aniſi ana guttas tres, tartariſati drachmas duas, fiat electuarium. Doſis drachmæ duæ ad drachmas tres.

Elegantiſſimum electuarium purgans fit, ſi in ſucco cydoniorum vel pomorum borſtorffianorum ſolvatur ſcammonium, & injecto ſaccharo ac fermento inſtituatur fermentatio. Qua peracta ſupernatans liquor decantandus ac inſpiſſandus eſt. Commodiſſimè infantibus exhibetur cum lacte.

Pro conſervanda eucraſia ſanguinis ſequens electuarium optimum eſt: Rec. paſſularum corinthiacarum un-

cias ſex, cremoris tartari drachmas ſex, ſalis tartari drachmam unam; Miſce, fiat cum decocto radicis cichorei electuarium.

Electuarium alexipharmacum ſeu diaſcordium non compendioſum ſequenti modo parabile eſt: Rec. Scordii pulveriſati uncias duas, radicis contraſervæ, angelicæ unciam ſemis, croci, opii ana drachmam unam, camphoræ drachmam ſemis, olei nuciſtæ, caryophyllorum, cardamomi ana guttas duodecim, electuarii ſive rob. baccarum juniperi, ſambuci ana uncias quatuor, miſce, fiat electuarium.

Confectio alkermes ex multis pretioſis languidis & inconvenientibus conſtat; Electuarium confortans longè efficacius ac vilius qui deſiderat, tale parare poteſt: Rec. Syrupi balſamici ſuperius deſcripti, ſyrupi florum aurantiorum, cum tinctura granorum chermes tincti, ana uncias quatuor; moſchi in ſpiritu roſatum ſoluti drachmam ſemis, eſſentiæ ambræ drachmam unam, cornucervi philoſophicè præparati, ſuccini præparati ana drachmas duas, ligni aloës cinnamomi ana drachmas tres, olei cinnamomi, macis, cardamomi, ana guttas ſex, miſce, fiat electuarium.

Succus chermes oleo tartari per deliquium acquirit colorem eleganter purpureum.

Confectio de cinnamomo Regia extans in pharmacopœa Holmenſi hæc eſt: Rec. Succoladæ Indæ uncias tres, nucis moſchatæ Indæ conditæ uncias duas ſemis, ſyrupi cinnamomi quantum ſatis, miſce, fiat electuarium; adde confectionis alkermes unciam unam, eſſentiæ ambræ ſiccæ, olei cinnamomi, ana drachmas duas, roſarum guttas quatuor, foliorum auri numero triginta, miſce.

Electuarium Diacatholicum.

QUia uſitatiſſimum, & utiliſſimum, meritò primas tenebit. Recens guſtui non diſplicet, vetus aceſcit, palatoque fit ingratum. Communis deſcriptio apud multos varia traditur: omnium frequentiſſima eſt hæc Nicolai.

℞. Pulpæ Caſſiæ, pulpæ Tamarind. an. ℥. ij. Senæ mund. rhabarbari el. polypod. ſem. violarum, aniſi, an. ℥. j. Glycyrrhizæ raſæ, penidiorum, ſacchari candi, 4. ſem. frigid. maj. an. ℥. ij. conterenda conterantur: Polypodii recent. ℥. iij. ſem. fœniculi, ℥. vj. ſacchari albi, ℔. ij. Aquæ communis, ℔. ix.

Coquantur ad ſyrupi conſiſtentiam, & ſupraſcriptis additis fiat Electuarium. Doſis ad ℥. ß. ad ℥. j. & ʒ. x. Omnes humores æqualiter purgare creditur, hac de cauſa univerſale medicamentum appellatur. Acutis conferre traditur, item lienoſis, quartanis, quotidianis, tertianis, & arthriticis. Communis conficiendi modus eſt, extractis pulpis ſaccharum cum decocto ſenæ, polypod. rhabarb. violarum, aniſi, glycyrrh. fœnic. miſcere.

Alii pulpis caſſiæ, & Tamarind. extractis miſcent ſaccharum cum penidiis, & ſaccharo Cando, coctum cum decoctione polypod. & fœniculi: tepefactis addunt pulv. ſenæ, rhabarb. polypod. violarum, 4. ſem. frig. maj. aniſi & glycyrrhizæ. Hæc efficacior, & rationi magis conſentanea. In hac multi cenſent inutilia, glycyrrhizam, violas 4. ſem. frig. penidia, ſaccharum Candum, & polypodium; nec ſine ratione: unde prædicta à pulvere ſemovent, eaque potiùs in decocto coquuntur.

Spagyrica correctio erit, Caſſiam, & Tamarindos in præfato decocto per 2. vel 3. dies infundere: factâ levi ebullitione in duplici vaſe, clarificetur per lingulam, ſeu filtrum, vel cum albumine ovi. In colatura diſſolve ſaccharum album, & coquantur lento igne in vaſe vitreo, ad extracti ſpiſſitudinem, de quo doſis ſit ℥. ij. & iij. Ex his neque extracta, neque ſalia, neque magiſteria, aut alia Chymica parari ſuadeo: ſunt alimentoſa, & eorum vis in illorum craſſa, & dulci ſubſtantia conſiſtit, à qua ſi corpus remanens ſeparetur, vires, & gratiam amittunt. Præterea vis conſimilium, ut & fructuum, in aërea ſubſtantiâ, ſeu tenuiſſima aura, plurimùm conſiſtit, quæ vix perſentito igne evaneſcit. Quapropter qui integris eorum viribus frui cupit, recentes aſſumat citra ullam præparationem; eæ ubique aſſervantur, & conditurâ minimè indigent.

Sunt qui Caſſiam ebulliunt in ſ. q. aquæ, in qua primò incocta ſint fol. ſenæ cum aniſo, clarificant, & colant. Alii ſimul cum Caſſia bulliunt ſenam, & albumine ovi clarificant, & aromatizant cum cinnamomo, quod non improbamus. Vinoſam eſſe Caſſiam, & ab ea ſpiritum elici poſſe, non me latet; at infructuoſum hoc, & inuſitatum. Sal, quia corroſivus, & à deſiderata facultate alienus, omittitur. Interea non probo mixtiones, quæ fieri poſſunt cum tartaro, ſero, & variis ſuccis, alienæ enim ſunt, & ſine methodo.

Catholica pleraque alia confici poſſunt; quæ ſunt validiora.

Extractum, ſive electuarium Catholicum.

℞. Polypodii querc. contuſi, ℔. ij. Senæ Oriental. ℔. ß. Rhabarb. elect. Agarici, Turbith gummoſi, an. ℥. j. aniſi, macis, cinnamomi, an. ℥. ß. cum ſ. q. aquæ Cichorii fiat infuſio, quæ coletur, & clarificetur: tandem coquatur in vaſe vitreo, & ſub fine adde mannæ Calabrinæ, ℥. iv. Sacchari albi, ℥. vj. tantùm. Clarificentur iterum, & coquantur ad ſpiſſitudinem extracti, de quo ℥. ij. ad ℥. ß. detur pro doſi.

Aliud.

℞. Senæ Orient. Epithym. cuſcutæ, ſem. carthami contuſi, an. ℔. j. Rhabarbari, mecoacan. contuſi, an. ℥. ij. roſarum rub. ℥. ij. ſpicæ Ind. aniſi, an. ℥. ß. In ſuccis depuratis lupuli, fumariæ, & boraginis fiat infuſio, in cujus colatura iterum infunde Agarici, Rhabarb. an. ℥. ij. Cinnamomi, macis, an. ʒ. j. Coquantur parum, & iterum colentur: In colatura diſſolve Sacchari albi ℔. j. Coquantur lento igne in formam extracti, cujus doſis erit ℈. j. ad ʒ. j. & ʒ. j. ß. vel per ſe, vel cum juſculo carnis. Compoſita iſthæc verè catholica, utramque bilem purgant clementer, pituitam quoque, ſaburram tandem omnem craſſam, & viſcidam materiam ex ſanguine purgant.

Extractum aliud.

IN *prima parte, ſect. de extractis*, omnium præſtantiſſimum tradidimus, cujus uſus nobis eſt frequentiſſimus, maximè in morbis tartareis, uti in arthritide, aſthmate, apoplexia, hemicrania, &c.

Electuarium lenitivum.

PRæſens Elect. ut cæteræ compoſitiones, quæ Caſſiæ, tamarind. prunor. pulpam in ſe recipiunt, aceſcunt, & ingratitudinem quandam contrahunt, præter inſuavem odorem; unde in pluribus locis pro enematibus tantummodò aſſervantur. Ipſum verò componitur hunc in modum.

℞. Paſſul.

℞. Paſſul. enucl. ℥. ij. Capill. ven. violarum, hord. mund. an. m. j. jujubarum ſebeſten, an. num. xx. Glycyrrhizæ, ℥. ß. prun. tamarind. an. ℥. vj. ſenæ, polypodii, an. ℥. ij. mercurialis, m. j. ß. Coquantur in ſ. q. aquæ communis; in colatura diſſolve; Pulpæ Caſſiæ, Tamarind. prunorum, ſacchari violati, an. ℥. vj. Pul. Senæ, ℥. iij. ß. fiat Electuarium. Quod ad lenitivum magiſtrale, Diamanna, Diaſebeſten, Diaprun, ſimp. compoſit. conſultò omittimus, maximè cum in pauciſſimis locis in uſum veniant.

Electuarium Diaphœnicum.

℞. Dactylorum mundatorum, ʒ. C. Penidiorum, ʒ. L. Amygd. dulc. mund. ʒ. xxx. Turbith gumm. ʒ. xxxv. Scammonii, ʒ. xij. Zingiberis, piperis longi, fol. rutæ, cinnamomi, ligni aloës, macis, aniſi, fœniculi, dauci, galangæ, an. ʒ. ij. ß. Dactyli triduo in aceto macerati, tundantur in mortariolo lapideo cum amygdalis, ac penidiis, quibus ſubſequentium pulverem tenuiſſimum miſce, & cum melle deſpumato ſufficienti excipito.

Sunt qui ſex libras mellis accipiunt; ſunt qui tres tantùm: poſteriores nobis magis arrident, ſunt enim penidia, dactyli, & amygdalæ loco mellis. Doſis ab ℥. ß. ad ℥. j.

Febribus compoſitis, & diuturnis auxiliatur, bilem flavam, & pituitam educit: doloribus colicis, ac ventriculi, & aliis malis ex crudo humore ortis mirificè confert. Baſis hujus compoſitionis duplex eſt, nominis, & virtutis: Nominis ſunt Dactyli, qui licèt mole cætera ſuperent, reliquis virtute inferiores ſunt. Virtutis eſt Scammonea, cujus vim roborat Turbith. Reliqua horum deleteriam facultatem retundunt.

Electuarium Diaphœnicum Spagyricum.

℞. Scammonii ſpagyricè præparati, ℥. xij. Extracti Turbith ℥. xxxv. Specierum ſupraſcriptarum rerum ſiccarum, & contuſarum, an. ℥. ij. ß. Fiat extractum cum ſpiritu vini, utrique miſcebis ſcammonium, idque etiam ſolvetur, quibus tandem ad corpus ſeu formam conciliandam, adde Pulpæ dactylorum, pulpæ amygd. an. ℥. ij. ſacchari albi cocti, ℥. viij. Miſceantur, & fiat Electuarium, quod erit palato gratiſſimum, & in parva doſi exhibetur. Quantitas erit ℥. j. ad ℥. ij. Salis extractionem minimè ſuademus, eam enim inutilem cenſemus, imò acrimoniâ ſuâ potiùs ventriculo nocere. Removemus magnam illam quantitatem pulpæ dactyl. & amygd. Nec eſt ut exiſtimemus, oleoſam eorum ſubſtantiam corrigere poſſe ſcammonium, & turbith. Hæc ſolitaria ſpagyricè non raro uſurpamus, cum maximo fructu, & ſine minima læſione.

Benedicta Laxativa Nicol.

℞. Turbith gummoſi, Sacchari albi, an. ʒ. x. Diagridii, Eſulæ præparatæ, hermodactyl. roſarum, an. ʒ. v. Caryophyl. ſpicæ Indicæ, Zingiberis, croci, ſaxifragiæ, macropiperis, amomi, aut calami arom. cardam. min. ſem. carui, fœniculi, petroſelini, aſparagi, ruſci, milii ſolis, an. ʒ. j. Mellis deſpumati ℔. iij. fiat Electuarium.

Componendi ratio eſt perfacilis, pulvis miſcetur melli deſpumato, & cocto.

Humores pituitoſos purgat, eos maximè qui ad articulos decumbent, à renibus etiam, & veſica.

Neſcio quo fato iſtud Electuarium intus non ingeratur, maximè in Gallia & Italia, ubi praxim Medicinæ exercuimus. Frequentiſſimè in Clyſteribus uſurpatur, & præſertim côli doloribus, & etiam in omnibus Clyſteribus. Doſis ab ℥. ß. ad ℥. j.

Chymica correctio.

Contuſa omnia aromata macerentur in ſufficienti quantitate vini ſpiritus per tres dies, colentur, & clarificentur per filtrum, & per alembicum proliciatur omnis humiditas: Sub fine adde Sacchari, vel mellis parum, aut circiter ℔. ß. & fiat extractum. Doſis ʒ. j. ad ʒ. ij.

Benedicta ſimplex Chymica.

℞. Radicum Eſulæ virentis; vel in veris principio, vel in fine autumni, q. ſ. Contundantur in mortariolo lapideo, & macerentur triduo in ſ. q. aquæ communis: coquantur parum, & colentur. Factâ clarificatione per varias digeſtiones, evaporentur in urinali ad vaporem balnei Mariæ, & fiat extractum, cui ſal proprium adde.

Eſulæ cognitio adhuc obſcura eſt: Pro ipſâ uſurpamus Tithymalum Cypariſſiam, quæ herba omnibus nota eſt, in arenoſis utplurimùm naſcitur, dicitur Cypariſſias, quòd humilis Cypariſſi ſimilitudinem æmuletur; copioſiſſima ubique terrarum naſcitur. Ejuſdem radicis pulvere olim uſi ſumus citra ullam præparationem: dabatur cum juſculo ad ʒ. j. Purgat bilem clementer, & ſeroſos humores; virtute à ſcammonio minimè differre experti ſumus. In delicatis ʒ. ß. ſufficit. Tota herba cum radicibus in mortariolo lapideo tuſa ſuccum fundit ſcammonio perſimilem: ipſum defæcatum, & ſolis radiis expoſitum atque exſiccatum, eidem ſcammonio reſpondere certum eſt. Virtus ejus adverſus quartanas, & longas febres extollitur.

Tryphera Perſica.

℞. Succi ſolatri hortenſis, ſucci endiviæ veræ, ſucci lupulorum depurat. an. ℔. ij. Prajiciantur deſuper violarum, roſarum, an. ʒ. iij. fol. Senæ, ℥. ij. Agarici ℥. j. Prun. Damaſ. N°. L. Cuſcutæ, ℥. ß. Mirab. citrin. chebul. Indorum, fric. in oleo amyd. dulc. an. ʒ. ij. Spicæ Indicæ, ʒ. iij. Bulliant ſimul lento igne, donec ſuperſint ℔. ij. & injiciantur Epithym. ʒ. XL. bulliant leviter, deinde ab igne deponantur, & percolentur, atque diſſolvantur in una parte iſtius percolati, Tamarind. recent. ℥. iij. Mannæ elect. ℥. j. ß. Pulpæ Caſſiæ, ℥. iv. ſacchari violati, ℔. j. Percolentur, & mundentur à granis, & ſordibus: atque in aliam aquæ partem projiciantur, Sacchari albiſſimi ℔. iij. Aceti vini, ℔. j. Coquantur lento igne, deinde projiciantur ſuper illud, quod diſſolutum eſt in ſuccis, & aggregentur ſimul in uno, atque coquantur, donec mellis craſſitiem obtineant. Poſtremo in pulverem reductæ ſequentes ſpecies inſpergantur.

℞. Rhabarbari el. ℥. ij. myrobal. citrinorum, chebulorum, Indorum, an. ℥. j. Bellericorum,

blicorum, an. ℥. ß. ſem. fumiterræ, Trochiſc. diarhodon, macis, maſtiches, cubebarum, ſpodii, ſantal. citrini, an. ʒ. ij. Sem. cucurbitæ, citrulli, cucumeris, melonis, an. ℥. ij. ß. aniſi ℥. ß. ſpicæ Indicæ, ʒ. ij. Involvantur oleo violato, & reponantur in vaſe vitreo. Datur ad ℥. j. cum ſucco intybi, vel ſolani, aut cum aqua frigida.

Dicitur conferre febribus acutis, ictericis, calidis inflammationibus ſtomachi, & hepatis: viſum à fumis cholericis deperditum reparat, ſitim mitigat, morbos aduſtionis fieri prohibet. Hæc Meſuës, utinam vera!

Chymica præparatio, & correctio.

SI quis præſentis compoſitionis ſtructuram contempletur; claram ſatiſque manifeſtam agnoſcet majorum noſtrorum induſtriam, quæ etſi à Chymicis longè diſtet, ea tamen pro illis temporibus non caruit arte: tunc enim vagiens, & è cunabulis emergebat Medicina, quando Meſuës prædictam nobis tradidit. In qua examinanda, nobis ſtatim proponitur ob oculos ſolatri hortenſis ſuccus, quem ſuppoſititium nonnulli exiſtimant: nam etſi ſolatrum hortenſe ſupputetur à Galeno inter olera, uſu tamen probatur, inter comeſtibilia non eſſe habendum; & ſanè Dioſcorides id potiùs ad extrinſecos affectus commendat, quàm ad intrinſecos. Præterea ejuſmodi planta odore, & ſapore ſatis ingrata eſt, ventriculo non parum infenſa, & capiti noxia; quâ de re nonnulli cenſent ejus loco uſurpari poſſe ſuccos cichorii, borag. cicerbit. portulacæ, &c. Multa prætereà occurrunt inepta, ut fricatio ol. violati pro ſpeciebus, Acetum cum Caſſia, & Tamarind. mixtura planè laborioſa, ingrata, & ferè inutilis: pro qua talem reponimus.

℞. Succorum cichorii, borraginis, lupuli, endiviæ, Fumariæ, depuratorum, an. lib. iij. In quibus infunde Epithym. ℥. v. fol. Senæ, ℥. iij. Agarici, ℥. j. ß. Cuſcutæ, ʒ. ij. Prunorum Damaſcen. N°. I. Rhabarbari elect. uncias quatuor Myrobal. Citrinor. Chebulor. Indor. Bellliric. Emblic. an. ℥. iv. Spicæ Ind. florum violarum, roſarum, an. ℥. ß. Poſt tres dies leviter bulliant, & colentur. Colatura à fæc. repurgetur. In Colatura diſſolve Sacchari albi ℔. iij. Coquantur ad craſſitiem mellis, cui adde, pulpæ Tamarind. pulpæ Caſſiæ fiſt. an. ℥. v. Mannæ Calabrini, ℥. iij. Conſ. Violarum, lib. j. quibus ſi addere velis ſequentia, concedimus: Trochiſc. diarhodon, macis, maſtiches cubebarum, ſpodii, ſantal; citrini, ſem. 4. frigid. maj. mund. an. ʒ. ij. Aniſi, ℥. ß. Spicæ Ind. ʒ. ij. miſceantur, & fiat Elect. Doſis à ʒ. ij. ad ℥. ß. & ℥. j.

Frivolum eſſet ex ſimplicibus ſalem extrahere velle, oleum multò minùs.

Confectio Hamech.

℞. Myrobalanorum citrin. ℥. iv. Chebulorum Indorum, Rhabarbari el. an. ℥. ij. Agarici. colocynthidos, Polypolii qu. an. ʒ. xviii. Abſinthii, thymi, Senæ, an. ʒ. vi. Violarum, ℥. j. ß. Epithym. ℥. ij. Sem. aniſi, fœniculi roſarum rub. an. ʒ. vj. Succi fumariæ, lib. j. Pruna, N°. LX. Paſſularum enucleatarum, ℥. vj. Macerentur omnia in ſero lactis caprini ſufficiente, in vaſe vitriato per dies 5. Poſteà ferveant unâ, aut alterâ ebullitione; colentur, colaturæ benè expreſſæ adde Pulpæ Caſſiæ, ℥. iv. Pulpæ Tamarind. ℥. v. Mannæ, ℥. iij. Frica manu, cola, & adde Sacchari albi, lib. j. ß. Scammonii præparati, ℥. j. ß. coque ad mellis craſſitiem, & adde, Myrobal. citrinorum, chebul. Indorum, an. ℥. ß. Bellericorum, Emblic. Rhabarb. Sem. fumariæ, an. ʒ. iij. Spic. Indic. aniſi, an. ʒ. ij. Confice Electuarium.

Morbis omnibus ex flava bile, & pituita ſalſa natis, nempè impetigini, ſcabiei, elephantiæ, & cancro ſuccurrit. Datur ab ℥. ß. ad ʒ. vj.

Chymica præparatio, & correctio.

SPagyrici ſcopus, bonum à malo ſecernere, purum ab impuro, utile ab inutili, atque ſic medicamenta reddere tutiora, & jucundiora. Præſens confectio eſt maximè in uſu, in cujus elaboratione non multùm inſudabimus, propter medicamenta alimentoſa, quibus conſtat.

Parabitur elegantiùs hunc in modum. Primò accipe ſuccum fumariæ optimè depuratum, ſeri lactis caprini pariter depurati, q. ſ. In his bulliant primò paſſulæ, & pruna, cum polypodio, per duas horas: poſteà adde myrobalanos contuſos, cum ſeminibus, rhabarb. agarico, colocynthid. ſena, thymo, & reliquis: factâ decoctione removeantur ab igne, & ſtent in infuſione per 24. horas: Tunc excalefiant paulùm, & colentur cum valida expreſſione. Fæcibus ſuperfunde novum ſerum caprinum: bulliant parùm, & colentur. Ambæ colaturæ clarificentur albumine ovi cum ſaccharo, & manna: coquantur ad mellis craſſitiem. Paulò refrigeratis adde ſcammonium ſubtiliter pulverizatum. Cætera, quæ dicit Meſuës addenda eſſe pulverizata, cum reliquis debent infundi, & coqui; aut ſi mavis ſeorſim tincturam elicere, eam miſce cum cæteris, & fiat Electuarium.

Suprà diximus, Caſſiam, Tamarind. & Mannam vim ſuam lubricam habere inſeparabilem à materia ſua: alimentoſa ſunt, & diſtillatione gratiam omnem amittunt; idem in Pane, & carnibus obſervamus.

Alio modo poteſt ex omnibus confici Tinctura, quæ ſaccharo mixta efficeret compoſitum ſatis elegans: Verum enimverò quia in exercenda praxi famam viribus adſcriptis non reſpondere obſervavimus, ideò de ea paucis erimus contenti.

Confectionem Hamech ſecundam, ſeu minorem, tanquam inuſitatam, brevitatis gratiâ preterimus.

Electuarium roſatum Meſuæ.

℞. Succi roſarum rub. lib. iv. Sacchari albi, lib. j. ß. Mannæ Calab. ℥. vj. Scammonii præp. ℥. j. ß. Coque igne lento ad mellis craſſitudinem, tunc adde ſubſequentia benè trita, & per cribrum tranſmiſſa, Trochiſc. de ſpodio, ℥. j. Galliæ moſchatæ, croci, an. ʒ. ij. Trochiſc. de berberis, ℥. ß. Confice ſecundùm artem. Doſis eſt ʒ. v. Cholagogum eſt clemens, ob id ſalubre bilioſis affectibus, arthritidi calidæ, cephalalgiæ calidæ, vertigini, oculorum dolori, ictero. meſ.

Electuarium Eleſcoph.

℞. Scammonii Antioch. turbith albi, an. ʒ. vj. Caryophyl. cinnamomi, zingiberis, myrobalano-

rum

rum Emblic. nucis moſchat. polypod. an. ʒ. ij. ß. Sacchari albi, ℥. vj. Melle deſpumato, & coćto excipiantur, vel ſaccharo pro rotulis. Aſſervatur etiam in pulvere, & datur à ʒ. j. ad ℈. iv. Elećt. à ʒ. vj. ad ix. & x.

Elećt. Diacarthami Villanovani.

℞. Medullæ ſem. Carthami, Hermodaćtyl. pulv. diatrag. frig. an. ℥. ß. Turbith, ʒ. vj. Zingiberis, Mannæ granul. an. ʒ. ij. Diagridii, ʒ. iij. Sacchari candi, Carnis Cydoniorum cond. Mellis roſati, an. ℥. j. Sacchari albi, ℥. iij. ß. Fiat Elećtuarium ſolidum.

Elećt. de Citro fol.

℞. Cort. citri cond. Conſ. fl. violarum, conſ. bugloſſi, Pulv. diatrag. frig. an. ℥. ß. Turbith, ʒ. v. Zingiberis, ʒ. ß. fol. Senæ vi. Sem. fœniculi, ʒ. j. Sacchari albi, ℥. x. Fiat. Elećtuarium ſolidum.

Vel ſic.

℞. Conſ. violarum, borag. an. ʒ. ij. rad. bugloſſi, cond. cort. citri. cond. an. ʒ. j. Zingiberis, ʒ. ß. Diagrid. ʒ. iij. Turbith, ʒ. iv. Senæ, ʒ. v. Panis ſacchari, ℥. x. Fiat Elećt. Doſis ab ℥. ß. ad ℥. j. & ad ʒ. x.

Elećtuarium de ſucco roſ. ſol. Nicolai.

℞. Succi roſarum, Sacchari albi, an. lib. j. ℥. iv. Scammonii præparati, ℥. j. ß. Santal. rub. citrin. albi, an. ʒ. vi. Spodii, ʒ. iij. Caphuræ, ℈. j. Fiat elećtuarium ſolidum. Doſis, ʒ. iij. & iv. ad vi.

Chymica præparatio.

SI iſthæc Elećtuaria nobilitare, & exaltare volumus, ex ſiccis, utpote ex Turbith, Sena, Hermodaćt. Cinnamomo, Caryophyll. Aniſo, Zingibere, &c. tincturam in formam extraćti elicere poſſumus, cui adde Scammonium Spagyricè præparatum, Manna, & Saccharum. Si ſolida expetamus, omnis humiditas è tinćtura proliciatur, & ſaccharum in formam ſolidam coquatur. Doſis erit tunc minima.

Vires ſatis notæ ſunt: Baſis eſt in omnibus Scammonium. Si idem correćtum expetimus, nulla melior eſt methodus, quàm ea quæ docetur à Chymicis, ipſum ſolvendo in aqua vitæ, & repurgando ab omni impuritate, ut in *prima parte* docuimus, Salem extrahere, methodo in *prima parte* traditâ poteris, eumque ipſis miſcere.

Superſunt alia Elećtuaria purgantia, quæ brevitatis ſtudio miſſa facimus, uſitatioribus & ſelećtioribus contenti; nunc de alterantibus, inter quæ primas tenent ea, quæ ſacra dicuntur.

Hiera Picra ſimplex Gal.

℞. Cinnamomi, xylobalſami, Rad. aſari, Spicæ nardi, maſtiches, an. ʒ. vj. croci, ʒ. v. Aloës elećtæ, ʒ. xc. Triplo mellis coćti excipiantur, & fiat Elećt.

Baſis eſt Aloe, cetera ſunt adjuvantia, & corroborantia. Ventriculi vitioſis ſuccis ſuccurrit, frigidam intemperiem corrigit, alvum clementer ſolvit, & verè ſacra eſt compoſitio. Doſis ab ℥. ß. ad ℥. j.

Chymica præparatio.

ALoë ſuccotrina ſolvatur in ſ. q. aquæ communis in urinali vitreo, calore balnei Mariæ: ſolvitur verò reiteratis vicibus, novam ſuperfundendo. Tinćtæ aquæ per novum alembicum extillantur calore pariter blando, & humiditas in tantum evocatur, quantum requirit extraćti forma. Dum ſic præparatur aloë, ex aromatis tinćturam pariter elice cum aqua endiviæ, quam cum aloë præparatâ miſce calidè: maſtiche ſeorſum ſolvitur cum aqua vitæ, & in conſiſtentiam extraćti adducitur. Miſceantur omnia ſimul, quibus adde ſacchari ad libitum, ſaccharum in pulvere facillimè miſcetur. Quâ in re monemus, hîc non eſſe opus ſaccharo, etenim tanta eſt compoſitionis amaritudo, ut nullo pacto retundi poſſit ullâ mixturâ; ſine ſaccharo etiam optimè ſervatur, citra corruptionis metum. Doſis à ℥. ß. ad ℥. j. ß. exhibetur, potiſſimùm in pilulas, etſi poſſit diſſolvi cum quovis liquore. Qui in formam Elećtuarii aſſervare cupit, mel vel ſaccharum ad libitum addat. Sunt præterea Hiera compoſita Gal. Hiera cum Agarico: Hiera diacolocynthidos, Pachii, Archigenis, Hermetis, quas brevitatis causâ omittimus: omnes enim eâdem methodo poſſunt confici. Abſolutis præcipius Elećtuariis purgantibus, his potiſſimùm quæ ſunt in uſu, de alterantibus nunc dicendum, & maximè de Cardiacis, quas Confećtiones appellant, & primò.

Confećtio Alkermes.

℞. Serici ſucco Kermes recenter infećti, ℔. j. Mergatur in ſucci pomorum dulcium, & aquæ roſ. an. ℔. j. ß. & dimitte per ſpatium horarum 24. deinde coque lento igne, donec liquores iſti rubeant. Deinde extrahe ſericum, atque inſuper exprime diligenter, mox infunde ſucchari albiſſimi, ℔. j. ß. ad melliſque craſſitiem coque. Amove ab igne, atque miſce Ambræ griſeæ minutim conciſæ, ʒ. iv. quâ liquatâ injice pulveres ſequentes.

℞. Ligni aloës, Cinnamomi, an. ʒ. vj. Lapidis Cynaei loti, & præparati, margaritar. an. ʒ. ij. fol. auri, ʒ. j. moſchi boni, ℈. j. Miſce.

Eſt maximi juvamenti ad cordis palpitationem, ſyncopen, & triſtitiam ſine cauſa, & ex rebus confortantibus animum mirum in modum. Meſuës. Doſis ab aur. j. ad ij. ß.

Nonnulla dubia torquent animum componentium: Primum eſt de ſerico granorum kermes ſucco infećto, & putant nonnulli, intelligi ſericum tinctum communi grano, vulgò *ſcarlatta*, Gallis *Cochenille*, quod grani genus ex Alepo ad nos advehitur, non quòd ibi naſcatur, ſed ex Æthiopia, vel ex Perſide per mercatores eò deducitur, & hæc grana ſunt potiùs animalcula quædam, quàm grana alicujus vegetabilis. Alii non hæc animalcula, ſed grana cujuſdam arbuſti, naturæ, & formæ quercûs humillimæ, hîc intelligi putant: & hæc arbuſcula copiosè naſcitur in Provincia, & Gallia Narbonenſi, de quâ plura habentur in *Hiſtorica generali Plantar.* Monſpeſſuli, & Avenioni abundantiſſimè colligitur, Pharmacopôlæ ex recentibus ſuccum exprimunt ſuper ſericum crudum, ex quo ſyrupus. Nonnulli ſine ſerico, cum ſucco ſyrupum conficiunt, & inter coquendum ſericum ebulliunt.

Secundò, controvertunt acriter nonnulli inter ſe, an Lapis Cyananeus primò debeat calcinari, an lavari tantùm. Per illud (præparati) non intelligentes quid diverſum; aut ſiquid, pulveriſati, & non calcinati. Ratio, & uſus compoſitionis quid faciendum ſit ſatis demonſtrant. Uſus ad cor exhilarandum, confortandum & roborandum: lapis verò Cyaneus crudus, & ſimpliciter lotus, purgat vehementer ſurſùm, & deorſum, quæ proprietates cordi ſunt contrariæ; at calcinatus primò, & lotus, proprietates illas amittit, & fit roborans, & confortans, quod in hac compoſitione maximè deſideratur. Ratio idem dictitat: etenim ſulphur, & ſpiritus antimonialis, cum ſale volatili ipſius lapidis calcinatione tolluntur, & remanent ſulphur, & ſal fixus, quæ ſubſtantiæ naturæ amicæ ſunt, & per conſequens cardiacæ: quod pariter in ſingulis mineralibus obſervandum eſt, ratum firmumque tenentes in fixis ſulphure, & ſale ipſorum, vim roborandi conſiſtere.

De Ligno aloës, de quo quidem utpote ignorato nihil dico, lis eſt antiquiſſima.

De auro foliato, atque de margaritis, lis eſt alibi dirimenda.

Chymica præparatio.

CUm nobis in omnibus arrideat veritas, & aliorum opiniones probare non poſſimus ſine manifeſta experientia, dicant nobis quæſo, quid in ſerico probaverint aut Mauri, aut poſteri, & tandem noſtra ætas. Siccine mortalium ſalus in ſola opinione conſiſtit? Videmus puellam, quæ caſu ſericum intruderat in ventriculum, ex quo ventriculi dolores oborti, eam in graviſſimos affectus conjecerant, à quibus nullis medicaminibus ſublevari potuit, donec ſtibio exhibito evomuit dictum ſericum conglomeratum, per plures vices.

Duplici viâ Chymicè parabitur: prima, in qua totum Electuarium cum ſuis facultatibus manebit, ſic. Accipe confectionem integram, ut ſuprà dictum fuit: hanc infunde in ſufficienti quantitate ſpiritus vini, in urinali vitreo, ſuper calidos cineres: tinctum ſpiritum effunde ſenſim, & novum reaffunde, qui tinctus, ut ſuprà effundatur: ter novum affunde ſpiritum, & extrahe, ut ſuprà: liquorem ejuſmodi confectionis viribus, & qualitatibus imbutum per Alembicum evapora, & in urinalis fundo manebit confectio, quam aſſervabis in formam extracti. At hæc nobis non arridet, & ſequens magis erit in uſu.

Accipe ergo ſuccum granorum κermes, depuratum more chymico: in eo ſolve ſaccharum, & fiat ſyrupus ad juſtam craſſitiem. Interea ſolve uniones cum ſucco limonum, & evapora ſuccum, & maneant margaritæ ſolutæ, quibus adde aquæ cinnamomi ℥. ß. ol. ejuſdem cinnamomi ℔. ß. Moſchum, & ambarum pulveriza, cum æquali portione ſacchari candi, eaque miſce margaritis, & his pulverem lapidis Cyanei, ligni aloës, & auri in pollinem læviſſimum, vel in liquorem ſine corroſivo ſolutum. Omnibus lento igne mixtis, fit Confectio elegantiſſima: pro ligno aloës ſantalum citrinum aſſumatur; hoc non præparamus alio modo, quòd ſit in minima doſi. Ambarum pariter, & Moſchus majorem non requirunt præparationem; ſunt enim à natura adeò exaltata, & naturæ accommodata, ut fruſtranea videatur futura eorum præparatio, etſi non negem in ipſis impuritatem adeſſe, eaque altiori gradu exaltari poſſe.

Confectio; ſeu Elect. de Gemmis Meſ.

℞. Margarit. albarum. Saphyri, Hyacinthi, Sardæ, an. ʒ. iij. Granat. Smaragd. an. ʒ. j. ß. Zedoariæ, doronici, cort. citrij, macis, ſem. ocymi caryophyll. an. ʒ. ij. Corall. rub. elect. limaturæ eboris, been albi, been rub. caryophyllorum, an. ℈. j. gingiberis, piperis longi, ſpicæ nardi, folii, croci, cardamomi, Trochiſc. diarhod. Ligni aloës, an. ʒ. v. cinnamomi, galangæ, zutumbeth, an. ʒ. j. ſ. fol. auri, argenti, an. ℈. ij. ß. Moſchi, ℈. ß. Ambræ, ʒ. ij. Confice cum mellis Emblicati, & mellis roſati colati an. q. ſ. vel etiam aqua ſaccharo roſ. ſoluto, ſi ſolidum facturus es.

Malis cordis, ventriculi, cerebri, jecinoris, & uteri frigidis auxiliatur. Item palpitationi cordis, defectioni animi, ac concoctioni. Triſtitiam denique citra cauſam ortam amovet. Doſis à ʒ. j. ad j. ß.

Chymica præparatio.

TOta hanc Confectionem præparandi difficultas in pretioſorum lapidum præparatione conſiſtit. Vulgata parandi methodus ſolâ trituratione ſuper porphyritem continetur, quam tanquam ineptam, & inutilem rejicimus. Quòd ſi chymicos labores rejiciant, addiſcant ſaltem modum ſolvendi eorum duritiem, & friabilem reddendi eorum conſiſtentiam, ut ita faciliùs à calore noſtro ſubigantur, & atterantur. Ejuſmodi præparationem docebimus paulò inferiùs, ne bis repetere eadem cogamur.

Confectio Hyacinthina.

℞. Hyacinthorum Orientalium, ʒ. j. ß. Smaragd. Saphyr. Topaz. Rubin. Margarit. non perforat. an. ℈. ij. Corall. rub. alb. ſpodii, raſuræ eboris, xyloaloës, an. ʒ. ß. oſſium de corde cervi, N. x. Serici crudi, cornu cervi uſti, aq. roſ. loti, Sem. portulacæ, Sem. coriandri præparati, ſem. acetoſæ, an. ℈. j. Santal. omnium, an. ʒ. j. Been albi, & rub. Cort. rad. dictami, Rad. torment. Terræ Lemniæ præp. Boli arm. lutei, roſarum rub. incomp. an. ℈. ij. Sem. Citrii rec. mundat. ℈. iv. Fol. auri N. xl. Ambræ griſeæ, Moſchi Or. an. ǧ. viii. Terantur omnia ſubtiliſſimè ſecundum artem, & cum ſaccharo albiſſimo; diſſoluto in ſ. q. ſucci citrii depurati, fiat Confectio ſolida, vel mollis. Doſis ʒ. j. Cor mirabiliter roborat, vires deperditas reparat, putredinem præſentem corrigit, & futuram præcavet, ob id in febribus peſtilentibus ſummum eſt præſidium.

Chymica præparatio.

FRagmenta gemmarum arduam & difficilem ſubeunt præparationem, ob eorum duritiem, quàm ut primò ſuperemus, dicta fragmenta aut in formam potabilem, aut ſaltem friabilem & mollem, ut à natura facilè excoquantur, reducenda ſunt. Trita enim ſolùm, etiam ſubtiliſſimè, minimè à natura ſubigi poſſunt, & quæ

vulgò

vulgò ſuper porphyritem lævigantur tantùm, non ſolùm nullius ſunt efficaciæ, ſed & non parum obſunt ventriculo. Hac de re conſulo, ut dicta fragmenta mollia & friabilia reddantur priùs; poſteà ſuper lapidem porphyritem in pollinem reducantur. Mollia verò duobus modis redduntur, primò per aquam fortem peculiarem, quâ viâ molleſcunt, & ex his novi lapides efformari poſſunt, quibus priſtinam duritiem reddit acetum; verùm quia corroſiva eſt nimis dicta aqua, in Medecina eorum uſus nullus eſſet. Altero modo, igniantur ter in crucibulo, & toties in aqua extinguantur, & hac viâ tenera, & friabilia reddentur. Apud Chymicos via ab his diverſa reperitur, quâ promittunt eorum reſolutionem fieri in Quintam eſſentiam, Oleum, Tincturam, Salem, &c. Quibus aſſentiri non poſſum, ubi maximè experientia contrarium demonſtrat; etenim neque cum ſulphure, neque cum nitro poſſunt calcinari, minùs per acetum ſolvi, reliquum cuilibet judicandum relinquo. Itaque cùm eorum ſolutio hucuſque non ſit nota, mollificatione illâ, quæ fit in aqua communi, contenti erimus, nec curamus quicquid alii proferant, ſpecioſis titulis ſuas præſcriptiones decorando. Rurſus arbitramur, eorum corpora à natura ſufficienter depurata, & omni fæculentâ materiâ eſſe libera; item eadem aſſumenda integra, citra aliam fucatam præparationem. Propterea ex vegetabilibus præcedentium, Extractum more ſolito parabimus, cui miſcebimus fragmenta modo dicto præparata, quibus Moſchum, & Ambram. *Uniones ſufficienter emolliuntur ſucco limonum, cujus acrimoniam removebimus ſolâ affuſione aquæ communis. Corallia quoque* vel aceto, vel *ſucco limonum liquantur*, uti ſuprà diximus. Ex Cornu Cervi ſalem facillimè paramus. Os cordis Cervi aceto pariter diſſolvitur: quantitas ejus non eſt tanta, ut ex eo ſalem parare poſſimus. Qui ſericum deſiderat, ipſum minutim forficibus incidat; & ſuper porphyritem cum fragmentis id ipſum terat. Fragmenta equidem, etſi artificio ſupradicto mollia, & friabilia reddantur, retinent tamen aliquam duritiem, quam ſub porphyrite lævigari, & inpollinem verti, ut faciliùs à calore noſtro ſubigantur, neceſſe eſt. Quod ad calcinationes eorum, ſciant nos eas attentâſſe pluries, & cum ſulphure, & cum ſale nitro, ſed id fruſtrâ: quâ in re demirari ſubii, cur tot homines docti in re tam manifeſtâ mentiri non erubeſcant.

SECTIO QUARTA.

(*a*) *De Opiatis, atque de Antidotis.*

Antidotus, & Antidotum, electuaria ſunt, ita dicta ab effectu, quaſi contra venena data. Opiata ab opio, quod eſt ferè omnium baſis. Incipiam à Theriacis, tanquam uſitatiſſimis; inuſitata alia brevitatis causâ omittens. Itaque Theriaca ſic habetur.

NOTÆ

in SECTIONEM IV.

(*a*) *De Opiatis.* Nepenthes aureum. ℞. Extracti opii unciam ſemis, croci drachmas duas, croci ſolis ſcrupulos duos, reſinæ ligni aloës, ambræ gryſeæ optimæ ana ſcrupulum unum, vid. *Pharmacop. Noribergenſis pag.* 186.

Laudanum opiatum noſtrum: Rec. opii ſoluti in aquâ ſimplici & lenius evaporati ad conſiſtentiam unciam unam cinnabaris nativæ præparatæ unciam unam ſemis, croci orientalis, extracti, papaveris rhœados, ana drachmas duas, eſſentiæ ambræ drachmam unam, olei cinnamomi guttas duodecim, miſce, fiat extractum.

Theriaca cœleſtis contractior inventione noſtra hæc eſt: Rec. extracti opii drachmas ſex, croci liquidi, ſtyracis ana drachmas tres, myrrhæ electæ & per ſolutionem depuratæ unciam ſemis, galbani, maſtiches, oppopanacis per ſolutionem depurat. Scrupulos duos, extracti caſtorei ſcrupulum unum, cardui benedicti, centaurei minoris, ſcordii, tormentillæ, contrajervæ, angelicæ ana unciam ſemis, vincetoxici, valerianæ, gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ ana drachmas tres, reſinæ ligni aloes, ladani, guajaci, ana drachmam unam, olei cinnamomi, zedoariæ, cardamomi, cubebarum, camphoræ, macis, caryophyllorum, juniperi, corticum citri ana guttas duodecim, balſami Peruviani, olei nucis moſchatæ expreſſi ana drachmas tres, bezoardici mineralis, cinnabaris nativæ præparatæ, ſuccini, pulveris viperarum ana unciam ſemis, ſalis ſuccini drachmam unam ſemis, ambræ gryſeæ ſcrupulum unum, ſalis cornucervi volatilis drachmam unam ſemis. Miſce fiat l. a. theriaca.

Semen daturæ eſt magnum ſoporiferum. Vidi ab ejus pulvere in largiori doſi dato furorem inductum, & mentis alienationem cum ridiculis geſtibus & actionibus.

Theriaca Andromachi Sen. ex Gal. primo de Antidotis.

℞. Trochiſ. Scilliric. ʒ. xlviij. Trochiſc. Viperarum, magmatis Hedychroi, Piperis longi, Opii, an. ʒ. xxiv. Roſarum rub. Iridis Illyr. Succi glycyrrhizæ, Sem. Napi ſylveſtris, Scordii, Opobalſami, Cinnamomi, Agarici, an. ʒ. xii. Myrrhæ, Coſti, Croci, Caſſiæ ligneæ veræ, Nardi Ind. Schœnant. Thuris, Piperis nigri, albi, dictammi Cretici, comarum Marrubii, Rhapontici, Stœchadis, Sem. Petroſelini, Calamint. mont. Terebinth. Zingiberis, Rad. quinque fol. an. ʒ. vj. Polii montani, Chamæpityos, Styracis calam. Meu. Amomi, Nardi Celticæ, Terræ Lamniæ, Phu, Chamædryos, Folii, Chalcitidis toſtæ, Gentianæ, Aniſi torrefacti, Succi Hypociſtidis, Carpobalſami, Gummi Arabici, Sem. Fœniculi, Cardamomi, Seſeli, Acaciæ, Thlaſpi, Hyperici, Ammi, Sagapeni, Acoti, an. ʒ. iv. Caſtorii, Ariſtolochiæ tenuis, Sem. Dauci Cretici, Pimpinellæ noſtræ, Bituminis Judaici, Opopanacis, Centaurii min. Galbani, an. ʒ. ii. Mellis deſpumati, ℔. xvi. ℥. vi. ʒ. ii. Vini optimi odorati, q. ſ.

Communis Theriacæ præparatio fit facili methodo, reducendo in pulverem ea, quæ facilè teri poſſunt, duriora primò contundentes, ut radices, cortices, ſemina, folia, flores; hinc trochiſcos, & terras cum Chalcitide, & reliqua. Opium ſolvitur cum vino, uti Caſtorium, ſuccus hypociſtidos, acacia, & Gummi; & hæc omnia melli deſpumato, & cocto in formam electuarii liquidi, miſcentur.

Hîc Bononiæ, ubi degimus, deſcriptionem paulò ab hac differentem ſequuntur Pharmacopolæ; ſed non tanti eſt, ut novam tradere neceſſe ſit, uti in ipſorum *Antidotario* videre eſt. Mellis quantitas eſt ℔. x. nec ſine ratione.

Por-

Portentoſa iſtius Antidoti deſcriptio cauſa eſt, cur Plinius in Medicos ſic inveheretur. *Fraudes hominum, & ingeniorum capturæ, officinas invenêre iſtas, in quibus ſua cuique, homini venalis promittitur vita. Statim compoſitiones, & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æſtimantur, ulcerique parvo Medicina à rubro mari importatur, cum remedia vera quotidiè pauperrimus quiſque cœnet.* Et reverà ſi ejus compoſitionem examinare velimus, pleraque inutilia, pugnantia, contraria, & diſſona reperiemus: hinc confuſionem meritò dicemus, non compoſitionem. Et primò, ſi viperarum caro adhibetur adverſus venenoſorum animalium ictus, ad quid Trochiſci de ſcilla, quæ licet vi inciſivâ, acri, & corroſivâ polleat, quâ cauſâ in cataplaſmate ſcribitur applicari viperarum ictibus, intrinſecùs conferre minimè creditur? His accedunt Trochiſci Hedychroi ex multis aromatibus. Ad hoc, farrago illa ex aſtringentibus, laxantibus, acribus, odoratis, fœtidis, dulcibus, amaris, narcoticis. Quis ex tanta multitudine non formam, aut temperamentum unum, ſed potiùs confuſionem reſultare credat? Mitto pleraque incerta, & incognita, ut Agallochum, carpobalſamum, balſamum ipſum, amomum, coſtum, Caſſiam ligneam. De Chalcitide uſta, lis adhuc eſt, an pro conciliando colore, an pro augenda, vel conſervanda virtute: Ut cunque ſit, adverſus ferarum ictus, imò adverſus intrinſecos morbos, nullum medicorum eam dediſſe unquam, certò videmus. Ratio idem docet: Vires, & facultates omnibus innoteſcunt: Præcipua facultas, cujus cauſâ in frequentem uſum venit, eſt narcotica; hac de re in colicis affectibus, in phreneticis, in aſthmaticis, & in omnibus doloribus fœliciter uſurpatur. Doſis præcipua à ℈. j. ad ʒ. j. ß. in formam boli uſurpatur. Galenus mira de ea decantat. Qui plura deſiderat, legat eum *primo de Antidotis, & ad Piſonem.*

Chymica Compoſitio.

QUi in rerum cognitione periti ſunt, præſentem compoſitionem duplici modo parare poſſunt: primò juxta formam à ſuperiori non diverſam, ſelecta ſeligentes, & inutilia reſcindentes, hunc in modum.

℞. Carnem viperarum præparatam in formam ſiccam, ut dicemus, Opii Thebaici ſpagyricè præp. Scordii, Dictamni, Pentaphylli, Gentianæ, Croci, Sem. Echii, Imperatoriæ, Piperis longi, Zingiberis, Myrrhæ, Maſtiches, Stœchados, an. ʒ. xij. Terræ Lemniæ, ℥. j. Triplo mellis albi cocti, & deſpumati, excipiantur, & fiat Antidotus.

Quercetanus aliam à ſe reformatam tradit, quam qui deſiderat, authorem conſulat.

Secundò in Extracti formam, è fæcibus oleum, & ſalem conficientes, & cum portione exigua mellis, vel ſacchari, totum commiſcentes, è quibus Antidotus.

Nos perfacilem methodum trademus, quâ Theriacam elegantiſſimam, & perfectiſſimam parare unuſquiſque poterit. Imprimis pro Trochiſcis de viperis, carnes eorum aſſatas aſſumat, ſeu potiùs lento igne exſiccatas in tigillo terreo vitreato, eas priùs irrorando cum tantillo aquæ vitæ. Ad hoc, viperæ à capite, cauda, cute, & intereaneis liberentur, & eas priùs aqua communi benè lotas in fruſtra incide, tunc tigillo terreo optimè vitreato, lento igne ipſas exſicca. Numerum dictarum quod attinet, 40. aut 50. ad minus deſiderantur: caro ejuſmodi viperarum ſit boni odoris, & ſaporis, & in tantum, ut cum ferculis eas ſæpè exhibuerimus ægris, tam in prandio, quam in cœna.

℞. Dictarum viperarum, ℥. iv. Terræ ſigillatæ, ℥. j. Salis fæcum extracti Ther. ℥. ß. Extracti lignorum, radicum herbarum, ſeminum & florum, cum aqua vitæ ſimplici facti, ℥. vj. Opii aquâ vitæ ſoluti, repurgati, & in formam mellis reducti, ℥. ij. Sacchari albi, ℔. j. Miſce. Fiat Antidotus, cujus ℈. j. ad ℈. ij. poteſt exhiberi, puerilis ℈. ß. ſufficit. Eâdem pollet facultate, imò in omnibus efficacior eſt quavis altera. Gummi, ſuccos, chalcitidem, & mel ab ea libenter removemus, ne aliorum vim obtundant, confuſionem pariant, & ingratam reddant.

Theriaca Diateſſaron.

℞. Gentianæ, Baccarum Lauri, Myrrhæ, Ariſtolochiæ rotund. an. ℥. ij. Mellis deſpumati, ℔. ij. Miſce, fiat Antidotus.

Mithridatium Andromachi.

℞. Glycyrrizæ ʒ. viij. ℈. ß. Opii, ʒ. iv. ℈. j. Folii, Nardi Celticæ, Sem. fœniculi, Gentianæ, Meu, Roſarum ſicc. Cardamomi, an. ʒ. iv. Caſtorii, Thuris, Myrrhæ, Succi Hypociſtidis, an. ʒ. vj. Polii, Coſti, Seſeli, Caſſiæ, an. ʒ. v. ℈. j. Nardi Indicæ, Scordii, Cyphi, Schœnanthi, Opopanacis, terebinth. an. ʒ. vj. ℈. j. Acori, Phu, Hyperici, Acacie, Gummi, Carpobalſami, Sagapeni, an. ʒ. ij. Croci, Cinnamomi, Zingiberis, an. ʒ. vij. ℈. j. Styracis, ʒ. v. ℈. ij. Daucis, ʒ. vj. ß. Petroſelini. ʒ. iv. ß. Piperis longi, ʒ. iij. ß. Aniſi, ʒ. iij. Thlaſpi, Opobalſami, an. ʒ. vj. ℈. ij. Galbani, ʒ. vij. Scinci, ʒ. ij. ℈. j. Vini optimi, Mellis deſpumati, an. q. ſ. Fiat Antidotus more Theriacæ. Doſis, ut theriacæ. Virtutes Theriacæ æquales, paulò fortè debiliores, quantum ad ferarum ictus. Mithridates maximus ſuâ ætate Regum, quem debellavit Pompejus, primus fuit inventor hujus antidoti, ex quo nomen ejus retinet.

Chymica præparatio.

MOdo à Theriaca non diverſo paratur iſthæc Antidotus. Ex omnibus fit extractum cum ſufficienti quantitate ſpiritus vini, cui loco mellis ſaccharum album ad juſtam doſim additur, Galbanum, Sagapenum, Opopanax ſolvatur priùs cum aceto: percolata excoquantur ad mellis craſſitiem, quibus Terebinthinam miſcebis, & his ſaccharum, & Extractum, & omnia ad lentiſſimum ignem. Ex fæcibus oleum elice per retortam, igne cinerum; hoc autem propter graveolentiam circulabis pluries cum aqua communi, quâ arte tetrum illum odorem removebis. Iterum ex fæcibus extracti olei ſalem elicies, quem extremò cum oleo miſcebis, & fiat antidotus. Doſis à g̃. x. ad ℈. j.

Theriaca Diateſſaron eâdem arte paratur: Cum ſpiritu vini fit Extractum, quod in pyxide vitrea aſſervatur; neque mel, neque ſaccharum additur, nam per ſe optimè ſervatur. Uſus

tam

tam Theriacæ, quàm Mithridatii, longè latèque extenditur, & maximè adverſus venena, contra ferarum, viperarum, aſpidum morſus, etiam adverſus venenatos, peſtiferoſque morbos: capitis doloribus ſuccurrit, ventris torminibus, lumbricis, aſthmaticis, antiquæ, & moleſtiſſimæ tuſſi, & côli doloribus medetur. Reliqua ſtudio brevitatis omitto.

Plures ſunt hujus nominis compoſitionis ſpecies, tam penes Dogmaticos, quàm penes Chymicos, quæ uſitatæ brevitatis causâ à nobis omittuntur. Quercetanus egregias proponit, quas cœleſtes appellat, & regias; nos ob incertam, nec ſatis probatam compoſitionem, eas pariter ſilentio præterire voluimus.

Philonium Romanum Meſ.

℞. Piperis albi, Sem. Hyoſcyami albi, an. ʒ. xx. Opii, ʒ. x. Croci, ʒ. v. Spicæ, pyrethri, Caſtorii, an. ʒ. j. Miſce cum mellis deſpumati quadruplo. Doſis à ʒ. ß. ad integram.

Chymica Præparatio.

PRæcipuus ſcopus in parandis remediis, ad ſeparationem puri ab impuro dirigitur, & quia tria rerum principia agnoſcit Spagyrica, iſthæc ſeparare ab omni terreſtreitate, ſuperfluâve materia primò aggreditur. Itaque in hoc medicamenti genere, ſicuti in aliis, ſalem volatilem cum tinctura cum proprio diſſolvente ſegregat; ſulphur poſtea, & ſalem fixum elicit; & omnia ſimul miſcens, conficit medicamentum nobiliſſimum, & præſtantiſſimum.

Opium aceto, vel ſucco aliquo acido ſolvitur à Quercetano, nos ſimplici aquâ vitæ contenti ſumus. Non negamus acetum, & liquores acidos ejus ferociam retundere poſſe, & ejus facultatem narcoticam promovere. Antequam ſolvatur, vult ipſum priùs in fruſtula exigua incidi, & in patina ferrea ordinatim diſponi, ut blando calore exhalet ejus ſulphur narcoticum, & fœtidum: quod nos experiri volentes, probavimus medicamentum ex eo confectum, minoris eſſe virtutis, & in ſedandis doloribus, eo quod non eſt uſtulatum, longè inferius eſſe; quâ de re ſuadeo, integrum, & tantum ſolutum, ac defæcatum per aquam vitæ, uſurpandum eſſe.

Ad hoc Opiatæ genus reducuntur ea, quæ dicuntur Laudana, de quibus variæ extant deſcriptiones. Nos confuſionem vitantes, ſimplicem hanc compoſitionem uſurpamus fœliciter.

Laudanum ſimplex.

℞. Opii depurati, defæcati, ut ſuprà diximus, ʒ. j. Croci Tincturæ, ʒ. ß. Moſchi, ℈. iij. Miſce, fiat compoſitum, de quo dentur ℥. iv. ad vij. & ix.

Laudanum magis compoſitum.

℞. Piperis longi, Myrrhæ, Galangæ, Caſtorii, an. ℥. ß. Croci, ʒ. ij. Opii, ℥. j. Cum ſpiritu vini, fiat extractum, de quo exhibeantur grana 3. 6. & 7. pro doſi. Uterinis doloribus mirificè ſuccurrit, aliis quoque doloribus medetur.

Poterii Opera.

Laudanum paracelſi.

℞. Opii Thebaici, ℥. iij. Succi Hyoſcyami, ſole inſpiſſati, ℥. j. Specierum Diambræ, & Diamoſchi, an. ℥. ij. Mumiæ ſelectæ, ℥. ß. Salis perlarum, Corallorum, an. ʒ. iij. Liquoris ſuccini albi per alcohol Vini extracti, an. ʒ. j. Lapis Bezoardici, Unicornu, an. ʒ. j. Moſchi, Ambræ, an. ℈. j. Fiat ſecundùm artem extractum.

Quercetanus ſpecioſas Laudani ſpecies nobis depingit; alii alias paulò ab his diverſas proponunt: Nos noſtra uſu, & experientiâ probata attulimus. Circa ſulphur narcoticum vitrioli, diximus nos extraxiſſe pluries ſubſtantiam quandam ſulphuream ex Antimonio crudo, vi narcoticâ, & vitriolicâ præditam, cujus duo vel tria grana exhibita ſomnum excitant, & multos dolores ſedant.

Laudanum noviſſimè repertum.

℞. *Seminis Daturæ*, ℥. j. Contunde groſſo modo, & infunde in ſ. q. ſpiritus vini. Evapora ad medietatem, & habebis ſoporiferum præſtantiſſimum, de quo cochlear unum pro doſi ſufficit in Phrenitide, & in omnibus doloribus. Tutiùs exhibetur, quàm quodvis opiatæ genus.

Requies Nicolai.

℞. Roſarum rubrarum, Violarum, an. ʒ. iij. Opii, Sem. Hyoſcyami albi, Sem. papav. albi, nigri, Corticis Mandragoræ, Sem. ſcariolæ, Sem. lactucæ, Sem. portulacæ, Sem. pſyllii, Nucis moſchatæ, Cinnamomi, Zingiberis, Sacchari, an. ʒ. j. ß. Santal. albi, rub. citrini, Spodii, Tragacanthæ, an. ℈. ij. g. v. Mellis deſpumati, q. ſ. In pulverem aſſervatur in officinis utplurimùm, in formam opiatæ in nonnullis locis. Doſis à ʒ. ß. ad ʒ. j.

Laudanum univerſale.

℞. Opii Chymicè præparati, ℥. ß. Antimonii Diaphoretici, ʒ. ij. Ambræ gryſeæ, Croci Orientalis, an. ʒ. ß. Moſchi, ℈. j. cum ſyrupo de Papavere, fiat maſſa. Doſis à g. vij. ad xij. In ardoribus ventriculi, atque in hemicrania certiſſimum remedium.

Alia.

℞. Aloës Chymicè præparatæ, ℥. ß. Myrrhæ, ʒ. ij. Croci, florum Antimonii, an. ʒ. j. Macis, Zingiberis, Galangæ, an. ʒ. ß. Cum ſpiritu vini fiat Extractum. Doſis g. iv. ad vij.

In doloribus arthriticis maximè conferre comperimus: doloribus colicis certiſſimè medetur, nephriticis quoque ac uterinis; vertigini mirificè ſuccurrit: in Phrenitide, & in ardentibus febribus, cum granis tribus lapidis bezoardici tutiſſimè exhibetur. Multa denique alia præſtat, quæ nonniſi uſu nobis innoteſcunt.

Hæc de Opiatis, & Antidotis: Reſtat unica compoſitio ſine opio, adverſus omnia venena, & adverſus omnes peſtilentes morbos.

Antidotus peſtilentialis.

℞. Rad. Imperatoriæ, Angelicæ, Carlinæ, Valerianæ, Vincetoxici, Anthoræ, Scorzoneræ,

 Biſtor-

Biſtortæ, Gentianæ, Tormentill. an. ℥. iv. Ex omnibus paretur Extractum, cum ſpiritu vini maceratione præmiſsâ ad 25. dies. Sub finem adde ſacchari ℔. ij. Coquantur in formam Antidoti, ſob finem coctionis adde florum fixorum Antimonii ℥. j. Præcipitati Mercurii cum auro ſine corroſivo, ℥. ß. Pulv. Anthoræ, Cinnamomi, Santal. albi, Ligni aloës, an. ʒ. ij. Magiſterii perlarum, Tincturæ corallorum, an. ʒ. j. Ambræ gryſeæ, ℈. j. Moſchi, ℈. ß. Aquæ cinnamomi, ℥. ß. Miſce, fiat Antidotus. Doſis ℥. ij. ad ʒ. iv.

SECTIO QUINTA.

(a) De Pilulis.

Pilulæ ad deglutiendum repertæ, partim ob earum amaritudinem; partim eo quòd hâc formâ diutius hæreant in ſtomacho, quàm in forma liquida; partim propter nonnullos, qui facilius ſolida deglutiunt, quàm liquida. In his tradendis inſtituti rationem ſervabo, communia, uſitata, & utiliora proponam, cætera conſultò omittam.

NOTÆ

in SECTIONEM V.

(a) *De Pilulis.* Panacæa ſolaris ſive *Wildganſii* Rec. Opii. l. a. acido correcti & depurati uncias duas, corallioꝛum rubrorum præparatorum, croci, trochiſcorum de viperis, myrrhæ electæ, aloës ſuccotrinæ ana drachmas duas, auri drachmam unam in aqua regis ſoluti & abſtractione depurati, olei caryophyllorum guttas viginti fiant, l. a. pilulæ ex drachma una nonaginta, obducantur auro. Notabile eſt, has pilulas præter virtutem anodynam, etiam leniter diaphoreticam poſſidere, propter aloën mixtam cum opio: Purgantia enim cum anodynis mixta evadunt diaphoretica.

Pilulæ *Matthiæ* ſive *Starkianæ* ſequenti modo parantur: Primò conficitur ex opio crudo extractum hac ratione: Opium in fruſtula diſſectum decoquitur in aqua, decoctio filtratur & inſpiſſatur leni calore, cavendo empyreuma, deinde recipe hujus extracti unciam ſemis, ſpiritûs terebinthinæ cum ſale tartari diligenti tritura in ſaponiformem ſubſtantiam mutati drachmam unam, extracti hellebori nigri drachmas duas, extracti glycyrrhizæ drachmas tres. Hæc omnia in mortario calido invicem miſce accuratiſſimè, ſic præparatum eſt illud extractum, quod mire commendatur à *Starke* medico Anglo ceu panacæa in omnibus morbis. Modus operandi videtur eſſe talis: Opium eſt præſtantiſſima medicina in morbis calidis, ſpaſmodicis, & ubi ſpirituum inordinatus ac effrenis eſt motus, illum compeſcendo; quoniam autem opium ſulphure ſuo narcotico excretiones tam ſudoris, quam urinæ & alvi ſiſtere ſolet, hinc correctione opus habet, quare *Author* immiſcet extractum hellebori nigri, quod purgans & reſolvens eſt, item ſpiritum terebinthinæ & ſal tartari, quæ diuretica & ſudorifera, extractum glyzirrhyzæ ad expectorationem, ut hac ratione incommoda illa, quæ poſt uſum opii ſequi ſolent, avertantur, & opium horum mixtura tutiſſimum medicamentum evadat. Doſis ſunt grana duo ad quinque in pilulis vel etiam in pulvere.

Pilulæ hypochondriacæ. Rec. gummi ammoniaci, myrrhæ electæ, extracti panchymagogi *Crollii*, ana drachmam ſemis, vitrioli martis, diagrydii ſulphurati ana grana decem, croci, ſalis ſuccini ana grana quatuor, cum eſſentia ſuccini vel caſtorei, fiant pilulæ ex ſcrupulo uno numero viginti.

Pilulæ in cachexia humorum: Rec. extracti aloës optimæ drachmam ſemis, ſalis ſuccini, trochiſcorum alhandal ana grana ſex, limaturæ martis grana duodecim, M. f. l. a. pilulæ ex ſcrupulo uno numero viginti.

Pilulæ antifebriles, aperientes & laxantes: Rec. extracti centaurei minoris, gentianæ, ana ſcrupulum unum, trochiſcorum alhandal, mercurii dulcis, reſinæ gialapæ, ſalis digeſtivi Sylvii ana grana octo, olei caryophyllorum guttas quatuor, M. f. l. a. cum elix. PP. pilulæ.

Pilulæ cephalicæ. Rec. gummi ammoniaci, extracti panchymagogi Crollii, trochiſcorum alhandal ana grana duodecim, extracti ligni aloës, cinnabaris nativæ præparatæ, ſalis ſuccini ana grana quinque, moſchi grana duo, olei lavendulæ guttas tres, M. f. l. a. pilulæ numero XLVI.

Pilulæ anthelminticæ. Rec. Extracti aloës drachmam unam, mercurii dulcis grana quindecim, camphoræ grana tria, ſpiritus vitrioli guttas ſex. Miſc. f. pilulæ ex ſcrupulo uno numero viginti.

Pilulæ emeticæ purgantes. Rec. Extracti panchymagogi *Crollii*, ſcrupulum unum, reſinæ gialappæ, tartari emetici ana grana duo, ſalis ſuccini grana tria cum elix. PP. f. pilulæ numero triginta.

Pilulæ contra gonorrhœam: Rec. Terebinthinæ unciam unum, balſami peruviani, copayvæ ana drachmam unam, pulveris conſolidæ drachmas duas, ſucci liquiritiæ unciam ſemis, reſinæ guajaci, extracti rhei, oculcancrorum ana drachmas tres, mercurii dulcis drachmam unam ſemis, nitri vitrioli drachmas duas, ſuccini drachmas tres, olei guajaci, ſaſſafras q. ſ. M. f. l. a. pilulæ ex ſcrupulo uno numero quatuordecim.

Pilulæ antifebriles: Rec. Chinæ pulv. drachmas tres, fiant cum mucilagine tragacanthæ pilulæ ex ſcrupulo uno numero triginta.

Aliæ: Rec. Extracti centaurei minoris drachmas tres, chinæ chinæ drachmas duas, florum ſalis ammoniaci drachmam ſemis. M. f. pilulæ ex ſcrupulo uno numero viginti.

Pilulæ antivenereæ: Rec. Extracti liquiritiæ drachmam unam, mercurii præcipitati albi cum foliis auri mixti ſcrupulum unum, theriacæ cœleſtis grana tria. M. f. pilulæ.

Circa pilulas illarumque præparationem tenenda ſequentia ſunt: Salia alkalia tam fixa quam volatilia & quæcunque in aëre facile patiuntur deliquium, non benè ingrediuntur pilulas, præſertim in majore doſi.

Maſſa pilularum ſi nimis dura & ſtabilis eſt, facile in mortario calido additis guttulis aliquot ſyrupi vel elixirii emolliri poteſt; nunquam tamen certa quantitas affundendi ſpiritus in contundendis & ſubigendis ſpeciebus pro pilularum maſſa poteſt determinari, ſed inter laborandum hoc demum manus artificis deprehendere poteſt.

Maſſa, quæ ſalia habet admixta, ſemper erit humida, adeoque idipſum præcavendum, reponendo eandem pulvere copioſo maſtiches inſperſam in ſcarulam idoneam.

Amara, fœtida & quæ nauſeam creant, percommodè includuntur pilulis.

Reſinæ purgantes in oleo vel vitello ovorum ſolvi debent, priuſquam maſſæ addantur.

Cum mucilagine tragacanthæ ſubigi etiam poteſt diagrydium & aloë, deinde addi poſſunt pulveres, idem poteſt fieri cum ſyrupis.

Pilulæ aureæ Nicol.

℞. Aloës ſuccot. Scammonii præparati, an. ʒ. v. Roſarum rub. Sem. apii. an. ʒ. ij. ß. Sem. fœniculi, Aniſi, an. ʒ. j. ß. Maſtiches, Croci, Pulpæ Colocynt. an. ʒ. j. In officinis cum melle roſato compingitur maſſa, & melius quàm cum Tragacantha in aqua fœniculi macerata. Nonnulli cum ſyrupo, aut melle roſato, addunt parum ſucci fœniculi; parum tamen intereſt. Baſis eſt Scammonium, & Colocynt. Præparatio Chymica eadem erit cum cæteris, ideò ne eandem repetere cantilenam

nam cogamur, in fine aliquid dicemus; interea de Cochiis.

Pilulæ Cochiæ Raſis.

Rec. Specierum Hieræ ſimpl. drach. x. Pulpæ Colocynthidis, drach. iij. ſcrup. j. Scammonii præparati, ℥. ij. ſemis. Turbith, Stœchadis, an. drach. v. Vini albi quantum ſufficit, fiat maſſa. Doſis à drach. ſemis ad drach. j. & ſcrup. iv.

Validiores ſunt aureis: aureæ plus bilis, iſtæ plus pituitæ è capite educunt.

Pilulæ Aggregativæ Meſ.

Rec. Myrobalanorum flav. Rhabarbari, an. unc. ſemis. Succi Eupatorii, Abſinthii, an. drach. iij. Scammonii præparati, drach. vj. Myrobal. Chebul. Indarum, Agarici, Colocynth. an. drach. ij. Turbith, Aloës, an. drach. vj. Maſtiches, Roſarum rub. Salis gemmæ, Epithymi, Aſini, Zingiberis, an. drach. j. Cum Elect. roſati Meſuës, quantum ſufficit, fiat maſſa. Doſis à drach. j. & ij. Valent ad diuturnas febres, & vitia capitis, ventriculi, & jecoris: humores item bilioſos, & pituitoſos educunt.

Pilulæ ſine quibus N.

Rec. Aloës lotæ, drach. xiv. Myrobal. flavarum, Chebul. Indarum, Belleric. Emblicar. Rhabar. Maſtiches, Abſinth. Roſarum, Violarum, Senæ, Agaricæ, Cuſcutæ, an. drach. j. Scammonii præp. unc. vj. ſemis. Cum ſucco fœniculi ſolve Scammonium, & compinge maſſam. Doſis à ſcrup. ij. ad drach. j. Mirificè pituitam, bilem, & humorem melancholicum purgant, & ad ſuffuſionem oculorum, & claritatem conducunt. Viſum conſervantes, animi dolorem ſanant, & bilioſis conferunt.

Pilul. Lucis Majores.

♃. Roſarum, Violarum, Abſinthii, Colocynthidis, Turbith, Cubebarum, Calami aromat. Nucis Moſc. Spic. Ind. Epithym. Carpobalſ. Xylobalſ. ſem. Seſeleos, Rutæ, Schœnant. Maſtiches, Rad. Aſari, Caryophyllorum, Cinnamomi, Aniſi, Fœnic. Apii, Caſſiæ ligneæ, Croci, Macis, an. ʒ. ij. Myrobal. Citria Chebul. Ind. Beller. Emblic. Rhabarb. an. ℥. ß. Agarici, Senæ, an. ℥. v. Euphraſiæ, ʒ. vj. Aloës ſuccot. ℥. xj. ʒ. ij. Succi fœniculi, quantum ſufficit, fiat maſſa.

Aloë ſolvitur cum ſucco fœniculi depurat. & clarific. quibus ſenſim miſcentur pulv. Nonnulli coquunt in ſucco fœniculi mel, & ex eo melle formant maſſam. Doſis à ℈. ij. ad ℈. iv.

Pil. Lucis min. Meſ.

♃. Xylobalſami, Carpobalſ. an. ʒ. j. Rad. Chelidoniæ, ʒ. v. Roſarum, Violarum, Abſinthii, Euphraſ. an. ʒ. iij. Senæ, Epithymi, Myrobal. flav. Chebul. Indarum, Belleric. Emblic. Agaric. Colocynt. Schœnant. Licii, lapidis Lazuli, an. ʒ. ii. ß. Aloës lotæ, ℥. vj. Succi fœnic. aur. Cheledoniæ, quantum ſufficit, fiat maſſa. Excrementa capitis pituitoſa educunt, viſumque roborant: atram tamen bilem magis evacuant.

Pil. fœtid. maj. Meſ.

♃. Sagapeni, Ammoniaci, Opopanacis, Bdelli, Colocynthid. Rutæ agreſtis, Aloës, Epithym. an. ʒ. v. Hermodact. Eſulæ, an. ʒ. ij. Scammonii præparati, ʒ. iij. Turbith, ℥. ß. Cinnamomi, Nardi Indicæ, Croci, Caſtorei, an. ʒ. j. Zingiberis, ʒ. i. ß. Euphorbii, ℈. ij. Diſſolvantur lachrymæ in ſucco porri, & fiat maſſa. Doſis à ℈. ij. ad ʒ. j. Vacuant pituitam craſſam crudam; ob id conferunt affectibus inde natis, Arthritidi, Podagræ, Gonagræ, dolori ſpinæ, & illarum juncturarum, ventriculi, colico, alphis, Elephantiæ, aliiſque cutis vitiis.

Pil. fœtid. min Meſ.

♃. Sagapeni, Ammoniaci, Opopanacis, Bdelli, Myrrhæ an. ʒ. v. Turbith, ʒ. x. Colocynthid. ʒ. vj. Fiant ut priores. Ad idem pollent.

Pil. Maſtichinæ.

♃. Maſtiches, ʒ. iv. Aloës electæ, ʒ. x. Agarici elect. ʒ. iij. Cum ſyrup. roſ. fiat maſſa. Doſis ad ʒ. j. ß.

Pilul. Arthriticæ N. *Sal.*

♃. Hermodactylorum, Turbith, Agarici, Caſſiæ ligneæ, Spicæ nardi, Caryophyllorum, Xylobalſami, Carpobalſami, Zingiberis, Maſtiches, Fœniculi, Aniſi, Saxifrag. Sem. Aſparagi, Sem. Ruſci, Roſarum, Milii ſolis, Salis Gemmæ, an. ʒ. ß. Aloës optimæ, ad pondus omnium. Succi fœniculi quantum ſufficit. Fiat maſſa. Doſis ʒ. ad ʒ. j. ß.

Pilul. de tribus.

♃. Rhabarbari, Agarici, Aloës lotæ, an. ʒ. ij. ß. Syrup. roſ. ſol. quant. ſuff. Fiat maſſa. Doſis à ʒ. j. ad ʒ. ij. Educunt humores bilioſos, & ſubtiles.

Pilul. de Agarico, Meſ.

♃. Agaric. ʒ. iij. Rad. Ireos, praſſii, Turbith, an. ʒ. j. Hieræ, Picræ, ʒ. v. Colocynt. Sarcocollæ, Myrrhæ, an. ʒ. ij. Miſce cum ſapa. Auxiliantur aſthmaticis, & aliis Thoracis vitiis à craſſis, & pituitoſis humoribus. Dantur à ʒ. j. ad ℈. v.

Pilul. Hieræ ſimplicis, Gal.

♃. Aloës ʒ. j. Cinnamomi, Xylobalſami, Aſari, Spicæ Indicæ, Croci, Maſtiches, an. ʒ. iij. Mellis roſati, q. ſ. Fiat maſſa. Doſis ʒ. j. ad ʒ. ij. adverſus vitia ventriculi ex humoribus bilioſis, & pituitoſis nata proſunt.

Pilul de Hiera cum Agarico.

♃. Specierum Hieræ ſimpl. Gal. Agarici trochiſc. an. ʒ. iv. Mellis roſat. q. ſ. Fiat maſſa. Doſis eadem.

Pilul Ruffi, ſeu Peſtilent.

♃. Aloës, Ammoniaci, an. ℥. i. Myrrhæ, ℥. ß. Cum ſucco limonum fiat maſſa.

Pilul. Raffi, ſeu Peſtil Almanſ.

♃. Aloës, ℥. j. Myrrhæ, ʒ. ß. Croci, ʒ. ij. Cum ſyrup. roſ. fiat maſſa.

Chymica Præparatio.

ARs rectè parandi medicamenta non in alio conſiſtit, quàm in ſeparatione puri ab impuro, in coctione crudi, & in exaltatione virtutis uniuſcujuſque medicamenti; cui ſi accedat artificium quo gratiora redduntur ægris ſingula, puto omnem artem abſolvi poſſe. Pilulæ utplurimùm ex amaris, fœtidis, palatoque ingratiſſimis parantur; hac de re, ut ejuſmodi medicamenta certiùs, & commodiùs ingerantur intus, in formam pilularum compinguntur, nam ſic deglutiuntur faciliùs citra palati moleſtiam. Methodus quâ parantur, non eſt diverſa ab ea, quam toties decantavimus, ideò ne eandem repetamus cantilenam, dicimus, Pilulas parandas eſſe eo modo, quo diximus de Extractis. Varia adhæc poſſunt requiri diſſolventia ſeu media, quibus extracta fieri poſſunt. In nonnullis ſpiritus vini, in aliis aquæ ſtillatitiæ, in aliis decoctiones, hydromelita, vina, ſucci, & ſimilia requiruntur. Ex fæcibus oleum parabitur, ex gummis per retortam, ex aromatis per veſicam cum ſuo refrigeratorio. Tandem ex combuſtis fæcibus ſalem conficiemus, & hæc ſimul mixta, medicamenta edent innoxia, defæcatiſſima, & ab omni pravâ qualitate libera.

Pilul. de Cynogloſſa Nicol.

℞. Radicis Cynogloſſæ, Opii, Sem. Hyoſcyami, an. ℥. ß. Myrrhæ, ʒ. vj. thuris ʒ. v. Caryophillorum, Cinnamomi, Styracis, calamitæ, an. ʒ. ij. Aquæ roſaceæ, q. ſ. Fiat maſſa. Doſis à gr. vij. ad xij. & xv.

Pilul. Laudinæ.

℞. Opii Chymicè præpar. ʒ. j. Extracti Croci, ℥. ß. Moſchi, gr. xij. Cum vino fiat maſſa.

Pilul. Laudinæ Comp.

℞. Opii Chymicè parati, ʒ. j. Eſſentiæ croci, ʒ. ß. Magiſt. perlarum, Antimonii Diaphoretici, an. ℥. ß. Ambræ griſeæ, Moſchi, an. ℈. j. Cum ſyrupo de Papavere fiat maſſa. Doſis à gr. iv. ad gr. vij.

Pilul. Laudinæ Hyſtericæ.

℞. Florum ſtanni, Florum ſtibii, an. ℈. j. Succini, Caſtorei, Mumiæ, an. ʒ. ß. Opii præparati ℈. iv. Zingib. Macis, Galangæ, an. ʒ. j. Cum ſyrupo de Papav. fiat maſſa. A gr. xij. ad xv. dantur, in uterinis doloribus, quos mirificè ſedant.

Pilulæ Catholicæ.

℞. Aloës Succotrinæ, ℥. ß. Myrrhæ, ʒ. ij. Maſtiches, ʒ. j. Croci Oriental. ʒ. ß. Magneſiæ Saturninæ meteorizat. ʒ. j. Cum ſyrupo roſat. ſol. fiat maſſa. Doſis à gr. xv. ad xxiv.

In omni morbo intemperantiæ feliciter exhibentur. Colicis doloribus medentur, Aſthmaticis mirificè ſuccurrunt. Hemicraniæ, vertigini, Epilepſiæ ſummoperè conferunt. Arthritidem ſæpiſſimè ſedare obſervavimus.

Pilulæ Polycreſtæ deſcript. Nicol.

℞. Maſtiches, drach. ij. Macis, Galangæ an. drach. j. Aloës ſuccot. drach. ſemis, Croci Orient. ℈. j. Mumiæ mineralis, ℈. iv. Cum ſyrupo roſat. ſolut. fiat maſſa. Doſis à ℈. ij. ad drach. j. Uſus ejuſmodi pilularum requirit Medicum exercitatiſſimum, propter ſympathiam Mumiæ mineralis.

Pilul. Balſami ſulphuris.

℞. Balſami Sulphuris cum ſpiritu Terebint. fact. ℥. j. Fl. ſulphuris, Pulv. liquirit. Sacchari candi, an. drach. ij. Doſis à drach. ſemis ad drach. j. In pthiſi tutiſſimè exhibentur, & maxima utilitate.

Pilul. Cephalicæ primæ.

℞. Aloës ſuccot. drach. ij. Scammonii Chymicè præpar. Trochiſc. Alhandal, an. drach. j. Cum ſyrupo roſ. ſol. Fiat maſſa. Doſis à ſcrup. j. ad ſcrup. ij.

Pilul. Cephal. ſecundæ.

℞. Agarici trochiſ. drach. j. Aloës ſuccot. ℥. ſemis. Scammonii Chymicè præpar. drach. ſemis. Sennæ Orient. drach. ij. Magneſiæ ſaturninæ ſemel coctæ in Balneo Salis Balſamici, drach. iij. Cum ſyrup. roſ. ſol. Fiat maſſa. Doſis à ſcrup. ij. ad drach. j.

Pilul. ſtomachicæ D. N.

℞. Extracti Zingiberis, ℥. ſemis. Aloës ſuccot. ℥. j. Maſtiches, drach. j. Macis, Galangæ, an. drach. ſemis. Magneſiæ ſaturninæ, ſemel coctæ in Balneo ſalis Balſamici, drach. ij. cum Syrupo abſinthii fiat maſſa. Doſis à drach. j. ad ij.

Pilul. martiales D. N. P.

℞. Aloës ſuccot. ℥. j. Myrrhæ, Galbani, Ammoniaci, Opopanacis, Sagapeni, an. drach. iij. Croci martis, drach. j. ß. Fol. Sennæ, drach. v. Aniſi, Cinnamomi, Macis, an. drach. j. Cum ſyrupi de Arthemiſia q. ſ. fiat maſſa. Doſis ad ſcrup. ij. ad drach. j.

Pil. mart. ſec. adſtring.

℞. Succini, Maſtiches, an. drach. ij. Corall. præpar. Lapid. hæmatit. Sanguinis draconis, an. drach. j. Rad. Tormentill. Flor. verbaſci, Sem. Hypericonis, an. drach. j. ſs. Croci Martis ℥. j. Cum ſyrupo mirtino fiat maſſa. Doſis drach. ſemis & ſcrup. ij.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

(*a*) *De Trochiſcis.*

TRochiſcus à trocho, quaſi parva rota. Paſtillus alio modo. Variis quoque ex rebus componuntur. Eorum uſus hodie non eſt admodum frequens, quâ de re paucis pauca complectar.

NOTÆ in SECTIONEM VI.

(*a*) *De Trochiſcis.* Trochiſci de Rhabarbaro. Rec. Rhabarbari drachmas duas, aquæ endiviæ uncias duas, ſolve & coque leniter, adde ſacchari uncias duas. M. f. trochiſci.

Trochiſci de Vipera.

♃. Carnis Viperinæ cum anetho, ſale, & aqua coct. ℥. viij. Panis tritici puriſſimi triti, & cribrati, ℥. ij. Formentur trochiſci, & inungantur Opobalſamo, aut oleo nucis moſchatæ.

Trochiſci ſcylliti.

♃. Mari, aſari, Majoranæ, Aſpalathi, an. drach. ij. Schœnant. Calam. aromat. Phu, Xylobalſam. Opobalſami, cinnamomi, Coſti, an. drach. iij. Myrrhæ, Folii, Nardi Ind. Croci, Caſſiæ, an. drach. vj. Amomi, drach. xij. Maſtiches, drach. j. Vini quantum ſufficit. Fiant trochiſci.

Trochiſci Galliæ moſchat.

♃. Ligni aloës, drach. v. Ambræ, drach. iij. Moſchi, drach. j. Mucilaginis Tragacanthæ, cum aqua roſarum extract. q. ſ. fiant Trochiſci parvi.

Trochiſci de Myrrha.

♃. Myrrhæ, drach. iij. Lupinorum, drach. v. Fol. rutæ, Mentaſtri, Pulegii, Cymini, Rubiæ, Aſſæ fœtidæ, Sagapeni, Opopanacis, an. drach. ij. Diſſolvantur Gummi cum aceto, formenturque trochiſci cum ſucco abſinthii.

Trochiſci Aliptæ Moſchatæ.

♃. Ladani, ℥. iij. Styracis, ℥. j. ſemis. Styracis rubræ, ℥. j. Ligni Aloës, ℥. ij. Ambræ, drach. j. Camphoræ, ſcrup. j. ſemis. Moſchi, ſcrup. ſemis. Aquæ roſarum, q. ſ. Formentur trochiſci ſecundùm artem.

Trochiſci de Agarico.

Rec. Agarici, ℥. iij. Salis gemmæ, ℥. j. Cum Oxymelite fiant Trochiſci. Alii cum vino, in quo ſteterit per noctem Zingiber ſolitarium, Agaricum in Trochiſcos efformant.

Trochiſci Alhandal.

Rec. Pulpæ Colocynthidos, drach. x. Incidatur minutiſſimè, & fricetur cum ol. roſ. ℥. j. deinde ſume Tragacanthæ, Gummi Arab. Bdellii, an. drach. vj. Macerentur hæc in aqua roſ. per dies 4. donec liquefiant, & diſſolvantur. Demùm cum parte reſolutarum lachrymarum, formentur ex prædictis trochiſci, qui ſiccentur, & cum ſiccati fuerint, contundantur minutiſſimè, & rurſum formentur trochiſci cum reliquo diluto lachrymarum, atque reponantur.

Trochiſci Bechici albi.

Rec. Sacchari albiſſimi, ℔. j. Sacchari Candi opt. Sacchari penidii, an. ℥. iv. Ireos, ℥. j. drach. vij. Amyli, ʒ. j. ſemis. Mucilaginis Tragacanthæ, cum aqua roſ. factæ q. ſ. formentur trochiſci parvi.

Trochiſci alii Bechici.

Rec. Sacchari albi, ℔. j. Amyli, ℥. iv. Moſchi, ſcrup. j. Mucilag. Tragacanth. cum aqua roſ. fact. fiant Trochiſci.

SECTIO SEPTIMA.

(*a*) *De Pulveribus.*

PUlveres omni ferè carent artificio; fiunt enim ex ſiccis, quæ in mortariolo attrita, per cribrum vel ſpiſſum, vel clarum trajiciuntur. Fiunt ex variis rebus, purgantibus, & alterantibus. Antidotorum Pulveres in pyxide vitrea ſærè aſſervantur, ex quibus electuaria liquida, & ſolida: hos brevitatis causâ omittimus, cum aliis ſine arte factis.

NOTÆ in SECTIONEM VII.

(*a*) *De Pulveribus.* Pulvis purgans pro homine ætatis conſiſtentis: Rec. gialappii reſinoſi grana quindecim, reſinæ gialappæ grana tria, tartari vitriolati grana octo, olei macis guttam unam. Miſce, fiat pulvis.

Pulvis in hæmorrhagiis narium, uteri &c. Rec. Rhabarbari Alexandrini grana duodecim, diagrydii ſulphurati grana duo, tartari tartariſati grana octo, olei corticum citri recentis guttam unam. M. f. pulvis.

Pulvis antidyſentericus. Rec. Rhabarbari Alexandrini ſcrupulum unum, cornucervi uſti grana decem; nucis moſchatæ grana tria. M. f. pulvis.

Pulvis emeticus. Rec. Tartari emetici grana tria, ſalis abſinthii, tartari vitriolati ana grana quatuor. M. f. pulvis.

Pulvis ſudoriferus antifebrilis. Rec. Cornucervi uſti, antimonii diaphoretici, concharum præparatarum ana drachmas duas, ſalis abſynthii, arcani duplicati ana

 drachmam

drachmam unam ſemis, laudani opiati grana tria, olei caryophyllorum guttas quatuor. M. f. pulvis.

Pulvis ſtypticus. Rec. Radicis tormentillæ, biſtortæ, hæmatitis, terræ ſigillatæ, unicornu foſſilis, ſuccini præparati, ſanguinis draconis, ana drachmam unam, camphoræ grana decem, laudani opiati grana quatuor, vel loco hujus ſeminis hyoſcyami ſcrupulos duos. M. f. pulvis.

Pulvis antifebrilis. Rec. Coralliorum uſtorum drachmam unam, nitri fixi drachmam ſemis, mercurii dulcis grana quindecim, laudani opiati grana duo, olei caryophyllorum guttas tres. M. f. pulvis. Doſis drachma ſemis in tertianis autumnalibus contumacioribus egregium uſum habet; Poteſt etiam addi regulus antimonii medicinalis.

Pulvis antipilepticus. Rec. Secundinæ humanæ præparatæ, lumbricorum terreſtrium, carbonum tiliæ, radicis pœoniæ, viſci querni ana drachmam unam, cinnabaris nativæ præparatæ, ungulæ alcis, raſuræ cranii humani ana ſcrupulos duos, ſeminis pœoniæ drachmas duas, extracti viſci querni ſcrupulum unum, caſtorei, croci, ana grana quinque, moſchi grana quindecim. M. f. pulvis.

Pulvis alexipharmacus. Rec. Antimonii diaphoretici vel ceruſſæ antimonii, lapidum cancrorum, matris perlarum ana drachmas duas, nitri præparati drachmam unam, camphoræ grana duodecim, theriacæ cœleſtis grana octo, M. f. pulvis, doſis drachma ſemis.

Pulvis abſorbens & temperans. Rec. Martis perlarum, lapidum cancrorum, ana drachmam unam, nitri præparati drachmam ſemis, olei cardamomi guttam unam, M. f. pulvis, addito momento laudani opiati fit pulvis anodynus.

Sal polychreſtum. Rec. Solutionis lapidum cancrorum, terræ foliatæ tartari, arcani duplicati ana drachmas duas. M. Doſis ſcrupulus unus.

Pulvis pectoralis & catarrhalis. Rec. Lapidum cancrorum, boli Armenæ, ana drachmam unam, myrrhæ electæ, florum ſulphuris, pulveris glyzirrhizæ ana ſcrupulos duos, croci grana duodecim, olei aniſi, nuciſtæ, ana guttas quatuor, ſacchari candi uncias duas. Poteſt aſſumi ſine vehiculo.

Pulvis bezoardicus. Rec. Radicis contrajervæ, ſcorzoneræ, ana drachmas duas, unicornu veri, lapidum cancrorum, mandibularum lucii piſcis, cornucervi ſine igne, pulveris viperarum, ceruſſæ antimonii, matris perlarum, ana drachmas tres, lapidis bezoardici orientalis vel occidentalis, ſuccini præparati ana drachmam unam, olei corticum citri recentis guttas ſex, cum gelatina cornucervi formentur globuli. Poteſt pro re natâ miſceri cum nitro cryſtalliſato, cinnabari, camphora, theriaca cœleſti, &c.

Pulvis antidyſentericus. Rec. Prædicti pulveris bezoardici drachmas duas, hæmathitis præparati drachmam unam, nitri præparati drachmam ſemis, theriacæ cœleſtis grana quatuor, M. f. pulvis.

Pulvis ſummæ efficaciæ. Rec. Mercurii præparati albi optime edulcorati, foliorum auri ana drachmam unam, cinnabaris antimonii puriſſimi, reguli antimonii medicinalis ana drachmas duas, accuratiſſimè trituque ſufficienti hæc miſceantur in mortario vitreo, addita pauca quantitate ſpiritus vini rectificatiſſimi, doſis eſt ſcrupulus ſemis. Morbos contumaciſſimos expulſat prudenter exhibitus.

Pulvis antihypochondriacus. Rec. Limaturæ martis drachmas duas, arcani duplicati ſcrupulos duos, olei menthæ deſtillati guttas ſex. M. f. pulvis, doſis eſt drachma ſemis. In obſtructionibus primarum viarum, cachexia, hydrope, tumore ventris incipiente, item adverſus ſterilitatem, menſium obſtructionem, icterum, aſthma hypochondriacum, convenit.

Pulvis ad caput. Rec. Herbæ baſilici, majoranæ, betonicæ, ana manipulum unum, florum anthos, lavendulæ, ana pugillos duos, benzoës, ſtoracis, ſuccini ana drachmam unam ſemis, olei majoranæ guttas octo, ligni rhodii guttas decem, poteſt addi euphorbium, opium, camphora, ſal volatile ammoniaci, &c. Uſus in affectibus capitis ejuſque doloribus, vertigine, hemicrania, epilepſia, affectibus oculorum, aurium &c.

Pulvis præſervans à calculo. Rec. Lapidum cancrorum unciam ſemis, ſeminis milii ſolis, petroſelini, ſaxifragiæ, napi, geniſtæ violarum ana drachmas duas, pulveris glyzirrhizæ, baccarum alkekengi, juniperi, aniſi ana drachmam unam, M. f. pulvis.

Pulvis diureticus in urinæ ſuppreſſione. Rec. Coralliorum uſtorum drachmam unam, ſalis ſuccini ſcrupulum unum, M. f. pulvis.

Styli dentifricii. Rec. Coralliorum rubrorum drachmas tres, pumicis uſti drachmas duas, maſtiches, terræ catechu ana ſcrupulos duos, tartari vitriolati, aluminis uſti ana ſcrupulum unum, iridis florentinæ drachmas duas, olei ligni rhodii guttas decem, moſchi grana quinque. Cum mucilagine tragacanthæ, f. bacilli.

Pulvis ſuaveolens. Rec. Maſtiches optimi, ſtoracis calamitæ, benzoës, ſuccini ana drachmas duas, florum roſarum rubr. lavendulæ, anthos, ana pugillum unum, olei ligni rhodii guttam unam, moſchi granum unum. M. f. pulvis.

Pulveres medicamentoſos non ingrediantur ſpecies diffuſæ molis, uti ſunt herbæ & vegetabilia omnia, quæ pulveres diffuſos efficiunt, ſi prodeſſe velint. 2. Non ingrediantur ipſos copioſæ ſpecies, quod culpandum in veterum ſpeciebus, ubi farraginem ſpecierum ſæpè inter ſe repurgantium conſpicimus. 3. Non ingrediantur illos ſpecies diverſæ indolis & contrariæ naturæ, quæ ſe invicem deſtruunt, vel fermentationem producunt, & peregrinum odorem, vel etiam virulentam vim medicamentis addunt. 4. Nec Aloëtica, amara & fœtida.

Pulveres maximè commendant 1. minima moles & quantitas, 2. color, 3. ſapor, 4. virtus, quæ omnibus præſtat; Hinc conſultum eſt propter gratiam vel extremè albicantia miſcere, vel flavo aut rubicundo colore illos imbuere, & aurum in foliis immiſcere. Ad ſaporem & odorem ſuavem ipſis conciliandum, laudem meretur additio moſchi & ambræ grani unius, vel guttulæ ſtillatitii olei macis corticum citri, cinnamomi, &c.

Qui ſalini ſunt pulveres, aut ſapore ingrato inſtructi, optimè accipiuntur cum vehiculo vinoſo, vel vino ſaccharato frigido. Generalis enim regula eſt: Omnia ingrata & nauſeabunda remedia non offerenda eſſe cum vehiculo calido.

Pulvis Viperarum.

Viperarum pulverem uſurpamus frequenter, non tam in venenatis, quàm in cutaneis affectibus, in febribus quoque ardentibus, & malignis, quibus maximæ ſunt utilitatis. Ad ejuſmodi pulverem parandum, accipe viperas capite, & cauda truncatas, necnon cute, & interaneis expeditas; has fruſtulatim incide in tigillo terreo vitreato, quibus affunde tantiſper aquæ vitæ: tunc eas lento igne exſicca, donec friabiles ſint, & in pulverem duci poſſint.

Ranarum Pulvis.

In *prima parte præſentis operis*, Ranarum pulverem deſcripſimus, item vermium, viperarum, cancrorum fluviatilium, & Halecis. Teſtudinum pulvis eodem modo paratur; ſunt denique multa animalia, quæ ſic in pulverem vertuntur.

Pulvis Vegetabilium.

Vegetabilia omnia facillimè in pulverem reducuntur. Ex his Tragemata cum ſaccharo conficimus, pro ſtomacho.

Pulv. digeſtivus.

Rec. Ligni aloës, Santal. citrini, an. drach. j. Aniſi, Fœniculi, Coriand. præp. an. drach. iij. Cinnamomi, drach. ij. Macis, Roſarum, Galangæ, an. drach. ſemis. Ambræ griſeæ, ſcrup. j. Moſchi, g. x. Sacchari albi, ℔. j. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, capiat Cochlear j. poſt cibum.

Alius.

Rec. Coriandri præpar. Aniſi, Fœniculi, Carui, Macis, an. drach. ij. ſemis. Cinnamomi, drach. j. ſemis. Zingiberis albi, drach. j. Caryophyllorum, ſcrup. ij. Nucis moſchatæ, drach. j. Sacchari albi, q. ſ.

Alius

Alius Rondoletii.

℞. Aniſi cond. ʒ. ij. Galangæ, Cinnamomomi, an. ʒ. iij. Piperis longi, ℈. ß. Cort. Citri ſicci, ʒ. j. Sacchari ſolidi, ℥. vi. Fiat pulvis.

Pulvis Cachecticus Quercetani.

℞. Limaturæ Chalybis in tenuiſſimum alkool per ſimpl. aquam redactæ, vel cum ſulphure calcinatæ, ut artis eſt, ℥. j. Fæculæ rad. Arônis, ʒ. j. ß. Ambræ gryſeæ ʒ. j. ß. Eſſentiæ corallorum, Margarit. an. ʒ. ij. Succini præparati, Cinnamomi, an. ℈. v. Sacchari q. ſ. ut fiat pulvis guſtui gratus. Doſis ſemicochleare argenteum manè.

Pulvis Nephriticus.

℞. For. Herniariæ, Betonicæ, Argentinæ, Ceterach, an. ℥. ß. Sem. tuſci, Roſæ ſylveſtris, an. ʒ. j. Miſce, fiat pulvis. Doſis ʒ. j. manè, & omnibus horis, cum juſculo, vel vino albo.

Alius.

℞. Lapidum Cancrorum fluviatilium, ʒ. ij. Rad. ononid. ſicc. Fol. Herniariæ, Betonicæ, an. ʒ. j. Milii ſolis, ʒ. j. ß. Miſce, fiat pulvis.

Alius.

℞. Fol. virgæ paſtoris ſicc. ℥. ß. Milii ſolis, ʒ. ij. Miſc.

Alius.

℞. Lapid. lyncis, Judaici, Cryſtal. præp. Lapid. ſpongitis, Cancrorum fluviat. an. ʒ. j. Miſce, fiat Pulvis.

Pulv. Dentifricius.

℞. Pumicis, ʒ. j. Corallorum præparat. ʒ. ß. Margarit. præparat. ʒ. ß. Aluminis uſti, ʒ. j. ß. Salis gemmæ, ʒ. j. Caryophyllorum, ℈. ß. Maſtiches, ʒ. ii. ß. Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Alius.

℞. Oſſis ſæpiæ, aluminis uſti, an. ʒ. j. Pumicis, drach. iii. Caryophyllorum, Salis gemmæ, an. ſcrup. iv. Miſce, fiat pulv.

Pulv. dentes dealbans.

℞. Cruſtæ panis uſti, ℥. ß. Pumicis, drach. ij. ʒ. Oſſis ſepiæ, drach. j. Corallorum præparat. Margarit. præparat. an. drach. ß. Salis communis, drach. ii. Miſce, fiat pulv. ſubtil. Adde, ſi vis, moſchi gr. iii. ambræ gryſeæ gr. vi.

Chymica præparatio.

OMne quod ſub concavo Lunæ continetur, in pulverem reduci poſſe, nemo eſt qui ignoret: unde facilis eſt cognitu modus faciendi pulveres, Chymica tamen methodus non eſt adeò trita; etſi enim Herbæ omnes vulgato modo ſiccentur, & terantur, Chymico non ita. Primò ab unaquaque ſubſtantiæ tres extrahuntur, quibus tinctura ineſt, primò ipſa, poſtea oleum, ſal, & aqua. Quibus fragrans odor præpollet, is ſumma diligentia ſervatur; unde quia odor in oleaginea ſubſtantia reſidet; ea cautè tractanda, maximè ſi in volatili; duplex eſt enim oleaginoſa ſubſtantia, una volatilis, & tenuiſſima, altera craſſa, & magis fixa. Tincturâ, & ſulphureâ ſubſtantiâ extractâ; ignis validior ſubſternitur, & quod eſt fœtidum, & obſcurum ſecernitur, ſeorſumque aſſervatur, igne tandem fortiſſimo adacto concremantur fæces, à quibus ſal, qui fixus & animalis, fixus, inquam, reſpectu volatilis. Ejuſmodi ſubſtantiæ ſimul miſcentur in urinali vitreo amplo, & ſatis alto; cui proprio capitello aptato, blandiſſimus ignis ſubmittitur: Hac viâ tenuior pars aquea, & oleaginea surſum aſcendit: hæc rurſum reaffunditur; ter & quater iſtud repetitur, donec craſſum combiberit tenue: tum lentiſſimo calore omnia in pulverem vertuntur. Interea notandum eſt, ut fœtida, & tetra pars, lucidis non miſceatur, tetra etiam mortua abjiciatur.

Metalla, & mineralia aliâ methodo in pulverem reducuntur. Vel enim nonnulla ſolo igne calcinantur, & in pulverem vertuntur, uti Plumbum, ſtannum, ferrum, antimonium, &c. vel eadem cum additione, fortiſſimo igne adacto: vel ſine igne cum ſpiritibus ſalium. Sed hæc fuſiſſimè *in ſecunda parte* tractavimus.

Inſuper ex omnibus ſalis ſpeciebus pulveres, ſeu potiùs arcana quædam paramus; ad hoc fermentum unius ex 7. metallis uſurpamus, quâ viâ dura, & incocta attenuantur, & coquuntur, atque in noſtri uſum facilè reducuntur. Tandem ex animalibus in præcedentibus exempla ſatis perſpicua tradidimus. Nunc pro coronide pulveres aliquot odoriferi proponuntur.

Pulv. Odoriferus præſtantiſſ.

℞. Rad. Ireos, ℥. iv. Rad. Cyperi, Roſarum ſicc. Damaſc. Belzoini, an. ℥. i. Labdani, Styracis cal. an. ℥. i. Santal. Citrini, ℥. ii. Moſchi oriental. ʒ. ß. Ambaris griſei, ʒ. i. Miſce, fiat pulvis.

Pulv. Odorif. alius

Rec. Rad. Cyperi oriental. Santal. Citrin. an. ℥. i. Labdani, Belzoini an. ʒ. vi. Cort. arant. Roſarum Damaſc. Styracis calam. an. ʒ. iii. Cal. aromat. ℥. ß. Miſce, fiat pulv.

Alius.

℞. Santal. Citrin. ℥. j. ß. Calam. arom. Belzoini, Styracis, an. ℥. ß. Moſchi, ℈. j. Miſce, fiat pulvis.

Alius.

℞. Zedoariæ, Folii, Cort. Galangæ, caryophyllorum, an. ʒ. ii. Calami arom. ℥. ß. Cyperi, Santal. Citrin. ℥. j. Ireos, ℥. ii. Belzoini, Styracis, Labdani, an. ʒ. vi. Moſchi, ℈. j. Ambaris gryſæi, ʒ. ii. Miſce, fiat pulvis.

Pulv. Cyprius.

HIc Bononiæ Pigmentarii pro pulvere Cyprio uſurpant marmoris, vel alabaſtri pulverem cum portiuncula moſchi. Verus tamen pulvis Cyprius fit ex muſco quercûs, collecto menſe Decembris, vel Januarii, & in umbra exſiccato: poſtea is cum modico aquæ roſaceæ pinſi-

pinſitur, & in paſtæ modum redigitur: ſi verò abſque roſacea aqua pinſeretur, nares offenderet. Ita in paſtam redactum, in pateram, & in vinariam cellam, vel in alium locum humidum repone, quoad mucidus evaſerit, ac effloruerit, tunc iſtum ſupra tabellam extendito, & in clibano, vel ſole exſiccari facito; poſtea iterum in tenuiſſimum pulverem redigito, & ſolo belzoino ſuffumigato; vel pro ſingula pulveris jam ſicci libra, Mannæ belzoinæ drachmæ decem miſceantur, & diu in mortario agitentur, & ita erit optimus pulvis.

****

SECTIO OCTAVA.

(*a*) *De Oleis.*

OLea vel ſunt talia à natura producta, ut petroleum; vel artificiala. Artificialia vel per expreſſionem fiunt, vel per infuſionem, vel per diſtillationem.

NOTÆ in SECTIONEM IV.

(*a*) *De Oleis.* Semina medullari albicante ſubſtantia prædita, uti cucurbitæ, citrulli, melonum, cucumeris, ſeſamum, item nuclei, uti pineæ, amygdalæ &c. pinguibus oleoſis & aqueis partibus inſtructa ſunt, quamdiu hæc inter ſe accuratè mixta ſunt, uti in recentibus ſeminibus, oleum non poteſt exprimi purum, ſed intertextum humiditati lactea incedit facie, unde profluit fundamentum parandi emulſiones, quæ fiunt, ſi nucleis excorticatis inque mortario contuſis affunditur parum aquæ, ſic perpetua agitatione cum piſtillo exurgit pulticula, quæ expreſſa cum ſ. q. aquæ affuſæ fundit lac.

Circa oleorum expreſſionem notandum, quod ſemper prius ſemina ſeu nuclei exſiccari debeant, ut aquoſitas omnis pereat, aliàs difficillimè provenit oleum.

Non una vice olea expreſſa in magna quantitate facienda ſunt, ne rancorem contrahant facilem, ægris nocivum, atque ingratum.

Oleum corticum citri recens exprimi debet, non benè deſtillatur ex corticibus recentibus contritis, ſed remanet.

Oleum lumbricorum fit in oleo, ſola inſolatione & in vitro bene clauſo, aſt digeſtione eliciantur vires, non verò violentis coctionibus, ne ſubtiliores partes abeant. Poteſt coctio inſtitui in cucurbita, excipiendo idipſum, quod alembicum tranſcendit, iterumque digerendo cum oleo deſtil.

Oleum chamomillæ præparatur ex floribus chamomillæ, ſi per quatuordecim dies ſtent macerati in aqua ut incipiant putreſcere. Nonnulli addunt ante deſtillationem olei philoſophorum clariſſimi uncias aliquot.

Omnia Olea expreſſa, uti etiam oleum hyoſcyami deſtillari poſſunt & ſubtiliſſima fiunt, quando affunduntur corporibus calcinatis, & ab illis abſtrahuntur.

Adipes defendi debent ab humido aëre, ſic non tam facilè ranceſcunt. Commodiſſimè ſervantur in ſicco & temperato loco.

Oleum inunctionis ſacræ pro coronatione regis Angliæ Caroli II. tale eſt: Rec. Olei fragrantiſſimi jaſmini, florum aurantiorum, per infuſionem in oleo been paratorum ana uncias ſex, Olei ſtillatitii roſarum unciam ſemis, olei cinnamomi drachmas tres; flor. benzoe alborum non aduſtorum unciam unam, ambræ gryſeæ drachmas quinque, moſchi & zibethi ana drachmam unam ſemis M. f. balſamum.

Oleum ad epilepſiam. Rec. Pinguedinis cati, caſtorei, hyoſciami, olei nuciſtæ, ana drachmas duas, olei rutæ deſtillati ſcrupulum unum, ſpiritus ſalis ammoniaci guttas viginti, M. f. unguentum, quo inungatur ſpinalis medulla.

Balſamum vitæ. Rec. Olei lavendulæ, majoranæ, caryophyllorum, cubebarum, cardamomi, citri recentis ana ſcrupulum unum, olei macis deſtillati ſcrupulos duos, olei cinnamomi guttas viginti quatuor, olei rutæ, ſuccini albi ana ſcrupulum ſemis, hæc olea invicem miſceantur & per aliquot ſeptimanas ſtent; quando itaque extemporaneum balſamum vitæ habere volumus, de hoc oleo inſtilletur ſpiritus vini rectificatiſſimi unciæ unæ guttæ decem, quod ſi adhuc gratius reddere velimus, ambra ni antea præſcripto oleo ſolvatur, & quidem addi poteſt huic oleo ſcrupulus ſemis, quod ſi autem balſamum hoc nobilioribus adhuc virtutibus balſamicis imprægnare volumus, addi poteſt balſamus Peruvianus, nimirum unciæ unæ balſami vitæ drachma ſemis, ſic balſamum redditur apoplecticum, cujus uſus internè & externè eſt egregius; Internè in virium debilitate, doloribus colicis, ſyncope, defectu ſpirituum animalium, poteſt dari ad guttas decem viginti; externè autem in omni debilitate capitis, morbis ſpaſmodicis ſoporoſis, naribus, pulſibus, vertici capitis, nuchæ applicari poteſt.

Oleum anodynum. Eſt oleum hyoſcyami deſtillatum cum camphora mixtum, uſum habet in colica ſpaſmodica, dolentibus, hæmorrhoidibus, vigiliis &c.

Olea per Expreſſionem.

OLeum commune, quod ex olivis paratur, fit per Expreſſionem, ex nucibus, amygdalis, ſeminibus Lini, Cannabis, Sinapi, Papaveris albi, &c. Contunduntur, ac vapore aquæ calidæ nonnulla tepefiunt, nonnulla etiam ſine illa evaporatione fundunt oleum in ſacculum incluſa, & torculari fortiter expreſſa. Hoc modo è baccis Lauri, ex ſeminibus ſambuci, & ſimilibus extrahitur.

Oleum ex Vitellis Ovorum.

Rec. Vitellorum ovorum indurat. N°. xx. Conjiciuntur in ſartaginem æneam, & ſuper carbonibus friguntur continuò agitando, donec oleum edant; deinde ſacculo includuntur, tocularique oleum exprimitur.

Oleum Amygd.

OLeum Amygdalarum fit ex Amygdalis non depellatis, in mortariolo lapideo pertritis, & in calatho ſportaceo, aut ſacco cannabino in torculari calido exprimuntur.

Sic fit ex amygdalis amaris, Piſtaciis, Strobilis, nucibus avellanis, Indicis, nucleis Perſicorum, Ceraſorum, Semin. Cucurb. Melonum, Ricini, Staphyſagriæ, Cnici, Cannabis, Lini, Papaveris, Hyoſcyami, &c.

Olea per Infuſionem.

EX lignis, radicibus, foliis, floribus, & ſeminibus, fiunt infuſiones cum oleo communi olivarum, vel maturo, vel immaturo, quod omphacinum appellant. Item ex animalibus integris, vel ex partibus illorum, fiunt per infuſionem communiter.

Oleum Roſarum.

OLeum roſarum hodie fit cum roſis recentibus, in oleo communi per aliquot dies, aut etiam menſem, ad ſolem infuſis, poſtea expreſſis; addendo inter coquendum ſuccum roſarum, vel vinum, reiteratur infuſio bis, & ter, ut validiùs fiat.

Oleum

Oleum Chamæmeli.

EOdem modo oleum florum Camomillæ paratur: inſolantur æſtate, tota hyeme verò percolantur. In principio bis, & ter reiteratur infuſio; ultima ſervetur, ut de roſis.

Oleum Rutæ.

Rec. Rutæ cum floribus inciſæ, & infuſæ in ſ. q. olei communis per 2. aut 3. menſes: colentur addito vino, vel ſucco rutæ.

Oleum Violarum.

OOleum Violarum itidem ex recentibus floribus violarum paratur, præmiſsâ infuſione 2. vel 3. menſium in ſole, in vaſe duplici. Principio, dum recentes ſunt flores, reiteratur infuſio.

Oleum Liliorum.

PAratur & iſtud per infuſionem, quæ ſi bis, & ter reiteretur, Oleum longè nobilius, & efficacius redditur.

Oleum florum Citri.

Rec. Florum Citri probè mundatorum ab omni parte viridi, & citrina, q. ſ. infunde in oleo amygdalarum, & in tantum, ut ipſum oleum ſupereminεat duos digitos, & hoc in vaſe vitreo anguſti orificii benè obturati. Hoc autem exponitur ſoli per ſeptem dies; deinde in vaſe duplici calore aquæ tepefit, & colatur: in colato oleo novi flores reconduntur; atque ſoli exponuntur; & ut priùs colantur. Tertiò novi flores infunduntur, inſolantur, & colantur. Quater, & quinquies reiteratur infuſio; quò plus, eò meliùs.

Ol. florum Aranti, Jaſmini, florum Caryophyllorum, Myrthi, &c.

EOdem modo, quo ſuprà parantur olea florum odoratorum, poſſunt fieri cum oleo communi pluries aquâ communi loto; ſed omnium optimè in oleo balani myrepſ. quòd ſit omnis odoris expers, nec rancidum fiat, ut cætera olea. Sed elegantiùs Chymicè parantur.

Alio modo paranda Olea fl. Citri, Arantiorum, Violarum, Lilii convallii, &c.

PArantur ejuſmodi olea ſine infuſione, ſtratificando flores cùm ſem. ben. vel amygdalis optimè repurgatis, minutim inciſis, in capſura lignea, vel in olla probè vitreata, & firmiter clauſa, ſingulo die reiterando novos flores; & veteres removendo: tandem ſemina, ſeu amygdalas prælo fortiter exprime, ſic habebis oleum flagrantiſſimum. In quo animadverte, ut flores ſint ab omni parte herbacea liberi; item ut antequam ſemina, vel amygdalas prælo ſubjicias, nullus ſuperſit flos; Secùs quod educeretur oleum, minùs fragrans, & deterioris coloris eſſet.

Alio modo.

Rec. Goſſipium lanugineum, mundum & nitidum, ad hoc pluries in aquis florum, de quibus ol. educere vis, lotum: hoc probè exſiccatum imbuitur uno ex dictis oleis: cum eo, & floribus dictis fit ſtratum ſuper ſtratum, quotidiè renovando flores in olla vitreata bene clauſa. Quater aut quinquies renovantur flores, tunc prælo ſubjiciuntur, & educitur oleum odoratiſſimum. Infuſio tamen nobis magis arridet. Videndum porrò ut flores colligantur ex arbore, tempore ſereno, & ne rore aut alio humido perfundantur. Sunt qui parum Moſchi, & Ambaris gryſei addunt, ut gratiora evadant. Cum ejuſmodi oleis, moſcho, ambare, & zibetto, Chirothecas, pelles, & ſimilia odorata reddunt. Sed nos medica tractamus. Vires ejuſmodi oleorum in ſpiritibus recreandis mirabiles ſunt. Cordis palpitationes mirificè juvant.

Chymicæ præparationes ol. Citri, Arantii, &c.

OLea Citri, & Arantiorum, non niſi in locis, ubi abundant ejuſmodi flores parari poſſunt, nam eorum maxima quantitas requiritur; ad minus quadraginta libræ: ad hoc, ex propriis arboribus excerpi debent, nam humi collecti vim illam balſamicam pro majori parte amittunt. Hos conjiciamus in vas æneum ſtanno abductum, cui ſuperfundemus aqua communis ſufficientem quantitatem: maceratione 5. vel 6. dierum præmiſſâ, per refrigeratorium prolicitur aqua, & Oleum, blando igne admoto; Aqua erit fragrantiſſima, & oleum in exigua quantitate.

Poteſt etiam ex ſolis floribus, in vitreo urinali, ad balneum aquæ, oleum cum aqua elici, aurei coloris mirabiliſque odoris, ſed quàm minimæ quantitatis.

Si aquam, quæ priùs ex aliis floribus manavit, ſuper alios flores irroraveris, mox diſtillaveris, exibit aqua pretioſioris odoris, & olei major quantitas erit.

Oleum deſtillatum ex floribus omnibus adoratis.

ODorati flores ſubſtantiam ſulphuream in ſuperficie continent, ideò ſumma eſt adhibenda cautela in olei ipſorum extractione, maximè circa vaſa, & calorem. Vaſa ſint vitrea cum refrigeratorio; calor ſit mitis, & blandus, qualis eſt Balneum aquæ. Flores ſint integri, & macerentur priùs per aliquot dies, in ſ. q. aquæ: primam aquam cum oleo exuctam recentibus floribus reaffunde, & mox diſtilletur. Aqua hæc ſecunda cum oleo ſuper novos flores iterum affundatur, ſic copioſius erit oleum, & aqua validior.

Oleum Corticum Citri diſtillatum.

EX recentibus & ſiccis corticibus citri, oleum elicitur. Recentes incidantur ad album medullæ, tunc indantur urinali vitreo cum aqua; igne cinerum admoto, effluit oleum cum aqua. Sicci macerentur priùs in aqua per 8. dies; deinde per veſicam æneam cum ſuo refrigeratorio proliciatur oleum.

Oleum Hyperici ſimplex.

SI ſeduli eſſent Pharmacopolæ in hoc oleo parando, compoſitis balſamis carere poſſemus, & omni tempore peropportunum vulnerarium haberent in officinis. Paratur verò ſic:

Rec. Summitatum Hyperici, ℥. iii. Macere-

tur in vino odorifero, diebus tribus, & totidem noctibus: bulliant deinde in vaſe duplici, obturato orificio vaſis: poſtea exprime, & recentis Hyperici ſummitatum benè tritarum par pondus injice, & iterum macera dies tres, ac noctes, coque, & exprime: tunc etiam tertiò recens Hypericum adde, & ſi vinum minuatur, adde aliquid. Poſteà adde Terebinthinæ, ℥. iij. Olei veteris, unc. vj. Croci, ℈. j. Coquantur in duplici vaſe uſque ad vini conſumptionem: cola, & repone.

Calidum eſt, & ſiccum, & tenuium partium: vulnera inciſorum nervorum conſolidat, & combuſtionem ignis: ſedat dolores femoris, & veſicæ, & provocat urinam.

Oleum Hyperici magiſtrale.

℞. Ol. veteris, lib. iv. Vini albi potentis, lib. j. Florum Hyperici rec. cum Sem. man. iv. Factâ infuſione per 2. dies, & percolatâ recentes flores excipe, infuſionem repete ter, in dicta colatura, cujus ſingulæ lib. colaturæ adde Terebinthinæ unc. vj. Olei abſinthii, unc. iij. Dictamni, Gentianæ, carduibened. Tormentill. Carlinæ, Calami arom. an.drach. ij.Lumbricorum in vino pluries lotor. unc. ij. Terantur omnia, & inſolentur 30. aut 40. diebus, & bene obturatum reponas.

Aliud Magiſtrale Matthioli.

℞. Olei vetuſtiſſimi, lib. iij. Flor. Hyperici menſe Maii collect. man. iii. Macerentur 12. dierum ſpatio, & calidè exprimantur: in facta colatura ſecundò infunde novam herbam cum floribus. Item fol. chamædryos, calamenthi, carduibenedict. an. man. i. Macera triduo in balneo maris, & cola cum forti expreſſione, in qua expreſſione recentem herbam Hypericonis ad man. iii. macera triduo, ut priùs, & cola, in colatura dicti Hypericonis ſemina ad man. iii.iterum infunde triduo, & cola ut priùs. Reitera ter ſeminis infuſionem, ſemper cum valida expreſſione. In qua noviter infunde Scordii recentis, calamenthi, centaureæ min. carduibened. Verbenæ, Dictamni cretici, an. drach. iii. In facta quartò colatura, ut priùs, præmiſſâ infuſione trium dierum, infunde Zedoariæ, Rad. dictamni albi, Gentianæ, Tormentill. Ariſtolochiæ rot. an. drach iii.. Scordii recent. man. i. In forti expreſſione poſt triduanam macerationem, infunde ſtyracis calam. Belzoini, an. drach. vi. Bacc. Juniperi, drach. iv. Nigel. drach. ii. caſſiæ odorif. drach. ix. Santal. albi, drach. iv. Schœnanthi, Cyperi, an. drach. i. ß. contuſa infunde, & macera triduo, tandem cola ut ſuprà. In colatura infunde ſcorpiones vivos N°. CCC. macera triduo, ut ſuprà, & cola. In facta expreſſione denuò infunde Rhabarb. el. myrrhæ el. Aloës Hepaticæ, an. ʒ. iii. Spicæ Nardi, ʒ. ii. Croci, ʒ. i. Theriacæ electæ, mithridatii opt. an. unc. ß. Stent in infuſione perpetuò, & ſerva ad uſum.

Venenis omnibus, Peſti, Peſtilentibuſque morbis ſummoperè confert. Baſis eſt Hypericum, & ſcorpiones. Valet & ad plures alios morbos.

Ol. Cydoniorum.

PEr infuſionem paratur ejuſmodi oleum, ut de cæteris dictum eſt bis & ter repetitur infuſio. Additur etiam ſuccus cum ſufficienti quantitate pomorum contuſorum.

Pharmacopolarum major pars, cum corticibus & ramentis, quæ fiunt in mundandis pomis, infuſionem parant, eamque colant hyeme cum cæteris oleis, pauco ſucco aut vino addito.

Ol. Myrtinum.

EX baccis myrti contuſis paratur iſtud oleum: infuſio ter reiteratur cum ſucco dict. bacc.

Vel

FIt cum ſelibra myrtillorum recent. ol. omphacini aut loti ſeſquilibra: inſola, aut coque, cum vini albi auſteri, ℥. iv. ad vini conſumptionem. Fit etiam per expreſſionem, & per decoctionem in aqua, donec oleum ſupernatet, quod conchâ ſeparandum eſt.

Oleum Maſtichinum.

OLeum Maſtichinum recipit Ol. roſati, ℥. xij. Maſtiches, ℥. iij. Vini boni, ℥. viij. Coque ad vini conſumptionem.

SECTIO NONA.

(a) *De Unguentis & Linimentis.*

UNguentum antiquis materia luxus, è cunctis maximè ſupervacuum, quod illicò exſpirent, ac ſuis moriantur horis. Ex odoris olim conficiebantur, nunc ex omnibus promiſcuè. Corpus Unguenti craſſius eſt oleo, liquidius Emplaſtro, Linimentum tenet medium inter oleum, & unguentum. Omnium communis materia eſt oleum, & cera. Particularis ſunt Gummi, reſinæ, medullæ, adeps, pinguedo quævis, quibus accedunt pulveres cujuſlibet rei. Sic parantur:

NOTÆ
in SECTIONEM IX.

(a) *De Unguentis.* Unguenta ſunt mediæ conſiſtentiæ inter olea & emplaſtra, fluidius linimentum dicitur, mollius unguentum & durius emplaſtrum.

Reſinoſa difficilius miſcentur oleoſis, in liquatione, niſi continuo leviter agitentur, ne fundo adhæreant, mellius ex tempore miſcentur ſub finem prius pulveriſata. Opium, gummata, extracta vegetabilium non commodè miſcentur cum oleoſis, quia non facilè ſolvuntur.

Olea deſtillata, & ſpiritus volatiles ſaltim addun tur ad penetrantiam unguentis conciliandam.

Linimen-

Linimentum antiſpaſmodicum reſolvens. Rec. Spiritus vini rectificati uncias duas, ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis drachmas duas, camphoræ drachmas tres, opii drachmam ſemis, nitri optimi vel artific. unciam ſemis. Uſus eſt externus in eryſipelate, podagra, arthritide vaga & fixa, in omnibus inflammationibus, pleuritide, doloribus artuum, doloribus dentium.

Unguentum nervinum. Rec. Ungenti nervini, ſive carminativi, olei nuciſtæ expreſſi ana drachmam unam, pinguedinis caſtorei, olei hyoſcyami ana drachmam ſemis, camphoræ ſcrupulum ſemis, ſpiritus ſalis ammoniaci guttas quindecim. Miſce, fiat unguentum. Uſus externus in epilepſia, motibus convulſivis ſpaſmodicis, colica, diarrhæa, paralyſi, contractura, cardialgia, paſſione hyſterica.

Unguentum pro infantibus. Rec. Unguenti dialtheæ, unciam ſemis, olei laterum drachmam ſemis, olei tartari per deliquium guttas viginti. Miſce, fiat unguentum. Uſus in alvo duriore.

Unguentum vulnerarium. Rec. Balſami Peruviani, olei tartari deſtillati ana partes æquales. M. f. unguentum.

Unguentum conſolidans. Rec. Olei olivarum cum lythargyrio cocti unciam unam, adde florum millefolii, hyperici, liliorum alborum ana pugillos tres. Stet in aëre liberiori per aliquot dies, deinde expreſſum novis iteratur ſpeciebus, ultimo addatur balſamus Peruvianus pro unguento.

Unguentum ad pelliculas oculorum. Rec. Tutiæ præparatæ drachmam ſemis, vitrioli albi grana decem, florum antimonii grana ſex, ſalis ammoniaci grana ſeptem, camphoræ grana quatuor, pinguedinis viperarum drachmam unam, axungiæ ſuillæ, ſive unguenti pomadi unciam ſemis. M. poteſt addi amianthus. Uſus eſt præmiſſis purgantibus mercurialibus in maculis, item cataracta oculorum.

Unguentum Aureum Meſuæ.

℞. Ceræ flavæ, ℥. vj. Olei communis, ℔. ij. ß. Terebinthinæ, ℥. ij. Reſinæ pini, Colophoniæ, an. ℥. j. ß. Thuris, Maſtiches, an. unc. j. Croci, drach. j. Liquantur ſimul Cera, reſina Colophon. Maſtiche, & Terebinthina: ſub fine adde Thuris in pulverem redacti, cum Croco, & fiat unguentum. Vulnera certò, & ſalubriter glutinat.

Unguentum Baſilicum Minus.

℞. Ceræ flavæ, Reſinæ pinguis, Picis Græcæ, an. ℔. j. Ol. communis, q. ſ. Liquentur ſimul, & fiat unguentum.

Unguentum Baſilicum Majus.

℞. Ceræ albæ, Reſinæ pini, Sebi vaccini, Picis Græcæ, Picis nigræ, Terebinthinæ, Thuris, Myrrhæ, an. unc. j. Olei communis q. ſ. Fiat unguentum.

Unguentum Ægyptiacum.

℞. Æruginis, drach. x. Mellis, drach. xiv. Aceti albi, drach. vij. Coque igne, & tantiſper move, donec fiat rubrum.

Unguentum Apoſtolorum.

℞. Ceræ albæ, Terebinthinæ, Reſinæ, ammoniaci, an. drach. xiv. Ariſtolochiæ longæ, Thuris, Bdellii, an. drach. vj. Myrrhæ, Galbani, an. unc. iv. Lithargyrii, unc. ix. Opopanacis, æruginis, an. drach. ij. Olei communis, ℔. ij. Hyeme verò ℔. iij. Miſce, fiat unguentum ſecundùm artem. Solvenda ſunt Gummi cum aceto eaque coquenda ad mellis craſſitiem; his Terebinthinam, refrigerato ferè unguento, miſce paulatim, cum pulveribus.

Unguentum Album, ſive de Ceruſſa.

℞. Ceruſæ lotæ, ℔. ij. Ol. roſati, ℔. iv. Ceræ albæ, unc. iv. Miſce, fiat Unguentum.

Sunt qui Caphuram, qui Albumina ovorum, qui lithargyrium, & qui oleum amygd. dulc. addunt.

Ung. Dialphææ ſimpl. Nic.

℞. Rad. althææ, ℔. ij. Sem. Lini, Sem. Fœnugræci, an. ℔. j. Ol. communis, ℔. iv. Ceræ, ℔. j. Terebinth. unc. ij. Reſinæ, drach. vj. Radices, & ſemina contuſa macerentur tribus diebus in aquæ ℔. viij. aut q. ſ. Quarta die coquantur, donec remittant craſſam, & viſcidam mucilaginem; eam deinde exprime: mox recipe expreſſæ mucilaginis ℔. ij. & coque cum oleo. Quum tandem aquoſum illud in mucilagine conſumptum fuerit, ceram addito, & fac unguentum ſecundùm artem.

Ung. Dialthææ comp. Nic.

℞. Rad. Althææ, ℔. ij. Sem. Lini, Fœnugræci, an. ℔. j. Scillæ recentis, unc. vj. Olei, ℔. iv. Ceræ, ℔. j. Terebinthinæ, Gummi hederæ, Galbani, an. unc. ij. Colophoniæ, Reſinæ, an. ℥. vj. Radices, & lini ſemina contuſa macerentur tribus diebus in aqua q. ſ. deinde coquantur, donec mucilago craſſeſcat. Poſtea recipe mucilaginis expreſſæ ℔. ij. cui adde reliqua, & fac unguentum ſecundùm artem.

Unguent. Populeon.

℞. Oculorum populi arboris recentium, lib. j. ß. Axungiæ porcinæ præpar. lib. ij. Oculi populi contundantur, & macerentur cum axungia, donec ſequentes herbæ colligi queant. Deinde

℞. Fol. Papav. agreſtis, fol. mandragoræ, cymarum rubi tenerrimarum, fol. Hyoſcyami, Solatri, Vermicularis, Lactucæ, Sempervivi maj. Bardanæ, Violarum, umbilici Veneris, an. ℥. iij. Vini optimi, q. ſ. Coquantur ad vini conſumptionem; deinde cola, exprime, & fiat unguentum.

Contra nimium calorem valet, & temporibus illitum ſomnum conciliat.

Unguent. Diapompholygos, ſeu de Thuthia Nic.

℞. Ol. roſati, unc. x. Ceræ albæ, unc. v. Succi fructus ſolani ſativi, unc. viij. Ceruſſæ lotæ, unc. iv. Plumbi uſti, & loti, Pompholygis, Tuthiæ præp. an. unc. ij. Thuris, unc. j. Conſice ſecundùm artem.

Ad ſiccanda eryſipelata, vulnera ſordida, & ulcera cava, optimum eſt. Cicatricem obducit, & refrigerat.

Unguent. de Minio.

℞. Minii tenuiſſimè pulveriz. Man. iij. Lithargyrii, Ceruſſæ, an. unc. j. ß. Ol. roſati, lib. j. ß. Ceræ albæ, unc. iij. miſce, & fiat unguentum.

Unguent. Refrigerans Gal.

℞. Ceræ albæ, lib. ß. Ol. roſati omphac. lib. ij. Liquentur ſimul, & aquâ fontis frigidiſſimâ diu laventur, & tandem aceto albo ſubigantur.

Unguent. Santal.

℞. Roſarum, ʒ. xij. Santal. rub. drach. x. Santal. albi, Santal. citrini, an. drach. vj. Boli armeni, drach. vij. Spodii, drach. iv. Camphoræ, drach. ij. Ceræ albæ, drach. xxx. Ol. roſati, lib. j. miſceantur ſecundùm artem, & fiat unguentum.

Unguentum Comitiſſæ.

℞. Cort. medi an. Caſtanearum, Glandium, Cort. median. Quercus, Bacc. myrti, Caudæ equinæ, Gallarum, Cort. fabarum, Acinor. Uvar. Calycum glandium, Sorborum immaturor. ſicc. meſpilorum immaturor. ſicc. Fol. Capparis, Fol. prunelli ſilveſtris, Rad. Chelidonii, an. unc. j. ß. Contundantur aliquantulum, & coquantur in decocti plantag. q. ſ.

Inceptum abortum prohibet, hæmorrhoides ac laxatos renes corroborat.

Unguent. Reſumptivum.

℞. Axungiæ porci recentis ſine ſale, unc. iiij. Axungiæ Gallinaceæ, Anſeris, Anatis, an. unc. ij. Oeſypi humidæ, unc. ß. Olei violati, Chamæmel. Anethini, an. unc. ij. Butyr. recentis, lib. j. Ceræ albæ, unc. vj. mucilaginis Tragacant. mucilag. ſem. Cotoneorum, Lini, Bismalvæ, gummi arab. an. unc. ß. miſce, & fiat Unguentum.

Unguent. de Arthanita Minus.

℞. Succi Cyclaminis, Succi glutinoſi Rad. filicis, Succi Ebuli, an. ℥. ix. Succini ſummitat. Tamariſci, ℥. ij. Oeſypi humidæ, ℥. v. Olei Irini, ℔. ij. Bdellii, Ammoniaci, an. ℥. j. ß. Aceti, q. ſ. ad ammoniacum diſſolvendum, Ceræ Citrinæ, ℥. vj. Cort. rad. Capparis, ℥. j. ß. Spicæ, ʒ. iij. Confice unguentum ſecundùm artem.

Unguent. de Arthanita Majus Meſ.

℞. Succi Arthanitæ, ℔. iij. Succi Cucumeris aſinini, lib. j. Ol. Irini, lib. ij. Butyri Vaccini, lib. j. Pulpæ Colocynthidos, ℥. iv. Polypodii, ℥. vj. Euphorbii, ℥. ß. Arida omnia contundantur, & macerentur in ſuccis per dies octo, affuſo etiam oleo, in vaſe vitreo diligenter obturato: Nono deinde die coquantur lento igne aliquandiu, poſtea colentur: colaturæ adde Sagapeni in aceto diſſoluti, aur. v. Confice ſecundùm artem.

℞. Myrrhæ. aur. ij. Coquantur iterum ad conſumptionem ſuccorum, poſtea adde Ceræ, ℥. v. Fellis Taurini, aur. v. Ferveant ſimul, donec liqueſcat cera: poſtea inſperge ſequentium rerum tenuiſſimum pulv.

℞. Scammoneæ, Aloës, Mezerei, Colocynthidos, an. aur. v. Euphorbii, aur. ij. Salis gemmæ, aur. iij. Turbith, aur. v. Piperis longi, Zingiberis, Camomillæ, an. aur. ij. Confice ſecundùm artem.

Illitum ſtomacho vomitu purgat, Hypogaſtrio autem inunctum, alvum dejicit, ob id Hydropicos mirè juvat, ſeorſum excrementum educendo. Vermes quoque necat, & educit.

Unguent. Citrinum.

℞. Boracis, ℥. ij. Caphuræ, ℥. ij. Corallii albi, ℥. j. ß. Gypſi, ℥. j. Umbilici marini, Tragacanthæ albiſſimæ, Amyli, Cryſtalli Entalii, Dentalii, Thuris albiſſimi, Nitri, an. ʒ. iij. Marmoris albi, ʒ. ij. Gerſæ ſerpentariæ, ʒ. j. Ceruſſæ, ʒ. vj. Axungiæ porcinæ rec. lib. j. ß. Sebi Caprini præp. ℥. j. ß. Adipis Gallinacei præp. ℥. j. Axungiam porcinam, & adipem gallinaceum liqua ſimul, & impone tepidis adhuc, corticum citri ſatis magnam quantitatem, & macerentur per menſem unum. Poſtea eximito cortices, & liquato porcino adipi, adde adipem gallinaceum, & Sebum Caprinum; deinde addantur reliqua tenuiſſimè trita; ultimo verò inſperge Caphuram ſubtiliſſimè tritam.

Faciei maculas emendat, ſcabiem corrigit, cicatrices exterminat, ruborem oculorum aufert, aſpera lævigat.

Unguent. ex ſuccis.

℞. Ol. roſati comp. lib. j. Ol. roſ. Omphac. lib. ß. Succi fol. Plantag. Succi Solan. hortenſis, Succi Centaur. min. Succi Lapathi, an. ℥. iij. Bulliant olea cum ſuccis ad eorum conſumpt. Deinde adde Ceræ albæ, q. ſ. ad formandum unguentum molle; quibus benè agitatis, donec tepida fiant, inſperge Lithargyrii tenuiſſ. pulv. ℥. iij. Pompholygis præp. ℥. ß. Recrem. plumbi pulv. ʒ. vj. Miſce, fiat unguentum.

Aliud Unguent. ex ſuccis.

℞. Lithargyrii loti, lib. j. Ol. roſati, q. ſ. Succorum plantag. Solatri hort. an. q. ſ. Nutriantur in mortariolo, & fiat unguentum.

Unguent. de Lithargyrio.

℞. Lithargyrii, Ol. communis, aut potiùs roſati, Aceti, an. q. ſ. Nutriatur primò lithargyrium cum oleo roſato longo tempore; adde poſtea acetum ſenſim, & iterum oleum, & ſic viciſſim fiat unguentum.

Unguentum Roſatum.

℞. Axungiæ porcinæ recentis, q. ſ. Lava multoties in aqua tepida, & toties donec omnem odorem depoſuerit: in ea infunde roſas tuſas per 7. dies, poſtea lento igne coque in vaſe duplici, & cola, in colatura recentes roſas tuſas iterum infunde, coque, & cola ter, ter repete, & habebis unguentum perfectum.

Unguentum florum Arantiorum, Citri, Jaſmini.

℞. Florum arantiorum, q. ſ. Integros infunde in ſ. q. axungiæ porcinæ, optimè lotæ cum aqua tepida, & tandem frigida, lento igne excalefac quotidie, & tandem cola. In colatura novos flores integros affunde, macera in ſole, vel hypocauſto: cola iterum, ut priùs: ter & quater reiteretur dicta infuſio.

Vel alio modo.

℞. Supradictorum florum, q. ſ. Infunde in q. ſ. olei ben. macera per aliquot dies, cola, & reitera

reitera ter infuſionem ; ſi volueris ſexies, & ſepties : in ultima colatura liqua Ceræ albæ q. ſ. ut inſpiſſetur.

In oleo amygd. dulc. pariter fit infuſio ; at brevi aſceſcit , & amittit ſuavitatem omnem , & fit rancidum , ac graveolens.

Chymica præparatio.

EX ſupradictis floribus extillatur oleum per veſicam , vel vas refrigeratorium , ut ſuprà diximus , in eo liquatur ceræ albæ quantum ſufficit ad juſtam unguenti craſſitiem.

Unguentum Martiatum.

℞. Ceræ albæ , ℔. ii. Olei , ℔. viii. aut q. ſ. Roris marini , Fol. lauri , Rutæ , an. ℥. viii. Tamariſci , Ebuli , Sabinæ , Balſamitæ , Salviæ , Polii , Calamenthæ , Arthemiſiæ , Enulæ , Betonicæ , Brancæ Urſinæ , Spargulæ , Herbæ venti , Pimpin. Agrim. Abſinth. Ocymi , Herbæ paral. Coſti , cymarum Sambuci , Craſſulæ , Mille folii , Sempervivi , Chamædryos , Centaurii , Centumnerviæ , Fragariæ , Quinquefolii , an. unc. iv. ſemis. Rad. Altheæ , Cymini , Myrrhidis , an. unc. iii. Fœnugræci , Butyri , an. ℥. j. ß. Sem. Urticæ , Violarum , Papav. albi , Menthæ Saracenæ , Menthæ Criſpæ , Laparioli , Polytrichi , Cardoncelli , Matriſſilvæ , Flor. camomill. Herb. moſchatæ , linguæ cervinæ , Criſpulæ , Camphoratæ , Styriacis calamitæ , Medullæ cervinæ , an. unc. iii. Adipis Urſini , Adipis Gallinacei , Adip. Anſerini , Maſtiches , an. unc. j. Thuris , unc. iii. Ol. Nardini , unc. ii. Herbæ omnes Majo menſe colligantur ; & inciſæ macerentur in vino odorifero per dies ſeptem ; octavo deinde die coquantur , donec ferè conſumatur vinum : poſtea cola , & colaturæ expreſſæ adde oleum , & coque , donec conſumatur vinum ferè ; mox adde ceram , & reliqua ſecundùm artem. Adverſus corporis frigida mala , reſolutionem coxendicum , nephritim , convulſionem , & id genus alia valet. Tumores reprimit , duritiès emollit , livoremque cutis emendat.

Unguen. Aregon.

℞. Roris marini , Majoranæ , rad. Jari , (*1. Serpentariæ*) Serpilli , Rutæ , Rad. Cucumeris aſin. an. ℥. iv. Fol. Lauri , Salviæ , Sabinæ , an. ℥. iii. Pulicariæ maj. minoris , an. ℥. iv. Rad. Bryoniæ , ℥. iii. Laureolæ , Fol. Cucum , aſinini , Nepetæ , an. ℥. vi. Maſtiches , Olibani , an. ʒ. iv. Pyrethri , Euphorbii , Zingiberis , Piperis , an. ℥. iv. Olei Moſchelini , ℥. ß. Ol. communis , ℔. v. Petrolei clari , ℥. j. Butyri , ℥. iv. Herbæ , & radices Majo menſe collectæ in oleo macerentur diebus ſeptem , deinde coquantur , & colentur , colato oleo adjice reliqua , atque adde Ceræ , ℔. j. ℥. iij.

Prodeſt malis corporis frigidis , convulſionibus , reſolutionibus partium : item dolori colico , renum , articulorumque.

Unguent. Agrippæ Regis.

℞. Rad. Bryoniæ , ℔. ij. Rad. Cucum , aſinini , ℔. j. Scillæ , ℔. ß. Ireos , ℥. iii. Rad. filicis , Ebuli , Tribulorum aquatic. an. ℥. ii. Ceræ albiſſ. ℥. xv. Ol. albiſſ. ℔. iv. Macerentur radices recentes contuſæ per dies octo in oleo , deinde coquantur , & exprimantur : in colato oleo diſſolve ceram , & fiat unguentum.

Hydropicis , & omnibus corporis œdematis ſuccurrit : Nervorum mala ſanat , urinam movet. Extrinſecus illitum ventrem ſubducit , dolorique renum utile eſt.

Unguent. Vulnerarium.

℞. Ol. vulnerarii in *prim. part.* deſcript. lib. j. Ceræ Citrinæ , ℥. iii. Terebinthinæ , ℥. j. Maſtiches , ℥. j. ß. Liquentur ſimul , & fiat unguentum.

Aliud.

℞. Fol. Ophiogloſſi , Man. iii. Bugulæ , Saniculæ , an. Man. j. Infundantur in ſufficienti quantitate olei Hypericonis , coquantur lento igne , & colentur : in colatura infunde Flores Tapſi barbati , Flores ſolis , ſeu Helianthemi , (aliis Hyſſopi nemorenſis) Hipericonis , an. part. æqual. Coquantur lento igne , poſt macerationem 8. vel 10. dierum. In colatura ſolve Maſtiches , ℥. iii. Ceræ Citrinæ , q. ſ. Fiat unguentum ſecundùm artem.

Unguentum Armarium.

℞. Adipis veris aprugni , urſini , an. lotones viii. Pul. Lumbricorum , Cerebri Aprugni ſiccati , Sandali rubri odoriferi , Mumiæ , Hæmatit. an. ℥. j. Uſneæ , circiter ℥. j. Fiat unguentum ſecundum artem.

Aliud ex Theoph. Parac.

℞. Uſneæ in cranio humano aliquando ſub cœlo relicto prognatæ , ℥. ij. Mumiæ ℥. ß. Adipis humani , ℥. ij. Sanguinis humani , ℥. ß. Ol. lini , drach. ij. Ol. roſarum , ℥. j. Boli armeni , ℥. ß. Hæc in mortario tunde tamdiu , donec in purum unguentum redigantur.

Vires , & uſus in medium non propono ; non ſolùm utilitati , ſed etiam curioſitati conſulere oportet.

Chymica præparatio.

UNguenta ſuperiùs facta variis modis poſſunt Chymicè præparari , de quibus varia jam tradidimus præcepta ; at quia antiquorum methodum ſequimur , eam meritò intactam relinquimus.

Unguentum Bezoardicum A. S.

℞. Succi Nicotianæ , ℔. iv. Succi Rutæ , Abſinthii , Abrotani , Card. benedict. an. ℔. ii. Axungiæ Cervi juvenis , lib. ij. Ol. Scorpionum optimi de Sem. Citri expreſſi , an. ℔. ß. Bulliant ſimul in olla vitreata , lento igne ad ſuccorum conſumptionem : mox cola , & refrigerari ſine : poſtea unguentum ſuperius , à ſuccorum reſidentiâ , (quod viridiuſculum , ſulphureiſque dictarum herbarum ſubſtantiis valde repletum erit) ſepara ; adde Extracti Alexiterii ſpecifici , ℥. iii. Extracti opii Thebaici , Eſſentiæ mumiæ , Caſtorei , an. ℥. j. Ol. Balſamici Peruviani odorif. per retortam diſtillati , Ol. de liquid. ambar. Ol. de ſtyrace liquid. Ol. ſuccini albi , an. ʒ. iv. Ol. Caryophyllorum , Ligni Saſſafras , Thymi , Roriſmarini , Camphoræ , an. unc. ii. Miſce , fiat unguentum.

Unguent. pro Scabie.

℞. Unguen. Roſati, ℔. j. Balſami Peruviani, unc. j. Mercurii dulc. ſublim. unc. j. Miſce, fiat unguentum.

Aliud.

℞. Styracis liquidæ, unc. j. Ung. Roſati, unc. ii. Miſce, fiat unguentum.

Aliud.

℞. Unguent. de lithargyrio, Unguent. Roſati, an. unc. ii. Styracis liquid. unc. j. Miſce, fiat unguentum.

Aliud.

℞. Terebinthinæ lotæ, unc. ii. Vitellorum ovorum No. ii. Ol. Roſati unc. iii. Sulphuris ſubtil. triti, drach. iii. Ceruſſæ, unc. ß. Miſce, fiat unguentum.

Aliud.

℞. Lithargyrii loti. unc. ii. Ol. roſati, q. ſ. Succi herbæ Reginæ, q. ſ. Nutriantur ſimul in mortariolo, & fiat unguentum.

Aliud.

℞. Ung. de Lythargyrio, Unguent. Roſati, an. unc. ii. Styracis liquidæ, unc. j. Cinnabaris, ʒ. iii. Miſce, fiat unguentum.

SECTIO DECIMA.

(*a*) *De Cerotis, & Emplaſtris.*

BOnoniæ, ubi hæc meditamur, Emplaſtri nomine abutuntur Medici, & pro Emplaſtro Cataplaſma intelligunt, pro Ceroto Emplaſtrum. Emplaſtrum, & Ceratum ſecundum conſiſtentiæ modum differunt: ut enim linimentum, & unguentum; ita Ceratum, & Emplaſtrum; nimirum Ceratum Emplaſtro minùs duram habet conſiſtentiam, ad Emplaſtri tamen duritiem ferè accedit. Dicitur Cerotum, & Ceratum à cera, quòd majorem partem Ceræ recipiat, & componitur hodie ex pulveribus, oleis, gummi, pice, terebinthina, & cera, additis interdum pinguedinibus, medullis, & mucilaginibus. Emplaſtrum, ἀπὸ τοῦ ἐμπλάττειν, quòd extendi, & linteo vel alutæ induci, vel illini poſſit. Eſt enim Emplaſtrum, medicamentum corpori admovendum, durum valdè, & ſolidum, eique firmiter adhæreſcens.

NOTÆ

in SECTIONEM X.

(*a*) *De Emplaſtris.* Emplaſtrum ſtomachale. Rec. Emplaſtri de cruſta panis, oxycrocei ana unciam ſemis, olei menthæ, caryophyllorum ana guttas 15. balſami Peruviani, olei nuciſtæ expreſſi ana drach ſemis, M. f. l. a. emplaſtrum, in morbis ventriculi, nauſea, vomitu, febribus intermittentibus, diarrhæa, dyſenteria, &c.

Emplaſtrum anodynum. Rec. Empl. Vigon. de ran. cum mercurio, ſpermatis ranarum ana unciam unam, olei hyoſcyami q. ſ. balſami ſulphuris ſcrupulum ſemis. M. f. emplaſtrum. In doloribus dorſi, lumborum, pleuritide, raucedine, doloribus podagricis, & tumoribus, etiam doloribus pectoris, omiſſo emplaſtro mercuriali.

Emplaſtrum ad tempora. Rec. Olei nuciſtæ expreſſi drachmam ſemis, opii ſcrupulum ſemis, camphoræ gran. ſex, olei caryophyllorum guttas quinque, balſami Peruviani ſcrupulum unum. M. f. emplaſtrum: Uſus in vigiliis ad ſomnum conciliandum, doloribus dentium, aurium, capitis.

Emplaſtrum in hæmoptyſi. Rec. Emplaſtri ſpermatis ranarum, unciam ſemis, aluminis uſti ſcrupulos duos, olei hyoſcyami q. ſ. M. f. emplaſtrum, uſus in hæmoptyſi ad præſervandum.

Emplaſtrum polychreſtum. Rec. Axungiæ humanæ, ſive equinæ unciam unam, minii, ceruſſæ ana unciam ſemis, ſaponis Venet. drachmas ſex, camphoræ parum. f. Emplaſtrum, poteſt addi oleum hyoſcyami. Uſus in catarrhis, ulceribus ſalſis, ambuſtis & inflammatis partibus, in tumoribus, hydrope, vulneribus.

Emplaſtrum ad mammas; Rec. Gummi ammoniaci drachmas duas, ceræ albæ unciam ſemis, ſpermaceti drachmam unam ſemis, olei hyoſcyami drachmam unam, camphoræ ſcrupulum ſemis, nitri ſcrupulum unum, opii grana decem, M. f. emplaſtrum Uſus in mammis induratis contra lactis coagulationem & grumæ factionem.

Emplaſtrum emolliens. Rec. Pulveris fœnigræci, lini, rad. altheæ, ana uncias duas, curcumæ unciam ſemis, olibani unciam unam ſemis, myrrhæ drachmas tres, farinæ fabarum drachmas ſex, aluminis uſti unciam unam, tartari drachmas ſex, ceræ & terebinthinæ ana libram unam, olei lini uncias tres. M. f. l. a. emplaſtrum.

Nervinum. Rec. Axungiæ humanæ unciam unam, picis albæ, ceræ ana uncias duas, olei juniperi, ſuccini ana drachmas duas. M. f. l. a. emplaſtrum.

Emplaſtrum iſchiaticum. Rec. Picis albæ, colophoniæ, ſuccini, ſulphuris ana drachmas duas, axungiæ humanæ unciam unam, olei hyoſciami drachmas tres, mercurii dulcis drachmam unam, M. f. l. a. emplaſtrum.

Emplaſtrum matricale. Rec. Tacamahacæ, galbani, myrrhæ electæ, ana drachmas tres, unguenti nervini drachmas duas, eſſentiæ caſtorei, ſuccini, ana drachmam unam, olei ſuccini guttas decem, M. f. l. a. emplaſtrum.

Emplaſtrum odontalgicum. Rec. Gummi elemi, animæ, ſtoracis, ladani optimi ana drachmam unam, olei nucis moſchatæ expreſſi drachmas duas, balſami Peruviani ſcrupulum unum, olei ligni rhodii, ſuccini, majoranæ, ana guttas tres, M. f. emplaſtrum.

Emplaſtrum diaitheæ peruſitatum eſt eximiique effectus & emplaſtrorum ſimpliciſſimum, nihilominus ejus præparatio non infimi momenti eſt. Optimè & quidem albiſſimum paratur hoc modo: ſemen fœnugræci & lini probe abluantur, non autem contundantur, & radix altheæ non minutim incidatur, infunde cum aquâ calida per dies duos, in aheno æneo leniter fiat ebullitio, ſic fit mucilago quæ tranſcoletur, quæ fiat ſpiſſa per ignem leniſſimum. Recipe hujus mucilaginis frigidæ & olei olivarum portionem æqualem, adde ſenſim atque ſenſim lithargyrii tenuiſſimè cribrati quantum ſatis, per integrum diem fiat leniſſima tinctura uſque ad conſiſtentiam.

Emplaſtrum ſpermatis ranarum. Sperma pellucidum aſſumatur, & oculi nigri remaneant, quod cum oleo & aqua ſalſa coquatur, quæ ceruſſam aggreditur, & tunc non opus eſt cera.

Argentum vivum ſi velimus addere emplaſtris, extinguatur prius in terebinthina.

Emplaſtrum triapharmacum longiſſimè coquatur.

Oxycroceum ſequenti modo optimè fit: Pix, cera flava, colophonia terebinthina junctim fluant, per linum colentur, & calida ferventur; item ſecundo fiat infuſio croci cum ſpiritu vini; Tertio ſoluta gummata cum aceto ſeorſim ferventur, item pulveres; Hæc quatuor invicem alternatim miſceantur & benè agitentur, non ſuper ardentem flammam, ſed in diplomate colliquando vel immergendo ultra medietatem patellam in aliud vas aquâ fervente plenum, ſic omnium optimè coibunt in maſſam minimè friabilem

aut

aut grumoſam, ſed ductilem : ſub continuâ agitatione ſinas refrigerari.

In emplaſtris lithargyrium exactiſſimè trituratum & cribratum ſemper prius cum oleo, axungia, vel ſuccis coquatur, deinde addi debent gummata, pulveres &c.

Quando lithargyrium vel ceruſſa cum oleo vel axungia coquitur, ſemper addatur acetum fortiſſimum

Cera flava, terebinrhina, colophonia ſeparatim ſemper liquentur, in ſartagine ; ſicque non nimis calidè ſuperioribus gummatibus ſenſim ſub continua agitatione infundantur : & alternatim inſpergantur pulveres ex gummatibus.

. Gummata etiam prius ſolvi poſſunt vel in aceto, vel in terebinthina, deinde addatur cera.

Maſtiche, thus inferatur emplaſtris, quando maſſa remota fuit ab igne.

Ad reſinas & extracta reſinoſa non ſemper ſpiritus vini rectificatiſſimus aſſumendus, ſed rectificatus.

Olea vel axungiæ tamdiu coquantur cum minio & lithargyrio, donec ſupra unguem gutta concreſcat, nec defluat amplius, tunc adde ceram, colophoniam & terebinthinam.

Emplaſtra diapalmæ ob vitriolum it. ſaturninum ſudorem eliciunt, maximè ſi partibus tumentibus & dolentibus applicentur.

Emplaſtrum Diachylon Simplex Meſ.

℞. Lithargyrii, ℥. vi. Ol. veteris, ℥. xii. Mucilaginis Sem. Lini, Fœnugræci, Rad. Maluæ, an. ℥. iii. Coquantur ſimul lithargyrium, & oleum, donec craſſeſcat ; poſtea ſenſim adde mucilagines, omnia ſemper rudiculâ ſeu ſpatulâ movendo, & fiat Emplaſtrum.

Emplaſt. Diachylon magnum Meſ.

℞. Lithargyrii tenuiſſimè triti, ℔. j. Ol. Irini, Anethini, Chamæmelini, an. ℥. viii. Mucilaginis, Sem. Lini, Fœnugræci, Bdellii, an. ʒ. v. Terebinthin. ℥. j. ß. Ficus pingues, No. xii. Sepi Hircini, Reſinæ, an. ℥. ii. ß. Ceræ, ℥. vi. Ol. Sampſuchini, & de Spica, an. q. ſ. Miſce, fiat Cerotum.

Emplaſt. Diapalma, ſeu Diachalciteos.

℞. Lithargyrii, lib. iii. Ol. veteris, lib. iii. Axungiæ porci, lib. ii. Chalciteos, ℥. iv. Coquantur ſimul Litharg. & oleum, ſpatulâ ſenſim movendo, lento igne, dein Axung. & poſtea adde ſub fine Chalcit. Nonnulli aquam addunt, & album ferè redditur.

Empl. Album, ſive de Ceruſſa.

℞. Ceruſſæ, lib. j. ß. Ol. roſati, lib. ii. Ceræ albæ, ℥. iv. Ut album evadat, plus Ceruſſæ addunt, interim maximè providentes, ne coquatur ; ubi verò coxerit, nigrum evadit.

Empl. de Janua.

℞. Succi Betonicæ, Plantag. Apii, an. lib. j. Ceræ, Picis, Reſinæ, Terebinthinæ, an. lib. ß. Fiat Emplaſtrum, M.

Empl. de Gratia Dei, Nic.

℞. Terebinthinæ, lib. ß. Reſinæ, lib. j. Ceræ albæ, ℥. iv. Maſtiches, ℥. j. Verbenæ, Betonicæ, Pimpinell. an. Man. j. Fiat decoctio herbarum in vino albo generoſo ad conſumptionem tertiæ partis. In colatura diſſolve Ceram, Reſinam, Maſtichen : bulliant, donec incorporentur, & agitentur. Tunc ab igne deponantur, & Terebinthina injiciatur, agitando cum ſpatula, & fiat Emplaſtrum.

Emplaſt. contra rupt. ſive de pelle arientia.

℞. Lithargyrii, Lapid. Hæmatit. Sanguinis draconis, Boli Arm. Opii, Maſtiches, Ammoniaci, Mumiæ, Galbani, Thuris, Coſti, Lumbricorum, an. ʒ. ß. Picis nigræ, Picis Græcæ, Ceræ albæ, Ceræ rubræ, an. ʒ. j. Rad. Conſolid. maj. minoris, an. ʒ. iii. Roſar. rub. Myrrhæ, Aloës, an. ℈. xviii. Succi Hypociſtidis, Gallar. immaturat. Balauſt. Ariſtolochiæ rotund. an. ʒ. vi. Viſci quercini, Terebinthinæ, an. ʒ. ii. Sanguinis hominis ruffi, ℥. ix.

Fit autem hunc in modum : Pellem arietinam integram cum omnibus pilis coques in aqua, donec ferè omnino diſſoluta ſit in lentorem quendam, quem colabis. Hujus colaturæ ſume lib. j. immitte in vas novum, in quo viſcum liquabis lento igne, rudiculâ ſemper agitando : injice deinde lumbricos, poſtea ceram, terebinthinam, & maſtichen : his liquatis, adde gummi acero diſſolutum, & coque ad cerati craſſitiem. Poſtremò injice, quæ terenda ſunt, probè trita : Probè miſceto, & confice magdalias. Arnaldus.

Emplaſt. de Ranis Jo. de Vigo, nonnullis de Vipera.

℞. Ol. Chamæmeli, Anethi, de ſpica, de Lilio, an. ℥. ii. Adipis porci, Vituli, an. lib. ß. Euphorbii, ʒ. v. Thuris, ʒ. x. Ol. Laurini, ſeſcuntiam, Adipis viperæ, ℥. ii. ß. Ranas viventes, No. ſex. Limbricorum in vino lotorum, ℥. iii. ß. Succi rad. Ebuli, & Enulæ, an. ℥. ii. Schœnanthi, Stœchacis, Matric. an. Man. j. Vini odoriferi, lib. ii. Coque omnia ſimul ad vini conſumptionem : colentur. Colato adde lithargyrii aurii, lib. j. Terebinthinæ claræ, ℥. ii. Cum cera alba fiat Emplaſtrum, addendo in fine Styracis calamitæ, ſeſcunciam. Et igni ablatum piſtillo tribuletur, donec ſit tepidum. Tunc adde argenti vivi, ſalivâ extincti, ℥. iv. miſce diu piſtillo.

Emplaſtrum, ſeu Cerotum de Vipera.

℞. Pinguedinis Viperæ, ℥. iii. Ung. Populeonis, lib. j. ß. Lithargyrii, ℥. iv. Picis Græcæ, ℥. vi. Ceræ albæ, ℥. iv. Coquantur in unguentum, & ſub finem adde Spinæ viperinæ ſubtil. pulveriz. ℥. ii. Minii ſubtil. pulv. ℥. j. Fiat Cerotum ſecundùm artem.

Valet ad diſcutiendos tumores duros, & ad gummata Gallica reſolvenda.

Emplaſtrum oxycroceum.

℞. Croci, Picis, Colophoniæ, Ceræ, an. ℥. iv. Terebinthinæ, Galbani, Ammoniaci, Myrrhæ, Thuris, Maſtiches, an. ℥. j. Miſce, fiat Empl. Galbanum & ammoniacum diſſolvi prius debent in Aceti ſ. q.

Empl de Meliloto Andromachi.

℞. Nardi Gall. Cyperi, Iridis, Myrrhæ, an. ʒ. viii. Croci, unc. ſemis. Meliloti, ʒ. xxv. Ammoniaci, Terebinthinæ, an. ʒ. L. Ceræ, ʒ. C. Olei Cyprini, unc. vi. Aceti, q. ſ. Fiat Emplaſt.

Empl

Empl. ſticticum Crolli.

♃. Minii, Lapid. Calaminaris, an. lib. ß. Lithargyrii auri, & argenti, an. unc. iii. Ol. lini, Olivarum, an. lib. j. ß. Laurini, lib. ß. Ceræ, Colophoniæ, an. lib. j. Vernicis, Terebinth. an. lib. ß. Opopanacis, Galbani, Serapini, Ammoniaci, Bdellii, an. ℥. iii. Carabes citrinæ, Olibani, Myrrhæ Alexandrinæ, Aloës epat. Ariſtol. utriuſque longæ & rot. an. ℥. j. Mumiæ, Magnetis, Hæmatit. an. ℥. j. ß. Corall. alb. & rub. Matris perlarum, Sanguinis draconis, Terræ ſigillatæ, Vitrioli albi, an. ℥. j. Florum antimonii, ʒ. j. Croci Martis, parum, Camphoræ, ℥. j. Coque primò Lithargyrium, & minium, cum oleis; paulò poſt adde lapid. calam. ceram poſtea, & tandem Gummi cum Terebinthina mixta, eaque prius ad mellis craſſitiem cocta, quibus ultimò addantur pulveres. Mira de hoc Emplaſtro efferuntur, maximè in cruentis, & in inveteratis ulceribus.

Aliud ex Chirurg. Magna Theoph. Parac. P. p. T. ij. C. vj.

♃. Ceræ virg. lib. j. Picis Græcæ tandundem, Terebinthin. quart. j. Colliquatis ad ignem, inſperge Pul. Maſtiches, Succini, Myrrhæ, thuris an. ℥. v. Mumiæ, ℥. ii. Aloës Epaticæ, ℥. j. ß. Camphoræ, unc. ſemis. Miſce, fiat Cerotum.

Aliud.

♃. Ceræ, lib. j. Colophoniæ, picis an. ℥. iii. Gummi Ammoniaci, ℥. ii. Bdelli, ℥. j. Magnetis ſubtil. triti, ℥. iii. Miſce, fiat Cerotum.

Aliud deſcript. noſtræ.

♃. Maſtiches, ℥. j. ß. Succini, ℥. ß. Camphoræ, ʒ. ii. Ceræ citrinæ, ℥. iv. Ol. Balſamici vulnerarii, q. ſ. Liquentur ſimul: ſub finem adde. Terebinth. Picis nigræ, an. ℥. j. Thuris, Ariſtoloch. rotund. Mumiæ, an. ʒ. vi. Miſce, fiat Cerotum.

Aliud.

♃. Lythargyrii auri loti, lib. j. Ol. vulnerarii *in prim. part.* deſc. lib. ii. Succi Ophiogloſſi, Bugulæ, an. ℥. iii. Coquantur ſimul, ſpatulâ ſemper movendo, donec in Emplaſtri craſſitiem evadant. Refrigeratis ferè adde Terebinthinæ, Gum. Opopanacis, Ammoniaci, Sagapeni, an. ℥. ii. Pulv. Thuris, Ariſtolochiæ, Mumiæ, an. ℥. ß. Miſce fiat ceratum.

Ceratum, ſive Emplaſt. de Cruſta panis.

♃. Maſtiches, Menthæ, Spodii, Coralli rubri, ſantal. albi rubri, an. ʒ. j. Cruſtæ panis toſtæ, & maceratæ in aceto per horam mediam, unc. ii. Ol. Maſtichini, Cydoniorum, an. unc. j. Farinæ hordei, q. ſ. Fiat Emplaſtrum, ſeu potiùs Cataplaſma. Valet in vomitu puerorum, & his qui cibum retinere non poſſunt.

Ceratum Diaphœnicum Calid. Meſ.

♃. Ceræ, unc. ii. Ol. roſati, Nardini, an. unc. iv. Dactil. ſicc. No. 40. Panis biſcocti, ʒ. viii. Macerentur biduo in vino opt. poſtea rec. Carnis Cydonior. in vino coct. unc. j. Maſtiches, Thur. Abſinth. an. ʒ. ii. ß. Ligni Aloës, Macis, Myrrhæ, Aloës lotæ, Spicæ nardi, Acaciæ, Galliæ moſchatæ, Trochiſch. ramich, Calam. arom. an. ʒ. j. Ladani, ʒ. ii. Miſce, fiat Emplaſtrum.

Chymica præparatio.

OLea, Unguenta, Linimenta, Cerota, & Emplaſtra, quæ interiores partes forinſecùs admota juvare creduntur, ſi diſtillatione attenuentur, depurentur, & exaltentur, id faciliùs præſtare nemo eſt qui ignoret. In utroque Ceroto, ſeu Emplaſtro, præcipua vis in aromatis, pane, maſtiche, & paucis oleis conſiſtit. Qui de Cruſta panis conficere voluerit, accipiat ſpiritum panis cum ſuo oleo, & cum oleo maſtiches, & menthæ: in his liqua Ceram, & forma Emplaſtrum, cui adde ſi volueris ſalia corallorum, & ſpodii.

Si Cerotum diaphœnicum tam calid. quàm frigid. Accipe aromata in eo deſcripta, macera in vino optimo rub. diſtilla per refrigeratorium: eâdem viâ tincturam, & ſalem conficies. His miſce ſpiritus, & olei panis tantillum, quibus maſtiches oleum adjunges, & tandem in his ſolve ceram, & fiat Cerotum. Sed minori cum labore parabis Emplaſtrum ſtomachicum præſtantiſſimum, hoc modo.

♃. Ol. Maſtiches per retortam deſtill. ℥. ß. Ol. Menthæ, Abſinthii, Nucis moſchat. Caryophyllorum, an. ʒ. j. Gummi Tacamahaca, unc. j. ß. Ceræ citrinæ, unc. iv. Miſce, fiat Ceratum.

Aliud.

♃. Schœnant. Calami arom. Spicæ nardi, Macis, Caryophyllorum, Abſinthii, an. unc. j. Thuris, Labdani, an. unc. ß. Maſtiches, unc. ii. Zingiberis, unc. ß. Macerentur triduo in ſ. q. vini optimi: poſtea per refrigeratorium oleum, & aquam prolice. Primâ aquâ prolectâ auge ignem, & habebis oleum graviter olens, rubicundi coloris. In utroque oleo ſolve Gummi Tacamahacæ, unc. j. Ceræ citrin. unc. iii. Miſce, fiat Ceratum.

Emplaſt. pro ulceribus ſordidis.

♃. Ol. Plumbi, unc. ſemis. Ol. vulnerarii Balſamici, unc. iii. Succini, Maſtiches, an. unc. ſemis. Lithargyrii loti, unc. j. Cinnabaris, drach. ii. Ol. Mercurii, drach. j. Miſce, fiat Emplaſtrum.

Emplaſtrum Magneticum Angeli Salæ.

Rec. Antimonii crudi, Sulphuris flavi, Arſenici albi, an. ℈. ii. Pulverizentur omnia ſubtiliſſimè, & in matracio ſeu phiala, ſepeliantur in arena, uſque ad aliqualem eminentiam, ſubminiſtretur ignis, donec omnia liqueſcant, id quod ſtylo ferreo experiri licet, ſi nimirum materia eidem adhæſerit, & inſtar terebinthinæ ductilis fuerit coloris rubei ſubobſcuri. Vaſe refrigerato eximitur materia, quæ eſt dura inſtar picis, vocaturque magnes arſenicalis. Hic magnes Arſenicalis venenatus ampliùs non eſt; ſine enim noxa omnibus animalibus dari poteſt. Præterea cauterium

terium potentiale eſt inſigne, quod ſine ulla inflammatione, aut corroſione dolorifica operatur. Uſus ejus eſt in peſte, ex hoc componitur Emplaſtrum.

℞. Hujus lapidis Arſen. Magnet. drach. iii. Terebinthinæ lariceæ, Ceræ, an. unc. ſemis. Gummi Serapini, Ammoniaci, Galbani, an. drach. iii. Ol. Succini, drach. ii. Terræ vitrioli optimè lotæ, drach. j. Diſſolve priùs gummata in aceto ſcillitico: ſolutionem per pannum lineum cola; & exprime, eamque tamdiu bulliendo inſpiſſa, donec acetum fuerit conſumptum, & gummata ad priorem conſiſtentiam redierint. Deinde ſeorſim Ceram, & Terebinthinam eliqua, & extra ignem aliquandiu agita, donec ad ſpiſſitudinem unguenti redigantur. Porrò adde gummata purificata, & inſuper pulverem magnetis arſenicalis, cum vitrioli terra, & oleo ſuccini.

Hoc Emplaſtrum ulceribus, & carbunculis peſtilentialialibus more conſueto applicatum, ſubitò rumpit eadem, & venenum ex imo inſtar magnetis potenter attrahit, nec apertum ulcus coire patitur, ante perfectam extractionem omnis venenoſitatis.

Emplaſtrum Attractivum.

Rec. Lithargyrii, Lapid. Calamin. Succini, Magnetis, an. unc. ii. Pulveriſata omnia tenuiter, coque in olei lini lib. j. ß. Ceræ, lib. j. Terebinthinæ, lib. ß. Vernicis, unc. iv. Coque aliquandiu, donec inſpiſſentur. Adde poſtea gummata ſequentia, vulgari modo in aceto ſoluta, & colata, viciſſimque, Opopanacis, Serapini, Galbani, Bdellii, Ammoniaci, an. drach. j. ſemis. Ebulliant leviter; In fine adde pulverum, Maſtiches, Thuris, Myrrhæ, Aloës hepaticæ, an. unc. j. Deligenter move ſpatula, & tandem malaxando in magdaleones redige. Valet in tumoribus podagricis, quos in aquam ſolvit, & extrahit.

Aqua Cardiaca pro malignis Peſtilentibuſque Febribus, omnium præſtantiſſima, cujus uſus erit ad curationem, & præcautionem.

Rec. MEliſſæ, Cardui benedicti, cicerbitæ, Veronicæ maris, Ulmariæ, Pimpinellæ, an. m. iv. Ex his ſuccum exprime, in quo macera radicum Angelicæ, Tormentillæ, Enullæ Campanæ, Biſtortæ, Gentianæ, cinnamomi, an. unc. ii. Vini albi, libras duas. Digerantur triduo in vaſe vitreo benè obturato; & tum per alembicum vitreum, calore balnei Mariæ, extilletur aqua.

Doſis eſt ab unciis duabus ad uncias quatuor. Sudorem excitat, roborat vires, & non rarò extinguit febres.

Aqua Panis.

℞. Micæ Panis albiſſ. lib. xv. In vaſe vitreo infunde, & macera in fimo equino per menſem in ſuff. quantitate aquæ communis, & diſtilla per Balneum Mariæ: & excipies aquam fragrantem primò, inſipidam poſtea. Antequàm diſtillationem inſtituas, vini albi generoſi adde drach. v. Cinnamomi contuſi uncias tres. De hac aqua unciam unam, aut duas dabis pro doſi, cui addere poteris tantillum ſacchari albi, ut pro unc. ii. unc. dimidiam Sacchari. Hæc aqua vires mirificè recreat, ac reſtaurans eſt præſtantiſſimum.

Aqua Margaritarum.

℞. Margaritas Orientales, Aceti albi diſtill. an. q. ſ. diſſolve uniones cum Aceto diſtillato, acetum evapora in ſatis lento igne, & in fundo vaſis ſalem invenies, qui per retortam pellatur, & habebis aquam fragrantiſſimam, reparandis viribus idoneam: cujus doſis eſt dimidia dragma cum juſculo carnis.

Aqua Reſtaurativa.

Rec. Pulpæ Caponis lib. j. Pulpæ Perdicum lib. ſemis. medullæ Panis albi, lib. ij. Aquarum Roſarum, meliſſæ, florum Citrii, an. lib. j. vini albi generoſi, lib. vi. Schœnant. galangæ, macis, caryophyll. an. drach. vi. Cinnamomi, unc. iii. indantur omnia urinali vitreo, ſatis amplo, & detineantur iu fimo equino per 15. dies, urinali primò ſuo capitello bene obturato. Diſtilla poſtea ad calorem Balnei Mariæ, & habebis aquam optimam, viribus reparandis idoneam. Dantur unciæ duæ cum pauco ſacchari, ſemel, aus bis in die.

Antidotus Antipyretos non ſolut.

℞. Conſerv. florum Boraginis, florum Centaurii min. flor. viol. Roſarum, an. unc. ii. Salis Antimonii optimè depurati, unciam dimidiam, flor. Antimonii diaphoretici, drachmas ſex, cum ſyrupo de Corticibus citrii miſce, & fiat Antidotus, de qua dantur drachmæ duæ, tres, aut quatuor pro doſi. Sanguinem ſenſim repurgat, obſtructiones reſerat, lienis & jecoris duritiem emendat: neque vomitum, neque alvum movet: febres quaſcunque radicitùs evellit.

Antidotus Antipyretos Purgans.

Rec. Extracti radicis Tithymali Cypariſſiæ, Scammonii per aquam vitæ depurati, & præparati, an. unc. j. Conſerv. flor. Roſarum, Conſerv. flor. Boraginis, florum Antimonii diaphoretici, an. ʒ. vi. cum ſyrupo roſ. ſol. fiat Elect. de quo doſis erit ʒ. ii. & unc. ſemis.

Elect. de Croco Martis ſimplex.

Rec. Corticis Citrii ſacchato conditi, Conſ. pulpæ Cydoniorum, an. ℥. ij. Croci martis, ℥. dimidiam. Miſce & fiat Electuarium, cujus doſis eſt à ʒ. ß. ad duas.

Elect. de Croco Mart. ſol.

Rec. Conſ. Borag. violar. roſarum, an. ℥. j. pul. Sennæ Orient. drachmas vi. Croci martis, drach. v. Syrupi de pomis Saporis Regis, q. ſ. Miſce, fiat Electuarium, cui adde ol. aniſi guttas viii. Doſis à drachma una, ad duas, & tres.

Utriuſque Electuarii vires ſunt imperſcrutabiles: in cachexia quantum valeant, ſatis notum eſt. Obſtructiones tam jecoris, quàm lienis, optimè reſerant.

Decoct. Catholicum.

In *noſtris curationibus* ſæpè fit mentio Decocti Catholici, tanquam potionis admodum univerſalis: Deſcriptionem ipſius ſic habeto.

Rec. Radicis Graminis, unc. iij. ſalſæ parillæ, unc. ij. fol. Cichorii, agrimonii, pimpinellæ, betonicæ, Capil. ven. an. M. j. ſennæ Orient. epithym. an. unc. j. florum violarum, borag. an. p. j. aniſi, drach. ij. liquirit. unc. dimidiam. Coquantur omnia in libris viij. aqu. comm. in duplici vaſe, calore Balnei Mariæ, Doſis erit ab unc. iij. ß. aut iv. ad ſex.

Decoct. Hydroticum.

Decocti Hydrotici pariter frequens fit mentio in *noſtris curationibus.* Paratur verò hunc in modum.

Rec. Raſuræ ligni Indi, lib. j. Corticis ejuſdem ligni, uncias tres, Baccarum Juniperi, unc. ij. Macerentur ſimul in vaſe terreo devitreato, ſtricti orificii, cum lib. xx. aquæ communis, & ſpiritus ſulphuris dulcoacidi, ℥. ij. in loco frigido per 10. vel 15. dies, donec certam quandam fermentationem acquiſiverint, quod fit citiùs aut tardiùs, pro aëris & tempeſtatis conditione. Tunc per Balneum Mariæ coque ad medietatem, & aquam evoca ſimul inter coquendum; quod facilè fit cum amplo urinali, cum ſuo capitello. Utrumque liquorem ſeorſum ſerva. In Decocto, quod erit circiter librarum x. infunde Radicis Chinæ ſelectæ in taleolas diſſectæ, Salſæ parillæ, an. unc. ij. ligni Saſſafras, unc. j. Santal. albi, unc. dimidiam. Coquantur iterum ad medietatem, quæ circiter lib. v. erunt: quibus addimus, vel liquiritiam, vel ſaccharum, vel aniſum ſaccharo condîtum, ſaporis gratiâ. Item ſi laxativum exoptemus decoctum, ei ſennam addimus; hermodactyllos non raro. Doſis ab unc iv. ad vi. Sudorem movet: & in lue Gallica præſtantiſſimum eſt medicamentum. Item in Hydrope, & aliis.

Electuarium de Baccis Juniperi.

In Paralyſi, in morbis ventriculi, renum, & inteſtinorum, frequenter uſurpamus Electuarium de baccis Juniperi. Parandi autem modus ſatis eſt communis: Coquuntur enim baccæ maturæ Juniperi in ſufficienti quantitate aquæ communis.

Ung. Magiſtrale.

Rec. Fol. bugulæ, alchymillæ, plantag. peti, ſive herbæ reginæ, ſummitat. Hipericonis, an. M. ij. Infundantur ſ. q. Ol. roſati per octo dies, & colentur: In colatura liquentur Ceræ citrinæ, unc. tres, pro qualibet liq. Terebinthinæ claræ, unc. j. Antimonii ſubtilliſſimè triti, Tuthiæ præparatæ, an ℥. vi. Ceruſſæ lotæ, Cinnabaris lotæ, an. unc. j. Miſce, fiat unguentum.

Unguentum Vulnerarium.

Rec. Ol. balſamici cum herbis vulnerariis, (de quo in *ſectione de Oleis*) lib. ij. Terebinthinæ, unc tres. Ceræ citrinæ, lib. ß. Galbani depurati, unc. ij. Pulv. præcipitati albi dulcorati, pulv. Vernicis, an. unc. ß. Miſce, fiat unguentum.

De Auro Diaphoretico.

Pro auro Diaphoretico, recentiores nonnulli putant intelligendum eſſe magiſterium auri cum aquâ regia factum, de quo in *ſecundo libro. cap. de auro*, nec in totum errant: nam dictum aurum, cum duplici portione florum ſulphuris, iſtam amittit volatilitatem ſuam, & in pulverem rubicundiſſimum vertitur: Id ſi in vaſe circulatorio ſub ſimo equino circuletur per quindecim dies, cum aqua vita alkalizata, acquirit magnam tenuitatem, & penetrandi potentiam. Ejus uſus nobis fuit olim ſatis communis, modò verò ſequenti utimur.

Rec. Auri puriſſimi partem unam, Mercurii Antimonii q. ſ. diſſolve, & fiat amalgama: hoc verò coque blando igne per ſpatium 4. dierum, in vaſe vitreo ſeſquicubitum alto, cujus pars inferior ſit ampla & alata, ſuperior verò ſtricta, & longa. Ignis ſit blandus & continuus. Hoc modo amalgama in rubicundiſſimum pulverem vertitur, qui per xv. dies circuletur cum ſpiritu vini in ſimo equino. Spiritum tandem evoca, & habes aurum tuum præparatum. Doſis erit à granis iv. ad v. aut viii. ex conſerva quavis, etiam in vino, aut juſculo carnis.

Aurum Diaphoreticum Theop. Par. lib. de malè curatis reſtit. lib. 3. c. 25.

Rec. Auri ℥. j. ex eo duæ patellæ fabricentur; ac per eſſentiam vini ſecundum artem, in primo gradu Athanoris, illæ in liquorem reſolvantur. Doſis eſt ℈. iij. in vino.

Theriaca metall.

In *noſtris obſervationibus* non rarò fit mentio Theriacæ metallorum, non aliâ de causâ, niſi quòd ex metallis medicina fit Theriacalis adverſus venena, & quæ peſti, peſtilentibuſque morbis conveniat. Paratur verò ſic:

Rec. Mercurii reſuſcitati partes quatuor, Reguli ſtellati antimonii partes duas, Auri puriſſimi partem unam. Liquetur aurum cum regulo, cui adde mercurium concalefactum ſeorſum, miſceantur invicem, & fiat maſſa, quæ pulverizetur ſuper lapidem porphyreticum. Hæc materia coquatur lento calore, in ſufficienti quantitate balnei Hermaphroditici, donec omnia probè fixentur. Doſis erit à ℈. vj. ad x.

Mumia mineralis.

In mineralibus ſumma eſt dulcedo, quæ propriè in illis Mumia dicitur. In plumbo magna eſt, ut patet per ſalem ipſius. Hoc accipimus cum duplo mercurii, excoquantur ſimul ſecundum artem, & fiat pulvis, qui commodè unguentis admiſcetur. Olea, quæ ex his parantur, veriùs mumiæ appellantur: at quia non ita facilè parantur, hac de re præſenti contenti ſumus.

Liquor dulco-acidus Sulphuris.

In nonnullis malè curatis, & his quibus mercurius fuit pravè exhibitus, maximo cum fructu præſentem liquorem exhibemus. Fit verò ejuſmodi liquor more olei Sulphuris, vitra tantum, ſive campanam foliolis auri inducimus, foliola ad hæc communia, quibus unuſquiſque utitur

utitur vulgariter, intelligimus. Liquor qui hac viâ exſtillatur, mirâ dulcedine donatur, & multas poſſidet vires, quas ſtudio brevitatis omittimus.

Pilulæ Polychreſtæ.

Rec. Aloës ſuccotrinæ, unc. j. Maſtiches, drach. ij. macis, galangæ, an. drach. dimid. mercurii dulcis præcipitati ſine corroſivis, drach. j. & dimid. cum Syrupo roſato ſolutivo, fiat maſſa, cujus doſis erit, drach. j. & drach. j. ß.

Ejuſmodi pilulæ verè multarum ſunt virtutum: Clementiſſimè purgant: tutò noctis tempore exhibentur. Cerebrum maximè purgant; ventriculum pariter, & inteſtina; vermes enecant: mira etiam alia præſtant, de quibus *in centuriis.*

De ſpecifico ſtomachico.

SPecificum ſtomachicum dicitur, quòd ſpecialiter juvet ſtomachum, quo nomine non ſolùm ventriculum intelligimus, ſed omnem locum in quo fit concoctio, & quia in unoquoque membro peculiaris fit digeſtio, ideò in his ventriculum, ſeu locum concoctionis adeſſe ſtatuimus: quod alii de glutine, rore & cambio dicunt, idem atque nos ſentire videntur. In ventriculo, quem vulgus ſtomachum appellat, prima fit concoctio, quæ ſi ex ſententia perficiatur, omnia læta ſunt. Et ut in ſingulis membris coctionem fieri diximus, ita & ſeparationem alimenti ab excremento: Alimentum in membri ſubſtantiam tranſit; excrementum tanquam inutile foràs truditur, vel per commune, vel per proprium emunctorium. Eſt verò multiplex excrementum totius corporis, unum ſenſibile, aliud inſenſibile. Senſibile varia obtinuit emunctoria: ſic inteſtinorum, habet alvum; Renum, veſicam; de Capite idem cenſendum; ſputum eſt Cerebri, ſicuti & mucus narium. Aures flavam quandam materiam continuò emittunt. Oculi pariter lachrymas fundunt pro excremento, & maximè poſt ſomnum. Ubi proba fit concoctio, ibi pariter facilis excrementi ſegregatio. Hoc medicamenti genus ubique locorum concoctiones juvat, & ob id univerſale dicitur. Particulare redditur etiam alterius interventu, uti ſi univerſale deſideras, fac ut Solis ſplendore illuſtretur, cujus influentiâ non tantùm ejus tenebræ removentur, verùm & ejus benefico calore, illius compacta materia attenuatur & ferè fermentatur. Ab aliis planetis influentias pariter recipit, & magis particularis fit. Hæc verò materia ubique reperitur, in uno pluſquàm in alio. Ejus medio quandoque fœcundantur agri, vegetant plantæ, adoleſcunt & fructificant arbores. Sine ipſa nulla fit concoctio, terrà ejus præſentia orbata ſterileſcit. Solâ coctione indiget, ſi ſemel ab omni terræ illuvie repurgetur. At hæc ſatis, alibi fuſiori ſermone ſperamus genuinam ejus præparationem docere. Interea ſcias velim, hoc medicamenti genus naturam ad coctiones promovere, humores mitigare, efferatos ſpiritus coërcere, pacificare, & ad propria officia reducere.

PETRI POTERII DE FEBRIBUS LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

In quo inſtituti ratio, & ſcribendi occaſio.

FEBREM, malorum omnium, quæ humanam ſalutem impetunt, eamque demoliuntur, primas tenere, cæteriſque malorum generibus palmam præripere, obſervamus quotidiè, neque mali genus eſt, cui magis homo ſit obnoxius. Mortales cujuscunque ſortis, & conditionis adoritur, nulli ætati parcens; & reverà immanis hæc fera in quamcunque regionem graſſatur, neque tempeſtati, neque hominum conditioni indulget, æquo pede pulſat pauperum tabernas, regumque turres. Sancitum fuit olim, neminem ſine febre mori; unde ſatis mirari non poſſum, cur homo in tantum hoſtem hucuſque ſatis haud ſibi proſpexerit. Fateor equidem de hoc truculento hoſte librorum myriades conſcriptas eſſe, in quibus de ejus eſſentia, ortu, & curatione, & pari filo, nec minori dicacitate de illas ſanandi methodo, at infelici eventu; nam etiamſi eorum dogmata ad unguem ſectaris, nonniſi umbras, & mera figmenta comperies. Quid mehercule turpius, quàm in re tam clara (ut ipſi jactitant) turpiſſimè deficere? Adeſt tertiana, quartana, aut quævis alia febris, parati ſint hi milites, inſtituant omnes artes, baliſtas, arietes, catapultas, & quotquot recenter inventa ſunt tormenta bellica, dirigant ad earum ferociam retundendam, nihil planè opis, ſpretis eorum artibus ſuam tyrannidem non minùs in nos exercent: earum paroxyſmus, durationis tempus, & ſæva earum ſymptomata nec minimum remittuntur: curati, atque incurati eadem afflictio; immo qui Medicorum caſtra effugiunt, in minores anguſtias incidunt; unius ſaltem hoſtis tela in ſe vibrata ſentiunt: fœtidas, amarulentas, & horridas potiones non deguſtant; cruces, & tormenta, utpote phlebotomias, cucurbitulas, hirudines, veſicatoria, inuſtiones & alia morbis ipſis graviora experiri non tenentur. O fœlices ruſtici! & vos Orientales, & Auſtrales gentes beatæ! quæ ejuſcemodi artibus caretis, non cum larvato amico, tanquam cum truculentiſſimo hoſte, vos dimicare oportet, uti nos cives Europæos, qui non ſolùm aperto Marte, cum communi hoſte, morbo videlicet, decernendum habemus de pace, ſed fucato amico vires nobis à Natura conceſſas opponere, & ubi integris viribus tanto hoſti reſiſtere deceret, diverſione quadam, eas dividere neceſſe habemus: ſic non unitâ ſed diſpersâ virtute, coram ſæviſſimo tyranno ſuccumbere cogitur patiens. His & aliis pluries apud me ſubductis, unde tantus ſopor tamdiu mortalibus inſedit? unde in re tam aperta, tanta ſocordia? unde in tanta neceſſitate, tanta penuria? hoc potiſſimum in cauſa eſſe viſum eſt, quia documentis effaſcinati, his facilè acquieſcimus, & ſupra eorum ſenſa, nihil ſciri poſſe falsò arbitramur: immemores, quòd quotidiè nova in rerum natura emergant, quòd antiqui non omnia ſciverint, & quòd longè majora ſint, quæ neſcimus. Quid plura? nonne ſunt infinita Dei opera, quæ cacodæmonis aſtu nobis perpetuò obſcurantur, nec niſi ejus benignitate, in lucem ſe proferunt? Hujus luminis ſplendore delinitus, quid in re tam utili, tam jucunda, & mortalibus neceſſaria ſentiam, in medium proferre omninò ſtatui; quid in contrarium ſentiant larvati iſti miſelli, parum refert: etenim veritatis clypeo muniti, nihil timebimus; atque adeò etſi totus laberetur orbis, impavidum ferient ruinæ. Tu interim inconcuſſa Veritas, lux incomparabilis, ſcientiarum & diſciplinarum fax indeſinens, benigno tuo ſplendore ab intellectu noſtro, ignorantiæ Cimmerias perfectè remove tenebras, ut ad te fidiſſimum doctorem, pervenire poſſimus. Interea non me latet immenſum pelagus aſſiduè ventis, procellis, & turbinibus agitatum; ſyrtibus, ſcopulis, & variis ignorantiæ voraginibus refertum, ingredi me, in cujus velificatione nauclerus peritiſſimus maximè requiritur: nec ſatis confido ad tantam velitationem vires meas ſufficere poſſe, at in arduis voluiſſe ſat eſt. Hîc non ſolùm noſtræ ſunt partes, de univerſa humani generis ſalute agitur, de proximi bono ſermo habetur, de hominum ſecuritate tractatur. Sed modò itineris curſum inſtituamus, navis noſtræ imbecillitatis proram & puppim, ad Deum noſtrum, fidiſſimam

Veritatis

Veritatis cynoſuram, dirigamus, & velis ac rudentibus explicatis, ad eum tutiſſimè contendamus: in quo peragendo, veterum, & neotericorum placita primò expendere licebit, quæ ſi agitata, & ſatis firma haud reperiantur, nova experientiis & rationibus confirmata, eorum loco reponere decrevimus. A definitione febris eſſentiam aperiente exordiar; à qua ad diviſionem &c. & tandem ad curationem.

CAPUT II.

Febris nomen.

FEbris à fervore, vel feritate Latinis dicitur, & reverà immanis eſt fervor, & ingens feritas ſuam tyrannidem in omnes æqualiter exercens. Grecis *πυρετός*, à nomine *πῦρ* quod eſt ignis. Unde apud Hipp. legimus febrem Cauſonidem appellari, quaſi magnum ignem: etenim Cauſus idem quod ardor ingens, & uſtio, hinc *καῦσοι γίνονται πυρετοὶ* ardores vertuntur in ignes, aut febres Cauſonides fiunt ignes. Hebræis דלקת *Dalechet*, à verbo דלק *Dalach*, quod etiam eſt ardere, accendere, & urere: & dicitur *Deſcheph*, רשף quod eſt pruna, & carbo accenſus: *Deuteron. c.* 34. ולחמי רשף מזי רעב. Dicitur etiam קדחת *chadachat*; quod pariter eſt ardere, incendere, à verbo קדח *chadach*, *Deuter. c.* 24. יככה יהוה בשחפת ובקדחת ובדלקת quâ nominis appellatione, febris eſſentiam ſatis explicatam haberemus; nî noſtrâtes verbis plus juſto oblectarentur; ea eſt enim linguæ ſanctæ proprietas, ut rerum eſſentias propriis nominibus deſignet: & reverà ſi febris naturam ſolo naturæ lumine perpendamus, verè ignem Microcoſmicum appellabimus. At quia de nomine lis nobis non eſt cum Grammaticis, ad ejus eſſentiæ notitiam deſcendamus. Scimus enim veram febris nomenclaturam, ejus notitiam, & curationem effugere non poſſe.

CAPUT III.

Febris Definitio diſcutitur, & incerta redditur.

OMnis noſtra cognitio, vel nobis à Natura inſita eſt, vel ratiocinio colligitur: ratiocinamur de ſingularibus, à quibus progredimur ad univerſalia; & quia non poſſumus ex illis ſcientiam inſtituere, oportuit ab univerſalibus præcepta trahere: univerſalia quippe in ordinem deducta, per proprias differentias, genera ſuprema, & infima ſtatuunt. Sic æquum erat partes eſſentiales, quibus res conſtarent, priùs exponere; etenim ut res naturales conſtant materiâ & formâ, ita res ratiocinio comprehenſæ, genere & differentiâ, Febres non diſſimili ratione: qui enim febrium notitiam poſteris tradiderunt, dixerunt febrem eſſe calorem præter naturam totum corpus infeſtantem, ut ex Gal. patet *lib.* 5. *de morb. differ. cap.* 5. alibi dixit *lib.* 1. *Aph. cum. com. xvj. & lib.* 1. *de ratione victus acut. com. xviij.* febrem eſſe calorem extraneum accenſum in corde, procedentem ab eo, mediantibus ſanguine, & ſpiritu, per arterias, & venas in totum corpus. Fernel. non diverſo modo dixit, febrem eſſe calorem præter naturam è corde per omne corpus diffuſum. Quibus liquet, ejus eſſentiam duabus illis partibus conſtare, calore videlicet, & præter naturam. De hoc calore multa alii decantant, ſunt qui intemperiem ſimplicem, ſunt qui cum materia eſſe dicant: qui ſubſtantiam, qui qualitatem puram, qui corpus adventitium, qui qualitatem auctam, qui forinſecùs advenientem, qui diſpoſitionem, qui habitum, qui qualitatem paſſibilem. Mirum videre eſt, quot quæſtiones vanæ, & inutiles. Unuſquiſque jactat ſe rem acu tenere: ſed his brevitatis ſtudio omiſſis, communem ab omnibus ſimplici ſermone receptam examinare placet, ſive ſit Avicennæ, ſive Fernel. parum refert, eadem eſt cum Galenica: quod enim Galenicæ adjicitur, eſſentiam non variat, ſed modum, & ſedem connotat. His ergo conſtat, calorem eſſe genus, præter naturam, differentiam. Quòd calor non poſſit eſſe genus, ſatis patet, ſi genus verè ſumatur pro natura quadam univerſali univoca, quæ de pluribus differentibus ſpecie dicatur, in eo quod quid eſt; calor enim non poteſt dici natura univerſalis, ſicut Animal. Dum intelligo Animal, quidpiam ſeorſum conſiſtens intelligo; dum verò calorem, nonniſi affectionem, qualitatem, aut affectum alicujus rei. Præterea calorem nil aliud eſſe quàm ſingulare accidens, nec poſſe prædicari de pluribus, ſatis clarum eſt. Nec valet, eum ab intellectu abſtrahi poſſe à ſingularibus, & in univerſalem conceptum verti. Eodem modo chimæras, mille nugas poſſumus intellectu formare, nec propterea ſunt in rerum natura. Non me latet, Ariſt. dixiſſe univerſalia eſſe tanquam accidentia, & ſignificare quale quid, non hoc aliquid, quòd partes ſint hoc aliquid conſtituentes, non propterea ſingularia ſunt. Sunt equidem partes, ſed univerſales, & ſeorſum in rebus per intellectum conſiſtentes, & in eorum conceptu ſubſtantia quædam univerſalis intelligitur, & hæ ab Ariſt. ſecundæ ſubſtantiæ appellantur. Rurſus quod dicit tanquam accidentia, ſatis notat non eſſe accidentia, ſed veluti accidentia, quæ inſunt rebus, ſic univerſalia de ſingularibus prædicari. Non ita calor, cujus eſſentia in ſola hæſione conſiſtit. Quid verò ſit illud cui inhæret; nec ignem, nec ejus portionem aliquam eſſe certum eſt, cùm in rerum mixtione, nullum elementorum maneat actu. Quod virtualiter, & potentiâ dicunt, mera ſunt figmenta. Ut res puræ, actu, & realiter ſunt, quærimus; quæ non ſunt adhuc, & ſolâ opinione concepta, rejicimus.

CAPUT IV.

Varia traduntur argumenta, quibus iterum febris definitio exagitatur, & nulla redditur.

EX præcedentibus etſi pateat, quàm parum firma ſit communis Febris definitio, in præſenti ſuperiùs dicta firmabo, & inconcuſſa reddam. Inprimis ſi dicant, definitionem ejuſmodi non eſſe formalem, ſuam magis produnt inſcitiam; etenim ſatis patet ex Ariſt. 2. *Poſt. cap.* 10. definitionem eſſe orationem naturam alicujus rei denotantem; hanc verò dividi in formalem ſeu eſſentialem, & accidentalem; hanc rurſus in cauſalem, & deſcriptivam. Medico qui morbi eſſentiam quærit, formali, & eſſentiali uti neceſſe eſt; nam neque acci-

 dentalis,

dentalis, neque cauſalis, neque deſcriptiva rei eſſentiam aperire poſſunt: eas tamen non parum lucis afferre poſſe in veris definitionibus tradendis, non negamus. At in re tanti momenti, ubi non umbras, ſed res ipſas ſectari, Medico conſilium eſt, certum eſt ad febrium eſſentiam cognoſcendam ejuſcemodi definitiones non ſufficere. Quòd ſi ejuſmodi diſcuſſio, ſubtilis ac nimis philoſophica eſſe videtur, & à ſenſato artifice aliena, demus (quæsò) calorem ejuſmodi verum eſſe genus, idque univocum, quid, abſurdum per abſurdius? Res agunt ut ſunt, calor per ſe non eſt: ergo nec per ſe quicquam efficit. Idem eſt quod ab omnibus recipitur, nihil agere ſupra gradus ſuæ activitatis, vel ab immobili nullus motus. Quod de potentia poſſunt afferre, mera ſunt ſubterfugia. Res non ut futuras, ſed ut ipſæ ſunt, inquirimus. Calorem ſanguini hærere, &. ſanguinem ſeipſum deſtruere, reclamat omnis Philoſophia. Rurſus ſingulæ res à locis naturalibus ſervantur: Calor in ſanguine, in venis, & in viventibus in loco proprio manet. At jam illos intelligo adverſus nos reclamare, & putredinem efficientem in medium protrahere; hanc verò putredinem ab obſtructione; & obſtructionem à plenitudine & craſſitie; & hanc plenitudinem, & craſſitiem ab extrinſecis, aëre, cibo, potu, &c. Quid? mehercle circulum agimus, res in infinitum progreditur: ad unum tandem deveniendum. Si putredo eſt cauſa caloris, & putredinis cauſa obſtructio, obſtructionis alimenti multitudo; ſic de abſurdo in abſurdum incidimus. Dandum erat reale efficiens, quod ut eſſet, efficeret, quod à ſe, non ab alio actionem ederet, quod in ſe potentiam heberet agendi, quod formaliter à nullo penderet, ſed per ſe ſubſiſtens, juxta ſuæ activitatis gradum & conditionem, effectus produceret. Sed quorſum iſthæc? Peripateticam fortè non ſequuntur doctrinam, Empedoclis potiùs dogmata ſectantur. Quòd ſi ſæpiſſimè non audirem, Ariſtotelem ab his communem magiſtrum appellari, eos planè potiùs Empedocleos, quàm Peripateticos dicerem. Verum enim verò quotieſcunque de caliditate, & ſiccitate garriunt, & de temperamentis mille quæſtiones effutient planè inutiles, quis non videt eorum doctrinam à Peripatetica alienam? Quòd ſi his acquieſcere nolint, ad calorem, earum baſim, veniamus.

CAPUT V.

Quàm irrita ſit febris definitio per calorem tradita.

FEbrium cognitio non aliâ de cauſâ perveſtigatur, niſi ut ex ea, ejus contrarium nobis innoteſcat; nam qui contrarium novit, idem ejus curationem cognoſcit, alterum, alteri applicando. Etenim contrariorum indefinens proprietas eſt, ſe invicem expellere: At qui Medicus, qui dicit febrem eſſe calorem, & frigida ipſi opponit, & eam non curat, oſtendit clarè, frigus non eſſe febri contrarium. At ipſe iterum reſpondet, materiam caloris ſubjectum, primò eſſe removendam. Si hoc eſt; cur non priùs materiæ, talis caloris ſubjecto quæſivit contrarium, & ab ea deduxit febrem? Multa de putredine obganniunt, nec minora de obſtructione fingunt, & ſemper ad idem revertuntur: Sed purgent, quantum velint, deobſtruentia porrigant, & refrigerent quantum poſſint, quid inde? eâdem namque viâ mors, & ſanitas; ne ad minimum quadrantem retardatur paroxiſmus. Verùm antequàm rem ſeriò aggrediamur, quid ſit calor, quotuplex, quomodo Philoſophis, & quomodo Medicis, primò dicendum.

CAPUT VI.

Quid calor, & quotuplex.

UT omnis vitetur homonymia, calor Græcis dicitur θερμὸν, θερμότη, θάλπος, καῦμα, αἶθος, quod Latinis uno nomine calor appellatur. Calor abſtractum eſt, calidum concretum; abſtracta ſui juris ſunt, concreta ab abſtractis pendent, calidum à calore, non calor à calido. Sicuti candor à candido, lux à lucente; ſic calidum calore calet, & candidum participatione candoris, quæ nomina ſunt entia, vel entium actu, vel poteſtate. Rurſus eadem ad ſubſtantiæ categoriam pertinent, vel ad alia prædicamenta: ſubſtantiæ non ſuſcipiunt magis nec minùs; ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; at calori frigus eſt contrarium, & calor intenditur ac remittitur. Rurſus ſubſtantia nulli eſt accidens, calor contrà; ſubſtantia hoc aliquid ſignificat, calor non ſic, ſed quale denotat. Ex quibus ſatis liquet, quàm malè calor dicatur ſubſtantia. Nec obſtat Argenterii exceptio, quâ caloris appellationem diverſam facit, alteram ſecundùm Philoſophos, & alteram ſecundùm Medicos: ad illorum mentem accidens, ad horum ſubſtantiam. Accidentis eſſentia eſt inhærere, & eſt entis potiùs quàm ens. Veritas non eſt duplex: Philoſophi ut ſunt res, contemplantur; Medici ſi contra, non ſunt audiendi, nam omni rationi adverſantur. Conſulant ſi velint Ariſt. *lib.* 1. *Phyſ. cap.* 3. *text.* 26. intelligent, quomodo ſubſtantia nulli ſit accidens. Plura non addo, nam res ipſa loquitur. Neque vobis objicio, quomodo in igne poteſt eſſe forma, & accidens, eruntne duæ ſubſtantiæ in eodem? Sed his miſſis, dicamus, quid intelligant de calore nativo inſito, adventitio, cœleſti, naturali, non naturali, febrili, peſtilenti: plures ſpecies exiſtimemuſne? Inter recentiores ſunt, qui affirmativam ſequuntur. Ariſt. ſibi fautorem dicentes *lib.* 2. *de Gener. Animal. cap.* 3. ubi aſſerit calorem, quo animantium vita continuetur, quo pereunte omnis eorum actio moritur, nec ignem eſſe, nec ab igne ortum ducere; ſed in ſpiritum lapſum cœlitùs incidere: item Conciliat *diff.* 48. & 49. Marcellum in *ſuo lib. de Anima*, *c.* 143. & 144. Picum Mirand. *lib.* 3. *adverſus Aſtrologos*, *cap.* 3. Bartholom. Angl. *de rerum proprietate*, *lib.* 3. *cap.* 1. Niphum 1. *Meteor. com.* 35. *q.* 2. Fernel. *lib.* 4. *ſuæ Phyſiologiæ*, *cap.* 3. Qui negativam amplectuntur, Anteſignanum D. Thom. Aq. Ægid. Albert. Mag. D. Bonavent. Marſil. Sax. Achil. Thom. Aveg. & alios complures producunt. Ariſt. non ſibi contrarium, ſed oppoſitum domonſtrant. Loca, & argumenta, hinc inde nota ſunt. Dum ſic inter ſe de calore rixantur, ſatis apertè videre licet, quàm perperàm febrium doctrina inde deducatur. Neoterici

rici nonnulli, qui de calore, calidove innato explicationem ſuſceperunt, plus obſcuritatis, quàm lucis afferunt: Ex his nonnulli adeò Philoſophiæ expertes reperiuntur, ut omni ratione ſepoſitâ, velint calorem eſſe ſubſtantiam corporalem, actionum noſtri corporis opificem, cujus præſentiâ vivimus, & cujus abſentiâ morimur. Hieronymus Capivaccius (ut alios taceam) ſuprà *Aphor.* 14. *ſect. primæ*, definitionem talem exhibet: Calor nativus eſt corpus mixtum, à ſemine, & ſanguine materno, ab agente animali genitum, pro actionibus animæ obeundis. Ejuſmodi definitionem eodem in loco fuſiùs explicat, verbis magis apertis demonſtrans ex Gal. quomodo calor ſit ſubſtantia, non accidens: Ad quem craſſiſſimum errorem confutandum, ſatis ſuprà dictum eſt, & adeò eſt clarum, ut ſuperfluum foret, in id tempus inſumere. Fernel. non ſubſtantiam, ſed accidens, cujus ſubjectum facit ſpiritum naturalem. Recentiores plurimi, Capivaccii errorem ſequuntur. Montanus, vir ſenex, quid ſit calor nativus ignorare ſe fatetur, quem tandem vocat quintam eſſentiam, ſpiritualem, tenuiſſimam, & ſubtiliſſimam ſubſtantiam. Hieronymus Mercurialis, Capivaccio contemporaneus, & noſtræ ætatis Medicus magni creditus, eundem calorem dicit eſſe ſubſtantiam calidam, & humidam *in* 14. *Aphor. ſect.* 1. Alios Autores, aut potiùs tranſcriptores, ad confutandum in medium minimè protraho, quod ſuprà ſatis ſuperque factum eſſe exiſtimo: ex quibus ſatis videre eſt, quàm parum certa, & tuta ſit Febrium definitio.

CAPUT VII.

Febris diviſio examine perpenditur, & incerta redditur.

COllapsâ Febris definitione, ejus diviſionem pariter corruere neceſſe eſt; attamen clarioris doctrinæ causâ, quam communiter in medium proponunt, examinare placet: Primò nonnulli febrem dividunt in materialem, & non materialem; in putridam, ſimplicem, & peſtilentem; in continuam, & intermittentem; in acutam, & mitem; in humoralem, ſpiritualem, & in ſolidis conſiſtentem; undè ſanguineæ, bilioſæ, & melancholicæ, Diariæ & Hecticæ, quas rurſus in Synochum, tertianam, quartanam, & quotidianam. Omnium communiſſima eſt, in putridam, non putridam, & venenatam. Ejuſmodi diviſiones pluribus modis redargui poſſunt. Primò cùm ea ad id inventa ſit, ut rem, de qua ſermo habetur, clariorem, & certiorem reddat; hæ cùm contrarium præſtent, certum eſt ejuſmodi diviſiones eſſe inutiles: quod maximè patet ex ſuperioribus. Præterea patet, ejuſcemodi diviſiones eſſentialia prædicata febrium minimè tangere, non materiam, non formam, aut aliud horum vices gerens. Rurſus neque ſunt ipſæ diſtributiones generis in ſuas ſpecies. Etenim cedò febrem eſſe genus, putridum & non putridum ſpecies: quid? nonne eſt ignotum per ignotius? ut jam, & infrà patebit. Species dum prædicatur de aliquo, hoc maximè fit in eo quod quid eſt, non quale quid; diviſio continuæ, & intermittentis, non quid, ſed quando reſpondet. Sed ſapienti pauca, modò ad cauſas.

CAPUT VIII.

Febrium cauſæ ponderantur.

HIc non omnes Febrium cauſas examinare ſtatuimus, ſed univerſales tantùm, & magis communes, ex quibus particulares manifeſtæ fient. Iſtæ verò ſunt triplices, caloris exceſſus, putredo, & peſtilens aër. Quod ad caloris exceſſum, dicunt ejuſmodi exceſſum fieri, per additionem novi caloris; At hoc fieri nequit, ſine novæ materiæ appulſu, quæ ſit ſubjectum novi adjecti accidentis; at in febribus ſimplicibus negant fieri novæ materiæ adjectionem; ergo ejuſmodi exceſſus, eo quo dicunt modo, non datur. Quod verò à ſe extendatur, ſine materiæ adventu, demonſtrandum eſt primò, quo pacto accidens poſſit eſſe ſine materia; item quomodo accidens poſſit moveri, cum omninò ſit immobile; etenim auctio, & diminutio ſunt motus. Ex quibus conſtat, præfatum caloris exceſſum non dari, nec per conſequens fieri poſſe cauſam febris.

CAPUT IX.

De Putredine, & an talis detur in nobis.

JAm de putredine: de qua nemo hucuſque dubitavit, putredinem eſſe dependentem ab alio, à putrefaciente videlicet: ex quo ſatis videre eſt, alterius eſſe effectum; at effectus alicujus rei non poteſt eſſe cauſa. Sic patet putredinem non poſſe generare febrem; aut febris eſſe cauſam. Putredo eſt tranſmutatio totius ſubſtantiæ putreſcentis corporis ad interitum, vel corruptelam ab externo calore. Gal. 11. *Method.* Putredo, Græcè πυθεδὼν, σηπεδὼν, σῆψις, & διαφθορά. Ariſtoteles putredinem dicit eſſe corruptionem proprii naturaliſque caloris in unoquoque humido ab extranea caliditate: σῆψις δὲ ἐςὶ φθορὰ τῆς ἐν ἑκάςῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατά φῦσιν θερμότητος. *lib.* 4. *cap.* 1. Eodem in loco dicit putredinem eſſe ſimplici generationi contrariam, τῇ δὲ ἁπλῇ γενέσει τὸ ἐναντίον μάλιςα κοινὸν σῆψις. Verum enim verò, quia tria ſunt in conſiderando putredinem, quæ quodammodo putredo dici poſſunt, Alteratio, Generatio, & Corruptio, quæ propriè putredo dicitur, de qua in præſenti: Putredinem eſſe actionem agentis in paſſum putredini aptum, negabit nemo. Agentium finis eſt aſſimilare ſibi paſſum, eorum formam annihilando, & reſolvendo ad ultimam materiam, quam modo incognito ad novam formam præſtitutam diſponunt; ſic dum res putreſcit, novam acquirit formam, & eodem tempore antiquam deponit, & ita novum eſſe, novamque recipit denominationem. Demus itaque ſanguinem, cæteroſquè humores putreſcere, corrupti, ut ſuprà patet, deſinunt eſſe, novamque induunt naturam, non ſunt ampliùs ſanguis, ſed quippiam toto genere diverſum. Sic non putreſcenti ſanguini, ſed cuipiam alteri diverſo tribuenda eſſet ejuſmodi febrium cauſa.

CAPUT X.

CAPUT X.

Quid Obſtructio ? & an ipſa poſſit eſſe cauſa febris Putridæ ?

CAuſas febrium univerſales enumerat quinque Galenus, *lib.* 1. *de differentiis febrium*, *cap.* 6. *& de morborum cauſis*, *cap.* 2. At quia putredo cauſa eſt potiſſima febrium, quas appellant humorales, de eâ præcipuè diſſerere nobis eſt animus. At Galenus *lib.* 11. *methodi medendi*, obſtructionem, (hanc verò putredinis præcipuam cauſam eſſe aſſerit) explicat per ſuum contrarium, eam dicens eſſe obturationem quandam, cujus contrarium ἔκφρασις quod eſt reſeratio, & recluſio. Obſtructionis, inquit, idem eſt ſymptoma, ac tranſpirabilium retentio, cujus excretio eorundem contrarium eſt. Trincavellius *lib.* 1. *Epiſtol. med. cap.* 12. volens explicare, quid ſit obſtructio, dicit eſſe humorem vias occludentem, & tranſitum intercipientem: quo in loco cauſam pro effectu ſumit, negans ſe poſſe obſtructionem cognoſcere, niſi per obſtruens, & occludens, qualis eſt craſſus, & viſcidus humor, quo (inquit) ſublato, nulla eſt obſtructio. Argenterius *lib. de febribus*, obſtructionem eſſe dicit occluſionem viarum, vel internarum, vel externarum, à denſantibus, exſiccantibus, & indurantibus. Alibi, ut in *Comment. lib.* 2. *Aphor. Hipp.* addit, & quantitatem humorum parere obſtructionem. Galenus *loc. cit.* obſtructionem vocat morbum inſtrumentalem; quod negat Trincavellius *eo in loco*, dicens eſſe ſymptoma, & nunquam morbum per ſe. Sed his miſſis, videndum quomodo ipſa, quæ alterius eſt effectus, & per conſequens accidens, poſſit eſſe alterius cauſa. Sed hoc dato, & non conceſſo, in humore craſſo & viſcido, duo conſideranda veniunt, humor, & craſſities. Humor, ut humor non eſt niſi aqua. Craſſities à terreſtri quadam materia ipſi aquæ mixta pendet. Craſſities rurſus variè conſideratur, vel ſimplex eſt terreſtreitas, vel aliis mixta infinita. Simplex, vix ſola reperitur; mixta, infinita propè ſub ſe continet, apprimè diverſas ſalium ſpecies, mineralia, bitumina, metalla, &c. Hinc non ſufficit dicere craſſum, lentum, viſcidum, &c. ſed craſſi, lenti, & viſcidi cauſam. Nec rurſus ſatis eſt mixti rationem reddere, ſed & miſcentis originem afferre neceſſe eſt. A jecoris calida intemperie, cum ventriculi imbecillitate, aut frigida temperatura, id deducere, eadem eſt ruditas. Fit circulus, principii petitio: eſſe à non eſſe repetunt, motum ab immobili, actionem à non agente. Scio juniores nova ad hoc in nos dirigere tela. Craſſitiem, viſciditatem, lentorem, & ejuſcemodi ſecundas qualitates à primis dependere. At quid inde? calor non niſi calorem producit. Quæ ex hujuſmodi evaporatione venit craſſities, lentor, & viſciditas, à mixtione, quæ erat in humido, venit. Qui corporum vivam anatomiam callet, in ejuſmodi nugis tempus haud inutiliter terit. Equidem me pudet in re tam clara veritatis ſplendorem quærere; etenim ſatis ex his manifeſtum eſt, obſtructionem non eſſe cauſam febris.

CAPUT XI.

De motu, quomodo poſſit eſſe cauſa febris.

GAlenus cauſas febrium uviverſales enumerat quinque *de differentiis febrium*, *cap.* 3. *at de morborum cauſis*, *cap.* 2. motum eſſe unam ex præcipuis febrium cauſis ſtatuit, quam opinionem ſequitur univerſa Medicorum ſchola. Videndum quàm opportunè. Circa ipſius motûs cognitionem, animadvertendum, quid moveat, quid moveatur, in quo, à quo, & ad quid. Motus, actus eſt entis potentiâ mobilis; eſt verò in nobis unicum, quod eſt potentiâ mobile, quod movet, & à nullo movetur, principium omnium motuum, qui fiunt in homine. Dicitur potentiâ, quòd non actu; etenim indeſinenti quiete cuncta in corpore humano regit, gubernat, & moderatur. At non ſic Medici motum intelligunt: circa materiam, eamque quantam verſantur. Motum intelligunt rei corporalis motionem, hîc locus cum ſuis terminis requiritur, à generatione ad corruptionem. In motu ſemper fit mutatio: de tempore, & continuitate, nulla fit mentio, de præſenti intelligunt. Motum itaque hîc intelligimus actionem entis actu mobilis, quod ſimul agat, & patiatur. Aqua ab igne calefit, & hæc noſtra eſt propoſitio; at falsò arbitrantur, calorem de igne ad aquam migrâſſe. Qui in aqua percipitur calor, è potentia aquæ educitur; non migrant accidentia de ſubjectis in ſubjecta; minùs datur corporum penetratio; inſuper duo contraria eodem in loco minimè hoſpitantur. Hîc non inquiro, an ſupra vires aliquid agere poſſit, nec peto an agentium fines terminati ſint. De generatione, tanquam de non ente ad ens, ſatis evidens eſt, mutationem ejuſmodi fieri per medium, non enim ſine alteratione fit. De corruptione idem cenſent Philoſophi. Gal. *loco præalleg.* poſtquam quinque illas cauſas enumeravit, pro motu, Solis operationem proponit, quæ ſanguinem & ſpiritus movens, calorem parit non naturalem, à quo febris. Ira pariter proponitur, in cujus motione alii moventur humores. Exercitium etiam calefacere humores inducit. At ut meliùs ejuſdem Gal. mentem aſſequamur, quid ipſe περὶ διαφορᾶς πυρετῶν dicat, tam ex propria, quam ex Hippoc. ſententia, ſatis videre licet. Ibi ſimplicis caloris mentionem affert, ubi de febrium differentia, cujus verba ſunt hæc: πυρετοὶ οἱ μὲν δακνώδεες τῇ χειρὶ, οἱ δὲ πρηέες, οἵδ᾽ οὐ δακνώδεες μὲν, ἐπαναδιδόντες δὲ οἵδ᾽ ὀξέες μὲν, ἡσσώμενοι δὲ τῆς χειρὸς, &c. Qui plura deſiderat de motu, cauſa febris, legat ipſum Gal. *in cit lib. cap.* 6. Licet ex prædictis, motus, ut motus eſt, non poſſit ex ſe quicquam efficere; nihilominus ex Gal. decretis, movendo ſpiritum, & humores, variè exagitat calorem noſtrum, eumque augendo, non naturalis evadit, qui ad cor detruſus febris dicitur: ſi ſpiritus apprehendit, ephymera; ſi humores, humoralis, & putrida, ſi in ſubſtantia, ſeu pulpa, habitualis, & hectica. Quid de calore, caloriſve actione ſentiendum ſit, ſuprà expoſuimus. Hinc patet moveri humores, & ſpiritus. Locus ſunt vena, arteria, & univerſus corporis habitus. Ad quid? finiſne ſit per accidens, an determinatè ad hoc, dicendum aliò diſtulimus.

CAPUT XII.

De contactu, & vicinia rei calidæ.

QUi rerum proprietates, virtutes, & facultates ex vero fonte ſcrutatur, contactûs, & viciniæ poteſtatem non ignorat: Nos, ubi de calore, calido, obſtructione, & putredine locuti ſumus, ſingula tetigiſſe arbitror. Ubi de pororum conſtrictione, & calidi effluvii retentione, in præcedentibus pariter ſingula ſolviſſe, & omne dubium ſuſtuliſſe ſatis reor. Quæ etiam in ſubſequentibus clara, & firma docebimus. Sed veriores, & certiores demus febris cauſas.

CAPUT XIII.

Febris quodnam morbi genus.

INter quænam entium genera reponantur morbi, non eſt dictu difficile, ſi morbus διάθεσις appelletur, & ut accidentia definiri non poſſunt, niſi per ſubjecta quibus inhærent, ſic neque febris, nî priùs illius ſubjecti cognitionem habemus. Hoc verò ſunt partes ſimilares, vel organicæ, vel utrique parti communes. Febrem ab hiſce generibus maximè exceperunt, quod in nulla dictarum partium potiſſimùm inſideat; ſed univerſaliter corpori moleſta, nec minus uni, quàm alteri infenſa, ſic totius morbus eſt febris, quæ vel in humoribus, vel in ſpiritualibus, vel in ſolidis habituve corporis, tanquam in propriis domiciliis hoſpitatur. Dum hæc effutiunt, proprium, & particulare febris ſubjectum minimè docent; eſſe verò calorem naturalem auctum, (ut ipſi ſomniant) vel novum calorem extrinſecum intrinſeco mixtum, ridiculum planè videtur; ſic enim accidens, accipentis erit ſubjectum, & quod pejus eſt, & contra omnem rationem, erit aliquid, quod ſui ipſius deſtructionem quæret. Etenim ſi calor naturalis eſt ſubjectum non naturalis, ſequitur quòd non naturali deſtruit naturalem; ſed quid magis à veritates alienum, quàm accidens eſſe accidentis, & idem ſolâ quantitate diverſum diverſa ſortiri ſubjecta? Qui plura deſiderat, præterita conſulat, ubi de calore fuſiſſimè diſſeruimus. Ex his manifeſtè conſtat, febrem in genere qualitatis eſſe repoſitam. Nos doctrinæ gratiâ, & veritatis luce colluſtrati, quid de ejuſcemodi entium diſtributionibus cenſeamus, aliò dicendum diſtulimus; in præſenti non res nominibus, ſed nomina rebus aptare decrevimus. Febrem nos impensè exagitare, & deſtruere, quotidiè experimur; demum ipſam vehementiſſimas actiones reddere, & ſupra vires noſtras ſe erigere, non minùs obſervamus. Fundamentum in humana natura poſſidere non eſt credendum; nihil ſui ipſius detrimentum quærit. Oportet hac de re humanæ naturæ inimicum perveſtigare, & hunc vel in eo genitum, vel forinſecûs introductum. Quod in nobis generatur, nonniſi ab eo quod intus ſuperfluè ingeritur; ea eſt enim nonnullorum depravata natura, ut quam à primordiis nacti ſunt conditionem, hanc ſervare, & adverſus naturæ hoſtes tutari ſatis haud poſſint, vel à quibuſdam occultis impuritatibus nobis congenitis deſtinatis temporibus foràs erumpentibus, vel forinſecùs ab ambienti aëre, ab aſtris, venenis, & divinis. Cur verò entis pulchritudinem, & bonitatem reformidabimus, in collocandis morborum generibus? Imperfecti ſanè ſunt morbi, & apud nos nullum merentur ordinem; at qui fatali, & inevitabili ἀταξίᾳ ortum noſtrum in hac mundana ſcena donavit, neceſſitatis lege ejuſcemodi morborum imperiis nos obtemperare voluit: atque adeò eos reſpectu ſuæ originis inter entia completa connumerabimus, quamvis nobis quidem adventitii, & mala forte accidant. Quam verò ſedem, quemve occupent locum in humana natura, paulo pòſt dicemus.

CAPUT XIV.

De ſede febris in humano corpore.

FEbres in univerſum corpora humana diverſimodè incolunt. Superiùs ſtatutum fuit ex Medicorum præſcriptis, tria domiciliorum genera eas obtinere; ſpiritus Ephemeræ, Putridæ humores, & habitum corporis Hecticæ poſſident. Pro febrium loco totum corpus intelligere poſſumus, cùm in ipſum totum irruant, vireſque ſuas intendant; at loca peculiaria, & in quibus generantur, & in quibus per tempora deliteſcunt, non ita facilè deprehenduntur: nam ut earum ortus ſenſus noſtros decipit, ita earum loca non ſunt manifeſta nobis. Matrices, agri, & elementa, in quibus rationes ſeminales vigent, non modò ſtatuenda veniunt in venis, & arteriis, ſed & in ſingulis locis, in quibus coctiones fiunt: ſic quot ſunt loca in corpore humano, ubi coctiones & ſeparationes fiunt; quot matrices, & elementa proprietatibus ſeminum inſignita, tot ſunt febrium loca. Sic febres omnes continuæ, tertianæ, quartanæ, quotidianæ, ſpuriæ, erraticæ, hecticæ, &c. in ventriculo, inteſtinis, liene, hepate, renibus, meſenterio, ſedes & fomites habere poſſunt. Iſthæc locorum cognitio multum facit ad curationem: nam ubi ſedem habent in ventriculo, facili negotio per vomitum expelluntur; ſi in hepate, per ſpecificum febrile jecorarium; ſi in liene, renibus, inteſtinis, per propria arcana. Ejuſcemodi locorum cognitio peculiaribus indiciis, & propriis ſignaturis, ex ſingularum partium anatomiâ deſumptis, habetur. Neque eſt, ut quinque ſigna, à Gal. & ab univerſa ſchola tradita, in medium afferamus; ad præſens enim inſtitutum, parum aut nihil lucis afferunt.

CAPUT XV.

De his, qui magis parati ſunt ad febrem.

COnſuetudo, & experientia in hac re perpendenda, quæ pluris facienda eſt, quàm quodvis ratiocinium humanæ opinioni addictum. Communiter ratiocinatur vulgus de corporibus calidis & humidis, quæ putredini magis ſunt obnoxia: item de calidis & ſiccis, ut quæ intemperiei calidæ opportuna. Sic ſanguineis, & bilioſis febres paratæ dicuntur; hac de re juvenes

nes ad febres procliviores ſunt. Verùm non his acquieſcendum; etenim omnem ætatem æqualiter adoritur. Videtur tamen febris peſtilens juvenum majorem ſtragem edere, & quò validiores ſunt homines, eò vires ſuas magis intendere. Cur illi, qui in argenti vivi fodinis aſſiduè verſantur, rarò, aut nunquam febre corripiuntur? item cur qui hydrargyrii unguento perunƈti fuerunt, ad longiſſimum tempus febre minimè corripiuntur, etſi ejuſmodi ſint complexionis calidæ, & humidæ? Contrà videmus nonnullos febribus opportunos, etſi complexionis frigidæ & humidæ. Qui excrementis nitroſulphureis abundant, illi ſunt maximè parati ad febres, item quibus pori ſunt obſtruƈti, & qui crapulæ ſunt dediti.

CAPUT XVI.

De ſymptomatibus, & ſignis, quibus febres dignoſcuntur.

EX præcipuarum partium læſione, varia ſuppullulant ſymptomata: vel enim febris calore ſuo omnes partes vexat, vel ſaltem præcipuas: & hîc ex primis ſymptomatibus, ubi jecur, & ventriculum, nauſea, vomitus, inappetentia, diſtentiones, erroſiones, dolores defatigant, ibi partes naturales læduntur; ubi capitis dolores, phrenitides, deliria, lethargus, vigiliæ, &c. apparent, ibi animales partes; ubi cordis morſus, pulſatio, palpitatio, pulſuum celeritas, & frequentia, vitales lædi dicuntur. Demum unaquæque febris, propria & peculiaria habet ſigna, & ſymptomata; hac de re ſingulis dicendum fuſiùs. Sat in præſenti præcipua ſigna notâſſe: ea in ſumma ſunt pulſus celer, ac frequens, aliquando inæqualis, virium languor, & imbecillitas, cum ſpontanea corporis gravitate, calor aut foris acer ac pungens, aut intus certè moleſtus.

CAPUT XVII.

De febrium magnitudine.

FEbris magnitudinem cognoſcere oportet, tam ad curationem, quàm ad prædiƈtionem. Ad curandum quidem, quia magnitudo morbi magnitudinem remedii indicat; nam ex Hipp. 1. Aphor. 6. ἐς τὰ ἔσχατα νοσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην, κράτισται. Ad prædicendum, quia magni morbi non vacant periculo. Febris magnitudo duplex eſt, una comparatè ſpeƈtata, altera ſimpliciter. Etenim febris mediocris ſuis cum ſymtomatibus, cum viribus debilibus, magna dici poteſt. Simpliciter magna dicitur ea, quæ nullâ factâ comparatione cum viribus, magna cenſetur. Dicitur etiam magna, ex Galen. 4. *lib. meth. cap.* 6. tribus rationibus: ſymptomatum magnitudine, partis obſeſſæ præſtantiâ, & malignitate, ſive κακοήθεια. Magnitudo ſymptomatum conſiſtit in multitudine eorum, vehementia, & duratione: quò enim plura ſunt, vehementiora, & diuturniora ſymptomata, eò majora exiſtimantur. Pars præſtans duobus magis dicitur: aut ratione vitæ, aut publici officii; ut ventriculus, pulmo, renes, veſica. Omnia ſigna ſpecifica, ſive pathognomica, propria & inſeparabilia, omnia item epigenomena, ſive propria, ſive communia poſſunt magnitudinem ſignificare. Omnia etiam, maligna, magnitudinem oſtendunt: præterea omnis febris maligna, eſt magna.

Rurſus febris magnitudo ex cauſæ magnitudine, magna cenſetur, Magnitudo etiam cognoſcitur ex indiſpoſitione ſubjeƈti ad recipiendam cauſæ efficientis aƈtionem: quò enim ſubjeƈtum minùs eſt diſpoſitum, ad cauſæ efficientis vim recipiendam, eò, cùm receperit, majorem cauſam adeſſe neceſſe eſt: contrà, quò major eſt diſpoſitio, eò minorem. Quocirca ſcribit Hipp. *Aph.* 34. *lib.* 2. *minùs perniciosè laborant hi, quorum temperaturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris eſt morbus, quàm quibus horum nulli affinis.*

CAPUT XVIII.

De More Febrium.

MOs attribuitur morbis impropriè; in hominibus autem quibus accommodatur propriè, eſt proclivitas ad agendum comparata. Is ratione finis, bonus, vel malus dicitur. In morbis, ſimilitudine quadam appellatur malignus, duƈtâ ab hominibus malignis ſimilitudine, qui ſpecie reƈti decipiunt: apparent enim boni, reverà autem mali ſunt. Quare Gal. *lib. de defin. med.* ſcribit: Malignus eſt morbus, qui facultate magnus eſt, difficiliſque, ſpecie tamen apparet perexiguus, nec ſtatuta ad judicandum habet tempora.

Maligni morbi ſunt, aut ſpecie totâ, aut ſymptomatibus quibuſdam. Specie peſtis eſt maligna. Pleuritis, ſi quando maligna dicatur, talis eſt ſymptomatibus, quòd ſcilicet maligniora habeat ſymptomata, quàm morbi ſpecies ferat, & clàm ob malignitatem labefaƈtentur facultates noſtri corporis.

Mos morbi cognoſcendus eſt ad curationem, & ad prædiƈtionem: nam maligni morbi alexiteriis ſunt oppugnandi; tum maligni pleni ſunt periculo, quod eſt prædicendum.

Cognoſcitur verò ex ſymptomatis Epigenomenis (*ſupernaſcentibus*,) & ex propria morbi ſpecie, ut à Galeno ſcribitur *cap.* 3. *lib.* 1. *& cap.* 4. *libri* 3. *criſeôn.* Maligna verò ſymptomata appellantur, quæ perniciem præcipuis noſtri corporis facultatibus afferunt: quæ maximè elucent in peſtiferis morbis. Et quia critica ſymptomata nonnunquam mentiuntur ſigna malignitatis, ne nos decipiant, ita diſtinguenda ſunt. Omnia maligna, quæ apparent ante ſigna coƈtionis, morbi pravi ratione fiunt; at poſt coƈtionem pendent à confliƈtu naturæ, & morbi, nihilque maligni habent, præter ſpeciem & apparentiam.

CAPUT XIX.

De Motu Febrium.

MOtùs Febrium cognoſcere neceſſe eſt, tam ad prædicendum, quàm ad curandum. Ad prædicendum, celeres enim morbi citò finiuntur; tardi tardè: & ad medicandum, nam Hipp. *Aph.* 10. *lib.* 4. ſcribit: *medicari in valde acutis eâdem die oportet, ſi materia turgeat; tardare*

dare enim in talibus, malum. In longis autem morbis expectanda materiæ coctio.

Cognitio motus morbi pendet à cognitione ſymptomatum ſubitò aut tardè naſcentium: morbus enim qui parit ſymptomata magna ſubitò, celer eſt; qui verò tardè, longus.

Præterea ab acceſſionum temporibus, & à temporibus morbi ipſius: Nam principium breve, aut tardum reliquorum temporum brevitatem, celeritatem, aut tarditatem oſtendit.

Ex ſignis pariter coctionis, & cruditatis: nam coctiones ex Hipp. *lib.* 1. *Epid. conſt.* 2. celeritatem criſeos demonſtrant, ut cruditates longè poſt morbi principium apparentes, tarditatem.

Ex quantitate excretorum, & modo: Nam in quibus pauca, & paulatim excernuntur, in his tarditas expectanda eſt, cùm verò multa, & confeſtim, celeritas.

A viribus etiam comparatis cum materiæ quantitate: Nam robuſtæ cum pauca materia, celerem fore oſtendunt morbum: debiles cum multa, longum, & tardum.

CAPUT XX.

De tempore Febrium.

FEbres, vel naturâ ſunt breves, vel chronicæ & longæ: omnes habent propria tempora, principium, incrementum, ſtatum, & declinationem.

Principium aliquando capitur pro primo morbi inſultu; aliquando pro primis quatuor diebus, in morbis qui progrediuntur ulteriùs. Propriè ſumitur pro eo tempore, in quo materia morbifica cruda eſt. Tempus etiam dignoſcitur ex morbi ſpecie: nam quartana, tertiana, &c. peculiara habent tempora.

Itidem ex partibus anni, nam *quartanæ æſtate magnâ ex parte ſunt breves: autumnales longæ, & præſertim quæ hyemem attingunt.* Ex circuituum incremento; oportet enim acceſſiones invicem conferre, ſi citiùs fiant vel non. Nam ſi hæc omnia conjunxeris, ad exquiſitam dignotionem propiùs accedes. Principia tandem verè ea ſunt tempora, in quibus cuncta cruda ſunt; etenim quamdiu cruda ſunt excrementa, morbus eſt in principio: quod probatur ex *Aph.* 22. *lib.* 1. *Concocta medicari, & movere oportet, non cruda: neque in principiis, niſi turgeant.*

Incrementum febris cognoſcitur non tantùm ex anticipatione acceſſionum, ſed etiam ex earum longitudine, tum ex magnitudine, & more: nam malignitas ut plurimùm in incremento eluceſcit. Anticipatio enim ſola non eſt ſufficiens ſignum incrementi, quod ſæpè morbi proprietatem ſequatur potius, quàm ejus incrementum, cùm & quartani (inquit Gal. *cap.* 3. *lib.* 1. *de criſibus*) & tertiani quidam paroxiſmi uſque ad integram ſolutioem anticipare viſi fuerint.

Status cognoſcitur ex acceſſionum æqualitate, & ſymptomatum paritate.

Declinatio, acceſſionum brevitate cognoſcitur, nam acceſſiones breviores fiunt, & ſymptomata mitiora fiunt. Scribit Hipp. *Aph.* 30. *lib.* 2. *In principio, & fine morborum, omnia ſunt mitiora; in ſtatu vero deteriora.*

CAPUT XXI.

De præcedentibus noſtra, & Jatrochymicorum placita exponuntur.

ALiter, & alio modo de ſupradictis ſua interponunt placita Jatrochymici. In primis fundamenta temporum in donis & ſcientiis ſeminum continentur, ibi termini, horæ, minuta, menſes, anni, luſtra, ſecula longè antea definita ſunt: Et unicuique ſemini, ut colorum, ſaporum, figurarum, caliditatis, frigiditatis, duritiei, aſperitatis, lævitatis, coagulationis, reſolutionis, magnitudinis innatæ leges exiſtunt; ita quoque temporum prædeſtinationes, ſilentii, ortus, maturitatis, ſenii. Tempus nihil eſt aliud, quàm progreſſio, & fluxus ſeminum ex Orco, vel Iliado in Rempublicam Jovis. Quocirca ſemina diverſa, temporum quoque varietatem oſtendunt. Vegetabilia omnia certis temporibus germinant. Mineralium, & metallorum tempora; quia ex radicibus procedunt inviſibilibus, paucis comperta ſunt, tarditate, & varietate difficultatem augente. In his omnibus duplicia tempora obſervare licet: Digeſtionum vel maturitatum, & reſolutionum. Differunt enim inter ſe plurimùm: nec omnia, quæ tarda habent digeſtionum tempora, tardas quoque fructuum reſolutiones oſtendunt. Digeſtionum tempora in omnibus continua ſunt: Reſolutionum verò in multis interrupta. Metalla longa habent digeſtionum tempora; ſeculorum enim terminis plenilunia deſcribunt: reſolutionum deinde tempora, continua quidem, ſed tarda adjungunt. Mineralium digeſtiones breviores ſunt: reſolutiones verò ut plurimùm interruptæ, ut in Thermis certis anni temporibus, efferveſcentibus; & ſimilibus ſalium radicibus apparet. Vegetabilia digeſtionum tempora annua, menſtrua, bimeſtria, trimeſtria obtinent: Reſolutiones deinde continuas, vel interruptas, citas, vel tardas demonſtrant. Digeſtionum quippe temporibus ſobolis fœcunditatem, fructuum numerum, reſolutionum repetitiones, & durationes decernunt, & conſilia ineunt futuræ progreſſionis: ita prædeſtinatione acceptâ, mirabili deſiderio ad officia, & terminos feſtinant. In arborum reſolutionibus continuitas major apparet. Hæc temporum rudimenta, ſi ad Anatomiam humanam debitè accommodentur, ſanitatis & morborum periodos, paroxyſmorum circuitus, ſilentia, plenilunia, decreſcentias, criſes, & decretoriorum dierum rationes, magnâ facilitate demonſtrabunt, multiſque difficultatibus, & obſcuritatibus ſublatis, à Pythagoricorum numerorum injuſtis uſufris, à melancholiæ, & humorum phantaſticis mixtionibus, à menſis medicinalis laborioſa computatione, ab excrementorum geometricis fluxionibus, & expultricis facultatis otioſæ patientiâ nos excuſabunt. Qui morbi in alimentis ſeminâ habent, ſive inferioris globi, ſive ſuperioris, infitionum leges imitantur, & digeſta temporum citius abſolvunt. Locorum quoque & agrorum diverſitates, tempora digeſtionum variant. Citiùs enim fermentantur, & ad efferveſcentias promoventur, quæ in ventriculi anatomia inſeruntur morborum ſemina, quàm quæ in hepatis, renum, ſynoviæ, ſanguinis, & ſimilium partium

 elementis

elementis recipiuntur, ſervatâ tamen ſeminum analogiâ. Citiùs enim febrilia ſemina in rerum Anatomia implantata, ad germinationes venient, quàm colicæ Tincturæ in inteſtinis, vel ventriculo & in ventriculo citiùs tertianarum radices, quàm quartanarum, digeſtiones abſolvent. Ita Ephemeræ febres, id eſt, aëreæ, vel ociùs aſcendent, fermentatione peractâ, quàm hecticæ, vel igneæ. Et quia in febribus tempora digeſtionum, & reſolutionum manifeſtiſſima ſunt, & circuitus paroxyſmorum conſtantes, conſideratione dignum eſt, quâ ratione regionum, ætatum, ſexuum, alimentorum, conſuetudinum neglecto diſcrimine, quartani, tertiani, & quotidiani circuitus maneant perpetui, & conſtantes. Semina tandem, & impuritates febriles, ſulphureæque nitroſitates, in omnibus alimentis copioſiſſimæ inveniuntur, in vino, pane, leguminibus, carnibus, piſcibus, oleribus, fructibus, &c. Atque ſic cauſas frequentis, & communis calamitatis febrium inveniemus. Ex his patet, quæ poſſint eſſe non modò febrium, ſed & omnium morborum tempora, & eorum cauſæ. Motus febrium, earum loca, magnitudo, & conſimilia febribus communia, pari paſſu dignoſcuntur: Verum enim verò, quia inaſſuetum iter ſuſcepimus, his paucis contenti ſumus, nec parum exiſtimamus certiorem, & tutiorem nepotibus viam præmonſtrâſſe. Loca, mos, magnitudo, & ſimiles febrium affectiones, eodem calle incedunt: at ut ipſa ex arte exponantur, longum tempus requiritur, & integris voluminibus vix poſſunt abſolvi. Sed partim datâ occaſione ſingula luſtrabimus, maximè ubi de prognoſticis acturi ſumus.

CAPUT XXII.

De legitimo ordine febrium.

VErùm antequàm noſtram de febrium generatione afferamus ſententiam, videndum, quid ſenſerint Chymici Medici. Petrus Severinus Danus, Vir doctiſſimus, & eruditiſſimus, in ſua *Idea Medicinæ philoſophicæ*, (ut refert Sennertus in ſuo *de Conſenſu, ac diſſenſu, chymicorum cum Ariſtotelicis, & Galenicis, cap.* 16.) inquit: ex permiſtis impuritatibus generantur morbi ſulphurei, fœti febrium ſymptomatibus, id eſt, ſiti, calore, linguæ amaritudine, capitis dolore, frigore, horrore moleſti, quos vulgò febres appellamus; ipſe verò rectius, à radicibus nitro ſulphureos dicendos putat. Statuit enim febres habere ſemina, & radices, in quibus ſulphuri impuro, fœtido, reſoluto, mucilagines, ac ſpiritus ſalini nitroſi permiſcentur. Statis ergo temporibus, dum germinare incipit minera nitroſi ſulphuris, horrores, rigores, pandiculationes, oſcitationes, & ſimilia ſymptomata, pro differentia nitroſi ſulphuris induci exiſtimat. His floribus ſuperficialibus, acetoſis, frigidis, mercurialibus exhauſtis, vapores, & ſpiritus ſequi pingues, inflammabiles ſulphuris, ſalium tamen commixtione tranſplantati naturam magis referentes, qui nota febrium ſymptomata inducant, donec reſolutis ſpirituum inimicis tincturis, & quocunque evacuatis modo, naturæ quies concedatur, ſed cum recidivæ metu ſuſpecta. Quercetanus in ſua *Tetrade cap.* 7. idem ſentit. Narrat inter Chymicos Scheunemannum Dan. Sennertus, cujus opinio ſatis eſt frivola: formari inquit globum in ventriculo, cum ſulphure excrementitio, unà cum mercurio, & ſale, lamellis ipſi globo toties inductis, quoties dictus globus ictu cœli percutitur, & accenditur. Sed hanc opinionem ſomnio perſimilem tribuit Paracelſo Sennertus: id quod à veritate ſatis eſt alienum. At ipſe dicit materiam febris eſſe nitro ſulphuream; cùm enim humores per ſe accendi nequeant, oportet ut quod incenditur, ſit de natura ſulphuris. Alibi dicit febrem eſſe obſtructionem ſpiritus vitæ, & omnium febrium eandem eſſe Theoriam. Lege Henricum Petreum in ſua *Noſologia Harmonica Dogmatico Hermetica.* Diſſent. lib. *de febribus in genere.* Idem ſentit Johannes Hermannus in ſuis *diſputationibus Medico-Chymicis.*

Hippocrates *lib. de flatibus*, dum febrium cauſas ſpiritus eſſe dicit, à Chymicis non eſt valdè alienus: Inquit enim multitudinem ſpirituum ſanguinem concalefacere, & excitare febres: generari verò multitudine ciborum, & qualitate aëris. Hîc animadverto, Franciſcum Valeriolam audiendum non eſſe *in ſuis enarrationibus*, ubi librum Hyppocrat. περὶ φύσων ſpurium eſſe dicit: minùs, ubi ſingula carpere tentat contra Divinum ſenem. Litem in præſenti, cum ab inſtituto ſit aliena, dirimendam non ſuſcipio. Sed ad recentiores, penes quos veritas magis eluceſcit, revertor. Recentiores appello eos, qui aliquid lucis in artem invexerunt, non tranſcriptores, qui ut magni videantur, magna volumina hinc inde convaſata condere non erubeſcunt. Inter recentiores primas tenet Theoph. Parac. qui ipſe ſolus auſus eſt antiquorum ſenſa ad veritatis cenſuram provocare. De nomine primò. Erronea eſt, inquit, febris appellatio, ac citra rationem; febris enim à fervore deducitur, at fervor ſignum eſt ſaltem morbi, non materia, non cauſa. Nomen ſi quidem procedere debet à materia, & proprietate, & natura ipſius ſubſtantiæ. Veluti urtica eſt verè urtica, quia urit: ſed veriùs ſal urinæ; unam enim Anatomiam habent. Quare febris tale nomen eſt. Eſt ergo morbus nitri ſulphuris incenſi: unde etiam corpus quatit, unde horrore ferit, unde intervalla dat.

Idem Theophr. Parac. 1. *Tom.* 3. *tit. de peſtilitate, Tract.* 1. dicit febrem eſſe morbum nitri, & ſulphuris incenſi.

Idem Autor *de Tartaro lib.* 2. *cap.* 7. dicit febrem eſſe calorem ex oppilatione, generatam ex putrefactione tartari in regionibus hepatis.

Idem *Paragraph. lib.* 9. §. 1. febrem ſic deſcribit: Febris eſt calor putrefactus, cum tremoribus, ex ſua oppilatione à materia inſequeſtrata, in clauſis poris ex vi ſtyptica.

Fateor ejuſmodi deſcriptiones ſcholam minimè ſapere, & proprio marte ſine artificio prolatas eſſe. Logicalem definitionem ad tantam ſimplicitatem introducere non quæro; noſtram propriâ experientiâ partam in medium proferamus.

CAPUT

CAPUT XIII.

De febris generatione, atque de vera ejus eſſentia.

IN ſuperioribus communem febris notitiam non eſſe tutam, Lydioque veritatis lapide probatam, ſatis ſuperque probavimus. Nunc certiorem, firmiorem, & veritati magis conſentaneam demus, non è logodædalis, vaniſque Scholaſticorum ſophiſmatibus, ſed è fidiſſimis naturæ oraculis, ratione, & experientiâ comprobatis. Itaque cùm febris ſit ardor, & immanis quædam caliditas, ut experientia monſtrat, à quo poſſit fieri ejuſmodi ardor, perveſtigare neceſſe eſt. In hac conſideratione, duo inquirenda veniunt: quodnam ſit illud quod flagrat, aut quænam ſit materia incendii, & quid ſit illud, quod incendium præſtitit. Materia flagrans eſt, ut optimè animadvertit Fernelius, ſubſtantia quædam oleaginea, quam Chymici ſulphuream appellant: illud verò, quod incendit dictam materiam, non poteſt eſſe aliud, quàm ignis actu; at talis non reperitur in viventibus: quapropter alio modo cauſas ejuſcemodi incendii inveſtigare decet. Ad quod intelligendum, notandum eſt, duas eſſe in ſanguine ſubſtantias ejuſmodi incendium facientes; unam merè ſulphuream, alteram ſalinam. Et cùm iſtæ ſubſtantiæ ſeorſum ſegregatæ, & exaltatæ ſunt, vel proprio, vel alieno impetu mixtæ, ardorem & incendium febrile concitant. Verùm qui ejuſcemodi Philoſophiæ principia ignorant, vix poſſibile eſt, ut tantæ lucis ſplendorem aſpicere valeant. Reperiri tamen ejuſmodi ſubſtantias in viventium ſanguine, non eſt adeò cognitu difficile, maximè ubi quis ſingularum partium mixtum componentium notitiam habuerit; & hæc diviſionis notitia, viva anatomia appellatur, docens unum quodque in ſuas partes dividere. Exemplum eſto de quavis re: facillimum omnium eſto vinum, cujus duplex eſt materia ſulphurea, volatilis una & tenuiſſima, altera craſſa & terreſtis. Volatilis, igni æmula, ſurſum aſcendit; altera craſſa, & ad terram deorſum vergit. Uti eſt de ſulphurea, ita eſt de ſalſa: nam una eſt ſalſedo, quæ præ tenuitate ſurſum aſcendit, altera craſſa & fixa, quæ deorſum vergit. Rurſus unaquæque materia, tam oleaginea, ſeu ſulphurea, quàm ſalſa, naturam ſui ſeminis retinet; unde febrium infinitæ ſpecies. Quod de vino diximus, de ſingulis rebus animatis, & inanimatis cenſendum eſt. Qui de ſanguine humano periculum facere aves, de ipſo accipias ſufficientem quantitatem, eumque peculiari fermento in vaſe vitreo, collo oblongo, in fimo equino contineas, ad 15. vel 20. dies; poſtea per Alembicum vitreum ad Balneum Mariæ extilla ſpiritum primò, aquam poſtea. Rectifica ſpiritum bis & ter, ſi opus fuerit. Hunc ſpiritum ſeorſum ſervabis, & interim ſalem è fæcibus parabis, in cujus extractione varias etiam obſervabis ſalium ſpecies. Si verò rectè operatus fueris, unam invenies cæteris copioſiorem eamque ſubacidam cum quadam dulcedine, & hanc magis de nitro, & armoniaco participare judicamus. Eſt alia ſpecies valde amara, ſali communi finitima. Ex ſuperiori per retortam vitream prolice ſpiritum, qui pariter ſeorſum aſſervatur in ampulla vitrea. Ambæ ejuſmodi ſubſtantiæ actu ſunt frigidæ, & tactu nihil quicquam caloris percipitur; at ubi in tertio vaſe permiſcentur, tantum caloris & fervoris concitatur, ut vas nullo pacto manibus contineri poſſit. Sed quod majus eſt, ex utroque rumor & fragor exauditur tantus, ut non minùs quàm de bello cogitare poſſis. In hoc conflictu, vapor quidam teter ab utroque ſpirat, non ſine graveolentia quadam. Hæc vera & genuina febris generatio in univerſum. Species inde deducere non erit impoſſibile, dummodò te non pigeat laboris, ſed primò communem febrium doctrinam enodare placet, ad noſtram poſtea veniemus.

CAPUT XXIV.

Febris communiter dividitur.

QUando ad febrium ſingularium notitiam deveniendum, multiplices obſervationes rimari neceſſe eſt: at has longo uſu, & experientiâ congeſtas invenimus apud Galenum, Avicennam, &c. Quapropter quid de his dixerint, videamus. Primò pro varietate ſubjecti, in quo verſari calorem autumant, in tres ſpecies ipſas dividunt: in ſpiritales, & has ephemeras appellant; in humorales, & has in ſanguineas, bilioſas, melancholicas, & pituitoſas partiuntur; & in habituales: quæ ſedem in ſolidis ſelegerunt, & hecticæ appellantur.

CAPUT XXV.

De Ephemera febre.

EPhemera Græcis, Latinis diaria, quòd unius diei, ſeu 24. horarum ſpatio terminetur. Hæc ſedem habet in ſpiritibus, & in humores aliquando ſe diffundit. Cauſas brevitatis ſtudio omitto, cùm ſit febris quæ ſponte evaneſcit, & communes habeat cum ſuprà narratis.

Signa ephemeræ ſunt calor mitis per corpus diffuſus: rigor, aut horror nullus, aut paucus, citòque evanidus: periodorum carentia: Pulſus ſanis non valdè diſſimilis: Urinæ pariter à ſanis non ſunt diſſimiles, moxque aut ſedimentum bonum, aut enæorema, aut nubeculam exhibent, & omnino bene coloratæ ſunt. Terminatur per ſudorem, madorem, aut vaporem ſuavem, plerumque intra diem naturalem.

Periculoſa non eſt, modò rectè tractetur, imò ſæpè utilis, poros enim aperit, fuligines expellit, ſudores provocat, & putrefactionem prohibet.

CAPUT XXVI.

De humorali febre in genere.

HUmoralis febris ea eſt, quæ dicitur ſedem habere primariò in humoribus: quæ quadruplex eſt, juxta quatuor humores. Hæc rurſus dividitur in putridam, & non putridam. Putrida in continuam, & intermittentem.

Non putrida, ſynochus ſimplex appellàtur, in

in ſanguine conſiſtens citra putredinem. Eſt & altera ſynochus putrida, in ſanguine putreſcente, dicitur & continens, & continua.

Febris continua ſine remiſſione eſt, quæ nullo ſtato excandeſcentiæ ordine, ab initiò ad finem ſine ulla remiſſione perſeverat. Ferunt in hac putredinem in vaſis cordi vicinioribus ſtabulari, veluti in venæ cavæ ramis, quæ propiùs ad cor accedunt, unde cor aſſiduò pari impetu afficiatur.

Febris continua cum remiſſione eſt, quæ quidem nunquam intermittit, ſed tamen in ſingulis paroxyſmis ſenſibilem habet remiſſionem. In hac putredinem dicunt à corde diſtantiorem eſſe, ideoque indeſinenter eâdem violentiâ id ferire nequit. Hæc rurſus, vel inordinata eſt, quæ in paroxyſmis nullum ſervat ordinem, & pluries uno die excandeſcit: vel ordinata, quæ certum in paroxyſmis ordinem ſervat.

Intermittens febris eſt, cujus acceſſio non perpetuò durat, ſed certis temporibus intermittit, & ad quietem integritatemque deſinit. Dicunt ejuſmodi febrem oriri ab humore putreſcente, vel extra vaſa, vel in vaſis à corde remotiſſimis, atque minoribus. In hac diſtinctè conſiderantur paroxyſmi, & intermiſſio, ſive ἀπυρεξία. Paroxyſmus nihil aliud, quàm id tempus, quo febris poſt quietem de novo exacerbatur, corpuſque graviùs affligit. Ἀπυρεξία tempus eſt à paroxyſmis, caloriſque febrilis moleſtiis liberum.

Continua febris rurſus, vel ὁμότονος, & ἀκμαστικὴ dicitur, ex eo quod in eodem robore ac rigore permaneat; quæ à principio ad criſin uſque æquali magnitudine, ac vehementiâ perduret, eundemque vigorem, ac tenorem ſervet. Vel continua dicitur ἐπακμαστικὴ, & ἀναβατικὴ, id eſt, invaleſcens, & incrementum accipiens, ut quæ à principio ad finem indies augetur, ſemperque exiguum aliquid adjicit. Vel tandem παρακμαστικὴ dicitur, ut quæ de die in diem minuitur, & decreſcit, à principio ad finem.

CAPUT XXVII.

Putridarum febrium ſigna.

Signa febrium putridarum continuarum ſunt invaſio repentina, nullo rigore, horrore, aut frigore prægreſſo, pulsûs inæqualitas major, quàm in intermittente, duratio ultra 24. horas, intermiſſio & deſinentia nulla, uſque dum planè conquieſcat. Hæc ſunt propria, & pathognomica. Communia, & aſſidentia varia ſunt, ex quibus interdum multa, interdum pauca comitantur, ut æſtus immodicus, ſitis, linguæ ſcabrities, deglutiendi difficultas, guſtûs depravatio, nauſea, vomitus, ciborum averſatio, ſingultus, alvi profluvium, animi deliquium, ſyncope, oppreſſio, reſpiratio difficilis, lumborum gravitas, corporis jactatio, veluti confuſio, capitis dolor, vigiliæ, delirium, corporis conſumptio, &c.

Intermittens febris, vel eſt Quotidiana, & quotidie ſimili typo recurrit, & hanc à putreſcente pituita fieri dicunt: quæ ſi intra vaſa putreſcit, continuam; ſi extrà, intermittentem producit. Acceſſio ejus eſt horarum 18. intermiſſio 6. Nonnulli putant, ejuſmodi febrem eſſe rariſſimam, & qui quotidie febricitant, potius hoc eſſe à tertiana duplici, aut ex aliis intermittentibus mixtis.

Tertiana febris ea eſt, quæ ſingulo tertio die novâ invaſione ægrum affligit, & eſt exquiſita, vel notha.

Tertiana exquiſita fertur ex pura, & ſincera bile fieri. Statim initio, ſinguliſque acceſſionibus rigorem vehementem affert, corpuſque pungi ac velut ulcerari videtur: pulſus æqualis eſt; in acceſſionis tamen incremento vehemens, magnus, ac frequens: in vigore ſitis, & æſtus magnus: vomitus ſupervenit bilioſus: urina ſubrufa, ſubflava, & moderatè craſſa. Acceſſio ejus longiſſima eſt 12. horarum, interdum 7. aut 4. Septem circuitibus judicatur: Primus eſt debilis, ſecundus fortior, tertius vehementior, quartus vehementiſſimus, poſt quem paulatim remittit.

Tertiana notha ea eſt, quæ non ex pura, ſed ex permixta aliis humoribus fit. Acceſſiones ejus ultra 12. horas extenduntur, nulloque ordine recurrunt: Nunquam 7. rarò 14. circuitibus ſolvitur; ſæpè verò longiùs excurrit. Calor in ea minùs pungens.

Quartana febris ea eſt, quæ ſingulo quarto die novâ invaſione ægrum affligit. Hæc ab horrore incipit, cum oſcitatione, pandiculatione, & moleſtâ quadam totius corporis inæqualitate, quam rigor ſequitur, qui initio parvus eſt, vel loco ejus refrigeratio, & horror, at progreſſu temporis fit major, donec fiat vehementiſſimus, qui talis eſt, qualis accidit iis, qui tempore hyemis refrigerantur, ſenſumque exhibet non rei pungentis, ſed gravantis, & quaſi contundentis oſſa. Calor in hac febre ab aliis febribus differt; ſuccenditur enim paulatim, neque ut in tertianis, velut adurens eſt, & æſtuoſus, ſed ſubmiſſus. Pulſus in his rarus eſt, & tardus. Sudores pauci primis diebus, progreſſu temporis copioſi. Urinæ primis diebus tenues & aquoſæ, ſenſim poſtea coloratiores & craſſiores. Sed hæc brevi epilogo dicta ſint de putridis: ſupereſt tertia ſpecies.

Tertia febris ſpecies, Habitualis, aut Hectica dicitur, ex eo quòd in habitu, aut in ſolidis hoſpitetur. Signa hujus febris propria ſunt calor lentus, viſque tactu perceptibilis, qui duabus à ſumpto cibo horis exacerbatur: corporis macies, & extenuatio ſine cauſa manifeſta: urina pinguis & oleoſa: facies livida & plumbea, oculi cavi & profundi: vigiliæ immoderatæ, appetitus debilis, frequens aërem frigidum trahendi deſiderium. Ejuſcemodi febris tres dantur gradus. Eſt præterea Hectica ſimplex, & compoſita ex ſimplici, & putrida. Rurſus vel per ſe eſt, vel cum tabe: vel primariò, vel ſecundariò diuturnitate collecta. Cætera non addo, nunc ad propria.

CAPUT XXVIII.

De febrium Natura.

Ad veram febrium cognitionem ſtabiliendam, intelligere oportet principiorum, ſeminum, & Elementorum poteſtatem, nec non temporum, & corporum cœleſtium vires. Mitto tranſmutationum & tranſplantationum leges. Principia realia, non logicalia intelligimus, ampla eſt enim principii ſignificatio: ſed hîc nonniſi corporum, tamquam generationi, & corruptioni ſubditorum, principia realia inquirimus. At verò ne corpora citra loca & tempora conſtituere videamur, & pariter ſolitaria propriis formis deſtituta deſeramus, ea inveſtiganda ſunt Elementa, tanquam propria.

propria domicilia, in quibus generantur; nec generantur ſine ſeminis beneficio, & hæc ſemina in hanc mundanam ſcenam venire non obſervamus propriis deſtituta corporibus. Pro quo intelligendum eſt, corpora iſthæc non aliunde, quàm ab iiſdem ſeminibus fuiſſe efformata, quæ cùm à primordiis tali ſcientiâ donata ſint, peculiaria induunt veſtimenta: & ſub verbi omnipotentis vexillis militare audent. Eſt verò ſemen viſibile ſenſibus obvium, ut inviſibile ſenſuum criterium effugiens, è naturæ potentia eductum, propriis ſcientiis, & artibus inſtructum, ut per ævum propriæ ſpeciei deſerviret propagandæ. Sed hæc longè nimis petita videntur, & altiorem requirunt indaginem; modò reſolutionis viâ contenti ſimus docere corporum principia. Cùm ergo corpora omnia in ſalem, ſulphur, & mercurium reſolvi obſervamus, iiſdem ipſa corpora conſtare neceſſe eſt. Scio quid adverſus hæc dixerint complures, quibus pariter pluries ſatisfactum fuit: negare tamen non poſſunt, ea ſaltem contineri potentiâ, cùm eadem actu educantur. Non obſtat, ſi eadem pro principiis nolint recipere, ſat enim eſt ipſa ubique reperiri, cùm ea non otioſa propriis non deſtitui, fateri pariter teneatur ea, quæ ſenſuum criterium profert. At rudibus abſonum videbitur ſulphur, ſalem, & mercurium communiter ſumpta, in rebus conſtituere; hæc tria analogicè ita appellantur, ut pro ſulphure intelligatur omne id quod flagrat, atque igni eſt amicum; pro ſale, omne id quod in aqua ſolvitur (unde tam ſaccharum, quàm omne ſalis genus amarum, acidum, auſterum, &c. in aqua ſolubile, ſal appellatur:) pro mercurio, aqua omnis, ſeu omne liquidum oleo impermiſcibile, & incendio minimè aptum. Aqua vitæ, & alii liquores flammam ſuſcipientes, ſulphuri volatili permixti ſunt. Non nego Scholaſticos de corporum principiis alio modo philoſophari, & contendere hæc noſtra nimis eſſe ſenſibilia, experientiâ potiùs, quàm ratiocinio comprehenſa; non decere cathedrantem Philoſophum ad palpabilem demonſtrationem deſcendere, reſolutiones, diſſolutiones, exaltationes, coagulationes, & conſimiles operationes luſtrare. Facilius eſt enim cum Ariſtotele, & ejus aſſeclis, de principiis à nemine comprehenſis delirare, quàm de rebus omnibus obviis verba facere. Qui contentionibus & rixis impensè delectantur, materiam, & privationem mordicùs tutantur: At quis ſenſuum capere unquam poſſit rudem, inaſpectabilem, nullâ dimenſione formatam, ſola opinione conceptam puram illam potentiam? De eo quod dicunt de forma, ut ea ſit quæ dat eſſe rei, minùs intelligo: intellectus non operatur, ubi ſenſus deficiunt. Oculi ſine colore, tactus ſine corpore, nares ſine odore, aures ſine ſono, guſtus ſine ſapore non judicant. Itaque cùm noſtra, ratione, & experientiâ fundata ſint, cauſa non eſt cur ad imaginaria, inutilia, ad contentiones tantùm excogitata, & incerta confugiamus. Sed veniamus ad experientiam: Demus Piper, Zingiber, & ſimilia, quid per materiam, formam, & privationem acquirimus? Ad Elementorum mixtionem confugiunt. Iſthæc an inibi actu, an potentiâ reperiantur, infructuosè nimis deblaterant: ignem ibi levitatem amiſiſſe, virtutem ipſius principatum obtinere, conſimilia denique effutiunt de aliis. Quicquid de gradibus proponunt, cum ſuis temperamentis, non minoris eſt levitatis. Nos verò qui de rebus ſenſuum criterio philoſophamur, ſpretis his, qui ſupra ſenſus elati, erroneâ quadam opinione tumidi, nihil præter inutilem quandam dicacitatem nobis obtrudunt, dicimus tria iſthæc in omnibus reperiri, & unumquodque eſſe fundamentum, & ſedem omnium virtutum rerum naturalium: virtutes verò pendere à ſeminibus tam viſibilibus, quàm inviſibilibus. Ejuſmodi verò ſeminum qui quærit principia & origines, fateri omnino tenetur, ſui ipſius cognitionem priùs eſſe examinandam, in cujus contemplatione non minùs cæcutit intellectus, quàm in rebus etiam minimis. Sed demus cujuſvis rei formam indagandam, ipſa in indiviſibili eſt poſita, non eſt quantitati alligata, & in ſe infinitam vim ſe propagandi ab omni ævo obtinuit. Quid inſuper? contemplare artem & induſtriam, quâ pollet in propriâ ſpecie propaganda, & conſervanda: obſerva in his mirabilem ordinem proportiones, & figuras, cum peculiaribus lineamentis inimitabiles. Si colores incomparabili artificio collocatos contemplaberis, eas ridebis cum coloribus & odoribus certare. Ab hiſce minimis liceat ad te devenire, à qua contemplatione Deum factorem omnium quoquo pacto ad te venire ſenties. Supra cujus meditatione non eſt, ut ad ea quæ ſupra te ſunt, devenire contendas. Alta quæris, & incognita, & ima ſub pedibus tuis penitùs ignoras: multa de Marte, & Saturno deblateras, & eorum conditiones, naturas, & proprietates non agnoſcis. Propinquiorum cœlorum materiam videmus quidem, ſed quæ ſit, neſcimus.

Viſibilium ergo ſenſibus comprehenſorum noſtra ſit cognitio, nec immeritò Medicus dicitur artifex ſenſatus. Statutum ergo ſit, in cunctis rebus ineſſe tria illa corpora, quæ ſive principia, ſive ſecunda dicantur, parum refert, & ea in homine copioſiſſimè, ex quibus febres deducere contendimus.

CAPUT XXIX.

Quomodo fiat humorum incendium, ex quo febris.

Suprà ſatis copioſè demonſtravimus, incendii materiam eſſe ſulphuream, ſeu oleagineam; id verò quod incendit eam, eſſe non poſſe ignem actu, uti in cunctis rebus fit, & requiritur, ſed ex ſalis poteſtate ſpiritum ſegregari ſaltem, qualem in artificialibus obſervamus. At quia per ſe ſatis potens non eſt, ut ſulphuream illam ſubſtantiam incendat, nì pariter dicta ſubſtantia oleaginea attenuata ſit, & ritè diſpoſita, iſtæ tunc ambæ mixtæ febrile incendium efficiunt. Miſcentur verò, vel ſpirituum miniſterio, vel motu proprio, vel univerſæ naturæ poteſtate: hinc prima febrium genera. Spiritus, vis eſt & poteſtas unius cujuſque rei, à quo omnis actio venit. Quòd dicimus eos eſſe donatos variis ſcientiis, & his inſtructos eſſe, non aliâ ratione accipiendum, niſi quòd demiremur mirabile eorum artificium, tam in ſuis ſpeciebus propagandis, quàm in miris eorum effectibus, in noſtri uſum, & commodum paratis. Hujuſce rei exemplum in quavis herbula, in quavis arbore. Vide Quercum, quàm ex minima glande in proceram arborem aſſurgat! Partes dictæ quercus ſi ritè examinentur, incredibile artificium deprehendemus: in uno folio ordinem ſtructuræ, quæſo, nervos ſeu fibras, aut filamenta per corporis ſpatium diſperſa, cum uniuſcujuſque folioli faciei exterioris proportione & ſymmetriâ. Taceo

ſeminis

ſeminis illius cum cæteris perpetuam, & indeſinentem generandi facultatem. Quot terræ creata meditor, tot miracula video. Si ſapores, odores, colores, & proportiones ſtirpium inquiro: ſtupet animus. Unumquodque naſcens incredibili arte inſtructum. Ad hæc alimenta è terra communi matre ſeligenea. Quid magis mirum eſt, quàm in uno eodémque loco, in quo nullus ſapor, nullus odor, nullus color, peculiarem ſaporem, odorem, & colorem ſeligere, eóque frui, & incrementum ſuſcipere? De Animalibus longè majora rimari oporteret; at ea, quia nobis ſunt ubique obvia, intellectûs noſtri captum excedunt. Dico quia ſunt nimis communia, nam quæ ſunt remota à nobis, humanæ cogitationi magis videntur expoſita. Quoties apud me ridiculum, & phantaſticum reputavi, homines haberi philoſophos, qui relictis veris philoſophandi principiis, ad utiliſſima opinionum ſophiſmata ſe perpetuò devolvunt. Spirituum notitiam ſi attentè perpendamus, incendii febrilis cognitionem habebimus. In venis majoribus, ubi ſanguis maximè luxuriat, quotieſcunque purus manet, integrâ ſanitate gaudet, & homo perfectè vivit ſanus; ubi contrà adeſt impurus, excrementitiis fæcibus mixtus, varias excitat motiones, quæ cùm ſint à natura alienæ, bellum ipſi indicunt, ex cujus conflictu variæ incandeſcunt ſpiritus: quod quidem incendium, Febris eſt. Nec aliâ ratione, quàm propter antipathiam, quam inter ſe habent. Unde verò ejuſcemodi antipathia, odium & inimicitia, quam inter ſe exercent? non aliunde, quam à ratione quadam ſeminali, à primævo rebus cunctis inditâ. Elementa non diversâ ratione inter ſe pugnant: Ignis eſtne aquæ contrarius, quaſi ex ſe, & à nullo dependens, qui cunctis rebus primus agendi poteſtatem dedit; Elementis pariter movendi principia conceſſit? Hæc prima, & univerſalis febrium ratio. Ad particularem, & ſpecialem intelligendam, varia ſunt primò enodanda; & quia à communi, & tritâ viâ declinare neceſſe eſt, quid ſit ſpiritus, quæ ejus origo, poteſtas, materia quoque ex qua febres, aperire neceſſe eſt.

CAPUT XXX.

Quid ſpiritus.

SPiritus in ſacris *Ruah*, quaſi ventus, & virtus creatoris, ſic enim: *Veruah Eloim merachephæte galpene Tehom*, *Spiritus Domini ferebatur ſuper faciem abyſſi.* Græcis ψυχὴ, quaſi animus, & πνεῦμα, idem pariter, quòd aër, ventus & tenuiſſima ſubſtantia ſit. Fernelius *lib.* 2. *de abditis rerum cauſis*, *cap.* 7. elegantiſſimè ſpiritus deſcriptionem exhibet, dicens *ejus propriam ſignificationem ventum eſſe: Atque quum ventus præpotens ſit mirabiliaque efficiat, & oculorum obtutum effugiat affinitate quadam, & ſimilitudine factum eſt, ut ſpiritus nomen ad rem omnem, quæ ſub aſpectum non cadit, tranſiret, ſive corporea ea ſit, ſive incorporea. Hinc fit, ut quæ in nobis ineſt ſubſtantia, auræ tenui perſimilis, ſpiritus appellationem ſubeat.* Hippocrates, ut eſt in omnibus mirabilis, in *libro* cui titulus eſt περὶ φυσῶν eſt quidem Divinus: ibi enim vim & poteſtatem ſpiritus maniſeſtè declarat, ibi per ſpiritum modò ventum, modò aërem intelligit, ἄπαν γὰρ inquit, τὸ μεταξὺ γῆς τε, καὶ οὐρανοῦ, πνεύματος συμπλέον ἐστίν. Hermetici per ſpiritum intelligunt omnem vim, & potentiam è cunctis rebus expirantem, radicem, & fontem, à quo dimanant omnes actiones. Per ſpiritum etiam intelligunt tenuiſſimas illas ſubſtantias, quæ per halitum educuntur, ſegreganturve è rebus per diſtillationem, ſed hoc analogicè. Triplicem ſpeciem ſpirituum faciunt, corporeos, aut in corporibus demerſos; incorporeos, qui vix ulli viſibili ſubſtantiæ inſunt; & medios, qui utriuſque naturæ participes ſunt: aut ipſos dividunt in craſſos, tenues, & tenuiſſimos. Qua in re non valde diſſentiunt Medici: quum enim de calido, & humido inſito tam multa dicunt, pertenuem ſubſtantiam ſemper intelligunt. Verùm ut pluries annotavimus, in re tam periculoſa tutum non eſt opinari. Efformare ſibi philoſophandi principia ex probabilibus, non ex certis, & veris fundamentis, idem eſt ac quærere lucem in tenebris. Præter ejuſmodi traditam diviſionem, dicunt in humano corpore unicum eſſe vitæ ſpiritum, qui ſpiritus virtus eſt unica per totum corpus diffuſa, ex quâ omnia membra vivunt, & prout ipſa diffunditur, & extenditur, varias ſortitur denominationes, à quo non diſſentiunt ipſi Medici. Fernelius enim in *ſua Phyſiolog. lib.* 4. *cap.* 2. dicit ſpiritum eſſe corpus æthereum, caloris, facultatumque ſedem, & vinculum, primumque obeundæ functionis inſtrumentum: ut qui in cerebro animalis, qui in corde vitalis, qui in jecore naturalis appelletur. Hermetici unicum vitæ ſpiritum ſtatuunt, quem per membra diffuſum, diverſum per operationem agnoſcunt, ſed re ipſa unus tantùm eſt. Robur ipſius à membrorum fortitudine pendet. Intelligendum pariter vires ſuas ſervare, ubi liberè per membra poteſt tranſire.

CAPUT XXXI.

Spirituum alia diſquiſitio, & diviſio.

CUm ſpiritus ſint omnium rerum opifices, & morborum ac ſanitatis potiſſimæ cauſæ, ratio maximè poſtulat, ut de horum natura ampliſſimè ſimus inſtructi. Etenim ſpiritus nomen ſæpiſſimè pro aëre, & pro via rerum omnium ſumitur. Vita ſiquidem rerum nihil aliud eſt, quàm eſſentia ſpiritualis: inviſibilis, & impalpabilis res, ſpiritus, & res ſpiritualis. Spiritus eſt ergo à corpore diverſus: nam corpus eſt viſibile, & tangibile; ſpiritus verò inviſibilis, & impalpabilis. Spiritus adeſt naturalis cuilibet rei creatæ, unde vis & energia cujuſcunque rei. In herbis ſpiritus eſt, qui modò in floribus, ſeminibus, fructibus, &c. modo in foliis, radicibus, &c. conſiſtit. Ejus medio quotannis renovatur, & tam diu durat, quamdiu ſpiritus ille manet. Nec plantæ ſolùm vitali ſpiritu donatæ ſunt, ſed & omnis res corporalis; nullum enim corpus ſine proprio ſpiritu creatum eſt, & hunc occultè in ſe continet. Quid enim eſſet corpus ſine ſpiritu? eſt profectò ſpiritus, id quod occultè rei virtutem & potentiam poſſidet: & ut ſpiritus vita eſt, ita corpus mors. Perire præterea conſtat corpus, ſpiritum verò non; is enim in ſua ſpecie immortalis eſt: in everſione ſui corporis recedit, & ab eo ſeparatur, ac mortuum relinquit corpus, reditque in ſuum locum, unde venerat. Ex quibus patet, varios eſſe ſpiritus, ſicut varia ſunt corpora. Rurſus Spiritus eſt balſamus omnium rerum corporalium: dicitur

tur etiam cœleſtis, ac inviſibilis ignis, & incluſus aër.

CAPUT XXXII.

Febrium nova diviſio.

EX ſupradictis ſatis apparet, febres fieri ex mixtione ſpirituum antipathiam inter ſe habentium. Spiritus eſſe genitos ex materia excrementitia, quarum una eſt naturæ ſulphureæ, altera mercurialis: utraque tartarea eſt, id eſt, triplici materiâ, ſalinâ, mercuriali, & ſulphureâ conſtans. Cùm verò materia iſthæc tartarea excrementitia ſit, & otiari neſciat, ſequitur ut ex ſe vaporem, ſeu ſpiritum emittat, qui cùm ſit à ſpiritu vitæ alienus, mirum non eſt, ſi cum eo bellum moveat perpetuum, ex quo humores, & corpus univerſum mirificè incandeſcit. Incendium modò tertianarium, modò quartanarium, modò continuum fit, pro varietate materiæ tartareæ, & loci, in quo coacervatur dicta materia excrementitia.

CAPUT XXXIII.

De Tartaro.

TArtarus, ſeu Tartarum nomen ſortitur à fæce vini, quod trinâ ſubſtantiâ conſtat, cum propria tinctura, ſalina, ſulphurea, & mercuriali. Tinctura cum dictis tribus, naturam ſeminis, ex quo primùm genita fuit, retinet. Sic in homine ſanguinis fæx Tartarus appellatur. Duplex vero eſt Tartarus: unus craſſus & fæculentus, qui ima tenet; alter tenuis, qui vini corpori miſcetur. Rurſus iſte duplex eſt: unus qui, exempli gratiâ, ſeorſum à vino liquoréve alio, vel à ſanguine ſegregatur, & doliis vaſis adhæret; alter tenuiſſimus, qui perpetuo vini, vel liquoris corpori mixtus manet, neque unquam à corpore liquoris ſegregatur: Coagulatur verò à ſpiritu ſalis, qui formam ipſi dat, juxta locum in quo reperitur. Eſt ergo materia quædam excrementitia, ab alimentis ſub forma reſoluta, ita ut diſcerni nequeat, & ad coagulationem apta. Differt Tartarus pro regionum, terrarum, & aquarum varietate, atque prout aliæ terræ, & aquæ puriores. Rurſus eſt Tartarus, vel viſcidus, vel bolaris, vel arenoſus, vel calculoſus. In univerſum tot ſunt Tartari differentiæ, quot ſunt liquorum ſpecies.

Interea audiendi non ſunt illi, qui putant Tartarum idem eſſe, ac Phlegma: Nam Tartarus in omni re liquida, etiam in aqua, omnibus ſuccis, fructibus, eduliis, &c. reperitur; non ita Phlegma, quod extra corpus humanum non eſt. Præterea pituita incoctus eſt ſanguis; non ita Tartarus, qui ubique adeſt, nec coctiones reſpicit. Non nego reperiri ipſum in humore, nec propterea idem eſt. Caſeus eſt in lacte, nec propterea lac eſt. Et ut clariùs Tartari notitiam habeamus, intelligendum eſt, materiam Tartari eſſe ſuperfluitatem naturalem, hoc eſt, à natura rebus inſitam, & ſegregationem quandam, quæ juxta concordantiam cum ſeminis parte miſcetur. Et ut rem magis intelligas, ſuppone quodlibet corpus debere eſſe ſimplex, nullâ re miſcellaneâ, contaminatum, ita ut aqua non eſſet, niſi aqua puriſſima, abſque ullo additamento; ſic ſucci herbarum, puri & ſinceri abſque ulla permiſtione: quod tamen ita eſſe minimè videmus, imò contrà in omnibus purum cum impuro mixtum eſſe cernimus, hoc eſt, fæces, & Tartarum; ut cum aqua lutum, cum vino fæces mixtas reperimus. Illud igitur impurum, quod ſeparari debet, Tartarus ipſe eſt, non quòd Tartarum cum fæcibus, quæ ſub impuritatum nomine comprehenduntur, confundamus; magna enim differentia inter illa eſt: Nam impuri materia duplex eſt: una quæ reſolutioni, altera quæ coagulationi apta eſt; illa fundum petit, hæc vaſis parietibus adhæret; nam fæces ex ſui natura fundum petunt, Tartarus, verò nonniſi beneficio ſpiritus ſalis coagulatur. Exemplo res illuſtrabitur. Alimentum quod aſſumitur, in ventriculo poſt concoctionem ſeparatur in fæces, & humorem ſanguini gignendo idoneum. Fæces per inteſtina rejiciuntur, tamquam res impura; materia ſanguinis, imò ipſe ſanguis, Tartarum in ſe continet, qui variis in locis coagulari poteſt. Uſque adeò ut clarè appareat, omnem humiditatem è terra provenientem, habere in ſe innatam quandam ſalſedinem & tartareum quiddam, quaſi viſcoſitatem apparentem, quæ à reliquo humore ſe ſeparat, & in corpus ſolidum coagulatur.

Quòd ſi facultas concoctrix, ſeu calor naturalis in liquoribus tartaream impuritatem non ſeparat, ſed permixtam cum alimento eſſe patitur, fit ut in hominem quoque perveniat: Nam quia neceſſum eſt nutrimentis quotidie uti, ali, ac ſuſtentari; tartarea autem materia in ipſis nutrimentis cibi, & potûs ſita ſit, ex neceſſitate indies purum cum duplici impuro aſſumimus; unde morborum maxima pars originem ducit. Ex his ſatis patet, quid ſit Tartarus. Qui plura deſiderat, Paracelſi adeat & ejus *Libros de Tartaro* legat.

CAPUT XXXIV.

Species Febrium.

JUxta communem medendi methodum febres in ſuas ſpecies dividimus, & diximus alias eſſe ſpiritales, id eſt, ſedem habentes in ſpiritibus, alias humorales, hoc eſt in humoribus, & tertiam ſpeciem dici habituales, & hecticas, quòd in ſolidis, ſeu habitu corporis. At quia ejuſcemodi diviſio, curationis certitudinem nullam denotat, neceſſarium eſſet docere diviſionem aliquam, quâ via ad certitudinem nobis pateret. Verum enim verò, quia vera diviſio pendet à diverſitate materiæ tartareæ, quæ generat febrem; & quia ejuſcemodi varietas adhuc non eſt nota, & neceſſe eſt per univerſalia procedere: nullus enim auctor de hac materia ſcripſit; ſolus Theop. Parac. viam nobis præmonſtravit: at is pluſquam 200. ſpecies eſſe refert: Nos cum ipſo quaſdam eſſe in jecoris ſubſtantia conſiſtentes; alias in liene; alias in ventriculo; alias in renibus; alias in pulmonibus; nonnullas in cerebro; & tandem in ſingulis corporis partibus generari febres pronuntiabimus.

Etenim ſicut in ſingulo membro contingit eſſe peculiare tartarum; ita in peculiare fieri poteſt incendium. In alias tamen ſpecies, eaſque generaliores diſtinguit febres Theoph. Parac. *in* 5. *Tomo operum ſuorum*, *Tab.* 7. *de Gener. febrium*, 1. in Opiaticum. 2. in Centaureum. 3. in Erroneum. 4. in Litteriſtum, & 5. in Albugineum.

1. Opiaticum, ex ebullitione paroxyſmalis ſpiritus

ritus febris oritur, cujus hæc unica cauſa eſt, quòd ſpiritus furibundi incendantur per externorum elementorum accidentia; quæ viciſſim per elementorum reverſionem dividuntur,& ut opiata operantur: unde etiam nomen impetiârunt ab eo, quod eas ſanat.

2. Centaureum. Hæc febris eſt ſuerfluitas in corpore ab humoribus genita. Eſt autem ipſorum ſtercus, quod aliquamdiu colligitur, quod ejiciendum ſi egredi non poteſt, tunc paroxyſmos movet in ſpiritibus febrilibus. Res ergo illæ, quæ ſtercus humorum conſumunt, eædem etiam has febres tollunt, nomenque ac morbus res una eſt.

3 Erroneum. Febris hujus generatio eſt, ſi febriles ſpiritus errent, & extra materiam rapiantur, ac contra motum ordinemque ſuum agitentur moveanturque per diſſolutionem loci, & materiæ, & per accidens.

4. Litteriſtum. Hæc febris eſt præter naturam hoc eſt, ſupra vires naturæ. Et eſt commotio ſimilis febri, non tamen per ſe febris eſt; ac per litteriſtum tantùm curari debet, non naturaliter.

5. Albugineum. Febris hæc partem nullam habet cum quatuor prædictis communem, ſed ſedem ſuam in centro humorum figit, unde retropellitur per humorem albugineum. Et paulo inferiùs aliam tabulam de febrium generibus ponit, & 4. dicit eſſe, Sanguinis, Terræ, Aëris, & Ignis: & in quolibet genere tres potentias in peccante materia haberi tradit: Oppilatum, Putrefactum, & Superfluum.

Sanguinis

Oppilatum eſt, quando ſanguis ſuum greſſum, curſumque habere non poteſt. Et eſt oppilatio in venis ex vitio ſanguinis, quando congelatur, vel quid ſimile.

Putrefactum eſt, quando humor trium primarum coctionum ſequeſtratione factâ, labitur in putrefactionem. Hæc putrefactio eſt in loco, ubi dolor eſt.

Superfluum eſt, quando ultra debitum ſanguis abundat in corpore, & auget virtutes ſuas ultra ſuum pondus: & iſta ſuperfluitas eſt generatio febrium.

Terræ

Oppilatum ex terra. Hujus eſt generatio, ſi terreus humor in nobis, qui membris innatus eſt & infixus. Si talis non poteſt liberè ſtare, eſt generatio febris terrenæ.

Putrefactum. Et ſi ille tanquam Elementum non exiſtit, ſed propria ex natura ſe tranſmutat, & abſque corruptione, eſt iſta generatio febris terrenæ ex putrefactione factâ ſui Elementi.

Superfluum eſt, quòd ſi ille humor terrenus Elementatus, & in hoc membro pro Elemento aſſumitur: quando ultra gradum ſuum apparet, & fit, tunc eſt generatio febrium terrenarum ex Elemento ſuperfluo.

Aëris.

Oppilatum eſt, quòd ſi aër in nobis, qui tanquam chaos exiſtit, cum oppilatur, non habeat regreſſum, generatio eſt febris iſtius.

Putrefactum. Quòd ſi in putrefactionem convertitur, uti aër externus, tunc eſt febris generatio ex putrefactione aëris, ſcilicet interni.

Superfluum. Quòd ſi ſuperabundat in ventos quaſi, & ultra ſuum debitum, hæc eſt generatio febris ex ſuperfluitate.

Ignis.

Oppilatum eſt, quòd ſi ignis in nobis circumflat, non poteſt habere ſuffumigium ſuum. Hæc eſt generatio febris, ex oppilatione ignis.

Putrefactum eſt, ſi in ipſo corpus ignis ſuâ virtute per ſe putrefit. Hæc eſt generatio febris ex putrefactione ignis.

Superfluum eſt, quod ſi ultra ſuum Elementum igneum abundat, tunc eſt febris ex Elemento ignis, propter ſuperfluitatem ignei caloris.

CAPUT XXXV.

Febris alia Diviſio.

OMnis febrium doctrina, propter earum curam comparatur; hac de re, quia alio modo curatur febris ventriculi, alio jecoris, &c. ea de causâ perveſtiganda fuerit pars, in qua hoſpitatur febris: & cùm ea maximè obſideat ventriculum, jecur, &c. eâ de causâ juxta dictas partes eam dividere oportet.

In ventriculo, in hepate, & in renibus, potiſſimùm fit febris Tertiana, Quartana, & Quotidiana.

Paroxiſmus febris, ut fiat.

NEmo huc uſque febris Paroxyſmos perveſtigare ſatis potuit: ad veritatem omnium optimè collimare Theoph. Parac. exiſtimo. Dicit verò Paroxyſmum fieri, quando putrefactionis ebullitio deberet penetrare per poros in vias urinæ, & cum urina exire, quæ ubi oppilatæ ſunt, furit, & inde venit tremor; ſicut olla, quæ habet operculum, quando fervet: vel operculum decidere debet, vel olla frangitur.

Quando fæces incipiunt fervere, tunc vapor aſcendit, inficitque aërem; inde tremor: nam & in fæcibus à vi digeſtiva Paroxyſmum per nos fieri, ex prægreſſis ſatis patet; & quia diximus conjunctas, & efficientes cauſas immediatas eſſe ſpiritus.

CAPUT XXXVI.

De cauſis Febrium.

IN præcedentibus febrium ortum, & generationem ſatis apertè demonſtravimus, dicentes mixtionem duorum ſpirituum, antipathiam inter ſe habentium, cauſas eſſe proximas febrium, Spiritus verò ejuſmodi oriri à Tartaro, materiâ videlicet excrementitiâ, ſale, ſulphure, & mercurio, cum ſua tinctura, aut virtute ſeminali conſtante. Tartarum ejuſmodi, & ratione loci ubi generatur, & materiæ, ex qua fit, diverſas ſortiri ſpecies: Hinc tot eſſe febrium ſpecies.

Cur verò miſceantur ejuſcemodi ſpiritus, adhuc inexplicatum reliquimus: Diximus tamen ejuſcemodi materiam Tartaream, diverſam ſortiri naturam pro ratione edulii, quo quotidiè nutrimur: Inſuper pro ratione coctionis membri, in quo fit, & generatur: Præterea ſpiritus vitæ, qui utriuſque impetum ſuſtinet, non parvam

parvam affert differentiam ; ſed hæc omnibus communis eſt. Diverſitas pariter , quæ à temporum conſtitutione venit, non eſt parvi facienda. Verùm ſi exactè ſingula perpendere velimus, integra volumina ſcribere oporteret, id quod non fert inſtituti ratio : nunc nobis ſat eſt viam demonſtrâſſe. Qui interim plura deſiderat, conſulat Theoph. Parac. pluribus in locis, & maximè in *libris de Tartaro.* Nec te deterreat, quid in contrarium clamitent nonnulli ſcioli, qui non ſcientiam , ſed affectatam quandam garrulitatem magis affectant. Quòd ſi authoris nomen tibi diſplicet, univerſam naturam contemplare, & Tartarorum varietas , & poteſtas tibi innoteſcet.

CAPUT XXXVII.

De Prognoſi inſtituenda in febribus.

PRognoſis febrium variè colligitur ab Hippocrat. & Galeno, quod ab his factum fuit per diverſas obſervationes. Eſt verò Medico perneceſſaria, non tantùm ad curandum , verùm etiam ad futuros eventus prædicendum : etenim ex futuræ mortis præſagio , judicamus manus ægro eſſe, vel non eſſe admovendas.

Prognoſis, ſeu prædictio eſt doctrina , quâ futuros morbos, & illorum eventus prædicimus per ſigna. Prævidentur verò febres, ſalus, mors, criſes , ſymptomata , morborum tranſlationes , & alia permulta.

Prædictio triplex inſtitui poteſt : una generalis, altera ſpecialis, tertia particularis. Hîc generalem meditamur ex Hipp. & Gal.

Prædictio partim eſt poſſibilis , partim impoſſibilis ; difficilis ſemper, & utilis. Mutationes febrium inſignes, ſive in melius, ſive in deterius, judicia, & criſes nominant.

Bona judicia certis coctioni ſignis prænuntiari debent : atque inde memorabili , ſeu conſentaneâ excretione, abſceſſivè celebrari.

Crudo morbo, vel immaturo aliquid excerni, damno eſt : & memorabilem excretionem dicimus ἀξιέλογον ; quam quidem, ut ex toto, vel ſaltem bonâ ex parte ſuperetur morbus, κατ' ἴξιν fieri, & judiciali die, neceſſe eſt.

Majores excretiones naturam diſſolvunt : minores autem præterquam quòd nihil efficiunt, aut imbecillitatem, aut malignam humoris conditionem arguunt , & recidivis materiam ſuggerunt.

Coërcendis morbis ſic eſt naturæ urgentis inſtitutum : concoquere , attenuare , incidere, temperare materiam : ac denique ita comparare, ut ſepoſitâ utili ejus portione in alimentum, reliquum inutile, aut redundans, modò excretione abjiciat, conficiatve pepaſmo, modò in abſceſſus transferat. Natura enim ſuo calore , & ſpiritu ſolidas partes tuetur fovetque, & humoribus incumbens , ejus virtute mirificâ elaboratos conficit, ſecernit, repurgat, excluditque foràs. Et quidem illa in hunc modum progredi ſolet : niſi cùm turgentes materiæ, id eſt, furentis impetu, quem ὀργασμὸν vocitant, cogitur excernendo moras præcipitare , ac pepaſmi leges aſpernari, quo impetu, & acrimoniæ majoris aut qualitatis malignæ ſtimulis variè agitatus , impulſuſque humor , horrendas movere ſolet perturbationes. Is enim æſtu orgaſmi, modò in hanc, modò in illam partem inſiliens, nullo ſubſiſtit loco , donec tandem irruptione factâ in aliquam nobiliorum partium, exitialem inferat vitæ calamitatem. Tum igitur eâ de cauſâ ſibi metuens natura , ſuiſque rebus cautè proſpiciens, & ſecura cruditatis, turgentem humorem quàm citiſſimè poteſt , etiam incoctum amoliri largâ excretione contendit.

CAPUT XXXVIII.

De Criſi, Pepaſmo, & Apoſtaſi.

QUoniam tribus modis natura ſolet febres conſopire : hac de re de illis tribus breviter. Vel enim humores excernendo κατ' ἔκκρισιν ; vel eos concoquendo, κατ' πεπασμὸν ; vel transferendo , κατ' ἀπόστασιν. Hic ἔκκρισιν non omnem intelligimus , ſed eam , quæ ad judicialem diem vehementi motu, ac repentè fiat, & eâ quantitate, ut inde vel morbi remiſſio , vel etiam integra ejus ſolutio conſequatur. Excernuntur humores, vel ſudoribus, vel hæmorrhagiis, vel urinis , vel dejectionibus , vel vomitibus , vel ſputis, non crudi quidem , nec incocti, ſed priùs juſtâ maturatione ritè mitigati. Et ſic per acutas febres, diebus imparibus ſubitâ vacuatione prorumpunt.

Nam judiciis deſtinati dies conſtant omnes impari numero, nempe ad ſeptenarios criticâ ratione revocati. Quia 14. 20. 34. & 40. veri judiciales, viderentur pares in ſuo numero ſimpliciter conſiderati, niſi ad Lunares ſeptimanas referrentur. Imparibus (inquam) diebus judiciales excretiones ita moveri ſolent, ut ab earum labore vires excitari potiùs , quam labefactari videantur. Et verè ſalutares exiſtunt, ſi fiant κατ' λόγον, pro ratione, & κατ' ἴξιν è directo. Cæteri impares uſque ad vigeſimum, tertius, quintus, nonus, undecimus , & decimus ſeptimus vim judicandi quidem etiam retinent, judicandi autem præcipuè : Quartus primi ſeptenarii ; undecimus ſecundi ; decimus ſeptimus tertii ſunt indices. A vigeſimo ad quadrageſimum perit quartenarii poteſtas : quin etiam ipſius ſeptenarii langueſcit virtus. A quadrageſimo ad centeſimum vigeſimum ſolus regnat vicenarius : atque inde in morbis longioribus , veluti partubus, ſolius quadragenarii dominio uſque ad ſeptimum, judicia reguntur. Alii verò ſic ſtatuunt, quadrageſimum in longis morbis primum eſſe dierum judicialium : inde per vicenarios progrediuntur ad centeſimum viceſimum , cui duobus adjectis menſibus, ſex conficiunt menſes, quo ferè ſpatio verni morbi autumno, autumnales vere ſolvuntur. Sextum menſem ſequuntur bini, octavus, decimus, duodecimus; ab hoc deinde quaterni , 16. 20. 24. judiciis planè familiares.

CAPUT XXXIX.

De coctione.

PEptica ſigna antecedunt judiciorum motus, naturâ inſurgente adverſus cauſas morbificas. Deinde ſub ipſum judicandi tempus, fit vario-

rum ſymptomatum concurſus, febrium exacerbationes, deliria, æſtuans per habitum, perque artus calor, arteriarum undoſa pulſatio, interdum etiam rigor, aliaque horrenda, ut ἀφωνία, ἀσφυξία, unde illa ταραχη, turbatio judicialis, tam expetenda bonis Medicis, quàm imperitis metuenda. Illi enim taciti animis exultant, cùm imperiti, veluti deploratis rebus, mœrentes præcipiti curſu confugiunt ad divina. Natura concocto morbo hoſtilem humorem, mediis venarum atque arteriarum ſpatiis excluſum, tranſmittit in habitum: inde ſubitus rigor membra concutit. Inito illic certamine, ubi paratas habet veluti præſidiarias copias ſpirituum, & caloris inſiti, victrix natura, aut ſudore per ſpiracula corporis, aut vomitu, aut hæmorrhagiâ, aut urinis, aut dejectione, infeſtum humorem extrudit. Sin minùs, & partâ in habitu corporis victoriâ, inde recurrat potentior hoſtis, etiam collata interius præſidia exiguo labore opprimit, vitamque diſſolvit.

CAPUT XL.

De Bonis ſudoribus.

SUdores optimi, quicunque per univerſum corpus, ac judicialibus diebus fiunt, calidi, & febrem prorſus auferentes. Optimi etiam, qui judiciali die ſolvunt febres. Utiles qui eas remittunt.

Boni ſudores ſunt illi, qui calidi, & per totum corpus difflui, concocto morbo, & die critico, & in declinatione fiunt: ſi quidem boni die 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. 27. 31. & 34. hi enim ſudores morbos judicant, nàm eo tempore natura movet. Qui aliis diebus fiunt, naſcuntur à morbi violentia.

CAPUT XLI.

De Malis ſudoribus.

MAli ſudores frigidi ſunt, qui vel univerſum corpus pervadunt, vel partes aliquot particulares, & mortem prænuntiant, maximè in acutis. In aliis verò non acutis, ἢ ἀκρισίας, ἢ χρόνους, ἢ πόνους, ἢ ὑποςροφάς, aut judiciorum defectus, aut longas dierum prorogationes, aut labores, aut recidivas portendunt, cum febre acuta exitium, cum remiſſiori longitudinem. Quinimò etiam in moribundis, ſubcalidus quidam, tenuiſque ſudor διαφορητικὸς, ſimul omnes artus proluens, ac ſenſim refrigeſcens, non deſiſtit, quin fatiſcente naturâ, prorſuſque exolutis viribus, calorem vitæ penitùs extinguat.

CAPUT XLII.

De Excrementis.

NAturalis facultatis poteſtas in excrementis potiſſimùm elucet. Quapropter ab excrementis multa trahuntur prognoſtica. Excrementa, quantumvis mala in qualitate, & quantitate, bonis ægri rebus expelluntur, ſi die critico, præcedentibus ſignis coctionis, & cum ægri adjumento extrudantur: ſignum namque eſt, corpus à facultate expultrice robuſta excrementis purgari, quod bonum eſt. In excrementis juſta moderatio eſſe debet, quæ vel omnino ſolvat morbum, vel leviorem reddat: largior ſiquidem excretio vires ſolvit; parcior verò debilitatem naturæ oſtendit. Quæ ſi fuerit pauca & frequens, præterquam quòd denotat naturæ debilitatem, inſuper oſtendit ejus inanem conatum; nihil omnino juvans, ſed potiùs tendens ad ægri perniciem, omnis enim ſuppreſſio corruptæ, & malignæ materiæ, mala eſt.

In excrementis contemplanda ſunt coctio, cruditas, & pravitas. Coctio in febribus ſalutis ſecuritatem, & judicii celeritatem oſtendit: niſi quid præter rationem coctum ſit; tale enim in morbo acuto pravum cenſetur ab Hyppoc. in *Coacis prænotionibus.* Id præter rationem cenſetur, cujus nulla antegreſſa ſigna coctionis, quod peculiari exemplo expreſſit Hipp. *capite de Urinis,* inquit enim, *Urina, quæ derepentè coquitur, prava eſt.* Cruda excrementa longitudinem morbi ſignificant, ſi perſeraverint longo tempore: Arguunt enim naturæ debilitatem; nam debilis natura non poteſt coquere materiam, niſi longo tempore. Cæterùm coctio, ut certam oſtendat ſalutem, & judicii celeritatem, oportet ut ſit vera, continua, & univerſalis. Vera quidem, quia non rarò falluntur Medici, opinantes veram eſſe coctionem in urinis, ex crudo humore in fundo earum ſubſidente, quaſi verum ſit ſedimentum. Continua etiam debet eſſe coctio, ut fida ſit. Fit enim aliquando, cùm non ex toto humor à natura ſuperatur, ut manè appareat cocta, veſpere autem deliteſcat coctio.

Quare ſcribit Hypp. *in Prognoſt.* Urinam coctam debere perſeverare uſque ad Criſin. At Gal. *cap.* 4. *lib.* 3. *de Criſibus,* præſagivit ex coctione primi diei, morbi terminum. Verum hoc eſſe poteſt, ſi intelligamus in fine primi diei, & in ſimplici affectu, neque etiam coctio continua certa eſt. Debet etiam eſſe univerſalis, & totius materiæ morbificæ; fruſtra namque in parte quapiam coctio ſuſcipitur, morbo in reliquo corpore incocto exiſtente. Prava excrementa ſimpliciter periculum denotant, ex Gal. *l.* 1. *Criſ.*

Omnes excretiones, quæ morbos non judicant, aut non minuunt, malæ ſunt. Omnia excrementa morbis ſupervenientia, quæ dolorificum malum foràs exiſtere teſtantur, propterque in bonis ducenda, meliora exiſtimantur, cùm citò apparent: oſtendunt namque naturæ robur: & per conſequens minùs bona, cùm ſerò exeunt, ex contrariorum lege.

Omnis ſincera excretio mala, quòd naturæ miſcentis imbecillitatem oſtendat.

Excretiones plurium, & variorum calorum malæ ſunt, pejoreſque quò illi colores praviores erunt, ut æruginoſi, porracei, virides, nigri. Omnis pinguis, & oleoſa, mala, quòd colliquationem ſignificet. In omnibus morbis nihil excerni, malum.

CAPUT

CAPUT XLIII.

De Urinis.

URina optima eſt, ut inquit Hypp. *in Prognoſt.* ſi candidum habuerit ſedimentum, læve, & æquale, omni tempore, donec morbus judicetur. Coctio ex ſuperioribus ſecuritatem ſalutis, & celeritatem criſeos demonſtrat. Si verò intermiſerit, atque interdum mingatur ſine ſedimento, & aliquando habeat ſedimentum album, læve, & æquale, morbum diuturnum, & minùs ſecurum oſtendit, inquit idem Hypp. Iterum idem in *Coacis prænotionibus* ſcribit, *Urina bonum ſedimentum habens, quod derepentè evaneſcit, laborem, mutationemque ſignificat.* Item:

Si urina fuerit ſubrubra, & ſedimentum ſubrubrum, ac læve, diuturnior hæc quidem eſt, quàm prior, valdè tamen ſalubris.

Qui *in urinis celeriter ſedimentum habent, celeriter judicantur*, ex eiſdem *Coacis prænot.* Celeriter, id eſt, intra paucos dies; nam urina derepentè cocta, mala judicata fuit.

Subſidentiæ in urinis, ſpeciem craſſioris farinæ referentes, malæ ſunt; iis verò pejores ſunt ſquammoſæ.

Tenues verò & albæ, valdè malæ.

Urina quæ alba funditur, atque pellucida, mali eſt hominis, atque potiſſimùm in phreniticis. Iis verò pejores ſunt furfuraceæ. Nebulæ verò albæ, bonæ, quia coctæ; nigræ verò malæ.

Quamdiu urina erit ruffa, & tenuis, crudum ſignificat eſſe morbum, ex quo colligere licet longum fore: quòd ſi diuturnior ſit, & urina talis perſtiterit, periculum eſt ne æger non poſſit ſufficere, donec urina coquatur.

Ex urinis magis exitioſæ ſunt fœtidæ, quòd magnam putredinem denotent.

Aquoſæ malæ ſunt urinæ, ob debilitatem coctricis facultatis.

Nigræ, à calore adurente malæ cenſentur.

Viris, & mulieribus urinæ nigræ peſſimæ ſunt, pueris verò aquoſæ.

Pingues urinæ ſimiles telis aranearum, damnandæ ſunt. Hæc pro inſtituti ratione ſufficiant.

CAPUT XLIV.

De Alvi dejectionibus.

OPtima dejectio (inquit Hypp. *in Progn. & Coacis*) mollis eſt, conſtans tempore, ſicut per valetudinem excernitur: quantitate ingeſtis reſpondet certâ proportione. Sic enim exeunte, imus venter benè habebit, bonaque exiſtimabitur.

Utile eſt lumbricos excerni teretes cum dejectione, ubi ad criſin pervenerit morbus; nam ſi exeant cum dejectione, criſi inſtante, naturæ robur ſignificatur. Si verò per os, aut per anum expellantur ſine dejectione, aut ſine fæcibus, oſtenditur eorum copia, aut malignitas materiæ, quam vermes fugiunt: quæ omnia ſunt mala.

Dejectio aquoſa, quæ à debilitate coctricis pendet, diuturnitatem morbi ſignificat. Si candida fuerit, aut crocea, aut ſpumans à flatu, & fervore, aut rubra, mala eſt. Nam candida obſtructionem meatus cholidochi; crocea pura, imbecillitatem naturæ; ſpumea, nativi caloris imbecillitatem ſignificat, quæ omnia mala ſunt. Mala etiam dejectio eſt, ſi fuerit parva, glutinoſa, alba, ſubcrocea, ac lævis.

Magis autem lethales ſunt nigræ atrabilariæ.

Pingues, vel lividæ, vel æruginoſæ, vel fœtidæ, malæ, ex *Progn. & Coac.*

CAPUT XLV.

De Vomitu.

HIppoc. in *Prognoſt.* inquit: *Vomitus utiliſſimus eſt, ſi quàm maximè ex bile & pituita flava fuerit commixtus, non admodum craſſus, nec multus idem. Si id quod vomitur porraceum eſt, vel lividum, nigrumve, malum cenſetur. Si omnes colores*, qui poſſunt excerni, *quis vomuerit, lethaliter habet:* deterius ſiquidem eſt, vomere diverſos colores, quàm excernere, quia humores vomitu dejecti proximiores ſunt partibus præcipuis, quàm qui per alvum dijiciuntur.

Celerrimam mortem oſtendit vomitus lividus, ſi fœtidum oleat.

CAPUT XLVI.

De ſingultu.

LEthalis omnino eſt acuta febris, in qua frequens ſingultus, & propè continuus eſt: Significat enim ſiccitatem ſuperioris orificii ſtomachi ab ardore febrili, quo diſſipatur calor nativus.

Singultus in laborioſa febre, malus eſt.

Quomodocunque ſingultus fiat, magis periculoſus eſt in virium dejectione, & in ſenibus, quàm in aliis.

Singultus à ſiccitate, lethalis: fit autem quòd venæ exinanitæ mutuum beneficium repoſcant à nervis.

Sternutatio, inquit Avicenna, *in ſtatu morbi nata, bona eſſe cenſetur; in principio verò ſignificat coryzam, & humoris mordacitatem.*

In omnibus pulmonis morbis gravedines, & ſternutationes, tum præire, tum ſubſequi malum, ex Hippoc. *in Progn.*

CAPUT XLVII.

De Pulſibus.

TAnta eſt pulſuum varietas à Galeno notata, ut vix ullus ſit tam felicis, & tam pertinacis memoriæ, ut ipſam ad uſum revocare poſſit. Placet in tanta multitudine pauca annotare, ut 1. Pulſus vehemens ſemper bonus æſtimandus eſt, licèt nonnunquam facultatis oſtendat irritationem, conantis expellere quod noxium eſt, ut initio dolorum, & in conflictu critico. Bonus tamen exiſtimandus, quia robur facultatis demonſtrat. Pulſus contrà languidus

guidus ſemper malus, quia facultatis debilitatem oſtendit.

Pulſus celerrimus, & creberrimus, mali ſunt: denotant enim caloris nativi, & ſpirituum diſſipationem.

Tardiſſimus etiam, & rariſſimus, peſſimi ſunt, ob ingentem refrigerationem corporis cordis.

Molliſſimus, & duriſſimus peſſimi habentur. Languidiſſimus, tardiſſimus, & rariſſimus, omnium peſſimi ſunt; ab illis minimus, molliſſimus & duriſſimus; poſteà creberrimus.

At non celerrimus & maximus; ſed ſunt hi modicè periculoſi. Unus verò inter extremos optimus eſt, vehementiſſimus, ob facultatis vitalis robur, quod demonſtrat.

Pulſus intermittens, & debilis, lethalis. Intermittens, in quo duarum pulſationum tempore arteria quieſcit, eſt lethalis; Gal. enim *cap. 3. lib. 2. de præſagitione ex pulſibus*, ſcribit, *Neſcio an eum tali pulſu ſuperſtes quiſquam eſſe poſſit*: Nam intermiſſio illa non tantùm facultatem opprimi, ſed ſummè debilitari portendit; ſumma verò debilitas facultatis vitalis, periculi plena eſt.

Intermittens, qui tempus unius motûs æquat, aut plus aliquantulum habet temporis, periculoſus valdè non eſt, præſertim in ſenibus, quod eorum facultates debiles à parvis cauſis offendantur; firmæ verò tantùm dejiciantur à maximis. In pueris etiam minimè formidandus, quia in illis facultas, quæ pulſibus præſidet, eſt imbecilla plurimùm.

Pulſus incurrens non raro judicatorius, ſive criſeos eſt prænuntius. Eſt namque veluti conatus naturæ ad pugnandum paratæ, differtque ex Gal. ab intermittente, quod in intercurrente decertet natura cum noxiis; in intermittente verò hoc piget illam facere.

Intermittens in uno pulſu, cùm diverſus ſit, varia, demonſtrat: ſiquidem vehementior ſit ſecundus motus, aut celerior primo, melior eſt pulſus; debilior autem, & tardior, pejor.

Inæqualitas in uno pulſu, inæqualitatum omnium incommodiſſima eſt: Nam eaſdem cauſas habet, quas collectiva, ſed deteriores. Ad hæc, collectiva multos habet pulſus ſine intermiſſione; hæc verò nullos, ſed cùm ſemel inceperit, in intermiſſione ſemper perſeverat: at malum quod caret intermiſſione, pejus eſt habendum eo, quod aliquando intermittit.

Pulſus undoſus ex ſe debilitatem oſtendit. Si vehementiam aliquam habeat conjunctam, nec non altitudinem, ſudoris eſt prænuntius, maximè ſi indicia appareant coctionis materiæ morbificæ. Undoſus enim ſolus per ſe ſignificat mollem arteriam, & facultatem ſatis debilem, quæ ſimul & ſemel omnes arteriæ partes movere nequit. Mollis arteria fit ab humore in corpore redundante, quem copioſum eſſe oportet, cùm mollis reddatur arteria: humor verò copioſus eſt materia ſudoris. Quare cùm undoſus utcumque vehemens eſt & altus, robur facultatis ſatis magnum declarat, à qua poteſt expelli humor redundans: quam ob cauſam ſudor in tali pulſu ſperandus eſt.

Vermiculoſus pulſus majorem, quàm undoſus debilitatem ſignificat.

Formicans verò vermiculante multò eſt deterior, propter majorem debilitatem, quam denunciat. In febribus autem diuturnis, eſt mortis prænuntius certus.

Myuri pulſus, ſeu (ut Barbari dicunt) cauda muris, aut cauda ſoricina, vel decurtati, omnes oſtendunt facultatis debilitatem. Sunt tamen diverſi; nam aut in uno pulſu, aut in diverſis pulſibus ſeſe conſequuntur. In uno pulſu, præter debilitatem, oſtendunt etiam corporis gracilitatem, qui autem eſt in acervo, poteſt contingere ſine gracilitate.

Decurtati pulſus in acervo, id eſt, in pluribus pulſibus, aut ſunt reciproci, aut deficientes. Reciproci, minus periculum denunciant: Deficientes verò aut omnino tales, aut pauco quidem intermiſſo tempore reciprocantes, qui minùs periculoſi ſunt, quàm cùm omnino deficiunt; tunc enim in propinquo mors eſt.

Pulſus errans, quantò eſt manifeſtior, tanto eſt deterior; quia ingentem humorem teſtatur, qui longâ eget coctione; & niſi æger fuerit robuſtus, ſuccumbet.

Convulſivus pulſus, alius aliis præferendus: nam qui poſt plurimos ſudores, aut vomitûs, aut alvi dejectiones accidit, ægrè reſtituitur in priſtinum ſtatum, & malum ſignificat propè inſanabile.

Qui verò naſcitur repentè, & ſtatim in principio, vel paulo poſt principium, non eſt adeò periculoſus; modò à re venenata non oriatur, qui ſolet eſſe pernicioſior.

Pulſus vibrans indicat naturam cum morbo pugnare, unde futurum terminum in febre ſperamus.

Pulſus tremulus, ſyncopes in febribus acutis eſt, & mortis omen, ob extremam, quam oſtendit, facultatis debilitatem.

Pulſus palpitans nullum creat periculum.

CAPUT XLVIII.

De reſpiratione.

Bona reſpiratio, quæ facilis, magni facienda eſt in febribus acutis, & magnam vim habet ad ſalutem: ſignum eſt enim integræ facultatis motricis. Non eſt tamen certa prædictio ex reſpiratione captanda, niſi laborantis mentem, ac propoſitum diſtinxeris, ex Gal. *lib. de difficultate reſpirationis*: nam ſi ex compoſito & prudente audacem reſponſionem malam dicat Hippocrates; non tamen audacium hominum, neque talem reſponſionem ſolùm, ſed neque deſipientiam, magnum quidpiam indicare putes. Ita quoque res habet in reſpiratione: nam delicati & molles, in omni opere reſpirabunt inæqualiter, etiamſi nihil agant inſigne; laborum verò cupidi, & qui generoſo ſunt animo, nunquam niſi deductâ ad ſummam debilitatem virtute, reſpirationem producent inæqualem.

Reſpiratio frequens dolorem ſignificat, aut inflammationem in partibus, quæ ſupra ſeptum tranſverſum ſunt: In dolore namque illarum partium non poteſt eſſe magna reſpiratio.

Frigidus reſpiratus ex ore & naſo prodiens, valde lethalis eſt: quia ſignificat extinctionem caloris nativi.

In Coacis ſcribitur, *lethalis eſt febrilis, & fuliginoſus ſpiratus, minus tamen quàm frigidus*: demonſtrat namque intus latere incendium, à quo calor nativus diſſipatur.

CAPUT

CAPUT XLIX.

De mentis alienatione.

DEſipientiæ cum riſu, minùs moleſtæ eſſe ſolent: quòd ſanguinem dominari patefaciant; illæ verò quæ ſunt cum ſtudio, & ferocitate, malæ.

Quæ pauco tempore feroces fiunt deſipientiæ, in ferinas evadunt. *Inſaniæ vehementes, lethales ſunt*, ex *Coacis.*

Quæ deliria paulatim tranſeunt in temeritatem, firma ſunt atque convulſionem prænuntiant, ex *Coac.*

In quo morbo ſomnus delirium ſedat, bonum, Aphor. 2. *lib.* 2. *In quo* verò *laborem affert, malum, Aphor.* 1. *lib.* 2.

In compoſito modeſtoque homine ferox reſponſio, mala. Mente conſtare, & bene ſe habere ad illa quæ offeruntur, bonum.

Si bonis oblatis cibis æger offendatur, difficilis morbi indicium eſt.

Cum rigore non cognoſcere familiares, malum eſt.

Malum quoque oblivio à perfrigeratione, cerebri calore propè extinẽto.

CAPUT L.

De Decubitu, Motu, Quiete.

C*Ubantem oportet inveniri ægrum à Medico ſuper latus dextrum, aut ſiniſtrum manibus, cervice, ac cruribus parum inflexis, & univerſum corpus molliter jacens: ſic enim ſanorum plurimi decumbunt. Optimi enim decubitus ſanorum ſimiles:* arguunt enim facultatis motricis robur, cujus proprium eſt corpus movere, & in loco continere.

Difficilius verò eſt cubare in latus quàm ſupinum. *Supinum autem cubare, manibus, cervice, & cruribus extenſis, minùs bonum eſt*: niſi quis ſic cubare conſueverit; ſignificat enim facultatis motricis imbecillitatem.

Quod ſi proclivis ad pedes de lecto delabatur, gravius eſt, propter facultatis motricis proſtrationem.

Gravitas totius corporis, manuum, & pedum mala eſt. Si verò ad gravitatem lividi accedant digiti, & ungues, in propinquo mors eſt. Si verò habeant manus, cervicem, & crura inæqualiter diſperſa, ac nuda, malum eſt: inquietudinem namque ſignificat, & anxietatem.

Lethale eſt hiantem dormire: oſtendit enim animalis facultatis languorem; vel debilitatem cerebri, os comprimere non valentis; vel obſtructionem nervorum tertiæ conjugationis. Si verò à conſuetudine pendeat iſtud, non eſt malum.

Super ventrem cubare eum, qui non ita dormire conſuevit, dum eſſet ſanus, delirium ſignificat, aut dolorem partium, quæ circa ventrem ſunt.

Stridere dentibus in febribus, quibus à puero conſuetum non eſt, maniam, aut mortem ſignificat. Verùm ex utriſque oportet prædicere periculum futurum. Quòd ſi etiam deliranti id accidat, valde lethale eſt.

De manuum geſticulatione hoc noſſe oportet. Quibuſcunque in febribus acutis, vel peripneumoniâ, vel phrenitide, capitiſque doloribus manus ante faciem feruntur, vel ægri venantur feſtucas, & colligunt, id omne malum, & exitiale eſt.

In quo morbo ſomnus delirium ſedat, bonum. Aph. 2. *lib.* 2.

CAPUT LI.

An moriturus, & evaſurus ſit æger.

A*Cutorum morborum ſalutis aut mortis omninò incertæ ſunt prædictiones*, inquit Hippocrates. Galenus tamen, an moribundus ſit æger, colligit *lib.* 3. *de criſibus*, ex magnitudine morbi, ſpecie illius, more, virium robore, & viæ longitudine, quæ qualitate motûs dignoſcitur: Magnus namque morbus in ægro debili, qui longo tempore eſt duraturus, lethalis cenſetur; ut parvus in ægro robuſto, qui celeriter ſit finem habiturus, eſt ſalubris.

Quædam febres ſuâ ſpecie ſunt lethales, ut malignæ, & peſtilentes; aliæ ſalutares, ut febris tertiana ſimplex, Ephemera, &c. Mortis in univerſum ſigna erunt, virium debilitas, cruditas, malignitas, & morbi magnitudo. Nam debilitas conjuncta, cum cruditate, longum oſtendit morbum. Magnitudo autem illius, ſignificat naturam eſſe in itinere defecturam: debile enim corpus magnum pondus longo itinere ferre non poteſt. Malignitas verò clàm naturam labefactat. Salutis ſigna ſunt ſuperioribus contraria, utpote virium robur, coctio, morbi benignitas, & parvitas.

CAPUT LII.

Quo tempore ſit periturus æger.

OMnis febris mortifera ægram perimere ſolet eo tempore, in quo majus eſt illius robur ſupra ægri vires.

Ex victoria morbi ſupra naturam, non tantùm mors prævidetur, ſed etiam mortis tempus. Temporis nomine intelligimus univerſalia morbi tempora: Principium ſcilicet, incrementum, ſtatum, & declinationem; tum partes temporis, ut paroxyſmorum partes, & diei.

Ex quantitate ergo ſuperationis, (ut ita dicam) mortis tempus prædicari poteſt. Nam ſi multum excedat morbus naturam, in principio æger morietur: quod utplurimùm accidit in febribus inflammationum partium interiorum, cùm ſubita ſit novæ materiæ ad inflammationem defluxio. Item in morbis malignis, ut in peſte, & in quibus natura debilis ſuperatur nimiâ humorum copiâ, ut ignis parvus lignorum multitudine. Si paulo minùs, in incremento: quod ſolet ſæpè accidere in principiis febrium pituitoſarum. Pro principio, intelligimus ex Avicennâ, illud quod eſt paroxyſmi, quod cùm advenit, perfrigeratio longa eſt, neque recaleſcit æger, pulſus ejus parvus eſt, & vermicularis, inciditque in carum. Si adhuc minùs, in ſtatu: uti ſolet contingere, ex Avicenna, in febre ardente. In declinatione autem univerſali nemo moritur, niſi ægri vitio, aut Medici, quia morbus à natura ſuperatur, quando ad declinationem ventum eſt: niſi hoc contingat, ex Avicenna, in variolis, & morbillis. Advertendum autem duplicem eſſe declinationem, unam veram, alteram falsò creditam. Has diſtinguit potiſſimùm pulſus: Nam in verâ declinatione, quæ fit robore naturæ, vehementiores ſemper

per ſunt pulſus, & magis ordinati, & æquales: in falsâ verò debiliores, & magis inordinati, ac inæquales.

In declinatione verò particulari, hoc eſt, paroxyſmi, plurimi moriuntur, quòd calor innatus expandatur per univerſum corpus, cor deſerens: quam ob cauſam plurimi illorum ſyncope extinguuntur ſubitò, alii ſenſim.

CAPUT LIII.

De Terminis Febrium.

TErminantur febres, ut ſuprà diximus, κατ' ἔκκρισιν, vel κατὰ πεπασμὸν, vel κατ' ὑπόστασιν, id eſt, excernendo humores per ſubitam evacuationem, eos coquendo, vel eos alium in locum transferendo. Excernuntur humores, vel ſudoribus, vel hæmorrhagiis, vel urinis, vel dejectionibus, vel vomitibus, vel ſputis: non crudi quidem, nec incocti, ſed priùs juſtâ maceratione ritè mitigati.

Criſeos futuræ ſigna petuntur ex morbi magnitudine, conjuncta cum celeritate, anni tempore, ætate, victûs ratione, viriumque robore. Magni namque morbi, & celeres, in quibus adeſt virium robur, reliquis conſentientibus, criſi ſunt finem habituri, quòd natura à magnis morbis graviter moleſtetur: unde ad excretionem incitatur. Celeres verò morbi, ut qui naſcuntur ex tenui materia, & calida, apta ad expulſionem, niſi in pulmones delabatur: in cujus expectoratione, materiæ mediocris conſiſtentia requiritur. Præterea vires robuſtæ nituntur expellere, quod noxium eſt: quod expellunt, niſi aliquod impedimentum interceſſerit. Quocirca cætera conſentiant oportet, ut criſis ſubſequatur.

PETRI POTERII DE FEBRIBUS. *LIBER SECUNDUS.*

CAPUT PRIMUM.

Methodus medendi febribus.

VEritas una eſt, immutabilis, naturæ amica, & magiſtra, cujus in medicina ſuprema lex, Populi ſanitas eſt. Et quia hoc in loco de ſummo mortalium bono agitur, ideò ad hoc rixæ, contentiones, & jurgia procul amandentur, odia pariter, calumniæ, & perſecutiones longè recedant. Solus vigeat candor, mutua charitas & amor. In hac quiete methodum medendi febribus contemplamur. Quòd ſi in Jatrochymicorum vireta aliquando divertere placeat, fiet hoc non contendendi animo, ſed veritatis inveniendæ gratiâ.

Dogmata non juro in Paracelſi, aut ſcita Galeni,
Vera utriuſquè placent, falſa utriuſque jacent.

Per hanc medendi methodum intelligimus inſtitutionem quandam alicujus ordinis, in multis rebus diverſis, ad aliquod unum primun pertinentibus, & relatis, quæ eundem gradum non ſervant. Sic ad noſtrum propoſitum, inſtitutio eſt ordinis in multis indicatis, ad Medici intentionem facientibus. Etenim primò Medicus ſibi proponit finem, ſive ſcopum; deinde regrediendo, quærit remedia ad ipſum ſcopum acquirendum, idque per indicationes, à quibus indicata naſcuntur, ut indicationes ab indicantibus, quæ dum methodo, & ordine diſponuntur à Medico, is dicitur methodicè mederi. Finis, & ſcopus Medici, ſanitas eſt. Media quibus ad ſcopum, & finem pertingit, ſunt præſidia, auxilia, & quævis alia ad ſanitatem comparata, juxta commune axioma, ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰήματα, contraria contrariorum ſunt medicamenta: quod quidem axioma, regula, & norma eſt generalis omnium indicantium, cum alterâ in qua perhibetur, ſimilia ſimilibus ſervari.

CAPUT II.

Norma Indicationum examini ſubjicitur.

COntrariorum contraria eſſe medicamenta, & ſimilia ſimilibus ſervari, ſanxit univerſa Medicorum ſchola. Et hæc duo curanti Medico veniunt indaganda ſemper. Ejuſcemodi dogma ab antiquis

antiquis jamdudum confirmatum, ſapientum conſenſu magno applauſu receptum, & in legem ſtabilitum, cui nemo hucuſque auſus eſt contradicere. Jatrochymici ſoli, adverſus hoc inſurrexerunt, & ſimilia ſimilibus ſanari aſſerunt. Sed hæc tela in ſe vibrata ſentiunt. Ita enim: Omne quod pellit morbum, idem contrarium eſt; ea namque contrariorum conditio & natura eſt, ut mutuò ſe jugulent, nec in unius provinciæ regimen unquam convenire poſſunt. Præterea omnis actio eſt contrariorum, *lib.* 1. *de Gen. & corruptione*, *cap.* 7. Similia enim non agunt in ſe invicem, ſiquidem agens eo fine agit, ut aſſimilet ſib paſſum. At curatio eſt actio remedii contra morbum. Igitur contraria ut ſint neceſſe eſt. Huc facit, quòd quorum termini ſunt extremi, eorum etiam motus, & natura habentur pro extremis: illius quidem deſtruere, hujus reſtaurare naturam. Extat celeberrimum jam citatum divini ſenis effatum, *lib. de flatibus*, & *Aphor.* 22. *lib.* 2. τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰήματα. Quicquid tandem morbum è corpore, tanquam hoſtem expellit, non poteſt ei eſſe ſimile: ergo contrarium. De intemperie nihil dico; doctrina lippis, & tonſoribus ſatis nota.

Cedo contraria invicem ſe expellere. Atque medicamentum non eſt morbo contrarium, etenim etſi adhibito remedio ſequatur morbi depulſio, hoc non eſt medicamenti, ſed naturæ opus. Natura ipſa eſt quæ morbos expellit, ipſa, vel medimento roborata, vel eodem irritata. Nonne ex Hippoc. Medica eſt? Idem *lib.* περὶ φύσεων. Ιητρικὴ μὲν ἐστὶ πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις; ἀφαίρεσις μὲν τῶν ὑπερβαλλόντων, πρόσθεσις δὲ τῶν ἐλλιπόντων. Medicina addit, & ſubtrahit quando opus eſt. Natura eſt verè verborum medicatrix ipſa ſola per ſe ut plurimùm ſanat morbos. Qui citra ullum medicamentum conſaneſcunt, id veriſſimum eſſe ſatis teſtantur.

Quod contrarium eſt, id eſſe debet propriis viribus inſtructum: at nullum remedium ſanat morbos propriis viribus. Ergo contrarium nullo modo dici debet. Quis eſt tam ingenio hebes, qui putet medicamentum in noſtro corpore eo fine agere, ut aſſimilet ſibi paſſum, humores vedelicet? Natura in medicamentum agit, non medicamentum in naturam. Quid, ſi adverſus medicamentum inſurgens, victrix ipſum cum morbo foras propellat? Sed de contrario ſatis.

CAPUT III.

Indicationes ponderantur.

UT pulchrè ſolent circumforanei in plateis plebem verbis decipere, ludicris ſemper, aut novis viſûs illecebris populo objectis; Ita quidam noviſſimi methodorum ſcriptores, tentant lectorum mentes ſubtili quadam dicacitate deludere, & affectatâ ſuâ garrulitate intellectûs aciem præſtringere: Sed veniamus ad rem. Indicatio, ex Gal. *cap.* 7. *lib.* 2. *Method. med.* dicitur demonſtratio, ſive inſinuatio rei agendæ. Capivaccius tres affert ex Gal. definitiones indicationis, quas brevitatis gratiâ omittimus, & dicimus cum eo, ab indicatione comprehendi indicans, quod dicitur agens. Indicatio in corpore humano (ſanabili) eſt permanens quid, & notum intellectui, quod per propriam ſuam naturam aliquod auxilium indicat; atque indicatum quod poſtulat, ad ſeſe dirigendum eſſe monſtrat, ut ſanitas amiſſa hominis reſtituatur. Lege Sennertum, & Capivaccium. Et hi tres faciunt ſpecies: curatorium, præſervatorium, & vitale; alii plures, quas brevitatis causâ omitto. Primarium indicans eſt, ad quod omnia referuntur, & hoc morbus eſt. At reclamant, dicentes, cum morbus ſui expulſionem indicet, primarius non poteſt eſſe ſcopus, ſed ſanitas: de quo lege Gal. 9. *ad Thraſybulum*, *cap.* 48. & 9. *method. medend.* & 1. *med.* 5. *ibidem lib.* 2. *cap.* 7. *lib.* 5. *cap.* 7. & 9. *cap.* 2. *lib.* 9. *cap.* 7. Poſito verò indicante curatorio, ſemper & ex neceſſitate debet ſequi curatio, ſiquidem per propriam ſuam naturam, atque eſſentiam indicet, quod conveniens eſt. At poſito morbo non ſemper ſequi debere curationem conſtat, ſed priùs vires conſulendas, num ipſæ admittant, aut perferre poſſint: ſæpiſſimè verò non admittunt. Ergò morbus propriè non indicat. Præterea omne indicans eſt permanens in corpore humano; à nullo enim eorum, quæ non permanent, indicatio ſumitur, ait Gal. 4. *method. med.* 3. Et propter ejuſmodi rationem ſymptomata non indicant, quia propriam permanentiam non habent; morbo enim ablato, & ipſa ſecedunt. Morbus item non eſt perpetuò manens, aut ſtabile malum, 1. *method. med.* 1. quia cum ſua cauſa ita ſuſtentatur, ut cum eâdem ſimul concidat. Rurſus indicans eſt id cui debetur juvativum, ſui enim causâ indicat, & ad ſeſe indicatum dirigendum eſſe monſtrat. At morbus non ſui causâ indicat, neque quod juvet ſibi expoſcit. Deinde quàm ſit abſurdum, quidquam deſtructionis ſuæ media indicare, eaque appetere, ſatis notum eſt. Igitur morbus naturâ ſuâ neque indicat, neque medendi viam demonſtrare poteſt. Videndum eſſet, cuinam alteri, meliori jure, id muneris competat: num ſymptomatibus, cauſæ morbificæ, an viribus. Non ſymptomatibus, quia permanentiam nullam habent, nec propriis nituntur facultatibus, ſed ſub alienis ſignis militant. Minùs cauſæ morbificæ, ut tradit Capivaccius, rationibus ab eo allatis in *ſua medendi methodo.* Præterea cum ea ſit humanum corpus corrumpens, nihil inhibens corruptionem indicare poteſt. Quod ad vires ſpectat, non ſui deſtructionem, ſed conſervationem demonſtrant. Ex quibus ſatis clarè patet, quàm parum firma ſit iſthæc indicationum doctrina.

CAPUT IV.

Vera medendi methodus breviter traditur.

QUoties decantavimus Medicum eſſe naturæ miniſtrum, poſt Galenum, & univerſam Medicorum ſcholam; toties diximus naturam ad ſe convertere omnem medendi viam. Utitur equidem variis præſidiorum generibus, tanquam inſtrumentis, quibus hoſtem, ſeu morbum conficere, debellare, & foràs detrudere poſſit. Eſſe præterea in ipſa natura principium quoddam ſanativum, quod proprio motu ad ſanitatem tendat. Talis eſt enim potentia corporis ſanabilis ad ſanitatem, qualis corporum mobilium ad formam ſuam naturalem; & hæc potentia eſt activa, & productiva ſui effectûs. Et hoc certiſſimum eſt, cùm enim cuivis agenti, & patienti inſitum ſit ſeſe tueri; & ab omnibus injuriis, quantum poteſt, vendicare, jure merito idem debetur corpori ſanabili. Præterea id quod univerſam λειτουργίαν microcoſ-

crocoſmicam moderatur, etiam ſanationi præeſt: quia ſanitas non otioſum mentis eſt πλάσμα, ſed naturæ interioris mechanici ἀποτέλεσμα. At Balſamus ut univerſi corporis μεταξὺ θμησιν occupat, ſic miniſteria ſingula, & ἐνεργήματα moderatur; quare idem & ſanationi præerit. Quid de calido nativo, quod συγκρίνον καὶ συνορίζον τὰ ὁμόφυλα, τὰ δὲ ἀλλότρια ἐξαιρὸν, cruditates omnes maturat, impuritates ſecernit, ſiccum cum humido perfectè terminat, miſcet, & unit, ad harmoninicam unitatem omnes exceſſus revocat. Idem igitur πανακὲς, morborum omnium ἀντιφάρμακον & convaleſcentiæ author rectè dici poterit. Hermetici ejuſmodi calorem nativum, naturam principium ſanativum, & potentiam activam ſanitati aptam appellant, Balſamum, Mumiam, Quintam eſſentiam, Archæum, Solem, Cœlum, &c. fontem actionum, & ſanitatis auctorem.

Hoc eſt illud, quod in Microcoſmo generationes, tranſplantationes, mutationeſque omnes moderatur, quod expellit ſuperflua, attrahit ὁμόφυλα, quod accipit, omniaque ſuis locis adaptat, alterat, & contemperat. Iſtud tandem omnia operatur, pro varietate infinita artium & ſcientiarum, quibus donatum eſt, & pro ratione ſeminali, tincturis, & prædeſtinationibus, &c. Platonici ejuſmodi ſubſtantiam ab elementari diverſam faciunt, quâ veluti cæmento anima immortalis cum immortali jungeretur corpore. Fernelius Humidum primogenium, ſpiritu & calore nativo undique perfuſum. Hoc eſt, ad quod omnes Medici indicationes dirigi debent, non per inanes, & inextricabiles contrarietatis propoſitiones, ſed per indelebilem veritatis conſtitutionem, in qua ſine verborum ſtrepitu, ſine rixis, & contentionibus, ſingula Medicis adaperta erunt. Placet tamen priùs, ut huc uſque conſuevimus, communem medendi viam perluſtrare, & ob oculos candidatis utramque methodum afferre, ut contraria juxta ſe poſita meliùs eluceſcant. Præterea unicuique liberum erit, unam atque alteram amplecti.

CAPUT V.

De Curatione febrium in genere.

COmmunis medendi methodus per indicationes incedens, in ſimplici febre curanda duas ſibi proponit generales indicationes. Et quia febris dicitur calor, ſive intemperies calida & ſicca, tot erunt indicationes, per contrarium retrocedentes, ut refrigerare, & humectare. Itaque in communi medendi methodo, in ſimplici febre refrigerare, & humectare tantùm requiritur. Refrigerant verò, & humectant infinita pleraque, quæ tibi enumeranda non cenſeo, maximè cùm inania, & prorſus inutilia, longo uſu, & experientiâ ſemper compererim. In Diaria, ſeu Ephemera, nullius medicamenti prorſus uſus eſt; ſponte enim evaneſcit intra diem naturalem. In his qui edaces ſunt, nec unius diei abſtinentiam perferre poſſunt, laudo juſculum carnis, cum lactucis, cichoraceis, borragine, acetoſa, portulaca, &c. Mulieres utplurimùm in pleriſque locis, in juſculis ſolvunt vitella ovorum, cum ſucco limonum, arantiorum, & ſimilia. Ubi non eſt ejuſmodi fructuum copia, omphacium, vel acetum accipiunt. Ad ſorbendum, aquam coctam, alii aquam in qua coctum fuerit hordeum, alii vinum granatorum, ceraſorum, &c. nonnulli lac, ſeu emulſionem ſeminis melonum: Tandem quot capita, tot ſententiæ. Ruſtici, & multi populi qui carent Medicis, vinum impunè bibunt, nec minùs conſaneſcunt: quod tamen non laudo; nam tunc victûs humectans, & refrigerans magis eſt opportunus, naturæ magis gratus, & conveniens; ſitim ſiquidem extinguit, & vapores ad caput ſublatos reprimit.

CAPUT VI.

De curatione febrium in ſpecie.

VEritas paucis contenta, non ſophiſmata, aut verborum oneroſam multitudinem quærit, ſed nudo & aperto ſermone ſeſe nobis offert. Suprà triplicem febrium ſpeciem fecimus, & hoc maximè, ut Medicorum multitudini conveniat præſens noſtrum ratiocinium. Prima ſpecies ea eſt, quæ dicitur in ſpiritibus conſiſtere: Et hæc ſpecies Ephemera, ſive unius diei appellatur, cujus curatio priùs abſolvitur, quàm cognoſcitur. Hac de re, quæ diximus in *ſuperiori capite*, ubi de febrium curatione in genere ſufficiant.

CAPUT VII.

De Synocho ſimplici.

PRima ſpecies, quæ dicitur fieri in humoribus, eſt ſynochus, quam duplicem faciunt, putridam & non putridam. Eſt verò ſynochus ſimplex ſine putredine, rara febris, ut inquit Fernelius *lib. de febribus, cap.* 4. *de ſynocho.* Hanc dicunt eſſe ſimplicem inflammationem ſanguinis. Recentiores definitionem, aut potiùs deſcriptionem tradunt, at hanc tanquam inutilem omittimus. Rurſus ejuſmodifebrem triplicem faciunt: illa, cujus calor ſibi ſimilis eſt toto febris decurſu, homotonos dicitur: illa verò, cujus calor continuo incremento invaleſcit, epacmaſtica appellatur: Tertia illa eſt, cujus calor ſtatim à ſummo vigore incipiens, ſenſim minuitur dum deſinat, & paracmaſtica appellatur. Ejus duratio eſt trium, & quatuor dierum, quòd ejus fervor ſit in tenuiori ſubſtantiâ ſanguinis, materiâ videlicet facilè diſſipabili.

In hac febre cutis non eſt ſicca, ſed madore quaſi perfuſa.

Urina eſt naturali ſimilis, craſſior tamen, & rubicundior.

Pulſus vehemens, celer, frequens, plenus, & magnus, atque æqualis. Facies & totum corpus rubet. Caput grave eſt. Reſpiratio difficilior. Somnus plerumque profundus.

In hac prognoſis non eſt inſtituenda, quia ipſa vacat periculo. Dicunt tamen putridam fieri poſſe, ob Medici imperitiam: Ad hanc curandam, ſatis patet indicationem eſſe communem, refrigerare videlicet. Refrigerant verò infinita propè medicamenta. Inter præcipua ſunt ea quæ ſeriatim ab aliis deſcribuntur, quæ cùm nimis nota ſint, facilè emittuntur. Verùm quia putatur ſanguis copioſior eſſe cauſa potior ipſius febris, ideò potiſſimum eſſe remedium detractionem patet. Hac de re apud antiquos duo ſunt celeberrima remedia, Phlebothomia, & frigidæ potus. Quoad Phlebotomiam, ſive ſanguinis evacuationem, audacter affirmant,

affirmant, ejuſmodi febrem curari non poſſe ſine dicta ſanguinis evacuatione: Ratio eſt, quia ſine ſanguinis copia non generatur ejuſmodi febris, ut ſuprà dictum eſt. Aiunt requiri neceſſariò ejuſmodi evacuationem, propter eventilationem, & diſtlationem: etenim dicunt, quòd imminuto ſanguine liberior, & facilior reddatur tranſpiratio, & ſanguinis fervor remittatur. Immò addunt, ſine ejuſmodi phlebotomia non fieri liberam tranſpirationem, augeri obſtructionem, & per conſequens putredinem; à qua febris major: Sic, quæ ſimplex erat febris, Medici negligentiâ fieri putridam, & periculoſam. Ne ſuis ineptiis finem imponant, addunt cautelam in detrahendo ſanguinem, dicentes cum Galeno 9. *method. med. cap.* 4. videre oportere, ne cruditas ſit in ventriculo, nam tum differendam eſſe venæ ſectionem, donec cibus concoctus ſit, & ad inteſtina deſcendat: Quòd & ſi ſuſpectio ſit de pravis humoribus, in ventriculo, & inteſtinis, præmittendam eſſe blandam, & mitem aliquam evacuationem, utpote cum manna, ſyrupo roſarum, Caſſia, Tamarindis, Diacatholicone, & ſimilibus, præmiſſo aliquando Clyſtere leniente. Quòd ſi ſuſcipio ſit, ne ad ſeptimum diem ipſa protrahatur, addunt Rhabarbarum: agaricum, ſennam, & ſimilia cum ſuis correctivis. Sanguinis evacuatio erat olim in uſu ad animi deliquium, quâ gloriatur Galenus ſe pluries jugulâſſe febres, maximè ubi vires erant validæ. Noſtris temporibus malè ceſſit nonnullis Medicis ſanguinem immodicè detrahentibus. Quin hîc paucis annis exactis fuerunt nonnulli ita audaces, ut ſanguinem extraherent ad animi defectum, & ipſos ægros eâdem die perdiderint. Fuit & quidam ex his magnæ æſtimationis Medicus, qui cùm ipſe febre continuâ immodicè vexaretur, bis in die ſanguinem ſibi detrahi curavit, ſingulâ vice pluſquàm tres libras; ſecundâ die viribus adhuc valentibus eandem quantitatem ſibi detrahi voluit, & ecce infelici homini pro ſibi pollicitâ ſanitate, immatura & præcipitata mors contigit. Plures aliis in locis novi Medicos, qui in ſimilem errorem impegerunt. Sed quod dolendum, de ſua ignorantia pœnas in ſeipſis dederunt.

CAPUT VIII.

An Phlebotomia unicum ſit febrium Alexipharmacum.

CElebertimum, & unicum remedium apud Barbaras gentes eſt ſanguinis evacuatio, maximè in Ægypto: & ferè per totam Aſiam, & Africam. In Europa, major pars Hiſpaniæ eodem morbo laborat. Gallia olim non tantâ ſanguinem detrahendi prurigine tenebatur, modò in pluribus locis phlebotomia non minùs eſt frequens. Italia mediam tenet viam. Sed quid ad nos, ſinamus unumquemque proprio abundare ſenſu: nec nos deterret errantium multitudo; ſolo veritatis clypeo tecti adverſariorum tela non timemus. Eſt verò ſanguis naturæ theſaurus, quo valente, robuſtum fit animal: eſt quoque vitæ noſtræ ſedes, à natura omnium rerum parente illi deſtinata. Quòd ſi cuipiam animantium generi vulnus inflictum ſit, nî cohibeatur cruor, & è venis exire ipſum contingat, unâ eâdemque viâ ſanguiſque animuſque feruntur. Id ſatis teſtantur antiqui; inter cæteros Seneca, nefando Neronis decreto morti adjudicatus. Rurſus: ut patet ex ſacris, anima carnis ſanguis eſt, *Levitic. cap.* 17. Sic enim habet: *Sanguinem univerſæ carnis non comedetis, quia anima omnis carnis ſanguis ejus eſt*, id eſt, vita. Quibus per magna vulnera multum ſanguinis exhauſtum eſt, pallor perpetuus adeſt, languor, & ſegnities totius corporis. Mitto ventriculi imbecillitatem, jecoris refrigerationem, & ſingularum partium debiles, tardas, & imperfectas operationes.

At ſanguis, quia copioſior, lædit hominem, & parit febres, ergò minuendus eſt, ut ad priſtinum ſtatum ipſe redeat. Dicunt ipſum lædere venas nimis diſtendentem, & ſpiritus aditum liberum cohibentem, ſicque fieri vaporum evanidorum retentionem, & caloris eventilationis prohibitionem.

In hac veritate examinanda duo conſideranda veniunt. Primò ſanguis, ut eſt ſanguis, omnium humorum optimus, & temperatiſſimus, cujus beneficio vivit animal, in cujus bonitate ſanitas, & robur. Secundò, ut ipſe eſt nimius, cujus cauſa, &c. Quod ad primum, ſatis manifeſtum eſt, illum nos lædere non poſſe, nec ullum generare morbum. Etenim boni acceſſio malum producere non poteſt. Itaque ſola immodica quantitas poteſt aliquid mali producere. At quomodo ſola quantitas, cui nulla agendi poteſtas à Philoſophis demandata fuit? Quantum rei bonitatem non mutat, ſed eandem potiùs amplificat, & naturam perficit, non deſtruit, bonum nunquam excedit: Quid plura? ſi quantum afficit, ruit omnis noſtra Philoſophia. Quòd ſi nimium dicitur naturæ inimicum, hoc de re aliena intelligitur. Sed hæc nimis nota ſunt. Verùm dicamus, unde ſanguis aliquando immodicè generetur in nobis. Pro quo intelligendum eſt, id fieri ſæpè ratione eduliorum, quæ quotidiè aſſumimus: Vel ea intemperanter intus ingeſta, vel eadem ita ſunt à natura comparata, ut facilè in noſtri alimoniam cedant, vel proprio impetu in ſanguinis ſubſtantiam tranſeant: nonnunquam flatulenta ſunt, venas ſubeunt, & ſanguinem attenuant, ac dilatant. Aër non raro corpora noſtra tentans venas ingreditur, & ſanguinem fermentat, attenuat, & amplificat. Non propterea à ſe immodicus redditur, ſed ab alienâ causâ quantus eſt factus. Rurſus etſi quantus ſit, nihil poteſt afferre. Quòd ſi aliquod damnum poteſt afferre, non ratione quanti, ſed mixti alicujus ſuperflui; & hoc Medico cognoſcendum, ut idipſum removeat. Ex quibus ſatis clarè patet, ſanguinis quantitatem non generare febres, & per conſequens ejuſdem diminutionem eaſdem ſanare non poſſe.

CAPUT IX.

An frigidæ potus poſſit extinguere febrem.

TAnta eſt hac in re Medicorum concordia, ut fas non ſit hoc in dubium vertere, & maximè in ſimplici febre, ubi nihil niſi caloris exceſſus incuſatur. Decantatiſſimi dogmatis,

tis, *Contrariorum contraria ſunt remedia* veritas nota ſatis videtur. At quia effectus dogmatis fieri non reſpondent, jure merito de eo quærendum eſt. Quotidiè experimur, frigidæ potationem non modò febrem extinguere; ſed nec tantillum juvare. Non ſat eſt Galeni, & aliorum quorundam exemplum nobis afferre: Jactat ſe Galenus, multas febres curâſſe ſolo frigidæ potu. Extat Amati Luſitani pulchra hiſtoria de quodam Mercatore Flandro, quem unico hauſtu aquæ frigidæ ſanavit ex febre. At nos quoties contrarium experti ſumus, & hoc millies inaniter à noſtris Præceptoribus expertum vidimus? Pluries nonnullos obſervavimus, in Cachexiam, & Hydropem præcipitatos fuiſſe, hoc unico frigidæ potu. Ejuſmodi errorem eo argumento tegere conantur, videlicet ut humores crudi ſint priùs; item ægri per alia tempora frigidis potionibus aſſueti ſint; quibus accedit ipſius aquæ tolerantia: ſunt enim nonnulli, quibus internæ partes ſunt adeò debiles, ut aquæ potum ſufferre non poſſint. Mitto incommoda, quæ ſolet afferre aquæ potatio, tam ex Hippoc. quàm ex Gal. in bilioſis dicunt bilioſam fieri, nullius eſſe nutrimenti, in Hypochondriis flatus, & cruditates parere, &c. Sed certiores afferamus rationes. Suprà ſtatuimus febrem accendi à ſpiritibus nitroſulphureis, naturalem antipathiam inter ſe habentibus: at ad pacem ejuſcemodi ſpiritibus conciliandam, aqua planè non modò eſt inutilis, verùm etiam non raro flatus, & cruditates ingenerans, naturæ officium perturbat, & febres in longum protrahit, ſpiritus inter ſe magis concitans. Præterea nonnullæ aquæ ſale acido abundant, naturæ ſalis ammoniaci, nitro valdè inimici, cujus præſentiâ magis fervet ſpiritus nitroſulphureus. Noſtros tamen exaudio Medicos de contrariis qualitatibus diſceptantes, permoleſto cachinno in hæc noſtra effata prorumpere, quibus ſatisfacere volumus, poſtquàm intellexerint.

CAPUT X.

Quomodo contrariæ qualitates reperiantur in rebus.

NE ſemper cum Chymicis de rerum proprietatibus ſentire videamur, quid cum Dogmaticis Peripateticorum decretis addictis intelligere poſſimus, in medium protrahere placet; hac enim viâ probè explanatâ, per ſentes, Syrtes & aliorum itinerum anfractus tutò incedere poſſe non diffido. Etenim cùm nobis continuò occinant rerum qualitates contrarias in ſubjectis, rebuſve naturalibus ſimul pacificè hoſpitari, ut de Opio, Aceto, Coriandro, &c. quo pacto id fieri poſſit, non eſt cognitu facilè: nam ſi contraria ſeſe expellant, & mutuò in ſe agant, & patiantur, quomodo aut quibus vinculis ſeſe amicè amplectantur, & eodem in loco maneant? De mixti generatione, non minimâ intellectus perplexitate inter ſe digladiantur. Qui qualitates poſt mixti generationem, ſub unius formæ imperio manere dicunt, in varias ſententias abeunt. Alii enim volunt, eas manere actu cum Elementis, ita ut formæ Elementorum in mixtis ſint actu, & ex earum combinatione forma mixti oriatur, adeò ut formâ mixti ſit quid ex his compoſitum, quo nihil abſurdius. Alii dicunt, eas quidem manere, ſed refractas, & ad temperiem adductas, propriis ſubjectis, Elementis videlicet, quibus primò hærebant, orbatas, & ſoli formæ mixtæ ineſſe. Et hæc hodiè ab omnibus recipitur, tanquam verior. At dum hæc concedunt, in alias Syrtes incidunt: Nam inde ſequitur, alienas qualitates alienis ſubjectis hærere; hinc rerum ortus non naturalis; ſed vi, & violentia factus: in rebus nuſquam quies: nam qui ab igne ad ignem, qui à terra ad terram contendit. Poſtea quid nobis continuò obtrudunt, propriam cujuſvis affectionem nullibi reperiri poſſe, quàm in proprio ſubjecto? Mitto alia brevitatis causâ. Taceo inſuper ſupinum errorem eorum, qui rerum formas eſſe temperamentum arbitrantur. Sententia etiam aſſerentium pluralitatem formarum omnino exploditur. Sed antequam veritatem ſeriò aperiamus, quid per contrarium intelligant, videndum.

CAPUT XI.

Quid contrarium.

QUoad contrarii nomen, ſatis notum eſt. Ejus proprietas graphice depingitur ab Ariſtotele in 4. *Metaphyſ. cap.* 6. ubi inquit: φανερὸν ὅτι ὐδὲ τ' ἐναντία ἅμα ὑπάρχειν ἐνδέχεται τῷ αὐτῷ Quod contraria non poſſint eſſe ſimul, rationem affert evidentiſſimam, dicens, *cùm affirmatio, & negatio ſimul veræ eſſe non poſſint, ita*, &c. Sic verum, & falſum ſimul ſtare nequeunt, ſed ſeſe invicem expellunt. Rurſus ubi ſunt contraria, ibi pugna jugis, nulla quies: Idem non poteſt eſſe in eodem loco, & eodem tempore agens, & patiens: Idem Ariſtoteles *lib.* 2. *de Gen. & corrupt. cap.* 3. apertis verbis ſuam ſententiam confirmat, dicens, contraria ſimul copulari non poſſe, ſicut calidum & frigidum, ſiccum & humidum. Rurſus contrarietas eſt oppoſitio ſecundùm formam, rationemve ſpecificam, ut 10. *Metaph. cap.* 23. *tit.* 26. & ſic quælibet contraria in quocunque gradu ſint, propriam, & ſpecificam habent formam oppoſitam, & contrariam. At duæ formæ ſimul, & in eodem loco ſtare non poſſunt. Nec obſtat, ſi dicant aquam naturâ frigidam incaleſcere, ſicque calor, & frigus erunt in eodem ſubjecto. D. Thom. *quæſt.* 76. *art.* 4. Cajetan. *ibid.* Henric. Gandav. *quodlib.* 12. *quæſt.* 12. Scotus, *in* 3. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 9. Capreol. Marſil. Argent. Javellus, &c. Ad primum: ſuppoſitum eſſe falſum, eâ ratione exiſtimo, quòd cùm ſupponant aquam eſſe frigidam, non vident quibus ſe involvant erroribus: Nam cùm petimus quid ſit aqua, non reſpondemus, corpus eſſe frigidum, verùm potiùs dicimus, eam eſſe corpus fluxile, terræ terminis circumſcriptum; cui oppoſitum erit non fluxile, & immobile. Rurſus calidum & frigidum quæſtioni quale, non quid reſpondent, ſicuti ſiccum & humidum. Quòd ſi iterum petamus, quid ſit aqua, certiùs per molle, fluxile, & mobile, quàm per frigidum definietur. Equidem ubique mollis, madida, fluxilis, &c. reperitur, ut maris, fluminum, fontium, puteorum, thermarum, &c. non tamen ubique frigidæ

frigidæ ſunt regiones, ubi aquæ perpetuò ſunt calidæ; nullibi verò, ubi non ſint madidæ, fluxiles, & mobiles. Ex his ſatis patet, quid contrarium, & quomodo intelligendum ſit. At tot nugas in artem malè introductas diluendas accedamus.

CAPUT XII.

Methodus medendi febribus iterum perpenditur.

FEbrium communem modendi methodum fidiſſimâ experientiâ, & validiſſimis rationibus non eſſe tutam, nec certam, ſuprà commonſtravimus: Nunc certiorem fidiſſimis experientiæ fundamentis ſtabilitam, Philoſophicis rationibus ſartam, tectamque exhibemus.

In *capite ſuperiori* fundamenta jecimus, & ſuprà diximus quomodo natura ipſa ad ſolam membrorum pacem, quæ ſanitas eſt, ſeſe erigit, & quidquid agit, nonniſi ejus pacis gratiâ agit.

Eſt verò noſtra medendi methodus, vel generalis, vel particularis.

Utraque ad febres arcendas ſeſe diverſimodè accingit, vel impuritates tartareas nitroſulphureas expellere contendit, vel naturam adeò robuſtam, & validam reddere avet, ut ea ſpontè ſe ab onere ſibi infenſo liberare, ipſumque excutere poſſit; vel naturam adeò tutatur, ut pro ea depugnare poſſit, ſubſidiarios milites, vireſque novas ipſi ſubmittens.

Ad tartareas impuritates è corpore humano deturbandas, non pauca requiruntur. Ea enim vel ſunt in primis viis, inanibuſque ſpatiis, vel in venis, vel in arteriis, vel in habitu corporis. Quæ ſunt in prima regione, vel in ſuperioribus, ventriculo, &c. vel in inferioribus ſub diaphragmate. Quæ ſunt in prima regione, & in ſuperioribus natura ſagax, & morborum curatrix, & provida nimis, ſimplici vomitu ipſas foràs extrudit: vel in inferioribus laxatâ alvo ſæpiſſimè ipſas deturbat, fugatque foràs.

Rurſus Generalis, febres omnes in quovis loco ſubſiſtentes ſedat, & mitigat, iratis ſpiritibus pacem, & concordiam concitare ſtudioſè ſatagens: At quia multis modis irati incandeſcunt, pluribus etiam modis ipſos placare, & ad priſtinam concordiam revocare deſiderat.

Particularis, febres ſingulares ſeorſum expendit: Antecedentes tam ad cognitionem, quàm ad curationem reſpicit.

In generali methodo duo contemplamur univerſalia remedia, unum, quod univerſaliter tartareas omnes impuritates è corpore fugat; aliud quod mitigat, contemperat, & reprimit. Primum id præſtat citra ullam præparationem, modò ſurſum, modò deorſum. Hoc medicamenti genus à Theoph. Parac. Diaceltateſſon appellatur. Sed hoc vocabulum nimis barbarum paucis innoteſcit, & quid ſibi velit, non ſatis percipio. Hoc unum expertus ſum, quòd datum tempore, & loco, & ægro convenienti, febrem omnem extinguit, intra tres aut quatuor horas: nec tantùm acutas, verùm & chronicas. Ejuſce rei fidiſſimum teſtem habeo, Dominum Joannem Polanum, cui tempore peſtis tantum arcanum concredere volui. Is, etſi non eſſet artis medicæ ſatis peritus, meo tamen conſilio ſe inſignem Medicum Bononienſi Senatui obtulit, unde neceſſe erat ſe talem operibus commonſtrare, quod fideliter præſtitit, pauperibus infectis erogans iſtud medicamentum. Eo ſiquidem aſſumpto, intra 3. vel 4. horas omnis ſedabatur febris; in nonnullis ſequenti die revertebatur ipſa, & his idem reiterabatur medicamentum, ex quo in totum recedebat febris. Quibus non cedebat ipſa, & ſecunda die reverſa perſeverabat, ſignum erat, quòd febris jam depaſta erat partem aliquam, vel nobilem, vel officio ita neceſſariam, ut eâ corruptâ mori cogeretur æger. In dies centum, & pluribus ægris porrigebat medicamentum, & ex centum vix peribant 10. Poſſunt nonnulli mihi objicere, quòd dictus Polanus præſcriberet ſuis ægris nonnulla communia, ut Mannam, Tamarindos, Caſſiam, Rhabarbarum, Sennam, Agaricum, &c. & etiam phlebotomiam aliquando uſurparet, ſed hoc datâ opera faciebat, ne purus Empiricus haberetur, ſed pro quodam docto Dogmatico ab omnibus exciperetur: tantum prævalet in hac arte Medici anticipata opinio, ut ſæpè ignarus doctis præferatur. Sed ad nos. Quod de dicto Polano dixi, veriſſimum id pluries comprobavimus. At humanæ ſortis tam mala eſt conditio; ut ſi quis probus Medicus conſimili uti velit medicamento, ſtatim mille convitiis ab aliis excipiatur, & ut angue pejor cunctis digito commonſtretur.

Hoc inſigne, & mirabile Alexipharmaci genus, Antipyreton nominavimus, cujus deſcriptionem paulo inferiùs dabimus. Hoc eſt primum, & præcipuum febrile medicamentum, ipſas febres eradicans, & funditùs è corpore evellens. Reſtat ſecundum, quod mitigatorium appellabimus, iſtud verè febres non ſanat, ſed eorum fervorem in tantum reprimit, ut interea æger viribus recuperatis, ad pugnam validior reddatur.

Particularis Methodus naturam ſtudioſè imitatur, ejuſque leges ad unguem ſervat. Ubi febrem ad criſin accedentem obſervat, ad eam properare ſolicitat: uti ſi ad ſudorem, eum ipſum per diaphoretica juvat; ſi ad alvi, urinæ, aut alterius evacuationis propenſionem prona eſſe videtur, mediis ad id opportunis ejus partes ſuſcipit: tandem ad id perficiendum omnino ſe accingit. Ubi febres per coctionem ſuperare nititur, hanc promovere, & humores refrænare, & mitigare aggreditur. Ubi verò per apoſtaſin, ſeu materiæ tranſpoſitionem, ſedare febrem contendit, eandem viam ſuſcipit, & ab hac regiâ minimè digrediens, auxiliares copias eò dirigit, donec confecto hoſte, partaque victoriâ, ſub ſalubriora vexilla ſe recipiat. Tædioſas, & ærumnoſas indicationes, declamatoribus tanquam peculiares cibos relinquimus, & quod decet, noſtros edocere tantùm curamus.

CAPUT XIII.

De purgandi ratione in febribus, & maximè ad legitimam methodum.

PUtreſcere humores in corpore humano, maximè in febribus, perpetuò docent Medicorum ſcholæ; putrefactionem etſi dari ſuſpectam excogi-

excogitavimus non aliâ de cauſâ, niſi quod ejuſmodi ſit effectus, non cauſa: quæ purgatione quatuor humorum afferunt, longâ diſquiſitione indigent. Nos verò, qui brevitati ſtudemus, quæ noſtra ſit opinio in purgatione ineunda primò adaperiam; deinde ſi liceat per otium, ſingula ad veritatis Cynoſuram revocare, id præſtare non recuſabo.

Interea dicimus purgationem eſſe rei noxiæ, & inutilis evacuationem: & hanc duplicem inſtituunt, unam per ſanguinis detractionem, alteram per alvi ſubductionem.

Nos purgationem veram eſſe monemus, quæ morbum unà cum materia foràs protrudit; vel quæ evacuando humores, morbum ſanat. Rurſus eſt purgatio multiplex, vel enim per alvum, vel per urinam, vel inſenſibilem tranſpirationem fit. Notandum præterea, unumquodque membrum proprio excremento præditum eſſe. Etenim nihil puri in his inferioribus eſſe reperitur, & quicquid comedunt viventia cuncta, purum cum impuro admixtum accipiunt. Impurum excrementum illud eſt, quod tempore ſtatuto deponunt. Et quia ſingula membra peculiari nutriuntur cibo, ita & proprio abundant excremento. Id verò ſi deſtinato tempore, abſolutis videlicet coctionibus, non excernitur foràs, partem, ſeu membrum, in quo continetur, lædit & vexat, pro conditione excrementi. Inſuper non omnia excrementa ſunt ſenſibilia, ſingulæ enim partes peculiarem tranſpiratum habent, qui ſenſibus vix apprehenditur. Proinde vis ſeparativa quovis in loco proprio fungitur munere. Sed hæc contemplatio hujus non eſt loci. Ex his patet, noſtram purgationem non eſſe omnem alvi ſubductionem, & in ea ineunda, naturæ leges obſervare: Ubi ad vomitum eſt prona vomitum procuramus; ubi ad alvum, eam ipſam excitare curamus; ubi ad urinam, ſudorem, &c. eò artem noſtram convertimus. Quòd ſi ad inſenſibilem tranſpirationem, ad id omnes ingenii vires intendimus; nam major pars febrium hac viâ fugatur. Verùm hucuſque de purgatione in univerſum egimus: nunc de ea, quæ convenit febribus, dicemus.

CAPUT XIV.

De particulari purgatione in febribus.

PUrgandam materiam, ex qua fit febris, ſanxerunt omnes: hanc fecerunt bilem, pituitam, & melancholiam: hos humores putreſcentes, & putrefactos, cauſas eſſe proximas febrium. Nos quantum potuimus obſervare quadraginta quinque annorum decurſu, quo artem medicam exercemus, eo animi candore, cujus à natura participes facti ſumus, cunctis rei veritatem aperire ſtuatuimus. Itaque oportet ſcire, purgationes, quas continuò celebramus, deſideratis effectibus minimè reſpondere: Veluti ſi in tertiana bilem millies purgemus, in quartana melancholiam, in quotidiana pituitam, quid efficimus? febris ferocia ne minimum retunditur, imò æger duplici labore preſſus, febris tyrannidi faciliùs cedit; natura coctionibus intenta ab incepto opere avertitur. Non eſt ut nobis ſuccenſeant, ejuſmodi humorum præparationem, ut potè attenuationem, incraſſationem, &c. negligentibus. Sicuti nec medicamenti electionem, præparationem, & doſim. Nam quo ad primum, veriſſimum eſt commentum: ſolius eſt naturæ opus, & vanum eſt, quempiam ſcire modum, quo utitur natura in ſuis operibus perficiendis. Non in medium protraho coctricis, aſſimilatricis, & expultricis facultatis poteſtatem. De his quæ circumferuntur, de medicamine ſeligendo, eoque præparando, nec non de ejus doſi, ac cæteris ad id requiſitis, nihil dicam; nam in his non minor vanitas, quàm in aliis. Obſerva quæſo illos Medicos, qui cæteris ſtudioſiores cenſentur, & qui majori ſedulitate ægros ſuſcipiunt ſanandos, & videbis illos in pejores, & craſſiores errores impingere. Utinam mentirer, & quam in aliis culpam animadverto, in me ſolo agnoſcerem. Sed bone Deus! mentis noſtræ tenebras procul à nobis remove. Quod ſi de bilem purgantibus apud me percunctari velim, dubia haud pauca ſtatim nobis ſe offerent: color citrinus, flavus, æruginеus, porracinus, &c. ab aſſumpto medicamento venit; etenim puerile ſatis eſt, credere talem humorem eductum fuiſſe è venis. De Caſſia, Tamarindis, Manna, Rhabarbaro, non aliud credendum eſt; tingunt id quod educunt, irritant potiùs quàm attrahant: non ſunt tamen inutilia, & ſæpe eorum auxilio, unà cum ipſis, tartareos humores in inteſtinis conſidentes foràs amandat natura, & ſæpè ubi non valet ars, fortunâ & caſu id contingit. Ne tamen communem viam deſerere in totum videar, placet ſelectiora, tam ſimplicia, quàm compoſita, tamquam in tabella proponere, ut cuilibet liberum ſit, hæc vel illa ſeligere, his maximè, qui nihil didicerint, præter illa, quæ mortua littera docet. Inter illa, quæ putantur bilem purgare, lenientia, & benigna ſunt, Caſſia, Tamarindi, Pruna, Violæ, Roſæ, &c. Inter valentiora Manna, Rhabarbarum, Scammonium. Hæc uſitata ſunt: inuſitata brevitatis gratiâ mitto. Sunt & compoſita, maximè quæ hodie in officinis proſtant, ſyrupus roſarum, violarum, Electuaria, diacatholicum, diacaſſia, diaprunis, diaphœnicum, diacarthami, de citro, de ſucco roſarum, Nic. diamanna, &c.

Et quia commodior fit purgatio, quando præceſſerit clyſter emolliens: ideò cùm primùm advocatur Medicus, ipſe præſcribit clyſterem emollientem, ex decocto herbarum emollientium, ut pote ex foliis malvarum, violarum, branchæ urſinæ, bætas parietariæ, mercurialis, &c. in cujus decocti ℔. diſſolvunt, vel ſacchari rubri, vel mellis violati, vel roſati uncias tres, lohoch de Caſſia, diaprunis, vel diacatholic. ℥. j. ol. violati, vel roſati, ℥. iij. vel iv. ſalis communis addunt nonnulli p. j. Sequenti manè potionem purgantem porrigunt. De quibus formulas nonnullas hîc apponere decrevimus, maximè ne hîc quicquam deſideretur.

℞. Syrup. roſ. ſol. ℥. iij. Mannæ Calabrinæ, ℥. ij. Decocti flor. & fruct. cord. ℥. v. Miſce, fiat potus.

Alio modo.

℞. Rhabarb. el. ʒ. j. ß. Infunde in ſ. q. aquæ cichorii per noctem, in expreſſione matutinâ diſſolve Mannæ Calab. ℥. ij. Miſce, fiat potus. Vel

℞. Pulpæ Tamarind. ℥. ß. Caſſiæ è ſiliquis extract.

extract. ij. fol. Sennæ, ʒ. ij. aniſi, ʒ. j. Bulliant ſimul in ſ. q. aquæ communis, clarificentur albumine ovi, dragmâ cremoris tartari, colentur per ſacchettum, & fiat potus colore, & ſapore gratus. Item præſcribitur, vel Manna in juſculo carnis, ad 2. 3. & 4. uncias.

Caſſiæ pulpa ſeorſum pariter exhibatur ad ℥. j. & ℥. j. ß. cui vel ʒ. una, vel una & ß. Rhabarbari additur. Cum Electuariis ſic parantur potiones.

Rec. El. Diaphœnici, Elect. de ſucco roſ. an. ʒ. ij. Syrup. roſ. ſolutivi, ℥. j. vel. ij. Diſſolve cum decocto flor. & fruct. cordial. & fiat potus. Cum Diacatholic. Elect Lenitivo, Tryphera Perſica, Confectione hamech, Electuario Diacarth. El. de citro ſol. El. de ſucco roſ. &c. parari poſſunt, potiones purgantes, quæ clarificari quoque poſſunt, & cum albumine ovi, & cum cremore tartari, eas per ſacchettum laneum percolando, ſic gratiores & palato, & oculis redduntur. Qui ſub fine cinnamomo, vel ejus oleo, item ſantalo citrino eas odore gratiores reddere cupiunt, iis liberum eſto.

Quando quis tres humores ſimul purgandos opinatur, potiones ſequentibus ſimiles præſcribit.

Rec. Fol. Sennæ ʒ. iij. aniſi ʒ. j. agarici trochiſc. ℈. iiij. Bulliant ſimul in ſufficienti quantitate aquæ Cichorii: in colatura diſſolve Elect. Diacathol. ℥. ß. Syrup. roſ. ſol. ℥. ij. Vel ſic:

Rec. Fol. Sennæ, ʒ. iij. aniſi, & Rhabarb. parum contuſi, Agarici trochiſcati, an. ʒ. j. Bulliant ſimul in ſ. q. aquæ communis, & colentur: in colatura diſſolve El. lenit. vel diacathol. an. ʒ. iiij. diaphœnici ʒ. ij. Miſce, fiat potus.

Præter ejuſcemodi formulas, alias propè infinitas excogitare poſſumus. Noviſſimè recens quoddam inventum in Italia frequentiſſimè modò uſurpatum habetur, quod appellatur Syrupus aureus, & fit ejuſmodi ſyrupus in ſola infuſione Julepi ex ſimplici ſaccharo facti. Ad hoc accipiunt foliorum recentium roſarum eo manè collectorum, rore matutino adhuc madentium, ℔. j. pro qualibet libra julepi parum tepidi. Unicâ infuſione abſolvitur ſyrupus, cujus ℥. ij. iij. aut iiij. plus efficaciæ præſtant, quàm multæ unciæ ſyrupi communis ex 9. infuſionibus. Sunt qui pro dicto ſyrupo componunt quendam ſyrupum cum Manna, & Senna, falsò dictam compoſitionem titulo aureo deſignantes.

CAPUT XV.

De tempore inſtituendi purgationem.

SIquâ in re, maximè in hac requitur temporis opportunitas: purgatio enim apto tempore data, ſecura ſanitas eſt; non aptè verò, mors. Hippocrates in *primo Aphoriſmorum* tempus videtur determinare, dum dicit: Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ. *Concocta medicari oportet*, & *cruda non movere*, &c. Raró verò concocta eſt materia in principio morbi: Ideò ad Hippocratis normam, nunquam medentur ægris noſtræ ætatis Medici, qui in omni morbo tam acuto, quàm chronico, ſtatim in principio quum accerſiti fuerint, detrahunt ſanguinem, humores purgant atque repurgant, nullâ expectatâ coctione. Præterea ſi ſciſciteris ab his, quid ſit coctio, quibus cognoſcatur ſignis, eos invenies non minùs à ſeipſis diſſentientes, quàm in ratiunculis ſuper hoc jactatis maximè diſcrepantes. Hîc intelligendum eſt de coctione, quæ fit à natura, humorum excrementitiorum, tam in prima, quàm in ſecunda, & tertia regione. Coctione humorum pravitas, feritas miteſcit, & ubi ex allatis ſignis facta cognoſcitur, nullis indiget remediis, qui natura jam victrix, quæ majora potuit, minora faciliùs conſequetur. Sed dicant mihi quæſo, an hac coctione craſſiores, aut tenuiores reddantur humores, & undenam ad evacuationem dictorum humorum proclivitas? apud Hippocratem *lib. 2. Aph. 9.* verba ſunt hæc τὰ σώματα χρὴ, ὅπου τις βούλεται, καθαίρειν, εὔρυα ποιεῖν, *corpora cùm quis purgare voluerit, liquida ſunt facienda.* At non omnis materia coctione attenuatur, ſæpius incraſſatur. De turgentia humorum non minor perplexitas; impetus enim dictorum humorum non à ſe, ſed à ſpiritibus, ut alibi annotavimus. Si conſulas Danielem Sennertum *lib. 2. de febribus*, *cap. 6.* videbis ejuſcemodi doctrinæ fundamenta labilia, & facilè ruitura. Sed meliùs Joannes Manardus *lib. 13. epiſtolarum ſuarum*, *epiſt. 1. ad Bartholomæum Carandinum Mutinenſem Medicum*, ubi fuſiſſimè de præparatione, & coctione humorum ſcribit. Inter multa, perpauca veriſſima protulit, dicens recentiores concoctionis nomine abuti, & quam concoctionem appellant, à vera concoctione longo diſtare intervallo. Quod enim verè concoquitur, ideò concoquitur, ut quantum fieri poteſt, ſimile evadat concoquenti; quod verò expulſioni paratur, quanto magis id patitur, tantò redditur animali diſſimilius, atque ab ejus natura magis alienum. Addit poſtea, concoctionem fieri à natura, non ab arte, expulſionem verò ab arte. Verùm in his tricis diu immorari non contendo; altiora enim & certiora contemplamur. Qui venales pro ſuggeſtu de verbis declamare ſolent, ejuſcemodi doctrinam non tam parvi faciunt, ſed in ea exaltanda, rabularum adinſtar, forum literarium longo ſtrepitu implere non ceſſant. Supereſt modò de tempore, in quo humores purgare debemus; nihil enim huc uſque ſtatuimus. Verùm primò quid ſentiant de præparatione dicendum.

CAPUT XVI.

De præparatione humorum.

QUod ſuprà de humorum concoctione diximus, de eorum præparatione repetere non decrevi: ideò qui plura deſiderat, legat præcedens caput. Cui adderem, quid intelligere velint per præparationem, fortè quod dixit Galenus poſt Hippocr. dicentem, τὰ σώματα χρὴ, ὅκου τις βούλεται, &c. fluida enim faciliùs fluunt, quàm tenuia, & omni lentore carentia. Et paulo pòſt, *tunc enim* (inquit Gal.) *purgatio bene procedit, cùm humores craſſi, tenues facti fuerint, & tenaces inciſi, & meatus aperti, per quos tranſmittuntur.* Eſt itaque ejuſcemodi præparatio, inciſio, & attenuatio. An verò arte incîdi, & attenuari poſſint humores, non videt, quia hoc eſt naturæ opus. Sæpiſſimè acida, quæ putant eſſe maximè attenuantia, & incîdentia, contrarium præſtant. Cryſtallus in pulverem reducta ſolius aceti beneficio priſtinam duritiem recuperat. Acidum vitrioli, & ſulphuris multa liquida in lapidem cogunt. Sunt multi liquores, qui craſſitiem acquirunt, acidorum appulſu: Verùm qui chymicarum operationum periti ſunt

ſunt, rei veritatem vident: Plus valet de viſu teſtis, quàm centum auriti. Rurſus quis non videt operationes naturæ inviſibiles eſſe. Quod de calore effutiunt, jam pluries rejecimus; ſed de hoc alibi fuſiſſimè dicturi ſumus.

Materia ex qua humores præparare contendunt, ſunt cunctis obvia, & alterantia vocantur: ea vel frigida, & humida dicuntur, vel temperata, vel calida & humida, &c. ſimplicia, vel compoſita: Verùm cùm ejuſmodi præparatio naturæ tantùm opus ſit, indignum arbitramur ea recenſere. Ne quid tamen hoc in loco deſideretur, quæ cenſentur uniuſcujuſque humoris præparantia, explicanda ſunt. Quod ad bilem, potiſſimam febrium cauſam, (ſic enim ipſi) ex his nonnulli extenuantia, & incîdentia repoſcunt: alii contrà reclamant, dicentes ipſam bilem ſatis eſſe tenuem, ſed potiùs incraſſandam; alii neque attenuandam, neque incraſſandam, ſed ſine ulla præparatione ipſam eſſe purgandam. Eſt recens opinio, quæ hanc, & illam damnat, neque eam attenuandam, ex eo quòd dicta bilis ſit per ſe ſatis mobilis. Rurſus timendum, ne his calidis magis incaleſcat ipſa, & febris, & ſymptomata magis augeantur: & quod Gal. 1. *Aphor.* 24. dicit in acutis febribus de hyſſopo, & origano in aqua mulſa coctis, hoc non eſſe ob bilem, ſed ob meatus obſtructos ab humore craſſo. Quare ſine ulla præparatione dicunt bilem eſſe purgandam. Non minùs falluntur, qui referunt, dictæ bilis magnum eſſe fervorem & acrimoniam, & propterea dictas qualitates ad quandam mediocritatem eſſe reducendas, ne ſi ita fervida, & acris purgetur, in internis viſceribus ſeſe inſinuet, & aliquod damnum maximum excitet. Quapropter concludunt, bilem primò frigidis attemperandam, & ejus tenuitatem incraſſandam, antequàm ipſa purgetur. In hoc ratiocinio, quantum ſit vanitatis, facilè videre eſt: Putant operationes rerum in nobis fieri, pro capacitate ingenioli ſui. Quæ putant refrigerare, ſæpius contrarium præſtant. Non miſcentur res in viventibus, perinde atque in demortuis. Quæ intus ingeruntur, eo fine id fit ut in noſtri alimoniam cedant: cùm primùm intus detruſa ſunt, in ventriculo excoquuntur. Mutant naturam, antequàm ad venas perveniant, quæ ſanguini generando idonea ſunt. Exſugitur à venis, quod eſt idoneum in chylo; quod eſt ineptum ad fæces ſtercorales demandatur. Jam videre eſt, quoties ipſa mutantur, quomodo in ventriculo putreſcere incipiant cum acore gravi: deinde in inteſtinis tenuioribus omnino putreſcant, & mutent naturam, ex quibus per meſaraicas educuntur, & per portam ad jecur deferuntur: ubi iterum elaborata, per cavam ad ſingula membra diſtribuuntur. Videant, ſi ſapiunt, quoties mutentur intus aſſumpta, tum medicamenta, tum alimenta, ſi naturalem craſim ſervaverint, antequàm ad ſanguinem pervenerint. Ad ipſorum qualitatum permixtionem, ſatis abundanter nos dixiſſe ſuprà arbitramur, ubi de calore & calido, item ubi de contrario, contrariiſque qualitatibus. De digeſtione, & aliis humorum præparationibus nihil dico, cùm per ſe adeò manifeſtæ ſint, ut meritò eas ſilentio involvere ſatis ducam, quam inaniter ſcriptis noſtris interſerere.

CAPUT XVII.

De reſerandis obſtructionibus.

De obſtructionibus, quas in febribus putridis primas tenere arbitrantur, tam Dogmatici, quàm Jatrochymi, non modica eſt difficultas: Nam craſſitiem, & coagulationem, quibus fit obſtructio, non à ſe, ſed ab alio fieri manifeſtum eſt. A calore, aut frigore ſtatuunt Dogmatici; Jatrochymici à ſpiritu ſalis. Qui à calore, aut frigore obſtructionem fieri dicunt, per contrarium incedunt; qui à ſpiritu ſalis, per ſimile. Quibus addo virtutem, ſeu rationem ſeminalem, in ipſo tamen ſale, tanquam in proprio domicilio, hoſpitantem. Solvere ergo obſtructiones, atque vias ab infarctu craſſorum, & viſcidorum humorum liberare, non eſt facilè cum his, quæ incîdentia, & attenuantia appellant: ut ſunt Acetum, ſyrup. limon. ſyr. Acetoſus, de ſuccis Citrii, Granatorum, ſyr. de Cichorio, Endivia, Acetoſa, de radicibus, Oxymelita tam ſimplicia quàm compoſita, &c. quæ medicamenta opinione potiùs, quam rei veritate comprehenſa. Cocti, & præparati humoris, obſtructis meatibus reſeratis, requiritur purgatio, de qua in *capite præcedenti*. Sed his Dogmaticorum placitis præmiſſis, propria Jatrochymicorum ſenſa hîc interſerere volo.

CAPUT XVIII.

De vera, & legitima ratione purgandi in febribus.

Peccantem materiam purgare, idem eſſe ac morbum ſanare, qui non admittit, multiplici modo peccat. Primò, qui purgat, & nón tangit materiam peccantem, non modò non minuit morbum, ſed naturam inutiliter defatigando, morbo incrementum præſtat; natura enim nunquam victrix, ubi morbo inferior. Secundò, purgantia ubi non tangunt vitioſam materiam, humores innoxios educunt; unde ſitis, ventriculi, & omnium naturalium partium imbecillitas. Tertiò, ubi cathartica inutiliter adhibentur, cacoëthia inducitur, tranſpiratio inhibetur, & alia graviſſima ſymptomata; mitto inappetentiam, nauſeam, capitis dolorem, & alia à Meſuë annotata. Quapropter ad febrem purgandam, omnino è corpore eliminari, fugarive oportet. Hoc verò præſtat multorum medicamentorum ſeries: & hanc è tripici penu depromere ſolemus. Verùm quia omnes febres non uno eodemque modo curari poſſunt, expedit Medico, ſingulas Tartari ſpecies cognoſcere, ut unicuique peculiare, & opportunum remedium adhibeat. Nec adhuc ſufficit, peculiarem tartarum cognoſcere, ſed & locorum proprietates; nam alio modo pellitur tartarus ventriculi, alio modo qui in inteſtinis, jecore, liene, renibus; tandem qui in venis, & carnibus. Qui in ventriculo generatur, facillimè per vomitum ejicitur. Qui in inteſtinis, per alvum purgatur. Qui in ſanguine, partim per phlebotomiam, & partim per ſpecificum. Qui in habitu, ſive in carnibus, per diaphoretica. Hæc eſt vera, & legitima ratio purgandi in febribus. Materia, quâ in hoc utimur, peculiarem requirit indaginem

nem. Modò ad univerſale quoddam deveniendum, quo in omni febre tutò poſſimus uti, maximè ubi notæ non ſunt peculiares tartari ſpecies, ſicuti ſuprà monuimus; impoſſibile eſt enim ſingulas ſpecies cognoſcere, niſi longo tempore, & uſu.

CAPUT XIX.

Medicamentum univerſum pro febribus putridis ex Tartaro vegetabili.

REc. Centaurii minoris cum floribus, ℔. x. fol. Acetoſæ, Cichorii, Meliſſæ, Boraginis, Hederæ terreſtris, Cicerbitæ, Pimpinellæ, an. ℔. vj. Contundantur omnia ſimul, & in vaſe vitreo capaci bene clauſo, recondantur ſub fimo equino, ad menſem. Extilla poſtea per Balneum Mariæ. Primam aquam ſeorſum ſerva, ſicuti & ſecundam. Extremos ſpiritus ſenſim prolice, & hos reaffunde fæcibus toties, quoties à fæcibus expirant. Fortiori igne tandem adacto, crementur fæces, ex quibus ſal extrahe cum ſecunda aqua, cujus medio ipſe pluries ſolvatur, & coaguletur. Doſis erit à ℈. j. ad drachmam unam cum uncia una primæ aquæ. Et dicta aqua datur ſola, uſque ad duas & tres uncias ſingulis diebus, loco ſyrupi. Aliquando exhibeatur unâ, vel duabus horis ante paroxyſmum.

Aliud Medicamentum febrile.

EX Zingibere, infuſo in ſufficienti quantitate vini, per 15. dies, & poſtea calore Balnei Mariæ per alembicum exugitur aqua, quæ ad uncias duas exhibita, unâ, aut alterâ hora ante paroxyſmum ipſum, mirificè ſublevat, & minuit. Præter iſthæc eſt noſtra Aqua febrifuga, de quâ in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica, ſect.* 4. de aquis diſtillandis ejus deſcriptionem hîc repetere placet.

Rec. Hederæ terreſtris cum foliis, & radicibus, Apii item integri, Cichorii, Acetoſæ, Centaurii minoris, an. M. vj. Macerentur triduo herbæ omnes contuſæ, & per Balneum Mariæ proliciatur aqua, quæ recentibus herbis reaffuſa, iterum extilletur, ut priùs. In dictæ aquæ ℥. iiij. ſi per noctem infundatur Magneſiæ Saturninæ bis calcinatæ, ℥. ß. & manè coletur, fit aqua verè febrifuga: cujus doſis erit ℥. iiij. v. & vj. paulo antè paroxyſmum. Et quia non raro in ventriculo, inteſtinis, & primis viis venarum reperitur tartarus excrementorum: ideò purgans febrile dandum eſt. Inter quæ iſthæc pauca annotare placet.

Rec. Rhabarbari electi ʒ. ij. Infunde in unciis quinque aquæ Cichorii per noctem, cum tantillo Spicæ nardi, vel Cinnamomi. Factâ forti expreſſione manè, diſſolve Electuarii de ſucco roſ. ſol. drachmas tres, ſyrup. roſati ſol. uncias duas, Miſce, fiat potus. Qui oculis, & palato conſulere vult, clarificet cum drachmâ unâ cremoris tartari, tantillo albuminis ovi, & per ſacchettum laneum trajiciatur. Vel

Rec. Extracti Eſulæ drachmam unam, capiat manè, & deſuper bibat parum juſculi carnis. Ubi temporis & loci opportunitas non fert, habendi extractum, capiat de dictæ Eſulæ radice drachmam dimidiam, vel integram drachmam pro robuſtis, in pulverem, cum juſculo carnis. Pro Eſula Tithymalus Cypariſſias hîc intelligitur.

Poterii Opera.

Rec. Scammonium Chymicè præparatum: ad 15. & 20. grana tutò exhibetur; & eſt purgans febrile eximium. Vel

Rec. Extracti roſarum, drachmam unam pro delicatis, pro robuſtis ʒ. ij. & iij. Blandum, & tutum eſt medicamentum.

Parantur extracta varia, & compoſita, quæ Medici judicio relinquuntur. Quæ ex Caſſia, Tamarindis, Roſis, Violis parantur medicamenta, in pleriſque febribus, & certis regionibus, ac æſtivis diebus, non poſſunt ſatis laudari. Manna pariter non eſt parvi faciendum, etſi medicamentum ſit flatulentum nimis.

De Sennæ Extracto, radice Mechoacan. Agarico, Jalappa, & ſimilibus nihil dico; omnibus nota ſunt: tantùm ad hæc adhibenda, verè Medici judicium requiritur.

CAPUT XX.

De ratione purgandi per Vomitum.

NOn rarò ſtabulatur in ventriculo tartarea quædam materia, quæ commodiùs, & faciliùs per os, quàm per alvum expurgatur. Ad hoc conducunt inter vegetabilia, radix Ellebori, Aſari, Bryoniæ, item planta gratiolæ, & pleraque alia. Inter mineralia Vitriolum album, Turpethum minerale, Antimonium, Mercurius, &c.

In nonnullis febribus acutis, ubi ventriculus nauſeâ premitur, nihil tutius quàm exhibere ſemidrachmam Vitrioli albi, vel florum, vel vitri antimonii g. iij. iv. Item Aſarum pulveriſatum, vel ejuſdem extractum, &c. In omni vomitu concitando, liceat poſt aſſumptum medicamentum, ebibere ad libram juſculi carnis. Sequenti die aliquando reiteratur. Vomitoria, quæ cum oxymelite, Aceto, Oleo, & Aqua tepida fiunt, nobis non probantur; neque illa, quæ cum ſemine Geniſtæ, Raphani, flor. Chamomillæ, & ſimilibus.

Qui auctoritates conſule velit, adeat Hippocrat. *lib.* 1. *Aphoriſm.* 21. *& lib.* 4. *Aphoriſm.* 3. 16. *&* 17. *& lib. de ſalub. diæta.* Item Avicennam, 4. 1. *cap.* 18. Inter recentiores, Fernelium, Joſephum Quercetanum, &c.

CAPUT XXI.

De aliis medicamentis, promiſcuè ad febrem.

CUm adhuc non ſit compertum verum, & legitimum Alexipharmacum febrium, tamen multa ſunt, quæ, ſi non in totum ignem iſtum microcoſmicum extinguunt, eum nihilominùs leniunt, reprimunt, & mirificè mitigant: de quibus nunc. Verùm quia Chymicorum princeps, Theoph. Parac. genuinam febrium curationem adeò clarè nobis pollicetur; eum primò in medium protrahere placet. Etenim ipſe *lib.* 1. *de Tartaro, cap.* 9. dicit, curationem febris in cura Tartari contineri, & omnia medicamenta, quæ tartarum reſolvunt, febres curare aſſerit. Et *lib.* 2. *de vita longa, cap.* 5. inquit: *De febribus breviter ſic habeto. Principiò fiat purgatio febrilis: deinde cura ſpecifica, &*

& minutio cauſalis, ita ut Diaceltateſſon (ex Antim.) præcedat ſecundum medicamen: nam hac purgatione pellitur omnis febris in materia peccante. Plerumque integram curam complectitur. Sin morbus in membra ſpargitur, ſequitur continuò opopyron laudani, id quod febrim unà cum dilatione propellit. Minutio autem ſive ſalvatellæ, ſive cephalicæ, ſive ea quæ per ſpinam dorſi fieri conſuevit, materiam peccantem in ſanguine, itaque intra cutem, & carnem tollit, &c.

In ardoribus nonnullarum febrium, hauſtus aquæ cum guttulis iv. vel v. ol. ſalis decrepitati, ol. vitrioli, ol. ſulphuris per campanam mirificè juvat. Tinctura roſarum cum ſupradictis ol. acidis facta, & in ſ. q. aquæ frigidæ data, ardorem pariter febrilem reprimit.

Nitrum ritè præparatum ardorem febrilem pariter egregiè compeſcit. Sal, quem appellant prunellæ, idem præſtat. Extat Crollii hauſtus elegans.

℞. Ol. Vitrioli, ℈. j. ſalis abſinthii, ℈. j. & ſ. aq. Cichorii, ℥. j. Miſce, fiat potus. Detur paulò ante paroxyſmum.

Idem Crollius ſcribit, pulverem ex longis teſtis Cochlearum, quæ propè lacus, & piſcinas reperiuntur, antidotum eſſe adverſus febres. Ejuſmodi pulverem præparat cum aceto, eas infundendo in dicto aceto per noctem; & ab his mucorem, quem contraxerunt, diligenter abradendo cum ſcopis ferreis, quibus aurifabri utuntur: poſtea teſtas illas oblongas calcinando, incinerandoque ad albedinem, ac pulverizando. Doſis à ℈. ij. ad ʒ. j. Bis, vel ter reiteratur. Sudorem movet, ſi maneant in lecto.

CAPUT XXII.

De medicamentis in genere, pro Tartaro tam animali, quàm minerali.

TRiplici alimentorum genere nutriri hominem, alibi demonſtravimus: triplici pariter excrementorum genere ipſum divexari diximus; ad quæ, natura nimis provida, præſidiorum quoque totidem genera adinvenit. Superiùs, vegetabilia quædam brevi ſpatio connotavimus: Quæ animalia reſpiciunt, aut ſaltem dubiæ naturæ ſunt, in *proximo capite* indigitabimus. Quæ modò mineralium ſortem nacta ſunt, deſcribere aggredimur. Præcipuum, & fidiſſimum febrium rhizotomos eſt vulgare ſtibium; & hoc veluti alter Protheus, varia induit veſtimenta, pro conditione Medici propinantis, & naturâ ægrotantis. Quid id jamdudum in uſum vocârunt, modo ſatis craſſo dederunt, de quo Mathiolus, qui mos ad tempora noſtra uſque duravit. Viam tamen antea præmonſtraverat Theoph. Parac. At quia præparationes legitimas ſubticuerat, factum fuit, ut pro legitimis, vitrum ſubſtitutum fuerit.

Eſt modò ars magis culta, quæ pro febribus præſentes adinvenit.

Flores Antimonii, tam albi, quàm rubri, præſtantiſſima ſunt cathartica in omni tartaro minerali. Dantur per ſe ad tria & quatuor grana: miſcentur cum quavis re, vel ſaccharo roſaceo, aut conſervâ quavis. Macerantur vel in vino, vel in quovis alio liquore. Parantur & ex his ſyrupi, julepi, pilulæ, rotulæ, & trochiſci. Dantur manè 4. vel 5. horis ante prandium: horâ 1. poſt, ad faciliorem vomitum provocandum, datur hauſtus 1. juſcul carnis.

Flores itidem, qui fiunt ex butyro Antimonii, in aqua communi præcipitati, & poſtea loti, idem præſtant.

De ejuſcemodi medicamenti præſtantiâ, licet conſulere recentiores Medicos, eos maximè, qui propriâ experientiâ Medicinam ditârunt, uti Mathiolum, Quercetanum, Hartmannum, Crollium, &c.

Sunt alii flores per alvum purgantes, de quibus vide Hartmannum, tam *in Crollium*, quàm in ſuâ *practicâ jatrochymicâ.* Præterea ſunt flores jam dicti fixi, qui diaphoretici appellantur, de quibus Jatrochymicos conſule.

Vitrum Antimonii ſuo non caret uſu: etenim in tartaro fugando tàm ex ventriculo, quàm inteſtinis, datur ſimiliter à tribus, 4. 5. & 6. granis; vel in potu cum quovis liquore, vel in forma boli, cum quavis conſervâ. Juſculum carnis horâ una poſt exhibeatur, ad facilitandum vomitum.

Præparatio Antimonii cum æquali portione ſalis nitri, Crocus metal. immeritò dicta, facta ut diximus in *noſtra Pharmacopœa Spagyrica*, purgat blandè omnem tartarum, exiſtentem in prima & ſecunda regione corporis.

Fit & Calix vomitorius cum Regulo Antimonii, in quo calice maneat vinum per noctem, ad unam, aut duas uncias: Parantur & pilulæ, cum dicto regulo. Formentur dictæ pilulæ, ſicuti formantur pilæ parvulæ plumbeæ, in formam earum, quibus utuntur pro ſclopetis parvulis.

Vel pulvis ad 7. aut 10. grana infuſus per noctem in vino: Datur vinum manè colatum. Eadem præſtat, paulò cæteris vehementius.

Medicamentum iſtud perpetuum eſt: nam ſive Calix, ſive Pilulæ, ſive Pulvis, nunquam virtutem amittunt.

Ex vitriolo datur vomitorium præſtantiſſimum. Ex eo fit ſal aptiſſimus. Album Vitriolum citra ullam præparationem idem præſtat.

Mercurius inter medicamenta, quæ adverſus febres parantur, non infimum tenet locum. Qui à Joanne Hartmanno deſcribitur in ſua *Practica Chymiatrica*, ſub titulo Mercurii laxativi, novis maximè arridet.

Mercurius quoque albus, de quo in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica*, & apud dictum Hartmannum.

Item Mercurius cum Auro, quem in *loco citato* docuimus, & apud dictum Hartmannum adinvenimus, nobis quoque probatur.

Mercurius per ſe præcipitatus, de quo in noſtra *Pharmacopœa Spagyrica*, omnes alias præparationes excellit. Doſis & uſus doctis facilè innoteſcit. Ad tria, 4. 5. 6. uſque ad 10. g̃. porrigitur.

Ex argento puro fit pariter medicamentum purgans, de quo in *loco citato*.

Ex plumbi ſale purgans pariter reducitur, ſed ejus uſus exercitatum, non loquacem requirit Medicum.

Ex aliis mineralibus, & metallis, educuntur medicamenta, tam alterantia, quàm purgantia. Qui dictorum mineralium, & metallorum conſonantiam, quam habent cum noſtris humoribus,

bus, cognoverit, poterit ex ſe comprehendere uniuſcujuſque virtutem & poteſtatem.

Inter præſtantiora, unicum, & omnium ſal uberrimum medicamentum uſurpare ſoleo, à Quercetano in *ſua Tetrade*, *cap.* 31. deſcriptum, in hanc formam.

℞. *Florum rubrorum Antimonii*, ℥. *iv. florum Sulphuris ſublimatorum ad perfectam albedinem*, ℥. *iii. Miſceantur cum duplo colchotaris Vitrioli Ungarici aut Cyprii, ac ter ſublimentur, habebis flor. rubicundiſſimos, ſi bene operatus fueris. Hic cum aciditate Vitrioli Veneris primò, deinde cum Saturni æthereo ſpiritu eſſentificentur. Hujus* (inquit) *eſſentificationis ſi callueris artem, medicinam ſuſpiciendam concinnabis, veram Antidotum Lyſipyreton, omnis generis febres, peſtiferas etiam, ſedantem ac extinguentem, ſi ad iv. aut v. guttas de ea, ex idoneo liquore propinaveris.*

Aliud non minùs præſtans.

℞. Minervæ, ſeu Marcaſitæ Saturni Philoſophici, partem unam: Salis Balſamici ritè præparati, partes quatuor. Terantur fortiter invicem, & retortæ vitreæ luto ſapientiæ probè munitæ indantur. Per furnum venti, ſpiritus elice in recipiente amplo, & capaci. Materiam è retorta eductam in aceto acerrimo ſolve, & tincturam extrahe, aceto fæcibus pluries reaffuſo: Tincturam ab aceto ſegrega cum ſpiritu vini; hanc pluries cohoba in fimo equino, & vaſe ad id opportuno. Reſiccatæ tincturæ dantur g̃. v. vj. ad x. in quovis liquore, paulò ante paroxyſmum, quâvis hora & quovis tempore. Ardores extinguit & omnia ſymptomata ſedat, ſæpè intra unam, aut 2. horas.

Bezoar minerale in febribus non eſt ex infimis, ſudorem movet, & tranſpirabile reddit corpus. Sitim pariter extinguit, & ardores reprimit, alvum lubricam reddit; & omnem humorum acrimoniam corrigit. Eſt aliud Bezoardicum auri de quo alibi.

Formicarum aquam à Joanne Hartmanno deſcriptam in *Practica Chymiatrica*, etſi experti non ſumus, quia tamen à viro docto deſcriptam habemus; ſatis laudare non poſſum; eam verò ſic deſcribit.

℞. Aqu. fragorum, Centaurii minoris, an. ℔. ij. Mellis albi, ℔. iij. M. in cucurbita detruncata, eamque ſine integumento in acervo formicarum ſepeli uſque ad ſummitatem, & formicæ conſertim admodum irruent in vaſculum dulcedine mellis ſcilicet allectæ. Poſt collectam harum ſufficientem quantitatem exime vas, omnia invicem probè mixta agitando: per alembicum ex cineribus eliciatur aqua, quæ deligenter ſervanda. Doſis ejus eſt, in principio paroxyſmi, Cochlear ß. ad ſummum. Hæc aqua (inquit) interdum vomitum movet, & vehementer; ideò videndum, an æger ad vomitum ſit aptus. Idem Auctor Aquam Tabaci proponit, quam probare, nec reprobare poſſum, cùm de ea nullum habeam uſum.

Aluminis dulcedo, ut in noſtra *Pharmacopœa*, deſcribitur, *cap. de Alumine*, inſignem poteſtatem obtinet extinguendi febres. Datur à ʒ. ß. ad ʒ. j. cum juſculo carnis.

Narcotica pleraque in quibuſdam febribus, optima ſunt, uti alibi notavimus.

Paramus verò Laudanum ad hunc effectum, in hanc formam:

Poterii Opera.

℞. Opii Thebaici præpar. ℥. ij. ſucci Veronicæ, florum Papaveris erratici, an. ℥. iij. Liquetur opium in ſuccis, & inſpiſſetur lento igne in formam extracti: cui adde pulv. lapidis Bezoar, ſmaragdorum more noſtro præpar. an. ʒ. iij. Bezoar. mineralis, ℥. ß. magiſterii unionum, ʒ. j. Ambræ griſeæ, moſchi, an. ℈. j. Miſce, fiat maſſa, de qua dentur grana 10. 12. & 15. Sunt alia propè infinita, quæ brevitatis gratiâ omittimus.

CAPUT XXIII.

De curatione febrium in ſpecie, juxta communem medendi methodum.

HActenus de curatione febrium in genere tractavimus; nunc in ſpecie dicendum videtur. In præcedentibus verò de triplici Tartari genere, causâ febris, è corpore eliminando, & ejus ardore compeſcendo, egimus, brevi compendio quatuor humoribus priùs expoſitis. Species, quas communis ſchola docet, in principio quoque aperuimus, & quas putridas, & non putridas vocet, enarravimus, continuas eſſe & intermittentes diximus, earum cauſas, indicationes, & prognoſin tetigimus. Supereſſet modò de uniuſcujuſque ſpeciei curatione diſſerere, primò juxta communem medendi methodum. Non eſt difficile cognoſcere, quæ particularis cura conveniat unicuique ſpeciei, etenim ut in genere agitur de quatuor humoribus; tum purgandis, tum alterandis, ita etiam in ſpecie. Et ut à ſynocho incipiam, ſolâ ſanguinis miſſione, & frigidæ potione curatur. De detractione ſanguinis ad lipothymiam diſſentiunt infiniti, ne unà cum febre juguletur homo. Ad hoc præmittere ſolent Clyſterem emollientem, in hanc formam:

℞. Decocti communis clyſteris, ℔. j. lohoch de Caſſia, vel Diapruni, vel Diacatholic. ℥. j. vel ℥. j. ß. mell. & ol. viol. an. ℥. iij. ſalis communis, p. j. Miſce, fiat Clyſter.

Quæ tundenda ſit vena, parum refert; omnes enim venæ ab uno eodemque ramo dimanant. Pro aqua frigida noſtrâtes aquas ſtillatitias Cichorii, Endiviæ, Borag. Acetoſæ, & ſimilium propinant, vel ſolitarias, vel cum ſyrupis acetoſi ſimpl. de ſucco limonum, &c. vel decocta earundem herbarum, cum liquiritia, hordeo, uv. paſſ. &c. Nonnulli aquam hordei ſimplicem, in nive, aut in loco frigido aſſervatam.

In Putri ſynocho eadem viâ incedunt, & eaſdem indicationes ſibi proponunt; cauſæ videlicet remotionem, & caloris febrilis extinctionem. Sanguini putri proſpiciunt per venæ ſectionem, & per evacuationem, præmiſſo ſemper Clyſtere. Et quia incuſant bilem ſimul cum ſanguine putreſcentem, ideò medicamentum cholagogum in hunc modum præſcribunt.

℞. Rhabarb. el. ʒ. ij. pulpæ Tamarind. ℥. ß. Bulliant ſimul in ſ. q. Aquæ Cichorii. In colatura diſſolve ſyrup. roſ. ſol. ℥. ij. vel iij. vel Manæ Calab. ℥. ij. Pro alterantibus, dictis aquis utuntur, vel eorum decoctis cum ſyrupis acidis.

De cauſo, ſeu febre ardente, quam alii tertianam continuam appellant, eo quòd ex eâdem

materiâ fieri exiſtiment, quicquid de ejus diſcrimine garriant noſtrâtes, & multis hinc inde deductis ſermocinationibus, curam non eſſe diverſam à quavis febre billioſa obſervamus. Totum negotium pariter pendet ab evacuatione humoris billioſi, & extinctione caloris febrilis. Ad id, ut in omni febre, Chirurgiâ, Pharmaciâ, & Diæta utuntur. Major pars Medicorum præmittit phlebotomiam, Clyſtere præmiſſo. In ea celebranda, alii ſunt liberales, & maximam fundunt ſanguinis copiam; alii non ita audaces, malunt mediam tenere viam. De opinionum varietate & inconſtantiâ, non eſt ut dicam, ne eandem recoquere cramben videar. Detracto ſanguine, manè ſequenti potio purgans infirmo porrigitur. Formulæ potionum à ſupraſcriptis non diſcrepant: ne quid tamen hic deſideretur, ſubſequentes apponere voluimus.

℞. Pulpæ Caſſiæ recententer extractæ, ℥. j. vel ʒ. x. cum Saccharo fiant boli. Eidem pulpæ addi poteſt Rhabarbari ʒ. j. vel ʒ. j. ß. Ex eâdem Caſſia paratur potio in hanc formam.

℞. Caſſiæ fiſtulæ, ℥. iv. fol. Sennæ, ʒ. iij. Aniſi ʒ. j. Tamar. ℥. ß. Bulliant in ſ. q. aquæ commun. clarificentur omnia albumine ovi, & cum ʒ. j. cremoris tartari, trajiciantur per ſacchettum, & fiat potus. Vel ut hîc fit:

℞. Syrup. roſ. ſol. ℥. iv. vel. v. decocti fl. & fruct. ℥. ij. Miſce, fiat Potus brevis. Vel cum Manna Calab. ab ℥. ij. uſque ad v. Vel

℞. Syrup. roſ. Mannæ Calab. an. ℥. ij. cum decoct. fl. & fruct. cord. q. ſ. fiat potus. Sunt qui ſerum lactis propinant, in cujus ℔. j. vel ij. diſſolvunt Mannæ, vel ſyrup. roſ. ſol. ℥. ij. vel iij. Nonnulli accipiunt El. lenit. alii Diacathol. El. de prunis ſol. &c. Tandem quot capita, tot ſententiæ. Purgato corpore hiſce lenientibus, ad ſyrupos refrigerantes, & humectantes ſe convertunt, malè arbitrati, relictos pravos humores, eorum medio attemperari, & mitigari. Ejuſmodi formulæ tales ſunt:

℞. Aqu. Cichorii, Acetoſæ, Borag. an. ℥. ij. Syrup. Acetoſi ſimpl. vel de ſucco limonum ℥. j. Miſce pro ſingula doſi. Vel accipiunt fol. Cichorii, Cicerbitæ, Lactucæ, Endiv. Borag. Acetoſ. an. M. j. Bulliant in ſ. q. aquæ hordei. Nonnulli addunt fl. Viol. ſem. 4. frigid. an. ʒ. ß. In hujus decoct. ℥. vj. diſſolvunt ſyrup. Acetoſ. vel de ſucco Roſ. ℥. j.

De ſpiritu, & ol. Vitrioli, ſicuti & de ſero lactis, alibi differer conſtituimus.

Exhibitis ad 7. & 9. dies dictis potionibus refrigerantibus, reiterant prædicta purgantia, quibus addunt aliquid de ſequentibus Electuariis, uti de ſucco Roſ. Nicol. Trypheræ Perſicæ, Diaphœnici, & ſimilibus.

Hîc in omni febre ardenti, & continuâ, cardiaca propinant, maxime veſpertinis, & ſerotinis horis: & hîc omnes febres appellant malignas, & peſtilentes, propterea in omni febre continuâ, dicta Cardiaca uſurpant. Hîc uſitata ſunt Confectio Hyacinthina, Conf. Alkerm. Spec. Diamarg. frigid. & de Gemmis. Simplicia ſunt Lapis Bezoar, Smaragdus, Uniones, Contrajerva, ſem. Citrii, ſcordium, & ſuccus Acetoſæ. Hæc miſcere ſolent cum aliis ſuccis, aut cum juſculo carnis; pulveres cum conſerv. florum citrii, Viol. Borag. &c.

Julepus gemmatus inter præcipua conſetur arcana. Ejuſdem valoris ſunt nonnullæ aquæ, cum dictis cardiacis factæ.

Dum hæc interiùs peragunt, exteriùs iſthæc admoventur.

℞. Ol. florum Citrii, q. ſ. inungatur regio cordis frigidè, ne expiret odor, in quo præcipua vis. Vel Ol. Scorpionum compoſiti Mathioli. Regio ventriculi inungatur oleo Abſinthii, cum oleo nucis moſchatæ.

Epithemata regioni cordis admovent nonnulli, ad quæ uſurpant:

℞. Specierum Diamargariti frigidi, ℥. ß. Pul. ſantal. rub. & alb. an. ʒ. ij. Aquarum Borag. Meliſſæ, Lactucæ, an. ℔. j. Aquæ roſarum ℔. ß. Miſceantur pro Epithemate. Vel ſic:

℞. Specierum Diatrium ſant. Diamarg. frig. an. ℥. ß. pulv. roſ. ʒ. ij. moſchi, & Ambræ griſeæ, an. gr. iv. Aquæ florum Citrii, Roſarum an. ℔. ij. Vini albi, ℥. iv. Miſce pro Epithemate: Vel alii admovent.

℞. Conſ. Viol. Conſ. Borag. Conſ. Nenuph. an. ℥. j. Conſ. Alkermes, ſpec. Diamargariti frigid. an. ʒ. ij. Miſceantur ſimul, & extendantur ſuper petiolam lineam, & admoveantur regioni cordis:

Capiti admoventur frontalia, ſi adſit dolor ingens, vel ſolo oxyrrhodino inungitur frons. Hæc potiora ſunt, quæ exteriùs admoveri ſolent. Interim de Chirurgicis ſolâ phlebotomiâ non ſunt contenti; etenim, ubi de revulſionibus cogitant, Cucurbitulas ſcapulis admovent cum ſcarificationibus. Ubi non ſolùm de derivandis humoribus à capite, ſed etiam de diminutione atræ bilis cogitant, hirudines podici admovent. Ubi atrox ex dolor in capite, neque cucurbitulæ, neque podici admotæ Hirudines proſunt, ponè aures, & ad nares applicari curant.

Ubi pertinax eſt febris, & fortioribus revulſionibus opus eſſe judicant, Cantharidum pulverem, cum fermento acri, brachiis, cruribus, aut tibiis apponunt. Sunt qui ejuſcemodi crucibus non contenti, Cauteriis actualibus nucham, vel ſynciput inurunt. Frictiones nonnulli fortes, etiam cum ſacculo ſalis, in uſum advocant. Tandem tot ſunt ægrorum tormenta, quot opinionum fluctus ejuſcemodi Medicorum mentes exagitant. Hæc eſt cura, quæ in Cauſonide, continuâ biliosâ, & ardenti febre fit. Quæ verò in eâ fiat, quæ ab his maligna, & peſtilens dicitur, examinabo: poſtea de Tertiana notha, Hemitritæo, &c. Quoad earum curam, eam ab his, quas ſuprà diximus, parum diverſam eſſe, ſatis videre eſt, etſi ſubtili, & prolixo nimis ratiocinio, de ſalſa pituita, & atra bile loquantur. Quoad qualitatem malignam, ſive occultam, ſatis noſtram ignorantiam denotat. Malignam febrem interea à peſtilenti diſtinguunt, & dicunt malignam cacoëthia, pravaque habitudine pernicioſam eſſe; peſtilentem, non cacoëthiâ, ſed contagio multos perimere. Peſtilentem rurſus pluries interimere, & brevi; malignam, nec tam citò, nec tam multos. Sed de his paulo inferiùs.

Tertiana, (quam notham appellant) etſi magnâ contentione diverſam conſtituant, ſolâ mixtione pituitæ, & humoris melancholici, eam differre autumant: Unde cura tantùm erit diverſa ab exquiſitâ, per ſolam mixtionem medicamentorum purgantium pituitam, & melancholiam,

choliam, uti Agaricus, & Turbith, Senna, & Epithym. Sunt qui addunt radices Mechoacan. Jalappa, & ſimilia; ſicuti

℞. Rhabarb. el. ʒ. j. ß. Agarici trochiſc. ʒ. j. Infunde per noctem in ſ. q. decoct. fl. & fruct. cum Senna. In expreſſione diſſolve El. Diacathol. ℥. ß. Syrup. roſ. ſol. ℥. ij.

Purgatis dictis humoribus, & ſanguine fuſo è brachiis, uti mos eſt, ad refrigerantia, & humectantia ſe conferunt, & ſuprà à nobis dicta uſurpant. His quidam addunt radices aperientes, uti fœniculi, apii, ruſci, aſparagi, graminis, &c. cum herbis betonicæ, capill. ven. abſinthii, agrimonii, ceterach, fumariæ, cum paſſulis, & liquirit. Hæc omnia coquunt in ſ. q. aquæ communis: colatura dulcoratur ſaccharo, clarificatur albumine ovi, & aromatizatur, vel Cinnamomo contuſo, vel Santalo citrino: & fit Apozema, de quo dantur ℥. vj. pro ſingula doſi. Mitto rotulas diarhodon. Abb. Aromatici, roſati, Diatrium ſantal. & conſervas roſarum, violarum, borag. beton. &c. tanquam inutilia. Item Julepos Byzantinos, de 2. & 5. radicibus, cum ſyrupis cichorii, ſimplici, & compoſito.

Quotidiana cenſetur orta à pituita. Hæc multorum judicio non datur, & quæ quotidiè venit, eam cenſent eſſe vel duplicem tertianam, vel triplicem quartanam. Id quod facilè crediderim, cùm eæ, quæ tales cenſentur, dictarum tertianarum& quartanarum ideam planè repræſentent. Sed demus tales eſſe, cura eſt per phlegmagoga, per phlebotomiam, & per humectantia, & refrigerantia. Inter phlegmagoga, vomitoria proponunt. Præcipua phlegmagoga ſunt, Agaricus, Turbith, Mechoacan. Trochiſc. Alhandal. Diaphœnicum; Diacarthamum, &c.

Tertianam intermittentem, eandem habere materiam cum tertiana continua, fatentur omnes. Intermittens alternis diebus ſuos repetit paroxyſmos, quos rigor maximè excipit. Sedem non in venis majoribus, ſicuti continua, habet, ſed in præcordiis, ut inquit Fernelius, circa ventriculum, diaphragma, jecoris cavum, lienem, &c.

Cura dictæ febris, à tertiana notha, de qua ſuprà, non eſt diverſa; item, ut tertiana continua, diminutionem materiæ bilioſæ requirit, ita præſens tertiana intermittens. Sunt qui dubitent, an die acceſſionis miſſio ſanguinis, aut purgatio inſtitui poſſit? Omnium conſenſus eſt, die laboris neque purgationem, neque phlebotomiam præſcribere. Et cùm eaſdem indicationes habeat cum aliis febribus, materiâ bilioſâ expurgatâ, ſanguinem detrahunt ad refrigerandum ſanguinem, humectantia pariter & refrigerantia porrigunt. Et quia in primis viis, & meſaraicis dicunt materiam peccantem ſtabulari; ideò nonnulli optimum putant, à vomitoriis curam incipere, quanquam in Italia hoc minimè admittant, neque in majori parte Galliarum. Hac de re à lenientibus curam auſpicantur, quibus primæ viæ à ſordibus repurgantur. Qui vomitoria uſurpant, his potiſſimùm utuntur, quæ paſſim in aliorum libris reperiuntur, de quibus alibi. Lenientia ſuprà narravimus, ubi de tertiana, continua, & notha. Primis viis repurgatis, ſanguinem detrahunt, ad 6. 9. aut 12. uncias. Perpauci, imò nulli à phlebotomia abſtinent; nec viderentur eſſe Medici, nî ſanguinem funderent. Detracto ſanguine, Julepos, Syrupos, & Apozemata humectantia, & refrigerantia porrigunt.

Tempus detrahendi ſanguinem, multi cenſent opportunum eſſe, poſt tertium paroxyſmum; alii ante, prima regione tamen priùs purgatâ. Die potiſſimùm quietis, ad quantitatem quatuor, quinque, aut ſex unciarum. Quo peracto, humectantes, & refrigerantes ſyrupos, julepos, & ſimiles porrigunt, ut ſuprà diximus, quas formulas pariter in cura tertianæ continuæ deduximus.

Victus rationem in his tertianis, tam continuis, quàm intermittentibus, eandem eſſe obſervamus, humectantem enim & refrigerantem ſemper præſcribunt. Circa ciborum conditionem tantùm variant pro regionum varietate. Antiqui verò alio, & ſatis diverſo ab eo, quo nunc, utebantur regimine, ut videre eſt apud Hyppocratem, & Galenum.

Antiqui febricitantibus præſcribebant Hydromel, Oxymel, ptiſanam, & cremorem ptiſanæ. Hodiè non ſic, at loco ſupradictorum, juſcula, emulſiones, hordeata, panatam, & ſimilia præſcribunt. Juſcula carnis Vitulinæ, vel pulli; vel ipſa ſolitaria, vel alterata cum Cichoraceis, Endivia, Lactuca, Acetoſa, Borag. &c. In multis locis ova ſorbilia, vel cum juſculis ſoluta porrigunt; in nonnullis locis ab ovis, tamquam à calidis, & contrariis obſtinent. In quibuſdam locis lacte amygdalarum cum ſaccharo paſſim utuntur; hîc ab ejuſmodi lacte omnino abſtinent: & pro ipſo uſurpant lac, ſeu emulſionem ſeminum melonum. In potu aquam hordeaceam, & aquam coctam, cum Vino Ceraſorum, aut Granatorum uſurpant. In Gallia, aquâ, in qua incoxerint hordeum, cum prunis ſiccis, & liquiritia, utuntur frequenter. Sunt qui acido citri condito cum aqua cocta, ſunt qui ſyrupo de ſucco limonum; ſunt qui ſyrup. acetoſo ſimpl. utantur: quot capita, tot ſententiæ! Tempus cibandi debet eſſe, longè ab acceſſionibus, & tantùm ante acceſſionem, quantum ſufficere videtur ad concoctionem, & diſtributionem cibi; aut expectanda eſt acceſſionis declinatio, ne protrahatur acceſſio. Habenda tamen eſt ratio virium. Conſuetudo ægri, regionis conditio, & tempeſtatis qualitas ſummoperè conſideranda veniunt. Sed hæc breviter dicta ſint pro cura Tertianæ febris: nunc de Quartana febre.

Quartana febris, omnium contumaciſſima, Medicorum curam omnino ſpernit, & reverà Medicorum opprobrium eſt. Hæc non ut cæteræ febres ſponte evaneſcit: vel enim artem requirit, vel longiſſimum tempus. At quæ ars cum invitis Medicis ad præſtitutum finem properare vult? Non ſat eſt Melancholicum humorem purgare, ipſumque ad nauſeam præparare: jugulares potiùs ægrum purgando, quàm ut tantillum febrem imminueres. Deobſtruentia, attenuantia, incidentia, & detergentia porrigant, quantum velint; humectent pariter, & refrigerent, quantum poſſunt, nihil planè efficient.

Diverbium Gallicum hîc maximè locum habet:

En la fievre, & en la goute,
Le Medecin ne voit goute.

Nos hîc, quam communiter uſurpent curam, afferamus.

Principio emollienti Clyſtere alvum ſubducunt. Sequenti die potionem leviter purgantem exhibent, in hanc formam:

℞. Fol. Sennæ Orientalis, ℥. iij. Aniſi, ʒ. j. Bulliant in ſ. q. aquæ communis: In colatura diſſolve Diacathol. ℥. ß. Syrup. roſ. ſol. ℥. ij. Miſce, fiat potus. Vel

℞. Mannæ Calabr. Syrup. roſ. ſol. vel de Polypod. an. ℥. ij. cum decoct. cord. q. ſ. fiat potus. Tertiâ die venam in brachiis ſecant, & ſanguinem ad v. vj. aut x. uncias fundunt. Baſilicam, vel medianam ſeligunt, & in brachio ſiniſtro. Detracto ſanguine veniunt ad Julepos, ſyrupos, & Apozemata attenuantia, incîdentia, & detergentia. Præparantibus, concoquentibus exhibitis; purgationem reiterant: & quidam ſanguinem è ſalvatella, ſeu vena minimo digito proxima in ſiniſtro brachio, detrahunt; alii è venis ſedalibus, quas hæmorrhoides appellant. Medicamentum iſtud purgans fit ex iiſdem ſupradictis, addito Elect. de Citro, ſyrupis de Fumaria, de Polypodio, &c. Et cùm nulli ex his cedit remediis, Oxymel longum ad tempus præſcribunt. Juſcula item alterata cum rad. aperientibus, foliis Cichorii, Capill. Ven. Meliſſæ, Pimpinell. Abſinthii, Chamædryos, Chamæpithyos, Centaurii min. &c. Ex quibus Apozemata etiam, & Oxymelita præparant. Sunt qui ad vomitoria veniunt, & duo potiſſimùm exhibere ſolent, Aſarum, & Antimonium. De Aſaro, ʒ. j. ad ℈. iv. in pulverem, cum juſculo carnis, vel cum vino. De Antimonio, ad ℥. iij. iv. aut v. pariter cum juſculo carnis, vel cum vino. Multa brevitatis causâ mitto, quæ appropriata appellant, eo quòd traditæ experientiæ non reſpondeant. Topica etiam prætereo, etſi veſicatoria quibuſdam aliquando profuerint, ut cortex medianæ flammulæ, radix ranunculi, & ſimilia, quæ carpo admota ſæpè ſanant, veſiculis eo in loco excitatis.

De diæta pauca ſunt dicenda: vitandi ſunt cibi mali ſucci, craſſi, viſcidi, crudi, & omnes difficilis digeſtionis. Potus ſit vinum album, tenue, maturum, non auſterum, &c.

De compoſitis, implicitiſque febribus varii variè diſceptant: Nos, qui brevitati ſtudemus, & hoc in loco nudi tranſcriptores ſumus, recentiorum placita recenſebimus. Pro compoſitis implicitiſque febribus, febres intelligimus, quæ ſimul combinatæ, diverſos producunt paroxyſmos, & uno, atque altero die varia producunt ſymptomata, modò cum rigore, modò cum horrore. Sed de his diſputat Fernelius, poſt eum omnes moderni: utinam de earum cura ita disertè ſcripſiſſent!

CAPUT XXIV.

De ſemitertiana.

Nulla eſt febris, quæ magis Medicorum mentes ſuſpenſas teneat: Ea nunc tertianæ formam in principio ſervat: modò tanquam continua incipit, & in Semitertianam deſinit: vel primis diebus fit talis, & in hac formâ perſeverat. Hæmitritæus dicitur, ſeſquitertiana, & horrida febris. De ejus mixtione cum quotidiana, inter recentiores lege Spigelium in *peculiari libro de ſemitertiana*, item Sennertum. Sed maluiſſem ab his ejus curam intelligere, quàm tot verba inaniter jactata. Etenim quicquid de bilis cum pituitâ mixtione dicunt, meræ ſunt opiniones, ſublevandis ægris planè inutiles. Ecquid fingis tibi mille miſcendi modos? quid inde? Phlegmagoga cholagogis miſce, quantum voles, quibus melanagoga ad libitum addas, nihil efficis, caput Æthiopis lavas: non modò levamen nullum afferunt ægris, ſed afflictionem afflicto adjicis. Nolo in re tam clara quempiam monere, ſaltem hoc in loco vellem Medicos humaniter ſe gerere erga infirmos, & eos blandè, ac fideliter curare, & ſævitiem, quâ plerique ex his utuntur, deponere. Novi quoſdam, qui non ſolâ phlebotomiâ, & purgatione contenti, carnificinam potiùs in dictos ægros exercent, quàm Medicinam. A cucurbitulis incipiunt, ſanguiſugas ano apponi curant, naribus aliquando, veſicatoriis ex Cantharidibus ſtudioſè utuntur, & ut plurimùm in fine, quando conclamata eſt ſalus. Verùm, quod pejus eſt, nonnullis morientibus, vidi candens ferrum ſuturæ coronali, & nuchæ apponi, & hos carnifices pro magnis Medicis haberi. Aliquando interrogabam ſenem Medicum, cur ſimiles cruces in uſum advocaret, cùm optimè ſciret, conſimilia tormenta plus damni, quàm utilitatis afferre? Reſponſum tulit, id verò ſe non ignorare, ſed ad hoc adſtrictum teneri propter conſuetudinem, & ut officioſus appareret coram cunctis, maximè amicis, & parentibus. Sed ad nos. Dicimus ergo curam ejuſcemodi febrium à ſuprà allatis non eſſe diverſam, & quod dictum fuit de ſimplici quartanâ, item de duplici, & triplici quartanâ, item & de tertiana duplici, dictum eſto.

CAPUT XXV.

De febris Hecticæ curatione.

Hecticæ febris eſſentia, ſi veraciter nobis eſſet tradita, ejus curatio omnium eſſet facillima, maximè ubi Medicinæ dogmata veritati eſſent conſona. Etenim ſi ejuſcemodi febris ſit ſimpliciter intemperies calida & ſicca, ut omnis febris, & ſolo ſubjecto, cui inhæret, differat: cur non frigidis & humidis, ipſi contrariis, adhibitis, non evaneſcit? Frigida incuſantur, ſi nimia, quia verentur, ne debilem calorem extinguant. Humectantia non ſufficiunt, quia non ſolùm humectare oportet, ſed & refrigerare neceſſe eſt. At ad quid ejuſmodi raratiocinium? Practicantium infelices eventus rei veritatem ſatis probant. Verùm ne ab inſtituto diſcedere videar; communem methodum demus. Itaque ad ejus curationem aggrediendam, tradunt ejus tempora eſſe conſideranda. Ejuſmodi tempora per tres gradus ſupputantur. In primo, eam eſſe cognitu difficilem, & curatu facilem, quod nos ipſis gratis concedimus; in ſecundo, curabilem; in tertio, omninò incurabilem. Medicamenta ad eam curandam duplicia ſunt: vel enim intrinſecùs, vel extrinſecùs adhibentur. Intrinſeca in primo gradu ſunt, quæ ſimpliciter humectantia & refrigerantia appellantur: uti Violæ, Borrago, Bugloſſum, Nymphea, Roſæ, Endivia,

Endivia, Lactuca, Cichorium, ſem. 4. frigid. maj. ſem. Papav. amygd. &c. His præmittere ſolent blandas purgationes, cum Caſſia, Manna, ſyrup. viol. ſyrup. roſ. & ſimilibus. Item ante dictum medicamentum Clyſter emolliens injicitur. Formulæ erunt:

℞. Fol. Malvæ, Viol. Borag. Lactucæ, an. m. j. ſem. 4. frig. maj. an. p. j. coquantur in ſ. q. aq. communis: In colaturæ ℔. j. diſſolve lohoch de Caſſia, ℥. j. mellis violati. ol. Nympheæ, an. ℥. iij. Miſce, fiat Clyſter primâ die injiciendus. Secundâ die porrigunt.

℞. Pulpæ Caſſiæ recenter extractæ, ℥. j. Vel

℞. Syrup. viol. ſyrup. roſ. ſol. an. ℥. ij. diſſolve cum ℥. iij. decoct. flor. & fruct. cordial. Vel

℞. Mannæ Calabr. ℥. ij. diſſolve cum juſculo carnis.

Purgato corpore præbent Julepos refrigerantes ex ſupra dictis rebus. Nonnulli adeò ſitiunt ſanguinem humanum, ut nullo pacto ſanguinis miſſionem prætermittere poſſint: ideò poſtridie phlebotomiam inſtituunt; reliquis diebus ſupradictos Julepos, & Juſcula. Nonnulli ex his, ut oculatiores appareant, neſcio, quas obſtructiones ſomniant, quarum causâ galli, & pipionum juſcula, quæ appellant brodia, præſcribunt. Mitto emulſiones melonum, amygdalarum cum Saccharo, & aqua roſarum. Item hordeaceum ſuccum cum ſaccharo coctum. Item, morſulos, rotulos, conſervas, electuaria, & condîta, quibus unuſquiſque ad libitum uti poterit. Extrinſeca erunt Balnea, fotus, unctiones & embrocationes. Balnea in aqua dulci, in lacte, decoctis herbarum refrigerantium. Fotus item fiant ex dictis herbis, & naturalibus partibus adhibeantur. Unctiones fiant ex oleo amygdal. dulc. butyro recenti, oleo roſato, &c. Embrochæ pariter parentur ex dictis rebus. Lac Aſininum, Caprinum, & muliebre medium tenent inter medicamentum, & alimentum.

Ad Hecticam, quæ fit ex Phthiſi, recurrendum ad ea, quæ dicuntur de phthoë, ſeu ulcere pulmonum. Hæcque in ſpecie, de communi methodo medendi febribus, afferre placuit.

CAPUT XXVI.

De methodo curandi febres per victûs rationem.

Victus ratio, tam in acutis, quàm in chronicis febribus, omninò conſideranda eſt; nam vix ſine illâ quiſquam rectè ſanari poteſt. Eſt verò victus ratio, commoda rerum non naturalium adminiſtratio, ad febres ſanandum. Res verò non naturales ſunt, aër, cibus, potus, ſomnus, vigilia, motus, quies, animi pathemata, inanitio, & repletio. Et quia in his, & in medicaminibus adminiſtrandis ſæpè mutationes fiunt, de illis primò dicendum. Etenim ex Hippocrate *lib.* 3. *Aph.* 1. αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων, μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, *mutationes temporum potiſſimùm morbos pariunt*, præcipuè autem maximè, *& in temporibus magnæ mutationes caloris & frigoris.* Et *Aph.* 51. *lib.* 2. *Plurimùm, & repentè vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel quovis alio modo corpus movere, periculoſum, quoniam omne nimium naturæ inimicum eſt.* Mutatio verò fit, ut ait Gal. *comm. de humoribus*, in 4. rebus, utpote in admotis, in eductis, in his quæ fiunt, & extrinſecùs incidunt. Quæ admoventur, ſunt potus, cibi, medicamenta, quæ vorantur; itemque aër, quem reſpiratione ducimus. Ea quæ fiunt, ſunt frictiones, deambulationes, & omnes motus. Quæ extrinſecùs accidunt, ſunt balnea, unctiones, & alia remedia extrinſeca.

In aëre conſiderantur ſubſtantia, qualitas & conſiſtentia. Tota aëris adminiſtratio in febribus, ut reliquarum rerum non naturalium, hac communi regulâ indicationum nititur, Contrariorum contraria ſunt remedia. Quare in febribus aër eligendus eſt frigidus, & humidus; qui ſi talis à natura non extiterit, arte eſt præparandus, utpote Aquâ, roſis, floribus, herbis frigidis, & aliis ſimilibus.

Somnus ſemper humectat, & auget intus calorem inſitum; refrigerat, extinguendo calorem febrilem. At Galenus *comm. in Aphor.* 67. *lib.* 4. ſcribit in febribus ſemper nocere ſomnum, niſi ratione concoctionis plus afferat utilitatis, quàm damni, quod ex motu ad interiora proficiſcitur, ut febricitans debilis, cui dati ſunt cibi, dormire debet. Vigiliæ ſiccant, humorem diſſipando, & ſpiritus. Vigiliæ, & ſomnus, utraque ſi modum exceſſerint, malum. *Aph.* 3. *lib.* 2.

Otium, & quies refrigerant, & humectant: contrà motus calefacit, & exſiccat. Hinc facilè videre eſt, quid fugiendum, & quid amplectendum.

Quod ad victum attinet, is quo hodie utimur, longe eſt diverſus ab eo, quem antiqui uſurpabant. Illi enim præſcribebant Hydromel, Oxymel, Ptiſanam, cremorem ptiſanæ, &c. Nos juſcula carnis, hordeata, lac ſeminum melonum, panatam, &c. multis in locis ova ſorbilia. Quod ad quantitatem, Gal. multa dicit in *Aphor.* 4. *lib.* 1. ubi tenuem, plenum, & tenuiſſimum victum introducit. Sed cùm noſtrâ ætate nullibi hæc victus ratio ſervetur, de eâ fruſtra diſſeri exiſtimo. In Gallia, Italia, & Germania Medici victus rationem variant: Imò in Italia ſingula quæque regio peculiarem victum ſervat. Hîc lac melonum, panata, cum juſculo carnis, & ova ſorbilia, cibi ſunt, quibus utuntur. Potus eſt Aqua cocta, Vinum granatorum, ceraſorum; vel Aqua cum conſervâ acidi citri, ſucco limonum, & ſaccharo. Pomum, & pyrum coctum non rarò concedunt. Regionis tandem habenda eſt ratio. Item, ægrotantium conſuetudo non eſt negligenda. De quantitate cibi non eſt minor perplexitas, maximè ex Hipp. *lib.* 1. *Aphor.* 19. deſumpta.

Impura corpora, quantò magis nutries, tantò magis lædes. Contentiones, & rixas hoc in loco concitatas brevitatis causâ omitto. Hoc tantùm te monere volo, ut loci conſuetudinem ſerves. Sunt nonnulli Medicaſtri ità moroſi, ut nullo pacto ova ſorbilia ſuis ægris concedere velint; dicentes ova eſſe nimis calida, & bilem producere, & eſſe concoctu difficilia. Eâdem ratione juſcula carnium vituperant. De vino non eſt, ut dicam: nam miſelli ad paucas qualitates reſpiciunt, corticem quærunt & nucleum amittunt. Sunt reverà febres, in quibus vinum non eſt dandum; ſunt nonnullæ, in

in quibus non modò eſt utile, ſed valdè neceſſarium.

In acutis febribus, in cauſonide, in tertiana continua, & in hemitritæo à vino penitus abſtinemus, niſi ſit vomitus, ſumma virium dejectio, item & ſyncope. Hippocrates tamen in omni febre vinum porrigit. Flatus, nonnunquam febrium cauſæ, vinum pariter admittunt. Quo in loco animadvertere licet, vina eſſe multiplicia: generoſa hîc nullum habent uſum; alba, debilia, & aquoſa probamus. De ptiſana, aqua coƈta, hydromelite, aqua mulſa, &c. non ſum quicquam dicturus, cùm ipſa hodie non ſint in uſu. Sola ptiſana nominatur, & quâ nunc utimur, aqua, aut decoctum hordei potiùs nuncupandum, quàm ptiſana. In Galliæ nonnullis locis coquunt cum hordeo pruna Damaſcena ſicca: Aniſum, & coriandrum, cum liquiritia, coquunt in dicto decocto hordei. Ptiſanam ſuam parabant antiqui cum hordeo decorticato, coquentes, donec in formam cujuſdam chyli transfmutaretur, cui parum aceti addebant, ut gratior redderetur guſtui, & ſub tempus eam vorandi, ſalis tantillum.

CAPUT XXVII.

De Aquæ Potu.

Summa aquæ neceſſitas in victus regimine inſtituendo, peculiarem requirit comtemplationem: ut ejus uſus non tam mortalibus, quàm cunctis animantium generibus aptus, nobis innoteſcat. Potior pars ejus ſalſa eſt, & meritò, ut tot piſces in ea viverent, & ab ea ſervarentur. Dulcis, ſeu inſipida nobis familiaris, vel à fontibus, & puteis, vel è fluviis, vel ex imbribus: mitto ſtagnantes, & è torrentibus promanantes. Probatur ea, quæ omnium leviſſima facillimè incaleſcit, ac demum quæ ſimul inſipida, nulliuſque ſaporis, & cenſetur frigida, & humida: etſi vix talis reperiatur; nam ubivis locorum varias è terris mixtiones admittit. Hîc Bononiæ, ubi degimus, plurima pars aquarum aliquid ſalis ammoniaci continet. Quæ è propinquis montibus in Civitatem per artificales ductus corrivantur, tartaro marmoreo & gypſeo abundant. Duobus milliaribus à Civitate, in loco Sancti Raphaëlis dicto, ſunt aquæ amaræ, & gypſeæ; ibi rara eſt aqua pura, & ſimplex. In noſtro prædio, ad ripam fluvii Sapinæ, in medio montium gypſeorum, mirabile eſt, quomodo tres ſcaturigines optimæ aquæ reperiantur, & in toto illius ambitu damnatæ, ſicut crudæ, & graves. Hinc videre eſt, quæ ſit habenda conſideratio in ſeligenda aqua, in puriſſimis locorum intervallis. Hipp. lib. de vict. rat. in acut. ſect. 3. text. 40. de aqua ſcribens, inquit, ipſi *nullum aliud officium tribuere ſe, præterquam quòd in acutis bibatur morbis: non enim peripneumonicis tuſſim ſedat, neque ſputum educit; imò cæteris, ſi quis aquæ potione prorſus utatur, magis obeſt. In naturis bilioſis, eſt bilioſa, hypochondrio mala, atque etiam peſſima, bilioſiſſimaque & vires maximè labefactat, ubi in vacuitatem venerit. Adde quòd lienem auget, & jecur, ubi inflammatum eſt fluctuatque & innatat; tardè ſiquidem meat, quod frigida ſit, & incoctilis, nec alvum commovet, nec urinas provocat. Atque ex eo quoque noxia eſt, quòd ſtercoris ſuapte natura expers ſit*; alvum namque non ſubducit: *eam verò, ſi pedibus frigentibus aliquis biberit*, id eſt, incipiente febre, *multò magis nocebit*. Quod ad nos, aquæ potum maximè probamus in febribus tartareis, & in his quæ à noſtra intemperantia veniunt. In his quæ cælitùs in nos demittuntur, uti in malignis, & peſtilentibus, vinum magis probamus. Aqua pura ſit, & ſimplex, ſine ſapore, & odore, levis, & minimè craſſa. Coctam probat Gal. in *comment. de rat. vict. in acut.* Deſtillatam inprobamus, quia ipſa citò putreſcit, poſtea Balſamicâ parte illâ, quam à terra, aut aëre ducit, orbatur. Aqua tandem aliis viis probatur, propter tartarorum, & ſalium diverſitatem; nulla enim eſt aqua, quæ peculiari tartaro, & ſale non ſit dotata. At hæc hujus non ſunt loci.

CAPUT XXVIII.

De vino.

Vinum, ut inquit Plinius, ſanguis terræ, ſolis hominibus ad uſum comparatum, in epulis præcipuum ſolatium. Qui ejus dotes meditari avet, Plinium adeat, apud quem ejus peculiares facultates & vires habebit. A noſtris in febribus maximè damnatur, idque quoniam calidum, & ſiccum, & febris pariter calida, & ſicca: at juxta communem regulam Contraria contrariorum ſunt medicamenta. Ratio clarè patet. Suprà ſatis contrariorum leges deduximus, febrium etiam ortum, & eſſentiam abundè aperuimus. Si nobis liceat per Hippocratis authoritatem, rei difficultatem aperire, victoria ſtatim in vini favorem erit. Verùm pluris ſemper feci experientiam cum ratione factam, quàm ullius cujuſvis authoritatem in medium productam; & cùm febris, quantumvis leniſſima pendet à Tartaro vegetabilium, vini uſum minimè admittit; cùm à Tartaro animali, vinum maximè requirit: ſi à Tartaro minerali, vinum ſummoperè neceſſarium erit. Sunt præterea quædam ſymptomata, quæ vini uſum vel admittunt, vel rejiciunt. Cardialgia, nauſea, &c. vinum admittunt. Capitis dolor, delirium, & omnis inflammatio idipſum reſpuunt. In malignis febribus, atque in ipſo contagio, vinum eſſe tutum agnoſcimus. At quia infinita propè ſunt vinorum genera, de quibus Galenum, Plinium, &c. conſule: minùs generoſum ſeligendum venit, & ex hoc cenſu, quæ minus tartaro abundant, & quæ aquoſa dicuntur, natura tamen, & minimè auſtera. In regionibus verò, in quibus generoſa nimis generantur aqua communi diluantur ad libitum. Ubi anceps eſt Medicus de ipſius vini uſu, ſatius duco ut aqua utatur; puto enim aquam minùs nos lædere poſſe. Quod ad vina Granatorum, & Ceraſorum, quibus hîc utuntur Medici, quia ipſa palato grata ſunt, & ſpiritus noſtros tantiſper recreant, laudare ſatis non poſſum.

CAPUT

CAPUT XXIX.

De Hydromelite, Oxymelite, &c.

POtus cum melle & aqua cocta, melicratum appellabatur, & apud antiquos maximo erat in uſu. Hodie factum eſt celebre Hydromel Vinoſum. Id quod erat in uſu apud majores noſtros, parabatur cum melle; & aqua copioſa, tantiſper his ipſis ſimul bullientibus, quoad ſpumam emitterent: deſpumatum ſervabatur ad uſum. Vinoſum fit cum certa quantitate mellis, utpote lib. 1. pro ſingulis aquæ libris: excoquitur, & expumatur ad certam aquæ conſumptionem. Id in dolio aſſervatur, & detinetur in loco tepido, in quo fermentationem recipit, & acquirit ſaporem vini. De hoc lege Quercetanum, Penotum, &c.

Oxymel conſtat melle, aquâ, & aceto. Dicitur ſimplex, & compoſitum. Illud ex tribus tantùm perficitur: Compoſitum ex pluribus, ut Scilliticum, Helleboratum, &c. Gal. in *commi de morbis acutis*; præfert Oxymel coctum crudo; nam acetis vis cocturâ imminuitur. Loquitur ibi Hippoc. de ſimplici, hoc modo: *Oxymel ſputum educit, & facilem reddit reſpirationem.* Quod ad Hydromel, Hippoc. *loco citato*, ſic ſcribit: *Melicratum, epotum per totum morbum in acutis morbis, omnino quidem bilioſis, & magna viſcera habentibus, minus utile eſſe, quàm aliis qui hujuſmodi non ſunt. Siticuloſum minùs eſt, quàm vinum dulce: mollit enim pulmonem, ſputum educit mediocriter attenuando, tuſſim lenit, &* (ut Gal. ſcribit) *provocat urinas abundè, & provocat bilioſa excrementa.* Hæc pauca ex Hippoc. & Galeno ſufficiant.

Nos loco mellis, ſaccharo utimur, & ex eo varias potiones paramus, modò cum ſimplici aqua, modo cum aquis ſtillatitiis, modò cum ſucco Limonum, ſucco Citrii, vino Granatorum; Ceraſorum, & aliquando cum aceto. Sed hæc ipſis mulierculis nota ſunt: ideò manus à tabula.

CAPUT XXX.

De Ptiſana, & Aqua Hordei.

QUia Hippocrates *lib. de Victus ratione in morbis acutis*, magni facit ptiſanam his verbis: *Ptiſana (inquit) omnibus condimentis frumentaceis rectè præfertur in morbis acutis. Nam lentor ejus eſt lævis, continuus, & jucundus, lubricus, & mediocriter humidus, & ſitim extinguens, & ſi quid elui oporteat, facilè abluit: neque adſtrictionem habens, neque turbationem malam, neque intumeſcit in alvo; intumuit enim in coctione, quantum intumeſcere potuit.* Verumenim verò quæ ſit antiquorum ptiſana, vix ſcire poſſumus: major pars recentiorum vult ptiſanam eſſe decoctum hordei decorticati, quouſque in formam chyli tranſmutetur. Sed hic potus eſſet ingratus, ideò à nemine in uſum vocatur, minùs ejus cremore noſtiâtes utuntur. In Gallia coquunt hordeum, & integrum, & excorticatum in ſ. q. aquæ communis: Nonnulli addunt pruna Damaſcena, & ſub fine nonnihil liquiritiæ raſæ, & parum contuſæ; alii ſem. aniſi, & coriandri addunt, & hoc decoctum appellant ptiſanam. Hîc, ubi degimus, decoctum hordei ſimplex uſurpamus; & ipſum refrigeratum ægris concedimus, & hujuſmodi decoctum ſimplex, Aquam hordei appellant. Hordeaceum quod eſt decorticatum excoctum in juſculo carnis, & ſaccharo conditum, quoquo pacto reſpondet ptiſanæ; etſi ſaccharum illis temporibus inviſum. In omni febre tandem veterum opinionem ſequor, qui conſuetudinis poteſtatem agnoſcentes, nihil temerè immutare volebant, & reverà (ut aiunt) conſuetudo eſt altera natura; & planè ea eſt ſervanda; etſi vitioſa.

CAPUT XXXI.

De vino Granatorum, ſeu ſucco mali punici.

MAli punici ſuccus, hîc Bononiæ, ubi nunc degimus, in omnibus febribus maximè uſurpatur, ex eò fortè, quia, ut omnia acida, refrigerat. Sunt verò ex his, non ſolùm acida, ſed & dulcia, & vinoſa, de quibus copioſè ſcripſerunt Dioſcorides, & Plinius. Dioſc. *lib.* 1. *cap.* 129. inquit, *malum punicum omne eſſe boni ſucci, ſtomacho utile, perexiguum præbens alimentum. Dulcia ſtomacho utiliora habentur, ſed aliquantulum in eo calorem gignunt, & inflationes pariunt; unde in febrê abdicantur. Acida adſtringunt, æſtuanti ſtomachô auxiliantur, & multò magis contrahunt, ac urinam cient. Vinoſa verò mediam ſortiuntur naturam. Nuclei acinorum acidi punici in ſole ſiccati, & obſoniis inſperſi, concoctivè fluentem alvum, ſtomachumque ſiſtunt*, &c. Plinius *lib.* 23. *cap.* 6. *Punica* (inquit) *dulcia quæ Apyrena aliò nomine appellavimus, ſtomacho inutilia habentur, inflationes pariunt, dentes gingivaſque lædunt. Quæ vero ab his ſapore proxima, vinoſa diximus, parvum nucleum habentia, utiliora paulò intelliguntur. Alvum ſiſtunt, & ſtomacho proſunt duntaxat pauca, citraque ſatietatem. Sed dulcia alimenti minimum dant, atque omnino nullâ in febri, nec carne acinorum utilia, nec ſucco: Medentur aquè vomitionibus, ac bilem rejicientibus*; &c. Ex his conjicere licet, quiſnam poſſit eſſe eorum uſus in febribus. Quòd ſi vi pollent adſtringente, meritò in febribus damnantur; quia in febribus laxare, non adſtringere oportet: materia enim peccans per propria emunctoria extruditur foràs. Quòd refrigerent, & putredinem cohibeant, nulla eſt certitudo, nam eorum ſuccus, ſive vinum, propriis non caret impuritatibus, unde citiſſimè aceſcit & acorem contrahit.

CAPUT XXXII.

De Succo Ceraſorum.

NOnnulli Ceraſorum ſucco utuntur, loco vini granatorum, & fortè majori cum utilitate. Ceraſa enim ſtomacho æſtuanti conducunt, & ſuccum corpori laudabilem ſuppeditant; refrigerant

frigerant pariter & adſtringunt , ſed non eâdem adſtrictione , quâ Punica. Ceraſa ſunt multiplicia : dulcia hîc non intelligimus , de Acidulis tantùm , quæ ſola febribus utilia ſunt ſuccum uſurpamus. Acidula quoque ſunt multiplicia , & inter præſtantiora , ea quæ valdè rubra ſunt , acidula , & uſui oppidò grata. Eorum ſuccus facilè exprimitur , in Phialis vitreis aſſervatur , Soli per aliquot dies exponitur , ibi defæcatur , & oleo ſuperfuſo in loco apto reponitur. Idem ſuccus in formam extracti reducitur : ipſum Soli expones , donec craſſeſcat. De eo exigua quantitas ſolvitur in aqua communi , & fit potus palato gratiſſimus.

CAPUT XXXIII.

De Mineralium Acidis.

EX Sale communi , Vitriolo , & ſulphure liquores acidos extrahimus , id quod multi tradiderunt , & nos *in noſtra Pharmacopœa Spagyricâ.* Ejuſmodi acida vegetabilium ſuccis acidulis longè ſunt præſtantiora , ſi ritè uſurpantur ; etenim à corruptione humores vindicant , longè valentiùs incidunt , & attenuant , valentiore vi pollent refrigeratoria ; iratorum ſpirituum ferociam retundunt , illiſque pacem conciliant : quin crudos humores fermentant , eoſque ad expulſionem præparant.

CAPUT XXXIV.

De diverſis aquis pro potu in febribus.

NOn ubique & omni tempore vina granatorum , ceraſorum , & ſimilium reperiuntur : Quocirca eorum loco accipimus Tincturam roſarum cum aqua communi , putà unciam unam tincturæ pro qualibet lib. aquæ. Gratior erit palato , ſi duas , vel tres uncias dictæ tincturæ indideris. Tincturæ roſarum præparatio habetur in *noſtra Pharmacopœa Spagyrica.*

Maxima etiam cum utilitate uſurpamus Aquam, in qua bullierint radices acetoſæ ſativæ , cui ſaporis gratiâ additur ſaccharum ad unciam unam , vel duas pro qualibet libra. Ex aliis rebus variæ poſſunt parari decoctiones : ut ex ſantalis , violis , floribus , & foliis boraginis , acetoſæ , & ſcorzoneræ , &c. Aquæ ſtillatitiæ parari poſſunt in Balneo Mariæ. Item juſcula carnium cum acetoſa , boragine , cichorio pimpinella , &c. quibus omnibus miſcere poſſumus eſſentiam , ſeu ſpiritum vitrioli ; habet enim ſummam vim refrigerandi , & reſiſtendi putredini , & quod majus eſt , iratos ſpiritus coërcendi.

FINIS.

PETRI

PETRI GUISSONII
DOCT. MED.
EPISTOLICA DISSERTATIO
DE
Anonymo Libello (Circa Abbreviatum Veræ Medicinæ Genus) ubi potiſſimum eventilatur Principiorum Chymicorum Hypotheſis.

AD CLARISS. ET ELEGANT. VIRUM

D. MIGNARDUM, Doctorem Medic. & in Aquenſi Collegio Aggregatum.

ERubeſcerem; mi Mignarde; amicorum optime; ſi quem non ita pridem noviſti vel ſititorem novitatis inexplebilem; is ego tibi derepente videret tantò laſciviens otio, ut & Camœnas, & artem præter ſpem me neglexiſſe ſuſpicareris. Creſcit medius fidius cum annis juvenilibus amor ſapientiæ; & ſi faverent mihi Superi, frequenti ingenioſorum hominum colloquio; Doctorum librorum lectione, experimentorum felici occurſu; & libertate meditationis; utique audires aliquando Guiſonium tuum furente zelo ſibi non pepercìſſe in ſtudendo. Nec mireris amatò, acce-piſſe me nunc ibi nihil de hoc libellulo; quamvis ſedulo percunctantem, quem tamen Avenioni Typis mandatum primis tuis literis intellexi; quippe etiam noſtros apud Medicos & bibliopolas etiamnum de illo altum ſilentium: Sed è contra eſt, quod mirer, ubi illum Aquis-Sextiis ſuppeditaſti mihi legendum, Te & primas paginas & authoris nomen; ut mihi non innoteſcerent, abſtuliſſe. Quicquid ſit; ut geram tibi morem, qualemcunque veternum meum excutiam, ſumpto fritillo tentabo aleam; & roganti quid de illo cogitem; reſponſionibus meis currente calamo faciam ſatis.

Quadrifariam venit mihi conſiderandus hic libellus; primam partem deſignant principia, quibus univerſum mundi & humani corporis fabricam ſaperſtruit. Altera horum principiorum ſecretionem in animali, ſive coctiones perſequitur. Tertia aliquot morborum pathologiam attingit his fultam principiis; ſicut & quartana, quæ quorundam, ſi non voluerit omnium, eſt θεραπεία.

Licet autem hujuſmodi apum mella non placeant, abſit ut operâ datâ excitare velim aculeos; ſingulorum enim hominum mentes una caſſide velle concludere nihil ineptius: quæ dicam, non cum ſupercilio; & ut vellicem, dicam; ſed in amicitiæ teſſeram candidè tibi, cui Titan de meliori luto finxit præcordia.

Video in ipſo limine authorem hunc malleos inter & incudes non niſi ſpirantem ignes, & antiquitatis calculo comprobatam Elementorum quadrigam, fruſtra reclamante Peripatho ἀποδεικτως condemnantem: ſum aliunde quidem minimè neſcius; nec valde moror, in dies ad eclipſin declinare effata Ariſtotelica; & celebriora Europæ Athenæa tralatitiis veterum commentariis ſapere dedignata, pro ſummo controverſiarum judice Stagiritam amplius non venerari in foro Philoſophico; ſiquidem patet omnibus Veritas, nondum eſt occupata: multos priſcorum errores ſapientior proles tanquam ſpongia abſterſit, & propitia fortaſſe magis pallade (licet urente invidia) naturam coluit. Admittit hic tria illa hypoſtatica Chymiſtarum principia, Sal, Sulphur; Mercurium, illiſque inædificat ſuum illud abbreviatum veræ Medicinæ genus. Excutienda illa nobis ſunt, tanquam operis baſis; culpanda enim illa epoche; ubi præbetur aſſenſus; & non convincitur. Unde deperimus nos γεωμετρικωτάτην illam Philoſophiam; quæ ſpreta luxuriante novitate verborum, Mathematica Syntheſi vel analyſi non rerum corticem, ſed medullam perſpicuè demonſtrant.

PRIMA PARS.

QUinque potiſſimùm argumentis breviter evinco falſam illam fuſilis Philoſophiæ principiorum triadem. *Primò*, cum ea ſint omnium corporum principia, in quæ ſingula corpora reſolvuntur, (analyſis enim eſt genuinum heterogeneitatis criterion) multaque corpora ſint, ultro

tro fatentibus poſt infinita experimenta ipſius Chimicæ Antiſtitibus, Paracelſo, Helmontio, Quercetano, quæ catholica illa duo diſſolventia Ignis & Aqua, vel quicquid aliud notum, ad illa 3. principia reducere non poſſunt; adamantem intelligo, Talcum Venetum, Selenitidem Moſcoviticam, Vitrum, Aurum, ☾. Oſteocollam, arenam & alia ejuſmodi; conſequens igitur eſt in multiplicibus corporibus de ⊖, ☿, 🜍, non conſtare, neque proinde 3. illa rerum eſſe prima principia. *Secundò*, quàm bellè cultro Spagyrico varia genera corporum è qualibet familia in 5. partes heterogeneas partimur, & ſic augemus principiorum numerum in officina Vulcani. Sit adinſtar omnium facilis inventu Tartari vexamen chymicum, ſi enim pulveratum immittatur in retortam ad furnum reverberii, mox igne leviori ſtillabunt in aptatum excipulum inſipidæ, flexiles & congelationis participes particulæ, quas phlegma ſive aquam vocamus. Tùm adaucto igne ſubſequentur ſapidæ, volatiles & naturæ fermenteſcibilis partes, quas ex apice capitelli ſtriatim decidentes indigitamus ſpiritum. His proximè incumbunt acriori Vulcano unctuoſæ, inflammabiles, & jucundæ dulcedinis: quibus intelligimus oleum, ſulphur dixeris, ne arti fiat injuria in technicis nomenclaturis. Ultimò tandem patentibus undique regiſtris & furentibus flammis albeſcit coadunatum fixiori compage Tartari Colchotar; quod eductum è retorta, diſſolutum in aqua limpida & per chartam trajectum emporeticam, terram friabilem & acerbam relinquet filtri parietibus adhæreſcentem; & ſal ſive ſicca, rigida, ſapidave & coagulationis facilis ſubſtantia, factâ levi diſſolventis evaporatione ad arenam, immutata albeſcet.

Nec locus ingenio eſt, ſenſus de judice vincent.

Similia encheiremata ſuppeditabunt fuligo, Vitriolum, Nitrum, Sal marinus, Succinum, Buxus, Sanguis animalium, Urina, Cornu cervi, & alia non pauca è mineralibus, vegetantibus & animalibus, quæ quinque eſſe mixtionis principia, tria liquida, & duo ſicca vel capitoſioribus Hermeticis evincent. Horum autem naturam & indolem perſcrutari, ſuamque (ut hariolari, nec ſine fundamento poſſumus) cuilibet aſſignare figuram, hujus loci non eſt. *Tertiò*, ſcire momenti erit, an ignis ſit genuinum, adæquatum, & univerſale mixta corpora reſolvendi inſtrumentum & analyſta: Anathema artis eſſet qui de hoc vel leviter dubitaret, Chymici enim Sibyllæ folio verius id clamitant; ego autem, ni me meæ fallant conjecturæ, falſum reor & demonſtro. Conſtat ſuperius allato priori argumento, non pauca eſſe mixta, quibus diſſolvendis ignis impar eſt, purum enim aurum, & argentum trimeſtri ſpatio in vitraria fornace ad fluorem continuum conſervata, vix hoc duodecimam ſui ponderis partem amittit, illud verò planè nihil: tantùm abeſt, ut principiorum ſolvatur unio. Inſudavi ego aliàs pluribus ſeptimanis per ſublimationes volatiliſando talco Veneto, oleum tamen perdidi & operam, totque laboribus exantlatis, nimiam duntaxat in colore obſervare dâtum eſt mutationem. Vitrum ex ſola ſalis & terræ in plantæ exuſtæ cineribus reſtitantium fuſione confectum, cum poſitum ſit ipſo auro magis extra labefactionis aleam, nobis offert penſitanda duo; alterum, poſſe ignem bina corpora, uti ſunt Sal & Terra; ita arctè colligare, ut ex his fiat mixtum indiſſolubile; proindeque dare nobis ſuſpicandi anſam, plurima, ſi non omnia, quæ vi ignis in ſimplicia principia exiſtimantur diviſa, eſſe adhuc compoſita, ut fuliginem, quæ è ligno combuſto ſeparata, in quinque tamen partes heterogeneas per analyſin ſpagyricam rursùs diſpeſcitur: alterumque, non induſtriam minùs in compingendo eſſe naturam, quàm ignem, tamque ſtrictim unire poſſe heterogenea corpora, ut ſint ignis ſpiculis & piſtilis undecunque impervia. Patet & illi, qui vel primoribus labris chymiam delibarit, vulgare Sulphur in vaſis clauſis per ſublimationes ſenſim volatiliſatum, ſurſum totum efferri in formam ſiccorum & inſipidorum florum, qui tamen ſi inflammentur in paropſide ad apertum aërem, penetrantem emittent fumum, qui ſub campana vitrea detentus in acidum illum tandem concreſcet liquorem, oleum ſulphuris per campanam vulgò nuncupatum. Ex quo evidens eſt, igne poſſe eandem ipſiſſimam materiam ſortiri variorum indolem corporum, neque proinde illam dividere (adinſtar analyſtæ) in principia hypoſtatica, ſed in novas potiùs, ut de fuligine jamjam dictum eſt, digerere contexturas. Fuſa ſimul & mixta invicem puriora duo metalla facilè ſegregat nitri ſpiritus, quod vel aurifabros conſulenti reſpondebitur, ignis vi fieri nequaquam poſſe: Et ut ille nitri ſpiritus illibato auro diſſolvet argentum, quidni etiam partes aliquas non ſeparabit ignis è mixto, cæteris illibatis. Et herclè tantùm abeſt ignem eſſe univerſale diſſolvens, ut ex ipſis etiam in arte anteſignanis Medicomaſtix ille Helmontius poſt Paracelſum, (penes quos tamen ſit fides) liquorem habuiſſe ſe glorietur, quem barbaro nomine (ut illis ad fucum & admirationem excitandam ſolemne eſt) *alkaheſt* vocant, quo carbonem quernum in vitro hermeticè clauſo, ſpatio tridui totum reduxerit tepore balnei in geminos liquores, ablato menſtruo & ſitu & colore varios, quibus ſimul ad arenam deſtillatis, vitri fundus, ut ait, æquè purus apparuerit ac ſi recens è vitrario clibano fuiſſet allatus. Idem proclamat circa metalla, marcaſitas, vitrum, lapides, vegetantia, animalia, & qualiacunque mixta, quorum caput mortuum hoc agente reſolvitur in liquores: an, amabo, duo hæc liquida, erunt principia compoſiti, vel illa duo ſicca? patet equidem latius hoc diſſolvens quàm ignis. Imò ait idem Helmontius, (quod notatum velim) Saxum & Lapides omnes in merum ſalem, ſuo Saxo aut Lapidi æquiponderantem reducere ſe poſſe abſque omni prorſus ſulphure, aut mercurio. *Quartò*, nec immeritò quæri poteſt, an ea corpora ſive principia, quæ vi ignis à compoſito ſeparata ſunt, in illo præexſtiterint eo modo quo abinvicem diſcreta percipiuntur, & celebrem illam æmulentur Anaxagoræ homæomeriam. Ratio dubitandi eſt, quod in Philoſophia ſaniori, materia, quam Geometræ, qui nec fallere nec falli poſſunt, triplicis dimenſionis ſubſtantiam definiunt, pro ratione magnitudinis, figuræ, motus, quietis, ſituſque partium, variam ſortita naturam & indolem, in hac

hac univerſitate rerum exerceat hiſtrioniam, & omnigena corpora conſtituat: ejuſmodi etenim variis larvata texturis, diverſos (nec ibi diſcutiendum tam nobile Thema, ſed ſupponendum) in nervorum fibrillis polydædali corporis animalis excitat motus, ſenſationes & cogitationes circa objecta. Unde ſi compoſita corpora non niſi vario diſcrepent contextu, à magnitudine, figura, motu, quiete, & artificioſa particularum compage, emergente; rationi non erit abſonum, concipere unam ipſiſſimamque materiæ portionem variis alterationibus & texturis ita poſſe concinnari (gignendis autem illis qualitatibus, quibus Principia denominantur, ſufficit vel minima mutatio) ut illis ſenſationibus, quas excitat in animali, nomen olei, phlegmatis, ſpiritus, ſalis, & terræ interdum mereatur. Juvat ad majorem explicationem aliquot in hoc argumentum delibare experimenta, & inprimis illud Helmontii. Poſuerat, inquit, in vaſe terreo 200. ℔. terræ in clibano arefactæ, quam madefecit aqua pluvia, illique implantavit truncum ſalicis 5. ℔. ponderantem; ac tandem exacto quinquennio arbor inde prognata 169. ℔. & circiter uncias tres pendebat, etiam non computato foliorum per quatuor autumnos deciduorum pondere: Vas autem terreum ſola aqua pluvia vel deſtillata (ne obtruderetur παντοῖα) ſemper irrigatum eſt, eratque amplum, terræque ad ſuperficiem defoſſum, & ne pulvis circumvolitans terræ commiſceretur, lamina ferrea ſtanno obducta, multiſque pervia foraminibus, vaſis labrum tegebat. Exſiccavit iterum tandem terram vaſis, eædemque ad duas circiter uncias minùs repertæ ſunt 200. ℔. ex aqua ergo ſola ſurrexerant 164. ℔. lignorum, corticum & radicum. Idem in peponibus & cucurbitis experiri nemo non poteſt; obſervavi ego aliàs cum nobiliſſimo Boyleo, dum in Oxonienſi Anglorum Academia degerem, ſummitates menthæ, pulegii & meliſſæ, probè immiſſas in vitreas phialas aquâ fontanâ, quæ nunquam mutabatur, repletas, explicaſſe ſe in radices numeroſas & luxuriantia folia; & cùm in debitam excreverant, pro indole magnitudinem, immittebantur in retortulam, & urgente igne phlegma, ſpiritum, ſulphur, ſal & terram artiſtæ ſuppeditabant. Idem & in piſcibus probavit uxor Rondeletii; quibus evincitur horum mixtorum conſtitutionem, germinationem, & incrementum eſſe aliud nihil, quàm puram aquam vi peculiaris alicujus fabricæ ſeminis, plantæque, animaliſque, porulorum ſubactam, ſive modificatam vario motu, quiete, magnitudine, figura, & ſitu partium; Argillæ adinſtar, quæ à figulo per diverſos adacta modulos, multiplices ipſiſſima eadem concinnatur in formas; ut & id natura ſuis aliquo modo nobis ſubindicat meteoris; nubes enim, pluvia, grando, nix, gelu, glacies, pruina nil niſi modificata pura puta aqua ſunt, idque ſibi quis faciliùs ſuadebit, qui in amputatione vitis verno tempore debitè facta ingentem è vulnere aquæ copiam exſtillare obſervabit.

Si autem aqua propter peculiarem plantæ & animalis texturam in varias ſecetur & effingatur partes heterogeneas, quare non poterit illud ipſum ignis præſtare; & ut à multis vegetantibus ſine ullo additamento vitrum elicit, quod in ipſis præexſtitiſſe nemo ſanæ mentis dixerit; cur ea corpora, quæ è mixto educit, in illo præexſtitiſſe ſub his formis tam obſtinatè aſſeremus, neque dubitabimus ea eſſe, ut vitrum, Vulcani cudentis opus? Ad ampliorem theſis hujus dilucidationem excurſim attingere lubet petitum è cera Virginea familiare experimentum; illius enim modicum ubi ex apiario educitur alveo, ſapit mellis dulcedinem, florum redolet fragrantiam, apparet ſub ſuo colore, extenditur in ſuam magnitudinem, ſuâ terminatur figurâ, durum eſt ac frigidum, tactus organum non ferit acriter, & ſi concutiatur, emittit ſonum: Interim ſi experiatur ignem, ſapor ejus odorque pereunt, variatur color, magnitudo turgeſcentiâ ampliatur, figura deperditur, liqueſcit maſſa, incaleſcit, vix tanti poteſt, & quamvis concuſſa non edit ſonum. Ita ut quæcunque priùs ſub quinque ſenſitoria cadebant, eadem remanente cerâ perierint omnia, novæque prorſus igne genitore prodierint qualitates. Adeò verùm eſt hoc agente corpora tot & tantis obnoxia eſſe alterationibus, ut aliquando ita univerſim immutentur, ut alia omnino percipiantur à ſenſibus; & de iis ſupereſſe videatur aliud nihil, quàm quòd ingenioſo Philoſopho ſuaſerit Metaphyſica meditatio. Fortè idem præſtat ignis dum arietat in corpora, atque operantur aliqua inſtrumenta mechanica; quibus in lignum utimur, illud enim in partes dividunt magnitudine, figurâ, ſcabritie, lævore, aliiſque qualitatibus diverſas; ut limæ ſerræque comminuunt in pulverem, ſecures & cunei in partes majores & ſolidas diſſecant, in tenues, latas, longas, ac flexibiles dolabra abradit, circinat in concavo-cylindricas terebra; & ſic de aliis. Diſcrimen vero ſalis V. G. ab aqua ratione conſiſtentiæ, cæterarumque proprietatum, ſupra explicatam illius Architectonicem non damnat, cùm ab ovi geminatis liquoribus non diſcrepent minùs pipionis plumæ, nervi, membranæ, tendines, oſſa, & reliquæ partes, quas multiplicibus combinationibus congruenter actis, animalis incubantis, vel clibani ad thermometrum graduatus calor ex vitello & albumine efformavit. Ignis æquè naturale eſt agens ac ſemen; ſi non omnes, ſaltem plurimas mixti partes heterogeneas fortaſſis ſuo malleo & incude compingit, quas quis ad errorem credulus in mixto præexſtitiſſe arbitratur. *Quintò*, Quis, amabo, ſe mihi exhibebit vadem præter ſuppoſita illa craſſiorum Chymicorum elementa, ſubtilioris naturæ particulas non ineſſe mixto, quæ fugaces admodùm per vaſorum ſtillatitiorum poros & juncturas utut ſollicitè luto obductas ſibi viam extrà faciant ad minimum calorem & inobſervatæ foras elabantur? quis jure non ſuſpicabitur multa eſſe poſſe corporum genera, quæ nulli ſenſuum noſtrorum ſint objectum immediatum, ut teſtantur emanantia illa è magnete corpuſcula, effluvia ſuccini, gagatis, aliorumque electricorum corporum evaporationes, quæ mixtum tanquam partes principes ingrediuntur? quàm ingenioſis (ſuperi) circa res naturales hariolationibus meditari Philoſophus poteſt, & quàm ſapienter ſentiet qui nullam, vel minimam, ſi aliquam in illis eſſe aſſeret apodixim.

Addam mantiſſæ loco ſtimulare me ſcrupulum, quem parit inter ejuſdem generis principia clarè obſervata diverſitas. Phlegma vitrioli valet ad uſtiones, non autem phlegma aceti;

hoc extrahit è plumbo ſaccharinam dulcedinem, illud verò non item. Spiritus ſanguinis curat epilepſiam, provocat ſudores ſpiritus urinæ, cordi opitulatur in agone ſpiritus fuliginis, deobſtruit ſpiritus Tartari, ſpiritus therebintinæ potens eſt extrudendæ renum ſaburræ. Sulphur, ſeu oleum cinnamomi, ſeminis aniſi, caryophyllorum, demerguntur aquis; oleum vero nucis myriſticæ ſupernatat, ſicut & roſarum. Quantum diſcrimen inter ſales fixos & volatiles, Salem Tartari & Salem cornucervi! Primus ita fixus eſt, ut violento igne cum mira colorum varietate fuſionem patiatur, alter vero mediocri calore avolet: quantùm etiam inter ſe diſcriminantur ſalia volatilia! Sal cornu cervi in exipuli parietibus parallelipipedi figuram æmulatur, Rhombi vero ſal volatile ſanguinis humani: Sal fixum abſinthii extenditur in figuram ellipticam, Sal verò cranii humani in exagonam. Quàm varia ſalia variis conducunt ægritudinibus! Alcali abſinthii laudatur in imbecillitate ventriculi, euphragiæ in debilitate viſûs, guajaci ad morbos venereos, ſuccini ad epilepſiam, levat alvum ſal tartari, & noſtris (quod à nemine adhuc obſervatum intelligo) conſtat experimentis in trigonas tàm bellè coaleſcere cryſtallos. Idem evincunt variæ notæ teſtæ probatrices in terra damnata, ſive in oſſium & lignorum, omni exhauſto ſale, cineribus. Præterquam quod liquor ille ſtillatitius, quem ſpiritum vocant, mihi ſuſpectus admodùm ſemper fuit; forſitan enim aliud eſt nihil, quàm portio phlegmatis ſale volatili aculeata, quandoquidem exſtillatus ſupra fixum, V. G. Tartari Sal quilibet ſpiritus fermè totus abibit in aquam inſipidam, & ex portione ejuſdem ſpiritus facta erit aliqualis acceſſio ad pondus ſalis Tartari poſt deſtillationem; ita ut in hoc encheiremate ſuccedat ſecretio duorum horum principiorum ſpiritum conſtituentium, quorum alterum fixatur ſale Tartari, alterumque onere ſuo liberum vi caloris avolat: imò ad arenam vel id ipſum in quibuſdam ſpiritibus ſine Tartaro expertus ſum. Sicut è contra repetitis cohobationibus plurima ſalia volatiliſantur in ſpiritum, illumque proximè æmulantur. Nova non ſunt ordinanda ſyſtemata, niſi omnia phænomena ſolvantur.

Allata ſuperiùs per anacæphaleoſim repetenti probaſſe mihi videor: *Primò*, Plurima eſſe corpora, quæ dividere in hypoſtatica tria principia non poſſit ignis. *Secundò*, Eſſe mixta non pauca, quæ diſtinguat in quinque partes heterogeneas. *Tertiò*, Neque conſtare ignem eſſe univerſalem & adæquatum corporum Analyſtam. *Quartò*, Nec immeritò dubitari, an eo modo præextiterint in compoſito partes heterogeneæ, quo à mixto ſæparatæ ignis ope viſuntur. *Quintò*, Mixto ineſſe poſſe genus aliquod partium, quæ ſint ſenſiteriis noſtris imperſcrutabiles; & ex his demum omnibus *κατὰ τὴν ἀειθμητικὴν ἀναλογίαν* eviciſſe dubium admodùm, ſi non falſum principiorum ſyſtema Chymicum.

Neque profectò moveret me Thraſonica fuliginoſorum quorundam myſtarum jactantia, qua, ſonanti & tinnulâ voce ſtreperi nihil non ſublime & inauditum garriunt, & ex ſua Arcanorum Tripode, ſtupenda (ſi Diis placet) de principiis Technoergemata pollicentur. Artis quidem filium me non eſſe fateor, neque illis ſummè initiatum myſteriis, Eleuſinis, Taciturnioribus, quæ veris adeptis, ut ajunt, ſacra ſunt: ubi tamen à ſcutica receſſi hypodidaſcali, aliqualem huic ſtudio nec ſine voluptate navavi operam, & inde (quæ mea eſt emporia) cum Feureis, Chauveautiis, Barletis, Williſiis, Marcaſſuis, Dygbæis, Boyleis, Glauberis, Schroderis, pluribuſque aliis ætatis noſtræ Chymicis primoribus familiariter contuliſſe glorior; ſed ſanctè affirmo ab illis audiviſſe, vel præſtitum vidiſſe nihil, quod vulgarem Spagyricorum principiorum hypotheſim potuerit apertè demonſtraſſe.

SECUNDA PARS.

Diruto hoc fundamento corruit reliqua tota machina, nec enim (niſi ut promiſſa procederent) attingenda viderunt eorum in animali ſecretio principiorum, quæ nulla eſſe oſtenſum. Idem timeo, ne authori eveniat quod Ixioni, qui cùm Junonis potentiæ Deæ loco, cujus ſibi concubitum animo deſignarat, cum evanida nube rem habuiſſet, Centauros progenuiſſe fertur & Chymæras.

Varias in hac altera parte coctiones perſequitur, *Primò*, Coctionem definit puri ab impuro ſeparationem. *Secundò*, Quatuor eſſe aſſerit in animali coctiones, ſeparationem ſulphuris à ſale & mercurio in ſtomacho, excretionem mercurii à ſale in hepate, ſalis ſegregationem in renibus, & in ſingulis partibus Tartari ſequeſtrationem. *Tertiò*, Coctionum harum inſtrumentum eſſe Archeum, corporis coquum, & naturæ laboratorem Spagyricum. Ad *Primum*, non benè definita videtur eſſe coctio per ſeparationem puri ab impuro, cùm, ne altiùs in caſſum philoſophemur; in ipſa elixatione & aſſatione de contrario conſtet in culina; inibi enim omnia confuſa manent, nulla ſeparatio, nec ullum vas excretorium. Aptiùs coctionem in animali dicerem eſſe digeſtionem aut fermentationem, qua alimentorum heterogeneæ particulæ ſoluto mixtionis vinculo in novas ſubiguntur moleculas, ſive in alia materiæ ſchemata animali nutricando idonea: impuri vero ſeparationem & excretionem famulari diſtributioni coctorum alimentorum. Ad *Secundum*, Principiorum triade evincitur (argumento ut aiunt ad hominem) non eſſe niſi triplicem in animali coctionem, ſive trium principiorum ab invicem ſeparationem. Prætereà ſi puri ab impuro ſeparati foret coctionis characteriſmus, utique plures eſſent quàm quas retulit in animali coctiones: non tantùm enim peractâ chylificatione craſſiores alimentorum portiunculæ, quas recrementa vocamus, motu periſtaltico per interanea foràs eliduntur, dum puriores mobilioreſque ſubeunt huc hiantia lactearum venarum oſtiola: non tantùm ad renum parenchymata delatus per arterias emulgentes urinoſus liquor ſtillatim depluit, in fornicatam eorum pelvim per papillares novem carun-

carunculas totidem aptatas tubulis, quibus patet alveus ad uritides angiportus: non tantùm inquam arteriolis per corporis habitum ſeparatur in modum vaporis ſeroſior ſanguinis pars: Verùm etiam ex inſertis ventriculi inteſtinorumque tunicis, arteriæ cæliacæ & meſentericæ ramulis percolatur phlegma tam acidum quàm inſipidum, quo tanquam periſtromate albeſcunt eorum parietes & molleſcunt. Felleus humor ad jecinoris parenchyma per portas & bilarias arteriolas pedetentim tranſportatus elutriatur, partim in porum bilarium, partim in cyſtidem felleam, unde per choledochum emungitur dodecadactylon inter & jejunum; quò vel ſaltem non procul exonerat ſeſe ſeroſa ſua illuvie (lactearum & arteriæ cæliacæ recremento) Virſungicus pancreatis canalis: filtratum per cordis carnes & arterias coronarias ſerum ſeſe diffundit in pericardium: per ductus ſalivales è glandulis maxillaribus & paroditibus excernitur in eo ſalivalis liquor: per membranam anteriorem & poſteriorem pituitariam ſub oſſe ſphænoideo, perque alia è ſeptem oris ſcaturiginibus colatoria, quot & quam varii filtrantur & ſeparantur humores; taceo, auriumque, oculorumque & diſperſarum per univerſum animalis corpus glandularum excretiones, quibus omnibus non modicum fieret incrementum numero coctionum. Tertiò, ex allata definitione non coqueret ſtomachus, qui nihil excernit, ſed coqui vices potius ſubirent inteſtina. Ultrà quod nec admodum naſutus videatur hic author in anatomicis, qui chylum per venas meſaraicas ad hepar, ut evadat in ſanguinem, deferri in fide majorum credat; oppidò certiſſimum eſt; illam chyli transfretationem ex inteſtinis per aſellianas Meſaræi lactes; thoracicoſque Pecqueti ductus gemina fieri ſcaturigine ad ſubclavios ramos paulò infra jugulares venas, axillariumque cataractas, & exinde per aſcendentis cavæ truncum in dextrum cordis thalamum exundare: itemque hæmatoſeos officinam non eſſe jecur vel unicum illud declarat experimentum, quo in prima animalis formatione hepar eſt delineatum inter ultimas internarum partium, nec oculis deprehenditur, niſi ubi jam corpus turgeſcentibus fluente ſanguine tubulis, ejuſque purpuriſſo longè antea rigatum & ſolidatum eſt, ut non ſemel familiaribus meis demonſtraſſe pluribus extiſpiciis mihi contigit. Quartò, omnigenorum principiorum particulæ obſervantur in qualibet coctione, & in quibuſcunque excrementis, igitur per coctiones non ſuccedit illa principiorum ſeparatio. Quintò, inter litandum genio anatomico animalium hecatombis, eorum ſella propriis etiam incluſa veſiculis in lapillulos ſive ſalem fixum concreſcere non infrequenter obſervare eveniet: ex quo ſuccos amarulentos & animalium fella de natura ſalis non parum participare concludere eò magis eſt, quod ex abſinthio, centaurio minore (fel terræ vocant botanici) ſimilibuſque aliis amaris ſimplicibus ingentem ſalis copiam facta incineratione educimus. Imò inde fortaſſis eſt, quod tanta lanionum cura ut incorruptum & cum genuino ſuo colore aliquandiu ſervetur hepar, neque felleus emungatur humor è cyſtide, neque extrahatur è parenchymate veſicula; è contra verò fraſceſcit mox & putreſcit, ſi cum bile ſua nucleus evellatur: proprium etenim ſalis eſt carnibus aliquam ſine corruptione conciliare perennitatem; felque propterea meritò inaugurabitur hepatis balſamum. Quidni etiam ſubodoretur aliquis (hæſitanter tamen ibi loquor) bilem ſuccedaneas ideò clyſmatis agentem vices, quod (uti accidit è ſale Tartari & marino levantibus alvum) illa ſale ſuo ſollicitet motum inteſtinorum periſtalticum, quo coacervata in eorum meandris alimentorum magmata foras extrudantur? Unde, ni fallor, apertè contra definitionem allatam evincitur, non in renibus tantum, ſed & alibi fieri ſalis excretionem. *Ad tertium*, coctionum, nutritionis, vitæ, & mortis inſtrumentum eſſe Archeum, ſive naturæ protopræſidem, qui unicuique cùm microcoſmo tùm megalocoſmi parti jus ſuum reddat, profectò Pythia vate, aut Carmenta obſcurius mihi canere eſt. Fragilis & laborioſa mortalitas in naturæ ſecreta rarò pervadit, adeoque miracula putat illa, quorum rationes cauſaſque ignorat; & cum veritatem occupare non poteſt, ad commenta recurrit. In phyſiologiæ ſcenam inducere Archeum, Tragicum agere eſt, qui cum explicare argumenti exitum non valeat, Deos advocat in Theatrum, ut ſolvant nodum fabulæ; & ita ſi fide careat, admirationem ſaltem implet. Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus inciderit.

Veræ Philoſophiæ primus eſt ille canon; Nulli credendum propoſitioni naturali, quam clarè & diſtinctè non perceperit intellectus. Nemini autem in mentem veniet decantata pridem à pluribus chymicis fabula illa de Archeo, niſi cui non ſuppetet in explicandis rerum phænomenis æqua naturæ, ejuſque ordinis cognitio (cujus vis atque majeſtas in omnibus momentis fide caret) vel ipſe τὰ πάντα Deus. Abſit hercle ut Theſim illam excutiam, quàm æquè falſam ſine argumentationibus, ut fusè alibi poſſem, prætereo; ac author veram ſine probatione, ſuo more obtrudit: in confutandis enim hujuſmodi figmentis pretioſiſſimo tempori vel tantillum detrahere eſſet religio, & eventilare fabulas non Philoſophum ſaperet, ſed Poëtam.

In hac aſſertione Archei verſatur difficultatis cardo, circa coctionis inſtrumentum; Illud autem fermentum eſſe paucis evinco: Ructus acidus in eupepſia, ejuſque privatio in apepſia ſubeſſe innuunt in ſtomacho fermentum aliquod acidum, ratione cujus elaboretur prima coctio; ut enim oleum ſulphuris limaturæ chalybis inſperſum, ſulphureum ſtatim & fætidum elevat odorem; ſic ratione inverſa, quia medicamenta chalybeata ore deglutita nidorem excitant in gula ſulphureum, non ſecus ac ſi ova cocta ad duritiem fuiſſent comeſta; inde eſt quod acidum in ventriculo nidulans fermentum ferrum corrodere, & hunc elevare nidorem auguremur. Implantatum autem ſtomacho fermentum aliud eſt nihil, quam chyli confecti quoddam reſiduum, quod ejus plicis adhæreſcit, ibidemque aceſcens fermenti naturam induit; ut accidit in panificio & cereviſia, pro quibus conficiendis aſſervatur portio maſſæ frumentaceæ fermentatæ & ad acorem ſervatæ, floreſque jam confectæ cereviſiæ. Idem eſto dictum de cordis fermento, cujus occurſu ſanguis impetuoſè efferveſcit, juxta ac cum voluptate viſitur in encheiremate tartari vitriolati, martis adſtringentis, bezoardici mineralis, vel in affuſione ſalis armeniaci ad aquam ſtygiam; idem de particulis genitalium, alia-

rumque

rumque partium fermentativis, nemo non poteſt concludere ſine Archeo.

Ut autem ars varia excogitavit cribrorum, ſetaceorum, filtrorumque genera, ad excernenda diverſæ magnitudinis & figuræ grana atque corpuſcula, ita & ſolers natura omnigena compinxit, tenuia in animali colatoria, per quæ è ſanguine (multiplicium corporum ſeminario) foras aliqua detruderentur, aliis intus præ contextura neceſſariò reſtitantibus. Sic renum parenchyma ſubit ſerum, ratione figuræ ſuarum particularum, illorum aptatarum porulis, quos adire non poteſt ſanguis alterius fabricæ: Sic cyſtidos & pori fellei oſtiola bilis ingreditur, per quæ non patet aditus ſanguini. Nec ad has excretiones magis ſollicitè advocandus eſt in ſubſidium Archeus, quam ad diverſorum granorum ſeparationes, quæ per cribra variis donata foraminibus accidunt, vel ad ſeparationem aquæ dulcis, à Sale in aqua marina, trans arenæ cylindrum exſtillantis. Scio per implantata ex hypotheſi his parenchymatis fermenta præcipitantia rem quoque facilè explicari poſſe, *uti evenit lacti mediante acido, & ſoluto ſulphuri antimonii mediante aceto*; ſed hæc omnia aliter atque excurſim velle perſequi, ratiocinationum eſſet nunquam ſatis.

TERTIA PARS.

PHyſiologicis innituntur pathologica; ſuſque deque everſis rerum & corporis animalis præſuppoſitis principiis, non niſi proprio pondere collabaſcere, his ſuperſtructa morborum ratiocinatio! huic ergo tandem diſſertationi meæ colophonem libenter imponerem, Vir Clariſſime, ni ſignificare tibi vellem aliquot animadverſionibus totum libellulum percurriſſe me, uti imperaſti.

Sibi potiſſimum duo vindicat hæc pars: alterum, Archei exorbitantis vel deficientis ope coctiones labefactari, ex quibus morborum ilias: alterumque, vi ſua magnetica quamque corporis partem pro indole ſua & genio ſibi attrahere & diſponere alimentum, ex eoque purum ab impuro ſeparare per coquentem Archeum.

Ad primum hîc profecto hærere mihi penitùs aquam ingenuè fateor, & quamvis terna geniculatione votum facerem vel Hermeti, vel Æſculapio, nullam aliam efformare mihi poſſe præſumerem ideam ex grandioribus illis & inauditis (Archei exorbitantis vel deficientis) verbis, quam ſibi quis effingeret ex iſtis (deficientis vel exorbitantis Pallados:) Neque verendum ratione minùs nervea ne præaſſentur alimenta in ſtomacho ex Archeo exorbitante, quam ne accedantur in cerebro Spiritus animales ex exorbitante Pallade. Sic error errorem ducit: Verba pura puta hæc ſunt, quæ ſignificant nihil; luditur aliquando ſub verborum ſeſquipedalium ambagibus, ut elegantiùs eludatur inſolubilis difficultas. Atramento aquam inficit, quæ nimiùm fuerat audax ſepia, ut ab expanſis piſcatoris invigilantis retibus ſeſe cautè expediat.

Ad alterum. Qui qualitates magneticas impugnat, non eſt amicus Cæſaris; (impudentis, inquit Julius Cæſar Scaliger, hominis eſt, occultas negare qualitates, & revera ſi magnetiſmum tollis & πεφυκότως agentia, medicinam nudam facis, præſidiorum jejunitate languentem) impudentis ſiquidem hominis eſt multa negare, quæ imperſcrutabilia & occulta ſint humano ingenio; at occultis qualitatibus reſolvere velle difficultates & ſuam his verbis argutè velare inſcitiam (ſi pace Cæſaris dixerim) impudentiſſimi eſt. Quis, amabo, arguerit in magnetiſmum, niſi qui non viderit unquam magnetem? Nec tamen inde occulta qualitas eſt virtus illa magnetica; Sex enim & triginta experimentis ita perſpicuè illius naturam demonſtrare poſſum ſecundum mechanicæ leges, ut æquè facilè & æquè apertè intelligatur, ac in authomate horologico regulatus rotarum, æquilibrii, & indicis motus: imò quod ſapiet paradoxon, clarius & intellectu facilius videtur eſſe mihi nihil in Phyſicis quàm virtus magnetica; in qua nihilominus cum nulla ſit attractio, opinio magnetiſmi nullo prorſus modo conducit explicandæ animalis nutritioni. Illius autem œconomia facilè comprehendi poteſt abſque tot ambagibus, ſi ſupponatur ſanguis, ut reapſe eſt, omnigenarum particularum ſeminarium; & ex circulationis legibus ſingulas corporis partes ſuis fluctibus alluere: arteriæ ſiquidem in qualibet diaſtole ſuos dilatant porulos, per quos exilit datâ portâ modicum ſanguinis, tanquam per rivulos ſecundum filamenta membrorum quibus contexitur animal; In ſyſtole verò iidem pori conſtringuntur, & extravaſatus ille ſanguis grumeſcit, quo perficitur nutritio. Varia autem illa eſt, tum ratione curſus ſanguinis ad certa loca collimantis, tum ratione diverſæ magnitudinis & figuræ, ſanguinis particulis patet & non aliis aditus.

QUARTA PARS.

IN Therapeiam collimat tandem noſtra ultima velitatio, quam ille Machaon felici Medicinæ Apolline abſolvit unica perigraphe. (Arcanum ait, ad Majorem Dei Gloriam, & ad ſingulorum utilitatem charitativè trado. ℞. Salis Hermetici uncias duas, acidi tartari uncias tres, criſtalli calcinati unciam unam cum dimidia, tartari vitriolati drachmam unam, ſantali rubri drachmam unam cum dimidia, Spiritus vitrioli quantum ſatis. Fiat pulvis. In juſculo bubulo aut gallinaceo ſumi debet, quo facto fata & natura ipſa viam invenient, qua ejiciant.)

Plerique Pyrotechnici (longè abſit, ut de hoc authore id cogitem) ſub nomine Jehovæ precioſius ſuas merces vendunt; religio prætexitur, aurum quæritur: ità & ſæpè cum rebus humanis tàm malè geritur, ut qui Curios ſimulant, non infrequenter vivant bacchanalia. Arcanum

orbi

orbi tradit. Apage rhabarbaricos & triobolares medicos, Catonianam & Hippocraticam Medicinam? Nihil impræſentiarum circa ægros decernatur quod non ſapiat Hermetem, Magiſterium & Elixerem? Tria potiſſimum in hac deſcriptione notanda judico; Primò, ubi ſe coram explicuit author ad majorem Dei gloriam & proximi affectum velle ſe adverſus Arthritides crudeles aculeati ſale volatili feri fœturas, neſcio an non adverſus ad unum omnes morbos, ſtrenuum & panchreſtum revelare nobis & poſteris medicamentum, tum præſcribit Sal Hermeticum, hoc eſt, ſi non illi, ſaltem nobis ſal incognitum: quis non videt ibi deſiderari bonam fidem? Præterquam quod morborum ille graviſſimus cum luſerit hactenùs Coam & Mauritanam manum, verendum profectò eſt, ne ſit quoque luſurus Germanicam. Secundò, ſi ſit ibi hariolandi locus, ſal illud eſſe poterit Armeniacum Philoſophorum, panacæa, clyſſus, ſive, ut aiunt Artiſtæ, Balſamica, perfecta, fuſilis, & catholica Medicina; ubi rejectis inertibus & paſſivis elementis fit dumtaxat activorum unio, & ubi fixum ex volatilis præponderantis internodio volatiliſatur. An ſic univerſum loquendo ſolverimus nodum, authori dijudicandum relinquimus, quidquid ſit, ſi ſuccedat nobile aliquod medicamentum, eſſe debet de genere volatili, ut & ad ſanguinem & ad affectas remotiſſimas corporis partes extra vaſa penetret. Verum huic effectui ſeſe mox opponunt propter fixitatem præſcripta reliqua medicamenta; cum enim ex præponderante volatili fixum evadit in volatile, ità ex præponderante fixo volatile evaſurum erit in fixum. Dein cui, amabò, uſui niſi ad polipharmaciam in tanta aperientium imò & deſurentium medicamentorum doſi inſervire poterit medicum ſantali rubri, cæteroquin inertis & inter album & citrinum reliqua ſantala magis refrigerantis ac adſtringentis? Tertiò, Ubi ſpiritus vitrioli guttatim depluit in liquorem tartari per deliquium ſoluti in cella vinaria, fit extemporanea ebullitio, & tam arctè duo illa ſalia maritantur, ut ad vas imum præcipitentur in albiſſimum coagulum, quod peracta levi ſuperinnatantis liquoris evaporatione, tartarum vitriolatum nuncupamus. In hac medicatione author bis præſcribit idem medicamentum, tartarum enim adhibet vitriolatum, & poſteà acidum tartari cum vitrioli ſpiritu, quæ nihil item aliud ſunt quam tartarum vitriolatum. Ne plura advertam, exhibet hunc pulverem ad libitum in juſculo bubulo aut gallinaceo, primum eſt craſſum & obſtruens, alterum vero aperiens & detergens: quo autem modo hæc concilientur, omnino me latet? Dato pulvere, (perſequitur,) fata & natura viam invenient qua ejiciant; ita ratiocinari, medicamenti ſui vires & davam parum intellexiſſe videri eſt. Has qualeſcunque animadverſiones meas ad pulvinaria tua tandem depono Vir Humaniſſime; Majora debebam equidem, ſed majora in hoc argumentum dare pro brevitate temporis nec potui, nec volui, ut aptato ſtatim calamo reſcriberem imperanti: tibi enim uni locutus ſum, & non multis, quippe ſatis magnum alter alteri theatrum ſumus. Spirantem altius hunc authorem incerta fermè omnia, & inter ſe non bene cohærentia, ſubnotaſſe mihi ſatis ſit, tutumque & extra teli jactum ſub Vulcani præſidio ſe exiſtimantem, veluti de altiori ſcena, vulgari incaſſum allatraſſe Medicinæ, nec majori quidem cum ſucceſſu veteres abrogare voluiſſe leges ſalutis. Hermeti propterea non valedico, ut ſolo adhæream Hippocrati; utrumque colo ex animo: juvat ἰατροφιλὸν ambabus manibus eſſe armatum, & ubi certaminis urget neceſſitas (quæ prudentia ejus eſſe debet) vel iſta vel altera, cæſim vel punctim ingenioſè pro magnitudine periculi dimicandum. Si bellè cedunt omnia clariſſimis & nuſquam non deprædicandis Doctoribus, Domino Joachimo le Vieux, Domino Henrico de Felix, Leonardo de Forteiſſon, aliiſque non paucis, quos ſeniores in arte viros & Atlantes, Emeritoſque ſub utraque Pallade veneratur Avenio: Neque proinde in tantos ac ſummates civitatis hujus Medicos cuſam iſtam magnam partem fabam eſſe velim exiſtimes, quos in Chymia verſatos eſſe neminem latet. Chymiatris equidem multa debet ſanctior & purior Medicina, ſed non omnia; & erunt ſemper non pauca (nimirum infauſto fortaſſis omine) quæ ad longos annos ab illis deſiderabis. Interim differentium inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperandæ, ubi abſunt ſales illi acerrimi, ſycophantiæ & illa ſermonis amarulentia; illos (ita me amet Dieſpiter) è qualibuſcunque his quiſquiliis meis abdicare volui, & prorſus abdicaſſe puto: nihil enim gravius mihi cordi eſſet, quam ſi de me quis ſentiret aliter. Anonymo quidem obſtiti in ſcrutinio veritatis, nec illaudabiles tamen ejus etiam irritos judico conatus; lauda tu & meos (vir Doctiſſime) etiam ſi judicaveris irritos! Vale & me ama! Avenioni datum pridie Id. Febr. anni ab Æra Chriſtiana M. DC. LXV.

FRIDERICI HOFFMANNI
TRACTATIO BREVIS ET LUCULENTA
DE
FEBRIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Febribus in genere.

NUllus morbus eſt, qui corpora noſtra frequentius violet majorique moleſtia afficiat, atque inſigne vitæ diſcrimen inferat, quam ipſa febris. Aliis morbis facillime ipſa ſeſe adſociat, ut nullus ferme ſit, qui non febrilis motionis ſpeciem præ ſe ferat, adeo communis ille affectus eſt, quod etiam ſuo ævo jam approbavit Hippocrates *libr. de flatibus*; Et cum omnes alii morbi unam vel alteram obſideant partem, una febris totum occupat corpus, adeo ut his rationibus compulſi veteres Romani Deam eſſe febrim crediderint, ſacellaque in honorem, ne noceret fortè, & corpus affligeret, erexerint, teſte *Valer. Maximo.* Nihilominus familiariſſimus hic affectus quoad ejus cauſas, ortum, periodorum explicationem, aliorumque accidentium rationem, tantis, hucuſque difficultatibus ac dubiis immerſus latuit, ut dici vix queat. Equidem quivis ferme celebris Medicus, ſecundum principia ſua, quibus addictus eſt, hypotheſin quandam formare allaborat, qua perſpicuam reddat febrium perplexam doctrinam. Attamen ſi exactius, quæ hactenus adducta fuerunt, expendimus atque examinamus, illa obſcurum hoc negotium minimè clarum reddere, & difficillimorum occurrentium phænomenorum explicationi ſufficientem lucem affundere deprehendimus. Ratio potiſſimùm mihi hæc videtur, quod plerique hanc rem aggreſſi fuerint non ſufficienti practicæ experientiæ cognitione inſtructi, cum tamen practica medicinæ pars, non tantum ad uſus humanos, verùm etiam ad formandas rationes contemplativæ, præcedere debeat. Quocirca neglecta experientia ſolidiori & attenta, item contemtis veterum libris, & obſervationibus, ex quibus tamen unicè genuinæ praxeos ita & theoriæ fundamentum peti debet, in medium adduxerunt circa hiſtoriam febrium talia, quæ raro vel plane non contingunt, quæ autem fiunt, illa ipſa quoad circumſtantias potiſſimum omiſerunt, unde non potuit non naſci ex ſuppoſitis practicis falſis falſa etiam theoria atque ſpeculatio; quæ deinde praxi minimè accommodari potuit. Altera ratio, quod doctrina de febribus hucuſque prolata tantis laboret difficultatibus ac dubiis, hæc mihi eſſe videtur: plurimi ex principiis imaginariis ac figmentis cerebrinis neque intelligibilibus, neque in re ipſa inveniendis ſuppoſitis condiderunt theoriam & pathologiam medicam. Pauciſſimi ex ſimpliciſſimis, quibus totius naturæ operationes & effectus continentur mechanicis, materia & motu, rem aggreſſi ſunt. Sicuti autem Phyſicus, ita etiam Medicus ad rationes mechanicas ſeu ſimpliciſſimas, quantum fieri poteſt, omnia reducat, & ex ipſis dubia ſolvat atque phænomena explicet. Sapientiſſime hinc dicit Hippocr. *libr. de ſteril.* πειρῶ τι φυσικὸς εἶναι: Conare ut Phyſicus evadas. Nos itaque remotis omnibus præjudiciis, ſuppoſita febrium tam in genere, quam in ſpecie hiſtorica cognitione & genuinâ practicâ experientiâ eo allaborabimus, ut ſicuti hactenus tentavimus in aliis, omnia quæ occurrunt in doctrina de febribus explicanda, ex principiis clariſſimis intellectu facillimis, ipſis mechanicis, ducamus atque derivemus, adeo ut ex illis quæ perplexa, abſtruſa & recondita hactenus circa hoc negotium aliis fuerunt, clariſſimè, mea ſententia non tantum, jam intelligi & demonſtrari queant, verum etiam ſecura, certa & vera via habeatur feliciſſime ſanandi omnis generis febres. DEUS autem ex alto nobis & noſtris conatibus clementiſſime adſiſtat!

Dimiſſo autem nomine, quod Latini à fervore, Græci ἀπὸ τοῦ πυρὸς derivarunt, ad febris naturam & indolem inveſtigandam properabimus. Sed priuſquam hoc aggrediamur, opus erit, ex hiſtoria morbi quædam præmittere, quo legitima fiat connexio, collatio atque diductio theoriæ ex praxi.

Primum itaque notandum: Nullam febrim dici poſſe, ubi non ratione pulſus & motus ſanguinis quædam inordinationes ſentiantur, ita ut in omni febre pulſus à naturali reſpectu ipſius ægrotantis deflectat & inordinatus fiat, potiſſimum quoad celeritatem, frequentiam vel inæqualitatem. Galen. 1. *ad Glaucom.* 5. inquit, In omnibus febribus eſſe quandam inæqualitatem pulſus. 2. Nulla exiſtit febris, ubi calor corporis temperatus, proportionatus &, æqualis eſt,

eſt, ſed in omni febre obſervatur calor exceſſivus improportionatus, adeo ut ob hanc rem febrim veteres per calorem corporis totius excedentem, vel intemperiem calidam & calorem p. n. definiverint, & ubi calor moleſtus non obſervatur, non dicenda affectio febris eſt, ſed magis ad ſpaſmodicas paſſiones per periodos redeuntes eſt referenda. 3. Nulla obſervatur febris, ubi extrema corporis & cutis ſecundum naturam ſe habent. Inter initia atque ſub ipſa acceſſione conſpicitur ut plurimum conſtrictio pororum cutis, ipſa apparet rigida & arida, vaſa minora fiunt, & detumeſcunt extrema, livore afficiuntur, tranſpiratio imminutior fit, & ſenſus horripilationis & frigoris adeſt, poſtea habitus corporis tumefactus eſt, vaſa rubent ac tument, ſanguis ebullit, æſtu maximo afficiuntur membra, cor palpitat inſolentius, denique ſudor largior profluit: quæ variæ cutis affectiones, tàm ratione temporis, quam ratione febrium in ſpecie multum differunt. 4. Nulla febris eſt, exceptis quibuſdam malignis, ubi non urina à ſtatu ſuo naturali, vel ratione coloris, quantitatis aut ſedimenti vel contentorum deflectat & in fine febris coctio quædam non appareat. 5. Nulla febris eſt ubi non actiones vitales magis vel minus lædantur, quo reſpectu etiam vel benignæ vel malignæ audiunt. Et hæc jam adducta eſſentialia & pathognomonica febrium ſolent eſſe ſigna, quibus præſentibus, febrem certo adeſſe & corpus affligere judicium ferendum eſt. Præterea febribus obnoxii plerumque ſunt homines ſenſibilioris texturæ, activioris ingenii, quorum cutis ex facili cauſa horrorem vel dolorem percipit, qui complexionis ſanguineæ & cholericæ ſunt, ad intempeſtivas animi motiones proclives, item qui ætatis juvenilis vel virilis ſunt, hi enim magis præparati ſunt ad febres quam ſenes. Deinde obſervamus, nulla ſingulari cauſa præexiſtente materiali, à ſolo terrore vel nauſea, dolore acerbiori in ſanis corporibus crebrius ſuſcitari motiones febriles poſſe, interdum etiam à minima mole contagii originem ſuam ipſas habere. Pro explorato pariter habemus, præſertim ab occluſione meatuum cutis, à ſuppreſſo ſudore vel tranſpiratione (ſive à cauſa interna ſive externa, frigido & humido aëre, rigidis ventis, & aliis conſtipantibus, id fiat) frequentiſſime excitari pro diverſa natura ægrotantium, varii generis febres. Conſtat quoque frequentis experientiæ fide, ex vitiis digeſtionis atque erratis in diæta commiſſis, cibo difficulter diſſolubili & cum nauſea adſumto, retentione vomitus & evacuationum aliarum conſuetarum, ſuppreſſione nimirum ſudoris, hæmorrhagiarum, menſium, retropulſione exanthematum pullulare febres varii generis. Poſtremo etiam attentione dignum eſt, quemvis paroxyſmum febris, vel etiam totam febrim ut plurimum ſudore, vel expulſione vitioſæ materiæ ad peripheriam corporis cum pulſu molli atque undoſo, qui optimus eſt, terminari, in aliis ſubjectis etiam per urinam, per hæmorrhagias, ſalivationes, utut rarius id fiat, quæ autem ita non terminantur, ſenſibili quadam evacuatione, facilius recidivant, vel in febrem lentam aut pejorem & diuturniorem morbum tranſeunt. Sæpius febricitantes abſque ullis remediis reſtituuntur ſpontaneis evacuationibus, exemplo ruſticorum, infantum vel nauſeabundorum, qui nihil plane aſſumunt. In genere ſudorifera ferme omnia, cum regimine & coacte, nec certo tempore adminiſtrata, pernitioſiſſima ſunt, vel enim æſtum, vigilias & delirium augere ſolent, vel continuum ſudorem efficiendo vires magis proſternuunt, & ad lentas diſponunt febres. Contra omnia blandiora diaphoretica, diluentia ac liquida congrua debitè adminiſtrata præſentiſſimam opem in omni febris curatione ferunt, dum æſtum & ſitim imminuunt, tranſpirationem juvant & omnia mitiora efficiunt. Quo enim liberior tranſpiratio ac calor foras magis exit in febribus, eo melior flatus; quo pori ac meatus corporis magis ſunt clauſi ac conſtricti, eo pejora ac magis verenda ſequuntur ſymptomata.

Hiſce ex ipſa praxi, quæ optima veritatis magiſtra eſt, ſuppoſitis, præmittamus quoque ad noſtrum negotium ſpectantia ex phyſiologicis quædam neceſſaria.

Primum autem compertiſſimum habemus, cauſam caloris, tam qui ſecundum, quam qui p. n. accidit, eſſe motum ſanguinis. Nec puto quenquam eſſe, qui non experiatur à motu corpora noſtra calefieri, dum nimirum fluidæ corporis partes celerrima motione ſive inteſtina illa ſive magis progreſſiva & circulari ſolidarum partium fibras vehementer atterunt, movent, & ita æthere interſperſo, rarefacto & quaſi ignito ipſas calefaciant. Hinc optime etiam *Ariſtoteles* 1. *Meteor.* 13. fieri calorem judicat, ubi colliduntur in ſeſe corpora, ita ut aër rarefiat & igniatur. Sanguis autem quò plus abundat partibus oleoſis, ſulphureis, inflammabilibus, tenuioribus, hòc majorem & vehementiorem exerit calorem atque æſtum, ſi motu attritivo vehementori agitatur; & vice verſa, partes viſcoſæ acidæ craſſæ immobiles, quo magis exſuperant in ſanguinis maſſa, eo lentior ac ſegnior producitur calor corporis, unde Cholerici per motum longè magis incaleſcunt quam ipſi phlegmatici. Tandem inconcuſſæ veritatis principium eſt, quam diu motus fluidorum machinæ noſtræ vitalium in circulum abiens, ſalvus, liber, æqualis eſt, tam diu omnia in œconomia animali bene ſe habent, ſanguis manet fluidus & à putredine defenditur, ipſaſque ſolidas partes à putredine & corruptione arcet atque tuetur, calor blandus mitis ac naturalis eſt, reſpiratio & tranſpiratio bene ſe habet, & excretiones ordinariæ legitimo quoque ſe habent modo, mentis quoque & actionum animalium eſt integritas; uno verbo, homo vitalis & ſanus eſt; ſimulac autem inæqualitas inordinario in motu hoc circulari deprehenditur, ſtatim morbus præſto eſt, & turbatio vel impeditio actionum vitalium maxime ratione pulſus, caloris proportionati, excretionum, ſudoris, urinæ, ſe exerit. Sanguinis autem circularem motum efficiunt partim cordis muſculi, qui mechanica conſtructione & ſanguinis fluidioris vi motrice fluidoque nerveo ſufficienter inſtructi, adjuvante pulmonum organo, & adminiculante arteriarum ſtructura, quaquaverſum ad omnes corporis partes ſanguinem impellunt, partim etiam tonus muſculoſarum partium (qui tam à ſtructura fibrarum quam à ſpirituum elaſticitate dependet) ad motum circularem contribuit, quo reniſu ſanguinis repulſus ac reditus in venas, & ex ipſis in cordis thalamos, promovetur. Qui duo

motus, unus impulſorius, alter repulſorius, ſalvi, mutuo invicem conſpirare & ad æquabilitatem diſpoſiti eſſe debent pro circulo ſanguinis conſervando & vita ſana ſervanda; In alterutro ſi vitium eſt, ſtatim illud ipſum redundat in ſanguinis motum vitalem corporiſque ſanitatem, quæ exinde pendet.

Ex hiſce adductis & probe perpenſis clarum evadit, febrem minimè dicendam eſſe intemperiem calidam ſanguinis vel cordis p. n. ſecundùm veterum ſententiam. Quandoquidem febris etiam temperatiſſimis ſubjectis accedit, imo citra ſanguinis præcedentem quandam intemperiem vel alterationem, à ſolo animi motu, vel corpuſculo minimæ molis ab extra contagio accedente ad corpus febrilis motio in corpore produci poteſt. Deinde etiam calor p. n. magis effectus, quam proxima cauſa febris exiſtit; tacemus in quartanis nonnullis mitem & non adeo exceſſivum eſſe calorem, ſed magis frigus, rigorem, ibi habere locum, item calida tam alimenta, quam medicamenta, copioſiſſimè aſſumta, nulla ratione per ſe facere febrem poſſe, in aprico eſt. Neque ſatis cogitatione aſſequi poſſumus, qua ratione juxta *Avicennam* febris dicenda ſit calidum innatum in corde accenſum & per venas & arterias in totum corpus diſtributum; nullum enim datur ſubſtantiale calidum ut tale, multo minus innatum, ſed omnis calor efficitur à motu, qui relatus ad ſenſum menti variam ideam caloris vel frigoris exhibet. *Helmontiani* febris naturam per archei accenſionem vel furibundum ejus motum explicant, dum aiunt febrem eſſe impuritatem ex una parte Archei qui propterea ira & indignatione afficitur taleſque motus excitat, verum in omnibus morbis ſpaſmodicis convulſivis ſimilis concitata ſpirituum ſive Archei motio præſens eſt, cum tamen ſpaſmus & convulſio propriè differat à febre. Accedit Archeum ſive naturam ex deliberato quodam conſilio, inſtituto atque electione, neutiquam taliſmodi motiones contra cauſam morbi inſtituere poſſe, quamvis non negandum ſit, motionem impetuoſam ac irregularem ſanguinis, quam febrilem dicimus, certum in finem, nec citra ſapientiſſimi machinæ noſtræ Architecti ſingularem mechanicam coordinationem ac rationem inſtitui, qua nimirum illud quod infenſum & non miſcibile ſanguini & humoribus eſt, vel corrigatur, alteretur, ad temperiem naturalem revocetur, vel etiam educatur, ita tamen ut omnia fiant ex neceſſitate materiæ & natura ac legibus motus, quos DEUS conſtantiſſima ſua voluntate operibus injunxit, & illum ordinem in omne momentum conſervat.

Neque porro febris ebullitio vel fermentatio p. n. ſanguini & humoribus inducta ſecundum *Williſii* mentem dicanda commodè eſt, ut pote fermentatio propriè dicta, qualis obſervatur in vegetabilibus, nullo modo locum habere poteſt in ſanguine, qui fermentationi neutiquam auſcultat, cum requiſita ad fermentationem neceſſaria ipſi deſint. In ſanguine gelatinoſa ac mucoſa deprehenditur ſubſtantia, quæ mora quidem in putrilaginem faceſſit, minimè autem ad fermentationem parata eſt; Neque ullo artificio ex ſanguine vel chylo ſpiritus parari poterit inflammabilis; reſiſtit etiam fermentationi celerrima ſanguinis per ſolidas partes illaſque anguſtiſſimas trajectio, cum potius fermenteſcibilia indigeant quiete aëriſque ſufficiente appulſu.

Deinde etiam ſi febris eſſet ſanguinis fermentatio, ſequeretur, ſemel inceptam uno tenore continuare debere, cum contra naturam fermentationis & fermenteſcibilium ſit, ut ſemel fermentatione liquidum ſubactum de novo illud facilè fermenteſcat, quoniam verò febris certis paroxyſmis & periodis redit, imo plenarias intermiſſiones habet, nullo modo vel ratione conſequi poſſumus, quomodo ad tam crebra de novo fermentationes ſanguis queat diſponi.

In dubium ſic vocata fermentationis exiſtentia in ſanguine, unico quaſi ictu cadit adſertio illa recentiorum de fermentis febrem inducentibus. Tacemus concipiendi impoſſibilitatem, qua ratione fermentum, ſummè, uti dicunt, activum, ſine actione tamen quietum, integra ejus textura manente in parte quadam ſolida vel minima cujuſdam nervei aut lymphatici tubuli valvula hærere, certoque ſaltem tempore in motum excitari poſſit. A ſanguinis enim fluidique nervei & lymphatici celeri ac perenni motu per ſolidarum etiam partium minimos meandros non poterit non immutari, alterari; in motum cieri, vel etiam eliminari è corporis ſphæra. Equidem dicunt certum ac ſingularem ætherem, qui ingreſſum inveniat in ejus poros, ad evolvendum fermentum tale requiri; at vero æther cum ſimpliſſimum ſit elementum, prorſus capi non poteſt, quomodo peregrinam naturam ac indolem inducere queat, licet ipſe, prout materia, in qua & per quam agit ratione magnitudinis figuræ ac texturæ variat, ſpecificum edere aptus ſit effectum. Multo minus audiendos & illos exiſtimamus, qui in omni febre humorem venenatâ qualitate infenſum incuſare volunt, declarare enim neutiquam poſſunt, in quonam ratio virulentæ qualitatis conſiſtat, & quænam ejus ſit origo. Obſtat & hoc, quod ſolo intempeſtivo & vehementiori animi motu, vel etiam graviori in partibus ſenſibilibus dolore; & quidem à cauſa externa ſuborto, in ſaniſſimo corpore febris ſubnaſci queat. Qui in concitatiori ſanguinis circulatione febris ponunt eſſentiam, nec illi mihi videntur ſatisfacere, quoniam omnia illa quæ ſanguinis circulum augent potius febrem tollunt, & contra quæ impediunt illum, febrem producunt. Videmus etiam partes inflammatione tactas, per quas ſanguis impeditius circulatur, intenſiſſimo æſtu, rubore ac calore affici.

Tandem nec recentiſſimorum mihi perplacet ſententia, qui turbatam ſanguinis mixtionem cum ataxia & perturbatione ſpirituum pro formali cauſa omnis febris habent. Quamvis itaque non eamus inficias, in febrilibus commotionibus ſanguinem & humores quoad craſin multam eſſe turbatos, potius enim effectus febris hæc turbatio eſt, dum à calore nimio ordo & ſitus partium ſanguinem componentium invertitur, humidum diſſipatur & ſpiſſatur.

Abſit enim ut adſtruamus in omni febri unionem partium ſanguinis intime violatam eſſe, quod ſaltim accidit, per gradus tamen, in malignis, putridis, hecticis: Difficillime itidem concipitur, qua ratione materia quædam tenuiſſima peregrina immediate in ſanguinem fluidum agere poſſit, ejus poros invertendo, deſtruendo vel obſtruendo, niſi ſimul inſigni peccet quantitate,

titate, cum magis probabile exiſtimem, miaſma virulentum exiguæ molis immediate agere in ſpiritus ceu rectores corporis noſtri, quibus vitiatis in craſi ac motu, ſanguinis etiam mixtura ac motus pervertitur, quod in peſte & malignis morbis accidit.

Hiſce diſcuſſis firmiter ſtatuendum eſſe exiſtimamus, febrem eſſe turbatam & inæqualem ſanguinis circulationem à motu cordis, arteriarumque, aucto nec non vitioſo partium ſolidarum tono productam ad materiam vel quantitate vel qualitate, vel etiam ſolo motu atque activitate fluidis machinæ noſtræ partibus infenſam, exterminandam aut ſubigendam.

Inæqualis circulationis ſanguineæ clariſſime in febribus conſpicimus notas, dum mox tempore frigoris & horroris à cortice & peripheria corporis coarctatâ ſanguis repellitur ad interiora, unde à ceſſante impulſu ſanguinis in partes extimas frigoris atque horripilationis ſenſus obſervatur, corporis detumeſcit ac ſubſidet, venæ diſparent, nec amplius ſanguine refertæ conſpiciuntur: repreſſo autem & deſiliente ſic ab extremis partibus ſanguine ad interiora colligitur & accumulatur in vaſis majoribus, in corde, pulmonibus, & anxietatem oppletivam efficit maximo impetu cordis muſculos atque arterias diſtendens pulſum celeriorem atque citatiorem producit. Rurſus ſub tempore caloris relaxato externo cutis habitu, vehementi impulſu cordis ſanguis à centro ad peripheriam concitatiſſimè movetur, unde æſtus, intumeſcentia atque inſignis rubor in partibus obſervatur extimis, habituque corporis, donec obſtructionibus in cute remotis ſanguini liber atque æqualis ſuus circulus reſtituatur, quo tempore ſtatim pulſus fit naturalis, reſpiratio liberior, tranſpiratio fortior calor temperatus, vires iterum eriguntur & omnia ſecundum naturam ſe habent, quod finito accidit paroxyſmo. In intermittentibus febribus quovis paroxyſmo conſpicitur clariſſimè circulationis ſanguinis inæqualitas & reciproca illa ſeſe mutuo excipiens motio à peripheria ad centrum, & à centro iterum ad peripheriam corporis. In continuis ſtatim ab initio vel etiam ipſo in ſtatu ante criticas evacuationes vel ſymptomata graviora familiares ſolent eſſe rigores & refrigerationes partium extremarum, & calor ſua habet incrementa & decrementa, quamvis penitus non intermittat; & quando probè atque attentè ſymptomata, quibus afficiuntur febribus continuis atque ardentibus laborantes, obſervamus, certe deprehendimus varias & ſenſibiles quoad ejus motum alterationes, ex quibus etiam ſymptomatum mutationem atque vehementiam deducere promtum atque expeditum eſt. In hecticis & lentis febribus & ſubitaneæ refrigerationes atque horrores corporis & ſubſequentes incaleſcentiæ identidem obſervantur à curioſis & attentis practicis frequentiſſime.

Eſſentiam itaque febris ponimus in inæquali motu progreſſivo ſanguinis circulatorio, reliqua omnia dum certis periodis ipſa febris revertitur vel paucis diebus finitur vel diutius durat vel continuò affligit aut cum putredine humorum, ſive deſtructoria ſanguinis elementorum ſeceſſione conjuncta ſit, vel varietate ſymptomatum atque vehementia differat, ad accidentia febris & differentiam earum ſpecificam quadrant: In eſſentiali autem & uno ſeu liberiori ſanguinis motu impedito & ab æquilibrio naturali deflectente omnes conveniunt atque conſpirant febres. Quod autem hæc ſententia non recens nata ſit, ſed quod etiam antiquiſſimi & ſapientiſſimi Medicorum eaſdem circa hoc negotium foverint cogitationes, teſtem inſtar omnium in medium produco *Hippocratem, qui in tractatu de Flatibus Sect. III.* §. 10. *& ſeqq.* non obſcure hujus rei facit mentionem, ibi nimirum aſſerit: *Spiritus ſeu* partes *corporis impetum facientes* (à quibus omnium morborum ortum deducere aſſolet) *obſtructo inferiori ventre ad ſanguine refertas corporis partes illapſos, eas refrigerare, quibus refrigeratis totum corpus horror occupat, & quo majori copia flatus* (quos ſic ſpiritus concitato motu ad partes ruentes appellat) *irruperint, eo major rigor, horror & tremor partium conſequitur. Sanguis porro*, paucis interjectis inquit, *præſentem horrorem metuens per totum corpus perreptat, & ad maxime calidas partes concurrit, atque hi ſunt ejus ſaltus. Deſiliente autem ab extremis corporis partibus ſanguine & viſcera & carnes contremiſcunt. Aliæ enim corporis partes copioſo ſanguine refertæ, aliæ exſangues tunc exiſtunt. Atque exſangues quidem ob frigus minimè conqueiſcunt, ſed concutiuntur, quæ vero ſanguine replentur, ob ſanguinis copiam contremiſcunt, & inflammationes excitant. Coacto enim cumulatim plurimo ſanguine aër ipſe qui ſanguinem refrigeravit, à calore ſuperatus rurſus incaleſcit incenſuſque ac velut igneus exiſtens in toto corpore calorem excitat, ad id etiam ſubſerviente ipſo ſanguine. Quod enim incenſum eſt, ex eo ſpiritus oritur, quo ad corporis meatus irrumpente ſudores fiunt.* Quibus tota doctrina febrium accuratiſſimè, quàm unquam factum eſt, traditur. Sicuti enim totius phyſiologiæ fundamentum mechaniſmus ſanguinis eſt, quo ſalvo & ad æquilibrium compoſito, omnia ad naturæ leges inſtituuntur; ita etiam in pathologicis principale fundamentum & unica regula, ſecundùm quam omnia præter naturam obvenientia ſymptomata judicanda ſunt, exiſtere debet ſanguinis circulus. Deinde nobilis atque eximius locus inæqualis in morbis circulationis exſtat apud *Pergam.* l. 2. de cauſis ſympt. c. 5. *Eſt quædam*, inquit, *ex primis & principaliſſimis motionibus ipſa naturalis caloris intro foraſque delatio multas animi paſſiones ſequens: ſimul autem cum ipſo & ſpiritus & ſanguis modo intro & ad principium feruntur ac contrahuntur, modo foras diſtenduntur & funduntur. Et licet motus hos evidenter perſpicere cum in aliis multis tum in ipſis animi perturbationibus e. gr. terrore & ira; ille intro & ad principium ſpirituum & ſanguinem unà cum refrigeratione corporis ſuperficiariâ ſubducit & contrahit, hæc verò foras agit, fundit & calefacit.* Videntur etiam veteres in febrium cauſis explicandis indigitare motum ſanguinis, utut ille quoad ſpecialia ipſis fuit incognitus, dum pro ſubjecto febris unico & vero cor cum arteriis conſtituant atque habeant. Nos ſimul ſpiritus adjicimus, qui tonum partium ſolidarum, à quo ſanguinis motus & circulus variè modificatur, conſervant atque tuentur & varios efficiunt ſpaſmos atque motiones humorum irregulares.

Cauſa quare ſanguis in febrilibus inſultibus maximè ipſorum initiis ab extremis partibus ad interiora majori impetu ruat atque feratur, vel

potius ad vaſa interna regurgitet, ſicque liber ſanguinis itus & reditus impediatur, eſt obſtructio vel clauſio meatuum, quos fabricavit natura in integumentis corporis ad ſeparanda per evaporationem & tranſlocationem ſeroſa excrementa. Obſtructio autem hæc vel à quantitate humorum & plenitudine ſanguinis fit, replente & condenſante poros & meatus, vel à materia qualitate magis infenſa, acri, acida, conſtringente, uti in impuris corporibus ſcorbuticis evenit, vel à ſolo motu anomalo & inordinato ſpirituum ſpaſmodica quædam conſtrictio accidit, ſicuti id evenit à præpoſteris animi affectibus, ira, terrore, abhorreſcentia. Unanimi ferme conſenſu omnes veteres in prohibita perſpiratione corporis febrium cauſas poſuerunt; eleganter id exprimit ipſe *Hippocr. libr. de Locis in homine p.* 88. dum inquit: *At verò febres hanc ob cauſam oriuntur, cum pituita biliſque concluſa conquieverit, nihilque refrigeretur, neque exeat, neque moveatur, neque aliud quid ſubeat.* Per hæc verba nihil aliud intelligit quam tranſpirationem corporis in febribus prorſus eſſe impeditam. Reſpicit enim eò ipsâ in curâ, dum inquit: *cum laſſitudo febris & plenitudo detinuerit, multa aqua lavandum, & liquido illinendum & quàm maximè calefaciendum, quò calor aperto per ſudorem corpore exeat, undique enim apertum corpus, & reſpirans, ac motum, quod facit, conducit. Galenus lib. 9. methodo medendi meatuum obſtructiones febrium cauſas credit, quare omnia frigida in curando damnat, vid. Mercurial. in Commentar. lib. Hippocr. de arte pag.* 17.

Cauſa æſtus & caloris intenſiſſimi, qui in febribus obſervatur, eſt ipſe motus tam inteſtinus quàm impulſus ſanguinis vehementior ad peripheriam & habitum corporis quodammodo anguſtatum. Etenim quando regurgitat atque repellitur ſanguis ſub meatuum cutis conſtrictione, copioſius colligitur & concentratur in majoribus vaſis internis, unde reſpiratio concitata & pulſus celer à corde perpetuò irritato dependet, portio autem aëris ſubtilior, cum copioſius reſpiratione citatiori intrò ſubeat pulmones ipſumque ſanguinem penetret, per ejus poros obſtructos & denſatos, non libere & recta linea pertranſire poteſt, hinc in omnia latera refringitur, unde motus vorticoſus & inteſtinus particularum ſanguinem conſtituentium exſurgit vehementiſſimus, qui ſanguinis partes mirum exagitat, confundit, humidas diſſipat, ergò æſtus internus maximus fit. Cum autem ſanguis inteſtinè ſic motus ac rarefactus expanſiva ſua vi obſtructa removere ac reſerare ſoleat, accidit, ut primùm per poros cutis adhuc anguſtos ſumma celeritate percurrat, unde ex colliſione atque attritione partium ſolidarum à celerrimo ſanguinis motu æſtus fit maximus, cum autem tandem meatus magis dilatentur ſub ſanguinis interno calore evenit, ut pleno impetu in laxatam cutim intro foras ſanguis procedat, unde habitus corporis tumidus, rubicundus, undoſus evadit, ſubſequente liberiori tranſpiratione atque ſudore bono critico; reliquus enim magis ſymptomaticus eſt, & dependet à ſubſiſtente in habitu corporis ſanguine. Ex reciproca hac ſanguinis motione atque tranſlatione omnia, quæ diverſis in ſpeciebus febrium eveniunt ſymptomata atque phænomena, pro diverſa indole humorum atque varietate cauſarum quàm feliciſſimè explicari poterunt, uti ſpecialiter in inferioribus breviter depromere id volumus. Unica meliori examine digna quæſtio, de qua jam in prioribus aliquid reperitur, adhuc occurrit, utrum nimirum in febrilibus paroxiſmis propter pulſus celeritatem circulatio ſanguinis aucta ſit? Dicimus: cordis conſtrictionem non tam ab influxu & effluxu ſanguinis, quàm influxu ſpirituum dependere, quoniam nervis ad cor tendentibus diſciſſis ipſum motum ſuum amittit. Deinde etiam cor avulſum & à ſanguine liberum pulſationes adhuc quaſdam agit, ut adeò ſanguis à corde ſaltem ejuſque motu reciproco accipiatur & reddatur; adeoque & cor licet craſſus & frigidus ſanguis ſit, vel etiam nimis calidus, motus ſuos exerere poſſit. Fit itaque magis motus celeritas à ſanguine reſtagnante in arteriis & corde, à cujus copia ſe exonerare vult crebris pulſationibus, quamvis in caſſum, non ſecus ac ſtagnantis ſanguinis copia in pulmonibus ad reſpirationem citatam thoracis muſculos ſtimulat.

Quoniam autem omnis Theoria traditur propter praxin & curationem, hinc priuſquam particularem tractationem febrium aggrediamur, neceſſe erit, brevibus ſtrictimque adjicere, quinam ſcopus in genere febres ſanandi proficiat, & quænam præſidia ex datis cauſis indicentur atque proficua ſint, quæ autem minimè.

Facile itaque conſpicua ratio eſt; quare V. S. non genuinum ad tollendas febres ſit remedium exceptis ſanguinis febribus, ſynochis dictis, vel etiam Ardentibus, ſi plethorici & quibus ordinariæ evacuationes ſuppreſſæ fuerint, ipſis corripiantur, ubi ad præpedienda ſæviora ſymptomata ſummè utilis ac neceſſaria eſt. Alias obſervatum, malignas diſſipatis viribus magis incrementum à v. ſ. ſumſiſſe & intermittentes lentas magis diuturnas & rebelles factas fuiſſe. Sanguinis evacuatio per ſe ad obſtructiones reſerandas, quæ cauſæ inordinatæ febrilis motionis ſunt, nihil efficit; Nec video, quomodo purgantia, præcipuè fortiora, circulum ſanguinis in ordinem atque æquabilitatem reducere, & obſtructiones in habitû corporis conſiſtentes tollere ac tranſpirationem debitam efficere parata ſint; idem tenendum eſt de vomitoriis. Ad commodiorem & expeditiorem autem curam conferre poſſunt, quando turgent inteſtina & ventriculus ſaburra vitioſorum humorum, quod in intermittentibus ſæpius accidit, repletus eſt, ubi ut plurimum inteſtinorum canalis primaque regio fovet peregrinum illum humorem, ſeu fomitem febrilem, qui ſucceſſivè ad ſanguinem delatus obſtructionis & circulationis impeditioris cauſa ac parens eſt. Quod attinet ſudorifera fortiora cum regimine calido præſcripta, maximè circa tempus horroris & in principio febris exhibita nocentiſſima ſunt, omnia enim ſymptomata exaſperantur, anxietas præcordiorum major, intenſior calor, ardor & oris ſiccitas & ſitis inexpugnabilis fit, nec non irrequieta membrorum jactatio & inquietudo corporis exurgit, quoniam occluſis poris ſubcutaneis major in ſanguine facta rarefactio & turgeſcentia efficit majora ſymptomata. Prudentis itaque Medici eſt, à calidioribus ſudoriferis, perpetuò, quod ego ſoleo facere, abſtinere; nunquam enim tuta vel ſecura deprehendi. Tacemus ex catarrhalibus hac ratione facilè fieri continuas, petechiales, ex tertianis intermittentibus continuas

nuas ardentes, ex lentis, hecticas &c. Neque diuretica maximè illa, quæ ſerum præcipitant à ſanguine, vel calido principio fundente inſtructa ſunt, laudabilem uſum præſtare poſſe, perſpicimus, illa enim ſanguinem ſero amico fluido, quod ſervandum erat, privant, & intenſiorem æſtum ſub paroxyſmis febrilibus inducunt.

Refrigerantia vulgo dicta tam virtute quam actu externe & internè adhibita, item omnia acida, aquea in magnâ copiâ admiſſa, quoniam meatus magis obſtrùunt atque condenſant, nocivam vim in quavis ferme febre exerunt, unde prudenter Galen. *lib. IX. meth. med.* omnia frigida, quoniam craſſos humores efficiunt, in cura damnat, laudat autem illa quæ obſtructos meatus reſerant, abſque multo tamen calore. Referri huc quoque debet adſtringentium internorùm v. gr. chinæ, vitriolaceorum, aluminoſorum, uſus, quæ intempeſtive inter initia morbi exhibita ventilationem ſanguinis impediendo, & firmando obſtructiones, ac figendo materiam, pernitioſiſſima eſſe ſolent, dum vel intermittentes in pejores morbos, nimirum in lentam febrem, hecticam, hydropem, aſthma eos præcipitant, vel remanènte materia virulenta majorem putredinem ipſamque mortem in malignis cauſari poſſunt. Poſtremo excutienda etiam venit illa quæſtio, utrum copioſus potus in febribus officiat? Dicimus paucis: liquida & humida febricitantibus maximè convenire, juxta *Aph.* 16. *Hipp. lib.* 1. Solidos autem cibos peſſimos eſſe, juxta *Aphor. XI. Sect.* 1. maximè ſi febres periodicæ ſint, quæ poſt alimenta aſſumta ingraveſcunt, rationem perpulchram & noſtris principiis accommodatam reddit *Heurnius* in commentario ad eund. Aph. *nam eo tempore*, inquit, *refluì ſunt cuncti ſucci ad centrum corporis, unde opprimitur, anxia fit reſpiratio, ac alvina regio ab impuris ſuccis incurritur, ſi cibum tunc dederis, in impuritatem ille abit, ac diſtento hypochondrio opprimitur pectus: unde anxia reſpiratio ac calor cordis major; his adde, quod à pepaſmo ad pepſin malè avoces naturam; in ſe incrementa ducit morbus, ſive ille ſit phlegmone, obſtructio; vel à plenitudine, aut putredine natus. Opprimitur enim horum mole.* Tandem dici vix poteſt, quantum mulierculæ in omnibus febribus, præcipuè malignis & lentis, noceant juſculis ſuis confortantibus, alimentoſis, nutrientibus, dum ipſæ ægrotos perpetuo ſollicitant ad ea aſſumenda. Frequenti experimento edoctus ſum, à copia horum præſente adhuc morbo non tantùm exaſperata fuiſſe ſymptomata, & vim morbi auctam, verum etiam ipſius mortis cauſam præbuiſſe ipſa. Etenim alimentoſa hæc, dum à natura nec regi, ſubigi, atque dirigi ritè queunt, pòtius faceſſunt in impuritates; optimè enim Hippocrat. *Sect. VII. Aphor.* 62. *Si quis febricitanti dederit cibum, quem ſano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit.* Quod itaque generalem curandi febres ſcopum atque methodum attinet, cum ipſæ febres ſint motiones impetuoſæ ac inordinatæ partium fluidarum, corporis ad illud, quod tam quantitate vel qualitate moleſtum eſt, ſubigendum & alterandum vel evacuandum, hinc turbare, præpedire & inhibere iſtos motùs penitus & præpoſtere adſtringentibus, figentibus, acidis minimè licet, neque nimium iſtæ motiones calidis commoventibus augendæ atque acuendæ ſunt, ne vires nimis diſſipentur, & ſymptomata lethifera accerſantur, ſed potius cum Natura, effato *magni Hippocratis, optima morborum Medicatrix ſit*, allaborandum Medico eſt, ut imitetur ipſam & ad ejus motus reſpiciat, ad tempora, quibus ad ſanandum uti ſolet, attendat, ipſamque in operando juvet; nam felix medicatio, cui adjutrix natura ſuccurrit, irrita verò, quæ repugnante natura legibus conſentaneas eſſe debere dudum antiquiſſimi & optimi Medicorum notarunt. Prudens enim meâ ſententia eſt ille Medicus, qui naturæ motus benè obſervat & novit, quando, quomodo motus inſtituendi, vel nimii ſedandi ſint in morbis. Per naturam autem hic minimè ens quoddam cognitione, arbitrio & libertate præditum intelligendum eſt, ſed potius mechaniſmus totius corporis à ſapientiſſimo Architecto Naturæ, tam benigne ac provide ita conſtructus atque coordinatus, ut totum corpus motû à variis cauſis p. n. tueri atque defendere poſſit. Conſentit & jam hic ipſa ratio & experientia, dum videmus ipſa tali motione p. n. quæ febrilis vel morboſa audit, illud quod infenſum ſanguini eſt expelli, & perfectæ ſanitati reſtitui hominem, ut adeo febres, modo prudenter dirigantur & gubernentur, revera optimæ ſint medicinæ, & ſanguinem impurum depurare atque obſtructiones inimicas expugnare poſſint. Quandocunque autem attendimus, qua ratione & qua via utatur natura in ipſis curandis, deprehendimus ut plurimum id fieri diaphoreſi ſpontanea, quâ vel ipſi paroxyſmi febrium, vel tota febris terminari ſolent. Quo circa etiam prudentiſſimè & ſecuriſſimè illi Medici agùnt, qui primum removent illa, quæ liberam tranſpirationem & diaphoreſin præpediunt, ſive lateant in primis viis ſive in corporis habitu, adeoque præmiſſis, ſi opus fuerit, V. S. evacuantibus, deterſivis, abſtergentibus, & corrigentibus totum negotium conficiunt blandis diaphoreticis, & omnia illa quæ ad ipſam promovendam faciunt. Laudatiſſima autem hic ſunt tempore, quod ante omnia attendere convenit, & ſub aëre temperatè calido ambiente liquida, maximè calidè adſumta & ſufficienti in copia, talia ſunt decoct. C. C. citratum, ſcorzoneræ, rad. chinæ, quorum vehiculis adſumi poteſt Tinctura Bez. temperata nimirum ex ſpiritu tartari & vitrioli, utroque volatili conſtans, mixtura ſimplex eſſentiæ ſcordii, cardui benedicti, diaſcordium liquidum; Eſſentiæ florum ſambuci, corticum citri, theriacalis vel nitrum cum camphora ſumtum, theriaca cæleſtis, ſpiritus ſalis ammoniaci cum ſale ſuccini redactus in præſtantiſſimum aperitivum & diaphoreticum, &c. Quæ præſentiſſima ſunt antifebrilia atque alexipharmaca, eadem quoque cum aquis deſtillatis, v. gr. Aqua ſcorzoneræ, borraginis, florum ſambuci, acaciæ, ceraſorum nigrorum, Herb. ſcordii, ſcabioſæ aſſumi poſſunt, item fixiora, uti Antimonium diaphor. Antihect. Poterii, cinnabaris antimonii, regulus antimonii medicinalis, ſalia vegetabilium fixa nitroſa CC. philoſophice præp. mater Perlarum, oculi cancri, immiſceri. Si ſitis nimium urget, acidula volatilia, uti ſpiritus nitri dulcis, ſpiritus vitrioli dulcis, tinctura roſarum, violarum, bellidis, cum potu, cereviſiâ temperata unà miſceri poſſunt. Certiſſimum

ſimum eſt, quod cæteris paribus omnis generis febres diaphoreticis prudenter, nimirum doſi, tempore, ordine & forma exhibitis ſecuriſſimè, compendioſè & certiſſimè non tantum mitigari, verùm etiam perfectè expugnari poſſe, ſemper tamen beneficio temporis, cùm revera quivis morbus pro cauſæ magnitudine peculiare ſuumque tempus ad curandum, requirat. Cæterum quoad diætam tenuiſſimæ & humidæ omnibus febricitantibus ſemper optimæ & tutiſſimæ conſentiente *Hippocrate* ſunt.

CAPUT II.

De Febre Ephemera ſeu Diaria.

Cuncta, quæ huc uſque perſpeximus in genere de febrium natura atque curandi ratione, breviter ſtrictimque diximus. Res jam & ipſe ordo poſtulat, ut ſpecialiora & febrium differentias variamque curandi ipſas methodum ſpectemus, atque perluſtremur; initium autem capere placet à febribus diariis, quia communiſſimæ ſunt omnium, & omnia corpora his ferme ſubjecta ſunt, antecedunt quoque alias putridas, hecticas & facillimè curationem admittunt. Dicitur diaria, quoniam rarius ultra diem naturalem ſive ſpatium 24. horarum durat, ſi autem longior eſt, Synochus ſimplex audit, & differt ſaltem majori gradu & curatione longiori. Invadere ſolet cum horrore levi. Pulſus autem p. n. auctus, dolor capitis cum pulſatione, ſitis inappetentia, nauſea, reſpiratio concitata, facies rubicunda ac tumida, urina non multum differt à naturali, utut interdum coloratior quoddammodo fiat. Quæ ſymptomata omnia in Synocha majora & diuturniora. Aggreditur præcipuè corpora raræ texturæ, bilioſa, & ſenſibilem cutis texturam poſſidentia. Oriri ſolet ex terrore, irâ, dolore graviori, æſtu nimio ſolis, tranſpiratione propter intenſum frigidus impedita, à motu corporis vel etiam animi vehementiori, aſſidua vigilia. Terminatur ut plurimum per ſudorem ſpontaneum vel etiam arte adjutum.

Ex quibus omnibus colligere licet, febrem hanc eſſe inordinatam & impetuoſam ſanguinis circulationem, à concitatiori ſpirituum animalium motu atque influxu in cordis muſculos ex levi tranſitoria cauſa obortam.

Inordinatè autem & concitatius moveri ſolent ſpiritus ſive corpora tenuiſſima aërea machinæ noſtræ, vel ipſo animæ & corporis motu & labore vehementiori, vel magis à cauſa materiali, dum per tranſpirationem quodammodo impeditam ſerum tenuius ſalſius remanens in corpore ad motum ſpiritus p. n. ſollicitat. In curatione primùm attendenda eſt cauſa, quod ſi à nimio dolore, motu animi intempeſtivo, vigilia diuturniori ortum ducit, emulſiva humectantia ac blandè demulcentia omne abſolvunt punctum, nimirum parata ex amygdalis, ſeminibus quatuor frigidis, papavere albo, aquis cordialibus & analepticis. Si à pororum obſtructione, videndum, ne degeneret in continuam per tranſpirationem impeditiorem redditam à frigidis copioſius aſſumtis, ſed potius blanda diaphoretica, uti diaſcordium noſtrum liquidum aſſumptum in aqua florum ſambuci, addito nitro, peræparato convenientiſſima ſunt. Unico enim ſudorifero diſſipari poteſt ephemera & præcaveri continua, quæ etiam avertitur per leniora evacuantia, maximè ſi alvus adſtricta fuerit, quod ſub largo ſudore frequenter contingit.

De Synocho ſimplici, ſeu Febre ſanguineâ veterum.

Dicitur febris hæc à veteribus inflativa ſynocha ſimplex ſine putredine, ſanguinea, quia ſucci plenos & ſanguinei temperamenti invadit. Benè dicit Galenus, *lib. IV. meth. med. cap. 3. In omnibus corporibus indifferenter hæc febris conſiſtere non ſolet, neque in gracili nec frigido corpore; ſed ſanguineis & corpulentis, voracibus, otioſis, vino dulci gaudentibus, familiaris eſt.* Invadere ſolet maximè illos, qui ſanguine ſuperabundant, habitus corporis laxioris & ſpongioſioris ſunt, turgentia habent vaſa, & cereviſia craſſa & vinis dulcibus oleoſis delectantur, quæ ſanguinem in venis multum adaugent; inprimis tempore vernali menſe Majo, & ſub auroram, ubi ſanguis & humores magis in orgaſmo conſtituti ſunt, aggrediuntur, pulſus ſolet eſſe magnus & celer, urina primis diebus tenuis, quarto autem cum ſedimento, calor eſt halituoſus ac mitis, nec ita acris, ſicuti in febribus putridis ac acutis, ubi cutis arida & exſucca magis obſervatur. Cauſas vehementiores habet quam diaria, ad dolores enim graviores, vehementiores animi motus conſequitur. Cutis magis adſtricta & conſtipata exiſtit ab externis frigidis conſtringentibus, vel etiam ab internis, tam copia quam qualitate infenſis humoribus, maximeque ſanguinis; pro explorato enim conſtat, ex evacuationibus ſanguineis, ſolemnibus, conſuetis ſuppreſſis, v. g. menſium, narium, hæmorrhoidum, vel V. S. in plethoricis & adſuetis neglectâ propullulare hanc febrem, poſt nimiam corporis incaleſcentiam, ſi ſubitò frigidus aër corpus petit, ſæpiſſime quoque obſervata fuit à Practicis: Reſpiratio quo liberior eſt, eo melior res, & contrà, quo major anxietas, anguſtia & reſpiratio quaſi ſuffocatoria, eò pejor imminet rei ſtatus. Febris hæc ſi V. S. intermittitur & calidis fortioribus tractatur, degenerat facilè in pleuritidem aliaſque inflammationes, in ſenibus in affectus ſoporoſos, ſi verò nimium refrigerantia data fuerint, in lentam & hecticam abire ſolet. In impuro, & ad putredinem diſpoſito corpore ſimplex hæc ſynocha lubentiſſime mutatur in putridam. Notabile potiſſimum eſt poſt adminiſtratam V. S. calorem ſenſibiliter imminui & ſudorem quoque promptius proſequi.

Ex quibus colligitur febrem hanc oriri à ſanguine copioſo, qui vaſa capillaria cutis ejuſque poros infarcit, obſtruit, & liberiorem ventilationem ac tranſpirationem impedit, unde ſpaſmus in cute facillimè excitatur, concurrente maximè cauſa externa, frigido aëre, &c. Regurgitat ſic ſanguis copioſus ad vaſa interiora, ubi anxietatem oppreſſoriam, dolorem dorſi, pulſationem arteriarum circa tempora producit, ſi fortioribus calidis magis exagitatur, inflammatorias ſtaſes, impetuoſius in ſolidas partes adactus facillimè cauſari poteſt. In lentam tranſit, ſi copioſus ſanguis refrigerantibus denſus, craſſus & viſcidus redditur, unde ventilatione humorum

humorum & liberiori ætheris per ejus poros motione plus impedita lentus exſurgit calor. Cuncta quæ ad ſanguinis copioſi generationem faciunt, ſicuti temperamentum ſanguineum, ætas juvenilis, tempus vernum, diæta lauta & vinoſa, otium, dulcia copioſe aſſumpta, item ſpirituoſa dulcia ingignunt hanc febrim. Facilè ex hiſce apparet, optimum auxilium hujus morbi eſſe venæ ſectionem maturè inſtitutam, poſt eam, alvum quæ ſicca & ſegnis plerumque eſt, ducere convenit, ſive externo ſtimulante aut enemate, ſive infuſo laxativo interno. Veteres conſultum duxerunt evacuans præmittere V. S. ne impuri humores prima in regione collecti tranſeant celerius in vaſa exinanita. Vinum in hoc morbo niſi in declinatione, planè exulet. Veteres itidem uti ſolebant balneo aquæ tepidæ ad poros obſtructos aperiendos & victum humectantem & refrigerantem concedebant. Ceterum leniora diaphoretica v. g. lap. cancrorum, mater perlarum, antimonium diaphor. nitrum præparatum, Diaſcord. Fracaſt. cum aqua ſcorzoneræ, florum ſambuci &c. mixta, præſentiſſimam opem ferunt, non omiſſo ad potum decocto C. C. infuſo herbæ theé &c. Ita quarto die ut plurimum terminatur, vul etiam 7. ſudore ſæpius largiſſimo, nonnunquam etiam in ætate juvenili per hæmorrhagias. Victus tenuiſſimus ſ. potius abſtinentia commendanda in hoc morbo maximopere etiam eſt.

De Febre ardente, bilioſa, Cauſo, Tertiana continua.

Febris hæc ſuas quotidie exacerbationes habet; adoriri ſolet poſt ſolſtitium vel æſtivum, vel hybernum, ubi periculoſior eſt. Menſe Julio, & Auguſto frequentior. Levis præcedit horripilatio, ſuccedit calor torridus, citra madorem, quam ob cauſam dicitur Cauſus ſeu combuſtio, adeoque major æſtus complicatus eſt Cardialgiæ, & dolores acerbi in præcordiis per intervalla urgent. Adeſt capitis dolor, mox inſomnis, pulſus celer & debilis, dejicere ſolent & quidem bilioſa, flava, fœtida per alvum & criticè & ſymptomaticè. Quando alvus conſtricta eſt, majores patiuntur anxietates & ſæviora ſymptomata; urinæ tenues, pellucidæ imprimis, ſi cum delirio junctæ ſint, peſſimum ſignum præbent, hinc benè monet Galenus: *nullum ſe vidiſſe delirantem, in quo talis urina obſervata fuerit, ſanatum.* Poſtremo peſſimum ſignum præbent extremorum horrores & refrigerationes internis æſtuantibus, *vid. Aph.* 48. *ſ.* 4. *Hipp.* Sudor ſi non æqualiter per corpus profluit, ſed tantum in capite vel ſuperioribus partibus ſubſiſtit, nec ad inferiora tranſit, identidem malum indicium eſt. Terminari ſolet, & quidem in ſalutem ut plurimum die ſeptimo, ſive per hæmorrhagiam narium in ſanguineis & ætate juvenili, vel per dejectiones bilioſas in Cholericis, ad iracundiam proclivibus & liberaliori vino olim ſe replentibus, vel per ſudorem in viris & ſubjectis magis pituitoſis. Notandum autem, quod juxta *Aph.* 50. *ſect. IV.* Hippocr. *febricitanti crebri ſudores ſi ſupervenerint, febre remiſſionis experte, calamitoſum eſſe: protrahitur enim morbus & excrementitium multum humorem ſignificat.* Tranſit perfacile in pleuritidem, item in anginam vel etiam anxietates cardialgicas, imprimis ſi tranſpiratio à cauſa quadam externa impedita, & interne calidiora adminiſtrata fuerint, vel etiam ſi alvi ſuppreſſa dejectio fuerit: ſalutariter deſinit in icterum juxta Hippocr. *Aphor.* 64. *lib. IV.* indicio cauſticam, bilioſam, acrem materiam à ſanguine ſecretam beneficio naturæ ad corticem corporis expulſam fuiſſe, unde icterus ille eſt criticus. Quoad exacerbationes obſervatur, morbum hunc tertianarum typum ſervare, ita ut calor quidem continuus, aſt ſymptomata alternis diebus exacerbentur. Infeſtat hæc febris maximè bilioſos, macilentos, corpora rarioris texturæ, juvenes, viros, rarò ſenes vel infantes, ex iracundia, nimio motu, ſudoris ſuppreſſione, exanthematum repulſione, potu liberaliori vini, dulcium abuſu, originem ſumit, & quando jam præſens eſt, hiſce quoque mirabiliter exaſperatur. Obſervavimus febres catarrhales cum tuſſi in ſubjectis bilioſis deſiiſſe tandem in tertianas continuas. Ægrotantes plerumque ſolent eſſe præcipitantes, loquaces, impatientes, ad iram ex levi cauſâ proni. Ex hiſce omnibus probe penſitatis conſequitur, febrem hanc oriri à copioſis partibus bilioſis, acribus, cauſticis, ſulphureis, partim in ſanguine exiſtentibus, & jam ab ejus contextu atque involucro ſe liberantibus, partim per ductus biliarios in inteſtinum duodenum magna copia effuſis, unde ſymptomatum huic febri familiarium ratio facillimè peti poteſt. Veteres identidem accuſarunt bilem flavam intra vaſa putreſcentem & validum fervorem concipientem.

Hiſce conſideratis in promptu eſt concludere, quænam ad curationem ardentis febris potiſſimum conferant. Placet autem ſequentes cautelas hunc in finem ſubtexere: 1. Vitanda ſunt hoc in morbo omnia fortiora commoventia, cujus generis ſunt, purgantia, validiora ſudorifera, ſpirituoſa, vinum, ſalia volatilia oleoſa, hæc enim motu atque calore ſulphureas, copioſas, peregrinas partes in ſanguine magis accendunt & vehementiora proferunt ſymptomata, in ſpecie anxietates, cephalalgias, ſudores ſymptomaticos continuos, delirium, aſſiduam vigiliam, & quæ à ſimili cauſa pendent. Pro generali enim inſervit regula: tutius multo eſſe in ardentibus mitioribus medicamentis perpetuo rem agere quam validioribus. 2. Si unquam etiam pro Galeni ſententia *lib. XI. meth. med.* ſaluberrima eſt V. S. certè in dicta febri, præſertim ſi perſonæ temperamento ſanguineæ vel ſanguineo-cholericæ ſint, aut intemperiè bilioſa morboſa laborant, at verò maturè inſtituatur conſentientibus ætate ipſiſque viribus. Ita natura levata eo, quo veluti ſarcina premebatur, facilius quod reliquum eſt vincere atque ſecernere poterit. Accedit quod ſanguis exſuperans fortiori motu exagitatus anxietates oppreſſivas, inflammationes periculoſas aliaque verenda ſymptomata ordinarie producat. 3. Conſultò alvus aperta ſervanda eſt mollientibus clyſteribus, & nunquam diarrhϾ ſpontaneæ adſtringentibus terreis vel opiatis ſupprimendæ ſunt; etenim frequens obſervatio fidem mihi fecit, ſemper præſtare alvum hac in febre eſſe laxam, fluidam quàm conſtrictam, ad hanc enim conſequi ſolent cardialgicæ anxietates, ſingultus, delirium, vigiliæ, oris inflammationes, linguæ ſiccitas & nigredo, & ejuſdem generis plura. Quinimo obſervavi potius nitroſa cum præcipitantibus & diluentibus

exhibita non nocuiſſe in dejectionibus crebris, ſed potius inſignem utilitatem attuliſſe. 4. Si nimiæ fuerint hæmorrhagiæ die 4. vel etiam 7. plerumque infeſtantes, nunquam illæ ſiſti debent vel externis vel internis, & frigus quoque omne arcendum ab illis eſt; quo plus enim in calore temperato & diaphoreſi temperata æger ſervatur, hòc tutius procedimus. Convenit autem tunc temporis refrenare paululum impetum ſanguinis emulſionibus, item nitroſis abſorbentibus remediis. 5. Tranſpiratio ac diaphoreſis blanda toto morbi decurſu, præſertim circa dies decretorios, nullo impedienda modo eſt; hinc cane pejus & angue fugienda extrinſecus applicata frigida, maximè dorſo, copioſus frigidus potus, cibi ſolidi, remedia conſtringentia, opiata, terror ſubitaneus, ſimiliaque. Aurea enim à veteribus notata regula eſt, cujus veritas quotidiano adhuc confirmatur experimento: in vigore morbi acuti quietem habere oportet, nec corpus ullo pacto exagitare, ne naturæ impetus impediatur. Quando 11. die madores in cute roſcidi apparent, & urina aliquando concoctior, plerumque decretorie ſudare ſolent, qui ſudor promovendus ſufficienti potu decocti cornu cervi citrati. Plerumque uti proditum eſt ab Hippocr. *libr.* 2. *Aph.* 13. nox gravis & inquieta præcedit iis quibus criſis perfectè fit. Sudorem in copioſum per univerſum corpus erumpentem ordinarie ſolvitur morbus, interdum etiam cum ſudore ad aliquot dies largo, bilioſa, & corrupta dejiciuntur. 6. Optima hujus morbi præſidia ſunt humectantia, demulcentia nitroſa, leniora diaphoretica, acidula & mixturæ ex aquis ſcorzoneræ, borraginis bugloſſæ flor. tiliæ, ſambuci, nympheæ, papaveris rhæados, item nitro purificato vel regenerato, oculis cancri, matre perlarum, conchis præparatis, diaſcordio Fracaſtorii, ſpiritu ſalis vel nitri dulci, tinctura roſarum, julepo roſarum, ſyrupo granatorum pro re nata concinnandæ, vel etiam cum aquis prædictis & ſeminibus 4. frigidis emulſiones præparari poſſunt egregie demulcentes & humectantes.

De Febribus putridis malignis petechialibus.

SÆviſſimi omnium morborum genus humanum miſere interficientium certè ſunt febres malignæ veteribus dictæ putridæ, quæ brevi tempore exitiabili ſymptomatum agmine ſtipatæ totam œconomiam corporis pervertunt & vitæ mirum inſidiantur. Dignum notatu eſt, quod frequentius inter initia tam levibus ſymptomatibus incedant, ut non tantùm à Medicis ægrius cognoſcantur, verum etiam ipſos in prognoſi ſæpe numero fallant. Ingens autem obſervatur ſymptomatum hiſce in morbis diſcrepantia, utpote non paria in omnibus individuis cernuntur, ſed contraria interdum & inter ſe pugnantia, prout nimirum & malignitatis cauſæ & ipſa corpora, ratione temperamenti, ætatis, victus, cœli inter ſe differunt. In hoc tamen convenire potiſſimum videntur omnes maligni, quod ſubitus virium prolapſus ſive corporis & animi in robore ſuo defectio, mentis cum aſſidua vigilia turbatio, pulſus arteriarum exilior, imbecillior & inæqualior, urina ſine coctionis ſignis ſanorum ſimilis, præcipua atque ſpecifica malignitatis indicia conſtituant, cætera omnia accidentalia ſunt. Ita in aliis apparent exanthemata, in aliis autem non, in aliis anginæ & oris inflammationes ardentes viſuntur, in nonnullis anxietates intenſiſſimæ præcordia occupant, item caput truculentiſſimi invadunt dolores, quibuſdam deliria, quibuſdam etiam ſoporoſi affectus accedunt; præterea cernimus etiam non levem ſymptomatum differentiam pro diverſitate complexionum. Ita qui temperaturæ humidioris exiſtunt & corpus magis laxum & ſpongioſum nacti ſunt, æſtum ſentiunt leniorem, delirium longè remiſſius eſt frigidis, & copioſis & debilitantibus perfunduntur ſudoribus. In pectore tuſſiculoſi & catarrhoſi aliquid percipitur, ſitis in ipſis eſt pauca. Ex adverſo qui ſulphureis in ſanguine abundant partibus & vulgò Cholerici audiunt longè intenſiorem in corpore ardorem, internarum partium incendium, ſitim inexplebilem experiuntur, in his quoque facilius ſuccreſcunt inflammationes meningum, unde phrenitis; orificiorum ventriculi, unde cardialgiæ; vel etiam inteſtinorum, unde diarrhœæ fœtidiſſimæ bilioſæ natales ſuas agnoſcunt. Diverſum quoque horum morborum eſt ingenium diverſaque malignitatis cauſa, prout ſcilicet tempeſtatum præcedentium conſtitutio diverſa eſt, quæ plerumque epidemias pernitioſas has affectiones progignunt. Sapientiſſimè ſcripſit Hipp. *Aphor.* 8. *Sect. III.* *Conſtantibus anni partibus ſi tempeſtates convenienter ſuccedunt, benè morati facilis ac ſecundi judicii incidunt morbi. At incertis, malè moratis maleque conſtitutis temporibus adverſi difficiliſque judicii incidunt morbi.* Item *Aphor.* 1. *Sect. III.* *Mutationes defectioneſque temporum maximè pariunt morbos, & quæ in ſingula anni tempora incidunt, inſignes mutationes frigoris aut æſtus, cunctaque alia ſic pro ſua natura.* Ita obſervatione conſtat, ferventiſſimam diu durantem æſtatem ſub principium autumni ſequi dyſenterias & diarrhœas malignas, febres quoque inflammatorias, ardentes, putridas, quandoquidem continuo ardore ſucci corporis corrumpuntur acredinem cauſticam concipiunt, & copioſa infecta, quæ exhalationibus venenatis ſalino-cauſticis atmoſphæram inficiunt, generantur, cunctaque alimenta peregrinam induunt naturam. Eadem ratione tempeſtas nimis humida, ventis qui aërem ventilant deſtituta, cœlum perpetuò nebuloſum ac pluvioſum in mollibus atque humidis corporibus facillimè excitant putredines: etenim ſpiritus qui regunt & movent ſanguinem noſtrum, illumque in craſi & mixtura ſua ſervant & à putredine defendunt, omni vi ac robore tunc deſtituti ſunt, undè ſub tali tempore naſcuntur febres putridæ cum copioſis excretionibus per tuſſim & ſudorem conjunctæ, vires magis proſternuntur & interiora utuntur, exteriora autem ardent quod ſphacelosis viſcerum inflammationibus ſemper ferè accidit; Cæterum delirium eſt mite, calor in externis partibus mitis: Quo caſu ſedula attentione opus eſt, ne Medentes curam lentarum aut catarrhalium febrium ſummo cum ægrotantium periculo inſtituant.

Quando ſubito poſt diuturnam & humidam aëris temperiem ſequitur frigus intenſum, morbi maligni identidem excitari ſolent, experientia etiam teſtatur, malignos morbos tam febres quàm variolas & morbillos plerumque evadere perti-

pertinaciores, quo magis gelu urget, & quam primum remittit gelu, remittere etiam malignitatis vim.

Notanda etiam porro venit malignitatis indoles ratione magnitudinis, dum alia minor, minus acutum, vires tamen proſternantem producit morbum, alia major, acutum, imò acutiſſimum, ad peſtis naturam accedentem (quæ nil niſi febris maligna acutiſſima eſt) progenerat. Obſervandum & porro in dictis morbis interdum exanthemata, anthraces, bubones, quod in peſte fit, in partibus glandulofis, aliquando maculas, præſertim in pectore, in dorſo, collo exiguas, parum in medio elevatas & aſperas, ſumma cum virium proſtratione ſuboriri, quod in febribus, quas petechiales appellamus, accidit, naſci, aliquando verò in ſumma malignitate non apparere tales excretiones. Notandum autem hic malignas has maculas benè diſtingui debere tam à maculis ſcorbuticis, quàm à variolis & morbillis, nec non purpura, vulgò *Frieſel*, ab exercitato Practico, quod fieri poteſt, ſi attendat ad illud malum, quod epidemice tunc temporis graſſatur, & reſpiciat quoque ad ſigna ſingulis his morbis ſpecifica & familiaria; Poſtremo alia malignitas eſt nativa & primordialis, quæ generatur in ipſis corporibus, alia eſt adventitia; quæ ab extra accedit ſanis corporibus per ipſum contagium. Pro explorato itaque conſtat in impuris corporibus ſcorbuticis, cachecticis, hyſtericis, pituitoſis, obeſis, gravidis mulieribus, infantibus & qui corpora habent minus perſpirabilia, facillime generari diſpoſitionem humorum ad putredinem & malignitatem. Deinde quoque nihil magis obvium eſt, quam quod corpora ſive laboribus nimiis, ſive etiam affectibus animi, mœrore, triſtitia, item fame exhauſta, uti militum ex caſtris accedentium, admodum proclivia ſint ad generationem morborum malignorum. Malignitas quæ ab extra accedit corporibus, eſt à contagio, quando ſani homines cum infectis converſantur, qui hauriunt minimæ molis, aſt ſummæ activitatis mediante aëre effluvium, quod cum ſaliva ad primas deſcendit vias, nauſeam primum, imò vertiginem, anxietatem cardialgicam & ſyncopem producit, poſtea cum ſanguine & fluido nuptum in tota œconomia corporis motiones tam vitales quam animales pervertit atque confundit, more omnium venenorum, quæ immediate operationes exerunt in ſpiritus rectores ac moderatores motuum corporis noſtri.

Quod originem malignitatis morborum concernit, deduxerunt hanc priſci Medicorum ex putredinis excellentia, actiones vitales deſtruente, unde etiam peſtilentes febres dixerunt putridas, & hoc non ſine cauſa: nam putredo nil aliud eſt quam diſſolutio partium mixtum intime conſtituentium, unde per putredinem corporum textura, craſis, forma, virtus penitus deſtruitur, ſimile evenit in ſanguine & cæteris machinæ noſtræ fluoribus, dum mixtura horum penitus diſſolvitur & elementa ſanguinem ad vitam aptum componentia à ſe invicem ſecedunt. Sanguinis naturaliter ex partibus ſenſu teſte conſtat: 1) aqueis fluidis, 2) oleoſis, pinguibus, inflammabilibus, 3) terreis quæ cum aqua mixtæ viſcoſitatem generant, & 4) ſalinis quæ cuncta ſanguinis elementa mutuam unionem inter ſe reſpuunt, intime autem uniuntur, miſcenturque mediante motu, quô non tantum recrementa, ſalino-ſulphurea, aque ſuperflua, per congrua evacuatoria à ſanguine liberantur, verum etiam diſtinctiſſimæ ſanguinis ſubſtantiæ intima copula miſcentur atque uniuntur, ut liquor fluidus inſipidus ſenſu teſte homogeneus ad perficiendas vitales & animales functiones aptus evadat. Hic genuinus contextus, hæc nativa ſanguinis craſis non modò valdè turbatur & vitiatur, ſed ferme deſtruitur in febribus, quæ audiunt malignæ; accidit autem illud partim ob defectum ſpirituum, qui ſanguinem vitaliter movere & ejus mixturam motu progreſſivo conſervare debebant; partim ob motum illorum valdè irregularem & turbulentum à miaſmate virulento inductum, undè inordinatæ ſanguinis motiones & ſecretiones non poſſunt non ejus mixturam naturalem valdè turbare & invertere, vel etiam impuritas ſanguinis in majori gradu ſive accumulatio magna ſordium ſeroſo ſalinarum ſulphurearum ad corruptionem vappeſcentiam & putredinoſam ſanguinis deſtructionem valdè diſponit. Remanet igitur ut demonſtremus, dictis in morbis revera adeſſe ſanguinis & humorum corruptionem; item ſeceſſionem elementorum ſanguinem homogeneum componentium, illud autem teſtatum maximè faciunt copioſiſſimæ excretiones ſeroſi humoris per ſudores colliquativos, malignis familiariſſimos; quid enim hi aliud indicant quam violationem vinculi quod intercedit cum ſanguine & ſero? Porro nihil familiarius eſt, quam ut in malignis morbis urinæ copioſæ dilutæ ſecedant, quod funeſtum ſemper indicium notavi. Antiqui Medici ejuſmodi urinas indicare phrenitidem prodiderunt, cum exiſtimarent rapi bilem ad caput; & reſpondet quoque ipſa experientia, tametſi allegata ratio hîc non commodum inveniat locum, ſed potius copioſæ urinæ de ingenti teſtantur ſeceſſione ſeri à ſanguine, undè ipſe craſſior redditus per venas anguſtiſſimas cerebri non benè circulatur, ſed inflammationem ibi parit. Rurſus diarrhœæ malè olentium humorum malignis frequentiſſimè conjunctæ, item elecționes copioſi per tuſſim ſeri, quæ in principio petechialium ſæpius catarrhales febres mentiuntur, nihil aliud notant, quam elementa ſanguinis invicem moliri ſeceſſionem. Porro autem intimam ſanguinis corruptionem in peſtilentialibus, malignis & acutiſſimis febribus teſtantur ſphacelationes & corruptiones viſcerum, ventriculi, inteſtinorum, hepatis, cerebri, quorum exempla ubivis occurrunt apud attentos obſervatores. Inflammationes ardentes, anthraces, bubones, petechiæ, puſtulæ nonne à ſale ſumme acri corroſivo cauſtico ex ſanguinis corruptione producto ortum ſuum habent? Malè olentes urinæ & fœtentes alvi ſordes corruptionis præſentiam non poſſunt non ſufficienter manifeſtare. Ita porro etiam putredo verminoſa hiſce morbis quandoque complicatur, confirmat hoc ipſum Foreſtus *libr. VI. obſ.* 4. *in ſcholiis*, videlicet omnes febre maligna, quæ per æſtatem graſſabatur, ægrotantes, vermes cum fœtido alvi profluvio dejecerunt, qua de re conferri poteſt Kircherus *de peſte ſect.* 2. *cap. IV. it. M. N. C. Decad.* 2. *an.* 5. *obſ.* 99.

Perſpectis ſic cauſis atque origine malignitatis evolutâ opus jam eſt, ut tranſeamus ad curam, quæ in eo potiſſimùm conſiſtere debet, ut primum

mum ſpiritus ſeu partes ſecundum *Hippocratem* impetum facientes, in quibus vis naturæ & motuum tam vitalium quam animalium conſiſtit, & quæ morborum medicatrix & vitæ conſervatrix eſt, omni ſtudio ac ratione ſervemus, generemus atque cuſtodiamus. Spiritus enim maximè patiuntur in malignis, undè perpetua defectio virium, quæ à defectione ſpirituum eſt, malignis jungitur; Deinceps putredinoſa corruptio & ſeceſſoria elementorum ſanguinis deſtructio tam medicamentis quam rerum non naturalium uſu omni ratione impedienda & avertenda eſt, & potius craſis ac mixtura ſanguinis turbata reſtituenda.

Ut autem hiſce indicationibus faciamus ſatis, & felicem in cura effectum adſequamur, notari & memoriæ imprimi merentur ſequentes ſaluberrimæ cautelæ. 1) Prudens Medicus in omnibus malignis, quantum fieri poteſt, cito ſuccurrat auxilio ſuo, quicquid enim laudabile hic præſtatur, id in principio maximè fit. Optimè Hippocrates *ſect.* 1. *Aphor.* 29. *Si quid movendum vel evacuandum eſt, illud ſemper ab initio morbi, ubi vires vigent, fiat.* Si itaque vomitoria, ſi purgantia, ſi ſanguinis miſſiones indicantur, quod tamen rarius fit, dum ipſa materia peccans non tam turgeat vel quantitate peccet, ſed magis qualitate tenuitate, duobus prioribus diebus id fieri neceſſe eſt. 2) Quantum poſſibile, blandiſſimè ac leniſſimè in vigore morbi ſemper procedat medicus, nec nimium moveat aut irritet, undè omnes purgationes, ſudores coacti, remedia volatilia, ſpirituoſa multum motus in ſanguinem introducentia omni ſtudio vitanda ſunt, utpote frequentiſſimâ obſervatione conſtat, hiſce æſtum & delirium magis accendi, vel ſudores reſolutivos induci, aut benignas febres in malignas verti. Spectat huc illud Livii *libr.* 22. *cap.* 18. *Medicos interdum plus quiete quam movendo vel agendo perficere.* Hinc prudentiſſimè illi Medici faciunt, qui in omnibus morbis malignis, & à putredine ortis à violenter commoventibus abſtinent, ſed magis naturæ negotium relinquunt, & ſaltem blandis diluentibus, temperatis diaphoreticis, leniter & ſine calore refocillantibus, ſubinde utuntur. 3) Medicus expertus & judicioſus attendat maximè ipſius naturæ motus criticos, quos nunquam turbet vel ſupprimat vel antè tempus accerſat, *quò enim natura vergit, eò ducenda eſt*, uti ſcientiſſimè prodidit *Hippocrates.* Quare circa dies ſic dictos criticos caveat Medicus, ne medicamenta in contrarium operantia præſcribat ægrotantibus, it. ne incongruis & copioſis alimentis, aëre frigido, affectuum intempeſtivo uſu, remediis acidis, opiatis ſiſtantur excretiones criticæ laudabiles, ſicque mors vel recidivæ pejores à retrogrado materiæ vitioſæ motu accerſantur.

Notari hic velim, ægrum debilem nunquam diu, maximè autem circa criticas evacuationes, in poſitura erecta relinquendum eſſe; facilè enim animo deficiunt, dum propter motum cordis debilem ſanguis perpendiculariter in cerebrum ægrè aſcendit, & ita ſumma corporis refrigerantur, exanthemata jam in cute exiſtentia repelluntur, vel critici ſudores ſupprimuntur, ſummo ſemper cum vitæ diſcrimine, quod non ſemel, ſed repetitis vicibus in praxi meâ obſervavi. 4) Qui ſapienter vult mederi epidemiis malignis affectibus, antè omnia neceſſe eſt, ut noſcat morbi genium ac mores, & ipſius originem, præterea conſtitutionem ægri, habitum corporis, ejus conſuetas excretiones, victum familiarem, & loci, quo degit, naturam. Diverſa enim malignitatis indoles eſt, hinc una eademque medendi methodus in omnibus non obtinet: Morbi enim epidemii toto differunt cœlo, unde optimum monitum eſt feliciſſimi Practici Sydenhamii *libr. de morbis endemiis. In tam ſpiſſa hac rerum caligine nil mihi prius eſt, quàm, quando novæ febres graſſari incipiunt, cunctari pauliſper & ad magna remedia, non niſi tardius procedere, diligenter interim illarum ingenium & mores obſervare, quibus itidem præſidiorum generibus ægri juventur vel lædantur, ut quam primum his repudiatis illis utamur.* 5) Omnium ſecuriſſimam ſanandi ex malignitate ortos morbos ego annotavi ſequentem methodum: (1) Parum reſpicio in cura ad ſymptomata neque ad vigilias, anxietates, neque ad diarrhœas, tuſſes, ſopores, cephalalgias & ſimilia. (2) Abſtineo per totam curam ab omnibus ſudoriferis volatilibus, purgantibus, niſi quod interdum clyſteres admittam, etiam omnibus emeticis, niſi ad præſervationem & ſtatim in principio, ſi morbus à contagio fuerit; it. ab opiatis & omnibus narcoticis. (3) Aërem tam hypocauſti quàm lecti temperate calidum & æqualem purumque commendo. (4) In blanda diaphoreſi ipſum ægrum per totum morbi decurſum retineo, quo fine in principio morbi familiariter utor ſequenti pulvere. ℞. Pulv. bezoard. Senn. aut Ludovici (vel compoſiti ex matris perlarum, lap. cancror. C. C. ſine igne, antimonii diaphoret. p. æqual.) drachmas duas, nitri optime purificati ſcrupulos duos vel etiam tres, camphoræ grana ſex, theriacæ cœleſtis tria, miſce, fiat pulvis, doſis eſt drachma una, reliquo tempore mixturas & emulſiones ordino bezoardicas & analepticas, quæ e. g. compoſitæ ſunt ex aqua ſcorzon. card. bened. ſcordii, ceraſor. nigrorum, flor. acaciæ, ſambuci, flor. aurantior. pulveribus variis bezoardicis, pulvere Marchionis quibus pro re nata additur nitrum vel mixtura ſimplex ad aliquot guttas, vel etiam confectio alkermes, aut ſpir. nitri vel vitrioli dulcis, quæ Julapio roſarum, vel ſyrupo granatorum edulcorari poſſunt. (5) Per totum morbi curſum pro potu commendo decoctum C. C. citratum vel calide vel frigide ſumtum, cui interdum addi poteſt ſpir. nitri dulcis, vel etiam eſſentia ſcordii, in ſcordio enim & camphora præcipua & excellens vis reſidet alexipharmaca. (6) Reliqua omnia committo naturæ, & benè attendo ejus excretiones criticas, in quibus prudenter movendis, vel ſi opus eſt, ſiſtendis judicio opus eſt ſolido ac firmo. Ita divina adſpirante gratia plures ægrotantes petechiis, acutis putridis febribus, variolis, morbillis, febribus purpuratis mali moris decumbentes feliciſſimè ac tutiſſimè in praxi mea ſanavi atque reſtitui, probe gnarus, quæ & quanta damna atque incommoda alii Medici perverſa ſua & vulgari methodo ægrotis ſuis intulerint.

De Febribus intermittentibus.

QUænam ſint genuinæ continuarum & malignarum febrium cauſæ, & quomodo quis rectè has curare debeat, copioſe multaque ratione

tione docuimus in ſuperioribus. Nunc verò ad intermittentes progrediendo, antequam ad ſpecialem tractationem & harum curationes perveniamus, quædam hic generatim præmittenda eſſe duximus. Habent autem eaſdem cauſas cum continuis; quandoquidem irregularis atque inæqualis humorum motio identidem in ipſarum paroxyſmis obſervatur, non ſecus ac in continuis; differunt autem in hoc, quod per intervalla redeant illarum paroxyſmi, tempore intercalari à motione taliſmodi irregulari libero, pro quo interſtitio diverſo, diverſa febres accipiunt nomina, & vel quotidianæ, tertianæ, quartanæ dicuntur, quintanæ enim & ſextanæ rarius obſervantur. Deinde in continuarum principio ſemel tantum frigus ac horror invadit, in intermittentibus autem quovis paroxyſmo frigus, horror vel rigor præcedunt, ſubſequente calore, qui tandem ſudore largo vel tranſpiratione reſolvitur. Præterea etiam intermittentes differunt causâ; etenim in continuis vitioſus humor ſanguini vel ſpiritibus admixtus & intra vaſa collectus continenter producit motiones irregulares, donec ipſe correctus vel ſecretus fuerit. In intermittentibus videtur ille magis conſiſtere extra venas, maximeque in ambitu corporis, & poroſa ſubſtantia cutis, ubi tam copia quam nocente qualitate ſpaſmodicas partium ſolidarum & irregulares ſpirituum & ſanguinis producit motiones. Antiquitatem in hiſce prorſus conſentientem deprehendimus, dum continuarum cauſas veteres ſtatuunt materiam febrilem intra vaſa hærentem corruptam, intermittentes autem ab humore extra venas putreſcente, & in habitum corporis poſtmodum propulſo deducunt. Optimè Fernelius *libr. IV. cap. 9.* ſcribit: veterem eſſe opinionem, humorem, qui continens & proxima eſt intermittentis febris materia, in ſolo corporis habitu & extra venas computreſcere. Hunc acceſſionis initio è venis majoribus, in quibus conditus erat ſanguini permixtum in minores, ex hiſce in corporis habitum propelli. Hoc impetu ſummas corporis partes, quarum exquiſitior eſt ſenſus, ferientis humoris occurſu vel inhorreſcere vel rigere. Eo mox ſenſim illic incaleſcere, inflammari, & mox caloris vi diſſipari in ſudores, ſicque acceſſionem finiri, dum nova ſimiliter recurrat. Varia autem Medicorum eſt opinio, quæ ſit ſedes & origo remota humoris vitioſi febrem excitantis, dum alii dicunt, quod ſit ſimpliciter in ambitu corporis, nonnulli autem, quam ſententiam etiam nos amplectimur, illius originem ponunt prima in regione, ubi facile ſordes propter concurſum bilis, ſalivæ, ſucci pancreatici, atque diverſæ naturæ alimentorum concipi poſſe, nemo eſt qui dubitet; meâ ſententiâ in plicis ſive valvulis conniventibus & tunica interiori villoſa glanduloſo-nervea inteſtinorum tenuium minera ac fomes intermittentium exiſtit. Etenim quando amurca ſive bilioſâ ſive acido-viſcidâ, ſive purè viſcidâ tunica ſpongioſa repleta eſt, chylus & lympha tranſiens in oram lactealem venarum perpetuò inficitur, & quoniam ſanguini propter materiæ irregularitatem non miſcibilis eſt, neque etiam excretoriis partium poris benè reſpondet, in ipſis, nec non corporis cortice & glandulis ſubcutaneis ſubſiſtit, & juſta quantitate vel qualitate accreſcente, ſpaſmum, cujus natura eſt conſtringere & anguſtare poros, ibi excitat, & febrilem ſive inverſam ſanguinis motionem à peripheria ad centrum primùm, deinde rurſus à centro ad circumferentiam corporis impetuoſe ſemper gignit.

Ex hiſce perſpicuum eſt, quare in cura intermittentium antè omnia primam regionem Medicus reſpicere, illamque à ſordibus ibi ſtagnantibus, ſive per vomitoria ſive evacuantia aut ſalia abſterſiva alcalia ſive potentiora mercurialia, martialia, & antimonialia remedia liberare debeat. Experientiâ enim compertum habemus, ſæpè unico vomitorio, purgante, vel aliquot doſibus ſalis abſterſivi expugnari intermittentem poſſe. Colligitur autem in alimentorum canale diverſa febris minera, ſive ex ingeſtis vitioſis, quod ſæpius accidit, ubi tamen facilior cura eſt, ſive ex vitio & obſtructione viſceris cujuſdam vicini vel lienis, pancreatis, hepatis, vel ex ipſius lymphæ & ſanguinis impuritate, dum per glanduloſam tunicam ex arteriis meſaraicis inſtillatur, vel per ductum choledochum aut pancreaticum advehitur, quo caſu, ſi nimirum humores univerſali diſcraſia laborant, vel ex veteri viſceris obſtructione vitioſus propullulat humor, non tam facilis curatio febris, ſed potentiora potius deobſtruentia requiruntur, & tempore longiori opus eſt, item aëre, qui ſubtilitatem ſanguini atque activitatem corpori conciliare poteſt.

Ex hiſce etiam facile colligitur, qua de cauſa ex antecedente temporum p. n. conſtitutione vel mutatione intermittentes populariter graſſentur.

Quæſtio rurſus eſt, an dentur intermittentes malignæ & contagioſæ epidemice graſſantes? quod utique aſſerendum exiſtimamus, cum libri medici ſimilium obſervationum pleni ſint, & ipſa experientia hoc comprobet; graſſari autem tunc frequentius ſolent, quando febres petechiales, variolæ malignæ, & putridi funeſti morbi alii ob ſummam temporis præcedentem intemperiem corpora affligunt. Obſervavi malignas intermittentes evenire in perſonis quæ potiſſimùm denſum, craſſum & melancholicum habent ſanguinem, hic enim propter firmitatem non tam facile à miaſmate virulento ſolvitur & putreſcit, excitat proinde magis intermittentes, attamen non citra virium proſtrationem, ſyncopen, pulſum ſub æſtus vigore debilem, vel etiam exanthematum eruptionem; Interdum etiam intermittentes malignam aſſumunt naturam, in ſubjectis ſcorbuticis vel ſumme debilitatis, aut etiam culpâ ipſorum Medicorum, qui præpoſtero nimis draſticorum uſu, & vires ægrotantium proſternunt, & varias turbulentas agitationes in corporibus efficiunt.

Proximum jam eſt, ut explicemus ac ſolvamus quæſtiones maximi momenti, quæ diu etiam fatigarunt nobiliſſima Medicorum ingenia, prima eſt: Cur febres quædam ſingulis diebus, quædam alternis vel quarto tandem ſuſcitentur. Secunda, cur periodos atque ſtata tempora, quibus revertuntur, exactè ſervent; ut autem clarum hoc negotium evadat, neceſſum eſt, ut in anteceſſum notemus, materiam vitioſam febrilem primis in viis ſtabulantem non ſemper eſſe eandem, ſed differre, & qualitate noxia, ſ. eſſe magis vel minus ſalſam, acrem, bilioſam, viſcidam, acidam, ſeroſam, & quantitate atque mole quoque delinquere. Exiſtimamus itaque, in quotidianis, quæ revera ad lentarum naturam accedunt, & ſub veſperam cum pulſu

tardo & raro invadunt, corpora mox calore, mox frigore correpto, delinquere copiam ſeri, ſive diſcraſiam quandam ſanguinis viſcidam; hinc etiam diuturniores ſolent eſſe hæ febres, nec facile curantur, & niſi cachexiæ ſimul obviam eamus, vertuntur in hecticam. Quotidianæ ergo febres, recte notantibus Practicis, non dantur, ſed potius tertianæ duplicatæ vulgo dicuntur quotidianæ. In tertianis judicamus humorem peccantem acredine quadam bilioſâ eſſe imbutum, quæ quo major & volatilior eſt, tertianam duplicem vel etiam tertianam continuam ſuſcitat; ſi autem remiſſior acredo eſt cum ſero viſcidiori, tertiana notha naſcitur, in quâ æſtus non tam acris, ſed mitior, urina non tam flammea, ſed cum ſedimento, & omnia ſymptomata leniora obſervantur, ob id etiam febris hæc tardius curatur; ubi autem major viſciditas delinquit acido ſtiptico ſale referta, quartanæ producuntur; quo itaque mobilior & acrior eſt humor peccans, hoc breviori tempore efficit motiones inordinatas; quo immobilior & ſegnior, eò longius requirit tempus. Eadem jam eſt ratio, quare tempore verno & æſtivo magis familiares ſint tertianæ ſimplices & duplices, in autumno ac hyeme quotidianæ ac quartanæ. Item cur illi, qui ſanguinem ſeroſum poſſident, febribus lentis, qui craſſum, & denſum quartanæ, bilioſum ſalinum tertianis tam ſimplici quam duplici potiſſimum laborent.

Cum itaque pro diverſa conſtitutione materiæ febrilis febrium typi vel accelerentur vel retardentur, fluit exinde, alterata & mutatâ materiæ morbificæ figura, mole vel motu febrium paroxyſmos vel anticipare vel poſtponere, item unam febrem converti poſſe in alteram, quod in praxi ſæpenumero experimur. Sic obſervavi, ab acidorum, it. Chinæ abuſu non ſolum longe pertinaciores factas fuiſſe febres, ſed & tertianas tandem mutatas fuiſſe in quartanas: Deinde nihil magis familiare eſt, quam ut ex tertiana ſimplici tertiana duplex, vel bilioſa ardens fiat nimio abuſu volatilium & calidorum.

Alterum quod ſpectat phænomenon ſolvendum, cur nimirum ſtato die ac hora recurrere ſoleant febres, dicimus ſupponi certam ad febrem quantitatem ac qualitatem materiæ morbificæ, quæ apta ſit movere ſpiritus, inordinate atque ſpaſmodice. Cum autem in omni paroxyſmo maxima pars materiæ morbificæ diffletur, neceſſe eſt, ut requiratur certum tempus, quo iterum fiat certa collectio materiæ vitioſæ aptæ ad motum inſtituendum febrilem. Cum autem, ut in tota rerum natura, ſic quoque in microcoſmo omnia certo numero, pondere, & tempore, fiant, & circulatio ſanguinis quoque juſtos ſuos rhythmos ſervet, facile inde colligere pronum eſt, cur certo ſaltem temporis ſpatio generetur proportionata materia febrilis: deinde tribuendum quoque eſt hic multum conſuetudini, quoniam ſpiritus animales ſive Natura, ſi motum aliquoties certum inſtituerunt, facillime ipſum repetunt, quamvis, in quo illud conſiſtat, determinare difficillimum ſit. Sic notum eſt, quando quis conſueſcit certa hora vigilare, ſomnum vel cibum capere, certo iſto recurrente tempore etiam ipſi non cogitanti obrepit ſomnus, vel evigilat, vel appetitus adeſt cibum capiendi: Sic quoque multi morbi ſunt periodici, nimirum: dolores, hæmorrhagiæ, quæ per certum menſem vel etiam annum recurrunt. Patet quoque inde, cur menſes vel hæmorrhoides exacte typos ſuos ſervent. Sæpiſſime etiam contingit, licet omnis cauſa febrilis abſit, & febricitantes bene ſeſe habeant, recurrere iſtum motum ſpirituum inordinatum febrilem. Juvat tunc contraria impreſſione horum motum immutare & alio vertere, quo fine practici commendant acria veſicantia, dolorem excitantia, opiata; Ita quoque variæ impreſſiones per amuleta, affectus animi, terror, triſtitia, ira, ebrietas & alia ſæpe curant febres. Quæ omnia luculentiſſime teſtantur, ſubjectum febrium principaliter eſſe ipſos ſpiritus, qui irregulares iſtas motiones ſanguinis & ſpaſmos in febribus concitant.

Ex hiſce jam adductis clariſſimum eſſe judico, feliciſſime intermittentes tunc curari, quando materia peccans febrilis primis in viis conſiſtens vel corrigitur vel aufertur atque evacuatur. Deinde quando illud heterogeneum, quod ſanguini immixtum fuit, ſecundum naturæ ductum diaphoreſi tam ſubigitur quam expellitur; Et tandem omnia evacuatoria, & principaliter meatus ſubcutanei excretorii roborantur, & illorum tonus nimis relaxatus, valde deſtructus, reſtituitur. Primæ indicationi ſatisfaciunt varia correctoria, abſorbentia, præcipitantia ſic dicta, incidentia, & attenuantia, ſalina abſterſiva, it. evacuantia, emetica, laxantia; Omnium autem optime aufertur materia vitioſa per inediam vel abſtinentiam, hæc enim optime febrium intermittentium curatrix eſt. Certiſſimum enim febris diu duraturæ indicium eſt, ſi ægrotantes multum appetunt & comedunt, cum contra inediâ & ſanguinis craſſus dividatur, ſubtiliſetur & tranſpiratione expeditiori reddita materia ſuperflua melius ſubigatur & expellatur. Si ex obſtructis emunctoriis aut viſceribus febrium fomes propullulat, deobſtruentia locum inveniunt, & non tantum ſalina, verum etiam potentiora, ſcilicet martialia, antimonialia, & mercurialia, in uſum trahenda ſunt; Secundam complent indicationem diaphoretica temperata, maxime liquida, tempore quo natura diaphoreſin excitat, ſub declinatione exhibita, & videndum maxime, ut toto intermiſſionis tempore meatus cutis placide ac blande ſerventur aperti. Denique ad naturalem tonum ac robur omnibus excretoriis poris ac glandulis, principaliter meatibus cutis fœnerandum, non excellentius datur præſidium quam famigeratiſſimus cortex chinæ chinæ, qui revera ſpecifici titulum in curandis febribus meretur. Agit autem, ut veteres locuti fuerunt, tota ſubſtantia, complectitur enim cortex chinæ, uti analyſis chymica docet, particulas amaras, item terreas conſtringentes, & reſinoſas blande balſamicas, quæ omnia juncta illud efficiunt tam roborando quam corrigendo, quod ſingulis ſolis & ſibi relictis negatum eſt. Ceterum ſequentes cautelæ circa ejus uſum merentur attendi. 1) Nunquam exhibendus eſt cortex Chinæ, præſertim in ſubſtantia, corporibus plethoricis & quorum prima regio copia & colluvie vitioſorum humorum ſcatet. 2) Nunquam dandus eſt alvo adſtricta, cute exiſtente arida & tranſpiratione impedita, nunquam porro in principio ſtatim febris, vel etiam ante paroxyſmos. 3) Ubi ſcirrhoſitates & obſtructiones viſcerum adſunt, & diſcraſia acido-viſcida

febribus

febribus conjuncta eſt, cautiſſime cum ejus uſu mercandum. Sed potius convenit expurgata probe prima regione, præmiſſis deobſtruentibus mobilem materiam reddentibus, ſuccende diaphoreſi, & ubi jam aliquot paroxyſmi præceſſerunt, & febris mitior facta, & ubi magis ſpirituum impetus ſiſtendus quam promovendus eſt, maximeque diebus intermiſſionis, repetitis vicibus, doſi autem pro una vice non adeo larga. Si ſubjecta teneriora fuerint & ventriculus debilis exiſtit, conferunt melius eſſentiæ & infuſa ejus, quam pulvis in ſubſtantia, qui tamen revera ob partes adſtringentes magis eſt ſpecificus. Eædem cautelæ tenendæ etiam ſunt circa uſum aliorum conſtringentium, febriles paroxyſmos ſufflaminantium, qualia ſunt aluminoſa, opiata, vitreolacea, liquor martis, tinctura ſulphuris vitrioli, terra japponica, nux moſchata, radix tormentillæ, penthaphylli, plantaginis, viſcus quercinus; quibus tamen propter dictas ſuperius rationes eſt longe multumque præferendus cortex chinæ. Quo circa à præpoſtero & intempeſtivo horum uſu & febrium citiori ſuppreſſione, ante correctam & evacuatam materiam febrilem graviſſima excitari ſolent pathemata, v. g. lentæ febres, hecticæ, viſcerum infarctus atque indurationes, & exinde producti icterus, hydrops, malum hypochondr. porro alvi adſtrictio, dolor colicus, cardialgicus & hujus generis plura conſequuntur.

De Febribus tertianis.

QUod attinet tertianarum hiſtoriam, illæ præ aliis hoc peculiare poſſident, quod invadant maxime ætate juvenes atque viros, temperamento ſanguineos & Cholericos, anni tempore verno atque æſtate, interdum etiam autumno, quo tempore gignuntur pertinaciſſimæ. Deinde in tertianis æſtus ſemper ſolet eſſe major, ita ut nonnunquam vigilia & delirium in calidioribus complicentur. Horror ordinario eſt vehemens, quem comitari vel ſubſequi ſolent cardialgiæ, nauſeæ, vomitiones, præſertim prioribus ſub paroxyſmis & finito rigore. Priuſquam horror invadit, ſpaſmodicæ tenſiones atque conſtrictiones artuum, dorſi, pandiculationes pedum, dolores oſtocopi contuſivi fiunt. Ipſo frigoris tempore ægroti pallent, habitus corporis ſubſidet, facies depreſſa ac macilenta apparet, venæ diſparent, cum contra ſuccedente æſtu totum corpus ſpongioſum, laxum, inflatum, rubicundum, cum æſtu vehementiori, arteriarum celeri pulſatione obſervetur, & quo minus illud accidit, hoc graviores anguſtiæ atque anxietates circa præcordia, inquietudines, corporis jactationes, cephalalgiæ ſimiliaque percipiuntur. Ad declinationem quando vergit paroxyſmus, ſpontanea viſitur diaphoreſis vel largus etiam ſudor, qui inter initia febris & paroxyſmorum vix obſervatur: Poſt ſudorem ſymptomata remittunt, pulſus naturalis iterum evadit, vires recolliguntur, appetitus bonus, ſomnus quietus, urina quæ in paroxyſmo flammei coloris citra ſedimentum mingebatur, jam ſedimentum craſſum deponit. Illud præterea notabile eſt, in tertianis, ſi nullus fluit ſudor, nec vomitu, nec diarrhœâ, nec urinâ emittitur materia peregrina, peſſimum eſſe indicium, ut pote taliſmodi febres ut plurimum degenerant in continuas, ſi ſubjecta fuerint ſanguinea & cholerica, ſi pituitoſa in lentas & hecticas, ſi craſſum ſanguinem in venis alunt, in quartanam, hydropem, quod etiam accidit, ſi præmature conſtringentium & chinæ chinæ abuſu tertianæ ſupprimantur, atque materiæ febrilis correctio & ſecretio impeditur. Quod ſi in tertianariis ulcuſcula in ore vel labiis apparent, bonum eſt indicium, ut pote tunc materia heterogenea biliosa cauſtica à ſanguine incipit ſecerni, quæ hærens in ſpongioſis partibus continui ſolutionem producit. Quando urina in copia emittitur craſſa & cum ardore tranſit urinarias vias, itidem bonum ſignum eſt. Terminari etiam ſolet in icterum, materiâ bilioſa acri præcipitatâ quaſi ad habitum corporis. Quandoque etiam ſymptomatice icterus conjungitur, & notat vitium hærere in biliariis viis. Interdum tertiana ſeptimo paroxyſmo ſponte finitur, nonnunquam ad decimum quartum & ultra ſe extendit. Si autumnalis eſt, ad menſes aliquot & amplius exporrigitur. In cura obſervamus, tertianariis admodum nocere remedia calida volatilia, acria, aromatica, dum ſimplices facile vertunt in duplices, vel etiam continuas, æſtum intenſiorem atque delirium provocant, vel bilioſis cholericas efficiunt, præprimis autem calida nocent Senibus, in quibus comatoſos affectus, Caphalalgias vel etiam maraſmum producunt. Obſervatione quoque conſtat, nimia acida, refrigerantia, julapia, terrea conſtringentia, præcipitantia nocuiſſe, quandoquidem facile alvi adſtrictionem contumacem, colicam convulſivam, cardialgiam, ictericam & recidivas periculoſas excludunt. Optima medendi hiſce febribus ratio eſt, ſi præſente indicatione & inclinatione ad vomitum illud, & quidem in forma liquida afferatur, vel tempore intermiſſionis vel aliquot horas ante paroxyſmum, quamvis ultro oriente calore oriantur ipſæ vomitiones. In aliis prima regio per epricriſim lenioribus purganda & liberanda à ſordibus bilioſis acido-viſcidis eſt, cui ſcopo inſerviunt maxime ſalina deterſiva, nitroſa, v. g. nitrum antimoniatum, arcanum duplicatum, terra foliata tartari, ſolutio oculorum cancri, tartarus vitriolatus, flores ſalis ammoniaci, nitrum præparatum, quæ cum aliquot granis diagrydii & antimonii diaphoretici commodiſſime miſceri poſſunt. Si febris rebellior, aliquot grana mercurii dulcis addenda ſunt, quæ tamen cum ſalibus non exacte trituranda ſunt, ſed ſaltem admiſcenda, ob metum corroſivitatis, ſputationes & diarrhœas ex facili provocantis. Vel etiam infundi poſſunt vino radix gentianæ h. cent. min. abſinth. card. ben. Scordii, Rhabarbar. quibus addi poſſunt nitrum, tartarus crudus, ſal tartari, paſſulæ, omni mane bonus hauſtus ſæpius feliciter ſine recidiva febrem ſuſtulit. Quibus præmiſſis ipſo in paroxyſmo tempore maxime æſtus, imo in declinatione, mixturæ propinari poſſunt correctoriæ & leniter diaphoreticæ, quæ compoſitæ ſunt v. g. ex decoct. C. C. aqua florum ſamb. acaciæ, ſcordii, carduibened. antihect. Poterii, lapid. concrorum, matre perlarum, nitro præparato, ſyrupo papaveris, rhœados, quibus etiam addi poſſunt pro re nata ſal abſinthii, diaſcord. Fracaſtorii, vel mixtura ſimplex aut theriacæ cæleſtis, vel etiam ſpiritus nitri dulcis. Aliquot paroxyſmi ſi ita præceſſerunt,

runt, & materia vitioſa ad excretionem vergit, totum negotium abſolvendum prudenti exhibitione chinæ chinæ, quæ commodiſſime affertur in Electuario, ſi nimirum ejus pulvis cum julepo roſarum & rob juniperi vel ſambuci miſceatur. Si rebellior materia eſt, reiteranda priora remedia ſunt, imo ſi autumnalis febris, ſalibus magis abſterſivis pugnandum, ex quibus optimum eſt ſequens mixtum: ℞. Salis abſinthii, nitri præparati, nitri antimoniati ana drachmam unam, florum ſalis ammoniaci drachmam ſemis, ſalis ſuccini ſcrupulum unum: Doſis eſt ſcrupulus unus, cui etiam admiſceri poſſunt grana aliquot panaceæ Conerdingianæ, vel grana decem reguli antimonii medicinalis, quæ duo potentiſſima ſunt deobſtruentia, & lymphæ coagulum diſſolventia. Præterea inſtar omnium victus parcus & tenuis, quo ſolo ſæpe, teſte *Celſo* & *Williſio* ipſaque experientia, tertianæ profligantur, commendandus eſt. Præterea ſi maligni aliquid immixtum, camphoræ parum addatur, ſi æſtus maximus & febris eſt cholerica, nitroſa cum diluentibus ſatisfaciunt; ſi epidemicæ febres, diaphoretica theriacalia majori in uſu ſunt.

De Febre quartana.

OMnium morborum nullus tam lentus, tam contumax eſt, quam febris quartana, quæ etiam multorum ſeculorum decurſu in ludibrium tranſiit Medentium. Differt ipſa ratione ſymptomatum, durationis, medendi methodi, pro individuorum climatis, ætatis, temporum mutatione atque varietate. Gignendæ huic febri admodum apti ſunt frigidi ac ſicci, hirſuti, qui gracili & glabro ſunt corpore, ſanguinem craſſum fovent, ſenes, vel ætatis conſiſtentis homines, qui ad actiones ingenii & corporis ſegniores ſunt, curis & mœroribus confecti, & cibis olim addicti craſſis, terrenis atque acidis fæculentis. Succreſcit hic morbus præſertim autumno, regione cœlique ſtatu inæquali exiſtente; quando ad brumam uſque manet, per totam hyemem liberari ægri non ſolent, ſed interdum ad ætatem adultam durat. Frigus in quartanâ intenſius eſt, quam cæteris intermittentibus, & rigor univerſum fere corpus occupat, dentes ſtrident, articuli vero & oſſa quaſi pondere obteruntur, pulſus acceſſionis initio multô quam naturalis languidior, minor, tardior ac rarior, poſtea vero ſatis validus ac celer, & interdum inæqualis, calor non tam vehemens ſicuti in tertiana, urina primis diebus tenuis, alba, aquoſa, poſtea vero & calore & contentis mutata, alvus ut plurimum ſegniſſima & conſtricta. Præterea memorabile eſt, quartanam intempeſtive fortioribus catarcticis vel ſudoriferis volatilibus vexatam tranſire in ſæviſſima interdum ſymptomata, cephalalgiam gravativam, anxietates ſummas, virium proſtrationem & ejuſdem generis alia. Decrepitis ordinarie ferme funeſta eſſe ſolet. Si quartana diuturna eſt in melancholicis & hypochondriacis, & qui dextro latere dolorem ſentiunt gravativum, in hydropem, melancholiam hypochondriacam, icterum nigrum, in macilentis in hecticam, in ſenibus in maraſmum, in Cachecticis in pedum tumorem & inflationem, in Juvenibus ex malo regimine diætæ, vel abuſu exagitantium in duplicem quartanam lubentiſſime tranſit.

Solvuntur quartanæ frequentiſſime urinis craſſis, largis, ad nigredinem vergentibus, præſertim in illis qui craſſum & rudem fovent ſanguinem, in plethoricis fœminis per menſtrua, in ſenibus & adſuetis per hæmorrhoides, in juvenibus per narium hæmorrhagiam, in cachecticis per abſceſſum in crura, in ſcorbuticis, ſcabioſi quid interdum apparet, vel ulcera erumpunt, bonum in finem, de qua re legi meretur Ballonius *in libr. Ephemerid.* it. Langius *Epiſtola XVII. libr.* 1. *p.* 70. qui ita ſcribit: *vidi plus centies ſcabiem per aliarum febrium, tum præcipue quartanæ criſin obortam ſponte exoleſcere citra omne medicamentorum ſubſidium.* Si nimis cito conſolidantur ulcera, vel ſcabies retropellitur, facile comatoſi vel convulſivi quid corporibus accedit. Malum eſt, ſi appetitu nimio laborant, nec bonum obſervavi ſignum, ſi effuſas habeant quartanarii ſudationes cum alvi profluviis, niſi ſint criticæ. Tandem quartanæ frequenter ſunt epidemiæ. Memorat Sennertus *de Febr. l.* 2. *cap.* 20. Accidiſſe talem toti Germaniæ & Wittebergæ tam familiarem, ut etiam infantes modo natos corriperet, & vix domus aliqua eſſet, in qua non quartanarius unus vel etiam plures decumberent. Circa curam in genere illud notandum, quod fortiora commoventia evacuantia minus commode ferant; nam ſimplices quartanæ hiſce convertuntur in duplices, vel in ſenibus tranſeunt in cephalalgias graves aut ſopores profundos. Præpoſtero chinæ chinæ vel aliorum conſtringentium abuſu, priuſquam materia fluida & mobilis facta fuerit, in ſuffocativum catarrhum, icterum nigrum, tumorem crurum, ſcirrhum hepatis, tumorem lienis, hydropem, facili abeunt negotio. Optime ferunt leniora evacuantia, per alvum emollientia, deterſiva ſalina, mucum incidentia. Vomitoria & draſtica purgantia ob acidi humoris efficaciam vix operantur.

Ex quibus omnibus adductis promtum ac facile eſt judicare, quartanam potiſſimum oriri ex accumulatione materiæ tenacis viſcidæ, immobilis, crudæ cum ſanguine non miſcibilis & poris excretoriis non reſpondentis, ſive illa collecta fuerit in inteſtinorum canale, ſive etiam jam totum ſanguinem diſcraſia acido-viſcida infecerit, hanc jam ipſa Natura motu febrili quaſi critico corrigere, ſubigere, & ſecernere geſtit, quod negotium naturæ optimum, quantum poteſt Medicus, promoveat aptis & convenientibus remediis, nec in contrarium operetur aut naturam, ut ita loquar cum veteribus, ab opere ſuo avocet. Prima itaque Medentis intenſio eſſe debet, viſciditatem attenuare atque evacuare, ſed ſemper blandiſſime; ſecundo perſpirationem ſanguinis & per conſequens totius corporis promovere, & tandem robur excretoriis poris viſcerum atque cutis ſub diuturnis paroxyſmis nimium laſſatus & à tono ſuo dejectis reſtituere. Primam indicationem adimplent remedia detergentia, uti ſunt nitroſa, arcan. dupl. nitrum regenerat. ſal polychreſtum, quæ liquando & fundendo viſciditatem egregiè opitulantur. Accedit, quod ſalia hæc tam alvinas quam urinarias vias ſtimulent, per quas tamen commoda humoris peccantis fit evacuatio. Hiſce præmiſſis per inferiora optime educitur mobilis materia. Veriſſime ſcribit Hippocrates *in libr. IV.* §. 9. Melancholicos *liberalius pleniuſve per inferiora*

inferiora purgabis. Hinc paſſim in obſervationibus, legitur, Diarrhœas, imo dyſenterias ſpontaneas quartanis ſupervenientes illas ſolvere, quapropter omnibus veteribus conſentientibus, lenientia, emollientia, quæ per epicriſin purgant citra ullam vehementiam, omnium optima ſunt contra quartanam præſidia. Ita ſolum fol. S. S. S. infuſum cum rhabarbaro, addita manna & tartaro tartariſato in aqua fumariæ, præſentiſſimum eſt remedium mitigans paroxyſmos & plane etiam tollens. Alvus enim mollis ſemper ſervanda, quoniam quartanarii ſuapte natura alvos mire adſtrictas habent. Bene monet Galenus 1. *ad* Glaucon. *libr.* 2. Inito utendum eſſe clyſteribus, deinde deſcendendum eſſe ad interna.

Vomitoria niſi inſignis adſit ad vomitum inclinatio, & vomere ægri conſueverunt, vel quartana notha i. e. bile mixta, quæ ſub finem æſtatis accidere ſolet, ſit, parum auxilii vel utilitatis afferunt. Quod ſi humores auſteri, acidi, ſtyptici ſunt, uti illud fieri ſolet in hypochondriacis, ſpleneticis & melancholicis, potentiora acidum deſtruentia in uſum vocari debent, cujus generis ſunt martialia, v. g. limatura martis in tenuiſſimam pollinem redacta, crocus martis aperitivus cum ſalibus, antimonium martiale cachecticum, quæ vel ſola, vel melius cum ſalibus vegetabilium fixis, aut ſi potentiori aperiendi facultate pulverem hunc inſtruere velimus, quando veteres in viſceribus latitant obſtructiones, cum Regulo antimonii medicinal. vel etiam cinnabari aut mercurio dulci vel mercurio diaphoretico amico connubio jungi poſſunt, additis guttulis aliquot olei carminativi aromatici, ſalis pulvis in rebellibus quartanis non intermiſſis leniter evacuantibus & convenienti diæta tenui præſtantiſſimam fert opem, ſi omni mane exhibeatur, vel poſt ejus uſum inſtituatur motus. Alii ad acidum in primis viis infringendum oleum tartari p. d. ſubinde inſtillant potui, vel etiam ſpiritum ſalis ammoniaci urinoſum cum aqua factum, admiſcent ordinariæ cereviſiæ non citra effectum. Præterea ad alteram indicationem abſolvendam convenit maximè in quartanis ſudor, qui tamen nunquam vi eliciendus eſt, vel remediis calidis vehementioribus aut regimine nimis calido, præſertim in ſenibus, ſed quoniam ipſi paroxyſmi poſteriores ſua ſponte terminantur in ſudorem, hinc ille ipſe omni opera promovendus potu congruo, calidè adſumpto, quique ſimul facultatem habet ſudorem eliciendi, talis indolis eſt Decoctum C. C. citratum vel cum eſſentia ſcordii, niſi æger faſtidium habeat, aut nitro & pauxillo vini remixtum. Crocus & theriacalia ad ſudorem hâc in febre movendum commodiſſima etiam ſunt. Et notabile hic eſt potum omnem in paroxyſmo vel ante ipſum anxietates inſignes efficere, quando autem Sudor incipit fluere, illum ipſum eſſe optimum. Veteres ad perſpirationem corporis promovendam, quæ ſicuti in omnibus febribus, ita & hic utiliſſima & indicatiſſima eſt, utebantur linimentis oleoſis emollientibus & penetrantibus, quibus inungebant totam nucham, poſtea fortes inſtituebant frictiones cum pannis calidis, ut eo melius pori aperirentur. Juvat quoque, ut perſpiratio fiat expeditior, abſtinere ab omnibus ſolidioribus alimentis, cibis craſſis flatulentis, carne ſuilla & qui tardiorem habent exitum, item acidis ſalſis & omni cibo copioſo. Commendandi magis ſunt cibi boni ſucci ventrem emollientes; tenues, unà cum abſtinentiâ, quæ febrium intermittentium optima eſt medicatrix. Perpetua enim regula eſt: Quo plus comedunt & majori appetitu gaudent quartanarii, eo diuturnior fit febris; quo magis abſtinent, eo citius ſanatur. Tandem vitandus eſt aër craſſus, frigidus, gravis ac denſus, ſed eligendus ſerenus, lucidus, tenuis. Patet hinc ratio, quare tempore verno & æſtivo ſponte febres quartanæ & facillime iſto tempore ſanantur, quoniam tunc temporis corporis perſpiratio longe liberior ac promptior eſt. Confert quoque motu exercere, cum ille ipſe revera magna ſit medicina ſanguinis craſſi, dum ipſum tenuem ac ſubtilem reddit.

Tandem ad ſatisfaciendum tertiæ indicationi, ſi febris hiſce omnibus obſervatis non abigitur, conſultum eſt, maximè ſi ſigna coctionis appareant & obſtructiones potiſſimum reſeratæ fuerint venire ad ſpecifica corroborantia, topica item externa, accidit hâc ratione ut graviſſimæ febres illis quam facillimè cedant. Specifica autem ſunt interna, cortex Chinæ in infuſo vel in ſubſtantia exhibitus, de cujus legitimo uſu atque exhibitione dictum jam fuit in prioribus. Inter externa commendantur vulgariter remedia juncturis manuum & pedum applicata ex veſicantibus erodentibus compoſita. Ita famigeratiſſimum eſt linimentum, quod conſtat ex terebinthina, fuligine, camphora, araneis contuſis, oleo ſcorpionum, flammula Jovis: quo ſolo ſæpius profligata fuit febris.

Dicta hâc methodo qui procedunt ſecuriſſimè & certiſſimè pertinacem hunc morbum profligare poterunt, maximè ſi ipſum tempus anni reſpondeat & faveat medicamentorum operationibus, quod ferme principale exiſtit, ut etiam ex hiſce videat Medicus vires medicamentorum non agere ex ſe, & ratione activitatis ſuæ, ſed ſub favore naturæ & multarum rerum externarum.

Ultimo illud adhuc meretur memoriæ commendari, quod ſi quartana ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus vel etiam retentis menſibus proveniat, ut, quantum fieri poteſt, in ordinem redigantur hæ excretiones ordinariæ, & juvat etiam, quando plethora adeſt, venæ turgent, corpus gracile eſt, ſanguinem minuere per venæ ſectionem.

Accidit interdum, ut omnibus fruſtra tentatis, remittentibus etiam ſymptomatibus gravioribus, febres tamen periodos ſuas repetant, ubi nihil conſultius eſt, quam ventriculum roborari & blandam chyli ſpirituaſcentiam perpetuo promovere: ſic febris tandem imminuitur & ſponte ceſſat. Succeſſive enim per benignum & balſamicum chylum corrigitur ſanguinis diſcraſia. Optimum autem ſunt elixiria balſamica, & quidem noſtrum paratum ex radice Zedoariæ, chinæ chinæ, gentianæ, h. ſcordii, cort. aurant. citr. recent. nuciſtâ, ſuccino, oleocaryophyll. croco, camphorâ, myrrha, ſp. ſal. ammon. & ſp. menthæ, quod etiam in aliis affectibus diuturnis opem fert præſtantiſſimam.

FINIS.

INDEX
OBSERVATIONUM.

A

de Affectibus inaſſuetis, raris & deploratis, *Pag.* 7. 12. 24. 25. 43. 80. 82. 84.
de Affectu fœdo & horrendo 80.
— Virgineo, raro, inveterato & deplorato 86.
de Angina 20. 53.
de Apoplexia, Paralyſi & imminuta memoria 89.
de Apoſtemate inſigni in crure 128.
de Arthritide 11. 190. 24. 37. 65. 90. 113. 120. 121. cum febre & aliis 11. 84. 133. inveterata cum tophis & nodis 132. ejus rara ſpecies 87.
de Aſthmate 32. 66. 102. deplorato cum cordis palpitatione & menſium ſuppreſſione 53. inveterato 66. 70.
de Auditu deperdito 39.
de Aurium ſurditate cum ulcere 97. tinnitu cum pruritu & gravi auditu 57.

C

de Cachexia antiqua ventriculi imbecillitate & febre lenta 90. cum Aſcite incipiente & febre lenta 109. cum Leucophlegmatia poſt inſignem hæmorrhagiam 108. 114.
de Cacochymia, ventriculi intemperie 21.
de Calculo 28. 122. 123. 124. 132. renum 124. veſicæ 123.
de Capitis dolore 56. acerrimo ſeſquitertianæ febris periodos ſervante 94. brachii paralyſi & aliis 34. inveterato 95. per intervalla recurrente 94. raro & funeſtiſſimo 79. 85. 88. in quo caput rigidum nullo pacto flecti poterat 95.
de Carcinomate 69. in labiis ſeptuagenariæ 72. lingua 99. utero 113.
de Carunculis 28.
de Catharro 1. 39. 130. cum febre lenta & virium imbecillitate 60. nervorum imbecillitate 78. inveterato 130. falſo 9. 16. incurabili habito 52. 69.
de Clauda muliere à biennio 23.
de Cœcitate cum oculorum dolore 55.
de Colico dolore 12. 34. 106. cum continuis vomitibus 104. 105.
de Contractura 37. brachii 33. cum ulceribus 36.
de Cordis palpitatione 13. 53. 128.
de Coſtarum dolore 34.

D

de Defluxione capitis 17. 87. 93. contumaci 45. 48.
de Diarrhœa inſigni 73. 125.
de Dolore 92. abdominis 61. 62. matricali falsò habito 105. 106. acerbiſſimo 31. corporis totius 81. crurum 65. faciei non obſervato 96. cui nares mira magnitudine incraſſantur, & mirâ fœditate in pomum granatum augentur 98.
de Dolore Tibiarum 127.
— Vagante 10.
de Dyſenteria 18.

E

de Epilepſia 33. 67.
de Eryſipelate à medelis malè adhibitis 41.

F

de Fame canina 131.
de Febre 82. 114. acuta 21. 47. icteritia flava, catharrali fluxione moleſtiſſima 48. alba 18. ardenti 33. cum vehementiſſimo ardore ventriculi 68. continua & ardente 38. 71. cum calculo 28. cum graviſſimis ſymptomat. 73. regio morbo & aliis 17.
de Febre Hectica 15. 22. 127. cum tumore ventriculi 6. cum ulcuſculis in faucibus 125. marmore inſigni incurab. habita 48.
— Lenta 18. 46. 55. 57. 77. 79. 86. 90. 98. cum tuſſi, ventriculi imbecill. 77.
— Maligna 16. 19. cum ſæviſſimis ſymptom. 29. 77.
— Nocturna cum ſudore & tremore cordis 50.
— Quartana 36. 117. duplici 107. 115. cum principio hydropis 89. in muliere utero gerente 116.
— Quotidiana menſium ſuppreſſione, &c. 22.
— Tertiana duplici 23. 25. 27. 30. 31. 35. 115. cum atrociſſimo dolore capitis 56. cum horrendo ſympt. 23. cum tumore lienis 29. 56. viſcerum 13. arthritide & ſtrumis 37. immodico ſanguinis fluxu 30. cum atrociſſ. dolore ventriculi 53.
— Notha 10. 61.
de Fiſtulis 108.
de Fluore albo 48. ſanguinis & puris per alvum, à biennio inveterato cum febre lenta marcore 79.

G

de Gangræna cum marcore & paralyſi, &c. 88.
de Gibboſitate in ſene cum doloribus 62.

H

de Hæmorrhagia 30. 73. per omnes meatus corporis erumpente 71. uteri 114.
de Hæmorrhoidibus dolorificis 75.
de Hemicrania inveterata 95.
de Herpete contumaciſſ. conclamato in facie, collo & tibiis 120. inveterato incurabili habito 119. maligno, &c. 37. 43. ulcere nares depaſcente 126.
de Humore ſalſo circa anum luxuriante, hæmorrhoidibus

rhoidibus dolorificis, &c. 75.
de Hydrope 3. 39.
—— Aſcite 35. 110.
—— cum Anaſarca 109. febre lenta, macie, duabus fiſtulis in crure 108. tumore lienis, febre lenta, menſium ſuppreſſ. 51. ventris 79. quartana duplici lienteria 107.
de Hydrope cum Aſthmate 66. febre acutâ, ſiti, vigiliis, &c. 47.
—— Leucophlegmatia & aſcite à catharticis malè adhib. 58. macie & febre lenta 18. in ſene 15. 110. poſt immodicam ſanguinis reject. per os 132.

I

de ICteritia alba 18. flava 26. 32. 48. cum principio hydropis, ſumma virium jactura, vigil. 103. 121. in ſeptuagenario 114.
de Ictero, arquato morbo 12. 29. cineritio 18.
de Inflatione corporis repentina, cum puſtulis exiguis, pungenti dolore, febre lenta 55.
de Inteſtinorum lævitate diuturna 62.
de Iliaca paſſione 83.
de Iſchiatide pertinaci 50. 51. 61. 63. 85. 130.
de Iſchuria 30. 54.

L

de LEucophlegmatia 108. 110. 114.
de Lienis curatio 29. 56.
de Lienteria 107.
de Linguæ affectu raro 99.
—— Carcinomate *ibid.*
de Loquela amiſſa 51.
de Loquendi impotentia à ſeſquianno contracta cum anhelitus difficultate 100.
de Lue venerea 39. 133. cum hydrope 8. 54. inveterata 30.
—— Latente cum graviſſimis ſymptomatibus 9.
de Lupia in capite 32.

M

de MArcore inſigni 18. 22. 43. 47. 48. 57. 85. 86.
de Melancholico affectu cum cordis palpitatione, vertigine, & aliis 13.
de Menſium fluore immodico 131.
—— cum Leucophlegmatia 112.
de Menſium ſuppreſſione 8. 10. 25. 51. 53. 111. 112. ventris dolore, aſcite, Lienteria & Aſthmate 112.
de Morte repentina 117.

N

de NArium ulcere peſſimo 128. naſique aucta magnitudine c.ulcuſculis erodentibus *ibid.*
de Nephritide 24. 27.

O

de OCulorum dolore 10. 55. 74. 96. 104. cum magnitudine aucta 97. inflammatione 78. cum febre, ungula, epiphora 49.
de Oris tortura, linguæ paralyſi, continuo vomitu. 87.

P

de PAralyſi 12. 23. 34. 39. 89. cum febre lenta inappetent. vigiliis 98. hydrope, &c. 39.
de Paralyſi Linguæ cum Oris tortura, cont. vomit. 87. & brachii 76. inveterata 31. 118. marcore inſigni, diuturnis vomitibus, inappetentia, gravedine, vigiliis 85.
—— Symptomatibus graviſſimis 57. ventriculi imbecillitate. 118.
de Phthiſi 90. 100. 101.
de Pleuritide 31. in ſeptuagenario 68.
de Polypo 119.
de Pſora contumaci 63. 64. 126. lepræ finitima 122.

S

de SCabie fœda 75.
de Singultu lethali 67.
de Strumis 37. in collo, marcore inſigni & lenta febre 57.
de Suffuſione 13. 30.
de Surditate cum aurium ulcere 97.

T

de TAbe cum febre 38. inſigni frigiditate ventriculi 28. 126.
de Tentigine inveterata 26. 46.
de Tibiarum dolore inveterato & continuo 127.
de Tortura oris, Linguæ paralyſi, contin. vomit. 87.
de Tumore abdominis 25. in facie 20. palpebræ oculi nato 78. pudendis mulierum 113.
de Tuſſi 77.

V

de VEntriculi angore 46. ardore 68. attritione 62. conſtitutione mala 14. 21. 28. 38. 77. 90. 106. 118. dolore 35. 53. 107. cui ſuccedit dolor colicus 106. paroxyſmante 16. poſt cibum in ſene 106.
de Vertigine 13.
de Vigilis continuis 46. 47.
de Virgineo morbo 17.
de Ulcere capitis, in quo cranium emarcuit ſponte in muliere octuag. quæ ſana cœca evaſit 60.
de Ulcere chironio 27. 43. in facie 125. horrendo 17. in facie *noli me tangere* dicto 13. maligno 9. 33. & ſalſo catharro 9.
—— Narium 128.
—— Telephio 14.
de Ulceribus ferinis 22. in tibiis 129.
—— Phagedœnis utrumque genu obſidentibus cum nervorum retractione, febre inſigni, &c. 70.
de Vomitibus diuturnis 85. 87.
de Vomitu, Lienteria & febre continua ab aqua forti epota 72.
de Uteri affectu 48. raro 52. 114. prolapſu 129. tumore 113.
de Vulnere ſclopo illiſo 42. in facie 60. citra ſuturam curando 77.
de Vulneribus capitis 76. juncturarum cum oſſium fractura, inaſſueta methodo curandis 59.

INDEX RERUM.

A

ABſtinentiæ utilitas *pag.* 3. 131. in Febribus 305. 310. 313.
Acetoſum eſurinum quid ? 186. 188.
Acetum Bezoardicum 156. Minerale 40. 88.
Acida inimica nervis 14. Oſſibus 23. Vulneribus 36. 59. Menſtrua quænam diſſolvant ? 178. Mineralia in Febribus 290. Eorum abuſus 26. 35. 49. in Febribus 78. 87. 303. 310. Icteri cauſa 114. 117.
Acidularum uſus 154.
Acidulorum uſus in Arthritide 121. Febribus 19. 21. 303.
Adſtringentium abuſus in Eryſipelate 13. Febre Hectica 15. Febribus 303. 310. Hæmorrhagiis 73. 109. 112. 114.
Ægrorum decubitus qualis ? 271.
Æquinoctia morbos nonnullos exacerbant & ſolvunt 57. 79. 82.
Aer æſtivus ſalia acuit 96. 306. Autumnalis ad diarrhœas quomodo diſponit ? 82. Ad febres quartanas diſponit 36. 117. Hypochondriacis noxius 86. Frigidus noxius 84. 96. in raucedine 100. Paralyticis quinam ſalubris 119. Potens eſt menſtruum 177. 178. Salibus gravidus noxius 102. 306. Ejus acceſſu impedito vegetabilia à corruptione præſervantur 154. 178. Aſcenſus per ſpinalem medullam quid ? 11. 27. Effectus in ſpiritus 135. Inæqualitas noxia in Acutis 21. 306. Arthritide 81. Catharris 3. 52. 130. Mutatio ſalutaris in Febribus & morbis Chronicis 82. 116. 117. varia ſecundum anni tempora 21. 36. 130. Neceſſitas 5. 135. Pluvialis noxæ 18. 19. 36. 72. 306. Sereni utilitas in Febribus 36.
Alexipharmaca 17. 18. 19 31. 35. 42.
Aloeticorum abuſus 75.
Alvi adſtrictæ cauſæ 14. 48. in Vulneribus 59 dejectio fœtida in febribus malignis 307. in febribus unde 269. Sabuloſa 88. 91. laxæ cauſa 16. utilitas in Catharris 52. In omni curatione 16. Febribus ardentibus 305. Nephritide 24.
de Alumine ejuſque præparatis 185. Ejus dulcificatio unde ? 185. 283. Purificatio 185. Spiritus *ibid.*
Amygdalæ amaræ egregiè præſervant à Calculo 139.
Anagallidis fotus in exulcerationibus 1. Succus in Maniacis 155.
Anaſarca quid ? 5.
Anginæ ſigna lethalia 20. 54.
Angli cur aſtmati & Phthiſi obnoxii 102.
Animi paſſionum vehementiorum noxæ 13. 17. 42. 120. 300. 301. 302. Iis quinam obnoxii 73.
Anodyna quid præſtent ? 3. 18. in Aſthmate convulſivo ? 103. Calculo ? 28. Doloribus ? 37. 93. Oculorum ? 56. Febribus ? 42. Hæmorrhagiis ? 30. 114.
de Antidotis 231.
Antifebrile 19. 25. 27. 29 38. 48. 281. *& ſeqq.* Præſtantiſſimum quodnam ? 117. 303. 304. Purgans 249. Specificum ex capite morr. flor. ſal. armon. mart. 56. 115. Univerſale in putridis, 281.
Antihecticum ejuſque uſus. 101. 207.
Antimoniata quomodo ſanguinem purificent ? 122.
de Antimonio ejuſque præparatis 19. 25. Crudum non eſt venenum 192. *Ejus* acetum *ibid.* Balſamum 194. Butyrum pro cauſtico 129. Cinnabaris 45. Decoctum 45. 143. Fixatio 192. Flores *ibid.* Purgantes & Vomentes *ibid.* Mercurius *ibid.* Oleum *ibid.* in ulceribus cancroſis 70. Regulus 69. 192. cum ſale communi liquatio vim vomitoriam tollit 111. Medicinalis uſus 193. in Febribus 117. 193. Hydrope 47. 83. 193. Menſ. ſuppr. 9. Morbis cutaneis 64. *Ejus* Sal 192. 194. Sulphur 182, 194. Glauberi correctum 25. Tinctura ſicca 193. Volatilis 194. Vitrum 192.
Antivenereum Poter. 26. 30.
Appetitus nimius in morbis chronicis noxius 131.
Aqua menſtruum efficax eſt in tribus regnis 143. 154. 156. 170. 177. 178. *Salita* cur non conglacietur ? 183.
Aquæ chalybeatæ uſus 139. 143. frigidæ potus in arthritide 114. 132. Potus in febribus 288. Purgantes an dentur ? 179. quænam ſalubres ? 135. 148. Rarius ſunt puræ 135. ex Saturninis mineris noxæ 143.
de Aquis deſtillatis & variis deſtillandi modis 147. Animalium 151. Metallorum 153. Mineralium 152. Odoriferis 150. Saporiferis *ibid.*
Aqua Antepilept. & apoplect. 149. Caponum 151. cardiaca in malignis 148. cinnamomi 150. febrifuga 149. fortis 153. 183. formicarum Hartmanni 283. fumans 153. in hydrope pulmonum 4. Hydrotica 149. hyſterica *ibid.* Ligni aloes *ibid.* Myrrhæ 17. Nephritica 148. Petroſelini lithontripticum eſt ſubtile 123. Ranarum 151. Regia 153. ſanguinis humani 152. ſtercoris animalium *ibid.* Vitrioli *ibid.* Zinziberis 149.
de Argento ejuſque præparationibus 201. *Ejus* arcanum quid ? 30. cauſticum 20. 96. dealbatio 21. cum Venere mixt. 203. deauratio 193. diſſolutio cum Ol. Vitriol. 202. *Ejus* Floſculos conficiendi modus 190. 197. 202. Magiſterium quid ? 94 uſus in dolore capitis 96. præcipitatio ex Saturno 190. ſublimatio 202. Tinctura *ibid.* Vitriol. alb. *ibid.*
Arbor Philoſophica quid ? *ibid.*
Arcana quid ſint 30. 38. Medicorum vera quænam 46.
Arthritici cur facilè fiant calculoſi & vice verſa 91. Eorum lympha cujus naturæ ? 91. 120. 132.
Arthritis ſæpè habetur pro lue venerea 133. Ejus fomes hæret in ventriculo 19. 87. 113. ſigna antecedentia 120.
Aſcites quid ? 5.
Aſthmatis variæ ſpecies 53. 102.
Aſtrologia Medico an neceſſaria ? 2.
Atramentum ſympatheticum 191.
Auditus gravis unde ? 98.
de Auro ejuſque præparationibus 198. *& ſeqq.* Ejus amalgama in aqua inſipida ſolvendi modus 143. depuratio 200. deſtructio an poſſibilis ? 201. Magiſterium 173. cum Mercurio præparatio 81. Præcipitatio ex argento 191. 202. Sublimatio 177. 200. Tincturæ 182. 198. 200.
de Auro diaphoretico ejuſque uſu 250. 5. 8 12. 14. 26. 28. 32. 91.
Aurum & argentum cur vehementiſſimo igne in calcem non abeant ? 177. à fermento gaſtrico non ſolvitur, hinc parum virtutis medicamenroſæ continet 200. fulminans ejuſque operandi ratio & uſus 14. 94. 173. 200.
Axungiæ humanæ cum oleo caryoph. uſus in contracturis 23.

B

BAlneorum operandi ratio 3. 55. 124. noxa in Arthritide 85. in Calculo 28. in hydrope 67. Plethoricis 52. uſus in alvo adſtricta 105. Calculo 35. 123. 124. dolore Colico 105. Febre Synocha 305. 313. Iliaca paſſione 84. Iſchiatico dorore 51. Ophthalmia 49. Singultu 67.
Balſamum Antimon. 33. 99. cœlum Philoſoph. 176. Locatelli 60. 77. Marcurial. 57. 72. Saturni 1. compoſ. in Gonorrh. 209. Sulphuris 189. 191. cum oleis deſtillatis noxæ 101. temperatum 90. 101. Vitæ 240. Vitrioli 33. Vulnerarium 77. 161. 91. Holmenſe 161.
Bezoard. mineralis & ſolaris uſus in febribus 283.
Bilis æruginoſæ vitia 67. 87. cauſa 78. atræ cauſa 16. defectus in inteſtinis colici doloris cauſæ 12. potiusquàm abundantia morborum cauſa 42. 63. eſt humorum acrium vehiculum 125. neceſſitas 21. 63. vitia varia 21. in diarrh. 74. hypochondriaco affectu 63. Ictero 48. Tertiana 61.

C

CAchectici cur aſthmatici ſint ? 103. hemorrhagias incurrant ? 109. 131. 132. paralyſin incidant ? 39.
Cachexia quid ? 9. 32.
Cadaveris apoplexiâ defuncti diſſectio 89. aſthmate defunct. 66. 125. Colicâ 106. Diarrhœâ 125. dyſenteriâ 66. Cholerâ Epilepſiâ 67. Febre quartanâ 36. 89. 108. Fluore albo 49. Hydrope 41. 47. 109. Hypochondriaco affectu 86. Ictero 103. 114. Iliaca paſſione 84. Lue venerea 8. 55. Menſium ſuppreſ. 22. Phthiſi 102. Pleuritide 69. Scrophulis 58. Singultu 67. Ventriculi dolore 16. Vomitu Sanguinis 132. cholerâ 125. Splenetici diſſectio 63.
de Calcinatione 177.
Calculi generatio 122. 123. ex acido primarum viarum 25. in inteſtinis unde ? 103. in pulmonibus & excretio 33. 103. in veſica fellea 103. 109. præſentis indicia 123. 124. remedia ſpecifica 28. 25. 123. 124. ſæpe perverſe uſurpantur 28. 124. ſymptomata ſimulant ſæpe dolorem Iſchiaticum & colicum 124.
Calloſitates ulcerum 9.
Caloris ſubterranei cauſa 190.
Camphoratorum uſus 13. 23. 28. 30. 54. 56. Ea ſunt optima alexipharm. 35.
Capillorum defluvium unde ? 69.
Carbones foſſiles oleo privati, non amplius inflammantur 167.
Caries cranii. 94. in ulcere aurium. 98.
Caro ſpongioſa unde ? 23.
Carunculæ unde ? 28. 54.
Cataplaſma in Ophthalmia 97. Sphacelo 42.
Catharri epidemici unde ? 130. etymolog. 2. frequentes Phthiſeos cauſæ 102. quibus ſint ? 2. 3. 130. ſæpe ſunt luis venereæ ſoboles 133. ſpecies variæ 2. Veteribus quid ? 102. unde ? 130.
Catheteris uſus 124.
Cauſticorum optimum eſt lapis infernalis 129.
Cauteriorum abuſus in Catharro ſalſo 16. Hydrope 110. Ophthalmia 74. uſus in doloribus 96. in dolore dorſi 62. Iſchiatide 61. Cephalalgia 88. 94.
Centaurium minus excellens antifebrile 116. 149.
Cephalica quid ? 12.

China

Index Rerum.

Chinæ Chinæ abuſus 7. 29. 303. 310. exhibendi modus 21. 27. 29. 82. 310.
Chirurgicorum remediorum uſus & abuſus 76.
Chimicæ operationes quibus modis abſolvuntur? 177.
Cinnabaris cujus naturæ? 198. in epilepſia non ſemper proficua 33. cum ſalibus mixta corroſiva evadit 97. ſuffitus in ulceribus 129. uſus in dolore capitis 79. Iſchiatico 131. Epilepſia 198. Lymphæ vitiis 96. 198. Scabie 47. Salivam movet 198.
Clavi pedis diſſectio ſphaceli cauſa 99.
de Clyſſo 174.
Clyſterum uſus in angina. 54. colica convulſiva 62. 105. 107. diarrhæa chronica 74. dolore capitis 37. febribus ardentibus 305. Hyſterica paſſione 53. Iſchuria 54.
de Coagulatione 179.
Cochlearum teſtæ calcinatæ in nephritide 25. 27.
Colici doloris variæ ſpecies 104. & *ſeqq.* cauſa 12.
Colicus dolor Iſchuriæ cauſa 54. Paralyſis cauſa 61. 118.
Colli ſpaſmodice contracti hiſtoria 57.
Collyrium 41. 42. 49. 78. 97.
Color quid? 9.
de Confectione Alkermes 226. 229. Cinnamomi Regia. *ibid.* Hamech 228.
de Conſervis 219. florum aurant. 220. Roſarum 219. Violarum 220.
Conſuetudinis ratio 16. 29. 310.
Contractura ex conſenſu 33. 60. 118.
Contraria quomodo contrariis curentur? 40. 47.
Corallorum eſſentiæ præparatio 3. 9. 210. uſus 1. 3. 9. 13. 39. 210. Sal. 210. Spiritus *ibid.* Uſtorum uſus in nephrit. 25. 27.
Cordis contracti à diuturno mœrore hiſtoria 118.
Corpora debilia quænam? 88. robuſta quænam? *ibid.*
Coſmeticum ex felle animalium 160.
Crocus metallorum Authoris quid? 47. 110. 111. emeticus & diaphor. 47. 58. 111.
de Cryſtallo ejuſque præparat. 212.
Cucurbitularum uſus in doloribus 81. Iſchiatide 131. Ophthalmia 55. 78.
Cupri generatio ex ſulphure & ferro 187. 190.

D

de Decoctis in genere 136. ſpecie 137. ſeu infuſis mineralium 142. 154.
Decocta quando, quomodo & quibus conveniant? 137. uſus eorum 3. 111. 137.
Decoctum Antimonii 45. Antipleuriticum 138. Aperiens 53. 111. in Arthritide 121. 133. Attenuans 34. Cardiacum 138. Catholicum 33. 139. 250. Cephalicum 14. 16. 23. 137. Cholagogum 140. in Colica 105. Cornu Cervi citratum in febribus 303. 306. Diaphoreticum 16. in Dyſenteria 18. Epilepſia 33. Febribus 34. Gingivis & Dentibus conſervandis 139. 186. Hectica 6. 8. 15. 22. Hepaticum 138. Ictero 17. 103. Ligni Quajaci ejuſque abuſus 14. 80. 140. in Catharro falſo 9. Lue venerea. 10. 43. Scabie 120. Lignorum 140. in dolore ventriculi 107. Scorbuto 26. 37. in Lue Venerea 133. 140. purgans 141. Melanagogum 16. 23. 36. 140. Mercurii Crudi 45. 81. Nephriticum 24. 139. in Ophtalmia 50. Paralyſi 23. Pectorale 138. Phlegmagogum 36. 140. in Phtiſi 87. 101. 138. Purificans ſanguinem 28. 64. ſimplex ſæpe præſtat compoſitis 142. Spleneticum 159. Succoladæ in ventriculo roborando 22. in Ulceribus ſordidis 139. Vulnerarium 42. 59. 141.
Deliquium ab aere quænam patiantur 178. 187.
de Deſtillatione 147. 179. Hanc quænam patiuntur? 148. 163.
Diabetes quid? 34.
Diaſcordium liquidum 156. Ejus confectio 226.
Diæta in Catharris 52. 69. Eryſipelate 126. in Febribus 299. 304. Hecticorum 127. Hodierna & Vetus 93. Hydropicorum 15. nimis ſtricta noxia 29. Paralyticorum 119. Perverſa noxia 65. 299. Reconvaleſcentium à gravis morbis 77. 87. 131.
Diarrhæa in hectica 125. Malignis 306. 307.
Diuretica quænam? 27. Eorum abuſus in Calculo 63. 124. Febribus 303. Iſchiatide 63. Ophthalmia 50. uſus in Catharris 130. Hæmorrhoidibus nimiis & ſuppreſſis 75.
Dolores crurum à lue venerea quomodo curandi? 65. 127. cur nonnulli ſenſibiliores 96. 105. Oculorum & capitis cur conjungantur 97. œconomiam corporis turbant 3. 63. 93. Vagi unde? 81. Veteribus quid? 90. & *ſeqq.* Eorum cauſa 12. cura generalis 84. Paroxyſmi unde? 16. 95. 120.
Dulcium abuſus in Aſthmate 66.

E

Effervescentia frigida ex ol. Vitriol. & Spir. Sal. Armon. commixtione 187.
Effluvia balſamica pulmonibus proficua 101. Subterranea quid? 169. Virulenta malignitatis cauſa 19. 29. 299. 306. Phthiſin producunt 102. *Eorum* effectus 88.
de Electuariis 125. & *ſeqq.*
Electuarium Antifebrile 227. de Baccis Juniperi 250. chalybeatum 22. de Croco martis 249. Deobſtruens 62. 82. 107. in dolore capitis 95. Hydrope 110. Ictero 48. Lienis tumore 56. Nephritide 24.
Elixir Balſamic. 22. 29. 38. 52. Ejus deſcriptio 63. 313. ſtomachicum 29. 38.
de Emplaſtris varii generis 246.
Emplaſtrum Cephalicum 76. in dolore Iſchiadico 51. 85. 246. Mercuriale in doloribus 31. Polychreſtum 59. 246. de ranis cum Mercur. egregium reſolvens 100. ſtomachicum 106. 246.
Empireuma quomodo tollendum & præcavendum 179.
Emulſionum in Arthritide uſus 91. in febre Synocha 304. in ardente 306.
Epilepſia duplex 33. hyſterica unde? 52. Sedes in ventriculo 67.
Epithema cordis 77.
Eryſipelatis acceſſus quomodo differat ab acceſſu peſtis? 126. cauſa *ibid.* quomodo differat ab inflammatione? 128.
Eſſentia herbarum 175. quinta 174. Scordii Theriacalis 42. Succini ambrata 57.
Euphorbii uſus 23.

F

Fæces induratæ à fumo lythargyrii 105. Nigræ in hypochondriacis unde? 82. 88. Earum infarctus in inteſtinis Iliacæ paſſ. cauſa 84.
Febres continuæ ſuos habent paroxyſmos 73. 301. Peſtilentiales ex Orientalibus plagis cur ad nos transferantur? 71. quomodo ſalutares dicendi? 303.
de Febribus 298. Intermittentibus earumque cauſa & cura 308. & *ſeqq.* malignis 35. 309. Quinam iis obnoxii? 77. 299. 304.
Febricitantium ſanguis minus ſalis volatilis continet 36.
Febris quid? 298. & *ſeqq.* Ardens 305. Ejus cura 38. 284. in Arthritide unde? 11. Cauſa an ſit motus vel putredo? 256. Definitio 253. 298. Doloribus ſuperveniens unde? 94. Ephemera 261. 304. Eſſentia an conſiſtat in calore? 254. 300. in Spiritibus 265. 266. in turbata ſanguinis mixtione? 300. in quo conſiſtat? 301. Etymologia 6. 253. 298. Hecticæ cauſa 7. 101. cura 286. gradus 125. ſigna 262. lethalia 15. febris Humoralis 261. Maligna unde? 306. Natura 258. 262. Putridæ cauſa an ſit obſtructio? 256. Signa 262. Quartana ejuſque cura 285. 313. Quibus familiaris? 90. 116. Tempore æſtivo cur ſæpe ſponte cedat? 82. Ejus longitudo unde? 36. 108. 116. Quodnam morbi genus? 257. Signa 258. Synocha quid & unde? 274. 304. Ejus cura 283 Tertiana 311. Notha unde, ejuſque cura? 284. vulneribus ſuperveniens unde? 58. & *ſeqq.*
Febrium calor unde? 7. 8. 254. 300. 302. Cauſæ 299. Criſis 270. Cura 272. & *ſeqq.* 277. 283. 303. Differentiæ 6. 254. 257. 262. 265. 301. Frigus, horror & tremor quid? 68. Incendium unde? 263. Intermittentium malè curatarum ſymptomata 77. 87. 133. 302. Magnitudo unde? 258. 307. Malignitas unde? 16. 19. 29. 299. 307. Malignarum cura 307. & *ſeqq.* Paroxyſmi quid? 7. 309. an ſtatim tollendi? 27. 311. in partibus nerveis manifeſtantur 23. 311. Pertinacium cura 13. 34. 36. 115. Prognoſis 259. Sedes 7. 257. 298. 302. 310. Lentarum focus 50.
Flamma quid? 177.
Flatus Colici doloris cauſa 104. Iliacæ paſſ. cauſæ 84. Veteribus quid? 7. 301.
Fiſtulas curandi methodus 204.
Fluoris albi cauſa 49.
Fonticulorum uſus & abuſus 16.
Fontium ſalubrium novorum operandi ratio 132.
Fotus quomodo operentur? 3. in Angina 20. Brachio contracto 33. Colico dolore 34. Iliaca paſſione 84. Inflammatione 28. Iſchiatide 61. Iſchuria 54. Ophthalmia 49. 78. 97. Paralyſi 23. Pleuritide 31. 68. Uteri procidentia 129. Vulnere juncturarum 59. ſclopo illiſo 42.
Frigus nerveis inimicum 14.
Fructuum horræorum noxa 29. 119.
Fulgur quomodo febris cauſa 23.

G

Gangliorum anatome 21.
Gangræna in hydrope unde? 110.
Gelatina Corn. Cervi in Phthiſi 101.
Gelatinas parandi modus earumque uſus 151.
de Gemmarum origine & colore 209. 210. præparationibus *ibid.* Virtutibus *ibid.* & 235.
Gibboſi quibus obnoxii 62.
Gonorrhæa benigna plerumque eſt ſcorbutica 133. Scorbuticis & arthriticis & nephriticis familiaris eſt *ibid.*
Graciles cur non ita morbis obnoxii ac obeſi 38.
Gravida Febre quartanâ correpta partu liberata 117.
Gravidæ cur non raro fiant hydropicæ 112. *Earum* pulmones cur ſero viſcido repleantur 100. transpiratio & circulatio humorum poſt partum liberior fit. 117.
Gravitatis cauſa 19.
Gummatum uſus 25. 53. 112.
Guſtui ægrotantium an gratificandum 29. 38.

Index Rerum.

Gutta roſacea quid? 128. Ejus remedium euporiſton *ibid.*

H

HÆmorrhagia unde? 30. nimiæ hydropis & icteri authores 109. 132. indicant obſtructiones viſcerum 73. 112. 114. 131. 132. 159. quibus frequentes 73. 102. 109. 132. ſuppreſſarum noxæ 53. 89. 96. 105. 299. variæ hiſtoriæ 37.
Heliotropium quid? 119.
Helleborus quibus particulis conſtet? 24.
Hepatis calor unde? 102. vitium in Aſthmate 103. in hæmorrhagiis 105. Hydrope 73. 109.
Hernia ex colico dolore 34. Iliacæ paſſionis cauſa 83.
Herpetis differentiæ 126.
Hirudinum applicatio in lingua 100.
Humorum purgatio quomodo inſtituenda? 1. 279. ſtatus in ſanitate 3.
de Hyacintho 214.
de Hydromelitis uſu in Febribus 289.
Hypochondriacus affectus quid? 14. 28. 35. 63. 87.
Hypochondriaci quibus obnoxii? 51. 52. 60. 86. 88. 89. 106.
Hyſterica mulieris hiſtoria 57.
Hyſterica paſſio eadem eſt cum affectu hypochondr. 86. eſt affectus ſpaſmodicus 114. Ejus cauſa eſt acidum & viſcidum *ibid.*

I

ICteri cauſa 12. 26. remedia 48.
Icterus eſt vel criticus vel ſymptomaticus 17. 305.
Inflammatio oculorum cur præ aliis conſpicua? 49. quomodo differat ab Eryſipelate 128. ulcera præcedit 126. Ejus cauſa *ibid.*
de Infuſis 144. metallorum *ibid.*
Intemperies non eſt viſcerum; ſed humorum 5. 41.
Ira anginæ cauſa 54. ad arthritidem diſponit 87. Ejus effectus in inteſtinis 84.
Julepi attenuantes in acutis proficui 21.

L

LActiciniorum noxa in Paralyſi 119.
Lactis uſus in calculo 132. Aſinini uſus in arthritide 269. chalybeati uſus in Aq. Fort. potu. 72. 73.
de Lapide Armeno & Cyaneo 216. Bezoard. factitio 172. Lazuli 217. quodam incognito *ibid.*
de Lapidibus minus pretioſis 214.
Lapis infernalis ſive argentum cauſticum 20. eſt optimum cauſticum 129.
de Lapidum cancror. generatione 215. operandi ratione 25. præparatione 209.
Lepra Græcorum quid? 64. Ejus ſigna 80.
Lien non ſemper tumoris cauſa in hypochondrio ſiniſtro 13.
Ligna omnia acidum ſpiritum continent 157.
Lingua inſpectio cui uſui? 17. 100. Structura 99.
Liquor balſamicus in Gangræna 88.
Livor unde? 10.
Loquela amiſſæ cauſæ 100. variæ hiſtoriæ *ibid.*
Lues venerea & Arthritis quomodo dignoſcantur? 85. 133. qualis morbus? 40. 133.
Luna phaſium effectus 79. 119.
Lympha corroſivæ effectus 18. 26. 49. 91. in ſpiritus 37.
Lythargirii fumi noxæ 105.

M

MAchina Papinianæ uſus 151. 177.
de Magiſteriis 172. Animalium 173. Mineralium *ibid.* Gemmarum & Perlarum 173. 212. Lignorum 172. cur fiant ponderoſiora? 177.
Magneſia Saturnina quid? 32. 51. 67. Ejus uſus in Epilepſia 67.
de Marte ejuſque præparatis 205. & *ſeqq.*
Martialia baſin conſtituunt pulverum cachecticorum *ibid.* exhibendi methodus 109. vina 111. 138. 147. Eorum operandi ratio 56. 57. uſus in Catharris 32. Febribus 48. 117. Hydrope 15. 22. 83. 111. Hypochondr. affectu 83. 106. 128. Ictero 26. 48. Morbis Cachecticis 32. tumore abdominis 25. viſcerum infarctu 50. 56. 103.
Martis Croci abuſus 15. 26. 56. Limaturæ uſus 5. 9. 22. 206. ſolaris Liquor in febribus intermitt. 56. ſubſtantia duplex 104. 205.
Materia perlata Krugeri 194.
Medendi vera methodus 46. 62. 99. 112. 126. 298.
Medicamenta amaricantia cur deſtillari nequeant? 149. Antifebrilia vid. *Antifebrile.* Antihydrop. 47. Antihyſterica 52. 86. in Arthritide 91. Balſamica 19. 21. 25. 32. Blandiora quibus conveniant? 46. 61. 64. 83. 112. 136. in malignis neceſſaria 308. Calculi ſpecifica 25. 27. Calida noxia in Apoplexia 89. Arthritide 65. 121. Colica 105. Doloribus 3. 28. Febribus ardentibus 305. 310. Hydrope 41. 83. Iſchiatide 52. 63. Lepra 80. Ophthalmia 50. Scabie 120. Scorbutica acrimonia 76. Spaſmis 57. Cardiaca in malignis quænam? 138. 284. in Catharris ſpecifica 130. Cephalica quænam & quotuplicia? 137. 146. Chymica ſunt ſatis tuta 136. Confortantia 60. Conſolidantia 23. Emmenagoga ſpecifica 53. Emollientia 76. Empirica ſæpe præferenda pretioſis 23. 136. Epileptica duplicis ſunt generis 146. Galenica vel ſunt, vel Chymica 136. & Chymica neceſſaria 28. 54. 61. 64. 126. 136. in Gonorrhæa ſpecifica 133. Gutta roſacea 128. Hepatica quænam? 138. in Ictero 48. Incraſſantia noxia 66. Melanagoga quænam? 140. Morbis debent eſſe proportionata 61. 64. 137. Negligentes cur æque curentur? 46. 69. 299. Nephritica quænam? 139. in Paralyſi & quomodo exhibenda? 119. Pectoralia ſæpe ſunt diaphoretica & Nervina 100. Quænam & quomodo operentur 137. Eorum abuſus in Aſthmate 66. 100. ex Regno animali 23. 136. Minerali eorumque operandi ratio & uſus 5. 26. 35. 58. 61. 64. 81. 108. 120. 122. 135. Quibus conducant? 36. 61. 76. 91. Vegetabilia ſunt optima ſpecifica 119. Sanguinem depurantia quænam? 28. 154. Simplicia plus ſæpe præſtant compoſitis 142. Solventia quomodo dignoſcantur? 7. Specifica an dentur? 119. 137. phaceli ſpecifica quænam? 60. Splenetica quænam 139. Stomachica ſunt remedia univerſalia 107. Styptica egregia 113. 188. Ulcera ad ſordida 139. Vulneraria quænam & quomodo operentur? 141.
Medicamentorum copia & mutatio ſæpe noxia 8. 37. 47. 112. Perverſorum noxa 3. 9. 17. 18. 19. 31. 36. 47. 95. in Febribus intermittentibus 77. Refrigerantium noxa 22. 35. 38. 48. in Eryſipelate 126. Febribus 78. 87. 117. 303. Hæmorrhagiis 73. Scabie 76. Repellentium noxa 55. in Podagra 99. 102. Scabie 76. Virtus unde dependeat? 137. 168. 176.
Media praxis rationalis & Vulgaris diſtinguenda 8. 126. 298.
Medicina Vetus & hodierna qualis? 136.
Medici imperitia 8. 121. Rationales quinam? 99. 105. Speculativi nimis Theoretici cur raro boni practici? 46. Theoretici quinam boni? 102. 298. Titulo indigni quinam? 82. 136. Eorum copia utplurimum damnoſa 3. 69.
Medicis medicamentorum præparatio competit 136.
Melancholicus humor per inferiora evacuandus 116. Veteribus quid? 89.
Menſium ſuppreſſorum noxæ 9. 18. 22. 86. 96. 100. 299.
de Menſtruis 178.
Menſtrua inſipida agunt in metalla 81. 143. 154. quomodo operentur? 178. quotuplicia *ibid.* ſolutis aliquid affricant *ibid.*
de Mercurio 194.
Mercurialis Spiritus 197.
Mercurii amalgama cum ferro 195. ære *ibid.* Coagulatio cum vitriolo 187. Corroſivitas unde? 31. 45. 81. Decoctio Coſmetica 197. Depuratio *ibid.* Inunctiones quomodo inſtituendæ 84. 197. Magiſterium 196. Solaris uſus in Lue venerea 41. Sublimati præparatio 153. Suffumigia 8. 31. 62. Vitæ uſus 50. Uſus in Lue venerea 8. 31. 134. 194. & *ſeqq.*
Mercurius diaphoreticus Jovialis 35. 117. 195. 197. dulcis cum ſalibus fixis mixtus corroſivus evadit 31. Ejus uſus & abuſus 95. Fixus in magnis morbis magnum præſidium 108. Laxativus 282. Philoſophicus quid? 195. 197. Præcipitatus albus 196. ruber 195. Regeneratus *ibid.* ex Regulo Antimonii 194. Virgineus 197. Vivus in cerebro inventus 95.
Metallicolarum ſymptomata 62. 102. 105.
Metallorum principium eſt Sulphur 196.
Minera Lunaris quid? 5.
Mithridatii Andromachi deſcriptio 232.
Mixtura ad ulcera Scorbutica 17.
Mola viriles quid? 119. uterinæ quid? *ibid.*
Morbi endemii unde? 58. 78. 117. nonnulli cur viris potius, quam fœminis familiares & vice verſa? 111. Pectorales unde? 138.
Morborum ab incantatione cura 166. cognitio neceſſaria 10. 15. 40. 99. Latentium cognitio 10. Hæreditariorum cauſæ 102. Lethalium 67. Longitudo unde? 21. 30. 38. 46. 48. 52. 85. 87. 90. 102. 108. Magnorum parva ſæpe initia 99.
Mortis repentinæ variæ cauſæ 117. & *ſeqq.*
Moſchus ex latrina odorem ſuum recuperat 166.
Motus corporis utilitas 3. 65. & animi vehementior noxius 12. 17. 42. 76. *Motus* Terræ explicans experimentum. 191.
Moxa uſus 61.
Mumia mineralis quid? 250.
Murmura in præcordiis quid? 14.
Mirrha uſus in Phthiſi 101.

N

NAtura quid? 303.
Natura motus conſuetus quomodo avocandus 39. critici non ſunt ſiſtendi 71. 74. 305. Ordinarii conſervandi 63. 103.
Nauſea in cibis ſumendis ad febr. diſponit 299.
Nepenthes aureum quid? 231.
Nervorum genus debile doloribus facilius obnoxium. 81. 85. 120. Recurrentium uſus 101.
de Nitro ejuſque præparatis 183.
Nitri Antimoniat. uſus in febribus 87. Cryſtalliſatio. 183. uſus 17.

17. 27. 28. 54. 56. 183. in febribus ardentibus 305. in Hæmorrhagiis 30. 109. Iſchiatide 131. Fixatio 183. Lapis prunell. *ibid.* Sal ex capite mortuo Spiritus cujus figuræ? *ibid.* Spiritus *ibid.* abuſus 18.
Nitrum purificat aurum & alia metalla 183. cur additis carbonibus in crucibulo fluat *ibid.*

O

OBeſi quibus obnoxii? 38.
Obſervationes medicas tradendi methodus 40. 41. 95. Earum utilitas 95. 102. 298.
Oeconomia animalis mutuus conſenſus 38.
Oculus index animi & corporis 74.
Odores cur inebrient? 76. ſuaveolenti Hyſtericis noxii 88. 114. Paralyticis noxii 119. in vulneribus capitis & nervorum 76.
de Oleis animalium 165. Aromatum eorumque adulterationibus 164. deſtillatis 162. Florum 163. per expreſſionem parandis 240. infuſionem parandis 161. 240. Lignorum 162. Mineralium 166. Seminum 164.
Oleoſorum abuſus in acutis 21. eryſipelate 13. 99. 126. Scabie 76. Ulceribus 27. 59. differentia unde? 163. Empyreuma quomodo tollendum? 162. 163.
Oleum aniſi cur facilè concreſcat? 164. per expreſſionem *ibid.* Buxi 163. Camphoræ *ibid.* ex Radice Cinnam. *ibid.* Caryophyll. in carie oſſis 23. Ceræ 166. Cinnamomi 164. Hyoſcyami in dyſenteria 18. Podagra 166. Hyperici 241. Inunctionis Sacræ 240. Ligni aloes 149. 163. Rhodii 163. Picis 162. Roſarum 163. Serpentum in oculorum hebetudine 166. Succini 162. 163. Talci 167. Vulneratium 60. compoſitum 161.
Ophthalmicum Specificum 79.
de Opiatis 231. Laudani deſcriptio 231. 233. Antifebrilis deſcriptio 283. Eorum abuſus in Aſthmate & hydrope 66. diarrhæa & dyſenteria 67. 305. Malignis 68. 307. correctio 37. 50. 95. cum purgantibus commixtio 97. 104. uſus 37. in ardore ventriculi 68. Hæmorrhagiis 112. Iliaca paſſione 84.
Opium conficiendi & præparandi modus 151. deſtillari an poſſit? 149.
Os cribriforme an aliquid tranſire poſſit? 96. *Oſſis* Putridi & carioſi ſigna 23. *Oſſium* nutritio 81. ſtructura 23. 81. Tabes 81.
Ova febricitantibus noxia 116.
Oxymel in Aſthmate 66.

P

PAnacea an detur? 176. Conerdingiana quid? 111. 193. Glauberiana quid? 25. 29. 64. 193. Ejus uſus in febribus 117. hydrope 83. lymphæ acrimonia 193. Panacea hypochondriacorum 128. Zittavienſis quid? 194. Earum virtus in quo conſiſtat? 58. 122.
Paracentheſis quomodo inſtituenda? 110.
Paralytica membra cur tumeant vel marceſcant? 39.
Pediluviorum uſus *ibid.*
de Perlis & Unionibus earumque præparatis 211.
Pharmacomania quid? 37.
Philonium Romanum 233.
Phoſphorum præparandi modus 152. 164. 219.
Phrenitis unde? 307
de Pilulis omnis generis 234.
Pilulæ de Agarico 20. Aggregativæ *ibid.* Aloephanginæ 29. cum opio mixtæ 121. Anthelminticæ 234. Antifebriles *ibid.* Antivenereæ *ibid.* Becherianæ 75. 110. 159. Cachecticæ 234. Catholicæ 10. 16. 34. de Cynogloſſa 93. 113. Emetic. purgantes 234. in Fluore albo. 49. Gonorrhæa 234. Helleborinæ 29. Hypochondriacæ. 234. in Hyſterica paſſione 53. Martiales 95. Matthiæ Anglicæ ſive Starkianæ 50. 93. 95. harum deſcript. 234. in Menſium obſtructione 111. Mercuriales 66. in Ophthalmia 97. Nephritide 25. pilul. Polychreſtæ 251. Ventriculi dolore 107. Viſcerum tono roborando 110. Wildeganſii pilul. deſcript. 234. uſus 37. 50. 93. 95.
Plantarum cognitio quatantenus Medico neceſſ. 119.
Pletorici quibus obnoxii? 12. 28. 31. 38. 89. 111. 304.
Pleuritidis veræ & ſpuriæ ſigna 34.
Podagræ ſuppreſſæ noxæ 119.
Polypus cordis quid? *ibid.* repentinæ mortis cauſa. 117. *Ejus* cura 119.
Potus congruus in febribus neceſſarius & qualis 35. 288. 305. copioſus in febribus an proſit? 303. ante febrium paroxyſmos noxius 116. frigidus in febribus noxius 274.
Pulmones an coſtis naturaliter adhæreant? 103. Eorum textura qualis 53. 101. 103.
Pulſus in Febribus 270. 298.
de Pulveribus varii generis 237.
Pulvis antifebrilis 115. 217. 238. Antinephriticus Volkan. 25. Antipodagricus 19. in Cancro exulcerato 72. Cancrorum fluviatilium 171. Cephalicus pro cucupha 23. Diaphoreticus 9. 12. 35. Halecis 171. Polychreſtus 183. Purgans 32. 56. Ranarum 171. Tackenii in Mania & Melanch. 96. Traumaticus 23. 59. Vermium terreſtrium 171. Viperinus 45. 47.
Ptyſana in Febribus 289.
Ptialiſmus in Arthriticis unde? 120.
Puncturæ tendinum ſymptomata 99. veſpæ ſymptom. *ibid.*
Purgans infuſum Antifebrile 116. Juſculum 47.
Purgantes aquæ an dentur? 179.
Purgantia exhibendi methodus 71. 116. cum Alexipharmacis mixta in principio malignarum 68. Alterantibus mixta 140. Leniora Hypochondriacis proficua 83. Melius infunduntur, quam decoquuntur 137. 140. 143. 157. Paralyſin produxerunt 61. Specifica an dentur? 31. 89. 116. *Eorum* abuſus 51. 71. 81. in Arthritide 12. 65. Colica 106. Febribus malignis 115. Quartanis 116. 278. Febre Hectica 15. Hydrope 5. 51. 109. Menſium ſuppreſſione 22. Ophthalmia 50. 55. 78. Paralyſi 119. Pectoris morbis 31. ſtrumis 58. *Eorum* mixtio cum opio quid præſtet in Arthritide & Colica? 50. 121. diarrhæa & dyſent. 67. Doloribus? 97. 104. Febribus? 116. 109. Hemicrania? 95. *Eorum* operandi ratio 5. 51. 106. 156. 179. Uſus in acutarum initio 21. 38. Angina 54. Arthritide 87. Catharris 18. Febribus 56. 278. Hæmorrhagiis 73. 112. Hydrope 15. 29. 79. 83. Ictero 51. Iſchiatico dolore 50. Lue Venerea 55. Menſium ſuppreſſione 25. Nephritide 24. in Ulceribus 38. cur Venæ Sectioni præmittendus? 25. 73. 112. *Eorum* vis à ſalibus intenditur 65.
Puſtulæ in facie unde 25.
Putredinis cauſa 19. 154. 170. 178. 307. verminoſæ cauſa 307.
de Putrefactione 178.

R

REcidivæ cauſa 15.
Reſina quid? 157.
Reſpiratio in Febribus 270.
Ros Majalis aptiſſimum eſt menſtruum 148.

S

SAccharum quid 69. 205. Ejus abuſus *ibid.* Magneticum quid? 15. Metallinum quid? 11. 37. Roſaceum in Hectica 15.
Sal eſt vel acidum vel alkali 169. Acidum quid? 169. 170. Alkali quid? *ibid.* Antimonii Tartarum in febribus 117. aperitiv. ſtomachicum & Antifebr. 182. 185. Tackenii 87. Armoniacum fixiſſima ſublimat. 177. 184. Ejus flores ex Alumine. 185. Digeſtivum quid? *ibid.* Eſſentiale quid? 169. Fixum quid? *ibid.* Neutrum quid? *ibid.* Univerſale eſt naturæ Tartareæ *ibid.* Volatile quid? *ibid.* humores à putredine præſervat 36. *Salis* acidi in corpore abundantis indicia 91. armoniaci martialis liquor in febribus intermittentibus ſpecific. 56. 117. *Ejus* Cryſtalli dulces 182. Figura 91. Generatio non eſt à calore 2. 96. ex aere 186. in corpore unde? 2. 3. 11. 52. 64. 70. 91. Scorbutici effectus 23. 26. 36. 55. 76. 81. 88. 96. 98. 101. Spiritus 153. Succini uſus 97. volatilis abuſus in dolore capitis 96. Febribus ardentibus 305. Scorbuto 76. *Ejus* deſtillatio 164. ex animalibus 165. Seminibus oleoſis 164. Oleoſi uſus in menſium ſupp. 22. ophthalmia 97. ſuffuſione 13.
de Sale Armoniaco 184. Communi 181. Ejus conficiendi copiam ex Salinis arcanum 183. mutatio in Alkali 182.
Salia abſterſiva quænam? 87. Eorum uſus in febribus 117. Animalium quid? 169. Fixa ſunt egregia deobſtruentia 21. 56. 83. Mineralium quid? 169. quomodo à putredine præſervent vegetabilia 178. ſunt univerſalia naturæ fundamenta & inſtrumenta? 168. Vegetabilium quid? 169. Volatilia non ſunt corroſiva. 73. *Salium* diverſitas unde 169. 170. excrementitiorum in ſanguine retentio cauſa Catharri 130. fundamentum eſt ſal acidum 139. 169.
Salivæ cauſticæ ſymptomata. 100. Deglutitio in locis contagioſis noxia 29.
Salivationis uſus 8. 29. in dolore capitis 96. Podagra 91.
Sanguis depurandus quomodo? 3. 16. 98. 122. ex quibus particulis conſtet? 307. Leproſorum qualis? 80. Lue venereâ infectorum qualis? 55. Scorbuticorum qualis? 88. Ejus calor unde? 299. Circulatio unde? 299. 301. an in febribus aucta ſit? 302. mixtura in malignis eſt turbata 307.
Sanitatis ratio 3. 300.
de Sapphiro 214.
Saturni balſamus 1. 27. 208. Oleum. 37. 208. Saccharum 209. medicamenta parum tuta ſunt *ibid.* Noxa in febribus 38. à fumo 208. in vulneribus nervorum & oſſium 59. uſus in Emplaſtris 208.
Scarificationis uſus 88. in Cephalalgia 94.
Scorbuti cauſa 3. 26. remedia 26. Ille ſæpe luem veneream refert 133.
Scordium quid? 95.
Semen aquoſum unde? 133. daturæ quid 231.
Semicupium in dolore Iſchiatico 51. Paralyſi & Gangrena 88.

Signatura

Index Rerum.

Signatura in plantis inutilis 8.
Singultus in febribus 269.
de Smaragdo 214.
Solis ardor febris cauſa 12. 18.
de Solutione 178.
Spaſmus quid ? 7. Ejus remedium ſpecificum 60.
Sphacelus in dyſenteria 18. Ejus cura 42.
Spiritus Anticolicus Mich. 184. Ardentes ex Vegetabilibus parandi 145. quid 163. ex ſanguine an deſtillari poſſint ? 300. Balſami Peruviani fragrantiſſimi 150. Carminativus Mich. 105. Cochlear. in Scorb. 26. C. C. Succinatus 42. Corporis humani quid? 164. Eboris balſamicus 42. Fuliginis 26. fumans ex Sulphure 191. Nitri dulcis 184. Rectificati quænam diſſolvant ? 178. ex Sacharo Saturni ardens. 209. Sâlis 182. dulcis 184. Fumans 183. 207. Ammoniaci 26. 53. noxa in ophthalm. 50. *Spiritus* Urinæ cur cum Spiritu Vini dephlegmato in coagulum abeat 166. *Spiritus* Vini vulgaris in nonnullis Tincturis & extractis præſtat. Rectificato 144. 156. Vitrioli acidus 187. volat. *ibid.* Volatilis oleoſi aromat. uſus in chyli exaltat. 38. ex Terris argillaceis 180. Urinoſi quænam diſſolvant ? 178. 185.
Sputum Phthiſicorum corroſivum exiſtit 101.
de Stanno ejuſque præpar. 206. *& ſeqq.*
Steatoma quid ? 20.
de Stercorum animalium vario uſu 152. 172.
Sterilitatis cauſa 49.
Stomachicum ſpecificum quid ? 14. 28. 32. 34. 69. 127. 251.
Strumæ cur endemiæ ? 171.
Styli dentifricii 238.
de Sublimatione 177. Auri. *ibid.*
de Succis vegetabilium 154. Eorum conſervæ *ibid.* Depuratio *ibid.* Uſus 155.
Sudor colliquativus unde ? 50. 307. copioſus quomodo provocandus in Iſchiatico dolore? 51. in Diarrhæis ſalut 74. in Febribus ſalut. 13. 268. Hecticis 125. Spirans acidum in arthritide 91. ſanguinei hiſtoria 71. ſuppreſſio unde ? 108.
Sudorifera fortiora nocent in acutarum principio 19. 21. 299. 302. Arthritide 85. Cachexia 5. Febribus intermit. 82. Iſchiatide & Plethora 52. 85. Venæſect. & purgat. 9. Eorum uſus in diarrhæis 74. Acutis 115. Febribus 299. 303. 313. Ophthalmia 97.
de Sulphure 188. Antimonii 182. Embryonato ex Magneſia Saturnina 64. Hydrotico 29. Martiale quid ? 104. Metallorum quid ? 4. 5. 6. 58. 108. 109. 121.
Sulphuris balſami Terenbinthin. abuſus 9. balſamum 189. 191. temperatum 90. 101. Depuratio 190. Flores 188. Eorum correctio 66. uſus in Arthritide *ibid. Sulph.* Hepar 191. Lac 40. 71. 188. 190. Magiſterium 188. Oleum acidum 25. 167. 189. Balſamicum 13. Spiritus. 189. Tinctura 190.
Symptomata primario quænam reſpicienda 37. urgentia quænam 10. Eorum multitudo ſæpe ab una radice dependet 85.
Syncope hyſterica in Febribus 77.
de Syrupis variis 221. *& ſeqq.*

T

Tabaci cinis eſt conſolidans 23. fumus epilepſiam curavit 67.
Tamarindi quibus particulis conſtent 21.
de Tartaro 265. Ejus arcanum 18. 24. 305. Balſamus 24. Terra foliata 50. 87. Salis volatiliſatio & fixatio 24. 167. 170. 184.
Tartarus Vitriolatus 18.
de Terrarum medicinalium variis ſpeciebus earumque præparationibus & proprietatibus 179. *& ſeqq.*
Terra Zeilonica Sal & Spiritum volatilem continet. 180.
Terræ Argillaceæ Spiritum æthereum acidulum continent 180.
Terroris effectus in Spiritus. 23. 32. 299.
Theriaca confectio 225. 231. cœleſtis uſus 37. contractior 231. Metallorum 18. 250.
Thermarum uſus 45.
de Tincturis 143. *& ſeqq.*
Tinctura Anodyna 193. Anticteritia 17. Antimonii 192. ſicca 193. Antiphthiſica Grammani 206. 209. Aperitiva 32. Mœbii 182. Auri. *ibid.* Bezoard. camph. 42. 156. Calcis vivæ 27. Cærulea Helvetii 203. Corallorum cum Spir. Sal. dulc. 182. 184. Croci 144. Florum Papaveris 144. 158. Martis pomata 22. Zvvelfferi 50. Metallica 45. Nephritica ex auro 200. 201. Rhabarbari 144. Roſarum 143. Saturni Philoſoph. 58. 126. Tartari in nephritide 27. Veneris 203. 204. Violarum 144.
Tonus partium quid ? 12. 130. 301.
Tranſpiratio eſt commune naturæ emunctorium 16. 37. impedita defluxionum cauſa 38. 130. diarrhææ cauſa 74. eſt in Febribus & ad eas diſponit 50 299. 302. pro diverſa aeris mutatione diverſimodè mutatur. 130.
de Trochiſcis varii generis 237.
Tumor fungoſus in œſophago 18. *Tumorum* varia nomina 21.
Tumoris in lingua hiſtoriæ 10.

U

Vapores ſubterranei quid ? 169
Venæſectio in Pletoricis cur purgantibus præmittenda 159. 305. Ejus abuſus 3. 5. 15. 45. in Cachexia 116 Capitis dolore 94. Febribus 35. 73. 302. Menſium ſuppreſſione 9 53. *Ejus* uſus 9. 13. 20. in Angina 54. Apoplexia 89. Dolore Ca- 37. Colico 105. Iſchiatico 50. 51 63. 131. Evacuationibus conſuetis ſuppreſſis 116. Febribus 302. Acutis 115. 275. Ardentibus 305. Quartanis 116. Synochis 304. Menſibus ſuppreſſis 53. Nephritide 28. Ophthalmia 55. 78. Paſſione hyſterica 57. 114. Pleuritide 31. 69.
Venarum tumor undè ? 11.
Venena quomodo operentur ? 55.
de Venere ſive Cupro ejuſque præparatis 203.
Venus alba *ibid. & ſeq.* Ejus Oleum 204. Spiritus *ibid.* Tinctura *ibid.* ſive viridis æris uſtio in fiſtulis curandis *ibid.*
Veneris abuſus 33. 34. 65. 73. 75. Uſus 86.
Ventriculi conſtitutio poſt graves morbos 77. Digeſtio in omnibus ferè morbis læditur eorumque cauſa exiſtit 14. 29. 37. 38. 46. 50. 56. 63. 90. in Arthritide 20. 87. 113. in febre Hectica 127. in Hæmorrhagiis nimiis 73. 78. 112. in Hypochondriaco affectu 52. 85. 128. Fermentum corroſivum in Affectu Hypochondriaco 88. 127. Frigiditas unde 29. Imbecillitas & Vomitus à capite læſo 118. Senſus Gravativus unde 29. Tumor unde 7.
Vermes in ulceribus 24.
Victus Hodiernus & Vetus 93. Humidus qualis 15. 49. in Febribus 116. 285. 287. 303 304. Plenus in Febribus noxius 116. 303. 313 Tenuis in Febribus acutis 21.
Vina ex mineralibus compoſita 146.
Vini abuſus 65. ad Hydropem & Icterum diſponit 109. in Arthritide 91. *Ejus* uſus 22. 34. 38. 48. 49. in Febribus 72. 288. an Hecticis conducat 125. in Ophthalmia 74. Phthiſi 101. Potus cur Paralyticos facilè inebriet 76. Spiritus in Febribus malignis 72.
de Vinis Medicatis 145.
Vinoſi liquores ex ſuccis 145. 146.
Vinum acidum præſtat infuſis Vomitoriis parandis 143. Granatorum in Febribus 289.
Viperarum caro in ſanguine depurando 126. 171.
Virium proſtratio in Malignis unde ? 308.
Viſcerum debilitas quid ? 41. 42.
Vitæ ſedentariæ noxæ 52. 65.
de Vitriolo 186. *Ejus* arcanum 8. 18. 186. Balſamus 33. 186. Colcothar 186. Cypriani noxa in Ophthalmia 50. Artificialis præparatio 187. Martis uſus 10. 25. Olei uſus 4. cum ſanguine mixtio colorem luteum illi inducit 114. Dulcis uſus 5. 14. Phlegma 186. Sal *ibid.* Dulce quid ? *ibid.* Vomitorium 188. 282. Spiritus 186. Dulcis 23. Cur argentum non ſolvat ? 253. Sulphur 186. Narcoticum 186. Tinctura *ibid.*
Vitriolum Veneris & Martis 106. 187.
Vitri rubinei præparatio 207.
Ulcera aurium utplurimum cum carie oſſis juncta 98. Ejus hiſtoria 57. Cachexiam tandem producunt 23. Externè & internè curanda 129. Inflammationes ſæpius ſequuntur 125. 128. Narium quibus familiaria 128. Parva Scorbuticorum menſium ſuppreſſ. & lue Venereâ laborantium in magna ſæpe abeunt 129. Pedum ſanata ulceris pulmonum cauſæ 101. Quænam difficilius ſanentur ? 27. 36. 129. Quibus frequentia ? 33. 129.
Ulceris pulmonum ſigna 90. 101. *Ejus* fundamentum utplurimum in ventriculo hæret 70.
Ultramarinum quid 217.
Umbilici rupti hiſtoria 79.
de Unguentis varii generis 242. *& ſeqq.*
Unguentum antifebrile 313. Antiſpaſmodicum 57. 243 Balſamicum in vulneribus nervorum 27. 33. ad Caruncula in pene 28. Cordiale 77. in Eryſipelate 98. Iſchiatide 61. Mundificans 58. 70. in Ophthalmia 79. in Paralyſi 88. Pleuritide 68. 69. *Unguent.* Vitellorum 1. 27. 33. 37.
Unicornu foſſile quid 181. 216.
Vomitoriorum uſus 18. 20. 29. 38. 47. in Arthritide 87. 91. Aſthmate 103. Calculo 124. Epilepſia 67. Febribus 281. 302. 313. cum Opio mixtorum in Dyſenteria, Diarrhæa & Febribus 67. in Podagra 87. Vitriolaceorum 106. 188. an Hecticis conducat 38.
Vomitus acidi in affectu hypochondriaco unde 88. Bilioſi non ſemper à bile 21. in calculo renum unde 35. Diuturni prognoſis *ibid.* Sanguinei cauſa 132. unde 105.
Urinæ Calculoſorum quales 124. Cruditates quid indicent 13. in Febribus 269. 299. Malignis quales 307. Pellucidæ quid portendant 305.
Uteri procidentiæ hiſtoria 129. *Ejus* Subſtantia qualis 113.
Vulnera nervorum & oſſium quomodo curanda 59.
Vulneraria quænam 122.

FRIDERICI
HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS BORUSSIÆ INTIMI,
ET ARCHIATRI,
PROFESSORIS MEDICINÆ PRIMARII IN ACADEMIA HALENSI,

OPERUM OMNIUM
PHYSICO-MEDICORUM
SUPPLEMENTUM

IN DUAS PARTES DISTRIBUTUM;
QUIBUS CONTINENTUR
OPERA VARIA QUÆ IN MAGNA OPERUM
COLLECTIONE DESIDERANTUR.

PARS SECUNDA.



GENEVÆ,
Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCCXLIX.

CONSPECTUS
PARTIS SECUNDÆ.

Diſſertationes varii Argumenti.

Fundamenta Medicinæ ex Principiis Naturæ Mechanicis in uſum Philiatrorum ſuccinctè propoſita. Pag. 1
Diſſertatio de Diætæ vitio multorum morborum cauſâ. 45
Diſſertatio de motu, optimâ corporis medicinâ. 53
Diſſertatio de fumo carbonum noxio & quandoque lethali. 62
Diſſertatio de uſu & abuſu pulverum ſternutatoriorum. 69
Diſſertatio de mirabili ſulphuris Antimonii fixati efficaciâ in Medicinâ. 76
Diſſertatio de ſpecificis Antiſpaſmodicis. 81
Diſſertatio de Purgantibus minùs cognitis & ſelectioribus. 87
Diſſertatio de Vomitoriorum cauto & præſtantiſſimo uſu. 94
Diſſertatio de Balſamo Peruviano. 104
Diſſertatio de Terebinthinâ. 110
Diſſertatio de Millefolio. 115
Diſſertatio de infuſi Veronicæ efficaciâ præferenda herbæ Thee. 120
De Cinnabari Antimonii, ejuſque eximiis viribus, uſu tam ſecretiori quàm vulgari, tam in morbis hucuſque cognitis, quàm incognitis, Exercitatio Medico-Chymica; Adjecta ſunt Ratiocinia ſat curioſa. 127
Diſſertatio de Peſtis origine & naturâ. 147
Diſſertatio de Peſte, ejuſdemque curandæ ratione. 155
Diſſertatio Medico-Practica, de Pleuritide & Peripneumoniâ, quâ diverſæ de his Autorum ſententiæ expenduntur. 165
Diſſertatio Medica de Medicis & Medicinâ perverſa judicia exhibens. 172
Diſſertatio de morbis oculorum præcipuis, eorumque rectâ medendi ratione. 177
Obſervationes Medico-Forenſes ſelectæ de læſionibus externis, abortivis, venenis ac philtris. 187
Diſſertatio Medica de verâ perpetui mobilis in homine vivo ideâ. 195
Diſſertatio Medico-Chymica de Acido Vitrioli vinoſo. 224
Diſſertatio de ſtudio Medico rectè pertractando & ejus probatiſſimis Auctoribus; Præfationis loco Hermanni Conringii in Univerſam Artem Medicam Introductioni præmiſſa. 237

Medicus Politicus; ſive Regulæ Prudentiæ ſecundum quas Medicus Juvenis ſtudia ſua & vitæ rationem dirigere debet.

Commentarius de Differentia inter FRIDERICI HOFFMANNI Doctrinam Medico-Mechanicam; & GEORGII ERNESTI STAHLII Medico-Organicam.

ERNESTI ANTONII NICOLAI Methodus concinnandi formulas Medicamentorum exemplis ad *Frid. Hoffmanni* mentem accommodatis illuſtrata.

CATA-

CATALOGUS
LIBRORUM MEDICORUM, &c.
Apud Fratres De Tournes, Bibliopolas *Genevæ* & *Lugduni* in copia proſtantium.

Allen *Joan.* Synopſis univerſæ Medicinæ practicæ 8. 1749.
Aſtruc de Morbis venereis 4°. 2. tom. *Paris* 1740.

Baglivi *Georgii* Opera omnia, cum novis Additionibus, & Indice generali 4°. fig. *Lugd.* 1744.
Bayle *Franciſci* Phyſica 4°. 3. vol. *cum fig.* 1703.
Bianchi *Joan. Bapt.* Hiſtoria Hepatica, numeris omnibus abſoluta 4°. 2. vol. *cum fig.* 1725.
Boerhaave *Hermanni* Inſtitutiones Medicæ, Aphoriſmi & Materia Medica 8°. 3. tom. 1721.
——— Methodus diſcendi artem Medicam 12°. fig. *Londini* 1744.
——— Tractatus de Calculo, ut & conſultationes Medicæ, ſeu Sylloge Epiſtolarum cum reſponſis 8°. *Gottingæ* 1744.
——— de Morbis Oculorum 12°.
——— de viribus Medicamentorum 12°. *Paris.*
Boneti *Theophili* Polyalthes, ſive Theſaurus Medico-Practicus fol. 3. tom. *Genevæ* 1690.
Burneti Theſaurus Medico Practicus 4°. *Lugd.* 1702.
Cardani *Hieron.* Opera omnia Philoſ. Mathemat. Aſtronom. & Medica fol. X. tom. *Lugduni* 1663.
Caſtelli *Barthol.* Lexicon Medicum Græc-Lat. a Brunone 4°. *Genevæ* 1746.
Chabræi Sciagraphia, & Icones ſtirpium, ſeu Radicum & Plantarum nomina, figura &c. fol. 1678.
Charas *Moſis* Opera omnia 4°. 3. tom. *fig.* 1684.
Clerici *Danielis* Hiſtoria naturalis & Medica latorum Lumbricorum intra hominem & alia animalia naſcentium 4°. *fig.* 1715.
Diemerbroeck *Isbrandi* Opera omnia Anatomica & Medica 4°. 2. vol. *figur.* 1687.
Dionis Anatomia corporis humani 8°. *fig.* 1696.

Ettmulleri *Michaelis* Opera omnia Theoretico-Practica, cum notis Cyrilli & Mangeti fol. 4. tom. *Genevæ* 1736.
Fernelii *Joan.* Opera Medica fol. *Genevæ* 1679.
Foëſii Oeconomia Hippocratis fol. 1662.

Gavetus de febribus 12°. 1700.
Gutierrez *Joan. Lazari* Lectiones febrilogicæ fol. 1668.
Haller *Alberti* Comment. in Inſtitutiones Medicas Boerhaave 8°. 6. tom. *Gottingæ* 1740-1744.
——— Diſputationes Anatomicæ 4°. 2. tom. *Gottingæ* 1747.
Heiſter *Laurent.* Compendium Anatomicum 8°. 2. tom. *figur. Amſt.* 1748.
——— ——— Medicinæ Practicæ 8°. 2. tom. *ibid.* 1748.
——— ——— Inſtitutionum Medicarum 8°. *ibid.* 1748.

Hoffmanni *Friderici* Opera omnia Medico-Phyſica fol. 6. tom. *Genevæ* 1748.
——— Operum omnium Supplementum fol. 2. tom. *ibid.* 1749.
Hollerius in Aphoriſmos Hippocratis 8°.

Jungken Corpus Pharmaceutico-Chymico-Medicum fol. *Francofurti.*
Lazerme *Jacobi* de morbis Capitis internis. 12°. *Amſt.* 1748.
Lanciſii Opera Medica 4°. 2. to. fig. *Genevæ* 1718.
Lemery Curſus Chemicus 12°. 1681.
Lieutaud *Joſephi* Elementa Phyſiologiæ, juxta noviſſima experimenta, & accuratiores Anatomicorum obſervationes concinnata 8°. *Amſtelod.* 1749.
Lommii *Jodoci* Opera omnia; ſcilicet Obſervationes Medicæ, de febribus, & de ſanitate tuenda 12°. 3. tom. *Amſt.* 1745.
Mangeti *Joh. Jacobi* Bibliotheca Medico-Practica fol. 8. tom. *Genevæ* 1739.
——— ——— Bibliotheca Anatomica fol. 2. vol. *figur. ibid.* 1699.
——— ——— Pharmaceutica fol. 2. vol. *figur. ibid.* 1704.
——— ——— Chirurgica fol. 4. tom. *fig. ibid.* 1722.
Mayerne Praxis Medica 12°.
——— de Arthritide 12°.
Morton *Richardi* Opera omnia, nova Editio quatuor Tractatibus auctior 4° 2. to. *Lugd.* 1737
Munnick Anatomia 8°. *fig.* 1699.
Muſgrave de Arthritide Anomala & Symptomatica 4°. *Genevæ* 1715.
Morgagni *Jo. Bapt.* Epiſtolæ Anatomicæ ad Valſalvam de aure humana 4°. 2. tom. *figur. Venet.* 1740.
Ramazzini *Bern.* Opera omnia 4°. 2. tom. *figur. Neapoli* 1739.
Riverii *Lazari* Opera Medica cum Arcanis, & *Ferd.* Weinhart Medicus Officioſus fol. *Lugd.* 1738.
Riverius reformatus, renovatus, & auctus 8°. 2. tom. 1735.
Santanelli Philoſophia recondita, ſive Magiæ naturalis explanatio 4°. 1723.
Sydenham *Thomæ* Opera Medica, cum variis Obſervationibus & Indice generali 4°. 2. tom. *Genevæ* 1749.
van Swieten *Gerardi* Comment. in *Herm.* Boerhaave Aphoriſmos de cognoſcendis & curandis Morbis 4°. Tom. I. II. *Paris* 1746
——— Tom. III. ſtatim ac prodibit.
Tournefort *Joſeph Pitton.* Inſtitutiones Rei Herbariæ 4°. 3. tom. *figur. Paris* 1719.
Wepferi *Jo. Jacob.* Obſervationes Medico-Practicæ de affectibus capitis internis & externis 4°. *Tiguri* 1745.
Zacchiæ *Pauli* Quæſtiones Medico-Legales fol. 3. tom. *Lugd.* 1726.

FRIDE-

FRIDERICI HOFFMANNI DISSERTATIONES VARII ARGUMENTI.

FUNDAMENTA MEDICINÆ EX PRINCIPIIS NATURÆ MECHANICIS IN USUM PHILIATRORUM SUCCINCTE PROPOSITA.

AD LECTOREM.

AUGUSTE non minus quam ſapienter antiquiſſimus medicinæ parens HIPPOCRATES *lib. de Steril. c.* 18. §. 1. ſcribit: Πειρῶτι φύσικος εἶναι, *Conare ut phyſicus evadas.* Dolendum & dictu turpe eſt, ſapientiſſimum Divi Senis monitum ad hæc tempora uſque negligi ab illis, qui Medicinæ ſacris operantur. Tota medendi ſcientia ſine rerum naturalium philoſophia trunca ac debilis eſt, nec ullius morbi explicationi vel prudenti directioni curationis apta exiſtit. Phyſicus in interiora naturæ introſpicit, abditas corporum ſtructuras, temperies, mixtiones ſcrutatur, ex quibus illationes ſuas in medicinam facit feliciſſime. Non autem hic intelligimus ſcientiam ex meris ſpeculationibus natam, ſolidiori experientia ceu prima veritatis parente deſtitutam: ſed talem urgemus, quæ methodo ſimplici, plana, mathematica concluſiones ſuas demonſtrare ac firmare ſatagit. Quantum fulgoris ac incrementi medendi ſcientiæ a paucis temporibus phyſica tali ſolidiori acceſſerit, exprimi vix poteſt. Omnium diſciplinarum, ſic quoque naturalis & medicæ ſcientiæ fundamenta lubrica ac imbecilla ſunt, niſi demonſtrationibus robur ac firmitatem accipiant. Omnes autem veritates maxime petendæ ex matheſi ſunt, quas æternas, a DEO ſtabilitas, & mortalium mentibus ingenitas vocat CARTESIUS *in epiſtol.* 104. Sola mechanica, anatomiæ & chymiæ nupta, ab humili ad altum hactenus duxit ipſam ſcientiam rerum naturalium & medicarum: tali ſcientia qui rite inſtructus eſt, rerum abſtruſarum cauſas eruere, dubias Medicorum controverſias ac ſententias diſſolvere, remedia valentia vel in deploratis morbis invenire quam feliciſſime poteſt; Pauciſſimis hæc ſcientia utitur principiis, eademque tam artificialium quam naturalium ſunt, nimirum *materia & motus.* Materia unam & ſimplicem dat rebus eſſentiam, varios autem accipit

 modos,

modos, & multifariam ſpecificatur a motu ceu univerſaliſſimo omnium principio, unde fluunt variæ corporum formæ, qualitates, vires, quas unice producit motus, ex varia materiæ diviſione, configuratione, ſitu & ordine. Totius univerſi viciſſitudines & mutationes motui debentur, cujus cauſa eſt ipſe DEUS maximus & ter optimus mechanicus ac primus cunctarum rerum motor, qui non ſolum impulſum omni materiæ imprimit, ſed & omnia hujus univerſi corpora in proportionato ſuo ſervat æquilibrio, pondere, menſura & ordine: qui ſtatice & mechanice res produxit, cunctaque in æquilibrio ſuo tenet, quo deſtructo, & rerum virtus, forma ac temperies dejicitur. Medicus autem in arte ſua imitatur naturam, & ipſius parentem DEUM, hinc merito naturæ audit miniſter. Eadem enim naturæ & artis medicæ ſunt principia: & uti artifex, qui materiæ naturam & motus leges ac rationes exacte callet, pro lubitu ſuo mutare, deſtruere, componere corpora ſcit; pari modo Medicus, iiſdem principiis inſtructus, immutando, reſolvendo, ac varie alterando corpora, maxima & prodigioſa præſtare poteſt: exemplo ipſius chymiæ cultioris & curioſæ. Quivis itaque ſapiens Medicus ad talia principia mentem accommodare debet, ſic facili via omnes controverſias ac litigia in medica ſcientia occurrentia tollere, dubia ſolvere, ſectarum originem & errorum cauſas perſpicere feliciter poterit. Multarum ſectarum in medicina ortum ignorantiæ naturalis philoſophiæ adſcribendum eſſe vero videtur ſimile. Cordate itaque & aperte fateor, nullum vere rationalem Medicum eſſe, niſi qui phyſicus ſit perfectus, & principiorum naturalium exactam cognitionem habeat; & ſi dicere licet, quod res eſt, nil niſi ſubtilis empiria, veris rationibus deſtituta, facundia ſaltim & ingenio tecta, hactenus inter plures Medicos regnavit, qui etiam ſapientiſſimi videri volebant. Equidem non cenſendum, antiquiores & omnes, qui tali philoſophia carent, ob eleganter fideliſſimeque multa tradita negligendos penitus eſſe; utpote ex quorum ſcriptis hiſtoriæ & morborum obſervationes, & quæ ad prognoſin pertinent, ſufficienter peti poſſunt; illis tamen anteponendos credo, qui altius & ſubtilius excolunt ipſam naturam & ejus ſtudium, in ſubſidium vocatis experimentis variis ex mechanica, anatomia & chymia deſumptis. Non tamen & hic in mera ſubtilitate ſubſiſtere, ſed & fructus inde petere, & omnia transferre ad uſum debent, unde non minus a prudentia & uſu, quam ſcientia commendandus eſt Medicus. Magnum quid medendi ſcientia eſt, nec minus prudentia & ſapientia Medici; illa medicinæ oculus, hæc manus eſt: abſque prudentia nec tempora luſtrare Medicus rei gerendæ, nec præcipites captare occaſiones, vel in prognoſticis caute ſe gerere, & famam aucupari poteſt. Uti autem ſcientia optime comparatur ex Neotericis & philoſophia moderna, ſic prudentia ſapientiaque ex antiquioribus, variis obſervationibus, & ſe ipſum rebus gerendis accommodando addiſcitur. Ex hiſce itaque adductis liquidiſſime conſtare puto, quomodo tractari debeat ſtudium medicum: uti autem in omni diſciplinarum genere, ſic quoque in ipſa arte medica firma ac ſtabilia oportet habere fundamenta ac præcepta, quibus cultorem hujus artis inſtituere poſſimus, ut feliciſſime deinde in cæteris progredi poſſit. Hæc autem præcepta præcipue commendare debet perſpicuitas, brevitas, ordo, ut omnia rite inter ſe connexa ſint. Suſcepi hoc in me laboris, & totius medicinæ fundamenta in breve ſyſtema & corpus facillima methodo conſtitutum redigere allaboravi, juxta normam ſanioris modernæ philoſophiæ mechanico-chymicæ, ut totam medicinæ ſcientiam inde per breve temporis ſpatium commode haurire liceat. Nihil quod fundamenti loco inſervire poteſt & ſcitu in medicina neceſſarium hic omiſſum arbitror: abſtinui a prolixitate, controverſiarum & quæſtiuncularum maleferiatarum mole, nauſeoſa ſententiarum compilatione, quibus gravare & retundere diſcentis mentem alii conſuerunt; ſed illud ſaltim quod ſolidum, quod demonſtrari poteſt, & principiis phyſicis & mechanicis innexum eſt, inſinuavi, non ad gloriam, ſed in gratiam & utilitatem diſcentium ſimul & docentium. Qui autem hæc ringunt & in aliorum ſcripta livere conſueſcunt, tentare velint, ut hæc meliora faciant; nulli enim ad gloriam clauſa janua eſt. Non dubito plures ex hoc labore uberrimum fructum petituros eſſe: experti quoque ſunt diſcipuli mei, quibus hæc hactenus prælegi & explicatione illuſtravi, e quibus tantum eos nominatim laudare nunc viſum eſt, qui theſes has ex cathedra publica, me præſidente & moderante, fortiter & erudite defenderunt, videlicet

CHRISTOPH. WILHELM GATTIER, Grena Guelpherbyt.
JOHANN. BALTHASAR SCHONDORFF, Hallenſ. Saxo.
JOHANN. NICOLAUS KOPER, Halberſtadienſ. Saxo.
MARTINUS CHRISTIANUS LUTZO, Cellenſis.

Utere igitur, B. L. hoc labore meo, quem ſi non ingratum Tibi fuiſſe cognovero; alias etiam ejuſdem artis curas, quas meditor, inpoſterum communicabo.

CAPUT

CAPUT I.

De Natura Medicinæ.

MEDICINA eſt ars bene utendi principiis Phyſico-Mechanicis, ad ſanitatem hominis conſervandam & amiſſam reſtituendam.

2. Incertitudo & ignorantia veræ Philoſophiæ Naturalis variarum in Medicina Sectarum origo & cauſa eſt.

3. Sapienter dixit HIPPOCRATES lib. de Steril. Πειρᾶτι φύσικος εἶναι: *conare ut Phyſicus evadas.*

4. Vera Medicæ artis fundamenta ex principiis Naturæ petenda ſunt; hinc Medicus Philoſophus juxta HIPPOCRATEM Deo æqualis habetur.

5. Medendi ars omnium antiquiſſima, & HIPPOCRATES antiquiſſimus Medicinæ parens, & ſcriptor.

6. Medicus Naturæ miniſter, non magiſter eſt: & eadem principia Naturæ ac artis ſunt, hinc cum Natura operari & agere debet.

7. Duo in Medicina fulcra ſunt: experientia, quæ prima veritatis parens, & ratio, quæ clavis ſcientiæ Medicæ eſt. Experientia ordine præcedit & ratio ſequitur. Hinc rationes in rebus Medicis experientia non conditæ nihil valent.

8. In phyſicis experientia optime peti poteſt ex matheſi Mechanica, Chymia, Anatomia: In praxi Medica ex obſervationibus morborum, Hiſtoriis & Curationibus accuratioribus, experientia fluit uberrima.

9. Medicina quatenus utitur principiis Phyſicis, recte ſcientia, quatenus practicis, Ars dici poteſt.

10. Ad Medicum perfectum non ſolum requiritur ſcientia artis Medicæ, ſed & Prudentia ac Sapientia.

11. Subjectum Medicinæ non ſolum eſt corpus, ſed ipſa mens, quatenus illius commercio utitur, hinc motus mentis ſeu cogitationes maximam partem dependent a motu & temperie humorum.

12. Medicus finem ſuum non ſemper obtinet feliciter, vel quando machina, quoad partes ſuas præcipuas prorſus eſt deſtructa, vel quando nulla inter morbum & medicamentum amplius eſt proportio.

CAPUT II.

De Principiis Rerum Mechanico-Phyſicis.

UTi tota Natura ſic quoque Medicina debet eſſe Mechanica.

2. Principia Mechanica ſunt Materia & Motus: figmenta ergo ſunt Peripateticorum & Chymicorum excogitata elementa.

3. Materiæ eſſentia conſiſtere videtur in extenſione: Ex hac fluit finitudo, figura, diviſibilitas ac impenetrabilitas.

4. Motus eſt primum & univerſaliſſimum rerum principium & cauſa efficiens omnium formarum; & uti Materia omnibus rebus communem dat eſſentiam, ſic motus ſpecificam illis largitur.

5. Materia uti differt ratione figuræ, ſic quoque magnitudinis, & optime dividi poteſt trifariam, nimirum in materiam ſubtiliſſimam, ſubtilem ſeu ætheream, & craſſiorem ſeu terreſtrem & aqueam.

6. In omnibus corporibus ſolidum & fluidum obſervatur. Fluiditatis cauſa ſunt duo priora elementa, ſoliditatis autem poſterius.

7. Omnia corpora naturalia ex triplici hac materia ſunt conflata; & prout particulæ figura & extenſione differunt, ex quibus artificioſe inter ſe combinatis in certum ordinem conſtant, eo variant quoque formæ & qualitates corporum.

8. Nullæ dantur formæ ſubſtantiales, ſed omnes reſpectu materiæ ſunt accidentales, licet ratione compoſiti eſſentiales vocari poſſint; hinc omnes formæ ſunt materiales, & invicem tranſmutari poſſunt, producuntur mechanice: non autem ſunt materiatæ.

9. Magnitudo, figura, motus, quies, radicales & catholicæ ſimplicium corporum ſunt affectiones, hinc ex illis omnium phænomenorum & effectuum naturalium ratio petenda eſt.

10. Uti Deus prima cauſa eſt omnis motus: ſic quoque omnium formarum: Materia enim quæ pure paſſiva eſt requirit neceſſario agens quoddam, quod illam in tam diverſiſſimas formas, quæ mundum abſolvunt, diſtinxerit, ſeu quod extenſum illud in varias diverſas partes diviſerit, figuraverit, moverit ac tranſlocaverit, quod principium eſt ſolus DEUS.

11. Nullum corpus motum inchoat, niſi impulſum ſit ab alio.

12. Cauſa efficiens motus eſt preſſura corporis fortior ad aliud minoris preſſionis, ſic hoc illi cedere cogitur.

13. Omnis motus natura ſua eſt rectilineus, niſi quid impediat, hinc oritur motus vel reflexus vel refractus.

14. Quantitas motus vel ex celeritate, vel ex corporis mole æſtimanda eſt.

15. Omnis motus qui in tota rerum natura fit, peragitur pulſione, non autem tractione.

16. Æquilibrium in rebus naturalibus ſemper obſervatur, in quo ſi corpora conſtituta ſunt, quieſcunt: deſtructo autem hoc, moventur tam diu, donec ratione gravitatis locum occupaverint, in quo ſubſiſtere poſſint.

17. Corpus ubi ingreditur alterius locum, hoc alterum inde expellit.

18. Motus non poteſt eſſe ſine medio, per quod mobile fertur, hinc omnis motus inter circumſtantia fit corpora.

19. Corpus quo minus eſt & rotundius, eo ad motum promptius; quo ramoſius autem, poroſius & anguloſius eo minus.

20. Cauſa prima motus eſt materia ſubtiliſſima, cui Deus immediate impulſum impreſſit.

21. Quoniam omnia corpora molem, & hinc preſſuram habent, hinc omnia tendunt ad centrum terræ & ſunt gravia.

22. Nullum corpus abſolute leve eſt, ſed ſaltim unum altero magis vel minus grave, quod dicitur leve; hinc omnis gravitas & levitas eſt reſpectiva.

23. Quoniam omnis motus fit in fluido, hinc pro diverſitate fluidi corpora vel aſcendunt vel deſcendunt.

24. Nullum corpus propria vi aſcendit, ſed ab ambiente extrinſeco fluido graviori ſurſum pellitur, hinc nullum gravitatis principium eſt in corporibus.

25. Corpora duo dummodo ejuſdem materiæ, diverſæ licet magnitudinis, æquali niſu tendunt verſus inferiora.

26. Centrum gravitatis eſt, ubi eſt punctum lineæ directionis.

27. Fluidorum cylindri tanto magis gravidant in corpora, quanto ſunt altiores.

28. Corpus quo magis eſt poroſius & principiis primi & ſecundi elementi magis abundat, eo eſt fluidius.

29. Cohæſionem particularum in corporibus duris efficiunt expulſio materiæ ſubtilis & compreſſio fortior cylindri aerei & ætherei externa.

30. Fluidorum particulæ in perpetua ſunt agitatione & motu, hinc facile ſolida & fluida reſolvere poſſunt.

31. Solidorum natura in quiete particularum conſiſtit, hinc quæcunque in motu ſiſtere poſſunt particulas fluidas uti ſunt, v. g. ſalia acida, rigida, ex fluidis ſolida efficere poſſunt.

32. Natura in pleriſque incipit a fluido & deſinit in ſolidum.

33. Omnia corpora reſolvi ac emolliri poſſunt, ſi particulæ elaſticæ vel igne vel menſtruis impingantur iiſdem.

34. Solutio fit, quando ipſius corporis ſoluti minores moleculæ ſub propria forma interveniente menſtruo ſaltim diſlocantur ac diſtrahuntur.

35. Quodlibet corpus habet circa ſe athmoſphæram h. e. maſſam inſenſibilium effluviorum.

36. Aer diſtinguitur in ſubtiliorem qui æther dicitur, & craſſiorem, qui athmo-ſphæricus eſt, & ex æthere, particulis aqueis terreſtribus & corporum effluviis conflatus, & prout loci differunt & effluvia, aer quoque eſt diverſus.

37. Non ſolum aer athmoſphæricus gravis eſt, ſed & æther quod variis experimentis probari poteſt.

38. Aer corpus eſt elaſticum, ſive poſt compreſſionem priſtinum reaſſumit ſtatum, ſeu comprimi & dilatari poteſt.

39. A gravitate & elatere aeris innumeri in naturalibus dependent effectus.

40. Omnibus corporibus tam fluidis, quam ſolidis aer & æther ineſt.

41. Aer dicitur denſior, quando materiæ ſubtilis particulæ expelluntur, & particulæ terreſtres, & aqueæ magis ad ſe invicem accedunt; rarus autem dicitur aer vel etiam corpus, quando expulſis particulis terreſtribus gravioribus abundant particulæ ætheræ.

42. Aer eſt receptaculum omnium effluviorum.

43. Aer incluſus & compreſſus magnam vim poſſidet.

44. Aer immutare & deſtruere multorum corporum texturam aptus eſt.

45. De aere nos docet experientia, eum in omnia loca, ſibi ab aliis corporibus relicta, cum impetu ruere.

46. Aer non penetrat ipſam aquam.

47. Aqua eſt corpus fluidum poroſum flexile, & valde dilatabile, hinc maximam ætheris ac aeris debet admittere influentiam.

48. Aquæ ratione fundi & aeris mirum differunt.

49. Aquæ effectus ſunt fluidificare, emollire, intrare ſalium ac gummatum poros, illaque diſſolvere ac diſcontinuare.

50. Ignis conſiſtit in confuſo, & rapidiſſimo particularum ſubtiliſſimarum motu, & uti frigus fit per motum rectilineum, ſic calor & ignis per motum curvilineum & confuſum.

51. In igne particulæ tertii elementi craſſioris innatant particulis materiæ ſubtiliſſimæ & ſubtilis.

52. Ignis effectus ſunt movere, rarefacere, propellere, penetrare, diſcontinuare corpora, & vim elaſticam aeri, & aquæ conciliare, corporaque ſolidiſſima perrumpere.

53. Ignis flamma corporum texturam non ſolum deſtruit, ſed & mutationem corporibus inducit, hinc non verus eſt corporum analyſta.

54. Uti caloris natura in motu, ita frigoris in quiete conſiſtit, & calor rarefacit, frigus autem condenſat corpora.

55. Fermentatio dicitur, quando particulæ ſubtiliſſimæ vehementer motæ in corporum liquidorum poris exitum non inveniunt, hinc in illorum latera reactione corpus diffringunt, reſolvunt & ſubtiliſant.

56. Fermentatio putredinoſa locum habet in regno animali, vinoſa in vegetabili.

57. Particulæ ſubtiles fermentationem efficiendo corpora dividunt, quod probat illorum poſt fermentationem ſubtilitas.

58. Lux eſt celerrimus globulorum minutiſſimorum motus rectilineus.

59. Reflexa lux dicitur, quando redit propter occurſum alterius corporis impedientis primam lineam motus; refringitur autem quando radius in motu conſtitutus oblique diverſa tranſiens media non nihil a linea recta deflectit.

60. Omnes colores, ſoni, viſus, reflexioni & refractioni lucis debentur.

61. Color nil aliud eſt, quam lux refracta ac modificata pro diverſitate ſuperficierum, vel denſitatis corporis, per quod lux tranſit, & materiale colorum in textura ac diſpoſitione particularum radicatum eſt.

62. Sonus nihil aliud eſt, quam tremulus aeris motus factus a percuſſione corporis alicujus trementis.

63. Principium materiale odorum eſt, Sal volatile Sulphureum mediante aere & æthere extractum.

64. Cauſa ſaporis Sal eſt, quod ratione particularum diverſæ figuræ, & magnitudinis varie modificatum diverſos exhibet ſapores.

65. Sal eſt ſubſtantia ſapida & ſolubilis in liquore aqueo.

66. Sal eſt, vel acidum, vel alcali, vel neutrum; ſecundum & primum vel fixum, vel volatile.

67. Sal acidum eſt Sal primogenitum & fundamentum reliquorum omnium, a quo omnia pro diverſitate particularum terreſtrium, concentrationis, reliqua omnia oriuntur.

68. Qualitates corporum nil aliud ſunt, quam certæ diſpoſitiones & modificationes materiæ: qualitates autem ſenſibiles uti calor, frigus, humiditas &c. nil niſi meri ſunt percipiendi modi, & quaſi inſenſibiles motus occaſione tremoris nervorum excitati: & relative ad noſtrum corpus varium ſortiuntur nomen.

69. Nihil in ſe calidum nec frigidum ſed reſpectu corporis, & ſecundum modum receptivitatis & ad ſenſum tale dicitur.

CAPUT III.

De Sanitate, Vita, Temperie & Natura.

Corpus noſtrum eſt inſtar machinæ ſeu automatis, quod ex variis organis ratione figuræ & magnitudinis certo ordine ac ſitu diſpoſitis ac conſtructis gaudet, quæ moveri & animari a partibus fluidis corporis noſtri debent.

2. Partes corporis noſtri ſunt vel ſolidæ vel fluidæ. Fluidæ ſi in decenti temperie æquabilique motu conſtitutæ ſunt, & ſolidæ quamdiu in decenti configuratione, ſitu & ordine conſiſtunt, corpus ad actiones ſecundum naturam exerendas aptum exiſtit, & ſanum eſt.

3. Actiones vitales abſolvuntur ſenſu, motu & nutritione.

4. Vita corporis verſatur in perenni ac decenti partium fluidarum per ſolidas motiones; partes autem fluidæ prima motus cauſa ſunt, ſolidaſque in motum excitant.

5. Fluidæ corporis partes principaliores, ſunt Spiritus

ritus animales, quaſi impetum facientes, Sanguis cum ſero & lympha.

6. Vita hominis conſiſtit in continuata mentis & corporis communione, ſeu verſatur in his operationibus, ad quas & corporis motus & cogitatio mentis concurrit.

7. Vita perficitur cauſis more mechanicis nec mens facit ad corporis ipſius vitam, nec vita ſpectat ad mentem ſed ad corpus.

8. Quando corpus humanum moritur, non mens a corpore recedit, ſed corpus recedit potius a mente, quatenus organa corporis vitiata ſunt, ut mens amplius iis præeſſe nequeat.

9. Uti vita conſiſtit in motu, & ſanitas in motu temperato ac æquali partium fluidarum, ſic mors nil niſi deſtructus motus eſt, & motus improportionatus ac inæqualis.

10. Non partes ſolidæ dici poſſunt temperatæ & intemperatæ in ſe ſpectatæ, ſed illarum temperies dependet a temperie & motu partium fluidarum.

11. Quando corpuſcula ſanguinem conſtituentia diverſa, nimirum: terreſtria, ramoſa, aquoſa, ſalina, volatilia, fixa, acida, Sulphurea proportionaliter inter ſe ſunt mixta, ita, ut motum æqualem inter ſe efficere poſſint, tunc ſanguis dicitur temperatus, & blanda temperies introducitur partibus ſolidis.

12. Quo magis autem inæqualis eſt horum corpuſculorum mixtio, eo inæqualior reſultat motus & intemperies varia.

13. Quando particulæ ſulphureæ, oleoſæ, volatiles, ſalinæ, prædominantur præ ipſis fixioribus aqueis, terreſtribus, intemperies calida eſt, & tunc temperamentum calidum dicitur, ſeu ſanguineum, & ſi nimius ille exceſſus ſit, evadit cholericum.

14. Calidi temperamenti illum dicimus, qui tali fibrarum plexu conſtat, cui multæ particulæ igneæ æthereæ calidæ inſunt, vel in quo multæ facile congregari poſſunt.

15. Quod ſi particulæ aqueæ mucilaginoſæ acidæ fixiores prædominium habent, præ ipſis ſulphureis ſpirituoſis ſalinis ſanguinis, exurgit temperamentum phlegmaticum frigido-humidum, & quando particulæ illæ ſalibus acetoſis ſtipatæ ſunt, vocatur Melancholicum, quod gradu ſaltim differt a Phlegmatico.

16. Phlegmatici dicuntur, qui ſeroſis humoribus abundant, & tam denſo fibrarum plexu conſtant, ut partes calidæ difficilius colligi queant.

17. In temperamento Sanguineo & Cholerico motus partium fluidarum magis vehemens, celer ac velox eſt, in phlegmatico autem & Melancholico magis tardus & imminutus.

18. Qualis eſt temperies, & motus ſanguinis & humorum, talis etiam eſt motus Spirituum animalium, & qualis Spirituum animalium motus ac temperies, talis etiam mentis motus, inclinationes & cogitationes exurgunt, hinc effato GALENI mores animi ſequuntur corporis temperamentum.

19. Sanguinei magis ſunt audaces, hilares, ingenioſi & alacres; e contra Melancholici & pituitoſi magis ſunt tardi, timidi ac triſtes ob ſpiritus in Sanguineis ſubtiliores, & illorum motum celeriorem; in phlegmaticis autem & Melancholicis fixiores, & motum illorum tardiorem.

20. Ad temperiem corporis & humorum faciunt parentes, ortus, ſolum, cœlum, ætas, morbus, vitæ ratio, ſexus.

21. Principium motus primum in machina noſtra omnium Philoſophorum conſenſu eſt anima, quam ſive Naturam, ſive Spiritum potentiis Mechanicis inſtructum, ſive materiam ſubtiliſſimam æthercam ordinate & ſpecifice agentem nominare velis, perinde eſt.

22. Animam in homine, præter potentias Mechanicas, & ordinatum agendi motum, nobiliori potentia, nimirum cogitandi & ratiocinandi inſtructam eſſe, quam brutorum anima, extra dubium eſt, & ratione hujus potentiæ dicitur mens, & eſt ſubſtantia immortalis ex Decreto ipſius Dei.

23. Cauſa prima potentiarum in anima exiſtentium, eſt ipſe Deus, a quo uti omnia, ſic quoque animæ noſtræ exiſtentia & functiones dependentiam ſuam habent.

24. Spiritus animales non ſunt ipſa anima, illis tamen utitur anima ceu inſtrumento ad exequendas functiones ſuas.

25. Functiones animæ ſunt movere ſpiritus, & ad certum motum edendum eoſdem determinare.

26. Natura ſeu anima hominis facile characteriſatur ſpecifico motu, quem deinde jugiter cuſtodit, unde conſuetudo naturæ dependet, quæ in vitæ genere & morbis variis illorumque periodis admodum eſt ſolennis.

27. Natura eſt menſuræ, numeri, temporis, & ordinis obſervantiſſima, unde omnia ordinate, tum in productione corporis, quam in illius conſervatione & morborum curatione facit.

CAPUT IV.

De Partibus ſolidis & fluidis machinæ humanæ, principaliter de ſanguine.

CORpus noſtrum eſt inſtar machinæ, quæ ex particulis ſolidis & fluidis vario ordine ac ſitu diſpoſitis & conſtructis conſtat.

2. Solidæ partes ſunt oſſa, cartilagines, tendines, membranæ, nervi, arteriæ, venæ, tubuli lymphatici, carnei ſeu fibræ dicti, & illi qui glandulas conſtituunt.

3. Fibræ ſunt prima ſtamina & filamenta omnium partium, ex quibus artificioſa textura, ſitu & conſtructione omnes partes componuntur.

4. Fibræ tubulatæ ſunt, quoniam nutriuntur & augmentum accipiunt, per has fluit materia liquida, quæ latera illarum diſtendere poteſt.

5. Unaquæque fibrilla certum per intervallum ſuas habet implicaturas, hinc patet, cur flaccidus antea muſculus tumidus & denſus redditus, dolorem non ſtatim efficiat.

6. Fibræ prout magis craſſæ, vel teneræ & ſubtiles ſunt, & prout rectum vel obliquum ſitum habent, & quo magis compactius vel laxius ſunt unitæ, varia conſtituant organa.

7. Quilibet muſculus conſtat ex infinitis parvulis fibris tubulatis, quæ in media parte, ventre dicta, laxius coeuntes, carnem conſtituunt, in fine autem & principio arctius colligatæ, tendinem efformant.

8. Nervi ſunt faſciculi plurimorum tubulorum, cavi, ac cannæ indicæ in modum perforati, ex alba ſeu medullari cerebri ſubſtantia progredientes.

9. Nervi qui ſenſui inſerviunt molliores, qui autem motui, duriores ſunt.

10. Tubuli nervei per totum corpus ſunt diſperſi, hinc canaliculis exilioribus læſis cerebrum, & plura correſpondentia organa in conſenſum trahuntur.

11. Oſſa conſtant ex tubulis poros innumeros habentibus, in quibus circulantur depoſitæ particulæ ſanguineæ & lymphaticæ.

12. Inoſculantur oſſibus venæ & arteriæ, intrantes cavitatem, & deponentes ibi pinguedinoſam & ſangui-

ſanguineam medullam, ne rigida evadant oſſa & facilius rumpantur.

13. Arteriæ conſtant ex triplicibus lamellis: prima eſt reticularis, ex nervis, vaſis ſanguineis, membranoſiſque expanſionibus conflata; ſecunda, ex fibris muſculoſis in circulum contortis, duris tamen & renitentibus; tertia tenuis eſt, & ex planis membranoſiſque expanſionibus conſtructa.

14. Venæ ſi aſpiciantur per microſcopium, adſunt primo fibræ tenſiles, ſecundo membrana glandulofa, tertio muſculoſi faſces.

15. Membranæ tendinoſæ & nervoſæ conſtant ex fibrillis variis nervoſis, fiſtuloſis, facile dilatabilibus, hinc admodum ſenſibiles ſunt. Perioſtium habet originem ſuam partim a dura matre, per diverſa cranii loca prodeunte; & a capite ſic ad univerſam oſſium compagem diffundente, partim a fibris & tendinibus muſculorum.

16. Glandulæ nihil aliud ſunt, quam vaſorum minutiſſimorum implicatus nexus; habent nervos & carneas ſubtiliſſimas fibras, quæ varie circumducuntur; inveſtiuntur etiam aliquibus in partibus exterius membrana valde tenſa, quæ ſanguineorum vaſorum lateralibus ramis irrigatur; ſub hac carneæ fibræ circulariter ductæ locantur, quæ horizontaliter glandulæ corpus penetrant.

17. In tenerrimis glandularum ductibus & vaſculis facile fieri poſſunt obſtructiones.

18. Glandulæ cutis inſtructæ ſunt poris ſeu oſtiolis, ſingula ſuis valvulis cucurbitiformibus aut pelliculis incurvis verſus interiora protenſis dotata. Valvulæ adſunt ad fluidum alias nimis effluxurum remorandum, ſicque refrænandum halituum nimiam tranſpirationem.

19. Glandulæ ſunt vel conglomeratæ vel conglobatæ. Conglomeratæ ſunt acervus minutiſſimarum glandularum communi tunica inveſtitarum, quarum ſingulæ emittunt vaſculum excretorium, quæ iterum abeunt in canalem, per quem liquor fluit in aliquam cavitatem; quales ſunt parotides, pancreas, mammæ. Conglobatæ conſtant ex meris fibrillis, inter ſe varie contextis, non autem vaſculis, uti conglomeratæ.

20. Vaſa lymphatica ductus ſunt admodum tenues, pellucidi, firmi, ſimplici tunica donati, & plurimis nodulis, qui totidem valvulæ ſunt, conſpicui.

21. Vaſa lymphatica valvulas habent ſemilunares, quæ ejuſdem naturæ videntur cum ſubſtantia vaſorum lymphaticorum: microſcopio autem examinatæ apparent fibroſæ, ut contrahi & relaxari poſſint.

22. Vaſorum lymphaticorum, lacteorumque, & ductus thoracici ſtructura eadem eſt.

23. Solidæ partes invicem ſingularem & neceſſariam connexionem habent: hinc arteriæ inoſculantur venis, & venæ arteriis, nervis & muſculis; Tubuli carnei deſinunt in tunicas, & hæ ſic involutæ propagantur in tendines, cartilagines, & oſſa, ſicque datur communicatio & circulatio fluidarum partium.

24. Solida corporis animati compages tota tubuloſa eſt, & minutiſſimas partes cavas eſſe, probat circulatio ſanguinis in pediculo, & per caudæ fibrillas in anguilla, quod optime demonſtrari poteſt microſcopio.

25. Partes ſolidæ, quoniam ex infinitis minutiſſimiſque ſtaminibus & fibrillis contextæ ſunt, multa millia ſpatiola intermedia, ſeu corpuſculorum, ex quibus illæ conglomerantur, intercapedines fieri debent.

26. Inter partes fluidas præcipua eſt Maſſa ſanguinea, quæ ex innumeris, ratione magnitudinis, figuræ, & ponderis diverſis, particulis & corpuſculis conſtat.

27. In ſanguine latent particulæ ſeroſæ, lubricæ, flexiles, & rigidæ ſalinæ, tam volatiles, quam acidæ & ramoſæ, ſulphureæ, oleoſæ, & craſſæ, mucilaginoſæ, terreſtres.

28. Sanguis per microſcopium inſpectus, conſtat ex fibris & meris globulis, qui inteſtino & irrequieto motu in omnem poſitionem ſe movent: ceſſante hoc motu, mutua implicatione coeunt, & ſubſident iſti globuli, ſicque craſſities & coagulatio fit ſanguinis.

29. Uti in coitione globulorum ſanguinis, illius craſſities: ſic in illorum globulorum perpetuo motu & diviſione ejus, fluiditas & tenuitas conſiſtit.

30. In globoſo elementorum ſanguinis contextu, nativa ejus diſpoſitio conſiſtit, quoniam ſphærica figura ad perficiendum motum omnium eſt aptiſſima.

31. Color ſanguinis floridus, fluiditas, turgeſcentia, & color ille vitalis debentur exactiſſimæ & decenti globulorum horum comminutioni.

32. Globulorum horum comminutio, diviſio & motus perennis debetur materiæ ſubtiliſſimæ æthereæ, in aere hoſpitanti, quæ, uti cauſa omnis fluiditatis & motus, ſic quoque ſanguinis eſt.

33. Rubedo ſanguinis fit a ſibi incumbentibus globulis, in quorum poris & interſtitiis, materia ætherea lucida repercutitur, & repercutiendo talem viſui exhibet colorem.

34. Chymici rubicundum ſanguinis colorem deducunt a ſulphureis oleoſis particulis, exaltatis a calore & particulis ſalinis volatilibus.

35. Uti omnis calor eſt a motu, ſic quoque corporis noſtri calor vitalis ab eo dependet; quo autem motus hic magis eſt reflexus & vehementior, eo major quoque exſurgit calor.

36. Nullus calor datur inſitus, ſed omnis eſt influus; hinc calidum innatum & humidum radicale, niſi ſumantur pro diſpoſitione ſeminali & innata ſanguinis & ſeri, mera ſunt figmenta.

37. Sanguis duplici motu gaudet: inteſtino uno ſive minimorum juxta ſe invicem, & altero circulari ſeu progreſſivo, cujus ope per vaſa circumvehitur; neuter ſine altero conſiſtere poteſt.

38. Uterque hic motus debetur aeris & ætheris virtuti elaſticæ, per reſpirationem communicatæ, & cordis vigori ſeu motui.

39. Cordis motus abſolvitur conſtrictione ſeu ſyſtole, & dilatatione ſeu diaſtole, & eſt cor non tam officina, quam antlia ſanguinis, ad illum recipiendum & expellendum inſerviens.

40. Cor nil niſi muſculus eſt, ex fibris & ſtaminibus fibroſis motricibus geometrice conſtructus, ut ad contractionem robuſtam & dilatationem aptus ſit.

41. Cor eſt omnis motus in corpore noſtro, & ſanguinis circulationis (ſine qua homo vivere nequit) primum principium, & inſtrumentum & primum impellens ſanguinem.

42. Motus cordis non motrici alicui inſitæ virtuti, ſed nixui expanſivo ſpirituoſi liquoris ſeminalis in ipſo embryone, in adultis autem expanſivæ ætheris & ſpirituum animalium ſanguiniſque videbitur.

43. Contractio cordis & dilatatio arteriæ coincidunt, ſicque fit pulſus, qui nihil aliud eſt, quam dilatatio arteriæ.

44. Cor principium eſt arteriarum & venarum, omnes arteriæ advehunt ad partes, venæ autem revehunt, excepta vena portæ, quæ advehit ad hepar.

45. Venæ ſemper ſunt comites arteriarum, ampliores tamen ſunt, quoniam motus ſanguinis in venis lentior eſt, valvuliſque ſemilunaribus inſtructæ ſunt, ut refluxus impediatur.

46. Non

46. Non dantur anaſtomoſes arteriarum & venarum, ſed arteriis junguntur tubuli, per quos ſanguis tranſit ad ſubſtantiam carneam, ubi deinde per venarum tubulos excipitur.

47. Quando cordis ventriculi contrahuntur & aer ſubtilior elaſtica & pellente virtute imbutus ipſi communicatur, non ſolum contentus intra eos ſanguis in arterias expellitur, ſed & univerſus ſanguis per arterioſum & venoſum genus progreditur, adjuvante muſculoſo venarum contextu & valvularum ſtructura.

48. Quindecim ad minimum vicibus ſanguinem ſingula hora per cor circulari, probabile videtur.

49. Athmoſphæra externa corpus ambiens fervorem & elaſticitatem humorum & ſpirituum reprimit, temperat, ac moderatur, propulſionemque ſanguinis in venas promovet.

50. Remoto athmoſphæræ æquilibrio, ſpiræ ætheris & aeris in ſuccis contentæ mirum dilatantur, ſicque diſtendunt & coarctant plus juſto vaſa, & motum ſanguinis ſiſtunt quod patet per experimenta, beneficio antliæ, in vivis animalibus peracta.

51. Sanguis quo tenuior & fluidior, eo melius per minutiſſimos venarum & arteriarum tubulos circulatur; quo autem craſſior, eo lentior fit circulatio.

52. Falſum eſt calorem ſanguinis & corporis noſtri dependere a citatiori circulatione ſanguinis, magis ille fit a motu inteſtino ſanguinis, & ætheris reflexivo motu in ſanguine aucto.

53. Fermentatio in ſanguine nulla eſt, talis nimirum, quæ in vegetabilibus locum habet, vinoſa; ſi autem per fermentationem intelligis inteſtinum particularum motum, qui ſubtiliſationem ſanguinis efficit, concedi poteſt.

54. Sanguini κατ' ἐξοχὴν ſic dicto, nimirum ramoſæ, fibroſæ, & rubicundæ texturæ ſanguinis ſemper immixtum eſt ſerum, quod magis flexilibus, mollibus, gelatinoſis & ſalinis conſtat particulis.

CAPUT V.

De Lympha, ſaliva, chylo, lacte, bile, ſemine, ſpiritibus animalibus.

POſt ſanguinem, fluor principalis corporis noſtri eſt lympha, quæ non ſecus ac ſanguis circulatur per certa ſua vaſa, dicta lymphatica.

2. Lympha differt a ſero, dum illa magis orbata gelatinoſa ac glutinoſa ſubſtantia eſt, magiſque aquea; ſerum autem leni ignis calore concreſcit in gelatinam multis minimis fibrillis conſpicuam.

3. Lymphæ omnis motus a peripheria ad centrum eſt, nimirum ad cor, quod manifeſto oſtendunt valvulæ vaſorum lymphaticorum, quæ talem habent ſtructuram, ut lymphæ ad cor tendenti liber pateat tranſitus.

4. Omnis lympha ſeparatur a ſanguine adducto per arteriolas in ipſas partes.

5. Non omnia vaſa lymphatica habent commercium cum glandulis, vel ex illis ſcaturiunt, ſed pleraque oriuntur ex viſcerum ſubſtantia, & ſunt quaſi tubuli arteriarum continuati.

6. Omnes pene partes gaudent vaſis lymphaticis.

7. Lympha omnis revehitur a partibus & affunditur ſanguini venoſo, cum quo tranſit ad cor.

8. Lympha non efficit nutritionem partium, ſed potius eſt recrementum ipſius ſeri nutritii, & ex ſero ſanguinis ortum ſuum habet, dum a particulis ſeri gelatinoſis nutritiis, aqueæ, quæ ad nutritionem ineptæ ſunt, ſecedunt.

9. Lympha, quia non conſtat particulis gelatinoſis, conſervat ſanguinem in fluiditate, chylum diluit, ſalia acria temperat & vehiculum eſt variorum excrementorum, maxime autem ſalino-ſulphureorum, ex corpore educendorum.

10. Præter lympham alius adhuc humor eſt in corpore noſtro, medius quaſi inter ſerum & lympham, qui ex ſanguine arterioſo immediate, beneficio glandularum conglomeratarum excernitur, & dicitur vel ſalivalis, pancreaticus, inteſtinalis & ventriculi.

11. Humor ſalivalis & Pancreaticus &c. ejuſdem ſunt naturæ, non autem lymphaticæ, ut vulgo creduut, ſed conſtant ex particulis ſeroſis, acetoſis, ſubtilibus & ſpiritibus animalibus.

12. Saliva ex particulis ſumme ſubtilibus conſtat, hinc, non ſecus ac Spiritus vini repoſitus in vaſe, ab aere evacuato ebullit.

13. Succus hic ſalivalis, una cum Pancreatico & inteſtinali menſtruum corporis quaſi univerſale & liquor microcoſmicus publicus eſt, inſerviens ciborum reſolutioni, medicamentorum exactioni, chylificationi &c.

14. Pancreas cum vaſibus & glandulis ſalivalibus conglomeratis, quæ ſub auribus & linguæ ſunt, eandem habet ſtructuram, eundemque uſum.

15. Succus pancreaticus, non ſecus ac ſaliva facile ad fermentationem diſponit cibos, ipſis admixtus.

16. Falſum eſt ſuccum pancreaticum naturaliter eſſe acidum, & effervеſcere cum bile.

17. Ductus ſalivales ſunt vel majores vel minores; majores ſunt vel externi & ſuperiores, vel interni & inferiores: illi ſunt ductus Stenoniani & Nukiani: hi Warthoniani & Bartholiniani, ſeu mavis, Riviniani: Minores innumeri ſunt in faucibus, palato & labiis conſpicui.

18. Lacrymæ, & liquor ille, quem ſtillant glandulæ oculorum, Salivalis naturæ videntur, dum per ductum inſignem ab oculis in nares tendentem, & ex hiſce in palatum abeuntem in os derivatur.

19. Menſtruo inſipida magnam in ſolvendis rebus habere efficaciam, teſtatur Mercurius & aqua communis.

20. Saliva non ſolum ex particulis aqueis & ſubtiliſſimis ſalinis, ſed & ſubtiliſſimis elaſticis, per nervos ipſis communicatis, conſtat.

21. Quale ſerum ſanguinis, & qualis ſpirituum animalium conſtitutio, talis eſt ſaliva, qualis ſaliva, tale fermentum ventriculi, & quale fermentum ventriculi, talis eſt digeſtio, & qualis digeſtio, talis eſt chylus.

22. Motum ſpirituum animalium inordinatum communicari ſalivæ poſſe, teſtatur morſus canis rabidi, affectus animi, philtra &c.

23. Saliva verum ventriculi menſtruum eſt, quoniam fermentum ventriculi copioſum eſſe debet, ſecundo, activum & ad fermentationem aptum; tertio, cibis intime miſceri debet, quæ omnis in ſe continet ſaliva.

24. Lympha quæ ſtillat ex glandulis ventriculi & inteſtinorum, pauca, ad madorem horum viſcerum internum neceſſaria eſt.

25. Saliva menſtruum quaſi univerſale eſt, ratione particularum ſpirituoſarum maxime penetrat, ratione ſalinarum particulas ſulphureas extrahit & diſſolvit, ratione aquearum ipſa ſalia gummeaſque particulas reſolvit & imbibit.

26. Saliva, quam primum maſticatis in ore cibis admiſcetur, ſtatim inſignem ac evidentem alterationem ipſis inducit, ut in locum calidum repoſiti facilem fermentationem per ſe recipiant.

27. Inter partes fluidas corporis noſtri ſingularem quoque

quoque obtinet locum chylus, qui non niſi emulſio naturalis, ex cibis contritis, & a ſalivali menſtruo reſolutis.

28. Chylus per vaſa lymphatica in meſenterio exiſtentia & lactea dicta, affunditur ſanguini & cum hoc circulatur per totum corpus.

29. Elementa chyli ſunt particulæ aquoſæ, dulces, gelatinoſæ, it. oleoſæ ac ramoſæ; ex quarum conjunctione lacteus exurgit color.

30. Eſſentiæ reſinoſæ, item olea intime cum aqueo menſtruo mixta conſtituunt lac.

31. Chylus proxima ſanguinis, ſeri, lymphæ & omnium corporis fluorum materia eſt.

32. Chylus infuſus in ſanguinem, ejuſque motu comminutus ac ſubtiliſatus, partim tranſit in ipſum ſanguinem, ratione particularum ramoſarum & oleoſarum, partim in ſuccum nutritium, ratione particularum mucilaginoſarum, partim in ſerum, ratione particularum aquearum & viſcido-ſalinarum, partim in lympham, ratione particularum inſipidarum aquearum.

33. Qualis eſt cibus, talis chylus, qualis chylus, tales humores, quales humores, tales ſunt Spiritus, quales ſunt Spiritus & humores, talis eſt nutritio, motus & ſenſus, & per conſequens vita, & ſanitas.

34. Chylus non dimittitur, a ſanguine totus, niſi in gravidarum uberibus, quæ congeries minutiſſimarum glandularum ſunt, & ibi lac nominatur.

35. Lac non eſt ſerum, nec ſanguis immutatus, ſed chylus, ad ipſas glandulas mammarias deductus per ipſas arterias.

36. Bilis in hepate ſecreta, & in inteſtinum duodenum effuſa, non excrementum, ſed utiliſſimus corporis noſtri fluor eſt.

37. Bilis ſi deſtilletur, fundit inſipidum phlegma, remanente reſina inflammabili ac tenaci; ſi autem cum Sale tartari mixta, vel fætida facta deſtilletur, prodit liquor alcalinus, qui in mixtura cum aliis rebus ſemper edit effectus alcalinos.

38. Bilis non immerito chyli & ſanguinis balſamum conſtituit, acorem corrigit, oleoſas ciborum particulas ſolvit, ut intime poſſint miſceri cum aqueis & chylum conſtituere, viſciditates terreas incidit, & ſpiculis ſuis ſalino-ſulphureis ad excretionem inteſtina ſtimulat.

39. Bile deficiente, cruditates acidæ, viſcidæ in corpore cumulantur, excretio alvi impeditur, & ſpirituaſcentia ſanguinis debilis eſt.

40. Tres vel quatuor unciæ bilis brevi tempore in inteſtino duodeno colligi poſſunt; ejus enim fluxus per ductum hepaticum continuus eſt, ex cyſtide vero, non niſi pleno ventriculo.

41. Terreſtris & craſſa pars bilis per excrementa alvi ejicitur, ſubtilior autem ſalino-ſulphurea tranſit cum lympha vel chylo iterum ad ipſum ſanguinem, ſicque circulatur.

42. Nullum animal bilioſo humore caret.

43. Semen delibatiſſima ſucci nutritii, & ſpirituum animalium portio eſt, in anfractuoſis teſtium canaliculis elaborata & ſubtiliſata.

44. Nullus datur ſpiritus naturalis nec vitalis, in ipſo ſanguine, ſed ſaltim animalis, in ipſo cerebro & nervis.

45. Spiritus hic eſt ens activum, motum, & quidem determinatum ac ordinatum efficiens in materia.

46. Materia licet etiam ſit ſubtiliſſime diviſa, pure tamen paſſiva eſt, nec motum ſimplicem, multo minus ordinatum edere poteſt ſine ſpiritu activo, & primo motore.

47. Fluidum itaque ſubtiliſſimum, quod viſum fugit in nervis contentum, eſt nil niſi ſubtiliſſima materia, potentia mechanica determinata inſtructa, quæ ideales & ordinatos motus in corpore edere apta eſt, hinc recte dici poteſt ſpiritus.

48. Spiritus in ſanguine vitalis Veteribus dictus, nil niſi æther ſeu ſubtiliſſima aeris portio eſt, elaſticitate imbuta & cum particulis ſanguinis mixta, unde motus cordis, arteriarum, & ipſe calor corporis noſtri dependet.

49. Spiritus animales nec alcalini, nec acidi, nec ſulphurei ſunt.

50. Probabile eſt, liquidum nerveum conſtare ex duplici ſubſtantia, una nimirum humidiori ſubtiliſſima ſucci nutritii parte, altera ſicciore, quæ ex purioribus aëris particulis pulmonum miniſterio, in ſanguinem receptis elaboratur.

51. Quamdiu hæ partes inter ſe bene ſunt temperatæ ac mixtæ, & in æquilibrio conſtitutæ, tamdiu ſpirituum elaterium viget, motus eſt æqualis, partes recte nutriuntur, & ſomni vigiliarumque legitimæ viciſſitudines ſunt.

52. Nervi licet ſubtiliſſimam vehant ſubſtantiam, abſurdum tamen non eſt, illam non tam formaliter, quam etiam materialiter concurrere ad nutritionis negotium.

53. Ratione rigidarum elaſticarum particularum, Spiritus animales ipſius nervi ab objectis ſenſibilibus commoveri poſſunt, ſicque fiunt ſenſus, qui non niſi certæ ſpirituum animalium nervorumque mutationes ſunt.

54. Spirituum motus duplex eſt, vel rotatorius, dum nimirum quævis particula circa axem movetur, vel directus, qui a termino ad terminum tendit.

55. Motus Spirituum animalium in nervis eſt magis rectilineus, motus autem ætheris in ſanguine magis eſt curvilineus, unde calor dependet.

CAPUT VI.

De motu machinæ noſtræ vitali & Senſu.

NIhil in machina microcoſmica fit ſine motu, nulla immutatio, ſecretio, nutritio, nullus ſenſus ſine motu fieri poteſt.

2. Moventur partes fluidæ, inter quas primum locum ſibi vendicat nervorum fluidum, quod omnium ſubtiliſſimum & ad motum edendum celerrimum aptiſſimum eſt, a quo cunctarum machinæ partium tam ſolidarum quam fluidarum motus dependet.

3. Spiritus animales ſumma ſubtilitate & elaſticitate prædití potentiam habent a DEO impreſſam, non ſolum mechanice ſeſe movendi, ſed & elective, determinate & ad certum finem: quæ potentia dicitur anima ſenſitiva & radicaliter inexiſtit ſubtiliſſimo cerebri fluido.

4. Inſtrumentum motus ſpirituum animalium organicum ſunt fibræ motrices, variæque illarum implicationes & texturæ.

5. Quando fibræ motrices ita inter ſe ſunt contextæ, ut duæ extremitates tendineæ fiant, media autem pars laxior ſit, exſurgit muſculus, qui motus ſpontanei inſtrumentum eſt.

6. Quando fibræ motrices certa quadam ſerie ſuper ſe ſunt ſtratæ & quidem tranſverſim, tunica evadit muſculoſa ſeu carnea dicta, quæ motus involuntarii & naturalis organon eſſe ſolet.

7. Tunicam ventriculi, inteſtinorum, veſicæ urinariæ, biliariæ, ureterum, arteriarum, venarum muſculoſam exiſtere & fibras carneas ac motrices ſibi intertextas gerere, αὐτοψία docet.

8. Spiritus

8. Spiritus animales mobili & expanſiva ſua natura fibras inflant, ſicque illas abbreviant & diſtendunt, adeoque quod longitudini illarum decedit, craſſitici accedit. Equidem figura, non moles in muſculo tumeſcente mutatur.

9. Uti in veſica incluſus aer dilatatus ingentia pondera attollere ſolet, ſic quoque vi ſpirituum fibræ muſculorum dilatatæ trahunt per tendines ſuos oſſa.

10. Ad motum in muſculis & fibris motricibus exerendum non ſolum requiritur influxus ſufficiens ſpirituum animalium, ſed & ipſius ſanguinis ſpirituoſi laudabilis, hinc arteria partis ligata ſenſus & motus partis expirat.

11. Omnes partes, vaſa, quæ ex muſculoſis fibris conſtant, motu gaudent tenſivo, qui, quando in ſtatu naturali eſt, dicitur tonicus, quando autem hic motus viſcerum naturalis læditur, vel nimis tenditur, fit ſpaſmodicus, aut ſi nimis relaxatur, maxima incommoda motus inordinarii & morbi oriuntur.

12. A ſpecifico hoc tonico partium motu læſo inordinariæ excretiones, varii morbi oriuntur, uſus viſcerum invertitur & actiones vitales depravantur.

13. Spiritus animales fluidum ſunt ſimpliciſſimum puriſſimum, cui facile imprimi poteſt idea certi ac determinati motus, quam etiam diu & exacte certoque tempore, menſura & numero ſervare ſolet, uti id teſtantur periodicæ excretiones, morbi &c.

14. Spiritus animales ſunt naturæ mobiliſſimæ, puriſſimæ, hinc ſi heterogenei quid ipſis immixtum eſt, illud ſtatim motu ſuo inteſtino & elaſtico ad extremas partes propellunt, non ſecus ac flumen motu vorticoſo gaudens heterogenea immiſſa ad ripam pellit.

15. Quando fibræ nerveæ vel muſculoſæ ſtimulantur & irritantur a quadam materia, non ſolum concitatus ad hanc partem ſpirituum fit affluxus, verum etiam ſenſus & perceptio quædam certa ab objectis ipſis imprimitur.

16. Spiritus animales non movent ſolum corpus, ſed & ſentiunt, quæ ſenſatio tamen ſine motu fieri nequit.

17. Ab objectis ſaltim certi motus fiunt in organis, & ex varietate motuum mens rerum ſenſibilium differentias varie percipit.

18. Objectis, quæ in nobis ſenſus movent, nihil attribuimus, niſi poteſtatem, quæ ex figura, motu & partium diſpoſitione fluit, varie organa & his mediantibus mentem afficiendi.

19. Calor, odor, ſapor, omneſque qualitates non fiunt in objectis externis, ſed variæ ſenſationes excitatæ in mente noſtra.

20. Inſtrumentum omnis ſenſus, in quod objectum impellit, eſt nervus vel ejus extremitas, quæ vel in membranam vel in papillam deſinit, in hac varium objectum irruit, variumque excitat motum, qui motus beneficio ſpirituum animalium transfertur ad ſenſorium commune, ubi perceptio fit.

21. Nulla pars corporis humani tangi vel moveri poteſt, quin eo ipſo moveatur fluida & ſpirituoſa nervorum ſubſtantia & conſimilis motus ad ſenſorium cum undulatione vel preſſione quadam traducatur.

22. Ad tactum omnes referri ſenſus poſſunt, eſt ille univerſaliſſimus, reliqui ſunt ſaltim diverſi tangendi modi.

23. Tactus organon ſunt papillæ nerveæ perfuſæ ſpiritu animali, & quo copioſiores ſunt in parte, eo exquiſitior fit ſenſus.

24. Pro objectorum itaque diverſa impreſſione vel motu variæ & diverſæ fiunt perceptiones, quæ frigoris, caloris, ac humiditatis nomine veniunt.

25. Viſus omnium ſenſuum eſt præſtantiſſimus; objectum ejus eſt lux, ſive a corpore luminoſo radiis imperturbatis, id eſt, preſſione globulorum æthereorum rectilinea ſive a corporibus opacis refracta, ſeu varie repercuſſa tranſeat ad tunicam oculi retinam, ubi pro diverſitate impreſſionum vel ſenſum luminis vel coloris producit.

26. Organon viſus eſt oculus, qui nil niſi camera obſcura eſt, quoniam omnibus gaudet requiſitis.

27. Viſio fit non in nervo optico, ſed in tunica retina, quæ eſt nervus opticus expanſus.

28. Tunica ſclerotis poroſa eſt, & minimis lymphaticis vaſculis ſtipata, quæ oculorum humores reſtituunt & nutriunt.

29. Auditus abſolvitur aure externa & interiori, extrinſeca pars eſt cava, interior convexa, & obliquum illum anfractuoſum meatum, quem auditorium vocant, efficit.

30. Auris interior duplici conſtat cavitate, anterior dicitur concha & eſt tympani membranæ quædam concameratio, tribus oſſiculis ſibi mutuo articulatis & duobus muſculis conſtat; altera cavitas eſt labyrinthus, ubi os petroſum miro artificio in varias ſpiras contortum eſt.

31. Datur ductus quidam ex aure interiori ad ipſum palatum, qui ex adverſo oppoſitum eſt meatui auditorio.

32. Meatus auditorius oblique & per varios flexus ad tympanum fertur, quo aer percuſſus meatum illum copioſius ingredi & per tot ejus anfractus varie reflexus & quaſi in tuba auctus, tympani membranam eo validius percellere poſſit.

33. Tremulus aeris motus oſſiculis communicari debet, quæ ita ſunt fabricata, ut motum a tympano acceptum propagare, aerique in concha contento imprimere valeant, iſque tandem motus mediante illo aere nervos acuſticos expanſos penetret, ſonumque in nobis producat.

34. Auditus objectum eſt ſonus, qui ex tremulo aeris colliſi reſilientiſque motu tympanum nervoſque auditorios & ſpiritus in illis undulantes feriente producitur.

35. Objectum odoratus eſt odor, qui conſiſtit in ſubtiliſſimis ſalino-ſulphureis corporum effluviis & atomis aeris vehiculo ad nervos narium tranſlatis.

36. Organon olfactus eſt papilloſa membrana, quæ ex nervis olfactoriis ex oſſe cribroſo prodeuntibus conſtat & nares inveſtit interiores: hæc membrana madida ſemper obſervatur, quo melius ſolvi & ſic penetrare poſſint effluvia illa ſalino-ſulphurea.

37. Objectum guſtus ſunt particulæ ſapidæ, quæ fiunt ex ſalinis cum ſulphureis & terreis varie modificatis ac mixtis, & hinc diverſitas oritur ſaporum.

38. Organon guſtus conſtituunt papillæ illæ nerveæ, quæ ex fibrillis nervorum naſcuntur, abeuntibus in ſuperficie linguæ inſtar cornuum in rotundas papillulas, & ubi copioſiores papillulæ illæ ſunt, ibi magis viget ſapor uti in linguæ apice.

39. Quoniam ſalia non agunt niſi ſoluta, hinc in ore ſaliva præſens eſt, ut hujus beneficio extrahantur particulæ illæ ſalinæ ſapidæ.

40. Olfactus organon multum ſimul facit ad guſtum, hinc naribus obſtructis vel olfactu læſo, non vera ſaporum dignotio eſſe poteſt.

41. Ubi omnium perceptionum concurſus eſt, ille locus dicitur ſenſorium commune, non autem eſt glandula pinealis, ſed potius centrum ſic dictum ovale ſeu fundus ventriculorum cerebri, ubi omnia corpora ſtriata terminantur, & ex quibus nervi originem ſuam petunt.

42. In ſenſorio communi tanquam in ſupremo tribunali omnes rerum externarum impreſſiones beneficio ſenſuum conveniunt, & a mente percipiuntur, &

rurſus ex hoc ceu ſupremo regiminis loco pro arbitrio & nutu mentis ſpiritus animales ad omnes partes ſenſu ac motu animandas determinantur & emittuntur.

43. Quando ſenſorium hoc turgidum eſt ſpiritibus animalibus, ita ut mens pro nutu ſuo ſpiritus in nervos determinare, item motus externos organis impreſſos percipere poſſit, tunc dicimur vigilare.

44. Quando deficit ſpirituum animalium in nervorum ac fibrillarum tubulis copia, ita ut rite tubuli iſti inflentur ac expandantur, ſed in ſemet blande concidant ac relaxentur, ut non recipi poſſint conſuetæ objectorum impreſſiones in ſenſoriis, nec in cerebro percipi vel ſpirituum determinatio in partibus fieri poſſit, talis ſtatus dicitur ſomnus.

45. Motus animales duplicis ſunt generis vel voluntarii vel involuntarii ſeu automatici, qui citra animæ imperium nobis inſciis perficiuntur, hi fiunt in cerebello, illi in cerebro.

46. Si ad veſtigia præteritæ impreſſionis attendat mens, & corpora abſentia ſibi præſentia ſiſtat, tunc dicitur memoria.

47. Quando per varios motus ſpirituum releguntur veſtigia rerum per ſenſus impreſſarum, tunc in mente ſimiles cogitationes excitantur, ſicque fit phantaſia.

CAPUT VII.

De uſu Viſcerum, Secretione animali & Nutritione.

VIta noſtra conſiſtit in motu & calore partium fluidarum æquali ac temperato, motus autem & calor ſemper diſſipat & depaſcit fluidas partes quæ debent reſtitui, quod fit nutritione, nutritio autem requirit alimenta.

2. Aſſumimus alimenta ſtimulati per appetitum, qui interpres eſt indigentiæ noſtri corporis, & quando cibum deſiderat, fames, quando potum, ſitis appellatur.

3. Appetitus non debetur venarum ſuctioni, ſed potius blando orificii ſiniſtri ſtimulo & ſpirituum animalium in ventriculo & ejus tunica influxui.

4. Alimentorum in ventriculo digeſtio fit ſolutione & extractione.

5. Alimenta quo magis ſunt diviſa & comminuta, quod accidit maſticatione, eo facilius poſſunt ſolvi.

6. Verum menſtruum gaſtricum, quod ſolvit & extrahit ciborum nutritias partes, eſt ſaliva & lympha pancreatica ac inteſtinalis.

7. Oeſophagus, ventriculus & inteſtina eadem gaudent ſtructura, iiſdem tunicis, & ſimul unum conſtituunt canalem alimentarium, qui dicitur primæ viæ.

8. Inteſtina magis ſunt officina chyli quam ipſe ventriculus, qui ſaltim inteſtini cavi & latioris pars eſt.

9. Tonus & robur ventriculi & inteſtinorum naturale dependet ab influxu legitimo & naturali ſpirituum animalium in tunicam ſic dictam carneam, quæ ex variis fibris motricibus ſibi invicem intertextis conſtat.

10. Perperam docetur, œſophagum per diaphragmatis nervoſum centrum tranſmitti; perforat potius illius muſculoſas partes, hinc diaphragmate moto, œſophagi finis movetur & contra.

11. Chyli ſecretio filtratione mechanica in inteſtinis peragitur per villoſam ſpongioſamque cruſtam, ubi vaſa lactea in inteſtina obliquo ductu inſerta excipulorum vices gerunt.

12. Chylus per venas lacteas & ductum thoracicum premitur ac pellitur tam propria ſua gravitate quam continuo diaphragmatis alliſu, compreſſione muſculorum abdominis & beneficio motus inteſtinorum periſtaltici: ſicque ab una valvula ductus thoracici ad aliam promovetur, donec in venam intret ſubclaviam.

13. Meſenterium colligendis ac tuendis chyliferis ſanguiferiſque ductibus, ut liquoribus meatus præbeatur, deſtinatum eſt.

14. Organon ſanguificationis non ſecundum veteres hepar eſt, vel ſecundum recentiores cor, quod magis inſtrumentum circulationis ſanguinis & motus inteſtini vitalis quam ſanguificationis eſt.

15. Ipſe ſanguis vitali motu & calore præditus chyli particulas ramoſas ſulphureas ſola digeſtione diuturna vertit in ſanguinem.

16. Cor eſt principale & eminens machinæ noſtræ movens, & quod motu perpetuo, dum vita eſt, gaudet, & ab hoc reliqui dependent omnes motus.

17. Cor motuum principale inſtrumentum circulationis ſanguinis eſt.

18. Sine circulatione ſanguinis animal vivere non poteſt, dependet ab illa primo fluiditas, craſis & intima particularum tenuium cum ſolidis partibus mixtio, ſecundo nulla nutritio, excretio, nullus motus vel ſenſus ſine circulatione ſanguinis fieri poteſt.

19. Sanguinis circulatio α ex ligaturis vaſorum, β ex poſitura valvularum, γ ex refluxu aquæ per venam in arteriam injectæ, δ ex oculari demonſtratione in pediculo vel anguillæ cauda beneficio miſcroſcopii patet.

20. Sanguis non ſolum motu progreſſivo & circulari, ſed & inteſtino gaudet; motus autem inteſtinus prior eſt circulari & ab inteſtino dependent ſpiritua-ſcentia, robur & ipſæ vires.

21. Motum ſanguinis inteſtinum ſuſtinent particulæ ſubtiles aeris elaſticæ, quæ in ſanguineis variis ratione figuræ ac magnitudinis particulis turgeſcentiam quandam vitalem efficiunt, a qua turgeſcentia dependent corporis vires & motus ſimul ipſius cordis.

22. Particulæ æthereæ elaſticæ per reſpirationem hauſtæ turgeſcentiam vitalem efficere nequeunt, ſi ſanguis nimis eſt craſſus & particulis fixis abundat, vel ſi nimis fluidus, rarus ac ſubtilis eſt, hinc vires requirunt ſanguinem temperatum.

23. Non ſolum cor, ſed ipſæ arteriæ, venæ, imo omnia vaſa, viſcera ac muſculi ad ſanguinis motum progreſſivum & localem faciunt, illumque augere vel imminuere, æqualem vel inæqualem reddere poſſunt.

24. Succenturiatum cordis motus organon ſunt ipſi pulmones, quorum corpus ex meris aereis fiſtulis & membranis veſiculoſis una cum ramificatione arteriarum & venarum conſtat, per has ſanguis venoſus omnis trajicitur & materia ſubtiliori aerea impraegnatus, tranſit ad ſiniſtrum cordis ventriculum.

25. Totum abſtruſum reſpirationis negotium a muſculis thoracis atque abdominis actione procedit, & alternata utriuſque ventris dilatatione ac ſubſidentia dependet, hinc reciproco aeris in pulmones ingreſſu expulſioneque peragitur.

26. Quando augetur pectoris cavitas ob diaphragmatis deſcenſum & coſtarum elevationem, tunc ob æquilibrium aeris interioris cum externo ſublatum, aer gravitate ſua ruit in aſperam arteriam & ei annexos pulmones; quando autem thorax in fornicem ſuum iterum redit, & coſtæ concidunt, tunc aer expellitur: non ſecus ac ſi follium latera deducuntur,

aer

aer impellitur & contra lateribus concifis aer iterum expellitur.

27. Reſpiratio actio eſt, quæ ſemel incepta nunquam ceſſat.

28. In reſpiratione comprimuntur vaſa pulmonum & ſanguis exprimitur, in exſpiratione autem recipitur: hinc in inſpiratione pulmones albeſcunt, & in exſpiratione rubeſcunt.

29. Aer externus gravior propria vi inclinat ingredi pulmones & ſpatium thoracis propter aerem inibi calefactum & rarefactum, quem propria virtute reſtituere conatur.

30. Aeris portio ſubtilior ſanguini communicatur, quia colorem acquirit alium ſanguis in vena pulmonali.

31. Veſiculæ pulmonales inſerviunt ſubtiliori particularum aerearum ſegregationi, quæ ſanguini intermiſcentur, particulæ autem aqueæ craſſiores per exſpirationem iterum rejiciuntur.

32. Subtilior aeris portio elaſtica vi donata globulos ſanguinis diſgregat & a ſe invicem propellit, motum ſeu fermentationem inteſtinam, fluiditatem, calorem vitalem & colorem producit purpureum.

33. Aer non refrigerat, ſed calefacit, hinc quo major eſt inſpiratio, uti in motu & exercitio, eo major adeſt calor.

34. Bronchiorum pulmonalium veſiculæ ſive cellulæ ita ſunt conformatæ, ut ex trachæa in illas proximas & ex illis in vicinas & ex his iterum in alias pateat tranſitus, donec in communem pulmonum membranam deſinant, ſicque omnes expandantur.

35. Ex ſanguine cum ſero mixto originem habent ſpiritus animales, & ipſe ſuccus nutritius & natura unice generationem horum fluidorum ex ſanguine intendit, in cujus finem conſpirat omnium viſcerum uſus.

36. Succus noſter nutritius, cujus partes ſubtiliſſimæ volatiles ipſis ſpiritibus præbent animalibus materiam, ex particulis fluidis globoſis, dulcibus, gelatinoſis temperatis conſtare debet.

37. Particulæ viſcidiores fixæ, acidæ, ſalinæ, ſulphureæ, acres, ſucci nutritii generationem & ſpirituum animalium materiam ingredi non poſſunt.

38. Uſus pene omnium viſcerum eo conſpirat, ut ex ſanguine & ſero particulæ ſalinæ, rigidiores, terreæ, viſcidæ ſeparentur & craſſiores ſubtiliſentur.

39. Viſcera ſegregationem humorum excrementitiorum non peragunt fermento quodam, quod nimirum præcipitet humores ſecernendos, ſed omnis ſecretio bilis, urinæ, ſudoris, pituitæ, ſalivæ mechanica ratione & certo filtrationis modo peragitur.

40. Hepatis glanduloſi pori & vaſcula ſeparant a ſanguine particulas amaras ſulphureas, quæ collectæ in veſicula fellea bilem conſtituunt.

41. Renes, qui ex minutiſſimis conſtant canaliculis, ſerum ſalſum, quod urina vocatur, a ſanguine colant ac filtrant.

42. Minutiſſima cutis vaſcula, glandulæ & pori vaporoſum illud ſalſum ſerum, quod ſudoris nomine venit, ſequeſtrant.

43. Cutis totius corporis emunctorium eſt juxta *Galenum*.

44. Cutis tranſpirationem vaporum moderatur, ſine qua homo vivere non poteſt.

45. Conformatio pororum cutis talis eſt, ut poſſint claudi & aperiri, & modo faciliorem, modo difficiliorem tranſitum concedere, in tono itaque cutis naturali modus tranſpirationis noſtræ maximam partem conſiſtit.

46. Cruſta villoſa ipſius ventriculi & inteſtinorum ex minutiſſimis vaſculis & poris conſtans, ſeparat pituitam viſcidam ex ipſo ſanguine: ſimili modo ductus naſi, qui ad palatum abit, ex tunica glanduloſa & poroſa conſtans mucum viſcidiorem ſeparat.

47. Glandulæ conglomeratæ ſalivales pancreaticæ ſerum ſalivale tranſcolant, illudque ductibus committunt ſalivalibus.

48. Glandulæ atrabilariæ, ſi interius microſcopio ſubjiciuntur ex minutiſſimis glandulis conſtant, quæ liquorem ſeparant alkalinum, qui infuſus ſanguini retrogrado a renibus, illum a coagulatione præſervat.

49. Cerebrum conſtat ex ſubſtantia corticali, cinerea, glanduloſa, & ex medullari albiſſima, illa ſpiritus animales ſeparat, hæc autem filtratos ſpiritus recipit.

50. Quod viſcus ſingularem ac certum humorem ſecernat, male adſcribitur variæ diſpoſitioni pororum ratione figuræ ac magnitudinis, glandularum enim pori interni non ſunt figuræ diverſæ in diverſis corporis locis pro diverſitate partium ſecernendarum.

51. In glandulis non ſecernuntur minima fluidorum ſolida, ſed ipſa fluida parva licet portione: fluida autem non requirunt figuram ſingularem cum ea ſe cuivis figuræ accommodent & in cujuſcunque orificium penetrant, hinc non opus eſt peculiari orificii figura, ſed quælibet ſufficit, modo ſit ſatis ampla.

52. Orificia vaſorum & pori glandularum circulares ſunt, verum amplitudine differunt.

53. In tunicis arteriarum pori ſunt ſecretorii, qui pori orificiis naſcentium excretoriorum adnati ſunt, hinc vaſa excretoria annumeranda ſunt ramulis arteriarum.

54. Glandulæ nihil aliud ſunt quam curvaturæ arterioſæ.

55. Singularis eſt ſtructura & uſus venæ portæ, recipit illa omnem ſanguinem ex abdominis viſceribus & deducit illum ad hepar, cum tamen hic impulſus debitus deficiat: hinc circulatio ſanguinis in vena portæ impedita magna incommoda inducere poteſt corpori noſtro.

56. Plurima viſcera ex minutiſſimis & arenatis vaſculis conſtant, uti excarnationes & injectiones mercurii in ipſa vaſa ſatis id clare demonſtrant.

57. Quo minora adſunt vaſcula, per quæ ſanguis tranſire debet, eo magis ſubtiliſatur, ne autem in illis vaſculis ſtagnet, nervi ſpiritus advehunt animales, ut illorum motu & ſubtiliſatione promoveatur motus ſanguinis & obſtructio impediatur.

58. Lien nihil a ſanguine ſeparat, ſed ex innumeris cellulis & fibris conflatus eſt, quæ ad conquaſſationem, comminutionem & intimiorem ſanguinis ſubtiliſationem multum contribuunt.

59. Subſtantiam lienis tranſit ſaltim arteria, non autem vena.

60. Obſervatum eſt, canes, quibus lien exſectus fuit, triſtes, ignavos ac pingues factos fuiſſe.

61. Ureteres fibris muſculoſis ſunt inſtructi; hinc non ſolum pondere tranſit urina, ſed adjuvatur conſtrictione.

62. Veſica urinaria umbilico per urachum connectitur, hinc magnus illorum eſt conſenſus.

63. Veſica non eſt membranacea, ſed pluribus prædita eſt fibris tranſverſis, quarum beneficio conſtringi poteſt ad expellendum ſuum contentum, propter immodicam itaque fibrarum tenſionem illa ſe amplius contrahere nequit, ſicque graves fiunt urinæ ſuppreſſiones.

64. Nutritio eſt particularum abſumtarum reſtauratio: auctio autem fit, quando ultra abſumptarum reſtaurandarum molem acceſſio eſt.

65. Nutritio animalis cum ejuſdem generatione convenit,

venit, & eadem eſt materia generationis ac nutritionis.

66. Motus uti partes fluidas atterit & conſumit, noſtrumque depaſcit corpus, ſic quoque illud ipſum conſervat, dum non ſolum materia nutritionis ad partes advehitur, verum etiam illo ipſo partes ad illam recipiendam & aſſimilandam diſponuntur.

67. Propter rapidi ſanguinis localem motum & inteſtinum adauctum excitatur calor, qui non niſi vehementior motus eſt particularum ſubtiliſſimarum, hic depaſcit partes fluidas, illas diſſipat in auras, & ipſas ſolidas liquefacit.

68. Quo major itaque calor eſt in ſanguine, eo magis conſumuntur partes, quo autem motus & calor magis eſt temperatus & blandus, nutritio quoque melior fit.

69. Materia nutritionis non eſt ſanguis nec lympha vel ſuccus nervorum, ſed ſerum γλισχρὸν gelatinoſum dulce ac temperatum.

70. Omnes partes corporis ſolidæ, oſſa, cartilagines, membranæ, fibræ coctæ præbent gelatinam.

71. Serum ſanguinis ſuper ignem calore mediocri in gelatinoſam ſeu glutinoſam offam congelatur.

72. Cauſa efficiens nutritionis non eſt ſingularis nutriens facultas propria partibus ac connata, nec fermentum quoddam tranſmutatorium, nec pororum ſola configuratio diverſa hic ſufficit, ſed eſt naturæ ſeu animæ ſenſitivæ motus determinatus ad certum ordinem, menſuram, numerum, uno verbo, vis plaſtica.

73. Nutritio autem illa, ubi jam tota machina & ejus partes ſunt confectæ, peragitur ſolo impulſu ſeri nutritii ad poros partium & inibi facta ſtagnatione ac aſſimilatione.

74. Spirituum animalium influxus & concurſus ad laudabilem nutritionem eſt neceſſarius.

75. Spiritus animales non ſolum virtualiter ad nutritionem concurrunt partes actuando & vigorando, verum etiam materialiter, certo reſpectu, quatenus ſerum nutritium ſubtile, vitale & ſpirituoſum efficiunt.

CAPUT VIII.

De Conceptione, Generatione & partibus illi inſervientibus, &c.

UT omnia animalia ex ovo, ſic quoque homo ex eo pronaſcitur.

2. In ovo totius animalis ideæ rudimenta & lineamenta depicta ſunt.

3. Teſtes muliebres nil niſi ovarium ſunt; conſtant ex corpore inæquali & ex veſiculis varie compoſito, non abſimili veſiculis virorum ſeminalibus; veſiculæ hæ vera ſunt ova & pellucidam lympham continent, quæ ſi per microcoſpium inſpiciuntur, varias lineas depictas ac delineatas ibi videbis.

4. Unum poſt alterum ovum ſucceſſive fit maturum, & ſi duo ova ſimul ſunt matura & ſimul fœcundantur, tunc gemelli fiunt.

5. Ovum ad generationem aptum fœcundari debet, quod fit ſubtiliſſimis ſpirituoſis effluviis ſeminis maſculini, quæ novum vitalem inteſtinum motum introducunt in ovuli contentas partes fluidas, quo motu turgeſcentia & rarefactio fit vitalis, quare pelliculæ ovi diſtenduntur, fluidæ partes ſpumaſcunt, ſicque a fibroſis teſticulorum vinculis ovula convelluntur.

6. In parte illa ovarii, ubi ovulum decidit obſervata fuit ab oculatioribus Anatomicis cicatricula quædam.

7. Ovum fœcundatum per tubas Fallopianas ad uterum defertur, quæ delatio peragitur contractione muſculoſarum fibrarum, ex quibus illæ conſtant partes.

8. Ovulum fœminæ continet principium materiale prolis, ſemen autem maſculinum concurrit formaliter, contactu tamen corporum, quatenus inſitum illud principium actuatur & movetur.

9. Mares, qui ad generationem proni ſunt, teſticulis inſtructi eſſe debent, quibus exſectis impotentes redduntur.

10. Teſtium ſubſtantia non glanduloſa nec medulloſa eſt, ſed canaliculoſa, totum enim illud corpus in infinitas fibrillulas pilorum inſtar tenuiſſimas deduci poteſt, ut præter nervoſum corpus nihil in medio reliquum maneat, ab hoc in albugineam tunicam plura minora corpora nervea obſervare licet; ipſum altera extremitate continuatum eſt cum epidydimide.

11. Epidymis quamvis membrana involuta teres aliquod corpus inflexum videatur, contextus tamen plurimorum vaſorum eſt, ſi ſeparatio illius membranæ fiat.

12. Veſicularum ſeminalium ſubſtantia mere vaſculoſa eſt, hiant in illa vaſa deferentia, & ex illis ſemen fertur in urethram.

13. Proſtratæ fere ſunt glanduloſæ, & ita adhærent urethræ, ut unum videatur eſſe corpus.

14. Nervorum & teſticulorum ingens conſenſus eſt, hinc unius diſpendium alterius efficaciam mirum enervat.

15. Teſticulorum conformationem cerebri ſtructuræ analogam eſſe dixit BORELLUS, imo ſemen & fluidum nerveum maximam habet affinitatem & conformitatem; utrumque fluidum magno impetu determinato tamen & ordinato, non tumultuario agit.

16. In ſeminis virilis ſpiritu omnes partes maris illarumque ideas delineatas eſſe, nullum eſt dubium.

17. Seminis maſculini ſubtiliſſima effluvia non per tubas & vaſa ſanguinea, ſed per uteri poroſam ſubſtantiam tranſeunt ad ipſum ovarium, ubi in ovo maturo motum inteſtinum fermentativum vitalem, qui fœcundatio dicitur, excitant.

18. Poſt conceptum non ſolum uterus, ſed & partes ambientes magis intumeſcunt & a calore ac ſanguine ſpirituoſiore perfunduntur.

19. Quando punctum ſaliens adeſt in fœtu, tunc tam ſubtiles ſunt fibræ, ut vix ſenſibus pateant.

20. Fibræ ſunt quaſi prima ſtamina ac columnæ ipſius fœtus, ex fibris fiunt membranæ & ex membranis cartilagines, ex his oſſa.

21. Oſſificatio in centro ſemper incipit, deinde ad latera.

22. Uterus dividitur in cavitatem & vaginam uteri, eſt ſubſtantia ejus maxime ſpongioſa, tortuoſis ramificationibus venarum & arteriarum, vaſorum lymphaticorum prædita: diſtenditur & craſſeſcit maxime in gravidis, detumeſcit autem effluentibus lochiis.

23. De vago uteri per abdomen & tandem in thoracem motu, popularis eſt error, uti mulierculis condonandus, ſic in medicina non tolerandus.

24. Fœmina omni menſe per vaſcula in uteri vagina exiſtentia ſanguinem emittit, qui fluxus poſt annum decimum tertium vel decimum quartum incipit, & circa annum quinquageſimum deſinit.

25. Sanguis menſtruus immediate infantem non nutrit, ſed ſuccus nutritius fœtus alendi cauſa ad ipſum uterum cum ſanguine derivatur, hinc ſæpe etiam citra noxam ſanguis fluit menſtruus in gravidis.

26. Sanguinis & ſucci alimentarii plenitudo in fœminis periodici hujus fluxus ſtimulus eſt primarius.

27. Fœminarum corpus per ſingularem habitudinem

nem ſummus Creator a maſculino diſtinctum voluit, ut nimirum in illo abundent ſucci, quo concipiendo & geſtando fœtum fiant aptæ.

28. Natura per ideam certam ſibi impreſſam & actum conſuetudinis emittit ſuperfluum ſuccum per uterum, qui copioſiſſimis vaſculis eſt inſtructus, quique propter ſingularem ſtructuram evacuationi hujus admodum congruus eſt.

29. Tempore menſtruationis ſanguis per arterias & venas non rite circulatur, ſed ob copiam ſanguinis impeditior tunc per venas uteri ſit refluxus, hinc ſtagnat ſanguis, diſtendit lumbos.

30. Quando uteri textura cavernoſa ac ſpongioſa facta fuit tempore prægnationis, ſanguis, majus ſpatium in utero nacto, dilatat tubulos uterinos.

31. Placenta uterina non ſtatim primo obſervatur menſe, quando autem adeſt, imbibit ſuccum nutritium ab arteriis matris allatum & per venam umbilicalem in fœtus hepar defert.

32. Secundinarum ſubſtantia maxime ſpongioſa ac poroſa eſt, hinc flatu per tubulum immiſſo non aliter ac lien diſtendi poteſt; ſeparat ac colat ſuccum chyloſum ex ipſis arteriis uterinis, quo ipſe nutritur fœtus.

33. Membranæ fœtus in homine duo ſaltim obſervatæ ſunt, Chorion & Amnion; chorio adhæret placenta & hæc utero, non tamen ita, ut vaſa umbilicalia ſive arteriæ ſive venæ matris vaſis adhæreant.

34. Fœtum ultimis menſibus per os nutriri, abſurdum non eſt.

35. Humor, qui proxime fœtum ambit, videtur alimentarius, quoniam in quibuſdam animalibus imminuitur ante excluſionem, imo perit.

36. Hiante ore fœtus animalium in aqua ſua ſæpe videntur, & duodecimo ab incubatione die pullus, humori ſuo innatans, roſtrum aliquoties deduxiſſe obſervatum fuit.

37. In fœtu tranſit ſanguis ex ventriculo dextro ad ſiniſtrum, non per pulmones, ſed per foramen ovale, quod eſt intra venam cavam & venam pulmonalem.

38. Fœtus in lucem editus, membranis ſuis involutus, per aliquot horas ſub aquis vivus ac ſalvus manere poteſt ſine aere, quod ſi autem ſemel reſpiraverit, tunc iſta reſpiratio ſemper continuari debet, alias hac ceſſante, ſtatim moritur.

39. Quando oſtiola vaſorum uterinorum a placenta obdurata reſerantur in partu, ſanguis & humores, geſtationis tempore intra vaſa & uteri ſpongioſam ſubſtantiam collecti, educuntur, ſicque fiunt lochia.

40. Fœtus propter aeris defectum affectat exitum.

PATHOLOGIÆ MEDICÆ

CAPUT I.

De morbis in genere & illorum cauſis.

UTi vita & ſanitas conſiſtit in debito actionum vitalium exercitio: Sic morbus in exercitio illo depravato vel imminuto; mors autem in totaliter illo deſtructo conſiſtit.

2. Quando actiones vitales, quæ verſantur in motu, ſenſu & nutritione machinæ, læſæ ſunt, tunc dicitur adeſſe morbus, ſeu præternaturalis machinæ noſtræ conſtitutio.

3. Uti actiones vitales immediate dependent a motu laudabili ac æquali partium fluidarum, maxime ſpirituum animalium rectaque ſolidarum conformatio, ſic imminutæ & depravatæ a læſo illo motu humorum pravaque ſolidarum conformatione originem ſuam petunt.

4. Mors ex totali deſtructione temperiei & motus fluorum machinæ noſtræ naturaliter conſtitutorum oritur: & quo magis temperies vel motus humorum eſt deſtructus, eo morbus eſt gravior & periculoſior.

5. Quodcunque lædit vel deſtruit temperiem & motum laudabilem ſanguinis & fluidi nervei, vel partium ſolidarum conformationem, quæ conſiſtit in debito ſitu, numero, figura, illud titulum cauſæ meretur morbificæ.

6. Intemperies in partes ſolidas non cadit, niſi quatenus dependet a partibus fluidis, hinc antipraxia viſcerum antiquum eſt commentum Medicorum.

7. Viſcerum præternaturalis conſtitutio & debilitas conſiſtit in pororum tubulorumque inconſtantia & obſtructione.

8. Intemperies partium fluidarum emergit ex læſa mixtura corpuſculorum illas conſtituentium.

9. Partes fluidæ ex variis ratione molis, figuræ & ſitus particulis conſtant, & ſi volatiles, fluidæ ac ſpirituoſæ cum fixis, terreis mucilaginoſis rite invicem ſunt mixtæ & in æquilibrio poſitæ, temperies adeſt, & vice verſa, ſi mixtio hæc eſt inæqualis, intemperies emergit.

10. Intemperies ad duo genera optime referri poſſunt, vel enim particulæ mobiles, volatiles, ſalinæ, ſulphureæ in ſanguine & humoribus prædominantur, & tunc intemperies calida, ſalina, acris exſurgit; vel particulæ mucilaginoſæ, acidæ, fixæ prædominium habent, & tunc intemperies frigida, acida & melancholica reſultat.

11. Intemperies ſine materia merum eſt figmentum.

12. Sanguis & humores non peccant primis qualitatibus, ſed calore dicuntur peccare, ubi tenuia, ſpirituoſa, ſalina corpuſcula præ levioribus ramoſis & aqueis palmam habent: frigiditate autem delinquunt, ubi terreſtres, aquoſæ, fixæ, viſcidæ particulæ partes volatiliores ac mobiliores ſub jugo habent; ſiccitate peccant humores, quando referti ſunt ſalinis, rigidis & fixis particulis; humiditate autem, quando abundant particulæ lubricæ, aqueæ.

13. Intemperies maligna ſive totius ſubſtantiæ oritur a mixtura corpuſculorum ſanguinis, ratione ſitus, motus & ordinis penitus deſtructa, & quo magis vinculum particularum fixarum cum fluidis, mobilibus eſt deſtructum, eo pejor & periculoſior eſt ſtatus.

14. Intemperies partium fluidarum principalis & efficiens cauſa morborum eſt.

15. A conſtitutione & mixtione corpuſculorum ſanguinis maximam partem tam circularis quam inteſtinus ſanguinis & humorum motus dependet.

16. Si particulæ viſcidæ, fixæ, aquoſæ in humoribus prævalent, tunc motus tam inteſtinus quam circularis eſt magis imminutus & tardus; Si autem volatiles, ſpirituoſæ; magis motus citatus & auctus eſt.

17. Morbi optime dividuntur in chronicos & acutos; in acutis motus humorum magis eſt fortior, in chronicis autem magis depreſſior.

18. Quo humorum motus ſunt fortiores & auctiores, eo naturæ magis ſunt infenſi.

19. In omni itaque morbo motus ſanguinis & partium fluidarum vel imminutus vel auctus eſt.

20. Dantur quam plurimi morbi, ubi in una parte motus auctus, in altera autem eſt depreſſus & qui dependent ab inæqualis ſanguinis circulatione.

21. Cauſa morboſæ intemperiei & remota morbo-

 rum

rum utplurimum eſt obſtructio, quæ in partibus ſolidis facile fieri poteſt.

22. Obſtructiones in partibus fluidis eſſe non poſſunt, ſed in partibus ſolidis & vaſculis: & in quibus partibus vaſcula ſunt minora & anguſtiora, eo facilius ibi obſtructiones generari poſſunt.

23. Obſtructiones partium vel morbum præcedunt vel ipſum ſequuntur, hinc morbus alium morbum generare facile & producere poteſt.

24. Obſtructiones vaſorum inæqualem motum ac circulationem efficiunt, dum enim in parte obſtructa motus eſt imminutus, tunc in tubulis apertis magis creſcit & incrementum ſumit.

25. Omnes obſtructiones æquilibrium motus tollunt.

26. Quando vaſa ſanguinea & minutiſſima obſtructa ſunt, motus ſanguinis tam inteſtinus quam progreſſivus in reliquis vaſis augetur: hinc inflammationes, ebullitiones, febres, calor præternaturalis, ruptiones, diſtenſiones venarum, hæmorrhagiæ & catarri oriuntur.

27. Quando in ſyſtemate nervoſo tubuli quidam obſtructi ſunt, neceſſe eſt, ut per tubulos reliquos apertos intenſius moveantur ſpiritus ſic dicti animales, quo motu partes expanduntur & cum dolore contrahuntur, ſicque fit ſpaſmus.

28. Videntur plurimi morbi oriri a ſpirituum animalium & ſanguinis per minutiſſima vaſcula inæquali & impedita circulatione.

29. Obſtructiones non ſolum fiunt a particulis lentis, viſcidis & motu humorum tardo, ſed etiam a motu nimis aucto & impetuoſiori.

30. Non raro ſubtiliſſima, ſalina, acria corpuſcula membranas vellicantia cauſa majoris affluxus & στάσεως eſſe poſſunt.

31. Spaſmodicæ partium contractiones frequenter ſunt obſtructionum fabri.

32. Humores ſtagnantes ex mora corrumpuntur & dyſcraſiam peregrinam induunt, & ſunt inſtar fermenti, quod maſſam ſanguineam in ſua mixtura admodum turbare aptum eſt.

33. Humor in corpore noſtro qualitate eminentiori inſtructus, reliquos facile ad ſuam diſponere poteſt indolem.

34. Vitiatis ac diſtortis poris ac meatibus partium ſolidarum non humores ſolum ſtagnant, ſed & vitiantur, uti ſtrumæ, excreſcentiæ, ſcirrhi cancroſa ulcera id teſtantur.

35. Vitioſæ collectæ particulæ in vitiatis poris preſſione cavitatem ſibi formant, unde oriuntur tumores, hydatides, excreſcentiæ.

36. Cauſa morborum non ſolum eſt intemperies & humorum vitioſa qualitas, ſeu dicta cacochymia, ſed illorum quantitas aucta vel imminuta.

37. Plethora ad vires nunquam infenſa eſſe poteſt corpori, ſed ſaltim illa ad vaſa: non ſolum autem datur plethora ſanguinis, ſed etiam ſeri & lymphæ, hinc plethora ad vaſa non venæſectione ſolum, ſed purgantibus etiam, diureticis & ſudoriferis tollitur.

38. Quando humores per vaſa ſua congrua non rite circulari & evolvi poſſunt, ſtagnant, corrumpuntur & excrementitii humores detinentur, hinc plethora, intemperies, obſtructiones & per conſequens plures generantur morbi.

39. Nimiæ ſanguinis ac lymphæ effluxiones a plethora ſæpiſſime originem ſuam petunt, diſtendente ac rumpente vaſa.

40. Non ſolum aucta humorum quantitas & deficiens morbos producit graviſſimos, quod patet ex illis morbis, qui immoderatos fluxus humorum, ſanguinis ac ſeri ſequi ſolent.

41. Ex pituita, bile & ſucco pancreatico omnes deducere morborum cauſas, inſufficiens eſt.

42. Bilis raro quantitate aucta, magis autem qualitate peccat.

43. Morbi conformationis conſiſtunt in quantitate vitioſa ſecundum numerum ac magnitudinem, vel in qualitate vitioſa ſecundum figuram in longitudine & latitudine ſuperficiei.

44. Ad morbos ſolutæ unitatis non ſpectant ſolum vulnera & ulcera, ſed & contuſiones, fracturæ ac luxationes.

45. Dolores male referuntur ad morbos ſolutæ unitatis, potius debentur nervorum & membranarum contractioni ſpaſmodicæ.

46. Morbi ſunt vel contagioſi & non contagioſi, vel maligni & benigni, acuti & chronici, eſſentiales & ſymptomatici, endemii & epidemici, periodum, vel illum non ſervantes.

47. Non omnes maligni morbi ſunt contagioſi, nec omnes benigni non contagioſi.

48. Quivis morbus habet ſua tempora & ordinem, nimirum initium, ſtatum, progreſſum & declinationem.

49. In peſte, morbis malignis & epidemicis obſervantur non raro certa tempora, ita ut hi morbi in principio leniter invadant, poſtmodum valde increſcant & denique iterum vehementia illorum decreſcat.

CAPUT II.

De cauſis morborum remotis.

Uti ad temperiem & naturalem ſanguinis ac fluidi nervei conſtitutionem, ipſamque ſanitatem faciunt parentes, nativitas, ſolum, ætas, ſexus, vitæ ratio: ſic quoque ad ſanguinis intemperiem, & ipſorum morborum generationem concurrere poſſunt.

2. Multi magni morbi fiunt a diſpoſitione hæreditaria.

3. Quemadmodum intervallum rectarum inter ſe mutuo inclinantium linearum, quod vix ſenſibile eſt, in appropinquationis puncto vaſtiſſimum deſcribit ſpatium, ſi in infinitum lineæ hæ producantur: Ita exigui a ſtatu naturali deceſſus in utero incrementum inſigne accipiunt, infans dum adoleſcit.

4. Quodvis clima, quævis ætas & uterque ſexus ſuos habet peculiares morbos.

5. Solis & Lunæ poſitiones, ſitus & motus magnam poſſident vim in corpora noſtra, hinc in ſolſtitiis & æquinoctiis inſignis accedit corpori mutatio.

6. Anni tempora variorum morborum cauſæ eſſe ſolent, hinc vere, illi morbi, qui ex multis fiunt humoribus, autumno illi, qui ex corruptis fiunt, frequentiores.

7. Spirituum, qui machinam noſtram dirigunt, ac ſanitatem efficiunt, indoles dependet maximam partem a ſanguine; ſanguinis autem conſtitutionem variam reddunt aer, cibus, potus, ætas &c.

8. Aer non ſolum humiditate, ſiccitate, calore & frigore varie corporis noſtri humores, parteſque ſolidas afficere poteſt, verum etiam pro diverſitate effluviorum magnam vim habent texturam ac temperiem ſanguinis immutandi.

9. Cuivis ferme regioni & loco familiares ſunt certi morbi propter diverſam aeris conſtitutionem.

10. Ab inæqualitate & ſubita aeris mutatione ſanguis varie afficitur, & machina noſtra in ſuis operationibus ingentem in modum turbatur.

11. Aer de ipſis terræ effluviis participat, in mari eſt

eſt acido-ſalinus, in nonnullis locis nitroſus, bituminoſus & in aliis tenuis ſubtilis & purus, in aliis craſſus & impurus minuſque mobilis.

12. Aer quo calidior, eo magis infenſus eſt vitæ & ſanitati noſtræ, uti id teſtatur Hiſpanicus, & Italicus aer.

13. Aer calidus expandit, dilatat ac rarefacit humores corporis noſtri, ita ut majus affectent ſpatium, frigidus autem illos condenſat, & coarctat; aer humidas fibras reddit laxiores, ſiccus autem eas facit rigidiores.

14. Aeris qualitates ac virtutes dependent maxime a ſolis & lunæ poſitione, & uti Sole præſente aer tenuior, calidior ac ſubtilior; ſic in plenilunio humidior, gravior, denſior & frigidior eſt.

15. Tempore verno alii fiunt morbi, alii tempore autumnali & hyemali, & ſic quoque nonnulli morbi de nocte, alii de die magis ſumunt incrementa.

16. Conſtitutio aeris multum dependet a ventorum agitatione, ſic Eurus & Boreas particulas magis rigidas & acutas aeri communicat; Auſter autem & Zephyrus particulis magis tenuibus, alcalinis, calidis aerem impraegnant, & illi frigidiores, hi autem calidiores ac humidiores ſunt.

17. A ventorum mutatione machina noſtra varias percipit alterationes.

18. Aer craſſus, frigidus, particulis ſalſis acidis repletus, inflammationes cauſatur, illaſque adauget, circulationem & excretionem humorum retardat, tranſpirationem inhibet, morbos reddit efficaces ac diuturnos, nervoſoque generi admodum eſt hoſtilis.

19. Aer calidior, tenuior, ad ebullitiones ſanguinis, putredines, dolores, humorum præternaturales effluxiones, & motus magis eſt proclivis, ſpirituumque craſin efficit acriorem.

20. Aer mutatus magnorum ſæpe morborum remedium eſt.

21. Aer eſt vehiculum effluviorum & miaſmatum morboſorum, omniſque morbus contagioſus propagatur beneficio aeris.

22. Ab aeris conſtitutione dependet ſpirituum animalium tenuitas, mobilitas, item fixitas tarduſque motus omneſque pene animi actiones ac motus, hinc quævis regio pecularia profert hominum ingenia.

23. Quorum genus nervoſum admodum debile & ſenſibile eſt, illi ſtatim omnes mutationes in aere occurrentes percipere poſſunt, & tempeſtates ſæpe prænunciare.

24. Ab ingeſtis, cibo nimirum & potu, ſanguinis temperies, & conſtitutio maximam partem dependet, qualis enim eſt cibus, talis chylus, qualis chylus, talis ſanguis, & qualis ſanguis, tales ſunt ſpiritus & ſanitas.

25. Quantitas ciborum interdum plus nocet quam qualitas; qui enim multum comedunt, plerumque non adeo ſani ſunt, & vorocitas cruditatum mater eſt.

26. Omnes cibi eminenti qualitate præditi, uti ſalſi, viſcidi, acidi, pingues, acres in copia aſſumpti, intemperiem ſanguini inducere apti ſunt.

27. Intemperies ſanguinis ſive acida, ſive viſcida, ſive ſalſa acris multum dependet a cibo & potu aſſumpto.

28. Cibi viſcidi, ſaliti, indurati, acidi obſtructiones, ſcorbutum, febrès intermittentes diuturnas, hydropem, inflammationes graviſſimas excitant.

29. Cibi calidi, ſpirituoſi, acres, nimis tenues, hæmorrhagias, dolores, febres inflammatorias, continuas, ebullitiones varias & putredines generant.

30. Cereviſiæ tenues, facile aceſcentes; maxime in regionibus frigidis, & ubi victus craſſus locum habet ad morbos chronicos, ſcorbutum, malum hypochondriacum &c. diſponunt; cereviſiæ autem inebriantes, ſpirituoſæ magis morbos excitant acutos.

31. Omnes ſpirituoſæ & lupulatæ cereviſiæ nervis & capiti nocent.

32. Spiritus vini, & vini abuſus magnorum morborum fœcunda mater eſt.

33. Vina calida, uti Hiſpanica, Francica, Hungarica in copia & immoderato uſu aſſumpta, ſanguinem inflammant, graviſſimas febres inflammatorias, malignas, hæmorrhagias, dolores producere poſſunt.

34. Uti vinum & ſpiritus vini moderate ſumpti ventriculum confortant, & ſpiritualſcentiam ſanguinis & humorum promovent: ſic intempeſtive & intemperate aſſumpti, chylificationem lædunt ac ventriculum totamque ſanguinis temperiem deſtruunt.

35. Aquæ vitæ aliquot horis poſt cœnam vel prandium largius aſſumptæ lædunt chylificationem, quoniam ſpiritus vini præcipitat ipſum chylum.

36. Vina acida, quæque copioſum tartarum habent ad calculum, arthritidem, podagram maxime diſponunt.

37. Ex conſtitutione ac indole ipſius aquæ cibus ac potus varias acquirunt qualitates, varieque modificantur ac alterantur.

38. Vigiliæ immoderatæ acrimoniam ſanguinis & humorum ad augent, & motum inordinatum partibus fluidis intemperiemque introducunt.

39. Somnus immoderatus ſpiritualſcentiam ſanguinis & humorum impedit, tardumque ac torpidum ſanguini ac ſpiritibus injicit motum.

40. Vigiliæ immodicæ plus nocent ac enervant quam ſomnus largus.

41. Somno & quiete intemperies acris ſanguinis & humorum motuſque ſpirituum inordinati egregie corriguntur.

42. Motus corporis uti moderatus egregie excitat ſpiritus & humorum motum, ſic nimium excedens enervat ac debilitat.

43. Excrementa, extra ſphæram corporis evacuari ſolita, retenta magnos morbos producere apta ſunt, hinc alvi obſtructio, urinæ ac muci narium, item ſudoris, menſium, hæmorrhoidum ſuppreſſio graviſſimorum morborum cauſæ exiſtere ſolent.

44. Retentione longiori excretorum ſucci corporis noſtri inquinantur, illorum temperies deſtruitur, & circulatio motuſque illorum ordinatus læditur.

45. Nihil intimius ſimul & celerius ſanguinem noſtrum alterare, ejuſque mixturam deſtruere, ac motum inæqualem ſpiritibus introducere aptum eſt, quam ira, terror & triſtitia.

46. Pulſus inordinatus ſemper ſequitur affectuum intempeſtivum uſum.

47. Nihil magis accendit ſpiritus, quam ira & amor, mœror autem & triſtitia illos ipſos figit.

48. Affectus animi immediate agunt in ſpiritus animales, ſpiritus in corporis noſtri fluores, hi in partes ſolidas.

49. Nihil magis ad vitæ facit abbreviationem & morborum accumulationem, quam affectuum præpoſterum uſum.

50. In ira ſanguis mirum agitatur, hinc ſucci pancreatici & bilis ingentes fiunt effuſiones, quibus ſupervenit diarrhæa, cor tremit & palpitat, facies mox pallet, mox rubet, os ſpumat, reſpiratio adeſt difficilis.

51. Ira furor brevis eſt.

52. Ira non raro malignos morbos producere ſolet, quatenus fermentum, quoddam latitans in partibus quietum fortiori humorum motu excitat, quod deinde ſanguini mixtum alias producit efferveſcentias.

53. Quo-

53. Quorum ſanguis particulis ſalinis volatilibus eſt onuſtus, illi ad iram procliviores ſunt illis, qui ſanguinem craſſum habent & melancholicum.

54. Terror ſpirituum animalium inæqualem motum efficit & circulationem ſanguinis debiliorem, hinc pulſus parvus, frequens, & inæqualis a terrore fit, & fluxus ſanguinis nimii non raro terrore ſiſtuntur.

55. Ira frigidis remedio eſt.

56. Affectuum immoderatus uſus mixtionem ſanguinis & humorum turbat, ſpirituum inæqualem efficit motum, intemperiem ac obſtructiones producit, ſicque magnorum morborum cauſa exiſtere ſolet.

CAPUT III.

De Febribus.

Nullus morbus tam univerſalis eſt, & omnibus ſeſe aſſociat morbis, quam ipſa febris.

2. Spiritus, qui regit machinam microcoſmicam, potentia motrice, electiva tamen inſtructus, contra illud, quod infenſum & contrarium vitali motui eſt, impetuoſo motu inſurgit ad illud amoliendum.

3. Omnis febris eſt vel continua, vel intermittens; hæc vel quotidiana, tertiana vel quartana; illa acuta vel benigna, ſive ardens vel maligna; hæc vel cum exanthematibus, vel ſine illis.

4. Febris non raro duplicatur, hinc datur tertiana & quartana duplex.

5. Febris eſt vel idiopathica vel ſymptomatica; ſymptomatica eſt, quæ accedit morbo, vulneri, ulceri, doloribus gravioribus, arthritidi, malo iſchiatico, capitis doloribus, podagræ, eryſipelati.

6. Febris eſt vel critica, ſive cum criſi & ſeparatione certa, vel ſine criſi, ſeu ſine ſeparatione, cum criſi ſeu ſeparatione fit ipſa podagra, eryſipelas, angina, pleuritis, bubones, & hæc critica iterum eſt benigna vel maligna, maligna in petechiis, febribus peſtilentialibus obſervatur.

7. Omnis motus ſpiritus ſic dicti ſenſitivi animalis contra cauſam morbificam fit in muſculis, & cum cor muſculorum ſit principaliſſimus, hinc in omni febre & motu naturæ critico pulſus celer vel frequens adeſt.

8. Uti motus cordis & arteriarum naturalis dependet a particulis elaſticis ſubtiliſſimis, tam ſpirituum animalium, quam ipſius ſanguinis: Sic quoque præternaturalis, & qui in febre fit, ab eodem fonte derivandus eſt.

9. Motus cordis adauctus & præternaturalis mixturam ſanguinis turbat, & tam circulationem, quam inteſtinum ſanguinis motum inæqualem reddit.

10. Turbatur ſanguis in mixtura, quando corpuſculorum ſanguinem conſtituentium magnitudo, figura, ordo & ſitus pororum naturalis invertitur, & vinculum particularum ſeroſarum cum ſanguineis læditur.

11. Impulſu cordis & arteriarum aucto, æther in ſanguinis poris hoſpitans in motum celerrimum circularem excitatur, qui deinde inordinate corpuſcula ſanguinis exagitat, fluidas & mobiles diſſipat, ſanguinem inſpiſſat &c.

12. Sicuti calor naturalis debetur inteſtino particularum ætherearum, in poris ac interſtitiis ſanguinis motui, ſic præternaturalis & fortior a violenta & celerrima ætheris per eoſdem trajectione oritur.

13. Vigiliæ, ſitis, urina rubicunda, pauca, delirium, dolor capitis vehementiſſimo particularum ætherearum in ſanguine motui, & attritioni ſive calori præternaturali adſcribenda ſunt.

14. Quemadmodum nulla fermentatio proprie ſic dicta in ſanguine naturaliter conſtituto datur, ſic quoque illa nullum locum invenit in febribus.

15. Intemperies calida nihil facit ad naturam febrium, utpote febris omni intemperiei ſupervenit, nec in quartana ſanguis acida, in quotidiana pituitoſa, nec in tertiana biliosa laborat intemperie.

16. Intemperies poteſt adhuc eſſe, curata febre.

17. Non in tota maſſa ſanguinea latitat cauſa febrium, alias non tam cita poſſet fieri curatio.

18. Sanguis intemperatus & viſcerum obſtructio diuturniores & curatu difficiliores ipſas reddit febres.

19. Obſtructio glandularum inteſtinalium, pancreaticarum & meſeraicarum non ſemper requiruntur ad productionem febris.

20. Fermentum ſui multiplicativum, quod in minima mole ſuccos vitales inficere poteſt, & certo tempore agit, deinde quieſcit, non datur in febribus intermittentibus.

21. Glandularum & minutiſſimorum vaſculorum arterioſorum in cute exiſtentium obſtructio a cauſa interna facta, nimirum a materia viſcida vaſculis excretoriis ſudoris incongrua cauſa eſt febrium intermittentium.

22. Vaſculis ac cutis poris obſtructis, ac obduratis ſanguinis & humorum ſtaſis, vellicatio ac irritatio fibrarum nervearum ac muſculoſarum fit, hinc a copioſiori ſpirituum animalium influxu ſpaſmodicæ illarum partium fiunt contractiones.

23. Symptomata calori præcedentia nimirum pandiculatio, corrugatio cutis, dolores artuum, dorſi, vomitus, ſuppreſſio ſudoris, urinæ, rigor, frigus, concuſſiones ac tremores partium cutis & muſculorum cuti ſubſtratorum ſpaſmodicæ contractioni debentur.

24. Qui decedunt febribus intermittentibus, ſemper in ipſo frigore convulſionibus adauctis fatis cedunt.

25. Extremis corporis vaſculis coarctatis & compreſſis ſanguis omnis ex illis exprimitur, retrocedit, & influxus ejus in cutis corticem impeditur, unde ſenſus frigoris adeſt, partes extremæ frigent, ungues liveſcunt, venæ, quæ antea turgebant, in ipſa cute fiunt minores & ſenſum fugiunt.

26. Frigus fit ab influxu ſanguinis ceſſante ad ipſas partes extremas, hinc cucurbitulæ in ipſo frigore parum ſanguinis ex cute eliciunt.

27. Quando in frigore ſanguis a circumferentia ad centrum fertur, ſanguis cum particulis ſuis elaſticis comprimitur, & pori ac interſtitia ejus minora fiunt: hinc æther compreſſionis impatiens, vi ſua elaſtica, liberum ſuum affectat ſpatium & ſe reſtituere in priſtinum ſtatum nititur, hinc poros ſanguinis perrumpit, ejus particulas in circulum gyrat, unde inteſtinus ſanguinis motus augetur, pulſus celerior fit, ſicque tam motu inteſtino ſanguinis adaucto, quam impulſu cordis & arteriarum fortiori facto, calor intenſiſſimus oritur corporis.

28. Falſum eſt in febribus circulationem ſanguinis eſſe adauctam, quamvis enim cor cum arteriis fortius pulſet, motui tamen per minutiſſimas venas reſiſtit craſſus, & humido ſuo ac fluido depauperatus ſanguis.

29. In omni febre circulatio ſanguinis eſt inæqualis, & quando æqualis motus ſanguini reſtituitur, apertis nimirum vaſculis antea obſtructis, in cutis cortice exiſtentibus, paroxyſmus ceſſat.

30. Declinante paroxyſmo, tranſpiratio augetur, ſudor longe largior fluit.

31. Nota-

31. Notabile eſt, in omnibus affectionibus & contractionibus ſpaſmodicis ac intenſis doloribus levem præcedere horrorem, rigorem & deinde ſubſequi incaleſcentiam corporis cum pulſu celeri.

32. Materia febrilis, cutis vaſcula propter irregularitatem figuræ, & majorem molem obſtruens, de novo ſemper ſuggeritur per ſanguinem, qui certo temporis ſpatio ibi apponit juſtam quantitatem, quæ ad paroxyſmum de novo ſuſcitandum ſufficit.

33. Fomes materiæ morboſæ utplurimum latet in primis viis, & magno inteſtinorum canale, maxime autem in valvulis inteſtini duodeni & jejuni, & illorum corpore villoſo ac mucoſo, ubi peregrinus, viſcidus, acidus humor hærens chylum tranſeuntem inquinare & characteriſare poteſt.

34. Vitium bilis & ſucci pancreatici digeſtionem turbare & fomitem morboſum febrilem conſtituere apte poteſt.

35. Cibus cum nauſea aſſumptus & male digeſtus in tunicis inteſtinalibus hærens, mineram febris facile producere poteſt.

36. Aër pro diverſitate varie agitatus a ventis varieque conſtitutus ratione & poſitione ſolis, multas, irregulares ſalinas corpori & poris cutis particulas communicare poteſt, quæ mixturam ſanguinis turbando, & poros obſtruendo, ſæpiſſime febres producunt epidemicas, quæ tamen citius & facilius curari poſſunt illis, quæ ex obſtructione viſcerum & graviori digeſtionis vitio naſcuntur.

37. Quæcunque extrema vaſculorum cutaneorum obſtruunt & tranſpirationem impediunt, febrem facile producere poſſunt.

38. Recidivæ febrium creberrime fiunt a tranſpiratione prohibita, quando quis verſatur in locis humidis & craſſiori aere plenis.

39. Retentio excrementorum, digeſtio & chyloſis depravata febrium fœcunda mater ſunt.

40. Familiare in praxi eſt, a cibo cum nauſea aſſumpto, item poſt fortiorem animi motum capto ſubnaſci febres.

41. Prout materia febrilis quantitate & qualitate delinquit & vel magis vel minus copioſa, acris, vellicans, acida, ſalina exiſtit, generantur vel febres quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanæ, & vel longiores, vel breviores illarum ſunt paroxyſmi.

42. In quotidianis & tertianis major acredo materiæ febrili immixta eſt quam in quartanis, & quæ tardius recurrunt, ubi major viſciditas & copia delinquere debet.

43. Quo acrior & mobilior eſt materia morbifica, eo citius vellificat fibras, illaſque ad contractiones ſpaſmodicas adigit, ſicque paroxyſmum febrilem citius accerſit & vice verſa.

44. Tempore verno & æſtivo magis fiunt febres quotidianæ &, tertianæ, illæque facilius ſanantur: In autumno autem & hyeme magis quartanæ & hæ ſunt contumaciores.

45. Illi, qui ſanguine craſſo & acido præditi ſunt, magis quartana corripiuntur, qui autem ſubtiliori & bilioſo, magis quotidiana & tertiana laborant.

46. Febres quotidianæ citius curantur ipſis quartanis, materia morbifica illarum longe mobiliori exiſtente.

47. In quartanis acidum & viſcidum delinquere exinde liqueſcit, quoniam emetica & purgantia in illis vix operantur & fortiori appetitu gaudent.

48. Quemadmodum pro diverſa conſtitutione materiæ febrilis febrium typi vel accelerantur vel retardantur: ſic alterata & mutata materiæ morbificæ figura, mole ac motu, febrium datur tranſmutatio.

49. Febres ſtato die ac hora recurrere ſolent, præſuppoſita generatione materiæ febrilis certa quantitate ac qualitate præditæ, quæ fibrillas cutaneas vellicare & ſpaſmodice afficere apta eſt.

50. In omni paroxyſmo, cum maxima materiæ morbificæ pars diſſletur, neceſſe eſt, ut requiratur certum quoddam tempus, quo iterum fiat certa collectio apta ad vellicationem.

51. Uti in tota rerum natura, ſic quoque in noſtro microcoſmo omnia certo numero, pondere, menſura & tempore fiunt.

52. In morbis periodicis multum conſuetudini, naturæ, ſeu ſpecifico ac determinato motui ſpirituum animalium per actus repetitos tribuendum eſt.

53. Facile ſpiritibus certa motus idea imprimi poteſt, quæ etiam firmiter retinetur, ita, ut tunc inordinatos ſuos juxta illam efficiant motus.

54. China chinæ ſpecificum in febribus intermittentibus eſt remedium, quoniam particulis ſuis amaris, terreis, leniter adſtringentibus & reſinoſo-balſamicis vitioſam materiæ febrilis qualitatem corrigit, ſanguinis texturam ac craſin, ne materiam taliſmodi febrilem dimittat, roborat, & ipſos porulos ac vaſcula ſubcutanea nimis laxa & ad ſtaſin humorum diſponentia blanda conſtrictione firmat, ipſiſque novum robur ac vigorem inducit.

55. Utilis nonnunquam eſt febris propter motum ſpirituum fortiorem & inteſtinum ſanguinis adauctum, cujus beneficio cruditates ſanguinis corriguntur & viſcoſæ ad motum ineptæ particulæ comminuuntur & attenuantur, ſicque obſtructiones ſolvuntur.

56. Febres intermittentes a continuis differunt in hoc, quod in illis per vices & ſucceſſive mixtura ſanguinis lædatur & motus inteſtinus illius non ſit continuus: In continuis autem mixtura hæc ſanguinis turbata & motus inteſtinus ſemper continuetur.

57. Febres continuæ ſunt vel benignæ vel malignæ; benignæ fiunt a motu concitato, præternaturali, copioſiori ſpirituum in cor & omnis corporis muſculos influxu, turbante mixturam ſanguineam.

58. Concitatior & præternaturalis ſpirituum influxus fit vel a ſale ſubtili, acri, peregrino, irregulari, ſpiritibus animalibus nupto, vel in maſſa ſanguinea, lympha ſtabulanti, & fibras nerveas, muſculoſas & carneas ſtimulante ac vellicante, hinc a gravioribus doloribus, inflammationibus propter vellicationem & irritationem majorem factam naſcuntur febres continuæ & dicuntur ardentes.

59. Febres continuæ & acriores ſanguinis ebullitiones ſcorbuticis & hypochondriacis, & quorum humores collutati ſunt ſalinis ſcoriis, admodum ſunt familiares.

60. In numerum febrium continuarum benignarum referendæ quoque ſunt catarrhales, quæ a ſalibus lymphæ & ſanguinis extricatis & membranas vallicantibus, cum ſtagnatione ſeri & lymphæ circulatione impedita oriuntur.

61. Raucedo, tuſſis, coryza, dolores & omnia ſymptomata, quæ febribus catarrhalibus complicantur, ſtaſi ac ſtagnationi ſeri & vellicationi fibrarum nervearum a ſale factæ debentur.

62. Ex continuarum numero eſt quoque febris lenta & hectica, quæ oritur vel ex vitio primarum viarum & humoribus acido-viſcidis, peregrinis, in inteſtinis ſtabulantibus & maſſam chyloſam deturpantibus, vel ex inflammatione & ſuppuratione partium internarum graviori.

63. Fit itaque febris hectica, partes ſolidas & fluidas conſumens, ab inteſtino ſanguinis motu inordinato & ſemper adaucto propter particulas irregulares & mixturæ ſanguineæ improportionatas ipſi continuo affuſas.

64. Febris continua eſt vel cum exanthematibus

vel ſine illis; exanthemata ſunt vel variolæ, morbilli, petechiæ, purpura.

65. Omnes variolæ & morbilli oriuntur cum febre continua & magna ſanguinis ebullitione.

66. Variolæ oriuntur a ſale cauſtico, acri certi generis, quod extricatum & ſequeſtratum a particulis ramoſis & oleoſis ſanguinis & cum fluido nerveo mixtum concitatius cor & arterias non movet ſolum, ſed mixturam etiam ſanguinis turbat, hincque febrem producit.

67. Spiritus machinæ noſtræ in vorticoſo & impetuoſo motu exiſtentes illud quod irregulare & heterogeneum ipſis, non aliter, ac flumen ligna injecta ad partes extremas dejicit, cum autem ibi non congruos inveniat poros, quibus eliminari poſſit, ſtagnat, puſtulas ac ulcuſcula efficit.

68. In variolis ſal acidum magis vel minus cauſticum delinquere, probabile videtur.

69. Sal variolarum ſæpe tam acre eſt, ut fiſtulas, ulcera in partibus oſſeis & membranaceis excitet, & non ſolum externas, ſed & internas partes occupet.

70. Quo ſanguinis & humorum circulatio eſt liberior, eo promptius ſuccedit ſecretio partium heterogenearum omnium, & ſic quoque variolarum; hinc ante eruptionem anxietates adſunt præcordiorum, inquietudines.

71. Variolæ ſæpe ſub ſpecie febrium catarrhalium infeſtant homines & indicant lympham ſtagnantem & acriorem factam.

72. Sal variolarum ſpecificum rectius ab impuris, acidi nutrimenti, quo fœtus in utero utitur, particulis, ſanguine intime nuptis oritur: his vitioſis impuritatibus maſſa ſanguinea paulo laxior facta certoque æthere ac aere influente, ſeſe liberare motu quodam, fermentationi æmulo, natura ſtudet.

73. Materia impura, morboſa diu in ſanguine hærere & illius conſortio ac vinculo citra aliquod incommodum uti poteſt, donec tandem certa diſpoſitione ſanguinis certoque aeris influxu ſeceſſionem a ſanguinis vinculo ac jugo efficiat.

74. Contagium, vehementiores animi & corporis motus, certaque diſpoſitio aeris ſal variolarum ſanguini intricatum, extricare & in motum deducere quam facillime poſſunt.

75. Morbilli ſunt maculæ rubræ ſine exulceratione, cum febre erumpentes, ortæ identidem a ſale quodam ſpecifico cauſtico, in maſſa ſanguinea ſine noxa contento & certo tempore ab illa ſecedente cum magna humorum ebullitione motuque impetuoſo.

76. Sal morbillorum videtur originem ſuam ducere a depravata lactis qualitate tempore lactationis aſſumpti.

77. Purpura ut & febris purpurata puerperis familiaris a ſale ſanguinis peregrino, ſcorbutico, cauſtico identidem ortum ſuum ducit.

CAPUT IV.

De morbis malignis.

Maligni dicuntur morbi, qui actiones vitales ſubito deſtruunt, mentem turbant, vires proſternunt & totam maſſam ſanguineam in motu ac craſi alterant, hinc vera malignitatis indicia ſunt, virium ſubita proſtratio, mentis turbatio, pulſus debilis & actionum vitalium exſtinctio.

2. Morbi maligni dicuntur etiam venenati & qui oriuntur a parvo & minutiſſimo principio venenato, quod inſtar fermenti ſeſe multiplicat & ſpirituum ac ſanguinis motum penitus invertit ac deſtruit.

3. Venenum dicitur illud, quod ſubito & in pauca quantitate actiones vitales deſtruere, motum ac craſin ſpirituum invertere aptum eſt.

4. Venena triplicia ſunt; vel corroſiva, quæ in partes ſolidas agunt corrodendo & inflammando; vel vaporoſa, quæ effluviis hoſtilibus minutiſſimos nervorum tubulos replent & ſpiritibus animalibus intime ſeſe inſinuant, illos obnubilando & obfuſcando, uti ſunt napellus, opium, narcotica; vel fermentativa, quæ magnam ebullitionem excitant & ſale volatili, acerrimo, mobiliſſimo ſpiritus animales inficiunt, & talis eſt ſaliva inordinato ac furibundo ſpirituum animalium motu imbuta & ſanguini communicata in morſu animalis rabidi.

5. Venenum ex animalibus proficiſcens exactam motus determinati ideam continet, ſecundum quam ſe multiplicat in ipſos ſpiritus animales immediate agendo illorumque motum æqualem deſtruendo, & ſimilem idealem motum efficiendo.

6. Ipſi inordinati animalium ut & hominum affectus & ſpirituum motus totam maſſam ſanguineam cum humoribus alterare poſſunt.

7. Quivis homo fabricare ſibi ipſe poteſt in corpore venenum immoderato affectuum uſu.

8. Nullum datur in animalibus venenum, niſi quod ex turbulento & inordinato ſpirituum motu exſurgit, & per morſum communicatur.

9. Terror de certo morbo in diſpoſitis facile ſimilem morbum corpori inducere aptus eſt.

10. Contagio plures deberi morbos malignos, ipſa teſtatur experientia.

11. Contagium conſtat ex ſubtiliſſimis effluviis, a corpore morboſo exhalantibus, quæ beneficio aeris ſpiritibus & ſanguini intimata inſtar fermenti illos ad ſuam indolem & naturam induendam diſponunt, & ſimilem ipſis motum introducunt.

12. Saliva miaſmatum malignorum vehiculum eſſe ſolet, cum qua tranſit ad ipſum ventriculum, ubi primas ſuas tragœdias ludere ſolet.

13. Uti fermentum non agit niſi materiam ad fermentandam aptam habeat, ſic quoque contagium non agit, niſi ſanguis ad motum talem recipiendum ſit idoneus.

14. Quorum ſanguis particulis pituitoſis, mobilibus, minus tamen ſpirituoſis abundat, & ubi primæ viæ muco & amurca ſalivali obſeſſæ ſunt, ibi contagium venenatum fomitem facile reperit.

15. Purgatio primarum viarum, crebra, ſalivæ excretio & uſus balſamicorum medicamentorum a morbis contagioſis optime præſervant.

16. Quo magis maſſa ſanguinea in mixtura & motu æquali eſt deſtructa & ſeceſſio elementorum ſanguinis, nimirum particularum volatilium, ſalino-ramoſarum a craſſioribus, terreis, aqueis plus eſt facta, eo major adeſt malignitas, majuſque periculum.

17. Peſtis omnium morborum eſt maligniſſima, quia ſubito tam ſpirituum animalium quam ſanguinis craſin ac motum deſtruit & actiones exſtinguit vitales.

18. Mixturæ ſanguineæ deſtructio fit, dum globolus ſanguinis contextus prorſus reſolvitur, particulæ ſalinæ, acres, fluidæ a conſortio reliquarum ſeparantur, ſicque vinculum elementorum ſanguinis penitus deſtruitur.

19. Quando mixtura elementorum ſanguinis læſa eſt, æquilibrium motus naturalis penitus deſtruitur, & in una parte motus mirum in modum increſcit, in altera autem valde eſt depreſſus.

20. Utplurimum origo malignitatis quærenda eſt in ipſis corporibus, hinc qui in nonnullis individuis eſt benignus morbus, in aliis malignitatis notam induit.

21. Affe-

21. Affectus animi inordinati, prava victus ratio craſin ac motum partium fluidarum deſtruendo quam prompte malignitatem morbis addunt.

22. Quæcunque corpora bilem onuſtam acrioribus cauſticis corroſivis ſubtilibus ſalibus habent, illa malignos morbos producere aptiſſima ſunt.

23. Aer ſumme æſtuans & calidus, inſectorum ſalibus volatilibus, cauſticis repletus, peſtem & morbos malignos facile gignere poteſt.

24. Petechiæ nihil aliud ſunt, quam ſal illud cauſticum, hærens in cutis tubulis & per totum corpus diſperſum, ſi autem conjungitur & unitur illud ipſum ſal anthraces, bubones & carbunculi fiunt, ibique magnam uredinem & acredinem efficiunt, non aliter, ac radii ſolis diſperſi, in vitro cauſtico uniti, ſtupenda vi operantur.

25. Morbi maligni ſunt vel acuti vel chronici; acuti ſunt peſtis, febres malignæ, petechiales & illi morbi acuti, qui in corporibus ad malignam diſpoſitionem humorum diſpoſitis oriuntur; chronici autem ſunt ſcorbutus & lues venerea.

26. Morbi acuti maligni admodum ſunt periculoſi & facile necant; non ita chronici.

27. In ſcorbuto confirmato omnes corporis noſtri fluores diatheſi peregrina ſalina imbuti ſunt & de craſi ſua naturali dejecti.

28. Scorbutus nil niſi maxima impuritas & pravitas lymphæ & ſanguinis eſt, hinc origo & fons innumerabilium morborum.

29. Symptomata ſcorbutica a ſpaſmodicis nervorum contractionibus maximam partem derivanda ſunt.

30. Si malum confirmatum eſt, fluidum nerveum inquinatum ac colluturatum eſt & motu anomalo delinquit.

31. Malum ſcorbuticum ab impuro aere, qui immediate ſpiritus animales afficere ſolet, originem ſuam petit, datur etiam contagioſum.

32. Lues venerea eſt inſignis corruptela ſucci nervei & lymphatici quoad craſin & motum.

33. Cauſa luis venereæ eſt fermentum impurum, ſeminale, ſpirituoſum, quod ex conſymboliſmo corpori communicatum, ſpiritus animales & lympham immediate alloquitur, illos de ſtatu ſuo dejiciendo, coagulando & prava corroſiva diatheſi imbuendo.

34. Cuncta in lue venerea contingere ſolita pathemata debentur lymphæ viſcidæ, coagulatæ & in illa hoſpitanti ſali ſumme acri, corroſivo.

35. Contagioſus morbus eſt & ex impuro coitu progerminat dicta gallica lues.

CAPUT V.

De morbis ex circulatione ſanguinis inæquali & impedita ortis.

Uti potiſſimum momentum vitæ & ſanitatis in circulatione ſanguinis verſatur: ſic etiam origo multorum morborum inde quærenda venit.

2. Ex ſanguinis circulo inæquali & ſufflaminato oritur ſyncope, quæ eſt exſtinctio actionum vitalium motu cordis & arteriarum ceſſante.

3. Motus cordis, uti eſt primaria cauſa & fundamentum circulationis ſanguineæ: ſic illo exſtincto, illa ceſſat & omnes actiones, quæ ex vita fluunt, ſimul tolluntur.

4. Uti ad motum cordis non ſolum influxus ſpirituum animalium ſufficiens, verum etiam inteſtinus ſanguinis motus & mixtura ſanguinis proportionata requiritur: ſic ceſſante illo ſpirituum influxu & inteſtino ſanguinis motu ac mixtura ſublata, tollitur & ipſe motus.

5. Affectus animi inordinati ac immoderati, ſanguis congrumatus & nimis coagulatus ut & nimis tenuis & rarefactus ſyncopen generare facillime poſſunt.

6. Polypus cordis in ventriculis vel illorum auriculis ſubſiſtens ſæpius cauſa eſt ſyncopes lethalis.

7. Polypus non eſt ſanguis congrumatus, ſed corpus coagmentatum ex fibris & lamellis craſſioris ſeri nutritii.

8. Succus nutritius in arteriis & venis non raro ita concreſcit, ut pene abeat in carnem, fibris & ſanguineis vaſculis inſtructam.

9. A circulatione ſanguinis impedita oritur quoque aſthma convulſivum, ſyncope cardiaca, catarrhus ſuffocativus.

10. Uti ad circulum ſanguinis liberum multum contribuit reſpiratio & thoracis dilatatio & conſtrictio: ſic quando nervi reſpirationi inſervientes ſpaſmodice ſunt conſtricti & obſtructi, tollitur circulatio.

11. Sanguis non ſolum per vaſa, ſed etiam per minutiſſima anfractuoſa capillaria circulari & moveri debet, ubi facile in curſu ſuo ſiſti & impediri poteſt.

12. Multi & magni morbi ex circulatione ſanguinis per minutiſſima vaſa impedita oriuntur.

13. Ex circulatione ſanguinis per minima vaſcula impedita oriuntur tumores, ſcirrhi, inflammationes, exulcerationes, hæmorrhagiæ, ſuppreſſiones excretionum conſuetarum.

14. Inflammatio eſt tumor dolorificus cum calore, rubore ac pulſatione, ſæpe conjunctus febri.

15. In omni inflammatione adeſt obſtructio pororum & vaſculorum a materia viſcida, rigida.

16. Quando ſanguis in motu ſuo retrogrado impeditur & non circulatur per minima vaſcula, accidit, ut dum ipſi multum ſanguinis communicatur, tumor enaſcatur.

17. Quando materia ſubtilis libere partes obſtructas pertranſire nequit, vehementiſſime per vacua ſpatiola movetur, & hoc motu mire exagitat ſanguinis particulas, unde calor, rubor ac dolor ortum ſuum trahunt.

18. Pulſatio partis inflammatæ oritur, dum ſanguis impetu quodam propellitur ad partes, ad quas minus libere tranſire poteſt, hinc ſequitur arteriolas magis extendi, ſicque inſignem oriri diaſtolem, quam neceſſario debet comitari ſyſtole.

19. Sanguis in vaſis capillaribus & partium ſpatiolis hærens & ſtagnans coagulatur & in minori quantitate ſucceſſive inſenſibiliter evaneſcit & diſcutitur in contuſionibus, caſu ab alto &c.

20. Quando uberius colligitur ſanguis in minimis vaſculis ibique ſtagnat, doloris & caloris moleſtum producit ſenſum, donec ſenſim corruptus in pus vel ſaniem abeat, quorum prima mutatio vocatur inflammatio ſeu φλεγμονὴ, poſterior vero abſceſſus ſeu apoſtema.

21. Inflammationis cauſa utplurimum eſt ſal irregulare, lancinans & figura angulari præditum, quod fibras nerveas ac membranaceas moleſte vellicat, ſpaſmodice contrahit, venas coarctat capillares, ſicque circulationem ſanguinis ſufflaminat.

22. Sanguis ad motum circularem in minimis vaſculis ineptus redditur, quando ab acido quodam vitioſo ad coagulum pronus eſt, hinc in ſubitaneo frigore aut hauſtu frigido poſt nimium corporis motum & incaleſcentiam prompte inflammationes oriuntur.

23. Graviores contuſiones, arctæ partium compreſſiones, fracturæ, luxationes, nimiæ ligaturæ, atro-

ces dolores, frequentiſſime inflammationem cauſantur.

24. Quando faucium illa pars, quæ pharyngis & laryngis muſculos tam internos quam externos conſtituit, inflammatione corrigitur, dicitur angina.

25. Quando partes internæ thoracis & maxime pleura, quæ coſtas cingit, inflammantur, ibique ſanguis hæret extravaſatus, dicitur pleuritis, quando ſimul pulmones, morbus dicitur peripneumonia.

26. Non ſolum lateraliter affiicitur pleura, ſed ſimul muſculi intercoſtales interni & plerumque ſimul pulmonis pars in illo latere.

27. Frequentiſſimæ hæ ſunt inflammationes, quoniam ſanguis in pulmonibus alterationibus aeris eſt expoſitus, hinc ſanguis alteratus promptiſſime loca thoracis lateralia & alias ejus partes afficere poteſt.

28. Si inflammatur diaphragma, cui ordinario ſupervenire ſolet delirium, paraphrenitidis nomine venit morbus.

29. Plerumque ſanguis, qui e vena ſecta pleuriticorum & peripneumoniacorum emittitur, ſemigrumoſus & promptiſſime coagulabilis prodit, ſero ſupernante glutinoſo exiſtente.

30. Quando impeditur ſanguinis circulus in tunica oculi adnata, quæ copioſiſſimis vaſculis & arteriolis eſt inſtructa, tunc illa inflammatio dicitur ophthalmia.

31. Si in viſceribus v. gr. ventriculi ac inteſtinorum tunicis, hepate, renibus, utero, veſica, ſanguinis circulatio impeditur & in minimis vaſculis ac porulis corrumpitur, oriuntur pro diverſitate partium variæ inflammationes.

32. Non omnes inflammationes ſunt a ſanguine, ſed non raro a ſero acri, quæ leves ſunt, nec ſtipatæ tantis ſymptomatibus.

33. Si major ſanguinis in parte ſtaſis, corruptio & omnis refluxus impeditus eſt, gangræna oritur, quæ ſaltim ab inflammatione differt gradu, quando autem ſanguis penitus cadaveriſatur & pars omni influxu ſpirituum deſtituitur & mortificatur, tunc dicitur ſphacelus.

34. Quodcunque itaque profundiorem obſtructionem ſanguini in partibus cauſatur & illius circulum impedit, id gangrænam concitare quam promptiſſime poteſt v. g. magna contuſio, ſummum frigus, fortior ligatura, gravior dolor, ingens ambuſtio &c.

35. Si ſanguis extravaſatus corrumpitur & ſuppuratur in quadam corporis cavitate, empyema fit, a vomica diſtinctum, quæ eſt collectio puris in quodam viſcere, hinc ſi id colligitur in pulmone, vomica pulmonum, ſi in renibus, vomica renum audit.

36. A contuſione, vulnere, caſu ab alto, & graviori inflammatione facile empyema oriri ſolet.

37. Inflammatio ut plurimum præcedit ulcera, quod ſi enim penetrantia minus ſalia ſunt, inflammationes ſolæ oriuntur, ſi vero rigidiora & validiora illa fuerint, diſciſſiones ac dilacerationes fibrillarum fiunt, unde ulcera naſcuntur.

38. In ulceribus humores propter dilacerationem vaſculorum ac fibrillarum & hinc impeditam circulationem ſtagnant, aceſcunt, corrumpuntur & in pus vertuntur.

39. Pus non oritur ex præcipitatione ſanguinis beneficio acidi & alkali facta, ſed nihil aliud eſt, quam ſuccus nutritius oleoſus, ab acido ulceris fermento corruptus & albo imbutus colore, non ſecus ac oleum olivarum cum aceto vel ſolutione lithargyrii mixtum ac conquaſſatum album evadit.

40. Si pulmonum veſiculæ membranaceæ & minora vaſcula eroduntur a ſtagnante ſanguine acriori, oritur ulcus pulmonum.

41. Nimiæ ſanguinis effuſiones & hæmorrhagiæ ex æquilibrio ſanguineæ circulationis ſublato repeti quoque debent.

42. Quando ſanguis non æqualiter movetur per totum corpus, ſed ob partem obſtructam vel ſpaſmodice contractam non rite curſum ac iter ſuum abſolvere potis eſt, hinc regurgitat, majus affectat ſpatium, vaſcula minima & illorum orificia dilatat, ſic qua data porta erumpit.

43. Rara ſanguinis textura ad expanſionem nimiam apta ejuſque acrimonia præternaturalem hanc fluxionem auget.

44. Fundamentum omnes hæmorrhagiæ maxime pertinaces habent in vaſis obſtructis vel ſpaſmodice contractis, hinc ſanguis affectibus animi vel ab alia cauſa interna & externa nimium in motum excitatus & in motu ſuo circulari turbatus, per inſolitas vias non raro exitum affectat.

45. Hæmorrhagiis complicati ſæpiſſime ſunt dolores tenſivi in hypochondriis, flatulentæ primarum viarum contractiones, anxietates præcordiales, excrementorum, alvi ſuppreſſiones &c.

46. Adſtringentia & ſtyptica motumque ſanguinis retardantia intempeſtive adhibita non raro in ingens periculum ægros præcipitant, & hæmorrhagiam largiorem efficiunt.

47. Sanguis copioſus & rarus motu ejus inteſtino vel a bile acriori, vel a febre, inflammatione, affectibus inordinatis, ab uſu ſpirituoſorum nimis adaucto rareſit, majus affectat ſpatium, hinc diſtendit & expandit minima vaſorum orificia, ſicque p. n. fiunt ſanguinis effuſiones.

48. Si ſanguis nimium fluit per vaſa uteri, menſium fit nimius fluxus, ſi per arteriolas in narium tunica exiſtentes, vocatur hæmorrhagia narium, ſi vaſa ventriculi aperiuntur, fit vomitus cruentus, ſi apertio arteriæ pulmonalis, fit hæmoptyſis, ſi vaſa ad anum tendentia reſerantur, hæmorrhoidum fluxus, ſi vaſcula renalia nimis diſtenduntur, mictus cruentus exſurgit.

49. Sicut ab æquali & libero ſanguinis per tubulos corporis influxu ac refluxu dependent omnes ordinariæ & conſuetæ excretiones, nimirum ſudoris, urinæ, muci narium, ceruminis aurium, ſalivæ, menſium, hæmorrhoidum; ſic excretiones ſupprimuntur ab obſtructione vaſculorum minimorum & inde nata debiliore vel plane ceſſante ſanguinis circulatione.

50. Quando ſanguis craſſior redditus limoſitates in vaſculis minimis excretoriis ac glanduloſis deponit, ſupprimuntur inde excretiones ordinariæ.

51. Menſes pertinaciter ſubſiſtunt a polypoſa vaſorum uteri obſtructione.

52. Polypoſa ſanguinis & ſeri nutritii concretio in venis vel arteriis, turbando ſanguinis curſum, dyſpnœam, peripneumoniam, catarrhum ſuffocativum, ruptiones vaſorum, hæmoptyſin facillime cauſari poteſt.

53. Maculæ cutis rubicundæ, cœruleæ, flavæ, nigræ a læſa circulatione ſanguinis & facta ibi ſtagnatione ſanguinis oriuntur.

54. Quando adeſt ſanguinis abundantia, ita ut vaſa illum capere nequeant, impeditior ejus fit motus, ſtaſis, corruptio & magnorum morborum origo, ubi V. S. locum invenit.

CAPUT

CAPUT VI.

De morbis ex motu aut vitio lymphæ ac ſeri ortis.

Sicuti abundantia ſanguinis in venis & arteriis motum ejus ſufflaminare, ita quoque plenitudo lymphæ in vaſis lymphaticis ejus motum retardare & varios concitare morbos poteſt.

2. Si vaſa lymphatica turgent & diſtenta ſunt copioſa lympha, tardior ejus fit motus ac facilis ſtagnatio ruptioniſque periculum imminet.

3. A circulatione debita ipſius ſanguinis dependet etiam lymphæ motus, hinc quando tardior eſt evolutio ſanguinis per minima vaſa, tardus quoque exiſtit lymphæ motus.

4. Lympha inducens lentorem & coagulum, in anguſtiſſimis tubulis ac canaliculis ſtagnat, & quia materia tam contumax eſt, ut in pus converti non poſſit ob calorem continuo exſiccantem, tandem ita induratur, ut exinde fiat ſcirrhus.

5. Scirrhus non ſolum occupare ſolet partes externas, glandulas, ſed & internas, uterum, hepar, lienem.

6. Si glandulæ fiunt ſcirrhoſæ a materia corroſiva acida, tunc fit cancer, qui ſi exulceratur, incurabilis eſt.

7. Si partes ſeroſæ ſanguinis per minutiſſimos glandularum & fibrarum carnearum poros & tubulos non rite circulantur, ſed inibi ſtagnant ac vaſcula illa diſtendunt & ampliant, tunc oriuntur tumores, qui pro diverſitate partium varium ſortiuntur nomen, hinc tumor teſtium, mammarum, tonſillarum, parotides, rana ſublingualis, tumor pedum, glandularum, colli ſeu amygdalarum, inguinalium ortum ſuum trahunt.

8. Quando ſanguinis ſerum ſalſum per glandulas ſubcutaneas illarumque poros non rite circulatur, ſed ibi ſubſiſtit, tunc diſtenſionem, eroſionem ac ſuppurationem efficit, unde fit ſcabies.

9. Prout major vel minor acrimonia ſeri vel ſalſedo ipſius variat & ſerum magis vel minus particulis ſubſtantificis, chyloſis, nutritiis eſt imbutum, majores vel minores oriuntur puſtulæ fitque ſcabies vel ſicca vel humida.

10. Si ſerum nimis corroſivum & acidum eſt, & major partis cujuſdam eſt obſtructio, tunc oritur herpes.

11. Ex circulatione ſeri ſanguinei impedita per tenuiſſimos canaliculos oriuntur varia ſudamina, phlyctærtæ, ſirones, puſtulæ, variæ, gutta roſacea &c.

12. Gutta roſacea eſt rubor faciei tuberoſus ac puſtuloſus, interdum guttis ſanguineis ſimilis, naſum ſæpe inæqualiter ac valde augens.

13. Cauſa guttæ roſaceæ eſt ſerum ſanguinis ſalſum, craſſum, per faciei cutim diſperſum & in circulatione ſua impeditum, eroſionem ac tumorem efficiens.

14. Lepra eſt ſcabies conſummata & maligna, oritur identidem ab obſtructione & deſtructione tubulorum carneorum profunda a ſero vapeſcente acri.

15. Si ſerum abundat particulis ad mutum contactum & quietem aptis, quæque plures planas ſuperficies habent, facile in partibus membranoſis frigidis, uti in articulis, in renibus, ureteribus, veſica in gypſeam & lapideam duritiem concreſcere ſolent, unde tophi in arthritide, & calculus renum, veſicæ urinariæ & felleæ originem ſuam nanciſcuntur.

16. Omnes catarrhi ſive decubitus lymphæ fiunt ex circulatione impedita lymphæ, & quicquid motum retrogradum lymphæ impedit, id occaſionem catarrhis præbet.

17. Caput, quoniam infinitis glandulis & vaſis lymphaticis eſt obvium, frequentes catarrhales patitur affectus.

18. Inæqualitas aeris nimirum calidi in frigidum & contra frigidi in calidum defluxuum catarrhalium fœcunda mater eſt.

19. Non omnis catarrhalis affectus originem ſuam ducit ex capite juxta veterum ſententiam.

20. In pulmonibus & arteria aſpera innumera ſunt vaſa lymphatica, in quibus ſi motus lymphæ impeditur & hæc qualitate acri eſt imbuta, excitatur tuſſis, raucedo.

21. Si continua talis eſt effluxio & lympha ſcorbuticis acribus ſpiculis eſt imbuta, eroſio pulmonum & ipſa phthiſis creari poteſt.

22. Prout lympha magis craſſa eſt & viſcida, vel magis acris, tunc tuſſis, vel ſicca vel humida eſt.

23. Prout lympha ſalina, acri, maligna, & corroſiva qualitate eſt ſaturata, varia emergunt ulcera mali & boni moris, fiſtulæ, carcinomata, cancri &c.

24. Si vaſcula lymphatica nimis ſunt diſtenta, aperta vel eroſa, magnaque quantitas lymphæ profunditur, hinc ptyaliſmus, in viris gonorrhæa, in mulieribus fluor albus originem ſuam petunt.

25. Vaſa lactea, quæ nil niſi vaſa ſunt lymphatica, ſi vel in principio, nimirum cruſta villoſa inteſtinorum, vel in medio, uti in vicinia glandularum meſeraicarum ſunt obſtructa, ita ut chylus circulari ac evolvi non poſſit, tunc oritur atrophia & diarrhæa chyloſa, quæ maxime locum habet in ipſis infantibus.

26. Omnia viſcera & omnes corporis partes ſolidæ, maxime ubi magna adeſt nutritio, gaudent vaſis lymphaticis, quæ ſuperfluam a nutritione lympham revehere debent, hæc ſi ſunt obſtructa, ut ſuo fungi officio non poſſint, magnus fit ſeri in ipſis partibus decubitus, hinc tumores, dolores partium internarum & externarum oriuntur.

27. Si ex vitio circulationis ſanguinis tardioris propter viſciditates copioſas, balſamicas & ſulphureas depreſſas lympha non circulatur & revehitur, ſerumque ſanguineum in partibus ſtagnat, illaſque diſtendit, oritur tumor quaſi univerſalis, qui anaſarca dicitur ſeu leucophlegmatia.

28. Hydrops aſcites dicitur, quando extravaſatio lymphæ & collectio ipſius fit in cavitate abdominis a ruptione vaſorum lymphaticorum.

29. Obſtructis vaſis lymphaticis novo continuo ſero accedente ampliantur illa & intumeſcunt, & quoniam ob valvularum ſitum non retrogradi lympha poteſt, fiunt hydatides ſeu magnæ veſicæ, a quibus ruptis magna lymphæ fit extravaſatio, hinc ſubito hydrops oriri poteſt.

30. A loco collectionis diverſo hydrops varia ſortitur nomina, ſi in abdomine fit extravaſatio, fit aſcites, ſi in capite, hydrocephalus, in ſcroto, hydrocele, in pectore, hydrops thoracis; præter has ſpecies obſervatus adhuc eſt hydrops uteri, tubarum uteri, ovarii, pericardii.

31. Hydrops frequenter tumores ſcirrhoſos, ganglia, tubercula & meſenterii, uteri, lienis, hepatis, &c. obſtructiones ſubſequitur.

32. In cadaveribus hydropicis diſſectis frequentiſſime obſervatæ fuerunt magnæ veſicæ.

33. A circulatione lymphæ impedita in partibus & chyli ex ventriculo in ipſum ſanguinem dependent omnia hydropicis obvenire ſolita ſymptomata, nimirum, acrimonia ſanguinis, & ob hanc eroſio partium,

C 3 atrophiæ

atrophiæ partium ſuperiorum, urina intenſe rubicunda, ſitis, calor p. n. pulſus frequens etc.

34. Serum extravaſatum, ſi leniter igne conquaſſatur, concreſcit in albuminis ovorum ſubſtantiam, indicio, partes nutritias chyloſas ibi deponi, nec tranſire in ſanguinem & ad ipſas partes.

35. Quod a lymphæ motu retrogrado per venas & vaſa lymphatica impedita extravaſatio ſeri & per conſequens hydrops oriatur, evincit *Lowerus* experimento; ſi enim in vivo cane vena cava ſuper diaphragma ligetur, canis in abdomine magna quantitate ſeri collecta morietur hydropicus, eodem modo ligatis in cane venis jugularibus tota capitis regio intumeſcit & fit hydrocephalus; quæcunque enim magnam coagulationem lymphæ inducunt & circulationem ejus ut & ſanguinis imminuunt, cauſam antecedentis hydropis inſtituunt.

36. Tympanites non eſt ſingularis hydropis ſpecies, ſed potius tumor eſt flatulentus ortus ab obſtructione pororum in inteſtinis, meſenterio, pancreate, ventriculo, hinc cum vapores & effluvia primarum viarum non rite hos poros partium ſubire & tranſire poſſunt, mirum in modum has partes diſtendunt & expandunt, ut pulſæ tympani ſonum edant.

37. Cachexia ſeu nutritio partium depravata ex circulatione ſeri nutritii per minima vaſcula ſuppreſſa & obſtructa oritur.

38. Quando non rite ſanguis aſſimilatur, chylus & excrementitiæ particulæ viſcidæ non rite ſegregantur, fiunt obſtructiones in venis capillaribus, & ob particulas balſamicas deficientes oritur depravata corporis nutritio ſeu cachexia.

39. Cachexia ſcorbutica fundamentum pene eſt omnium morborum chronicorum; dicitur ſcorbutica, quoniam propter obſtructionem vaſculorum minimorum in viſceribus ſanguinis depurationi inſervientibus excrementa ſalina in fluoribus noſtris remanent, & inſignes tragœdias ludunt.

CAPUT VII.

De morbis ex vitio & motu impedito ſpirituum animalium ortis.

QUemadmodum ad actiones vitales in partibus celebrandas laudabilis & proportionatus ſpirituum animalium influxus requiritur, ſic illo ceſſante vel præpedito actionum illarum abolitio fit.

2. Spiritus animales per cerebrum, ſpinalem medullam & nervos & ex illis contextas tenuiſſimas fibrillas & membranas in ſtatu naturali æqualiter moventur: Si autem illorum motus extra ordinem fit, vel minuitur, vel plane aboletur, morbi oriuntur graviſſimi.

3. In apoplexia, quæ eſt ſenſuum tam externorum quam internorum extinctio & motus voluntarii abolitio & deſtructio, fluidi nervei ſeu ſpirituum ſic dictorum animalium per cerebrum motus plane interceptus eſt.

4. In cadaveribus apoplecticis ſectis extravaſatus & congrumatus ſanguis vel coagulum ſeri obſervatur, hinc apoplexia eſt vel ſanguinea vel pituitoſa.

5. Opiata, fumi carbonum, particulæ fulminis & omnia vaporoſa, narcotica, ſpirituum animalium craſin vitiando ad apoplexiam & ſtuporem diſponere ſolent.

6. Sanguinis motus ad cerebrum deficiens vel obſtructione exiſtente in carotidibus vel cordis motu ceſſante omnis motus & ſenſus perit, itidem accidit a fortiori ligatura arteriarum carotidum.

7. A corporibus polypoſis ſinus cerebri opilantibus obſervata ſæpius fuit apoplexia.

8. Apoplexia eſt quaſi paralyſis univerſalis, paralyſis autem apoplexia particularis.

9. Paralyſis ſedes eſt ipſa ſpinalis medulla, quæ in dextram & ſiniſtram partem divaricata eſt, & ſi in una parte obſtructio fit, oritur hemiplexia ſeu paralyſis dextri aut ſiniſtri lateris.

10. Paralyſis eſt vel perfecta vel imperfecta, in perfecta & motus & ſenſus læduntur, in imperfecta imminuuntur tantum.

11. Apoplexia & paralyſis non ſemper fiunt ex obſtructione tubulorum ſpirituum animalium influxum ſufflaminante, ſed ſæpiſſime a ſpaſmodica contractione membranarum medullam ſpinalem inveſtientium, unde fortiori conſtrictione tubulorum motus ſpirituum animalium ad partes intercipitur & talis paralyſis non tam periculoſa eſt quam illa, quæ fit ab obſtructione.

12. Lethargus, coma, carus omneſque ſoporoſi affectus ab obſtructione cerebri & influxu ſpirituum animalium impedito oriuntur.

13. Plerumque in affectibus ſoporoſis facta ſectione cortex cerebri ſero obrutus deprehenditur.

14. Cerebri meatuum ac tubulorum laxior facta diſpoſitio ſerum corporis viſcidum facile admittit, maxime ſi vel febre vel alio ſanguinis fortiori motu, v. gr. intempeſtivo ſudorum, balneorum uſu in motum cieatur, ut anguſta cerebri vaſcula ingredi poſſit.

15. Affectus ſoporoſi poros & tubulos cerebri invertunt ac deſtruunt, & ſemper ferme debilitatem cerebro inducunt ac memoriam auferunt.

16. Si cum febre ſomnus profundus irruit, dicitur lethargus.

17. Si in ſomno ſpirituum ad thoracis muſculos influxus quodammodo inhibetur, reſpiratio fit difficilis propter impeditam circulationem ſanguinis, hinc oritur anxietas circa præcordia cum ſenſu ponderis thoracem incumbentis & ſuffocationis metu, & hic affectus dicitur Incubus.

18. Coma eſt vel vigil vel ſomnolentum, & ſomnolentum & carus ſunt unum idemque: vigil eſt nimia in ſomnum propenſio, ſed cum dormiendi impotentia, & fit a muco tubulos cerebri obſtruente, propter acredinem vero continuo irritante.

19. Coma vigil oritur etiam ex nimia debilitate ſpirituum, tubulorum moleſta irritatione, & in morbis diuturnis, in febribus malignis, nimiis doloribus & immodicis evacuationibus locum habet.

20. Catalepſis eſt ſoporoſus affectus ortus ex ſublato commercio mentis cum corpore propter defectum ſpirituum animalium in corpore calloſo & centro ovali, ubi ſenſorium commune poni debet, exiſtentium.

21. Si ſenſorium commune ſpiritibus animalibus eſt deſtitutum, mens impreſſiones factas externas in ſenſorio nec percipere, nec ſpiritus determinare poteſt ad certos motus edendos in partibus.

22. Prout corporis iſtius calloſi major eſt obſtructio, eo graviora exiſtunt ſymptomata & morbus periculoſior eſt.

23. Sæpe accidit propter nimios & inordinatos ſpirituum animalium motus in affectibus intempeſtivis ſenſorium commune ſpaſmodice contrahi, ſicque quaſi ad tempus ſpirituum animalium influxum impediri, & tunc fit catalepſis levior & imperfecta minuſque periculoſa.

24. Ad catalepſin referenda eſt ἔκςασις, quæ vel theologica vel medica, in illa mens abſtrahitur a corpore per immediatas quaſdam divinas impreſſiones ac ſpeculationes, hæc autem nil niſi catalepſis eſt, quæ etiam mediate & remote ex nimia triſtitia, mœrore animi vel nimio gaudio ab audito verbo divino excitari poteſt.

25. In

25. In catalepſi non eſt juxta Veteres congelatio ſeu coagulatio ſpirituum animalium.

26. Quemadmodum ſomnus p. n. ex nimia pororum cerebri ſubſidentia & motu ſpirituum animalium lentiori ortum ſuum habet: ſic nimiæ vigiliæ ab illorum tubulorum p. n. apertione & concitato ſpirituum animalium motu exſurgunt.

27. Sulphur & aqua ſunt ſomni materiale principium, ſulphur ramoſum ac vaporoſum nimis inviſcans & copioſum compedibus ſuis ſpiritus irretiens, νάρκωσιν inducit.

28. Placidus ſomnus ordinatum ſpirituum motum, lympham roſcidam blandam requirit, hinc quodcunque ſpiritibus inordinatum introducit motum & roſcidum blandum humidum abſumit, vel illud acre reddit, pervigilium excitare poteſt.

29. Cerebrum & totum nervorum ſyſtema temperatum eſſe debet, nec nimis ſiccum nec nimis humidum; ſi temperies hæc læditur, ſtatim imbecillitas & morbus nervorum præſto eſt.

30. Si circulatio & motus rectilineus ſpirituum animalium per cerebri tubulos impeditur & propter obſtructos poros vorticoſo motu agitantur ſpiritus, objecta ſimili cieri motu apparent menti juxta conſuetudinem judicanti, ſicque fit vertigo.

31. Quoniam omnis motus eſt rectilineus, & ſi a linea deflectit, fit circularis & ellipticus; quare ſpiritus animales, cum motum ſuum rectum in nervorum tubulis obſtructis ſervare nequeant, neceſſario reflectuntur & tandem in orbem aguntur ac inde radiationes ſpirituum, quæ proveniunt a veſtigiis cerebro impreſſis & omnes externæ imagines animæ rotantes exhibentur.

32. Senſus noſtros falli poſſe & illos nos quoque fallere, vertiginis natura abunde docet.

33. Humorum craſſities vel ſpirituum nimia denſitas cauſa vertiginis eſſe poteſt.

34. Uti ratio humana, ſic quoque ipſius abſentia ſeu delirium ex vinculo, quod menti cum corpore intercedit, optime explicari poteſt.

35. Recta hominis ratio conſiſtit in hoc, ut mens ſeu anima ideas objectorum cerebro inſcriptas ad ideas connatas menti inſculptas dirigat, conferat, & ratio nil niſi additio & ſubtractio eſt, donec inveniatur æquilibrium & proportio idearum influentium externarum cum ideis inſitis primis, hinc ratio mere algebraica & ſtatica eſt.

36. Mens ſeu anima non agere & recte cogitare ſeu proportionem & æquilibrium invenire poteſt, niſi mediante ſpirituum animalium, non modo laudabili temperie, verum etiam æquabili & moderato motu gaudentium, quibus ſenſorium commune, quod in centro ovali ſtatuimus, ſit inſtructum.

37. Qualis eſt ſpirituum & humorum motus ac temperies in corpore, tales etiam in mente fiunt inclinationes & cogitationes; ſic furibundus motus ſpirituum furioſas celerrimas efficit cogitationes, lentior autem & tardus timidas, triſtes & meticuloſas in mente producit cogitationes.

38. Imaginatio nihil aliud eſt quam idearum, quæ ab objectis externis ſenſibus communicantur, in fibrillas ac porulos cerebri impreſſio.

39. Qualis itaque eſt cerebri conſtitutio, talis quoque eſt impreſſio & imaginatio; hinc qui cerebrum molle & laxum habent, in illis vis imaginationis viget & memoria optima, qui autem cerebro præditi ſunt craſſiori & ſolidiori, in illis difficulter imprimuntur veſtigia, aſt diutius tunc retinentur.

40. Mens inſtructa conſortio ſpirituum animalium in ſenſorio communi, ideas vel extrinſece advenientes a ſenſibus vel cerebro inſculptas perſpicit illaſque diſtinguit & recte connectit, vel ſimiles addendo vel diſſimiles ſubtrahendo, ſic enaſcitur ratiocinatio & mens ſana eſt.

41. Quando autem illæ ideæ cerebro inſculptæ propter apertos cerebri poros a cauſa interna involuntaria excitantur, non autem a mente, quæ vel deſtituta eſt ſpirituum animalium laudabili quantitate, uti in ſomno, vel motu illo p. n. inverſo, ut in morboſis conſtitutionibus, tunc oritur ratio perverſa ſive delirium, quod nil niſi imaginatio fortior eſt, a directorio rationis aliena.

42. Delirium ſeu ratio perverſa in cogitatis & dictis fit, quando animæ ideo non reſpondent illis veſtigiis idearum cerebro impreſſis, ſed quando hæ dominium habent in illas.

43. Motus externi a ſenſoriis excitati ſpirituum animalium beneficio, illorum radiatione ad cerebrum delati ibi veſtigia ſeu characteres relinquunt.

44. Quando a cauſa vel interna relicta hæc veſtigia denuo aperiuntur, ideæ earum rerum neceſſario redeunt ad mentem.

45. In inſomniis profundiora & familiariora veſtigia facilius aperiuntur, hinc ideæ poris cerebri inſcriptæ, cum ob confuſionem & copiam a mente in ſenſorio communi ſpiritibus animalibus deſtituto tempore ſomni non dijudicari & diſtingui poſſint, confuſas tales inſtituunt comœdias, quæ dicuntur inſomnia.

46. Deliria ſunt inſomnia vigilantium.

47. Quando anima ſe ad nihil determinans per ſe ſequitur ſaltim ſegniter ideas cerebri veſtigiis impreſſas vel denuo apertas fit phantaſma, ſive vigilemus ſive dormiamus.

48. Delirium eſt vel melancholicum vel maniacum, utrumque ſine febre, illud cum triſtitia & metu ſine cauſa manifeſta, hoc cum furore & audacia conjunctum.

49. In melancholicis ſpiritus obſcuriores fixi & quaſi ad acetoſam naturam accedentes, ſtabiles ac fixas non ſolum ideas in cerebri poris relinquunt, ſed & prompte aperiunt veſtigia ſimilia nim. idearum triſtitiæ, terroris, metus &c.

50. In maniacis ſpiritus magis ſunt ſulphurei, furibundi magiſque actuoſi, hinc ideas in cerebro ponunt fluxiles & veſtigia ipſis ſimilia aperiunt.

51. Dum veſtigiis illis, quæ a ſpiritibus aperiuntur, tota mens inhæret nec perceptione extremorum vacat, perverſum enaſcitur judicium.

52. Mania in melancholiam & vice verſa melancholia in maniam facile tranſire poteſt, quoniam in utroque affectu conſtitutio pororum cerebri vitiata eſt, ſpiritus autem acetoſi fixi facile naturam igneam & ſulphuream induere & vehementiſſimo motu excitari poſſunt & contra.

53. Ἀρτόχειρες plerumque vitio phantaſiæ laborant & melancholici magis ſuffocatione ac ſtrangulatione, maniaci autem gladio vel præcipitatione fatalem ſibi diem accerſunt.

54. Plures adhuc dantur cognitioni Medici occulti morbi & affectus phantaſiæ.

55. A motu inordinato ſpirituum in febribus ardentibus, a nimia ebrietate in phrenitide, a morſu canis rabidi in hydrophobia veſtigia idearum cerebri præter noſtram voluntatem facile aperiri poſſunt.

56. Senſus externi actiones mixtæ ſunt nimirum corporis & mentis, corporis quatenus idearum impreſſiones fiunt in cerebro, mentis, quatenus a mente illæ ideæ dijudicantur: hinc ſenſus proprie dicti non cadunt in bruta.

57. Uti ad ſenſum externum efficiendum requiritur non ſolum apta organi diſpoſitio, verum etiam debitus ſpirituum animalium influxus, quo organon illud animari non poſſit & motiones ac paſſiones externæ factæ ab objectis mediantibus ſpiritibus ad ſenſorium com-

commune transferri; ſic ſenſuum illorum abolitio vel exſtinctio fit vitio vel in organo vel in motu ſpirituum exiſtente.

58. Si ſpirituum animalium influxus per nervos opticos illis vel obſtructis vel compreſſis ſufflaminatur, fit cœcitas, dicta gutta ſerena.

59. Cætera omnia oculorum vitia dependent a tunicarum, humorum, ſpirituum & nervi optici aliorumque vaſorum vitio.

60. Quando humores nimis craſſi fiunt & diaphaneitatem amittunt, tunc viſus imbecillitas oritur.

61. Particulæ ramoſæ terreſtres limoſæ ſi innatant humori aqueo vel vitreo, ſuffuſio ſpuria fit, & muſcæ, inſecta conſpiciuntur in aere volitantia: ſi autem copioſæ fiunt hæ irregulares opacæ atomi & congrediuntur, tunicam ſolidam conſtituunt ſicque fit cataracta.

62. A poris arteriolarum, quæ oculorum humores reſtituunt, nimium apertis ſuffuſio facile fieri poteſt.

63. Surditas fit ab obſtructione nervi acuſtici: item poſt febres acutas, morbum hungaricum, caſum ab alto, contuſionem.

64. Tympani membrana laxa nimis & flaccida ac tenſionem debitam amittens, quod fit a ſero, vehementiori madore & humiditate nimia vel ab improviſe inſtillatis medicamentis vel ab aere pluvioſo ac nebuloſo auditum reddit difficilem.

65. Quando hæc tympani membrana ſpaſmodice nimis tenditur vel in affectu hypochondriaco flatulento vel a nimio dolore capitis in febribus, ſoni acuti non ſolum intolerabiles redduntur, verum etiam tinnitus & ſurditas in auribus excitatur.

66. Si tympanum craſſeſcit, rumpitur vel perforatur & exulceratur, graviſſime quoque læditur auditus.

67. Quando meatus auditorius a cerumine nimis tenaci inſpiſſato obturatur, auditus impeditur.

68. Cerumen auris ad coagulationem & lapideſcentiam gypſeam aptum eſſe, teſtantur obſervationes.

69. Aphonia non modo ab obſtructis nervis ad linguam tendentibus, verum etiam recurrentibus fit, ſi catarrhis obſidentur, quod ſæpe fit in infantibus.

70. Si canibus nervi recurrentes abſcinduntur, non amplius poſſunt latrare.

71. Sapor tollitur vel immutatur a papillulis nerveis in lingua deſinentibus ab amurca viſcida obſtructis, quod fit in calore p. n. &c.

72. Sapor maximam partem dependet ab odore, hinc naribus obſtructis in coryza vel obturatis illis nullus ſpecificus & accuratus ſapor percipitur.

73. Quod ſi proceſſus mammillares vel tunica internas nares veſtiens a ſordibus pituitoſis obſtructa impedit ſpirituum influentiam, odor perit.

74. Quemadmodum ad excretiones naturales tonus partium naturalis requiritur, qui fit a debito & moderato ſpirituum influxu, ſic ſi influxus ille deficit vel ceſſat, fibræ partium laxæ ac flexiles fiunt, tonus & robur partium dejicitur & ſic nimiæ & involuntariæ fiunt excretiones.

75. Quando ſphincter alvi & urinæ ſpirituum animalium influxu deſtituitur, nimia debilitas & laxitas inducitur, ſicque involuntaria urinæ & alvi excretio fit.

76. Si pori cutis & vaſcula ſudoris ob denegatum ſpirituum influxum nimis laxantur, ſudor copioſus & colliquativus fit: ſi autem ſpaſmodice contrahuntur ob nimium & inordinatum illorum influxum, ſuppreſſio ſudoris contumax exſurgit.

77. Ab ureterum, veſicæ, inteſtinorum, uteri ſpaſmodica contractione pertinaciſſimæ fiunt ſuppreſſiones urinæ, alvi excrementorum & menſium fluxus.

78. Virilis potentia & membri erectio potiſſimum dependet a ſufficienti & laudabili ſpirituum animalium in corpus penis nervoſum influxu, qui ſi ceſſat, impotentia oritur.

79. Quando copioſius ſpiritus animales in partes muſculoſas ac nerveas membri virilis influunt, tunc illæ inflantur, diſtenduntur & majus ſpatium occupant, quando autem illi ceſſant, tunc labaſcunt & in arctius ſpatium coguntur illæ ipſæ partes.

80. Convulſiones, ſpaſmi, concitatiores & inordinati ſunt ſpirituum in nervis & muſculis motus, qui ſenſorii communis determinationi, ut par eſt, non obtemperant.

81. Convulſiones a plicaturis valvularum in nervis exiſtentium oriuntur, quæ ſi violento motu a ſpiritibus rumpuntur, illius violenter ſubtilia nervorum filamenta perrumpunt & ingentes dolores ac ſpaſmos pariunt; Si hæ plicæ nulla arte iterum contrahi poſſunt, lethales fiunt convulſiones.

82. Validiorem fibrarum ac nervorum concuſſionem ac vellicationem ab acribus humoribus productam ſubſequi ſolent motus ſpaſmodici, conſtrictivi ac dolorifici, dum enim fibræ ita tenduntur ac premuntur, placidus ſpirituum motus turbatur, & irregularis, inordinatus & concitatior fit.

83. Omnes dolores convulſivi & ſpaſmodici aliquid in ſe habent; excitatur, ſi ex fibrarum lancinatione, ab humorum acredine orta, triſtis ac moleſtus in mente ſenſus ob turbatum ſpirituum motum.

84. Uti in omni ſenſu preſſionis quædam ſpecies concipienda eſt, ſic quoque in doloribus fibrillarum, tenſione ac preſſione ſpiritus ad motum concitatiorem ac inordinatum perficiendum incitantur ac impelluntur.

85. Omnis dolor fit vel ab obſtructione vel diſtenſione, & conſequenti partium vicinarum membranacearum ac nervearum preſſione, vel a particulis rigidis, irregularibus ſalinis, vellicantibus ac lancinantibus contextum fibroſum ac nerveum.

86. Quo ſalia ſunt magis rigida, acria, fixa vel volatilia & ſubtiliora & prout pars magis vel minus ſubtilioribus membranis ac fibris eſt inſtructa, eo variat ipſe dolor & eſt vel gravativus, ſcindens, pungens, tenſivus, oſteocopus & pulſatorius.

87. *Gravativus* fit a craſſis humoribus, *tenſivus* a flatulentis vaporibus, *ſcindens* ab acido, *pungens* ab alkali, ὀστεόκοπος ab humore acri perioſtium & fibras medullares vel oſſeas vellicante; *pulſatorius* ob vicinam arteriam in membrana inflammata.

88. Ob concitatiorem ſpirituum animalium in doloribus vehementioribus motum non ſolum febris accendi, ſed & delirium excitari poteſt.

89. In omni dolore conſtrictio ac contractio quædam eſt partium nervoſarum; hinc in doloribus atrocibus evacuationes ſupprimi ſolent, nimirum alvi, urinæ, ſudoris, ſanguinis.

90. Si vaſa minutiſſima capitis vel interna vel externa in membrana obſtruuntur a particulis inæqualibus, exiles vaſorum meatus tranſgredi neſcientibus, diſtenſio, partium vicinarum preſſio & conſequenter dolor capitis exſurgit.

91. In dolore capitis magis externæ membranæ & pericranium affectum eſt quam internæ ſive meninges.

92. Quoniam pericranium oculorum orbitam cingit, dolores etiam capitis externi eo pertingunt.

93. Hemicrania fit, dum ex una parte capitis, obſtructis minimis venis & arteriis, in alteram partem ſanguis majori cum impetu ruit, diſtenditque vaſa, ſicque dolorem efficit.

94. Quod-

94. Quodcunque itaque ſanguinem particulis pluribus viſcidis, inæqualibus, rigidis onuſtum in inteſtinum & rapidiſſimum motum concitare ſolet, uti omnes febres, ſpirituoſa largius aſſumpta, ebrietas, vaporoſa, id graves capitis dolores excitare valet.

95. In notabilioris ſanguinis impetuoſitate & difficiles reſpirationes & capitis dolores frequentiſſime obtingunt.

96. Si crudus chylus, id eſt, non ſatis diviſus in parvos globulos cum reliquo ſanguine ad caput defertur, veniens ad venarum anguſtiores extremitates hinc particulis non reſpondentibus motui & poris, particulæ ibi hærent & a ſubſequente arterioſo ſanguine hi in exiles illos meatus impelluntur, hinc obſtructio, diſtenſio & dolor oritur.

97. Hypochondriacis & illis qui ventriculi imbecillitate ac vaſorum impuritate laborant, capitis dolores frequentes ſunt.

98. Si diſtenduntur vaſcula & particulæ rigidiores ſalinæ hærent in perioſtio, panaricium & graviſſimi dolores partium oriuntur; ſi in nervea membrana meatum auditorium cingente, tunc crudeliſſimus auris dolor fit; ſi in membrana nervea radices dentium inveſtiente, atrox odontalgia; ſi in articulis pedum, podagra, in manibus, chiragra; ſi in oſſe coxendicis, iſchiadicus; ſi in ureteribus & illorum principio, dolor nephriticus; ſi in orificio ſuperiori vel inferiori, ventriculi cardialgia; ſi inteſtinorum Ilei vel oculi membrana, paſſio iliaca & colica ortum ſuum habent.

99. Diſtinctio inter motum convulſivum & convulſionem nulla eſt, cum nulla detur convulſio, quæ non ſit motus convulſivus & contra.

100. Omnes convulſiones ſunt dolorificæ, hinc epileptici poſt paroxyſmum conqueruntur de doloribus totius corporis, & tunc carnes dolent ac ſi fuſtibus eſſent exceptæ.

101. Convulſio eſt vel univerſalis vel particularis; convulſio univerſalis eſt, quando totum ſyſtema nervoſum convellitur ac contrahitur, & dicitur epilepſia: particularis autem dicitur κατ᾽ ἐξοχὴν motus convulſivus ſeu ſpaſmodicus.

102. Nervi conſtant ex infinitis filamentis, quæ porulos ac tubulos relinquunt, qui inter ſe ſunt æquales & uniformes, per hos ſi circulantur æqualiter ſpiritus, tunc anima eſt quieta & motus ſpirituum eſt placidus; ſi autem ordo ac ſitus filamentorum tenuiſſimorum turbatur, inæqualitas etiam tubulorum exſurgit; hinc aliqui majores & ampliores, nonnulli autem minores & anguſtiores fiunt, ſicque inæqualis quoque fit motus & æquilibrium ſpirituum animalium tollitur, dum per poros apertos & majores nervorum rapidiſſimo motu influunt, ſicque partes nervoſas & muſculoſas plus juſto inflant, diſtendunt, abbreviant & contrahunt.

103. A punctione & vellicatione violenta fibrillarum ſitus & ordo in ipſis nervis mutatur, ſicque inordinatus ac inæqualis ſpirituum animalium influxus inordinate contrahens partes muſculoſas ſuſcitatur.

104. In epilepſia inæqualis quoque eſt influxus ſpirituum animalium per totum ſyſtema nervoſum, dum in ipſa medullari ſubſtantia & principio nervorum obſtructio ingens fibrillarum cerebri, quoad unam partem fieri debet, hinc per alteros poros apertos eo rapidius & vehementius influunt ſpiritus animales, ſicque univerſalis partium fit convulſio.

105. Conſtitutio cerebri humida & pituitoſa ad epilepſiæ generationem contribuere multum ſolet.

106. Quo obſtructio in cerebro eſt pertinacior, diuturnior ſeu magis habitualis, eo curatu difficilior eſt epilepſia.

107. Quando corpori humoribus pituitoſis viſcidis onuſto motus vehementior introducitur v. gr. per affectus animi, per morbos, per ebullitiones, variolas, nimios dolores, humores hi pituitoſi facile anguſtæ mollique glandularum fibrarumque cerebri fabricæ vim inferre poſſunt, dum majori impetu intruduntur ac impelluntur in minutiſſimos illarum poros, ubi obſtructionem pariunt.

108. Palpitatio cordis fit a præternaturali muſculi cordis conſtrictione, dum ſanguis ob acredinem ſalinam viſcidam cor immediate convellit.

109. Plerumque poſt paſtum palpitatio cordis ingraveſcit, prout nimirum chylus a nova fermentatione acrior ac ſalſior accedit, preſſioque major tunc efficitur.

110. Polypum in cadaveribus palpitatione cordis emortuis repertum potius hujus concuſſionis productum & effectum quam cauſam cenſemus, quoniam a particulis ramoſis, terreſtribus, ibidem præcipitatis faciles concretiones in ramis proximarum venarum contingere poſſunt.

111. Syncope non modo a motu inteſtino ſanguinis ceſſante, verum etiam ab influxu ſpirituum animalium deficiente in cor deducenda eſt, uti id liquet ex inordinatis animi affectibus, morbis ſpirituum, malignis & venenatis.

112. Ex validiori fibrarum uteri concuſſione ſeu convulſione abortus oriri ſolet, quem diarrhœæ, hæmorrhoides, purgantia, dolores & vicinarum utero partium irritationes ac inordinati ſpirituum per affectus intempeſtivos motus cauſari ſolent.

113. Abortus fieri nequit, niſi ipſe uteri fundus violenter convellatur, hinc purgantia & alia abortum provocantia ſpecifica non facile abortum procurare poſſunt, niſi diſpoſitio uteri ſit ad talem contracturam ſpaſmodicam.

114. Singultus eſt violenta aeris impulſio ſuſcitata a convulſione diaphragmatis & violento ejus deſcenſu.

115. Cauſa ſingultus utplurimum latitat in ventriculo, qui propter conſenſum afficit diaphragma.

116. Sternutatio eſt violenta aeris expulſio ſeu exſpiratio a convulſione diaphragmatis orta ob conſenſum membranæ narium nimium irritatæ.

CAPUT VIII.

De morbis ex vitio primarum viarum ortis.

Sub primis viis comprehenduntur œſophagus, ventriculus, inteſtina cum pancreate, meſenterio, hepate, bile & illis annexis vaſis.

2. Quemadmodum ad alimentorum ſolutionem debitam & digeſtionem bonam requiritur ſaliva temperata ſeu menſtruum ſalivale non nimis ſalſum nec acidum, tenue dilutum ſed temperatum, activum tamen; deinde calor naturalis ab influxu ſanguinis debito dependens & tandem robur & tonus ventriculi ab æquali ſpirituum animalium in ventriculum & inteſtina influxu exſurgens: ſic digeſtio depravata ex vitio horum reſultat.

3. Actio ventriculi eſt ſyſtematica & dependet a totius machinæ conſtitutione, hinc ſi craſis & motus vel ſanguinis, lymphæ aut ſpirituum animalium vitiatus eſt, appetitus & digeſtio ſtatim vacillant.

4. Quando ſaliva, quæ verum menſtruum ventriculi eſt, nimis acida exiſtit, nimia fit appetentia multæque cruditates generantur acidæ & viſcidæ; & quando nimis appetitus urget, morbus dicitur fames canina, quæ ſi cum deſiderio rerum inſuetarum & vitio phantaſiæ conjuncta eſt, nuncupatur Pica.

5. Si fermentum ventriculi nimis tenax & viſcidum eſt, & calor imbecillis, anorexia ſeu inappetentia cum nauſea conjuncta & intemperies ventriculi frigida exſurgit & cruditas pituitoſa; ſi autem ſaliva nimis ſalſa & bilioſa eſt, cruditas dicta nidoroſa conjuncta cum ructu putrido oritur.

6. Vomitus eſt periſtalticus ventriculi motus inverſus a violenta conſtrictione ejus orificiorum ortus & productus ab humore quodam acri irritante.

7. Nauſea eſt vomitus intentatus & quaſi in fieri & oritur a contractione & ſtrictura quadam p. n. ventriculi & ipſius œſophagi.

8. Vomitus diuturnus creberrime obſtructione quadam graviori in primis viis exiſtente ſuſtentatur.

9. Quando perſpiratio effluviorum ex digeſtione natorum per inteſtina propter occluſos illorum poros inhibetur, fiunt flatus, qui mirum diſtendunt tunicarum inteſtinalium fibrillas, & ſic oritur dolor, qui dicitur colica.

10. In colica non ſolum inteſtina craſſa, ſed & tenuia affecta ſunt.

11. In dolore colico peccat etiam humor acidus, acris, bilioſus, mordax; fibras inteſtinales convellens & contorquens, hinc effluvia intus contenta inteſtina & abdomen dolorifice diſtendunt.

12. Alvi conſtipatio, vomitus, tormina, item diarrhœa colicæ juncta indicant ſpaſmodicam contractionem.

13. Si motus periſtalticus inteſtinorum pervertitur propter nimiam convulſionem, ita ut fœces alvi per vomitum rejiciantur cum maximo ventris dolore, & alvi conſtipatione, tunc morbus dicitur paſſio Iliaca.

14. Quodcunque eſt colica in inteſtinis, illud eſt cardialgia in ſuperiori vel inferiori ventriculi orificio nerveo.

15. Sedes cardialgiæ non tantum eſt orificium ventriculi ſuperius, ſed & inferius propter diverſorum ibi humorum factum concurſum.

16. Alvi obſtructio a bilis inertia, vel acido terreo conſtringente, vel a fibris inteſtinalibus ſpaſmodice contractis oritur.

17. Diarrhœa eſt variorum liquidorum humorum per alvum excretio a continua glandularum & fibrarum inteſtinalium irritatione, facta a ſale acri cauſtico.

18. Tranſpiratio prohibita, aer nimis calidus, purgantium, acrium ſalinorum, fermenteſcibilium abuſus, depravata digeſtio acredinem bili & humoribus communicando, & tonum inteſtinorum labefactando diarrhæam promptiſſime inducere poſſunt.

19. In dolore inteſtinorum, diarrhæa, colica, non irritatio ſemper eſt ab humore in inteſtinorum cavitate ſtabulante, ſed ſæpiſſime in ipſa inteſtinalium fibrarum ſubſtantia latitat cauſa.

20. Si a ſale cauſtico corroſivo nimia fit eroſio & exulceratio inteſtinorum, ſicque ſanguis cum pure excernitur, dyſenteriæ nomen morbus accipit.

21. Quo major eſt exulceratio & eroſio inteſtinorum, eo gravior eſt dyſenteria.

22. Continuus & fruſtraneus egerendi conatus ob ſphincteris ani criſpaturam a muco quodam acri in glandulis inteſtini recti lenticularibus hærente excitatus, nuncupatur teneſmus.

23. Si vomitus cum diarrhæa ſimul conjunctus eſt & cum maxima ventriculi & inteſtinorum ſpaſmodica contractione, morbus dicitur cholera.

24. Malum hypochondriacum ejuſque ſymptomata unice debentur ſpaſmodicæ contractioni ac criſpaturæ partium nervearum ac membranoſarum, quas primæ viæ complectuntur.

25. Idem morbus & eadem cauſa ac curatio eſt affectus hypochondriaci & hyſterici.

26. Fundamentum horum morborum eſt digeſtio primarum viarum & chyloſis penitus deſtructa, propter vitiatam ſalivalem & gaſtricam lympham, bilem digeſtionis præcipuam cauſam.

27. Obſtructio vel ſcirrheſcentia pancreatis, glandularum meſeraicarum, inteſtinalium, hepatis & obſtructio pororum inteſtinalium digeſtionem continuo turbando affectum hunc gignunt promptiſſime.

28. Illi, quorum genus nervoſum admodum debile eſt & qui ſpiritus ad motus convulſivos exerendos mobiliores & promptiores habent, hoc affectu gravius tentari ſolent.

29. Hypochondriacus affectus multorum magnorum morborum origo & fons eſt & maxime ipſius ſcorbuti.

30. Quando plexus meſenterici inteſtinales & muſculorum abdominis tendines in fœminis contorquentur ac conſtringuntur, ſicque partes conglobatæ diaphragma ſurſum propellunt & aeris ingreſſum impediunt, morbus dicitur hyſterica ſuffocatio ſeu ſtrangulatio uteri.

31. Bilem, quæ in maxima copia ad inteſtinum duodenum deducitur, ceu humorem balſamicum utiliſſimum non per alvum omnem exterminari, ſed ejus partes ſubtiliores ſulphureas per poros venarum meſeraicarum foras intro ſpectantes in ſanguinem iterum tranſire, ſicque bilem circulari, variis rationibus & experimentis clarum reddi poteſt.

32. Quod ſi itaque bilis motus ad inteſtinum duodenum impeditur ſive obſtructo vel ſpaſmodice contracto ductu choledocho vel calculo in veſica exiſtente vel poris hepatis biliariis calculoſa viſcida materia oppletis, oritur icterus.

33. A bile peccante tam in quantitate, qualitate & motu ejus circulari multi magni morbi chronici, febres, cachexia, hydrops, pathemata hypochondriaca & hyſterica deducenda ſunt.

SEMIOTICES

CAPUT I.

De ſignis morborum ex ſanguine, urina, pulſu & ſaliva petitis.

Diagnoſis conſiſtit in morbi & cauſarum ejus exacta cognitione, facta per ſigna.

2. Qui bene cognoſcit, bene curat; hinc diagnoſis morbi eſt ſumme neceſſaria Medico.

3. Uti omnis morbus ex intemperie & motu partium fluidarum p. n. fluit: ſic diagnoſis peti debet ex ſignis, quæ conſtitutionem humorum, illorum temperiem & motum aperiunt.

4. Signa morborum diagnoſtica ſunt duplicia vel ſunt ipſius morbi ſymptomata & accidentia, vel deſumuntur ex ægri natura, victu, ætate, ſexu, climate, excretis, retentis, conſtitutione parentum, pulſu, vigiliis, ſomno, ingenio, juvantibus, nocentibus &c.

5. Signa ſive ſymptomata morbum patefacientia ſunt vel eſſentialia a morbo inſeparabilia dicta pathognomonica, vel accidentalia & concomitantia ſeu ſeparabilia.

6. Ad morbi indolem indagandam omnia ſigna & ſymptomata attendi debent, nec illa ſeparanda, ſed potius invicem combinanda.

7. Temperies & motus ſpirituum animalium principaliter

cipaliter elucet ex ſenſibus tam internis quam externis & maxime ex oculis, vi phantaſiæ & ingenii, vigiliis, ſomno, movendi potentia, ratiocinatione &c.

8. Ex pulſu, reſpiratione, tranſpiratione, ſanguine & urina, ſanguinis temperies ac mixtura dijudicanda venit.

9. Ex ore, ſaliva, appetitu, ſiti, excretis per os vel alvum menſtrui gaſtrici & digeſtionis primæ natura patefit.

10. Pulſus non tantum ſpirituaſcentiæ ſanguinis & ejus inteſtini ac circularis motus, verum etiam ſpirituum animalium conſtitutionis index eſt.

11. Pulſus eſt motus cordis per arterias continuatus & dependet tam ab influxu ſpirituum animalium quam ipſius ſanguinis ſpirituoſi.

12. Multæ ſuperfluæ ſunt pulſuum differentiæ.

13. Pulſus magnus indicat ſpirituaſcentiam ſanguinis & ſpirituum animalium copiam, quoniam magno impetu tunc dilatantur arteriæ.

14. Pulſus debilis a debiliori ſanguinis ſpirituaſcentia & inopia ſpirituum animalium oritur.

15. Spiritus addunt calcar ſanguini.

16. Pulſus celer indicat inteſtinum ſanguinis motum plus juſto adauctum, & tardus fit ab inteſtino ejus motu imminuto, & notat ſanguinem craſſiorem minuſque mobilem.

17. Pulſus frequens eſt, quando pulſus pulſum ſequitur exiguo ſpatio interjecto & fit vel a ſanguinis abundantia vel a vellicatione nimia muſculi cordis & arteriarum.

18. Pulſus intermittens ab inæquali particularum ſanguinis mixtura & ejus ſpirituaſcentia in corde paululum ſuppreſſa dependet.

19. Inæqualitas pulſus identidem male ſanguinis mixtioni debetur.

20. Sanguinis inſpectio ad ejus conſtitutionem & naturam indagandam multum facit.

21. Si ſanguis ſpumoſus emittitur, inteſtinam ejus agitationem adauctam, dolores, reſpirationem difficilem & pectoris affectus ſignificat.

22. Sanguis floridus & tenuis ſalis volatilis copiam & arthritidem volatilem, dolores ſcorbuticos vagos, hæmorrhagias præſagit.

23. Sanguis craſſus & nigricans ſero pauco ſtipatus diſpoſitionem ad melancholiam & ſcorbutum frigidum ac inflammationes graviores notat.

24. Sanguis per venam emiſſus, quo magis ſcatet ſero acri, eo plus denotat defluxiones catarrhales, dolores, hæmorrhagias &c.

25. Sanguis pleuriticorum utplurimum in ſuperficie firmam, craſſam ac glutinoſam habet ſubſtantiam.

26. Sanguis viſcoſus & tenax faciliſque ejus grumeſcentia acorem indicat, & indicium eſt ſcorbuti, luis venereæ, paralyſeos.

27. Nitroſa, ſalia volatilia & fixa ſanguini infuſa illum reddunt floridum & tenuem; e contra acida & vitriolacea immiſſa illum condenſant, & colorem purpureum ejus deſtruunt.

28. Allium comeſtum eodem odore ſanguinem imbuit.

29. In morbis malignis & peſte in ſanguine ſæpe nullum apparet vitium externum; indicio, cauſam malignitatis magis radicari in ſpiritibus.

30. Urina conſtitutionem ſanguinis, ſeri ſaliumve in lympha contentorum, & primæ digeſtionis vitia patefacit.

31. Urina alia dicitur ipſius ventriculi, quæ ſtatim poſt cibum & potum excernitur, vel ipſius ſanguinis, quæ tempore matutino mingitur, hæc ad inſpectionem eſt optima.

32. In urinæ inſpectione attendenda ſunt quantitas, qualitas, pondus, color, odor, conſiſtentia & contenta.

33. Quantitas urinæ aucta ſeceſſionem ſeri a ſanguine vel ſudorem ſuppreſſum aut tranſpirationem impeditam indicat.

34. In morbis acutis & malignis urina ſæpe copioſa & tenuis profluit & peſſimum ſignum eſt.

35. Urina pauca notat vel vias urinarias obſtructas vel ſanguinis mixturam & circulum turbatum vel ſeri effuſionem aliorſum factam.

36. Pondus urinæ, quod inſtrumento ſtatico eſt indagandum, contenta ſalina terreſtria fixa ratione quantitatis manifeſtat.

37. Qualitatem ſalium & contentorum in urina, ſapor, odor & vaporatio, atque etiam deſtillatio igne facta & capitis mortui calcinatio patefacit.

38. Color urinæ rubicundus non ſemper dependet a calore ſanguinis, hinc in nonnullis frigidis morbis urina nonnunquam mingitur rubicunda, in magno æſtu autem tenuis & limpida.

39. Salia ſanguinis quo magis ſunt incocta & alcaliſata ac fixiora, eo urinæ intenſiorem colorem conciliant, & quo pauciora adſunt, illaque magis ſunt diluta a lymphaticis & aqueis, eo magis ad flavedinem & diaphaneitatem urinæ inclinant.

40. Urina intenſe rubicunda protinus flaveſcit & naturalem colorem acquirit ſufficienter diluta additione aquæ communis.

41. Urina rubra ſine febre notat ſcorbutum & ſalia copioſa terreſtria in lympha.

42. Urina rubicunda & tenuis in febribus vel ſcorbuto ſine ſedimento vel præcipitatione indicat ſalia ſylveſtria morboſa ſanguinis viſcoſis & ramoſis particulis non eſſe implicita & intricata, ſed illa ſatis ſpiculata libere vagari in fluoribus, parteſque ſolidas facile offendere poſſe.

43. Urina cum ſedimento in febribus præſagit materiam morboſam ſeu febrilem non adeo malignam vel acrem ac rebellem, ſed ſub involucris aliarum particularum fixarum illam eſſe; veteres dixerunt *coctionem.*

44. In malignis urina ſæpe ſanorum ſimilis eſt; & hic valet illud: *urina bona, pulſus bonus, & æger moritur.*

45. Urinæ craſſæ notant copiam viſcidorum humorum in ſanguine, & contra tenues & lividæ caloris nativi defectum & pravam digeſtionem ac ſpirituaſcentiam ſanguinis deficientem.

46. In acutis morbis lividæ & tenues urinæ delirium præſagiunt.

47. Urinæ quo magis ſunt oleaginoſæ & pinguedinem habent ſupernatantem rubicundo colore tinctæ, eo major ad corporis contabeſcentiam eſt proclivitas.

48. Urinæ, quæ continent arenas copioſas, calculum renum; quæ viſcoſum album ſedimentum, calculum veſicæ, in infantibus vermes; quæ pus & ſanguinem, ulcus veſicæ & renum vel etiam mictum cruentum patefaciunt.

49. Urinæ nigræ non ſemper præſagiunt mortem, ſed utplurimum arguunt colliquationem acidarum terreſtrium fixarum particularum: melancholicis ſcorbuticis ac hypochondriacis familiares ſunt, ſi calore p. n. corripiuntur.

50. Urinæ turbidæ ſic ſtatim emiſſæ ſignificant copiam terreſtrium, viſcidarum particularum in ſanguine, quæætheri non innatant, vel ejus motui obſecundant.

51. Graviditatem, imprægnationem ex urina exacte cognoſci poſſe, item labem certi cujuſdam viſceris, falſum eſt.

52. Ab allio, aſparago, cepis, urina fœtida, e contra a nuciſta copioſe aſſumta, oleo terebinthinæ, ſuccini, juniperi violaceum ac ſuavem odorem acquirit.

53. Pulſus & urina inſida morborum ſigna ſunt & ex iis ſolis morbus judicari nequit.

54. Salivæ inſpectio & examinatio ſecundum qualitatem multum facit ad indagandam digeſtionem ventriculi & inteſtinorum, nec non ſpirituum animalium motum.

55. Pauca, ſpumoſa, alba ſaliva denotat efferatum ac impetuoſum ſpirituum animalium motum corporiſque incaleſcentiam.

56. Saliva tenax viſcida calorem, ſitim & æſtum ſanguinis p. n. indicat.

57. Saliva in copia emiſſa limpida præſentiam acidi, tranſpirationem impeditam & ventriculum frigidum arguunt.

58. Salivæ ſalia & contenta deſtillatione & putrefactione manifeſtantur.

59. Spirituaſcentia ſalivæ optime explorari poteſt beneficio antliæ pneumaticæ, ſi nimir. illa recipienti ab aere evacuato immittatur.

CAPUT II.

De ſignis & differentiis morborum eſſentialibus.

Febrium intermittentium certa ſigna ſunt frigus ſeu horror cum ſubſequenti calore p. n., pulſu celeri, urina rubicunda & horum ſymptomatum per certum tempus intermiſſione.

2. Tertianæ ſigna ſunt præter ſuperius dicta, urina flammea & alterius diebus acceſſus.

3. In tertiana duplici poſt ſimplicem tertianam omni die recurrit paroxyſmus.

4. Tertiana notha dicitur, quando urina non tam flammea eſt & craſſa, nec calor corporis ita intenſus.

5. Quartanæ, quæ per duos continuos dies quieſcunt, invadunt magis cum pandiculationibus, oſcitationibus, horrore majori, pulſu inæquali.

6. Vera malignitatis tam in peſte, quam in febribus & petechiis indicia ſunt ſubitaneus & totalis virium lapſus, mentis ac ſenſuum turbatio, pulſus debilis & inæqualis, urina ſanorum ſimilis, variaque exanthemata.

7. Differunt petechiæ a pulicum morſibus, dum hi in centro ductuum ſeu morſus veſtigium habent, ſecundo petechiæ compreſſæ totæ evaneſcunt, morſuum autem centra neutiquam, tertio petechiæ raro in facie conſpiciuntur, & non tam ampli ſunt quam morſi pulicum.

8. Differunt petechiæ a maculis ſcorbuticis, quod hæ abſque ſingulari malignitatis nota & cum pruritu prodeant, ac magnitudine, colore ac rubore differant.

9. Febrium ſcorbuticarum ſigna ſunt ſymptomata ſcorbutica, artuum dolores, maculæ & urina ante febrem rubicunda.

10. Signa variolarum imminentium ſunt æſtus corporis maximus cum pruritu cutis, rubore & tumore oculorum, dolore dorſi, ſomno inquieto, maxime illo tempore, quo graſſantur.

11. Variolæ differunt a morbillis, quod illæ pedetentim in tubercula creſcant, & in pus mutentur, hi autem paucos poſt dies inſenſibiliter evaneſcant.

12. Signa peſtis ſunt virium totalis proſtratio cum erumpentibus carbunculis, bubonibus, & intra paucos dies interitus.

13. Carbunculus gangrænæ inſtar partes vicinas inficit, donec pars mortificata excidat.

14. Febris lentæ ſeu hecticæ ſigna ſunt calor ardens maxime poſt paſtum, & tempore veſpertino cum pulſu frequenti, ſiti, debilitate & conſumptione corporis, urina pinguedinoſa & rubicunda.

15. Hectica ex ventriculo dignoſcitur, ſi poſt febres male curatas, vel erratum in diæta commiſſum invadit, & quando vomitu infeſtat ventriculus.

16. Hecticam ex viſcerum abſceſſibus & corruptela comitatur reſpirationis difficultas, tuſſis, dolor, ardor partis & pulſus p. n.

17. Scorbutus ſe ferme omnibus immiſcet morbis, & pro diverſitate temperamentorum & partium affectarum varias induit larvas.

18. Scorbutum indicant dolores & contractiones ſpaſmodicæ partium fixæ vel vagæ, gingivarum putreſcentia, hæmorrhagiæ, urina ſaturate rubicunda & maculæ ſcorbuticæ.

19. Lues venerea manifeſtatur ex laſſitudine corporis, dolore fixo & diuturno tam capitis, quam aliarum partium tempore maxime nocturno, ex tophis & concreſcentiis oſſeis, ulceribus palati & faucium, puſtulis putrilaginoſis in capite & partibus genitalibus, carunculis & difficiliori horum ſymptomatum curatione.

20. Inflammationis notæ ſunt dolor, rubor, calor, tumor, pulſatio arteriolarum in parte affecta & febricula.

21. Quando in eryſipelate dolor eſt profundior & pertinacior cum tumore, eryſipelas dicitur ſcorbuticum.

22. In pleuritide adeſt dolor lateris acutus cum tuſſi, reſpiratione difficili, atque etiam puris vel ſanguinis ejectione ac febre; ſi pulmo ſimul afficitur & præcordiorum totiuſque pectoris adeſt gravitas, ſpiritus difficultas & magna febris cum metu ſuffocationis, dicitur affectus peripneumonia.

23. Tumor tonſillarum cum calore & febre lenta inflammationem illarum indicat, & differt ab angina, quod hic longe acutior ſit febris & reſpirationis ac deglutitionis major difficultas & minor tumor.

24. Quando inflammationis ſigna in intenſiſſimo gradu ſunt, fit gangræna.

25. Polypum cordis occultum patefaciunt reſpiratio difficilis, palpitatio cordis, ſyncope & pulſus intermittens.

26. Syncope fit cum facie pallida, pulſu debili, vel plane intermittente & extremorum frigore.

27. Catarrhus ſuffocativus eſt, quando ſumma adeſt anxietas in pectore cum ſpirandi difficultate, ſtertore, pectoris elevatione, pulſu inæquali atque etiam intermittente & expectoratione ſuppreſſa.

28. Suffocatio uterina cognoſcitur ex reſpiratione difficili, faucium ſtrangulatione, quaſi aliquid hæreat in faucibus, & ſenſu quaſi globi in abdomine oberrantis, ſincope &c.

29. Differt peripneumonia a catarrho ſuffocativo, quod in hoc cum impetu ad fauces & pectus ruat defluxio, in illa autem non.

30. In incubo ſufflaminata eſt inſpiratio, dormientibus imprimis ac dorſo incumbentibus familiaris cum ſenſu ponderis præcordia prementis ac imminente ſuffocatione.

31. Incubus ab aliis epilepſia nocturna dicitur, quia ſimiles fere convulſiones thoracis in incubo adſunt ac in paroxyſmo epileptico.

32. Inflammatio renum cognoſcitur ex calore & dolore pulſatorio gravativo lumborum, ſtupore cruris, febre vehementi, & mictione ardente, & ſi mictio hæc ſanguinea eſt vel purulenta, ulcus adeſt renum.

33. Inflammatam veſicam ordinario comitatur tenſio, durities, ardor, & dolor in regione veſicæ & pubis, urinam reddendi impotentia, teneſmus, febris, vigilia, delirium, interdum alvi ſuppreſſio.

34. Delirium grave cum febre ardente, facie rubicunda, dolore interno capitis pulſatorio, urina alba indicat phrenitidem ſeu inflammationem cerebri.

35. Ophthalmia eſt vel ſanguinea vel ſeroſa, illa eſt inflammatio tunicæ adnatæ cum rubore, ardore, dolore, tumore & lacrymis profluentibus; hæc vero, quæ proprie epiphora dicitur, eſt continua & copioſa lacrymarum deſtillatio ex oculo, comitata plus minus cum ejus dolore, morſu, ardore, rubore.

36. Ophthalmia diſtinguitur in veram & notham, bilioſam & ſeroſam, epidemicam & non epidemicam; in bilioſa oculus quaſi eryſipelate affectus & lacrymæ ſunt acerrimæ, in ſeroſa, lympha lacrymalis magis eſt glutinoſa viſcida.

37. Inflammatur etiam hepar & quidem vel in parte gibboſa vel concava, ſi eſt in gibboſa parte, urgent magis ſymptomata pleuritidem mentientia; ſi in concava, magis ſymptomata ventriculi & inteſtinorum.

38. Hepatis inflammationem comitatur ſenſus ejus gravativus in dextro hypochondrio cum dolore ſimul obſcuro & tenſivo, qui ſub ſuppuratione punctorius plus minus evadere ſolet, deinde adeſt febris acuta & lenta, tuſſis ſicca, difficultas reſpirationis, decubitus in latere affecto difficilis.

39. Sanguinem congrumatum & collectum in abdomine præter vulnus penetrans imprimis inſinuat abdominis tumor, durities, reniſus, virium proſtratio, impedita reſpiratio.

40. In pectore collectum & coagulatum ſanguinem comitantur reſpirationis læſio, gravitas ac pondus circa nothas coſtas, extremorum frigus, febris & prægreſſa contuſio, vel caſus ab alto, aut vulnus in pectore.

41. In capite & ſub ejuſdem calvaria collectum ſanguinem grumoſum monſtrant dolor gravativus, ſenſus pulſationis, rubor faciei, oculi nonnihil lacrymantes, ſanguinis per os, aures vel nares exitus, mentis ſtupor & antecedens valida contuſio vel inciſio.

42. Hæmorrhagiæ ex plethora ſunt, ſi evacuationes conſuetæ ſuppreſſæ, ſi victus plenus & ſpirituoſus fuerit aſſumptus & V. S. diu intermiſſa aliaque ſigna plethoræ adſunt.

43. Hæmorrhagiæ a turgeſcentia ſanguinis fiunt poſt immoderatos animi affectus & inordinationes ſpirituum tempore æſtivo, copioſo aſſumpto vino & in variolis & morbillis, febribus &c.

44. Hæmorrhogia ex acrimonia ſeri eſt, ſi ſigna ſcorbuti adſunt, vel acria varia aſſumpta vel externe applicata.

45. Hæmorrhagiæ a circulo ſanguinis & lymphæ impedito fiunt, quando ſcirrhoſæ adſunt viſcerum conſtitutiones, hypochondriorum tenſiones ac flatulentiæ, uti fit in hydrope, affectu hypochondriaco &c.

46. Hæmorrhagiam narium indicant imminentem dolor capitis & cervicis, rubedo oculorum, pulſus arteriarum, pruritus narium, irritatio in interiore pectore.

47. Menſes præſentes mox patefaciunt lumborum & regionis epigaſtricæ tenſio, gravitas, æſtus, tempus conſuetum, pulſus auctus.

48. Fluxus hæmorrhoidalis præſens eſt, ſi abſque fecum excretione etiam ſanguis ſincerus ſtillat ſine dolore abdominis, ſed cum tumore ac dolore hæmorroidum & teneſmo.

49. Hæmoptyſis a ſanguinis ſputo differt, quod illa cum tuſſi ſicca, reſpiratione difficili & impetu fiat, ſanguiſque floridus & copioſus ſit, ſputum autem cruentum magis fit ſcreatu & tempore nocturno vel matutino, & ſanguis magis obſcure rubicundus, qui ex faucibus læſis ortum ſuum ducit.

50. Sanguis, qui ex ventriculi vaſis prorumpit, excernitur vomitu, & nigricans utplurimum eſt.

CAPUT III.

De cognoſcendis morbis ex vitio lymphæ, ac ſpirituum animalium ortis.

Phthiſis pulmonalis cognoſcitur ex reſpiratione difficili, dolore fixo in latere ſiniſtro vel dextro, anhelitus fœtore, materiæ purulentæ, ſanguineæ excretione & corporis conſumptione cum calore p. n. maxime poſt paſtum.

2. Phthiſin imminentem prænunciant ſubſtantiæ carnoſæ conſumptio, ſapor ſalſus, & putridus cinereus in ore, ſtimulus ad tuſſim, ſudor nocturnus copioſus & corporis debilitas.

3. Phthiſis pulmonalis ab illa quæ fit ex obſtructione vaſorum vitio ſtomachi & viſcerum differt, quod in hac materia purulenta non excernatur, nec reſpiratio difficilis aut anhelitus fœtor adſit, ſed ſaltim conſumptio & laſſitudo corporis cum tuſſi, calore p. n., appetitu dejecto, ſudore copioſo &c.

4. Lepra eſt vel Græca vel Arabum, hæc dicitur Elephantiaſis, illa eſt univerſalis & inſtar ſquammarum piſcium ac furfurum decidunt cruſtæ & profundius depaſcit carnem ac difficulter eſt curabilis; Arabum autem particularis eſt, quando v. gr. pedes livido vel nigricante tumore cum varicibus & ulceribus corripiuntur, & cutis tunc ſcabra aſpera & rugoſa inſtar Elephantum fit.

5. Catarrhales acres defluxiones, coryzam, tuſſim & dolores arthriticos prænunciant appetitus auctus, gravitas & laſſitudo corporis, horror cum pulſu p. n.

6. Tuſſis ſtomachalis a pulmonali differt, quod in hac raucedo & ſapor ſalſus ſit cum reſpiratione difficili & pectoris gravitate, illa autem magis pertinax cum ſpiratione facili abſque raucedine & excretione.

7. Calculus renum cognoſcitur ex dolore lumborum fixo, vomitu, ſtupore crurum & urina arenacea.

8. Calculus veſicæ palam fit ex difficili urinæ excretione, dolore, pruritu ac pondere in pube, teneſmo, urina mucilaginoſa & catheteris exploratione.

9. Gonorrhæa benigna a purulenta differt, quod in hac materia purrida, fœtida, vario colore tincta ſit & major corporis debilitas, in illa autem leniora ſymptomata.

10. Anaſarca ab aſcite diſtinguitur, quod in illo tumor totius corporis ſit æqualis, urina flava, calor imbecillis; in aſcite vero partes ſuperiores marceſcunt cum inferiorum tumore, urina pauca ac rubicunda craſſa eſt, cum calore & pulſu intenſiore, & ſpirandi difficultate, & ſenſu fluctuationis aquæ in abdomine.

11. Hydrops ex febribus intermittentibus chronicis male tractatis, & ſpeciatim ex quartana diuturna, ex aſthmate humoroſo vel convulſivo, item ex vitio renum vel viſcerum, ictero ac ſanguine p. n. excreto vel retento frequentiſſimus.

12. Hydropica a gravida differt ex colore faciei & oculorum vivido, ex fluctuatione & lapſu aqua-

rum, quod non fit in geſtatione, ex ſiti, quæ hydropi juncta eſt; in imprægnatione autem non: ex tumore corpus gravante, non autem in graviditate.

13. Signa cachexiæ ſunt corporis a nativo colore in pallidum humidum flaccidum & ſubtimidum degeneratio, crurum & univerſi corporis laſſitudo ac anxioſus præcordiorum dolor, urina cruda, pulſus inæqualis, & debilis, & febris lenta; ſi ulcera, ſcabies dolores ac ſpaſmodicæ contractiones conjunctæ ſunt, dicitur cachexia ſcorbutica.

14. Signa apoplexiæ ſunt omnium ſenſuum tam externorum, quam internorum abolitio, facies rubicunda & pulſus adhuc ſalvus.

15. Paralyſis, quæ apoplexiam ſequitur, & ex cerebro vel ſpinali medulla læſa & nervis oritur, dicitur paraplegia, & ibi ſenſus ac motus partium perit.

16. Paralyſis remanente ſenſu dicitur pareſis, in qua muſculi & tendines magis ſunt affecti & ſequitur ſcorbutum, colicam convulſivam, & fumos ſaturninos copioſe hauſtos.

17. Lethargus manifeſtatur ſomno profundo cum delirio, febre lenta & oblivione.

18. Carus eſt ſopor profundus cum ſtertore, ut excitari ægri difficillime poſſint.

19. Coma ſomnolentum eſt ſomnus cum delirio.

20. Catalepſis dicitur ſenſuum tam internorum, quam externorum abolitio cum pulſu remanente, oculis apertis & quaſi torvorum videntibus, & quod affectus in illa poſitura ægrum relinquat, in qua ipſum deprehenderit.

21. Catalepſis eſt vel gravior vel levior, levior fit per paroxyſmos & breves, & poſt finitos paroxyſmos ægri varia narrant, quæ viderint; In graviori autem, paroxyſmi ſunt longiores & nihil ſciunt, quid in paroxyſmo cogitaverint.

22. Vertigo ſæpiſſime ex ventriculo oritur; indicium eſt: ſi jejunium ferre nequeunt, ſi in hypochondriis flatus ſunt, & hyſterica adeſt affectio.

23. Vertigo, quæ caduca dicitur, primus gradus eſt epilepſiæ, & eſt vertigo idiopathica.

24. Signa melancholiæ ſunt mœſtitia & timor ſine cauſa, cum anxietate animi, cogitatione fixa & forti circa aliquam rem & ſomno turbulento pauco; tempeſtate obſcura & humida pejus ſemper ſe habent.

25. Melancholia ex vitio hypochondriorum nata judicatur, ſi ſigna mali hypochondriaci adſunt.

26. Mania cognoſcitur ex delirio ſine febre conjuncto cum furore, viribus plus quam humanis, vociferatione, ſomno pauco, pudore depoſito, dilaceratione veſtium.

27. Cephalalgia diuturna eſt cephalæa, quod ſi capitis dimidium eſt affectum dicitur hemicrania, quæ cum exacerbatione & per intervalla utplurimum invadit.

28. Si in una parte aut loco capitis dolor eſt, dicitur clavus.

29. Cephalalgia a cauſa frigida dicitur ubi dolor eſt gravativus, facies pallida cum frigore, pulſu tardo; quando autem calor & rubor faciei adeſt & ſanguis fervet, pulſus vehemens & celer, dicitur calida.

30. Cephalalgia ſæpius internis capitis membranis reſidet, & indicium eſt, ſi functiones cerebri non ſunt læſæ.

31. Quando adeſt tinnitus aurium, vertigo, dolor capitis, in ipſo cerebro malum latitare veroſimile eſt.

32. Arthritis calida a frigida differt, quod in hac tumor adeſt magis œdematoſus cum nullo vel levi ſaltim rubore, pulſu tardo, paroxyſmo longiori; in calida autem paroxyſmus eſt brevior vel acerbior, colorque ac rubor manifeſtus magis: Idem valet circa omnes dolores.

33. Dyſpnœa dicitur, quando inſpiratio eſt depravata cum anxietate & difficultate; ſecundus gradus dicitur aſthma; tertius orthopnœa, quia tales corpore erecto & expanſo reſpirare coguntur.

34. Aſthma eſt vel ſtomachale, ſi ſtomachus inflatus & infarctus eſt flatibus & materia craſſa per intervalla turgeſcente; vel hypochondriacum & ſcorbuticum, ſi ſigna horum affectuum adſunt; vel hydropicum ſeu hyſtericum, ſi conjungitur his affectibus.

35. Aſthma eſt vel humidum vel ſiccum ſeu convulſivum; humidi ſigna ſunt, ſi magis eſt continuum & reſpiratio cum ſonitu, profundo ſtertore, tuſſi & pituitæ copioſæ excretione; ſiccum autem ſive convulſivum eſt, quando diaphragmatis & nervos, & muſculos contractio ſine notabili excretione & per intervalla magis affligit, ſequiturque morbos ſpaſmodicos, v. gr. paſſionem hyſtericam, hypochondriacam, ſubluxationem vertebrarum dorſi, epilepſiam.

36. Aſthma metallicum eſt quoque ſiccum, & fit in nervorum pulmonalium porulis propter copioſos ſaturninos vapores.

37. Imminentem iliacam paſſionem produnt alvus pertinaciter ſuppreſſa, inteſtinorum tenuium tormina crudeliſſima, & nauſea cum ſingultu.

38. Sæpius gravior colica pro iliaco morbo a timidis Medicis habetur.

39. In diabete plus humidi excernitur, quam aſſumptum fuit, ſitis adeſt, ac debilitas membrorum, urina dulceſcit, adſunt dolores vagi cum ſpaſmis, ſi malum gravius.

40. In affectione hypochondriaca poſt aſſumptum cibum gravitas ventriculi, ſputum pituitoſum ac copioſum, vomitus, ructus, flatus & dolores tenſivi in ſiniſtro hypochondrio, reſpiratio difficilis, phlogoſes, alvi adſtrictio, ſpaſmi partium nervoſarum, ebullitiones ſanguinis p. n. urgent.

41. Affectus hypochondriacus habet ſua certa intervalla, tempora ac paroxyſmos, quibus exacerbatur.

42. In hyſterica paſſione præfocatio faucium, difficultas reſpirationis cum metu ſuffocationis, ſyncope, cardialgia, alvi adſtrictio, dolores abdominis acutiſſimi ſæpe ægros invadunt.

43. Icteri ſigna ſunt color flavus totius corporis, maxime tunicæ adnatæ, urina crocea, feces albæ, præcordiorum anxietas & gravitas: ſi color ille in lividum vel virideſcentem degenerat, icterus niger vocatur.

CAPUT IV.

De prognoſi medica.

NIhil magis commendat Medicum vel ipſi æſtimationem conciliat, quam prudens prognoſis.

2. In prognoſi caute ſe gerere debet Medicus, famam enim ſuam prognoſi temeraria facile amittere poteſt.

3. Prognoſis eventum morbi judicat, qui differt ratione ſalutis & mortis, ratione longitudinis & brevitatis, ratione ſolutionis & medicamentorum operationis.

4. Prudens prognoſis addiſcitur non tam præceptis, quam ipſa experientia.

5. Quo temperies & motus partium fluidarum naturalis magis eſt deſtructus in morbis, eo periculum eſt gravius.

6. Turbatio

6. Turbatio maſſæ ſanguineæ, quo major eſt, & ejus circularis motus, quo magis eſt imminutus, eo plus ſubeſt periculi.

7. Virium defectus in omnibus morbis quo major eſt, eo periculoſior eſt ſtatus.

8. Mens turbata cum febre peſſimum indicat ſtatum.

9. Pulſus debilis, ſubitaneus virium defectus, turbatio mentis, ſyncope, exanthematum eruptiones ſigna malignitatis ſunt.

10. Excreta quo magis recedunt ratione quantitatis, vel qualitatis a naturali ſtatu, eo pejor res eſt.

11. Excretiones copioſæ illis in morbis, ubi ſerum laudabile deficit, ut in hectica phthiſi præſentiſſimum periculum prædicunt.

12. Omnis morbus, qui per intervalla recurrit, expers magis periculi eſt, quam qui continuo infeſtat.

13. Morborum recidivæ ſemper ſunt pejores ipſis morbis.

14. In omnibus acutis morbis prædictiones ratione ſalutis & mortis admodum ſunt incertæ.

15. Excretiones omnes naturales ordinariæ ſuppreſſæ morbum prænunciant.

16. Natura arte adjuta interdum facit miracula.

17. Tranſpiratio & reſpiratio, quo magis in morbo eſt libera & naturalis, eo melius indicium ſalutis.

18. Viſcus laborans quo nobilius, eo gravius malum metuendum.

19. Inflammationes nobiliorum partium morbis acutis ſupervenientes lethalem nanciſcuntur utplurimum eventum.

20. Vertigo, ſudor frigidus, pulſus debilis inſtantem lipothymiam prædicunt.

21. Dolores acerbiſſimi ſubito deſinentes & indolentes facti funeſti ſolent eſſe & ſphacelum indicant.

22. Tumores in atrophicis morbis & contra atrophiæ in morbis hydropicis vel aliis tumoribus periculum præſens indicant.

23. Omnes excretiones involuntariæ vel ſummam debilitatem, mentem turbatam aut ingens in nervis vitium ſignificant.

24. Omnis morborum curatio tempore verno ac æſtate non adeo fervida, in ætate juvenili, temperie exiſtente ſanguinea melius procedit, quam hyeme in ſenibus & melancholicis ac pituitoſis.

25. Plerique morbi chronici circa ſolſtitia, vel æquinoctia inſignem ac ſubitam alterationem acquirunt.

26. Tumores interni viſcerum diuturnos generant morbos.

27. Omnes excretiones criticæ ſuppreſſæ vel retropulſæ, v. gr. in cute exanthemata, ingens diſcrimen ſanitati ac vitæ minantur.

28. Solvitur morbus atque etiam febris ſæpius notabili quadam excretione critica vel per ſudorem, urinam, alvum, ſalivam.

29. Febres male curatæ vel etiam diuturnæ corruptelam inſignem viſceribus & ſuccis vitalibus affricant, hinc affectus hypochondriacus, hydropis variæ ſpecies, digeſtionis vitia & alia inde propullulant.

30. Febres intermittentes & omnes morbi chronici, qui autumno invadunt, difficilius tolluntur, quam qui ſub vernum vel æſtivum tempus accedunt.

31. Intermittentes malignas dari ſine tali periculo, teſtantur obſervationes.

32. Ingentes ac præternaturales tam ſanguinis, quam aliorum humorum effuſiones comitatæ cum viribus proſtratis, corporis tabe, ſomno laborioſo, calore lento, appetitus dejectione funeſtum pronunciant eventum.

33. In morbis pectoris, quo reſpiratio eſt liberior, eo major affulget ſalutis ſpes, & contra.

34. Vertigo cum capitis dolore & aurium tinnitu in ſenibus apoplexiæ prodromus eſt.

35. Scorbutus, malum hypochondriacum, podagricum, arthriticum, ſi diu duravit, & ſuccos corporis notabiliter deturpavit, levari quidem, aſt perfecte ſanari nequit.

36. Ubi propter nimiam ingurgitationem aquæ vel ex menſibus aut hæmorrhoidibus ſuppreſſis hydrops naſcitur, curationis ſpes facilior eſt.

37. In ſenibus ac in omnibus morbis ſopores profundi multum periculi habent.

38. Senes, qui frequenter tentantur eryſipelate, tandem ex illo moriuntur.

39. Non omnis fluor albus ſteriles reddit fœminas.

40. Singultus & ſpaſmus nimiis excretionibus ſuperveniens non ſemper lethalitatem affert.

41. Pulſus intermittens non ſemper portendit magnum periculum.

42. Pulſus intermittens vel ſumme debilis manens, intra ſex horarum ſpatium mortem affert.

43. Dolores graviores maxime in corporibus tenellis, & quæ imbecilles nervos habent, convulſionem, diarrhæam, febrem, ſomnum terroris plenum, ſudorem frigidum, ſyncopen, ſpirandi difficultatem & mortem non raro excitant.

44. Omnes morbi inveterati, & qui longas egerunt radices morbique ſenum curationem vix admittunt.

45. Omnes capitis contuſiones, cranii fiſſuræ multum periculi habent, præcipue ſi cum vomitu bilioſo, delirio, ſtupore conjunctæ ſunt.

46. Tendinum ac nervorum leviores ſaltim irritationes ac punctiones ſæpe maximum periculum inducunt.

47. Paralyſis ex nervorum diſlocatione & luxatione ſanari vix poteſt.

48. Tuſſis antea humida ſubito in ſiccam deſinens cum pectoris gravitate pulmonum exulcerationem minatur.

49. Excretiones tam alvi, quam ventriculi per vomitum, & urinæ atræ, peſſimæ ſunt.

50. Qui quotidie vomunt, & quidem a paſtu, facile incidunt in hecticam.

51. Vomitus ſanguinis, qui eſt a menſium ſuppreſſione vel a nimia ſanguinis ebullitione, minus periculi habet.

52. Petechiæ dyſenteria comitatæ lethales eſſe ſolent.

53. Dyſenterici, quando veluti carunculas dejiciunt, magno in periculo verſantur.

54. Omnes affectus nervorum, ab illorum obſtructione nati & diuturni, inſanabiles judicandi.

55. Singultus, delirium, vigiliæ, animi deliquium, ſudor frigidus, anxietas maxima præcordiorum, pulſus debilis, ſi morbo vel acuto vel chronico ſuperveniunt præſentiſſimum periculum adeſſe indicant.

56. Alvi pertinax obſtructio multorum morborum mater eſt & difficilem reddit curationem.

57. Tumores ſcirrhoſi viſcerum minantur hydropem, maraſmum, febrem lentam, icterum nigrum.

58. In omni tumore corporis urina pauca craſſa ac rubra, febris lenta, difficilis reſpiratio, marcor ſuperiorum partium funeſtum exitum ſignificant.

59. Hypochondriaca & hyſterica affectio terminatur utplurimum in morbos ſpaſmodicos convulſivos vel in apoplexiam, melancholiam, phthiſin, hydropem.

60. Faci-

60. Facilius ulcera faucium & pedum curantur, quam ani.
61. Ex inſpectione oculorum ſpirituum animalium conſtitutio & motus elucet.
62. Omnia exanthemata livida & nigra peſſima ſunt.
63. Surditas & obauditio in febribus malignis & acutis reconvaleſcentiam prænunciat, niſi mox auditus redeat.
64. Omnes febres malignæ, variolæ, morbilli tempore hyberno invadentes pejores ſunt.
65. Illi in majori verſantur periculo, quorum in familia exitiales fuerunt variolæ.
66. Si poſt eruptionem exanthematum vel variolarum ſymptomata ceſſant, bonum ſignum eſt, ſi exacerbantur gravior metus eſt.
67. Omnes confluentes variolæ & copioſæ, præter gravioris inflammationis metum, graviores ſunt.
68. Diarrhœa in principio variolarum accedens non ſemper mala eſt.
69. Variolæ, quo profundiores in cute latent, eo majorem excitant inflammationem, & contra.
70. Urina ſanguinea in omnibus inflammationibus peſſimum ſignum præbet.
71. Variolæ & morbilli non raro terminantur in phthiſin, ulcera cocoethica, cœcitatem &c.
72. Surditas aurium ex morbis acutis non raro provenit.
73. Inflatio ventriculi, quæ fit in reconvaleſcentibus, mali prioris recidivam ſignificat: ſi diu durat, diſponit ad hydropem ſiccum ſeu tympanitidem.
74. Mulieres, quando non rite fluunt menſes, vel quando ſunt cupidæ virorum vel gravidæ, patiuntur ſæpe vomitus.
75. Quoties ſudores fluunt in malignis, vel ſaliva, anxietates remittunt, & ſudore ſuppreſſo vel ſaliva iterum invadunt.
76. In omnibus morbis ſpaſmodicis alvus ſolet eſſe adſtricta.
77. Diarrhæa ſuperveniens omnibus inflammationibus periculoſa eſt.
78. Incubus vigilantibus ſuperveniens cum tremore cordis & ſyncope, peſſimus morbus eſt.
79. Dolores multum recidivare ſolent.
80. Fluor albus curatu difficilis eſt & tabem & hydropem inducere poteſt.
81. Abortum non raro cauſatur contumax alvi adſtrictio.
82. Omnes morbi acuti puerperarum multum habent periculi.
83. Larga mictio in acutis non ſemper eſt tuta.
84. Vermes per vomitum ejecti in malignis monſtri quid alunt.
85. Qui ſæpius ſine cauſa manifeſta tentantur ſyncope, tandem illa moriuntur.
86. Omnes perſonæ pinguiores majori periculo expoſitæ ſunt in morbis quam macilentæ.
87. Somnus morbis ſuperveniens & vires reficiens optimum ſemper præbet ſignum.
88. Puerperæ, quando lacte penitus deſtituuntur, graviori verſantur in periculo.
89. Hæmorrhoidibus cœcis male tractatis facile ſupervenire fiſtula poteſt.
90. Cholera ſæpe terminari ſolet in ardorem urinæ.
91. Omnes morbi hæreditarii difficilius ſanantur.
92. Morbus qui per conſenſum fit, facilius curatur, quam qui per eſſentiam.
93. Epilepſia ante pubertatem magis admittit curationem quam poſt illam.
94. Hernia carnoſa non facile ſanabilis: inteſtinalis, iliacum malum minatur.
95. Ubi frigent exteriora & interiora ardent, peſſimum indicium eſt.

CAPUT V.

De Criſi.

Criſis dicitur mutatio naturæ in melius vel deterius, ſive eſt ſubita aliqua vel ad mortem, vel ad ſanitatem mutatio.

2. Criſis bona ſive ad ſanitatem fit a laudabili motu ſanguinis & ſpirituum per minutiſſima capillaria vaſa & viſcera excretoria.
3. Criſis peſſima fit a motu ſufflaminato ſpirituum.
4. Bona criſeos indicia ſunt coctio, materiæ ſeparatio & melior ægri ſtatus; lethalis autem criſeos indicia ſunt excretio & coctio ſuppreſſa materiæ morboſæ, & pejor ægri ſtatus die critico.
5. Spiritus uti ſunt morborum medicatrices, ſic quoque ſubjectum ipſius criſeos, & quo illorum craſis ac motus minus vel magis deſtructus, eo melior vel pejor exſpectanda eſt criſis.
6. Uti influxus aſtrorum in ſpiritus operantur: ſic maxime hoc faciunt tempore conceptionis & generationis, item in ægris, ubi ſpiritus ſunt debiles.
7. Uti ad ſolem collata luna quadris ſuis potiſſimum mutationes ſubitas tempeſtatum facit; ita etiam in ægris varie operatur.
8. Quo acutior morbus, eo citior criſis.
9. Non religioſæ ſemper exſpectandæ ſunt criſes.
10. Motus criſeos duplex eſt, vel enim fit per manifeſtam aliquam excretionem v. gr. per ſudorem, alvum, hæmorrhagiam; vel per μετάςασιν & translationem, quando humor vitioſus in partem aliquam ſolidam effunditur, ibidemque tumorem, bubonem & abſceſſum producit; quo autem illa pars ratione uſus ſui eſt ignobilior, eo tutior etiam erit hæc translatio.
11. Criſis alia eſt ſalutaris & perfecta, alia non ſalutaris & imperfecta, ſæpe etiam infida.
12. Natura uti eſt menſuræ & numeri obſervantiſſima, ſic etiam certo ac ſtato die, quem criticum appellant, ſuas inſtituit operationes & motus.
13. Solſtitia & æquinoctia in corpora noſtra magnas mutationes & alterationes habent, hinc illo tempore vel in deterius vel pejus mutari poteſt morbus.
14. Annos climactericos multis perſonis eſſe funeſtos, obſervationes practicæ abunde docent.

HYGIEINES MEDICÆ

CAPUT I.

De Regulis conſervantibus ſanitatem generalibus.

Facilius eſt ſanitatem conſervare quam illam reſtituere.

2. Quivis & noſſe corpus ſuum, ejuſque robur ac vires, & eſſe ſuus Medicus debet.
3. Propter conſtitutionum diverſitatem ſanitatis regulæ dari nequeunt univerſales.
4. Alimenta & res non naturales, quæ uni proſunt alteri ſæpe nocent.

5. Optima

5. Oprima regula ſanitatis eſt; *quæ juvant & proſunt ſunt ſervanda, & quæ nocent ſunt fugienda.*

6. Omne nimium, quamvis ſit optimum, naturæ inimicum.

7. Conſuetudo altera eſt natura, hinc longo tempore conſueta non ſimul & ſemel ſunt omittenda.

8. Omnis mutatio ſubita periculoſa eſt.

9. Quæ deteriora vulgo judicantur, modice ſumpta, non ſolent nocere.

10. Medice vivere, id eſt, ſecundum rigoroſas & ſcholaſticas Medicorum regulas vivere, eſt peſſime ac miſere vivere.

11. Abſtinentia a cibis & inedia, præſervatio a multis magnis morbis, atque etiam illorum curatio eſt.

12. Uti ſummum jus eſt ſumma injuria: ſic exquiſita vivendi regula ſumma eſt miſeria.

13. Sanus homo & qui benevalet, nullis ſe obligare legibus debet, & varium habere vitæ genus & omnibus ſeſe aſſueſcere debet.

14. Qui a teneris aſſueti ſunt ferendo frigori & labori, minus in morbos prolabuntur, & facilius quoque ex morbis convaleſcunt.

15. Populi ſeptentrionales, qui a primis annis frigoris & caloris repentinas mutationes ſuſtinere coacti ſunt, vita longiori & ſanitate diuturniori gaudent.

16. Irritare nonnunquam ventriculum vomitu, ſudare, vel paulo largius vinum optimæ notæ bibere, ad ſanitatem multum conducit.

17. Qui integra gaudent valetudine, ægre ferunt purgantia, V. S. & omnia draſtica.

18. Qui bene ingerit, bene digerit & bene egerit, ſanus eſt.

19. Sanis omnia ſunt ſana.

CAPUT II.

De ſex rerum n. n. vario uſu & abuſu.

Qualis eſt aer, tales ſunt ſpiritus. Et in aere maximum momentum ſanitatis noſtræ conſiſtit.

2. Aer mutatus magnorum ſæpe morborum remedium eſt.

3. Pro conſtitutione ſoli aer variat, variaſque in corpore efficit alterationes.

4. Aer temperatus nec nimis frigidus, nec nimis calidus, nec exceſſive humidus & ſiccus optimus eſt ſanitatis conſervator.

5. Sicca aeris conſtitutio emolumentum humidis, ſiccis autem damnum infert.

6. Quando borealis & ſiccus eſt autumnus, corpora multo ſero abundantia minus habent periculi, catarrhoſi autem & arthritici effectus tunc temporis mitius invadunt.

7. Sicuti hyems frigida & ſicca ſanguinem & vires corporis concentrat & colligit: ſic e contra humida ſpiritus & vires diſſipat, corpus debilitat & humores ad putredinem aptos reddit.

8. Humida hyems gravidis infauſta eſſe ſolet.

9. Aer ſiccus ſemper ſalubris magis eſt humido, quia perſpiratio magis promovetur & aer ſiccus ac ſubtilior ad motum vitalem magis aptus eſt.

10. Calidiſſimus aer in æſtate morbos, a frigida cauſa ortos, ſæpiſſime ſolvit.

11. Hyemi frigidiſſimæ, ſi ver ſuccedit humidum ac tepidum, a frigore concentrati & collecti humores in præternaturales & morboſas fermentationes adiguntur.

12. Quorum ſanguinis motus eſt vehementior & calidior, illi bene ſeſe habent in hyeme, qui autem motum ſanguinis tardiorem habent, illis melius eſt in æſtate.

13. Salubrem aerem non facit ſolum cœlum ſerenum, ſed loci ſitus & ſoli natura, & hic attendendum eſt ad vicinos montes, ventos perflantes, flumina.

14. Aeris ſalubritas maximam partem dependet a ventis, adeo ut mutatis ventis ſubitus ſæpe ſequatur in ægrotantibus effectus.

15. Aquilo multum Auſtero eſt præferendus.

16. In conſervanda ſanitate ante omnia obſervandum eſt, ut temperies ſanguinis & lymphæ conſervetur, hinc omnia exceſſiva tam alimenta, quam medicamenta fugienda, temperata autem æſtimanda ſunt.

17. Cum temperies ſanguinis & lymphæ maximam partem deducenda ſit ex primis viis, hinc digeſtio ventriculi probe ſemper curanda eſt.

18. Quæcunque temperiem menſtrui ſalivalis conſervant & materiam boni chyli præbent, illa optima ſunt alimenta.

19. Quoniam chylus eſt proximum elementum ſanguinis & ſeri nutritii, & hic nil niſi emulſio naturalis eſt, conſtans ex particulis blandis ſulphureis oleoſis & aqueis dulcibus; hinc alimenta, quæ hæc duo chyli elementa nimirum ſulphur blandum ramoſum & ſerum dulce roſcidum continent, optima ſunt.

20. Omnia indurata, ſalita, acida, nimis pinguia, leguminoſa, ſpirituoſa chylum minus laudabilem producunt.

21. Quoniam ſanguis ex particulis innumeris & ratione figuræ ac molis diverſis conſtat, hinc varietas ciborum non adeo nociva, ſed magis eſt laudanda.

22. Largior ciborum ingeſtio plus negotii faceſſit, quam copioſior potus.

23. Lac inter alimenta eſt præſtantiſſimum, & requirit corpus purum, viſcera ſana & primas vias liberas.

24. Alimenta, quæ ſale volatili oleoſo pollent, admodum ſunt ſalubria.

25. Cibi qui facile in putrilaginem abeunt, uti ſunt mel, fructus horarii, ſaccharata, & facile fermenteſcibilia magna incommoda corpori inducere ſolent.

26. Saccharata ſcorbuticis & hypochondriacis inſtar veneni ſunt, quoniam humores corroſiviores reddunt.

27. Acidum & frigus hypochondriacis & omnibus, qui nervos habent imbecilles, admodum infenſum eſt.

28. Acida, dulcia, ſpirituoſa infantibus venena ſunt.

29. Lac nutricis nimis craſſum, butyroſum, ad coagulationem aptum infantibus peſſimum eſt.

30. Senes fugiant omnia acida, flatulenta, viſcida, frigida, ſed gaudeant cibis optimi ſucci.

31. Vinum generoſum, parca manu datum, ſenum lac eſt.

32. Alimentorum magna vis eſt, utpote, quæ humorum & ſpirituum materiam præbent, & qualia ſunt alimenta, tales etiam ſunt humores, mores, ſpiritus & inclinationes.

33. Carnes aſſatæ meliores ſemper ſunt coctis.

34. Juſcula ex bonæ notæ carnibus confecta plus nutriunt & ſtomacho minus negotii faciunt quam ipſæ carnes.

35. Bis de die edere quam ſemel præſtat.

36. Victus eſt vel plenus vel tenuis, plenus conſtat ex carnibus durioribus, inſumatis, pane, vino generoſo, cereviſia craſſiori ac ſpirituoſiori.

37. Tenuis victus conſtat ex carnibus mollioribus, juſculis, vino rhenano & cereviſia tenui.

38. A victu pleno abſtinere debent omnes, qui debilioris ſunt ventriculi, ex morbis convaleſcentes, phthiſici, hectici.

39. Nec nimis tenuis, nec nimis craſſus victus ſit, ſed mediocris.

40. Corpora impuriora quo magis nutriveris, eo magis læſeris.

41. Duriores & concoctu difficiliores cibos præſtat prius aſſumere, deinde cæteros.

42. Prandium ſemper cœna ſit liberalius.

43. Tempore matutino aſſumpta valde alterant ventriculi fermentum, hinc ſtomachica hoc tempore aſſumpta multum faciunt.

44. In cœna liquidiora & facile reſolubilia commodius aſſumuntur, quoniam nutritio noctu melior, reſolutio autem ciborum difficilior eſt.

45. Medicamenta balſamica temperata inter cibos aſſumpta uſu continuato maximam vim poſſident in morbis chronicis alioquin rebellibus.

46. Aqua illa optima cenſetur, quæ cryſtallina, inſipida & levis eſt, nec facile in glaciem vertitur.

47. Ab aquæ ſalubritate & aeris maxima pars ſanitatis noſtræ dependet.

48. Aqua uti verum eſt menſtruum macrocoſmicum ſic quoque microcoſmicum, & quo aqua eſt purior, ſalibus privata, eo melior generatur lympha in corpore noſtro.

49. Aqua potus eſt naturaliſſimus & illis, qui ipſi aſſueſcunt, admodum ſalutaris eſt.

50. Vinum temperatum eſt optimum, nec nimis acidum, nec tartareum, nec dulce, nec ſpirituoſum.

51. Vinum generoſum ac bonæ notæ parce ſumptum inter ſtomachica, cordialia & confortantia primum obtinet locum.

52. Vinum Francicum, Hiſpanicum, Gallicum perſonis pituitoſis, ſanguinem viſcidiorem habentibus, magis ſunt convenientia; Moſellanum autem & Nekarinum illis ſalubre, qui ſanguinem habent ſubtiliorem.

53. Aquæ vitæ nimis ſpirituoſæ tempore matutino & ventriculo vacuo exiſtente ſumptæ damnum inferunt, temperatæ autem & ipſos inter cibos hauſtæ, fermentationem & ſpirituaſcentiam ſanguinis & chyli blande juvant.

54. Cereviſiæ illæ laudem merentur, quæ temperatæ ſunt, non facile aceſcunt, non caput replent & per primas vias facile tranſeunt.

55. Omnis potus matutinus & in ſera nocte factus ſanitati multum officit.

56. Potus calidi, ut infuſum herbæ Thee, Veronicæ calore, tenuitate ac fluiditate ſua humores viſcidos reſolvunt, ſanguinem fluidum ſervant, & ejus circularem motum promovent, acrimoniam ſalinam abſtergunt, illamque per ſudorem & urinam educunt.

57. Poſt potum calidum in copia aſſumptum ſtatim ventriculum cibis replere, & frigori ſe exponere, peſſimum eſt.

58. Infuſum Thee magis eſt temperans, Coffee magis deſtructivum acidi, ſuccoladæ nutriens & nervinum.

59. Potus calidi nimia in quantitate & uſu intempeſtivo hauſti tonum ventriculi laxant & corpus infirmant.

60. Motus & vigiliæ uti excitant ſpiritus, ſic ſomnus & quies illos magis ligat.

61. Æquilibrium uti in omnibus ſex rebus n. n. ſic quoque in ſomno, motu & quiete ſervandum eſt.

62. Somnus meridianus non omnibus nocet maxime aſſuetis, ſed tempore æſtivo magis prodeſt.

63. Sicuti ſtagnantes aquæ putreſcunt, ſic etiam ſanguis immotus manens.

64. Ignavia enervat vires, excrementorum congerie quotidie in majus creſcente calor conſopitus languet.

65. Vigiliæ nimis exſiccant, ſpiritus conſumunt & vires enervant.

66. Motus fortior ante aſſumptos cibos melior quam poſt illos.

67. Somnus optimum eſt virium refectorium.

68. Mens tranquilla ad vitam longam optima eſt medicina.

69. Tranſpiratio, alvus libera & excretio urinæ ſemper procuranda eſt.

70. Gaudium moderatum eſt effectus ad vitæ prolongationem quam utiliſſimus.

71. Amare ſanitati magis prodeſt quam nocet.

72. Nihil magis vitam abbreviat, quam continuus mœror ac triſtitia.

73. Affectus animi æquilibrium ſpirituum animalium tollere ſolent; ſic ira, nimium gaudium, amor inſanus motum nimis augent, eundem autem imminuunt terror, mœror, triſtitia &c.

CAPUT III.

De regulis ſpecialibus in diæta obſervandis.

Corpora ſicca humidant labor minor quam ex conſuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio & poſt hanc ambulatio, vigilia, & omnia genera ciborum, qui gelatinoſam ac mucilaginoſam ſubſtantiam continent.

2. Corpora nimis humida ſiccant immodica exercitatio, fames, ſpiritus vini, balneum ſiccum, ſal immodicus & cibus exercitationi ſtatim ſubjectus, & is ipſe ex volatilibus ſalinis calidis particulis conſtans.

3. Inediam facillime ſuſtinent mediæ ætates, minus juvenes, minime pueri & ſenectute confecti.

4. Qui increſcit, maxime eget cibo.

5. Calida lavatio & pueris & ſenibus apta eſt.

6. Vinum dilutius juvenibus, ſenibus meracius confert.

7. Juvenum minus, quæ aſſumant, intereſt.

8. Hyeme plus edere convenit, aſt minus bibere & victu uti pleniori: æſtate convenit plus bibere quam edere, & victu gaudere debili.

9. Potus tenuis magis æſtate, ſpirituoſior magis hyeme convenit.

10. Verno tempore paulum cibo eſt demendum & adjiciendum potui, & eo anni tempore venus eſt tutiſſima.

11. Medicamentis calorem moventibus æſtate non commode utendum, ſed magis autumno & hyeme.

12. Per autumnum propter cœli varietatem periculum eſt maximum: Itaque bene ſe veſtire tunc prodeſt, & bene operiri præcipue diebus frigidioribus, & cibo jam paulo pleniori uti licet, minus aſt meracius bibere.

13. Æſtate in totum, ſi fieri poteſt, abſtinendum eſt a venere.

14. Venus nec nimis concupiſcenda, nec nimis pertimeſcenda eſt, rara corpus excitat, frequens ſolvit.

15. Venus illa non inutilis, quam corporis nec languor, nec dolor ſequitur.

16. Concubitus interdiu pejor eſt, tutior noctu.

17. Quando ventriculi concoctio facta eſt, tunc mane

mane ſurgendum, quando autem nondum ſoluta & mane ſurgendi neceſſitas fuerit, redormiendum.

18. Habitare in ædificio lucido perflatum æſtivum, hybernum ſolem habente: cavere ſolem meridianum, matutinum & veſpertinum frigus: auræ ſtagnorum ac fluminum, minimeque nubilo ſe committere cœlo, & dormire in loco non humido, ſed temperato perſlabili, optimæ ſanitatis regulæ ſunt.

19. Integrum & ſanum corpus eſt, quando urina ex albo flava, deinde rufa eſt; illud concoquere, hoc concoxiſſe ſignificat.

20. Exercitatio ſeu motus ad ſudorem uſque & laſſitudinem quandam cum cibi abſtinentia interdum inſtituenda eſt, ad corpus ſanum ſervandum.

21. Nimia ſatietas nunquam utilis, ſæpe quoque inutilis nimia abſtinentia.

22. Quibus caput infirmum eſt, illi abſtineant ab omnibus vaporoſis, cepis, atque etiam ſuavibus odoribus.

23. Hypochondriaci, ſcorbutici, hyſtericæ aerem humidum & craſſum vitent, qui tranſpirationem prohibet; quo enim tranſpiratio in illis eſt liberior, eo ſtatus melior.

24. In omnibus inflammationibus, morbis ſalinis & aliis exanthematibus variis, variolis nimirum, vitandus eſt aer nimis calidus & etiam nimis frigidus, ſed temperatus hic maxime confert.

25. Omnis animi fatigatio poſt cibum inutilis eſt & præcipue illis, qui capitis dolores habere conſueverunt.

26. Gravedines & deſtillationes conſuetæ abigi poſſunt aere, loco, aquiſque mutatis.

27. Solis nimius ardor ſemper vitandus eſt.

28. Semper poſt cibum conquieſcere, ac neque intendere animum, neque ambulatione quamvis leni dimovere, expedit.

29. Qui coli doloribus aſſueti ſunt, admittant concoctu facilia, utantur cibis & potionibus calidis, balneo; denique omni modo evitent frigus, item dulcia omnia, legumina & quicquid inflare conſueſcit.

30. Qui ſtomacho frigido laborant, iis exercitium, vinum vel potus calidus optimus eſt, & cibus concoctu facilis.

31. Quibus nervi dolere & infirmi eſſe ſolent, vitent venenum, crudos cibos, partem, quæ affecta eſt, objiciant labori & frigori, niſi cum dolor increvit, ſub quo quies eſt optima.

32. Bona ventriculi coctio omnibus vitiis & morbis occurrit.

33. Aer athmoſphæricus omnibus ulceribus & vulneribus eſt inimicus.

34. Frigus inimicum eſt ſenibus, tenuibus, vulneribus, præcordiis, inteſtinis, veſicæ, auribus, coxis, ſcapulis, naturalibus, oſſibus, dentibus, cerebro, nervis.

35. In morbis a cauſa calida ſalina omnia aromata, calida, acria omni modo ac ſtudio ſunt evitanda.

36. Fere omnis ventus a mediterraneis regionibus veniens ſalubris eſt, a mari vero gravis eſt; morbi etiam pejores bono tempeſtatum habitu & leviores ſunt & promtius finiuntur.

37. Peſſimum ægro eſt cœlum, quod ægrum fecit.

38. Alimentorum proprietates noſſe exacte Medicus debet.

39. Omnia legumina, quæ ex frumentis panificia ſunt, valentiſſimum alimentum præbent, item omnia grandia animalia marina, ex avibus, feris, quadrupedibus, domi natis, quo ſpectant mel, lac, caſeus, ſalita.

40. Ad medium victum pertinent olera, bulbi, piſces, qui ſalem non patiuntur ex quadrupedibus, lepus, aves pene omnes.

41. Imbecilliſſimum alimentum præbent omne olus, & quicquid in caule naſcitur, qualis eſt cucurbita, cucumeres, omnia poma, cochlea, conchyliæ.

42. Plus alimenti eſt in pane quam in ullo alio.

43. Caro ſuilla facillime apponitur & cedit in alimentum, ſed tranſpiratione eget, ne excrementum fiat ſimul alimentum.

44. Ex potionibus, quæ ex frumento factæ ſunt, item lac mulſum, vinum dulce aut vehemens, aut magnæ vetuſtatis vehementiſſimi generis ſunt, aſt aqua omnium imbecilliſſima.

45. Aqua leviſſima pluviatilis eſt, deinde fontana, tum ex flumine, poſtea ex puteo: poſt hæc ex nive aut glacie: gravior illa ex lacu: graviſſima ex palude.

46. Quo levior & melior eſt aqua, quod pondere apparet, eo celerius & caleſit & frigeſcit, & citius ex ea legumina percoquuntur.

47. Alimentum quo eſt valentius, eo minus facile concoquitur, ſed ſi concoctum eſt, plus alit & contra.

48. Hominibus, qui ſunt imbecillis naturæ, qui morbo adhuc laborant, vel ex morbo evaſerunt alimentis infirmis parum alimenti habentibus opus eſt: Mediocriter firmi mediam materiam optime ſuſtinent: Robuſtis, robuſtiora & magis ſubſtantifica apta ſunt.

49. Juſcula ſic dicta confortantia, ſubſtantifica, pinguia febricitantibus, & aliis ægrotantibus valde obeſſe ſolent.

50. Gravidæ exactiſſime ſex rerum non naturalium obſervent uſum, & vitent omnes motus animi & corporis fortiores, & quæcunque turbas in ſanguine & liquore animali excitare, uterumque irritare poſſunt.

51. Acida, ſpirituoſa, alvum obſtruentia, chylificationi reſiſtentia, gravidis & puerperis inimica ſunt.

52. Puerperæ primis a partu diebus victu utantur tenuiſſimo, & fugiant omnia frigida, acida, fermenteſcibilia, motus graviores tam animi quam corporis: tranſpiratio in iis ſit libera, & diæta prorſus ſit excarnis.

53. Nutrices omni ſedulitate caveant ab acidis, ſpirituoſis, acribus & animi pathematibus: hæc enim luctuoſam plerumque exhibere conſueſcunt κατάςροφὴν in ipſis infantibus, quotidiana experientia id atteſtante.

54. Infans in lucem editus oleo amygdalarum dulci, & ſyrupo rhabarbari primum purgandus, & ſemper id agendum eſt, ut alvus correſpondeat, & lactis coagulatio inhibeatur, quo faciunt terrea, abſorbentia, carminativa, ſale volatili oleoſo imbuta.

55. Plurimi infantes ex copia lactis morbos lethales ſibi contrahunt.

56. Lenia emetica infantiles morbos plures avertunt.

57. Medicamenta magis nutricibus propinanda, quam ipſis infantibus, & hæ exacte vitæ regimen teneant.

58. Infantes ſæpius ſumant alimentum ſed paucum, & videndum ſemper, ut tranſpiratio ſit libera.

59. Pueris ſubtrahenda ſunt ſpirituoſa, mellita, lacticinia, ſaccharata, omniaque muſcarum ſordibus & ovis conſpurcata, quippe quæ lumbricos fovent & gignunt.

60. Adoleſcentibus & juvenibus conveniunt lenes corporis motus, ſaltatio, exercitia moderate adhibita: nocent ipſis & illorum ingeniis cum peſtis ebrietas, venus & creber purgantium uſus.

61. Virili in ætate qui ſunt, in ſex rerum non naturalium

turalium uſu mediocritatis terminos obſervent, & interdum utantur infuſis purgantibus, potu calido Thee, Coffee, balneis & ſudoriferis.

62. Senili ætati ſacra ſunt omnia confortantia, humidum radicale conſervantia, ſuccolada, juſcula alimentoſa, ſtomachica, ſalia volatilia oleoſa, ambrata; Nocent ipſis purgantia aloetica, ebrietas, venus & cibi concoctu minus faciles.

63. Fumus Nicotianæ magis ad medicinam, quam ad delectationem eſt admittendus.

64. Perſonis pituitoſis cœlo nubiloſo in regionibus ſeptentrionalibus aere exiſtente gravi, & humido, ejus uſus non prorſus diſſuadendus eſt; nocet autem ſiccis, ſenibus, juvenibus & qui nervos habent imbecilles.

THERAPEUTICES

CAPUT I.

De Methodo medendi regulis generalibus.

Methodus medendi eſt vel generalis, vel ſpecialis. Generalis addiſci poteſt certis regulis; ſingularis ſeu ſpecialis autem non, & eſt nihil aliud quam judicium Medici.

2. Ratio & conſilium, uti propriæ Imperatori ſeu Duci ſunt artes, ita & Medico.

3. Uti JCtus ſine lege erubeſcere debet: ſic & Medicus ſine experientia.

4. Duo fulcra methodi medendi ſunt; *Ratio* nempe & *Experientia*; Unum ſine altero claudicat & vacillat.

5. Fallacia cauſæ ut cauſæ in nulla diſciplina magis, quam in medicina committitur.

6. Ad experientiam medicam requiritur, (α) accurata omnium circumſtantiarum exploratio, (β) medicamenti applicatio, cujus præparatio mihi nota ſit: (γ) Eventus eſt annotandus poſt medicamenti applicationem, non ſemel, ſed pluribus vicibus.

7. Medicus intendere debet, ut cito, tuto, jucunde compendioſe curet.

8. Medica praxis melius docetur per caſus & exempla, quam per capita morborum & medicamentorum.

9. Curationum animæ ſunt temporum opportunitates.

10. Omnia ſecundum rationem facienti ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non tranſeundum citra rationem.

11. Videndum, ne tantum ex una parte noceamus, quantum proſumus ex altera.

12. Quo natura vergit, eo ducenda, contra eam nunquam aliquid agendum.

13. Deliberandum diu, quod ſtatuendum ſemel eſt.

14. Quod non curavit ratio, ſæpe curavit temeritas.

15. Nec nimis temere, nec nimis timide.

16. Non omnis periculoſa curatio exitialis eſt.

17. Nihil æque ſanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio.

18. Multa experiundo fiunt, quæ ſegnibus ardua eſſe videntur.

19. Quæ ducere oportet quo maxime natura vergit, eo ſunt ducenda.

20. Ab omni arte aliena quidem res eſt dilatio maxime in medicina, in qua dilatio vitæ periculum parit, quare auxiliari non differas.

21. Temporibus medicina data juvat, ſero medicina paratur.

22. Notandum nullum eſſe remedii genus, quod eandem habet vim in ſingulis, unde niſi in omnibus remediis rite vis obſervetur & ſubjectum patiens cum objecto agente conferatur, non obtinebis ſemper optatum finem.

23. Eſt prudentiæ granum, ad medicinas fortes non devenire, ſi debiles ſuffecerint.

24. Virium conſtantia ad omnem evacuationem requiritur.

25. Medicorum diſcordia ſanitati ægrorum officit.

26. Tutius eſt uni fideli & bono Medico ſe committere, quam plurimis.

27. Medicamentorum tam Chymicorum, quam Galenicorum maxima ſemper eſt neceſſitas.

28. Medicamenta temperata naturæ ſunt grata & amica, nec facile nocent; quæ autem exceſſivis qualitatibus ſunt prædita majori cautione egent in applicatione.

29. In medendo gradus teneri oportet, ſenſim ab imbecillioribus ad potentiora aſcendendo.

30. Notabile eſt, qua methodo currente anno certo morbo laborantes plures liberaveris, eadem ipſo anno vertente forſan e medio tolles.

31. Simpliciora medicamina ſæpiuſcule compoſitis præferenda ſunt.

32. Medicus in omni morbo reſpicere præcipue debet, (α) ad naturam & conſtitutionem ægri, (β) ad temperiem & motum ſpirituum animalium & ſanguinis, denique primarum viarum conſtitutionem bene noſſe debet.

33. Quoniam Medicus naturæ eſt miniſter, & natura optima morborum medicatrix; hinc ſemper ad operationem & ſcopum naturæ attendere, illumque magis promovere quam turbare debet.

34. Omnis curationis cardo vertitur in inventione medicamenti, ejuſque applicatione; In utroque noſſe Medicus debet exacte (1) morbi cauſam, conditiones & ſtatum, (2) medicamentorum proprietates & agendi modum, (3) naturam indicantium, permittentium, contraindicantium, & omnium circumſtantiarum rationem compertam ac cognitam habere debet.

35. Paucis utatur Medicus remediis; illis tamen ſelectis & optimis, & magis ſimplicibus quam compoſitis, ac propria experientia per diſpenſationem ipſi notis.

36. In medicamentorum delectu ſemper videndum, non quid poſſit præſcribi, ſed quid debeat.

37. Crebra medicamentorum mutatio ignorantiam Medici arguit, & ægro perniciem inducit.

38. Non continuo medicamentorum uſu fatigandi ſunt ægri, utpote quæ ſemper alterant, & tonum ventriculi & digeſtionem deſtruunt.

39. Plures ad ſanitatem redire non potuerunt propter copiam medicamentorum.

40. Quotieſcunque effectum ſingularem tam æger quam Medicus a medicamentis percipit, toties illis medicamentis inſiſtendum eſt, nec facile illorum mutatio ſuadenda.

41. Applicatio medicamentorum verum eſt arcanum Medici.

42. Qui panaceas & medicinas univerſales crepant, plerumque indocti vel deceptores ſunt.

43. Medicamenta dantur polychreſta, quæ plurium morborum indicationi ſatisfaciunt, non autem univerſalia, quæ omnes curant morbos.

44. Medicamina ſapientibus priſcis θεῶν χεῖρες appellata fuere, ut hominibus inculcarent, ea ſumma cum

cum reverentia & cautiſſime eſſe adhibenda.

45. Medicamenta præſtantiſſima, in manu imperiti ſunt uti gladius in dextra furioſi.

46. Remedium quod uni ſæpe ſubjecto imo multis mirifice profuit, alteri non rite & circumſpecte exhibitum, maxime obſuit.

47. Præcipuum in medendo eſt judicium Medici, quod potiſſimum verſatur in applicatione medicamentorum; & hæc eſt vera medendi methodus, quæ ex libris non addiſcitur, ſed per experientiam & prudentiam acquiritur.

48. Fortuna in Medico eſt perſpicua cognitio cauſarum morbificarum & remediorum, illaque applicandi judicium: atque ita ſuarum rerum peritus Medicus ſibi ipſi fortunam fabricare poteſt.

49. Non negandum, cœleſtem quandam vim nonnunquam intercedere in curationibus, ut quicquid etiam, quanquam ex arte, moliatur Medicus, felici tamen careat ſucceſſu.

CAPUT II.

De medicamentorum elementis illorumque modo agendi & operandi.

Medicus vim, efficaciam ac vires medicamentorum, illorumque modum operandi perſpicue cognoſcere & ſollicite inquirere debet.

2. Quoniam medicamina non ratione activitatis ſuæ, ſed receptivitatis operationes in corpore noſtro exerunt; hinc Medicus non ſemper de medicamentorum effectu certus eſſe poteſt.

3. Activum quoddam principium ipſis remediis ineſt, aſt illud ratione effectus impediri, ſuſpendi, immutari pro diverſitate ſubjectorum, obſervationes paſſim loquuntur.

4. Uti totius naturæ, ſic quoque medicamentorum, elementa & principia mechanica ſunt, & uti omnes naturæ operationes mechaniſmo abſolvuntur: ſic quoque medicamentorum operationes optime ex mechanicis rationibus explicantur.

5. Medicamentorum naturam & proprietates qui noſſe vult, materiæ affectiones & motuum leges ex mechanicis cognoſcere & bonus phyſicus eſſe debet; ſecundo, chymico igne illorum elementa varie eruere, illaque tranſmutare debet; tertio, variis mixtionibus, experimentis naturam illorum ac indolem explorare, & per accuratam experientiam illorum vires perſpectas habere debet.

6. Operatio medicamentorum mere eſt mechanica & ex magnitudine, figura & motuum legibus optime explicari poteſt.

7. Sicuti motus diverſitas, quod major vel minor, tardior & celerior ſit, non dependet a corpori inſita potentia movendi, ſed potiſſimum a reſiſtentia alterius corporis majoris vel minoris; eodem modo motus ille, quem medicamenta partibus corporis fluidis communicare debent, non dependent ex efficacia medicamentis inſita, ſed pro varietate humorum varie ille determinatur.

8. Familiare in praxi eſt, remedia vim ſuam ſæpius amittere ac retinere novamque acquirere pro morbi natura & motu, variaque eorum, quibus exhibentur, conditione.

9. Sæpius medicamentum, quod uni ſubjecto prodeſt, alteri infenſum eſt, & contrarios producit effectus.

10. Falluntur, qui, certam ac infallibilem vim contra morbum medicamento ineſſe, firmiter ſibi perſuadent.

11. Applicare prudenter medicamenta pro varia ægrorum conſtitutione & morbi conditione, boni Medici eſt.

12. Medicamentorum operandi ratio ex primis qualitatibus, quatuor elementis inædificatis non bene derivatur.

13. Fons operandi ac indoles medicamentorum optime detegitur ex diverſa textura particularum ratione figuræ, magnitudinis & motus variarum.

14. Textura harum particularum optime cognoſcitur partim microſcopiis, chymico igne, partim variorum liquorum connubio & inde phænomenorum reſultantium attenta conſideratione.

15. Securiſſimus modus eſt a poſteriori & ab ipſa experientia & obſervationibus deſumere medicamentorum vires.

16. Optime medicamenti effectus exploratur, ſi ſeorſim, nec aliis mixtum in uſum trahatur, & quidem per certum ac longum tempus & idem medicamentum ſimili in caſu iiſdem correſpondentibus circumſtantiis non ſemel, ſed crebrius in uſum ducatur.

17. Medicamentorum vires ſæpius qualitatibus ſenſibus manifeſtis, nimirum acido, ſale volatili deducuntur, ſæpe occultis ſic dictis, id eſt, ex certa modificatione particularum reſultantibus, ſeu ſecundum Galenum tota ſubſtantia agunt.

18. Ignis non eſt genuinus corporum analyſta, ſic, quæ ope Vulcani ex medicamentis eliciuntur, non pro veris medicamentorum principiis actu inexiſtentibus habenda ſunt.

19. Uti cujuſvis concreti forma, virtus & qualitas mechanice ex certa particularum magnitudine, figura & ſitu emanat; qua textura mutata, extemplo alia oritur virtus & efficacia: ſic quoque eodem modo virtus medicamentorum ex particularum conſtructione proficiſcitur, qua mutata perit virtus medicamenti.

20. Valde illi decipiuntur, qui ſimplicium vires textura per ignem deſtructa, in qua reſidet vis medicamenti, quærunt illorum activitatem in ſpiritibus, oleis, ſalibus volatilibus.

21. Simplicia ſæpe plus præſtant ſuis præparatis, Eſſentiis, Elixiriis, ſalibus ex illis paratis.

22. Efficacia medicamentorum per principium ſenſibus obvium non ſemper demonſtrari poteſt.

23. Præſtat ex manifeſtioribus & in ſenſus magis incurrentibus principiis, ſi haberi poſſunt, v. gr. ex fermentatione, acido, alcali, ſulphure effectus particulares medicamentorum deducere, quam ex atomiſticis primis, quæ magis theoretica quam practica ſunt.

24. Quemadmodum omnis morbus in partibus corporis fluidis, quæ vel quantitate, vel qualitate, vel motu delinquunt, radicatur; ſic quoque medicamenta illarum partium, vel quantitatem, vel qualitatem, vel motum reſpicere debent.

25. Quantitas aucta exigit depletionem ſeu evacuationem, imminuta repletionem.

26. Evacuant humores: ſeu evacuantia ſunt V. S. vomitoria, purgantia, ſudorifera, diuretica, ſalivantia, ſternutatoria.

27. Reſtituunt humores imminutos ſanguinis transfuſio, victus laudabilis & uſus ciborum nutrientium plethoram inferentium, quies.

28. Qualitatem ſive temperiem humorum reſpicientia dicuntur alterantia ſeu temperantia, quatenus intemperies humorum corrigunt, exceſſivas temperant & temperiem fluoribus reſtituunt.

29. Sicuti autem humores corporis noſtri ex particulis variis ratione figuræ & magnitudinis, nimirum ſubtilibus, fixioribus, ſulphureis, acidis, alcalinis, volatili-

volatilibus, terreis, mucilaginoſis, aqueis conſtant: ſic medicamenta horum principiorum exceſſivam qualitatem & prædominium imminuere, corrigere & alterare debent, & hinc alterantia varia exſurgunt.

30. Alterantia ſunt, (1) ſalina volatilia, alcalica, (2) ſalina alcalica fixa, (3) ſpirituoſa ſeu ſulphurea volatilia & ſale volatili oleoſo dotata, (4) ſulphurea fixa ſeu reſinoſa dicta balſamica, (5) acida volatilia, (6) acida fixa, (7) emollientia mucilaginoſa particulis ramoſis oleoſis imbuta, (8) aquea diluentia, (9) ſalina mediæ naturæ, (10) corroſivo ſale acri prædita, (11) terrea fixa, (12) vaporoſa. Ad has claſſes omnia medicamenta alterantia manifeſto principio agentia deduci poſſunt.

31. Reliqua alterantia, quæ occulto quodam principio agunt ex mechanica quadam particularum conſtructione, dicuntur *Specifica*.

32. *Specifica* medicamenta ſunt duplicia, vel quæ certæ parti corporis conveniunt & amica ſunt, vel quæ certæ morbificæ cauſæ oppoſita ſunt, ſicque certum morbum curant.

33. Quod medicamentum uni corporis parti magis conveniat quam alteri, id dependet a diverſa partium ſolidarum configuratione, quoad ipſos poros, texturam ac ſtamina, e quibus contextæ ſunt, & a varia particularum medicamenti conſtructione partium ſolidarum poris correſpondente.

34. Et uti dantur medicamenta certæ parti amica, ſic quoque dantur, quæ certæ parti ſunt inimica.

35. Dantur medicamenta acida, volatilia, vaporoſa, *Anodyna* dicta, quæ, licet manifeſtis qualitatibus gaudeant, propter ſtructuram tamen, qua inter ſe differunt, ſpecificum in morbis habent effectum.

36. *Specifica*, quæ certæ parti affectæ ſaltim opitulentur, in reliquis autem nihil valeant, dari, abſurdum eſt.

37. Medicamenta motum humorum moderantia ſunt vel motum celerem efficientia vel nimis celerem ac inordinatum ſiſtentia ac componentia.

38. Motum humorum celerem naturalem reſtituunt omnia ſic dicta cordialia, confortantia, ſpirituoſa, elaſticas, æthereas ſubtiles & amicas particulas ſpiritibus animalibus & ſanguini ſuppeditantia, deinde omnia deobſtruentia, quo ſpectant præter antea dicta evacuantia & alterantia, præcipue gummata & reſinoſa, martialia, antimonialia & mercurialia, quæ omnium potentiſſima ſunt.

39. Motum impetuoſum & celerem ſiſtentia ſunt præter acida nitroſa, alterantia, ipſa anodyna, quæ blanda ſulphurea ἀναδυμιάσει quodammodo celerem iſtum motum ſiſtunt, & ipſa adſtringentia.

40. Quodvis medicamentum evacuans, alterans & motum in æquilibrio ſervans pro diverſitate cauſæ morbificæ & intemperiei corrigendæ poteſt eſſe *cephalicum*, *ſtomachicum*, *uterinum*, *pectorale*, *bezoardicum*, *hepaticum*.

41. *Cephalica* dicuntur illa, (α) quæ poros obſtructos cerebri & nervorum reſerant, (β) quæ materiam ſpiritibus animalibus ſuppeditant, qualia ſunt omnia ſale volatili oleoſo blando & reſinoſo principio fœta, ut ſunt ros marinus, lavendula, majorana, origanum &c. (γ) cephalica dicuntur illa, quæ ſpirituum animalium motum nimis celerem quadantenus compeſcunt, qualia ſunt, quæ paregoricis, ſulphureis, blandis, vaporoſis conſtant, v. gr. flores tiliæ, liliorum convallium, primulæ veris, pæoniæ, ſambuci, moſchus, zibetum, Ambra, nuciſta, camphora &c.

42. Omnia cephalica ſunt ſimul *nervina*, *uterina*, *antiſpaſmodica* & contra.

43. *Pectoralia* dicuntur illa, quæ materiam acrem ſubſtantiæ pulmonum inſenſam demulcent ac leniunt, veſiculas membranaceas pulmonales conſolidant & humores viſcidos incidunt, ut ſunt omnia emollientia, mucilaginoſa, humectantia, vulneraria.

44. *Stomachica* medicamenta reſpiciunt vel fermentum ventriculi vel calorem vel robur.

45. Acida volatilia, & ſalina incidentia fermentum ventriculi, aromatica & ſpirituoſa calorem, leniter adſtringentia tonum ventriculi reſtituunt.

46. Alexipharmaca ac bezoardica dicuntur illa, quæ mixturam ſanguinis turbatam & deſtructam reſtituunt, & vinculum ſeri ac ſanguinis conſervant, uti ſunt Theriacalia, pulveres bezoardici.

CAPUT III.

De Evacuantibus, illorum uſu & abuſu.

SAnguinis miſſio generoſum eſt remedium & uti multis utile, ſic quoque ejus uſus multis damnoſus exiſtit.

2. Quando vires debiles ſunt, nullaque ſanguinis & humorum adeſt abundantia, primæ viæ humoribus excrementitiis obſeſſæ, appetitus emortuus, dejectionum copia, tempore hyemali, in morbis frigidis & diuturnis Venæ ſectionis uſus damnoſiſſimus eſt.

3. Quando ſanguis abundat, & majus ſpatium affectat, & ordinariæ ejus evacuationes ſunt ſuppreſſæ, ſi vires præſentes ſunt, & atrociſſimus dolor ad partem dolentem affluxus, Venæ ſectio ſacra eſt anchora.

4. In regionibus calidis facilius ferunt Venæſectionem quam in frigidis.

5. Teſtatur experientia, ſæpe unica venæſectione conquieviſſe morbum.

6. Nihil magis indicat *Venæ ſectionem* quam dolor & plethora.

7. Præter finem venæſectionis evacuatorium datur etiam derivatorius, quia ad venam apertam ſanguis ἀθρόως ruit.

8. Fluxus ſanguinis nimius in partibus ſuperioribus curatur per venæſectionem in partibus inferioribus inſtitutam & contra.

9. Prima venæſectio a morte & magno morbo liberare poteſt, ſi a plethora morbus provenit.

10. Poſt *Venæ ſectionem* pulſus ſemper eſt major, concoctio autem debilior.

11. Abuſus *Venæ Sectionis* diſponit ad cachexiam, hydropem, malum hypochondriacum, & febres intermittentes reddit pertinaciores.

12. Non tantum ſanguis ſubtilis & fluidus per venæſectionem exit, verum etiam craſſus, dempta enim ejus parte reliquus facilius medicamentis alterari poteſt.

13. Venæ ſectio conſueta intermiſſa non raro magnos produxit morbos.

14. *Arteriotomia* carere poſſumus in medicina & hujus loco ſubſtituenda eſt ſectio venarum minutiſſimarum.

15. *Cucurbitulæ* venæſectionis vicariæ eſſe poſſunt in ſeroſis pinguibus catarrhoſis perſonis, & ubi dolor & obſtructio profunda adeſt, apprime utiles.

16. Ubi nervi obruti ſunt copia tenacium viſcidorum humorum, locum habere *cucurbitulæ* poſſunt & non ſolum evacuant, verum etiam rarefactionem inducunt & motum debitum humoribus & ſanguini conciliant.

17. Membra gangræna affecta ſcarificatione felici cum effectu ſæpius tractantur.

18. *Purgantia* agunt ſale quodam ſulphureo acri ſtimulante irritante & ſpaſmodice contrahente ac convellente fibras ac glandulas inteſtinales.

19. Quo

19. Quo ſal illud acre differt ratione acredinis & corroſivitatis, purgantia ratione effectus differunt, & ſunt vel leniora vel fortiora; leniora ſunt folia ſennæ, rhabarbarum, caſſia, tamarindi, manna, polypodium, aloes varia genera, mechoacanna, myrobalanorum ſpecies, centaurium minus; & hæc dicuntur quoque laxantia: fortiora ſunt radix jalappæ, ſcammonium, eſula, colocynthis, helleborus niger & albus, gummi guttæ & ex illis varia præparata ac compoſita.

20. *Purgantia* propter ſal illud acre cauſticum ſimul alterantia ſunt, dum incidunt, attenuant ac colliquant viſcidos craſſos humores in inteſtinis hærentes.

21. *A purgantibus* non tantum contenta inteſtinorum, verum etiam glandularum inteſtinalium, pancreatici & bilioſi humores educuntur.

22. Non dantur juxta Veteres purgantia ſpecifica, quæ nempe certum humorem occulta qualitate attrahunt & evacuant.

23. Dantur tamen *purgantia*, quæ huic vel illi humori educendo magis vel minus conveniunt; Sic *rhabarbarum*, *tamarindi* optime bilem; *gummata*, *manna*, *folia ſennæ*, *polypodium* acidos humores; *radix hellebori* glutinoſos & viſcidos humores; *Mechoacanna & jalappa* ſeroſos expurgant, quatenus ſimul alterantem virtutem poſſident.

24. Acidi & viſcidi humores difficilius purgantur, hinc opus eſt, prius præmittere alterantia & corrigentia, & hæc dicuntur *Digeſtiva.*

25. *Purgantia fortiora* in morbis, ubi Maſſæ ſanguineæ mixtura, ſpirituum craſis ac vires deficiunt, & ubi humidum deficit, pulſus debilis eſt & bilis acris ac tenuis, quique ventriculum debilem habent, nunquam danda ſunt.

26. Præſtat *purgantia fortiora* ſemper refracta in doſi dare additis ſalibus incidentibus, abſterſivis & carminativis, quæ purgantium optima incentiva & corrigentia ſunt.

27. Intempeſtivo purgantium uſu plures in cachexiam, hecticam, phthiſin conjecti ſunt.

28. Ante *purgantium fortiorum* uſum ſemper prius tollendæ obſtructiones glandularum & vaſculorum minimorum ſunt, quoniam purgantia conſtrictione ſua ſpaſmodica magis obſtructiones firmant.

29. Quævis copioſior ac vehementior *purgatio* plus nocet, quam prodeſt, & præſtat per epicriſin purgare & educere peccantes humores, quam ſimul & ſemel.

30. *In purgatione*, quæ ad morborum præſervationem fit, tempus anni & lunæ phaſes attendendæ ſunt; imminente enim plenilunio magis in corpore augentur humores & tumores.

31. Peſſime illi faciunt, qui, quando fortius purgans non operatur, alterum fortius ſuperingerunt, & ſic ad purgationem naturam cogere volunt.

32. Melancholici, hypochondriaci, quartanarii propter copioſum acidum in primis viis contentum & purgantium vim enervans, difficillime purgantur.

33. Aloetica, rhabarbarina optima ſunt purgantium, non tantum blande educunt, verum etiam acidum corrigunt & bilem balſamicam reddunt; poſſunt optime dari cum cibis.

34. Foliorum ſennæ, & rhabarbari virtus magis per infuſionem quam coctionem extrahitur.

35. Aloetica melius operantur in humidis & pinguibus, quam in ſiccis perſonis, & hoc habent incommodi, quod alvum ſiccent per aliquot dies & facile hæmorrhoides aperiant.

36. Mercurius dulcis convenienti doſi & caute adhibitus egregium eſt purgans, nec alvum adſtrictam reddit poſt operationem; poteſt aſſumi in pilulis, quo modo in obſtructionibus reſerandis ac in tenacibus viſcidis humoribus colliquandis efficaciſſimus eſt.

37. Mercurius dulcis cum ſalibus intime mixtus deleteriam rurſus induit naturam, & fortes purgationes ac ſalivationes excitare ſolet.

38. Circa ſolſtitia, æquinoctia & diebus canicularibus non ſuadendæ purgationes ſunt.

39. In paroxyſmis omnium morborum non facile admittendæ purgationes ſunt, ſed potius extra illos.

40. Eleganti ſtratagemate purgantibus immiſceri poſſunt aperientia, præcipitantia, diaphoretica, etiam opiata ſummo cum effectu in variis morbis.

41. Poſt purgationem ſemper magis convenit motus quam quies, & abſtinentia a cibis.

42. Aer & potus frigidus poſt purgans aſſumptum ceu venenum vitandus eſt.

43. *Vomitoria* agunt irritando ac ſpaſmodice contrahendo pylorum & tunicas ventriculi ac œſophagi ſale quodam ſulphureo volatili acri.

44. Differunt emetica & purgantia gradu, & diverſitate acrimoniæ ſalino-ſulphureæ irritantis, volatilioris vel fixioris, hinc vomitorium facile purgans fieri poteſt, & purgans per ſuperiora evacuare.

45. Purgantia recentia particulis ſuis volatilibus adhuc inſtructa facile excitant vomitum.

46. In quartanariis, hydropicis, melancholicis raro operantur emetica, ob ſal acre volatile medicamenti enervatum ab humoribus acidis in ventriculo ſtabulantibus.

47. Ex vomitoriis ſecuriſſima & ſelectiſſima ſunt *Tartarus emeticus* & *mercurius vitæ* rite correctus ac edulcoratus, ſulphur antimonii correctum & ſal vitrioli.

48. Vomitoria magis in forma liquida & felicius doſi refracta exhibenda ſunt, nec unquam natura cogenda ad vomitum eſt.

49. Vomitoria, licet non operentur, nihil nocent, ſed lenes ac utiles ſæpe inſtituunt ſalivationes ac purgationes.

50. Indicant *vomitorium* nauſea, os amaricans, præcordiorum dolor, ſputum copioſum, labiorum tremor & ſtagnatio humorum bilioſorum viſcidorum in ipſis præcordiis.

51. Contraindicant *vomitorium* habitus corporis obeſior, lipothymia familiaris, inflammatio ventriculi, pulmonum læſio, prolapſus uteri & inteſtinorum, virium dejectio, ſyſtema nervoſum debile & difficultas vomendi, imprægnatio.

52. Æſtate magis emetica, hyeme magis purgantia proſunt.

53. Præſtat non tantum ab aſſumpto *vomitorio* ſubinde repetere vehiculum debitum & pingue, ſed etiam quando ipſum operatur per vices eodem adjuvare.

54. Ut in purgantibus, ſic quoque in *vomitoriis* motus & calor convenit.

55. Præſervatio a morbis omnibus contagioſis optime fit vomitu.

56. In principio hectices & phthiſeos, ubi malum adhuc latitat in primis viis, in morbis ventriculi a saburra viſcidorum humorum ortis, colica pertinaci, cardialgia, obſtructione ductuum biliariorum, aſthmate ſtomachali, intermittentium contumacia, affectibus ſoporoſis, *vomitoria* præſentiſſimam opem ferunt.

57. *Vomitoria* etiam die paroxyſmi febrilis non nocent.

58. Ad præſervationem doloris arthritici, podagrici, colici, nephritici, & mali epileptici magno cum fructu ſæpe data fuerunt *vomitoria.*

59. Infantiles plures morbi optime curantur *vomitu.*

60. *Vo-*

60. *Vomitoria* cum diaphoreticis exhibita in obſtructionibus morborum gravioribus efficaciſſima ſunt.

CAPUT IV.

De ſudoriferis, diureticis, ſalivantibus, & aliis evacuantibus, illorum modo agendi, uſu & abuſu.

SUdorifera agunt motum & circulum ſanguinis promovendo, dum ſale oleoſo volatili vel alcalinis fixis particulis, vel acidis ſulphureis volatilibus humores viſcidos incidunt, acidos deſtruunt & particulas, elaſticas, æthereas, impulſumque mitiorem cordis & arteriis conciliant.

2. Sunt vel volatilia, vel medii generis, vel fixa.

3. Volatilia ſunt ſpiritus urinoſi volatiles, & omnia ſalia volatilia ex animali regno petita, ſpiritus tartari, fuliginis volatilis, tinctura antimonii vel ſulphuris volatilis, tinctura coralliorum cum ſpiritu lignorum vel tartari parata, ſal volatile eboris ſuccinatum, & omnes radices ſic dictæ alexipharmacæ, ſale volatili oleoſo imbutæ, camphora, ex ſambuco parata.

4. Medii generis *ſudorifera* ſunt omnia theriacalia, theriaca cœleſtis, de citro, diaſcordium *Fracaſtorii*, *Sylvii*, & acido ſulphureo, volatili principio fœta, uti ſunt mixtura ſimplex, tinctura bezoardica, acetum theriacale, aqua prophylactica, ſal volatile eboris, viperarum cum acido tartari fixatum, ſpiritus ſalis ammoniaci cum aceto deſtillato, lignoſa, illorum decocta, eſſentiæ, flores ſulphuris, lac ſulphuris &c.

5. *Sudorifera* fixiora ſunt omnia terrea, uſta alcalina, v. gr. antimonium diaphoreticum, ejus ceruſſa, Cornu Cervi uſtum, magiſterium antimonii diaphoretici ſeu materia perlata, lapides cancrorum, conchæ præparatæ.

6. Fixiora ſecundi generis ſunt ſalina fixa, v. gr. vegetabilium ſalia fixa, nitrum antimoniatum, lapides prunellæ, arcanum duplicatum; huc ſpectant etiam amara ſale fixo copioſo imbuta, uti ſunt abſynthium, carduus benedictus, ſcordium &c.

7. *Sudorifera*, quæ copioſius oleum fovent volatile per deſtillationem eliciendum, magis calida ſunt, & majorem corpori calorem conciliant, quam quæ ex ſale volatili deprompta ſunt.

8. Una guttula olei deſtillati plus calefacit, quam decem grana ſalis volatilis.

9. Agunt *ſudorifera* vel poſitive vel privative: poſitive, quæ particulis volatilibus ſpirituoſis motum conciliant celeriorem; privative, quæ impedimenta ſanguinis motum retardantia removent, qualia ſunt omnia fixa alcalina acidum deſtruentia.

10. Opiata, anodyna & theriacalia, quæ præcipue propter opium agunt, ſudorem ſæpe largiſſimum movent, dum vaſcula ſubcutanea nervea, illorumque poros vel a doloribus, vel a furibundo ſpirituum animalium motu, vel alia ſpaſmodica contractione nimis conſtrictos ac criſpatos iterum laxant.

11. *Diaphoretica* & *ſudorifera* differunt tantum gradu, & leniora *ſudorifera* dicuntur *diaphoretica*.

12. *Sudorifera*, ſunt quaſi evacuantia univerſalia, & optima medicamenta habent locum in omni ſtagnatione ſanguinis & lymphæ, in principio inflammationum, in tumoribus, febribus intermittentibus, malignis, peſte, morbis frigidis ab obſtructione enatis, ſanguinis circulo debili, nervis pituita obſeſſis, catarrhalibus defluxionibus.

13. *Sudorifera* volatilia & calida caute in nimiis ſanguinis ebullitionibus, hectica, febribus ardentibus, doloribus gravioribus, & quando propter minutiſſima vaſcula obſtructa ſanguinis circulus impeditur, ac ſerum deficit: vel quando primæ viæ craſſis viſcidis acidis humoribus obſeſſæ ſunt, tunc enim calorem, ardorem, dolorem, vigiliam augere, hæmorrhagias excitare, imo paralyſin & apoplexiam inducere poſſunt.

14. Semper *diaphoreticis* præmittenda ſunt primas vias evacuantia, & a ſaburra humorum vitioſorum illas deplentia.

15. Nunquam cogendus æger eſt ad ſudorem, & præſtat nullum, quam coactum prodire ſudorem.

16. Calor externus & *balnea* ſudoriferorum vim augent poros dilatando & humores fundendo.

17. *Balnea Laconica* cum ſpiritu vini inſtituta in morbis frigidis ab humoribus pituitoſis viſcidis ortis egregiam præſtant operam.

18. *Diaphoretica* ante paroxyſmos febrium intermittentium exhibita illos ſenſibiliter levant.

19. *Diaphoretica* omnia ſunt ſimul alterantia, & ſimul incidendo ac corrigendo vitioſos humores operationes egregias efficiunt: hinc non ſemper ſine ſudorem expellendi, ſed ſæpiſſime ſine alterandi exhibentur, nullum impetrando poſt illorum uſum ſudorem: præterea nullum medicamentum magis ſanguinis mixturam turbatam reſtituit quam *diaphoreticum*.

20. *Diaphoretica* opiatorum optima ſunt correctiva.

21. *Diuretica* agunt vel fundendo ſanguinem, craſſoſque humores & circulationem eorum promovendo; talia ſunt ſalia omnia fixa, terrea, alcalina, nitroſa, potus calidi Thee, Coffee, vina, acidula varii generis, ſerum lactis; vel præcipitando ſeu particularum ſeroſarum a ſanguineis ſeceſſum faciendo; talia ſunt ſpiritus ſalis, tinctura aperitiva *Mœbii*, ſpiritus mineralium dulces: vel poros ac canaliculos renum minutiſſimos aperiendo, & renum glandulas ſtimulando; talia ſunt omnia ſubtiliſſimo ſulphureo oleo imbuta, juniperina, terebinthinacea, ſuccinata, aſparagus, petroſelinum, ſeleri, oleum cardamomi, cubebarum, aniſi.

22. Omnia calcinata ex marinis vel lapidibus egregie ſtimulant urinam, quatenus textura alcalina & particulis æthereis copioſis, in calcinatorum poris latentibus, craſſos viſcidos humores fundunt, acidum deſtruunt & canaliculos renum ſtimulant; quo ſpectant etiam animalia ſale volatili cauſtico prædita, uti ſunt millepedes, vermes majales, cantharides &c.

23. Omnia *diuretica* ſimul ſunt alterantia & craſſis viſcidis humoribus dicata.

24. *Diuretica* primis viis prius a ſordibus purgatis, ventriculo jejuno exiſtente, optime dantur in morbis frigidis, obſtructionibus viſcerum, malo hypochondriaco, tumoribus, hydrope, catarrhis regionem lumbarem occupantibus.

25. *Diuretica* optime præſervant a calculo, ſed fortiora in ipſo calculi paroxyſmo cautiſſime ſunt exhibenda.

26. In inflammationibus renum & aliorum viſcerum, hectica, phthiſi, ſerique defectu cautiſſime *diuretica* ſunt danda maxime fortiora.

27. *Apophlegmatizantia* dicuntur, quæ ſale quodam volatili plus minus acri glandulas palati & faucium ſtimulant, ſtimulando conſtringunt, pituitam viſcidam colliquant & expurgant, uti ſunt radices pyretri, angelicæ, maſtiches, nicotiana, cubebæ, ſemen ſinapi, myrrha &c.

28. Proſunt in guſtus defectu, in humoribus viſcidis capitis, partes occupantibus, catarrhis, glandulis faucium

faucium obſtructis & ad præſervationem in omni contagio.

29. Quoniam omne miaſma ſalivæ ſeſe aſſociat, & cum ipſa ſaliva ad ventriculum defertur, hinc quæ ſalivæ fluxum excitant, & mucum in fauce hærentem reſolvunt, & ad expurgationem ſtimulant, optima ſunt *Præſervativa.*

30. *Errhina* tam ſicca quam liquida agunt eodem modo ac apophlegmatizantia, & *ſternutatoria* ſunt *errhina* fortiora.

31. Omnia purgantia ſternutatoria ſunt, idem enim modus operandi purgantium & illorum, quæ ſternutationem movent.

32. Omnes herbæ cephalicæ ſale volatili oleoſo & acri fœtæ, ut & omnia ſalia volatilia, vel in forma ſicca vel liquida, pituitam e naribus educunt.

33. *Errhina* magis commendanda ſunt ipſis *ſternutatoriis.*

34. Nocent *ſternutatoria* primis viis non evacuatis vel obſtructis, in lethargo, apoplexia, cœcitate, omnibus hæmorrhagiis, hæmoptyſi, fracturis, luxationibus coſtarum, procidentia uteri, gravidis, phthiſicis.

35. Proſunt *ſternutatoria* in obſtructione cerebri & narium, in declinatione coryzæ, dolore gravativo capitis.

36. Notabile eſt, angulo oculi compreſſo *ſternutationem* impediri.

37. *Expectorantia* dicuntur illa, quæ ſale quodam tenui volatili oleoſo glandulas ac tunicas bronchiorum irritant, ad excretionem ſtimulant & lympham craſſam attenuant.

38. *Expectorantia* optima ſunt ſperma ceti, oleum amygdalarum dulcium, ſyrupus violarum, looch pulmonum vulpis, ex enula, liquiritia, cherefolio, gummi ammoniaco parata, ſyrupus nicotianæ, de eryſimo &c.

39. *Expectorantia* magnam habent efficaciam in tuſſi humida, aſthmate, catarrho ſuffocativo, raucedine, phthiſi, pleuritide &c.

40. *Salivationem* inſtituunt univerſalem mercurialia tam interne, quam externe per ſuffimigia adhibita.

41. Operantur *mercurialia* dum ſale ſuo minerali æthereo penetrantiſſimo viſcidos humores incidunt & colliquant; deinde quoniam mercurius ratione texturæ ſuæ alcalinæ cum acidis ſpiculis in humoribus oberrantibus facile conjungitur, corroſivam cauſticam acquirit vim, qua molliſſimas glandulas ſalivales & faucium cum illarum vaſis fortiter irritat, ſtimulat, conſtringit & ſæpe ulcuſcula in illis parit.

42. *Salivantia* heroica ſunt remedia, & non niſi aliis medicamentis nihil efficientibus, cautiſſime tamen, adhibenda.

43. In morbo Gallico, ſcorbuto frigido, deſperato, morbis chronicis a viſcidis humoribus nervos obſidentibus ortis, ulceribus cacoeticis, *ſalivatio mercurialis* ſæpe ſacra eſt anchora.

44. Ante *ſalivationem mercurialem* primæ viæ probe purgandæ, humores corroſivi corrigendi, & pori ſudoriferi aperti ſervandi; alias humores, qui per urinam & ſudorem evacuare conſueti ſunt, alliciuntur, & exulcerationes oris, gingivarum eroſiones, anginam, deglutitionem difficilem efficiunt.

45. Frigida & omnia acida poſt *inunctionem mercurialem* cane pejus & angue fugienda.

46. In ulceribus, inflammationibus viſcerum, phthiſi, nervorum nativa debilitate, virium dejectione, ſcorbutico bilioſo, hæmoptyſi, nimiis hæmorrhagiis *mercurialis ſalivatio* funeſtum ſolet habere eventum.

47. *Mercurialia ſalivantia* etiam refracta doſi magno cum effectu in morbis pertinacibus exhiberi poſſunt citra exſpectationem ſalivationis longioris.

48. *Theriacalia* optime mercurii noxam corrigunt.

49. *Veſicatoria* dicuntur ab effectu, quoniam veſicas excitant modo unam majorem, modo plures parvas.

50. Operantur ſale quodam cauſtico volatili acerrimo, quod cutis vaſcula & poros ſudoriferos irritando ac ſtimulando humores in copia advocat, qui propter cuticulam firmiſſimam tranſpirare non poſſunt.

51. *Veſicatoriorum* materiam uſitatam præbent cantharides mixtæ cum emplaſtro vel fermento panis, quod aliquot elapſis horis veſicam excitat diſcindendam, ni ſponte rumpatur.

52. Uſus *veſicatoriorum* eſt in lymphæ ſtagnationibus, defluxionibus & derivatione lymphæ acris a parte affecta ad partem a veſicatorio dolentem.

53. In febribus malignis veſicatoria carpis manuum applicata nonnulli practici magni æſtimare ſolent.

54. Tutior uſus eſt *veſicatoriorum*, quando partibus carnoſis quam membranoſis & nerveis applicantur.

55. In dolore profundo & diuturno partis ſine tumore, rubore, ulcere *veſicantium* uſus quam commodus eſſe ſolet.

56. Partibus inflammatis *veſicantia* non ſunt adhibenda.

57. *Fonticulorum* & *ſetaceorum* uſus non plane in medicina eſt fruſtraneus; malum tamen magis allevant, quam tollunt.

58. *Fonticulos* a morbis nervorum præſervare, experientia teſtatur.

CAPUT V.

De Alterantibus medicamentis, illorum uſu & abuſu.

Alterantia dicuntur illa, quæ humores & qualitates noxias corrigunt & in contrarium mutant & ſunt varii generis.

2. Humores acidi pontici in corpore noſtro contenti corriguntur ac invertuntur quam commodiſſime alcalinis tam volatilibus quam ſalinis fixis & terreis, & hæc quoque nuncupantur *abſorbentia & præcipitantia.*

3. Talia ſunt limatura martis, lapides cancrorum, conchæ præparatæ, mater perlarum, Cornu Cervi uſtum, ſalia vegetabilium fixa, omnia ſalia volatilia.

4. Humores acres ſalinos quam optime corrigunt & diluunt mucilaginoſa, ramoſa, oleoſa, ramoſis particulis cuſpides ſalium involventia, terrea & diluentia varia: Ex horum numero ſunt terræ varii generis, antimonium diaphoreticum, emulſiones ex oleoſis paratæ, gelatina & decoctum Cornu Cervi, mucilagines ſeminum.

5. Humores viſcidi tenaces requirunt medicamenta ſale volatili oleoſo acri imbuta, qualia ſunt aromata, radices, ſemina, herbæ tali ſale gaudentes & ſalia varia incidentia.

6. Dulces, pituitoſi humores optime corriguntur amaris ex vegetabilium regno petitis, balſamicis, reſinoſis.

7. Humores bilioſi, ſulphureis; volatiles requirunt blandiora acida, nitroſa & varia diluentia, emollientia.

8. Humores nimis ſicci, & terreis particulis onuſti ſalia volatilia, humectantia, diluentia, nitroſa exigunt.

9. Humores nimis fluxiles, ſeroſi, terrea, adſtringentia, roborantia, balſamica & conſtringentia fixa poſtulant.

10. *Alterantia* pro diverſitate morborum ac affectarum partium varia nanciſcuntur nomina.

11. Dicuntur vel *ſtomachica*, *cordialia*, *hepatica*, *ſplenetica*, *uterina*, *carminativa*, *anthelmintica*, *antiſebrilia*, *antiſcorbutica*, *antihyſterica*, *traumatica*, *emmenagoga*, *alexipharmaca.*

12. Omnia ſuperius dicta ſpecifica agunt vel evacuando vel corrigendo humores noxios, vel vaſa obſtructa reſerando.

13. Sicuti acidum & viſcidum ad ſtabiliendas omnium morborum cauſas inſufficiens eſt, ita quoque medicamentis alcalinis acidum deſtruentibus & viſcidum reſolventibus curatio morborum abſolvi nequit.

14. Medicamenta *acida* magni æſtimanda in praxi ſunt, ſed ſubtiliora; minus, fixa corroſiva.

15. *Acida* ſal volatile ſanguinis figunt, oleoſas ac globoſas ſanguinis particulas nimis fluidas concentrant & coagulant.

16. Illi, quorum fluores & primæ viæ ſcatent acidis particulis, item gravidæ, lactantes, puerperæ, infantes, pectore affecti, & quibus ordinariæ excretiones ſunt ſuppreſſæ, quique tuſſi, hectica, ulceribus, vulneribus, alvo adſtricta infeſtantur, parcius & cautius *acidis* utantur.

17. *Salia volatilia* maxima morborum ſunt præſidia, illorum tamen intempeſtivus uſus multa parit incommoda.

18. *Salia volatilia* venis animalium immiſſa non ſecus ac ſpiritus acidi illa necant.

19. In maximis ſanguinis ebullitionibus, nimio ardore & incaleſcentia corporis, ſanguine nimis tenui exiſtente, ac ubi primæ viæ ſcoriis bilioſis & humoribus tenacibus repletæ ſunt, *ſalium volatilium* uſus parcior ſit.

20. *Salia volatilia*, *oleoſa* & omnia, quæ tali pollent, acidum corrigunt, humores viſcidos reſolvunt, diaphoreſin excitant, *carminativa*, *cephalica* & *uterina* ſunt.

21. Omnia *ſalia vegetabilium fixa*, item *alcalina*, *terrea* v. gr. marina, teſtacea acidos ponticos humores temperant, & dulcificant, per diaphoreſin & diureſin ſuperfluos humores expellunt & ſunt *antifebrilia*, *antihypochondriaca.*

22. *Terrea alcalina* omnia in appetitu dejecto ob fermentum nimis ſalſum, vel ventriculi tonum deſtructum, in obſtructionibus alvi & viſcerum gravioribus, & ubi tardior humorum motus eſt, cautiſſime vel plane nunquam propinanda ſunt.

23. *Salia* tam *fixa* quam *volatilia* vel *media* vitanda ſunt in omnibus morbis a ſalino acri principio ortis & ubi acidum ventriculi deſtructum eſt.

24. Omnia *ſpirituoſa* ſeu *ſulphurea volatilia & ſic dicta confortantia* propter tenuitatem ac ſubtilitatem partium ſuperiora petunt, ſpiritibus corporis noſtri ſeſe immiſcent, celeriorem ſanguinis & humorum tam inteſtinum quam progreſſivum efficiunt motum, & ſi humidum adeſt & pori cutis laxi ſunt, diaphoreſin ac tranſpirationem procurant, flatibus & vitiis ventriculi ex cauſa frigida occurrunt.

25. Quibus caput & ſyſtema nervoſum eſt debile, qui humido carent, teneræ ſunt conſtitutionis & ad ebullitiones proclives, nimium *ſpirituoſorum* abuſum vitent.

26. In omnibus morbis, ubi tranſpiratio eſt prohibita & cutis ſicca, *ſpirituoſa* & ſanguinem exagitantia aſſumpta mirum nocere ſolent.

27. Medicamenta *balſamica* dicuntur, quæ conſtant ex oleo & ſulphure gummoſo, blando ac temperato elemento, naturæ grato; uti ſunt myrrha, ſcordium & variæ herbæ, crocus, zedoaria, nux Moſchata, lignum aloes, ſaſſafras, quæ humorum acrimoniam demulcent, ſpirituaſcentiam chyli & ſanguinis blande promovent, nervis proſunt & omnibus ſtomachi morbis, vulneribus ac ulceribus medentur, hinc *vulneraria* exiſtunt.

28. *Gummata* oleo deſtillato copioſo imbuta acido & viſcido contraria ſunt, hinc optima antihypochondriaca; bilioſos autem humores facile exagitant & calorem p. n. accendunt.

29. *Amara* ſale copioſo fixo ſcatent, hinc aperiunt, acidum bili immixtum corrigunt & bilem copioſiorem generant, ſicque ſpirituaſcentiam ſanguinis blande procurant; hinc amara optima ſunt *hepatica*, *antihyſterica*, *antifebrilia*, *anticachectica*, *antiſcorbutica & anthelmintica.*

30. *Ligna*, quæ reſina pollent copioſa & acri, viſcidos tenaces incidunt humores, exſiccant, ſudorem movent, hinc optima ſunt *antihydropica*, *antiſcorbutica* & *luis gallicæ alexipharmaca.*

31. *Lignoſa*, ubi humidum deficit, ut in atrophia & hectica, omni modo vitanda ſunt.

32. *Nitroſa* propter æthereum aereum ſal quaſi concentratum & figuram pyramidalem incidunt, attenuant, obſtructiones aperiunt, particulas ſulphureas ſanguinis ligant & figunt, hinc in omnibus morbis calidis, ubi humidum deficit, ſitis & vigilia adeſt, alvus adſtricta, gratiſſimam opem ferunt, & optima ſunt calorem & ſitim ſedantia.

33. Nocent *Nitroſa*, ubi ventriculus debilis eſt, vel ex cauſa frigida laborat, alvus humida & diſpoſitio ad phthiſin & catarrhos.

34. *Aquea*, *diluentia*, *inſipida* majori in copia calide data, ſalia lymphæ peregrina antiſcorbutica diluunt, temperant, craſſos humores fluxiles reddunt, ſudorem & urinam movent, ſitim & calorem p. n. exſtinguunt, excretiones naturæ ordinarias promovent, & ſunt *polychreſta.*

35. Quicunque calidos hos potus ferre non poſſunt, eos in primis viis vitium quoddam habere judicandum.

36. Omnia *actu frigida* poros obſtruunt, excretiones ſiſtunt, inflammationes adaugent, & humores reddunt tenaciores, & ſunt *Repellentia.*

37. *Frigida* concentrant ſpiritus, & in morbis a ſpirituum reſolutione natis illorum uſus non ſemper contemnendus.

38. Medicamenta viſcidam quandam mucilaginem recondentia, ſpicula ſalium acrium temperant, involvunt, nutriunt, dulcificant & ſunt *emollientia*, *pectoralia* & *ſuppurationem promoventia*, *humectantia.*

CAPUT VI.

De Medicamentis motum humorum accelerantibus & nimium ſiſtentibus.

Medicamenta accelerant ſpirituum, ſanguinis & omnium humorum motum vel privative, vel poſitive: privative, omnia incidentia acidum & viſcidum deſtruentia: poſitive, omnia calida ſpirituoſa & ſale volatili ſulphureo impregnata ſuperius jam deſcripta.

2. *Mercurialia* & *ſulphura mineralium*, quatenus ſpiritu quodam metallico, penetrantiſſimo, æthereo, ex ſolidiſſimis particulis conſtructo gaudent, in nervos & illorum fluidum immediate operantur ſtimulando, irritando, & impulſum ſpiritibus animalibus communi-

communicando, hinc fortiſſima ſunt aperientia in morbis frigidis diuturnis & nervorum ac glandularum obſtructionibus efficaciſſima, talia ſunt regulus antimonii medicinalis, panacæa *Conordingiana*, Cinnabarina, mercurius diaphoreticus jovialis, Tinctura veneris dulcis, tincturæ antimoniales mercurius philoſophice præparatus & cum auro fixatus.

3. Nimium humorum motum ſiſtunt ac demulcent *adſtringentia*, *vitriolacea* & omnia acido-terreo principio imbuta, quatenus particulis ſuis craſſis ad motum ineptis vel vias minutiſſimas occludunt, vel humores nimis fluxiles ac tenues particulis ſuis motui ineptis angularibus & majori ſuperficie gaudentibus coagulant; & tales ſunt omnes tincturæ martiales, quæ non niſi ſolutiones Martis ſunt, vitriolicam naturam habentes, omnia vitriolacea, aluminoſa, auſtera ſtyptica.

4. *Adſtringentia* per accidens ſæpe aperiunt, quatenus anguſtioribus redditis viis accelerant ſpirituum motum, ut non raro ſpaſmodica contractio inde reſultet, qua contractione contentum fluidum movetur & expellitur.

5. In omnibus morbis ex nimiis ſanguinis humorum excretionibus ex læſo ſanguinis circulo natis, morbis frigidis, obſtructionibus & infarctu viſcerum *adſtringentia* inſtar veneni ſunt.

6. Medicamenta *Vitriolacea* nauſeam pariunt in majori copia aſſumpta, vomitus & ſedes efficiunt, quatenus præter virtutem adſtringentem etiam irritantem & ſtimulantem habent.

7. *Vitriolacea* errhina ſunt potentiſſima.

8. Poſt uſum adſtringentium, vitriolaceorum, martialium pulſus ſæpe augetur, calor in corpore fit major, & ſudoris ac urinæ fluxus excitatur.

9. Poſt uſum *Martialium* & *Vitriolaceorum* feces utplurimum ſecedunt nigræ propter martiales particulas a bile præcipitatas.

10. Motum nimirum humorum ſedant ac ſiſtunt omnia vaporoſa, quæ nimirum in maxima quantitate emittunt vapores, uti ſunt omnia grave & ſuaveolentia & hæc dicuntur *anodyna* & *narcotica*.

11. *Vaporoſa* talia copioſiſſimis ſuis effluviis, per poros facile penetrantibus, nervos replent & ſpirituum animalium fluxum quodammodo ſufflaminant, & ſuſpendunt, hinc torporem inducunt ac ſomnum, dolores auferunt, calorem exſtinguunt, acrimoniam humorum demulcent, excretiones ſiſtunt, ſudorem nonnunquam movent, & hæc omnia efficiunt, dum motum ſpirituum furibundum nimis ſedant.

12. Pro diverſitate principii iſtius ſeu ſulphuris vaporoſa differunt & magis vel minus naturæ grata ſunt: hinc diverſus eſt effectus opii, nuciſtæ, camphoræ, croci, caſtorei, moſchi.

13. Ex omnibus vaporoſis *Opium* eſt efficaciſſimum & hinc cautiſſime applicandum.

14. Optima præparatio *Opii* eſt ejus ſolutio in inſipido menſtruo & a ſordibus ejus terreis depuratio.

15. Optima *Opii* correctiva ſunt ſudorifera & ſalia volatilia oleoſa aromatica & ſpirituoſa.

16. Acida & Alcalica *Opii* texturam plane deſtruunt, hinc ejus vim vel debilitant, vel immutant.

17. In omnibus morbis frigidis, obſtructionibus tam alvi, quam vaſorum & maxime nervorum, in virium dejectione, ſpirituum animalium imbecillitate, pulſu debili, in omni malignitate, viſcerum infarctu *Opiata* cane pejus & angue vitanda ſunt.

18. Sæpe ubi Opium non prodeſt, prodeſt camphora, crocus &c.

19. *Opiata* pro diverſitate ſubjectorum varios edunt effectus, in aliis excretiones ſiſtunt, in aliis promovent, in aliis ſomnum, in aliis vigilias producunt.

Frid. Hoffmanni Diſſert. varii argum.

20. *Opiata* nunquam niſi primis viis bene apertis, reſpiratione & tranſpiratione libera, pulſu fortiori propinantur, & melius in forma liquida quam in ſicca operantur.

CAPUT VII.

De Cautelis practicis.

Amara, mercurialia optime præſcribuntur in forma pilularum.

2. Medicamentum liquidum ſemper melius operatur, quam ſi in forma ſicca propinetur.

3. In omni morbo præſtat alvum ſervare apertam, & ſi purgante id fieri nequit, clyſterio expediendum eſt.

4. Clyſteres conſtent ex emollientibus, carminativis & ſtimulantibus.

5. Salina in clyſteribus plus ſtimulant quam purgantia.

6. Natura clyſteribus & omnibus medicamentis facile aſſueſcere poteſt, hinc medicamentorum mutatio conſulta eſt.

7. Omnis venæſectio, purgantia, emetica tempore excretionis ſubcutaneæ in variolis, eryſipelate &c. nocent & naturam in criſi turbant.

8. Purgatio ante variolas & poſt declinationem optima eſt.

9. Omnia calida, ſpirituoſa, volatilia, oleoſa maſſam ſanguinis exagitantia tempore eruptionis cane pejus & angue vitanda ſunt: ſymptomata utplurimum non tantum exaſperant, ſed & copioſiores efficiunt variolas: proſunt magis temperata, ebullitionem humorum nimiam deprimentia.

10. Myrrhata tempore convaleſcentiæ optima ſunt, & balſamum reddunt ſanguini a nimia ebullitione vappido reddito.

11. Tempore ſuppurationis commodiſſime alvus clauſa poteſt aperiri.

12. Regimine calidiori nimio plures moriuntur ex variolis quam frigidiori.

13. Morbillos tractandi & curandi methodus eadem eſt cum variolis.

14. In omnibus malignis quicquid movendum, illud ſtatim in principio fieri debet.

15. Venæſectio in malignis nonnunquam ſalutem, interdum etiam mortem affert; & hoc tempore prodeſt, illo nocet.

16. Quo mitius ægri in malignis tractantur in morbi ſtatu, & quo magis totum negotium naturæ relinquitur, eo facilius ipſi Medici procedunt, & citius ægri evadunt.

17. Vomitoria magis commutanda in malignis, quam purgantia, mixta tamen ſemper cum alexipharmacis, turbatam maſſam ſanguineam reſtituentibus.

18. In malignis mixtura ſanguinis turbata ante omnia reſtituenda eſt, & vires conſervandæ.

19. Omnia alimenta ſubſtantifica, pinguia, juſcula ſic dicta confortantia nocent in omnibus febribus.

20. In omnibus morbis epidemicis præſervant & curant emetica & diaphoretica cum balſamicis mixta.

21. In intermittentibus, antequam primæ viæ expurgatæ fuerunt & obſtructiones viſcerum ſolutæ, cavendum maxime a china chinæ, præcipitantibus, adſtringentibus.

22. Chinæ chinæ eſſentia in extractum liquidius redacta, convenientiſſima eſt medicina, nec talia incommoda efficit, quam in pulvere exhibita.

23. Arcanum medendi intermittentibus eſt verus uſus & exhibitio prudens chinæ chinæ.

24. Purgantia fortiora, uti in omnibus obſtructionibus viſcerum: Sic maxime in intermittentibus, quæ ex obſtructionibus fiunt, damnum inferunt.

25. Mercurialia & antimonialia glandularum obſtructarum & morborum contumaciſſimorum ſunt alexicaca.

26. Nimis calida, volatilia, ſudorifera in febribus, & ubi primæ viæ obſeſſæ ſunt ſaburra vitioſorum humorum, nocent, & intermittentes facile mutant in continuas.

27. In hecticæ ſtatu omnia purgantia & emetica item acria inſtar veneni ſunt.

28. In hydrope, cachexia, volatilia, ſudorifera maxime anguſtias efficiunt, febrem accendunt & ſymptomata augent.

29. Viis in hydrope obſtructis adapertis fortiſſime & quidem repetitis vicibus purgandum eſt.

30. In omnibus morbis cum virium defectu junctis, vel in ipſo ortis cavendum eſt ab omnibus fortioribus evacuationibus, adſtringentibus, opiatis &c.

31. In declinatione morborum ſemper balſamica, amara & ſtomachica ſunt optima, item ſalia volatilia.

32. In ulceribus, ſcabie, &c. internis ſemper prius auſpicanda eſt cura, deinde externis adjuvanda.

33. Pediluvia in omnibus capitis affectibus, nec non clyſteres conveniunt.

34. A balneis abſtineant hectici, cacochymici & quorum viſcera inflammata ſunt.

35. Emplaſtra mercurialia egregie reſolvunt obſtructiones, aſt ſcirrhos lienis, pancreatis in abſceſſus facile mutant.

36. Poſt martialium, abſorbentium uſum ſemper interpolanda ſunt leniora purgantia, item acidula, ſtomachalia menſtruum ventriculi erigentia.

37. Adſtringentia in pectoris affectibus cautiſſime danda, ſiſtunt enim expectorationem.

38. In morbis catarrhalibus & pectoris affectibus looch ac electuaria dulcia ſæpe ventriculum ejuſque digeſtionem ita lædunt, ut cachexia, hydrops, hectica aſthma inde fiat.

39. Caute ſemper danda ſunt & in minori doſi dulcia: ſcorbuticos, hyſtericos & hypochondriacos lædunt.

40. Ante purgationem ſemper prius humores alterandi, maxime acidi, ſic felicius inſtituitur operatio.

41. Spirituoſa, aromatica, theriacalia optime ſiſtunt hypercatharſin.

42. Decocta, dulcia & magni potus in viſcerum obſtructionibus non danda.

43. Dantur perſonæ, quibus certa remedia ſunt inimica, ex certa quadam idioſyncraſia.

44. Medicamenta, quæ ſanguinis vitia corrigere debent, commodiſſime ſumuntur cum decoctis.

45. Poſt purgatas primas vias medicamina ſemper felicius operantur.

46. Periodici morbi tempore intermiſſionis magis, quam in ipſo paroxyſmo, ſanandi.

47. In frigidis morbis & ubi ventriculus debilis eſt, vinum vehiculum ſit medicamentorum.

48. Acidularum, thermarum, lactis uſus ſupponit viſcera ſana, robuſta, non inflammata vel ſcirrhoſa & robur ventriculi.

49. Acida poſt uſum lactis evitanda.

50. Hyeme magis volatilia oleoſa calida proſunt, æſtate magis temperata.

51. In omni inflammatione vitanda inſtar veneni ſunt frigida.

52. Nervis, membranis & oſſibus nimis calida, frigida, acida, & oleoſa & mercurialia nocent.

53. In omni horrore ac frigore morborum incipiente nocet potus.

54. Medicamenta emmenagoga optime dantur aliquot dies ante conſuetam purgationem.

55. Omnes morbi incogniti in principio tractandi ſunt diaphoreticis.

56. In ſpaſmodicis inteſtinorum affectionibus præſtat clyſteres ex meris oleis præparare.

57. In purgatione & vomitu omne frigidum acidum & adſtringens vitandum eſt.

58. Puerperæ tractandæ ſunt uti graviter vulneratæ, & in illorum morbis ſemper inflammatio partium eſt attendenda.

59. Potus, balnea & Carminativa hernioſis valde ſunt proficua: nocent autem ipſis purgantia fortiora.

60. Non omnia ſubjecta vel omnes morbi externi ferre poſſunt emplaſtra, unguenta, liquores &c.

61. Doſis medicamentorum variat pro diverſitate medicamentorum & præparationis eorum.

62. Multum intereſt, qua doſi medicamentum applicetur.

63. Prudentis Medici eſt, noſſe, quamdiu cum medicamento præſtanti continuandum ſit.

64. Multa ſunt in praxi juxta Galenum, quæ nec dici nec ſcribi poſſunt.

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
DIÆTÆ VITIO
MULTORUM MORBORUM CAUSA.

Primùm edita anno 1715.

§. I.

MORBOS *partim ex diætis, partim ex ſpiritu, quem attrahentes vivimus, fieri*, præclare, admodum HIPPOCRATES *Lib. de nat. hum.* §. 18. ediſſerit. Etenim cuncta animantium corpora, ut vivant, nutriantur atque perſiſtant, continuo opus habent triplici nutrimento, quorum primum eſt aer, alterum cibus, tertium potus. Sicut enim tria hæc elementa fluidum, ſolidum & humidum ad conſtitutionem omnium corporum, quæ in rerum natura conſiſtunt, invicem mixta contribuunt: ita etiam, ut corpus humanum conſervetur, nutriatur & vitales motus continuet, tenuiſſimo fluido, quod ſecundum HIPPOCRATEM movet & impetum facit, deinde ſolido, quod ſtructuram & firmitatem corpori adfert, tum humido, quod nutritionem præſtat & perpetua in circulum abeunte progreſſione, omnem corruptionem avertit, opus habet. Qua de cauſa nullus homo ſine aere, ſine cibo & ſine potu vitam diu conſervare, vel ſano ac integro corpore eſſe poteſt. Quum vero aer, neque minus eſculenta & potulenta, tum ratione indolis & temperaturæ, tum ratione facultatum & virtutis, mirum inter ſe diſſideant; hinc omnino Medicum & naturæ conſultum oportet ſcire, quænam ex hiſce tam ratione copiæ quam ratione temperaturæ, corpori noſtro congrua vel incongrua aut aliena ſint, ne noceant vel detrimentum quoddam atque exitium adferant.

2. Quemadmodum vero magnum illud catholicum longe tenuiſſimum movens, aer, quando intemperie delinquit, vel alienis inquinamentis contaminatus eſt, celeriter ac promtiſſime nocet &, cum plures ſimul invadat, acutas & populariter graſſantes ægritudines invehit: ita cibus ac potus, quoniam permanentem ac diutius inhæreſcentem corpori materiam ſuppeditat, gignendis chronicis morbis maxime pabulum ſubminiſtrat. Igitur ad rem pertinet, horum proprietates & vitia noſſe exactius.

3. Equidem ſanis omnia ſunt ſana, atque etiam nonnullos homines alimenta & copioſa & intemperata, ſine ulla ſanitatis offenſa, ferre poſſe animadvertimus; ſed tamen, cum naturæ mirum inter ſe differant & unum corpus altero robuſtius, altero ſit imbecillius: hinc utique alimentorum ſalubritas & inſalubritas non in genere, ut indocti putant, ſed ſecundum vires & naturam corporum æſtimanda eſt. Quibus enim ſanum & robuſtum corpus eſt, illi nec a copia, nec ab intemperie alimentorum facile offenduntur, eo, quod vigore motuum & nimium facile vincatur ac ſubigatur & ſupervacaneum debite excernatur: quod vero minus obtinet in infirmioribus, ubi & nimium & intemperatum ſubſiſtit, & morbum facit. In medicina enim illud perpetuo ſervandum & animo diligenter imprimendum eſt, quod nec medicamenta nec alimenta in ſe & ſua natura proficua vel pernicioſa cenſeri debeant, neque ſecundum ſuam activitatem, certum effectum ſemper habeant, ſed demum bonam vel pravam operationem exſerant, prout corpus ratione roboris ſolidorum, ac viarum & humorum conditione diſpoſitum inveniant. Quo magis magnum illud paradoxon, homines quoad individua raro, inter tot occurrentes morboſas cauſas, ægrotare, facillima ratione ſolvi poterit, cum non una cauſa, ſed plures ſimul & naturales & non naturales ad morbum, velut effectum, concurrere debeant. Noſtrum itaque jam erit, hæc paulo ſubtilius agitare & exponere, quomodo nempe & in quibus ſubjectis & quos morbos alimenta tam eſculenta, quam potulenta invehere ac producere poſſint.

4. Quemadmodum vero rectum eſt regula obliqui, ita ad ſanitatem & integritatem corporis noſtri, tanquam regulam cibi & potionis inſalubritas æſtimanda erat. Vigor videlicet omnium corporis noſtri actionum & ſanitas in eo merito poni debet, ut primo alimenta adſumta in ventriculo ac inteſtinis probe digerantur & diſſolvantur, atque utile ab inutili ſeparetur, hoc vero excernatur; deinde ut utilis ſuccus ad ſanguinem delatus, probeque mixtus cum eo, libero ac moderato ſolidorum motu per omnes corporis meatus ac canales propellatur & per diverſa emunctoria alienum & ſupervacaneum excernatur, quo fit, ut non modo corpus bene nutriatur, ſed & vigor omnibus actionibus accedat.

5. Quapropter primo ea inſalubria nobis dicuntur alimenta, quæ ventriculi & inteſtinorum virtutem ac motum periſtalticum, quo alimentorum reſolutio & ſuperfluorum egeſtio celebratur, labefactant vel deſtruunt. Deinde alimenta minus ſalubria ea cenſenda eſſe arbitramur, quæ ſanguinis liberum per omnes meatus progreſſum ac tranſitum præpediunt & inutilium atque ſupervacaneorum excretionem ſufflaminant: hinc enim plethora, cruditates, obſtructiones, impuritates plurimorum morborum procreatrices, reſultant. Primum itaque quod attinet ad ciborum quantitatem, eam utique & naturæ inimicam eſſe & morbum facile proferre adſerimus. Præclare enim non minus, quam vere HIPPOCRATES *Sect. II. aph.* 4. prodidit: *neque ſatietas neque aliud quidquam bonum eſt, quod naturæ modum excedit.* Et *aph.* 17. *Sect. II.* clarius id exprimit, cum ait: *ubi cibus præter naturam copioſior ingeſtus fuerit, morbum facit.* Et optime CELSUS *Lib. I. Cap. II. p.* 25. *ubi ad cibum ventum eſt, nunquam utilis eſt nimia ſatietas.* Recte itaque ciborum exſuperantia & nimia voracitas plurimorum morborum cauſa habetur: & pulchre FERNELIUS *in Patholog. Lib. I. Cap. XV. pag.* 210.

 perni-

perniciosſam admodum ſentinam, abdomen inſaturabile appellat, quia omnium tum corporis, tum animi vitiorum fons atque origo eſt, ut non minus acute, quam facere intemperantia nutrix Medicorum nominetur.

6. Neque vero tantum nimia ciborum copia ſanitati officit, verum etiam, ſi quando nimia aviditate ingeritur. Laborant vero ejuſmodi edendi intemperantia maxime pueri, adoleſcentes & juvenes, qui adhuc nutritione opus habent; ex temperamentis, qui complexionis ſanguineæ vel cholericæ ſunt, majori cum cupiditate cibos adſumunt, quam qui ſegnioris & phlegmaticæ indolis ſunt. Qui ex morbo convaluerunt, ordinario magna edendi cupiditate feruntur & nimis propere ſtomachum ciborum mole obruunt. Simili intemperantiæ vitio laborant quoque ii, qui diutius inedia vel fame preſſi fuerunt, ſiquidem, ubi ad cibos accedunt, eos in magna copia & ingenti aviditate, non parvo ipſorum damno, ingurgitant. Non minus noxia ad edendum appetentia ſubinde, qui chronicis morbis detinentur, ferri ſolent. Ita ex hypochondriacis pathematibus adflicti, febre quartana vexati quoque, melancholici & phthiſici plerumque edaciores ſunt. Idem vitium quoque infantes, qui vermibus laborant vel convulſivis inſultibus fatigantur, corripit. Tali vero caſu perquam neceſſaria & utilis in praxi eſt obſervatio, quod hujus generis morbi, quibus voracitas adjuncta eſt, difficillime medicina expugnentur, quia natura perpetuo novo onere alimentorum premitur, ut eo minus contra vim & cauſam morbi inſurgere eamque ſubigere poſſit. Taceamus, quod nova ſemper cruditas proveniens, novum ſemper pabulum morbo ſubminiſtret. Multum vero ad edendi intemperiem & voracitatem ſola adſuetudo contribuit, unde, qui tribus vel quatuor vicibus die cibum ſumere conſueverunt, ii hora inſtante vehementer eſuriunt.

7. Plura vero & gravia damna ſunt, quæ ex nimio cibo & edendi aviditate corpori accedunt. Nam ubi cibi non bene maſticatione comminuti & cum ſaliva permixti deſcendunt in ventriculum, non ſufficienter diſſolvuntur, unde crudus, nec ſatis digeſtus & attenuatus ad inteſtina fertur chylus, hinc ulteriori ibi fermentationi reſiſtens, flatibus materiam præbet, unde borborygmi, abdominis inflationes & tenſiones variaque tormenta conſequuntur.

8. In imbecillioribus, & qui non multo tempore a morbo ſanitatem receperunt, copioſe & cum nimia cupiditate ingeſtus cibus in ventriculo ſemidigeſtus hæret, quem flatu implet, diſtendit, maximaſque anguſtias & conatum ad vomendum efficit. Idem de puerperis ſentiendum eſt, in quibus nimia cruditas adeo ventriculi robur periſtalticum enervat, ut ponderis inſtar, cum miſero aſpectu faciei, premat & noctes inſomnes faciat. Solet quoque multo crebrius in iis, qui modo e morbis & febribus convaluerunt, cibus male concoctus & crudus, lentore ſuo mucido, plicis & tunicis duodeni firmius adhæreſcere & febris lentæ, ſtomachalis, cardialgiæ, icteri, flatuum, ructuum materiam & cauſam ſuggerere. Feminæ tenerrimæ & ſenſibilioris conſtitutionis gravidæ, vel quæ hyſtericis pathematibus patent, quando cibum copioſe vel nimis avide devorant, multas inde moleſtias, anxietates luunt ac patiuntur.

9. Nocet vero quam maxime avidiſſime exceptus cibus iis, qui enormes ſanguinis profuſiones paſſi ſunt; ibi enim ventriculus, tono & robore deſtitutus, alimenta nec bene digerere, nec apte propellere poteſt, quare & cardialgiæ, anguſtiæ, anxietates, vertigines, dolores capitis & lenti calores ſubſequi ſolent. Vel ſi crudi ſucci nimium ad ſanguinem & vaſa feruntur, ob robur naturæ deperditum hinc inde fiunt ſtagnationes, decubitus, viſcerum infarctus, inferiorum partium tumores & via ad cachexiam & morbos chronicos panditur. Periculoſiſſime vero in copia & cum ardore devoratus cibus nocet iis, qui in caſtris fame, aſſidua vigilia & nimio labore naturæ & ventriculi robur deperdiderunt; unde non poteſt non corrupta alimentorum maſſa in infirmo corpore & humoribus in putredinem pronis, graves malignas febres ſic dictas Hungaricas contagioſas progignere, quod ſæpiſſime contingit, ubi milites ex caſtris in hibernis ad plenum victum accedunt.

10. Præterea tenerrimæ conſtitutionis infantibus copioſior lactis vel alimentorum ingeſtio admodum infenſa eſt, utpote quæ nimium ventriculi tunicas diſtendendo, æſtuationes, cardialgias, anguſtias & anxietates provocat, a quibus malis egregie liberantur, quando ob ſenſibilitatem ſuperfluum vomitu rejiciunt, quod ſanitati infantum maxime proficit. Ubi vero natura languidior ac ſegnior eſt, lac coagulatum & crudum cruſtam villoſam glutinoſo ſuo lentore obſtruit, glandulaſque meſenterii tumidas reddit, unde atrophiæ, cachexiæ, & ingentis tenſionis in abdomine fit origo. Nihil vero valetudinem in infantibus æque ac in adultioribus magis turbare ſolet, quam ſi alvo adſtricta vel ſegnius procedente nimia lactis vel aliorum ciborum copia accipitur. Difficilius enim, ob vacillantem motum periſtalticum, progreditur, ſed in tenuibus ſubſiſtens, acceſſu aliorum humorum ex ſanguine, corrumpitur & exæſtuationibus febrilibus, ventriculi inflationibus, ructibus, in tenella vero ætate convulſionibus occaſionem ſuppeditat. Nam quo liberior & minus obſtructa eſt alvus, eo minus cibus ingeſtus incommodo eſt; ſicut etiam contra, alvo diutius adſtricta, omnis nimia ſatietas valde periculoſa eſt. Novimus aliquot exempla, ubi prægnantes, per alvum nihil reddentes, cibo paulo largius uſæ, aliquoties iteratum abortum paſſæ fuerunt. Neque alia ratione, niſi demto cibo & facta alvo laxiore fœtum retinuerunt.

11. Plus vero periculi illud habet, quando cibi, etiam optime nutrientes & carnium alimentoſa juſcula, cum vitello ovorum mixta, in continuis & acutis febribus, & maxime circa excretiones criticas, paulo largius exhibentur. Et, ſi quiſpiam in vitæ diſcrimen ægrum tali caſu cibus conjicere poteſt, certe eſt alimentoſus, eo quod cum naturæ ſit oneri, eam in ſalutaribus excretionibus peſſime turbet. Nocet vero quam maxime in acutis & malignis carnium eſus, quandoquidem hæ facile putreſcunt, & ſic vim morbi, cujus natura in putredine reſidet, augent. Neque etiam ſine ratione puerperis, quæ inprimis humoribus impuris ſcatent, carnoſa diæta interdicitur. Et ſpectat huc HIPPOCRATIS aphoriſmus 10. Sect. 2. *corpora impura, quo magis nutriveris, eo magis læſeris.* Victus quoque lautus & plenus inimicus maxime eſt febribus, & ex tertiana ſimplici quam facile duplicem facit. Rectiſſime enim HIPPOCRATES *Sect. VII. aph.* 65. *Si quis febricitanti cibum dederit, quem ſano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit.*

12. In genere vero id obſervationem meretur, quod omnes valetudinarii & infirmi, item ſenes, facile a copia alimentorum, præſertim ſi pravi ſucci fuerint & prompte in corruptionem abeant, lædantur. Siquidem hæc ipſa non modo placidum ſomnum impedit, ſed & gravitatem corporis & capitis laſſitudinem, catarrhum & dolorem in capite accerſit. *Neque enim ulla cauſa*, inquit SANCTORIUS, *Sect. IV. aph.* 40. *ſomnum magis interturbat, quam ciborum corruptela; id efficit ſympathia, quæ eſt inter ſtomachum & cerebrum.* Non parum itaque refert ſcire, quinam homines imbecilli, quinam firmi & robuſti ſint. Qua de re optimam cautelam nobis reliquit

Celſus

Celſus Lib. II. Cap. XVIII. imbecilli homines rebus infirmiſſimis opus habent, mediocriter firmos media materia optime ſuſtinet & robuſtis apta validiſſima eſt.

13. Verum enimvero non tantum cibus paulo copioſior & majori aviditate, quam par eſt, ſumtus, ventriculo & primis viis moleſtus varia procreat mala, ſed & cibus optime nutriens & probe temperatus, qui aptiſſimam chyli & ſanguinis materiam continet, ubi in copia ſumitur, univerſum corpus præter naturam multis gravibus & longis morbis pabulum præbendo afficit. Dicimus non ſine ratione optimum cibum, hoc eſt, qui optimum & laudabilem præbet ſanguinem, ea mala procreare. Jam vero quænam ex omni alimentorum claſſe optimum nutrimentum & laudabilem ſanguinem generent, intuebimur. Inter hæc vero primum merito locum obtinent carnes juniorum animantium, caro vitulina, bovina, agnina. Omnes enim hæ carnes coctione ſuccum gelatinoſum reddunt, qui proxima ſanguinis eſt materia. Quid enim aliud optime temperatus ſanguis eſt, quam gelatina occluſo & continuo calore rubedine tincta? quid aliud eſt is ſuccus, qui ſolidas univerſi corporis noſtri partes nutrit, quam gelatina, in quam etiam animantium partes, vel duriſſimæ, oſſa & cornua longiori demum coctione reſolvuntur, & manet hoc loco id verum, in quod quid reſolvitur, ex eo etiam conſtat. Secundum locum inter alimenta, quæ bonum ſuggerunt ſanguinem & optime nutriunt, frumenta & panificia ſibi vindicant. Eſt enim ea natura ac indoles omnium ſeminum, ut temperie gaudeant, dum ex partibus terreis, ſubtilioribus, mucidis & oleoſo-ſulphureis probe mixta ſunt, unde cum aqueo liquore trita & cocta ac emulſa albidum inſtar lactis liquorem conſtituunt. Quid vero aliud eſt chylus, quam lac, quo nihil ad alendum eſt præſtantius. Ex quibus intelligi poteſt, plus alimenti eſſe in pane, quam in ullo alio, quare etiam ſolo pane & aqua vivere & ſanus homo eſſe poteſt. Panis enim, qui ex ſeminibus tritici, ſiliginis vel hordei conficitur, cum aqua in emulſionem ſive optime temperatum chylum faceſſit. Denique & ipſum lac animantium optime nutrit, corporaque robuſta reddit, quemadmodum videmus in quibuſdam firmis Helvetiæ populis, qui ſolo lacte veſcuntur. Huic poſtea illa, quæ ex lacte parantur, ut butyrum & caſeus, ſuccedunt, quæ cum pane mixta robur membris adferunt; ejuſdem quoque generis ſunt ova volucrium ſorbilia fluida, quæ ex optima alibili materia animantium conſtant. Imbecillius vero nutrimentum piſces omnis generis, & ex vegetabilibus olera, radices, bulbi & herbæ continent.

14. Equidem hæc omnia probe digeſta & ſubacta in ventriculo ſanguinem bonum & laudabilem ingenerant. Attamen ſi is abundantior, ex nimis largo & lauto victu, redditus fuerit, quantum noceat, exprimere vix poſſumus. Nam ejus copia fibras motrices cordis & vaſorum admodum diſtendit, eorumque robur, tonum ac ſyſtolen debilitat atque infringit, quominus expedite & promte liquoris vitalis per univerſi corporis tubulos fiat curſus, quo imminuto inutilium partium ſecretio & excretio tardior quoque fiat neceſſe eſt. Quapropter decreſcente ſolidorum pulſu ac impulſu, corporis nativus calor, ſecundum veterum ſententiam, quaſi ſuffocatur, quemadmodum flamma lucernæ a multo oleo opprimitur. Decreſcente quoque impulſu ſanguinis & humorum conveniens fluiditas ac tenuitas decreſcit, hinc ſpiſſiores ac craſſiores facti, meatus viſcerum obſtruunt, viaſque comprimunt, unde, emunctoriorum tubulis clauſis, impurum in ſanguine remanet. Tum minore facto ſolidorum impulſu, ſanguis in excrementitias partes, ſerum nempe ſalſo-ſulphureum minus per calorem reſolvitur, ſed potius ingens ſanguinis & humorum in vaſculoſo genere fit accumulatio, qui ſtatus & habitus corporis nunquam tutus, ſed ſuſpectus & juxta *aph.* 3. *Sect. I.* ſine mora ſolvendus eſt. Pulchre admodum veriſſime hanc in rem CELSUS *Cap. II. Lib. II.* ſcribit. *Si plenior aliquis & ſpecioſior & coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet, quæ quia neque in eodem habitu ſubſiſtere neque ultra progredi poſſunt, fere retro quaſi ruina quadam revolvuntur.*

15. Illud autem magis attinet ſcire, non æque & promiſcue in omnibus tam facile bonum & laudabilem ſanguinem redundare, ſed hoc ipſum magis fieri in iis, qui habitu ſpongioſo & laxiori præditi ſunt, venas obtinent copioſas & anguſtas, temperamento ſunt ſanguinei, vitæ ſunt otioſæ & animi tranquilli, vino & ſpirituoſis liquoribus delectantur. Neque ignorare oportet, feminas ſemper alendo copioſiori ſanguini plus eſſe idoneas, quam viros. Signa vero ſunt repletionis ac nimiæ ſanguinis redundantiæ, quando non modo habitus corporis turget, facies apparet colorata, ſed & vaſa, præſertim in partibus inferioribus, ſanguine ſunt diſtenta & inflata, & ſi quando motu corpus exercent, facile delaſſantur inque adſcenſu difficulter ſpirant. In quibuſdam pruritus, præſertim in pedibus excitatur. Neque vero ſemper in plethoricis facies rubet, quod tantum in ſanguineis evenit, ſed macilentiores ſæpenumero faciem habent minus coloratam, vaſa tamen valde ſanguine diſtenta, quæ ideo principale repletionis ſignum exhibent. Nil vero plus ad generationem ſuperflui ſanguinis facit, quam quies ſeu motuum conſuetorum intermiſſio, præclara enim ſunt, quæ hac de re HIPPOCRATES *Lib. I. de diæta* §. 1. perhibet: *homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret, contrarias enim inter ſe vires habent cibi & labores, labores enim ea, quæ inſunt, conſumere ſolent, cibi autem & potus ea, quæ evacuata ſunt, explent*, ſiquidem omnis motus & exercitatio corporis celeriorem ſanguinis per vaſa efficit curſum & iter, unde fortior fit calor, quo magis illud, quod eſt gelatinoſum in ſanguine, in excrementitium ſerum diſſolvitur. Etenim quam celeriter & vehementer auctus calor ſuccos & pinguedinem corporis noſtri conſumere & obeſos graciles reddere poſſit, febris continua documento eſſe poteſt.

16. Ex copia vero alimentorum ſanguinis facta abundantia eos maxime fovet ac ſuſtentat morbos, quos a plethora proficiſci in peculiari diſſertatione *de ortu & cauſis morborum* expoſuimus. Sunt vero ii morbi, qui ex plethora naſcuntur, partim a ſpaſmo & inæquali ſanguinis circulo, partim ab atonia & a ſanguinis ſtagnatione derivandi. In corporibus videlicet agilioris naturæ juvenibus & temperamentis ſanguineo-cholericis ſanguinis copia ſubſiſtens in abdominis viſceribus, ad quæ portæ vena pertingit, facit fortiores ſtricturas, quæ illum cum impetu in pueris & adoleſcentibus ad caput, unde narium hæmorrhagiæ: in juvenibus ad pectus, unde hæmoptyſes & anxiæ & difficiles reſpirationes: ad ventriculi regionem, anxietates & quandoque cruentæ vomitiones: vel ad uterum, unde menſtruæ purgationes: in adultioribus viris ad anum, unde hæmorrhoides: in ſenioribus ad renes, hinc mictiones cruentæ proveniunt, pellunt. At ſi corpus propter male ſuccedentes has ſalutares excretiones a ſupervacaneo ſanguine non liberatur; tunc ipſe decumbens, pro varietate locorum, moleſtiſſimas ſtagnationes, ſtaſes, dolores & inde ſubnaſcentes graves paſſiones concitat. Igitur in capite fiunt exinde intolerabiles cephalalgiæ & hemicraniæ, melancholiæ, in ejus partibus exterioribus opthalmiæ, odontalgiæ, dolores & tumores rheumatici, eryſi-

eryſipelacei, otalgiæ: in pectore, ſi ſeroſioris conſtitutionis homines fuerint, tuſſes & aſthmata humida, rheumaticæ ſcapularum adflictiones, pleuritides ſpuriæ, in ſanguineis & cholericis pleuritides, peripneumoniæ, oppreſſiones pectoris, cordis palpitationes, in regione ventriculi præcordiorum conſtrictiones, anxietates, flatulentiæ, cardialgiæ: in abdomine, colicæ convulſivæ, alvi adſtrictiones & hujus generis plura.

17. In corporibus vero humidioribus & quæ naturæ obtuſioris & ſegnioris ſunt, ſuccorum & ſanguinis redundantia, in ætate ſenili affectus ſoporoſos, paralyſes, hemiplexias parit; in ætate vero juvenili, ab anno vigeſimo primo ad annum trigeſimum quintum, præſertim in ſanguineis & qui habitus corporis ſunt ſpongioſi in pectore phthiſes, tabes, apoſtemata, abſceſſus, vomicas, exulcerationes, chronicas tuſſes, hecticas producit. At ſi copia ſanguinis in abdominis viſceribus ſtagnat eaque infarcit, multos graves & longos morbos progenerat, ſiquidem ex hepate obſtructo, infarcto, & indurato icterus flavus & niger, cachexiæ, leucophlegmatiæ, & hydropes profluunt. Ex liene ſimili modo ſe habente ingentes ejús tumores, atrophiæ, vomitiones cruentæ & ſanguinis nigri per alvum ejectiones, quas atræ bilis nomine antiquitas venditavit, ſuboriuntur. In utero ſi ſubſiſtit, nec purgatur bene copioſus ſanguis polypoſas in vaſis majoribus efformat concretiones, quæ ad frequentes abortiones aditum præparant. Solent vero hujus generis prava accidentia facile contingere in iis, quibus ſolennes & alias conſuetæ a natura factæ ſalutares ſanguinis excretiones ſubſiſtunt, ceſſant ac deficiunt: vel iis, qui ſanguinis adſuetas miſſiones per venarum ſectiones, ſcarificationes maxime proficuas multo jam tempore intermiſerunt, victum tamen & vivendi rationem non mutarunt. Quocirca in periculoſo admodum & ad morbos graves proclivi ſtatu feminæ, quibus ordinarii menſes deficiunt vel quinquagenariæ, quando plane quieſcunt, verſantur, atque viri, quibus olim fluentes hæmorrhoides non amplius feruntur, ſimili periculo expoſiti ſunt.

18. Gravidæ, quia in ſtatu plethorico atque etiam cacochymico conſiſtunt, ex ceſſante ſanguinis per uterum evacuatione pluribus, ut notum eſt, patent affectibus, qui nullam aliam habent originem, quam, quod nimis abundans in vaſis ſanguis hinc inde varias congeſtiones & decubitus efficiat. Qui ſtatus tanto pejor redditur, quanto plus gulæ & abdomini indulgent, corpus motu non exercent & alvo dura ac obſtructa laborant: præſertim ſi corpus habitudinis fuerit laxæ & ſpongioſæ. Ex quibus omnibus intelligi poteſt, quantum corpori noceat cibus etiam optimus in copia adſumtus, quomodo ille plethoram, fœcundiſſimam morborum matrem, procreet & qua ratione plethoricus ſtatus, lauto & copioſo victu continuato, ſemper in deterius, non ſine ſanitatis & vitæ periculo, collabatur.

19. Plura itaque mala ſunt, quæ ex ciborum & ſuccorum abundantia in corpus humanum redundant: illud vero quam maxime adhuc debet conſiderari, quod ſtatus plethoricus omnibus ferme morbis addat perniciem, atque difficiliorem, niſi mature ſolvatur, efficiat curationem. Graves animi affectus in corporibus, quæ plurimum ſanguinis alunt, non parum habent periculi, eo quod accumulatus & cum vehementia ad quædam loca propulſus, profundas ſtaſes vel, quod pejus, vaſorum rupturas de facili funeſtas producit; qua de cauſa etiam acre frigus plethoricis eſt inimiciſſimum. Dein attenta & diligenti conſtat obſervatione plus ſanguine copioſo præditos malis epidemicis eſſe obnoxios, quam ullos alios, quare ad graſſantes febres ſuſcipiendas valde ſunt idonei, eo; quod inſenſibilis tranſpiratio læſa, graviorem noxam eorum ſuccis, ipſique digeſtioni primarum viarum adfricet.

20. Neque vero duntaxat optimus & copioſe ſumtus cibus nocet, ſed quam maxime is, qui temperie deſtituitur, qua mirifice per omnia natura gaudet, ſiquidem ad ſuccum, qui nos generat & qui nos nutrit, & partes corporis noſtri conſtituit, nihil intemperati, nihil exceſſivi accedere debet, ſed omnia, quæ eminenti facultate ac intemperie donata ſunt, e corpore, ſi in id admiſſa fuerint, debent excludi. Equidem corpori humano tametſi multa inſint & amara & ſalſa & dulcia, *attamen ubi temperamentum hæc inter ſe habuerint moderatum tum facultate, tum copia, & ubi maxime fuerint permixta, tunc ſanus eſt homo; ægrotat autem, dum horum quid minus aut amplius ſit, aut ſeparatur in corpore & non fuerit reliquis omnibus contemperatum, ſicuti præclare* & ſcite loquitur HIPPOCRATES *Lib. de Nat. hum.* §.6. Quare etiam cibi ingeſti nobis incommodi ſunt & intemperati nos lædunt, ut ſunt nimis amari, ſalſi acidi, quemadmodum graviter, idem auctor non minus ac vere *Lib. de vet. Medic.* §. 24. & 25. docet. Et, ut paucis rem explicemus: ſicuti in genere omne exceſſivum tam copia, quam qualitate: ita etiam alimentum corpori noſtro eſt inimicum.

21. Si quis vero ſecundum tres morborum claſſes, quas in ſuperioribus adduximus, alimenta diſpeſcere velit; non multum errabit. Videntur enim mihi quædam vel nimia tenuitate partium ſulphurearum & calidarum excedere, alia vero ſalino, acri & acido exſuperanti elemento partes nervoſas & fibras corporis plus juſto adficere, alia porro nimis compacta, immobili & terreſtri ſubſtantia humorum fluiditati & progreſſioni adverſari. Quæ ſunt generis primi, ad omnium febrium & caloris, qui præter naturam fit, generationem, multum facere videntur, ut ſunt potus vinoſi, ſpirituoſæ aquæ ſic dictæ vitæ, cibi nimium aromatibus, pipere, zingibere conditi. Alterius generis ea ſunt, quæ fibrarum ſpaſmos provocant, vel diſſolutionem continui inferunt, ut ſunt cibi nimis ſale conditi, omniaque acida, acria, allio ac cepis condita. Tertii generis ſunt, quæ craſſum generant ſanguinem, minimoſque canales ac meatus obſtruunt, qualia ſunt frumenta, legumina, ut fabæ, piſa, lentes, grana milii, omnes marini piſces & cibi duri ac valde glutinoſi. Denique ſolidorum relaxationem & robur deperdunt valde refrigerantia, crudis quæ ſuccis abundant, ut ſunt omnes fructus horæi, cucumeres, melones, mala perſica, ficus, uvæ, cucurbitæ, omniaque dulcia & quæ facile fermenteſcunt; & hæc morbos ex imbecillitate toni & roboris provenientes eximie fovent atque ſuſtentant.

22. Maxime vero omnium quoad alimentorum intemperiem reſpiciendum eſſe arbitror, primo ad ventriculi & inteſtinorum tonum & motum periſtalticum, deinde ad ſanguinis progreſſum & circulum, indeque dependentes ſalutiferas excretiones. Nam quicunque cibi vel potiones ventriculum ejuſque tonum & inteſtinorum robur lædunt ac deſtruunt, & quicunque porro ſanguinis liberum progreſſum atque inutilium rerum excretionem remorantur: ea non tantum intemperata, ſed & noxia cenſenda eſſe arbitror. Quapropter in alimentorum ſalubritate & inſalubritate cognoſcenda plus ad motum, quam ad materiam reſpiciendum eſſe exiſtimaverim. Nam humorum circulo ſalvo & incolumi, & vigentibus excretionibus, nec quicquam intemperati facile nocet, quia ſecedit atque corpore expellitur.

23. Ex univerſa vero alimentorum claſſe nec ullum mihi videtur naturæ plus inimicum, & quod primarum viarum virtuti ac tono magis adverſum ſit, vitales

vitales motus ac excretiones magis turbando, quam exceſſivum acidum. Primo enim hoc ipſum in copia ingeſtum chyli elaborationem, quando particulas mucidas & oleoſas præcipitat, impedit: deinde nihil tam promte coagulum ſanguini & gelatinoſis ſuccis infert, quam acidum; quare ad obſtructiones viſcerum atque humorum ſtagnationem multum omnino facit, eo, quod exceſſive acidum valde retardat excretiones, vaſa, ac poros anguſtando, fibraſque conſtringendo. Quin etiam nihil æque acrimoniam bilis, quæ ſecundum naturam alvum ſtimulat, obtundit ac inteſtinales tunicas conſtringit, ac acidum, quod cum partibus ciborum terreſtrioribus mixtum, auſteram indolem acquirit. Neque, quod ad calculi tam renalis & veſicæ, quam ejus, qui in cyſtide fellea & ductibus hepaticis reperitur, nec non ad tophorum inter articulos generationem aptius exiſtat, quam acidum, reperio: quia ferme omnis concretionis tartareæ in corpore noſtro cauſa eſt. Ulterius, quid partibus nervoſis & membranoſis ipſo acido inimicius eſſe poteſt, quando tenerrimas earum fibras ad ſtricturas & criſpaturas ſpaſmodicas ac dolores diſponit. Qui fonticulos in artubus gerunt, mox ab adſumto acido dolorem perſentiunt. Nutrices, quæ acidis delectantur, lac habent, quod facile tormina in infantibus ſuſcitat.

24. Igitur acidorum abuſus vel maxime ad morbos chronicos, ad ſpaſmos, ad infarctus viſcerum diſponit & ſolennes ſanguinis per menſes aut hæmorrhoides, quæ ſaluti & præſidio corpori ſunt, vacuationes intercipit. Experiuntur id fere in dies feminæ, quæ nimium acetoſis & acetariis delectari ſolent, ut etiam acetum quandoque ſæpius maximo ſuo periculo hauriant, quando in graves ſpaſticas paſſiones incidunt. Et plerumque feminæ, inſtituto morborum ſcrutinio, fateri coguntur, ſe prima adoleſcentia vel etiam poſtea nimium acidis cibis indulſiſſe. Simili ratione in viris hypochondriaca affectio ex nimis acida & craſſa diæta atque intermiſſo motu corporis ac intempeſtiva animi fatigatione incunabula ſua agnoſcit; & nihil æque hypochondriacos offendere, quam acidum, uſus ac experientia, omni futili ſpeculatione ſuperior, docet. Novi quoſdam, qui a continuato acidorum vinorum abuſu hypochondriacum malum ſibi contraxerunt, tunicis inteſtinorum ab acido exceſſivo adeo corroſis, ut continuæ alvi dejectiones cum torminibus & flatulentiis eos nunquam non fatigarent: igitur & acidum exſuperans hypochondriacam affectionem progignit; ejuſque ſymptomata acerbiora reddit. Et notabile eſt, quod omnis generis etiam plane inſipida alimenta in hypochondriacorum ventriculo aceſcant, tum, quod primarum viarum fermentalis ſuccus acidiſſima celeri fermentatione non ſpirituoſum, ſed acidum reddat chylum, tum, quod, ob alvi officium retardatum, ingeſtorum maſſa diuturna mora fortem acorem contrahat.

25. Solet vero quam maxime acidum, prima in regione diutius oberrans, capiti eſſe noxium. Qua de re cum egregius locus apud MARTIANUM in HIPPOCRATEM *pag.* 382. exſtet, placet ipſum inſerere: *acidum in ventriculo exiſtens vapores acres huc & illuc diffundit, quotidie obſervatur in iis, quibus acetum non eſt conveniens, quemadmodum etiam in illis, in quorum ventriculo cibi aceſcunt: Nam communiter talibus caput dolet, propter cerebri membranas, quæ ab acetoſo vapore punguntur, idque hujus humoris adeo proprium eſt, ut raro caput per conſenſum a ventriculo dolere invenias, quin acetoſa in eo conſiſtant; &, qui epilepticis motibus ſunt ſubjecti, ſymptomatibus hiſce corripiuntur, cum acetoſa in ventriculo peccant: id enim vomitiones ſubſequentes palam faciunt. Et ego obſervavi, quamplurimos podagricos ab eadem cauſa a doloribus corripi conſueviſſe, liberatoſque aut ſaltem mitigatos, ubi acetoſa evomuiſſent; taceo mulieres a variis uteri ſymptomatibus conflictatas, quæ a vomitu acetoſorum e veſtigio liberabantur.*

26. Solet vero acidum magna in copia primis in viis generari, primo ex nimio uſu acetariorum, dein ex potu liberaliori vinorum, quæ multum acidi tartarei principii ſecum ferunt, ut ſunt Rhenana, Moſellana, Franconica & Thuringica. Tum quoque frequentior fructuum horæorum uſus, ut prunorum, fragorum, ribium, berberum, perſicorum, malorum, pirorum, uvarum copioſiſſimum acidum, tam in primam regionem, quam in ipſum ſanguinem invehit, ſiquidem hæc ipſa eminens acidum ſecum habent, quod maxime per fermentationem, quam in ventriculo ſubeunt, longe fit fortius. Id vero ructus, vomitus acidiſſimi, torſiones ventriculi & inteſtinorum, & albicantes feces ſatis manifeſto produnt. Accidit vero non raro a dulcibus & fructibus nimia copia ingeſtis, ex occurſu bilis acris, præſertim in cholericis, fermentatione adjuvante, tam corroſivam & cauſticam acredinem in ventriculo eique annexis inteſtinis generari, ut cholerica inde paſſio ſive creberrima ſurſum & deorſum dejectio cum periculo funeſtæ ventriculi inflammationis reſultet. Quoniam vero ab adſumto acido tanta ſæpius noxa obſervata fuit & contra ab iis, quæ ſubſtantia alcalina illud plane invertunt atque exſtinguunt, præſentiſſimum auxilium ſecutum fuit: hinc plures Medicorum noſtris temporibus eo proceſſerunt, ut ab acido exſuperante & variis vitiis inquinato ferme omnium morborum cauſas deducere ac derivare anniſi fuerint. Alii vero, cum animadverterent nonnullos hominum, præſertim cholericæ conſtitutionis & vina acida & cibos aceto conditos & fructus horæos refrigerantes & ſubacidos impune ferre poſſe, omne acidum plane inſons & morbis inferendis minus idoneum nimis propere declararunt: ita ſemper, proh dolor! in medicina ab uno extremo in alterum dilabimur. Nos vero in hiſce dirimendis aſſerimus: omnino acidum & ſua natura corpori noſtro maxime eſſe infenſum, dum fluidos humores facile coagulat, poros conſtringit, ut viſcerum obſtructiones, excretionum retardationes & peſſimæ impuritates inde proveniant. Multo magis vero hoc ad noxam inferendam idoneum eſt, ſi phlegmatici & melancholici, & qui corpus motu non exercent & ſpongioſæ carnis ſunt, illud nimium aſſumant. Ubi vero motu ſanguinis tam inteſtino, quam progreſſivo intenſiori, copia partium ſulphurearum & bilioſarum in ſanguine eſt, corpus quoque juvenile & motibus ac laboribus adſuetum: tum utique acidum non tam facile nocebit, ut potius ad refrenandum nimium calorem medicinam præbeat. Atque adeo nihil perpetuum eſt in medicina, quod non reſpectu individuorum & circumſtantiarum ſit diſcernendum.

27. Conſideratis ac prævíſis jam iis vitiis, quæ ex intempeſtivo acidorum uſu in corpus noſtrum redundant, nunc deſcendimus ad victum nimis durum, craſſum, ſalſum, quo non modo ex leguminibus panem groſſiorem, fabas, piſa, lentes, milium & quodcunque valentiſſimum habet alimentum, ſed & omnes carnes ſale conditas, induratas & infumatas, præſertim piſces marinos, comprehendimus. Duplici vero ratione is victus peccare videtur, primo propter copiam ſalis, deinde propter compactam, duriorem, qua ejuſmodi alimenta prædita ſunt, ſubſtantiam. Equidem ſal commune carnium & ciborum optimum eſt condimentum, quando eorum digeſtionem egregie adjuvat, neque minus moderato ſuo ſtimulo omnis generis excretiones promovet: attamen ubi nimia quantitate ſumitur corpori non poteſt non eſſe hoſtile,

ſiquidem nullum ſal ſanguinis vel partium ſolidarum corporis noſtri principia conſtitutiva ingreditur, ſed potius omne adſumtum rurſus emunctoria ſubire & per alvum, ſudorem, urinam penitus & plane debet excerni: id quod ſi minus obtingit, ſed remanens vitales ſuccos & maxime lympham temperatam & dulcem collutulat; tunc & humorum vitium & fibrarum læſio conſequitur. Qua de cauſa, qui nimium ſalitis veſcuntur, neque ea per emunctoria aperta convenienter rejiciunt; in ſalſas defluxiones, rheumatiſmos, dolores artuum & cutis exulcerationes, puſtulas, ulcera, ſcabiem, herpetem, lepram perquam facile incidunt.

28. Longe magis vero ſal nocumentum adfert corpori noſtro, quando ejus copia cum cibis duris, craſſi & viſcidi ſucci, quos ſupra commemoravimus, ingeritur, utpote hi, generando craſſum ſanguinem & ſerum, viſcerum obſtructioni multum velificantur. Nam facto impeditiore ſanguinis & humorum per vaſa curſu atque itinere, & obſtructis excretoriis vaſculis, multæ excrementitiæ ſordes ſalino-ſulphureæ impuræ in ſuccis remanent, quibus ſucceſſive & tota humorum maſſa inficitur, & ſolidorum textura læditur atque deſtruitur. Et hac ratione fit origo peſſimi iſtius, ſeptentrionalibus maxime regionibus & maritimis locis proprii & endemii, mali ſcorbutici, cujus tanta eſt tyrannis, ut non tantum plures nationes adoriatur, ſed ita corpus omneſque ejus partes deſtruat, ut vix una ſalva ac integra ſuo munere recte defungi poſſit. Fovetur autem quam maxime a victu ejuſmodi duro, craſſo, ſalino, cœlo denſo & humido, præcipue ſi corpora motu ac exercitatione carent & inſuper ſpongioſi fuerint habitus. Memoratu dignum eſt, quod in hoc malo ſanguinis etiam color mutetur, utpote qui plumbeus & viridis ſolet eſſe, ſi e vena dimittitur, quod teſte EUGALENO *de ſcorbuto* certum hujus morbi, etiam plebis judicio, ſolet eſſe indicium, & quod obſervatur in omnibus craſſiori cibo utentibus & qui cum hoc morbo diutius ſunt conflictati.

29. Multum quoque ad impuritatem ſanguinis & humorum augendam facit creber uſus carnis ſuillæ, tam recentis, quam ſale conditæ. Etenim caro ſuilla, licet ſapidiſſima, non facile tamen ſine noxa adſumitur propter glutinoſam ac viſcidam, qua pollet, ſubſtantiam, qua facile noſtræ carni adſimilatur & nimium nutrit ac poros occludit. Nam conſtanter, qui humanas carnes inſcienter guſtarunt, referunt, quod porcinas ſapore fuiſſe putaverint, ut habet FONSECA *de ſanitate tuenda pag.* 45. Solet quoque perſpiratio, teſte SANCTORIO, ab eſu carnis ſuillæ impeditior fieri & omnes, qui vel ulcus vel vulnus in parte quadam ſolida habent, hujus carnis noxam mox percipere poſſunt. Sicuti vero & caro ſuilla & omnis dura, craſſa & ſalſa diæta maxime nocet iis, qui vitæ ſedentariæ ſunt addicti, parum bibunt, frigido aeri corpus objiciunt: ita ejuſmodi diæta iis, qui iis ſi adſueti ſunt, ventriculum habent robuſtum & labore corpus valide exercent atque humidum congruum debita in quantitate ſumunt, minus infenſa eſt, ut potius corpora duriora ac robuſtiora reddat.

30. Quia vero ex cibo valde viſcido, glutinoſo ac duro ejuſdem naturæ, nempe firmioris, ſanguis generatur, hinc non duntaxat illos, qui ex obſtructione emunctoriorum & impuritate proveniunt, morbos fovet, ſed & ad graves & profundas inflammationes ſeu ſtaſes ſanguinis, præſertim peripneumonias diſponit, quibus hac de cauſa ſeptentrionales populi & maritima loca incolentes & qui duro hoc victu & pane groſſiori gaudent, valde ſunt obnoxii. Tandem etiam ad glutinoſum ſanguinem & qui obſtructionibus & morbis ex impuritate favent, multum faciunt cibi farinacei ex farina ſimilaginea, triticea, ovis, ſaccharo, butyro præparati. Ii tametſi palato grati atque accepti ſint, nihilominus ad obſtructiones & infarctus viſcerum, & inde conſequentes morbos multum contribuunt. Exſtat hanc in rem egregius locus apud SIMON. PAULI *in quadripartito botanico pag.* 483. *in quotidiana*, inquit, *victus ratione, qui aſſiduo ſimilagineo pane veſcuntur, nec corpus laboribus validoque opere aliquo exercent, parum ſibi conſulunt, nam, cum palato morem gerunt, in varios morbos incurrunt, confeſtim enim illis jecur & lien obſtruitur, nephriticiſque doloribus corripiuntur, propter ſimilæ lentorem & dulcedinem, quibus confuſaneus panis magis conducit, ob furfuris enim miſcelam minus obſtruit, faciliuſque per alvum ſecedit, atque hæc eſt una ex præcipuis cauſis, cur ditiores & magnates aſſiduis calculi & podagræ doloribus vivant obnoxii.* Cæterum memorandum hoc loco eſt, quod panis calidus ex furno extractus & devoratus multum detrimenti adferat; & novimus quaſdam feminas exinde flatulentas ventriculi & abdominis tenſiones, ut hypochondriacas & hyſtericas crederes, fuiſſe conſecutas. Et SIMON PAULI *l. c.* meminit feminæ, quæ vix horæ ſpatio poſt lipothymia corripiebatur, diſpnœa & tandem intra octiduum orthopnœa fuit jugulata.

31. Inter hæc quæſtio non minimi momenti occurrit: num dulcia, mellita, ſaccharata morboſa & corpori noſtro inimica ſint? noſtra hac de re ſic fert ſententia, quod ſicuti ſanis omnia ſunt ſana, ſic quando ipſos dulcia non tam facile lædunt, ſed per congrua evacuatoria rurſus e corpore expelluntur, inſontia ſint. Aliter vero ſeſe res habet cum corporibus infirmis, & quorum ventriculus ac digeſtio vitio laborat, & primæ ſic dictæ viæ viſcidis ac tenacibus humoribus repletæ ſunt, ut ingens ibi fermentatio & aceſcentia reperiatur: ubi hæc ipſa nunquam utilia, ſed potius ſumme noxia obſervantur. In infantibus, quæ dulcia ſunt, generationi & nutritioni vermium admodum favent, &, quod ſerum vitioſum reddant, vel ex eo intelligi poteſt, quod a nimio dulcium uſu dentes facile nigredinem & cariem contrahant. Præterea experientia clarum eſt, quod dulcia jejuno ſumta ventriculo, appetitum deſtruant & vim digeſtionis infringant, manifeſto documento ſuccum illum fermentalem & menſtrualem, qui alimentorum texturam intime ſolvit, horum efficacia multum debilitari. Et quod ventriculi ac inteſtinorum tonum dulcia ſolvere ac relaxare ſoleant, ex eo cognoſcitur, quod non tantum a nimio eclegmatum & pectoralium dulcium uſu ſenſus gravitatis in ventriculi regione enaſcatur, ſed & alvus nimis laxa ac fluida reddatur. Quapropter experientia non minus quam ratione ſuffultus CELSUS *Lib. II. Cap. XXV. & XXVI.* prædulcia, mel quoque, mulſum & muſtum inter ea, quæ inflant, & quæ ſtomacho aliena ſunt, refert. Deinde cum omnia dulcia facile, ut notum eſt, in fermentationem abeant, hinc ſupra modum nocere ſolent iis, in quorum ventriculo acris & in acorem degenerans alimentorum fermentatio viget, ut fit in hypochondriacis & qui ſunt alvi adſtrictioris, ubi omnia fere ingeſta in liquamen acidum & corroſivum convertuntur. Quare illis dulcia nunquam convenire experientia indies comperimus, dum acidum ſemper ab horum uſu primis viis augetur, interdum non ſine cholericæ paſſionis metu atque periculo. Tum dulcium etiam exceſſus viſceribus non adeo amicus eſt, unde CELSUS *Lib. IV. Cap. IX.* omnia dulcia inimica lienoſis pronuntiat. Et ORIBASIUS *Lib. IV. Cap.* 23. auctor eſt: omnia dulcia lienem & jecur obruere & ſcirrhum producere. Notum enim ex anatomicis eſt, quod hæc duo viſcera ex innumeris capillaribus vaſculis ſint conſtructa, quæ facile a ſanguine & ſero tenaci & viſcido coarc-

tari

tari & obſtrui poſſunt. Jam vero dulcia, ubi in prima regione non mutata, ſalva ſua textura ac ſubſtantia ſanguinem ſubeunt, propter lentorem, quo conſtant, non poſſunt aliter, quin humores glutinoſos & viſcidos reddant. Quò magis corpora ſpongioſa, phlegmatica, atque motu & exercitatione vacua ſunt, eò magis a dulcibus læduntur & ad viſcerum infarctus, obſtructiones & chronicos morbos præparantur. Poſtremo illud unicum adhuc eſt memorandum, quod in morbis pectoralibus ex abuſu dulcium & eclegmatum, præſertim in phlegmaticis, ventriculi non minus, quam reliquorum viſcerum tonus ita lædi poſſit, ut ex tuſſi humida & aſthmate diuturno cachexia cum pedum tumore œdematoſo, imo ipſe hydrops poſſit produci.

32. Jam tractationis quoque ordo poſtulat, ut de lacticiniis noſtram exponamus ſententiam, quatenus nempe ad morbos generandos concurrant. Lac alimentorum eſſe optimum & naturæ amiciſſimum vel ex eo colligi poterit, quod chylus, qui proxima materia ſanguinis eſt, lac ſit & lacte omnis generis animantia juniora, etiam ipſi infantes, quam optime nutriantur & membra teneriora non modo inde nutrimentum, ſed & primum robur accipiant. Solo quoque lactis uſu corpora firma ac robuſta reddi & conſervari poſſe, nonnulli Helvetiæ populi id ſuo exemplo nos docent, qui ſolo lacte veſcuntur. At vero cum non omnium corporum ſive naturarum eadem ſit ratio, neque ventriculus eodem modo conſtitutus, lac vero facile in coagulum caſeoſum abire queat: hinc non omnibus etiam æque utile eſt. Sicuti vero lac iis, qui nimis fluidos & ſalſos habent humores, macilenti ſunt, & vaſa aperta habent, motu gaudent & febre carent, amiciſſimum eſt: ita omnibus repletis, pituitoſis, viſcerum obſtructioni obnoxiis, & qui ventriculi ſunt imbecillioris & copioſum acidum in eo fovent, inimiciſſimum eſt. Et quoniam ex ventriculi vitio, ejuſque ab acidis & corruptis humoribus infarctu, facile caput dolet, hinc rectiſſime Hippocrates *Sect. V. aph. 64. Lac caput dolentibus & febricantibus & quibus præcordia murmurant, malum pronuntiat*, quocum convenit Oribasius *Lib. IV. Cap. XVIII.* dum ait: *lac in iis, qui frigido ſunt ventriculo, aceſcit, in iis vero, qui calido ſunt, in nidorem tranſit, ex quo fit ut febricitantibus noceat.* Idem *Lib. III. Cap. XXV.* teſtatur: *lac renes calculo obnoxios lædere & jecur in diſpoſitis obſtruere.* Quare Aetius *Lib. II. Cap. XCII.* præclare monet, quod ii, qui lacte uti velint, latas debeant habere venas & apertos viſcerum meatus. Nocet vero lactis uſus maxime iis, qui calculo tam renum, quam veſicæ laborant, quia caſeoſa, quam lac continet, materia ad calculi concretionem non parum contribuere videtur. Et quod de lacte dictum eſt, id quoque intelligi debet de uſu ovorum, quæ omnino ſanis & robuſtis, & qui integrum habent ventriculum, optimum nutrimentum, ſi ſorbilia fuerint, præbent: nocent vero quam maxime corporibus repletis & ubi ventriculus ſcatet corruptis, viſcidis & acidis humoribus, ubi facile in corruptionem & coagulum abeunt, quare febricitantibus & hypochondriacis eorum uſus nunquam non malo & detrimento eſt. Et quemadmodum, ſecundum Hippocratem, *corpora impura quo magis nutriveris, eo magis læſeris*: ita etiam ventriculum, quo magis nutriveris, eo magis læſeris.

33. A cibis veniendum ad potum eſt, iſque vel aqua vel cereviſia vel vinum eſt. Sicut vero & corpora ratione temperamenti, ratione climatis & cœli, quo vivunt, ratione ætatis & diſpoſitionis ad morbos mirum differunt, ita etiam is vel ille potus magis vel minus ipſis conveniens eſt & corpus mutat in pejus vel deterius. Multum tamen hic facere conſuetudinem negari nullo modo poteſt, utpote quæ, ſi ſubita ab uno potu ad alterum ſit mutatio, corpori raro ſolet eſſe proſicua; ceterum aqua eſt convenientiſſimus omnium animantium potus, cavendum vero, ne dura, tophacea ac gravis in uſum trahatur, ſiquidem hæc & calculorum generationi & viſcerum obſtructioni multum lenocinatur, eo, quod difficilius progrediatur & facile in anguſtis meatibus ſtagnet. Obſervatum ſæpius fuit, quod potus aquæ duræ & aſperæ & animantibus & hominibus perniciàlis fuerit, de qua militiæ dediti luculentum edere poſſunt teſtimonium. Sunt vero maxime duræ aquæ infeſtæ viſceribus inque primis lienoſo & vaſculoſo viſceri, in cujus minimis vaſculis, ubi hæret & ſtagnat, quam facile totum viſcus in ingentem tumorem attollit. Scrophulas maximæ molis a duris & aſperis aquis increſcere in certis montium tractibus, ubi tales fontes ſcaturiunt, conſtans eſt adſertio. Maxime vero omnium cavendum eſt a ſtagnantibus, paludoſis, putridis aquis, quæ non modo exhalatione prava & maligna aerem inquinant, verum etiam gignendis putridis morbis ac febribus aptiſſimæ ſunt.

34. Ex genere vinorum alia ſunt vel dulcia vel acida vel valde ſpirituoſa. Ubi animadvertendum eſt, quod omnia dulcia plethoram augeant & parciori manu, ubi ſanguis eſt exſuperans, danda ſint; ſpirituoſa vero, dum nimium ſanguinem & humores commovent, calorem accendunt & bilem acrem copioſam ingenerant, progignendis hæmorrhagiis, febribus ardentibus, bilioſis, ſpaſmis, doloribus, præſertim arthriticis, item convulſionibus idonea ſunt. Quæ vero ſubtile acidum tartareum fovent, ut Rhenana aliaque, morbis ex acido & viſcido incrementum dant, unde calculi, podagræ, hyſterici & hypochondriaci mali generationem promovent, præſertim ſi jam fuerit ad hos morbos ingens in corpore diſpoſitio, alias ſi corpora ſunt ſana & fluxilia, tum bene tranſeunt emunctoria, nec facile, niſi exceſſiva quantitate, nocent, ut potius chronicas, quæ ab infarctu viſcerum fiunt, paſſiones, eorum uſus egregie avertat. Quæ vero ſulphure vaporoſo ſcatent vina, nervos debilitant, & ad omnes capitis morbos, torporem, ſomnolentiam, cephalalgiam, hemicraniam, paralyſin, epilepſiam viam præparant.

35. De cereviſiis id tenendum eſt, quod quæ nimio lupulo infectæ ſunt, caput feriant, dulces vero & non fermentatæ tonum relaxando flatibus torminibuſque inteſtina diſtendant. Nimium vero alimentoſæ plethoram adferunt, excretiones minuunt & viſcerum ac præſertim pulmonum infarctibus favent. At quæ valde ſunt ſpirituoſæ, iis qui ad ſpaſmos, dolores & febres ſunt proclives, minus conveniunt.

36. Illud vero in genere adhuc circa potum monendum eſt, quod eo frigido nihil ad morbos, eoſque celeriter procurandos, ſit præſentius, cumprimis ſi corpus ſudore diffluat & forti motu incaluerit, nihil enim tam cito abit in ſanguinem calidum, quam frigidum humidum, nihil etiam tam ſubito vaſcula viſcerum obſtruere & ſanguinem ac ſerum in motu & circulo ſiſtere idoneum eſt, quam frigidus potus. Et hinc veriſſime ſcribit Celsus *Lib. I. pag. 28. illud noſſe oportet, quod ex labore ſudanti frigida potio ſit pernicioſiſſima, atque etiam, cum ſudor ſe remiſit, itinere fatigatis inutilis eſt.* Ex potu itaque frigido liberalius in corpus calidum admiſſo repente ventriculi ac inteſtinorum funeſtæ inflammationes & ſphacelationes conſequuntur, quæ vel cito vel lentiori gradu, niſi mature medicina ſuccurramus, hominem internecioni dant. Hiſtorias eorum, qui aquæ potu perierunt, legere poſſumus apud Marcellum Donatum *Hiſt. mirab. Lib. IV. Cap. VI.* Et certe nihil frequentius in praxi occurrit, quam quod, ſi primam morbi

morbi originem paulo accuratiori cura inquiramus, graviſſimæ chronicæ paſſiones, hecticæ, phthiſes, cachexiæ, ſpaſticæ & flatulentæ inteſtinorum afflictiones, in feminis æque ac in viris, item atrophiæ ex potu frigido celeriter hauſto prognatæ fuerunt. Quam maxime vero aquæ frigidæ potus ſemellis eſt noxius circa menſium negotium, quibus ſiſtendis nihil eſt aptius, ut perite JOH. LANGIUS *Lib. II. Ep.* 51. monet.

37. Uti vero corpori calefacto nunquam expedit frigidum potum copia ingerere: ita etiam illud noxium atque perniciale eſt, ſi in febribus, aut intermittentibus aut continuis, id fiat. Evenit hac ratione ſæpiſſime, ut adſumto copioſe potu frigido in intermittentibus hydropes, abſceſſus & pedum œdematoſi tumores inde fiant. In febribus continuis periculum eſt, ne ſingultum, vel etiam ventriculi inflammationem aut ſphacelationem producat. In quodam Comite, febre continua laborante, teſte FORESTO *Lib. I. Cap. XV.* copioſus aquæ frigidæ potus graves pectoris convulſiones induxit. Nocet vero frigidus potus porro maximopere ſenibus & omnibus imbecillis & tenuibus, item craſſis & valde obeſis corporibus, feminis, puerperis, gravidis, infantibus & qui doloribus ex calculo, colica & podagra laborant, quos affectus ſemper exacerbat.

38. Ultimo loco de abuſu ſpiritus vini & liquorum ſpirituoſorum, qui aquæ vitæ nominantur, quædam dicenda ſunt. Quamvis etiam hic conſuetudo ſit altera natura ac ſpirituoſi potus adſuetis non adeo nocere ſoleant, ſicut in Poloniæ & Ruſſiæ incolis cernimus, nihilominus experientiæ, optimæ veritatis magiſtræ, teſtimonio, nihil ex nocentibus potibus tantum detrimenti corporibus humanis adfricat, quantum a liberaliori liquorum ſpirituoſorum abuſu exſpectandum eſt. Quid enim naturæ ac fluiditati chyli & ſanguinis ipſo ſpiritu vini eſt inimicius? eo quod promte ipſis coagulum inducat atque adeo & chyli & ſanguinis elaborationem impediat. Et quando tenacem ac viſcidum producit ſanguinem, dum humidum abſumit & ejus ſolidas partes coagulat, quid ad obſtructiones & meatus viſcerum occluſos adeoque ad cachexiam, ac phthiſin, hydropem, hecticam, atram bilem generandam aptius ſit, non invenio? Nocet quoque in omnibus viſcerum & capitis morbis & diſponit ad epilepſiam, cephalalgias, convulſiones, tremores. HOECHSTEDTERUS *Dec. X. cap. VI.* ſcribit: *quidam de aqua vitæ Matthioli copioſius bibit & is paralyticus factus eſt; alter, ſimili vitio laborans, apoplecticus; tertius, qui cacochymicus fuit ac podagricus, totius corporis pruritum ſentiebat ac laſſitudinem, cui icterus, dyſpnœa ac tandem mors ſupervenit.* Quando corpora aperiuntur, quæ continuo ſpiritu vini uſa fuerunt, neglectis carne aliiſque eduliis, tunc ventriculus, inteſtina, omniaque interiora contracta & rugoſa inveniuntur, hepar induratum, pancreas aridum, corpus exſuccum & bilis concreta viſitur.

39. Poſtremo ex cauſis non naturalibus, & quæ ad vivendi rationem ſpectant, maximum momentum in creandis morbis motus & quies, ſomnus & vigiliæ adferunt. Et ſicuti motus atque exercitatio corporis, circulum ac impulſum ſanguinis egregie promovet & excretiones, præſertim perſpirationem conciliat: ita nimia quies & vita ſedentaria ad plethoram, morbos chronicos, viſcerumque obſtructiones viam parant ampliſſimam. Nimiæ vero vigiliæ corpus viribus exhauriunt & capiti maxime nocent. Ex quibus omnibus facile intelligitur, quod varium vitæ genus, quo homines utuntur, multum ad morbos producendos contribuat. Qui vitam ſedentariam agunt, ut profeſſores, ſtudioſi, monachi, itemque ſartores, ſutores, textores, nec non, qui in aere valde humido & vaporibus repleto degunt, ut fullones, olearii, balneatores, piſcatores, zythopeptæ, lotrices, ob fibrarum tonum relaxatum, circulum ſanguinis tardiorem, tranſpirationis defectum & ſeri impuri accumulationem, ad ſcabiem, ſcorbutum, capitis dolores, morboſque putridos, vermes, hæmorrhoidum fluxum præparata habent corpora. Qui vero ſe fortiter motu exercent, ut cantores, curſores, agricolæ, athletæ, bajuli ad inflammationes, phthiſin, hæmoptyſin, hæmorrhagias & aſthmata ſunt proclives. Quicunque aere fruuntur metallicis vaporibus repleto, ut vitriarii, inauratores, ſpecularii, pictores, figuli, ſtannarii, lapidicidæ, fabri murarii, gypſarii, ob ſpaſmodicam conſtrictionem nervoſarum partium facile in aſthma & colicam convulſivam, tabem, contracturam, paralyſin incidunt. Milites ob multas aeris injurias & mutationes tempeſtatum, quibus expoſiti ſunt, virium proſtrationem patiuntur, cutiſque tonum adeoque tranſpirationis negotium plane interrumpunt, unde morbis epidemicis, febribus caſtrenſibus, dyſenteriis & iis, qui ex tranſpiratione prohibita & corruptione humorum proficiſcuntur, ſunt obvii. Mulieres ſedentariæ vitæ addictæ, adfectus circa meſenterium ſpaſmodicos perſentiunt; eruditi ob nimium laborem & meditationem caput debilitant, hinc ſi morbos patiuntur, caput inprimis adfligitur.

40. Ex iis omnibus, quæ hactenus adduximus, clariſſime apparere arbitror non modo aerem, ſed & alimenta ſanum corporis noſtri ſtatum mutandi & morbos varii generis inferendi potentia eſſe inſtructa. Quo magis intelligitur, quam neceſſaria ſit rerum naturalium accuratior diſciplina cuivis, qui ſolide in artis operibus ſe exercere velit. Is enim maximam adhibere debet curam, ut ſecundum ductum HIPPOCRATIS ejus loci, ubi medicinam facit, ſitum, aeris, aquarum indolem atque naturam & victus ac vivendi rationem probe perſcrutetur, ſiquidem hac ratione non modo cognoſcet, ad quos peculiares morbos certæ regiones inclinent, ſed & medendi rationem certe multis locis peculiarem, nec non fundamentum corpora a morbis præſervandi inde trahet ac deſumet quam feliciſſime. Apparet quoque ex hiſce, quam male hi doctores ſacris medicinæ initiandis ſibi conſulant, qui ſolidam rerum naturalium ſcientiam nullius uſus ac fructus eſſe in medicina, ſine ulla ratione adſeverant.

DISSER-

DISSERTATIO DE MOTU OPTIMA CORPORIS MEDICINA.

Primùm edita anno 1701.

PROOEMIUM.

Fundamentum, continens ſanitatem, vitam & morbos, ſimplex eſt.

FUNDAMENTUM, quo ſanitas, vita & ipſi morbi continentur, ſimplex eſſe, neque diffuſum & varium, quivis, qui medicinæ naturæ interiora paulo accuratius introſpicere ac penetrare didicit, fateri tenetur. Nihilominus vehementer mirandum eſt, ad cuſtodiendam ſanitatem & morbos propulſandos infinita ferme, diverſiſſimæque indolis a medicis excogitata eſſe remediorum genera. Simplex natura eſt in ſuis operationibus, quibus vita adminiſtratur, & pauca ſunt, quæ ſanum corpus ſervant, neque ſi rem paulo attentius conſideremus, morborum cauſæ multiplices. Hinc remedia, quæ amiſſam reſtituunt ſanitatem, neque varia, neque numeroſa eſſe debere, valde videtur credibile: imo non credibile illud, ſed verum eſſe affirmo, adeo ut peſſimis fatis atque abuſibus noſtræ artis merito adnumerandum illud ſit, quod tanta medicamentorum & diverſarum compoſitionum farragine practicorum, tam veterum quam recentiorum refertos libros invenias, quibus nihil aliud efficitur, quam ut medendi ars valde difficilis, operoſa, inſecura, fallax evadat. Certe pauca ſunt, quibus medicus, naturæ callens effectus, bono cum ſucceſſu & ſalute ægrotantium ac gloria ſua uti & curam abſolvere poteſt.

Abuſus multitudinis pharmacorum.

Res ſex non naturales magna præſtant in medicina ſine medicina.

Quinimo plurima nullius momenti & exigua videntur, quæ tamen in ſervandis corporibus & morbis abigendis, incredibili gaudent potentia, & talia ſunt, quæ ſex rerum non naturalium titulo comprehenduntur, quibus ſi recte utamur, magna in medicina ſine medicina præſtare poſſumus. Exemplum nobis ſubminiſtrat motus, ſive exercitatio membrorum corporis, cujus tanta vis ac potentia eſt, etiam veterum conſtanti adſertione, & etiam ipſa experientia teſte, ad ſanitatem non modo tuendam, ſed ægrotationes quoque corporis expugnandas, ut optimis ac pretioſiſſimis medicinis longe multumque præferenda ſit. Suſcepimus id laboris ſub divino favore ac gratia, in præſenti materiam hanc longe utiliſſimam paulo exquiſitius agitare, & quid motus commodi vel incommodi adferat, & qua ratione hic ipſe loco præſentiſſimæ medicinæ ſanis & ægrotis inſervire poſſit, luculentius quodammodo demonſtrare.

§. I.

Quid ſit motus.

PEr motum autem, de quo nobis ſermo eſt, intellectum volumus, iſtum voluntarium, quo machina pro arbitrio animæ e loco in locum movetur, ſive per proprias vires motrices corpori inſitas, quemadmodum eſt ambulatio, curſus, ſive per alienas, ut eſt equitatio, vectio. Deinceps etiam motus conſiderari poteſt ut totalis, quum totum corpus movetur, vel partialis, quum certa duntaxat hominis pars, v. g. manus, brachium, hinc inde motu volvitur. Operæ pretium quoque erit, hic inſinuare differentiam motus, qua veteres paſſim uſi fuerunt, dum inter motum, exercitationem & laborem diſtinguunt, quod ſc. motus ſit res quædam magis communis & conveniens, quam exercitatio. Nam ſæpe multi moventur, neque tamen exerceri dicuntur; exercitatio vero ſit motus vehemens, ſiquidem cum tantummodo motum exercitationis nomine GALENUS *lib. 2. de ſanitate tuenda* dignatur, qui concitatione ſua & vehementia anhelitus rationem & naturam immutare quadantenus poſſit, quandoquidem in quibus nulla per corporis motus ſit anhelitus mutatio, hos minime exerceri dicimus, nec eos motus exercitii nomine dignamur. Brevibus, quod ſi quis magis celerius crebriuſque ex motu reſpirare cogatur, huic tantus motus exercitatio fuerit, ita pugilatus, curſus, ſaltatio, pilæ luſus exercitationes ſunt; ambulatio autem,

Variæ ſpecies Motuum.

blanda equitatio, vectatio, modulatio vocis ſeu cantus, tantum motus nuncupari debent. Similiter labor, etſi ſit vehemens motus, tamen non omnis labor vocatur exercitatio, ſiquidem fodientes, metentes, plantantes, venantes, domum exſtruentes, laborare dicuntur, ſed non proprie exerceri, utut eundem ſæpius effectum cum exercitatione habeat. Proprie veteres exercitationem dixerunt motum corporis vehementem, voluntarium, cum citato anhelitu, ſanitatis tuendæ gratia factum: laborem autem motum, qui fatigationem ſecum trahit, & ubi finis hic non intenditur. De ſingulis ſeorſim, quid commodi & incommodi alant, quibus individuis, quibus in morbis conveniant, nec ne, ſigillatim, breviter tamen, dicemus.

Motus apud veteres quid?

Motus optima corporis medicina.

II. Primo omnium autem demonſtrabimus, motum, ſive exercitatio, ſive labor aut motus in genere ſit, optimam eſſe medicinam, corpus præſervantem ab omni morborum genere. Quod ut oſtendamus, perplacet hujus adſertionis confirmationem auſpicari à veterum ſapientiſſimorum graviſſimis dictis, è quibus clarius elucebit, quanto pretio habitus & quantopere olim commendatus fuerit ad ſanitatem tuendam. Ita GALENUS lib. 2. de ſanitate tuenda ſcribit: *ſanitatis tutela a labore eſt auſpicanda*; & paulo poſt: *a laboribus ordiendum.* Et libro de boni & mali ſucci cibis: *Ad ſanitatem tuendam*, ait, *maximum quidem malum eſt omnimoda corporis quies; perinde atque maximum bonum eſt, motio moderata, hoc eſt, ſi corpora moderate exerceantur.* Et rurſus eodem libro de ſemetipſo, hiſtoriam inſtituti a ſe victus recenſens, in quem unum quempiam e ſodalibus hortatu ſuo pertraxerat, ad hunc modum de exercitiis commodis diſſerit. *Curam*, inquit, *ambo adhibuimus, ut exerceremur, cruditateſque omnino vitaremus, ob idque ad hanc uſque diem multos jam annos incolumes viximus.* Quod multis ante GALENUM annis ARISTOTELES *in Probl.* expreſſerat, dum illud inquirit, cur cibum minuere, laborem autem augere ſalubre ſit. An, inquit, quia cauſam ægrotandi, excrementorum habet nimietas: quæ tunc certe exſultat, quum aut cibus ſupereſt, aut labor deeſt? Clarius autem id exprimit magnus & vetuſtiſſimus auctor HIPPOCRATES, qui libro 1. de victus ratione ſect. 4. pag. 7. ſcribit: *qui comedit, niſi etiam utatur laboribus, ſanus eſſe non poteſt.* Et ibidem: *Cujuſvis naturæ conveniens cibi modus, & laborum numerus ſi inventus fuerit, qui neque ſupra, neque infra modum excedat, ſanitas hominibus exacta inventa fuit.* Et idem laudatiſſimus auctor lib. 6. de morbis vulgaribus pag. 274. ſapienter pronunciat: *Optime excolunt valetudinem, qui citra ſatietatem cibis veſcuntur, & impigri ſunt ad laborem.* Auctor eſt VEGETIUS, rei militaris peritos exiſtimare; plus quotidianas armorum exercitationes ad ſanitatem militum conſervandam conferre, quam medicos. Propterea & SOCRATES ſæpius, teſte LAERTIO, ſaltitabat, gnarus, uti aquæ deſides putreſcunt, ita & corpora noſtra corrumpi otio atque ignavia. Quod egregie OVIDIUS expreſſit in *ſexta miſſarum de Ponto elegia*:

Varia dicta virorum huc ſpectantia.

> *Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus?*
> *Ut vitium capiant, ni moveantur aquæ.*

Fabula Medeæ.

MEDEA hominibus juventutem reſtituiſſe & in robuſtiorem eos ætatem retraxiſſe fingitur, propterea que eam veneficam fuiſſe ajunt. At non ita eſt: fuit femina prudens, quæ exercitationibus gymnaſticis molles & effeminatos, otioque corruptos ad integram ſanitatem traduxit, & laboribus in locis calidis firmavit. Eam ob cauſam fabulæ occaſio data, quaſi homines coquendo in juventutem reſtituerit. vid. PLEMPIUM *de ſanit. tuenda pag.* 284. Ex recentioribus placet quoque huc accerſere teſtimonia probatiſſima, quæ adſertionem hanc firmare ac roborare poſſunt. Ita ſcribit Cl. PECHLINUS *obſerv.* 34. *nulla corpora morbis minus obnoxia, injuriiſque tolerandis magis idonea reperies, quam illorum, qui a prima ſtatim infantia motu palæſtrico, gladiatorio, aut alia vehementia firmitatem ſibi contraxere viriumque robur, quod quum in ſeram ætatem extendant, uſque eo etiam immunitatem a morbis incommodiſque facile ſibi procurant, quod infinitis exemplis obvium eſt.* Et celeberrimus autor medicinæ mentis & corporis *pag.* 6. ſcribit: *octoginta annorum ſenes ſe vidiſſe, qui, quum aſſidue curſitando in perpetuo motu fuiſſent, pedibus plus valuere, quam multi juvenes, qui & cibos appetenter & ſomnum quiete ceperunt.*

Obſervatio Pechlini.

Homines laborioſi optimam degunt vitam.

III. Verum non opus eſt, hic multorum colligere auctoritates; quin ipſa experientia comprobat, quod illi homines, qui laborant, qui vitam agreſtem alunt, non modo ſint robuſtioris corporis, ſed & vitæ longævioris, & vitam a morbis magis immunem degant, quam illi, quibus voluptas eſt, inerti otio adſueſacere corpus, & ſicuti pulchre ſcribit PLEMPIUS loc. cit. pag. 284. *ſecuritatem ſoporis ſimillimam appetere, ſub denſa umbra latitare, tenerrimiſque cogitationibus, quas tranquillitatem vocant, animi marcentis oblectare torporem, & cibis potionibuſque intra ædium latebras corpora ignavia pallentia ſaginare.*

Vita & ſanitas unde pendeant.

IV. Stabilita ſic experientiæ & auctoritatis fide, res jam poſcere videtur, ut etiam laboremus exquiſitas & ſolidas rationes in medium producere, quibus clarum evadat, cur motus & exercitatio tam vegetum, ſanum & a morbis liberum ſervet corpus, & valde iis, qui cibis ſatiantur, neceſſarius ſit. Supponendum autem hic ex phyſiologicis eſt, vitæ & ſanitatis rationem pendere maxime a fluorum & catholici iſtius fundamentalis & vitalis humoris ſanguinis perenni, jugi, æquabili circulo & motu progreſſivo per majores minimoſque corporis tubulos, adeo, ut, ſi motus hic ſalvus ac incolumis ſit, inutilia, ſuperflua, & excernenda, feliciter per congrua evacuatoria, & tranſpirationem potiſſimum evacuentur, utilia autem & corpori noſtro congrua ſerventur.

Affectiones morboſæ proveniunt a circulo ſanguinis impedito.

V. Hic itaque motus circularis eſt, qui neceſſaria hac ad vitam ſyncriſi ac diacriſi corpus ejuſque partes tuetur, ſervat, & ab omni putredine, corruptione, morboſo ſtatu ac morte cuſtodit: utpote clarum ac certum eſt, morboſas affectiones potiſſimum à circulo ſanguinis impedito, & debitarum excretionum defectu ac imminutione, provenire atque propullulare. Jam autem, ſi attentius rem conſideramus, nihil magis juvat iſtum motum ſanguinis ac fluorum internum, quam motus externus muſculorum. Utpote quandocunque muſculi, qui

genuina

genuina ſunt motus inſtrumenta, pro animæ imperio miniſterio ſubtilis elaſtici ſanguinis & nervorum fluidi, vivida ac mobiliſſima expanſione contrahuntur, accidit, ut ſtrictura quadam agiliſſima non modo vaſa & præſertim venoſa ad conſtrictionem, ſicque ad fluidi ſanguinis progreſſivum motum expeditiorem animentur, ſed & ipſo hoc motu attritivo particulæ craſſiores attenuentur & dividantur. Hoc modo inteſtina motio valde increſcit, fluiditas, ſpirituaſcentia, calor augetur, hiſce autem in corpore præſentibus tranſpiratio & ſuperflui humidi evaporatio, diſcuſſio, maximo emolumento juvatur & promovetur.

VI. Quod autem motus partium corporis externus & voluntarius, ſi paulo concitatior eſt, ſanguini intenſiorem in lineam abeuntem motum conciliet, ejuſque calorem & ſpirituaſcentiam nec non exinde dependentem perſpirationem adaugeat, res evidentiſſima evadit, quando ipſa experientia deprehendimus, ad motus vehementiam corpora, quando frigore adfecta ſunt, promptiſſime incaleſcere, reſpirationem fieri citatiorem, ſudorem è corpore promanare largum, faciei calorem fieri vivaciorem, appetitum proſtratum erigi, pulſum evadere citatiorem.

Corpora frigida motu incaleſcunt.

VII. Ex dictis abunde patet, quantam utilitatem atque emolumentum exercitatio debita adferat corpori. Quum enim ſanguinis circulum, & excretionum œconomiam, in quibus fundamentum vitæ & ſanitatis meritò ponitur, ſartam tectam ſervet, non poteſt non omnibus remediorum generibus, quæcunque etiam excogitari poſſunt, merito anteferri.

Excercitatio debita utilis corpori.

VIII. Ulterius jam exquirenda venit ratio, quare ſub victu pleniori & ciborum ſatietate tantum uſum ac commodum præſtet conveniens corporis exercitatio; adeo ut, ſi intermittatur, fores apertiſſimæ (uti fuſius jam oſtenſum eſt) pandantur graviſſimis morbis. Facilis autem videtur eſſe ratio, quando conſideramus cibum copioſum ingeſtum ſuccos exſuperantes ingenerare, qui ad ſanguinem delati ob nimiam molem & copiam ejus motui circulatorio vitali reſiſtunt & obicem ponunt: dum inter motum & mobile neceſſaria illa proportio læditur, hincque crudi ſucci in ſanguine congeſti, & ventilatione minus depurati nec calido inteſtino motu ſubacti vaſa plus juſto implent, emunctoria obſtruunt, unde intemperies, obſtipationes, anomali ſpirituum & humorum motus: quæ vitia graviſſimorum affectuum cauſæ antecedentes eſſe ſolent. Notum enim eſt, quam perniciosa ſit ſentina inſaturabile abdomen, & quod plethora, fœcundiſſima morborum præſertim chronicorum mater, non niſi a ciborum immoderato uſu, ſuboriatur. Niſi itaque quis abſtinentia & inediâ, qua utique magni morbi præcaveri & ſanari poſſunt, ceu commoda medicina uti velit, opus eſt maximè, ut motu corporis ſanguinem excitando, eumque activiorem reddendo, adjuvet illius, quod ſuperfluum eſt, abſumtionem, diſcuſſionem. Quod optimè indicat venerandus Senex HIPPOCRATES l. 1. de victus ratione ſect. 4. inquiens: *Labores ea, quæ adſunt, conſumere ſolent, cibi verò & potiones, quæ vacuata ſunt, explent.* Brevibus: motus debitus tollit & avertit plethoram, caloremque ſuſcitando crudum illud ſubigit, & ſuperfluum inſenſibiliter diſſipat. Quamdiu enim legitimo utimur motu, tamdiu nec excretiones ordinariæ ac naturales ſuas deſerunt leges, nec ea, quæ ſecundum naturam ex corpore ejici debent, retinentur: quam in rem non inelegans locus eſt GALENI comment. 1. lib. 6. epidem. c. 5. *Motu paulo vehementiori redundantes evacuantur humores, & quicquid pituitoſum, craſſum crudumque eſt, ad concoctionem ducitur.* Elucet exinde ratio, quare exercitia dicantur veteribus & GALENO l. 4. aph. comment. 13. *corpora exſiccare, imo extenuare*, ſecundum aphor. l. 2. comment. 28. Hinc etiam HIPPOCRATES lib. de ſalubri diæta, *pinguibus & qui graciles fieri volunt, quando jejuni ſunt, labores* commendat.

Cibus copioſus reſiſtit motui circulatorio ſanguinis.

Plethora morborum chronicorum mater.

IX. At vero opportunus motus non modo vitam tuetur ſanam, & corporis actiones ſervat integras, ſed & ipſum animum ejuſque vires excitat, ac ingenio vigorem ingenerat. Id quod innuit graviſſimus autor GALENUS in lib. de aſſuetudine hiſce verbis: *Ab exercitiis animæ univerſæ virtutes augentur & robur accipiunt.* Et l. 1. de ſanitat. tuenda: *Exercitiis modicis tum corporis tum animi, cuſtoditur intra ſanitatis fines nativus calor.* Et pulchre ac ſcite PLINIUS l. 1. epiſt. 2. *Animum agitatione motuque corporis excitari* affirmat. Etenim probe tenendum eſt, copioſum victum ſpirituaſcentiam, quæ ad ingenii actiones valde neceſſaria eſt, deprimere, & juxta GALENUM, *animum ſanguine ſuffocatum cœleſte aliquid pervidere non poſſe.* Hinc THEOPHRASTUS l. 5. philoſoph. ſcribit: *multum edere, carnibus veſci, rationis & conſilii uſum adimit, animoſque efficit tardiores, & eos immani quadam dementia ac ſtultitia complet.* Quemadmodum autem motus, vitium illud humorum ac ſanguinis ab intemperantia natum corrigit atque emendat, ſanguinemque ſubtiliorem gignit, ita nullum dubium eſt, quin etiam animæ, quæ miram convenientiam cum temperie ſanguinis habet, optima ſit medicina. Ita ſæpe obſervavimus plures ex nimia cerebri humiditate & humorum copia ſtupidos, temperantiæ & continuis corporis motionibus poſtea addictos, ſagaciores ac prudentiores evaſiſſe.

Motus opportunus tuetur vitam ſanam.

Et ſanguinem ſubtiliorem gignit.

X. Deſcendimus jam ad alterum diſſertationis noſtræ membrum; quod in eo conſiſtit, ut motus amiſſam etiam ſanitatem reſtituere, ſive morbos ſanare virtute ac efficacia ſua ſatis potenti queat. Quemadmodum vero hoc conceptu facillimum, ita & rationi admodum conſentaneum eſt. Dum enim motus plethoram ſolvit, corpus pervium patenſque reddit, ſuperflua & excrementa ſecludit, obſtructiones viſcerum diſſolvit, non poteſt non etiam magnum habere in medicina effectum, ſive tutiſſimum remedium exſiſtere, cui ſimiles virtutes non facile ab alio tutiori ratione exſpectari poſſunt.

Præſtantia motus.

XI. Res eſt clariſſima & non tantum per experientiam ſed & ſolidam rationem perſpicua, remediorum, quæ ex fonte pharmaceutico ac chirurgico petuntur, præcipuam efficaciam in eo conſiſtere, ut vel nimios & irregulares motus ſiſtant, vel motus ſegnes, deficientes, atque excretiones imminutas ſuſcitent atque promoveant. Porro etiam compertum eſt, neque negari ab ullo rerum medicarum perito poteſt; cuncta, quæ ſanguinis circulum movent, cum blanda diaphoreſi, conſtituere tutiſſimam & efficaciſſimam medicinam. Id quod omne continetur & conſpicitur in motu,

Quidnam pharmaca & chirurgica præſtent.

tu, qui pro diverſa individuorum conſtitutione probe adminiſtratus, non niſi utilis medicina eſſe poteſt.

Effectus motus. XII. Primo autem motus medicinam præbet appetitui proſtrato, anorexiæ variiſque ſtomachi vitiis, quæ ex colluvie viſcida pronaſci poſſunt. Utpote dum calorem ſanguinis motus adauget, liberiorem ſpirituum in ventriculi tunicas influxum præſtat, hinc digeſtio melior evadit & robur ventriculo accedit. Vulgaris namque experientiæ eſt, poſt exercitium corporis & laborem appetitum augeri, adeo, ut veteres unanimi conſenſu approbent, motus & labores cibos præcedere debere.

Quidnam efficiant motui reſiſtentia. XIII. Quantum damnum afferat corpori, ſi quis poſt nimiam incaleſcentiam & fervorem conceptum a motu protinus hauſtum frigidum ſuperbibat, teſtantur præclariſſimorum Practicorum numeroſæ obſervationes. Plures ſæpenumero intra breve temporis ſpatium extincti fuerunt; alii in inſanabilem inflammationem ventriculi, hepatis, tabem, hecticam lethalem inciderunt. Quibus omnibus laudatiſſime ſuccurrit motus in principio ſtatim imperatus. Quum enim frigidum ſanguinis gelatinam coagulando, circulationem ejus liberam ſiſtat, non poteſt melius ipſe rurſus fluiditate amica donari quam per motum & corporis incaleſcentiam novam: quod & œconomis ac ruſticis non ignotum eſt, qui equis paralyticis (*denen verſchlagen Pferden*) quietem haud concedunt, ſed, (quamvis lentiori gradu) illos eouſque fatigant, uſque dum ſudore diffluant. Cujus forſitan curationis non ignari olim gentiles in urbe Neapoli ſtatuam quandam exſtruxere æneam, figuram magni equi habentem, quam ægroti equi circumcurſitaſſe, indeque priſtinum vigorem ac robur recuperaſſe feruntur. *Equi paralytici quomodo ſanentur.*

Febrium intermittentium origo. XIV. Intermittentium febrium ſpecies ex meatuum obſtructione & perſpiratione cutis impedita oriri, conſtans eſt ſententia: & viſcidum in primis viis nec non in ſanguine collectum has ipſas fovere, ex cauſis antecedentibus, intemperantia, ac perverſo victu, hariolari licet. Jam autem nihil magis hic indicatur, quam ut corpus rurſus perſpirabile reddatur, meatus aperiantur, & viſcidum p. n. congeſtum attenuetur. Id quod ipſe motus maxima cum euphoria præſtat; dum illo ſanguis per anguſtiſſimos corporis poros & tenuiſſima vaſa capillaria propellitur, ſicque neceſſario attenuatur & a ſuperfluis excrementitiis partibus liberatur. *Ejus curatio.*

Affectio hypochondriaca motu eſt ſanandi. XV. Affectio hypochondriaca, quæ ſtudioſis, literatis atque togatis propter ſeſſionem & quietem corporis frequentem valde ſolennis eſt, non certius & ſecurius remedium expoſcit quam debitum corporis motum; quo ipſo plus crebro præſtamus in reſolvendo ſanguine craſſo, & obſtructionibus aperiendis, quam præſtantiſſimis medicinis. Sicuti hoc Clariſſ. Thom. Sydenham *in diſſert. epiſtol. de paſſione hyſterica p. m.* 476. admodum perſpicue deduxit, ubi imprimis de equitationis utilitate diſſerit, & ſacerdotis cujuſdam meminit, qui malo hypochondriaco vehementer correptus, ſine omni adhibito pharmaco, ſolo corporis motu priſtinum acquiſiverit vigorem. Spectant & huc peregrinationes ad thermas, acidulas, quæ propter motum, qui in itinere contingit, & qui neceſſario potationi aquarum jungi debet, plus operatur, quam ipſæ ſæpius aquæ. Hinc quivis aquæ potator fateri debet, non melius eſſe ipſi & mitiorem morbum experiri, quam ſi frequentius corpus motu exerceat. Hoc enim tranſpiratio, hoc alvi excretio procuratur, magno cum iſtorum emolumento. Eo referre quoque licet omnes illos, qui cachectico habitu corporis ſunt præditi, qui ex torpore humorum, ſcabie, tumoribus œdematoſis, variiſque rheumaticis defluxionibus corripiuntur; qui omnes auxilium deſideratiſſimum experiuntur debito corporis motu. *Ut & alii morbi maligni.*

Quomodo febres lentæ motu curentur. XVI. Nulli inſuper morbo magis conveniens & accommodata eſt corporis exercitatio, quam febribus lentis, ex ventriculi vitio, intempeſtiva febrium intermittentium ſuppreſſione & perverſa curatione ſubortis. Utpote in hiſce viſcoſus lentus humor tubulos ac meatus hinc inde obſtruens, intenſum fervorem ac æſtum corporis ſuccos plus juſto conſumentem producit; cujus tamen incendii fomes (intelligo viſcoſum illum lentorem) corporis ſuccuſſione æquabili, quæ vel per equitationem vel per vectionem abſolvitur, egregie diſſipatur. Et cum ſimilis ferme lentus calor ſæpiſſime affligat corpora a diuturno morbo & febre exhauſta, vel propter largam hæmorrhagiam imbecillia facta, præſertim quando appetitui paulo avidius indulgent, hinc eo caſu debitus corporis motus aptiſſimum invenit locum, quoniam nimirum digeſtionem, quæ in præſenti caſu valde imbecillis eſt, ſuſcitato calore mirifice adjuvat. Hanc in rem eleganter ſcribit: Celsus *c.*15. *de geſtatione: Geſtatio quoque longis & jam inclinatis morbis aptiſſima eſt: Utiliſque eſt & his corporibus, quæ jam ex toto febre carent, ſed adhuc exerceri per ſe non poſſunt; & his, quibus lentæ morborum reliquiæ remanent, neque aliter eliduntur.* Et Richardus Morton *exercitat: de phthiſi pag.* 26. afferit: quod febre lenta vel etiam phthiſi laborantes ad ſudores uſque moderatos quotidie exercendi ſint; quo nimirum ſaburra veteris effœti & inutilis chyli, qui vaſa ſanguifera & habitum corporis jam infarcit, exſudetur, ut locus novo, utilique copioſior detur, & conſequenter appetitus in ventriculo augeatur.

Motus ſunt conducibiles in gravibus morbis. XVII. Præterea in aliis gravibus etiam morbis & afflictionibus corporis motus & quidem validior conducibilis eſt. In tabe, ſtomachi vitiis & cum aqua cutem ſubiit, inque morbo regio, aut ubi quidam morbi ſine febre manent, qualis comitialis, qualis inſania eſt, Celsus *l. cit.* admodum illum commendat. Morbi hi dicti omnes ex frigido denſo humore, vaſa hinc inde obſtipante & ſanguinis circulum impediente, naſcuntur; qui tamen motu corporis validiori, optime in ordinem redigitur. Cl. Thom. Sydenham *diſſert. epiſtol. de paſſione hyſterica pag.* 476. ubi de equitatione loquitur, afferit, nemini convenientiorem eſſe corporis motum, quam ipſis tabidis phthiſiciſque; quod ſequentibus exprimit verbis: *Neque magis hypochondriacis prodeſt hoc exercitii genus, quam tabidis phthiſiciſque, quorum nonnulli mihi ſanguine juncti multum terrarum equo vectore peragrantes, ex meo conſilio, ſanitati ſunt reſtituti; cum certo ſciam, me vel medicamentis quantivis pretii aut alia methodo, quæcunque demum ea fuerit, nihil magis iiſdem proficere potuiſſe, quam ſi multis verbis hortatus fueram, ut recte valerent.* Illuſtrat hanc Sydenhamii adſertionem

tionem Dn.D. Stahl, *in programmate propemtico inaugurali de novo ſpecifico antiphthiſico, equitatione*, edito: ubi probationibus luculentiſſimis lectu & relectu digniſſimis motus efficaciam in phthiſi & hectica, monſtratam B. L. inveniet.

Obſervatio Pechlini.

XVIII. Notatu digniſſima eſt *Obſervatio* 35. *clariſſimi* Pechlini; ubi amici cujuſdam mentionem facit, qui cum a quartana inveterata peſſime haberetur, remediorum, quæ medici manus commendaverat, pertæſus, animique fidens inſtante jamjam paroxyſmo equo ſe committeret feroci, cui domando cum omnes vires intendere deberet, provocata tandem quatuor horarum laſſitudine eo rem deduxit, ut morbi veſtigia penitus obliterarentur, neque exinde febris magis inquietaret, quæ tot medicaminum ſudorumque impendio fruſtra ſollicitata fuerat. Utrum in illa muſculorum ſæpius & in omnem partem vexatorum ſyſtole ſanguinis è minimis reconditiſque venis, in quibus obſtructiones reſidere ſolent, fortius quam per ſudores fuerit impulſus coaguloque viſcoſo alliſus (ut ſic ipſum quoque ſolveretur) magnamque ſui partem eodem flumine abreptus, vel in urinam vel alvum ſecederet, haud temere judicaveris.

Colica bilioſa optime per motum ſanatur.

XIX. In colica bilioſa non datur præſtantius remedium, quam ipſe corporis motus; ſicuti id laudatiſſimus Sydenhamius indicat, dum ægrotis chronico hoc affectu laborantibus equitationem vel in curru vectionem, quo longiora itinera confici debeant, optima ratione commendat. *Hujuſmodi enim*, inquit, *materiam morbo committens, in corporis habitum deducitur, & ſanguis perpetua agitatione comminutus de novo quaſi depuratur, ipſaque demum inteſtina caloris nativi excitatione haud parum corroborantur & reſocillantur. Nec pudet fateri me dicto exercitio morbum hunc, cui alio quovis modo devincendo par non fui, plus ſemel penitus expuliſſe.* Vid. Sydenham. *oper. med. univ. p.m.* 192.

Podagra fugit exercitationem.

XX. Corpora, quæ ad rheumatiſmos, catarrhales defluxiones, arthriticos dolores, ophthalmias humidas, valde proclivia ſunt, non meliorem inveniunt præſervantem medicinam, quam in motu pro ſubjecti natura ac indole temperato. Etenim & hæ dictæ ægritudines ab excrementi ſeroſi humidi accumulatione, tranſpirationis defectu & ſegniori ſanguinis motu, cauſam atque originem ſuam petunt. Pertinent & huc podagrici, quorum nonnullos ipſe novi, qui recuperatam ſanitatem ſuam corporis exercitio acceptam ferunt. Conſentit in hanc rem Galenus l. 6. aphor. comment. 28. inquiens: *Exercitatio podagram fieri prohibet.* Et ulterius confirmat hoc ipſum aſſertum experientia, dum ruſtici, operarii, rariſſime hoc affectu corripiuntur, niſi forſan ex diſpoſitione hæreditaria corpus invaſerit.

Motus juvat medicamentorum operationem.

XXI. Tandem nec ſilentio illud prætereundum eſt, quod motus juvet multorum medicamentorum operationem, adeo, ut ſine ipſo, exoptatum in medendo effectum neutiquam exerere poſſimus. Ita notum eſt, ſi purgans fuit aſſumptum vel etiam vomitorium, corporis motu non nimis tamen forti, medicamenti virtutem egregie adjuvari imo intendi, ut longe copioſiores ſedes experiantur, qui motum purgantibus ſubjungunt, quam qui fruuntur quiete: juxta illud Galeni. *l.* 4. aphor. com. 15. *Quies vomitum ſiſtit, motus facit. &c.* Singularem hujus rei illuſtrationem ſiſtit caſus, quem ipſi obſervavimus, ubi nobilis quidam vir poſt octiduam pertinaciſſimam alvi conſtipationem omnibus etiam præſcriptis clyſteribus moveri non potuit, uſque dum ipſe æger hinc inde in lecto volutus & agitatus fuerit: quo facto corporis motu mox fæces copioſiſſimæ ſeceſſerunt.

Mars non operatur niſi motu.

XXII. Martialia ſive in forma ſicca ſive in liquida adminiſtrentur, non niſi imperato poſt eorum uſum motu felicem ſortiuntur effectum: hinc peritiores medici nunquam cautelam hanc in applicandis iis remediis omittunt, probe gnari, quod ex hujus intermiſſione non modo vis medicamenti imminuatur, ſed & notabilis noxa, dum in ventriculo non ſoluta manet metalli portio, inde emergat.

China Chinæ quomodo uſurpanda.

XXIII. China Chinæ, remedium, uti compertum eſt multiplici experientia, adverſus febres eſt incomparabile; quod tamen non modo efficaciam ſuam ſæpius amittit, ſed & contrarium effectum edit, niſi parva repetita doſi, & cum motu corporis, in quo totius curæ & applicationis arcanum conſiſtit, adminiſtretur. Nimirum, ſi majori doſi ingeritur, ipſe ventriculus ejus copia premitur, & dum non a menſtruali lympha ibi reſolvitur, effectu omni deſtituitur; quinimo etiam ſoluta ſanguinique ingeſta (cum adſtringentis facultatis ſit,) obſtructiones & obſtipationes viſcerum potius parit, quam ut roborando viſcera (id quod tamen intenditur,) motum ſanguinis & humorum excrementitiorum ejectionem procuret.

Motus convenit poſt venæ ſectionem.

XXIV. Poſt venæ ſectionem motus corporis conveniens & in aura ſerena liberiori inſtitutus, omnibus modis ſuadendus eſt: quo ſcilicet liberior & æquabilis per omnes partes ſanguinis diſpenſatio ac motio fiat, & ex detracto ſanguine forſan reſultans imbecillior calor & ſpirituaſcentia defraudata reſuſcitetur; qua ratione præcaveri poſſunt cruditates ventriculi, quæ largiorem ſanguinis miſſionem non raro excipiunt.

Potentia acidularum & aquarum ſalubrium per motum.

XXV. Acidulæ & omnes aquæ ſalubres frigidæ incredibilem potentiam habent tam mole ſua, quam virtute ſpecifica minerali ſtimulante inveteratas viſcerum obſtructiones expediendi, & viſcidam amurcam vaſorum colliquandi; niſi autem motu externo ſufficienti comitentur, & ipſarum virtus juvetur, fruſtraneus ſæpe illorum eſt effectus, omnemque ſpem ægroti & medentis eludunt. Quippe frigidum iſtud copioſum motu externo incaleſcere debet, & vigore muſculorum aucto citius & celerius per meatus corporis & viam regiam rurſus tranſit.

Cauſæ morborum feminarũ.

XXVI. Ultimo adducam, feminarum pleraque incommoda dependere a menſium fluxu irregulari & non ordinem rectum modum ac tempus ſervante. Cum vero graviſſima a menſium defectu natales ſuos recipiant mala, nemo hinc in dubium vocabit; motum, qui ſanguinem æqualiter exagitat, qui viſcidum, quod ejus turgeſcentiæ adverſatur, & uterinas venas occludendo conſtipat, diſſolvit, nobiliſſimum præſtare poſſe auxilium in omnibus fere, quos experiuntur, morbis chronicis ipſæ feminæ. Tantum, ut abſtineant a validioribus omnibus exercitiis, ſi gravidæ ſunt.

Imprimis abortus.

Quid enim frequentius accidit, quam ut a motu validiori, imprimis circa medium geſtationis

nis tempus, proveniat abortus? quum primario omnes ferme gravidæ ſint plethoricæ: unde ſi per motum externum ſanguis iſte exſuperans nimium commovetur, vaſa, quæ in uteris prægnantium valde diſtenta ſunt, diſrumpit, & diſruptione hac largiſſimam hæmorrhagiam, individuum abortionis comitem, ſuſcitat. Nihilominus vero gravidarum conditioni ac ſtatui, temperatus corporis motus nonnunquam optime congruit, dum ſcil. liberiorem tranſpirationem efficiendo, multas ſeroſas impuritates non ſine ſingulari emolumento matris &. fœtus excludit.

XXVII. Poſtquam itaque in genere deduximus, quem uſum atque commodum habeat in tuenda ſanitate, morbiſque avertendis ipſiſque propulſandis, opportuna corporis exercitatio; e re noſtra ac perutile fore arbitror, ſi jam breviter cunctas fere & primarias exercitationum ſpecies percurram & quid quævis commodi vel incommodi afferat, quibus in morbis & individuis quadret, & quæ regulæ ſimul ſervandæ ſint, ſuccincte & evidenter annotem.

Laus deambulationis in aëre libero. XXVIII. Exordium faciam ab ipſa deambulatione, in aere libero, quæ omnium opportuniſſima, inſtituta. Veteres & inter hos PLATO, deambulationem in aere liberiori ruſticano celebratam, ei, quæ in civitatibus inſtituitur, præferunt, partim quod ob vias planas commodior fit, quam ſi viæ lapidibus duris ſtratæ ſunt, partim etiam quod aer, qui genuinum ſpirituum pabulum eſt, ibi ſerenior & defecatior exiſtat. Ipſe PLINIUS animum eruditione, corpus ambulatione & venatione exercebat, mille paſſus mane ambulabat, movebaturque pila ſatis fortiter; nam hoc exercitationis genere pugnabat cum ſenectute; unde quoque illi poſt ſeptimum & ſeptuageſimum annum, aurium ac oculorum vigor integer & vividum corpus permanebat. Vid. PLINIUM *l.3. epiſt.* 1. Moderata ſpecies motus deambulatio eſt, & literatorum conditioni admodum accommodata; quippe in hac muſculorum actionis æquilibrium ſervatur, & ſui invicem officia *Quomodo deambulatio corpori proſit.* muſculi alternant: cumque univerſa ſimul machina in ambulatione laboret, muſculorumque omnium ſit æqualis commotio, fluidi circuitum toti corpori ex æquo reſpondere neceſſe eſt, a quo, cum viſcera habituſque corporis robur ſuum atque calorem accipiant, utique etiam tonum illorum in illa ſanguinis per motum diviſione mirifice confirmari, credibile eſt. Digeſtionum & ſecretionum negotium hic motus etiam egregie & placide procurat, & ab hypochondriaca affectione, cruditatibus, alvique damnoſa obſtructione, togatos & literis addictos egregie præſervat. Unde haud immerito locum hic invenit illa MARTIALIS aſſertio; qui inſaniæ adſcribendum eſſe putavit, *ſi homo juvenis & validus aliorum pedibus ambularet per urbem.*

Quid ſaltatio blanda præſtet. XXIX. Deambulationi ſuccedit ſaltatio blanda & placida; cujus originem Græcorum ſcriptores ex cœlis, ſtellarum, ſyderumque lationibus, eorumque greſſu ac regreſſu, complexu ac ordine tanquam harmonica quadam cœleſtium chorea deducunt. Vid. CORNEL. AGRIPPAM *de vanitate ſcientiar. cap. de ſaltatione.* Similes ferme & eoſdem effectus habet cum deambulatione, ſi moderate inſtituta fuit; quando vero modum excedit, ita ut corpus ſudore diffluat, multum fatigare & laſſitudinem membrorum, non niſi poſt aliquot demum dies ceſſantem, producere poteſt. Ubi tamen notandum venit, quod illæ exercitationum ſpecies, quæ cum voluptate quadam peraguntur, veluti ſaltatio eſt, etſi interdum celerius quam par ſit celebrentur, non damnum ſemper neque tantam noxam corpori inducant, quam quæ omnis delectationis expertes ſunt. Siquidem illi, qui ſeſe exercent, minorem ſentiunt moleſtiam, & affirmante SILVATICO *controverſ.* 15. *pag.* 79. *ex hilaritate laborem utplurimum fallunt, neque ante juſtæ exercitationis tempus fatiſcuntur, ac paulo ulterius quam par ſit, ſæpe progreſſi, exceſſus tamen noxam minime ſentiunt.*

XXX. Vehementior autem motionis ſpecies eſt curſus; qui ſicuti corpus plus calefacit & humores intenſius movet, ita magis corpora exſiccat, extenuat, viſcidum reſolvit, obſtructionum clauſtra perrumpit; modo illa obſervetur regula, ne plethoricis, & qui multum ſanguinis craſſi in venis alunt, imo inſuetis, imperetur: alias ſanguinem nimis commovendo, laſſitudinem non modo, ſed & dolores capitis, oppilationes hepatis, hæmorrhagias, aſthmata, inflammationes in pulmonibus excitare valet. *Effectus curſus.* Videtur mihi valde commodatus eſſe febricitantibus, ubi febris imprimis fuit intermittens chronica. Tunc enim niſi ſumma obſtructionum in viſceribus pertinacia impedimento ſit, celerrime viſcidum illud conſumit, quod meatus cutis occludendo ſpaſmos in cortice corporis excitat, atque motum cordis & arteriarum plus juſto intenſiorem ſeu febrem provocat. Teſtantur hoc vitæ agreſti dediti, qui tertiana correpti motu haud raro & imprimis curſu in exceſſum & ad laſſitudinem uſque peracto, promptiſſime curantur: unde etiam febricitantibus curſitationem, ſed non diu continuandam ſuadet GREGOR. HORSTIUS. vid. *oper. med. exercitat.* 4. *de febr. putrid. curatione.*

Optime laudatur pilæ parvæ luſus. XXXI. Ordine jam ſequitur pilæ parvæ luſus, quem præ aliis exercitationis generibus commendat GALENUS, qui etiam peculiarem libellum de eo conſcripſit. Totum corpus hoc exercitium commovet, dum crura, brachia, cervicem, caput, oculos, dorſum, admodum celeriter & æqualiter exercet. At vero inaſſuetis ſatis hæc corporis agitatio moleſta eſt, quoniam nimis vehemens, unde etiam aſſuetis tantum, & qui viribus conſtant, commendanda. Semper tamen illud injungendum, ne corpore per ſudorem liquefacto ſubitaneum frigidum hauſtum ingerant, quale quid athletarum non paucos vita privavit, dum aſthmata, *Quibus noceat.* colicas convulſivas, pravas viſcerum obſtructiones, hecticam, hydropem poſt ſe traxit. Quoniam itaque non omnibus congruum eſt pila ludere, neque etiam decorum, iſti in amplo aliquo cubiculo ea ludere poſſunt, in parietem pilam impellendo, reſultantem excipiendo vel in ſphæriſterio manu nuda aut inſtructa reticulo.

Uſus & abuſus projectionis diſci. XXXII. Apud veteres ſingularis in uſu erat motus ſpecies, diſci projectio. Erat autem diſcus rotunda moles ſaxea vel plumbea vel ferrea, cujus jactu juvenes inter ſe certabant, ita ut fortior judicaretur, qui aut altius in ſublime, aut longius in tractum, ultra deſignatum ſpatium illam projeciſſet. Hic luſus hodierno tempore exolevit, viceque ejus jactant ſoleam ferream aut paxillum, & orbiculum æneum planum

num per longam menſam protrudunt. vide PLEMPIUM *de valetudine tuenda p.* 290. Satis inſuper validum erat hoc exercitium hincque adoleſcentibus tantummodo robuſtioribus concedebatur. Illis enim, qui renum aut thoracis affectibus laborabant, majorem inferebat noxam; ubi tamen e contrario illorum, qui artuum vigore & reſpiratione validâ pollebant, ſpinæ dorſi ac thoracis articuli diſcum in longius projiciendo firmabantur.

XXXIII. Valentiſſimum exercitii genus, & ob id minus conveniens eſt hoc, quod germanice vocans *voltiſiren.* In quo, dum præter tam varias corporis inflexiones & ſummopere nocivas extenſiones, equo cuidam ligneo, mutatis vicibus, modo antrorſum, modo retrorſum, modo dextrorſum, modo levorſum inſultant, fibræ muſculorum motrices vehementer premuntur, totumque corpus ſupra modum conquaſſatur; ut quamvis hac nimia commotione muſculi & partes tendinoſæ robuſtiores reddantur, tamen ſpinæ dorſi luxatio, partium ruptiones, facillime contingere poſſint. Unde taliſmodi exercitatoribus articulorum luxationes, inteſtinorum provolutiones ac herniæ familiares ſunt. Sicuti ex ſola femoris diſtenſione herniam inteſtinalem oriri poſſe, autor eſt JOB. VAN MECKEREN *obſerv. chir. p. m.* 296. *cap.*6. & BLANCARDUS *in inſtitut. chirurg. cap.* 26. inter frequentiſſimas herniæ aquoſæ cauſas hanc corporis torturam refert.

Noxa ligneo equo inſultantibus.

XXXIV. Nunc in ſcenam prodit pugillatus, tragicum profecto artificium, quo hominem ſæpe innoxium occidere luſus eſt. Hoc exercitii genus admodum mihi videtur laborioſum, hinc robuſtis & plenis tantum utile cenſetur: quorum articuli tam manuum quam pedum artificiali hac luctatione firmantur, muſculi quoque nervi ac tendines robuſtiores evadunt; & quemadmodum hoc exercitio corpus fit agilius, ita judicium quoque acuitur, quo omni fere momento ad avertenda adverſariorum tela opus eſt. Debiles vero & ſpiritibus privati hoc exercitio ſummopere defatigantur; qui ſi ad ſanitatis tutelam artem hanc eligunt gladiatoriam, in ſcyllam incidunt. Plures enim novi, qui in hac arte nimium laborioſi, phthiſici, imo ex virium languore hypochondriaci & ingenio hebetiores evaſerunt.

Pugillatus eſt exercitium laborioſum.

Nocet ſanitati.

XXXV. Spectant huc etiam omnes operariorum ac ruſticorum labores, veluti ſunt diuturna trituratio, ligni diſſectio, demeſſio, agricultura. Hæc quantum ad longam & ſanam vitam contribuant, paganorum durities & inoffenſa corporis valetudo oſtendit. Utpote ſi quid in illorum humoribus vitioſum collectum eſt, id per has agitationes membrorum mediante ſudore commode excernitur: & tam efficax in iſtis eſt actio ventriculi, ut etiam crudiores & duros cibos optime ſubigere queat. Notandum, illos qui hoc vitæ generi ſenſim aſſueſcunt ac ſanitatis cauſa in agreſtibus operibus ſeſe exercent, vegetiores reddi; quod ſequenti clarius redditur exemplo: Paſtor quidam in principio miniſterii ſui diu valetudinarius, multis remediis ſine effectu aſſumtis, incidit tandem in medicum quendam, qui ſanitatem ipſi via compendioſa pollicebatur. Hic cum nulla ſe in uſum vocaturum medicamenta enarraret, percontari cœpit Evangelii miniſter, quis tandem ad ſalutem ipſi pateret aditus? Medicus, tum ut omnibus remediis valediceret, tum ut trocho ingenti ad blandam ſudoris eruptionem luderet quotidie, hortabatur. Exercitium placebat, diſplicebat trochus, itaque trochi vice ligna quotidie findere decretum fuit, idque adeo exacte a valetudinario ſtatuto tempore obſervatum fuit, ut hic labor vicinos horæ admoneret. Promiſſis reſpondet effectus: vixit enim diu non tantum firma valetudine, verum ab omnibus morbis ad vitæ exitum fere immunis. vid. BARTHOLOM. DE MOOR *tr. de inſtaurat. medic. p.* 345.

Labores ruſticorum ſunt ſalubres.

Hiſtoria.

XXXVI. Dicendum etiam aliquid eſt de ſingulari motus ſpecie, quæ ſine membrorum motu perficitur; & eſt pronunciatio vocis. Hæc togatis & literatis utiliſſima eſt, unde egregia ſunt quæ habet PLEMPIUS *l. c.* de hac ipſa, dum ait: *Uſus ſermonis voce pronunciati quotidianus, mirum dictu, quam utile ſit genus exercitationis, non ad ſanitatem duntaxat, ſed etiam ad vires; non quidem athleticas eas, aut quæ carnes augeat, ſed quæ principibus membris, penes quæ vitæ facultas potiſſimum eſt, naturale robur, vigoremque verum addit.* Vox cum fiat reſpiratione adaucta, qua ſanguinis impulſus in cor & tranſitus per pulmones citatior fit, ob pulmonum reciprocam & crebriorem dilatationem ac compreſſionem, calorem adauget, ſanguinem attenuat, venas expurgat, arterias aperit, coire & concreſcere humorem ſupervacaneum non patitur. Compertum enim ex phyſiologicis eſt, reſpirationem ſanguinem neutiquam refrigerare, ſed potius continuo iſto alliſu & attritu calefacere. Nam dum ſanguis per anguſtias innumerorum tubulorum pneumonicorum tranſit, agitatione calidior ac floridior redditur, ejuſque motus progreſſivus mirum quantum augetur: ſicuti id patet in concionatoribus, qui etiam hyeme acerrima in ſuggeſtu ad ſudorem uſque, inſignem corporis fervorem ſibi adſciſcunt. Quocirca non incongrue CELSUS inter exercitationes imbecilli ſtomacho convenientes claram lectionem commendat. Vitandæ autem vociferationes, nimiis animi motibus expreſſæ, vocemque per vim quandam extundentes; inæquales enim ſpiritus contentiones, ſicuti PLEMPIUS loquitur *l. cit.* gignunt hernias. Cavendæ quoque ſunt pronunciationes ſeu lectiones intenſiores a cibo liberaliori ſumpto.

Quid efficiat pronunciatio vocis.

Reſpiratio neutiquã refrigerat ſanguinẽ.

XXXVII. Ad motus corporis alienis viribus peragendos nunc devolvitur noſtra meditatio. Hi lenioris naturæ ſunt, iis maxime commendandi, qui imbecille corpus ac viribus deſtitutum ſive per morbos, ſive per alias cauſas habent. Ejuſmodi ſunt vectio in curru, navi, ſella, lectica. Olim in lectica portabantur lethargici, & qui inteſtinorum fluxionibus laborabant. Sellæ portatili inſidebant diurno quodam & lento morbo impliciti, nec non febricitantes, quorum febris ad declinationem erat perventa. Tabificis propter mutationem climatis & blandam corporis ſuccuſſionem navigationem ſuadet CELSUS *l.* 3. *c.* 22. Ideoque tales ex Italia in Alexandriam miſit, & ſi imbecillitas virium longam hanc navigationem diſſuadebat, nave tamen, ſed non diu ſe movere, ſimulque ab omnibus negotiis & rebus, quæ animum ſollicitare poſſunt, abſtinere juſſit. Phlegmaticis, craſſis, obeſis & quartanariis vectionem in rheda commendat. IONSTON. *in ſyntagm.m. pr.l.*1.*c.*2. Dum enim totum corpus æquabiliter ſic concutitur, ipſaque viſcera ſimul tremulo

Quid conducant motus corporis alienis viribus peragendi.

motu agitantur, accidit, ut ſanguis & humores hac ratione ad promptiorem motum & circulum invitentur.

Effectus equitationis. XXXVIII. Hiſce motuum ſpeciebus, quæ aliis viribus peraguntur, annumeranda quoque venit equitatio. Blandiſſima hac corporis concuſſione, moderationis terminum non excedente, ſanguis citra virium diſpendium in omnibus membris, nec non univerſa muſculorum ſeries æqualiter movetur; unde ſanguis non ſolum ſubtiliſatur, fluidiorque redditur, ſed & viſcidi ac craſſi humores ex glanduloſis partium tubulis excutiuntur, & in cavitates excrementis colligendis dicatas, deponuntur. Hac forſitan ratione in Anglia graviſſimis etiam morbis tum coli tum renum doloribus equitationem adhibent; de qua tamen hoc loco monere debeo, ut in aliis motibus, ita hic quoque graduum aut vehementiæ habendam eſſe rationem, neque promiſcue parem motum omnibus morbis æquandum eſſe. Hinc equitatio aſſuetis tantum conveniens judicatur, inſuetis enim gravis eſſe ſolet, & præter laſſitudinem membrorum, caput, pulmones, dorſum & nates admodum ſenſibiliter offendit. Tales ideo equitationem, imprimis fortiorem, fugiant, & cum his illam abhorreant nephritici, & calculo laborantes, ſi non voluntario oleum addere volunt camino. Metuendum enim, ne lapis anguloſus opportune hactenus ſitus, hac corporis concuſſione in alium ac nocentiorem locum rejiciatur, & ſitu mutato ſcenam evertat; quod oppido multis triſtiſſimiſque exemplis notum eſſe puto.

Semper habenda eſt ratio in omnibus motibus.

Quibus temporibus motus ſit inſtituendus. XXXIX. Quemadmodum autem medicina ſelectiſſima, niſi convenienti tempore, certa proportione, ordine ac doſi adhibeatur, neque reſpectus habeatur ad individua, ratione ætatis, temperamenti, habitus corporis, vitæ generis multum variantia, ingens damnum imo periculum afferre ſolet, ita etiam illud ipſum verum eſt de motu; quo niſi prudenter, ratione individuorum habita, certoque tempore ac modo utamur, plus detrimenti quam utilitatis ab ipſo expectandum in arte medica erit. Placet hinc generales quaſdam regulas circa motum recte adminiſtrandum atque inſtituendum adjicere; ut quivis prudens medicus inde diſcat verum ac legitimum hujus remedii uſum & nocivum abuſum.

Placidæ exercitationes conveniunt debilioribus. XL. *Primo.* Univerſim illud tenendum eſt, quod placidæ exercitationes & motiones debilioribus corporibus & in quibus vires a morbo diuturniore exhauſtæ, plus conferant quam violentæ. Hæ enim virium paucarum reliquias ulterius diſſipando, languorem inemendabilem facile inducunt, unde prudentiſſimum monitum eſt Celsi *l. 2. c. 15. Levia quidem genera exercitationis infirmiſſimis conveniunt, valentiora vero his, qui jam pluribus diebus febre liberati ſunt, aut his, qui gravium morborum initia ſic ſentiunt, ut adhuc febre vacent*, i. e. ubi vires adhuc conſtant. Quocirca ſenibus, pueris, hecticis, phthiſicis, ex morbo convalentibus, placidum genus motionis, quale præſtat vectio in rheda, navi, omnino concedendum eſt. Ex adverſo autem corpora robuſtiora, quæ viribus valent, & periodicis quibuſdam morbis certo tempore corripi ſolent, non inepte paulo validiori motu corpus exercere debent: cujus generis ſunt pilæ luſus, pugillatus, ſaltatio, aut labor in rebus mechanicis.

Validiores validioribus.

XLI. *Secundo.* Carnoſi, pingues, & qui corpora habent multo humore obſeſſa & in venis ingentem quantitatem ſanguinis & ſeri alunt, diuturnius corpus moveant, neceſſe eſt, quam graciles, inediam paſſi, vigiliis, venere & diuturno labore ſpiritibus exhauſti, & qui complexionis cholericæ ſunt; quibus omnibus celerior & vehementior motus ſumma eſt pernicies. Spectant huc egregia dicta veterum & præſertim *ſapientiſſ.* Hippocratis qui libr. de ſalubri diæta: *carnoſos ambulare citius oportet, graciles verò tardius.* Et eodem libro: *Pingues & qui graciles fieri volunt, omnes labores jejuni facere debent, & cibos aſſumere anhelantes adhuc ex fatigatione.*

Dicta Hippocratis.

Regula a cunis ad canitiem obſervandæ. XLII. *Tertio.* Ratione ætatis ſingularia etiam merentur adverti circa uſum noſtri remedii. Nempe infantibus idoneum eſt in lectulis, cunis, vel nutricum ulnis moveri. Pueri, tertium aut quartum annum agentes, vehiculo agitari debent, & ut proprio quoque motu incedant, aſſuefaciendi ſunt, ita tamen, ne nimis properè ambulent, id enim crura diſtorquet. Septennibus concedatur exercitatio liberior, minor tamen quam vires ferunt, ne membra lædantur: interim monendi ſunt, ut ambulent, ludant globulis, pila minori, &c. aſſueſcant quoque equitare, hoc enim faciendo fortes fiunt membris & animo hilares. Neque ulli ætati magis eſt conveniens motus quam ipſi puerili, dum hæc ætas propter nimiam edendi voracitatem valde obnoxia eſſe ſolet infarctibus viſcerum & exinde promanantibus lentis, tabidis, & hecticis febribus; quæ tamen incommoda omnia averti poſſunt, ſi ipſis pueris decentem corporis motionem concedamus. Juvenes & mediæ ætatis viri, in quibus velocior eſt ſanguinis circuitus, præſertim ſi multum ſulphuris contineat, merito a vehementioribus exercitiis, pugillatu imprimis repente inſtituto ac ſaltu vehementiori (*voltiſiren*) abſtineant; cum experientia doceat, inflammatorias febres, ardentes, pleuriticas, peripneumonicas creberrime ſibi contraxiſſe: cum potius luſus cum globulis ligneis & eburneis (*Billard*) nec non placida ſaltatio ac modica equitatio magis iſtis quadret; & ſuaſu *Illuſtr.* Baconis de Verulamio *ſermon. fidelium* 18. peregrinationes ad regiones exteras illis contingant, quo præter corporis in itinere motionem, ſaluberrima climatis frui poſſint mutatione. Ita etiam ſenes nec quietem nec exercitium vehemens poſtulant, qui tamen motu corporis conveniente, (ceu ventulo quodam flamma exigua) accenduntur. Hinc ſi eos exerceri jubemus, virium rationem ſemper habeamus neceſſe eſt. Imbecilliores leviſſimis ſaltem motibus, ut geſtationibus, vectionibus in rheda; validiores ambulationibus ac brevibus itineribus exerceantur. Ubi tamen ſemper habenda eſt conſuetudinis ratio juxta illud Hippocratis *aphor.* 49. *ſect.* 2. *Qui ſolitos labores perferre conſueverunt, etiamſi invalidi ſint aut ſenes, eos facilius ferunt, quam qui non aſſueti, quamvis robuſti ac juvenes.*

Motus non eſt repente in principio inſtituendus. XLIII. *Quarto.* Meretur & hoc diligenter ſervari: ut ſi a motu aliquis medicinam & auxilium petere velit; ne, ſi ei non aſſuetus fuerit, ſtatim in principio repente & nimis vehementer moveat corpus. Digniſſimus eſt obſervatione & hanc in rem valde accommodatus aphor. 51. ſect. 2. Hippocratis. *Multum & derepente evacuare, aut replere, aut calefacere, aut*

aut frigefacere, aut aliter quocunque modo intempeſtive corpus movere, periculoſum eſt. Valet hoc maxime de melancholicis & plethoricis, qui ſi ſubito vehementem diu perſeverantem motum ſubeunt, capitis dolores, membrorum laſſitudinem, febres, inflammationes, difficilem reſpirationem ſibi accerſere poſſunt, quo ſpectat egregius GALENI *aphor. l. 3. poſit.* 20. *Exercitia, ſi hominem pituita redundante vel bili flava aut atra, aut ſanguine, invenerint, ipſi apoplexiam vel epilepſiam, vel ruptionem vaſis in pulmone efficiunt.* Unde magis convenit primo paulatim & ſucceſſive aſſueſcere motui fortiori; nempe ut primo corpus lentius tardiuſque moveatur, poſtea procedendo gradatim ad validiores motuum ſpecies. Ratio enim in procinctu eſt; quod, ſi ſanguis craſſus & copioſus in vehementiſſimam agitationem conjiciatur, cum impetu ruat ad partes, ibique vel hæmorrhagias, vel hiſce non ſuccedentibus, ſtaſes inflammatorias ſpaſmodicas ſuſcitet.

Exercitationes debent præcedere cibum.

XLIV. *Quinto.* Exercitationes cibum præcedant; id quod veteres crebrius in ſcriptis ſuis inculcarunt. Et optima regula eſt ipſius CELSI *l. 1. c. 2. Exercitatio ſemper antecedere cibum debet: in eo, qui minus laboravit, & concoxit, remiſſior, in eo, qui aſſuetus eſt & minus concoxit, amplior. Commode verò exercent clara lectio, arma, pila, curſus, ambulatio, atque hæc non utique plana, commodior eſt: Siquidem melius aſcenſus quoque & deſcenſus, cum quadam varietate corpus moveat, niſi tamen id perquam imbecillum eſt.* Poſt cibum autem omnis motus vehemens valde noxius obſervatur. Hinc GALENUS l. de boni & mali ſucci cibis: *Exercitatio ut ante cibum bonæ valetudini maximum adfert commodum, ſic qualiſcunque ſumpto cibo motus noxius admodum eſt.* Inſtituto enim ſtatim poſt cibum exercitio, alimenta nimis cito ex ventriculo & inteſtinis præcipitantur, hincque crudorum humorum copia accumulatur & chylus adhuc crudus & viſcidus ad ſanguinem per vaſa lactea defertur, qui poſtmodum totum corpus reddit cacochymicum, & obſtructionibus in partibus ſolidis, ſcabiei imprimis, nec non viſcerum diſtenſionibus ſuppeditat materiam: quod ſuo tempore jam notavit GALENUS *l. 6. de ſanitate tuenda*, dum inquit: *Exercentibus ſe a cibo, vaporibus caput impletur, & nonnullis in hepate ponderis ac diſtenſionis ſenſus percipitur.* Et comment. ad libr. 1. de ſalubri diæta: *Exercitationes a cibo vehementes in cauſa ſunt, cur multis viſcera ſunt oppilata.* Ubi tamen leves deambulationes una vel altera hora poſt paſtum inſtitutas haud inficior, quarum ope chylus novus eo promptius ad ſanguinem defertur.

Leves deambulationes poſt cibum conducunt.

Quouſque pergendum ſit in movendo corpore.

XLV. *Sexto.* Circa exercitationis quantitatem ſeu menſuram obſervandum venit ut continuentur, (ſi vires concedunt,) exercitia ad debitam uſque intumeſcentiam & totius corporis calorem æqualem, donec corpus appareat floridum, nec non laſſitudine affici incipiat, & ſudor modicus, aut ſaltem calidus vapor erumpat: quorum aliquo apparente ab exercitatione deſiſtendum eſt; juxta aphor. HIPPOCRATIS ſect. 2. *In omni corporis motu, quando dolere cœperit, interquieſcere, ſtatim laſſitudinem curat.* Si vero ultra modum fuerit inſtituta exercitatio, ex ſuccis nutritiis major tenuium partium copia in auras pellitur, quam a cibis & potu ſingulis diebus reparari poſſit, quare ſucci, qui alias blande inter ſeſe moverentur, incraſſantur & in motu remorantur. Ita quoque ſi exercitium in defectu peccat, tantus malorum acervus cumulatur ac in exceſſu: cum enim ſemper ſimus quieti ac ab exercitiis vacui, conſequenter minus reſpiramus & ſanguis quoque minus accenditur; unde humores viſcoſi ac motui minus parentes fiunt, alimenta & excrementa nimis diu in inteſtinis hærentia p. n. viſciditatem contrahunt & innumeris malis, morbis præſertim chronicis, panditur via.

Corpus motu calefactum cavendum a frigore.

XLVI. *Septimo.* Quod ad regimen exercitationum attinet, omni labore ac ſtudio cavendum eſt, ne corpus validioribus exercitiis calefactum, nimis celeriter aeri frigido objiciatur, multominus frigidi potus intus aſſumantur, qui ſæpius contumaciſſimos morbos chronicos poſt ſe traxerunt. Deinde etiam in continua tranſpiratione, & ob id in aere temperate calido corpus tenendum, probe tegendum, & ſi ſudore madefactum fuerit prius abſtergendum, linteamina mutanda & frictionibus calidis prope fornacem calidam cutis tractanda, & quando motus remedii vicem obire debet, non ſtatim ingerenda ſunt alimenta omnis generis, ſed potius liquida & quæ perſpirationem non impediunt. Vinum quoque dilutum modice concedendum, nec non juſcula, & potus thee, veronicæ, ſubjungendi. Neque ſufficit unica vice motum adornare, ſed ad minimum bis de die corpus exercere oportet, ſi valetudinem ſartam tectam ſervare, & ad profectam ætatem pervenire cupimus.

DISSERTATIO
DE
FUMO CARBONUM
NOXIO ET QUANDOQUE LETHALI.

§. 1.

MAGNA aeris ad vitam & ſanitatem eſt neceſſitas, ut homo, & quicquid eſt animantium, ſine ejus uſura vix momentum vivere poſſit: quo purior autem ille & magis temperatus obſervatur: eo aptior ad ipſas conſervandas evadit; e contrario vero, quo impurior & magis inquinatus eſt, eo magis ad eas labefactandas confert. Dantur autem plures cauſſæ, quæ fluidum illud aereum inficere, ipſumque particulis heterogeneis ac ſanitati infenſis replere valent. Has inter primo loco habendæ ſunt eæ, quæ ex carbonibus accenſis in aerem feruntur, eo quod non ſolum gravem nocendi, ſed & celerrime interficiendi vim poſſideant. Quare non injucundum nec a re noſtra alienum eſſe putavi argumentum, ſi in præſentiarum fumum carbonum non tantum rationibus ſed & triſtiſſimis exemplis ac teſtimoniis tam a veteribus, quam recentioribus conſignatis ſumme virulentum ac noxium adferam & demonſtrem.

2. Veterum ſi evolvimus monumenta, primam carbonum vivorum & ardentium noxam notatam invenimus apud LIVIUM *lib. XXIII. Hiſtor. ab urbe condit.* qui refert, quod eo tempore, quo Hannibal bellum in Italia geſſit, multos ex gente Campana, quæ a partibus Carthaginienſium adverſus Romanos ſtabat, deprehenſos balneis includi juſſos, fœtore atque æſtu anima interclufa fuiſſe peremtos. Hæc ſi cum veterum ſudatoriis ac balneis conferamus; deprehendimus, eos peculiarem habuiſſe locum ex quo ad hoc opus neceſſarios carbones prius bene exuſtos in ipſa transferebant; ex quibus illud colligere licet, Romanos jam ſecundo Punico bello carbonum accenſorum exhalationes noxias obſervaſſe. Noſtram autem adſertionem magis ſequens obſervatio illuſtrat, quæ apud PLUTARCHUM *vita Caii Marii p. m.* 431. exſtat, ubi *Quintus Luctatius Catulus* orator collega Marii in conſulatu ab ipſo Mario mori juſſus, incluſus in cubiculo, calce recenter oblinito, cabonum fumo exſtinctus, ſibi necem dederit.

3. Inſequenti tempore repentina morte Cæſarem *Jovianum* exſtinctum fuiſſe EUTROPIUS *lib. X. Hiſtoriar.* refert: ubi ille imperator, cum non ita multo poſt imperium obtinuiſſet, ex prælio victor redux ſubita obiit morte; cujus cauſſam alii nimiæ cruditati, epulis enim inter cœnandum indulſit, alii odori cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis grave quieſcentibus erat, alii vero quantitati prunarum, quas gravi frigore adoleri multas juſſerat, adſcribebant. Et non mirum eſt, quod in hoc caſu & hoc cauſſarum lædentium concurſu lethalis effectus ſit ſubſequutus.

4. GALENUS *lib. VII. cap.* 8. *de uſu partium &* *libr. de utilitate reſpirationis*, quoſdam ex odore carbonum ignitorum mori memorat; & cum in his citatis locis Eraſiſtrati opinionem de cauſſa hujus truculenti effectus damnat, non incongrue judicamus, vetuſtiſſimo huic auctori eorum noxam non fuiſſe incognitam. Et ex *fragm. Qu. Caſſii probl.* 12. patet, ipſum jam ſuo tempore carbonum accenſorum lethalem, quem ſuſcitant, eventum non latuiſſe. Cœlius AURELIANUS *de morbis acutis lib. II. cap. X.* tradit, non aliter ſeſe habere, qui ex odore carbonum ſenſibus ac motu privantur, quam catalepticos. Et *Marcellus* DONATUS ex *Hali lib. VI. cap. IV. Pract.* locum allegat, ubi de iis loquitur, qui furno carbonum ſuffocati ſunt.

5. Progreſſu vero temporis, cum noſtra ſcientia medica una cum aliis doctrinis in Europæ noſtræ regionibus magis florere & excoli cœpit; plura funeſta eorum exempla, qui fumo carbonum perierunt, conſignata legimus. Sic *Jo. Matthæus* de GRADIS *in ſuis Comment. lib. IX. Rhaſis* eorum, qui tetro carbonum odore ſuffocati ſunt, in *cap. de angina* mentionem facit, ibique hiſtoriam recenſet duorum cujuſdam apothecarii, qui thalamo incluſi Mediolani ex fumo carbonum ſunt exſtincti. Memorabilis plane & lectu digniſſima eſt hiſtoria, cujus meminit *Marcellus* DONATUS *de medic. hiſtor. mirab. lib. II. cap.* 6. quæ anno 1556. die 26. *Nov.* accidit: *Quatuor*, ſcribit, *homines anguſto carcere in urbe detenti ferreos cancellos ſeu tranſennam ignitis carbonibus ignire vel emollire tentarunt, fugam inde arripere procurantes, cumque opus ingreſſi fuiſſent, & lignea feneſtra, quæ exterius tranſennam muniebat, atque tunc temporis clauſa repericbatur, vaporum & fumi a carbonibus elevatorum exitum prohiberet, in carcere anguſto fumus totus cogebatur; hinc omnes retro illo vapore male adfecti concidere, quorum unus penitus reſolutus mortuus eſt; alter vero, qui doloſi hujus inventi auctor exſtiterat, ſine loquela ſtupidus ac immobilis per horas viginti tres facie mortuo perſimilis permanſit; tandem apertis oculis confuſus, & ſine ratione reſolutus fere totus delirans loqui cœpit; ſed poſtea febre indeficiente laterisque dolore & tuſſi moleſtiſſima ſubſequuta exſtincti fuerunt, reliqui duo longo*

temporis tractu; *multiſque opportunis adhibitis remediis convaluerunt.* Et celebris *Hiſpanenſis medicus Chriſtophorus a* VEGA *lib. III. de arte medendi cap.* 8. hæc habet: *vidi non paucos, qui in cubiculo concluſi cum carbonibus nuper accenſis cœnam ſumerent, vomuerunt cum magna mentis turbatione & ſyncope, quorum quidam ſtatim obierunt antequam ipſi aut medici mali conſcii fierent; alios inveni, adhuc vomentes, qui apertis feneſtris & januis ſolo aeris libero ingreſſu & reſpiratione ejus fuerint liberati; quibuſdam febris remanſit, ceſſante ſymptomate; quibuſdam vero capitis dolor, qui ſponte dein ceſſavit, aut appoſito roſacco.*

7. Taliſmodi etiam ſymptomata, a carbonum fumo inducta, notata legimus, quare nonnulli ac ſi inter cibos venenati quidquam eſſet deglutitum opinati ſunt, qualem obſervationem in WELSCHII *ſylloge cur. & obſervat. med.* inter *Rumlerianas obſerv.* 54. reperire licet; ubi templi cuſtos inter prandendum, corporis calefaciendi gratia, carbonibus ignitis adſidens, qui non ita multo poſt gravi cephalalgia, ſenſuum oppreſſione, torpore & corporis tremore ingentique oculorum dolore corripitur. Medicus & adſtantes inter cibos ex aceto & herbis paratos, quos vulgo *Sallat* nominant, iis quaſdam venenatas intermixtas fuiſſe judicabant, ſed doctiſſimus WELSCHIUS, qui hanc cum aliis medicis obſervationibus conſignavit, vera horum ſymptomatum cauſſa detecta, aliter ſentit in annotationibus ſuis ſubjunctis & carbonum vivorum graveolentiam non ſine ratione inculpat. Et in eodem libro *obſervat.* 150. inter *Reuſnerianas* quidam fumo carbonum ſenſu & loquela privatus legitur.

8. His jam adductis jam citati *Marcelli* DONATI perquam notatu dignas obſervationes addimus; quarum prima hæc eſt; *erat homo*, ſcribit, *quidam ex iis, qui laneas birretros ſuper ligneas formas extendunt, qui hiberno tempore cum madentes multos, ut moris eſt, extendiſſet, exſiccandos hypocauſto hujus muneris gratia parato, impoſuit atque ſuccenſis carbonibus abiit. Pueri bini in arte adminiſtrantes, cum cœnaſſent, ut calefierent, vaporarium ingreſſi ſomno correpti intus totam noctem tranſegere. Summo mane ſurgit magiſter, ambos ſine ſenſu & motu humi procumbentes reperit, faciem tamen non mortui referentes ſed dormientis; hos cum inviſerem*, pergit, *non penitus pulſu deſtitutos inveni, brevi tamen mortui ſunt.* Cui non abſimile eſt alterum exemplum de Bononienſi juriſperito, qui cum ſedulo litteris operam navaret, accenſis in thalamo carbonibus ut frigidi aeris inclementiam arceret, feneſtris januaque optime clauſis ſtudere cœpit; paullo poſt conſocii ad cœnam ipſum advocant, cumque remorantem minimeque reſpondentem animadverterent, oſtio cubiculi reſerato, illum ſenſu & motu deſtitutum, in terra proſtratum ſpuma ore madente reperiunt. Medicum ſtatim advocant, qui caput multis adhibitis præſidiis tandem candenti ferro in occipitio inuſſit, ſicque ſenſum, & motum recuperare cœpit, ac tandem ſanitati reſtitutus eſt.

9. Celebris & in arte peritus medicus *Belgicus Petrus* FORESTUS *lib. IX. de variis capitis doloribus obſerv.* 4. *in Schol. Sic quidam*, ait, *a male olentibus carbonibus non tantum capitis dolore correpti, imo ſyncopen aut mortem nonnulli incurrerunt.* Et *Frid.* LOSSIUS *l.* 1. *obſ.* 26. de nepote ſuo refert, quod ille in probe clauſo conclavi a pernicialibus carbonum vivorum exhalationibus ſubito inter cœnandum in terram conciderit, ut vix adhibitis remediis ad ſe reduci potuiſſet.

10. Triſtiſſimum hujus rei exemplum in Gallia contigit, quod quia ſtupendum videtur, liceat *ex l'Hiſtoire de l'Academie des Scienc. An.* 1710. ſecundum potiora ſua momenta hic attexere. Piſtor quidam magnam carbonum copiam in cellam ſuam profundam immittit; aliquod tempus poſt ipſius bene robuſtus ac valens filius cum vaſe carbonibus repleto & facibus accenſis deſcendit; cui, cum vix ſcalas omnes penitus emenſus eſſet, lumen exſtinguitur, quare illo iterum accenſo repetit locum ſubterraneum, brevique poſt auxilium alta voce quærit; quem frater ipſius & poſt illum mater cum ancilla auxilii ferendi gratia ſequuntur, qui quoque omnes non redierunt. De hoc funeſto & mirabili eventu in viciniis fit rumor, accurrit populus, ex cujus confluente numero, vix unus erat, qui hos liberandi fine deſcendit & itidem prævio quodam clamore ad cæteros concidit. Tandem vir quidam hoc cœpit conſilium, ſe inſtrumento quodam curvato ſeu unco in cella reconditos extrahere velle, quo etiam fiebat, ut ancillam, vitæ adhuc indicia de ſe prodentem, protraheret; quæ tamen, quamquam nulla mora interpoſita vena ipſi ſecaretur, ſub ipſa operatione exſpiravit. Altero die, ruſticus quidam fune cinctus eo conſilio ſeſe dimiſit, ut ſi elevata voce auxilium imploraret, ſtatim ipſum elevarent; ſed en! maximo ſuo infortunio, ſigno clamoris dato, funis rumpitur, & mortuus extrahitur: hujus diſſectum corpus vaſa meningum præter naturam expanſa, pulmones maculis nigris obſitos & inteſtina mirum diſtenta exhibebat: præcipue vero muſculi brachiorum & pedum a partibus ſuis, quod mirum erat, fere ſeparati erant. Res ad magiſtratum loci defertur, qui totam rem medicis, chirurgis ac fabris murariis inquirendam tradit, quare, cum omnes culpam in carbones non rite exſtinctos transferrent, magna aquæ copia in cellam profundebatur, quo etiam fiebat, ut ex iſto ſubterraneo loco poſt aliquot dies ſuffocatos ſine vitæ periculo extrahere poſſent, quorum uni lingua ante os prominebat.

11. Quanquam vero prolata hæc exempla venenatam ignitorum carbonum indolem ſatis confirmarent; tamen unum vel alterum partim ex auctoribus, partim ex mea ipſius experientia deſumtum majoris illuſtrationis ac damni demonſtrandi cauſſa addam. Sic celeberrimus medicus *Amatus* LUSITANUS *Curat. medicinal. cent. VII. curat.* 33. *pag.* 58. refert, quod Romæ ſua ætate tres, qui in conclavi quodam fumo carbonibus repleto ſomno conquieverant, jugulati reperti ſint. Qua occaſione de cauſſa fatalis hujus eventum egregie differit & addit, *Eraſiſtratum* & GALENUM veram hujus triſtiſſimi phænomeni exquirere ſtuduiſſe cauſſam. Magnus ſuo tempore maximique æſtimatus *Clivenſis* archiater *Reinerus Solenander in Conſilior. medicor. Sect. V. conſ. V. pag.* 467. notatu dignam conſignavit hiſtoriam, quæ accidit, cum ipſe per Poloniam in Boruſſiam cum ducibus Clivenſibus iter faceret. Etenim cum in loco quodam, quo commorari debebant, ea non eſſet, quæ apud illos erat, cubiculorum elegantia & in iis ſtruendi commoditas. Gynæceum autem ad veſpertinum & nocturnum frigus mitigandum ignem in cubiculo ex carbonibus accenſum incautius foveret, parum abfuit, quin ad unam omnes etiam dormientes ſuffocatæ fuiſſent, niſi una textrix in tela abſolvenda diutius ad candelam vigilias produxiſſet. Hæc enim cum ſpiritum ægrius ducere vertigineque jam rotari inciperet, excitato ſtrepitu excitavit pediſſequas, quæ de more in proximis cubiculis erant, a quibus foribus & feneſtris jam apertis, liberioreque aere admiſſo, ſemianimes exportatæ virgines difficulter refectæ ſunt; & addit, quod hic ipſe exhalans vapor quam maxime nocivus in cellis deprehendatur.

12. Clariſſimus Helvetus ille chirurgus *Guilielmus* FABRICIUS,

FABRICIUS, qui vulgo a patria ſua HILDANUS vocatur, *obſerv. chirurg. cent. VI. obſerv.* 27. graviſſima refert ſymptomata, quæ carbonarius ab exhalationibus carbonum copioſe ſuſceptis, ſubiit, hacque occaſione ſibi ipſi & Platero plures ejuſmodi obſervationes cognitas eſſe memorat. Non minus eruditione & fama perſpicuus RAMAZINUS *in ſupplemento diatrib. de morbis artific. cap.* 3. pluribus locis deleteriam illam carbonum exhalationem atro carbone denotat; quod maxime exemplis Venetorum confirmat, qui variis ex ſaccharo conficiendis ſedulo inſudant, ita ut ipſis ſæpenumero per totos dies carbonibus ad labores ſuos opus ſint. Hic merito graviſſimus auctor maximam ac virulentam carbonum virtutem candentium miratur, quæ temporis fere momento hominem jugulat, ſi exhalationes ob loca minus ſpatioſa libero ſuo præcluduntur exitu: quamquam modum minus noxii effectus eorum, qui probe exuſti ſunt, exacte demonſtrare non valemus. Helmontius de ſe ipſo teſtatur*, quod in ſuo ipſius corpore hiemali tempore, cum carbonibus ardentibus ad frigus arcendum uteretur, gravem eorum noxam expertus ſit; tantum enim aberat ut ab ipſorum graveolentia capite læſus vix januis apertis fuga ſe recipere potuerit, ut potius poſtea ſemianimis in terram conciderit.

13. Porro papalis ille archiater & de medicina optime meritus LANCISIUS in erudito ſuo libro *de ſubitaneis mortibus lib.* 1. *cap.* 6. & *repentinis mortibus obſerv. II. pag.* 136. *ſeqq.* inter alias ſubitæ mortis cauſſas carbonum quoque fumum, in conclavi concluſo, corpus noſtrum penetrantem, refert, ad cujus illuſtrationem famuli cujuſdam exemplum profert, qui ex carbonum accenſorum fumo ſyncopticus periit. *Nicolaus* CHESNEAU medicus Maſſilienſis *in obſervat. medic. lib.* 1. *obſerv.* 2. *p.* 78. memorat caſum, qui totus hic tranſcribi meretur. *Maſſiliæ pater quidam ordinis ſancti Auguſtini, cum ſe lecto reciperet, accendit carbones in angulo cubiculi, tabulæ enim non ex aſſeribus, ut in hac regione, ſed ex gypſo conficiuntur tignis incumbente. Cum autem rei neceſſariæ ad conficiendum panem cura ei eſſet demandata, eſſetque hac de cauſſa die ſequenti ante lucem ſurrecturus, ſtatuto tempore elapſo venit frater ad oſtium, dormientem, ut putabat, excitaturus, cui fortiter pulſanti nihil reſpondit, altiſſimo quippe ſomno depreſſus. Res ad patrem priorem delata venit ipſe oſtium vi aperiendum jubens; quo aperto inventus eſt pater in lecto jacens oculis clauſis, librum ſecundum ſe apertum habens, lampade exſtincta prope lectum clavo adfixa. Legentem enim vapor carbones ſenſim invaſerat; gravi ſomno ſopitum detinens, a quo inclamationibus nec corporis vellicationibus excitare valentes chirurgum & pharmacopœum accerſendos curarunt, qui propinata aqua cœleſti cucurbitulas apponunt ſcapulis. Interea vocatus invenio jacentem ægrum & adhuc ſopitum. Quod autem omnes & me attonitos detinebat unum erat, aves ſcilicet quamplures circa cubiculum cantus gratia in caveis detentas; corporis varia compoſitione jacentes mortuas. Nemini in mentem venerat, quod hoc rei eſſet. Quidam dæmonem quendam intraſſe in cubiculum credebant. Tandem res innotuit, inventis in angulo cubiculi carbonum cineribus, quibus viſis juſſi omnes feneſtras aperiri, adductiſque duarum feneſtrarum foriculis, in quibus erant extrinſecus cancelli, aves in caveis interjectis incluſæ mortuæ non erant, imo bene valentes, ad eas enim vapor clauſis foriculis pervenire non poterat. Breve pater iſte excitatus eſt, apertis feneſtris aere puro intrante, qui apoplexia periiſſet, niſi grande fuiſſet cubiculum.*

14. Jam, ut a promiſſis ſtem, quædam partim a fide dignis mihi relata, partium a me ipſo obſervata de vitæ ac ſanitati maxime noxio fumo carbonum inſeram exempla, quorum primum hoc eſt. Accidit hic loci in ædibus probe mihi notis, ut cum brevi ante feſtum nativitatis Chriſti, chymica quædam in loco a frigore probe munito operatio inſtitueretur; perſona illa, quæ iſtam ſuſcepit, tam enormibus capitis, nauſea, doloribus aliiſque gravibus ſymptomatibus adfligeretur, ut coacta fores feneſtraſque aperiret. His autem omnibus incaſſum adhibitis & durantibus adhuc pathematibus, locum deſerit remque domeſticis defert, qui ad calorem a furno illo deſtillatorio conſervandum feneſtras januamque recludunt, quo fit, ut ancilla alto corriperetur ſomno, & famulus, qui carbonibus proximior ſederat, extra ſe poſitus vix a ſupervenientibus excitari poſſet. Hæc omnia brevi temporis intervallo fiebant, quo illa, quæ ob capitis dolores diſceſſerat, redux duos relictos in jam memorato ſtatu invenit. Eadem hæc perſona aliquot dies poſt in eodem conclavi deſtillationem apertis feneſtris ſuſcipit, nihilque inde periculi timendum eſſe judicat. At vis frigoris maxima prohibuit, quo minus vapores carbonum per loca patula exire poſſent; quare in hiſce deſtillatoriis laboribus occupata, graviſſimis capitis doloribus ſubſequutoque vomitu impedita, tam ipſi pernicioſum laborem intermittit.

15. Huic alteram non minus notatu dignam obſervationem ſubjungam, quæ ita ſe habet: civis hujus urbis cum circa noctem ad calorem in hypocauſto conſervandum ignitis uteretur carbonibus in fornace, cujus oſtium in conclavi erat, alios nondum accenſos addere jubet. Accidit autem, ut valvula tubi, quem fumus tranſit, vel ex oblivione vel ſtudio clauſa, exitu vaporum intercepto, omnes omnino ſomno ſupprimerentur. Et ſane omnes periiſſent, niſi forte ex domeſticis quidam ſuperveniens eos liberaſſet. Pariter & illi octo protinus lato auxilio liberati ſunt, qui nocturno tempore in frigido conclavi a carbonum igne incluſo male ſe habebant; e contrario funeſtus eſt ille eventus, quem ante aliquot annos Lipſiæ contigiſſe memini ubi tres una cum ægrotante, circa quam illi erant, fumo carbonum ſuffocati interierunt.

16. Recenti adhuc memoria hærebit caſus ille triſtiſſimus & funeſtus, qui Ienæ anno 1715. accidit, ubi in tabernula cujuſdam vineæ nonnulli exorcizandi & abſconditos theſauros detegendi gratia convenerant, & cum tempus eſſet acerrime frigidum, foraminibus tabernulæ bene occluſis, carbones accenderunt, quorum incluſus fumus duobus ſpiritum ſubito ſuppreſſit. Auctor, qui hujus conjurationis exſtiterat, altero die ſine motu reperiebatur. Alterius vero ruſtici præfocati corpus apertum ſubfuſcas & rubras exhibebat maculas, ore exiit ſanguis & lingua prominebat. Senatus hujus loci exſtinctis ruſticis vigiles conſtituit, & unus ex iis, cum itidem ad membra calefacienda carbones incenderent, ſomno profundo opprimebatur, ut nec clamore, nec vellicationibus, neque agitationibus aliiſque adhibitis remediis ad ſe reduci poſſit: reliqui vero ambo, quibus caput grave erat & ſtupidum, mane pro mortuis elati ſunt, quorum alter mox interiit, alter ſaluberrimis datis remediis in integrum reſtitutus eſt. Hæc hiſtoria multa variaque eruditis extorſit judicia, uti id de hac re edita ſcripta abunde teſtantur: præprimis vero ampliſſimorum Lipſienſis academiæ collegiorum reſponſa legi merentur; in quibus ſat validis argumentis demonſtratur, quantam noxam carbonum accenſorum exhalationes inducere valeant. Quare non opus eſſe reor, ut ad ſupernaturales cauſſas quaſi, diabolus permiſſione Dei hæc effecerit, confugiamus, ubi evidentes ac perſpicuæ proſtant, quamvis in univer-

ſum

ſum hoc in caſu ſummi Numinis juſtitiam non negaverim.

17. Ex his recenſitis exemplis ſatis, ut ſpero, erit perſpicuum, quod carbonum fumus anguſto ſpatio incluſus ſonticos & ſubinde lethales effectus inducere valeat. Jam vero illa oritur quæſtio, ex quibus cauſſis quave ratione hic tam cito, quam vix ullum aliud venenum, vita privare poſſit? Prius vero quam quæſtionem hanc expediamus, neceſſarium præmonere arbitror, quod non omnes in univerſum igniti carbones eandem inferant noxam, ſed de iis maxime nobis ſermo eſt, qui primum accenſi & ab ignis vehementia non ſatis penetrati, nec non ex pinis aut abietibus confecti ſunt. Non parum quoque confert, ſi carbones ex ramoſis & craſſis lignis præparati, ſive propter lignorum cumulum & coacervationem non rite exuſti, ſive humidiori aeri aut loco expoſiti ſunt. Neque ex ipſis exhalantes vapores tam noxii obſervantur, ſi loco liberiori ac patente accenduntur, quo libere difflari aut per caminum bene elevari poſſint: e contrario vero, ſi in locis anguſtioribus, humilioribus & occluſis, præſertim aere exiſtente frigidiori, iis utimur, majorem noxam ac ſæpe lethalem inde eventum experimur.

18. Hiſce præmiſſis, ſolidis argumentis adſtruere conabimur, qui fieri poſſit, ut carbones ſuccenſi tam ſonticos & quandoque funeſtos effectus exſerant. Primo quidem ex phyſiologicis ac phyſicis notum eſt, nec hominem nec animal ſine reſpiratione diu vivere poſſe, ita ut veterum ſententia, quod vita ac reſpiratio pari paſſu ambulent, veriſſima deprehendatur; quod ſtrangulatorum aut aqua ſubmerſorum exemplis clariſſime patet, qui ex aeris defectu pereunt. Hæc autem alternans in & exſpirationis actio magno illo ac univerſali per omnes partes ſanguinis circuitu, ut & particulari ex dextro cordis per pulmones ad ſiniſtrum ventriculum ſuſtinetur. Is vero in circulum abiens progreſſus abſque reſpiratione fieri omnino nequit, quare facile judicandum, quantum a variis cauſſis vel plane interceptus vel impeditus aeris in & egreſſus vitæ ac ſanitati obſit: ex illis autem nihil magis illud reſpirationis negotium impedire valet, quam aer multis ſulphureis aut aliis ſubtilioribus particulis refertus, aſperam arteriam pulmonumque viſcus ſubiens, ſiquidem hi per inſpirationem attracti vapores non tam libere ac aer purior expelli, nec eorum locum alius minus inquinatus occupare poteſt; hæ enim exhalationes, ſicut omnia corpora, impenetrabiles ſunt.

19. Ad hanc noſtram confirmandam ac magis illuſtrandam ſententiam multa quidem, quotidie obvia, adducere poſſemus experimenta, ſufficiant autem hæc pauca, quæ jam in promtu ſunt. Si in doliis vacuis aer eſt mucidus vel vappidus, qualis a vino vappido fit, & ſpiritum vini aut ſulphur accendimus, ulterius flammam non fovent ſed ſtatim exſtinguuntur: quando vero, orificiis apertis, follium ope aerem cum impetu impellimus & impurum ejicimus, tunc omnis accenſa materia quam facile ſuſceptam flammam retinet. In metalliſodinis non rarum eſt, quod ab exhalationibus ſulphureis accenſæ faces pereant eamque ob cauſſam operari metallurgi nequeant: quare artificioſe excogitatis machinis utuntur, quibus aerem cum impetu impellunt, quem impulſum metallicolæ, *das Wettermachen* nominant.

20. Ex œconomicis conſtat, nihil magis ad avertendam a vino vappeſcentiam conſervandumque ipſius ſaporem conferre, quam vas ſulphuris fumo vel fruſtuli nuciſtæ vel aliorum aromatum imprægnare. Hoc enim fit, ut ſpatia evacuata & hiſce vaporibus repleta aer ambiens externus minus libere penetrare poſſit, qui unica ſitus & vappeſcentiæ cauſſa exiſtit. Pari ratione ſi vitro ſpiritus vini rectificatiſſimus inditur & præmiſſa agitatione orificio admovemus flammam, quam facile exhalantes vapores, aere adhuc ſufficiente ſuperſtite, accenduntur. Quia autem hoc ignis motu in vitro adhuc contentus ſimul aer expellatur, & ſubtilis quidam fumus ſpiritus vini hujus loco remanet, aeris exterioris acceſſui iter præcluditur & eo ipſo flammæ conceptio prohibetur.

21. Majoris illuſtrationis cauſſa jucundum & in œconomicis utiliſſimum experimentum adhuc inferam. Sæpenumero accidit, ut fuligo in infumiculo flammam concipiat, ad quam exſtinguendam nullum præſentius excogitari poteſt remedium, quam pulverem pyrium madefactum in ſubjecto foco iteratis vicibus accendere. Copioſus enim inde enatus fumus & elevatus gravitate ſuas igneas ſubtiliores particulas ſupprimit, aeremque liberiorem arcet: ſubtractoque hac ratione ignis pabulo, ſubito is ipſe ut exſtinguatur neceſſe eſt. Et ſane hoc jam prolatum experimentum aquæ affuſionem longiſſime ſuperat.

22. Ex commemoratis hiſce phænomenis nemini, ni fallor, dubium ſupererit, quod vapores impuri purioris aeris acceſſum arceant. Et hæc quoque cauſſa eſt, cur animantia ut & homo a nimia expanſione pulmonum, a vaporibus aſperam arteriam ingreſſis inducta, animi deliquia ſubeant, &, denegato repentino auxilio, ſuffocata pereant. Eadem enim horum operandi ratio eſt, ac ſi aſperam arteriam filo conſtringas aut aquæ ipſa immergas; nam utroque horum aeris ſufficiens introitus impeditur. Non tantum vero carbonum, ſed & alii ſulphurei & concentrati vapores totum reſpirationis negotium turbandi & repentinam ſæpe ſuffocationem inducendi facultate pollent: id quod ex illo experimento, cum animali inſtituto, patet, nempe ſi ipſum vaſe quodam vitreo aut alio bene occluſo continemus, & copioſum fumum ſulphureum immittimus; obſervamus, protinus totam ejus machinam labefactari ac penitus inde corruere. In nonnullis regionibus mos eſt, apes e ſuis alveariis ope fili ſulphure induti & accenſi exturbandi. Nolo tamen hoc loco adſerere, quod particulæ acido ſulphureæ id præſtent, nam ipſum ſulphur a ſpiritu vitrioli nihil differt; qui tamen, experientia teſte, vaporibus ſuis nemini unquam mortem intulit. Sed mea eſt ſententia, ſulphur ex acido & ſubtili phlogiſto principio, quod gas ſulphuris nominare ſolent, conſtare, quod ipſum narcoticam in corporibus noſtris exſerit virtutem; & reſpectu hujus ſulphur incenſum necare valet; quippe ignis motu phlogiſton illud a particulis ſuis acidis, quibus ligatus fuit, liberatur & in auras difflatur. Nunc vero probe notari meretur, quod phlogiſton ſeu pars carbonum combuſtibilis quam maxime cum illo, quod in ſulphure eſt, conveniat; ſiquidem arte & chymica quadam encheireſi ex acido vitrioli addito carbonum pulvere ſulphur perfectum & in omnibus ſuis partibus communi ſimile elici poteſt: quod ex obſervationibus & experimentis chymicis conſtat, de qua re vide plura in B. Stahlii *menſtruis obſervat. menſe Julio & Auguſto*.

23. Neapoli caverna eſt, ab indigenis nuncupata la Grotta del cane, cui non abſimilis illa crypta Schwalbacenſis, in hujus fundum animalia immiſſa, ſtatim anhela, & niſi ipſis protinus ſuccurratur, exſtincta manent; cujus ſtupendi effectus ratio in eo poſita videtur, quod in utroque loco copioſiſſime ſulphureæ particulæ e terra exhalent, quæ aerem puriorem arcendo æqualem ſanguinis circuitum turbant ac impediunt. Teſtantur ſatis ſuperque metallicolæ, quod commotæ mineræ multa tetra ac ſulphurea effluvia copioſe de ſe ſpargant, quæ eos temulentos reddunt imo ſæpe jugulant. Fulgur multos ob commotas ſulphureas

phureas & accenſas particulas trucidat, in quorum cadaveribus ne vel minimum ſoluti continui indicium detegitur.

24. Præter ſulphureos adhuc alii ſuperſunt vapores, qui itidem ejuſmodi ſymptomata imo ipſam necem inferre valent, inter quos referimus incendia, quorum copioſus fumus multos ſtrangulat. HOECHSTEDTERUS *obſervat.* 8. *decad.* 3. *pag.* 429. *ſeqq.* Auguſtæ Vindelicorum caſum habuit, ubi cloaca profunda & ſpatii admodum anguſti cum expurgari deberet, homo quidam mundificandi fine immiſſus interiit & candela lucem amiſit. Hic quoque non prætereundæ ſunt tetræ illæ ex ſebacea candela in aerem diffuſæ exhalationes naribuſque hauſtæ; ſiquidem AMMANNUS *in med. crit. diſcurſ. LIX.* refert, quod a fumo elychnii exſtincti naribus diutius dormientibus ſuppoſiti, mors inferri poſſit. BORRICHIUS narrat hiſtoriam cujuſdam mulieris, quæ in formandis candelis occupata in reſpirationem difficilem incidit & fere ſuffocata ſit. Et lethalem effectum vapores putei urbis Rennes produxiſſe legimus in *l'Hiſtoire de l'Academie des Sciences An.* 1701.

25. Hæc huc uſque adducta ſatis opinor, noxium ſulphureum aliuſque indolis vaporem probant, hic enim ſi in pulmones irruit aſperamque arteriam replet, omnino hominem & animantia brevi ſuffocare poteſt; & hoc maxime eam ob cauſſam, quod effluvia in pulmonum tenuiſſimas veſiculas illapſa, aeri exteriori ac puriori reſiſtunt, quo minus liber eas ingredi poſſit; hinc ſanguinis ex uno in alterum cordis ventriculum atque per caput progreſſivus motus impeditur. Præterea expanſiva ſua virtute ipſam ſanguinis & humorum maſſam penetrando cordis & arteriarum motum contractorium pervertit ac ſuſpendit, fluidumque illud ſubtiliſſimum nerveum, qui omnis motus atque ſenſationis cauſſa exiſtit, perturbat & quaſi ſupprimit.

26. Quod autem fluidum illud ſubtile elaſticum æthereum mediante inſpiratione ſanguini ejuſque vaſis ſeſe inſinuet, inter alia illud probat experimentum, quo animal in aere ab antlia maxime compreſſo vivere poteſt; quod minus accideret, niſi illud elaſticum principium per pulmonum ſubſtantiam ſanguinem penetraret, & ambienti aeri reſiſteret. Et quotidie comperimus, quod quo temperatior, purior ac ſerenior aer eſt, eo magis ſanitati eſt proficuus; & vice verſa. Porro & hoc quoque noſtram adſertionem confirmare arbitror, quod odor ſuaveolens i. e. aer multis naturæ amicis ac ſpirituoſis exhalationibus refertus infirmos ac viribus dejectos tam celerrime reficere & ex animi deliquiis, quibus præſentibus cordis motus ſuſpenditur, ad ſe revocare poſſit. Quum igitur gratus, aeris vehiculo, ad nares deductus odor motum cordis amiſſum reſtituere & augere valet; non video, quidni etiam naturæ humanæ inimicus, ac infenſus vapor ſpiritus, a veteribus ſic dictos animales, ſua virtute defraudare, ſenſum ac motum tollere poſſit. Quamdiu vero noxiæ hæ exhalationes aerem non penitus inficiunt, hicque maximam partem purus eſt, tam diu etiam ſuffocatio, virium dejectio ac ſenſuum abolitio non ex facili contingit; ſimulac vero eæ ipſæ ſanguinis maſſam penetrant; paſſim ſe diſtribuunt, & præſertim vaſa capitis arterioſa expandunt; is autem ſanguineus cruor, qui per venas ad cor revehitur, auriculam ipſius dextram mirum diſtendit, ut ad ſufficientem contractionem ſanguiniſque expulſionem impar evadat. Ex quibus dictis quam facile colligi poteſt, non levem inde ſanitati affricari labem; quum in libero ac æquali ſanguinis circuitu omnis ſanitatis conſiſtat fundamentum, qui hac ratione intercipitur.

27. Nimia igitur vaſorum expanſio hinc inde in capite aut aliis locis ſanguinis factæ ſtagnationis & ſubinde ſtaſeos cauſſa eſt, quæ pro varietate loci varia quoque infert pathemata. In capite enim ſi fit, ſomnolentia, ſtupor, ac ſenſuum abolitio, in corde maxima præcordiorum anxietas, in partibus externis laſſitudo, gravitas & torpor ſubſequuntur. Porro & illæ in cerebri vaſis ortæ ſtagnationes, præſertim in ſubjectis a natura ad animi adfectus, terrorem inprimis & timorem, proclivibus, aut iis perculſis aut male factorum conſcientia convictis, variis terrificis imaginationibus de ſpectris anſam ſuppeditant; unde non mirum, quod ejuſmodi homines temulenti ac ſopore quaſi ſepulti res per phantaſmata ſibi ipſis imaginatas vere exiſtere perſuadeant.

28. Pertinent huc etiam metallicolæ, qui ab exhalationibus pravis hauſtis ex fodinis, quas *den Berg-Schvvaden* vocant, ſuffocationis periculum, maturato auxilio, evaſerunt. Hi reſtituti ſe a ſpectro quodam, quod montanum aut metallicum nominare ſolent, comprehenſos, proſtratos & preſſos fuiſſe; cum alii non procul ab ipſis eidem labori intenti, nec quicquam adſpectu nec auditu perceperint. Interea plerumque in pectore aliiſque locis externis quaſdam maculas habent, quæ in tumorem, ulcera, imo ſæpenumero in ſphacelum abire ſolent. Inſpectiones a vaporibus metallicis ſuffocatorum corporum ſub anatomica ſectione mortis modum manifeſtant; nam dextra auricula a ſanguine ſtagnante diſtenta, vaſa capitis ſanguifera infarcta, & inteſtina plerumque mirum expanſa apparent & fæces involuntario excernuntur.

29. Quod autem ſpiſſus & in capite ſtagnans ſanguis in melancholicis, aut a narcoticis & opiatis improvide datis inductus, phantaſiam pervertere variaque gravia phantaſmata aut ſpectra ſemivigilantibus repræſentare poſſit, ſatis abundeque notum eſt: & jam ſuo tempore optimus medicinæ parens HIPPOCRATES *lib. de morb. virgin.* annotavit, quod ii præſertim, qui ad epilepticos, apoplecticos, paralyticos, animique adfectus, ut terrorem & timorem, proni exiſtunt, quam facile mente abalienentur & dies noctesque varia ſibi ſpectra imaginentur; imo quidam præ anxiis curis & mentis turbatione eo procedunt, ut mortem vel laqueo vel etiam aquæ ſubmerſione ſibi ipſis accelerent.

30. Et hæc ſunt mea, rationi & experientiæ ſubnixa, argumenta, quæ confirmant, quod non ſolum fumus carbonum lædere, ſed etiam ratione rerum, quæ circumſtant, præprimis vero cœlo frigido exiſtente ſuffocationem ſubitaneam inferre poſſit. Frigus enim ex ſua ipſius natura poros & vaſa conſtringendo a partibus externis ad internas ſanguinem plus juſto urget, quare ſi expanſi vapores vaſis ſanguiferis ſeſe inſinuantes, huic ſuperveniunt, ſtagnationis periculum eo citius ac majus exiſtit. Nec ulli mirum videbitur, ſi timidi aut conſcientia male factorum tacti, imaginaria ac terrifica ſibi ipſis fingunt ſpectra; quorum veram exiſtentiam ad ſe redeuntes etiam jurejurando confirmare audent.

31. Hic prolixum foret ea ſuppeditare remedia, quæ illis conducunt, qui in hujuſmodi adfectus incidunt, pauca tamen generalia trademus. Primo quidem eo reſpiciendum eſt, ut ægri, quamprimum fieri poteſt, aeri liberiori, ſereno, temperato ac magis frigidiori quam calidiori exponantur. Dein ad influxum ſpirituum partes ſenſiles irritare ac animare convenit, quo fine præ cæteris ſuadeo, totam pectoris regionem & reliquas partes externas, ut pedes & brachia pannis aſperioribus fricare, & dein venam ſecare. In os & nares expedit ſalem volatilem urinoſum infundere, vel ipſa eo illinere, aut etiam aqua frigida vehiculi loco propinare. Nec de nihilo eſt,

omnibus

omnibus his uſurpatis irritis, aerem in nares & os folle immittere, quo non ſolum graves vapores moventur & expelluntur, ſed & cordi ac pulmonibus motus reconciliatur. Et quia frigore vaſa, a ſanguine expanſa, rurſus contrahuntur, & ad motum ſtimulantur; convenit totam faciem aqua frigida perfundere. Atque hæc quoque ratio eſt, cur canis in cryptam Neapolitanam immiſſus pene exanimis, in aquam proxime adjacentem injectus, quaſi reviviſcat. Prope tamen notari velim, caute in paroxyſmo cum ſuaveolentibus, balſamis apoplecticis, & ſpirituoſis mercandum eſſe; penitus vero narcotica & opiata fugienda, quippe quæ majorem humoribus inferunt expanſionem.

33. Ut autem non ſolum curioſo ac benevolo lectori ſatisfaciam, ſed & publicæ utilitati inſerviam, quædam diætetica præcepta, ad hanc rem maxime pertinentia, ſubjungam. Primo omnium ſanitatis ſuæ ſtudioſus carbones humidiores, nec rite exuſtos aut non diu incenſos, præſertim vero hieme, in anguſto & concluſo aut humido loco, nec non in profunda cella fugiat. Quod autem carbones attinet, eos peſſimæ notæ cenſeas, qui diutius loco & aeri humidiori fuerunt expoſiti; nam ſal illud aeris ſubtiliſſimum ſeſe cum illo carbonum phlogiſto conjungit, quæ cauſſa eſt, quod tam penetrantem ſulphureum fumum exhalent, qui ſi ſemel aſperam arteriam pulmoneſque penetravit, non tam facili negotio exturbatur. Aliter vero ſe res habet cum iis, qui bene exuſti & ſicci ſunt. Fœminæ præ cæteris ſub frigido cœlo in declivioribus aliiſque ſubterraneis locis horum vapores devitent, multo minus iis ſuperſedeant; quippe qui, experientia teſte, multorum morborum, dolorum capitis, melancholiæ, vertiginis & apoplexiæ mater ſæpenumero exiſtunt. His autem, qui hiberno tempore carbonibus ad labores ſuos indigent, iis auctor ſuaſorque ſum, ut magis in frigidiori ac ſpatioſo loco, quam hypocauſto aut alio occluſo loco eos ſuſcipiat. Male quoque ſanitati ſuæ conſulunt, qui eo loco ſomno ſe tradunt, quo carbones accenſi ſunt; inde enim caput debilitatur, & gravium diuturnarum ægritudinum ponitur fundamentum, imo quandoque periculum eſt, ne dormientes plane obdormiant.

34. Si quis vero carbonibus utitur, eos ſeligat, qui probe exſiccati, ex fagis confecti & prius in aere liberiori rite igne penetrati ſunt. Porro, ante omnia tenenda eſt hæc regula, ne ſomnum in eo conclavi capiamus, cujus parietes non ita pridem calce obducti ſunt, nec ubi fornax recenter exſtructus aut diu non calefactus eſt. Nec deſunt exempla, multos gravibus eſſe adflictos malis, qui ſomno conquieverunt in conclavi, cujus ſolum recenter aqua expurgatum eſt. Ultimo quiſque, cui electio datur, ſomno ſe tradat in cubiculo, non in hypocauſto, quod interea, cum lecto adhuc ſepulti jacemus, calefaciendum eſt. Calor enim fornacis hypocauſtum permeans a frigore nocturno compreſſum aerem, &, ſi in ipſo dormimus, ſanguinem in capite expandit, unde quam facile catarrhales graveſque capitis morbi ingenerantur.

35. Ultimo loco, quædam coronidis loco de foſſilibus carbonibus eorumque natura & genio tradam. Chymice ſi examinantur, igni commiſſi, uti cum his *Wettinenſibus* feci experimentum, primum phlegma fundunt, poſtea ſpiritum ſulphureum paululum acrem, ſuccedit oleum ſubtile, poſtea craſſius, fundum petens; denique vehementiori ignis tortura acidulum quoddam ſal inſtar ſalis ſuccini exprimitur; relinquitur nigra terra levis, quæ ignita non amplius inflammatur, nec ullam flammam aut fumum emittit. Spiritus, qui deſtillatur, prodit albus, temporis ſucceſſu rubicundo colore tinctus apparet, quod phænomenon in ſpiritibus lignorum, tartari, myrrhæ, & quæ ſunt hujus generis alia, etiam obſervare licet. Adfuſo ſpiritu acido ſalis, bullulæ ſtatim plurimæ fundo vitri adhærebant, quæ dein ſenſim ac ſucceſſive ad ſuperficiem liquoris aſcendebant, ſine notabili tamen mixturæ perturbatione. Inſtillato ſpiritu nitri major conflictus, majorque apparuit liquoris turbatio. A calce viva ſpiritui huic ſufficienter injecta protinus ſpiritus volatilis nares forti odore compungebat. Poſt admotum mixturæ huic ſpiritum nitri ſtatim denſus albus fumus prodibat, quod jucundo ſpectaculo ſemper obſervavimus, quando ſpiritum nitri ſalibus vel ſpirituoſis volatilibus adplicavimus Oleum fœtidum mixtura & impaſtione intimiori cum ſale tartari, identidem odorem ſalis volatilis exſpirabat: deſtillatione mixtura hæc largiebatur ſpiritum alcalinum volatilem oleoſum, qui ſyrupo violarum viridiſſimum more omnium alcalinorum ſtatim inducebat colorem; cum acido commixtus hic ſpiritus promtius efferveſcebat, & ſtatim colore exacte rubicundo tingebatur.

36. Oleum craſſum carbonum empyreumaticum, quod prima deſtillatione obtinebatur, ſulphureum odorem exſpirabat; argenteo cochleari injectum mox, leni accedente calore, illud obſcuro, nigricante colore obducebat, ſulphureum odorem exſpirabat, luculento indicio ſulphur verum minerale in illo latere; namque ſulphur vulgare terebinthinæ oleo reſolutum vaſa argentea eodem colore imbuere ſolet. Sal illud acidulum illi, quod ex ſuccino deſtillatur, valde adfine ad mixturam cum oleo tartari per deliquium item ſpiritu ſalis ammoniaci bullulas excitabat perlatas copioſiſſimas, fundo vitri ſeſe colligentes. Mox autem mixtura antea limpida rubineum colorem inducebat, qui ſpiritui cornu cervi ſuccinato non abſimilis erat, ſuperfuſo autem acido limpidum ſuum priſtinum nitorem recipiebat. Rarum viſu hoc phænomenon eſt, acidum ad alcali ſic tingi.

37. Ex his jam adductis cum lithantracibus inſtitutis experimentis liquido conſtare arbitror, ipſos nullum in ſe fovere deleterium principium, nullum infenſum mixturæ ſanguinis vel partibus tenuiſſimis corporis noſtri, nihil arſenici vel mineralis ſanitati noxii ſubeſſe, quanquam veſtigia quædam ſulphuris mineralis appareant. Sulphur autem minerale quod concernit, non tam nocivum eſt, ac vulgo creditur; teſtantur enim id homines illi, qui præparationi, fuſioni & coctioni ſulphuris *Goſlarienſis* continuo ſerviunt, qui ſatis vegeti ac ſani reſpectu aliorum metallicorum degunt. Nec etiam in tanta copia in noſtris carbonibus ſulphur hoc latitat, alioquin facile ſicco modo in forma florum per ſublimationem prodiret. Sunt nimirum carbones hi minerales terra rara & ſpongioſa, ſucco bituminoſo ſubterraneo copioſiſſime & intime imprægnata. Bitumen anima illorum eſt, ſine quo nec flammam nec fumum concipiunt. Bitumen autem more aliorum non ſecus ac omnes bituminis ſpecies, ad quas ſuccinum ſpectat; ex partibus oleoſis ſulphureis acidulis nec non alcalicis tenuibus conſtat, uti chymica reſolutio ſuccini, bituminis judaici, naphthæ, petrolei & omnium reſinoſorum corporum id luculenter teſtatur. Cernimus hic principia nullo modo ſuccis noſtris vitalibus infeſta, ſed quæ nimias humiditates exſiccando defendere ſanguinem & corpus poſſunt a putredine & corruptela. Virtus quippe balſamica teſte Galeno propria eſt omni bitumini. Inſuper bituminoſa omnia accenſa, aeris vitia emendare & humiditates nimias diſſipare ab omnibus ferme medicis creditum eſt hactenus. In ipſa peſte morbiſque contagioſis ad depurandum aerem pice, ſulphure, aſphalto veteres fuerunt uſi.

38. Ut autem aliquando hæc ad Halam, cujus cauſſa maxime dicta ſunt, applicemus, cujus atmoſphæra non modo ob copioſas ex Salæ fluvio, multis ramis luxuriante exhalationes, ſed etiam ob continuam ſalis coctionem, dum ſingulis diebus centum centenarii aquæ evaporare debent, vaporum aqueorum copia imbuitur; quare omnino hic locus maxime inſalubris habendus eſſet, niſi carbonum foſſilium fumus eam egregie depuraret. Jam dudum igitur medici artem hic ſtrenue exercentes obſervarunt, quod hic loci itidem ſcorbuticam luem, quam in Belgio & aliis Germaniæ inferioris regionibus fuiſſe endemiam. Et hanc quoque ſubeſſe cauſſam arbitror, quod periti in arte medici D. *Balthaſar.* BRUNNERUS & D. STUBENDOERFFER *Eugaleni* librum *de Scorbuto* tanti æſtimarint & præfationibus ſuis in lucem emiſerint. Memini ab antiquis medicis practicis antequam lithantraces in uſu hic fuerunt, me audire & in B. Parentis mei libris legere, multos hic fuiſſe ſcorbuticos. Noſtris vero temporibus hic morbus tam frequens non eſt, adeo, ut ante aliquot annos quidam medicus ſcorbutum inter morbos recte referri poſſe dubitaverit, quam tamen adſertionem merum figmentum atque doctæ ignorantiæ aſylum judico. Jam vero cum nihil in rerum natura ſine cauſſa accidat; quæſtio conſideratione digna oritur, cur adfectus hic ſcorbuticus, uti ante multos annos, non tam frequens obſervetur? cum tamen eædem cauſſæ imo fere plures huic labi ingenerandæ adhuc ſubſint; cujus rei rationem accuratiori mentis ſcrutinio non aliam invenio, quam exhalationes ex accenſis lithantracibus, qui defectum ligni hic reſarciunt. Nam cum quotidie una cum particulis aqueis vapores bituminoſi, ſulphurei balſamici atmoſphæram noſtram Halenſem ſubeunt, aer vappidus quodammodo ventilatur, exſiccatur ac corrigitur, ut is noſtrum corpus ejuſque fibras relaxare, debilitare & ad impuros humores colligendos diſponere minus poſſit.

39. Enimvero a pluribus multa hic objiciuntur, nimirum bitumen noſtrum fœdum ac ſulphureum quid olere, quod etiam globulos ex argento confectos, quibus veſtes ornantur, fumo ſuo denigret & pulmonibus infenſum ſit, ut non raro tuſſim provocet. Imo omnes medici in eo conveniunt, *Angliam* & præſertim *Londinum* hac de cauſſa maxime inſalubrem phthiſinque ibi eſſe endemiam, quod tam incredibilis copia vaporum ex carbonibus in auram mittatur. Sed ut ordine procedam, reſpondeo, non omnia fœtida, licet delicatioribus non ſemper ſint accepta, naturæ ſunt adverſa. Spiritus fuliginis, lumbricorum, cornu cervi fœtidiſſimi quantum præſtent in erigendis corporis noſtri ſpiritibus, inque ſanguinis humorum mixtura conſervanda & vulgus medicorum ſatis novit. Nec vapor ille tam gravis ac moleſtus eſt, ſi ab aere interludente diffunditur. Notum quoque eſt plures nec ſuaveolentia impune ferre poſſe, ſed mirum ab illis lædi.

40. Dein, quod attinet ad ſulphureas illas exhalationes, quæ maxime aere exiſtente gravi ac humido tam odore quam etiam colore nigro in argento ſentiuntur; has durante hac tempeſtate, omnino per breve illud tempus evitare poſſumus; ut taceam nondum ſatis evictum eſſe, ſulphureum odorem pulmones ac ſanitatem tam graviter, uti vulgo creditur, lædere. BOYLE in *Exercitat. de utilitate phyſicæ experiment.* in *Anglia* quoſdam eſſe memorat, qui odorem ſulphureum phthiſicis, per fiſtulas, quibus tabacus ſugi ſolet, haurire commendarunt, cui conſilio autem minus ſubſcribo. Porro quidam objiciunt, *Londini* multos phthiſi decumbentes reperiri, cujus morbi cauſſam in carbonum foſſilium vapores unice transferunt; quod pauperes maxime per plateas diſcurrerent, & ab hauſtis iſtis exhalationibus hac tabe, quæ conſumtio vocatur, adficerentur; his tamen experientia contradicit: cum hic morbus lautæ ac ſpirituoſæ diætæ deditis maxime frequens ſit; quamquam non negaverim, nimiam vaporum ex incenſis lithantracibus copiam nocere, pulmonibuſque ariduram inducere poſſe.

41. Jam oritur quæſtio, an hic *Halæ* fumus, qui ob ſalis coctionem in atmoſphæram noſtram defertur, phthiſin alioſque morbos pectoris inducere valeat? ad quod reſpondemus; quod minus experientiæ conforme ſit. Nam ſalis coctores ut & alii hujus urbis cives, ratione ad *Londinum* habita, pectoris morbis rarius adficiuntur. Quod autem hic commorantes jam infirmo corpore & pulmonum labe jam præditi exinde male ſeſe habeant, tantum ſola cauſſa non in lithantracum fumum, ſed & alias cauſſas rejicienda eſt. Nolo tamen hic adſtruere, ſanitati vaporem hunc conferre; exhalationes enim nimiæ, etiam naturæ amicæ, ſanitati obſunt.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
USU ET ABUSU
PULVERUM STERNUTATORIORUM.

Primùm edita anno 1700.

§. I.

QUEMADMODUM ſapientiæ humanæ fundamentum atque initium ſenſus recte dici poſſunt, adeo, ut illis in vigore atque integritate conſtitutis mens noſtra functiones ſuas promtiſſime exſequi queat: ita nobis non exigua quoque incumbit neceſſitas, illos ipſos tanquam rationis noſtræ inſtrumentum curare ac colere, & quantum fieri poteſt, in debito ſtatu atque incolumitate ſervare, ut tali cultura ad optimos mentis uſus diſponantur. Quod circa non incongrue illi faciunt, qui oculos frequenti terſione lemarum ac mucaginis per aquam frigidam tempore matutino puros ac ſerenos ſervare allaborant, vel etiam perſpicillis ad diuturnum viſum illos præparant. Auditus organum frequenter purgare inſtrumentis a cerumine vulgaris etiam conſuetudo eſt, ne forſan in gypſeam duritiem mora tranſiens aurinos meatus ac gyros obſtruendo auditui noceat. Organon guſtus, quod lingua conſtituit, & oris eluitiones cum aqua ſimplici factæ & calidæ jam uſitatæ infuſorum varii generis ſorbitationes percommode abſtergunt & mundant, utpote de nocte in lingua obortus lentor papillares ejus tubulos obſidens calida ſic aqua extergitur, ut non tantum ad meliorem guſtum, ſed & ciborum maſticationem & faciliorem mixtionem cum genuino ſuo ſucco ſolvente diſponatur. Tactum, qui toto diffunditur corpore, frictionibus matutinis convenienter inſtitutis curare utiliſſimum & a veteribus valde celebratum conſilium eſt, quandoquidem hoc pacto diſcuſſa ſuperflua humiditate ſpiritus ſegneſcentes in motum concitantur, ut ad corporis & mentis exercitia expeditius influant.

2. Profecto autem nullius ſenſorii majorem hodie mortales habere ſolent curam quam narium, quem in finem non tantum excogitata fuerunt varia odorum oblectamenta, quæ in balſamis ſolidis, liquidis, ſpirituoſis, fumis ac pulveribus ſuaviſſimi odoris conſiſtunt, quibus continuo nares deliniunt, ſed & alia nunc frequens ubivis ferme regnat nares purgandi ratio per ſingulares pulveres errhinos & ſternutatorios ex tabaco variiſque ſpeciebus odoratis & cephalicis confectos, quibus naribus attractis viſcoſum in narium cavernulis hærentem humorem colliquare ac deturbare conantur. Quemadmodum autem ſalubritate ſua ac uſu non caret dictum narium purgamentum, ita tamen tanta jam increvit intemperies, non dicam veſania, nonnullorum, ut mira conſuetudine vel imitatione aut auctoritate aliorum inducti, tali pulvere nares perpetuo vexare & irritare videantur, ut etiam inter mutua colloquia, conventus ac cœnam deeſſe aliquid humanitatis credatur, niſi quis pyxidem ſuam, qua ſervari pulvis ille ſolet, ſingulari officio ac inſerviendi ejus ſanitati ſtudio alteri offerat ad muci officinam purgandam. Cum autem perverſus taliſmodi abuſus, dum ſingulis fere momentis naribus taliſmodi pulvis attrahitur, non parum damni ac nocumenti efferat ſicciorís præſertim naturæ hominibus; itaque conſtitui de legitimo horum pulverum uſu nec non prava illis abutendi ratione in præſenti verba facere, & non inutilem hanc materiam paulo uberiori evolutione pertractare.

3. Ut autem eo felicius in noſtro inſtituto progrediamur & emolumenta ac damna dictorum pulverum rite exponamus, utile ac e re fore judico ante in ſternutationis naturam, materiam & modum agendi errhinorum paulo penitius inquirere & ipſum quoque locum, ex quo rivus ille mucidus derivatur ac ſtillat, ſecundum anatomicorum recentiorum accuratas obſervationes determinare ac perſpicere. Nolumus autem rebus maxime intenti litem movere de ſternutatorii nominis derivatione ac ortu, multo minus, an illud vocabulum barbariſmum ſapiat, ex criticis decidere, ſed tantum breviter ſtrictimque illud in limine præmonere allubeſcit, per pulveres ſternutatorios nos intelligere tabaci varii generis folia & radices aliaſque vegetabilium ſpecies rite ſiccatas & præparatas inque formam pulveris redactas, quæ naribus ſuſceptæ inſpiratione membranam narium irritando ſpiſſum vel aqueum humorem evocant, ſive cum forti ac ſonora aeris exploſione, quo caſu vocari ſolent ſternutatoria, ſive ſine illa, ubi errhinorum nomine inſigniuntur, utut ſternutatoria græcis quoque errhina veniant, meliori tamen vocabulo ptarmica deſignentur. De utriſque autem hic loci agere decrevimus, præſertim cum ptarmica pro diverſa diſpoſitione hominum facile in errhina & errhina vice verſa in ptarmica degenerent.

4. Primum omnium autem, quo veritas dilucide appareat, conſtare debet, quænam pars corporis principaliter afficiatur ac patiatur in ſternutationis actu, & ex quo loco inſignis illa muci quantitas, quæ mediante taliſmodi remedio extrahi ſolet, ſtillet ac derivetur. Magnam autem hac in re inter Veteres & Recentiores paſſim deprehendimus diſſenſionem, dum plures ex Veteribus actionem ac motionem ipſius cerebri eſſe ſternutationem affirmant, quæ in conſenſum rapiat thoracem, ſicuti quondam HIPPOCRATI & ARISTOTELI placuit. Alii potius principaliter illam actionem thoracis eſſe, quæ occaſione ir-

ritationis factæ in naribus accidat, tuentur. Ita etiam circa partem, ex qua humor ille excrementitius effunditur, in diverſas abeunt partes. Plerique ex Veteribus cloacæ hujus originem eſſe cerebrum adſtruunt, Recentiores autem ex externis tantum capitis partibus materiam hanc fluere firmis ratiociniis autopſiæ anatomicæ innixis comprobare ſatagunt. Nos non diutius refutationibus Veterum immorabimur, neque ſub examinis incudem etiam nonnullorum Recentiorum placita revocabimus, ſed breviſſimis ſententiam noſtram exponimus, nempe ſternutationem eſſe violentam actionem & motionem fluidi elaſtici tenuiſſimi, quod ſpirituum vulgari nomine venit, in nervis non tantum, qui intercoſtales muſculos deſcendunt. Quæ motio impetuoſa ac præternaturalis cum ſit & cum magna conſtrictione partium nervearum ac muſculoſarum conjuncta, hinc non inepte a Veteribus convulſio, ſive etiam epilepſia parva, levis, & particularis dicta eſt, præſertim ab AVICENNA *l.* 3. *c.* 2. *Tract.* 2. Et tametſi etiam experientia doceat ſternutationem ſæpiuſcule præcedere epilepſiam, vel etiam illam ſequi, ſicuti id docte inter alios notavit WEDELIUS in tractatu *de medicamentorum facultatibus p.* 211. Ut ex eo appareat magnam eſſe affinitatem ac convenientiam inter epilepſiam & ſternutationem, illud tamen teneri meretur hanc eſſe utriuſque differentiam, quod convulſio in ſternutatione ſit magis intrinſeca, ſive extra cerebrum ejuſque membranas, in epilepſia autem intra cerebrum, ubi dura mater principaliter violentiſſima conſtrictione afficitur, ſicque totum ferme corpus in conſenſum trahitur. Ex quibus patet ſternutationis ſedem non quidem cerebrum eſſe, attamen ſpiritus, qui nervos incolunt, principaliter eſſe affectos. Et deinde jam clarum ac perſpicuum fieri poteſt, quare a ſolo irregulari ac concitato ſpirituum motu in diſpoſitis ſternutamentum moveri poſſit. Ita curioſæ ſunt obſervationes, quæ confirmant, nonnullos, quoties cum uxore rem habere geſtirent, immediate ante cœptum opus ter quaterque ſternutare coactos fuiſſe, qua de re legi meretur STALPARTIUS van der WIEL *obſ. 6. part. prior. p.* 44. it. AMATUS LUSITANUS *in ſcholiis curation.* 3. *Cent.* 4. *fol.* 370.

5. Cum autem ſternutatio affectio ſpirituum ſit, qui primas in regenda tota machina tenent partes, & ex quorum conſtitutione boni vel pravi effectus in corpus redundant; hinc etiam a vetuſtiſſimis temporibus ſternutatio actus boni & mali ominis ſignum fuit. Ita optimum ſignum fuit & adhuc eſt reconvaleſcentiæ, quando ægrotantes incipiunt ſternutare, qui alias difficulter admodum id faciunt propter virium defectum ſive ſpirituum non ſufficientem influxum, unde vulgatum illud inter Medicos Pariſienſes eſt: ſternuit, ſalva res eſt, & Noſocomio expelli debet, circa quam rem videatur Moſantius PRIOSIUS in epiſtolis p. 204. ita etiam BALLONIUS ad Theophraſti librum *de vertigine* p. 9. *vulgo*, ait, *Xenodochiis jubent ægros exire, cum primum ſternutant, quod bono id fiat omine, & quod in limine ſint ſanitatis, quaſi victore calore naturali morbifica ſit materia cocta & mitificata.* Ex adverſo etiam obſervatum fuit, ſternutationem mali fuiſſe ominis, cum frequenter peſtilentiam vel alium graviſſimum morbum præceſſerit. Ita THUCYDIDES lib. *de bello Peloponneſ.* §.131. *fol.* 180. peſtilentis cujuſdam malignæque ſternutationis meminit, in famoſa illa Athenienſium peſte graſſantis. POLYDORUS VIRGILIUS etiam *Lib. VI. de invent. rerum Cap.* 2. itidem ſimilis ſternutationis mentionem facit, qua omnes, qui aliquoties ſternutaſſent, paulo poſt extinguerentur. Aſſeritque ex recentioribus DIEMERBROCCIUS *Lib. de peſte Cap.* 15. tempore gravis illius peſtis an. 1635. neminem ſe vidiſſe convaleſcere, qui durante morbo ſternutaſſet ſæpius. Exinde jam mos bene precandi ſternutantibus, qui etiam diu ante Soſpitatoris noſtri ortum apud Ethnicos, & ante ipſum Ariſtotelem obtinuit ut FAMIANUS, STRADA *proluſionum academ L.* 3. refert, derivandus videtur. Invaluit etiam is mos & ſemper continuavit per omnes ferme nationes, etiam Turcicum regnum, (utut Angli hodienum eum non obſervent,) ut ad ſternutationem vel caput denudent, aut corpus inclinent, & ſternutantes ſalutent his verbis: Deus te adjuvet, ut minus etiam urbanus ille habeatur, quiſquis hæc, quicquid eſt humanitatis, negligat. vid. laudatus PRIOSIUS.

6. Hiſce jam miſſis res maxime poſcere videtur, ut recipiamus nos ad examinandum & inquirendum, in quanam corporis parte ſtationem potiſſimum habeat ſternutatio, & unde mucoſi iſtius & ſqualidi humoris ejectio oriatur. Memorandum autem hic venit perperam Veteres dijudicaſſe ex cerebro illud, quod ſternutamento ejicitur, ortum ſuum habere. At vero infelicitati temporum, quæ obſervationibus anatomicis circa corpora humana admodum ſterilia fuerunt, id condonandum eſt, utpote manifeſtiſſime hodierno tempore demonſtrari poteſt, os ethmoides ſeu cribriforme foraminulis variis inſtructum, non aptum eſſe ad tranſmittendam vel emittendam, quandam materiam fluidam, cum firmiter foramina, utut pervia, dura matre & nervorum ramulis per hoc tranſeuntibus occluſa ſint, ut nullum fluidum etiam tenuiſſimum, ſicuti eſt ſpiritus vini rectificatiſſimus, ibi detentum ne ad minimam guttam tranſire & ad nares deſcendere poſſit. Denique & illud clariſſimæ veritatis eſt, humorem talem, qui per ſternutationem diſcutitur, intra duram matrem & cranium nunquam deliteſcere, neque talem reperiri in cerebri ventriculis, nec glandulam pituitariam ſuam, quam ſecernit, lympham huc amandare; ut adeo cloacæ hujus origo alio in loco quærenda ſit. Deinceps & nunquam hoc demonſtrari poterit, aerem neque odores, multo minus alia externa inſpiratione immediate in cerebrum pervenire poſſe, hinc optime GALENUS *de ſimplicibus medicamentis* ſcribit: Errhina quæ mediante inſpiratione attrahuntur in nares non, ut vulgaris eſt opinio, per os cribriforme ad cerebrum ſcandunt; ſic etiam mera perſuaſio & figmentum eſt, in illis, qui tabaci fumigationi perpetuo ſtudent, anteriora cerebri eſſe ſiccata & fumo nigro infecta, quod clariſſime variiſque diſſectionibus factis refutavit NEANDER *in Tabacologia pag.* 228. *& ſeqq.*

7. Quodcirca rectiſſime cum Recentioribus ſternutationis ſubjectum & originem muci, qui naribus ſolet expurgari, nec non ipſius olfactus organon credimus eſſe cavernoſam interiorum narium ſtructuram & oſſeam concamerationem, quatenus nempe membrana non tantum ad ſenſum, ſed & ad pituitæ ejectionem diſpoſita inveſtitur. Operæ pretium autem duco hac occaſione accuratius paulo, qua tamen fieri poteſt brevitate, internam narium mirabilem ſtructuram perluſtrare. Quod autem internam narium concamerationem ſpectat, deprehendimus varios ſinus & cavitates oſſeas, dein gyros anfractuoſos oſſeos triplices, qui ſcalæ, item oſſa turbinata ſpongioſa vocantur, quorum fabricam & uſum ſingulatim jam perſpicere placet. Sinus autem illi recte numerantur duodecim, nempe duo ſphœnoidei, qui intra os, quod ſphœnoides dicitur, excavati ſunt & ſellæ equinæ ſubjacent. Ex iſtis per unum foramen humores delabuntur in binos meatus, qui a naribus ad fauces tendunt. Ethmoidei ſex numerantur, qui frontalibus & ſphœnoideis intermedii ſunt, in utroque latere tres, & hi tenuibus oſſibus tranſverſis & non nonnihil obliquis ab invicem diſtincti ſunt, quorum anteriores reliquis ampliores

ampliores ſunt, in quibus etiam foramina duo reperiuntur, quibus mediantibus anterior hic ſinus ethmoideus cum maxillari communicat. In oſſe frontis juxta naſi radicem duo quoque exſtant ſinus dicti frontales, quorum unus ſæpius altero amplior & diſtinctas etiam fovet cellulas. In illorum ſinuum poſtica parte foramen eſt, quod narium poſteriorem partem reſpicit. In maxilla autem ſuperiore duæ cavitates ampliſſimæ ſunt, in quarum ſuperna parte unum eſt foramen & brevis ductus, qui ex ſinubus ethmoideis anterioribus humorem recipit.

8. Sinus hi dicti duodecim nec non os vomeris omniaque oſſa ad narium fabricam ſpectantia inveſtiuntur membrana, quæ propter officium ſuum dicitur pituitaria, hancque cum ſinubus narium ex omnibus accuratiſſime deſcripſit VIEUSSENS *in Neurologia cap. XVI. pag.* 187. ubi aſſerit illam eſſe ſungoſam, ſpongioſam ac glanduloſam quamplurimis diverſi generis vaſis inſtructam, quæ ſi digitis comprimatur, mucum ſtatim emittat, ſique in aquam immittatur, ſpongiæ ad inſtar intumeſcat. CASSERIUS PLACENTINUS illam dicit eſſe ſpongioſam, ſublividam & multum ſanguineam, ita ut ſi digitis leviter fricetur, ſanguinem effluere faciat. Et obſervavi in anatomia cadaveris maſculini a me celebrata membranam hanc numeroſiſſimis arteriolis ſtipari, quæ injectione liquoris ſpiſſi rubicundi adhuc dum in capite ſiccato eleganiſſime apparent. In plexulos hepatis uterini plexibus non abſimiles numeroſas has arterias ex carotidum ramis externis enatas exire auctor eſt idem VIEUSSENS *loc. cit.* Hæc jam membrana, glandulis copioſiſſimis prædita, ex innumeris hiſce arteriolis partem aquoſam, lymphæ nervorum ac cerebri elaſticæ ſpirituoſæ activitatem infringentem, inſtar cerebri ſeparat, & per breves quoſdam ductus, quos vaſa mucifera laudatus VIEUSSENS nominat & quorum aliqui ſetam admittunt & circa poſticam oſſis vomeris & utriuſque oſſis palati partem apparent, expurgat & in nares ceu communem cloacam derivat. Hæc itaque membrana, quæ ab utroque oſſis occipitis proceſſu oritur lateque expanditur & interne œſophagi tunicæ continua eſt ac laryngis latera contingit, os vomeris oſſaque ſpongioſa & turbinata omneſque ſuperius nominatos ſinus duodecim obducit, eſt emunctorium principale ipſius muci, qui ſecernitur in naribus & ſinubus, ubi mora nonnunquam nimium lentorem contrahit. Non autem ubique eſt æqualis craſſitiei vel conformationis, nam quæ poſticæ utriuſque oſſis palati parti appenditur, ea craſſior eſt, & fere tota glanduloſa & muciferis inſtructa vaſis intertexta videtur. Illa autem membranæ pituitoſæ pars, quæ duodecim ſinus inveſtit, ſubalbida, mollis & ſpongioſa eſt, valde autem membranoſa & magis tenſa apparet illa, quæ oſſibus ſic dictis turbinatis inſternitur; de his autem oſſibus CASSERIUS *de fabrica naſi Lib.* 3. *cap.*16. ſcribit: *In profundo narium recondita ſunt oſſicula illa oblonga ſpongioſa, quæ gradu ſcalæ videntur appellari, eo quod gradatim unum ſupra aliud poſitum ſit, turbinata hæc oſſa dicuntur.* Oriuntur ex parietibus narium oſſibus in quam cavitatem genarum interne ſepientibus, ubi initio tenui exorti ſtatim craſſeſcunt & turbinis formam adſumunt, undique libera & nuſquam niſi ſuo principio alligata, ita deorſum pendula dependent, ut intermediam quandam latebram inter os genæ conficiant. Et ſane jucundum ſpectaculum eſt, hæc oſſicula ſeu lamellas oſſeas, quæ neutiquam cartilagineæ ſunt, in varios cylindros tubulos & ſemicirculos oſſeos convolvi, ut quaſi in diverſos ſpecus & labyrinthos, ubi alia in aliam tendit, dividi. Hæc ſingula ſpongioſa oſſicula, ſingulæque eorum lamellæ & inde effictæ cavitates tunica etiam ſpongioſa, ſed magis nervea inveſtiuntur. Hinc etiam hæc ipſa magis præ aliis membranæ partibus ſenſu exquiſitiori gaudet; ſicuti enim tota membrana pituitaria per nares extenſa ſenſum ſuum ac motum maxime nanciſcitur non tam a primo, quam a ſecundo ramo quinti paris emiſſi, ita maxime hi nervi plurimas fibrillas per membranam, oſſa turbinata obducentem, ſpargunt atque diſtribuunt, hinc merito huic tunicæ & dictæ oſſium turbinatorum conformationi odoratus organi titulus tribuendus eſt, cum non peculiaris hujus tunicæ textura nervea tenſa alium uſum arguere videatur, quam ut tantum mucum ſeparet: quocirca BARTHOLINUS in tractatu *de olfactus organo*, rectiſſime ſcribit: *quo major tunicæ narium eſt ſuperficies, eo plura nervoſa extrema in eam terminari poſſunt, pluresque aeris particulæ in eandem impingere.* Hinc etiam laudatus auctor in venatico exquiſitiſſimi ſenſus cane inextricabilem & plane innumerabilem lamellarum in ſemicircularem figuram curvatarum progerminationem & circumvolutionem invenit, & animalia olfactu excellentia oſſicula talia cucullum vel concham veneris figura referentia ſemper plura, longiora, magiſque contorta poſſidere ſcribit.

9. Sententia itaque noſtra eſt, tunicam hanc ſenſibilem oſſa turbinata cum illorum cavitatibus inveſtientem ſubjectum maxime eſſe odoratus, cujus organon in tunica narium multiplicata, dum ex anguſto in anguſtum ipſa tendit, & in concavitate oſſiculorum aerem odoriferum non tantum remorante ſed & verberante conſiſtit. Et ſicuti in hac tunica particulæ odoriferæ fluido reſpirationis impulſæ percipiuntur, ita etiam nullum dubium eſt, in eadem tunica varios pulveres vel ſpecies naribus ſuſceptas ibique appulſas percipi ſenſumque irritatorium ab iiſdem excitari, adeo, ut idem ſubjectum odoratus & ſternutationis ſit. Irritata autem illa tunica in conſenſum utique trahitur tota tunica narium pituitaria, propter eandem communionem nervorum, nec non continuitatem, ita, ut fibris ejus conſtrictis & compreſſis ſuccus ille, qui in eadem hæret, copioſe & ubertim excutiatur.

10. Deſcripto jam ſufficienter ſternutationis organo & ſubjecto, illoque loco, e quo promanare craſſus ille mucus ſolet, qui ſternutatione ejicitur, reſtat jam ut etiam breviſſimis naturam ſternutationis ſive motus ipſius thoracis convulſivi cum violenta exſpiratione & aeris exploſione vehemente juncti indolem perluſtremus, & maxime, quomodo thorax & diaphragma ab irritatione narium tunicæ in conſenſum rapiantur. Notum autem jam eſt ex anatomicorum obſervationibus, non tantum primum nervorum par, quod proceſſuum mammillarium nomine venit, verum etiam ſecundum ramum quinti paris nervoſi intra cranium oriundi abire ad pituitariam membranam, maxime autem ad illam partem, quæ oſſa turbinata ſic dicta ſeu ſpongioſa inveſtit, ubi non modo ſenſus ſive perceptionis odoriferarum atomorum, ſed & omnis motus & contractionis hujus membranæ cauſa exiſtit. Quoniam autem par nervorum intercoſtalium quoad maximam ſuam portionem nervis quintæ conjugationis debetur, hinc facillime ratio peti poteſt, quare irritatione facta moleſta in naribus, quam ſemper ſubſequi ſolet influxus celerior nervei fluidi, in conſenſionem ſimilemque actionem ſpiritus in nervis intercoſtalibus exiſtentes rapiantur. Optime hinc VIEUSSENS *Lib.* 3. *Cap.* 5. ſcribit: *In ſternutatione ſtatim ac nerveæ fibræ, quæ in membranam narium interiora occupantem deſinunt, a re quavis acri vellicatæ corrugantur, illico diaphragma propter altiorem inſpirationem a ſpiritu animali per nervos intercoſtales devecto excitatur, deprimitur & ſubinde membranæ narium, ſpaſmo remittente, ſeptum tranſverſum ſuperiora verſus vehementer retractum violentam exſpiratio-*

nem

nem excitat. Ex quibus dictis & adductis patet diaphragma potius & principaliter ſedem & ſubjectum ſternutationis eſſe dicendum, quam ipſum caput vel in eo contentum cerebrum, tametſi non negandum ſit, ex influxu concitatiori ſpirituum, qui occaſione vellicationis ac morſicationis tunicæ narium nerveæ contingit, violentum hunc thoracis motum dependere. Strepitus autem ille & aeris ſonora exploſio, in ſternutationis actu quæ contingit, unice proficiſcitur ab aere per exſpirationem celerrime ex trachea in anfractuoſos narium meatus & ibi contractione quaſi anguſtatos, vi tranſeunte & irruente, ubi reverberatione, alliſione & fractione talem ſtrepitum & ſonitum edit, unde etiam ſæpius fit, quando ſic aer primum vehementer inſpiratus maxima vi in exſpiratione expellitur, ut etiam cibus & potus in ore & faucibus hærens ejiciatur, lapilli in interiori aure hærentes, uti nuperrimum hic exemplum docuit, expellantur, vel calculi ex renibus & ureteribus in veſicam deturbentur, aut etiam fœtus propulſio ex utero promoveatur.

11. Hiſce jam pertractatis ordo poſtulat, ut non tantum illa, quæ ſternutationem excitare apta ſunt, perſpiciamus, ſed maxime etiam, quod noſtræ eſt tractationis, ad ea dirigamus animum noſtrum atque inquiſitionem, quo illa ipſa, quæ ingrediuntur & conſtituunt famoſos illos pulveres errhinos & ptarmicos, cognoſcamus, & medice examinemus. Et cum jam noſter ſcopus ſaltim eo tendat, ut non tam illa, quæ intrinſecus in corpore anſam præbere poſſunt huic affectui, inquiramus, quam potius externas cauſas ſcrutemur. Hinc omiſſis illis, quæ utique uberiorem tractationem merentur, ſaltim jam occupati erimus circa cauſas externas. Brevibus autem aſſerimus, omnia illa quæcunque membranam illam narium ſenſu exquiſito pollentem, vellicare, irritare & morſicare apta ſunt, illa etiam ſternutationem facili negotio movere poſſunt. Ita ſola titillatio cum penna vel cum papyro convoluta facta, ſternutamentum promte ciet. Et compertum eſt, irritari etiam nares & ſternutationis motum produci per repentinum tranſitum e loco obſcuro in admodum illuſtratum. Unde etiam recte dixit ARISTOTELES: *ſternutat, qui ſub ſolem ſe committit.* Cl. SCHNEIDERUS tract. *de ſternutatione* refert, concionatorem quendam ſe cognoviſſe qui cum ſoli exponeretur, bis, ter vel etiam ſæpius ſternutare coactus fuerit, quod tamen tantummodo locum habet in ſubjectis ſenſibilioribus. Ratio autem hujus effectus hæc eſt: radii ſolares penetrantiſſima ſua actione ac motione aerem commovendo, ipſos etiam ſpiritus tunicæ narium inſidentes fortiter commovent; non ſecus ac videmus lucem ſolarem ob vehementiſſimam ſuam actionem oculis laborantibus non conferre, ita ut etiam ſolus adſpectus lucis in ophthalmia cauſari vel eandem ob cauſam dolorem augere poſſit; ſiquidem nulla ſenſatio, nulla perceptio in machina noſtra microcoſmica ſine præcedente tactu vel tremula motione membranarum fit.

12. Ut autem proprius accedamus ad materiam & naturam illorum, quæ vel tantum pituitam e naribus evacuant, vel cum aeris exploſione illam educunt, dicimus: omnia ea eſſe indolis ſalino-ſulphureæ acris, quandoquidem non omnia ſalia, uti ſunt neutra, media, ſalia etiam acida tali facultate pollent, quippe quæ fixioris naturæ & ſpiculis craſſioribus dotata minorem ingreſſum habent in tenuiſſimos fibrillarum membranacearum poros, ſed requirantur paulo ſubtiliora, qualia ſunt ſulphurea & acria, quæ motu inteſtino ætheris ſtipata longe penetrantiora ſunt & intimioris admiſſionis, unde videmus ſalia volatilia naribus indita promte colliquare pituitam, imo ſternutationem excitare. Quinimo admodum veroſimile eſt, principium illud, quod in errhinis & ſternutatoriis operatur, ad alcalinam potius quam acidam naturam accedere, prætertim cum acida enervent & notabiliter infringant illam vim, teſte experientia & antiquiſſimo auctore PLINIO qui hiſtor. nat. *Lib.* 23. *cap.* 1. inquit: *ſternutamenta acetum olfactu cohibet.* Et cum omnia purgantia, propter idem ſal acre irritans ſubtile volatile plus minus cauſticum, ſint ſimul validiora ſternutatoria & ipſorum vis purgans manifeſto enervetur atque cicuretur ſalibus acidis, dum nempe hæc ipſa ſal illud tenue volatile alcalinum figunt & motum iſtum ætheris igneum ſiſtunt, ita enim non inconvenienter argumentari licet eodem ſale gaudere ſternutatoria, quo ipſa purgantia. Accedit & illud, quod tabacus errhinorum & ſternutatoriorum princeps ſale volatili acri ſulphureo copioſiſſimo polleat, qui intra aſſumtus ventriculi, œſophagi & inteſtinorum membranulas fortiter vellicando & vomitum & ſedes violenter ciere ſolet, manifeſto documento: non alium modum agendi ſternutatoriorum emeticorum ac purgantium eſſe, quam qui in morſicatione, inſultu & roſione tunicarum nerveo-glanduloſarum verſatur. Deinceps elementum illud, quo agunt ptarmica & errhina, ſalinæ volatilis ſulphureæ naturæ eſſe vel ex eo intelligi poteſt, quod pleraque herbæ cephalicæ, quæ ſale ſubtili volatili oleoſo gaudent, cujus generis ſunt nominatim origanum, ruta, flores anthos, majorana, thymus, ſerpillum, baſilicum, ſemen naſturtii, ſinapi, coriandrum, cubebæ, vel recentes vel melius ſicco modo naribus inditæ promte ſternutatorium vel tantum errhinum effectum exhibeant.

13. Non autem occupati erimus totum catalogum omnium errhinorum & ſternutatoriorum proponere, ſive totam materiam errhinorum recenſere, ſed tantum animus eſt breviſſimis exponere, ex quibus uſitatiſſimi iſti pulveres, qui naribus inſpirantur & attrahuntur, evacuandi muci cauſa componantur, ſive quænam illorum ingredientia, quis modus præparandi ſit, ut eo melius poſtea perſpicere queamus, quid damni vel emolumenti adferre queat illorum rectus uſus atque perverſus abuſus. Dixi autem ſuperius, pulverum horum ptarmicorum princeps ingrediens eſſe ipſum tabacum ſeu herbam nicotianam; poſtquam enim hujus herbæ maxima utilitas generi humano innotuit, ſub variis formis interne & externe uſui humano illam adaptarunt, & cum nautæ ac milites, quibus initio frequentior fuit tabaci uſus, experimento didiciſſent, tabacum in pulverem redactum & naribus inſpiratum eſſe ptarmicum, & hoc ipſo exonerari caput utilitate optima, hic uſus poſtea ad multas gentes & nationes pervenit, & primum ad Italos, apud quos talium pulverum uſus eſt frequentiſſimus, poſtea ad Gallos & etiam ipſos Germanos ſeſe extendit, factum, ut tabacomania jam multi laborent; & ipſa conſuetudo talem pulverem fecerit pene cum aere neceſſarium, ita plerisque inutilis & ſuperfluus imo noxius eſt. Multi recto ejus uſu primo, deinde facta conſuetudine ſunt verba MAGNENI *de tabaco*, poſtea contracto habitu tantam hujus pulveris copiam abſumunt, ut hominem noverim, qui die unico pulveris tabaci optimi uncias tres naſo ſuo perdiderit. Sed opus jam eſt, ut de præparatione horum pulverum quædam ediſſeramus, quibuſque in locis præparentur, notum autem eſt præparari maxima in copia Bononiæ, Trienti, Venetiis, Taurini, unde etiam ad alias diſſitas regiones magno mercatorum lucro affertur. Modus autem præparationis hic eſt, ſumitur nempe præſtantiſſimus tabacus de Levante & ejus ſtipites ac ceſpites aqua roſarum infunduntur, poſtea ſiccantur & in minutiſſimum rediguntur pulverem, qui cum ſolutione tenui tragacanthæ miſcetur, & in paſtam redigitur, quæ poſtea ex tenuiſſimis tuniculis ferreis

compoſitum

compoſitum eſt anguſtiſſima foramina relinquens, trajicitur, ita ſub ſpecie tenuiſſimorum pilorum apparet, qui dein ſingulari encheireſi vaſe concavo magno excipiuntur, & continua agitatione & ſuccuſſione in globulos minutiſſimos rediguntur, qui germanicis ſub nomine *gekôrnter Toback* venit, qui poſtea oleo de cedro vel jaſmino, bergamotti ſuavi odore imbuitur & talis ex Italia ad nos adfertur. Taurini flores aurantiorum exſiccatos, item flores roriſmarini admiſcere ſolent. Alius autem eſt modus hunc pulverem in Hiſpania præparandi: hic enim loci in tenuiſſimum pollinem, qui in fumum facile abit, redigitur. Nempe ſumunt tabacum optimum de Braſilia, & in camera calefacta extreme illum ſiccant, ut inter manus teri poſſit, talem jam indunt duobus ſacculis ex linteo ſubtili confectis, poſtea in alio conclavi puro vir, qui bene nares, oculos, & os ſingulari adaptato inſtrumento munivit ac defendit, duos hos ſacculos vehementiſſime inter ſe concutit, ut tenuiſſimus pulvis ſub forma fumi per porulos ſacculi expellatur, qui deinde in conclavi excipitur, & ad uſum colligitur, & hic jam propter tenuitatem ſuam inſpiratione improvida facile ad ipſam laryngem aſperamque arteriam tranſit ibique irritatione facta tuſſim concitat. Præterea uſitatus hoc tempore adhuc eſt alius, qui ex Portugallia ad nos ſub forma pulveris non adeo ſubtilis, coloris ex flavo virideſcentis & odorem ſicut panis groſſior Weſtphalicus vulgo Bonpournickel de ſe ſpargit, & ex foliis optimi nigri tabaci prius in aqua roſarum maceratis præparatur, ut nimia eorum acrimonia ſalino-ſulphurea extrahatur; poſtea folia exſiccant & pulverem ex ipſis conficiunt, quem ſine ſuaveolentia utplurimum relinquunt.

14. Præter has præparationes ſimplices adhuc innumeræ reſtarent magis compoſitæ deſcribendæ, dum quivis ferme Pharmacopola vel Medicus gratioſus in quavis regione peculiarem excogitat compoſitionem, ut non tantum colore ſed & odore ac conſiſtentia pulveres hi admodum inter ſe differant, ubi tamen tabacus manet baſis, quod modo varias ſpecies cephalicas fragrantiſſimi odoris ad meliorem gratiam conciliandum admiſceant. Noſtri jam erit officii, ut præſtantiſſimas & valde expertas & quas nos magni facimus, tantummodo hoc loco adducamus, ut quivis habeat, quo caſu neceſſitatis pro morborum & humanæ temperiei natura uti queat. In anteceſſum autem hic moneo, duo præ cæteris elegantiſſima & præſtantiſſimæ virtutis plane vel parum cognita me magni facere, quorum uſum etiam variis in adfectibus magno cum fructu & capitis robore adhuc expertus ſum, quorum primum eſt reſina ligni guaiaci, non illa, quæ ſpiritu rectificato ex raſura hujus ligni extrahitur, ſed quæ mediante coctione cum aqua tantum ſimplici elicitur; dum nempe in ipſa aqua per ſufficiens tempus raſura coquitur; decoctum poſtea leni calore ad ſiccitatem uſque inſpiſſatur & ſic ptarmicum pulcherrimum emergit, quod ſuavi balſamico odore nares adficit & ſatis potenter pituitam colliquat. Alterum eſt benzoe in flores reſoluta, quando nempe hujus gummi optimi pulvis in aqua pluviali coquitur, quæ identidem inſpiſſatur, ita pulvis odoris ſuaviſſimi ex ſplendeſcentibus miculis & ſquamulis compoſitus conficitur, qui naribus attractus penetrantia ſua ad motum eximie ſuſcitat & denſatum ibi humorem extergit. Quod autem horum remediorum præparatio cum aqua inſtituatur, hæc ratio eſt; quoniam hæc ex reſinoſis iſtis corporibus præter ſulphureas, acutas, ſalinas ſcindentes & pungentes partes extrahit, quæ hic maxime deſiderantur.

15. Sed ut ad noſtras, quas laudamus & laudavimus formulas, redeamus, ſequentes cum benevolo lectore communicabimus. *Recipe ſacchari optimi unciam ſemis, balſami apoplectici grana duodecim, florum benzoes, reſinæ ligni guaiaci ana grana decem, miſce.* Pulvis hic gratiſſimi eſt odoris & egregie nervoſas capitis partes ſolatur, nec non pituitam ſatis efficaciter educit. Hinc merito cunctis ferme errhinis eſt præferendus; præcipue autem ſingularem opem ſpondet in capitis ſeu actionum animalium torpore, vertigine, nimia ſomnolentia, decubitu humorum catarrhali ad dentes, ad aures, capitis gravativo dolore; egregie quoque conducit pituitoſis & qui caput imbecillum habent. Altera formula hæc eſt. *Recipe pulveris tabaci, infuſione aquæ roſarum prius mitigati, unciam ſemis, florum aurantiorum exſiccatorum drachmas duas, olei florum aurantiorum optimi Italici guttas decem.* Lenis operationis hic pulvis eſt, & ſuavem odorem ſpirat. Tertia hæc erit, *recipe pulveris ligni aloes, ſuccini pulveriſati, tabaci ana drachmam unam, caſtorei grana decem, olei majoranæ guttas quatuor*, pulvis hic in diſpoſitione ad apoplexiam, epilepſiam, paralyſin, vertiginem egregii uſus eſt. Parandi modus hic eſt quartus, *ſume ſalis volatilis ammoniaci ſicci drachmam unam, olei majoranæ guttas decem miſce.* Hoc penetrantiſſimum eſt errhinum, ſolo odore, vel melius pulvere ejus naribus attractum in deperdito odoratu ab humore craſſo, copioſo, ſpiſſo, frigido, quale quid accidit in coryza, nec non in naribus plane occluſis, item apoplectico, epileptico paroxyſmo, nec non in affectibus ſoporoſis efficaciſſimum. Quinta pulveris compoſitio hæc eſt; *recipe radicis iridis florentinæ drachmam unam, florum balauſtiorum, roſarum rubrarum ana ſcrupulos duos, florum anthos, lavendulæ drachmam ſemis, hellebori albi grana octo, moſchi in ſpiritu roſarum ſoluti grana duo*, pulvis exinde fit varii & grati coloris, & talis ex Turcia adferri ſolet, nec uſu ſuo defraudandus; hoc ſaltim vitii habens, quod linteamina propter flores balauſtiorum rubro colore inficiat. Sexta eſt, *recipe florum liliorum convallium, majoranæ, pulveris tabaci ana drachmam unam, hellebori albi grana duodecim, olei majoranæ, cubebarum ana guttas quatuor*; pulvis hic ſi ſternutatio movenda eſt, & pituita craſſa educenda, nareſque muco obſtructæ, in pituitoſis & phlegmaticis egregie ſuum facit officium. VII. *Recipe radicis valerianæ, ſeminis fœniculi, pulveris tabaci ana drachmam unam, florum benzoes grana duodecim, olei cubebarum, fœniculi, majoranæ guttas duas, ſpiritus roſarum guttas duodecim*, miſce fiat pulvis, qui in adfectibus oculorum, viſus imbecillitate, nimiaque illorum ſeroſitate uſum habet non contemnendum. VIII. Clariſſimus Lentilius in *miſcell. parte 2. pag. 564.* hunc pulverem magnifacit in graviſſimis capitis adfectibus; *recipe olei ſuccini ſcrupulum ſemis, lavendulæ, roriſmarini, ſalviæ, rutæ, ſpicæ ana guttas tres, balſami apoplectici grana octo, incorporentur cum ſaccharo canarienſi finiſſimo, ut fiat pulvis.* Pulvis mechoacannæ albæ cum oleo fragranti eximium quoque errhinum conſtituit, id quod ex Inſula Malthæ adferri ſolet.

16. Recenſitis ſic optimis, quæ uſui inſervire poſſunt, errhinorum & ptarmicorum formulis, utile futurum judico, ſi de illorum uſu & abuſu etiam verba faciam, illumque rationibus & experientia munitus aperte oſtendam. In confeſſo autem eſt, omnino taliſmodi pulveres, ſi modus in hiſce ſit & prudenter applicentur, ſalubritate ac fructu non carere, quandoquidem in dubium vocari nequit, membranam illam narium, quæ in capite tam late ſe extendit, & tot anfractuoſos oſſium gyros ac ſinuoſas cavitates obducit, eo officio fungi, ut viſcoſam, mucidam ac ſeroſam ſuperfluam materiam ex ſanguine ſecernat, quo ipſe purior, agilior, & ad fluidi nervei ac cerebri elaſtici

ſtici productionem aptior evadat, dum liberatus eſt ab ea materia, quæ ejus activitatem, expanſionem elaſticam impedire ac retundere poterat. Quinimo per ſolenne hoc narium emunctorium ſeparata ſic debite materia pituitoſa, præſertim in illis, qui ejus copia abundant, ſanguis in progreſſu & circulo ſuo per caput longe liberius ac minus impedite circumvolvitur, cum alias ſi obſtructis naribus refertus ac onuſtus taliſmodi lento humore ſit, deprehendamus, & gravitatem capitis cum dolore, auditus difficultatem, tinnitum aurium, vertiginem, torporem actionum animalium, ſomnolentiam, exinde oriri. Quemadmodum itaque legitimum exercitium actionum, quæ ſanitati præſunt, potiſſimum in debitis ſecretionibus & excretionibus fundatur: ita omnino Medici opus atque intentio eſſe debet, ſi ſecretiones hæ labaſcant, ſi ſecretoria & emunctoria otientur vel obſtructa ſint, convenientibus remediis, omnes ſecretiones ſollicitare, procurare, obſtructaque diſſolvere ac reſerare; cui fini etiam ſerviunt purgantia, diaphoretica, diuretica, expectorantia, apophlegmatica, ſalivantia & hujus generis alia. Ex quo jam facile quivis intelligere poteſt, remedia, quæ nares incitant ad excretionem muci, magnæ eſſe efficaciæ & inſigni niti fundamento in re medica, adeo ut illorum uſus æſtimandus merito ſit.

17. Cum autem natura optima ſit morborum medicatrix & vias monſtret, per quas duci inutilis humor debeat opportuniſſime, & medicina imitatrix naturæ ſemper ſit, hinc quoniam obſervamus naturam ſæpius ipſam ſternutationem efficere & colluviem humorum ſeroſorum per nares educere inſigni cum corporis levamine, ſicuti videmus in coryza: ita etiam arte procurare nonnunquam licebit talem expurgationem ſeri effœti, inutilis, copioſi, præſertim ſi corpora fuerint pituitoſa, ſi humores circa caput ſtagnant, gravitatem & dolorem preſſorium inducunt, & nares humidæ obſervantur. Maxime omnium autem tale excretionis genus moliri licet, ſi homines certis anni temporibus aſſueti fuerint ipſius naturæ vigore taliſmodi excretioni ſive profluvio ſeri per nares, quale quid ſi a cauſis variis cohibetur, non poteſt non magnam noxam toti corpori imprimis autem capiti inferre. Deinceps quando odoratus deperditus eſt ob nimiam humiditatem, circa hæc loca confluentem, utiliter etiam applicantur pulveres errhini, qui non modo exſiccandi, ſed & tonum fibrillarum nervearum roborandi facultate pollent. Siquidem notum eſt, uti omnes reliquos ſenſus, ſic etiam odoratum perfici in ſenſoriis, quæ membranas habent nerveas, tenſas, ſpiritu animali turgidas, ut tremulum & undulatorium motum, qui ad omnem perceptionem requiritur, externum objectum efficere atque imprimere poſſit. Quando itaque membranæ nimis ſunt relaxatæ & copioſo humido imbutæ, nulla odorum perceptio, ſicuti manifeſto patet in coryza, fieri poteſt; hanc autem humiditatem præter naturam congeſtam extergunt, abſumunt pulveres tabacini ſpeciebus & oleis cephalicis nervinis exaltati. Præterea per ipſas nares etiam oculi purgantur, dum ſeroſitates, ex oculorum glandulis plorantes, per punctum lacrymale in cantho oculi ſitum ſingularemque tubulum inter oſſeum, qui ad narium cavitatem tendit, ordinaria via deſcendunt, quemadmodum id apertiſſime videmus, dum lacrymas copioſas emittimus, quod magna humiditas ex oculis ad nares dilabatur. Quodſi itaque ſive in puerili ſive in ſenili ætate inque catarrhoſis ſubjectis tono glandularum ocularium nimis relaxato humiditates craſſæ, limoſæ, vel etiam ſalſæ, acres, copioſius in oculis influant, & non modo illorum ſerenitatem, ſed & viſus aciem turbant, tunc pulverum, quos in ſuperioribus laudavimus, moderatus uſus ſumme erit proficuus. Præterea & ipſa experientia teſtatur, in viſu abolito principio guttæ ſerenæ tales pulveres errhinos cephalicos, minus autem violenter ſternutationem moventes, hiſce adfectibus opitulari efficaciſſime, in ſpecie vero, quando incipiunt maculæ vel imagines minutæ inter cernendum ante oculos agitari, dicta remedia laudem merentur ampliſſimam. Confirmat hoc ſuo exemplo *Cl.* Bartholinus *in hiſt. anatom. cent.* 5. *obſervat. I. pag.* 50. Poſtquam enim aliquamdiu inter legendum potiſſimum aut ſcribendum maculis vexatus fuerat, tandem ptarmico frequenter naribus immiſſo liberatum ſe, Deo benedicente, refert. Remedium autem hoc eſt, *recipe tabaci optimi unciam unam, majoranæ uncias duas, euphraſiæ, ſeminis fœniculi ana drachmam unam, agarici trochiſcati ſcrupulum, aquæ fœniculi quant. ſuff. fiat pulvis ſubtiliſſimus.*

18. Commendamus etiam dictorum laudatiſſimorum pulverum uſum in aurium vitiis, quando nempe multæ ſeroſitates in capite collectæ ibi procumbunt & membranam tenuiſſimam nerveam, aurium labyrinthos obducentem, nimium humectant & relaxant. Tali in caſu ſerum vitiatum ibi hærens percommode mediantibus errhinis vel ſternutatoriis per ductus Euſtachianos, ex auribus ad palatum abeuntes, evacuatur. Quando coryza infeſtat homines & maximo natura molimine ibi ſordes pituitoſas deponere quærit, quibus ſarcinata eſt, non inutilis etiam erit horum remediorum uſus, opus tamen hic quadam circumſpectione, in principio enim quando ſerum eſt nimis fluxile, ſalſum & acre, & cum impetu fluit ad nares, abſtinendum ab hiſce eſt, major enim tunc adfluxus excitabitur, in declinatione autem, quando ſerum incipit fieri ſpiſſum & in craſſas lemas abire, quæ interiora ſinuum occupant, tunc noſtros pulveres adhibere ſumme proficuum erit. Addimus & hoc, quod errhina rite præparata & balſamicorum ac cephalicorum additione roborata, naſum a fœtore, a polypo, aliiſque concretionibus ſqualidis, nec non a malignis exulcerationibus præſervare poſſint. Compertum enim in praxi medica eſt, qua ratione ſerum malignis cauſticis ſalibus in graviori ſcorbuto vel lue venerea infectum, ad has partes procumbat, illaſque propter teneritudinem ſuam corrodat penituſque exedat, & fœdum ac incurabile vicus producat, quod hiſce remediis etiam poteſt averti, partim dum ejuſmodi ſeri maligni ulterior ſtaſis ac mora, qua ſemper majorem corroſivitatem induit, impeditur, partim etiam, quod balſamicis ſpeciebus putredo præcaveatur. Tandem etiam illud inſinuare hic licebit, ad memoriam & prudentiam hominis, quod quidem paradoxon videtur, conferre temperatum noſtrorum pulverum uſum. Quemadmodum enim cerebrum, nimia humiditate obſeſſum, plane ineptum eſt ad actiones ingenii & memoriæ exſequendas, dum idearum veſtigia difficili negotio in fibrillas ejus imprimi nec diutius detineri poſſunt &c. ita multo magis ſpiritus torpidi & ſegnes fiunt, quando ſanguis vehit ſerum exſuperans; unde exercitium judicii ac promtitudinis ad ratiocinandum, quod in ſpirituum debita agilitate conſiſtit, plane vacillat & imminuitur. Etenim non incongrue dictum a ſapientiſſimis veterum, cerebrum ſiccum eſſe ſapientiſſimum, & communi proverbio, prudentes emunctiores, ſive emunctæ naris homines ob eandem rationem ſalutantur. Ex quibus liquido conſtat, apud pituitoſos & illos, qui multum humidi generant, & cerebrum laxius ac mollius habent, ad actiones ingenii excitandas non minimam opem ferre & ſpondere pulverum talium exſiccantium & ſpiritus ſerenantium uſum. Et quamvis non immediate ex ipſo cerebro educatur ſuperflua ſeroſitas, e pituitaria tamen tunica, antequam ad ipſius cerebri interiora cum ſanguine adſcen-

adſcendit, illud ipſum contingit. Tandem curioſum eſt quoque quod WELSCHIUS *in ſyllog. curat. obſ.* 12. ſcribat podagricum ex conſilio Ulrici Ducis Wurtembergici intra ſingula decennia ſemen majoranæ cum origano naribus indita magnam muci & pituitæ copiam extraxiſſe, nec unquam podagram amplius ſenſiſſe.

19. Verum diſſertationis noſtræ filum ad horum remediorum nos ducit abuſum, qui latiſſime patet, tantus enim ille hodierno tempore eſt, ut vix quenquam videas, qui etiam moratioribus & prudentioribus accerſeri geſtit, qui ne minimo quidem temporis intervallo carere poſſit, taliſmodi pulverum inſpiratione, & non refertam hiſce pyxidem ſemper pera ſua circumferat, quo breviſſimis intervallis ſemper nares replet & aliis etiam urbanitatis cauſa offert. De tali autem perverſa conſuetudine nihil boni exſpectari poſſe facile quivis agnoſcet. Damnum autem, quod tales pulveres inferunt, differt maxime, prout ingredientia varia ſunt. Si enim ex vehementibus ſternutatoriis compoſiti fuerunt, & ita creberrime uſurpantur, non poſſunt non graviſſima mala inde ſequi. Hujus rei *Theodor.* KERCKRINGIUS *obſ. anatom. cap.* 2. flebile memorat exemplum cujuſdam ruſtici, quem intervectores navis Harlemo Amſtelodamum vehebant, quique circumforanei cujuſdam perſuaſu ejuſmodi pulveris periculum faciebat, quo tam vehementer ſternutare primum, deinde & tantum emittere ſanguinis per naſum cœpit, ut tanquam mortuus humi procumberet, ac portatus Amſtelodamum aliquamdiu ibi remanere neceſſe habuerit. Ita etiam guttam ſerenam ſternutatoriorum intempeſtivo uſu excitatam fuiſſe, ex obſervatione *Guilielm* FABRICII *Cent. I. obſ.*24. PLATERI *Lib. I. praxeos pag.* 239. cognitum habemus. Denique experientia teſtatur in capitis gravativo dolore, vel nimia gravedine ſternutatoria adhibita epilepſiam vel etiam apoplexiam excitaſſe. Videantur RHODII *analecta ad* SEPTALII librum *§.* 17. *pag.*229. it. NUMMANNUS *de Apoplexia cap.*46.

20. Noſter autem ſcopus præcipuus hic eſt, ut qualem noxam afferre poſſint tabaciaci hi pulveres improvide & continuo inſpirati videamus. Primum autem dicimus odoratum illos ipſos abolere poſſe. Sicuti enim nimia humiditas odorum perceptioni officit, ita etiam nimia ſiccitas membranarum nervique odoratorii odoratum tollere poteſt. Hinc SIMON PAULI *Tract. de abuſu tabaci ac Thee, periculoſum eſt*, ſcribit, *adſueſcere minutatim contriti tabaci uſui, quoniam ſæpe patuit, eos, qui eodem abundanter uſi ſunt odoris privatos fuiſſe tono.* Membranæ enim narium nimio horum uſu, præſertim in ſiccioribus ſubjectis, calleſcunt & duriores evadunt, ut nulla vellicatio amplius ſenſum efficere poſſit. Præterea dum indeſinenter ſic & exceſſive nares pulveribus hiſce vexantur, & capſulæ ſatis capaces de die evacuantur, continua ſic vellicatione facta, in ſubjectis pituitoſis & ſeroſis, præſertim ſi alvus non ſuum faciat officium, attrahuntur ad nares & copioſiſſimæ ſeroſitates, ut deinde conſuetam viam ibi facile affectent, & cerebri vaſa ac tunicas narium humore tali infarciant, unde & vocis claritas perit, dum narium meatus ſqualore turgidi anguſtiores facti fuerint, ut aer per naſum, quod neceſſarium tamen eſt, ad gratam & claram loquelam libere non poſſit tranſire; hinc dicitur *ſie reden durch die Naſe*, deinde & tanta ſeri copioſi taliſmodi colluvies circa caput collecta ad ſomnolentiam, torporem & comatoſos adfectus feneſtram aperire poteſt. Memorabilia ſunt bina exempla quæ JOSEPHUS LANZONUS in *Miſcellaneis Nat. Curioſ. Dec. I. an.* 2. *obſ.* 131. adducit, primum ſcil. de cive Ferrarienſi, qui ex nimia quantitate pulveris nicotiani aſſumta coma ſomnolentum contraxit tam potens, ut neque ab acclamantibus domeſticis, neque ab alio remedio expergiſci potuerit, ſed in cubili ſedens ſtupidus omnino ac immotus manſerit, donec tandem ſeptima die extinctus ſit. Alterum de quodam ſatellite eſt, ob continuam tabaci pulveris aſſumtionem, ex phrenitide miſere interemto. Notatu digna hoc loco etiam eſt hiſtoria, quam communicat WAGNERUS in *Miſcellaneis Nat. Curioſ. an.* 2. *obſ.* 26. nempe virum quendam litteratum ex abuſu pulveris ſternutatorii ex floribus liliorum convallium, majorana &c. confecti, aura inter aures abſcondita, ita commoviſſe membranam tympani, ut nimirum in aure dextra iſta dilatata aut diſrupta penitus auditum ex ea parte ſuſtulerit. Spectat huc egregius locus ex MERCURIALI *de aurium affectibus cap.* 4. *de ſternutatoriis niſi caput inquiſite purgatum ſit, nunquam adhibenda eſſe; quia maxime continuantur aures*; nam dum emunguntur nares, ſemper aures correſpondent: quod ſi caput fuerit repletum, ex hac concuſſione trahitur nova materia ad aures, & ita malum augetur.

21. Multo minus autem illis utiles ſunt talium pulverum attractiones, qui narium hæmorrhagiæ aſſueti ſunt, utpote hiſce non tantum ſanguinis largior fit profuſio, ſed natura etiam crebriores taliſmodi hæmorrhagias intendit. Tandem & illud adjiciendum eſt, detracto ſic in nimia quantitate ſero, per hoc emunctorium in cholericis & ſiccioribus deficit ejus, ubi tamen neceſſaria eſt, excretio in glandulis palatinis & ſalivalibus. Cum autem ſaliva ſecundum noſtram ſententiam genuinum ſit alimentorum ſolvens, quo ipſorum nexus intime diſcerpitur, hinc facile patet, ex ſalivæ defectu digeſtionis vigorem labefactari & ad generationem cruditatum cauſam ſuppeditari poſſe ampliſſimam. Nocent autem illis maxime, qui ebrii ſunt & vino ad ebrietatem uſque ſe obruerunt. præſertim ſi ſternutatoria valida hiſce pulveribus admixta fuerint. Ita THIERMAIRIUS *Lib.* 2. *c.* 9. *fol.* 133. ſe expertum, ait quendam potui valde deditum, crebris ſternutationibus valde commotis capitis humoribus, atque ipſo vehementer concuſſo cerebro, depreſſoque in apoplexiam incidiſſe. Poſtremo egregiam obſervationem de incommodis, quæ ſternutamentum ſecuta fuerunt, affert HILDANUS *Cent.* 4. *obſ.* 13. *nempe an.* 1611. *Juvenem quendam Rutgerum Gummersbachium, robuſtum optimo corporis habitu præditum, Coloniæ cognovit familiariter. Ille cum catarrho ad dentes defluente vexaretur, empirici & circumforanei conſilium auxiliumque implorat. Numerata pecunia curationem adgreditur, & nullo prius exhibito medicamento purgante, naribus pulverem ex radicibus, pipere, euphorbio, & ſimilibus calamo inſpirat, & bacillo ex utroque parte bifurcato inter dentes poſito, ſternutamenta provocat, & pituitam per os & nares extrahit & quidem copioſe. Sed qui ? fit ? eadem die ſubſequutus eſt tinnitus aurium moleſtus & doloroſus. Porro dolor iſte cum per ſe paulatim remiſiſſet & materia ad nares defluxiſſet, ichor emanare cœpit, atque per menſes aliquot inde effluxit. Tandem odoratus ita abolitus fuit, ut ab eo tempore ſive ſuaviſſimi, ſive ingratiſſimi odores fuerint, eos tamen percipere aut diſcernere potens non ſit.*

22. Coronidis loco etiam adjiciendæ ſunt quædam regulæ, horum pulverum uſum varie determinantes. I. Plethorici, alvo adſtricta laborantes, hypochondriaci ab effrænato eorum uſu abſtineant, item ſicciores, ſenes; illis autem commode uti poterunt pituitoſi. II. Noxius etiam eorum eſt uſus ſtatim a cibo, hinc conſultius eſt, ſi homo jejunus illis utatur. III. Abſtinendum etiam ab hiſce pulveribus in oculorum defluxionibus calidis, ne major concitetur defluxio, item ubi nares hæmorrhagia tentantur, quia magis irritat: neque locus eſt illorum, ubi in naribus exiſtit ulcus. IV. Quibus hic pulvis inadſuetus & caput

caput plurimo humore grave eſt, tunc facile ſternutationem concitat, & ſic motu humorum importuno ad caput gravem inducit deſtillationem. V. Si ſternutatio crebra & frequens oritur, loco auxilii poteſt eſſe firma compreſſio narium circa angulos oculorum, protinus enim hoc pacto impeditur ſternutatio & ratio eſt, non quod deſcenſus lymphæ lacrymalis ad nares inhibeatur, ſicuti nonnullis placet, ſed quod ramus nervi quintæ conjugationis, qui abit ad nares, per rimam orbitæ oculi prius egrediatur, & poſtea per os orbitæ interius, per ſinus ethmoideos & oſſa cribriformia demum redeat ad nares. Hic ſi comprimitur, influxus ſpirituum, qui expanſivum elaſticum hunc motum efficiunt, quodammodo impeditur. Sed hæc de uſu & abuſu horum pulverum jam ſufficiant.

DISSERTATIO DE MIRABILI SULPHURIS ANTIMONII FIXATI EFFICACIA IN MEDICINA.

Primùm edita anno 1699.

§. I.

POSTQUAM in rebus medicis & chymicis philoſophiæ ſeu mavis rationis ſtudium liberius & rectius hactenus agitari & excoli cœpit, atque illa ipſa, quæ facti & experientiæ ſunt, ad ſolidiorum principiorum normam & rationem ponderata atque æſtimata fuerunt, ſplendidior ex tenebris quaſi ſurrexit medicinæ facies, dum in hac veritates complures abſconditæ detectæ, innumeri errores monſtrati, via medendi brevior & concinnior inventa, & præſidia vincendis etiam graviſſimis morbis idonea excogitata fuerunt. Enim vero quodſi ad priſca tempora animum advertimus, quanta remediorum maximam partem languidorum diffuſorum perverſæque compoſitionis ſylva in illorum libris deprehenditur, quæ noſtro tempore, ubi ingenium morborum quaſi mutatum ipſorumque contumacia adaucta neutiquam ſufficientia obſervantur. Quam præſtantibus autem nec non concentratis & virtute valentiſſimis ex mineralium familia petitis claret & inſtructa jam eſt ars noſtra ſalutaris. Equidem in ea non ſum ſententia, medicamina ejuſmodi activiora ac chymica in domandis morbis tantum eſſe arceſcenda, ſed potius neceſſaria ad felicem ſanationem tam Galenica ſic dicta leniora eſſe quam exaltata, activiora & ad minimam molem redacta chymica, firmiter ſtatuo & urgeo, confirmante id uſu & experientia; qua edocemur utraque, prout morbi ſit conditio, vel ægrotantis vires ac robur exigunt, eximium in medendo præſtare effectum, modo illa ipſa ſeligere prudenter, & morbis recte opponere noverit Medicus. Attamen non inficiandum eſt, ſi medentis ratio & ars aliquid eximii in ſanandis morbis præſertim refractariis efficit vel contribuit, neque medicatio tantum naturæ opus eſt, profecto illud ipſum medicamentis activioribus, magna vi & virtute motus inſtructis, expedire poſſe & debere.

2. Eminentiora autem ea ſunt chymica, quæ ex familia mineralium ducuntur atque derivantur; hæc enim viva animata & ſpiritu minerali tenuiſſimo, puriſſimo, non deſtructibili fœta atque imbuta ſunt. Ex omnibus autem iis, ſi ullum efficacia & vi rebellibus etiam morbis reſiſtendi eſt armatum, certe eſt ipſum ſtibium, quod ex duplici activiſſima ſubſtantia, mercuriali & ſulphurea altera compoſitum eſt, & hinc merito Chymicorum deliciæ & divinum minerale dicitur. Multa ex eo in chymicorum libris parata, nec non pharmacopoliis præſtantiſſima & expertiſſimæ virtutis medicamina, quæ artem noſtram exercentibus ſunt notiſſima, proſtant. Cum autem experientia, qua indies docemur, & altius provehitur res medica, compertum ac confirmatum habeamus, quoddam remedii genus, ex ipſo hoc minerali peculiari artificio paratum minuſque notum, quod titulo ſulphuris antimonialis fixati gaudet, illudque non modo nobis, ſed ampliſſimis Archiatris, & peritiſſimis Medicis ac Chymicis hactenus per aliquot annos repetitis vicibus mirabilem atque divinam in morborum ſanatione præſtitit opem atque auxilium, quod vix ac ne vix quidem ab aliis expectandum; ideo apud animum conſtitui, in præſenti ea, quæ circa efficaciam hujus remedii, naturam modumque operandi obſervavi & meditatus ſum, brevi, utiliſſimo tamen labore, communicare.

3. Ut autem eo melius naturam ac indolem agendique modum ac efficaciam hujus remedii expiſcemur, opus erit ante exponere, quænam principia & elementa antimonium, medicinæ noſtræ parens in ſe contineat ac complectatur. Ubi tamen primo loco tenendum, illud ex duplici ſubſtantia, altera ſulphurea phlogiſta, minerali, & altera mercuriali, metallica regulina eſſe compoſitum atque conflatum. Quod primum in eo contineatur principium ſulphureum, hoc ipſum variis ſeſe modis ſiſtit atque ſenſibus noſtris exhibet. Quando enim antimonium crudum ſive ſolaribus radiis, ſive igne carbonum calcinatur, vapor quidam tenuis, ſulphur perfectum redolens in auras excutitur, qui quoque tenebricoſo loco, fortiori ignis gradu admoto, inflammatus viſitur. Dein ſulphur ex antimonio, ſalva ſua textura ac craſi mediante mercurio extrahi poteſt: hic enim cum ſalibus corroſivus factus, & cum antimonio crudo

crudo mixtus igniſque vehementia deſtillatus, corpus ſtabile rutilantis coloris, cui nomen cinnabaris competit, producit, dum ipſe mercurius ſulphur antimonii, relicta regulina ſubſtantia, ſeparat, inque amplexus ſuos amicos accipit & ſecum in altum evehit.

4. Ex cinnabari autem hoc ſulphur purum ſequenti encheireſi ſeparatur: una pars cinnabaris antimonii cum æquali portione limaturæ martis miſcetur, & ex vitrea retorta, igne ſubminiſtrato ſufficiente, mercurius deſtillatur. In ipſa retorta ſulphur antimonii cum limatura martis intimæ nexum remanet, quod ſi ſeparaveris, concretum hoc in ſpiritus vitrioli quantitatem ſufficientem injicitur; ita hic martem in vitriolum ſolvit, relicto antimoniali ſulphure intacto, in quod nullum jus habet acidum. Alii oleum vitrioli cum antimonio miſcendo & deſtillando, ſulphureum inflammabile crama proliciunt. Nonnulli ſpiritum ſalis fumantem antimonio adjiciunt, & ſic ab ipſo ſulphur inflammabile ſeparant. Vulgari methodo alcalia ſalia fixa cum antimonio fuſa promtiſſime ejus ſulphur imbibunt & ſeparant, ſeque ita arcte invicem jungunt, ut non niſi diverſæ naturæ liquido ex amplexu & tricis ſalium explicari & disjungi queat. Tam penetrantem ego poſſideo liquorem, qui ſimulac crudo pulveriſato antimonio adfunditur, protinus, nullo præcedente calore, in ipſum agit, & ſubſtantiam ſulphuream flaveſcentem, aurum rutilanti, argentum primum aureo, poſtea bruno colore inficientem ſeparat.

5. Mercurialis in antimonio contenta ſubſtantia in ejus regulis deprehenditur, ſive cum ſalibus varii generis alcalinis, ſive cum carbonibus vel metallis ſulphur ſaturantibus fuerint præparati. Mercurialis hic regulus naturæ eſt: ſicuti enim mercurius metalla, ſi cum ipſis miſcetur, friabilia & fragilia reddit, auroque pallidum inducit colorem; ita ſimili ratione regulus metallis immixtus ipſa in partes frangibilia reddit, & ſplendorem auro aufert. Porro ſicuti mercurius vim habet ſalivam in copia ex corpore provocandi; ita etiam regulus, cum duabus nitri partibus converſus, in pulverem album, qui ceruſſæ nomine venit, ſæpiuſcule ſalivæ fluxum excitaſſe obſervatus fuit; præſertim ſi in inſigni quantitate & repetitis per aliquot ſeptimanas vicibus fuerit oblatus. Unde etiam ſtomachicum *Poterii*, materia perlata *Krugneri* virtutem ſuam medicamentoſam mutuantur. Tacemus, ipſum regulum, præcedente debita reſolutione & conſermentatione cum ſalibus invicem pugnantibus, arduo licet labore, in mercurium currentem converti poſſe.

6. Poſtquam itaque elementa & ingredientia antimonii perluſtravimus, operæ jam erit pretium diſpicere, cujus indolis ac naturæ ſit illud ipſum ſulphur, quod in antimonio deliteſcit, utrum nimirum peculiare plane & diſtinctum ſit a ſulphure minerali communi, an potius ejuſdem cum ipſo naturæ. Non poſſumus autem non hoc loco generatim noſtram profiteri ſententiam, quæ hæc eſt: unum tantum ſulphur in regno minerali datur, uti unum ſal volatile in animali & unum ſpiritum phlogiſton in vegetabili deprehendimus; differentia autem in aliarum particularum heterogenearum admixtione conſiſtit, quæ ſi fuerint ſeparatæ, unius ejuſdemque naturæ ac indolis eſt ſulphur in regno minerali, & ſal volatile in animali, & ſpiritus inflammabilis in vegetabilibus. Quocirca in antimonio non aliud agnoſcimus ſulphur, quam vulgare: quod noſtrum adſertum inter alia ex eo evincimus, quoniam ſulphur commune anatica portione cum antimonii regulo per fuſionem antimonium ſpecie, colore, natura, effectu unum idemque regenerat. Ulterius ex eo quoque pateſcit, quia ex nitro fixo & ſulphure in antimonio exiſtente inflammabili, quando antimonium diaphoreticum conficitur, una producitur ſal amaricantis ſaporis, figuræ ſexangularis, arcano duplicato vel ſali polychreſto per omnia ſimile. Notum autem eſt, illud ipſum ex ſulphuris mineralis acido & ſale fixo nitroſo parari. Ut ſilentio jam prætermittamus, ſulphur antimonii cum mercurio commixtum in cinnabarim converti poſſe, non ſecus ac mercurius cum ſulphure vulgari decenter permixtus ſublimatione in cinnabarim pulcherrimi coloris tranſit.

7. Equidem non ſum neſcius, hic quaſdam obſtare difficultates atque dubia, quibus ſententia noſtra poſſit oppugnari, dum nempe ſulphur, quod ex lixivio antimonii præcipitatur, colore & virtute a ſulphure vulgari longiſſime ſit diſtinctum, cum hoc ſecuriſſimum uſu interno diaphoreticum & roborans ſit remedium, illud autem draſtica vi emeticum & purgans, rubroque colore ſplendeat. Addunt, quod ſulphur antimonii ſingulari polleat virtute aurum depurandi, ipſique rutilantem egregium conciliandi colorem. Verum enim vero, ad hæc paucis reſpondemus. Sulphur illud, quod ex antimonio, mediantibus ſalibus alcalicis, extrahitur, utique non purum, ſed regulinis atomis, a quibus vehemens illa vis aureuſque color proficiſcitur, adhuc imbutum eſt. Etenim ſalia lixivioſa non tantum in ſulphura, in mineralibus exiſtentia agunt, illaque ſeparant, ſed una cum ſulphureis mercuriales metallicas, arſenicales, ſulphuri ipſi intime innexas, particulas imbibunt atque adgrediuntur. Arctiſſima enim unio & firmiſſimum partium ſulphurearum cum minutiis mercurialibus metallicis eſt connubium, adeo ut a ſe invicem ægerrime disjungantur.

8. Ita videmus & notorium quoque eſt docimaſticis & minerarum excoctoribus, quomodo ſulphur in tractatione & calcinatione minerarum plumbeo argentearum vel mixturæ ex ſulphure & argento compoſitæ igne ſimul auferat, in altum arripiat & portionem ipſius ſaturni & argenti deprædet. Mirifice enim amat ſulphur mercurialem metalli ſubſtantiam, uti in cinnabaris compoſitione videmus, ubi utraque firmiſſime ſibi juncta ſunt, nec facile a ſe invicem iterum disjungi poſſunt. Ita curioſum eſt, nullo lixivio ſeparari poſſe ſulphur a cinnabari vel fortiſſima accedente coctione. Quando autem cinnabari antimonii regulus ejus admiſcetur & debito igne ſubminiſtrato ex retorta fiat ſublimatio, tunc reſuſcitatus mercurius vivus prodit, & ſulphur cinnabaris cum antimonii regulo intime junctum, antimonium regeneratum in retorta exhibet. Memorabile porro eſt, arſenicum cryſtallinum mixtum & fuſum cum partibus duabus ſulphuris communis tale efficere concretum, quod lixivio etiam penetrantiſſimo coctum difficillime, vel potius plane non ſolvitur; cum tamen ſulphur per ſe facili negotio, uti in præparatione lactis ſulphuris patet, a tali lixivio ſolvatur & imbibatur, non aliam ob cauſam, quam quod arſenicales particulæ intime cum ſulphureis coiverint, ut ex ambabus nova craſis & textura corporis fuerit enata.

9. Ex hactenus dictis facile poterit concludi, ſulphur antimonii purum difficillime acquiri, ſed ſemper infectum eſſe regulinæ ſubſtantiæ partibus, maxime ſi cum ſalibus alcalibus fiat extractio. Salia enim alcalia cum ſulphure communi mixta & fuſa in hepar ſulphuris abeunt, & poſtea, anatica portione mixta cum regulo antimonii igneque liquata, totaliter illum deſtruunt ipſumque vertunt in crocum, ablata nitida ac ſplendida metallica ſubſtantia, ut dein ſulphur ex lixivio tali præcipitatum non amplius albi coloris, uti magiſterium ſeu lac ſulphuris, non diaphoreticæ virtutis, ſed coloris rubicundi, ut ſulphur auratum & virtutis vehementer emeticæ exiſtat. Idem evenit, quando antimo-

antimonium regeneratum ex ſulphure communi & regulo antimonii cum ſalibus lixivioſis colliquatur & poſtea præcipitatur. Longe itaque felicius ſulphur antimonii a regulina ſubſtantia mediante marte ſeparatur, qui tantum ſulphur aggreditur, in fundum regulina ſubſtantia ſecedente. Et exinde jam fluit ratio, quare in longe majori copia regulus acquiratur, ſi antimonium cum marte tractetur, ac ſi cum ſalibus lixivioſis præparetur, uti in confectione reguli antimonii vulgaris patet, ubi ſalia alcalia una cum ſulphure ſimul partes regulinas abripiunt.

10. Alterum quod concernit dubium, ſulphur nimirum depurare ſingulari modo aurum, adeoque in eo differre a ſulphure minerali, ad hoc reſpondemus: neque ſulphur antimonii, neque vulgare aut ullum aliud ingreſſum habere in auri ſtrictiſſimum corpus, tantum quod ſuperficialiter, æque antimonii ſulphur ac vulgare, ſi cum tartaro atque ſale communi fiat auri coctio, illud rutilante tingat colore. Antimonium autem fuſum cum auro, quod cum argento vel aliis metallis mixtum colorem ſuum flammeum amiſit, priſtinum ipſi reſtituit colorem, non quod aliquid ſulphuris addat, ſed quod metalla heterogenea ſulphure hoc ab auro ſeparentur, inque ſcorias reducantur, & ſic aurum una cum regulinis partibus in fundum decidat. Huic quando additur ſufficiens quantitas nitri, regulum in calcem vertentis, aurum ſiſtitur ſplendidum finiſſimum. Similem obtinebis effectum, ſi antimonium artificiale, quod ſulphur commune ingreditur, ad talem auri depurandi modum adſumſeris.

11. Cum itaque in ſuperioribus ſufficienter deductum eſſe exiſtimem, in antimonio quidem ſulphur minerale latitare, vulgari quoad omnia analogum; at vero illud, quod mediantibus ſalibus alcalinis extractum & præcipitatum eſt, de mercuriali regulina ſubſtantia adhuc participare, & ratione hujus virtutem longe diverſiſſimam præ ſulphure communi poſſidere: operæ jam erit pretium, varias hujus ſulphuris antimonii extractiones recenſere, ut dein eo melius appareat, quænam ſint optimæ & ad uſum medicum aptiſſimæ: ubi dein facile innoteſcet, quid de noſtro ſulphure ejuſque efficacia ſit ſtatuendum. Vulgatiſſima ſulphur ex antimonio extrahendi via eſt, quando ipſum cum æquali portione pulveris nigri vulgo *ſchwartzer Fluſs*, vel ſale tartari aut cineribus clavellatis permixtum in crucibulo fluat, quo ipſo in ſubſtantiam flavam ſalino-ſulphuream redigitur, quæ decoctione in aqua per ſolutionem largitur lixivium, cui ſi inſpergitur acetum deſtillatum vel acidum quodvis vegetabile, in fundum tetro fœtore pulvis copioſus aurei coloris ſecedit, qui repetita affuſione aquæ pluvialis probe elotus illud præbet medicamentum, quod ſulphuris aurati nomine venit, quod vel ſolum vel melioris ſucceſſus ergo cum tartareis mixtum & vomitionem & ſeceſſum ſatis efficaciter movet.

12. Ejuſdem quoque efficaciæ prodit ſulphur, ſi cum ſolutione ſalis ammoniaci præcipitatio inſtituatur, dum nimirum lixivioſum cum hujus acido congreditur, & ſulphur in poris hærens inde dejicitur. Præcipitatum rubicundo colore magis exaltatum acquiritur, cum ſal volatile, quod in mixtura utriuſque ſalis exſurgit, colorem ſulphureum dum in minimas diſcerpit partes, egregie adauget; & quod notabile, pulvis hic præ communi ſulphure aurato magis adhuc eſt emeticus. Vehemens autem hæc virtus ab efferveſcentia & mutua reactione videtur proficiſci, quam ſal acidum cum alcali confuſum excitat, ſub qua æther vehementer motus non tantummodo particulas ſulphureas valde rarefacit, dividit & in talem vaporem vertit, verum etiam ipſas regulinas, ſub contextu anfractuoſo ſulphuris latitantes extrahit & ſeparat, ut dein acidum cum hiſce junctum arſenicale, i. e. mercuriale volatile ſalinum quoddam crama producat. Attentionem enim meretur, lixivium ſcoriarum reguli antimonii vulgaris leni evaporatione incoctum ſal ſulphureum alcalinum præbere, quod virtutem diaphoreticam & aperitivam omnis vehementiæ expertem exſerit, quoniam nullo acido correctum eſt. Circa ejus tamen uſum cavendum, ne cum vehiculo vel corpori exhibeatur, cujus primæ viæ acido exſuperante ſcateant.

13. Quocirca optima ratione perſpicaciſſimi quidam Chymicorum a longo retro tempore in eo magnam collocarunt operam atque ſtudium, ut ſine ullo prævio conflictu vel efferveſcentiæ actu, & præſertim ſine acidi acceſſu ſulphur a ſale ſuo lixivioſo liberetur, confiſi, tunc omnem draſticam virulentam vim eſſe exſpiraturam, & moderatum, ſecurum, diaphoreticum & reſolvens nobile inde emerſurum. Hunc in finem jam ipſe GLAUBERUS, vir magnæ in chymicis peritiæ ac famæ, ſulphuris hujus præcipitationem cum ſolutione tartari, ceu minori & mitiori acido adornat, & ſulphur inde obſcure rubicundum, quod titulo *panaceæ* in ſcriptis ſuis venditat, acquirit: cujus uſum non ſatis in ſanandis morbis rebellibus, chronicis, impuritate lymphæ ex veteri glandularum & emunctoriorum obſtructione pronata corrigenda, exulcerationibus conſolidandis, tumoribus partium diſſipandis, & quidem in exigua doſi repetitis vicibus propinando, non ſatis dilaudare poteſt. Videatur ejus *Pharmacia Spagyrica*. Curioſum eſt, quod ceu magnum experimentum illud commendet ad variolas arcendas & corpus ab ipſis præſervandum: id quod experientia ſeptem infantum confirmat vid. l. cit. pag. 27.

14. Idem remedium in uſum traxit & celeberrimum, magnum & nobiliſſimum illud archiatrorum Conerdingiani nominis par, ut illud ſulphur in pharmacopoliis Brunsvicenſibus & tractus Weſtphalici ferme omnibus *panaceæ Conerdingianæ* nomine magno venditatur lucro. Hoc jam dictum remedium a peritiſſimis iſtis Archiatris non modo in periculoſiſſimis acutis, verum etiam in refractariis diuturnis morbis uſitatum eſt; cujus utendi modus in eo conſiſtit: miſcent v. g. grani partem dimidiam hujus panaceæ cum pulvere bezoardico Sennerti vel Anglicano, & in principio variolarum, morbillorum, purpuræ, febrium petechialium, dyſenteriæ illud repetitis vicibus propinant; ſuccedit exinde ſudor optatus, præcordiorum anxietates maxime remittunt, & peropportuna exanthematum ad corporis habitum fit propulſio. Interdum etiam non ſine damno ſalivæ fluxum irritat. In intermittentibus febribus inque morbis, qui a ſeri coagulo, copia & infarctu proficiſci ſolent, idem remedium paullo majori doſi datum & cum ſalibus fixis, nitroſis, vel etiam cinnabarinis, martialibus junctum, divinam præſtat opem. In lippitudine oculorum moleſtiſſima cum unguis & panni metu, in artuum doloribus ſcorbuticis demulcendis, idem ſulphur exiliſſima doſi reſolvendo & acrimoniam ſeri demulcendo, ſuppetias tulit optatiſſimas, teſte clariſſimo SCHRADERO in diſſertatione *de medicamentorum Galenicorum & chymicorum neceſſitate.* Memini me quondam hic loci verbi divini miniſtrum hujus medicamenti efficacia & veronicæ infuſo reſtituiſſe, qui ſcabie maligna inſtar lepræ in artubus laboravit, quos ſimul duri glandularum tumores in cute inſtar globorum hærentes occupabant. Cum autem jam laudatum remedium non plane draſticæ virtutis expers ſit, ſed in majori doſi ad grana ſex vel octo adhibitum præſertim cum cremore tartari feliciſſime vomitum ſuſcitet, hinc caute cum illo mercandum eſſe in debilitatis, ubi vires fractæ ac concuſſæ ſunt.

15. Alii

15. Alii inter quos acris judicii & eruditionis conſummatæ ETTMULLERUS referendus eſt, purius & nobilius ſulphur ex antimonio elicere hoc modo tentarunt. Lixivium nimirum illud, ex quo jam ſemel & bis mediante acido præcipitatum fuit ſulphur, denuo miſcuerunt cum acido penetrantiori, ſpiritu nempe vitrioli, & ita ſulphur, quamvis parciſſimum, purius tamen & nobilioris effectus obtinuerunt, quod ceu eximium diaphoreticum, ſpecificum in epileſia præſertim infantili, adfectibus ſpaſmodicis, venereis, & quavis lymphæ ac ſanguinis pravitate mirifice extollunt laudibus. Neque res eſt plane de nihilo; hoc enim pacto ſulphur levius & ſubtilius obtinetur, craſſum vero, gravius & regulinum præcipitationibus in fundum dejicitur; levius autem ac ſubtilius interſtitiis liquidi adhuc innexum, ſpiritu vitrioli demum præcipitatur. Ubi notandum, quod hic ipſe magis facultatem habeat arſenicales mercuriales partes figendi, quam motu ſuo volatiliſandi, ſicuti ſpiritus ſalis & nitri efficitur: utpote ſpiritus vitrioli non agit in regulum, ipſumque ſolvit, quemadmodum aqua regis, vel ſpiritus nitri aut ſalis præſtat. Quoniam autem illud ipſum neque in magna quantitate parabile eſt, neque etiam plane deſtitutum arſenicali volatilitate, cum fuſione albicantes in aerem emittat vapores; merito nobilius deſiderandum.

16. Jam ad alias hujus ſulphuris extractiones progredimur. Sic quondam aqua fontana, nullo accedente alio liquore, ipſum ſulphur copioſiſſimum ex ſcoriis reguli antimonii ſimplicis ſeparavi, quod probe elutriatum & exſiccatum non amplius vomitum, ſed diaphoreſin egregie excitavit, miſcui hoc ipſum cum anatica portione auri fulminantis exactiſſimo tritu, quod arſenicalem virulentiam egregie in mineralibus cicurare conſueſcit, & hocce remedium efficaciſſimum in morbis chronicis vincendis judico, quod tamen ulteriori experientiæ relinquo. Hic autem non poſſumus ſilentio præterire ſublimatum quoddam ex vitro antimonii, mediante ſale ammoniaco per debitum ignis gradum factum & edulcoratum, quod tinctura antimonii ſicca Grammanni vocatur, cujus meminit HOFFMANNUS *in Clav.* SCHROEDER. *pag.* 3. *II.* quam graſſantibus febribus malignis in continuo auctor habuit uſu, nec non in mania, melancholia, quartana ceu arcanum adhibuit: doſis præſcribitur a granis duobus ad tria vel quatuor, ſed ultra ad ſcrupulum ſemis extendi poteſt, nec alvum movet, nec vomitum ciet, ſed ſaltim diaphoreticam vim obtinet. Tota autem encheireſis in ignis regimine, quod moderatum eſſe debet, & vaſis ſublimatorii humilitate conſiſtit, alias flores iſti fiunt purgantes. Aſcendit hac ratione tantum ſulphurea antimonii portio, relicta regulina virulenta, ceu graviori in fundo: ab arſenicali tamen contagio ſulphur hoc plane non immune eſſe exiſtimo. Cum igitur in noſtro remedio hoc ipſum ſit fixatum ceu ſecurius illud anteferendum eſſe adfirmo.

17. Nunc ad examen ſulphuris nobiliſſimi antimonialis devolvimur, cujus VIGANI in *chymia pag.* 50. mentionem injicit. Ex nitro nimirum, tartaro, ſale communi & antimonio conficitur regulus, ex cujus ſeparata ſcoria & diſſoluta in fortiſſimo lixivio calcis vivæ, præcipitatione nobiliſſimum ſulphur antimonii acquiritur, odoris gratiſſimi & ſaporis, febres ardentes unica doſi profligans, ſudorem & urinam movendo, quod remedium etiam in doloribus gallicis ſumme proficuum laudat. De hoc ſulphure noſtrum hoc eſt judicium: ipſum eſſe præſtantiſſimum, modo non ſub præcipitatione tale quid confundatur, quod arſenicalem vim exaltet atque exſuſcitet. Ex noſtra præterea inventione non inelegans ſulphur antimonii martiale medicamentoſæ virtutis egregiæ ſequenti ratione: ſcilicet lixivium ſcoriarum reguli antimonii ſimplicis præcipitatur cum ſolutione vitrioli martis; ita in momento color exſurgit atramentoſus, & pulvis in fundum ejuſdem coloris ſecedit; utpote, coeuntibus acidi vitrioli partibus cum ſale lixivioſo hac ratione non tantum ex lixivio antimoniali particulæ ſulphureæ, ſed ex ſolutione vitrioli martiales ſulphureo-terreæ præcipitantur, ut adeo pulvis hic martialis & antimonialis ſit proſapiæ, qui bene elotus & deſuper ſpiritu vini accenſo correctus, virtutem cuſtodit non contemnendam in expediendis graviſſimis obſtructionibus, & excretionibus ſudoris & urinæ promovendis; unde ejus uſus in cachexia, hydrope, hæmorrhagiis, intermittentibus &c. laudatur.

18. Accedimus jam ad medicamentum, quod ſulphur antimonii fixatum eſt, uſu ſecuriſſimum. Sumitur nempe antimonium crudum vel ejus minera Hungarica, aut regulus antimonii medicinalis, in quo ſulphur magis recluſum & extraverſum eſt, miſcetur cum liquido penetrantiſſimo, non tamen pure lixivioſo, & ita ſubſtantia ſulphurea diſſolvitur, quæ etiam ſingulari encheireſi, nullo alio interveniente liquore heterogeneo, multo minus acido, in fundum dejicitur, ubi pulvis coloris obſcure rubicundi apparet, qui aqua puriſſima elotus, & exſiccatus medicamentum noſtrum eſt deſideratum. Injectum hoc carbonibus ignitis, vel crucibulo nullum vaporem tetrum arſenicalem vel ſulphureum emittit, neque invicem coit aut in maſſam funditur, ſicuti hactenus omnia fere recenſita faciunt, ſed manet fixiſſimum ſine ulla ponderis imminutione, tantum quod color tantummodo evadat brunior. Tandem autem ſubminiſtrato extremo ignis gradu, ſive igne vitrificatorio, qualis eſt, qui ex ſolis radiis collectis in vitro prægrandi cauſtico naſcitur, inſtar croci martis vel hæmatitis in maſſam ferro fuſo ſimilem, in auram elevatis vaporibus colore albis, odore ſulphureis, colliquatur.

19. Quod vires hujus ſulphuris fixati attinet, non poſſum non hic propria & aliorum exercitatiſſimorum practicorum experientia confirmatus adfirmare, illud ipſum in chronicis rebellibus, in acutis periculoſis auxilium ferre maximum. Primum ejus uſum vidi & didici ex viri litteraturæ quidem experte, aſt in rebus & operationibus chymicis ac experimentis etiam practicis ad invidiam multorum verſatiſſimo, qui in febribus acutis petechialibus, variolis, nec non intermittentibus contumaciſſimis fauſtiſſimo eventu, ubi omnia alia, etiam generoſiſſima fuerunt adhibita, propinavit, & quidem ſub duorum vel trium granorum doſi effectum edidit diaphoreticum; quandoque etiam tantum per inſenſibilem evaporationem peccantem cauſam exterminavit. Et quod attentionem meretur, deprehendi in aliquot ſubjectis, imo in me ipſo ſum expertus, ſudorem ab adſumto hoc medicamento per triduum duraſſe, ita ut hora certa ac ſtata tempore matutino, ubi primum ipſe ſudor cœpit, magno cum naturæ levamine fuerit reverſus. Poſtea ego ipſe in artis exercitio multoties ejus uſum vidi mirabilem in profligandis malignis petechialibus febribus, in morbis arthriticis, contracturis artuum ſcorbuticis, lymphæ impuritatibus ſcabioſorum, ubi in contractura laborantibus notavi, quod prima vice ſudor ex partibus adfectis non profluxerit, ſed tantum ex ſanis, donec continuatum præſidium, recluſis viis obſtructis ſimilem effectum in morboſis etiam præſtiterit partibus.

20. In medicamento dicto duo præcipua veniunt notanda & expendenda: primum eſt ejus mirabilis fixitas, alterum cum fixitate perſiſtens efficacia ſumma medicamentoſa tam in corrigendis, quam in commovendis humoribus. Ut autem de fixitate ejus primo loco faciam verba, vero ſimillimum eſſe judico, illam ipſam

ipſam mechanice fieri, & dependere a particularum varia ſtructura connexione & implicatione. Fixum dicitur corpus, quando ignis vi ejus particulæ minimæ non poſſunt ſeparari & in auras ejici. Notum autem eſt, omne ſulphur ex mineralibus, nec non omnem mercurialem & arſenicalem ſubſtantiam igni non adeo forti obſecundare & abire in fumum; quod autem in noſtro remedio illud non fiat, hujus inquirendæ cauſæ ſunt. Principalem autem credimus particularum mutuam implicationem atque implexum talem, quem ignis motu etiamſi vehementi inteſtino divellere & diſſolvere neutiquam valet. Placet itaque proponere quædam exempla ex Chymicis, ubi ex mutua mixtura partium, quæ per ſe ignem non ferebant, ſubnata fuerit ſatis conſtans fixitas. Ita memorabile eſt, ſpiritum vitrioli ſumme ſulphureum volatilem ſale tartari ſaturatum cedere in ſal neutrum, quod in igne fixiſſimum eſt, ubi tamen, quando admiſcetur, vel ſpiritus ſalis vel vitrioli, ſtatim reſuſcitatur priſtinus ſulphureus odor. Eadem ratione, ſpiritus nitri fumoſus fugaciſſimus commixtus cum nitro fixo vel ſale tartari tranſit in verum nitrum inflammabile, quod validiſſimo igne fuſum in crucibulo non avolat, ſed perſiſtit, ſimul ac autem affunditur ipſi oleum vitrioli in momento prodit ſpiritus nitri volatiſſimus, ſub vapore flammeo, & odore gravi, præſertim ſi accedit lenis calor. Ita quoque obſervatione digniſſimum eſt experimentum, quo ſalis in igne fixiſſimi natura oſtenditur: nimirum ex urina recenter evaporata & inſpiſſata paratur per cryſtalliſationem ſal mediæ naturæ, quod igne commiſſum exhalat ſpiritum urinoſum, remanet autem ſal, neutro analogum, quod neque cum ſale acido, neque alcali efferveſcit, in igne autem vehementiſſimo & penetrantiſſimo, qualis eſt ſolaris per vitrum convexum duorum pedum diametri concentratus, manet fixiſſimum & pellucidum; cum e contrario omnia ſalia media, uti ſal commune, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſal ammoniacum promtiſſime avolent in auras, ne particula quidem relicta. Interim curioſum eſt, hoc ſal urinæ fixiſſimum, ex ſpiritu ſalis acido neceſſario compoſitum eſſe debere, quoniam, ſi injicitur aquæ forti, vel ſpiritu nitri, efficit aquam regiam, compactum & denſiſſimum auri corpus ſolventem. Ex quibus patet, corpora volatilia ob mixturam & implicationem ad fixitatis ſummæ gradum perduci poſſe.

21. Quomodo autem ſulphur, quod naturæ eſt admodum in igne fugacis & diſſipabilis, fixum & ignis patiens detineri poſſit, ex ſequentibus illuceſcet experimentis. Nimirum plumbum ſi æquali parte miſceatur cum ſulphure & hæc invicem mixta injiciantur in crucibulum bene lutatum, plumbum, quod alias facillimæ etiam ante ignitionem fuſionis eſt, ab admixto ſulphure vehementiſſimum ignis gradum ſuſtinet, antequam colliqueſcat. Quodſi autem addatur limatura martis, pulvis carbonum vel aliquid nitri, fuſio mox promovetur. Mercurius metallorum fluidum & volatiliſſimum ad magnum fixitatis gradum redigi poteſt, ſi nempe mixtura fiat ex mercurii triplo, ſulphuris parte una & ſalis armoniaci parte una, hæc invicem probe in mortario lapideo vel vitreo triturata indantur phiolæ vitreæ & aliquot vicibus inſtituatur ſublimatio, ita tandem mercurius in fundo reſiduus, ponderoſus purpurei coloris inſtar adeo fixus evadit, ut diu ignis violentiam perpeti queat, & vitrum citius colliquetur, quam mercurius in altum evehatur.

22. Adduximus hactenus varia fixitatis exempla, cum in finem, ut appareat, ex mutuo nexu & implicatione corpuſculorum per ſe non fixorum inſignem firmitatem & in igne conſtantiam obtineri poſſe, unde etiam non tanta animum ſubire debet miratio, quando ſulphur noſtrum, quod per ſe ignis eſt impatientiſſimum, propter ſubtilem ſalino-æthercam ſubſtantiam quæ illud ingreditur, ad maximum fixitatis gradum perductum fuit. Non poſſumus enim non hoc loco confiteri, corpus illud, ex quo ſolvens noſtrum antimonii confectum fuit, ſi igne etiam validiſſimo ſolari tractetur, nullo labore ad fuſionem, colliquationem vel vitreſcentiam poſſe reduci, cum tamen aſbeſti & talci ſpecies omneſque vegetabilium cineres, ipſique lateres in vitreſcibilem maſſam hoc ipſo rediguntur.

23. Unicum adhuc mihi excutiendum reſtat altioris indaginis, qua ratione corpus in igne fixiſſimum tam egregium effectum & operationem, quæ ſine activitate motus non poteſt concipi, in corpore noſtro producat; cum tamen notum ſit, corpora fixa ad motum præſertim inteſtinum intendendum propter defectum mobilium partium valde eſſe inepta. At vero experientia optima rerum magiſtra teſtatur, etiam fixa corpora, & quæ valentiſſimum ignis gradum ſuſtinere poſſunt, virtute medicamentoſa mirabili adhuc ſplendere. Notiſſimum enim in foro medico eſt, quid pulvis hæmatitis, quem certus Medicus pro panacea ſolari per multos annos maximo cum lucro venditavit, quid limatura martis, mercurius fixatus cum auro, corallia uſta, aurum fulminans cicuratum & ejus generis plura præſtent in medicina. Non enim videtur dubium, corpus, tametſi ſit ad ignem fixum, ſolvi tamen & diſcerpi quadantenus poſſe, præſertim a liquore ſolvente congruo. Cum autem liquor ſalivalis microcoſmicus, utut inſipidus efficaciſſimum menſtruum ſit, pro intime extrahendis non tantum animalium & vegetabilium partibus, verum etiam ex mineralibus diſſolvat quaſdam minutias, uti id patet in aſſumtione vitri antimonii, mercurii diaphoretici vel dulcis; rationi itaque non inconveniens & abſonum eſt, ſulphur noſtrum minerale fixatum ab eodem liquore quadantenus extrahi, diſſolvi, & particulas illas ſulphureas activiſſimas poſtea per totam corporis ſphæram diſpenſari atque deduci. Videtur etiam hujus afferti ratio exinde probabilis, quoniam noſtrum remedium in ore ad tempus detentum, metallicum & leviter conſtringentem ſaporem relinquit, luculento indicio, quaſdam partes ab ipſo mediante ſaliva diſſolvi.

24. Operandi hujus remedii ratio potiſſimum mihi videtur conſiſtere non tam principaliter & primario in materiæ morbificæ correctione & alteratione, ſed potius in motuum vitalium ſanguinis, & ſecretoriorum, qui depurationi humorum inſerviunt, promotione, & quidem tonum fibrarum nervearum ac muſculoſarum roborando agunt, leviterque conſtringendo. Unde tono partium relaxatarum adaucto contenti humores ad circulationem promtiorem non tantum invitantur, ſed & per arctiores vias dum tranſprimuntur, majorem fluxilitatem ſubtilitatemque nanciſcuntur. Accedit, quod intenſiori facto circulo ſanguinis excretio etiam partium heterogenearum ac impuritatum longe liberior atque liberalior evadat, & per conſequens major puritas ac benignitas ſanguini concilietur. Cum autem cutis univerſale & optimum ſit evacuatorium, quo particulæ agiliſſimæ, ſalino-ſulphureæ vaporoſæ ad corruptionem proniſſimæ ſequeſtrantur ac ſeparantur, unde diaphoretica & quidem talia quæ ſalva ſua textura neque immutata efficacia, quod exſpectandum a mineralibus, jure meritoque optima ſecuriſſima, & magnis morbis ſanandis aptiſſima ſunt remedia.

25. Poſtremo loco adjiciendum etiam aliquid eſt circa ſingularem illum effectum, quem ſulphur noſtrum in nonnullis ſubjectis exſerit, dum per aliquot dies

dies ſtata hora ſudorem continuat. Adſcribendum hoc eſſe exiſtimo operationi medicamenti, quod effectum ſuum id eſt ſanguinis ac humorum commotionem per longum tempus continuat, quoniam ex regno minerali deſumtum propter ſoliditatem & plane non deſtructibilem vel alterabilem partium ſuarum naturam, non facile in effectu ſuo ſuſpendi & impediri poteſt. Quod autem ſtata hora ſudor profluxerit, hæc dici poteſt cauſa, quoniam de die corpus non ſufficienter tegitur, deinde etiam onere alimentorum humores preſſi non tam promte circumvolvi, neque ſecretio nec excretio excrementorum libere peragi poteſt; circa tempus autem matutinum, concoctione peracta & humoribus redditis fluxilioribus, medicamentoſæ particulæ adhuc in corpore reſtiles vi, quæ movens eſt, fibras partium ſolidarum motrices, ceu ordinarium organon ad motus armant, & humores fluxiliores reddendo ad cutis evacuatorium pro excrementitii humoris ſecretione liberaliter deducunt.

26. Circa noſtri remedii uſum & applicandi modum, pauciſſima adhuc veniunt monenda; primum efficacia ejus deprehenditur longe major, in corporibus complexionis cholerico-ſanguineæ, nec non tenerioris & ſenſibilioris texturæ, quoniam ad mobilitatem & fluxibilitatem magis ſunt diſpoſita, hinc tali in caſu energiam præſentiorem exhibere poteſt. Hoc ipſo tamen non negamus, ejus efficaciam in illis morbis, ubi humorum tenacitas ſegnis ac tardus motus eſt, tunc enim majori & reiterata doſi opus eſt. In genere autem obſervandum, omnia illa, quæ quantitatem nimiam humorum ad convenientem proportionem deducunt, & fluxilitatem humoribus adferunt, non negligenda ſimul eſſe; impoſſibile enim eſt, ut unum remedium omnibus & diverſiſſimis indicationibus ſolum ſatisfaciat, & ex æquo ubique reſpondeat. Hæc itaque pro tempore de efficacia hujus remedii præſtantiſſimi dixiſſe ſufficiant.

DISSERTATIO
DE SPECIFICIS
ANTISPASMODICIS.

Primum edita anno 1704.

§. I.

PERELEGANS dictum eſt ipſius HIPPOCRATIS *Libr. de Art.* §. 13. *quorum inſtrumentorum, ſive naturæ, ſive artium facultatem obtinemus, per ea, ſane opifices eſſe poſſumus, per alia vero minime licet; quum igitur homo a morbo afficitur, qui vehementior eſt, quam medicinæ inſtrumenta, ne ſperare quidem oportet, ut a medicina exſuperetur.* Ingenioſe divus vir medicamenta adpellat inſtrumenta. Nam ſicut artifex ſine inſtrumentis nihil valet agere, ita Medicus ſine præſtantibus remediis, nihil ſolidi præſtare poterit in medendo. Indigitat quoque porro hoc dicto, proportionem eſſe debere inter morbi cauſam, & inter medicinæ inſtrumenta, adeo, ut ſi morbus valentior ſit ipſis inſtrumentis, quæ debiliora neque ſufficientia tollendæ cauſæ, morbus non ſanetur. Quapropter utique opus eſt, ut Medicus, non ſecus ac artifex, poſſideat inſtrumenta præſtantiſſima, eaque bene præparata, quorum virtutem, facultatem probe perſpectam cognitamque habeat, eorum applicationem ac adminiſtrationem calleat, hiſce ſi deſtitutus eſt, omni ſuo fine ac ſcopo fruſtrabitur. Notum vero eſt, ad tres maxime claſſes omnis generis remedia referri poſſe, ad evacuantia nempe, alterantia & ſpecifica, nam quoniam tota medicina eſt mechanica, h. e. innititur principiis phyſico-mechanicis, quæ ſunt materia & motus, & quia nulla cauſa morbifica ex alio fonte, quam materiæ & motus vitio, poteſt derivari; hinc liquido fluit, omnem virtutem remediorum, quæcunque etiam ſint, vel materiam, vel motum, reſpicere debere. Res clara eſt de alterantibus, quæ materiæ qualitatem varie modificant, temperant, diſponunt, mixtionem, texturam, craſin immutant aliamque reddunt, ut ex maligna & inimica fiat blanda ac benigna, ex immobili mobilis, ex craſſa fluxilis, ad circulationem, nec non ſecretionem, vel evacuationem idonea. Clara quoque & omnis dubitationis expers res eſt de evacuantibus. Cum enim evacuatio conſiſtat in motu, hinc quæ movent, ſive motus vehementes in partibus ſolidis fluidiſque concitant, ſimul evacuatorium effectum præſtant. De ſpecificis vero non adeo res liquet, quo ſenſu hæc accipi debeant, quamque virtutem agendi vel operandi habeant, in eo vero maxime conveniunt, quod per ſpecifica intelligantur ejuſmodi remedia, quæ nec alterando, nec evacuando, præſtant magnos effectus in certis morborum ſpeciebus, eos vel tollendo in totum, vel mitigando. De horum virtute modoque agendi communis quidem eſt ſententia, quod lateat, quod occulta ſit, nec explicari poſſit; nobis autem jam animus eſt evincere, quod motus nimios effrænes in morbis ſiſtant, ſedent, componant, ſive quod ſedativa & antiſpaſmodica virtute gaudeant.

2. Quoniam ſcopus noſter eſt, ea, quæ ſpecificorum titulo ſuperbiunt, perſpicue explicare: quod eorum energia tantummodo verſetur in certorum motuum, qui ſunt in partibus ſolidis, morboſorum placatione, cohibitione, ſive vi antiſpaſmodica, primo omnium nobis opus erit, ex naturæ regnis famoſiſſima ſpecifica recenſere, i. e. talia remedia, quæ magnum, certum & exquiſitiſſimum effectum in certa morbi ſpecie præſtant. Fundamentum cui noſtram aſſertionem ſuperſtruimus, eſt ipſa experientia, non imaginaria, non fortuita, vel cœca, ſed certa, conſtans & fida. Et ut initium faciamus a vegetabilibus,

bus, certe ibi reperiuntur magnæ virtutis remedia, quæ ſpecifice & peculiariter in certis morbis proſunt, quod ab aliis exſpectari non poteſt, ita v. g. mentha & ex ea paratum puriſſimum, ſine additione & adulteratione, oleum, eſt deſideratiſſima medicina externe in dolore colico, tumore & dolore mammarum a lacte coagulato, ſola inunctione adminiſtratum; interne vero, hoc oleum vel in eſſentiam redactum, vel aqua ejus in ſingultu, vomitu, diarrhœa, in omnibus hæmorrhagiis certiſſimæ efficaciæ medicina eſt; unde ejus uſum frequentiſſimum ac vires mirifice in praxi commendo: imo novi exempla, ubi aliquot guttulæ olei, cum pulvere abſorbente datæ, tuſſim convulſivam ſtomachalem, & aſthma ejuſdem naturæ, brevi cum admiratione ſuſtulerunt. Temporibus oleum ejus adplicatum ſomnum inducit, cephalalgiam tollendo, diarrhœam externe ventri inunctum certiſſime ſedat. Porro ex vegetabilium familia ſplendet inter ſpecifica & peculiaris efficaciæ medicamina chamomilla vulgaris, & ex ea paratum oleum ſapphirini coloris, quale debet eſſe non adulteratum, quod in doloribus colicis & poſt partum, in cardialgia quoque eſt præſentiſſimum. Herba baſilici ejuſque oleum purum, in hemicrania, epilepſia, inque omnibus ferme capitis affectibus, qui ex ſpaſmis & contractionibus nervoſi generis proveniunt, ſingulariter ſe exhibent. Oleum lavendulæ, vel ſpicæ, ſalviæque, in paralyſi, quæ fit a ſpaſmis, rheumatiſmis, ſive dolore artuum lancinatorio, tremore, vertigine, exterius ſpecifice ſeſe exſerunt. Origani oleum in dolore dentium prædicatur, ſed de oleo ſalviæ, menthæ & baſilici ſimiliter reſpondet experientia.

3. Si ullum in claſſem hyſtericorum reponi meretur quod ſpaſmos inteſtinorum & nervoſarum partium placat, ſedat ac ſiſtit, dolores colicos mulcet, certe eſt horminum, ejuſque aqua vel decoctum, interius ſumtum, aut per clyſteres applicatum. Aqua ranunculi eſculenti, ſive tragoni, eſt in aſthmate ſicco & convulſivo metallico certiſſimæ efficaciæ remedium. Hyſſopi oleum & aqua quid præſtet in pectoralibus affectibus, in vulgus notum eſt. Radix valerianæ ſylveſtris, a Fabio Columna tantopere celebratur, ut eam ſemel aut bis exhibitam, ab epilepſia liberare affirmet, refertque, ſe hanc multis amicis dono dediſſe, qui deinde, divino prius numine & favore glorificato, pulvere hujus radicis ſibi reſtitutam ſanitatem affirmarunt. Doſis autem eſt cochleare ſemis cum vino, aqua, lacte, aut quovis liquore appropriato. Pueris vero in minori doſi cum lacte datur, vid. Riverius *in prax. med. pag.* 30. Radix cinosbati in morſu lupi rabidi & canis ſummam præſtitit efficaciam, & ſequens pulvis magnopere commendatur: *Recipe pulveris radicis cynosbati odorati unciam unam, ungular. lync. unciam ſemis M. F. pulvis, detur ad drachmam ſemis.* Anno MDCXXX. in Eisfeldenſi pago Ruhmſprung, die XXIV. Mart. a lupo rabido ultra triginta homines læſi fuerunt, ex quibus X. ad minimum mortui, reliqui per hunc pulverem evaſerunt, ſicuti ex communicatione ibi Practici D. Richteri habeo.

4. Roſæ, earum aqua, ſpiritus & oleum, in capitis dolore & delirio compeſcendo, egregiam poſſident virtutem. Fœniculum ejuſque oleum purum in tuſſi catarrhali, tam inveterata quam ſtomachali vel pectorali, idiopathica, vel conſenſuali, prævalet oleo aniſi & præſentaneos reddit effectus. Flores ſambuci & ex iis parata aqua, in affectibus exanthematicis, eryſipelate omnique interno graviori dolore, inflammatione, magna præſtant, quod etiam in doloribus & tractionibus podagricis vagis egregie ſe gerit, ſimulque alvum blande ſubducit, niſi fuerit ſpirituoſa. Corticis & florum ſambuci efficacia, quam præſtat externe in eryſipelate diſcutienda, in vulgus notum eſt. Croci virtus in infarctibus pectoris reſolvendis, in lenienda tuſſi & torminibus infantum ſolandis, obſcura eſſe nequit.

5. Papaveracea, ſive flores, ſive ſemen, ſive reſinam conſideremus, tam intus, quam extus inſtar incantamenti dolores ſopire, ſomnum accerſere, excretiones nimias ſiſtere, expeditiſſimum eſt. Flores illæ, primulæ veris, liliorum alborum, convallium, jaſmini, aurantiorum, in omnibus affectibus capitis, convulſionibus, epilepſia, & quibuſcunque ſpaſmodicis internis motitationibus, non ſine fructu ſeſe gerunt. Tota pœonia, tam quoad ſemen, quam radices & folia, in epilepticis inſultibus compeſcendis egregia eſt; in cujus rei teſtimonium ad pulverem Marchionis provocamus & ſpecificum Michaelis, cujus virtus, maxime ſimplici huic & cinnabari eſt adſcribenda. Nam calces & magiſteria, quæ ingrediuntur, plane effœta ſunt, & nullius efficaciæ. Hyoſciami ſemen, nec non cynogloſſa in impetu ſanguinis cohibendo & hæmoptyſi ſananda, nulli ſunt ſecunda, exemplo ſunt pilulæ de cynogloſſa, quæ in hoc morbo ſunt inſtar omnium. Lycopodii ſemen in urinæ ſuppreſſione, quæ fit ex dolore & ſpaſmo, in epilepſia, dyſenteria magnifice æſtimatum fuit a D. Michaelis aliiſque, qua de re legi meretur, B. Hoffmannus *in Clavi Pharmaceut. Schröderian.* Anthera liliorum alborum in partu difficili, quem remorantur ſpaſmi potentes & vagabundi abdominis, non ſine ratione commendatur. Baccas paridis, herbam meliſſæ, artemiſiæ, in ſubſtantia novimus in affectu maniaco, ceu arcanum cum magno ſucceſſu fuiſſe exhibita. Nos unum adjiciemus, quod in illuſtri quadam familia Monſpelienſi, pro ſecreto gentilitio & hæreditario habetur, illiuſque deſcriptio talis eſt: *recipe foliorum meliſſæ manipulum unum, incidantur minutim & infundantur in ſpiritus vini uncias quatuor; deinde adde margaritarum præparatarum drachmam ſemis. M. doſis eſt cochlear.* 2. River. *p.* 56. Nuciſta largitur oleum duplex, unum æthereum per deſtillationem, & alterum expreſſum, paulo craſſius, utrumque in dolorum ac fluxuum ferocia ſiſtenda placidoque ſomno conciliando, infallibilem exſerit virtutem.

6. Recenſitis jam plurimis ex vegetabilium regno præſidiis, quæ ſpecificorum titulum merentur, progredimur nunc ad animalia & ex iis quoque depromere, quæ ſpecifice certis morbis ſubveniunt, apud animum conſtituimus. In univerſum autem hic notari velim, quod omnes partes animantium duriores, v. g. ungulæ, cornua, oſſa, in ſubſtantia & pulvere ſumtæ, virtutem habeant antepilepticam & antiſpaſmodicam, in cujus rei confirmationem ac teſtimonium advocamus experientiam & auctoritates v. g. Alcis ungula, quod ſpecifica virtute celebretur adverſus epilepſiam, noto notius eſt, neque hic attendendum eſt, ad ungulam maris, nec adultam ætatem, vel tempus, quo in venerem hæc animalia feruntur, nec ad ungulam dextram poſteriorem, quamvis non negandum ſit, quod animalium partes tunc temporis, quo vegetiora ſunt, quo majori continuo motu fluidorum & ſpiritualſcentia gaudent & ſulphur copioſius & activius poſſident, eo efficaciores eſſe ad medicum uſum. Verum enim vero, hic antepilepticus effectus non tantum valet de ungulis alcis, ſed & de cornubus aliiſque. Ungulam aſini, alcis in epilepſia eſſe vicariam, ſcribit Schroederus *p.* 146. De bovis & equi ungula idem ſperandus effectus.

7. Cornu bovis ad epilepſiam idem Schroederus commendat & ſcribit, quod viderit ſcobem ejus exhibitam fuiſſe contra epilepſiam cum effectu, & *p.* 272. hæc habet: *cornua & ungulæ bubulæ medentur ſpaſ-*

mo:

mo: de eboris dente idem perhibet *p.* 287. quod tollat epilepſiam, arceat melancholiam & reſiſtat venenis. De cranio humano & oſſe triquetro temporum, quod peculiare in epilepſia ſpecificum ſit, vulgo perhibetur. Rhinocerotis cornu, lapis manati, dens hippopotami, ad dyſenteriam, ad ſpaſmum, de quo ſubminiſtramus locum ex THEODORI TABERNÆMONTANI *Waſſerſchatz p.* 121. mirifice commendantur. Ego puto, quod non tantum horum animalium duræ allegatæ partes hac virtute antepileptica celebrentur, ſed quod in univerſum omnes dentes, cornua & ungulæ, raſuræ, in ſubtiliſſimum pollinem redactæ, antiſpaſmodicam & antepilepticam virtutem habeant, inque iis morbis, ubi ſpaſmi tragoediam ludunt, vel cauſam morbi ſubminiſtrant, virtute donata ſint eximia; & hoc ipſum non modo verum exiſtimat de duris & oſſeis partibus, ſed etiam de eorum ſanguine, viſceribus, corde, hepate, inteſtinis, carne exſiccatis, adeo ut non magno ſelectu hic opus ſit, ſed ferme promiſcue & indiſtincte, ſiccata quædam pars ex animalibus deſumta, egregie & ſpecifice opituletur epilepticis, convulſivis & ſpaſmodicis pathematibus, & magnos effectus in medendo exſerat.

8. Nihilominus quædam ex autoribus probatis, qui collegerunt ſpecificorum claſſem ex animantibus deſumtam, tradere neceſſum eſt, ut aſſerti noſtri veritas confirmari & res explicari poſſit. Aper dentem largitur, qui in ſubſtantia & philoſophice præparatus, aut melius in decocto, in pleuritide & cynanche mirifice a practicis æſtimatur. In ſanguine aſinino ſingulare latitat arcanum contra maniam, de quo ſcribit B. HOFFMANNUS *in clave*: hoc ſolo B. MICHAELIS in aula Altenburgenſi maniacum reſtituit, eumque non ſemel maniacis applicavi ſumma cum euphoria. Secatur ſcilicet vena ad aures, intinguntur lintea & exſiccantur, deinde extrahitur cruor cum aqua florum hyperici & propinatur, egregie movet ſudorem. Axungia ex animantibus, v. g. muris alpini, apri, ex ungulis bovis, urſi, cervi, taxi, humana, caſtorei, in leniendis omnibus doloribus, in luxationibus articulorum, dolore pleuritico, colico, ſtranguria, teneſmo, contracturis, ariduris, externa illinitione, virtutem mirabilem exſerunt, dum cicatricum duritiem leniunt, calloſitates reſolvunt, & foveas poſt variolas relictas delent. Sanguis ex nonnullis animalibus v. g. bovinus, hircinus, cervinus, humanus, leporinus exſiccatus in dyſenteria, dolore pleuritico, epilepſia, in dolore ex calculo egregiam efficaciam exhibet.

9. Fel catelli lactantis ab UNZERO hiſce verbis prædicatur: *ſume catellum parvum, nigrum, adhuc ſugentem, (pro fœmella vero epileptica ſume catellam) eumque ſtrangula & interfice. Ex interfecti & per ſectionem aperti corpore extrahe totam cyſtim felleam, vix* 3. *vel* 4. *guttas ſinceræ bilis in ſe habentem. Illum bilioſum ſuccum omnem puerulo, in paroxyſmo epileptico cum pauxillo aquæ florum tiliæ propina, & miraculi inſtar videbis illum ab hoc morbo e veſtigio ſanari ac curari.* Vid. RIVERII *prax. medic. pag.* 33. In Finnlandia, ubi datur urſorum copia, vulgatum ruſticorum eſt, fel exſiccatum inſtar panaceæ exhibere, ſudoreque ſuperveniente, morbos quam plurimos ſolutos audivi. vid. SCHROEDERUS *p.* 312. Cæterum, hanc ferme peculiarem habent virtutem fellis ſpecies v. g. anguillæ, leporis, viperarum, carpionis, ranarum, ſuilli, quod, vel in ſubſtantia, vel etiam ſolutr in ſpiritu vini, in aurium & oculorum adfectibus, tinnitu, ſurditate, ulceribus non ſine fructu uſurpentur. Pulvis teſtium equi ad ſecundinas pellendas, fœtumque mortuum expellendum, ceu magnificæ famæ remedium commendatur, unde HENRICUS *ab* HEER *L. I. obſerv.* cuidam fœminæ difficultate partus laboranti, pulverem teſtium equi cum croco propinavit, & dimidio quadrante citius, puerum enixa eſt. Decoctum raſuræ cornu cervi, dentis hippopotami, unicornu marini, priapi cervini, in dyſentericorum ſpaſmis & torminibus leniendis ſopiendisque non ſine magno fructu propinatur.

10. Deinceps, celebris eſt pulvis ſecundinæ humanæ ad epilepſiam, ad expellendum fœtum mortuum. In moſcho præſentiſſima virtus antepileptica latet, & ab eo quoque mutuatur efficaciam ſuam pulvis de Gutetta in Gallia famigeratiſſimus, quem deſcribit RIVERIUS *pag.* 52. & hic eſt: *recipe radicis pœoniæ, ſeminis ejuſdem, dictamni albi, viſci quercni ana unciam ſemis, ſeminis atriplicis, drachmas duas, cranii humani drachmas tres, coralliorum rubrorum præparatorum, hyacinthorum præparatorum, ana drachmam unam ſemis, ungulæ alcis præparatæ unciam ſemis, moſchi ſcrupulum unum, foliorum auri drachmam unam. Miſce fiat pulvis.* Sanguis porcellorum, cum cancris deſtillatus, in tabe & atrophia curanda remedium eximiæ virtutis & efficaciæ exſiſtit. Zibethum in torminibus colicis, ventris dolore infantum, etiam in uteri ſtrangulatu, vulvæ applicatum, inque virili impotentia membro inunctum præſtantis virtutis remedium eſt.

11. Quanta ſit utilitas, præſertim ad paſſionem hyſtericam tollendam, item ad ſtrangulatum & ſpaſmos horrendos ex utero ſiſtendos, caſtorei, & ex eo paratorum medicaminum, mulierculis non eſt ignotum, adeo, ut uſum ejus remedii mox graviſſima ſpaſmodica pathemata, in quocunque etiam morbo præſentia, remittere ſoleant. Axungia ejus peculiariter quoque convenit nervoſo generi ac utero, ideo morbo comitiali, membris reſolutis convulſivis, apoplexiæ prodeſt. Pulmones ovis, vituli recentis, vel etiam viva columba vel gallina diſſectæ, capiti impoſitæ, in cephalalgia, phrenitide & melancholia egregiam virtutem produnt. Aqua ex pica & hirundinibus deſtillata cum vino, non ſine ſingulari fructu maniacis & epilepticis propinatur. Anguillæ fel ad partum facilitandum commendatur a pluribus. Cinis cancrorum adverſus morſum canis rabidi vulgo extollitur, item in abortu arcendo. *Nos in concepto fœtu retinendo*, inquit POTERIUS, *ejus uſum pluries experti ſumus. Mulier cujuſdam phrygii, ſepties abortum paſſa, hocce pulvere ad duos menſes accepto, partum ad finem feliciter tulit. Quos vivos, ut ranas, in olla vitreata, poſt panis extractionem, ſiccamus. De pulvere ad libitum ſumitur in cibis, ſero & mane.* Funambulus quidam pro ſingulari arcano habuit pulverem ſciuri in vertigine, quem pretio & precibus vix ab eo extorquere potuit D. D. MICHAELIS vid. FRIDER. HOFFMANN. *p.* 280. Pellis cygni colicos juvat & ſtomachi vitio laborantes. Stercus pavonis in epilepſia & vertigine exhibetur, a novilunio uſque ad plenilunium, cum ſaccharo mixtum. De quo etiam legi poteſt BORELLUS *Cent. III. p.* 119.

12. Lumbrici terreſtres in ſubſtantia ſpecifice proſunt in arthritide ſcorbutica, quam vagam appellant, (*die lauffende Gicht, die Vahren*) adhiberi poſſunt intus & extus. Intus exhibentur vel toti conquaſſati, recenterque, cum vino trajecti per linteum, vel ſiccati & pulveriſati: extus applicantur vivi & mortui, vivi impoſiti, donec moriantur, mortui in cataplaſmatis forma adhibentur, podagricos dolores lenit pulvis cum farina calide impoſitus. Viperarum & ſerpentum carnem, hepar, cor, in pulvere, item illorum axungiam contra viperarum & ſerpentum morſum ſpecificam antidotum eſſe & incompatabilem præſtare efficaciam certiſſimæ experientiæ eſt. Eodem modo pulvis ſcorpionum & ejus oleum, interne & externe, contra morſum ſuæ ſpeciei, & pars ex cane rabido ſumta

ſumta & exſiccata, interne & externe, contra morſum ſimilis canis, ſi tempeſtive uſurpetur, quod infallibilem virtutem producit, indubitata confirmat experientia. Cæterum viperarum caro, earum fel, ſpina, hepar, in dyſenteria maligna, in arthritide vaga, in maligna & leproſa ſcabie, peculiarem quoque energiam oſtendunt. Ulterius pulvis lapidis manati, ad ſanguinis ad eructationem ſpectantis cohibitionem, ut hæmoptyicum fluxum, utiliſſime adhibetur. Dentem hippopotami ad omnes hæmorrhagias eodem ſcopo B. MICHAELIS in *Not. ad ideam Med. Pract.* JONSTONII commendat, & notat WORMIUS *in Muſeo* & *Pater* BOEHM, quod Goæ dens valde efficax, qualis fuit hippopotami, aſſervetur in noſocomio regio, cujus vim ſi monſtrare cuipiam velis, venæ ſectæ eundem admovent, quo ipſo illa ſtatim fluere deſinat.

13. Cornu rhinocerotis in omnibus affectibus ſpaſmodicis, dolore pleuritico, hæmorrhagiis, in ſubſtantia non ſine effectu datur, & ſimilem ferme cum dente hippopotami, unicornu marino, & lapide manati exhibet virtutem. Pulvis inteſtinorum lupi ad compeſcendos dolores colicos datur non ſine fructu. Leporis oculi exſiccati valent ad partum difficilem, ad ſecundinas & molam propellendam, leporis cor quartanæ peculiariter medetur ſecundum HORSTIUM, ſecatur in tres partes, & præmiſſis univerſalibus, initio trium paroxyſmorum, tertia pars ſingulis vicibus propinatur, vid. SCHROEDERUS *pag.* 300. Pellis leporina in affectu iſchiadico & arthritico egregie celebratur. Oſſiculum tale commendatur ad colicam partuſque difficultatem, fel eſt otalgicum & ophthalmicum, renes teſticulis & calculoſis proſunt, & mictionem involuntariam corrigunt. Humor cryſtallinus cervorum exſiccatus ſolvitur inſtar tragacanthæ in aqua roſarum, hæc in omnibus oculorum vitiis, fluxionibus, inflammationibus, quæ a ſero acri, vel dolore proveniunt, pluribus opem tulit præſentiſſimam. De decocto raſuræ cornu cervi hoc loco non prætermittendum eſt, quod ejus uſus maxime congruus ſit omnibus infantum morbis, ubi ſpaſmus, dolor & calor præternaturalis ſeſe exſerit, id quod experientia certa ac conſtanti confirmo.

14. Allegavimus hic ingentem ſpecificorum numerum, quorum virtus certe non eſt de nihilo. Nam profecto experientiam vulgi, tot hominum & per tot tempora ratione certi remedii non temere rejicere debet Medicus, ut ut ignorato operandi modo. Commendamus itaque dicta attentiori obſervantiæ & experientiæ; nobis vero in præſentiarum opus eſt demonſtrare, quod illa effectum exſerant dictis in morbis tollendo ſpaſmos, circa quod neceſſarium duco exponere quid ſit ſpaſmus, & quid per illum intelligatur. COELIUS AURELIANUS *Lib. III. cap. 6.* ita definit ſpaſmum: *Spaſmus eſt involuntaria tenſio atque conductio partis cum vehementia & dolore acuto, ob ſtructuræ violentiam cum dura diſtenſione.* Et certiſſimum quoque, quod in omni ſpaſmo fibræ muſculoſæ cum ipſis membranis non diſtendantur & elongentur, ſed conſtringantur, comprimantur, & arctiores evadant. Spaſmi nempe ſubjectum ſunt præcipue fibræ muſculares & membranæ quoque nerveæ, & verſatur maxime circa motum ejuſque incrementum: notum enim eſt, regulariter ſecundum naturam fibras muſculoſas filamentaque nervea eſſe inſtrumentum omnis motus atque impulſus, nec non omnis ſenſus in corpore noſtro, unde nulla actio fit in œconomia animali, quæ non mediantibus hiſce partibus abſolvatur. Et quandocunque hujus inſtrumenti, nempe fibrarum ac nervorum motus, actio, vel ſecundum aliquos, tonus recte ſeſe habet, i. e. debita in eis fit ſtrictio & dilatatio, tunc circulatio ſanguinis & tota œconomia motuum, nec non ſecretionis & excretionis negotium, item animæ operationes rite munere ſuo funguntur, & ſecundum regulam fiunt, & ſic præſens adeſt ſanitas: ex adverſo, quando fibrarum & nervorum actio, motus & tonus vitiatus eſt, quod vitium conſiſtit, vel in nimia earum diſtenſione, vel relaxatione, vel in nimia conſtrictione, ſive ſpaſmo, tunc morbus vel diſpoſitio ad eum in procinctu eſt. Nam omnes fere interni morbi, ſublato hujus motus æquilibrio, cauſam ſuam agnoſcunt & pro diverſitate partium, in quibus hi motus fiunt, varii effectus morboſi naſcuntur, variumque accipiunt nomen: principaliter vero cauſam conſtituit illorum motus auctus, nimium activus, qui vocari ſolet ſpaſmus. A qua ille motus celebretur cauſa, & an hæc ſit ſubſtantia immaterialis, notitia & ratione prædita, & an hæc propter certum finem & ex morali conſideratione, ad avertendum gravius malum, tales motus ſuſcipiat, ſive an ſit materialis indolis ſubſtantia, & tantum virtute motus alioque phyſico actu ſuam operationem efficiat, & quomodo id in fibrarum ſtructura præſtet, ſtudio hæc indaganda prætermittimus, ceu obſcura, incognita, determinatione & inquiſitione difficilia, nullius uſus & ad medendi ſcopum directe non pertinentia; ſed potius cuivis hac in re ſuas ſpeculationes & delectationes in ipſis relinquimus. Hoc autem non poterit negari, neque diſſenſio reperitur, fieri tales ſpaſmodicos contractorios motus in fibris corporis noſtri a cauſa externa duplici, vel immateriali, vel materiali. Quod primum attinet, evincunt id animi affectus. Nam nulla gravior animi paſſio eſt, quæ non ſeſe exſerat in corpore per ſpaſmos, & inde dependentes irregulares motus variaque ſymptomata: vel proficiſcitur a cauſa materiali. Hæc rurſus duplici ratione, vel in quantitate conſideranda, ſive mole, vel in qualitate verſatur; unde obſervatio practica & medica docet, vehementes & morboſas generis nervoſi & fibroſi contractiones, non tantum fieri a ſanguinis ſtagnantis in certis partibus copia, infarctu, earumque diſtenſione, ſed & ab acrimonia vellicante, ſcindente & cauſtico materiæ morbificæ elemento eos ſuſcitari, uti ad oculum venenorum effectus, animantium morſus & multorum medicaminum, v. g. evacuantium effectus, teſtantur. Præterea, aliæ cauſæ externæ fibras nerveas muſculoſaſque vellicantes, uti ſunt calculi, feſtucæ, globuli, lumbricorum morſicationes, cauſam præbent hiſce motibus contractoriis dolorificis.

15. Conſiderata jam in genere eſſentia ſpaſmi, videbimus jam, in quibuſnam morbis maxime ludat ſuam tragœdiam, ut deinde melius pateat aſſerti noſtri veritas, quod ſuperius allegata in morbis, qui ex ſpaſmo proveniunt, efficaciam ſuam exſerant. Primo, univerſalis Medicorum eſt conſenſio, epilepſiam eſſe ſpaſmum totius corporis univerſalem, ubi non modo ſyſtema nervoſum, ſed & fibroſum fortiter contrahitur. Teſtantur id contractiones digitorum & pollicis, agitationes, jactationes & circumgyrationes corporis intenſæ, oculorum contorſiones, anxietates præcordiorum conſtrictoriæ cum cordis palpitatione vehementes, compreſſio faucium & aſperæ arteriæ, unde ſpuma, contractio inteſtinorum, unde borborygmi, flatulentiæ, alvi conſtrictio contumax, naſcuntur. Porro, ad ſpaſmos referimus omnes graviores dolores, quales ſunt in paſſione iliaca, colica, calculoſa, ſive calculus ſit in ureteribus, ſive in veſica, ſive in ductu choledocho, cephalalgia, otalgia, odontalgia, & podagra. Confirmant id ſymptomata, quæ hos dolores ſequuntur, violentæ tractiones partium dolore affectarum, & ſubſequentes, maxime in artubus, incurvationes, cum ſtupore; evincunt id ſtaſes & repreſſiones, vel etiam expreſſiones ſanguinis, unde dolor horripilationem & frigus, vel

etiam

etiam calorem partibus inducit, ob liberum circulum, propter ſpaſmum fibrarum & compreſſionem vaſorum, ſuppreſſum. Deinceps, ad ſpaſmodicos & convulſivos motus referri quoque debent, v. g. incubus, tuſſis convulſiva, aſthma convulſivum, ſingultus, palpitatio cordis, vomitus, tormina in dyſenteria, alvi contumaciſſima adſtrictio, urinæ & ſudoris ſuppreſſio, tetanus, ſpaſmus cynicus, priapiſmus, qui ex violenta tractione & motus intenſione fibrarum proveniunt.

16. Spaſmis quoque accenſendæ ſunt hæmorrhagiæ: nulla enim magna hæmorrhagia interna naſcitur, niſi præcedant ſpaſmi, præſertim in primis viis, meſenterio & abdomine. Spaſmi enim, ſunt cauſa inæqualitatis ſanguinis circuli: dum enim præcluduntur & conſtringuntur viæ ac tubuli, & impeditur is motus, ſanguis cum impetu fertur ad alias partes, ubi facta diſtenſione, vaſa diſrumpit; ideo, qui hæmorrhagias curare vult ſpaſmos prius tollat neceſſe eſt, hinc antiſpaſmodica optima adverſus hæmorrhagias ſunt præſidia. Denique pathemata, quæ in hyſtericis, hypochondriacis, & ubi hæmorrhoides ſuppreſſæ, concurrunt, non niſi ſpaſmis adſcribi ſolent; item abortus, non niſi in uteri ſpaſmis, & partus difficilis cauſa, in ſpaſmorum vehementia quærenda eſt. In intermittentium paroxyſmis, præſertim ſub frigore & horrore, ſpaſmodicæ contractiones manifeſtiſſime viſuntur: ſtrictura enim pororum cutis, horripilatio, rigor, frigus, dolor contuſivus pedum, inflatio abdominis cum alvi adſtrictione, nauſea cum diſpoſitione ad vomitum, lumborum dolor, præcordiorum anxietas, nil niſi mere ſpaſmi effecta ſunt. Venenati animantium morſus & ictus, ipſaque cauſtica ex regno minerali depromta, non alia ratione infenſiſſima corpori ſunt, quam ſpaſmorum, quos producunt, violentia & copia ideoque ſubito interficiunt.

17. Diximus ſpecifica eſſe antiſpaſmodica, jam ex præcedentibus facillime colligitur, quare ea, quæ recenſuimus tam ex vegetabili, quam animali regno, in morbis ubi ſpaſmi omne ferunt punctum, præſentiſſimum ſolamen afferant, & eam ob cauſam nominatim in dolore arthritico, colica, epilepſia, diarrhœa, dyſenteria, mania, paſſione hyſterica, hæmorrhagiis, partu difficili, abortu præcavendo, convulſiva tuſſi, contracturis, morſibus animantium venenatis conveniant. Jam res ipſa & ordo poſtulat, ut quo principio agendi inſtructa ſint, & operationem ſuam exſequantur dicta ſpecifica, videamus. Dicimus vero medicamentorum virtutes dependere principaliter ex duplici activo principio, ſale nempe & ſulphure. Sal eſt ſubſtantia, ex particulis figura acuta & ſcindente coagmentata, unde ſaporem in lingua efficit, inque nervoſis partibus vellicatione ac roſione ſua ſenſum doloris excitat, in glandulis vero evacuationes, excretiones cauſatur. Non enim dubitari poteſt, omnis generis evacuantia, uti ſunt purgantia, vomitoria, ſudorifera, diuretica, ſalivantia, apophlegmatizantia, aperientia, principaliter ex ſalino principio operari. Longe vero a ſale diſtat ſulphuris textura ac craſis. Quemadmodum enim ſalis particulæ figuratæ ſunt & facillime diſſolvuntur, diſcerpuntur, ita ſulphur compoſitum eſt ex partibus magis inter ſe implicatis, intricatis, arctius unitis, acrimoniæ expertibus, propter quam intricatam & implicatam texturam, oleoſa & ſulphurea aciem ſalium excipiendo & quaſi in vagina recondendo, illa temperant, quo minus nocere poſſint. Et hæc quoque eſt ratio, quare acidiſſimi concentrati ſpiritus, nitri, vel vitrioli, affuſi oleis deſtillatis, acrimoniam ſuam ferme deponant, ita etiam ſulphur, reguli antimonii & argenti vivi vim virulentam, penitus, admixtione facta, caſtrat; & quemadmodum in ſale magna eſt vis ſolidas partes irritans & rodens; ita in ſulphure eſt principium vim iſtam ſiſtens, fugans, temperans.

18. Equidem objici poteſt contra hanc ſententiam, quod ſulphura intenſum calorem in corpore accendant & materiam motus inteſtini calidi igneique in ipſo præbeant; uti videmus omnia olea deſtillata calidiſſima eſſe: ſed reſpondemus, verum id eſſe de oleis, quæ ſale volatili ſubtili pollent, uti olea deſtillata ex vegetabilibus, item ex animalibus ſumta, quæ manifeſtam propter ſal admixtum intimeque conjunctum habent penetrantiam ac volatilitatem, unde utique talis ſubſtantia ſalina volatilis, cum partibus ſulphureis irretita, diutius manet in corpore, nec tam cito avolat per poros, & ſic calorem tam inteſtinum quam progreſſivum irritatione ſua accendit eamque ob cauſam plus calefacit, olei guttula deſtillati, quam decem grana puri ſalis volatilis ab oleo liberati. Hoc ipſum vero non valet de ſulphure ſibi relicto; uti patet ex omni pinguedine, oleo expreſſo, axungia ignem non paſſa, quorum aſſumta etiam magna quantitas minime calorem augent in corpore, ſed potius leniendo, demulcendo ſpicula ſalina, ſiſtit motum caloris, eundemque deprimit. Latet itaque in ſulphure vis motus ſedans, ſiſtens, adeoque antiſpaſmodica, cum omnis dolor & ſpaſmus ex motus incremento fiant; in ſale vero reconditur principium movens, ſive motus excitans, unde omne ſal calefacit, evacuat. Jam vero ſi conſideremus ſupra recenſita ſpecifica, tam ex regno vegetabili, quam animali deſumta, & inquiramus in illorum agendi principium materiale, mox ſeſe ſiſtit ac manifeſtat ſulphurea ſubſtantia. Nam ex vegetabilibus plerumque oleæ v. g. menthæ, lavendulæ, ſpicæ, ſalviæ, baſilici, chamomillæ, origani, aniſi, fœniculi, hyſſopi, hormini, tantum exſerunt ſuam efficaciam dictis in morbis propter ſulphur vaporoſum quo pollent, & caput & nervos replent. In radice valerianæ, opio, croco, ſemine hyoſcyami, camphora, ſubſtantia ſulphurea vaporoſa ipſo odore teſte præſens eſt. Semen lycopodii, anthera liliorum alborum pure ſulphureæ indolis ſunt, & flatu immiſſæ in flammam, ventum cum ſtrepitu igneum exhibent; flores vegetabilium, pœoniæ, roſarum, papaveris, liliorum alborum, convallium, primulæ veris, ſambuci, virtutem ſuam anodynam & ſpecificam exhalantibus ſubtilioribus ſulphureis partibus unice debent. In animali regno principii ſulphurei, benigni, lenis, acrimoniæ expertis, major datur copia. Nam ſine deſtillatione prævia ſanguis & omnium animalium partes, oſſa, dentes omni ſalina acrimonia carent; porro quanta pinguedo & oleoſitas inexſiſtat animantibus, notiſſimum; obſervamus enim totos panniculos adipoſos viſcera in pinguedine latitant, & nulla pars reperitur, etiam duriſſima, uti os exſiſtit, in cujus poris non copioſa pinguis ſubſtantia delitelcat. Poſſet quidem hic opponi, ex animali regno ſalia volatilia maxima in copia præparari poſſe, quibus reſpondemus, quod ſalia volatilia formaliter non inexiſtant, ſed mediante igne, non ex pinguedine, ſed ex ſubſtantia terrea, motu igneo, producantur, unde ratio patet, quare ex oſſibus, terreis corporibus, major quantitas illorum, quam ex aliis partibus confici poſſit; item quod non formaliter inexiſtant, ex eo judicare licet, quod non ex animantibus præparentur, niſi prævia combuſtione, & non in initio deſtillationis, ſed demum in fine prodeant, aperto indicio: minime his formalem aſſignari poſſe exiſtentiam; nam ſal tale eſt volatiſſimum, & ſub leniſſimo calore evaporat.

19. Porro ſalis manifeſti expers eſt regnum animale, & inter excrementa potius, quæ ſalina ſunt, ſal referri debet, nam proxime non ingreditur partium, ſive fluidarum, ſive ſolidarum, compoſitionem. Ex dictis

dictis jam facile apparebit, cur animalia tantam ſpecificorum largiantur copiam, i. e. remediorum, motus impetuoſos convulſivos, ſpaſmodicos, dolores, nimiaſque evacuationes ſiſtentium; quoniam nempe ſulphure vaporoſo gaudent, ratione cujus hos effectus præſtant. Jam vero ſulphur cuſtodire talem virtutem ex ſupra dictis in regno vegetabili conſtat, quæ omnia ob ſulphur evaporabile agunt. Sulphur enim vaporoſum eſt, i. e. multas exhalationes, vapores & effluvia, vigore motus inteſtini, qui in ipſo latitat, emittit; teſtante id gravi, vel etiam ſuavi odore. Nam ex ſententia omnium chymicorum & phyſicorum affirmatur, quod ſal ſit principium ſaporis, ſulphur vero odoris. Odor itaque provenit ex copia effluviorum, ſive exhalationum. Atque hæ etiam abundantiſſime deprehenduntur in animalibus eorumque partibus exſiccatis, quæ graveolentem & fortem odorem ſpirant, ut pulvis lumbricorum terreſtrium, viperarum, raſura ungulæ alcis, fel ex animalibus, ſanguis eorum exſiccatus & viſcera exſiccata id docent. Hæ blandæ exhalationes nervis ſeſe inſinuant, & per poros in ſanguinem tranſeuntes, rarefactione ſua nimium dilatando fibras muſculoſas & in meningibus arterias, iſtum motum ſyſtalticum arteriarum & fibrarum impediunt, a qua ſyſtole & motus progreſſivus & ſpaſmus pendet. Quod vero opiata agant rarefactione & nimia arteriarum expanſione, latius jam deduxi in *diſſertatione* de *opiatorum mechanica operandi ratione.*

20. Nunc ſelectiora eaque compoſita remedia contra hos morbos ſpaſmodicos annectere placet, v. g. in epilepſia habituali ſequens pulvis valde eſt proficuus: *recipe raſuræ ungulæ alcis, dentis hippopotami, unicornu marini, cranii humani, pulveris lumbricorum terreſtrium ana drachmas duas, moſchi drachmam ſemis, eſſentiæ caſtorei inſpiſſatæ ſcrupulum unum. M. F. P. qui vel cum cinnabari mixtus, vel ſolus uſurpari poteſt.* Ad fœtum mortuum & ſecundinam pellendam: *recipe pulveris teſticulorum equi, ungulæ alcis, ſecundinæ humanæ præparatæ ana drachmam, fellis anguillæ, antheræ liliorum alborum, croci ana grana XII. olei cinamomi guttas quatuor.* In dolore pleuritico: *recipe raſuræ dentis apri, mandibularum lucii piſcis, unicornu marini, oculorum cancri, dentis hippopotami, cinnabaris antimonii ana ſcrupulum unum, nitri grana XII.* In contracturis externe, *recipe axungiæ humanæ, caſtorei, urſi, taxi ana unciam ſemis, olei majoranæ, ſalviæ, lavendulæ ana drachmam.* In colico dolore poteſt addi zibethum. Contra maniam ſanguis aſininus egregius eſt. Contra morſum canis rabidi: *recipe raſuræ ungulæ lyncis, pulveris viperarum ana drachmas duas, caſtorei grana XII.* In hæmorrhagiis: *recipe dentis hippopotami, lapidis manati ana drachmam, nitri drachmam ſemis. M.* In phrenitide, cephalalgia, externe, gallina viva diſſecta egregia eſt. In arthritide pulvis viperarum, lumbricorum terreſtrium cum cinnabari antimonii & nitro egregium effectum præſtat.

21. Quod attinet ad convenientem uſum & applicationem ſpecificorum, maxime eorum, quæ ex regno animali petita ſunt, ſequentia monita notari merentur. I. Ex animantibus tutiora ſunt & præferenda iis, quæ in regno vegetabili proſtant. Ratio in proclivi eſt; nam naturæ noſtræ convenientiora ſunt, facilius inveniunt ingreſſum in ſanguinem & poris lubentius ſeſe accommodant ideoque magis amica. Aliter vero res habet cum iis, quæ ex aliis regnis profluunt. Hæc enim non tam propinqua ſunt noſtræ naturæ, ſed & heterogenea quædam principia ſimul cuſtodiunt, quæ non bene correſpondent mixtioni partium fluidarum, vel ſpiritibus, ſive principio movendi corporis noſtri inimica ſunt; unde v. g. opium ob ſuum ſulphur vaporoſum anodynam quidem vim habet, nihilominus hoc ſpiritibus non quadrat, ſpaſmodica pathemata non tam prompte ſiſtuntur, quam a caſtoreo aliis remediis adpropriatis. II. Notandum eſt, quod hæc dicta ſpecifica ex animantibus, ſi pollere eximio uſu debent, non nimis eſſe debeant inveterata, adeoque non diu in pulvere ſervanda, neque ex inveteratis effœtiſque oſſibus ſumenda ſint; ratio in procinctu eſt, quoniam per fluidum aereum jacturam partis volatilis, qua agunt, ferunt; unde omnia, quæ recentia ſunt, quæ cadaveroſum & volatilem ſpirant odorem, præſtantiſſima. III. Deinde obſervamus, quod illa ex animantibus, quæ principio pollent vaporoſo copioſiſque exhalationibus, longe celerius & citius, ſed etiam magis tranſitorie operationes ſuas exſequantur, præ iis, quæ ſulphure & oleo magis fixo ſcatent, hanc ob cauſam caſtoreum, zibethum, moſchus, ceu odoratiſſima expeditioris ſunt virtutis, præ raſura ungularum, oſſium, dentium, cornuum, quanquam horum virtus ſit conſtantior, in agendo tamen tardior. Medio modo ſe habent ea, quæ ex viſceribus exſiccatis harum animantium, parentur. IV. Hæc ſpecifica virtutem ſuam amittunt, quando fuerint uſta, deſtruitur ſic tota craſis, conſequenter etiam virtus remedii. Exſtat hanc in rem egregius locus apud ANGELUM SALAM, *Sect.* I. *Res, quæ in igne tractantur, omnes alterationem ſubeant, & de naturali ſui temperamenti ſtatu quodammodo dejiciantur neceſſe eſt, ac magis, ſi vel vehementiſſimum eum, vel diutius ſuſtinere cogantur, minus ſi remiſſior fuerit, moraque in eo brevior. Nihil quicquam itaque certi de operationibus remedii colligere licet e ſubſtantiis, vi ignis extortis; imo ſæpenumero contingit, ut herbæ, quæ vulgo refrigerantes putantur, ut cichorium, lactuca &c. oleum calidum & ſal volatile alcalicum fundant, quod calidis annumeratur.* Deinde indubium eſt ac per innumera experimenta evictum, chinam chinæ præſtantiſſimum eſſe febrifugum, quod ſi tamen deſtilletur, ſpiritum acidulum cum oleo pauco empyreumatico præbet, exiſtente capite mortuo nigro: hæc vero febricitantibus exhibeantur, ſive ſola, ſive invicem mixta, omni virtute plane ſunt caſſa ac inefficacia. V. Parum hæc ſpecifica faciunt in epilepſia & aliis morbis, qui fiunt per conſenſum, ſed debet tolli primum cauſa, v. g. in epilepſia, quæ fit ex dentitione difficili, variolis; longe vero majorem efficaciam exſerunt in affectibus idiopathicis, v. g. epilepſia inveterata valde convulſiva, maxime omnium vero efficaciter ſe exhibent in affectibus & ſpaſmis conſuetudine quaſi introductis, quæ nihil aliud eſt, quam ſumma facilitas & proclivitas ſpaſmodicorum motuum per multiplex exercitium ſæpius repetitum, v. g. in epilepſia, aſthmate habituali, & hæmoptyſi. VI. Ratione uſus porro monendum eſt, ne iis tantum inhæreamus, ſed ad cauſam morbi reſpiciamus, hinc v. g. ſi ſanguis ſtagnat ex menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione, item ſi circulus maſſæ ſanguineæ impeditus, in hyſtericis, hypochondriacis cauſam præbet variorum ſpaſmodicorum motuum v. g. arthriticorum, ſola non conveniunt, ſed tunc ſimul evacuantia, ſanguinem detrahentia ſubjungenda ſunt: præmiſſis enim evacuantibus, alterantibus, nullum dubium eſt, quin tunc ſuppoſita ſpecifica egregie hiſce affectibus ſubvenire poſſint. VII. Perpendendum & hoc, quod non tam juvent, quando tantum ex cauſa materiali & ejus quantitate, quam potius ex motu, conſuetudine, affectu animi & ſubtiliſſima materia motum provocante, provenit morbus, e. g. ex morſu canis rabidi, viperarum, dyſenteriæ miaſmate, motibus ſpaſmodicis in partu, epilepſia ab ira, terrore, verum etiam, con-

ſenſuali

ſenſuali malo medentur v. g. calculi doloribus, ſi non conſtanter perſeverat affectus, niſi principalis cauſa ſublata ſit. VIII. Et ultimo monitum hoc inculcari debet junioribus practicis, ne hiſce ſpecificis abutantur, quoniam nonnulla ex iis potenter fluxum ſanguinis cohibere & ſupprimere ſolent; ideo cavendum eſt, ne in iis, qui criticas tales evacuationes ſolennes cum fructu ſentiunt, v. g. menſes, hæmorrhoides, narium hæmorrhagias, præſertim ſi natura ad tales diu fuerit adſueta, frequentius & repetita doſi propinent. Facile enim evenire poteſt, ut in totum talis fluxus ſupprimi poſſit; unde præſertim, ſi homines fuerint adultiores, ad ſpaſmodicos affectus, vel etiam ad hecticam, cachexiam, hydropem via panditur apertiſſima.

DISSERTATIO
DE
PURGANTIBUS
MINUS COGNITIS ET SELECTIORIBUS.

Primum edita anno 1704.

§. 1.

UNIVERSAM œconomiam microcoſmi vitalem ejuſque conſervationem motu non modo progreſſivo ſolenni per circulum, ſed & variis motibus mixtionis, ſecretionis, excretionis, ſuſtentari, nemo facile, cui interiora corporis noſtri paulo exquiſitius patent, in dubium revocabit. Quapropter omnis generis læſionem præternaturalem & morboſam affectionem corporis noſtri non inconvenienter ex læſis iſtis motibus prudentes ducunt atque derivant. Ex horum numero eminent maxime motus evacuatorii, qui quantum naturæ commodi adferant, dici vix poteſt. Quandoquidem corpus noſtrum in conſervationem ſuam eget multis rebus, quæ intus debent ſumi, nec tamen in mixtionem & intimum ejus vitale conſortium abeunt, ſed rurſus maxima ex parte ſolent evacuari, quorſum ſpectant omnis generis fere ſalia inter alimenta reperibilia, humidi plurimum, nec non ſulphurea explicata. Quin imo pauca ſunt ex medicamentis, quæ ſeſe cum ſuccis corporis noſtri jungunt, ſed potius rurſus debent excerni, utut hoc ipſo actu, dum intrarunt & exeunt, nobiliſſimam opem conferant. Paucis: natura plus eſt occupata in excernendo quam in retinendo. Si itaque evacuationes hæ ſumme neceſſariæ non debite, non ſufficienter ſuccedunt, & ea, quæ debebant ejici, relinquuntur, præſentiſſima inde materia ad morbos naſcitur. Tametſi autem natura numeroſa & diverſiſſima eum in finem conſtruxerit evacuatoria: nullum tamen ſolennius eſt; nullum magis perneceſſarium, quam quod conſtituit alvus, ſi nempe ab ipſa perſpiratione cutis longe ſaluberrima diſceſſerimus.

2. Et quemadmodum per alia evacuatoria certa & peculiaria tantum excrementa eliminantur, ita per alvum non unius ejuſdemque naturæ ſed diverſi generis humores ſecluduntur; utpote non modo ex ventriculo & tenuibus inteſtinis craſſior, inutilis & effœta alimentorum extractorum portio per hanc viam tranſit, ſed ex toto hepate bilis, ex pancreate & inteſtinorum præſertim craſſorum glandulis lympha, ſerum, mucus ſequeſtrantur. Quantum vero corpori accedat inde beneficii, vel ex eo tantum poteſt cognoſci, quod ex ſuppreſſa & pigra alvo morbi permulti oriantur, nec ipſa præſente, tuta ac felix cum acutarum, tum chronicarum paſſionum ſuccedat ſanatio, ſæpiſſime enim providiſſima natura ſibi eligit has vias, & ſanat morbos. Ex hiſce fluit, recipiendum a Medico maxime omnium eſſe ad hanc alvinam evacuationem, ut ipſam, quando neceſſe eſt, juvet; munus enim Medici in eo potiſſimum verſatur, ut, quod natura ſola non poteſt efficere, id arte procuret & exſequatur. Permultum autem intereſt, quibuſnam ſubſidiis & inſtrumentis id perficiatur. Nos, repudiatis omnibus iis, quæ violenter & virulentia ſua naturam laceſſunt, maximam ſecuritatem ponimus in temperatioribus ſtimulantibus, naturæ amicis, & nullum damnum, nullam noxam, iis partibus, in quibus operantur, affricantibus. Quoniam autem non hæc obvia omnibus ſunt, judicavimus dignum opus recenſere ea, quibus egregio cum fructu uti poſſumus. Placuit itaque in præſenti loco ſelectorum purgantium materiam pertractare & optima ac ſelectiſſima parum nota in uſum medicum commendare.

3. Prius vero quam ad enumerationem rariorum & ſelectiorum alvum ſtimulantium accedamus, nobis erit commemorandum qua ratione & quo principio evacuatio per inferiorem partem celebretur, ſive qua ratione ipſa purgantia effectum purgantem exſerant: Quemadmodum vero fæcum ſecluſio ſecundum naturam fit primo motu inteſtinorum periſtaltico, ſecundo huic ipſi inſerviunt ſtimuli: ita etiam purgatio, quæ fit arte, ſimili modo habet. Notum enim ex anatomicis eſt, totum inteſtinorum volumen gaudere tunica ex duplici fibrarum ordine longitudinalium ſcilicet & circularium contexta, quæ muſcularis & carnea appellatur, cujus beneficio motum reciprocum dilatationis & conſtrictionis a ventriculo ad anum ſucceſſive tendentem perſequuntur: qualis motus periſtalticus ſive circumpreſſorius etiam vermicularis appellari ſolet. Hoc ipſo omne in inteſtinis contentum urgetur vel foras, vel per vaſa in interiora. Motum hunc inteſtinalem non eſſe a ſe ipſo, ſed ab alia extrinſeca cauſa, nullus eſt qui dubitat: hanc vero corpoream eſſe & tenuiſſimam, fluidiſſimam; valde activam, nullus ex ſanioribus quoque negat.

Quo autem vocabulo hanc ipſam inſignire quis velit, & vel naturam, vel animam, vel archeum, vel animalem ſpiritum, aut vitale principium vocare, nobis perinde eſt. Illud tamen ſuffecerit hic meminiſſe, nullum motum in tota rerum natura non niſi proxime per ſubſtantias extenſas ſeſe invicem tangentes fieri, quamvis deinde talium ſubſtantiarum corporeas inter ſe actiones, & reactiones, immateriales actus in animantibus præſertim, quandoque variis modis modificare, determinare & dirigere ad certos motus incognita nobis plane ratione poſſint & ſoleant, ſicuti id in *diſſert. de potentia diaboli in corpora* latius eſt oſtenſum. Quamvis itaque in motione inteſtinorum periſtaltica, ſicuti ad omnem in univerſo motum, & movente & mobili extenſo opus ſit, ſine quibus nullus celebrari poteſt motus: nihilominus ſolo ideali & immateriali actu, cogitatione, perverſa impreſſione, determinatio & directio hujus motus varia fieri poteſt. Ita habemus luculentiſſima exempla, ubi ſaltim ex ſolo viſu, odore, auditu, multo magis ſapore purgantium vehementer quidam purgati fuerint, ubi anima immateriali iſto phantaſiæ actu id minime effecit proxime, ſed tantum per hoc inſtrumentum ſive principium corporis activum, quod communi & recepto nomine ſpiritum vocamus.

4. Quemadmodum vero in microcoſmo, ſi motus ſunt celebrandi, non tantum ſufficiunt movens, inſtrumentum & mobile, ſed recte, ut hæc ipſa agant, opus eſt alia actione, motione externa excitatoria, quæ in ipſis nervis ſive nervoſis membranis fit. Hinc ubi muſculos natura collocavit, ibi etiam adſtites ſunt nervi; in hos ſi fit inſultus, vellicatio ab objecto corporeo externo, vel pondere, vel figura acuta, protinus excitatur, & motus in ſubſtantia augetur muſculoſa: eodem modo ſeſe res habet cum motu periſtaltico inteſtinorum, qui non niſi præcedente actione in nervoſam tunicam celebratur vel intenditur in tunica muſculoſa. Huic autem ſtimulo, quo agitatur ipſa nervea tunica, ſerviunt non modo ſanguis, alimenta, cum copia, tum qualitate ſalina, ſed natura peculiarem eum in finem quoque elaborat liquorem, & jugiter ipſum in inteſtinorum initium amandat, ut per hunc ad motum incitentur, eſtque ipſa bilis, quæ a veneranda antiquitate non inepte clyſter naturalis dicta eſt. Copiam vero ingeſtorum alvum irritare vel ex eo convincimur, quod in diuturna fame & iis, qui parum bibunt aut comedunt, utut bilis ſit valde acris, tardiſſima ſoleat eſſe alvi excretio, & ordinario a copia cibi vel potus aſſumti ſollicitetur natura ad dejectionem. Imo ipſa purgantia ante vel etiam poſt cibos ſumta laudabiliorem effectum edunt, ac ſi ventriculus fuerit vacuus. Acidularum & thermarum ingens copia, non tam activo principio, ſed potius mole ſua ſollicitat alvum. Deinde cibos, quo magis ſunt ſale & aromatibus conditi, eo citius per alvum tranſire, toto die obvium eſt. Principaliter vero ipſa bilis ſtimulo ſuo acri irritando nerveas ſenſibiles inteſtinorum lamellas ad conſervationem & auctionem motus periſtaltici multum confert. Unde qui bilis defectu laborant, vel eam viſcidam, inertem, vel nimis dilutam habent, ii ordinario alvi ſunt tardioris. Ex hiſce allatis non inepte colligimus, ea eſſe optima & naturæ convenientiſſima alvum ſtimulantia, quæ ratione mixtionis & naturæ conſymboliſmum atque affinitatem fovent cum ipſa bile, cujus generis ſunt omnia amara in regno vegetabili conſpicua, niſi aliud quoddam iis admixtum principium, eorum efficaciam retundat.

5. Veruntamen cum de ſtimulo principioque purgante verba fecimus, non res ita intelligi debet, ac ſi proxime & immediate hoc ipſum commoveat inteſtina & ſuſcitet ipſas ſedes. Quoad ego meminerim, nullus ſanior unquam Medicus in talem ivit ſententiam, ſed omnes fere in eo ſunt concordes, quod ſicuti omnia medicamenta, ita & ipſa purgantia non proxime & formaliter motum efficiant in nervis & muſculis, ſed quod hoc faciant ſpiritus, ſive anima, quæ tantummodo ab ipſis pharmacis varie diſponitur, & ad motum excitatur. Nam quemadmodum fluidum illud elaſticum, quod in nervis & ſanguine reconditur, omnium motuum in corpore noſtro, ita etiam motus periſtaltici aucti in purgatione cauſa eſt. Perſpicua inde eſt ratio, quare qui ſenſibilioris ſunt naturæ, ſanguine & ſpiritibus abundant, qui cholerici & ſanguinei ſunt, non modo expeditiorem evacuationem per alvum ordinario habeant, ſed & a purgantibus celeriorem & faciliorem effectum ſentiant. Hæc quoque eſt cauſa, quod ſub æſtatem atmoſphæra valde tenui & fluida exiſtente, & in corporibus motu exagitatis facillime ſuccedat purgatio. Idem fit, quando purgantia cum vehiculis calidis & ſpirituoſis aſſumuntur, hinc vidimus cum vino calido, item cum ſpiritu vini dulcificato purgantia aſſumta feliciſſimæ fuiſſe operationis. Contra per irrefragabilem experientiam compertum eſt, corpora languida, ſegnia, torpida, ubi vires & ſpiritus deficiunt, fibræ ſenſus & motus debilioris, temperamentum pituitoſum & melancholicum eſt, motus & laboris expers, cœlum triſte & nubilum, valde difficilem ipſa purgantium operationem ſentire. Quibus aperte liquet non proxima ratione purgantia hunc effectum præſtare in inteſtinis, ſed ſaltim mediate.

6. Deinceps hæc noſtra ſententia eſt, principium, quo agunt purgantia, & quocunque modo alvum ſtimulent, eſſe merum ſalinum, quod vellicando, ſcindendo, pungendo, fibrillas nerveas & naturam ad motum periſtalticum intenſiorem incitat & provocat. Et clariſſime hoc demonſtrabimus iis, quæ ſequuntur; omnis generis ſalia ex regno vegetabili & minerali deſumta facultate pollere laxante & purgante: neque hic admittimus ſpecifica ſui generis ſalia eſſe, quæ inteſtina commoveant, ſtimulent, in aliis vero partibus id non faciant: ſed potius aperte profitemur, omnia ſalia, quæ extricata ſunt, ſui juris, quæ ipſum guſtum afficiunt, linguamque feriunt & vellicant, eſſe debita in quantitate ſumta etiam alvum ſtimulantia. Excipimus tantum volatilia ſalia, urinoſa, quæ quoniam nimis cito per poros avolant, hoc effectu deſtituuntur, & magis ſudorem ac urinam pellunt. Excipimus porro omnia cauſtica ex regno animali deſumta, quæ veſicatorium effectum exſerunt & ſale ſubtili cauſtico ſcindente imbuta ſunt, cujus generis ſunt cantharides, millepedes, ſcorpiones, araneæ, vermes maiales, bufones, quæ fortia ſunt diuretica, minime autem purgantia, nam ex toto regno animali nec unicum nobis notum eſt corpus, quod cum certo ſucceſſu purget. Nam utut certis in corporibus, præſertim inſectis, inhabitent ſalia tenuiſſimæ cauſticæ indolis, ea tamen propter nimiam exiguitatem & volatilitatem non apta ſunt linguæ papillulas nerveas, multo minus inteſtinorum tunicas, commovere.

7. Equidem quod non omnia ſalia purgantis ſint virtutis, ex eo evincere allaborant, quod piper, zingiber, ceu fortiſſima ſalia ſtimulantia, alvum potius ſiccent, quam ipſam fluidam ſervent; veruntamen non negamus hæc dicta acerrimo ſale eſſe fœcunda. Aſt quoniam copioſo ſale alcali tam fixo & volatili, nec non ſulphureo ſcatent, potius in ſanguinem operantur, calorem & motum ejus inteſtinum movendo, unde calefaciunt, exſiccant & humores a centro ad circumferentiam commovent. Diximus vero antea omnia ſalia alcalia volatilia & ſulphurea ſtimulo ſuo plus agere in ſanguinem, quam in ipſa inteſtina.

Unde

Unde etiam radix armoraciæ, raphanus, piperites, ſedum vermiculare, radix ari, quæ acerrima ſunt, magis ob eandem rationem ſudorem & urinam cient quam ut ſedes moveant. Quapropter ſtatuimus ſal acidum, præſertim ſi cum aliis ſulphureis particulis varie mixtum ſit, eſſe palmarium purgantium elementum. Id quod probamus maxime exinde, quoniam, uti diximus, nullum ſal volatile urinoſum purgat; ſed omne quod purgat, ſive ſit deſumtum ex regno vegetabili, ſive minerali, in mixtionem ſuam acidum principium admittit. Acida enim naturæ ſunt fixioris, partes habent ſolidiores & conſtantiores, figura gaudent magis ſcindente & purgante præ alcalinis.

8. Clarior autem hæc aſſertio fiet per ſequentia, dum varia minus cognita purgantia recenſere animus eſt. Verum enim vero objicitur hic vulgo, quod, quoniam affuſione acidorum mineralium ſpirituum purgantia etiam draſtica caſtrantur & exuuntur ſua virtute, eſſe purgantium elementum magis alcalinæ indolis; quibus reſpondemus: imbecillum eſſe hoc argumentationis genus, ſi acida privant purgantia ſua virtute, ergo in alcali conſiſtit eorum energia. Nam videmus emeticam antimonii vim ſufficienti quantitate ſpiritus nitri affuſa, ſive cum tripla portione nitri deflagret, exſpirare, neutiquam tamen exinde elicitur antimonii vim emeticam conquieſcere in alcali. Quin imo ipſa tinctura ſalis tartari acris omnia draſtica purgantia, colocynthidem, gummi guttæ, helleborum, omni vehementia purgante exuit & privat. Ita quoque eadem encheireſi veſicatoria cantharidum qualitas debilitatur, vel plane deſtruitur. Potius hæc fortiora exceſſiva ſalia, quoniam totam craſin, ſchematiſmum, ac mixtionem corporum mutant, aliamque partium diſpoſitionem & configurationem efficiunt, alium quoque introducunt effectum ac virtutem antiquam deſtruunt.

9. Expoſito ſic elemento, quo & per quod agunt purgantia, ſequitur jam, ut partim rariora, minuſque cognita, partim etiam ſelectiora ex minerali & vegetabili regno ſigillatim, eo tamen, quo fieri poterit, compendio, recenſeamus. Prodeat itaque in ſcenam regium illud metallum aurum, quod per ſe fixiſſimum & omnium in hoc univerſo graviſſimum, quod niſi fuerit ſolutum, omni penitus effectu in corpore caret. Simulac vero degenerat in ſalinam & vitriolicam naturam, commixtione variorum ſalium, ſive liquidorum ſive ſiccorum, acquirit virtutem, non modo alvum ſed & alia emunctoria ſui officii admonentem. Ita verbi gratia ſolutio auri in aqua regis facta, inſpiſſata & cum ſpiritu vini rectificato diluta, & inſtillata ad aliquot guttas aquæ fontanæ placide & egregie aliquot ſedes movet. Auri fulminantis virtus expurgans nemini non jam cognita eſt; accipit autem hanc ipſam tantum a particulis nitroſis intimius actu ſolutionis & præcipitationis auri minutiis commixtis, dum nempe ex commixtione aquæ regis & liquoris alcalini reſultat nitrum, quod poris auri ceu corporis fixi inhærens hunc ſtimulandi producit effectum. Ab hoc quoque dependent auri fulminantis vis, de eoque obſervavimus, ſi fortius fulminat, vehementius etiam movere alvum; contra vero debilius etiam hoc agere, ſi parum vel plane non fulminat. Experientia porro confirmat omnes ſolutiones & liquores auri, qui ſub ſplendidis titulis medicinæ univerſalis vel potabilis auri venduntur, ſæpenumero in majori doſi ciere alvum, non ſine fructu: ita exempli gratia, quando in ſolutione ſalis communis, nitri, tartari vitriolati coquuntur folia auri, poſtea maſſa exſiccatur, & hæc maſſa exſiccata extrahitur ſpiritu vini, exſurgit elegans tinctura aurei coloris, quæ chalybem quoque egregie tingit aureo colore, & in nonnullis ſubjectis efficaciter ſordes educit alvinas. Referri etiam huc debet famigerati hujus loci remedii, quod eſſentiam dulcem vocant, operatio, quæ in diſpoſitis ſæpius fortiter purgat. Verum quoniam in recenſitis ex auro paratis purgantibus exiguum ſæpe eſt ſalis, minus etiam purgare eadem ſolent, aſt ſi major accedat ſalium copia fortior quoque ſuccreſcit in purgando effectus. Ita verbi gratia granum unum auri fulminantis bene trituratum cum arcani duplicati ſcrupulo & croceo colore, & metallico auſtero ſapore hoc ipſum imbuit. Talis pulvis in Sereniſſima ultra viginti ſedes nuper provocavit.

10. Obſervamus quoque ipſum fulminans aurum quando non ſufficienter edulcoratum fuerit, plus ducere alvum, quam ſi ab omni ſalino contagio fuerit magna de induſtria elotum. Denique circa hæc ex auro parata remedia non ignorari oportet, longe majori utilitate & conſilio ipſa præſcribi in corporibus torpidis, cachecticis, infantilibus etiam, ubi inteſtina mucoſa & verminoſa ſaburra ſunt obſeſſa, neque tam felicem eorum ſucceſſum eſſe in ſenſibilioribus & bilioſis ſcorbuticis ſubjectis. Deinde animadverſionem deſiderat hoc, quod tutiora perpetuo in forma liquida ſint ex auro parata, quam ſicca; metallum enim hoc omnium graviſſimum plicis & tunicis inteſtinorum tam firmiter inſidet, ut non tam facile elui poſſit, unde concurſu acidi ſolutum & vitriolicum factum vim inferre loco, cui inhæret, quam facile poteſt.

11. Deſcendimus jam ad argentum, & an ex hoc quoque prodeant remedia alvum ſolventia, ſcrutabimur. Qua de re non amplius dubitandum eſt, dum a peritiſſimis Chymicis lunæ cryſtalli catharcticæ & hydragogæ celebrantur, & ab illuſtri Boyleo pilulæ ex ipſis paratæ ad educendas hydropicorum aquas ceu ſpecificæ commendentur: nec ſine ratione, nam ſtrenue a colluvie ſeroſa deplent inteſtinorum canalem, idque unice faciunt, quia rodendo & vellicando inteſtinorum tunicas & glandulas majorem motum periſtalticum & majorem affluxum ſeri procurant; nemini enim in medicina verſato ignotum eſt, dictis cryſtallis feliciſſimo cum ſucceſſu inuri fonticulos. Et porro omnes ſolutiones argenti alvum ducente virtute per experientiam claræ ſunt. Ita argentum purum, ſolutum in aqua forti, poſtea inſtillatum ſpiritui vini rectificatiſſimo largitur liquorem, qui in ſufficienti quantitate ad guttas decem & ultra liberaliter & ſine torminibus ſedes facit. Succedit autem experimentum magis ex voto, quando ſecundum proceſſum Monteschnideri argentum cum regulo antimonii miſcetur & pulvere fulminanti tractatum vertitur in cineres, qui expoſiti aeri, ſal vitriolicum elegantiſſimum, ſplendidis miculis conſpicuum præbent, quod in aqua ſolutum, nobile medicamentum ad detergendas in primis viis ſordes conſtituit. Magiſterium etiam lunæ præcipitatione cum ſale communi confectum, debita doſi, pituitam per alvum educit, & hydropicis & melancholicis confert. Cæterum notum eſt, quod in chronicis affectibus capitis, præſertim epilepſia, vertigine, in putredine quoque verminoſa infantum, veteres remedia ex luna laudibus magnis extulerint. At vero quicquid boni præſtant laudatis in affectibus, id ſaltim fit, cum ſucceſſive detergant, reſolvant, & viſcoſitates e primis viis deducant. Valet circa uſum cautela B. Hoffmanni *in clave pag.* 280. quæ eſt, ut non nimis crebro exhibeantur, quia alias noxam inferre poſſunt. Addimus quod magis pituitoſis, ſegnibus & torpidis naturis conveniant, quam activioribus.

12. Progredimur jam ad cuprum, & quænam ex ea repeti poſſint alvum irritantia circumſpiciemus. Ejus vis draſtica ventriculum ſubvertens & nauſeoſa, vomitoria, nemini non ignota eſt, adeo ut univerſaliter pronun-

pronunciandum ſit: omnia ex cupro parata, præſertim in pleniori doſi, eſſe emetica, cujus rei ratio in eo conſiſtit, quoniam ſulphur mercuriale valde activum penetrans cum acidi mixtura celerrime agit, mox in ventriculi fibrillas corroſivitatem exſerit. Enim vero, quando cupri cum ſpiritu urinoſo, qui nullum aliud metallum præterquam hoc ipſum aggreditur & ſolvit, diſſolutio inſtituitur, tincturam pulcherrime cœruleam concedit, quam debita doſi, refracta nempe, & convenienti vehiculo propinatam inteſtina a ſordibus per aliquot ſedes liberando, in epilepſia infantili ex primis viis, febribus intermittentibus, & ex vermibus prodeuntibus ſymptomatibus non contemnendam opem tuliſſe ferunt. Operoſe vero talis cœrulea tinctura ex luna cupro infecta, operoſius ex vitriolo, & operoſiſſime ex limatura martis petitur. Nam obſervationem meretur, quod famigerata iſta cœrulea tinctura, quæ ex Sileſia etiam ad noſtras regiones transferri ſolet, & pro tinctura martis venditatur, & ex martis etiam limatura, ſalibuſque præſertim ſale ammoniaco conficitur, ſuum colorem unice debeat veneri, quod minus curioſis paradoxum videtur. Verum qui conſiderat metallorum mutuum conſymboliſmum & affinitatem, & quod omne fere argentum quædam ramenta auri, omne fere plumbum particulas argenti, & omne ferrum aliquid veneris in ſinu ſuo complectatur, ille facile capiet rationem, quare ex contextu & involucro martiali cuprum latitans non niſi ſalibus penetrantiſſimis eliciatur. Conſtat autem frequenti experimento, de hac dicta tinctura cœrulea, quod pleniori manu exhibita, & vomitum & alvum quoque ciere ſoleat. Circa venereorum autem uſum monemus, ut ob metum corroſivitatis valde moderatus ac parcus ſit, præſertim ſi cum acidis menſtruis ex ipſo remedia fuerint parata.

13. Num ex marte magis inſonte metallo peti poſſint alvum ducentia, res exquiſitiorem indaginem meretur: & quemadmodum nullum metallum, niſi ſolutum & vitriolicum factum operatur in corpore: ita etiam mars, niſi ſolvatur, omni efficacia exuitur. Quapropter ſi quis limaturam martis in ſubſtantia præſcribere velit, opus eſt ut circumſpiciat, an acidi in ſinu ventriculi oberrantis præſentia ſit, tunc operatio ſuccedere ſolet non infructuoſa. Nam acidum abſorptum degenerat in vitriolum, quod ſæpius alvum liberaliter ad quinque vel ſex ſedes cum appetitus, virium, caloris interni ſuſcitatione non ſine fructu in quibuſdam ſubjectis movet, imo ipſum vitriolum martis ad drachmam unam vel duas, modo in ſufficienti quantitate aquæ diluatur, egregie per inferiora operatur. Videmus id clariſſime in acidulis, quarum virtus dejectoria notiſſima eſt, quæ plerumque vitriolo martiali debet. Quin imo omnes tincturæ martiales quæ cum blandis vegetabilium ſuccis & menſtruis ſunt confectæ, verbi gratia cum ſucco pomorum borſtorffianorum, cydoniorum, tamarindorum, ſucco pomorum chinenſium, largius ad cochlearia duo datæ alvum egregie expediunt. Subjiciendum vero hoc loco eſt, quod martialia non ſemper in alvo ducenda correſpondeant voto, ſed quandoque ſtringendo contrarium exſerant effectum, præſertim ubi humores incraſſati ſunt, & ſpaſmodicis conſtrictionibus inferiores partes adſuetæ.

14. Ex Jove ſuppeditari alvum ſtimulantia perinde in ſcholis medicis incognitum, nihilominus certiſſimum eſt: nam ſal ſtanni virtute laxante & anthelmintica eminet & experimentum cum vulgari ſtanni ſolutione fieri poteſt, quæ ad drachmam unam cum vehiculo aquoſo data vehementer alvum exercet. De Saturni ſale dubium quoddam reſtat, an hoc ipſum etiam ſit laxantis naturæ, potius communi ſuffragio Medicorum moleſtam alvi conſtrictionem facit & ad tormina diſponit. Alii virtutem emeticam ipſi tribuunt, quod ſolutio lithargyrii cum aceto facta & ad cochlear unum ſumta vomitum & alvum cum violentia moveat. Verum cum, loco lithargyri minium ſi recipiatur, effectus idem non ſequatur, ideo draſticam illam vim a cupro, quod lithargyrio admiſcetur, dum argentum ſeparatur, rectius deducunt. Merito igitur ſaturnina ceu ſtiptica & auſtera ex claſſe laxantium proſcribimus. Devenimus jam ad mercurialia, quorum ſumme vehemens vis cauſtica in proritanda non modo alvo, ſed & vomitu, ſalivæ fluxu ex læſione, inflammatione omnibus apertiſſima eſt, & effectum inde producunt. Notiſſimum porro, quod ſicuti cætera metalla, ita hydrargyrum etiam purum niſi fuerit ſolutum, in & extra corpus in magna quantitate ſumtum omnis violentiæ expers ſit: ſimulac vero contactu acidi ſolvitur & in ſal degenerat, ſumme venenoſum evadit.

15. Ordine jam perducimur ad mineralium familiam, ex quibus principatum ducit ipſum ſtibium. Ex hoc purgans tutum diu curioſi rerum chymicarum ac medicarum ſcrutatores deſiderarunt, ſed adhuc exſpectationi votum non reſpondit. Potius antimonium ex emeticis omnium optima in exili doſi generoſiſſimæ operationis ſubminiſtrat. Ubi quidem non negandum eſt, poſt vomitus alvum etiam ſimul fluere, tale vero, quod tantum purget, nondum hactenus inventum eſt. Illud autem non prætermittere hoc loco voluimus, quod vehemens illa vis, quæ in emeticis antimonialibus conſpicua eſt, identidem a connubio acidi cum mercuriali ſtibii parte ſit petenda; nam crudum antimonium ſine noxa, imo cum fructu inſigni certa quantitate a quibuſdam ſolet offerri. Simulac vero ſulphur a ſubſtantia mercuriali ſeparatur, & tenue acidum, inprimis tartareum, ingreſſum in hanc ipſam invenit, ſumme violenta inde exſurgit operatio. Et hæc eſt cauſa, cur vitrum antimonii vino infuſum ipſum reddat emeticum, & tartarus coctus cum hoc ipſo ſal emeticum paratiſſimæ operationis conſtituat. Mercurius vitæ quoque, ſi non ſufficienti lotione a ſpiculis acidis privatur, valde violentus eſt; quæ omnia docent, acidum eſſe in cauſa, quod metallicam & mercurialem ſubſtantiam ita armet in venenum.

16. Verum longe magis optatum ipſa ſalia ex minerali regno edunt effectum. Nam ſi ſal primum eſt ſtimulans & præcipuum fundamentum purgatricis efficaciæ, facile conſtat, in ſalibus etiam eminentiori gradu hanc ipſam cuſtodiri. Quod etiam res ipſa confirmat. Salia enim omnia, quæ natura profert neutra, quæ artis etiam ſunt producta, dummodo in convenienti adhibeantur quantitate, ſemper ſtrenue alvum movent. Et primo examen ſubeat ſal commune, cujus virtus alvum dejectoria non omnibus æque nota eſt. Aſt ſi una uncia in dimidia menſura aquæ ſoluta hauriatur, ſine moleſtia ultra ſex ſedes provocabit, & eam ob cauſam ipſi fontes, qui ante aliquot annos celebres erant Hornhuſani, circumſpecte poti, quibuſdam inſigne levamen afferebant, ſatis fortiter & celeriter purgabant: non vero aliud elementum, quam verum ſal commune magna in copia, in parciori autem ſal quoddam nitroſum calcareum complectebantur. Et duobus ab hinc annis Staſfurti ſcaturientes fontes valde inſigni purgandi virtute pollebant propter ſal commune, quod in copia continebant. Imo quotidiano docemur experimento, quod ab eſu halecis mox citatiorem alvum experiamur, qua de cauſa a nonnullis Medicis præſertim Viennenſibus loco medicinæ commendatur. Effectus vero purgans & ſtimulans hujus ſalis notiſſimus eſt inter clyſteres, nam certe una drachma ſalis communis in clyſteribus plus præſtat quam uncia una aliorum purgantium, & ſi quando reliqui omnes clyſteres ſubſiſtunt, & carent effectu,

effectu, clyſter ſalinus tantum ex ſale & aqua paratus certiſſime eam reſerabit, & reliquos ad exitum promovebit.

17. De ſalis nitri laxante virtute nemo eſt ex Medicis, qui ulterius dubitet, unde etiam ubi metus eſt alvi fluxus, ab ejus uſu cavere ſolent. HARTMANNUS *in praxi* miſcet nitri unciam cum menſura una aquæ pro potu febricitantium. SCHROEDERUS in hunc locum ſcribit, quod non tranſcendat ſcrupulos quatuor & tamen ſæpius alvi fluxus concitet. Nos in omnis generis febribus non melius novimus remedium ipſo nitro tam propter virtutem refrigerantem, quam ob id, quod alvum ad fluiditatem diſponat, quod beneficium tanti eſt, ut non ſatis ad ſanandas febres poſſit æſtimari. Quoniam vero de vitriolo jam ſuperius mentionem injecimus, de nitroſo, calcareo, neutro, amaricante ſale, quale in copia nonnulli fontes cuſtodiunt, etiam aliquid dicendum eſt. Aſſerimus vero plurimas acidulas Germaniæ ſcatere tali ſale nitroſo neutro, arcano duplicato valde proximo, & ob id ſuam aperitivam purgantem virtutem accipere; ſicuti in *Diſſertatione de methodo examinandi aquas ſalubres* latius demonſtratum eſt. Abundantiſſime hoc ſal etiam in fontibus Egranis exiſtit, ex quibus quoque magna in copia arte paratur, Schwalbacenſibus, Wildungenſibus, Tonſteinenſibus, & omnis effectus ſpiritui æthereo & huic ſali eſt adſcribendus. Quod exinde diſcimus, quando videlicet ſal ex Egranis aquis, elegantiſſima arte productum, ſumimus ad unciam unam & in aqua ſufficienti ſolvimus, emergit liquor, qui totus hauſtus quinque vel ſex ſedes ſine omni moleſtia movet, appetitum excitat, & magnos effectus in chronicis morbis edit. Sæpius in me ipſo & in aliis cum arcano duplicato feci experimentum, & ad unciam unam in menſura dimidia aquæ ſolutum hypochondriacis, intermittentibus lentiſque febribus laborantibus egregio cum commodo propinavi. Suſtulit ſæpe unica doſis febres, & ſedes tres vel quatuor movit.

18. Hujus commatis quoque ſolet eſſe ſal illud ex alumine paratum febrifugum purgans, de quo mentio reperitur in. B. HOFFMANNI *clave pharmaceutica pag.* 348. *Ego*, inquit, *ex alumine cum alcali quodam combinato egregium novi conficere ſal cryſtalliſatum abſterſivum purgans, tutiſſimum in febribus & aliis affectibus, ubi curatio alias per colliquativa purgantia non facile expedienda eſt, uſurpandum. Doſis eſt a ſcrupulo uno ad drachmas duas vel ultra in brodio calido, habet vim ſaponariam, abſterſivam ac diureticam.* Ipſe hoc ſal loco arcani duplicati frequentiſſimo habeo in uſu, quod in omnibus huic eſt ſimile, ſed extendi ejus doſin in fortioribus ad unciam ſemis, imo ad unciam unam, ubi alvum in iis ſubjectis egregie aperit, quæ alias fruſtra purgantibus exercentur. Obſervavi de laudato ſale aliquoties hoc peculiare, quod affrictu in tenebris lucem ſparſerit.

19. Notabile porro eſt, quod alumen ſtyptica virtute alias clarum certa quantitate mixtum cum ſale communi & aqua coctum & ad cryſtalliſationem repoſitum degeneret in ſal amaricans auſteritatis expers, quod ad drachmas quinque vel ſex datum cum ſufficienti quantitate potus egregie ſedes movet. Breviſſimis; omnia ſalia neutra, tartarus tartariſatus, tartarus vitriolatus, tartarus nitratus, terra foliata tartari, ſolutio oculorum cancri, ſufficienti in doſi, & cum largo vehiculo ſumta, egregie primarum viarum ſordes aliquot ſedibus ſine ullo incommodo languore vel violentia expurgant. Et unice id in exhibitione horum remediorum deſidero, quod in certis caſibus non dentur in ingenti doſi, nec eorum uſus continuetur. Quod autem in ſalibus potens inſit vis expurgandi humores per alvum, vel hoc ipſum evidenti teſtimonio eſſe poſſet, quod ad acuenda purgantia, eorumque efficaciam intendendam ſalia addita egregie inſerviant. Ita ex ſagacioribus medici ſalia dicta neutra paucis ſaltim granis verbi gratia diagrydii, jalappæ, admiſcere conſueſcunt, & obſervarunt, quod unum granum diagrydii cum ſcrupulo ſemis tartari vitriolati mixtum plus operetur, quam ſi ad grana ſex diagrydium fuerit ſumtum, quod etiam valet in cæteris.

20. Perluſtravimus hactenus ſalium mediorum claſſem quo modo & qua doſi alvum laxandi vim habeant. Aquas quoque minerales laxantes ob idem principium ſalinum efficaces obſervavimus. Dicendum jam etiam eſt de nonnullis vinis, quæ in convenienti quantitate ſumta eximie alvum aperiendo multas ſordes educunt. Referri huc maxime debent vina Moſellana, quæ non modo propter temperiem, qua gaudent, & diureticam virtutem æſtumatiſſima ſunt, ſed quod peculiariter alvum altero die ſatis ſtrenue moveant, qua de cauſa etiam omnium ſaluberrima ſolent judicari. Cauſas hujus peculiaris effectus ſi exquirimus, non alias invenire in expedito eſt, quam quod copioſo ſale, non tam tartareo, quam potius nitroſo calcareo ſcateant, cui ipſorum virtus eſt tribuenda. Relatum namque nobis eſt, quod ubi vites creſcunt ſolum valde fœcundum ſit ſale nitroſo tartareo amaricante, a quo etiam plurimi fontes & aquæ, teſtibus Tonſteinenſibus, ſaporem ſalubremque virtutem mutuantur. Hoc ſal cauſa quoque eſt, quod hæc vina amariuſculum ſaporem præbeant, virtute diuretica & aperitiva prædita ſint, nec facile inebrient, inque ſubjectis & morbis calidis, æſtate quoque melius aliis ferri poſſint.

21. Expoſita ſic virtute ſalium mediorum deterſoria, ſequitur ut circumſpiciamus, num acidis, ſive in forma ſicca, ſive fluida conſiſtant, etiam eadem virtus poſſit attribui. Occaſionem dubitandi ſubminiſtrat, quod acida adſtrictivæ ſint indolis, ſtimulum bilis enervent, poros conſtringant, humores incraſſent; at vero non perpetuo id eſſe verum ſequentia indicabunt. Spiritum ſalis rite præparatum diureticum eſſe in eo hactenus, ut memini, convenerunt omnes, ſed laxante virtute inſtructum, paucos memini, qui adfirmarunt, verum hoc experientia diſcimus. Degit Cizæ non imperitus Chymicus, qui ſequentem in modum hoc ſpiritu utitur. Inſtillat nempe ipſum ad guttas decem in menſuram dimidiam aquæ fontanæ. Hanc mixturam mane jejuno ventriculo ſimul & ſemel hauriendum imperat, in calore præternaturali, febrili, bilis commotione ab iracundia, a copia vini, ita egregie præcipitat æſtum, ſitim exſtinguit, aliquot ſedes alvinas movet, urinam pellit & appetitum excitat. A ſpiritu nitri inſtillato eximia quantitate julapiis pro extinguendo calore febrili, quam methodum uſu quondam habuit Mindenſis practicus, alvum inde fluidam redditam non ſine notabili emolumento vidi; aliquando tamen a paulo liberaliori inſtillatione hujus ſpiritus etiam ſanguis prodiit, verum ſine damno. Clyſſus antimonii ſulphuratus quod ſimilem in finem potui intermiſceri ſoleat, practicis notiſſimum. Hic autem nonniſi ſpiritus nitri & ſulphuris, penetrantiſſime acidus eſt. Meretur huc adduci, quod de hoc ſcribit WEDELIUS *in libro de medicamentorum facultatibus pag.* 152. *Acidulæ*, inquit, *artificiales, ſive clyſſus antimonii ſulphuratus alvum ducit & ſimul uti & acidulæ naturales urinam pellit.* Hinc in praxi obſervamus, tota die potui febricitantium inditum alvum apertam tenere, ut hoc loco & largior paulo aſſumtus iiſdem non noceat. De ſpiritu vero & oleo vitrioli major eſſe poſſet dubitatio: verum, ſi in notabili quantitate offertur & magna copia aquæ ſuperingeritur, certiſſime & alvum laxabit. Quinimo ipſum

ſum elixir proprietatis ſecundum PARACELSI methodum vulgariter paratum cum ſpiritu & oleo vitrioli, teſte experientia, plus laxat ducitque alvum, quam ſi ſine acido vel liquore alcalino fuerit confectum. Et quod attinet ad oleum vitrioli, & hoc ipſum quod vehementer ſatis exerceat alvum, confirmat uſus elixirii ſic dicti polychreſti purgantis, quod in pharmacopolio Glauchenſi proſtat. Paratum hoc eſt ex oleo vitrioli, ſpiritu vini & purgantibus, acidiſſimum eſt corroſivum, valde amarum. Hoc in febribus ardentibus ad guttas viginti aliquoties de die cum regimine propinare ſolent, ut magnam quantitatem cereviſiæ tenuis ſuperbibant, non ſine ſucceſſu, uti aliquoties, ubi deſperata cuncta videbantur, obſervatum fuit. Credibile eſt, ab acido vitrioli tunicas ventriculi rodente & vellicante plus dependere hunc effectum, quam ab admixtis purgantibus, quorum energia, uti notum eſt, ab acido tam forti valde cicuratur.

22. Dum hæc ſcribimus, in memoriam incidit, non ita pridem a duobus Medicis collegiis, quod hodierno tempore incredibile viſum, renunciatum fuiſſe ad acta famam & vitam concernentia, ſpiritum vitrioli ſingulis diebus ad guttas decem per menſis ſpatium ſumtum mortem ex abſoluta neceſſitate intuliſſe, cum tamen ab hujus uſu ægra bene valuit, menſes habuit, donec poſt octo ſeptimanas inflammatione anginoſa fuerit exſtincta. Cujus mortis cauſam, per aſſumtum ſpiritum vitrioli, qui inter acida corroſiva imbecillimus, per tantum temporis ſpatium inaudito exemplo ſine corroſione exiſtentem, quo ratiocinio ſolito, & connexione cum phyſico-mechanicis principiis, quaque certa & vera experientia ſtabilire & corroborare poſſint, adhuc deſideratur. Spiritui vitrioli occultam quandam virulentiam adſcripſerunt quidam ex Veteribus, ſed meliora experimenta chymica & practica edocti plane contrarium adſerunt, & crudum ſpiritum vitrioli phlegmate ſuo ſulphureo, quod HELMONTIUS realgaris nomine inſignavit, ſaluberrimum judicant, experientia communiſſima tot hominum talem ſpiritum cum fructu quotidie fere uſurpantium id ſuadente. Turpe eſt ſane in rebus, ubi certitudo haberi poteſt, opinionibus & conjecturis ſolis plus fidere, quam inquiſitione accuratiori rem tractare.

23. Verum ut in viam redeamus, utique acida egregio pollent laxandi effectu. Videmus id manifeſto in cremore tartari, imo in tartaro crudo, in ſale acetoſellæ eſſentiali, ſale ſuccini bene temperato acido, tamarindis acidis; hæc in doſi debita alvum non modo lubricam & laxam, ſed quandoque fluidiſſimam reddunt. Nam ſi ſola, uti noſtra eſt ſententia, irritatio, vellicatio, arroſio, non tam in una parte inteſtinorum, ſed in pluribus ſimul ſufficit, ut motum periſtalticum inteſtina intendant, & alvi fluxum ſecundent, acida id optime perficere poſſunt. Monendum tamen circa eorum uſum judicavimus, ut ubi pectus laborat vitio, ubi bilis deficit, diſpoſitio ad ſpaſmos, ad melancholica, hyſterica & hypochondriaca pathemata eſt, ubi excretionis ſanguineæ conſuetæ ſuppreſſio eſt, ut nos, quoad fieri poterit, ab eorum uſu temperemus. In omni autem bilioſa, præcalida, ſanguinis & humorum commotione, alvique inde pendente ſiccitate, horum uſum magni facimus.

24. Ulterius devenimus ad hanc quæſtionem, num in ſalibus fixis alcalinis virtus alvum aperiens quoque latitet? minus quidem hoc notum eſt, nec in ullam hac de re in medicorum libris invenimus mentionem. At vero ſi experientiam ante oculos toto die verſantem conſulimus, debemus utique id ipſum pleniſſime adfirmare. Nam ſi ſpectamus thermas plurimas Germaniæ, præſertim Carolinas celebratiſſimas, hæ copioſiſſimum fixum alcalinum ſalem in ſinu ſuo recondunt, quod etiam arte ex iis extrahi poteſt; videatur Diſſertatio noſtra *de methodo examinandi aquas ſalubres*. Jam vero quem latere, niſi imperitum, poteſt, has thermas, modo ſufficienter potentur, ſine ullo incommodo, dolore aut moleſtia alvum decem vicibus & ultra pauco tempore ſollicitare. Ut autem certior res fieret, ſumſi hoc ſal extractum ex thermis iſtis, ſecundum omnia ſali tartari ſimillimum, & ejus unciam ſolvi in menſuris duabus aquæ, idque in aqua calida ſolutum bibi: ſimilis, purgans, diaphoreticus & diureticus reſpondit effectus. Neque dubitari poterit, thermas non poſſe artificio imitari, modo ſal alcali ex calcaria terra & ſpiritu acido minerali paratum ſumamus, idque ſolvamus in aqua calida; ſed hanc rem alibi fuſius deduxi.

25. Conſideravimus hactenus ea, quæ partim ſubterranea loca, partim chymica ars ad alvum expeditam fluidamque reddendam nobis largiuntur. Ordo jam poſtulat, ut etiam, quæ ex vegetabilibus poſſint depromi in uſum medicum, circumſpiciamus. Dicimus vero primum, pleroſque fere ſuccos plantarum, quæ odore carent, ſapore autem amaro & nitroſo vel acido pollent, deterſiva & laxante virtute gaudere. Ex his commendari merentur ſuccus aſparagi, betulæ, braſſicæ, cardui benedicti, radicis cichorei, centaurii minoris, anagallidis, fumariæ, ſcabioſæ, epithymi, portulacæ, graminis, hederæ terreſtris, lactucæ, mercurialis, atriplicis, ſcordii, ſenecionis, & dulcium fructuum. Tales ſucci prius calefacti & in debita quantitate poti, vel ſoli, vel cum ſero lactis, aut aqua calida, egregiam virtutem aperitivam alvum laxantem exſerunt; ineſt enim dictis hiſce herbis ſal elegantiſſimum ſubtile tartareum & nitroſum, quod eſſentiale vocant, & arte quoque ex ipſis poteſt extrahi. Placet huc adducere eximium locum ex PECHLINI *obſervationibus, ſcilicet obſ. 9. pag.* 357. ubi ait; *cichorei ſuccus plurimo nitro abundat, quippe quod Chymici dexteritate inde extractum vulgaris nitri inſtar & figuratum & inflammabile vidi: item in portulaca, ſucculentiſſima planta, obvia quoque eſt nitri copia, quando illud cryſtalliſatum in totidem angulos facieſque excreviſſe obſervavi.*

26. Præterea ex vegetabilium claſſe plures herbarum & arborum flores ſubtili ac tenero ſale acri, viſcoſis particulis immerſo, fœcundi ſunt, & ob id blande alvum molliunt, eamque ducunt. Ejuſmodi generis ſunt flores perſicorum, acaciæ, violarum, bellidis, borraginis, calcatrippæ, cheiri, item roſarum recentium, hepaticæ nobilis, fumariæ, rhapontici veri, ebuli, qui vel cum infuſo in vino, vel expreſſi in ſuccum, tempore præſertim vernali, egregie alvum commovent. Intenditur vero eorum vis, ſi aliquid de tartaro, agarico, aromatibus adjiciatur. Ex ſeminibus vegetabilium ſemen violariæ in emulſionem redactum gratiſſimam eleganti virtute non ſaltim diuretica ſed & purgante pollet, ut drachma una quatuor ſedes quandoque ciere ſoleat. Valde accommodatum eſt infantibus, & iis qui nauſea medicamentorum afficiuntur. Virtus hæc præſtantiſſima adeoque commendatiſſima hujus ſeminis parum nota eſt; meminit ejus SCHROEDERUS *in pharmacopœia, qui lib. IV. p.* 147. hæc habet: *ſeminis violarum uſus rarus eſt, iſque in obſtructione renum, ubi emulſionibus potiſſimum inſervit, de quibus nota, quod plerumque vomitum ac ſeceſſum moveat.* Verum monendum, quod virtus emetica accipienda ſit de recentiſſimo ſemine. Nam generalis eſt regula, quod omnia purgantia ex vegeta-

vegetabilibus, ſi fuerint recentiſſima, ob ſal acre volatile cum alvo ſimul provocent ventriculum ad vomendum.

27. Progreſſum jam facimus ad ea vegetabilia, quæ reſina quadam ſubtili acri pollent, ex quibus aliqua delibabimus, quæ ſunt tuta, utut non valde uſitata. Maxime omnium vero non ignorari oportet, omnia reſinoſo-gummata, quæ multum olei & ſpiritus acidi per deſtillationem fundunt, & acredinem in lingua relinquunt, laxante quadam virtute gaudere. Ita, verbi gratia, gummi galbanum, ſagapenum, ammoniacum, bdellium, opoponax, myrrha qualitate ſtimulante imbuta ſunt. Gaudent enim ſubtili acri ſale, quod enaſcitur ex commixtione olei & acidi, quibus conſtat. Quapropter non ſine ratione veteres & recentiores hæc gummata in pilulas receperunt, hypochondriacis convenientes, quo nomine Quercetanæ, Conerdingianæ claræ ſunt. Abſtinendum tamen ab iis eſſe cenſeo, quando humores bilioſi, fervidi, prædominium habent, & phlogoſes atque exæſtuationes cauſantur. Ob eandem cauſam nempe, ſal tenerum acre immerſum particulis ſulphureis, etiam terebinthina, Peruvianum balſamum, liquida ambra, reſina ladani, ſtimulante ſua virtute ad alvum aperiendam faciunt. Coni abietis in principio veris collecti, & loco thee cum aqua calida infuſi, & ſaccharo canto melioris gratiæ ergo edulcorati, ſcorbuto frigido affectis eximie ſuccurrunt. Nam non modo urinam cient & alvum apertam tenent, ſed & humorum & ſanguinis maſſam commovent, & excretionem totius corporis optimum in modum ſecundant.

28. Inſuper egregium ſtimulans latitat in ligno guaiaco; hoc non modo copioſa reſina, ſed & acerrimo ſale imbutum eſſe variis experimentis evinci poterit. Præter alia vero ipſius decoctio facta in aqua communi, ſapore teſte, id comprobat. Hæc ſi inſpiſſatur, largitur magma odoris balſamici, ſaporis acris, quod naribus exceptum potenter ſternutamentum movet. De quo jam olim egi in diſſertatione *de ſternutatoriorum uſu & abuſu*. Hæc ipſa ſubſtantia, acris, balſamica, vel per ſe in pilulis, vel melius in pulvere ad ſcrupulum ſemis ſumta, præſertim ſi aliquot grana ſalis neutri admiſcentur, inſigni cum euphoria alvum ſtimulando quatuor, imo ſex ſedes movere ſolet. Eadem virtute, quamvis remiſſiore, præditum quoque eſt gummi guaiaci, quod eum in finem inter balſamicas pilulas optime recipitur. Ulterius notum eſt gummi benzoes puriſſimum, ſapore acri, & ſternutamento teſte, ſubtili acri ſale abundare, & eam ob rationem quoque opportune ingreditur pilulas cephalicas catharrhales & balſamicas; cum autem in floribus ſal illud acido-acre magis ſit congregatum, hinc etiam obſervatur, quod ii ipſi ad alvum ſtimulandam meliores & aptiores ſint. Duo hæc nempe benzoes flores, & extractum decocti guaiaci, ratione virtutis ſtimulantis nares & alvum, hactenus, quantum ſcimus, minus nota fuerunt, a me tamen ſæpius commendata.

29. Reſtat adhuc aliud quoddam tutiſſimum ſtimulans parumper etiam cognitum, quod tamen meretur commendationem, & eſt eſſentia centaurii minoris cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, & melius cum ſpiritu cochleariæ facta. Hæc ad guttas ſexaginta vel ultra, propinata ex obſervatione & uſu multiplici cum ſummo emolumento alvum aliquoties aperit. Qua virtute etiam reſplendeſcit extractum, quamvis paulo languidius. Supereſt adhuc ut ex notis & vulgaribus iſtis purgantibus tutiora & ſelectiora commendemus. Inter hæc autem primas partes tenet rhabarbarum & folia ſennæ, utraque in infuſo. Porro tamarindi in decocto, & denique extractum hellebori nigri in pilulis: mechoacanna vero in pulvere vel eſſentia. Reliqua omnia cauſtica potentia in majori doſi plane diſſuademus; in remiſſiori autem, exempli gratia, ad duo vel tria grana pro una doſi, ſi fuerint remixta cum ſalibus & carminativis, qua doſi & methodo ea ſæpius utiliſſima ſumus experti.

DISSERTATIO
DE
VOMITORIORUM
CAUTO ET PRÆSTANTISSIMO USU.

Primum edita anno 1725.

§. 1.

QUICUNQUE in ſalutaris & pæne divinæ artis noſtræ exercitio dextre verſari, & officio Medici exacte ſatisfacere nititur: *illi* profecto nihil prius eſſe debet, nihil poſterius, quam ut proprias & genuinas remediorum, quibus utitur, vires, indolem & operationes, pro diverſa tot ægrotantium natura ac corporum conſtitutione, nec non morborum indole eorumque cauſis, probe intelligat intime pernoſcat. Nihil enim ad rectam, ſecuram & ratione ſubnixam medendi methodum magis neceſſarium eſt, quam exquiſitum ac certum, pro morbi & ægrotantis conditione, debito tempore, convenienti regimine, juſto ordine & congrua menſura, appropriata auxilia præſcribendi ac offerendi judicium. Quomodo autem cum recta ratione & ſolido fundamento id præſtare velit & poſſit Medicus, equidem non video; niſi prius ipſorum remediorum agendi principia & elementa, variamque partium, quibus componuntur, mixtionem atque texturam, non ſolum a priori, tum ſenſuum, tum artis chymicæ miniſterio, explorarit, ſed etiam a poſteriori, per varias obſervationes & experimenta practica, eorum effectus atque operationes plenius cognitas habuerit atque perſpectas. Et quum pauci ex iis, qui medicinam faciunt & eruditorum nomen frivole affectant, medicamentorum facultates & pro tanta ægrorum & cauſarum morbificarum varietate, mirum diffidentes virtutes penitius cognoſcant & perfectius intelligant: minime certe mirandum eſt, tantos non ſolum lapſus, tamque graves errores, in explicando contrario ſæpius & quandoque plane noxio medicaminis cujuſdam effectu committi, ſed in tam diverſum etiam abire animos, in quorundam remediorum æque commendatione & uſu, ac infamatione & vitatione; ita ut nonnunquam idem medicamentum a quibuſdam inſigniter celebretur & ut ſumme proficuum collaudetur, aliis viciſſim hoc ipſum magnopere diſſuadentibus & ut nocivum reformitantibus.

2. Iniquiſſimam vero hanc ex medentum inſcitia ſortem ea præſertim experiuntur remedia, quæ præ reliquis vegetiori & validiori agendi potentia ſunt inſtructa: utpote quæ, quo majori & inſigniori virtute, ſi caute atque prudenter exhibentur, pollent; eo gravius utique damnum, perperam oblata, inducunt. Et ſicuti hoc de omnibus ſic dictis heroicis medicamentis quotidianæ ferme obſervationis eſt; ita certe vix ullum ex eorum cenſu eſt, quod tantopere ſuſpenſos tenuit & in tot ſententiarum divortia pertraxit Medicos, quam vomitoria. Viderant nimirum nonnulli, emetica veneni indolem æmulari, & exigua admodum mole validiſſime operari & atrocia nonnunquam ſymptomata, ſtomachi nempe ardorem, anxietates, oris pallorem, labiorum tremorem & ſuſcitare alia. Cogitarant, ipſam vomitionem eſſe ejuſmodi excretionis ſpeciem, quæ, tantum abeſt, ut ſecundum conſuetum naturæ ordinem contingat, ut potius eundem pervertat, & inverſo plane ordine procedat, ipſumque reciprocum ventriculi motum retro urgendo, nonniſi ſumme violenta ſit & aliena. Obſervarant præterea noxium ſæpius & pernicioſum effectum, apoplexiam, cœcitatem, cruentum vomitum ipſamque mortem a vomitoriis eſſe productam. Et his potiſſimum rationibus inducti, emeticis indelebilem maculam inurendam eademque e foro medico merito penitus proſcribenda eſſe cenſuerunt. Alii contra, ipſa experientia edocti, noverant, venenum quandoque in ſalutarem medicinam cedere, & vomitoriorum incomparabilem prorſus eſſe utilitatem ac præſentaneam in debellandis morbis opem: neque ob id mirificis encomiis eadem dilaudare dubitarunt, ita ut ſine eorum uſu rebellium morborum ſanationem fruſtraneo conatu ſuſcipi aperte profiterentur, & vix morbus eſſet, in quo non vomitum moventia ſuaderent ac commendarent.

3. Verum vero quemadmodum priorum opinionem in ASCLEPIADE, qui teſte PLINIO, H. N. *lib. XXVI. cap.* 3. vomitum penitus rejecit, jure reprehendit CELSUS, *lib.* 1. *cap.* 3. ita certe parum circumſpecti & imperiti eſſet, in emeticorum laudes tantum excurrere eorumque uſum ultra prudenter conſtitutos limites proferre, nimiaque promtitudine & liberalitate in eorum oblatione uti; quin potius media ineundum eſt via, & ſagaci rationis uſu diſpiciendum: an & quare in hoc vel illo morbo, in alio & alio ægrotante, conducant vel noceant? Sed hoc opus, hic labor eſt, quem irrito ſane auſu adgrediuntur, qui remediorum verum & rationalem operandi in corpus modum ignorant, fructuoſe vero & exoptato conficiunt, qui rationum phyſico-mechanicarum & anatomicarum ſolida cognitione adjuti, in horum remediorum agendi principia, in effectus, quos in corpore humano, pro indole cauſarum morbum excludentium, nec non pro ratione temporis, producunt, ſummo ſtudio inquirunt.

quirunt. Quæ quum ita ſint, non inconſultum fore duxi, ſi hoc arduum quidem, ſed ſummæ utilitatis argumentum, ſpeciminis inauguralis loco mihi explanandum ſumerem, & *obſervationes* non adeo tritas atque vulgares *de cauto & præſtantiſſimo emeticorum uſu* cum publico communicarem.

Obſervatio I.

Exquiſita & ſtupenda partium tenuitas eſt in emeticis, qua tam violentos & vehementes in corpore ſuſcitant motus: unde ſumma cum moderatione & provida manu doſis eorum determinanda.

Scholion.

Quanta partium ſubtilitas, vis & potentia emeticis, ſive ex mineralium, ſive vegetabilium familia petitis, inſit: inter cætera vel ſola exigua moles ac doſis, qua oblata vehementiſſime non modo primas vias, ſed & alias a ventriculo longius remotas partes exagitant, luculentiſſime arguit. Inprimis autem in antimonialibus mira particularum exiguitas eſt & ſumma teneritudo, qua potentiſſimæ operationis ſunt, licet ſenſuum miniſterio non percipi poſſit eadem quicquam ipſorum ponderi deceſſiſſe. Nam fruſtum vitri antimonialis, hyacinthini coloris, ſcrupulum circiter æquans, vino Rhenano ſub moderato calore immiſſum, tam validæ virtutis eſt, ut iterata vini aliquoties infuſione, vel centum robuſtis, vomitu ſatis vehementi expurgandis, ſufficiat. Nota etiam ſunt pocula emetica, quæ ex duabus ſtanni Anglicani & una reguli antimonialis parte concinnantur. In his ſi aliquandiu detinetur vinum, expeditiſſima vomitiva virtute illud imbuunt, quæ nunquam aboletur, ſed tantæ firmitatis atque conſtantiæ eſt, ut procurato myriadibus vomitu, poculum ne ſenſibile quidem ponderis decrementum inde patiatur. Ipſe tartarus emeticus, qui ex vitro antimonii & cremore tartari paratur, longe vehementioris operationis eſt eo, qui ex croco metallorum communi more conficitur, & tria hujus grana, vix tanta vomendi vi pollent, quam unum illius, cujus tamen vix vigeſima pars antimonialis prolapiæ eſt. Famigeratiſſimus porro noſtra ætate eſt pulvis ille emeticus Monckii, gallice *Ramoneur* dictus, qui ex nitro & antimonii regulo, in crucibulo calcinatis, præparatur, ope certæ cujuſdam encheiriſeos, qua neglecta, vis vomitoria illico in mitiſſimam tranſit diaphoreticam. Nimirum ſi una pars reguli & tantundem nitri depurati & exſiccati miſcentur, & ambo crucibulo immiſſa calcinantur, in calcem acerrimam utuntur, quæ ſpiritus vini rectificatiſſimi affuſione, prævia digeſtione & repetita infuſione, celebratiſſimam illam metallorum tincturam elargitur, remanente in fundo calce antimoniali diaphoretica, omnis virulentiæ experte. Si vero eadem & reguli & nitri portio ſumatur, nec ſimul & ſemel commiſceatur, & crucibulo indatur, ſed regulo fuſo, ſucceſſive & per vices nitrum adjiciatur, & ſcoria demum, in ſuperficie hærens, ſemper eximatur & removeatur, quouſque omnis regulus cum nitro in ſcorias abierit, & tunc his ſcoriis eodem modo puriſſimus vini ſpiritus aliquoties in ſufficienti quantitate infundatur, quo lixivioſum illud & acre ſal cum nitro tranſcendat in ſpiritum, reſiduus in cucurbita pulvis ad grana aliquot, ſex vel decem propinatus, non raro pro diſpoſitione corporis & humorum vomitiones ſat violentas concitat. Cujus tam diverſæ operationis cauſam ſi quis ſcrutetur, vix aliam deprehendet, quam quod ſcoria illa, in ſuperficie reguli inferiorem carini partem occupantis, hærens, ſubtiliſſimis reguli exhalationibus impрægnetur, quæ nitro non cicuratæ vel inverſæ, vehementis illius & vomitivæ facultatis materiam præbent. Hinc etiam antimonium diaphoreticum, mitiſſimum alias omniſque vehementioris operationis expers pharmacum, illico inſigni vomitiva facultate imbui poteſt, quando nimirum regulo in crucibulo fuſo injicitur, quo exhalantes e liquefacto illo & ſpumante agiliſſimas & tenuiſſimas particulas abſorbeat, inque ſocietatem ſuam admittat. Et ſæpius obſervavimus, ipſum hoc antimonium diaphoreticum, cum tribus nitri partibus non rite præparatum & uſtum, quandoque in corporibus diſpoſitis nauſeam & vomitum ſuſcitaſſe, quod maxime contingit, ſi globuli regulini, forſan ex improvida pulveris carbonum admiſſione & inde facta reductione, prognati, calci diaphoreticæ adhuc interſperſi ſunt. Neque vero tantum vomitoria antimonialis familiæ in exigua doſi vehementes in corpore concitant commotiones, motuſque ventriculi, inteſtinorum & œſophagi præter naturam invertunt, ſed minima etiam portio cupri, quod unicum ex metallis emeticum eſt, ad vomitum proritandum ſufficit. Vitrioli enim cuprini, quod cæruleum a cupro mutuatur colorem, grana tria quatuorve emeſin ſuſcitare valent; id quod etiam vitriolum album eodem ferme modo præſtat. Antiquiſſimis Medicorum hæc activæ indolis e minerali regno deprompta remedia plane ignota neque in uſum recepta fuerunt, ſed ad vehementiores per ſuperiora & inferiora evacuationes ſuſcitandas, neceſſitate id exigente, ſolo helleboro, præſertim albo, uſi ſunt. Quam enormes autem pariter exigua aliquot granorum hellebori albi doſis turbas, in univerſa corporis œconomia irritando & exturbando, concitet, in propatulo eſt: ut niſi aliorum admixtione probe corrigatur & ſubigatur, inſtar veneni perimat homines, vel in miſerum valetudinarium ſtatum dejiciat. Nihilominus tam tenera & ſubtilis partium in eo eſt compages, ut ſola paullo diuturniori ex aqua ſimplici decoctione, omni virtute draſtica penitus privari poſſit, & tuto poſtmodum aſſumi; quod etiam eadem ratione cum tabaco, aſaro aliiſque emeticæ & draſticæ virtutis vegetabilibus ſuccedit. Similiter gummi guttæ, ſi ad grana ſex vel decem propinatur, non modo per inferiora, ſed etiam ſuperiora, inſigniter & vehementer purgat: ſi vero id ipſum paullo diutius cum aqua decoctum fuerit, quo ſub coctura tenue illud & virulentum principium in auras aufugiat, cathartica vis ex toto perit. Folia vel etiam radices aſari, nec non cortices medii radicis & arboris ſambuci recentes, ſæpe ſuperius & inferius materias exturbant; aſſervati autem, præſertim æſtivo tempore, aliquandiu, hanc virtutem penitus exuunt. Plura porro ſunt ex fortioribus purgantibus, ut gialappa, ſcammonium, hermodactyli, eſula, ſoldanella, gratiola & alia id genus, quæ, ſi recentia fuerint, præter dejectiones alvinas, etiam vomitum cient; quod tamen minime accidit, ſi in pulverem redacta, in libero aere diutius fuerint detenta. Experti quoque ſumus, radicem ipecacuanhæ, ſi in pulvere per annum & ultra liberiori aeris acceſſui pateat, vel ex parte emeticam vim perdere, ut minimum longe majori doſi ea tunc propinari debeat. Denique tenuiſſima illa & inſigniter activa emeticorum facultas dilucide ex eo pateſcit, quod exterius tantum admota, interiora promtiſſime ſubeant, & eo delata, vomitum illico proritent. Fidem hujus rei faciunt M. N. C. *Dec. II. A. I. obſ.* 43. ubi memoratur: quod decoctum croci metallorum, in puero trienni, herpete laborante, exterius applicatum, vomitum produxerit. Et teſte HILDANO *lib. de dyſenteria*, quidam ad emeſin movendam radices hellebori albi orificio ventriculi imponi, aut orificium hoc, & ventrem ſupra umbilicum, unguento de arthanita inungi jubent. Quæ quum tam vera ſint, quam

quam quæ veriſſima, cautiſſime certe erit mercandum & ſumma cura providendum, ne unquam in emeticorum oblatione doſi excedamus, in corporibus præſertim tenellis & ad anomalas commotiones admodum pronis. Hanc enim ſi Medicus pro diverſa indole ſubjecti laborantis, partium nervoſarum conſtitutione & virium quoque ratione, non ſolicite diſtinguit & circumſpecte moderatur: præſentiſſimam, & haud raro, niſi cito ſuccurratur, immedicabilem noxam inferre poteſt. Quare etiam ſagaces & prudentes Medici, non tam inconſiderato & promte, ſed expenſis omnibus circumſtantiis ægri, morbi & temporis, ad hoc remedii genus deſcendunt, multo minus peregrinis & in exteris locis degentibus illud præſcribunt atque committunt.

Obſervatio II.

Sicut omnia activioris indolis & operationis medicamenta: ita etiam ea, quæ vomitum valide provocant, in nerveo-membranaceas corporis partes, & primario quidem in ventriculum & inteſtina ipſiſque contermina, vim atque efficaciam ſuam exſerunt.

Scholion.

Per activioris naturæ & operationis medicamenta intelligimus ea, quæ ingentem mutationem ſolidorum & fluidorum motibus celeriter inducendi facultate gaudent; & excretiones vel præter conſuetum ordinem & modum augent & intendunt, vel nimias ſiſtunt atque compeſcunt. Priorum cenſum ſubeunt omnia draſtica & acriora, ἄνω καὶ κάτω evacuantia, nec non quæ ſalivam, urinam & ſudorem impetuoſius cient, aut ſanguinis profluvia eliciunt. Inter illa vero, quæ effrenes ſolidorum & fluidorum motiones ſedant vel ſiſtunt, narcotica principem ſibi vindicant locum. Omnia hæc ac ſingula ſumma partium, ſive ſulphurearum, ſive ſalinarum, tenuitate & ſubtilitate in tenerrimas tunicarum nervearum & muſculoſarum fibras penetrando & agendo, tum ſenſum, tum motum, & ſyſtalticum & diaſtalticum, cujus beneficio omnis generis fluida per canaliculoſam partium texturam truduntur & volvuntur, diverſimode afficiunt atque immutant. Nam pro diverſa activi in medicamentis principii ratione, & pro varia etiam nervoſarum partium ſtructura, longe multumque effectum variare, vel ex eo luculenter apparet, quod quæ vomitum cient, potiſſimum in ventriculum & duodenum, quæ alvum ſubducunt, maxime in inteſtina, quæ diureſin proritant, in tubuloſam renum ſubſtantiam, nec non ureteres atque veſicam, quæ diaphoreſin procurant, in arteriarum tunicas & tubulos ſubcutaneos, & quæ ſalivæ fluxum exprimunt, in ſalivales glandulas, vim atque potentiam ſuam edant. Quæ certa & conſtans effectuum obſervatio, ſola ad uſum practicum & medentis ſcopum obtinendum ſufficit, neglectui data omni ſubtiliori theoria, ſeu potius ſublimi ſpeculatione, quomodo nempe remedia agant in has vel illas partes? qua textura, vel figura partium id fiat? Item: quid moveat ſolida corporis noſtri? vel motum periſtalticum ventriculi & inteſtinorum efficiat? num fluidum, per nervos aut arterias allatum, ſit mobiliſſimum? aut an principium quoddam agens, vel ratione præditum, vel eadem carens, motus in corpore perficiat? Hæc omnia enim nimis abſtractæ, ſubtilis & reconditæ indaginis ſunt, ac ne hilum quidem ad tutam morborum perſanationem & prudentem remediorum adminiſtrationem conferunt. Id vero noſſe oportet Medicum, dari emetica mitiora & fortiora; quorum illa in ventriculum & ei annexum duodenum agunt, ac moderate nec impetuoſe nimis expellunt: hæc autem, non modo easdem partes fortius exagitando, evacuationem vehementiorem moliuntur, ſed etiam in reliqua tenuia inteſtina, eorumque glandulas & confines ductus, quæ bilem & ſuccum fermentalem e pancreate advehunt, latius vim ſuam diffundunt, & varii generis excrementitias materias e remotis etiam ſedibus alliciunt atque eliminant. Inter clementiora & magis diætetica, veteribus maxime familiaria, aquæ tepidæ, cum, vel ſine ſale & melle mixtæ, celerius hauſtæ copia, connumeranda, vel ſolennis recentioris ævi medicis radicis ipecacuanhæ, aut tartari emetici, nec non pulveris regulini, præſcripto Monckii parati, panaceæ emeticæ Glauberianæ & Conerdingianæ, uſus, quæ parciore doſi & ſufficienti cum vehiculo exhibita, primam ſic dictam regionem, a corruptorum, ex bilis pravæ, acidorum ſuccorum & malæ digeſtionis cruditatum coacervatione emergentium, ibique locorum ſtabulantium humorum ſorditie, inſigniter, blande tamen, deplent. Quod ſi vero hæc ipſa, antimonialis præſertim proſapiæ pharmaca, liberaliori manu propinantur, non tantum intra ventriculi & duodeni pomœria ſubſiſtunt, ſed intimius penetrando, in contiguas etiam & adjacentes partes vim ſuam propagant, & maxime ductus biliarios attentant, eoſdemque concutiunt & criſpant, ut redundantius bilioſum humorem eructent: unde nonnunquam tanta bilioſæ materiæ copia iterato vomitu rejicitur, quanta neutiquam duodeni latibulis excipi potuiſſet ac comprehendi. Quinimmo ſæpius vomitoria primæ regionis limites multum tranſcendunt & in longe diſſitas partes virtutem ſuam explicant, ut etiam, quemadmodum cachecticorum & anaſarca laborantium exemplo conſtat, ex univerſi corporis habitu, copioſos ſeroſos humores, & per ſuperiora & per inferiora, educant, ac in corporibus tenerioribus, & quæ ſpaſticis ac convulſivis nervoſarum partium commotionibus ſolenniter conturbantur, graviſſima & quandoque funeſta ſymptomata inducant.

Obſervatio III.

Dantur, quæ vomitu ventriculum deplent plane innocentia & blanda, quæ non infeſta qualitate & arroſione tunicarum nervearum, ſed magis copia & fibrarum relaxatione, motum excretorium adjuvant, & non ſine emolumento uſurpantur.

Scholion.

Quod pravi in ventriculi & duodeni cavitate contenti humores, ingenti cum commodo cito, & qua fieri poteſt breviſſima via, ore foras ejiciantur, & ipſi ſpontanei a natura, ut ita loquamur, inſtituti, & arte provocati vomitus, clariſſime demonſtrant; idque duplici modo contingere ac perfici attenta obſervatione conſtat: quando nimirum vel a ſubtili & penetranti acrimonia, vel mole nimium diſtendente, tunicæ nerveæ ad contractionem, expulſionem & motum inverſum irritantur & ſollicitantur. Hinc repleto nimium & aggravato, vel a cibis avidius ingeſtis, vel a copia potus, præſertim vini aut cereviſiæ, vel in infantibus lactis congerie, ventriculo, ſummo ſæpius cum emolumento, vomitus aut ſponte ſubſequitur, aut etiam proritatur. Et certe, veterum excitandi emeſin methodus, longe erat alia, ac illa, quæ noſtris temporibus acrium & chymicorum pharmacorum ope recepti moris eſt. Illi enim rariſſime helleboro albo, ceu draſtico, utebantur, ſed ſolenne ipſis erat, remediis fere diæteticis, aqua nempe tepida, vel ſola, vel cum ſale, melle aut oleo remixta, liberalius hauſta, non ſecus, ac quaſi clyſtere,

qui

qui ex iiſdem ingredientibus componi ſolet, ventriculum ad expulſionem per ſuperiora ſtimulare, & hoc pacto acres, bilioſos, viſcidos & acidos humores diluere, detergere & utiliter foras ejicere. Et ſicuti tutiſſimum hoc ad vomitum excitandum eſt remedium, quod in regionibus maxime calidioribus & corporibus facile mobilibus, feliciſſimæ erat operationis: ita omnino hoc ipſum in noſtris etiam oris neutiquam penitus rejiciendum, ſed ſæpius neceſſarium eſſe exiſtimo, tum potiſſimum uſurpandum, quando per activæ indolis chymica & mineralia ſtomachum movere, valde intutum & periculoſum eſt. Nam ſæpe acres, bilioſi, ab ira maxime commoti humores, firmiter ventriculi tunicis inhærentes, ſpaſticam cum cardialgia conſtrictionem & perpetuum vomendi conatum gignunt, ubi antimoniale, vel acrius, vel validius, e mineralium regno petitum, propinare, pernicioſum eſſet atque funeſtum: quum contra lubricans ejuſmodi & relaxans, paullo majori doſi oblatum remedium, maxime ex uſu ſit ad vomitus, quos natura ſiniſtra molitur, promovendos ac provocandos. Sunt porro, qui ex depravata concoctione ac digeſtione, magnam ſtagnantium cruditatum colluviem collegerunt, ſic dicti hypochondriaci; hi thermalibus aquis, primis potationis diebus paullo liberalius hauſtis, inſigni cum levamine vomitus experiuntur, & tenaci viſcida materia rejecta, medicatarum aquarum poſtea uſum longe commodius ferunt & facili atque explicita curatione ex ancipiti levantur. Denique quotidianis experimentis comprobatum eſt, emeticum antimoniale, vel aliud minoris molis, ſed agilioris indolis, moleſtiſſima vellicatione ſummas ſæpe cum fruſtraneo vomendi conatu parere anxietates; juſculis vero pinguibus, vel aqua tepida, cum butyro inſulſo copioſius hauſtis, & felicius ſequi vomitiones, & anxietates illas cardialgicas, cum inquietudine junctas, conquieſcere. Arſenicum, innumeris funeſtis exemplis infamatum venenum, ſpaſticas vehementes per univerſum nervoſarum partium ſyſtema contractiones, quibus totam œconomiam motuum in ſolidis & fluidis pervertit & exſtinguit, efficit, cum vomitu non adeo frequenti, qui tamen copioſe hauſto lacte, oleis & humidis dum adjuvatur, acrimonia veneni correcta, non modo fibræ laxantur, ſed vomitus etiam ſubſequuntur numeroſi, quorum beneficio ipſum venenum feliciſſime e ventriculo eliditur. Ex quibus jam facile liquet, humida & relaxantia uberius ingeſta, ad vomitum eliciendum ſummopere eſſe proficua: ubi ab enormi ſpaſmo, a quacunque etiam cauſa ſuborto, primæ viæ affliguntur; quandoquidem ad excretionem illam emeticam, non ſola contractio tunicarum ventriculi ſufficit, ſed opus eſt, ut ejus motus periſtalticus, qui reciproca parietum corrugatione & dilatatione abſolvitur, intendatur & invertatur.

Obſervatio IV.

Quæ dolores & ſpaſmos leniunt, motuum impetum refrænant & ſiſtunt, ut ſunt anodyna, narcoſin inducentia, & maxime ex opio præparata, hypercatharſes per vomitum aut ſeceſſum ſiſtere & coercere, experientiæ teſtimonio conſtat: eadem vero remedia vomitum etiam provocare, non adeo quidem obvium, ſed tamen attenta obſervatione compertum eſt.

Scholion.

Ipſam theriacam, & ex ea præparatam eſſentiam, nec non aquam cum vino deſtillatam, ad compeſcendas hypercatharſes certum & tutiſſimum eſſe præſidium in propatulo eſt; & hanc ſiſtendi facultatem opio, ceu potiſſimo theriacæ ingredienti, tribuendam eſſe, non facile quiſquam in dubium vocabit. Ut enim reliqua, quæ in obſervatorum commentariis memoriæ prodita ſunt, prætermittam, commemorabilis inprimis hanc in rem eſt obſervatio Cl. ETTMULLERI, quam in *Diſſertatione de virtute opii diaphoret. pag.8.* affert, dum tradit: *ſuperiori anno juveni ex incautius hauſto vino emetico antimoniali, in hypercatharſin ultra XIV. dies adeo copioſam dejecto, ut ſeceſſuum numerum referendo, mendacii ſuſpicionem declinans, jam omittere liceat, eſſentia theriacalis, cum eſſentia opii propinata, eximiam utilitatem, XL. ſaltim guttarum doſi, attulit.* Similiter maſſa pilularum de cynogloſſa, quam præter opium, etiam ſemen hyoſcyami ingreditur, parciori doſi, ad aliquot grana, in pulvere exhibita, ad compeſcendas enormes vomitiones, non ſine fructu adhibetur. Utut vero hæc nimias per vomitum, aut alvum excretiones cohibendi facultas, in opio aliiſque narcoticis, abunde confirmata & indubiæ veritatis ſit: attamen iiſdem ſedantibus remediis, vomitum, ingenti ſæpius cum anxietate ſtipatum, ſubinde proritari, identidem certiſſimæ experientiæ, & multoties a me, præſertim in hypochondriacis, qui ſumto circa noctem leni opiato, mane vomitum experti ſunt, obſervatum eſt. Quem etiam effectum B. *Cel.* WEDELIUS *in opiologia* probe notavit. Et HELMONTIUS ob vomitivam hanc virtutem opium accuſat, quod virulenti & acris quippiam cuſtodiat: licet hæc ſententia ad veritatem minus accommodata, & miræ hujus operationis ratio longe aliunde petenda ſit. Quod ſi enim præcordia ſpaſmis nimis ſtringuntur, anxietas potius & nauſea, quam vomitus exſurgit: ſublata autem per anodyna ſtrictura, & motu periſtaltico per debitam relaxationem & dilatationem reſtituto, vomitio facilior fit & expeditior. Vel anodyna etiam tonum & robur ventriculo ſubtrahendo, efficiunt, ut humores non expulſi in eo ſubſiſtant, reſtagnent & poſtea copia & infeſta qualitate eundem ad contractionem & expulſionem ſtimulent, quod ſane ſtomacho jam imbecilliore & ſolutiore ac concoctione vitiata, facillime contingit.

Obſervatio V.

Quum emetica tutiſſime & celeriter a valde noxiis & naturæ infeſtis aſſumtis corpus liberent, dilucide pateſcit: quod adverſus venena, præſertim narcotica, nec non alia cauſtica ingeſta, vel prognatos in ipſius ventriculi ſinu virulentæ qualitatis humores, certius, tutius & præſentius vomitoriis non detur præſidium.

Scholion.

Inter venena, quæ per oris cavum corpus ſubeunt, præcipuum utique locum ſibi vindicant narcotica; utpote quæ infeſto vapore, fluidum, quod ſenſum, motum, tonum & robur ſolidis largitur, inficiendo & contaminando, illico ſummum torporem, ſenſuum ac motuum impotentiam, anxiam ſpirationem, pulſuum exilitatem & contractionem, nec non ob ſanguinis in cerebri vaſis ſtagnationem, depravatam & plane aberrantem phantaſiam inducunt. Horum claſſem ducunt omnes ſpecies hyoſcyami, ſtramonii, daturæ, ſolani, mandragoræ, papaveris & quæ ex iiſdem deſumuntur: quæ ſi ex errore comeſta, aut ex imperitia aſſumta fuerint, certe conſilio HELMONTII, vix præſentius & præſtabilius emeticis eſt remedium; quod etiam *Cl.* WEDELIUS, *in amœnitat. mat. med.* experientiæ calculo confirmat. Obſervatur adhuc meo animo notabile hac de re exemplum. Devoraverat nimirum quiſpiam ex errore loco pilularum balſamicarum extracti opii grana XVIII. & inde anxietates cum ſenſuum torpore mentiſque abalienatione perſentiens,

Frid. Hoffmanni Diſſert. varii argum. N

tiens, errato opportune animadverſo, confeſtim cum convenienti vehiculo tartari emetici grana tria aſſumſit, & quum nullus duabus horis elapſis ſequeretur vomitus, urgente ſymptomatum vehementia, eandem tartari emetici doſin iterato ingerere coactus fuit, ſed pariter ne quidem nauſea, multo minus vomitio ſuborta eſt. Tandem vero injecto clyſtere acriore, evacuatio ſucceſſit, & decies vomens, nihil virium detrimenti percepit, ſed optime convaluit. Porro aliud venenorum genus eſt, indolis acerrimæ, penetrantis & cauſticæ, ad quod referenda maxime arſenicum, argentum vivum corroſivum, antimonii vitrum, regulus & draſtica acriora majori doſi data, præſertim elleborus albus: quandoquidem veri veneni ingenium in pervertendis & deſtruendis motibus vitalibus, hæc ipſa obtinent: ut adeo nihil magis conſultum & opportunum ſit, quam ut quam citiſſime & qua breviſſime fieri poteſt via, e corpore exturbentur, ne pernicialis eorum vis latius ſerpat & intimiora aggrediatur. Sed horum ea eſt ratio, ut ipſa vomitum proritent, vel etiam enormes dejectiones moveant, licet ſine ullo levamine: quippe dum firmiter adhæreſcunt ventriculi & inteſtinorum membranis nerveis, eaſdem perpetim lancinando & arrodendo, contractiones ad vomitus ſuſcitant, quæ tamen nec ſufficientes ſunt, nec idoneæ ipſo veneno educendo. Quapropter ſi vomitum vomitu curare juxta priſcorum Medicorum præſcriptum expedit; certe illud hoc in caſu ex uſu eſt. Neutiquam tamen id irritantibus & virulenta acrimonia agentibus, ſed lenientibus, pinguibus, demulcentibus, humidis copioſius hauſtis, exſequi fas eſt: quo non modo acrimonia involvatur & attemperetur, ſed ipſum etiam venenum ſimul, evacuatione per vomitum auctiore reddita, e corpore exturbetur. Et ſicuti vel ſola ratione dictitante liquido inclareſcit; ad infringendam & involvendam venenorum & acrioris indolis pharmacorum virulentiam, nihil pinguibus & demulcentibus ipſoque lacte eſſe præſtantius: ita certe plurima exſtant exempla, quæ id luculenter confirmant, e quorum numero notari inprimis meretur, quod mihi ante aliquot annos obtigit. Comiti decem annorum ad vermes enecandos pilulas ex mercurio dulci præſcripſeram, extracto panchymagogo Crollii & aliquot colocynthidis granis, ſex doſibus aſſumendas. Sed arbitro forte remoto, Comes ignarus numeri, circa noctem omnes in capſula contentas pilulas ſimul deglutit. Quod quum mihi eſſet renunciatum e veſtigio ut afferatur inſignis lactis copia juſſi, eoque ad menſuras duas hauſto, nihil plane incommodi & mali ſubſequutum eſt, ſed alvo quinquies vel ſexies circa matutinum tempus ſubducto, aliquot lumbrici lati adhuc vivi una excreti ſunt.

Obſervatio VI.

Graviſſima nonnunquam ſymptomata lactis in ventriculo coagulum ingignit: quibus diſpellendis & penitus ſubmovendis, emetica exoptatiſſimam commodant opem.

Scholion.

Quemadmodum lac, moderate aſſumtum & ventriculo firmo ac puro, optimum præbet nutrimentum: ita certe copioſius ingurgitatum, ſtomacho infirmo & acidis ſuccis obſeſſo, infenſiſſimum eſt, & maxima non ſolum ſymptomatum tormenta ſuſcitat, ſed etiam ancipites & periculoſos morbos excludit, qui non prius diſcedunt atque remittunt, quam exturbata noxia & infeſta mole, ventriculus iterum ſui factus ſit juris. Quodſi enim in lactentibus major lactis copia, quam tenerior & non adeo firmus ventriculus ſubigere atque expellere poteſt, in ſtomachum defertur, non modo in ejus cavo ſtagnat, ſed etiam acore inficitur & in tenaces ac firmos grumos abit, quorum pondere ventriculus nimium oppletus, diſtenditur & pleræque ægritudines, quibus infantilis ætas infeſtari ſolet, gignuntur. Inprimis notiſſimum eſt, quod aceſcens & fermenteſcens coagulatum lac, ſæpius materiam & cauſſam præbeat aſthmati infantes tantopere affligenti, ut etiam ſuffocationem minetur: quippe procurato per ſyrupum emeticum, ex violarum ſyrupo & tartaro emetico, paratum, aut linctum cum aliquot pulveris Monckii granis, vomitu, facili & explicita curatione morbus illico diſpellitur & ſubigitur. Porro hypochondriaci, quorum ventriculus plerumque ſolutior eſt & acidorum & corruptorum humorum ſentina ſcatet, ab aſſumto lacte & hoſtili coagulo infecto, maximas experiuntur moleſtias, ventriculi inflationes, anxietates, ſpirandi anguſtiam, inquietudinem & inſignem virium proſtrationem: a quibus ut præſentaneo cum levamine liberentur, certior & promtior non datur ratio, quam ut leniori emetico, cum diluente tepide ſumto, ventriculus vomitu depleatur & peſſimorum horum ſymptomatum materies exturbetur. Fidem etiam faciunt M. N. C. *Dec. II. A. IX. obſ. 64.* quod lac copioſius hauſtum, in corpus nimio motu & calore æſtuans & ventriculo acidorum ſuccorum colluvie conferto, cauſſa fuerit febris cum convulſionibus: ægro, caſeoſa materia ſponte & elicito per artem vomitu rejecta, ex voto convaleſcente. Et HENR. ab HEER *obſ. 50.* prodidit: quod a lacte coagulato lypothymia gravis fuerit ſuborta, quam ipſe vomitorio oblato feliciter ſuſtulerit. Neque mirum eſt, ab hoſtili lactis coagulo ejuſque in ventriculo congerie, tam graves oriri cruciatus tamque dira ſymptomata, quum ROLFINCKIUS *ord. & meth. med. lib. III. ſect. II. cap. 59.* teſtetur: inſtar farciminis ſæpe caſeoſam materiam rejici.

Obſervatio VII.

In morbis, qui contagio ſerpunt & inſigniter pernicialis indolis ſunt, ut peſtis, petechiales febres, febris acuta cum phrenitide, ſive ſic dictus morbus Hungaricus, emeticum, gliſcente adhuc ſub initium miaſmate, cum alexipharmaco datum, ſummam promittit ſecuritatem, & ſæpenumero capitales has ægritudines prima in herba feliciſſime jugulat.

Scholion.

Integros, valentes & ſanos homines, ſi cum contagioſis morbis laborantibus verſantur, a peſtifero & virulento miaſmate tangi poſſe ac infeſtari, per experientiam ſatis comprobatum eſt. In quonam autem hujus contagii natura, ratio atque operatio in corpus noſtrum verſetur, non adeo omnibus liquidum eſt atque perſpectum. Noſtra quidem ita fert ſententia: contagio infeſtos eos quam maxime eſſe morbos, qui a penetranti & ſubtili mobiliſſimi & lymphatici humoris corruptione atque putredine, nervis eorumque ſummæ activitatis liquido admodum adverſa, oriuntur; cujus tetræ exhalationes, vi quadam fermentativa & multiplicativa, in aërem ſparſæ & ore per reſpirationem exceptæ, cum ſalivali valde fermentali humore connubium ineunt, & hujus vehiculo intra poros faucium & œſophagi ſeſe ſenſim paulatimque inſinuant, vel cum potu aut cibis in ventriculum deſcendunt, ac multos ex vitiata digeſtione & eduliis minus congruis collectos crudos & ad corruptionem pronos humores ibi offendentes, ſubito per hanc ſentinam feralem ſuam & putridam vim diſſeminant, qua

qua demum ad maſſam ſanguinis & nervearum membranarum ſyſtema delata, tota motuum & functionum vitalium œconomia, ſummo cum vitæ diſcrimine turbatur, evertitur atque deſtruitur. Ne itaque mortiferum in corpus delatum virus ſumat, & pernicialem vim latius diffundat, nullum certe, nec præſentius, nec tutius, propinari vel etiam excogitari poteſt auxilium, quam vomitorium, quo, quamprimum fieri poteſt compendiaria via, corrupti in ventriculo humores, una cum virulento miaſmate, foras exturbentur. Et hoc facto, aſſumtum poſtea alexipharmacum, ſive in liquida, ſive ſolida forma, v. c. tinctura bezoardica, aut pulvis bezoardicus, cum momento camphoræ & aliquot nitri granis mixtus, reliquam veneni corruptivi partem facile diſcutit atque diſpellit. Qua omnium tutiſſima & certiſſima curandi ratione, plures ab exitialibus, qui in caſtris plerumque graſſantur morbis, immo ab ipſa peſte, quæ aliquot abhinc annis plura loca funeribus exhauſit, & munitos eſſe & liberatos, certa & non fallaci experientia confirmati ſumus. Hinc etiam SYLVIUS *in Opp. pag.* 658. vomitoria in peſtis curatione laudat, mox ab initio diaphoreticis nupta; & ſi prima vice oblata effectu careant, ſecunda vel tertia vice eadem propinare jubet: ſi vero vomitus plane non ſequatur, malum eſſe ſignum. Verum enim vero non modo ad acutas & funeſti utplurimum eventus has febres, ſed etiam ad alias non adeo malignas, immo intermittentes, quæ ortum ex aëris vitio nanciſcuntur; avertendas & præſcindendas, hæc medendi methodus plurimum valet & præſtantiſſima eſt. Nam ſæpiſſime contingit, ut ii, qui in locis depreſſioribus, uliginoſis, paludoſis & culicum ac ciniphum caterva ſtipatis, æſtivo tempore, ſole præſertim occiduo, diutius verſantur, ac quibus ſimul ex intemperantia & ingluvie primæ viæ multis cruditatibus obſidentur, incidant in febres, intermittentes quidem, ſed valde contumaces; quæ tamen cito abigi & jugulari poſſunt, ſi ſtatim inter inſultus febrilis initia & indicia, emetico omnis e ventriculo ſaburra, unacum excrementitiis illis & cauſticis infectorum, per aerem conſpurcatum eo delatis ſordibus, opportune ejiciantur: ſpecifico poſtea roborante ſubjuncto. Id quod non fallaci conjectura & opinione, ſed multiplici experimento confirmatum aſſerimus.

Obſervatio VIII.

Eximia & ſummopere laudanda emeticorum, in compeſcendis alvi fluxibus & dyſenteriis, utilitas eſt atque efficacia.

Scholion.

Vomitum ſupervenientem longo alvi profluvio morbum ſolvere, eſt antiquiſſima ſapientiſſimi Coi ſententia, *Sect. VI. aph.* 15. Quare ſicuti vomitiones ſæpenumero ipſius naturæ beneficio in alvi profluviis, evocata ſurſum bilioſa corroſiva materia, ſalubriter excitantur: ita naturam quandoque arte imitari neutiquam inconſultum eſt. Nam licet tum experientiæ, tum CELSI teſtimonio, alvum per dies aliquot, & nonnunquam ad longum tempus fluere, bonum & admodum ſalubre ſit; quum corpus hoc profluvio a copia feri impuri & bilioſi ſæpius benigne repurgetur: attamen ſi alvi fluxus, ſine, vel cum ſanguine, a materia valde corroſiva, æruginoſa, duodeni flexuræ firmiter impacta, nec virulenti contagii experte, ſuboritur, optimo ejuſdem HIPPOCRATIS conſilio obtemperandum, *lib. de locis in homine* præcipientis: morbos per eam partem, cui maxime vicini ſunt, educendos eſſe, ne videlicet inteſtina ſana, corruptæ materiæ tranſitu inficiantur & arrodantur. Et hoc nomine noſtro certe ævo, ceu magnificæ famæ antidyſentericum, radix illa emetica Americana, ipecacuanha, celebratur, quæ etiam primis invaſionis diebus, ſemel, vel etiam iterato exhibita, opem fert longe deſideratiſſimam. Plures jam olim fuerunt practici, qui tam præſervationis, quam curationis cauſſa, in dyſenterico malo vomitoriis uſi ſunt, cujus rei præclaros teſtes citamus SENNERTUM, *in Prax. lib. III. p.* 352. ROLFINCKIUM, *de ord. & meth. conſult. pag.* 668. ETTMULLERUM, *coll. pract. Opp. Tom. II. pag.* 154. nec non RIVERIUM, *Cent. III. obſ.* 9. qui memorat: quod adoleſcens, quum nullo remedio curari poſſet, in dyſenteria, die morbi duodecimo, ſumta ſalis vitrioli drachma, & rejectis per vomitum multis bilioſis humoribus, evaſerit. Eandem quoque in rem evolvi poſſunt M. N. C. *Dec. II. A. II. obſ.* 108. *Dec. III. A. III. obſ.* 15. & 51. Et HILDANUS *lib. de dyſenteria p.* 683. ſuadet in hoc morbo potiunculam vomitoriam, ex aquæ pluvialis libris duabus & mellis unciis tribus, epoto ejuſdem, cum olei olivarum, vel butyri inſulſi unciis duabus, cyatho, & immiſſo poſt ſeſquihoram in gulam digito, vel penna, oleo olivarum aut butyro illita. Quinimmo M. N. C. *Cent. I. obſ.* 38. aliquot exemplis confirmatum eunt, alvum in dyſenteria ab ipecacuanha obſtipari atque compeſci. Probe autem monet BAGLIVUS, *Prax. pag.* 110. dyſenterias, quæ cum nauſea & vomitu incipiunt, plerumque eſſe lethales, & tunc emetica, ipſamque ipecacuanhæ radicem minime locum habere: quippe, ventriculi inflammati indicium hæc eſſe, non ſine ratione ſuſpicamur. Inprimis ſingulari fructu atque emolumento, ante uſum radicis ipecacuanhæ, ſtatim in principio, pulveres temperantes, cum cremore hordei, plena doſi offerre ſuevi, quo humorum acrimonia cicurata, eo melior & ſecurior emetici ſit efficacia. Operatione vero ejuſdem peracta, ut lac bibatur jubeo ex conſilio ipſius HIPPOCRATIS, qui dyſentericis, epoto lacte, vel ſero lactis, in quo candentes lapides extincti, dolores & cruentas dejectiones moderatiores fieri aſſeverat.

Obſervatio IX.

Morbi, qui a colluvie humoris bilioſi corrupti, prima in regione, per quam maxime duodeni cavitatem intelligimus, ſtagnantis foventur, & certis periodis infeſtare ſolent, uti ſunt tertiana lentaque febris, tuſſis contumax, ſic dicta ſtomachalis, hemicrania, vertigo ſtomachica, emeticum convenienti doſi & tempore exigunt.

Scholion.

Fiunt hi, quos jam enumeravi, morbi, plerumque ex imbecilli & vitiata digeſtione, in corporibus maxime debilioribus & impuris. Corrumpitur vero & deſtruitur ciborum reſolutio & ſubactio quam maxime, quando perpeſſo haud ita pridem diuturno morbo, vel febre intermittente perperam curata, cibi avidius & copioſius, quam infirmus adhuc ventriculus ferre poteſt, ingeruntur. Et ex hoc pravæ digeſtionis vitio, denuo corruptorum humorum ſentina colligitur, quæ vel febris præcedentis recurſum gignit, vel lentus etiam, vires cum carne conſumens, a paſtu & circa noctem ſuccedens calor exſurgit: in cujus perſanatione omnem operam ludes, niſi opportune emetico colluviem ærugine quaſi tinctæ bilis evocaveris. Sæpiſſime certe a bile per iram effuſa, & in primo inteſtino aliquot dierum intervallo corrupta, lentæ ejuſmodi febres excluduntur, quæ emeticum moderatius, quod ſtatim poſt excandeſcentiam,

tiam, omnibus adhuc a violentiori impetu & motu tremulis membris, pernicioſiſſimum eſt, mora interpoſita & compoſito motuum impetu, non ſolum commodiſſime ferunt, ſed etiam eodem profligantur. Porro a menſibus reſtagnantibus eorumque fluxu ſuppreſſo, ex illuvie vitioſorum, prima in regione ſtagnantium humorum, lenta cum cachexia febris gignitur, quæ nec ſanari, nec menſes in ordinem redigi poſſunt, niſi emetico, mitiori tamen, aliquoties oblato, primarum viarum latibula a ſentina ſordium repurgentur. Ferina etiam cum ingenti viſcidæ materiæ excretione ſtipata contumax tuſſis, verno præſertim tempore prognata, & tam interdiu, quam noctu, cum gravi virium decremento & agrypnia fatigans, vix alio certo ac probato, quod præſentaneam opem ferat remedio, ac infuſo aliquot unciarum mannæ, cum uno vel altero tartari emetici grano, tam ad ſedes, quam ad vomitiones movendas, armato, expugnatur. Mira enim ſic ejecta pituitæ copia, facile demulcentia, ut lac & alia ſedativa, nec non ſtomachum firmantia, reliquas moleſtias tollunt atque perſanant. Similiter hemicraniam, inprimis eam, quæ ex alio morbo prodit, & certis temporum articulis affligit, ſæpius præmiſſo emetico & ſubjunctis huic medicamentis ſtomachicis, roborantibus & nervinis, penitus profligatam eſſe novimus. Et quum magna inter membranas ventriculi & cerebri intercedat conſenſio, mutuaque motuum vitioſorum communicatio, identidem notavimus, aliam vertiginem, ſummo mane a ſpaſmo ventriculi profectam, pilulis aliquot Wildeganſii ſumtis, remiſiſſe, aliam vero, a redundante corruptorum circa ventriculum & duodenum ſaburra, vel ſolis pilulis balſamicis, aut iiſdem cum tartaro emetico acuatis, diſcuſſam eſſe & exſtirpatam.

Obſervatio X.

Quum plurimi infantum morbi optime ferant emetica; imbecillibus hæc ipſa non convenire, erroris loco ponendum eſſe cenſeo.

Scholion.

Inter affectus, qui infantes maxime infeſtant & nonnunquam necant, connumeranda inprimis cardialgia & aſthma ab inflatione ventriculi ortum, ventris tormina cum agrypnia ſæpius juncta, quibus tandem funeſtæ ſuccedunt convulſiones. Cuncta hac mala, ratione exactius putata, a nimia ingurgitatione lactis eoque in ventriculo & duodeno coagulato & corroſivo reddito, ſuam nanciſcuntur originem. Nam ſi infantes probe vomunt & alvus ipſis fluida eſt atque frequentior, bonam portendit valetudinem: ſimulac vero & vomitus & dejectiones alvinæ deficiunt, retenta lactis copia, non poteſt non ad tuſſim, aſthma ſtomachale, cardialgias, tormenta ventris & frequenter convulſivas commotiones promtus parari aditus. Quocirca perpenſis rite his omnibus, nullum opportunius & magis accommodatum ad avertendos & præſcindendos hos morbos præter leniora emetica & acidum temperantia, dari remedium, nemo niſi imperitus negabit. Neque eos, qui in artis exercitio verſantur, fugit, ſæpius infantes morbillis, variolis aut alio quodam morbo laborantes, ex coacervata ingenti pituitoſorum humorum circa præcordia ſaburra, incidere in difficilem ſpirationem, ſuffocationem etiam minitantem, eandemque dimidia, vel quadrante grani tartari emetici parte, aut aliquot pulveris Monckii granis, cum ſyrupo violarum in forma linctus exhibitis, promtiſſime abigi, ita ut mira humoris viſcidi copia rejecta, illico vis morbi conquieſcat. Et hinc luculenter admodum patet imbecillioribus etiam activæ indolis remedia, ut ſunt emetica, apprime convenire, iiſdemque opportune porrigi poſſe, hanc maxime ob cauſſam, quia quo debiliora ſunt corpora, eo magis ob digeſtionis imbecillitatem & excretionum debitarum defectum, colligendis vitioſis humoribus apta ſunt atque idonea.

Obſervatio XI.

Vomitoria non modo ea, quæ in ventriculi & duodeni cavitate deliteſcunt, expellunt; ſed vim ac virtutem ſuam etiam in hepar explicant: unde in morbis quorum ſedes in illo eſt, ut ictero & quartana, uſus ſunt longe egregii.

Scholion.

Quando in venæ portæ per hepatis viſcus diſperſis ramis lentius progreditur ſanguinis iter, bilis inde non leve capit vitium, & ſecedentibus tenuioribus in vaſa lymphatica partibus, ob diuturniorem moram, in ductibus bilioſis ſpiſſior fit atque viſcoſior. Quod ſi vero bilioſus humor lentus eſt ac tenacior, in canalibus illum vehentibus, craſſa, quæ demum in coagulum abit & in lapillos concreſcit, amurca gignitur, & hinc orificio, ſive ſphinctere ductus choledochi, quo in duodenum hiat, obſtructo, bilis, exitu prohibito, per vaſa lymphatica ad ſanguinis maſſam regurgitat, & unacum illa per univerſum corporis ambitum diffuſa, icterum gignit: cujus principio niſi opportune obſtiteris iis, quæ detergendi & tenacem hunc mucum e loculis ſuis excutiendi vim habent, contumax & inveteratus, quinimmo, ſi ictericia nigra ſuccedit, lethalis plane morbus evadit. Et huic ſcopo obtinendo apprime inſerviunt rhabarbarina, amara, lixivioſa, cum ſufficienti humido data, inprimis vero emetica. Quod enim vomitoria in nerveas ductuum bilioſorum tunicas agant, ſuperius jam aſſeruimus, illudque clariſſime vel unica hac obſervatione innoteſcit, dum ſæpius poſt emetici uſum, & noviſſime in viro hydropico, annotavimus, quod uſurpato vino, corticibus ſambuci infuſo, & vomitiva ac purgante facultate imbuto, complures inſignis magnitudinis biliarii lapides per alvum egregio cum levamine diſceſſerint. Hinc etiam multoties ſtatim inter icteri initia ſummo cum fructu uſus ſum radice ipecacuanhæ, iterato nonnunquam ad drachmam dimidiam exhibita, interpoſito elixirii balſamici lixivioſi, minus ſpirituoſi, & eſſentiæ rhabarbari uſu. Cavendum vero perquam ſolicite eſt, ne, ſi ſubito ab ira enatus fuerit icterus, valentius emeticum porrigamus, eo quod ſpaſmus ſubeſt, qui demulcentibus & anodynis ſopiendus potius, quam per acriora intendendus. Porro quartana febris contumaciam debet hepati male affecto: id quod exinde pateſcit, quod perperam curatæ plerumque ſuccedat hydrops. Et contumax ejuſmodi ac refractaria febris, omnia fere alia remediorum genera eludit, niſi opponantur ea, quæ ſingulari virtute obſtructiones & infarctus reſerandi facultate pollent: quibus decoctum radicis aſari & ſummitatum centaurii minoris, multis experimentis a Rulando comprobatum nec non mercurius dulcis & regulus antimonii medicinalis merito annumerantur. Maxime omnium vero eximius hanc ob cauſſam emeticorum in quartana uſus eſt, qui priſcis Medicorum etiam non ignotus fuit: unde Trallianus *lib. XII. de quartana, novi*, ait, *me vomitoriis quartanas inveteratas diſcuſſiſſe, ut in totum conquieverint.* Et veteres quidem, ſemper primum lenioribus tentabant vomitum, iiſque nihil proficientibus, ad helleboriſmum tandem deſcendebant, quem huic morbo maxime accommodum eſſe cenſebant.

Nos

Nos vero pro certo aſſeverare poſſumus, pertinaces quartanas, non feliciori & expeditiori remedio, quam per emetica venereæ proſapiæ, fuiſſe ſublatas: quando nimirum vitriolum album ad grana decem, cum aliquot croci granis, in juſculo butyraceo, tribus vel quatuor ante paroxyſmum horis, exhibitum fuit; & ſi non prima vice ſpei reſpondit eventus, ſecunda tamen vel tertia morbus deceſſit. Novi etiam quondam in Weſtphalia empiricum, qui quartana detentis, tantum vitrioli cyprini, quantum ternario venit, in dimidia aquæ menſura ſolutum, offerre, eoſdemque hoc pacto ad ſanitatem reducere ſolebat.

Obſervatio XII.

Quæ paullo validius emeſin excitant, non modo ventriculi & inteſtinorum tunicas ſtimulando, ſed & univerſum vaſorum nervorum ſyſtema exagitando, operantur, eamque ob cauſam, provide atque prudenter exhibita graviſſimis ſæpe morbis opitulantur.

Scholion.

Hujus aphoriſmi veritatem vel ex eo clariſſime conſtare arbitror quod ab emetico aſſumto, arteriarum pulſus longe multumque mutetur, citatior & auctior reddatur, & reſpiratio nec non tranſpiratio, ad ſudoris uſque profuſionem, ſæpe intendatur. Quare quum tam inſignis & tam late patens vomitoriorum ſit facultas, nullum etiam dubium eſt, quin in compluribus ancipitibus & periculoſis morbis medelam ſpondeant. Inprimis hydrops, omnium morborum graviſſimus, viſceribus ſalvis, nec extravaſato in thoracis aut abdominis cavitate ſero, curationem adhuc admittens, certe non rectius & melius expediri poteſt, quam petito e mineralium familia emetico, uti eſt mercurius vitæ probe correctus, pulvis Monckii, aut tartarus emeticus, ad grana ſex vel octo, cum mercurii dulci ſcrupulo mixtus, quippe quæ collectas & ſtagnantes in univerſi corporis habitu aquas cumulate educunt, ut etiam in extremis digitorum apicibus, quidam vellicationis & contractionis ſenſus percipiatur. Quum vero ab humore ſtagnante, inteſtinorum tunicæ & aliæ motrices partium fibræ eliquentur ac relaxentur, & majori ſtimulo, ut motus ſyſtaltici augmentum accedat, indigeant; in hydrope, præſertim anaſarca, ſi medicinæ adhuc locus, validiſſimis res aggredienda, & extractum elaterii, eſulæ, hellebori nigri, gummi guttæ, auctiori longe doſi propinanda, & gummi guttæ quidem ad ſcrupulum, extractum hellebori, eſulæ & elaterii vero ad drachmam uſque, utpote quæ, licet in aliis, hoc morbo non detentis, validiſſime ſtomachum moveant, nihilominus in hydropicis rarius hunc effectum edunt, ſed potius aquas deorſum ducunt. Verum enim vero, quia hæc ipſa draſtica virulenti quippiam alunt, quod vitali illi & inteſtinæ partium motioni, ſive ſpirituaſcentiæ inimicum, tutius utique eſt ab iiſdem abſtinere, & emetica ſupra memorata, quod experientia etiam confirmat, in eorum locum ſurrogare. Præterea emeticorum efficacia ad magis diſſitas adhuc partes cerebrum nempe, ejuſque vaſa ac membranas, ſeſe explicat. Hinc ſi ſanguis ibi locorum hæret, vel reſtagnat ac difficilius progreditur, ac phantaſiæ turbationes mentiſque abalienationes oriuntur: certe ſi ulla auxilii ſpes ſupereſt, illud nonniſi prudenti venæſectionis & emeticorum uſu impetrabitur. Monendum tamen eſt, quod longe auctiori ordinaria doſi, & v. c. tartarus emeticus ad gr. X. aut XII. & mercurius vitæ ad ſcrupulum propinari debeat: quandoquidem ob influxum liquidi per nervos denegatum, rigiditatem, ſtuporem & immobilitatem partes ſenſiles contraxerunt, & nonniſi vi pharmaci roboratæ ac animatæ, removent & excutiunt obſtaculum liberioris progreſſus, ſpiſſum nempe & viſcidum ſanguinem, quo vaſa repleta, farcta atque diſtenta ſunt. Denique emeticorum vim atque operationem non tantum ad ſuperiores, ſed etiam inferiores partes ipſumque uterum ſpargi ac propagari, ex eo apparet, quod difficultatem partus non raro facilitent atque ſecundent; unde Angelus Sala, nec non Rolfinckius, *chym. in art. form. red. lib. V. Sect. VI. cap.* 13. eadem ad partum excludendum commendant, modo fœtus juſta poſitura inſtet. Et Cl. Boerhaave *in inſtitut. med.* auctor eſt, vomitoria ad expellendum fœtum mortuum conducere. Quandoque enim contingit, ut ſpaſmi ex ſpinali medulla ad uterum tendentes, & ad expulſionem fœtus apprime neceſſarii, deficiant, ad quos iterum ſuſcitandos & promovendos, utique emetica cum analepticis mixta, proficere perſuaſiſſimus ſum.

Obſervatio XIII.

Conducunt etiam vomitoria præſervationis maxime gratia, vel etiam ſub initium eorum morborum, qui extremis partibus & articulis, cum inflammatione & ingenti dolore, incumbunt, uti ſunt rheumatiſmi, arthritidis & eryſipelatis ſpecies.

Scholion.

Fomes ac minera moleſtiſſimorum horum affectuum, prima in regione, & maxime in duodeni flexura, reconditur; congeſta ibi ex univerſo corpore, propter excretiones, vernali maxime & autumnali tempore, imminutas, acrium bilioſorum humorum ſaburra, quæ poſtmodum rurſus cum alimentorum ſuccis ad ſanguinis maſſam delata, & motu quodam febrili critico ad ſummam cutem propulſa, inflammatorios ejuſmodi gignit dolores. Optimo itaque conſilio, imminente morbo, congrua laxantia aut leniora emetica, præmiſſis corrigentibus & acrimoniam bilioſam contemperantibus, propinantur, quibus vel ipſum malum penitus arcetur, aut paroxyſmi ad longe mitiorem inſultum perducuntur. Si auctoritates & experientiam in partes advocare licet, conſuli poterit Sylvius, qui *Opp. pag.* 786. afferit; quod experientia teſtetur, uno vomitorio, non tantum paroxyſmum ſublatum, verum novum etiam ortum in longum tempus fuiſſe dilatum. Et Solenander inſigni cum emolumento in principio arthritidis purgans exhibere ſuevit, edoctus primum a Tralliano *lib. XI.* licet a multis hoc tempore reformidetur, quaſi, quæ exagitata ſit materia, non amplius moveri debeat. Porro Martianus, *comment. in Hippocrat. pag.* 382. narrat: ſæpius ſe obſervaſſe, quamplurimos podagricos, ob acorem in ventriculo peccantem, podagra correptos eſſe, liberatoſque aut ſaltim mitiora tormenta paſſos eſſe, ſi acetoſa evomuiſſent. Idem teſtatur Hildanus *Cent. VI. obſ.* 84. *vomitorium* inquiens, *in principio podagricis datum, omnem dolorem abſumit.* Quibus accedunt M. N. C. *Dec. I. A. VI. & VII. pag.* 220. ubi luculentum exemplum arthritidis annuæ, vomitu & diarrhœa ſolutæ, commemoratur. Poſt vomitum autem, ſuadet Hippocrates *lib. de affect.* ut lac aſininum, vel ſerum coctum propinetur: id quod etiam egregie ex uſu eſt.

Obſervatio XIV.

Emetica inter remedia præſervatoria primum & principem obtinent locum, iis præſertim in morbis, quorum materia & cauſa prima in regione reſidet, & exinde remotas alias partes petit atque infeſtat.

Scholion.

Ægyptii ſingulis menſibus teſte HERODOTO vomitoriis utebantur : & Græci ſæpius etiam vomebant ; unde MARTIANUS *lib. de nat. hum. pag.* 153. memorat : quod Veteres ad corpus repurgandum & muniendum, ſolo vomitu, rarius purgatione, uſi ſint. Inprimis autem CELSUS vomitum præſervatorium graviſſimis de cauſis, *lib. I. cap.* 29. ſuadet : *vomitus*, inquiens, *utilis eſt plenis & bilioſis omnibus, ſi vel nimium ſe replerunt, vel parum concoxerunt. Nam ſive plus eſt, quam quod concoqui poſſit, periclitari, ne corrumpatur, ſive corruptum eſt, nihil commodius eſt, quam id, qua via primum expelli poterit, ejicere.* Et paucis interjectis inculcat, luxuriæ cauſa id fieri non oportere, interdum valetudinis cauſa recte fieri; *commoneo tamen*, pergit, *ne quis, qui valere & ſeneſcere velit, hoc quotidianum habeat.* Idem auctor utiliſſimam pronunciat vomitionem iis, qui cœlum vel locum mutant. Cui etiam HIPPOCRATES *de ſalub. diæt.* calculum adjicit, addita hac cautione; *qui vomere bis in menſe vult, melius conſulet, ſi biduo continuabit, quam ſi poſt quintum decimum diem vomuerit.* Sed hoc Veterum de crebriori vomitione conſilium, nonniſi ex more illorum interpretandum eſt, quo vomitum ad præſervandum inſtitutum, non fortioribus & acrioribus provocabant, ſed leniſſimis, quorum ſuperius jam mentionem injecimus. Quemadmodum itaque vomitoria, ad corpus a variis morbis tempeſtive muniendum, eximia utilitate ſplendent : ita præſertim in morbis, qui annuas ſtatas periodos ſervant, vel certis menſibus recurrunt, ut ſunt varii generis febres, aſthmata, hemicraniæ, arthritides, inſultus quoque apoplectici, maniaci & melancholici, nec non purpura, ante invaſionem, eadem, leniora tamen & laxantibus nupta, aliquoties repetita, nec non in quibuſdam ſanguinis miſſione ſubjuncta, ex uſu ſunt; quandoquidem hiſce præmiſſis, longe felicius aquæ minerales, vel decocta ſanguinem depurantia, & lacticinia, aut alia accommoda præſidia, operationem ſuam poſtea exequuntur.

Obſervatio XV.

Oris amarities, nauſea, cum vomendi conatu, ardor circa pectus, anxietas præcordia ſtringens, ſaliva frequens, tremor labiorum, indicia quidem ſunt ſubverſionis ventriculi & ſubſequuturi vomitus : ſed non ſemper tutum atque proficuum eſt, his indiciis obſequi & vomitum emeticorum ope procurare.

Scholion.

Exacte profecto & ſumma cum cura, hæc a qua cauſa proveniant pathemata diſcernenda ſunt; eo quod a vomitoriis, promte & ſine diſcrimine, indicantibus tantum hiſce ſignis datis, ingens damnum & vitæ etiam periculum exortum eſſe novimus. Nam ſi hæc ſymptomata a ſolo motu ſpaſtico & contractorio ventriculi, per conſenſum, ſubſiſtente in remotioribus partibus cauſa, uti videmus in apoplexia, vehementi tuſſi, calculo, ſuffocatione hyſterica, paſſione colica, iliaca aliiſque eveniunt, vel etiam a vehementiori præcedente animi affectu proficiſcuntur, cane pejus & angue vitanda eſſe emetica, cumprimis acriora, niſi neci tradere velimus eos, quorum vita nobis concredita eſt, auctor ſuaſorque ſum. Graviter certe in eo & infeliciter lapſos eſſe memini plures, qui omnes iſtos conatus & motus pro ſalutari principii vitalis & rationalis intentione agnoverunt, quam omni modo per artem promovere & ſublevare oporteat. Deinceps ſæpenumero etiam conatus ad vomendum a regurgitante ſanguine ad vaſa ventriculi in gravidis, menſium, vel hæmorrhoidum ſuppreſſione laborantibus oriuntur : ubi emeticum dare maximum foret piaculum ; quum hac ratione cruentum & funeſtum provocatum eſſe vomitum quamplurimis conſtat exemplis.

Obſervatio XVI.

Nunquam emetica dare expedit, in ipſa acceſſione, impetu aut vigore morbi, tam in febribus intermittentibus, quam continuis & acutis ; ſed ſi morbus neceſſitatem eorum imponit, tempore intercalari, aut remittente impetu, ad uſum ordinanda ſunt.

Scholion.

Veritatem & obſervationem practici hujus canonis & ratio ſuadet, & experientia adſtruit. Emetica enim activiora omnia, & ventriculum, & reliquas nerveas corporis partes, ſpaſticis ſtricturis tentant & ſollicitant : ſub morborum autem acceſſione, motu & impetu, ſyſtema tam vaſorum, quam membranarum nervearum, jam ſpaſmodicis commotionibus agitatur, adeoque motuum impetus non poteſt non ab ejuſmodi draſticis cum inſigni detrimento notabiliter augeri atque intendi. Communis quidem practicorum opinio & revera error eſt, brevi ante paroxyſmum intermittentium exhibenda eſſe emetica : ſed quam infelix ſit ſucceſſus, ſi vomitionis actui ſupervenit febris cum horrore & rigore initium, plurimis exemplis mihi innotuit; quippe ſyncopticas inde cardialgias, artuum tremores convulſivos, animi deliquia, cum extremorum rigore & frigido ſudore orta eſſe annotavit. Satius itaque eſt vomitoria vacuo tempore, aut quinque, vel ſex ante paroxyſmum horis, propinare, ac hoc demum pacto feliciſſime res ſuccedet & febris diſcedit. Eadem quoque obſervatio tenenda in acutis, ſi vomitorium propinare neceſſitas urget, illudque nunquam in vigore porrigendum, ſed ſtatim in morbi principio, vel ante tempus invaſionis, ſuffragante graviſſimo auctore HIPPOCRATE, & *Sect. II. aph.* 29. monente : *ineuntibus morbis, ſi quid movendum, move : nam iis creſcentibus, quieſcere melius eſt.* Adeoque fatemur quidem, initiantibus morbis craſtrenſibus, febribus exanthematicis, variolis, morbillis, purpura acuta, antequam materia virulenta cum ſanguine fuerit permixta, & altius ſolidis, fibroſis ac nerveis partibus inſinuata, emetica cum analepticis, vel alexipharmacis, in forma liquida propinata, præſertim ſi ſaburra in prima regione deliteſcit, feliciſſimam locare operam & longe benigniorem efficere morbi progreſſum : ſed, ſi quiſpiam hæc pharmaca in ipſius morbi ſtatu exhibere velit, ingens certe damnum & ſymptomatum augmentum procurabit atque inducet.

Obſervatio XVII.

Si ob ſpaſmos primarum viarum & viſcerum abdominis, quemadmodum in hypochondriacis, nec non hæmorrhoidibus retentis & poſt graviorem animi affectum ſolenne eſt, inæqualis ſanguinis motus aut congeſtionum impetus ad caput & pectus contingunt, ut in apoplexia, epilepſia, cephalalgia, vertigine, affectibus ſoporoſis, narium hæmorrhagiis, hæmoptyſi, aſthmate, phthiſi, catarrho ſuffocativo, ſummopere cavendum eſt ab emeticis, niſi ventriculus ſaburra obſeſſus ſit morbi cauſa.

Scholion.

Scholion.

Egregium eſt monitum, quod SEPTALIUS *lib. III. ſect.* 12. inculcat: *qui tabe*, inquiens, *qui capite, ſine ſaburra ventriculo repleto, qui hæmoptyſi, aut oculis, aut animi defectione, aut ſuffocatione uterina, aut colica ſuffocativa laborant, hi plane ab emeticis abſtinere debent.* Et certe, his in caſibus magna prudentia & deliberatione opus eſt, antequam ad anceps ejuſmodi & magnæ operationis remedium deſcendamus, ne plus damni, quam emolumenti afferamus. Nam ipſo vehementiori niſu vomituriendi conatu, omnino ſanguinis & humorum affluxus, ad partes ſuperiores, caput & pectus urgetur, quæ, ſi ex crebriori appulſu & congeſtu ſanguinis, jam jam imbecilliores redditæ, ex facili inde labem contrahunt & priſtinæ ægritudines recrudeſcentes, longe gravius, quam antea, infeſtant. Apprime huc faciunt, quæ HILDANUS de infelici emeticorum effectu obſervavit, qui *Cent. V. obſerv.* 12. a vomitorio violento, unum mutum, alterum ſurdum factum, nec non *obſerv.* 19. cœcitatem inductam eſſe, refert. Et SCULTETUS *obſerv.* 92. *app.* a vomitu tumorem frontis ſubito enatum eſſe, teſtatur.

Obſervatio XVIII.

Emetica mineralia vel vegetabilia fortiora, tutiſſime ſemper in forma liquida, interdum etiam vehiculo ſpirituoſo, inſignem liquidi copiam ſuperbibendo, aſſumi, multiplici experientia compertum eſt ac confirmatum.

Scholion.

Tutiora ſemper ſunt, ad emeſin excitandam ex antimoniatis ea, quæ ſoluta ſunt, præ ſolidis: quare aqua benedicta Rulandi, quæ ex vitro antimonii paratur, tartarus emeticus Mynſichti, qui ex croco metallorum, ſale abſynthii, (vel cremore tartari conficitur, nec non ſapa vomitoria Sylvii, magis ex uſu ſunt, quam vitrum antimonii, vel crocus metallorum, pulvis Monckii, mercurius vitæ aliaque. Quum enim ſtibiata hæc pharmaca non agant niſi ſoluta, facillime contingit, ut a contentis in ventriculi ſinu ſalſis & ſulphureis humoribus promte liquata, aut enormes non ſine periculo ſuſcitent vomitiones, aut obſeſſo lenta mucagine minuſque ad ſolutionem idoneis ſuccis ſtomacho, non diſſolvantur & nullius fere operationis ſint. Accedit, quod non exiguum periculi ſubſit, ſi acrius ejuſmodi minerale emeticum certæ tantummodo ventriculi portioni inſideat firmiterque inhæreſcat, ut eandem continuo lancinando & arrodendo, ancipitem inflammationem pariat. Quod ſi vero potens ejuſmodi pharmacum colliquatum fuerit & ſolutum, non unam tantum tunicæ ventriculi partem adoritur, ſed univerſam illam moderate afficit ac ſtimulat, ut longe facilius & tutius tota ſubſtantia ventriculi ad inverſionem & expulſionem ſollicitetur. Quare ſemper mihi in more poſitum fuit, tartarum etiam emeticum ſolutum prius in aqua analeptica ſpirituoſa, pauxillo ſyrupi grata dulcedine imbuta, propinare. Et hac ratione tutiorem longe, faciliorem ac meliorem, refracta etiam doſi, fieri vomitum obſervavi. Præterea non quidem negandum, quod remedia ſpirituoſa & ipſe etiam vini ſpiritus vomitiones ſiſtant: nihilominus tamen, ſi hic vini ſpiritus cum ſyrupo violarum, aut roſarum julepo cicuratus, una cum emetico porrigitur; non ſolum minor & refracta vomitorii doſis ſufficit, ſed etiam longe expeditior fit operatio: eo quod ſpirituoſus hic liquor, tum ſubtilem illam & nervis inimicam acrimoniam corrigit, tum etiam inſito ſuo calore majorem ſanguinis affluxum allicit & proinde motum & ſubverſionem ventriculi ſtrenue adjuvat. Inprimis autem, ſi non tam copia, quam peregrina indoles acrium bilioſorum in ventriculo humorum, præternaturalium affectuum cauſa eſt, poſt vomitorii aſſumtionem multum liquidi bibere expedit: quo intus latitans congeries eodem diluatur, attemperetur & hoc pacto promtius evacuetur. Et hoc conſilio interdum poſt cibum ſumtum vomitum procurare ſuadebant Veteres, quos inter præſertim TRALLIANUS *lib. I. pag.* 72. nominandus, qui vomitiones poſt cibum in epilepſia utiliſſimas judicat: quandoquidem hoc potiſſimum tempore exhibita emetica, quicquid craſſum in ventriculi cavo offendunt, id omne ſimul cum reliqua maſſa exturbant ac utiliter removent. Sed ſatis jam de vomitoriis eorumque uſu dictum eſſe arbitror.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
BALSAMO
PERUVIANO.

Primùm edita anno 1703.

§. 1.

NULLUM gratius, & quod majori ſuavitate ſeſe commendet, nomen occurrit in foro medico, quam balſami. Quivis ſive Chirurgus, ſive Medicus ſit, ad ejus mentionem mox ſingularem efficaciæ & virtutis medicamentoſæ ſpem ſibi promittit & concipit; qua de cauſa evenit, ut in more habent Medici, generoſa & magnæ virtutis, quæ ad conciliandam gratiam & famam præpararunt remedia, balſami vel balſamici titulo exornare & commendare. In vulgus enim notum eſt, balſamum vel balſamicum tale quid audire, quod fragranti & ſuaviſſimo odore nares reficit, & inſuper omnem labem ac corruptionem a corpore avertit: nemini enim eſt ignotum, animantium cadavera ad putredinem ſumme proclivia, balſamo diu conſervari, & a corruptione defendi poſſe. Neque de nihilo eſt tanta balſamorum æſtimatio. Ex omnibus enim vegetabilibus non datur aliquod præſtantius, quam ſuccus taliſmodi oleoſus, ſuaviſſimi ac penetrantis odoris ac virtutis, qui ex certis arboribus elicitur, unde merito rex & princeps vegetabilium talis balſamica arbor dici meretur. Sicuti vero ſanguis inter animantia eſt nobiliſſimus ille liquor, qui vitæ & omnibus actionibus corporis præeſt, a quo totum corpus calorem, robur, incrementum & conſervationem ſortitur; ita ſuccus, qui per cortices fertur, vegetabilium ſanguis eſt, & ipſorum pretioſiſſima pars, a quo vegetatio, ipſorumque omnis medicamentoſa virtus duci ac æſtimari debet.

2. Ex eo jam facile apparet, quod ſuccus vegetabilium, quo puriori & ſuaviori reſina & oleo pollet, eo majores obtineat laudes, majoremque cuſtodiat efficaciam. In tota enim rerum natura nullum principium majori donatum eſt agendi potentia nullumque eximiores virtutes atque affectus prodit, quam quod inflammabilis eſt indolis & ſulphur ſeu reſina & oleum audit, hoc mixtis non modo calorem, odorem, ſed & vires ac ſpirituaſcentiam elargitur, & præcipuarum operationum fons ac fundamentum eſt. Non immerito itaque peritiores Medicorum a multis retro temporibus ipſa balſamica, quæ ſuavi, naturæ amica liquida reſina conſtant, ad ſæviſſimorum morborum ferociam edomandam nullo non tempore maximi fecerunt. Inter ea jure meritoque palmam obtinuit & adhuc obtinet, balſamum ſic dictum Peruvianum, omni tempore a Medicis & Chirurgis celebratiſſimum. Et quum cogitatio animum ſubiret, de nobiliſſimo hoc ſimplici inter tantam farraginem nihil huc uſque ſcriptum, quod ex inſtituto ejus originem, naturam & vires pertractet; non dubitavi haud inutilem laborem fore, in præſenti materiam hanc paulo exquiſitius excutere & fuſius ventilare.

3. Antequam ad ſcopum ipſum accedamus & balſami Peruviani naturam & vires decenti ſcrutino medico perſequamur, e re fore noſtra judico de origine hujus nominis ejuſque varia acceptione quædam præmonere. Plures ſunt qui hebraicam ejus originem eſſe afferunt, dum balſamum a *Baal* ſeu *Bal*, quod dominum ſignificat, & *Samen* quod pinguedinem ſeu oleum notat, derivant, adeo, ut balſamum, pinguedinum ſeu oleorum princeps audiat. Alii malunt, hanc vocem eſſe orientalem, quoniam balſamum in linguis orientalibus princeps aromatum ſignificatur. Nihil hoc loco addimus, quam ut nomen ipſi rei correſpondere aſſeramus, quoniam tantum excellentiſſima olea ac ſulphura balſami titulo ſuperbiunt. Equidem perperam vulgo aliis rebus hoc eximium nomen aſſignarunt, dum apud Pharmacopolas linimentum omne ex variis fragrantibus concinnatum, balſami nomine ornant. Hinc balſami roſarum, apoplectici, cinamomi, nomina uſitata ſunt. Deinceps, compoſiti quidam ſpirituoſi liquores ex gummatibus, reſinis & oleis fragrantibus, cum ſpiritu vini extractis vel deſtillatis, nomen hoc accipiunt, unde ſurgunt nomina, balſami nervini & balſami vitæ. Ipſi quoque Chymici non veriti ſunt, hoc nomen ſuis præparatis affigere, dum vel ſalia fuſa aut liquata, vel ſulphura mineralium oleis deſtillatis extracta, balſamorum titulis inſigniunt. Nobis balſamum non eſt artificiale compoſitum, ſed naturale quoddam ſimplex, ex vegetabilium familia oriundum, oleoſum & inflammabile, conſiſtentiæ fluidæ, craſſiuſculæ, odoris fragrantis & virtutis mirabilis. Tale hoc proprie & κατ' ἐξοχὴν balſami appellationem ſortiri debet, & hoc jam commode de balſamo de Tolu, Copaiba, ſtyrace liquida, & maxime Peruviano prædicatur.

4. Balſamorum noſtra appellatione ſumtorum varia generea Antiquis fuiſſe cognita, & ab ipſis propter egregium uſum maxime æſtimata, is credit, qui Veterum monumenta paulo attentiori animo verſat atque manu evolvit. Inter alia jam ante Chriſtum natum in orientalibus regionibus celebratum, & ſancte pro uſu aſſervatum fuit balſamum quoddam, quod noſtro tempore balſamum orientale & verum dicitur. Non levis hinc nata fuit controverſia inter genuinos rerum

rerum naturalium perſcrutatores, quale balſamum fuerit, quo Ægyptii, Syri & Judæi ad balſamanda corpora & ad medicinam uſi fuere, num hoc balſamum adhuc noſtris temporibus cognitum ſit & uſitatum nec ne. Sunt qui exiſtimant poſt excidium Hieroſolymæ in Judæa, balſamum verum non amplius exſtitiſſe, quale quid prodidit EVONYMUS. At vero præter PLINIUM & GALENUM, qui poſt excidium hoc ſcripſerunt, ipſe SOLINUS graviſſimus auctor, TRAIANI tempore vivens *Cap.* 48. *Polyhiſtoris* balſami exiſtentiam confirmat poſt Chriſtum natum his verbis: *In Judæa tantum balſamum naſcitur, quæ ſylva intra terminos XX. jugerum uſque ad victoriam noſtram claudebatur. At cum Judæa potiti ſumus, ita loci illi propagati ſunt, ut jam nobis latiſſimæ colles ſudent balſama: ſimiles vitibus ſtirpes habent, malleolis digerunt, raſtris niteſcunt, aquis gaudent, amant amputari, tenacibus foliis ſempiterno adumbrantur.* CORNELIUS TACITUS *lib. V.* eundem in modo ſcribit: *exſuperant in Judæa fruges noſtrum ad morem, præterque eas balſamum & palmæ, balſamum modica arbor.* Hanc balſami autem plantam periiſſe THEOPHRASTUS & MONARDUS ſcribit, hic *multis*, inquit, *jam annis periit id balſamum quod in Ægypto naſci ſolebat, nec uſquam gentium amplius invenitur.* Huic autem contradicit CLUSIUS *in Exotic. lib. X. cap.* 9. *de Balſam. p.* 304. ſcribens: *falleris* MONARDE, *nam Arabia felix, quæ ſola balſami plantas ſponte naſcentes ab omni ævo protulit ac etiam nunc profert, legitimum balſamum præbet.* Aliud quidem Ægyptus loco quodam Cairo vicinus, quem Matharia appellant, nunc etiam opobalſami frutices alit, ſed ex Arabia ſemper petitur, quemadmodum olim Judæa habuit. Tale quid etiam affirmat BRASAVOLA *in Exam. ſimplic. p. m.* 396. BUSBEQ. *de legat. Turc. ep.* 4. NICOL. CHRISTOPH. RADZIVIL in ſua *Hieroſol. peregr. p.* 177. SCALIGER *Exercitat.* 157. qui CARDANUM balſamum deſiiſſe & in parvo eſſe pretio aientem vanitatis arguit.

5. Deſcribitur autem hæc planta, quæ balſamum orientale, quo uſi potiſſimum ſunt in regum inunctione, fundit, a BOCHARTO *in Tract. de Terra Sancta P. II. c.* 5. hæc tradens: *Inter Heliopolim & Babyloniam medio fere loco eſt balſami hortus, in feſto Michaelis lignum ſatis humile exiſtebat, ſcilicet palmæ & dimidiæ in altitudine, habens folia parvula ut ruta ſed parum albiora, & de ligno mecum detuli.* Inter notas autem & characteres, quibus hoc dignoſci poſſit, celebrantur penes fide dignos auctores primo ut planta hæc reſinifera perpetuo vireat, poſtea magnitudinem habeat pedis longitudine ex pollicis craſſitie, duorumque aut vel trium cubitorum altitudinem, ramulos multos & graciles obtineat. Deinde adjiciunt ejuſdem eſſe hanc plantam cum vite naturæ, quam ſingulis annis amputare neceſſe ſit, ne degeneret, cortex viridis eſt, folia viridia lentiſcinorum foliorum modo formata, nonnulla minutiora aut rutæ faciem præ ſe ferunt, cortex digitis tritus valde odoratus eſt, ſaporis pinguis & aromatici, inſtar thuris lignum candicat, odoris ſaporiſque expers, hoc vocari ſolet Xylobalſamum.

6. Hæc planta nunc potiſſimum Ægypto apud Cairum colitur, qua de re omnium optime & ſtudioſe ſcripſit PROSPER ALPINUS excellentiſſimus ævi ſui botanicus, qui per novem annos ceu Medicus clariſſimus Venetorum claruit, ubi Medicorum tam Ægyptiorum, quam Hebræorum auxilio plantam penitus indagare, modumque colligendi Opobalſamum, notaſque veri Carpobalſami, Xylobalſami addiſcere potuit, quod in ſuo libro *de Plant. Ægypti Cap.* 14. de ſe ipſo teſtatur. Et multo clarius in ſuo *de Balſamo dialogo*, quod cum Appella Arabe & Abdachim Hebræo-Medicis in examen vocat, in quo omnes propoſiti negotii difficultates tam clare & perſpicue ſolvit, ut veritatis amanti nullus amplius ſupereſſe poſſit ſcrupulus.

7. Deinceps arbor balſami orientalis flores fert parvos & albos in umbellæ formam compoſitos, quinque foliis obrotundis conſtantem, floribus acaciæ proximos. Ab hiſce ſemina promanant flava, folliculis nigris ſiliquoſis obrotundis magnitudine unius digiti fuſci involuta ſubrubentibus contenta, valde odorata, intus humorem flavum melli ſimilem habentia, ſapore amaro, parumque acri, linguamque ferientia Opobalſamum redolentia, ſicut præclare tradit WORMIUS *in Muſeo* 223. Quod pretioſiſſimum illum liquorem colligendi modum attinet, qui Opobalſami nomine venit, notandum eſt, menſibus æſtivis deſinentibus umbris luna plena incidendum eſſe corticem ad medullam uſque, ita liquor exſtillat, qui in vitrea vaſcula excipiendus. At vero non poſſumus hic fidem adhibere ipſo RAIO, qui ſcribit, ſpatio trium horarum duodecim hujus liquoris libras effundi, cum arboris magnitudo exigua contrarium potius ſuadeat. In eo autem omnes, qui balſami hujus naturam & originem inveſtigarunt, conſentiunt, quod liquor ille, qui emanat, primo albo colore tinctus conſpiciatur, & liquidior ſit, mox paucis diebus in viridem mutetur olei craſſitie, demum poſt aliquot annos aureus & mellis conſiſtentiæ fiat, & inſtar terebinthinæ craſſeſcat.

8. Porro dicunt quoque primo tempore turbidum eſſe craſſumque uti oleum ſtatim ab olivis expreſſum, poſtea clarum fieri & tenuem, demum craſſeſcere & ſub aqua mergi, cum primum propter levitatem aſcendat, & ſupra totam aquæ ſuperficiem expandatur. Scribunt quoque de eo, quod primis diebus acuti & validiſſimi ſit odoris, ut aliquibus inter odorandum ſanguinem e naribus eliciat, qui gravis odor cum tempore pereat & gratior ſit & fragrantior. Sapor eſt acris, amaricans & paululum adſtringens. Notatu quoque dignum eſt, quod aliqualis coagulatio lactis ab eo infuſo perficiatur. Probe notat celebris ſcriptor Gallus POMET *in Traité des Drogues p.* 275. quod hoc balſamum ſit rarum, pretioſiſſimum & in Matharia magnoque Cairo, ubi in hortis creſcit & maxime colitur ac defenditur, rarius obtineri poſſit, niſi per legatos Turcicos, quibus ceu munus offertur. Unde porro addit, adulteratum eſſe, quod vulgo venditur pro vero balſamo, & nihil aliud eſſe, quam balſamum Peruvianum cum ſtorace & benzoe permixtum. Confirmat hoc aſſertum CLUSIUS *in Monard. p.* 103. qui ejus unciam modo viginti, modo decem ducatis vendi ſcribit. Quocirca hodienum, quod venditur & incluſum eſt nucibus Coccis pro Opobalſamo, artificiale eſt. Qui plura de hac materia legere vult, evolvat elegantiſſimum tractatulum VOLCKAMERI, *de Examine Opobalſami* editum.

9. Accedimus nunc ad balſami Peruviani originem indagandam, quod noſtræ potiſſimum conſiderationis eſt. De eo ſcribit celeberrimus ævi noſtri botanicus RAIUS *ex Piſone in Hiſt. Plantar. p.* 1757. Quod arbor ſit mali medicæ magnitudine, foliis amygdali majoribus tamen rotundioribus & magis acuminatis, floribus pentapetalis, in extremis ramorum flagellis luteis, initio loculorum oblongorum forma, ſed procedente tempore quorundam veluti foliorum cæteris latiorum. Arbor eſt ſiliquoſa, ſiliquis brevibus in ſingulis ſemine contento. In America & quidem Hiſpania nova & Mexico creſcit, unde etiam Americanum, Mexicanum audit. Cortex contuſus ſuaviſſimos dat globulos aliaque multa. Lignum ejus ſingularem in ædificiis præbet uſum.

10. Cæterum MONARDUS fidiſſimus rerum exotica-

rum ſcriptor de arbore hujus balſami ſcribit: quod contineatur in America, vaſtæ ſit magnitudinis, ad radicem uſque ramoſa, duplici cortice ſepta, altero craſſo ſuberini modo, altero tenui interno, materiam arboris complectente. Ex eo, quod inter utrumque corticem eſt, ſpatio, inciſione balſamum educitur. Fructum dicit eſſe ciceris aut piſi grano non majorem, in extrema ſiliqua anguſta, digitum longa, alba, tenuitate regalis ſimplicis. Depinxit PARCKINSONIUS pro balſami Peruviani arboris fructu, ſiliquam longam, anguſtam, quæ balſamum Peruvianum, aut benzoinum adeo odore referebat; ut ſibi plane perſuaſerit, ejuſdem arboris fructum eſſe.

11. Quod attinet ad modum colligendi balſamum, hic duplici ratione vel per inciſionem vel per coctionem peragitur. Inciſio fit cultro, quovis annuo tempore, poſt imbres ſerenitate aeri reſtituta, luna plena, & ut perhibent eum in modum, diſcinditur nempe uterque cortex; tunc emanat liquor tenax, ſubalbidus, limpidus, terebinthinæ conſiſtentiæ, ſaporis acriuſculi, aliquantulum amari, odoris fragrantiſſimi. Et hoc dicitur Peruvianum balſamum album, eſtque rarius & carius nigro: nigrum autem quod ad nos magna in copia adfertur, decoctione extrahitur, videlicet referente CLUSIO *Comment. in Monard. p.*302. ramos atque etiam truncos arboris aſſulatim & minutim conciſos, in lebetem ampliſſimum injiciunt, multa inſuper affuſa aqua, bulliunt omnia & fervent, quantum ſatis eſſe putant, igne ſublato frigeſcere ſinunt, & conchyliis oleum ſupernatans colligunt. Id vero eſt, quod in has regiones invehitur, & quo vulgo utimur, ex nigro rubente, odoris ſuaviſſimi. Vaſculis argenteis, vitreis, ſtanneis, aut fictilibus vitratis aſſervatur, omnem aliam materiam penetrans. Ex quibus patet, balſamum Peruvianum eſſe vel album vel nigrum, & binas has ſpecies ex una arbore provenire, parandi tamen modo differre. Nam album ſtillat ex arbore ad medullam uſque perforata inſtar olei terebinthinæ, & longe præferendum eſt balſamo nigro, quod coctione paratur, ubi nonnullæ particulæ volatiles avolant.

12. Differt autem hoc noſtrum balſamum tam nigrum quam album a balſamo ſic dicto Copaiba. Duplex hoc nobis apportatur, quale unum liquor eſt limpidus, ſtillans ex arboribus Americanæ Copaiba dictæ ad medullam uſque perforatis, odoris fragrantis & gratiſſimi ſaporis acriuſculi; alterum vero craſſioris inſtar terebinthinæ eſt conſiſtentiæ. Diſcrimen autem hoc dependet ex diverſo colligendi tempore. Illud enim cum ſtatim poſt arboris inciſionem primo effluit, eſt admodum clarum, album, odoris reſinoſi. Hoc autem quod ſequitur, magis aurei coloris & conſiſtentiæ tenacioris eſt, quæ conſiſtentia ipſi balſamo nomen conciliavit. Ultimum hoc balſamum, magna in copia in lagenis ex Portugallia ad nos perfertur: alterum autem tenuius magis rarum eſt.

13. Tandem diſcrimen quoque inter noſtrum balſamum & ſic dictum Tolutanum. Exiſtimant nonnulli balſamum de Tolu & balſamum Peruvianum album eſſe idem, falluntur autem in eo, differt enim arbor, differt etiam natale ſolum. Arbor pino eſt ſimilis & folia ceratiæ faciem obtinent, ſemper virent, ramos quaquaverſum ſpargunt, teſte RAIO *in Hiſtoria Plantarum p.* 1759. Locus ubi creſcit eſt provincia Hiſpaniæ novæ, inter *Carthaginem* & *le nom de dieu* ſita, *Tolu* Indis dicta. Inciſione etiam exſtillat ex arborum corticibus, coloris eſt aurei ſaporis dulcis, grati, & non nauſeabundi, limoniorum fragrantiam quodammodo refert, ſi pauxillum in vola manus fuerit fricatum. Rarius eſt in Gallia, in Anglia autem ordinario reperitur, unde ad nos in conſiſtentia ſicca advehitur.

14. Quod ſaporem balſami Peruviani attinet acris eſt, paululum amaricans, utpote ſubtili acredine irritativa papillulas linguæ nerveas afficit. Subſimilis ſapor in corporibus reſinoſis præſertim liquidis obtinet, qualis deprehenditur in terebinthina, ſtrobilis pini, reſina ligni guaiaci, tam ea, quæ coctione cum aqua quam ſpiritu vini rectificatiſſimo extrahitur, reſina ladani, ſtoracis, in ſtorace liquida, eſſentia ligni aloes. Tenuis eſt hæc acredo; teſtatur ſal quoddam volatile acidum cum oleoſis particulis intime eſſe nuptum. Notum enim eſt, non tantum ex analyſi chymica, ſed & ex compoſitione, reſinas ex oleo fluido æthereo & tali acido tenui eſſe conflatas. Unde oleum quodvis æthereum deſtillatum permixtum cum ſpiritu nitri concentrato in magma reſiniforme abit, quod ſubtili acredine ipſam linguam petit & afficit.

15. Odor balſami Peruviani eſt ſuavis & fragrans, indicio ſulphuris & olei volatilis ætherei probe temperati. Recte enim a Chymicis odor petitur a ſulphure, & quidem ejus ſuavitas a mixtura earum partium, quæ ſulphur conſtituunt, temperata & proportionata. Fœtor a mixtione intemperata, & proportione diſcedente. Notandum autem hoc loco eſt, quod effluvia balſami Peruviani, quæ admoto fortiori calore in cochleari argenteo mittuntur in auras, in nares recepta, in limine arteriæ aſperæ tuſſiculam ordinario quandam movere ſoleant, quod etiam aliis reſinis, benzoes, reſinæ ſtoracis, perfamiliare, in manifeſtum ſignum, effluvia hæc tenuiſſima non eſſe ſalis acris & ſtimulantis expertia. Sulphureum autem, aut oleoſum principium, palmarium eſſe balſami noſtri ingrediens, vel ſola inflammabilitas abunde manifeſtat. Utpote non modo in liquida forma, ſi debita ratione candelæ ardenti objiciatur, flammam probe concipit, verum etiam quando ad ſiccitatem redigitur, quod fit, ſi tantummodo arenæ candidæ miſcetur, hoc ipſum præſtat: præter hoc ſulphuream materiam clare demonſtrat ejus facilis & promptiſſima diſſolutio & intima unio cum ſpiritu vini rectificatiſſimo & oleis cunctis ſpirituoſis & deſtillatis; amice enim conjungitur cum his ipſis, neque olei, neque ſpiritus vini unionem reſpuit.

16. Hoc loco autem non prætereundum eſt, cum cera & cum oleis omnibus expreſſis balſamum Peruvianum, ſive calide, ſive frigide mixtura fiat, nunquam velle coire, unde etiam ii perperam agunt, qui inter olea cocta & expreſſa, pro medico uſu, præſertim externo hæc inter ſe miſcent. Econtra probe ingreditur balſama illa, quæ ex oleis deſtillatis compoſita ſunt. At vero averſatio hæc expreſſorum oleorum & pinguedinum hanc affert utilitatem, ne his ipſis adulterari queat. Falſum enim eſt, uti nonnulli auctores habent, admixtione olei amygdalarum dulcium hoc balſamum infici. De balſamo Peruviano ſic dicto albo, quod in officinis venditur, res clara eſt, hoc nunquam vere purum, ſed perpetuo hoc oleo eſt adulteratum. Nam lubenter, quod notabile eſt, olea expreſſa cum hoc balſamo junguntur, neutiquam autem cum nigro, quod, uti nos exiſtimamus, citra adulterationem venditur.

17. Placet hoc loco mentionem quoque facere nonnullarum mixtionum, quas inſtituimus cum variis rebus; ita noſtrum balſamum aquæ infuſum fundum petit, plane autem reſpuit conſortium aquæ, dum nullo modo, vehementi etiam agitatione facta, ab ipſa turbatur vel lacteſcit. Id autem in ipſo experimento curioſe conſpicere licuit, quod extremitas pennæ immiſſa balſamo Peruviano, eoque imbuta quandocunque, vitro aqua repleto inditur balſamum Peruvianum, ægre deſcendat, ſed ſub globoſa forma, in medio vitri ſuſpenſum hæreat, ſimul ac autem extra

aquæ

aquæ ſuperficiem penna ex aqua educitur, mox decidit de penna & in fundum delabitur. Ratio iis, qui gravitatis naturam cognitam habent, ex phyſicis & ſtaticis facilis eſt. Datur tamen medium hoc balſamum intime miſcendi cum aqua ſimplici pura, & hoc eſt ipſe vitellus ovi. Dici vix poteſt, quam amice inque momento ad ſuperficialem tantum mixtionem, vitellus capiat hoc balſamum, intimeque cum ipſo uniatur. Mixtura poſtmodum hæc aquis indita, per omnia ſpatia diffunditur & flaveſcentem turbidum colorem ipſis largitur. Non contemnendus hic in pharmaceuticis modus eſt balſamum Peruvianum potionibus & mixturis admiſcendi.

18. Cum oleo vitrioli rectificato quando miſcetur particula balſami Indici, nulla fit efferveſcentia, ſed tantummodo leni calore color immutatur, & intenſe ac ſaturate purpureus ex utroque exſurgit, amboque abeunt in coagulum, quod quando aqua calida affuſa ſufficienter eluitur, aciditate vitrioli tranſeunte in aquam, relinquitur puriſſima ſolida reſina in manu tractabilis ſine cohæſione, quæ ad flammam admota perfacile accenditur, & in rectificato vini ſpiritu ſolvitur. Docet hoc experimentum, acidum, quod coagulationis cauſa & auctor exiſtit, noſtro balſamo ſufficiens deeſſe, unde liquidum permanet, hoc ſi adjicitur, ſtabilem acquirit conſiſtentiam. Fecimus quoque ſimile experimentum cum ſpiritu noſtro flammifico, hic cum certis oleis iiſque aromaticis, intenſiſſimam & lucidiſſimam flammam vehementer ardentem producit, ad mixtionem autem aliorum oleorum v. g. carvi, aniſi, terebinthinæ, majoranæ, lavendulæ, mox intenſiſſimam facit efferveſcentiam: hic mixtus cum noſtro balſamo, non ſtatim efferveſcebat, ſed mora aliqua interjecta & facta agitatione demum ebullitionem prodebat, ob eam procul dubio cauſam, quod in balſamo quoddam æthereum oleum latitet, ſed viſcoſis terreis partibus valde ſit immerſum.

19. Tandem etiam quædam adjicienda veniunt, quæ variis factis deſtillationibus annotavimus. Primo enim hoc balſamum cum aqua mixtum & veſicæ cupreæ inditum & deſtillatum nullum fundebat oleum; aqua tamen de odore quodammodo ejus fragranti participabat; nihilominus ea aqua, quæ in veſica ſupernatans deprehendebatur manifeſto odore, ſapore, colore etiam aliquatenus flavo imbuta erat. Videtur nexus iſte partium viſcoſarum, terrearum, olei tenuioris & ætherei, nec non ſalis acidi, tam arctus eſſe, ut vaporibus aqueis disjici nequeat. Non enim mirandum eſt, in chymicis dari corpora, quæ ſapore acri, nec non ſalis acris copia imo volatilis ſcatent, quæ tamen ſub deſtillationibus humidis nihil de hiſce ſuggerunt. Ita gelatinæ, ſanguis animalium, oſſa deſtillata, ex vegetabilibus zingiber, dant aquam odore ſaporeque privatam.

20. Quandocunque autem intimior hic partium nexus ac vinculum dirimitur ac ſolvitur, ecce mox alius effectus ſeſe pandit. Fecimus itaque experimentum, & lixivium ſatis forte ſumſimus hocque miſcuimus cum balſamo Peruviano, mixturam indidimus vaſi argenteo, & ſubdita flamma, hanc in ebullitionem fervidam conjecimus, ita mox conſpeximus, diſſolutionem balſami uſque ad dimidium factam, nam ſaturate flavo lixivium tingebatur colore, & vapor, qui in coctione emanabat, odorem penetrantem ſuaviſſimum exſerebat, adeo ut pateat, hac ratione, aquam ex balſamo Peruviano ex veſica deſtillari poſſe una cum ſubtili oleo præſtantiſſimo. Eſt enim ea indoles alcalinorum ſalium, ut contextum viſcoſarum, oleoſarum & reſinoſarum partium fortiter aggrediantur, diſſolvant & oleum acido ac terra ligatum in priſtinam volatilitatis libertatem vindicent.

Frid. Hoffmanni Diſſert. varii argum.

21. Verum enim vero adhuc longe nobilior modus eliciendi ex hoc balſamo ſpiritum fragrantiſſimum mirabilis virtutis proſtat, quem primus deſcripſi in *Annotationibus in Poterium p.* 440. nempe tres partes balſami Peruviani cum una parte ſalis tartari exacte triturantur in mortario, affunditur ſpiritus vini rectificatiſſimus vel melius ſpiritus roſarum ad eminentiam quatuor digitorum: extractio fit leni calore, poſtea deſtillatio in cucurbita vitrea per alembicum uſque ad ſiccitatem, ita prodit ſpiritus, longe ſuavior & fragrantior ipſo balſamo, qui in omnibus nervorum & cerebri affectibus a cauſa frigida & humida ortis, in omnibus partium nervoſarum & glanduloſarum nimiis relaxationibus, efficaciam vix parem poſſidet. Relinquitur in cucurbita magma ex craſſis viſcoſis terreis partibus conſtans, quod volatili oleo ſuavi penitus orbatum eſt. Notatu hoc loco dignum eſt, ipſum ſal tartari oleum tenue & ſuave a tricis & involucris partium viſcoſarum ſeparare, quod poſtmodum receptum in ſpiritu vini calore cum eo ſurſum rapitur. Eadem encheireſi ex aliis reſinis, maſtiche nempe ſuccino, benzoe, myrrha, aloes ligno, eduxi ſpiritus admirandæ virtutis & vix adhuc in pharmaceuticis notos.

22. Deſtillavimus quoque balſamum noſtrum ſicca via, miſcuimus nempe partem unam hujus cum partibus duabus arenæ, mixturam immiſimus retortæ vitreæ, & facta fuit per arenam deſtillatio, ita prodiit oleum ex flavo rubrum, quod aquæ ſupernatabat, odoris non ingrati paululum empyreumatici, quod in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolutum egregium liquoreni nervinum, interne & externe aſſumendum conſtituebat. Deſtillatione ulteriori ſubſecutum eſt oleum craſſius, fundum in aqua petens. Duplex enim oleum in balſamo Peruviano obſervatur, unum tenuius & levius, alterum craſſius, poteſt hoc extemporaneo labore ad oculum demonſtrari. Nempe ſumatur balſami Peruviani particula, & ferventiſſimæ aquæ injiciatur, ita mox videbis, oleum quoddam inſtar cuticulæ ſupernatare, ſapore penetranti imbutum, craſſiorem autem & majorem portionem in fundum deſcendere, ex quo patet, non inepte balſamum Peruvianum immiſceri poſſe decoctis, quod adhuc magis ex voto ſuccedit, ſi particula ſimul ſalis tartari additur.

23. Ex hiſce omnibus dictis & adductis, abunde eluceſcere arbitror, balſamum Peruvianum, eſſe ſuccum reſinoſo-oleoſum arboris ex corticibus & foliis, mediante aqua & igne extractum, qui compoſitus eſt ex oleo tenuiori & ſubtiliori viſcoſis terreis acidis partibus ligato & intricato. Probe hic eſt notandum, aquam non addi eum in finem, ut diſſolvat & extrahat balſamicam & oleoſam arboris partem, utpote hæc nullum habet in id ingreſſum, ſed calor tantummodo humidus facit liquationem & fuſionem oleoſarum & reſinoſarum partium, quæ in porulis & interſtitiis corticis, potiſſimum arboris ſubſiſtunt; liquatæ autem per calorem oleoſæ partes, recipiuntur in aquam, quæ ſi non adeſſet & ſicco tantum calore negotium inſtitueretur, periculum eſſet empyreumatis. Nihilominus tamen noſtra non eſt opinio aquam in extrahendo omni deſtitui virtute, equidem non adoritur ipſum oleum, in partes tamen acres, ſalinas jus quoddam habet, unde dum in eas agit, eaſque in ſe recipit, una quoque adducit quaſdam oleoſas. Exemplo res clara eſt in decocto ligni guaiaci. Hoc lignum valde eſt reſinoſum, & ob copioſam reſinam admodum grave. Si ejus raſpatura fortiter decoquitur in aqua per aliquot horas, & poſtea hoc ipſum decoctum inſpiſſatur, relinquitur magma quoddam reſiniforme, quod ſaporis eſt acriuſculi, odoris fragrantis, multum ad ſtoracis reſinam accedentis. De hoc ſumta particula & naribus excepta, ſternutatio-

nes inſignes, citra tamen capitis imbecillitatem efficit. Hoc tamen dolendum eſt, ex libra una ligni, vix drachmas duas poſſe obtineri, cum tamen unciæ tres ad minimum ejus reſinæ, ſi extractio fiat cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, haberi poſſint.

24. Eſt nempe balſamum noſtrum reſina arboris liquida. Poſſident omnes arbores ſuccum quendam, quo nutriuntur, qui vel gummeæ, vel reſinoſæ naturæ eſt. Arbores in noſtris regionibus ſubſtantiam magis gummeam, in præcalidis autem & orientalibus, ob fortem ſolis æſtum, magis reſiniformem, adeoque calidiorem alunt. Hic ſuccus nutritius per intermedium corticis ſpatium & per ipſa folia fertur unde vel inciſione facta exſudat, & calore externo humiditate abſumta in ſolidiorem ſubſtantiam concreſcit, coctione autem cum aqua & extractione vel cum ſpiritu vini facta, ex poris tam radicis quam ligni extrahitur. Quod ſi autem, uti in aromatibus fit, pars oleoſa tenuior prævaleat partibus acidis & gummeis, coctione cum aqua & deſtillatione facta, puriſſimum æthereum oleum, quod delicatiſſima & volatilior iſtius ſucci pars eſt, obtinetur, unde nulla reſina, nullum balſamum liquidum, ſed optime oleum ex aromatibus v. g. caryophyllis, cinamomo, nuciſta, floribus macis, corticibus citri præparari poteſt. Quajacum autem & lignum aloes reſinam largiuntur, quoniam pars oleoſa particulis terreis & acidis magis eſt imbuta. Dantur autem certa ligna, ex quibus nec oleum deſtillari, nec reſina cum ſpiritu vini confici, ſed elegantiſſimum balſamum liquidum produci poteſt. Et tale eſt ſantalum flavum, cujus limaturæ ſi ſpiritus vini rectificatiſſimus affunditur, & inde emergens eſſentia leni calore abſtrahitur, remanet balſamum perfectiſſimum, conſiſtentia & colore Peruviano ſimile, odore ambram redolens.

25. Dicimus itaque in noſtro balſamo eſſe temperatam & valde proportionatam mixtionem elementi ſulphurei oleoſi, tenuis, oleique craſſioris viſcoſioris & ſalis acidi, quo nulla reſina, nullum vegetabile ſolet deſtitui. Ex ſubſtantia hac oleoſo-reſinoſa & viſcoſa jam merito omnis virtus, quæ in noſtro balſamo latitat, debet deduci, imo non tantum ſeu principio, vires per experientiam ſeu a poſteriori cognitæ peti, ſed & novæ incognitæ inveniri & detegi.

26. Paucis autem hic recenſebimus, in quibuſnam affectibus tam internis, quam externis, chirurgis & medicis eximiam opem & levamen balſamum Peruvianum præſtiterit. Ut autem exordiamur ab uſu interno, ante omnia in decubitu & defluxione ſeri & pituitæ, glandularum tumoribus & laxitatibus, nervorum tono dejecto, præſentiſſimam opem tulit, nominatim vero in gonorrhoea tam maligna quam benigna, unice hoc balſamum, præmiſſis purgantibus, idoneum eſt moleſtum hunc affectum tollere, ſive ejus ſola eſſentia ſumatur, ſive cum vitello ovi in formam electuarii redigatur.

27. In fluore albo quoque, præmiſſis per epicraſin agentibus laxativis, ex meliſſa, abrotano, corticibus lignorum, eſſentia balſami Peruviani cum tinctura martis ZWOELFFERI mixta, in rebelli hoc & moleſtiſſimo fœminarum affectu, non omiſſis quoque externis cum eodem balſamo ſuffimigationibus in uterum receptis, egregium levamen aliquoties attulit. In nimiis ſeri excretionibus & deſtillationibus lymphæ per ſcreatum, per tuſſim inveteratam, per nares, in raucedine, uvulæ relaxatione, eſſentia ſuccini cum eſſentia balſami Peruviani mixta, & cum tinctura antimonii acri maritata, nimium illum fluxum ex ſtagnatione ſeri & glandularum laxitate ortum roborando, & tonum reſtituendo egregie cohibet.

28. Præterea balſamum hoc mirifica pollet virtute in læſionibus, corruptionibus & exulcerationibus partium conſolidandis, adeoque in ulcere pulmonum, renum exulceratione ejus uſus circumſpectus mirabilis eſt. Probe autem hic notandum, balſamum ſibi relictum per ſe eſſe nimis calidum, unde cum aliis temperatis peropportune in balſamum miſcetur. Hujus cenſus eſt Locatelli, qui ex oleo florum hypericonis, vino Hiſpanico, ſantalo rubro, terebinthina Veneta, & balſamo Peruviano, cunctis debita doſi ſumtis conficitur. Vidimus hoc ipſo balſamo perfecta phthiſi laborantes, & per plures annos graviter affectos feliciter reſtitutos, ſi ſingulis diebus cum decocto hordei ſucco cancrorum fluviatilium roborato, æſtus compeſcendi gratia drachma ſemis fuit aſſumta & exterius ipſi regioni ſtomachali ejus portio cum oleo nuciſtæ, menthæ, carvi, commiſta applicata. Continuatio autem, quod probe notandum eſt, per dimidium anni fieri debet, ſervata ſimul accurata diæta. Poteſt etiam balſamum pectorale egregium ex eo concinnari, ſi ſumantur balſami ſulphuris cum oleo amygdalarum dulcium præparati uncia una, balſami Peruviani in vitello ovi ſoluti, balſami de Copaiba ana drachmæ duæ, olei aniſi drachma ſemis. Et hic balſamus in omnibus pectoris affectibus ipſoque aſthmate, nimiis excretionibus purulentæ & viſcoſæ materiæ, divinas medentibus porrigit manus. In læſionibus & exulcerationibus inteſtinorum poſt dyſenteriam gravem, idem balſamum Peruvianum vel Locatelli per clyſteres applicatum, vel intus etiam aſſumtum, ad conſolidationem, practicis celeberrimis paſſim teſtantibus, laudatiſſimo pollet effectu. In aſthmate pituitoſo elæoſaccharum balſami Peruviani, vel ſyrupus ex eo factus, balſamicus nobis dictus, egregiam præſtat efficaciam. Paratur autem hoc elæoſaccharum ita, ſacchari canarienſis uncia una, cum drachma dimidia balſami Peruviani miſcetur. Syrupus autem fragrantiſſimus & gratiſſimus, in officinis Brunſuicenſibus a magni nominis archiatro CONERDINGIO introductus proſtat, qui ſequentem in modum paratur: ad libram aquæ hordei affunditur balſami Peruviani uncia ſemis: per balneum Mariæ fit deſtillatio, uſque dum dimidium prodierit. Humiditas autem in cucurbita relicta & balſamo ſupernatans, ejuſque oleo tenui imbuta coquitur cum ſacchari debita quantitate, ad ſyrupi conſiſtentiam. Sapore hic ſyrupus gratiſſimus eſt, virtute quoque præſtantiſſimus, & certe omnibus, quotquot in officinis proſtant, anteferendus: commodiſſime enim & magna cum gratia, quibuſvis potionibus poteſt admiſceri. Extemporanee autem parari poteſt, ſi ſaccharo ſoluto debita quantitas ſpiritus noſtri balſamici, de quo ſupra facta fuit mentio, adjiciatur.

29. In affectibus nervorum & capitis, v. g. vertigine, paralyſi, epilepſia, imbecillitate capitis, poſt diſcuſſam apoplexiam cephalalgiis gravativis a cauſa pituitoſa ortis, ſoporoſis affectibus, balſamum, omniaque ex eo parata, & jam recenſita divinam afferunt opem. Naſcuntur hi affectus utplurimum ex nimia laxitate & tono dejecto membranarum, vaſculorum & nervulorum cerebri; unde circulatio ſanguinis debita impeditur & humores pituitoſi viſcidi accumulantur. Ad tonum itaque debitum reſtituendum, ad humores ſtagnantes in motum redigendos, non poteſt non ſale ſuo tenui acri & ſulphure amico, tonico, noſtrum medicamentum multum contribuere. Optime autem tali in caſu uſurpatur ſub forma pilularum, quando extractis vegetabilium amaris, nec non purgantibus debita in quantitate admiſcetur. In omnibus autem affectibus ſpaſmodicis doloribus arthriticis, rheumaticis, hyſtericis, nec non viſcerum contractionibus, quas largæ ſanguinis effuſiones quandoque ſubſequi variis in locis ſolent, in uſu crebriori habui ſequentem ſpiritum. Combinavi ſpiritum prædictum

dictum balſami Peruviani cum tinctura antimonii acri & ſpiritu eboris rectificato anatica portione, prodit mixtura ſpiritus nobiliſſimarum virium, ſpiritui Buſſiano longe præferendus, qui dictis in affectibus, item præſervationis cauſa ad quoſvis cujuſcunque generis morbos præſidium eſt generoſiſſimum, triginta vel quadraginta guttulis ſumtis. Tandem adverſus ſcorbutum, ad luem veneream, & ubi humorum coagulum adeſt, motuſque imminutus exiſtit, vires balſami noſtri non contemnendæ veniunt. Notum enim eſt, in hiſce refractariis morbis, ea, quæ reſina acri ſtimulante & balſamica, ſanguinem & humores fortiter concitante pollent, inter ſpecifica numerari. Extra dubium quoque eſt ſive eſſentia hujus balſami decoctis lignorum admiſceatur, ſive in forma pilularum adhibeatur, exoptatiſſimam operationem exinde promanare debere. Tandem etiam in ventriculi & inteſtinorum vitiis, tono eorum ob ſpaſmi frequentiam dejecto adeoque diſpoſitionem ad tormina colica, ad flatulentiam, vomitum, nauſeam, virtus balſami Peruviani eſt excellentiſſima. Hunc in finem ingreditur elixir balſamicum meum & balſamum vitæ, quæ duo remedia intus cum cibis ſumta & continuata, præfatis in affectibus, omnique defectu virium & ſpirituum virtutes, vix ab aliis remediis obtinendas, fovent & ſuſtinent.

30. Luſtravimus jam noſtri ſimplicis breviter uſum internum & medicamenta huic deſtinata, præparationes nobiliores candide communicavimus, ſupereſt jam, ut pauca etiam verba faciamus de uſu ejus externo, eoque chirurgico, cum ſatis etiam ille nobilis ſit. Nolumus vero eſſe longiores, cum ſatis abundeque hujus uſus uſus chirurgis perſpectus ſit. Non enim datur excellentius remedium, in omnibus periculoſis tendinoſarum & nervoſarum partium læſionibus, exulcerationibus & contuſionibus, hoc ipſo, & vix habet ſimile in omnibus naturæ regnis, maxime omnium autem in capitis læſionibus, pericranii, membranarum cerebri, ipſiuſque cranii vulneribus, & contuſionibus, in ipſa quoque trepanationis operatione hoc balſamum ſolum omnibus palmam præripit.

31. Notum eſt, in partibus ſic dictis frigidis, nempe membranoſis & tendinoſis, quæ a motu ſanguinis vitali valde remota ſunt, læſiones ſumme periculoſas enaſci, quibus convulſiones, ſpaſmi, ſphacelationes, inflammationes frequenter conjunguntur. Reſpuunt hinc omnia pinguia, inviſcantia, poros obſtruentia, amant autem omnia balſamica, quæ putredinem avertunt, motumque fluidarum partium internum per earum fibras conſervant. Prout autem diverſus eſt læſionis modus diverſis quoque rationibus ſolet miſceri & a prudentibus applicari. Ita nonnulli miſcent cum melle & ſpiritu vini, qualis mixtura in duræ matris vitio optima. Alii cum vitello ovi, thure & maſtiche, quod egregie facit ad puris generationem. Alii oleum tartari fœtidum & balſamum ſulphuris terebinthinatum ipſi jungunt, quod arcet putredinem in antiquis, ſordidis, profundis, fiſtuloſis exulcerationibus & corruptionibus.

32. Quandocunque cum eſſentia balſami noſtri miſcetur eſſentia ſuccini, myrrhæ, maſtiches, florum hyperici, vulnerarium præſtantiſſimum elixir paratur, quod vel ſolum omnia recentia vulnera ſanat, antiqua ad incarnationem & conſolidationem perducit, putredinem & carnem luxuriantem abigit, cariem oſſibus abſumit & recentem carnem progenerat. In gingivis exulceratis, ſphaceloſis, ſcorbuticis idem elixir virtutes oſtendit egregias.

33. Tandem in omnibus doloribus, ſpaſmodicis contractionibus, paralyticis nervorum reſolutionibus, ubicunque locorum ipſæ conſiſtunt, noſtrum balſamum ſolutum in ſpiritu vini rectificato, additis camphora, oleo nuciſtæ & croco, inſtar incantamenti dolores abigit, debitumque robur partibus addit, ipſiſque egregium ſolamen affert. Ingreditur quoque balſamum apoplecticum tam ſiccum quam liquidum, cujus inunctio in temporibus, vertice, naribus & cervice facta, ab omnibus præternaturalibus ſanguinis & ſeri in capitis & cerebri factis ſtaſibus præſervat, & graviſſimis capitis affectibus nervorumque imbecillitatibus interno uſu ſic medetur. Ad roborandum imbecillem ſtomachum, in frigida ejus conſtitutione, in nauſea, vomitu, externe cum oleis ſtomachicis injunctum, vel emplaſtris ſtomachalibus additum, experti ſſimi eſt effectus.

34. Tandem quoque elegantiſſimum præbet ſuffimigium, quod fit, ſi vel hoc balſamum Peruvianum ſolum vaſi argenteo inditur & carbonibus imponitur; effluvia in nares recepta coryzam, ori immiſſa raucedinem tollunt, ano applicata alvi fluxum, in uterum autem recepta fluorem album cohibent: poſtremo ad reficiendos ſpiritus & ad aeris humiditatem & vappeſcentiam ejus corrigendam non datur excellentior & fragrantior fumus, quam ſi hoc balſamum cum reſina ſtoracis & gummi benzoes in mortario calido miſcetur, addito oleo ligni rhodii & cinamomi, fit hac ratione pretioſiſſima illa maſſa, quæ vulgariter dicitur Hiſpanica. Plura jam reſtarent enumeranda ſpecialiora, ſed indigitaſſe hæc ſaltim ſuffecerint quibus ſapiens quivis percommode uti poterit. Coronidis loco addimus hanc unicam cautelam, ut abſtineamus a balſami hujus uſu tunc temporis, quando febriles adſunt commotiones & ventriculus copia bilis repletus eſt, nec non in ſtatu plethorico, ubi vaſa nimium ſanguine impuro turgent.

DISSERTATIO
DE
TEREBINTHINA.

Primùm edita anno 1699.

§. 1.

DE terebinthina dicturis primo omnium ipſius nomina conſideranda. Terebinthina Græcis dicitur τερέβινθινη, Germanis *Terpentin.* Eſt nempe ratione naturæ ſuæ liquor tranſparens & clarus, reſinoſus, odoris non ingrati, ſaporis paululum acris, ex certarum arborum truncis & ramis, mediante inciſione, defluens. Ordinario tres terebinthinæ recenſentur ſpecies, quæ etiam ratione arborum, ex quibus proveniunt, ratione ſoli natalis, virtutis & pretii, longiſſime a ſe differunt ac diſtinguuntur.

2. Prima eſt terebinthina Cypria, quæ etiam vocatur de Chio, quoniam in abundantia in inſula Chio creſcit; ſecunda ſpecies eſt terebinthina, quæ vocatur Veneta & ſecundum Gallos: *la terebenthine du bois de Pilatre*, & tertia eſt communis. Terebinthina Cypria omnium eſt pretioſiſſima & defluit ex arbore mediocris altitudinis, quæ appellatur terebinth. Arbor ejus eſt baccifera, menſe Aprili florens, fructus inſtar nucum juglandium, ratione magnitudinis, ratione figuræ autem, inſtar piſtaciarum, profert. Clusius hanc arborem ad frutices refert, ex eo quod illa maxima ex parte fruticaſſe viſa fuerit, nihilominus tamen & ipſe fatetur ſæpius hanc arborem adoleſcere, id quod etiam affirmat Theophrastus Eresius *lib.* 3. qui generi arborum, quæ non niſi in montibus naſcuntur, perpetuo virent & ineunte vere germinant, & circa tritici meſſem reddunt ſemen, accenſet. Idem laudatus auctor binas hujus arboris ſpecies conſtituit, quarum altera mas, altera fœmina ipſi dicitur, hæc fructum ferens, illa ſterilis, quæ tamen in eo conveniunt, quod radice valida in terram profunde demiſſa truncum alant, cujus lignum, forſan ob molliorem & rariorem texturam, torno, ſculpturæ uſibuſque aliis mechanicis minus aptum ſit. Celeberrimus botanicorum Joh. Raius *in Plantarum hiſtoria p.* 1577. poſſidere hanc arborem edocet ramos longos, raros & cinereo cortice tectos, a quorum tuberculis copioſi longo racemo producantur flores, meris flamineis fibras purpuraſcentibus contexti, folia autem laurinis non abſimilia; ſcribit, delapſis floribus, fructus apparere parvos, rubentes, oblongos, reſinoſum viſcidum lentorem & nucleum includentes. Idem optimus auctor *loc. cit.* falſam illam aſſertionem, terebinthinam ſemper virere & nunquam ſine foliis reperiri pronunciat, teſtibus autoptis Bellonio, Rawolfio, Cæsalpino & Clusio.

3. Quoad locum natalem, auctore Dioscoride, terebinthus arbor naſcitur in Cypro, Syria & Africa, obſervante autem Clusio, etiam in Hiſpania, Luſitania & Gallia. In Hetruria Italiæ regione ipſam quoque ſe inveniſſe refert Raius *loc. cit.* In Gallia autem & Hiſpania reſina ex hac arbore non colligitur: etiametſi Lobelius *in Tom.* 2. terebinthinam in ſylva Monſpelienſium interdum ab inflictis vulnuſculis pellucidam reſinam fundere affirmet; attamen in exigua copia colligitur, ut nec in propriis aromatopoliis proſtet, multo minus in noſtras transmittatur terras; hinc Raius officinis Europæis terebinthinam veram & Cypriam ignotam eſſe fidenter affirmat, & hujus loco abietinam vel lariceam ſubſtituit. Ipſe Galenus *lib. de methodo medendi* lariceam ſuo tempore locum terebinthinæ veræ ſubornat. Terebinthina hæc eſt reſina ſolida, dentibus non adhærens, non fluida, pellucida, coloris ſubflavi, odoris gratiſſimi, ſaporis ſuavis, paululum acris & amaricantis. Per deſtillationem ſuaviſſimum oleum limpidum & ſpirituoſum elargiri, quod in urina cienda, calculo pellendo, ulceribus perſanandis, lympha corrigenda & nervoſis ac glanduloſis partibus roborandis, præſtantiſſimam vim habere, Angli de eo affirmant.

4. Accedimus jam ad examinandam alteram ſpeciem terebinthinæ, quæ ex arbore larice, germanice *Lerchenbaum* exſtillat, & falſo nomine terebinthinæ Venetæ venditur. Eſt autem larix arbor e coniferarum cenſu, magnitudinem abietis æquat, & indigenam recto ac procero caudice attingit, qua de re evolvi poteſt Joannes Bauhinus *in Theatro Botanico*, it. Matthiolus & Casparus Hoffmannus. Colligitur reſina hæc tempore vernali & autumnali, æſtivo intenſiſſimo exiſtente calore, perforatur arbor junior, iſque excipitur vaſis appropriatis & lavatur aqua ſimplici, ut acredo reſinæ minuatur & illa mitior evadat. Curioſe notat Hermannus in collectaneis ſuis, raro arbores has fundere reſinam, in quibus agaricus eſt, quoniam reſina in producendo agarico abſumitur. Naſcitur larix diverſis in locis. Clusius in Viennenſi ſaltu aliiſque montibus Alpibus obſervavit eam in copia. Sic in Alpibus Vallenſium, Stiriæ ac Carinthiæ copioſam obſervavit peregrinans Raius. Et Caspar Schwenckfeld *in Catalogo Stirpium & foſſilium Sileſiæ Lib.* 1. *pag.* 119. in baronatu Iægerndorffenſi laricem abundantem eſſe meminit. Vitruvius, autumante Raio, Plinii calcans veſtigia, de larice pro more erronea quædam audacter conſignavit litteris, inter alia autem aſſerit, eandem floribus exornari & lignum ex ipſa non ardere, ſed inſtar lapidum ignis vi non poſſe conſumi. Cui aſſerto experientia Vallenſium expreſſe refragatur, ibi enim vix alia ligna, præter laricem, in uſum culinarem adhibentur.

5. Notabile

5. Notabile eſt reſinam hanc, ſive terebinthinam ex larice, a Lugdunenſibus nobis vendi pro vero balſamo Peruviano albo: ab aliis venditur ſub nomine, uti antea dictum, terebinthinæ Venetæ, cum tamen ex Venetis nulla ad nos apportetur terebinthina. Terebinthina hæc clara eſt & longe melior communi, colorem ſolet habere citreum & dentibus adhærere, id quod non facit terebinthina Cypria. Cavendum maxime, ne adulterata ſit additione olei terebinthinæ, id quod facile cognoſci poteſt ex conſiſtentia & odore, quando enim oleo terebinthinæ infecta eſt, vaporem ſub flamma præbet nigrum, celeriterque accenditur & conſumitur. Ex adverſo ſi pura & ſincera eſt reſina, odorem reſinoſum ſuavem præbet, neque tam facile concipit flammam.

6. Devolvimur jam ad terebinthinam communem, quæ paſſim magna in copia in Germaniæ locis venditur. Soboles arboris eſt abietinæ & piniferæ, quæ non tantum in exteris regionibus, maxime in Gallia, ſed etiam Germania, ſilva Hercynia, Thuringia, abundantiſſima reperitur. Terebra autem, vel ſecuri infligitur vulnus arbori, aut cultro ſcinditur cortex ab imo ad ſummum, detracto cortice, ſucceſſu temporis ſuccedit reſina, quæ primo eſt limpida, poſtea vero induratur, & hæc reſina terebinthina communis vocatur. Depuratur aqua ſimplici & agitatur, ut & ſordes abluantur, & acredo mitigetur. Feces ſolent petere fundum, & aqua decantata, reſina colligitur. Reſina illa, quæ ſereno tempore ex pino, præcedente inciſione, effluit, tempore ſereno ſolideſcit & alba eſt, Galliſque vocatur *Gallipot*, ſive thus album. Gummi hoc etiam fundunt, & cum fuſum eſt, infundunt doliis, quæ pondus 300. librarum attingunt, & hæc eſt terebinthina illa communis, quæ quo clarior, eo melior eſt. Impuriorem ex ſtrobilis & conis pini coquere ſolent. Reſina illa, quando funditur cum pauciſſima quantitate olei terebinthinæ, fit exinde alba, quæ Argentorato & Hollandia affertur.

7. In noſtris terris terebinthina non elicitur, ſed arbores tantum ſuppeditant picem, quæ in Norwegia & Finnlandia magna in copia elaboratur. Cæduntur nempe arbores, lignum inditur furnis, qui habent quatuor canales, circa fumum accenditur ignis, & tunc ex ligno per canales in ollas foras liquida manat reſina, quæ dicitur Germanis *Teer*, ſi diutius coquitur, ſiccatur pix purior. In aliquibus locis, fit ex reſinis laricis, quando nempe deſtillantur per deſcenſum, relinquitur pix purior & clarior. Quod autem liquor reſinoſus tranſparens terebinthinaceus ex noſtris pinis colligi nequeat, cauſa hæc mihi videtur quod in noſtris locis calor & æſtus ſit mitior. Confirmat enim experientia, quando æſtas eſt ferventiſſima, pinos & arbores alias reſinoſas longe melius creſcere & copioſiorem ac liquidiorem reſinam ſuppeditare.

8. Exhibita ſic naturali terebinthinæ ejuſque ſpecierum deſcriptione, ratio inſtituti etiam poſtulat, ut ex ipſis præparata & compoſita, quæ uſui medico ſervire poſſunt, recenſeamus. Quicunque in ſubſtantia illam propinare & præſcribere ſolent, plerumque, ut tutior ejus uſus fiat, correctionem & præparationem quandam ſuperficialem inſtituunt. De Cypria & Veneta ſic dicta, quæ nullo egent correctorio, propter partium ſulphurearum blandiſſimarum & puriſſimarum, quibus conſtant, abundantiam, illud non valet, ſed ſaltem de communi, ex ſtrobilis ſive conis pini & abietis prodeunte. Hanc aqua quadam deſtillata, vel pura pluviali, antequam interno uſui deſtinant, probe & repetitis vicibus lavare ſolent, non alium forſan in finem, quam ut a ſordibus, inquinamentis variis & acredine eminentiori, quæ omnibus reſinis arborum intime inhæret, liberetur. Certiſſimum enim hoc eſt, reſinarum elementa eſſe tenue, ſubtile oleum & acidum. Patet id manifeſtiſſime ex artificioſa reſinarum compoſitione, dum nempe quodvis oleum deſtillatum, commixtum cum ſpiritu nitri probe dephlegmato & concentrato, in perfectiſſimam reſinam, inflammabilem, ſolidam, in ſpiritu vini rectificato ſolubilem & cuti ac dentibus adhærentem convertitur. Quocirca non improbabile videtur, acre illud ſal, quod ex acido & tenui oleo componitur, & in terebinthina vulgari extraverſum quoad partem & extricatum eſt, ſufficienti affuſa aqua tepida diſſolvi & ablui, ſicuti videmus, aquam cum benzoe coctam, tenuiſſimum ſal acre cum particulis ſulphureis, tenuiſſimis, terreſtribus reſolvere, quod deinde præcipitatum, exhibet flocculos inſtar amianthi ſplendentes, acredine penetranti præditas, quæ ſternutatorium & errhinum uſum habent præſtantiſſimum & flores vocari ſolent. Equidem reponi hic poſſe video, ſupervacaneam & pene fruſtraneam eſſe ejuſmodi lotionem, imo plane rejiciendam, quoniam activo ſuo principio ſimplex hoc defraudetur. At vero, utut non negemus, ſi alvum laxandi, vel urinam ciendi fine quis terebinthinam præſcribere velit, inutilem eſſe talem abluitionem crebriorem; attamen fateamur neceſſe eſt, ſi conſolidandi laxos fibrarum & glandularum villos, nec non conſolidandi ſcopo ipſam adminiſtrare velimus, præparationem hanc valde eſſe proficuam laudemque mereri.

9. Porro notiſſima res eſt, ex terebinthina deſtillari poſſe oleum tenuiſſimum, quod promte flammam ſuſcipit & penetrantia ſua ad varios uſus medicos & mechanicos ſeſe commendat. Ejus autem præparatio ſequentem in modum ſolet adornari, nempe terebinthinæ ſumitur libra una, imponitur cucurbitæ vitreæ, & in Mariæ balneo calore ſubdito ſatis fervido, oleum deſtillatur diaphanum, pellucidum, paucum tamen, quod ſpiritus nomine indigitari ſolet. Alii terebinthinam imponunt veſicæ, affundunt aquam, & calore ſubminiſtrato debito ignis, oleum æthereum ſumme penetrans eliciunt. Verum ſi in majori copia expetimus oleum, tam tenue, quam craſſum, cucurbita vitrea, ex qua mediante balneo prius abſtractum fuit oleum tenue, in arenam denuo collocanda eſt, ut calore intenſiori addito, oleum minus tenue ex flavo rubeſcens eliciatur. Quod in fundo cucurbitæ reſiduum eſt, corpus ſtabile reſinoſum conſtituit, quod colophonium germ. *Geigenhartz* vocari ſolet. Colophonia, ſive caput mortuum terebinthinæ, ſi recipiatur ad uncias quatuor & cum arenæ cribratæ unciis octo miſceatur per deſtillationem ex retorta oleum ſpiſſum, acre, empyreumaticum acquiritur. Notabile autem hic ulterius eſt, acidulum quoddam phlegma ſimul prodire & ſal quoddam ejuſdem ſaporis, nec ſecus ac in deſtillatione ſuccini accidit, oleo empyreumatico inſidere, qua de re etiam conſuli poſſunt *Collectanea Chymica* LEYDENSIA *cap.* 69. *pag.* 204.

10. Oleum terebinthinæ in longe majori quantitate obtinetur, quando illud gummi ſimul ac ex arboribus effluxerit, deſtillationi ſubjicitur, quale non procul a Maſſilia & provincia Burdegalenſi elaboratur & hoc oleum æthereum nomine ſpiritus terebinthinæ ubique venditur; optimum eſt, quod clariſſimum & inſtar aquæ pellucidum, odoris fortis & penetrantis eſt, ne vero diminutionem patiatur, præſertim aere exiſtente calido, neque flammam facile ſuſcipiat, & periculum maximum inde exſurgens evitetur probe munitum ſervari debet. Ex oleo hoc æthereo balſamum ſulphuris vulgare confici ſolet, quod virtute revera præſtantiſſimum eſt & ita paratur. Recipiuntur olei terebinthinæ partes tres, florum ſulphuris, vel loco

loco horum, ſulphuris puriſſimi ſtillatitii partes duæ, miſcentur, induntur retortæ, ut in arena calore leniſſimo per octo ad minimum horas fiat deſtillatio, ita ut pauca quantitas olei in recipiens vas exſtillet, balſamo rubinei coloris in retorta relicto. Notatu hoc loco quoque dignum eſt monere, moderatum ſubminiſtrari debere calorem, alias, intenſiſſimo dato, receptaculis fortiter luto munitis & firmiter clauſis, periculum graviſſimum incendii domus, cum fragrore & tremulo motu ædium illarumque quaſi ſubverſione, excitari poteſt, quale exemplum in pharmacopæa Clauſthalenſi ante aliquod tempus accidere memini. Extemporaneo magis labore cum oleo ſulphuris balſamum ex ſulphuris hepate, quod ex anatica portione ſulphuris & ſalis tartari, mediante liquefactione in igne, compoſitum eſt, parari poteſt. Neque opus eſt hic deſtillatione, ſed ſub leni calore oleum ſanguineo tingitur colore. Ex eodem quoque fundamento balſami ſulphuris antimonialis dependet præparatio, quod ita paratur: ſumitur nempe uncia una ſalis lixivioſi ſulphurei, ex lixivio ſcoriarum reguli ſimplicis parati, oleum terebinthinæ pellucidum, ad eminentiam trium digitorum tranſverſorum, vel loco hujus, oleum juniperi, menthæ, aniſi, in æquali portione adfunditur, digeſtio cum leni deſtillatione in retorta vitrea, mediante arena, inſtituitur; ita nobiliſſimi uſus balſamum, ſapore, odore & virtute commendatiſſimum acquiritur. Inſuper præſtantiſſimæ virtutis balſamum ſulphuris compoſitum parari ſolet ſequenti ratione: recipe florum ſulphuris, myrrhæ electæ, aloes, maſtiches, benzoes, ſuccini ana drachmam unam, olei aniſi, juniperi, terebinthinæ ana unciam unam ſemis, camphoræ drachmam unam, ſpiritus vini rectificati unciam ſemis, miſceantur invicem in cucurbita parva, & igne arenæ fac, ut leviter bulliant, ita ſpiritus balſamicus acquiritur, inſtar rubini, præſtantiſſimis virtutibus fulgens.

11. Curioſum eſt, ſpiritum, ſive oleum terebinthinæ, cum ſpiritu nitri concentratiſſimo fumante impetuoſiſſimum & calidiſſimum motum efficere, adeo ut ingens fumorum copia ex mixtura horum emergat: & quando ſatis fortis & ab omni phlegmate privatus fuerit ſpiritus, oleum in carbonem ſiccum exuritur. Quando autem phlegmate adhuc eſt dilutus, generatur reſinoſa ſapa rubicunda, quæ promte flammam igni admota ſuſcitat. Notiſſimum quoque experimentum eſt ſulphur genuinum vulgare per artificium parandi ac regenerandi, quod BOYLEUS *in Chym. Scept.* hunc in modum deſcribit: ſumitur nempe æqualis portio olei terebinthinæ & olei vitrioli, quæ invicem mixta, per retortam vitream igne arenæ deſtillantur, ita ſulphur vulgare inflammabile in retortæ collum ſublimari affirmat. Quamvis autem experimentum omnibus probe obſervatis circumſtantiis, inſtitutum fuerit; minus tamen ſuccedere voluit, ſed materia quædam reſinoſa loco hujus in collo retortæ viſa fuit, quæ tamen accenſa vaporem inſtar ſulphuris emittebat. Hic quoque commemorandum, perfectiſſimum ſulphur, communi in omnibus, conſiſtentia & colore ſimile, ex oleo vitrioli & certo ſucco inſpiſſato vegetabilis a me fuiſſe productum & ſublimatum. Porro circa oleum vel ſpiritum terebinthinæ illud notari meretur, hoc ipſum in ſpiritu vini rectificatiſſimo, etiam tartariſato difficillime diſſolvi; cum tamen omnia olea deſtillata ætherea promtiſſime huic obſecundare ſoleat. Rationem hujus phænomeni reddere, res videtur difficilis: credibile tamen eſt, tenues ſalinas, acidas & aqueas partes, quæ omnibus reſinis inhærent, cum oleoſis ramoſis partibus firmiter eſſe connexas, quæ deinde intimam unionem cum ſpiritu vini rectificato reſpuunt, & potius in forma globulorum, aut in ſuperficie, aut inter interſtitia ſpiritus vini, hærent.

12. Quod ad compoſita ex ipſa terebinthina attinet, nolumus hic eſſe longiores in cunctis recenſendis formulis & compoſitionibus, ſed ſaltim præcipuas quaſdam hic apponere ſufficiet. Ita celebres ſunt pilulæ ex terebinthina contra gonorrhœam, quarum deſcriptio in nonnullis Weſtphaliæ pharmacopœis proſtat, quæ hæc eſt: recipe terebinthinæ Venetæ, ad conſiſtentiam cum aqua roſarum coctæ, unciam unam, extracti rhabarbari drachmas duas, balſami Peruviani, de Copaiva ana ſcrupulos duos, oſſis ſepiæ, ſuccini albi præparati, coralliorum, maſtiches, terræ ſigillatæ ana drachmam unam, nitri purificati drachmam ſemis, camphoræ ſcrupulum unum, miſce f. l. a. pilulæ ex ſcrupulo ſemis numero XXX. pro una doſi. Neque hic omittendum cenſemus præparandi modum ex terebinthina pilulas, quæ exſtant in *Diſpenſatorio Brandenburgico p.* 157. quarum præparandi modus hic eſt: recipe terebinthinæ Venetæ ad conſiſtentiam cum aqua roſarum coctæ, ſuccini, maſtiches electæ, olibani ana drachmam unam ſemis, boli armeniæ drachmam unam; cum ſufficiente quantitate terebinthinæ fiat maſſa pilularum, in gonorrhœa, fluore albo & nimiis glandularum laxitatibus valde proficua. Tandem etiam terebinthina celebratiſſimas pilulas BECHERIANAS ingreditur. Cæterum terebinthinam Venetam recipiunt complures aquæ ſpirituoſæ, ut nempe balſamica & oleoſa vis deſtillatione eliciatur. Ejuſmodi aqua eſt *B. Frid.* HOFFMANNI contra gonorrhœam, communicata in *theſauro pharmaceutico pag.* 27. & hæc eſt. Recipe herbæ menthæ ſiccæ uncias tres, ſeminis rutæ, agni caſti ana uncias duas ſemis, foliorum dictamni unciam, radicis ireos Florentinæ uncias duas, terebinthinæ Venetæ uncias decem, vini generoſi albi menſuras tres, fiat deſtillatio in mariæ balneo. Hæc aqua non tantum in gonorrhœa, ſed & fluore albo feminarum, præmiſſa ſufficiente purgatione, inſignis eſt utilitatis, de qua æger mane, horis duabus, vel tribus horis ante paſtum, & veſperi quatuor horis a cœna, duo capiat cochlearia.

13. Aquas nephriticas, quæ partim ad pellendum calculum, partim ad læſam ſubſtantiam conſolidandam, valde proficuæ ſunt, noſtra ingredi quoque ſolet terebinthina. Exemplum poteſt eſſe tale: recipe ſucci petroſelini libras duas, herbæ ſelleri, chærefolii, hederæ terreſtris, millefolii, dracunculi hortenſis, pimpinellæ ana manipulos duos, baccarum juniperi libram ſemis, milii ſolis uncias tres, terebinthinæ Venetæ uncias quatuor, ſpiritus vini menſuras quatuor, ſtent per aliquot dies in vaſe clauſo, poſtea deſtillentur: cujus doſis cochlear unum, vel duo, in curatione tria, vel quatuor, tempore matutino vel ventriculo vacuo ad præſervationem eſſe poſſunt. Ipſa terebinthina ingreditur quoque aquam Anhaltinam famigeratiſſimam, cujus uſus multorum annorum experientia probatiſſimus fuit, non ſaltim externe in affectibus arthriticis, rheumaticis, verum etiam interne, in expellendo calculo, cujus efficaciam idem B. HOFFMANNUS *pag.* 45. *Clav. Schrœderian.* mire extollit, ubi tamen notandum, ſi interne illam adhibere velimus, propter majorem penetrantiam, convenienti aqua deſtillata dilui deberi.

14. Meretur quoque hic apponi balſamum ſic dictum Hiſpanicum, cujus vires vulnera intra breve temporis ſpatium conglutinandi mirifice laudari ſolent. Compoſitio talis eſt: recipe olei vetuſtiſſimi uncias quatuor, terebinthinæ uncias octo, frumenti integri unciam unam ſemis, florum hyperici uncias duas, radicum cardui benedicti, valerianæ ana unciam unam, thuris electi uncias duas, radices & herbæ groſſo modo contundantur & ollæ imponantur, ſuper-

ſuperfundendo tantum vini albi, ut omnia ſubmergantur; ſtent per biduum, deinde adde frumentum & oleum, coque ad vini conſumtionem, tum forti facta expreſſione, addatur terebinthina & thus, & iterum ebulliant, demum in vaſe cum alembico ad uſum ſerventur.

15. Celebre quoque eſt balſamum Locatelli, quod, & externe, & interne, in ſanandis vulneribus & ulceribus præſtantiſſimæ efficaciæ eſt, legitime uſurpatum. Deſcriptio autem eſt ſequens: recipe olei hyperici veteris libr. ſemis, ceræ albæ, terebinthinæ optimæ ana uncias ſex, balſami Peruviani unciam ſemis, ſantali rubri drachmas duas, vini Malvatici quantum ſatis. Coquantur leni calore in balſamum conſiſtentiæ mediocris, cujus doſis drachma ſemis, ad unam, in juſculo calido eſſe poteſt. Cæterum terebinthina omnia fere chirurgorum emplaſtra & unguenta digeſtiva ſolet ingredi, non tantum ob meliorem ſolutionem mixtionemque ingredientium, verum potiſſimum ob virtutem ſuam temperatam balſamicam, qua abſtergit, mundicat, conſolidat & fibras partium ſolidarum læſas roborat.

16. Quod vires ejus ac uſum in morbis ſigillatim attinet, is omnino latiſſime ſeſe extendit. DIOSCORIDES ipſam omnes antecellere confidenter aſſerit. *Clariſſimus* D. LE MORT *in pharmaceutica medica phyſica p.* 64. hoc elogium ipſi tribuit: *terebinthina*, inquit, *quaſi univerſale diſſolvens menſtruum omnium reſinoſorum puriorum exiſtit, tam ad ſolutionem, quam ad mixtionem faciendam illorum corporum, imo plura dantur in hoc genere reſinoſa, quæ terebinthinæ conſortium immediatum expetunt, antequam ullo modo diſſolutiones ulteriores admittere debet. Sic gummi Copal primo diſſolvi debet in terebinthina, alias difficilius cum aliis permiſcere ſeſe ſinit abſque empyreumatis contractione.* Et *p.* 55. *l. cit. diverſis*, ait, *adjicitur oleis, ad facilitandam unionem & ſolutionem, hinc quoque ingreditur omnia emplaſtra, unguenta & ſimilia præparata.* Terebinthina præſertim vulgaris & laricea, magno cum ſucceſſu in ſcabie leproſa, tinea & aliis cutis defœdationibus, vel ſola vel cum aliis in unguento olim fuit adhibita: GALENUS ipſa ſola psoram ſanavit, *vid. lib.* 8. *de ſimpl. med. facult.* Neque hic objici debet, aliam hanc fuiſſe terebinthinam. Etenim & ipſum lariceam aſſumſiſſe & in uſum vocaſſe, ex compluribus probabile videtur; ſiquidem ipſe GALENUS lariceam ſuo tempore loco terebinthinæ vendidit, unam alteri ſæpius ſubſtituit, ut ex *libro ejus de medicamentis ſecundum genera* ſatis patet, ubi etiam affirmat, quod laricea omnia illa, quæ terebinthina vera poſſit, efficiat. WAGNERUS *in hiſtoria naturali Helvetiæ curioſa p.* 266. hujus reſinæ uſum in ſcabie, pſora, tinea valde laudat. Cujus ratio hæc eſt quod mundificet & glandulas nimium relaxatas roboret, a ſalibus autem ſtagnantibus corroſas conſolidet, & ulteriorem ſeri corroſivi & lixivioſi generationem in ſubcutaneis vaſculis impediat. SIMON PAULI *in Quadripart. botanico* in capitis vulneribus, ubi vel a plaga, vel etiam poſt trepanationis uſum, dura meninx nuda detegitur, hujus reſinæ uſum valde proficuum pronunciat. In omnibus ulceribus & recentibus vulneribus ſanandis commode terebinthinam admiſceri DODONÆUS *in Hiſtoria ſtirp. pag.* 857. docet, quoniam non evidentem obtinet acrimoniam, qua ulcera irritare poſſit. Imo ſi verum eſt, quod judicat DODONÆUS *libro citato*, abietis lacryma pro laricea a GALENO habita & reputata fuit, quod & BAUHINI, RONDELETII, CLUSII, & SIMONIS PAULI ſententia eſt, qui ſimilem uſum ac effectum habere aſſerunt; hinc non video, cur tam anxie a ſe invicem ſoleant diſtingui, præſertim cum externa differentia, ſi recentes ſint, vel exigua, vel plane nulla invenire poſſit.

17. Sed placet jam paulo accuratius terebinthinæ uſum internum eximium in variis affectibus enarrare. Primum itaque terebinthina, ad drachmam unam cum vitello ovi ſubacta & cum aqua deſtillata ſumta, alvinam regionem probe expurgat: uti id experientia manifeſtum eſt. De purgante autem ipſius virtute poteſt etiam inter alios videri WAGNERUS *l. c. p.* 297. Ineſt enim omnibus ferme gummatibus ſal quoddam acre, quod reſolutum fibrillis membranarum inteſtinalium ſtimulando, contentorum ejectionem facilitat atque promovet, ſicuti id luculenter videmus in gummi ammoniaco, myrrha, ſagapeno, benzoe, quæ cuncta pilulas antihypochondriacas & antihyſtericas laxantes non ſine levi effectu ingrediuntur; utpote ſucci acidi, qui alias aliorum purgantium vim reſpuunt & eludunt & quibus hypochondriacorum regio valde ſcatet, egregie ejuſmodi gummatibus purgantur & evacuantur. Acidum enim corroſivum ramoſo horum contextu excipitur, infringitur, ſicque ſaturatur & corrigitur, ut adeo pro purgandis acidis morboſis ſuccis ſint convenientiſſima.

18. Præterea utiliſſima terebinthina eſt interne in affectibus renum & veſicæ, dum ſale acri, tenui glandulas & ſiphunculos renales irritat & ſeparationem urinæ promovet, nec minus viſcoſam tenacem materiam in urinariis tubulis renum hærentem & calculi materiam præbentem abſtergit atque diſſolvit: inſuper particulis oleoſis viſcoſis ſubſtantiam renum & veſicæ ab eroſione, inflammatione & exulceratione læſam, quod ſæpiſſime in truculentis & diuturnis calculoſis harum partium affectionibus accidit, rurſus conglutinat & compagem laxatam unit & firmat. Quocirca paſſim ab auctoribus practicis terebinthina in ſubſtantia probe cum vitello ovi mixta & propinata cum ſpecifica quadam aqua, ad ardorem urinæ mitigandum, in ulcere veſicæ, nephritide, purulenta mixtione & renes detergendos, incarnandos eoſque a calculo purgandos magnopere commendatur. SIMON PAULI *in Quadripart. Botan. pag.* 538. de laricea noſtra ſive Veneta inquit: *inſigniter eſt utilis, ubi renes viſcida pituita & calculo obſtruuntur, in aqua chærefolii, petroſelini, fragorum, aut ſimili, addito tantillo vitelli ovi ſoluta & crebrius propinata, urinas pellit & pectoris vitiis, ac gonorrhœæ medetur.* FORESTUS paſſim in obſervationibus ſuis magis ad præſervationem, quam curationem calculi illam adhibet: at vero ſi jam calculus eſt præſens, commodiſſime propinari poteſt ſine ulla prævia præparatione, quod HILDANUS aliquoties expertus eſt uti ex *ejus obſervationibus* patet. Quidam infuſo cum cereviſia, leve accedente prope ignem deferveſcentia, pro potu ordinario ipſa in calculo viſcerumque obſtructionibus laudabiliter utuntur. Obiter hic notari meretur, quod terebinthina, licet frequenter uſurpetur, non æque ut reliqua diuretica noceat, cujus phænomeni GEORG. HORSTIUS *decad.* 8. *qu.* 1. *de calculo renum & veſicæ* rationem reddere conatur, inquiens: *caliditatem terebinthinæ temperatam membris coctioni dicatis amicam, eſſe*: at magis nobis arridet ratio RIVERII *Tom. I. prax. l.* 8. *c.* 1. quia ſcilicet alvum ſimul laxat, & per eam craſſiores educit humores, qui a cæteris potiſſimum diureticis ad renes adducuntur.

19. In paroxyſmo vero calculoſo exhibitionem ejus non ſuademus, ſed conſultius eſt, ante ipſum, vel poſt eum mitiorem factum, adhibere, ita enim optime arenulæ e renibus eliminantur. Deinceps in thoracis affectibus non ſine utilitate adhibetur, illam enim ab omni immunditie pulmones nec non infimum ventrem purgare, ſcribit RAIUS *l. c.* Confert quoque porro, uti ait, veteri tuſſi, ſpirandi difficultati & ſputo ſanguinis. In phthiſi cum lacte ſulphuris ſi exhibeatur

beatur maximam præſtare ibi opem ſcribit HARTMANNUS *in Tirocin. Chymic.*

20. In gonorrhœa & fluore albo, ipſam terebinthinam, in ſubſtantia, vel coctam, aut deſtillatam magnas præſtare virtutes inter Chirurgos & Medicos notiſſimum eſt, & revera hic terebinthinacea omne abſolvunt punctum, præſertim ſi cum ſpecificis purgantibus acuantur, vel balſamum etiam Peruvianum admiſceatur, utpote ſerum copioſum & vitioſum partim per renes & alvum educunt, partim glandulas & veſiculas ſeminales nimium laxatas roborant, ſordes abſtergunt, & dilaceratas partes conſolidant. Optime hunc in finem adhibentur in forma pilularum, deſuper bibendo ſerum lactis, vel etiam lac calidum. Et hæ ſunt præcipuæ, quibus terebinthina imbuta eſt, vires, in medicina & chirurgia repertæ expertiſſimæ; circa quas tamen illud adhuc venit monendum, peropportune terebinthinam hanc ſumi vel in bolo, vel ſub forma pilularum, aut placentularum; deinde exiguum, vel plane nullum ejus uſum eſſe debere, quando ventriculi adeſt debilitas: recte enim a Celeberrimo WEDELIO *in Amoenitatibus materiæ medicæ l.* 2. *ſ.* 3. *cap.* 4. ventriculum debilitare terebinthina dicitur ex multiplici experientia, hinc etiam in ſtomachicis ſpirituoſis merito debet propinari, vel ſi major adſit imbecillitas ſtomachi præparata ex ea, nempe ſpiritus, aquæ deſtillatæ, cæteris paribus, magis exhibere debent. Subjectis tamen robuſtioribus commodiſſime per ſe exhiberi ſuadet idem laudatus WEDELIUS & quidem in maſſa pilulari, *vid. l. c. p.* 239. neque ſine ratione, utpote analyſi chymica craſis & textura mixti, a qua forma & virtus medicamentoſa dependet, plane deſtruitur, & præparata exinde longe aliam induunt naturam, a priori plane diverſam, aliaſque vires & operandi modum nanciſcuntur. Videmus id manifeſtiſſime in china chinæ, ceu ſpecifico optimo antifebrili, lumbricis terreſtribus, ceu laudatiſſimo antepileptico: quæ deſtillata & igne reſoluta, virtute hac plane exuuntur & defraudantur: unde non ſine ratione ARNOLDUS *de Villa nova* ſimplicia longe antefert præparatis & compoſitis & dolum eſſe, inquit, uti compoſitis, ubi adſunt ſimplicia. Egregius quoque locus de hac re exſtat in HELMONTIO *Tractat. diſpenſat. moderno p. m.* 372. dum inquit, *deteſtatus ſum multorum ſimplicium compoſitiones, eo quod ſi ad odorem ſanativum alium deſuper adjunxeris, qui priorem ſupprimat, palliet, in ſe convertat, vel ſimul ex utroque neutrum ſuſcitet; ſcivi exinde vim ſpecificam ſanativam abolitam fore, irritumque effectum ab ægro optatum.*

21. Circa uſum & applicationem ſpiritus terebinthinæ & ex ipſo præparatorum quædam adhuc monenda veniunt. Nimirum cautiſſime calidiſſima hæc remedia adhibenda eſſe interne, præſertim quando calor præter naturam corpus afficit, alvus obſtructa & ſtatus plethoricus præſens eſt. Tunc enim maximum damnum inferre ſolent, quotidiana experientia id edocente; renes enim hac ratione facile ad inflammationem, exulcerationem & calculum diſponuntur; in phthiſicis calor facili negotio per præpoſterum balſami ſulphuris terebinthinacei uſum ſuſcitatur; in menſium ſuppreſſione idem balſamus ſulphuris adhibitus antequam ſecta fuerit vena & inteſtinalis regio a copia & ſaburra vitioſorum humorum purgata, ſæpenumero calorem internum maximum cum anxietate præcordiali excitare non ſine periculo ſolet. Diabetem ab ejus improvido uſu productam notavit WEDELIUS *in Miſcellaneis Nat. Curioſ.* In gonorrhœa caute etiam cum validiſſimo hoc medicamento mercandum eſt, lenta enim febris, niſi prudenter adhibeatur, hoc ipſo facile inducitur. Auctor itaque ſum, ut in ſubjectis præprimis tenerioribus, ætate juvenili, tempore æſtivo, temperatura cholerica bilioſa, parciſſime, vel plane non adhibeatur. In robuſtioribus autem, pituitoſis, ruſticis, & duriori vitæ generi addictis, paulo liberalius uſurpari poteſt, ubi tamen ſemper generalis regula debet valere, ne plethoricis, ne alvo obſtructa, vel calida intemperie laborantibus offeratur. Refracta doſi ſi miſceatur cum tinctura tartari, elixirio pneumonico, carminativo, ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, in plurimis affectibus ejus uſus non erit de nihilo.

22. Externe autem ſpiritus terebinthinæ, maxime ſi cum axungiis animalium rite mixtus fuerit, in nervorum ac ligamentorum contractionibus, tenſionibus, nec non relaxationibus egregium auxilium præbet, ſi calide partes paralyticæ ipſo inungantur. BOYLE ſpiritum hunc, in *Tractat. de ſpecificorum remediorum natura*, adverſus contracturam ceu ſummum & divinum remedium extollit. Ad ulcera cacoethica mundificanda, carnem ſuperfluam abſumendam & putredinem arcendam, cum ſpiritu vini dilutus Chirurgis fert opem exoptatam, præſertim in læſionibus partium nervoſarum. Spiritus terebinthinæ, imo ipſa terebinthina, cadavera a putredine & corruptione præſervare optime poteſt. Sed hæc de terebinthina ejuſque uſu monuiſſe & attuliſſe impræſentiarum ſufficiant.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
MILLEFOLIO.

Primum edita anno 1718.

§. 1.

NON minus acute, quam vere pronuntiavit ſuperioris ſeculi clariſſimus Chymicus OSWALD. CROLLIUS, dum ait: *natura etiam in minimis & abjectiſſimis obſervatur cum ſtupore maxima & ubi deficit in corpore, abundat in viribus.* Ad veritatem hujus adſertionis confirmandam auctor inter alia ex regno vegetabili exempli loco allegat vitem & culmum innuendo varii generis frumenta. Et ſane ſi triticum, ſecale, hordeum intuemur, nihil aliud ſunt quam gramina exili ſplendore ornata, at in ſeminibus eorum ſuccus adeo nobilis delitescit, ut exinde univerſus orbis communiſſimum pabulum & ſitis levamen præparet & vitam hanc fere unice ſuſtentet. Similiter vitis eſt frutex parvæ conſiderationis, floribus exiguis prædita & incapax ſuis viribus e terra ſe elevandi opus habens loco fulcimenti adaptatis palis vel arborum truncis ramiſque, quibus ſe ope capreolorum ſuorum circumvolvit & in altitudinem effert: nihilominus tamen utilitas, quæ ex fructu ipſius plane divino ad vitam & ſanitatem hominis redundat, revera eſt ſumme admirabilis, ſiquidem ſuccus uvarum, per fermentationem in vinum generoſum mutatus, maximum eſt machinæ humanæ reſtaurativum, ſanguinis ſpirituaſcentiam auget & mentem acutiorem atque elevatiorem reddit, unde & ipſe ſacer codex ejus vires mirifice extollit & SYRACIDES præ æſtimatione hujus adeo delicioſi nectaris exclamat: quid eſt vita abſque vino!

2. Quodſi latius paulo in caſtra vegetabilium exſpatiaturi fuerimus, conſpectui noſtro ſeſe offerent multiplicis generis herbulæ circa ſemitas hinc inde diſperſæ, figuræ quidem externæ pulchritudine non admodum ſuperbientes, quarum tamen elementa & agendi vires ſi penitius ſcrutemur, fatendum omnino erit, eſſe illas ex earum numero, in quibus natura cum ſtupore voluit apparere maxima. Unicum ſolummodo hac vice lubet in medium proferre millefolium, quod ubivis copioſiſſime provenit & in omnibus fere pratis luxuriat, aſpectu quidem ignobile, viribus vero eximium, & dignum maxime, ut præ ulmaria & aliis longe ſpecioſioribus plantis reginæ pratorum nomen ſuſtineat. Non poſſumus non ſingularem Dei providentiam & ore & calamo venerari, cum obſervemus, tam bene, tamque ſapienter conſultum fuiſſe generi humano, ut, quæ ad longe optabiliſſimam ſanitatem conſervandam & ægritudines valde horribiles ſimul a corpore avertendas inſerviunt, non e longinquo & ex abditis terrarum locis ſcrupuloſe debeant conquiri, ſed circa vias in campo plano haberi & colligi queant, quare non inconcinne PARACELSUS alias non adeo magnus vulgarium medicamentorum æſtimator pronuntiavit: *ruſticum quemlibet verum pharmacopolium ante ſuas ædes habere.* Et profecto, quid impedit, quo minus hoc adſertum cum rei veritate valde conſonum ſtuamus, ſiquidem circa quodvis tugurium in copia creſcunt malva, chamomilla, millefolium, acacia, ſambucus, eſula, papaver rubrum erraticum, braſſica, petroſelinum, plantago, pimpinella, hyoſciamus, lapathum & aliæ adhuc præſtantiſſimæ herbæ ac frutices, quibus ſane omnibus in morbis indicationibus ſatisfacere poſſemus optime, ut adeo vix opus eſſet tam pretioſo ex regno minerali apparatu. Mea eſt & manet firma ſententia, quod qui ſimpliciſſimis herbis, ſeminibus, floſculis & radiculis morborum curationem ſuſcipiunt, omnium feliciſſime medeantur, id quod pluribus teſtatum facere poſſem exemplis, ſi temporis exiguitas permitteret. Et eam omnino ob cauſam, ex locupletiſſimo materiæ medicæ theſauro præ omnibus placuit millefolii herbæ tractationem ſuſcipere. Et quicquid de nobiliſſimæ totius plantulæ natura & uſu exploravi vel ab aliis jam exploratum deprehendi in diſſertatione præſenti ea, qua poſſum, accuratione diſcutiendum decrevi.

3. Antequam ad ſcopum ipſum accedamus & millefolii naturam vireſque decenti ſcrutinio medico perſequamur, e re fore noſtra judicamus, ut primo omnium in ejus differentes ſpecies, cognomina ac figuram externam inquiramus, & deſcriptionem ejus paulo accuratiorem ſiſtamus, quo omnibus pateat, quænam ſit illa herba, cujus diſcuſſionem pleniorem hic intendimus. Quodſi ſcriptores Botanicos evolvimus, ii varias nobis ſubminiſtrant millefolii ſpecies, ſiquidem CASPAR BAUHINUS, qui potius in herbarum nomina, quam earum uſum ſagaciter inquirit, *in Pinace Theatri Botanici Lib. IV. Sect. III. pag.* 140. tredecim millefolii ſpecies recenſet & in *Prodromo Theatri botanici*, in quo plantæ ab ipſo primum deſcriptæ traduntur *Lib. IV. cap. VI. pag.* 72. adhuc quinque millefolii ſpecies exhibet & ſollicite delineat. CHRISTOPH. MERRETIN *Pinace rerum naturalium Britanicarum* decem, HERMANNUS vero medicinæ & botanices Profeſſor in *Horto Academico Lugduno-Batavo* novem millefolii exhibet ſpecies. Nos ex multis variis iſtis millefolii ſpeciebus ſeligimus tantum vulgare ſic dictum millefolium, quod Germanice audit *Garbe*, *Garben-Kraut*, *Schaaff-Garbe*, *Schaaff-Ripp*, Græce Chiliophyllum, miriophyllum, DODONÆO Achillea, FUCHSIO Stratiotes millefolia aliis alio non multum ab his differente nomine.

4. Rationem prædictorum nominum ſi quis a nobis

bis expetat, dicimus, hanc herbam millefolii nomen accepiſſe ob multiplicem foliorum ordinem & inciſuras, ſiquidem unumquodque folium a caule plantæ progrediens interdum, ſi præſertim in ſalaciori ſolo ſuccreverit planta, ultra octo ſpargit ramificatiunculas, quæ ſingulæ rurſus quinque ſex vel octo gaudent inciſuris, ut adeo ſi a dictis foliorum ramificatiunculis eorumque inciſuris calculus deſumatur, revera vocari poſſit millefolium. Quare autem Germanicis *Schaaff-Garbe* audiat, id eo deducendum eſſe arbitror, quoniam conteſtantibus id opilionibus oves lubenter hac herba veſcuntur. Præterea achilleæ cognomen habet ab Achille magno Græcorum heroë, qui hac planta vulnera ſuorum militum curaſſe perhibetur. Stratiotes quoque dicitur, quoniam militum vulneribus ſanandis egregie conducit. Satis vero de nomine dictum eſto, cum in aprico ſit poſitum, parum utilitatis inde in praxin medicam redundaturum. Salſe admodum SIMON PAULI *in Proœmio Quadripart. Botanic.* illos, quibus volupe eſt nomina herbarum tantum venari, neglecta virium inquiſitione, perſtringit his verbis: *quid opis ægro adferet Medicus ex catalogo nominum Pœoniæ, cum v. g. decies vel ſæpius uno die eum concidere, convulſivis motibus lancinari, contortis oculis toruum tuentem epilepticum ante pedes jacentem obſervat? Non hic ſcire conducibile* APULEIUM PLATONICUM *cap. LXIV. de virtutibus herbarum* referre, quod Pœonia Græcis adpelletur Pentorobon, aliis Glycyſis, aliis Agloophotis, aliis Pæonion, aliis Selenion, aliis Menion, aliis Panacoſceras, aliis Helenogonon, aliis Dichomenion, aliis Gludim, aliis Menogenion, aliis Theodonion, Italos vero Pœoniam, alios Roſam fatuinam vocare? Nos igitur hac occaſione ipſa hæc verba ad millefolium noſtrum adplicaturi dicimus: quid quæſo proderit ægro ſpaſmodicis ventriculi & inteſtinorum doloribus detento vel vulneribus multis adflicto, ſi Medicus ſciat exacte recitare cognomina eorumque accuratam calleat delineationem, interim tamen ignoret, quid virtutis intus cuſtodiat hæc planta & quomodo in ſolamen & juvamen ægrotantium millefoliata adhibeat.

5. Millefolium ab auctoribus botanicis hinc inde deſcribitur, uti videri poteſt in MATTHIOLI *Comment. in Dioſcorid. Libr. III. cap. CXXXVII.* DOMINIC. CHABRÆI, *ſtirpium iconibus & ſciagraphia*, SIMON. PAULI *Quadripart. Botan. Claſſ. II. pag.* 103. RAII *methodo plantar. nova & plurimis aliis.* Nos florentem herbam paulo accuratiori conſiderationi noſtræ ſubjecimus & notavimus omnia, quæ ad externi illius habitus cognitionem aliquo modo facere videbantur. Radicem quod attinet, ea ex plurimis conſtat filamentis & non ſecus ac calamus aromaticus late per tellurem diſpergitur atque hinc inde turiones emittit, qui ſucceſſive increſcunt & novæ plantæ faciem induunt, unde facile peti poteſt ratio, quare hæc herba adeo luxuriet & a Junio ad Septembrem uſque flores poſſideat, cum roſæ, lilia, tulipæ, plurimæque aliæ herbæ vix per quatuordecim dies in flore conſpiciantur. De foliis jam ſupra dictum fuit. Florem vero quod concernit, præſentat ille umbellam ex multis una in ſerie ſeparatim erumpentibus floſculis coagmentatam; unuſquiſque horum floſculorum gaudet quinque petalis candidis & rotundiuſculis, diſcum vero formant ſemifloſculi calyciformes quinque inciſuris ceu petalis imperfectis ſuperius notati, ex quorum fundo prominent ſtamina cum antheris aurantii coloris, quibus inferius capſula ſeminalis adhæret. Herba hieme perit, ſed verno tempore radices ſucco novo imprægnatæ copioſos emittunt turiones, ut adeo hæc planta non ſolum ex ſemine terræ mandato propagetur, ſed potiſſimum ex radicibus late ſerpentibus denuo ſubpullulet. In pratis ubivis fere locorum & circa ſemitas creſcit. Si tellure alitur pingui & ſubhumido ad ulnæ altitudinem excreſcit, in arido autem & exſucco ſolo plerumque ſpithamam longitudine non multum ſuperat. Natura interdum ludit, & flores monſtrat purpureos vel ex albo purpuraſcentes, uti idem in aliis quoque obſervatur plantis & cumprimis in cæruleo illo agrorum decore cyano, quem non non ſemel flore albo vel purpureo aut aliis coloribus ornatum reperire contigit.

6. Hiſce obiter præmiſſis ordinis ratio poſtulat, ut ante omnia in naturam, principia & elementa herbæ millefolii inquiramus. Sicuti enim actio & operatio cujuſvis medicamenti unice fluit & proficiſcitur ex natura principiorum dextre cognita: ita præcipuum laborem hunc eſſe judicamus, ut jam oſtendamus naturam & principia activa in millefolio, quæ utique Medicus cognita explorataque habere debet, ſi cum ratione & certo quodam effectu hac herba uti velit. Cum vero plura ſint, quæ ſimplicis alicujus naturam patefaciunt, hinc ordine decenti cuncta perſequemur. Et primo quidem de principio inſito & activo millefolii judicabimus ex forma externa & loco natali, deinceps ſubjiciemus guſtus & olfactus teſtimonia, quibus omnibus addemus experimenta chymico pharmaceutica, unde omnium elementorum hujus herbæ qualitas optime hauritur.

7. Multi ſunt Medicorum, qui magnam de viribus cujuſdam herbæ judicandi fiduciam in ſignaturis externis ponunt, adeo ut OSWALD. CROLLIUS *in Tract. de ſignaturis rerum*, eum tantum verum Medicum dicat, qui ex ſignaturis rerum externis de interna illarum præſtantia judicare poſſit & meliorem partem veræ literaturæ, per quam omnes res occultæ legantur ac inveſtigentur, nuncupare non erubeſcat hanc falſo jactitatam de ſignaturis rerum ſcientiam. Verum qui paulo penitius rem conſiderat, facile cognoſcet, methodum hanc imaginationis ſobolem eſſe, adeoque incertam & fallacem, ut nihil minus inde, quam ſpecialis virtus & activum plantæ alicujus elementum explorari ac detegi poſſit. Hoc vero concedendum omnino eſt, ipſam florum figuram quodammodo, ſed probabiliter tantum & generaliter nos de facultate alicujus herbæ inſtruere. Quare ex obſervatione botanica conſtat, herbas ſic dictas umbelliferas pleraſque virtute gaudere ſedativa, antiſpaſmodica & ſulphure ſuo caput replere, ſimul quoque carminativam vim exſerere, uti videre licet in anetho, leviſtico, aniſo, pimpinella, chærefolio, caro, coriandro, ulmaria, fœniculo, nigella, cervaria, valeriana, meo multiſque aliis. Itaque millefolium noſtrum quod attinet, a priori ex ſolo aſpectu umbellæ ipſius, cognoſcimus illud ob ſulphur ſuum blande vaporoſum magna pollere vi antiſpaſmodica, ſedativa & carminativa, quæ virtutes etiam ipſi revera inexiſtunt ac de jure competunt, ut in ſequentibus dilucidius exponetur.

8. Alia vero adhuc via paulo ſecurior datur in plantæ alicujus elementorum cognitionem deveniendi, ſi ſecundum mentem locus natalis, ubi hæc vel illa herba ſponte provenit, conſideretur. Obſervavi enim plantas pro differentia locorum, ubi ſponte naſcuntur, peculiares, ſed communes & proprias fere poſſidere virtutes. Ita v. g. plantæ pleræque, quæ in fœcundis ac pinguibus locis naſcuntur, principio pollent partim mucilaginoſo, partim ſulphureo & vaporoſo naturæ plus minuſque amico, eaque propter omnis generis dolores ſedant, ſomnum inferunt, humorum acrimoniam temperant, tumores emolliunt, omnibus affectibus, qui ex ſpaſmo fiunt, medentur & immodicas fluxiones ſiſtunt, quales ſunt v. g. anethum, aniſum, abſynthium, bugloſſa, chærefolium, chamomilla vulgaris, cynogloſſa, crocus, cuminum

minum hortenſe & pratenſe, nigella, papaveris ſpecies, coriandrum, ebulus, fœnum Græcum, fœniculum, hyoſciamus, horminum, imperatoria, lolium, leviſticum, lupulus, mentha criſpa & Saracenica, & hujus generis plurimæ. Jam vero ad millefolium noſtrum hoc adplicaturi haud ignoramus, illud in pratis, quæ locis fœcundis accenſentur, ſponte progigni, adeoque valde probabilis infertur inde concluſio, quod iiſdem agendi principii ſit inſtructum, quibus herbas in locis fœcundis naſcentes ſcatere modo diximus. Itaque ſi ulla alia hoc in ſolo enutrita plantula certe hæc ob ſulphureum blande vaporoſum cum mucilagine quadam intermixtum principium inſigni gaudet vi anodyna, antiſpaſmodica, acrimoniam humorum temperante ac tumores emolliente.

9. Attendendum hoc loco eſt, quod prædictis modis in herbarum principia inquirendi neceſſario conjungi debeat guſtus & olfactus experimentum, ſi cum certitudine majori judicare de herbarum virtutibus cupiamus; in hoc enim multum momenti ſitum eſt, ſiquidem cum duobus maxime natura gaudeat in mixtione corporum agendi principiis, ex quibus fere omnis earum virtus promanat, quorum unum eſt ſal, quod ſapore dijudicatur, alterum ſulphur, quod ope odoris percipitur, facile apparet, hunc plantarum vires explorandi modum eſſe longe accommodatiſſimum & ceteris jam propoſitis pondus addere. Sicuti vero ſaporis diverſæ ſpecies ſunt, quæ ex commixtione ſalis cum aliis partibus exſurgunt, ita quoque prout principium ſulphureum cum ſalinis, terreis & aqueis varie commiſcetur, diverſa odoris ſpecies reſultat, unde ex ſapore & odore generalis æque ac ſpecialis certis in morbis proficua plantarum virtus explorari poteſt. Quodſi jam millefolii herbam guſtu & olfactu perſcrutamur, obſervabimus totam plantam, radicem cum fibrillis minimis fere capillaribus, caulem quoque cum medulla in ejus cavitate hærente, folia & flores ſapore gaudere amaricante, qui tanto conſpectius deprehenditur, ſi hæ partes cum aqua decoquuntur vel in ea ſaltem infunduntur. Odor vero plantæ eſt fortis ſulphureus, qui in floribus præſertim longe eminentior obſervatur. Ex his igitur merito concludimus, millefolium ſale quodam fixo cum partibus terreo-mucilaginoſis nupto & ſulphure vaporoſo ſubtili & ſuavi naturæque amico eſſe inſtructum.

10. Tandem chymico-pharmaceutica partium a ſe invicem abſtractione optime elementa hujus herbæ evolvuntur. Quodſi enim hæc planta recens vel ſicca cum aqua deſtillatur, prodit inde oleum ſaphirinum penetrantiſſimi ſaporis & odoris valde ſulphurei vaporoſi, quo ipſo clarum fit, ineſſe huic plantæ ſulphur quoddam vaporoſum, anodynum, ſedativum, peculiaris indolis, quale vix ulla in planta excepta chamomilla vulgari reperitur. Hujus igitur olei ratione quoque recte ipſi tribuitur virtus antiſpaſmodica, anodyna & carminativa. Quodſi oleum ſubtilius fuit abſtractum, remanet magma bruni coloris, paulo mucilaginoſum, valde adhuc redolens, quod cum decenti modo partibus terreſtrioribus per expreſſionem prius ſeparatis igni ad evaporationem ſupponitur, coit in extractum amaricantis ſaporis, quod ob immixtas adhuc plurimas particulas ſulphureas ſingulari pollet efficacia antiſpaſmodica, humorum correctoria & roborante, itemque traumatica. Reliqua pars craſſior poſt expreſſionem relicta tanquam terra effœta nullius eſt utilitatis. Ex herba tota ſiccata & igne concremata ſal elicitur amaricantis ſaporis. Conſtat itaque ex hiſce experimentis, in millefolio prædominari elementum ſubtile vaporoſum ſumme ſulphureum cum quadam mucilagine, terra fixa & ſale alcalino intime combinatum. Et hac igitur ſubſtantia oleoſa, cum mucilagine quadam ſale & terra mixta, deduci utique debet omnis virtus, quæ in noſtro millefolio latitat, imo non tantum ex hoc principio vires per experientiam & a poſteriori cognitæ peti, ſed & novæ incognitæ inveniri & detegi poſſunt.

11. Evolutis hoc modo millefolii elementis & agendi principiis opus etiam erit, ut recenſeamus, in quibuſnam affectibus tam internis, quam externis Chirurgis & Medicis eximiam opem & levamen medicamina ex millefolio adornata præſtiterint. Ut autem exordiamur ab uſu interno, maxima ejus virtus celebratur in omnibus iis morbis, qui ſpaſmis originem debent & dolores atroces junctos habent, unde præſertim aqua ex millefolio deſtillata febrium paroxyſmos & vehementiam coercet, ſiquidem non ſolum humores impuros in primis viis & maſſa ſanguinea collectos corrigit, diluit & reſolvit, ſed & ſpaſmos, in quibus febrium natura conſiſtit, optime demulcet ac aufert. Et hanc ob cauſam etiam ipſa in febre peſtilentiali a compluribus auctoribus practicis mirifice extolluntur millefoliata, adeo ut Henricus Paschasius *Libr. de peſte cap. V. pag.* 1. teſtetur, ſe millefolii effectum plane ſingularem expertum fuiſſe in peſte Hafnienſi, nec deſunt auctores alii plurimi, qui hanc herbam cum flore ceu peculiare arcanum contra peſtem habeant, uti videre eſt in Claud. Theod. *Panth. Hygiaſt. Lib. III. cap. XXVII.* Phil. Grulingii *Florileg. Hippocr. Galen. Chym. Part. VIII. cap. VII. pag.* 214. Th. Bartholino *in Act. Med. Hafnienſ. Vol. II. pag.* 292. Ang. Salæ *Opera Med. pag.* 455. Quin imo iidem auctores millefolium ſuſpendere tempore peſtis præcipiunt in copia domuum parietibus, forſan ut aer corrigatur & miaſma peſtilentiale ejuſmodi effluviis odoriferis avertatur, quamvis ego potiorem exinde promanantem effectum attribuam fiduciæ, quam ejuſmodi homines, qui amuletis hiſce domuum parietes ornant, tum concipiunt, his præditi poſtea non timent peſtem, unde ab ipſa interdum immunes degunt. Idem quoque effectus antipeſtilentialis ſalis millefolii adſcribitur.

12. Præterea millefoliata & cumprimis florum cum aqua infuſio aut decoctio, aqua deſtillata vel cum ſpiritu vini non rectificato extracta, eſſentia aut ſyrupus infra deſcribendus, ut & ſpiritus millefolii cum oleo ejus adhuc exaltatus in omnibus doloribus, qui ſpaſmorum ſunt tragici effectus, egregiam exſerunt efficaciam. Equidem non ſine magno fructu & utilitate uſurpantur in hæmorrhoidum cæcarum dolore, in colica, doloribus poſt partum, a lochiis ſuppreſſis & quæ ex hæmorrhoidum ſuppreſſione naſcuntur acerbioribus tormentis, in cardialgicis quoque anxietatibus, affectu ſpaſtico ventriculi & diaphragmatis, uti in diſſert. *de præſtantia remediorum domeſticorum* docui. Pulverem millefolii cum vino exhibitum efficaciſſimum eſſe in colicis auctor eſt *Johannes* Camerarius *in Horto medico pag.* 101. Similiter in doloribus a calculo ejus uſus non contemnendus eſt, quoniam ſpaſmo conſtrictos ureteres relaxat & liberiorem calculis renalibus exitum conciliat. Pulche hanc in rem ſcribit Marc. Antonius Zimara *in antro magico medico P. I. pag.* 7. pulvis ſeminis millefolii vero collecti ad drachmam unam cum vino albo aut juſculo mane jejune uſurpatus quam ſit præſtans remedium ad calculum deturbandum experientia me docuit, præſertim ſi bis terve repetatur. In ſuppreſſione quoque urinæ infuſum millefolii in aceto ſuadet Apollinaris *in Enchiridio ſuo* botanico, quem in finem ſubſtitui rectius poſſet tinctura ex millefolii & chamomillæ oleis & ſpiritu juniperi parata, ſi præſertim in gonorrhœa vel a flatulenta & feculenta cereviſia hauſta oriatur. In odontalgia herba millefolii cum butyro inſulſo frixa & calide male dolenti impoſita commendatur ab

Apollinari loc. cit. quod ſane remedium, præſertim in tumoribus ab inflammatione membranularum dentes cingentium relictis eſt accommodatiſſimum. Manducata folia maxime recentia dentium dolores mulcere perhibentur, quæ virtus etiam commanducatæ radici & diu ſub dente dolente retentæ adſcribitur, uti videre eſt in Matthioli *Comment. in Dioſcorid. Lib. III. cap. CXXXV.* & Apuleio *de virtutibus herbarum.* Sed an hic effectus inde ſit expectandus, valde dubito, ego hunc in ſcopum potius ſuaderem oleum millefolii in goſſypio dentis cavitati inditum & ad tempus ibi detentum.

13. Quum vero enormiores ſanguinis ſive per uterum, ſive per ſedis venas, aut fiſtulam bronchialem profuſiones, acerbioribus ſpaſticis viſcerum vel aliarum partium contractionibus ſuam originem ſuaque incunabula debeant, euporiſta illa ex millefolio parata in iis compeſcendis vix ulli alii remedio efficacia cedunt, uti multis practicorum teſtimoniis id clarum manifeſtumque fit. Ita Matthiolus *Comment.* in *Dioſcorid. Lib. III. c.* 137. hanc in rem ſequentia profert: *datur utiliter millefolii ſuccus ad ſanguinis rejectiones. Idem præſtat ſicci farina ex ſymphyti majoris aut plantaginis aqua pota. Eadem naribus indita fluentem inde ſanguinem compeſcit.* Et paulo poſt hæc verba ponit: *herba recens tuſa & ſuppoſita pubique illita menſium profluvia compeſcit. Præſtat queque mirum in modum millefolii & foliorum & florum farina ad ſanguinis mictum, ubi unciæ pondere una cum Armeniæ terræ drachma ex vaccino lacte propinetur jejunis diebus tribus continuis.* conf. quoque Galenus *Lib. III. ſimplicium medicamentor.* Joh. Renodæus *Lib. I. de Materia Medica*, Reinerus Solenander *Conſil. VIII. S. IV.* Sennertus *Lib. IV. Med. Pract. pag. 2. Sect. II. cap. VI.* ſiſtit quoque hæmorrhoidum nimium fluxum ſecundum Petr. Pachequum *obſ. V. ap.* Riverium *in Comment.* Thom. Willisium *Pharm. ration. P. II. G. I. cap. VII.* Thom. Fuller *Pharmacop. Extemporan. p. m.* 235. Ex eodem quoque fundamento non modo ſanguinis, ſed alias quoque fluxiones egregie intercipit & cohibet, hinc memorato Matthiolo millefolium una cum floribus tuſum & cum ſua ipſius aqua aut caprino lacte potum gonorrhœam in viris, in feminis alba uteri excrementa tollere & dyſentericis quoque utiliter infundi una cum ſui ipſius ſucco perhibetur, qualem obſervationem etiam habet Gabriel Fallop. *Secret. pag.* 73. 77.

14. Inſuper antepileptica quoque virtute excellere millefolium auctoritate Arnoldi de Villanov. *Libr. I. Prax. cap. XXII.* & Cratonis *Lib. I. Conſil. IV.* comprobatur, quæ vis & efficacia unice, ut nobis videtur, a ſulphure vaporoſo, anodyno & magno ſpaſmorum etiam convulſivorum ſedativo petenda ac derivanda eſt. Porro in ſpaſmodicis vermium roſionibus commendatur, uti inter alios prodit Zwingerus in *Herbario ſuo*; it. Anton. Chalmeteus *in Enchirid. Chirurg. Lib. III. cap. XV.* quæ ipſi virtus ob amaricantem ſaporem & olei fragantiam competere videtur, unde ex eodem fundamento Julius Cæsar Claudinus *in Empiria rationali Lib. III. Sect.* 31. *Tr. II. cap. VI.* aquam roſarum & Riverius aquam florum aurantiorum adverſus vermes convenire deprehenderunt. In abortu imminente, qui nunquam non abſque ſpaſmorum ſumma violentia fit, decoctum millefolii ceu præſtantiſſimum remedium præſervatorium commendatur a Simone Pauli *in Quadripart. Botanico claſſ. II. pag.* 103. Contra vomitum herbæ decoctum cum labruſcæ floribus utiliter dari putat Matthiolus *in Comment. ad Dioſcorid. Lib. III. cap.* 137. quod non ſine ratione ab ipſo ſtatuitur, ſiquidem vomitus eſt affectus inſignium ventriculi præſertim ac duodeni ſpaſmorum, quibus vero ſedandis millefoliata optime ſuccurrunt.

15. Si ullo vero in morbo ſolamini egregio ſunt millefoliata, certe in malo ſic dicto hypochondriaco & hyſterico eorum uſus continuatus tum ad præſervationem paroxyſmi, tum ad ejus mitigationem, obſervatur longe præſtantiſſimus. Hunc in finem familiariſſime uti ſoleo decoctis & infuſis ex millefolio, neque minus frequenter præſcribo pilulas ex extractis millefolii, chamomillæ, camphora caſtoreo & extracto rhabarbari paratas. Mirifice etiam clariſſimus Stahlius *in diſſert. de Therapia paſſionis hypochondriacæ* medicamenta ex herba millefolii extollit, dum ait: *quodſi in paſſione hypochondriaca etiam acerbiores anomalæ commotiones circa venam portæ ſuccedant, ſpecifico quodam affectu illis ſuccurrit herba millefolii vel in decocto vel in eſſentia adhibita, quæ ultima etiam cum moderata ſpiritus volatilis additione interdum non æque continuo uſu offerenda conducit.* Et profecto, certa & multiplici obſervatione edoctis contumaciſſimum hunc morbum minime remediorum multitudine eorundemque crebra cum aliis mutatione vinci, non abſque fundamento adſerere licet, millefolii ſolius decocto vel infuſo per longum tempus uſurpato, adſumtis interdum lenioribus laxantibus & ſervata infimul exactiori diæta plus præſtari poſſe hoc in caſu, quam omnibus aliis tantopere commendatis moroſiuſque paulo conquiſitis medicamentis.

16. Quia flores chamomillæ vulgaris etiam propter oleum, quod per deſtillationem identidem ſapharinum prodit, temperatum & ſedativum, millefolio penitus ferme ſimiles & ipſi affines vires alunt, eorum hinc virtus non diſpar, ſed una eademque in commemoratis jam affectibus deprehenditur. Qua de cauſa opportune admodum in horum morborum curatione hi duo flores conjungi & in unum medicamentum, ut infuſum vel decoctum aut in clyſterem vel cataplaſma recipi poſſunt: ſiquidem hic flos in omnis generis doloribus, ſpaſmis quoque & hæmorrhagiis ſiſtendis fere eſt incomparabilis. Id vero habet maxime familiare præ millefolio, quod ſemifloſculi illi lutei, qui diſcum formant, ad drachmam unam aliquoties die vacuo ſumti pertinaces febrium intermittentium inſultus atque impetus potenter ſiſtant & compeſcant longe tutius, quam ipſe laudibus in cœlum ſublatus chinæ chinæ cortex, qui ex remoto Peruviano regno ab aliquot inde jam annis tanto pretio redemtus fuit. Nullum vero ſimplex in rerum natura reperitur, quod tam amicum eſt inteſtinis, quam flos chamomillæ, qua de cauſa etiam non ſine conſilio & ſingulari fructu huc uſque ſolos flores chamomillæ ad clyſteres in omnibus fere affectibus loco aliorum ingredientium recipiendos curavi ac ſuaſi addito, ſi opus videbatur, oleo amygdalarum dulcium vel hujus loco ſubſtitutis ad ſumtus parcendos oleis lini aut raparum, ut & ſalis communis ſufficienti quantitate, ſi præſertim alvi dejectio tentata ſimul fuerat; quippe ſal commune in ſtimulandis inteſtini recti tunicis meliorem longe uſum habet, quam varia extracta & electuaria lenitiva vel purgantia, quibus omnibus inter clyſteres carere poſſumus optime.

17. Denique millefoliata mirifica pollent virtute in læſionibus, corruptionibus internarum partium conſolidandis, adeoque in pulmonum, renumque exulceratione eorum uſus circumſpectus non plane eſt contemnendus. A Fonseca *Tom. II. Conſil. Med.* & Johannes Prævotius *in Medicina pauperum* valde extollunt pulverem millefolii in phthiſi & ulceribus pulmonum, ſi quotidie ejus drachma una in juſculo calido ſumatur. Neque dubium eſt, quin dictis in morbis maximam interdum præſtet utilitatem, præſertim ſi ægrotantis ætas non ſit provectior, ſi ſuccos adhuc in venis alat benignos, nec marcor, languor

&

& ſummus virium lapſus in corpore ſentiatur, ſique inſimul accuratior victus ratio obſervetur & medicatio hæc per dimidium annum & ultra ſollicita cura continuetur. Eundem vero & illuſtriorem adhuc affectum in phthiſi ab uſu continuato decocti millefolii cum conſerva roſarum rubrarum præparati & bene clarificati exſpectare poſſumus. In læſionibus & exulcerationibus inteſtinorum poſt dyſenteriam gravem flores millefolii & chamomillæ in clyſtere adplicati vel intus quoque in forma decocti adſumti ad conſolidationem egregiam exſerunt efficaciam. In caſu ab alto ad ſanguinem congrumatum reſolvendum aqua millefolii deſtillata vel ejus decoctum, pulvis quoque cum aceto itidem præſtantiſſimæ ſunt virtutis.

18. Luſtravimus jam noſtri ſimplicis uſum internum, ſupereſt igitur, ut paucis tantummodo verbis agamus de uſu ejus externo, cum ſatis etiam ille nobilis ſit. Nolumus vero hic eſſe longiores, quia abunde ejus uſus chirurgicus & vulgo eſt perſpectus. Et primo quidem egregiam exſerit efficaciam in tumoribus & inflammationibus externis emolliendis ac diſcutiendis. Speciatim vero cataplaſma ex floribus millefolii, chamomillæ, meliloti aliiſque ſimilibus ſpeciebus præparatum in tumoribus odontalgicis, itemque pedum œdematoſis non ſine effectu eſt evidenti. In eryſipelate flores ſicci prius contriti ope lintei triplicati parti inflammatione tactæ impoſiti optime conducunt. Linimentum ex aqua millefolii, chamomillæ, aceto vini, ſpiritu vini camphorato & ceruſſa partibus genitalibus, cumprimis præputio ac ſcroto ab impuriori venere tumore affectis frequentius de die calide adplicatum egregio eſt juvamini.

19. Præterea decantatiſſima eſt millefolii apud omnes fere auctores & botanicos & practicos ſingularis vis traumatica, ſiquidem non ſolum vulnera recentia optime conglutinat, ſed & ulcera etiam fiſtuloſa & mali moris purificat & ad conſolidationem perducit. Eſt igitur hoc millefolium inter vulnerarias plantas facile princeps & jam ab *Achille* armipotente Græcorum heroe ad vulnera militum ſuorum ſananda adhibitum fuiſſe traditur. SIMON. PAULI *in Quadripart. Botanico* citat hiſtoriam ex HOLLERII *lib. II. cap. V. inſtitut. chirurg.* petitam de quodam ruſtico, cui deciſus erat naſus ea parte, qua os in cartilaginem deſinit, qui ſola herba millefolii tuſa & in vino nigro trita impoſita brevi fuit reſtitutus. RENODÆUS *in materia medica* ita de millefolio diſſerit: *qualitatem habet adſtringentem vulnerariam. Optime ab inflammatione vindicat, deſiccat & glutinat, ulceribus quoque prodeſt & ſanguinem undecunque fluentem ſiſtit*: conf. quoque ZWINGERUS & LONICERUS *in Herbariis ſuis.* Vulgus in uſum vulnerarium ſubigit aut tundit herbam millefolii in formam cataplaſmatis addito tantillo axungiæ porcinæ vel lardi infumati. Quidam etiam telæ aranearum parum remiſcere ac vulneribus recens inflictis id adplicare ſolent. Gargariſma ex aqua deſtillata millefolii vel ejus decoctione uſurpatum reſiſtit putredini faucium, gingivæ, & colli. Herba contuſa carbunculis cum fructu quoque adponitur, uti teſtantur JOH. CRATO *libr. de peſte*, P. DROETUS *Conſil. de peſt. cap. X.* JUL. PALMARIUS *de febrib. peſtilential. cap. XVIII.* M. UNZER *Antidot. peſt. lib. II.*

20. Ultimo loco exponendæ veniunt variæ ex millefolio præparationes. Quando herba vel recens vel ſicca una cum floribus parumper inciditur & cum ſufficienti quantitate aquæ ſimplicis veſicæ cupreæ vel cucurbitæ vitreæ capaciori inditur & deſtillatur, prodit aqua coloris ſubcœrulei, cui ſupernatat oleum penetrantiſſimum coloris ſaphirini elegantiſſimi, cui vix datur in rerum natura ſimile, unicum ſi chamomillæ oleum excipias. JOH. SIGISM. ELSHOLZIUS *in Deſtillatoria curioſa* plurima profert exempla vegetabilium colorate alembicum tranſcendentium, quippe ſecundum prædicti auctoris experimentum veronica recens cum vino vel aqua deſtillata dat aquam viridem, id quod etiam de ſalvia & roremarino valet; chamomilla Romana oleum flavum deſtillatione fundit, ex fecibus vini elicitur per veſicam oleum viridiſſimum, ex cinnamomo aurei coloris, ex petroſelino & chærefolio florentibus & in ſemine conſtitutis viridiuſculum oleum prodit, iridis quædam ſpecies cœrulea aquam largitur cœruleam, planta ros ſolis dicta decenti methodo per veſicam vitream deſtillata liquorem ad rubedinem inclinantem exhibet & certa pimpinellæ ſpecies cœruleo colore impregnatum ſpiritum fundit. Meminit quoque curioſus hic ſcriptor olei cœrulei ex chamomilla deſtillati, ſed de noſtri millefolii oleo ſaphirino altum apud ipſum eſt ſilentium. Evolvimus hanc in rem plures alios ſcriptores tum chymico-pharmaceuticos, tum botanicos, nullibi tamen ejus mentionem factam deprehendimus, etſi ſollicita cura in id inquiſiverimus, tandem caſu quodam incidimus in exiguum libellum, quem JOH. POPPIUS Chymicus Coburgenſis *de herbis* conſcripſit & anno 1625. edidit, qui unicus auctor jam mentionem injicit oleorum millefolii & chamomillæ, quod colore cœruleo prodeant in deſtillatione.

21. Memorabile circa oleum millefolii hoc eſt, quod ejus color pulcherrimus ſaphirum fere ſuperans ſucceſſu temporis paulatim mutetur, adeo ut gratiam ſuam intercapedine duorum vel trium annorum fere penitus amittat; ſpiritus vero cœruleus ex ſummitatibus deſtillatus noſtro experimento ultra quinquemeſtre colorem hunc ſuum longe amœniſſimum exacte ſervavit, ab eo vero tempore deinceps ſucceſſive glauceſcere cœpit. Falſiſſima eſt eorum opinio, qui ſpiritus & olei millefolii colorem cœruleum veſicis deſtillatoriis ex cupro confectis deberi adſerunt & dicunt ſolvi ab oleo hoc penetrantiſſimo quaſdam cupri particulas & deinceps commiſceri eas intime cum oleo & ſpiritu, ut adeo hanc ob rationem cœrulei coloris faciem induant. Refutari vero horum ſplendida theoria facile poteſt, ſi modo deſtillatio ſuſcipiatur in vaſe vitreo, ubi itidem hac veſte conſpicua prodeunt oleum & ſpiritus. Circa jam dicti ſpiritus deſtillationem adhuc eſt monendum, quod is ſub initio deſtillationis non ſtatim cœruleus appareat & quidem ex hac ratione, quia particulæ oleoſæ ob arctiſſimam cum ceteris partibus connexionem tum temporis nondum ſufficientes ex floribus ſunt evolutæ & extractæ. Quodſi vero aliquandiu continuata eſt deſtillatio, tum demum ſucceſſive colorem acquirit cœruleum, qui in fine, circa quod tempus potiſſima olei pars alembicum tranſcendit, fit ſaturatiſſimus. Obſervandum quoque hoc loco eſt, quod ex floribus millefolii recentibus vel modo ſiccatis major olei quantitas & ſpiritus quoque ſaturatioris coloris obtineri poſſit, quam ex diu conſervatis & aridis, quia ex his tempore magna particularum ſulphurearum portio exſpirat.

22. Oleum millefolii eſt magnum anodynum, antiſpaſmodicum & carminativum medicamen, qua ipſa virtute egregia quoque ſpiritus exſplendeſcit. Spiritus vini rectificatiſſimus cum oleis millefolii & chamomillæ deſtillatis & camphora decenti in quantitate impregnatus eximiam dat medicinam carminativam ac diſcutientem, quæ longe majori cum fructu in omnibus iſtis affectionibus, ubi ſpiritus vini camphoratus alias adhiberi ſolet, poteſt uſurpari. Spiritus juniperi, in quo ſufficiens quantitas olei chamomillæ & millefolii ſoluta eſt, concedit egregiam tincturam

ćturam ſaphirinam diuretica & emmenagoga virtute non contemnenda præditam. Quodſi ſpiritus vini ſuperfunditur floribus millefolii & aliquandiu ſolis digeſtioni vel leniori ignis calori exponitur, emergit inde eſſentia virtute gaudens antiſpaſmodica, ſtomachica & carminativa non vulgari. Eſſentia millefolii in pharmacopoliis proſtat, uti & extractum, quod ex totius plantæ decocto inſpiſſato conficitur & conſimili virtute gaudet, interque pilulas laxantes, quæ ſimul confortant & humores corrigunt, recte recipitur. Laudatur quoque ab auctoribus nonnullis pulvis herbæ ex planta arida compoſitus. Poſſet quoque ex millefolio parari ſyrupus, qui cum aqua millefolii & cinnamomi hauſtus egregio foret levamini in doloribus ventriculi & inteſtinorum, ut & nephriticis. Communiſſime herba & ſummitates millefolii in decocti vel infuſi forma præſcribuntur hyſtericis præſertim & hypochondriacis ſubjectis, quæ ab uteri ſpaſmis, flatulentiis & ventris torminibus frequentius afficiuntur, quibus etiam non mediocri eſt ſolamini.

DISSERTATIO
DE
INFUSI VERONICÆ
EFFICACIA PRÆFERENDA
HERBÆ THEE.

Primùm edita anno 1694.

§. 1.

DETESTANDUS Europæorum, maxime Germanorum mos eſt, quod remota & exotica magis æſtiment, & ſuis indigenis & domeſticis, longe ſæpe præſtantioribus præferant. Natura ſui ubique eſt cuſtos, cuique terræ ſufficit, & uti dat alimenta, ſic quoque remedia, hacque ratione omnibus nationibus, quod & ad alendum & ſanandum eſt idoneum, præbet. Singulis terris olim ſua ſuffecerunt remedia, nos autem, poſtquam peregrina alimenta & condimenta nobis placere cœperunt, noſtra etiam ſpernimus remedia & foras remota, prioribuſque ſeculis ignota, ſummo ſtudio ac labore repetimus. Et ſane, ſi verum fateri licet, nulla ex ceteris nationibus, majorem ſibi in hac parte ſumſit licentiam, quam Germanorum gens, quibus nulla erga matrem naturam eſt fides & conſtantia. Quot alimentorum, condimentorum, potuum v. g. Thee, Coffee, Choccolade ſpecies, etiam ſanitatis titulo inventæ ſunt? Equidem non omnem detrahere laudem hiſce volumus, ſed ſaltim hoc urgemus, dari meliora & ſalubriora, & elementorum affinitate naturæ magis congrua in noſtris, quæ aſpernamur, & nihili habemus nobiſque ſordent; adeo ipſarum rerum ſaporem amiſimus, ut nihil fere palato accidat gratum, quam quod male emptum, & ex diſſitis ac extremis regionibus allatum barbaræque nomenclaturæ titulo fulgeat. Hoc ad medendum longe efficacius creditur, ſtolida phantaſia vires vel augente vel imminuente. Habemus ante oculos herbas efficaciſſimis virtutibus & dotibus inſtructas, minimeque ingratas, quas pedibus calcamus, quibus ignotas & ex exteris regionibus allatas præferimus, cum tamen ipſæ Indorum gentes illarum uſum magnifaciant, & magno pretio ob hanc cauſam ſibi adferri curent. Placet jam unicam veronicam aſſumere, quæ non pares ſaltim, ſed majores, cum ipſa herba Thee, recondit virtutes. Hujus infuſi vires, liquore herbæ Thee adhuc ſuperiores, diſſertatione hac recenſere noſtri jam eſt inſtituti, ſimul iſtius herbæ elementa chymico igne eruta tradendo, accuratius obſervationes quaſdam de hujus infuſi viribus inſinuando.

2. Ante omnia vero neceſſe erit, ut moneamus, quid ſub infuſi veronicæ nomine intelligamus, quo minus neglecta nominis evolutio difficultatem vel obſcuritatem quandam pariat. Per veronicam intellectam volumus illam ſpicatam terreſtrem perennem ſupinam vulgarem foliis ſerratis ſecundum MORISON flore albo & cœruleo nitentem herbam, quam Germanice *Ehrenpreiſs* nominant. Infuſio autem, ſive infuſum ſecundum SCHROEDERUM, audit liquor qualitatibus medicamentoſis, ſola maceratione imprægnatus, & differt a decocto, quod in hoc coctione extrahuntur, in illo autem ſola digeſtione, & maceratione calida virtutes medicamentoſæ eliciantur. Uti autem infuſiones apud Medicos variis liquoribus, nimirum vino, ſpiritu vini, aceto, aquis deſtillatis, liquoribus ſalinis, aqua communi adornari ſolent, ſic noſtrum infuſum veronicæ ſola aqua ſimplici, eaque calidiſſima, facta in illam ſufficiente injectione herbæ exſiccatæ, peragitur per exiguum ſaltim tempus digeſtio ac extractio fit faciliſque aquæ tinctura, non ſecus, ac in præparatione infuſi herbæ Thee fieri aſſolet. Omnibus vero alii infuſum ex hac herba paratis medicamentis & præſertim illius ſpiritibus, eſſentiis præferimus; nam licet puriores ſint, vehementius tamen ægros offendunt, & ſpiritibus corporis noſtri vim faciunt, cum e contrario infuſa moderate agant. Longe quoque præſtabilius eſt ipſius decocto, quippe in hoc, fortiori calore admoto, particulæ volatiles ſubtiles ipſius plantæ in auras difflantur, craſſioribus ac magis terreſtribus a nexu aliarum diſſolutis, inque ipſum liquorem coactis, quæ non parum vires ipſius infuſi infringunt atque imminuunt. Ob

hanc

hanc quoque rationem rhabarbarum, & folia ſennæ calide infuſa, longe felicius vim ſuam purgantem exſerunt, quam ſi cum eadem aqua decoctionem ſuerint paſſa, particulis terreſtribus identidem ſalis purgantis acrimoniam multum obtundentibus. Folia aſari in infuſione aquæ calidæ vomitum, decoctione autem diaphoreſin movent laudabilem. Herba Thee, fortiori in aqua coctione, adſtrictiora facultate brunoque colore illam imbuit, minuſque grata evadit. Quare ſale ſubtili ſulphureo, quæ pollent, magis infundenda, & quorum virtus in principio reſinoſo, terreſtri, acido reſidet, magis coquenda eſſe, regula docet pharmaceutica. Adeo ejuſdem medicamenti vires & uſus, ratione diverſi præparationis modi variant.

3. Quod uſum noſtræ veronicæ attinet illam infundi ſolum jubemus, non enim decoctionem videtur admittere, partim ne ſubſtantia ſua volatili ſumme æſtimabili defraudetur, partim ne moleculæ fixiores terreſtris indolis, coctione nimis evolutæ ſolventis poros ſubeant, ſicque activitatem medicamentoſam infringant. Optime autem hæc infuſio in decenti & cooperto vaſe inſtituitur, quo particulæ evaporabiles ſpirituoſæ cuſtodiantur, mox aqua elegantiſſima flavedine tingitur, & ſaporem non ingratum, leniter ſubamaricantem exhibet. Sorbetur hæc infuſio calidiſſime, cum vel ſine ſaccharo ad menſuram unam, vel ſaltim dimidiam, in loco temperato blandum ſudorem exſpectando: paucis, eadem præparatio, idem modus utendi veronica eſt, cum ipſa herba Thee.

4. Ut autem infuſi hujus virtus dilucidius innoteſcat, & ejus vires commendabiles evadant, neceſſum eſt, ut prius elementa ipſius herbæ paulo penitius examinemus, illamque diligenti tractatione chymica, ac miſtionum cum variis liquoribus verſemus, quo operationis fons eo liquidius pateat. Quemadmodum autem quævis univerſi hujus corpora, ex diverſis ratione figuræ, magnitudinis ac motus, particulis conſtructa deprehendimus, ſic quoque veronica noſtra particulis non homogeneis, ſed variis ratione magnitudinis ſeu molis, figuræ & ſitus conſtat. Quædam ſunt volatiles, ſpirituoſæ, celerius evaporabiles, eæque in minutiſſimas ſuperficies diviſæ ſunt, quare promte ſubtiliſſimi ætheris aut aeris motui, vel calori obſecundant. Compertum enim eſt ex mechanicis phyſicis, nulla corpora proprio motu aſcendere, ſed ab ambiente extrinſeco fluido graviori ſurſum pelli, hinc particulas veronicæ volatiles, ipſius atmoſphæræ particulis leviores eſſe firmiſſime ſtatuendum eſſe videtur, certum eſt, veronicam innumera effluvia in auram emittere, nec minus odor & deſtillatio veronicæ recentis de particularum ſubtiliſſimarum levitate ac copia teſtatur.

5. Porro particulas ſalinas variæ figuræ noſtræ herbæ inexiſtere, exinde patet, quia magnam copiam ſalis fixi, ſi decenti combuſtione tractatur, largitur, nec herba, ſolo abſynthio excepto, facile invenitur, quæ majorem copiam ſalis fixi præbeat. Noſtra herba retortæ indita, ſi igni aperto committitur, fundit liquorem ſalinum ſubacrem, empyreumaticum, qui cum acido affuſo nullum quidem edit conflictum; attamen effectum alcalinum undequaque edit, dum ſyrupum violarum cœruleum viridi tingit colore, quod omnibus alcalinis eſt ſolenne, ipſiuſque proprium, &, ſolutionem mercurii ſublimati præcipitando, colore ſubflavo imprægnat. Carbonibus vivis ipſa herba injecta, fumum exhalat ſalino - volatilem, qui mirifice nares, & oculos ferire ac afficere ſolet. Porro hæc herba in ſolutione ſalis tartari prius macerata & deſtillata, præbet liquorem cum oleo empyreumatico, mere alcalinum acrem ſal volatile ſpirantem. Sulphureas inflammabiles partes in veronica oleum indicat, quod ex deſtillatione emergit, idemque plantæ combuſtio. Et notabile eſt, infuſioni veronicæ flavo colore tinctæ ſi injiciatur oleum tartari per deliquium, vel ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus, quod mixtura longe clarior evadat & color magis exaltetur. Omnia quippe alcalina ſingulari colores exaltandi ac diffundendi vi pollent, dum in texturam ſulphuream, illam rarefaciendo, & lucis radios varie modificando, agunt. Sic tincturæ rhabarbari, aloes, myrrhæ, addita debita quantitate olei tartari per deliquium, rubicundiſſimum induunt colorem. E contrario acida, uti nonnullos colores exaltare ſolent, ſic quoque plures deſtruere apta ſunt, & idem contingit circa noſtram infuſionem, cui, maxime ſi imprægnata fuerit ante liquore alcalino, affuſum acidum omnem adimit colorem, ita ut pene limpida & clara evadat.

6. Principium terreſtre in veronica arguit, præter lenem adſtrictionem & amarorem, etiam color nigricans, qui ex mixtura infuſi noſtri cum ſolutione vitrioli emergit. Experientia quippe mechanico - chymica oſtendit, quæ particulis terreſtribus facile ſolubilibus conſtant corpora, uti gallæ, terra catechu, radix tormentillæ, lignum aloes, illa ſoluta ad mixturam vitrioli atramentoſum induere colorem. Et quoniam eadem corpora, ſolutioni mercurii ſublimati remixta, illam obſcuro-brunam reddunt, idem quoque cum noſtra veronica, & herba Thee tentavimus, idemque ſucceſſit effectus; manifeſto indicio, plures terreſtres ſolubiles partes continere noſtram herbam.

7. Ex hiſce jam adductis clariſſime efficitur, plantam noſtram ratione diviſionis ex corpuſculis variis, nimirum volatilibus, leviſſimis, mediis, & fixioribus, terreſtribus eſſe conflatam. Particulæ quippe quo magis ſunt diviſæ, eo volatilitatis ſtatum, quo minus diviſæ, eo fixitatis indolem lubentius induunt. Subtilitatem particularem effluvia & odor teſtantur: fixiores partes, ipſum ſal fixum, cineres; medias, particulæ ſulphureæ ſalinæ ſolubiles ſufficientiſſime demonſtrant. Quoniam autem diverſa hæc principia non inæqualiter invicem mixta ſunt, ſed laudabilis harmonia & æqualis illorum proportio ubique apparet; hinc non ſenſibile prædominium qualitatis cujuſdam in ſenſus cadit, nec ſapor, nec odor, qui alias elementorum illorumque variæ mixturæ indices ac productrices ſunt, nimis exceſſivus eſt, hinc etiam ejus infuſio non facile creat nauſeam, ſed palato, modo ipſi conſueſcamus, arridet, nam omnes potus qui fortiori odore imbuti ſunt, facile nauſeam parare ſolent, & ob id decocta & infuſa herbarum cephalicarum, quæ ſale oleoſo turgent, v. g. ſalviæ, roſmarini, non adeo palato placent. Uno verbo planta Veronicæ, ratione principiorum conſtituentium, illorumque qualitatum ac virium valde temperata eſt, quo titulo quoque ipſa herba Thee fulget & arridet. Omne autem temperatum naturæ noſtræ admodum amicum, infenſum autem & nocivum omne, quod exceſſiva facultate notatum eſt, hoc facillime in deteriorem partem, illo autem minime uti poſſumus. Non tutius nec gratius & ad ſanitatis conſervationem conducibilius datur remedium, quam quod amica temperie ſe commendat: temperata magis ſunt domeſtica, principiis noſtris vitalibus magis confinia, quæ harmonia & decenti temperie ſuſtentantur. Temperata æqualem, nec tardum nimis nec nimis celerem humoribus injiciunt motum, in cujus æquilibrio vitæ noſtræ ratio ac incolumitas præcipue conſiſtit.

8. Examinata ſic veronica, quoad principia, indole, ſi jam comparationem inſtituere velimus, cum herba Thee, haud difficulter demonſtrare poſſumus,

longe excellentiorem illam eſſe, multiſque paraſangis eam antecellere; utpote veronica longe copioſiores alcalinas particulas, quam ipſa herba Thee, alit. Falſum eſt herbam Thee ſale volatili oleoſo eſſe fœtam, a quo, qui ejus virtutes deducere vult, multum errat, taliſmodi enim ſalis volatilis oleoſi, ne ullum quidem veſtigium apparet; potius petendæ illius virtutes ſunt, quicquid præſtat, a ſola calida aqua, & adſtrictoriis terreſtribus moleculis, ſiquidem herba Thee deſtillata exhibet non ſpiritum volatilem alcalina virtute præditum, ſed ſubacidulum adſtringentem empyreumaticum: fumi ejus per fiſtulam ſi hauriantur, auſteritate ſua gulam conſtringere ſolent. Latiſſime autem patet ejus virtus adſtrictoria in decocto paululum inſpiſſato, quod ad ſolutionem vitrioli in verum degenerat atramentum, non ſecus ac ſi gallarum infuſio aſſumta fuiſſet; extractum herbæ Thee propter virtutes adſtrictorias alvum conſtipat, ejuſque nimium fluxum cohibet, quod etiam annotavit D. Mandelslo in *Itinerario Indico cap. 9. pag.* 42.

9. Quicquid itaque herba Thee per ſe & ſua natura præſtat, id per particulas adſtringentes copioſiſſimas præſtare videtur. Nec abſonum & rationi ineptum eſt, propter eaſdem adſtringentes particulas alacritatem majorem ſpiritibus injungere, illoſque ad promtiorem motum incitare; diſtributæ enim per intima ſanguinis eædem particulæ, fibrarum ac nervorum dum ingrediuntur tubulos, illos ſibi arctius jungunt, & ſtrictiores reddunt, hinc illos tubulos anguſtatos paucior quidem ſpirituum animalium copia replet, compenſatur autem propter anguſtias majores, majori illorum rapiditate, ſicque, ob citatiorem ſpirituum motum, œconomiæ animalis functiones longe alacrius celebrantur. Compertum autem eſt, medicamenta adſtringentia non eoſdem, ſed varios pro diverſitate individuorum edere effectus & uni prodeſſe, alteri mire nocere. Illis, qui ſiccitate nervorum laborant, & quibus roſcidum humidum deficit, adſtringentia admodum infenſa eſſe ſolent, magis enim nervorum tubuli occluduntur, & influxus ſpiritibus animalibus denegatur, ſicque paralyſeos & apoplexiæ metus ſit. Magis itaque æſtimanda venit ipſa veronica, quæ præter ſubadſtringentes, ceu vaſorum tunicas roborantes, etiam copioſas alcalinas ſalinas particulas poſſidet, quæ magnos in debellandis affectibus edere ſolent effectus.

10. Quoniam autem tractatio noſtra potiſſimum eſt de infuſo ipſius herbæ, placet jam inquirere, ex quibus elementis illud ipſum conſtet, ſive quænam principia ipſius plantæ, aquam, quæ infuſioni ſervit, ingrediantur. Diximus ſuperius, particulas terreſtres, quæque majori gaudent ſuperficie, non facile concedere in poros ipſius aquæ, niſi fortiore coctione comminutæ illorum interſtitia ſubire cogantur; remanent itaque ſubtiliores ſalinæ alcalinæ & terreſtres, promte ſolubiles, quas lubentius recipit ipſa aqua, ceu menſtruum ſimpliciſſimum ac puriſſimum, calore extractionem non parum adjuvante. Volatilium particularum portionem infuſo ineſſe, evincit illius deſtillatio, quæ aquam veronicæ boni odoris & ſaporis præſtantiſque virtutis largitur. Ex hiſce jam patet, veronicam recentem vel in umbra, aut ſub charta circumſpecte ſiccatam, quod etiam de aliis herbis tenendum eſt, ad infuſionem eſſe optimam. Peſſimus Pharmacopæorum mos eſt, locis vel hypocauſtis calidis committere herbas ad ſiccationem, cum præcipua virtus, quæ reſidet in ſale volatili æthereo, avolet in auras. Quo curatius itaque noſtra herba eſt ſiccata, eo meliorem depromit virtutem. Porro infuſi magna quantitas, ſi debite inſpiſſetur, poſtea aeri frigido exponatur, magma apparet in ſua ſuperficie ſal tartariforme, haud ingrati amaroris & elegantibus ſtriis emicans, virtute deterſiva ac aperiente ſe undiquaque commendans. Præter ſalinas autem in ſuperficie contentas apparent in fundo magmatis particulæ terreſtres copioſiſſimæ.

11. Tria itaque in infuſo elementa, nimirum particulas ſpirituoſas volatiles, deinde ſalinas alcalinas, & terreſtres adſtringentes deprehendimus. Ratione volatilium infuſum hoc in corpus hauſtum, & in ſanguinem diſtributum, tam ſpirituum animalium, quam reliquorum minutiſſimorum corpuſculorum, in lympha & ſanguine conſiſtentium, motum blande procurat, & promovet, quia propter ſubtilitatem jus habet proxime adficiendi. Spiritus autem impulſi ac in motu conſtituti, reliquos humores in motu tardiore verſantes, ad motum faciliorem incitant ac cogunt. Etenim omne corpus in motu conſtitutum, alterum, quod in motu non eſt, facilius ſecundum axioma mechanicum impellere poteſt. Hac enim ratione motus omnium fluidorum machinæ noſtræ tam progreſſivus, ſeu circularis, quam inteſtinus promovetur, in quo utroque motu ſanitatis noſtræ conſervatio maxime pendet. Ratione particularum alcalinarum & ſalinarum, vi reſolvente ac corrigente, laudatum noſtrum infuſum pollet. Certum enim ac ſtatum eſt, plurimas morborum cauſas niduları in obſtructionibus, illaſque morborum fabros eſſe: hæ autem non niſi ab impedito partium fluidarum per anguſtiſſimos capillarium anfractus motu, tam circulari, quam inteſtino, non poſſunt non originem ſuam nanciſci. Fieri enim non poteſt, ut corpus fluidum, quamdiu ejus partes in perpetuo & irrequieto motu juxta ſe invicem quieſcant, & ſeſe invicem firmius contingant, quo durum & ſolidum obſtructionum primaria ſiat cauſa. Quando autem ſal propter acies & ſpicula minutiſſima rigida in continuo motu eſt, dividendo craſſorum humorum vaſcula obſtruentium ſuperficies, non poſſunt non illorum particulæ dividi, incidi, atteri ipſiſque motus denuo introduci, ut fluiditatem reſumant: & in hoc pene omnis curationis cardo ac nervus verſatur; qui enim promte ac facile obſtructiones pertinaciores ſolvere novit, ille & felicius curare chronicas paſſiones ſataget. Tandem terreſtriores infuſi noſtri particulæ, machinæ vitalis fluoribus intimatæ, parietibus vaſorum ac tunicarum fibrarumque interſtitiis, propter craſſiorum ſuperficiem, facilius adhærent, illaque coarctant, & in anguſtius ſpatium redigunt; unde ſpiritus animales, machinæ noſtræ motores, in anguſtius ſpatium coacti, anguſtiam loci celeritate compenſant, ſicque celeriori influxu partes fibroſas ac muſculoſas magis animant, vigorant, conſtringunt, unde partium dependet robur.

12. Examinata jam ſufficienter veronicæ natura, reſtat nunc, ut alterum ingrediens, nempe aquam calidam inſpiciamus, quidnam ad infuſum noſtrum conferat, ſeu ab illa ſit exſpectandum. Non abſone plures medicorum, quicquid infuſum Thee, Coffe aliarumque herbarum præſtat, id omne malunt ab aqua calida, quam ab ipſis herbis deducere. Nec noſter animus eſt, ab hac ſententia ſecedere, potiſſimas infuſi vires adſcribentes calidæ, ſecundarias autem ipſi herbæ. Sola enim herba vel redacta in pulverem vel in eſſentiam, & extractum abiens nunquam hoc præſtabit, quod ejus infuſum, quarum unum alterius poſcit opem, amice ambo in medicamentum optimum ac præſtantiſſimum debent conſpirare.

13. Quoniam autem in aqua calida duo occurrunt conſideranda, primo aqua, & deinde calor ipſi advenien, placet in utriuſque naturam paulo accuratius inquirere. Aquæ eſſentia conſiſtere videtur in ipſa

ipſa fluiditate, humiditate, &, ſi loqui ſic fas eſt, inſipiditate, nihilque aliud aqua eſt, quam liquor inſipidus. Notum autem eſt ex phyſicis, fluiditatem conſiſtere in perpetuo ac jugi minutiſſimarum particularum juxta ſe invicem motu, & quod fluida poris gaudeant innumeris, in quorum interſtitiis copioſiſſima ſubtilis hæreat materia. Inteſtinum autem aquæ particularum motum ſolutio ſalium vel ſacchari in ipſam injectorum patefacit, quæ ſine motu, utut oculorum ſenſum fugiat, abſolvi non poteſt. Abundantiam & diverſitatem pororum illud arguit experimentum, dum portio aquæ ſale communi ſaturata, ut ne granum quidem ſalis capere amplius poſſit, aliud ſal, v. g. alumen injectum, de novo aggreditur, illud ſolvendo, ſique hoc refertum eſt, tertium ſal, v. g. vitriolum tenue recipit, & ſic porro, ut admiratio mentem merito ſubeat, quomodo hæc procedant. Nullum autem dubium, interſtitia inter particulas aquæ eſſe figuræ diverſiſſimæ, quæ alias particulas capere ineptæ ſunt, quam ipſi loco congruunt, & cum ſalia longe diverſis gaudeant figuris, clariſſime inde colligitur, poros cubicos particulas etiam cubicas requirere, & ſi illi ſaturati ſunt, non alias amplius capere poſſunt, & ſic porro. Præſentiam particularum aerearum & ætherearum in ipſa aqua hærentium, monſtrat partim experimentum, dum in vaſe ab aere per antliam evacuato, poſita aqua innumeras emittit bullulas, partim etiam aquæ evaporatio id teſtatur, quæ fieri non poſſet, niſi particulæ quædam elaſticæ æthereæ ipſi aquæ ineſſent. Præterea aqua inſipida eſt, i. e. omni ſapore deſtituta, quia lubricis, flexilibus conſtat particulis & ſalinis caret. Et quamvis pauca ſalium ramenta in magmate evaporatæ aquæ conſpiciantur, illa tamen adventitia ſunt, ex fundo forſan oriunda, nec proprie naturam aquæ ingrediuntur. In inſipidis autem magna ineſt efficacia, uti id ſolide ac erudite demonſtrat clariſſ. D. SCHRADERUS *in diſſertatione de inſipidorum efficacia.* Menſtruum enim inſipidum ſimpliciſſimum & puriſſimum eſt, & ad varias recipiendas particulas aptiſſimum, quoniam heterogeneis nondum eſt imprægnatum, & quicquid agit, ſola fluiditate id præſtat. Nam fluida, mediante inteſtina & perpetua particularum agitatione, corporum poris impelluntur, ut ſic iterata inſinuatione earum ac concuſſione non vi, ſed blande particularum ſolidarum nexum tandem diſſolvant.

14. Ex hiſce jam adductis luculenter patet, aquam optimum eſſe menſtruum, & vehiculum ipſius herbæ veronicæ, & quo puriorem ac leviorem illam eſſe, eo meliorem, inſignique pollere efficacia, ſalia cujuſvis generis ac figuræ in poros ſuos recipiendi, dura ac ſolida corpora emolliendi ac reſolvendi, illaque ad fluiditatis ſtatum adducendi.

15. Quod ad caloris naturam attinet, ille in motu non rectilineo, ſed curvo, confuſo, & velociſſimo particularum minutiſſimarum ætherearum conſiſtit, adeoque elaſticam dilativam expanſivam ſeu rarefacientem vim habet; æther enim in calore expanſus propellit corpora vicina ex ſuo loco, uti id eleganter patet experimento, dum nimirum aqua incluſa æneo vaſi, admoto fortiori calore, intus valde incaleſcens, data apertura, inſtar fontis magna vi proſilit & erumpit. Calor itaque aquæ ſimplici ſuperveniens, illi majores vires fœnerat, fluidificationem, emollitionem ac diſſolutionem mirum quantum augendo & adjuvando: quare notabile eſt, ſolis aquæ calidæ vaporibus oſſa & cornua duriſſima emolliri poſſe in vaſe deſtillatorio, quam operationem Pharmacopolæ philoſophicam calcinationem nominant; nec ignotum jam amplius curioſis eſt *Papini* experimentum, dum carnem, oſſa, & duriſſimas res includit vaſi, ita coaptato, ne minutiſſima rima aquæ, quæ in decenti quantitate adjecta fuit, exitum præbeat, leni machina committitur calori, & ſic brevi exacto tempore duriſſima oſſa in liquamen gelatinoſum ac lentorem ſatiſcunt, per ſolam vim elaſticam calidæ aquæ, quæ potentiſſime minutiſſimos poros ſubire illorumque centra reſolvere valet. Nam omnia corpora reſolvi ac emolliri poſſunt, ſi ipſis particulæ elaſticæ vel beneficio aeris, ignis, vel menſtruis ſubtiliſſimis impingantur.

16. Calidæ itaque aquæ uſus in medicina egregius eſt. Exſtat circa hanc rem inſignis locus in AETIO *tetrabil.* 1. *Serm.* 3. *c.* 165: *aqua*, inquit, *calida conducit, ubi oportet excretionem præparare, & ubi quid attenuare, diffundere, liquefacere, mollire, eluere, concoquere aut diſcutere volumus.* Calida quippe aſſumta magna in copia cum tenuium partium ſunt, qua data via ruunt, arctiſſimos poros vi ſua elaſtica ſubeunt, & ubique ſeſe inſinuant, & quaqua verſum penetrant, ſicque calorem a potu calido aſſumto in totum corpus diffundi ſentimus: quodſi enim ſanguis ſtomacho vicinus a calore aquæ rareſit ac fluidus redditur, lege circulationis non poteſt non omnis ſanguis ad motum aptior evadere, magiſque evolvi, non ſecus ac videmus totum corpus caleſieri, ſi calor externis ſaltim partibus v. g. pedibus admoveatur.

17. Præterea calidi potus viſcidos quoque & tenaces humores attenuant, colliquant, ſicque obſtructiones expediunt, & circulationem humorum promovent, quandoquidem talia effluvia actuant & partes tenuiſſimas ſanguinis excitant, & humorum, illiſque motum imprimunt, ut ipſi ſpiritus ſic dicti animales exſuſcitati functiones ſuas eo melius abſolvant, hinc ex potu calidæ aquæ hilares & alacres ad ſtudia & res peragendas reddimur, torpor & ſomnolentia diſſipatur, vigiliæ magis procurantur, quæ in actuoſo & concitatiori ſpirituum animalium motu, & liberiori in partes nervoſas influxu conſiſtunt, quare infuſum herbæ Thee ſomnum diſſipat, vigilias procreat, non ob ſingulares dotes ipſius Thee, quæ nullo modo in hoc obſervari poſſunt, ſed propter effectum ipſius calidæ aquæ, quamobrem quævis pene herba aquæ calidæ infuſa ſimilem effectum excitat. Motis autem in corpore noſtro ſpiritibus, qui primi ac præcipui reliquorum fluidorum motores ac impulſores ſunt, moventur & ipſi, debitum motum abſolvunt.

18. Tandem quoniam plurimorum morborum ſymptomata, & exacerbationes ſalibus morboſis excrementitiis, illorumque acrimoniæ adſcribendæ ſunt; potus aquæ calidæ in magna copia aſſumptus non poteſt, quin inſigne levamen ac emolumentum afferat, utpote qui ſalia illa, nimia acredine infenſa, promtiſſime diluit, temperat, corrigit, & per congrua evacuatoria, nimirum glandulas ſubcutaneas, ceu per cribrum, eliminat. Quantum itaque ſit uſus, & quanta efficacia aquæ calidæ, ſi herbæ taliſmodi temperatæ medicamentoſæ, uti noſtra eſt, virtutibus imprægnetur ac eſſentificetur, quivis, qui ingenio pollet, & rerum phyſicarum ac medicarum parumper gnarus eſt, clariſſime perſpicere poterit.

19. Pretium autem erit operæ, ſingulatim recenſere eximias illas dotes ac virtutes, quibus donatum eſt noſtrum medicamentum, quæque in ipſo obſervationibus accuratis annotatæ fuerunt. Nolumus autem auctoritate veterum operationis rationem accerſere a qualitatibus illorum primis, quatuor elementis inædificatis, quæ ſi curatius & libero animo rem ſpectemus, non abſolutæ entitates ſunt ſimplicibus inexiſtentes, ſed potius relativæ potentiæ, & modificationes ipſius materiæ, quibus medicamenta varios

effectus in corpore humano pro diverſitate individuorum producere valent; nullum quippe medicamentum agit ratione activitatis, ſed receptivitatis ſuæ, hinc idem pro diverſa conſtitutione humorum, & varietate individuorum diverſiſſimos ſolet edere effectus; ſed fons operandi ac indolis noſtri medicamenti ſatius ſupra detecta eſt, partim chymico igne, partim variorum liquorum connubio, & inde phænomenorum reſultantium attenta conſideratione, ubi deprehenſum fuit herbam noſtram calidæ aquæ infuſam ſubtiles, volatiles, ſalinas, alcalinas, cum terreſtribus fixioribus, temperatas tamen particulas communicare.

20. Securiſſimus autem modus eſt a poſteriori ſive ab ipſa experientia, optima artis magiſtra, & propriis obſervationibus deſumere medicamentorum vires. Circa hunc modum autem merentur obſervari quædam regulæ, ne res difficultatibus immergatur. Primo optime medicamenti effectum explorare poſſumus, ſi ſingulum ſeorſim, nec unum aliis mixtum, in uſum trahatur, unde neſcimus, cui operatio ſit adſcribenda. Improbanda itaque illa Medicorum conſuetudo eſt, qui remediis ſuis quaſi ludunt, & ab uno ad aliud ruunt, mutato quaſi in horam conſilio, ſicque ſine judicio ſæpe, & ſine arte in curatione progrediuntur, & hinc fit, ut nunquam medicamentorum vires expiſcari vel firmam ſibi experientiam comparare poſſint, ſed ſemper dubitent, vacillent, errent: deinde idem medicamentum ſimili in caſu, iiſdemque correſpondentibus circumſtantiis, non ſemel, ſed decies, vigeſies, eundem effectum præſtare debet, ſi certi velimus eſſe de ſingulari & ſpecifico effectu.

21. Sedula itaque ac ſtudioſa obſervatione annotavimus, noſtræ plantæ infuſum moderatius tamen hauſtum, digeſtionem juvare, ac reſolutionem ciborum promovere, dum tenacem viſcidam amurcam, quæ glandulas œſophagi, ventriculi & inteſtinorum obſtipat, fundit atque abſtergit, quo & melius tunc glandulæ plorare poſſint liquorem menſtrualem, qui potiſſimæ reſolutionis ciborum cauſa eſt, & quando lympha, cujus ſoboles eſt ipſa ſaliva & menſtruum ventriculi, nimis craſſa & inſpiſſata eſt, infuſum veronicæ illam diluit, attenuat, ſicque cibos fluidos reddit, illorumque reſolutionem adjuvat, quod exemplo Indorum & Japponenſium confirmatur, qui ſemper cum cibis aquam calidam bibunt. Quinimo ventriculo gratus eſt omnis calidus potus, ipſoque gaudet; coagmentatus namque eſt ex meris membranis & tunicis, & hinc a provida naturæ mente intra calidiſſima viſcera poſitus eſt, ut ab omni parte blando foveatur calore, quo eo melius munus ſuum abſolvere poſſit; quare nihil magis ventriculo, quam frigus, nocet, quod, ut humores facile concreſcant, & in lentam abeant pituitam, efficit, hinc a frigido potu inprimis poſt inſignem corporis incaleſcentiam tanta noxa, ipſaque mors obſervatur a practicis.

22. Quam gratus ille potus ſit ventriculo, ſequens docebit hiſtoria, nimirum nuperrima æſtate ſtudioſus quidam, ingente corporis calefactione prævia, magnam cereviſiæ frigidæ haurit quantitatem, mox debilitabatur & ſequentibus diebus dolor ventriculi, vomitus, nauſea, cibi faſtidium, virium proſtratio, calor præternaturalis, urina rubra, ægrum affligebant. Remanebant hæc ſymptomata per longum temporis ſpatium, vireſque & ſolidam partium ſubſtantiam notabiliter abſumebant, nec deerant hecticæ ſigna, diſcrimen vitæ minantia; ſanitati tamen æger reſtitutus eſt ſequenti methodo: primo potum veronicæ, cum tinctura florum bellidis aliquoties de die aſſumebat, deinde cum cibis & juſculis propinabatur bis de die, eſſentia balſamica, compoſita ex nuciſta, croco, myrrha, zedoaria, arcano tartari, & ſpiritu vini tartariſato. Extrinſece ventriculo applicabatur linimentum ex oleo nuciſtæ, ſpiritu vini tartariſato, oleo menthæ, camphora, croco, oleo caryophillorum & balſamo Peruviano, ſicque paucis ſeptimanis elapſis cum morbo rediit in gratiam.

23. Porro obſervavi nihil magis juvaſſe febricitantes, tertiana vel quartana decumbentes, quam ſi poſt paroxyſmum ſtatim in magna quantitate idem hauriant infuſum, componendo ſe ad ſudorem, qui ſi ſequitur, ſemper levior ſequens eſt paroxyſmus. Conſentit hac in re HIPPOCRATES *lib. de locis in homine c.* 88. qui febricitantibus ſuis etiam propinavit calida, ubi inquit: *cum laſſitudo, febris, & plenitudo detinuerit, multa aqua lavandum, & quam maxime calefaciendum eſt, quo calor, aperto per ſudorem corpore, exeat, & in potu exhibenda calida.* Potus enim calidus in corpus ingeſtus ex ægro corpore detrahit, ſive urinas educat, ſive ſudorem eliciat, undique enim apertum, & perſpirans corpus ac motum faciet, quod conducit.

24. Præterea potus veronicæ ſingulariter phthiſicis opitulatur, & vitio pulmonum laborantibus. Annumeratur a practicis ipſa veronica inter herbas vulnerarias, & conſolidantes, & vix potio vulneraria vel pectoralis in practicorum libris invenitur, quam non ingrediatur ipſa veronica. Notum eſt aquam veronicæ præſtabilem opem ferre hecticis, ad præternaturalis caloris & ſitis exſtinctionem; ejus autem infuſum, quod præter particulas volatiles etiam gaudet amaris, aperientibus, & acrimoniam corrigentibus, longe obſervatur præſtantius, præſertim, ſi aqua, cui veronica infundenda eſt, ante cocta ſit cum paſſulis, cornu cervi uſto, raſura cornu cervi, & loco ordinarii potus hæc ſubſtituatur potio. Nec minus obſervavi puerum decem annorum, aſthmate pulmonali per aliquot annos laborantem, cum roncho ac ſibilo, qui incaſſum oppoſitis antea omnibus celebratiſſimis pectoralibus, incidentibus, ſulphuratis, tandem ſolo potu veronicæ, qui omni die per aliquot ſeptimanas hauriebatur, reſtitutus eſt. Porro non ita pridem vir quadraginta annorum, craſſioris habitus, & hypochondriacæ affectioni obnoxius, mira ſanguinis & humorum exagitabatur ebullitione, cum tuſſi pulmonali phthiſin minante, appetitu proſtrato, calore præternaturali, virium dejectione, fruſtra datis medicamentis alias generoſis pluribus, tandem convaluit, & vires a ſolo potu veronicæ recuperavit, qui mox tuſſim ſedabat, appetitum excitabat, expectorationem juvabat, & præternaturalem calorem compeſcebat.

25. Certiſſimum eſt veronicæ vulgo adſcribi ab omnibus medicis ſingularem virtutem depurandi ſanguinis maſſam, nec ſine ratione; virtus enim hæc depuratoria in eo conſiſtit, ut ſanguis & fluores corporis noſtri ſcoriis ſalino-ſulphureis excrementitiis morboſis priventur, ſive illis correctis ac inverſis, ſive per congrua ſua evacuatoria proſcriptis. Utrumque egregie præſtat infuſum veronicæ, quod acres morboſos ſales temperando, diluendo, & ſpiracula cutis renumque poros blande aperiendo, in ſanguinis impuritatibus ſeu malo ſcorbutico præſentiſſimam opem afferre ſolet. Sic veronicæ potu contra ſcabiem & cutis pruritum vix datur remedium præſtantius, eaque mala depuli feliciſſime, aliquoties Halberſtadii ſcabiem ſiccam, ægros imo ipſos ſenes infeſtantem, diuturnam, ſolo hoc potu largiſſime per menſis ſpatium hauſto. Similem effectum extrinſecus etiam exercere teſtis eſt ſatis locuples SIMON PAULI *in quadripartit. Botan.* qui ita ſcribit; *ingenue fateor, cum aliquando variis medicamentis adverſus cruſtoſam ſcabiem puerorum uſus eſſem incaſſum, me juſſiſſe parentibus aquæ veronicæ intincta linteamina applicare compreſſa, ne ſtilla-*

ſtillarent ſuris brachiiſque pueruli ejuſque, meque ſic eum ex voto reſtituiſſe priſtinæ valetudini.

26. Stupendæ tandem virtutis, contra calculoſam concretionem hæc herba a Clariſſimis Medicorum celebratur. Notabilem hac de re inſerit obſervationem *in Ephemerid. Germ. D.* ELSNERUS *A. I. Decur.* 1. *Obſerv.* 107. Sutoris vidua, quæ calculum per 16. annos in rene aluit ſiniſtro, qui cruciatibus illam affligebat, ut, viribus omnibus abſumtis, nil niſi ſceleton vivum repræſentaret, ob ſummum cruris ſtuporem, & renis dolorem in iſto latere, per totum illud tempus nunquam dormire potuit. Tandem decoctum veronicæ in magna doſi per aliquod tempus aſſumſit, quo effecit, ut calculus ad ureteres & tandem ad veſicam protruſus, miſeram ſtillicidio & difficultate urinæ diu vexavit, donec ab aſſumto ſuperiori nominato decocto & ejus fomentatione, natura adhuc dormiens expergefacta maximis & iis conatibus, quibus alias a fœtu ſe liberare conatur, excitatis, hoſpitem peregrinum cuſpide expulit, qui tandem vi ab ipſa ægra per collum veſicæ extractus fuit, & quidem non abſque ſumma illius læſione & copioſa hæmorrhagia. In colica, calculo & ipſa peſte CRATO *trium Imp. Archiater* plurimi facit hanc herbam, imo vel ſimplex decoctum veronicæ omnibus aliis generoſioribus internis medicamentis, contra calculum præfert. Sic obſervavi Halberſtadii fortem infuſionem herbæ veronicæ viro quinquagenario colica violenta laboranti, materiam inſtar ſpermatis ranarum, innumeris veſiculis conſtantem per alvum eduxiſſe.

27. Nolo jam eſſe nimis longus in recenſendis veronicæ obſervatis viribus, & ut rem paucis complectar & expediam, crebro ac quotidiano uſu obſervata fuit potio & infuſio veronicæ, idem imo longe præſtantius quid effeciſſe, quam ipſe potus herbæ *Thee*, nec ſingulare quid ab hac exſpectandum videtur, quod non idem noſter potus præſtare potis ſit. Ego ſane per multos annos hanc potionem loco herbæ Thee omnibus fere ægris, maximo cum emolumento, ſuaſi & nunquam noxam ab hac obſervavi; cum contra herba Thee propter nimiam adſtringentem qualitatem a me non ſemel obſervata fuerit magna peperiſſe incommoda, præſertim in illis, qui ſiccitate nervorum laborant, & ſpaſmodicis contractionibus ſunt obnoxii; hinc hypochondriaci & hyſtericæ gravia non ſemel ab ejus uſu experta ſunt ſymptomata, nimirum cardialgias, anxietates præcordiales, dolores in abdomine, alvi fluxum &c. relatumque fuit mihi ex ipſo Belgio, plures ex frequenti ejus uſu factos fuiſſe paralyticos, & hinc potum Coffee magis ibi æſtimari.

28. Ex hiſce jam adductis ſufficientiſſime patebit, dari in noſtris terris herbas longe ſalubriores, & præſtantiores exoticis illis, quæ magno pretio ex extremis iſtis regionibus ſibi afferri curant Germani, & quod veronicæ noſtræ dignitas ipſa herba Thee longe ſit ſuperior. Hinc noſtra vernacula, quæ nobis provida mater natura largiſſime & gratis concedit, ad ſanandum merito ſufficere debet, ut non opus habeamus, ex diſſitis regionibus ignota quædam ad medicandum repetere.

DISSERTATIO
DE
CINNABARI
ANTIMONII,

Ejuſque eximiis Viribus, Uſu tam ſecretiori quam vulgari, tam in Morbis huc uſque cognitis quam incognitis,

EXERCITATIO MEDICO-CHYMICA.

Adjecta ſunt Ratiocinia varia ſat curioſa.

Primùm edita anno 1681.

AD LECTOREM.

SCITE ait Seneca: Natura per naturam explicanda, non verò per rationes evertenda. *Peccant in hoc* Galenici, *qui quaſi omni chymicâ experientiâ ejuratâ ſolis rationibus per ſe admodum frivolis ac languidis quaſi per faſcinum naturæ phœnomena metiri ac explicare conantur.* Empirici *dum vitarunt hoc vitium, in contrarium inciderunt, deſpondentes quippe omnem rationis uſum in ruditer ſaltim obſervata experientia acquieverunt ſine ullo habito reſpectu cauſarum ac circumſtantiarum. Feliciſſimum contra noſtrum eſt ſeculum, ſplendidiſſima medicinæ hodiernæ facies, cum ſolâ Philoſophiâ Experimentali ſeu Chymiâ rationali auſpicatò Naturæ arenam intraverimus. Experientia quippe & Ratio amice conjurare debent; altera alterius poſcit opem.* Illa enim Ratio, *quæ ſecundum Illuſtrem* Baconem de Verulamio *in novo organo ſcientiarum*, eſt optima, quæ debitis modis elicitur ex rebus, & vocatur naturæ interpretatio, quæ verior efficitur per inſtantias & naturæ experimenta idonea & oppoſita. *Philoſophia autem hæc Experimentalis per axiomata, quæ condita & confirmata ſunt phœnomenis variis chymico igne erutis optime traditur: horum enim qui copiam & rationem habet, næ is de quibuſvis obſcuris pronunciare valebit. Per univerſalia enim, quæ particulares experientiæ rationi ſubminiſtrant, quivis naturæ ſcrutator ex notis ſuas illationes in ignotiſſima promovere poteſt. Quivis ex hiſce facilè (niſi fungum habeat pro cerebro) videt, quantam lucem rerum naturalium explicationi, ipſique arti Medicæ ſuffundat ocularis Chimia:* Hæc *enim, ut affabre loquitur* Helmontius *in Tr. Pharmacop. & Diſpenſator. moderno.* §. 32. principia habet non logiſmis parta, ſed quæ per naturam ſunt cognita & per ignem conſpicua, præparatque intellectum ad penetranda naturæ occulta, ponitque inveſtigationem in naturâ ulteriorem quam aliæ ſcientiæ omnes. *Adeoque, ſecundum eundem* Helmontium, non ſufficit libros legere, ſed inſuper oportet vaſa atque carbones emere, vigilatas ex ordine noctes impendere, *quò particulares experientiæ emergant, quæ poſtmodum divino rationis*

radio

radio excoctæ axiomata conſtituere poſſint. Hâc viâ qui procedit, naturæ cathedram mox poſſidebit. Methodicâ hac ratione ego ſuccinctus præſentem conſcripſi Exercitationem Medico-Chymicam de Proceſſu Cinnabaris Antimonii, *quæ ſi non in omnibus cujus vis delicato ſenſui reſpondeat, veniam facile impetrabo ab eo, qui materiæ conſiderat gravitatem. Hanc præprimis ad manus ſumere penitius excutiendam mihi placuit, cum proceſſum hunc Cinnabaris Antimonii in totâ Chimiâ non ſolum difficillimum, verum etiam optimum ac fructuoſiſſimum deprehendam. Ingredientia ſunt ſaluberrima illa aſtra & quaſi Chimiæ occultioris & totius Medicinæ fulcra Antimonium & Mercurius, quæ hic mutuo amore conjunguntur & confœderantur jucundiſſimam ac virtuoſiſſimam datura prolem: Tot hic occurrunt artificioſæ encheireſes, tot perveſtigandæ naturæ rerum, tot explicanda phænomena, colores, tot exurgunt nobiliſſima Medicamina; quæ Divinas Medentibus porrigunt manus. Omnia itaque experimenta, phœnomena occurrentia ſollicitus ad rationis trutinam perpendam, encheireſes fructuoſas, experientiam manualem inſinuabo, naturas ingredientium examinabo, medicamenta ſelectiora ac compoſitiones rariores recitabo, ſimul vires & modum agendi ſubjungens.*

CAPUT I.

De Nomine, Autore, Differentiis Cinnabaris.

CUM curioſior nominum ventilatio ac enodatio (a quâ exordia vulgo ducere ſolemne) ad criticam potius quam Medico-Chymicam ſpectet cathedram, hinc circa corticem, & ipſius nominis enodationem nolumus eſſe longiores, ad ipſarum rerum tractandarum curioſam inveſtigationem potius digreſſum facturi in anteceſſum paucis ſaltim leviter delibatis.

Cinnabaris antimonii Synonimia. Cinnabaris Antimonii Germanico idiomate exprimitur *Zinnaber des Spieſzglaſes.* Dicitur à *J. P.* Fabro *curat. p.* 736. Sulphur rubrum minerale, Bezoar rubrum, Antimonium rubrum ſudoriferum, ab Hartmanno Butyri Antimonii parergon & Flores butyri Antimonii.

Cinnabaris eſt nativa vel artificialis. Agnoſcunt naturæ Myſtæ vulgo Cinnabarim duplicem nativam & artificialem. Nativa, quæ operoſiſſimæ naturæ donum, originem ſuam ducit a Mercurialibus vaporibus & ramoſis Sulphuris metallici moleculis in coecis glocoſmi uteris archeo ſubterraneo meteoriſatis, ac intimius ſibi adunitis in corpus coccineum ſtabile. Differt hæc pro admixtione heterogenearum terreſtrium ſordium, quæ in ipſo generationis actu ſeſe intimius connubunt, & per lotionem frequentem lege artis inſtitutam ſequeſtrandæ ſunt. De variis ejus ſpeciebus vid. Johannes Langius *in Epiſt.* 65. *p.* 325.

Artificialis inventio. Artificialem caſus & error feliciſſimus peperit; cum enim quidam Mercurium in Solem mediante Sulphure coagulare & convertere conati fuerint, inducti communi hypotheſi, illud, ut reliqua metalla conſtare ex Mercurio & Sulphure, accidit ut corpus illud ſanguineo reſplendeſcens colore invenerint. Inter inventores Callias quidam *Athenienſis* refertur v. de hâc re D. Wedelium *Anno.* 3. *Ephemerid. p.* 172. 173. Cinnabarim hanc factitiam vulgarem (quam Paracelsus *part.* 6. *p.* 289. qui Sal commune addit in præparatione, Schroderus *in Pharmacop. p.*409. Zwelferus *Mantiſſ. Spagyr. p.* 360. prolixius deſcribunt) præter uſum mechanicum nonnulli in civitatem Medicam pro uſu interno adſcribunt; inter quos eminet Quercetanus *in tetrad. graviſſ. affect. c.* 33. qui illam ceu egregium deprædicat ſudoriferum. Et ſubordinari ſane Cinnabaris hæc vulgaris (modo ſuadente lucro & colore rutilanti arſenico non ſit adulterata) quam commode poteſt antimoniali in omnibus morbis ſpaſmodicis & ubi dolorum faces accenduntur egregia, tantum abeſt, ut ejus uſus internus exulare debeat. *Cinnabaris uſus internus.* Quin imò Mercurius iſte fixus præcipitatus, quem ſpecioſo titulo venditat Febvre *in traité de la Chimie. p.* 661. nil aliud eſt quam Cinnabaris quædam vulgaris (fit nim. ex ſale ammoniaco, & Mercurio Sulphure invicem mixtis & Sublimatis) quæ ſingulares in ſinu fovet virtutes nervinas epicriſi *Ludovicianâ. vid. Pharmac. p.* 317. *Cinnabaris vulg. præparatio ſingularis.*

Fundament. præparandi Cinnabarim. Ad hujus Cinnabaris imitationem philochimici cognito præparationis fundamento (quod tale eſt, ut beneficio Salis acidi Sulphur & Mercurius amicabile fœdus ac conjugium ineant, quæ ſine Sale ceu amicitiæ interprete conſortium reſpuunt) rem tentarunt cum Antimonio & Mercurio Sublimato, nim. parte ſalinâ prius igne abſtractâ, quæ offam butyroſam Antimonialem conſtituit, reſtili proportionato Sale Mercurius prægnans inque amplexus arripiens ramoſas Antimoniatas particulas in Cinnabarinum corpus coagulatus fuit. Hanc alii iterum variis ſubſtitutis ingredientibus meliorarunt præparationem, variaſque Cinnabaris ſpecies produxerunt, quæ latius infra adducentur.

Cinnabaris Solaris artificialis. Ultro quoque curioſiores progreſſi ſunt & Solarem Cinnabarim artificialem parare deſudarunt, inter quos eminet Greiffius *qui in Tr. de Theriacâ cœleſti*, modum proponit, nim. Fiat amalgama Solis & Mercurii, hoc cum Sulphure ſublimatum & legitimo modo tractatum in Cinnabarinum concretum coaleſcit, quod Solis maximè particeps eſt.

Autoris intentio. Nobis hoc loco animus eſt, penſiori indagine proſequi proceſſum Cinnabaris Antimonii, præparationis fundamenta, omnia phænomena, omnia medicamenta occurrentia ſolicitius trutinando chymicaque lance æſtimando, philoſophiam experimentalem in ſubſidium præprimis orantes. Quo autem felicius ſcopum noſtrum attingamus, & veritatis auſpiciis in naturæ

turæ arenam deſcendamus, placet ſpagyricam ingredientium præmittere analyſin, puta Antimonii & Mercurii Sublimati. Hinc

---

CAPUT II.

Antimonii elementa exhibet.

ANtimonium idolum quaſi Hermeticorum an tria Chymicorum principia poſſideat & quomodo, præprimis indagandum venit. Hæc uti omnibus corporibus mixtis magis materialiter, quàm formaliter, eorum propenſiones & ſeminales potentiæ inexiſtunt: ſic illud fatum quoque experiri Antimonium, cum per ſe ſine additione aliorum tria hæc principia elici vix poſſint, abunde conſtat. Et (1.) quod attinet Sulphur illud non niſi beneficio acidorum Spirituum ex Antimonio producitur, uti id teſtantur Sulphura φλογιςὰ miniſterio Olei Vitrioli, item Spiritus nitri ex Antimonio extracta, à BOYLEO *in Chymiſt. Scept. pag.* 24. item cum aqua regis ſecundum TACHENIUM *in Hippocrat. Chymic. pag.* 206. Cum nitro vel ſale ammoniaco permiſtum Antimonium, & crucibulo candenti injectum lucidiſſimam flammam eructat à connubio particularum acidarum cum pinguibus Antimoniatis in Sulphuream texturam abeuntium ortam. Ope nitri peculiari modo regenerati nuper ex Antimonio, item ex coralliis elegantiſſimum concretum Sulphureum produxi. *Omne enim Sulphur inflammabile eſt crama è Spiritibus Vitriolatis & ſubſtantiâ combuſtibili conflatum*, uti eleganter dicit ſummus & extra comparationis aleam poſitus BOYLEUS *in Chymiſt. Scept. pag.* 24. Nam cum ignis manifeſtior ſit fermentationis ſpecies, ubi Spiritus luminoſus influit in Spiritum in materiâ Oleoſa & reſinoſa inſitum, hinc omne Sulphur ex particulis lucidis ceu moventibus, acidis & alcalinis ceu mobilibus compoſitum eſſe per ſe fluit. Omnia enim corpora inflammabilia reſinoſa Sulphureæ indolis ſi Vulcano tradantur & acidum fundunt ſtagma & Sal vel volaticum vel fixum elargiuntur, uti Sulphur, opium, myrrha, ladanum, ſuccinum, terebinthina, fuligo, ipſum etiam reſinoſum gialapium, imo omnia corpora inflammabilia id teſtatum faciunt. Porro Sulphuris elementum eſſe Sal acidum, ipſius adſtruit compoſitio; ex quo enim quid componitur ex illo etiam conſtat. Jam autem *Illuſtris* BOYLEUS *in Chymiſt. Scept. p.* 75. ſulphur inflammabile exacte naturam communis redolens ex Oleo Vitrioli cum Oleo terebinthinæ miſto lege Hermetici artificii paravit. Ex maritatione Spiritus ſalis ammoniaci & Spiritus nitri, (utroque per ſe flammam averſanti) exurgit ſal nitroſum, quod candefacto crucibulo immiſſum lucidiſſimum de ſe ſpargit ignem ne gry quidem materiæ relicto, Olea aniſi, terebinthinæ, Tartari deſtillata cum Spiritu nitri vel aqua forti juſtâ proportione combinata faſciſcunt in ſapam Sulphuream rubicundam inflammabilem, id quod etiam bilis canina commiſta cum Spiritu nitri leni calore accedente præſtat. Color hic rubicundus quoque qui proprius eſt quaſi Sulphuri, & à commiſtione Spiritus acidi cum particulis combuſtibilibus oritur, noſtrum aſſertum ſtabilire videtur. Bilis, omnia Olea deſtillata v. gr. aniſi, tartari, terebinthinæ juſtâ proportione copulam Spiritûs nitri ineuntia indipiſcuntur colorem elegantem rubicundum. Spiritus tartari mellis, terebinthinæ, fuliginis, lignorum accedente moderato caloris impetu facile in tincturam rubineam abeunt. Ineſt enim ipſis Oleum ſubtile per ſubſtantiam eorum diſperſum, ineſt etiam acidum, quæ invicem Sulphuris ſchema induunt. Mixtura ſimplex, quæ componitur ex Spiritu tartari & theriacali, utroque Oleoſo, item Spiritu Vitrioli acido colorem rubicundum nanciſcitur. Pronuper obſervavimus & analectis noſtris chymicis inſeruimus, quod Spiritus Salis debite inſtillatus Spiritui Oleoſo volatili (conſtanti ex Spiritu Salis ammoniaci vinoſo abſtracto ab Oleo tartari fœtido) elegantem coccineum colorem mixturæ induxerit. Porro quoque hæc ratio eſt, quod tincturæ vegetabilium v. gr. myrrhæ, aloes, centaurii minoris &c. florum quatuor cordialium cum acidulo menſtruo v. gr. Spiritu ſalis vel Vitrioli dulci extractæ tam jucundâ reluceant rubedine; quæ nim. dependet a miſcela atomorum æthe-rearum ac terrearum cum minutiis acidi menſtrui.

Sulphura Antim. inflammabilia.

Sulphur quid?

Flammæ natura in fermentatione conſiſtit.

Sulphuris matris eſt Sal acidum & alcali.

Sulphura gaudent rubedine.

Spiritus tartari volatilis rubicundus.

Ex hiſce videmus, quodlibet inflammabile rubicundum corpus & omne reſinoſum alere occultum acidum, imo Sulphur Antimonii non formaliter latitare in Antimonio, ſed ſaltim materialiter ac propenſive, dum nim. moleculæ Antimonii terreæ ſubtiles æthereæ cum acidis acceſſoriis colliquatæ in concretum Sulphureum migrant.

Idem noſtrum judicium eſto de Mercurio Antimonii, qui ex particulis metallicis in Antimonii regulo latitantibus beneficio Eſſentiæ Mercurificantis ex diverſis commiſtis ſalibus enatæ paratur.

Epicriſis de Mercurio Antimonii.

Hunc non infimæ notæ viri negare & inter non entia proſcribere conati ſunt, aſt remordent hîc Chymicorum emunctiores oculari experientiâ ſuffulti, inter quos non infimum locum obtinent viri ſupra fidem veraces LANGELOTTUS & BECCHERUS, qui publicis in ſcriptis veterum Philoſophorum aſſerta manuali ſuâ experientiâ confirmarunt. Alii mitius procedentes, non proprium ſed adſcititium hunc extractum Mercurium Antimonii conjiciunt à Mercurio vulgi in ſubterraneis pyrophylaceis ipſi Antimonio adſociatum; verum hos refutat laborioſiſſimum extractionis negotium per trimeſtre vix abſolvendum ſpatium. Nonnulli Mercurium hunc laborioſiſſime extractum nil aliud quam perſonatam Sulphuris larvam pronunciant: cum nimirum longæ & exporrectæ atomi micantes in Antimonio artificio fallaci rotentur in globulorum ſtillas, & mercurium mentiantur, qui facile in priſtinum minerale redeat. Aſt Mercurius ne quicquam de Sulphure participat 1. notum eſt, è metallis Sulphureo principio turgidis uti ex Marte, Jove, Venere pauciſſimum elici Mercurium, copioſiſſimum contra ex Sole, Saturno, Lunâ, regulo Antimonii, quæ Mercurialibus magis abundant particulis graviſſimis, cum Sulphura ſint leviſſima. 2. Mercurialia nullo modo ſolvi per menſtrua Sulphurea alkalia poſſunt, potius homogenea Mercurialia requiruntur. 3. Mercurius ſemper eâdem formâ poteſt reſuſcitari, neque in metallum vel minerale facile redigi poteſt; & quanquam à Mercurio per ſalium adjectionem

Mercurius eſt ens chymicum.

Non derivandus à Mercurio vulgi.

Neque perſonata Sulphuris larva eſt.

Probatur variis experimentis.

Mercurius Antimonii non facile redigi poteſt in minerale.

jectionem (ad purificationem inſervientium) particulæ nigræ terreæ metalli formam mentientes ſequeſtrentur, oculorum tamen faſcinum eſt, cum particulæ hæ immerſæ liquori per aliquot dies iterum abeant in globulos Mercuriales. Aſt datur Mercurius Antimonii, qui in omnibus ſimilis communi, exceptâ virtute.

Mercurii Antimonii præparatio. Præparatur hic Mercurius è regulo Antimonii, commiſto cum ſalibus acido-alkalinis inter ſe confligentibus ut Spiritu Salis ammoniaci, Spiritu nitri, Sale tartari, tartaro crudo, Aceto, ſale ammoniaco, cineribus clavellatis, uti ex fideli communicatione Basilii Valentini *in curru triumphal. p.* 250. Glauberi, Beccheri, Monte Snyders cognitum habemus. *Fundam. præparationis.* Fudamentum hujus præparationis eſt, ut à commiſtione ſalium e diametro ſibi contrariorum & ſe invicem effœminantium exſurgant copioſa effluvia ætherea, quæ in ſubtiliſſimum fatiſcunt Spiritum, qui eſſentiæ Mercurificantis nomine gaudet, quæ deinde poros particularum metallicarum regulinarum permeat, particulas reſolvit, emollit, & fluidificat. Hinc quoque non inepte Becherus *in Phyſ. ſubterran. pag.* 469. mercurium vulgarem vocat amalgama fluidum ex eſſentiâ Mercurificante & ipſis metallicis atomis compoſitum. *Mercurii vulgar. deſcriptio.* Et hoc modo fortiſſimo igne prolectatur Mercurius Antimonii.

Regulus Antimonii eſt indolis Saturninæ. Regulum autem particulis metallicis, quæ proxime ad Saturni naturam accedunt, eſſe fœtum, ſequentia videntur adſtruere. Poteſt enim ille ipſe per Sal Saturni in verum Saturnum verti Autore Basilio Valentino *in curru triumphali v. p.* 303. Portio quoque Antimonii in meracum Saturnum ſæpe liqueſcit, ſi cum nitri ana calcinetur, annotante id Willisio *in pharmac. p.* 61. inſtar Saturni quoque facile propellitur, omniaque metalla, (quod alias Saturni proprium eſt) arripit. *Jovis induratio.* Tandem experimento Glauberiano regulus Antimonii Jovi liquato (qui pene totus Sulphureus, hinc quoque leviſſimus) juſtâ doſi admixtus illum indurat: idque dependet ab effluviis reguli Antimonii Mercurialibus intime ſibi connuptis cum atomis Jovis Sulphureis: quæ ratio quoque eſt, quod Mars (ut maxime Sulphureus) ſi calcinetur cum Mercurii vapore, tam durus fiat, ut inſtar vitri frangi poſſit. *Martis per Mercurii.* Quæ curioſa Paracelsi *obſervatio eſt, part. 6. d. conſervat. rerum natural. p.* 273.

An Sal inſit Antimonio. Tandem an Sal Antimonio inſit videbimus, non formaliter ſed materialiter eodem modo in illo latere conjicimus. Et quanquam decoctum Antimonii cum aqua communi inſtitutum non contemnendas in lue Venereâ poſſideat virtutes a Zwelffero, in ſaxeâ renum occaleſcentiâ a Poterio *in Pharmacop. Spagyr. p.* 334. commendatum, adeoque ejus efficacia Salinas atomos ac minutias in aquam ejaculatas arguat, non tamen propriè dictum Sal in aquæ poros ſe inſinuavit: *Decocti Antimonii virtutes.* Sed potius ſunt particulæ illæ minerales, quæ in ſalinam propendent formam, modo acumen Vulcani accedat in acidum ſtagma facile abeunt: flamma enim (uti omnis fermentatio) eſt ſalifica. *Fermentatio omnis eſt ſalifica.* Nimirum flamma æthereo ſuo motu particulas propenſivas vel acidas in regno minerali, acido-alkalinas in vegetabili, alkalinas in animali perficit & ſiſtit, non aliter ac fermentatio quævis ſolet.

Frid. Hoffmanni Diſſert. varii argum.

Ex hiſce liquet, in Antimonio principia illa tria Chymica non formaliter inexiſtere, ſed tantum certas ſpecificatas materiales particulas in illo latere, quæ aptæ natæ ſunt pro diverſitate additamenti vel Mercurii vel Salis vel Sulphuris ſchema induere.

Peſpectâ jam Antimonii naturâ è re fore duco ad Mercurii Sublimati naturam ac genium cognoſcendum deſcendere. Hinc

---

CAPUT III.

Mercurii ſublimati genium indagat.

Hunc 1. quatenus ab omni ſalino contagio immunis ac liber eſt. 2. ceu corroſivum ac ſepticum paulo intentius æſtimare lubet. Mercurius inter generata vix par habens uti inter naturæ magnalia refertur præcipua: ſic quoque nonniſi qui veram naturæ cathedram poſſident, Chimiâ huc vecti hujus naturam explicare ac rimari ſcite noverint.

Nos Mercurium fluorem æthereum volatilem ſaturatum ſpecificis particulis metallicis conjicimus. *Mercurius vulgi eſt fluor æthereus ſaturatus particulis metallicis.* Et ſubtiliſſimis autem effluviis æthereis ac fluidiſſimis conflatum hunc eſſe Mercurium, præter artificioſam Mercuriorum metallicorum præparationem, (quæ abſolvitur effluviis æthereis ex Salibus invicem collidentibus ortis) præter rotundam (quæ propria eſt materiæ primi elementi) quâ ſemper gaudet Mercurius formam, ſequens mechanica veritati lucem ſuffundit. *Probatur experimentis Chimicis.* Mercurius communis ſi tractetur igne fortiter debitis in vaſis, miram aquæ cujuſdam inſipidæ elargitur copiam, ſemper tamen priori Mercurii vivi pondere ſalvo manente, uti Boyleus *in Chymiſtâ Scept. p.* 46. Joh. Agricola *in Poppium p.* 119. teſtantur. *Præparatione artificioſa. Aqua Mercurii.* Alit enim Mercurius quendam magnetiſmum, qui dependet à particulis æthereis in Mercurio eminentibus, quæ vehementi caloris & ignis impetu in motum actuantur, novumque ætherem cum matrice ſuâ aqueâ attrahunt. Parili modo ut Spiritus nitri ſummè æthereus volatilis moleculis metallicis incorporatus vel etiam alkalinis uti cretæ, continuo abit in deliquium, copioſaſque allicit particulas æthereas ac lucidas, quæ (ſi mixtura rite tractetur,) ſatis conſpicuæ conſtituunt phoſphorum *Balduini.* *Balduini Phoſphorus.* Sic quoque nonnulla vegetabilia ut aloe, cepæ, ſedorum genera nitroſo principio terſivo turgida, terræ matrici exempta diu germinant, neque facilè injucundâ marceſcentiâ ſe criſpant. *Cur vegetabilia nonnulla tamdiu germinent?* Nunquam enim intermoriturum amicabile illud ac magneticum fœdus, quod nitro inferiori cum ſuperiori intercedit. Accedit quoque, quod Mercurius vulgi per Spiritum mundi aereum ſolvatur ob ſympathiam uti Ludovic. de Comitibus tradit *tr. de metallis p.* 225. *Mercurii vulg. ſolutione.*

Spiritus hic Mercurialis æthereus quaſi menſtrui vicem gerens in ſubterraneis antris appellens ad metallicas minutias illas emollit, ſolvit ac fluxiles reddit, ſicque compoſitus evadit fluor dictus Mercurius vulgi manus non madefaciens. Quapropter ab hoc Mercurio vulgi ſi partes terreæ metallicæ depeculentur artificioſa encheiriſi, & Spiritus iſte ab omni metallico contagio liberatus haberi poſſit, virgineus & philoſophicus ille evadit, diciturque veris *Fundam. præparandi Mercurium philoſoph.*

 per

Mercurius de Mercurio quid?

per ignem Philoſophis Mercurius de Mercurio. Patrocinatur ſententiæ noſtræ Philoſophorum Coryphæus GEBER, qui *in aphoriſmis p.* 161. *inquit: continet argentum vivum in ſe Spiritum internum viventem & convertentem ignem, ſi de potentiâ in actum promovebitur, pro ſuo illum agnoſcunt Philoſophi Mercurio.* Aſſenſum porro præbet Acutiſſimus per ignem Philoſophus HELMONTIUS, *qui tr. Progymnaſm. meteori* §. 14. & ſeqq. Sulphur externum originalem metalli labem continens ſeparare jubet à Mercurio vulgi, quo fiat Mercurius de Mercurio, qui deinde nullo igne poteſt in formam terræ præcipitari, ob ſimplicitatem ſui maximam quæ aquæ elemento comparatur, cum terram id eſt Sulphur amiſerit.

Præparatio Mercurii ſophici.

Quo autem Mercurius homogeneus puriſſimus æthereus emancipetur e carcere impuro metallico, omnes ferme in eo deſudant Chimici. Iteratas Mercurii ſublimationes commendat LUDOVICUS DE COMITIBUS. Singularem modum lavandi Mercurium vulgi commendat GEBER *L.* 2. *part.* 1. *p.* 125. Optime ſane depuratur Mercurius vulgi a ſcoriis ſuis terreſtribus metallicis per amalgamationem, quæ poteſt inſtitui vel cum regulo Antimonii Martiali & Lunâ, ſecundum præſcriptum ZWELFFERI *in Pharmac. regiâ p.* 360. vel cum regulo

Philalethæ Mercurius Philoſophicus.

Antimonii ſecundum PHILALETHAM *in tr.* qui inſcribitur, *Introitus apertus ad occluſum Regis Palatium.* Amalgamationem hanc perficiunt binæ additæ Dianæ columbæ, quas BECCHERUS *in ſuppl. ſecund. p.* 118. per Salia interpretatur. Hoc modo per amalgamationem cum regulo Martiali (qui nil de Marte participat, in candidiſſimum enim cum nitro detonatur pulverem) a Mercurio heterogeneæ terreæ ſcoriæ, (quæ homogeneas particulas Mercurii non adeo contiguas relinquunt) feliciſſime præcipitantur, ſi præprimis verbera & imber accedant. Acquiritur ſic decies iteratâ amalgamatione & ſublimatione Mercurius virtuoſiſſimus aſtralis ac ſplendidiſſimus, cujus partes duæ partem unam auri radicaliter ſolvere poſſunt.

Elementa Mercurii vulgi.

Hæc itaque elementa nim. Spiritus aſtralis ſubtiliſſimus & particulæ metallicæ conſtituunt Mercurium vulgarem, non autem hæ a Saturno & biſmutho ſuam ſemper petunt originem, ſed ſæpe quoque alia metalla ingrediuntur Mercurii naturam. BOYLEUS *in Tr. de Coloribus p.* 47. ſolutiones Mercurii cum aqua forti celebratas non raro virides obſervavit, qui color ſine dubio dependet a particulis immixtis Venereis.

Mercurii Sublimati modus operandi.

Mercurius per ſe omni noxâ vacat intus aſſumptus, pondere ſuo alvum cito perreptat, verum ſimul ac Salino contagio afficitur, ſtatim ſepticus ſummeque deleterius evadit. Exemplum præbet lethalibus infamatus exemplis Mercurius ille corroſivus, qui in minimâ aſſumptus quantitate, auram ſuam acidam volatilem idealem in æthereum lymphaticum nectar ob conſymbolicum magnetiſmum immediate evibrat, veneno poſt polluti hoc Spiritus animales conſternuntur, ipſorum ſcheſis & per conſequens omnium ventriculorum in toto corpore fermenta vitalia deſtruuntur ac pervertuntur:

Ejus correctio.

δράςικα hæc Sublimati virtus optime caſtratur ac cicuratur ſolis alkalinis, quæ acidum effœminant & debellant: *vid.* SENNERTUS *de conſenſu Chym. c.* 16. Oleoſa quoque demulcentia, quæ ſuo contextu anfractuoſo, oleoſis ac craſſis tricis acies excipiunt, obtuſioreque gibbo includunt, eundem cum alkalinis promittunt effectum: Huc quoque ſpectat ſaccharum Saturni, à CROLLIO *in Baſil. Chim. p.* 389. commendatum ad dulcificandum corroſivum, in amplexus namque arripit ſalia fortiora, aceti particulis quaſi reviviſcentibus.

Præparatio Mercurii Sublimati.

Hujus autem corroſivi meteoriſati Mercurii naturam accuratius paulo penſitare lubet, & primo ejus analyſin Chimicam inſtituere. Naſcitur hic fœtus ex ſemine Salino (puta ſale communi & vitriolo) connupto cum fœminino Mercuriali, coquuntur invicem Chymico igne in reſplendeſcens niveum hoc corpus.

Hollandi.

ISAACUS HOLLANDUS *in operibus ſuis p.*177. præparationem inſtituit ſolo Sale communi prius in aqua ſoluto & iterum coagulato (totum enim tunc ferme in Spiritum acidum ſatiſcit) addito tantillo Salis ammoniaci.

Fundamentum præparationis.

Fundamentum omnis præparationis eſt, ut Spiritus ſalis acidus ſeparatus aggrediatur globulos Mercuriales, ſeque intime ipſis agglomeret atque interponat, (cum ſolutio nil aliud ſit quam intima interpoſitio particularum ſolventis intra poros corporis ſolvendi) globuli enim ac micantia illa Mercurii vivi elementa in Sublimato microſcopio adhuc ſunt conſpicua.

Eſt, ut Mercurius ſolvatur Spiritu Salis, & ſublimetur.

Solutus hic in Spiritu Salis Mercurius calore in ſublime fertur: non ſecus ac Mercurius ſolutus in Spiritu Salis debite prius parte liquida evaporata ſublimatus in ſtabile concreſcit cryſtallinum corpus, exacte æquans naturam Mercurii Sublimati vulgaris.

An & quomodo ſolus Spiritus Salis elevetur a Vitriolo & Sale c. miſſo?

Jam autem quomodo igne a miſtura Vitrioli & Salis Spiritus Salis acidus ſolus evehatur ac ſeparetur, indagandum penitus venit. Salia acida fortiora ac penetrantioris indolis e ſedibus ſuis propellere ac quaſi reſuſcitare ſalia mitiora congelata, loco Chymici axiomatis habendum.

Spiritus Salis per arenam e retorta deſtillari poteſt ex Sale c. & Spiritu Vitrioli.

Sic Spiritus Vitrioli ſuperfuſus ſaccharo Saturni, vel ſolutioni coralliorum cum aceto deſtillato paratæ; in deſtillatione prodit merum acetum deſtillatum redivivum, quod in Saturno coralliis coagulatum fuit, relicto Spiritu Vitrioli in particulis Saturninis. Porro Spiritus Vitrioli commiſtus cum Sale communi Spiritum Salis propellit in deſtillatione. *vid.* WILLISIUS *in Pharmac. pag.* 160.

Spiritus Salis acidus eſt Sal ſolutum.

Cum autem Spiritus hi acidi nil aliud ſint quam Salia metaſchematiſmum paſſa, ſubtiliſata ac fluorem igne nacta ſolo motu differentes, hinc eodem modo res procedit cum ipſis Salibus:

Probatur.

Sic ſolutio Vitrioli commiſta cum Sale communi & deſtillata ſuggerit Spiritum Salis elegantem volatilem, non ſecus ac è Sale ammoniaco & Vitriolo bene permixtis nuper obtinui per alembicum (per quem omnes Spiritus minerales ſingulari artificio deſtillari poſſunt) 1. Spiritum urinoſum, 2. Spiritum Salis volatilem præſtantiſſimum.

Spiritu Salis volat. per alembicum deſtillato.

Quod autem Vitriolum ſolutum in Sal commune agat, ex hoc unico experimento abunde conſtat, nim. ſolutiones Vitrioli & Salis invicem combinentur, ochrea Vitrioli terrea pars fundum petit, (non ſecus ac fieri ſolet, quando ſolutio Vitrioli Martis cum arcano tartari maritatur) ſubtileque acidum principium nares vibrat.

Præcipitatione.

Ad rem quoque facit experimentum, cujus meminit ROLFINCIUS *in diſſ. de Antimonio c. XX.* deſtillavit nimirum quam commode butyrum Antimonii miſcendo Antimonium cum Sale communi & Vitriolo: ubi Spiritus Salis aggreſſus Antimoniatas particulas in butyraceam

Butyro Antimonii Rolfinciano.

Spiritus volatilis Wedeliano acido.

ceam offam abiit. Huc quoque trahendum eſſe exiſtimo WEDELII experimentum publico ſcripto nuperrimo inſertum & tale eſt. Miſcuit Vitriolum commune cum globulis à deſtillatione Spiritus Salis relictis, (qui adhuc ſale abundant) & deſtillationi in retorta igne aperto concredidit ſicque elegantiſſimum Spiritum acidum volatilem Sulphureum viridiuſculum acquiſivit, qui etiam ſuper alembicum cogi potuit.

Cur Spiritus ſalis ſolus adſcendat?

Mercurius Sublimatus Sulphur Vitrioli cuſtodit, probatur.

Ex præfatis itaque experimentis facile diſcimus atque animadvertimus, Vitriolum Sali communi additum ſumme velificari Spiritus Salis elevationi: Sal nempe Vitrioli ceu fortius acidum aggreditur ipſum terreum Salis communis hoſpitium, Spiritumque facit ex torrem. Eſt autem Spiritus hic non purus putus Spiritus Salis, ſed de conſortio Sulphureo metallico revera participat, nim. Sulphuris Vitrioli maxime prægnans eſt, hinc non tantum viridi colore tingitur, verum etiam Mercurio Sublimato illud Sulphur intimat, quod conſpicitur in Mercurio Oleo tartari præcipitato, qui grata rubedine oculos paſcit, id quod phœnomenon in Mercurio Spiritu Salis communis ſoluto & Oleo tartari per deliquium præcipitato non apparet: cum communis Spiritus Salis non tam copioſum poſſideat Sulphur: hinc albæ particulæ Mercuriales fundum petunt. Quod autem ex turpetho hoc minerali cum Spiritu vini nulla rubicunda tinctura extrahi poſſit, non tam ambiguam reddit Sulphuris præſentiam, quam Sulphureas Mercurialibus maxime intricatas & incuneatas eſſe oſtendit: parili enim modo e Cinnabari Antimonii nulla tinctura rubicunda cum Spiritu vini extrahi poteſt.

Mercurius Sublimatus quantum de Sale & de Mercurio participet?

Tandem de prædominio particularum Mercurialium & Salinarum in ipſo Sublimato exiſtentium ut ſimus ſolliciti ipſa res ſuadet. Communiter ſtatuunt utrarumque æquilibrium. KNOEFFELIUS *in meth. med. febr. malign. p.* 81. e Mercurii Sublimati libra j. Mercurii currentis elicuit ℥vij. Verum oppono huic experientiæ aliam nim. GLASERI *qui in Chim. ſua p.* 253. dicit, ſe ex Sublimati libra j. elicuiſſe 26. lothones Mercurii vivi cum butyri deſtillatione prodeuntes. Et ſane mechanica ſequens, quam ipſe feci, omne dirimit dubium: nimirum Mercurii Sublimati ℥iv. ſi coquantur in lebete addita ſufficienti quantitate limaturæ Martis & aquæ communis magma quoddam Vitrioli forme emergit, quod igni arenæ commiſſum perelegantem exhibet Spiritum acidum volatilem Martialem: tandem poſt fortiorem Vulcani torturam prodit Mercurius dimiſſus vivus ad ℥iij. & ferme ʒj, qui alio receptaculo excipiendus eſt. Relinquitur crocus Martis ſubtiliſſimus. Hoc experimentum ultra partem tertiam in Sublimato contineri particulas mercuriales abunde evincit. Progredimur nunc ad ipſam butyri ac Cinnabaris Antimonii præparationem. Hinc

Spiritus Mercurialis volatilis.

CAPUT IV.

De Butyri ac Cinnabaris Antimonii præparatione, cum variis ſubnexis cautelis.

Antimonium quodnam optimum?

Eligatur ad hunc proceſſum Antimonium bene ſtriatum rubriſque punctulis ſcintillulans, quod bonam Sulphuris ac Mercurii arguit miſcelam. Hinc non immerito *Generoſiſſimus* BOYLEUS *in tentam. phyſiolog. p.* 30. occultæ Antimonii differentiæ adſcribit, quod Cinnabaris Antimonii & regulus ancipiti proceſſu nonnunquam attentetur.

Mercurius Sublimatus adulteratus quomodo dignoſcendus?

2. In promptu ſit Mercurius Sublimatus optimæ notæ, neque (ſuadente lucro) arſenico adulteratus, cujus fucus patet Oleo tartari per deliquium inſtillato, loco enim flavedinis, (quæ expectatur a puro) offert ſeſe ingrata nigredo, quæ tamen non prodit ſi arſenicum non in deſtillatione (quod alias fieri ſolet) ſed in ſubſtantia Sublimato a fraudulentâ manu additum fuerit. Hinc non facile Mercurius Sublimatus pulveriſatus emendus, ſuſpicio enim de mixto arſenico cryſtallino naſcitur. Vidi aliquando deſtillatam cum taliſmodi arſenico adulterato Mercurio Cinnabarim Antimonii à Chymico quodam inſigni, mihi amico, qui Mercurium vitæ flaviſſimum præcipitavit e butyro, Spiritum autem Vitrioli philoſophicum maxime Sulphur olentem indeptus fuit. Loco Cinnabaris in retortæ collo flores fuſci coloris leviſſimi ſe repræſentarunt. Caput mortuum repertum fuit leviuſculum gryſeum præ ſe ferens colorem. D. WEDELIUS paucis abhinc diebus notabilis experimenti me fecit participem, nim. Mercurius Sublimatus arſenico adulteratus miſtus fuit cum Antimonio ad Cinnabarim elevandam, verum loco Cinnabaris purum putum arſenicum rubrum ſe in conſpectum dedit in ſuperficie Antimonii hærens, quod nativam ſuam formam redoluit.

Cinnabaris deſtillata cum Mercurio Sublimato adulterato.

Cautelæ de Antimonii & Sublimati miſtione.

Ingredientia itaque probitate ſe commendantia rite miſceri debent. De hac mixturâ tria præprimis attendenda ſunt.

1. Præſtat ſucceſſive conficere Cinnabarim, neque pro unicâ deſtillatione tam inſolitam farraginem aſſumere Antimonii & Mercurii Sublimati.

Cinnabaris Antimonii eſt Mercurius ſaltim larvatus.

2. Auſpicatius ſemper res ſuccedit inque majori copiâ impetratur Cinnabaris, ſi plus de Mercurio Sublimato quam Antimonio ad præparationem expetatur. Fundamenti enim loco hoc habendum, quod Cinnabaris pene nil aliud ſit quam Mercurius larvatus ac ſchematiſmum paſſus rubraque veſte indutus a tingentis Sulphuris Antimonii pauca quantitate. 2. Quod Antimonium ferme totum, modo ſufficiens quantitas Sublimati præſto ſit, in Cinnabarinum concretum encheiriſi Chymicâ cogi & converti poſſit. FEBURE *Traité de la Chymie part.* II. *p.* 1016. Mercurii Sublimati *pag.* 3. ad *p.* 1. Antimonii recipit. Melius autem hoc modo res procedit ſi *p.* 3. Mercurii Sublimati, *p.* 2. autem Antimonii aſſumantur v.gr. ℞. Mercurii Sublimati ℥vj. Antimonii ℥iv.

Probatur.

3. Omnia ſingulatim prius bene pulveriſata in lapideo mortario exactiſſime miſceantur. Suſcitatur inſignis conflictus (qui dependet a Salibus in Antimonii particulas agentibus) cum

æſtuante calore (ſi præprimis parum aquæ adſpergatur) & fumorum venenatorum (a quibus ſedulo cavendum) ingenti copia in aera exſpatiantium, ita ut etiam Olaus Borrichius *in Act. Haffnienſ. Med. p.* 131. hoc pacto regulum Antimonii ſine igne liquari ac fundi poſſe experientia deprehenderit. Notabile quoque hoc loco eſt, quod ſine igne hoc pacto butyrum Antimonii compendioſiori modo poſſit parari, ſi nempe prædictæ mixturæ affundatur aqua communis ad ſufficientem irrorationem, adhibita digeſtione & leni evaporatione Salia Mercurium dimittunt, & Antimoniatas aggrediuntur particulas, inque butyroſum liquorem abeunt, qui per inclinationem ſeparandus, & exacte butyri Antimonii per deſtillationem parati naturam in omnibus ſervat. Hoc autem probe obſervandum, ſi Cinnabarim magis præ butyro deſideramus, ne mixturam humectemus, vel in cellam humidam illam ponamus, ſed ſtatim poſt mixtionem ad præparationem confugiamus.

Præparat. reguli Antimonii it. butyri ſine igne.

Cautela de retorta.

Mixtura itaque Antimonii & Mercurii Sublimati præfata retortæ vitreæ indatur inque arenam collocetur. De retorta autem hoc probe tenendum eſt, ut bene figurata ſit, collo ſat longo ac amplo adornata, ne forſan copia Cinnabaris obſtipato collo retorta diſrumpatur, totuſque labor perditum eat. *Mercurius enim*, ſunt verba Illuſtris Baconis de Verulamio in Hiſtor. natural.cent.1.p.762. *maxime crudum & aquoſum corpus, calefactus arcteque concluſus eadem cum pulvere pyrio vi pollet.* 2. Retorta ita collocari debet, ut fundum capellæ pene tangat: ingens enim requiritur ignis impetus ad Cinnabarim elevandam.

Quomodo collocari debeat?

Enchireſes de igne in principio recte adminiſtrando.

Ignis primo non adeo intenſus ſed paulo modificatus & mitis ſit, quo maceratio quaſi quædam perficiatur, auctus poſtmodum, ut capella aliqua ex parte candeſcat, prodit liquor albedine nitens, (quæ oritur a particulis butyri Antimonii præcipitatis a vaporibus aqueis, qui leni calore elevati ſunt in collum retortæ) ſuccedit demum butyrum maxime limpidum, quod alio receptaculo excipiendum, prius tamen bene lutari debet, ne fumus malignus acido-volatilis in auras abiens perreptet noſtros agros vitales, ibique haud inconſpicuam pro indole ſua vitæ archivo affricet noxam. Hanc ob cauſam quoque Helmontius *in tr. de inſpirat. p.* 490. *it. de Lithiaſi c.* 9. §. 71. confectores Cinnabaris it. qui in auripigmento, ſtibio laborant, breviſſimam agere vitam pronuntiat, & quamvis taliſmodi ſeptici vapores vitam ſtatim non tollant, abbreviant tamen eamque variis cladibus ſubjiciunt. Serva ignis gradum, & ſi liquor luteus a particulis Sulphureis admixtis egrediatur, ut recte monet Blasius *in Beguinum p.* 283. fortifica ignem, & ſi nullæ amplius decidunt guttulæ, cum charta convoluta foramen retortæ obtura, vehementiorique ignis gradu admoto inferiorem retortæ partem candefactam, & materiam in illa liquidam (quam diffracta retorta obſervavimus) redde: utpote ad Mercurii evaporationem non levis ignis gradus requiritur, quod patet, ſi auro cum Mercurio albefacto priſtinum ſplendorem conciliare velimus, ipſum igniri debet.

Receptaculum probe lutari debet.

Confectores Cinnabaris vitam ſibi abbreviant

Quando ignis fortis ad ſublimandam Cinnabarim debeat admoveri?

Cumque totum artificium auſpicati ſucceſſus in ignis regimine conſiſtat, placet perpaucas enchireſes ſubjungere de hoc recte adminiſtrando.

1. Probe conſiderandæ ſunt omnes circumſtantiæ v. gr. ſtructura furnorum, varietas capellarum, retortæ poſitio, quibus variantibus variare quoque ignis regimen debet, & hic requiritur accuratum Chymici judicium: Si enim capella ſit nimis profunda & retorta in infimam hujus regionem non locari poſſit, tunc omnino vehementiſſimum vulcani acumen addendum eſt. Hoc namque inſtar fundamenti tenendum: quod Mercurius non adſcendat & in Cinnabarim mutetur, niſi retortæ infima pars in arena locata penitus, uti & materia in retorta contenta aliquomodo candeſcat.

2. Cavendum ne ſub deſtillatione butyri ſtatim vehementiſſimus ignis detur: hoc modo quippe productio Sulphuris Antimonialis, quod ex connubio particularum acidarum & pinguium Antimonialium exſurgit, impeditur, & quod productum eſt, dejicitur, hinc nulla pene coitio vel amalgamatio Mercurii cum Sulphure hoc, ad Cinnabarinum concretum conſtituendum expectanda. Signum autem nimis fortis caloris eſt, ſi citius butyrum exeat, ita ut gutta guttam trudat, ſi retortæ collum variegato colore nimirum flavo, viridi, rubro, nigro ſtatim pingatur: qui omnes dependent a deſtructione Sulphuris & varia ejus texturæ ac pororum diſpoſitione.

Fortior ignis gradus non debet dari in principio.

3. Quod attinet ignem ſuppreſſionis, hunc non ſemper ducimus neceſſarium: utpote in cucurbitula impoſita crucibulo arena repleto, ignem circularem adminiſtrando, ſi per retortam prius butyrum abſtractum fuerit, Cinnabarim copioſiſſimam ex relicta in retorta materia obtinuerim. Verum ſi capella nimis ſit profunda, ac arena in ſuperiori parte non ſufficienter incaleſcat, tunc ignis ἄνω circumſpecte admotus promovet evaporationem atomorum Cinnabarinarum & collectionem in ipſius retortæ collo: hoc tamen probe tenendum, circa illam arenæ partem, ubi principium colli ſepultum jacet (quod ad Cinnabaris concretionem deſtinatum) ignis fortior adhibeatur, ne concreſcere incipiens Cinnabaris disjiciatur parte nim. Sulphurea combuſta & Mercuriali in vas recipiens detruſa.

Ignis ſuppreſſionis non ſemper neceſſarius.

Quid obſervandum circa iſtum.

4. Hæc omnia quamvis ſeſe rite habeant, ita, ut hoc modo ſpatio 6. vel ad ſummum 7. horarum ex ℔ß. ana Antimonii & Mercurii nonnunquam Cinnabaris ℥iij. imo ℥iv. haberi poſſint: mihi tamen adhuc eſt alius modus notus ac familiaris, cujus beneficio ſine ignis ſuppreſſione, ſine igne arenæ, ſaltim igne aperto ſpatio horarum 4. ex prædicto pondere nonnunquam ℥vj. pauciſſimo Mercurio currente prodeunte ſæpe obtinui & Jenæ tunc temporis diſcipulis quibuſdam demonſtravi. Et talem enchireſin Chymicorum nonnulli jam dudum animadverterunt: Sic namque Dethardingius *in furno ſuo docimaſt. p.* 116. ad præparationem Cinnabaris retortam terream commendat & ignem apertum: verum ob firmiorem pororum vaſis texturam Zwelfferus *in Mantiſſ. Spagyr. p.* 367. retortam vitream probe lutatam mavult ſeligere. B. Dn. Ludovici *in Pharmacia* crucibula duo inverſa, aſt probe lutata ad laborem hunc laudat. Accedit quoque quod Cinnabaris vulgaris igne aperto ſaltim ex cucurbita ſublimetur. Optimus quidem hic modus, ſed majori eget cautela & ſane enchireſes quædam hic ſumme neceſſariæ attendendæ ſunt.

Optimus modus Cinnabarim deſtillandi igne aperto.

Ex

Caput mortuum quando inſerviat novæ ſublimationi?

Ex deſtillatione butyri & ſublimatione Cinnabaris relictum caput mortuum ſi omnibus Cinnabaris elementis deſtitutum eſt, fulget particulis ſplendentibus regulinis, quæ ut graviores in fuſione materiæ ad fundum detruſæ, arboreſcentem elegantem nonnunquam repræſentant figuram. Quod ſi autem adhuc rubris punctulis ſcintillulet præprimis in ſuperficie, & chartæ affrictum obſcura illam rubedine tingat, certum adhuc Mercurii Sulphurei indicium: qui etiam dimiſſus a Sulphureo conſortio, viva forma facile in conſpectum venire poteſt, ſi cum forti decoquatur lixivio. Melius autem tunc eſt, ſi nova adornetur ſublimatio ſaltim in cucurbitula vulgo *ſcheide Holblein* impoſita crucibulo: ſcoriæ in roſtro colli contentæ ac curioſius collectæ cum capite mortuo pulveriſato permiſceri poſſunt: ſic refundunt adhuc novam Cinnabaris quantitatem. Alias caput mortuum quam optime inſervit præparationi reguli Antimonii, item Antimonii diaphoretici puriſſimi, in cujus confectione nitrum nullum edit ſtrepitum ob defectum Sulphuris in capite mortuo. Nonnulli aquam ophthalmicam ipſi affundendo egregium concinnare volunt ophthalmicum, non viribus inferius Rulandi celebri ophthalmico.

Scoriæ in collo adhuc habent uſum.

CAPUT V.

Singularia phœnomena in confectione Cinnabaris occurrentia exhibet.

Mercurii vivi augmentum in Cinnabaris ſublimatione.

DUo hic præprimis obveniunt notatu digna, quæ ſingularem merentur meditationem: Nimirum obſervavi non ſemel in confectione butyri & Cinnabaris omnium ingredientium ſingulare incrementum & Mercurii currentis inſigne augmentum. Nimirum aſſumpſi Antimonii & Mercurii ſublimati ana ℔ß. Cinnabaris acquiſivi ℥v. & ʒj. ℈ß. Mercurii currentis ℥ij. & ʒijß. butyri Antimonialis ℥iv. & ʒij. ℈i. Capitis mortui cum ſcoriis in retortæ collo relictis ℥iv. ʒiijß. ℈j. & grana xij. Computatis omnibus calculus oſtendit ultra ʒij. incrementum acceſſiſſe. Quin imo ad ʒiijß. aliquando obſervavi: Sed ponderatio in priori experimento inſtituta fuit accuratior. Porro experimentum feci hoc, aſſumpſi Cinnabaris ℥v. ʒj. & ℈ß. remiſcui cum limaturæ ferri ℥vi. & cinerum clavellatorum ℥ij. ex retorta vitrea probe lutata igne aperto deſtillationem adornavi & vehementiſſimo adhibito Vulcano obtinui Mercurii vivi ℥iv. & ʒiij. ℈j. Hoc pondus cum prædicto Mercurii in deſtillatione butyri prodeuntis contractum efficit pondus ad ℥viß. ʒiß. & ℈j. Jam autem Mercurius in ſcoriis colli ponderavit ferme ʒij. Ergo in omnibus Mercurii ſunt pene ℥vij. Cum autem ſaltim ℥viij. Mercurii ſublimati fuerint adhibiti credo ſane incrementum ſenſiſſe Mercurium: neque deeſt ratio: turget enim Mercurius eſſentia quadam ætherea, qua in particulas metallicas homogeneas Mercuriales magnetice quaſi appellit, illaſque in fluorem vertit. Eſt enim Mercurii vulgaris ad Mercurificationem non levis opera, hinc quoque non inepte dixerunt Veteres: fac Mercurium, puta metallicum, per Mercurium ſcilicet communem. Communicatum habeo ab amico, quod ſi ſolutioni argenti cum aqua forti inſtitutæ in generationem arboris Hermeticæ Mercurius jungatur, iſte Mercurius in majori quantitate ſeparetur, quam additus fuerit. Ex eodem fundamento Mercurium plumbi & ſtanni parandi mihi modus eſt notus. Nimirum ſolvatur Mercurii ſublimati, Vitrioli, Nitri, ana ℥ß. in aqua vulgari miſceatur cum limaturæ ſtanni & plumbi ana ʒij. coque leni igne ad ſiccitatem: materiam relictam deſtilla & habebis Mercurii vivi pene ℥ß. Hic Mercurius cum prodeunte butyro & capite mortuo iterum miſceatur & vehementi ac diuturniori trituratione uniatur & iterum deſtilletur, & hoc quatuor vicibus reiterari debet: tunc plumbum ac ſtannum pene totum vertitur in Mercurium currentem: ſcoriæ terreſtres metallicæ nullo modo in priſtinum metallum reduci poſſunt.

Probatur experimentis.

Unde illud dependeat?

Mercurius Cinnabaris cur præferendus Mercurio vulgi?

Quod attinet uſum ac vires Mercurii ex Cinnabari Antimonii extracti, vel etiam iſtius qui prodit cum butyro, ſane præferimus illum longe Mercurio vulgari. Non ſolum enim in amalgamationibus cum metallis, (quas citius & minori quantitate additus perficit), virtutes ſuas nobilitatas exerit, verum etiam evaporatus ex cochleari argenteo relinquit maculam ex flavo rubicundam elegantiſſimam: quod ſignum abſolutæ bonitatis eſt. Porro inſignem quoque ſpondet medicationem; ſic ab amico certior ſum factus *Celeberrimum Norimbergenſium Practicum* Dn. VOLCKAMERUM Mercurii e Cinnabari extracti & ſingulariter præparati uſum plurimum extollere in deſperatis fere morbis. Puritatis hic character Mercurio procul dubio accedit ex amalgamatione iſtius cum Sulphure Antimonii. Nim. Mercurius cum particulas metallicas non poſſideat homogeneas, poriſque gaudeat laxioribus, (in quibus conſiſtit omnis metallorum impuritas) hinc non potuit non fieri, ut heterogeneæ plures impuræ terreo-aqueæ particulæ quæ Sulphuris externi nomine veniunt, in ſubterraneis pyrophylaceis copulam cum ipſo ineuntes ejus texturam ac virtutes deturpaverint. Quo itaque puriſſimus ac virgineus fiat, partes illæ neceſſario imprimis depeculandæ, quod non ſolum fit ſingulari trituræ ac lotionis artificio, verum etiam amalgamatione cum Sulphure Antimonii, utpote hoc æthereis lucidis atomis turgidum dum intime Mercurii texturam penetrat, ex poris præcipitat peregrinas illas terreas ſordes illaſque ex domicilio ſuo dejicit, ſimulque aqueas exhaurit ac abſumit, ut hoc modo per reiteratam ſæpius amalgamationem puriſſimus ac efficaciſſimus exſurgere poſſit Mercurius.

Ejus uſus Medicus.

Cur purior ſit Mercurio vivo?

Quod attinet alterum phænomenon, nimirum ingredientia ſub præparatione Cinnabaris Antimonii inſigne ponderis augmentum acquirere, id jam uberiorem requirit meditationem.

Ignis corporibus igne tractatis affricat aliquid.

Notorium eſt, corpora igne tractata & calcinata ſæpe magnum ponderis augmentum capere; Sic lateres cocti iiſdem qui ignem nondum ſuſtinuere ponderoſiores ſunt, quod etiam vulgo notum. Porro refert TACHENIUS *in Hippocrat. Chym. c.* 27. coralliorum integras ℥xij. igni reverberii per ſex dies ſubjectas trium unciarum augmentum acquiſiviſſe. Eodem modo ſeſe res habet cum quibuſdam metallis ac mineralibus: Sic plumbum calcinatum in minium fortiſſimo igne reverberii notabili vincit quantitate illud, antequam in ignem fuerit poſitum. *Induſtrius Dn.* KUNCKELIUS *in obſerv. Chym.*

Chym. p. 32. elegantem inſinuat obſervationem: Nim. reguli Antimonii ℔j. calcinavit, uſque non amplius fumum emiſerit & ſemper poſt calcinationem graviorem illum deprehendit præter fumos conſideratos. Idem fatum experiri ſtannum, non autem aurum, argentum, ferrum & cuprum certiorem me fecit nuper in Angliâ *Illuſtris* BOYLEUS, *Patronus colendiſſimus*; qui etiam in vitris clauſis Saturnum vel Jovem calcinatum ponderis augmentum acquirere obſervavit; quod experimentum ſane deſtruit rationem hujus phœnomeni communiter datam: nimirum acidum lignorum ſpiritum in poros alkalinorum corporum ferri, ibique ſeſe coagulare, & pondus augere: in hujus impugnationem non volo ulterius adducere calcinati Antimonii beneficio radiorum Solis per ſpeculum cauſticum collectorum ponderis incrementum, cum Anglorum curioſiores deprehenderint accurata inſtituta ponderatione ſucceſſum non ſemper reſpondere hujus experimenti.

Augmentum non debetur acido lignorum ſpiritui.

Sed ignis menſtruali virtuti.

Quærendum itaque illud corporum augmentum non tam in ſale acido ignis materiali, quam ſubtili æthereo penetrantiſſimo, quod corpora menſtruali ſuâ virtute diſſolvere ac transmutare, illorum poros radicaliter permeare, ac particulas quaſdam menſtruales ipſis affricare aptum natum eſt: non aliter ac omnia menſtrua ſolutis gravitatem quandam fœnerant. Sic ſi Mars vel Mercurius ſolvatur in aqua forti & ſolutio præcipitetur ſale communi, ſemper metallum illud ſolutum ac præcipitatum, licet omni ſalſedine etiam per coctionem privatum ſit, ſemper tamen ponderoſius exſurgit. Eodem modo Saturnus in aceto ſolutus & ſpiritu Vitrioli præcipitatus pondere augetur.

Probatur.

Menſtrualem autem ætherei ſalis in igne contenti virtutem phœnomena varia exhibent. Sic ſpagyricus quidam in *Actis Haffnienſ. anno* 1671. *obſ.* 72. per menſem continuum ex capite mortui Vitrioli vehementiſſimo igne adhibito nigricantem liquorem elicuit abſque capitis mortui ſenſibili decremento. Porro hujus ſalis ætherei tranſmutantem virtutem ultro probant varia producta, quæ beneficio ignis ex corpore quodam metallico eliciuntur. Hinc *Doctiſſimus Dominus* MORHOFIUS *in Epiſt. de metallorum tranſmut. pag.* 30. *inquit: Vidi in Anglia Brabantum aliquem, qui ſolo moderamine ignis ſine ulla alius rei additione ex Saturni minerâ verum Vitriolum, Sulphur, ſal com, nitrum, acetum, tincturam, & plura alia parare potuerat.* Adeoque eadem ratione non immerito ponderis augmentum in præparatione Cinnabaris Antimonii obſervatum ſubtiliſſimo æthereo ſali à vehementiſſima flamma proficiſcenti adſcribimus. Pergimus jam ad

---

CAPUT VI.

De Butyri Antimonii Naturâ, & præparationis fundamento.

Butyrum Antimonii quid? ejus elementa.

EST butyrum hoc Antimonii nil aliud quam Spiritus Salis concentratus turgidus particulis ſtibiatis. Elementa habet duo unum recipiens fluidum Salinum, alterum firmum quod in poros fluidi recipitur. Illud debetur Spiritui Salis ſtabulanti in Sublimato, qui in deſtillatione hoſpitem primum deſerens corpuſcula Antimonii magis amica amplectitur, cumque illis in offam butyraceam faciſcit. Contineri autem in butyro genuinum Spiritum Salis acidum (præter ſupra allata) non infimi momenti rationes experientiæ fulcro innixæ clarum faciunt. 1. Cum Spiritu Salis communis æque ac cum Mercurio Sublimato, non item cum Spiritu Vitrioli prolectare quivis ex Antimonio butyrum poteſt: 2. Ipſum butyrum Antimonii (id quod notabile eſt) cogi ac vehi poteſt ſuper alembicum, quod tamen renuit Spiritus Vitrioli gravior, 3. Spiritus dictus Vitrioli (potiori jure Salis) philoſophicus miſcela Salis tartari coagulatur in Sal Sali communi exacte æmulum. 4. incorporatus hic Spiritus moleculis martialibus concreſcit in Vitriolum, quod libero aeri commiſſum abit in deliquium, id quod ſolemne eſt cuivis Vitriolo cum Spiritu Salis communis parato.

Spiritus Salis non Vitrioli continetur in butyro, probatur.

Elementum ſiccum eſt proles Antimonii. Falſo nomine Mercurii vitæ Antimonium in butyro contentum ſalutatur vulgo; cum tamen nequicquam de Mercurio vivo participet, inſervit namque loco crudi Antimonii, variis præparationibus, poteſt enim ex illo parari Sulphur, regulus, vitrum. Apud veteres tamen erroris illecebram hancce conjicio, quod ſæpiuſcule in Mercurio vitæ ſiccato poſt longum tempus conſpexerint interludentia Mercurii vivi granula, quæ etiam ſæpe obſervavi nova ſemper quaſi progerminantia prioribus vivis ablatis. Debentur hæc ſine dubio particulis Mercurialibus forti igne prolectatis, inque butyrum dejectis, in quo deinde ſolutæ (optime enim butyrum ſolvit Mercurius) & præcipitatæ tumulatæ jacuere in Mercurio vitæ, donec ab involucro Salino particulæ aqueæ vel Sal aeris æthereum continuo appellens illas vindicaverit, & conſpicuas reddiderit.

Mercurius vitæ ſint terra Antimonialis.

Unde Mercurii vitæ nomen enatum?

Mercurius hic vitæ an magis Sulphuri vel regulo debeatur, contentionis ſerram vulgo inter ſe trahunt. Ego nil niſi Antimonium ſolutum ſuſpicor, ſalva manente particularum Sulphurearum & regulinarum miſcela: Antimonium enim attactu Salis acidi concentrati in pulverem album vertitur; deinde Mercurius vitæ temperamento Vulcâni adminiſtrato inſtar Antimonii & vitrum paucis regulinis granulis interſtinctum, imo ſcorias (additione Salium) & regulum ſingulatim fundit; cum alias, ſi ſaltim Spiritus Salis admittat particularum regulinarum copulam, totus Mercurius vitæ in meracum debeat abire regulum.

Mercurius vitæ an magis reguli vel Sulphureæ indolis ſit?

Albedinem Antimonio fœnerat acidum, a quo alia particularum diſpoſitio lucem aliter refringens inducitur: teſtanrur id ſolutiones coralliorum, minii cum acido menſtruo celebratæ, quæ magiſteria reddunt candidiſſima.

Mercurii vitæ albedo unde?

Miror hic TACHENIUM, & ex illo plures (alias circumſpectiores) tradere, Mercurium vitæ aqua ferventi præcipitem datum luteum præ ſe ferre colorem, cum tamen eventus rei nunquam ſuccedat. In cogitationem itaque deſcendi, TACHENIUM uſum fuiſſe Sublimato Veneto, qui Spiritu nitri maxime abundat; notum autem eſt, quod ſi Antimonio, a quo Spiritus nitri ſemel abſtractus fuit, aqua calida affundatur, illud flavedine tingatur. Experimentum hoc inſignem affundit lucem aliarum rerum explicationi v. gr. cur aqua calida in præparatione Antimonii diaphoretici affuſa flavedinem

An Mercurius vitæ aqua calida flavus præcipitetur.

nem plerumque illi ipſi conciliet, ſecus fit cum aqua frigida, quæ non ita extrahit Sulphur latens & ob oculos ponit.

Quantum butyr. Antimonii de Sale acido quantum de Mercurio vitæ inſit?

Porro quantum hoc butyrum de Sale, & quantum de Antimonio participet, indagandum venit. Obſervavi in butyro fluido p. 2. Antimonii & p. 1. Salis acidi contineri; nim. butyri Antimonii ℥iß. aqua affuſa, & Mercurio vitæ ab omni Sale eloto; dant Mercurii vitæ ſiccati ℥j. Ergo neceſſario concludere licet p. 1. nim. ℥ß. Salis acidi contineri in illo, quod jam aquæ communicatum eſt.

Quare butyrum Antimonii in deſtillatione indureſcat?

Butyrum Antimonii forti igne expreſſum in excipulo, ſæpe quoque in nimis longo retortæ collo, non in fluidam & Olei dictam convenientem ſubſtantiam, ſed in cryſtallinam condenſatur maſſam, id quod fit ab æthere craſſiore appellente ſeque interponente, uti v. gr. Olea fluida, maſtiche ore macerata, admiſſo frigido aere, concreſcunt: Mercurius cum Viridi æris & Sale communi vulgo coagulatus, ſi per noctem ſtet in aqua frigida, mire indureſcit.

Aëri autem commiſſum liqueſcat?

Butyrum hoc coagulatum in excipulo ſi aeri tranantí exponatur a verberatione particularum aerearum, quæ Salia ſolvunt, continuo liqueſcit: & notatu dignum eſt, quod menſura & pondus butyro accreſcat a particulis humidis ſubſtantialibus, quæ etiam proceſſu temporis quaſdam Mercurii vitæ particulas ad fundum præcipitant. Familiare hoc eſt omnibus Spiritibus concentratis acidis, vide in hanc rem ſingulare Experimentum de Oleo Vitrioli *in Curioſiſſimi Dn. D.* BOHNII *tr. de aeris in ſublunaria influxu p.* 48.

CAPUT VII.

De Medicamentis e butyro Antimonii præparandis.

Butyr. Antimonii nulla eget rectificatione.

EGet butyrum Antimonii nulla rectificatione, cum ſucceſſu temporis ſe a craſſis ſcoriis liberet ac purget dum per aerem ſolvitur, adeo ut veriſſima ſit VIGENERII *de Igne & Sale c.* 43. ſententia, nim. Salia in aere ſoluta per ſe magis ſe depurare ac ſubtiliſare, quam fit per duodecim alias diſſolutiones, & purgationes.

Ejus uſus internus purgans.

Butyrum ad uſum internum non pauci reformidant metuentes vel inſignem corroſivitatem, vel ſtibiatas δράςικας in eo latentes particulas, verum inanis omnis metus cujuſdam noxæ, quo enim concentratior Spiritus Salis acidus, eo minori quantitate propinari debet. Quod attinet atomos Antimonii in butyro contentas, hæ cum acido exhibitæ, quod Sulphur volatile mire figit ac deprimit, non adeo draſticam exerunt vim. Sic Spiritus Vitrioli digeſtus ſuper vitrum Antimonii flavum acquirit colorem & ſaltim purgat per inferiora: *v.* CROLLIUS *in Baſil. Chym. p.* 96. Imo ipſe teſtatum facio, quod butyrum Antimonii ad guttas 3: aſſumptum mihi poſt lenem ſubſequutam nauſeam alvum blande ſubduxerit.

Externus in herpete, bubon. ulceribus, Cancro.

Ejus uſus externus frequentior eſt in bubonibus peſtilentialibus, herpete, ulceribus malignis, cancro, gangræna, *v.* JOH. AGRICOLA *in Poppium p.* 143. *& J.P.* FABER paſſim in curation.:

In verrucis tollendis.

Ad verrucas quoque tollendas *Autor Gallus* TIBHAUT *Cours de la Chemie p.* 180. mire extollit.

In Podagra.

Podagricos quoque dolores illud ad ʒj. miſtum cum Spiritus vini ℔ß. inſtar incantamenti tollere, Autor eſt WEPFFERUS *Practicus feliciſſimus in Mſto.*

Oleum rubicundum Baſ. Val. ex butyr. Antimonii.

BASILIUS VALENTINUS *in curru triumphali p.* 268. ex butyro cum Spiritu vini iterata rectificatione parat Oleum rubrum quod in ulceribus malignis cancroſis magni æſtimat.

Unde ejus rubedo?

Rubedo debetur texturæ Sulphureæ, quæ proficiſcitur ab acido Spiritu Salis & Spiritu vini, ſi hæc præprimis calore & inteſtina particularum agitatione inter ſe actuentur. Teſtantur id tincturæ rubicundæ coralliorum, quæ eodem modo, cum Spiritu Salis dulci fiunt: *v.* GANSII *Hiſtor. Corallior. p.* 62. item olea, quæ emergunt ex miſcela Spiritus acidi fortiſſimi v. gr. Spiritus nitri cum Spiritu vini; ſi enim Spiritus nitri dulcis paratur ac deſtillatur, relinquitur Oleum craſſum in cucurbita.

Variæ ſolutiones metallorum cum butyro.

Butyrum quoque exactiſſime ſolvit aurum, imo radicaliter hoc cum illo fermentare & per rotam philoſophicam deducere norunt Chymici; ſunt verba CROLLII *in Baſil. Chym. p.* 70. Martem quoque it. Saturnum, Lunam facile quoque in poros recipit, ita ut hac encheireſi per compendium quaſi poſſint parari omnia bezoardica,

Modus omnia bezoardica per compendium parandi.

vid. de his B. Dn. LUDOVICI *Pharmac. p.* 329. 330.

Bez. Merc curiale.

Elegantiſſimum quoque Bezoardicum Mercuriale ac ſolare paratur, ſi Cinnabaris Antimonii prius ſolvatur in butyro, pulvis flavus cum aqua communi præcipitetur, cui affundatur aqua regis, in qua aurum ſolutum fuit, ſæpiuſque ab eo abſtrahatur; relictus pulvis edulcoretur Spiritu vini. Vid. plura de hoc Proceſſu *in Pharmacop. Schroderiana p.* 412.

Mercurii vitæ præparatio.

Quando butyro Antimonii aquam vel frigidam vel calidam affatim affuderis, ſubſidet paulatim lacteſcente in liquore pulvis niveus, qui diligenti ablutione edulcatus Mercurii vitæ nomen fortitur. Præcipitatio fit a particulis aqueis Salium ramenta amplectentibus, hinc non poſſunt non e poris decidere particulæ ſtibiatæ.

Spiritus Vitrioli philoſ. deſtillatio.

Aqua Spiritu acido ebria filtrata per chartam emporeticam miti decoctione aſperrimus fit liquor, qui obliqua ſtillatione per ſocum in arena elutriatus longis paraſangis anteit Spiritum Salis comm.

Sulphuris Vitrioli & Antimonii prægnans eſt.

Fovet enim in ſinu ſubtile quoddam acidum Sulphureũ ab Antimonio & Vitriolo profectum, imo tenuiſſimas Antimonii atomos, quæ in conſpectum facile veniunt, modo Spiritus Vitrioli Spiritui Vitrioli philoſophico concentrato affundatur.

Inſervit Tincturæ Mœb. aperitivæ.

Inſervit hic Spiritus extractioni Tincturarum 4. florum Cordialium: item ad tincturam *Mœbii* aperitivam ejus ſingularis uſus, modo Oleo tartari per deliquium debite ejus corroſivitas refringatur, & torna Solis, vel roſis aut ſantalo rubro ſaltim tingatur.

Tincturæ Martialis aperitivæ.

Porro ſi hic Spiritus limaturæ Martis mundæ affundatur, emergit liquor, qui leni evaporatione in Vitrioliforme coagulum condenſatur, cui ſi Spiritum vini combines, exſurgit tinctura aperitiva Martialis non inelegans, quæ cum arcano tartari āā miſta tincturam Martis *Zwelfferi*, cum Saturni ſaccharo Tincturam antiphthiſicam *Gramanni* conſtituit, utramque rubicundam, atque viribus nobiliſſimis fulgentem.

Tinctura Martis Zwelff. Tinctura antiphthiſ. Graman.

Mercurius vitæ quomodo fortior in operando reddatur.

Si Spiritus Vitrioli philoſophicus per aliquot dies ſtet ſuper Mercurium vitæ, fit iſte Mercurius gravis, ſplendeſcens & fundum petit ab aſſociatis telis Salinis, color illius lacteus mutatur in luridum. Admodum fortiter operatur hic Mercurius; contra bene elutriatus aqua calida

lida non tam validus eſt, ac ſi ſpicula Salina adhuc in porulis hæreant. Qualitas enim corporum draſtice operantium Spiritualis per ſe non agit, niſi in effectum ducatur a Sale acido. Hinc per alcalia, quæ acidum prorſus caſtrant ac deſtruunt correctio omnium venenorum, purgantium, quam commode perficitur, vide de hac re erudite differentem *Ingenioſiſſimum* PECHLINUM *in Exercit. de Purgant. pag.* 197.

Unde ejus virtus emetica proficiſcatur?

Mercurii vitæ correctio.

Butyro Antimonii ſi Oleum tartari per deliquium inſtilletur, Mercurius vitæ corrigitur & cicuratur fitque catharcticus, ſed notandum, quod Sal alcalinum acido prædominari debeat.

Mercurius vit. purgans.

Purgari quoque perhibetur, ſi Mercurius vitæ ſpiritu vini præcipitetur: item ſi cum Sale communi miſceatur.

Roſa Mineral. emetica.

Alia ex butyro Antimonii commiſto cum urina humana putrida, præcipitant Mercurium vitæ roſeum (aſt maxime pallidum) ſi præprimis urina cum butyro digeratur, neque ſtatim per inclinationem ſeparetur. Conciliatur huic pulveri color elegantior ac virtus commendatior, ſi Mercurius vitæ imbibatur Eſſentia ſantali cum Spiritu Vitrioli dulci parata, & Oleo cinnamomi poſtmodum irroretur. Dicitur hic pulvis Roſa mineralis *A. Salæ* emetica.

Tinctura Antimonii e Mercurio vitæ Hartman.

Porro Mercurius vitæ cum terra foliata tartari in Crucibulo liquatus in ſchema rubrum vertitur, ex quo cum Spiritu cochleariæ extrahitur elegantiſſima Tinctura Antimonii antiſcorbutica; v. *de hac* HARTMANNI *Commentar. in Crollium p.* 74.

Arcanum tartari purgans.

Cæterum hic Mercurius ãã cum nitro detonatus & arcano tartari nuptus virtutem leniter alvum ſubtrahendi acquirit, quo arcano tartari purgante ſæpiſſime uſus fuit *B. meus Parens.*

Bez. mineral.

Tandem Mercurius vitæ cum duabus vel tribus partibus nitri detonatus (vel ſi Spiritus nitri juſta quantitate ab illo abſtractus fuit) acquirit virtutem diaphoreticam, & vocatur bezoardicum minerale. Notabile autem hic eſt, quod in detonatione nullus ignis motus ac ſtrepitus (qualis in præparatione Antimonii diaphoretici fit) attendatur, quod dependet a Sulphure in Mercurio vitæ maxime fixato & obtuſo, hinc quoque bezoardicum minerale grata ſemper nitet albedine.

Cur albedine ſemper niteat?

Nitroſa cur cum butyro Antimonii confligant?

Reſtat tandem egregium explicandum phænomenon, cur nim. Spiritus nitri affuſus butyro Antimonii tantam excitet effervefcentiam, cum calore vix tolerabili & præcipitatione particularum Antimonialium concomitante ac ſubſequente. Communiter aſſerunt, acidum debilius cum fortiori ſummo collidere impetu, hinc Spiritum nitri ceu debiliorem cum butyro Antimonii acido fortiſſimo impetum atque conflictum exercere. Verum non ſufficit hæc ratio; perſpicimus namque Spiritum Vitrioli, vel Salis butyro affuſum non ſimilem exercere effectum, ſed ſaltim nitroſa idem præſtare, v. gr. Spiritum Vitrioli, aquam fortem, (quæ a Spiritu nitri nil differt, niſi quod per fermentationem cum terra Vitrioli in deſtillatione Sulphur magis explicatum ac volatile factum, hinc Spiritus nitri abſtractus a limatura Martis in arena per retortam, veram aquam fortem reddit) it. aquam regis, ſecundum CROLLIUM *in Baſil. Chym. p.* 135. Nitrum quoque in Crucibulo liquatum & butyro Antimonii immiſſum eundem effectum ac Spiritus nitri mihi præſtitit. Spiritus enim acidi nil aliud ſunt quam Salia æthereo ignis motu fluorem adepta, hinc quoque æque Sal commune & Spiritus Salis armat ac commaſculat Spiritum nitri ad aurum ſolvendum, uti & ipſum nitrum Spiritum Salis vid. BILLICH. *in obſervat. Chym. p.* 60. Alii exiſtimant Spiritum nitri cum Spiritu Salis concentrato hanc colliſionem efficere. Aſt neque Spiritus Vitrioli philoſ. maxime concentratus cum Spiritu nitri ebullit. Veram itaque rationem ſolicita indagine jam proſequi nobis animus eſt. Præſupponimus autem 1. aquam regis conſtare ſive componi è Spiritu Vitrioli, vel aqua forti acuata cum ſale communi vel Sale ammoniaco aut Spiritu Salis communis. 2. Butyrum Antimonii (ut ſupra docuimus) eſſe Spiritum Salis concentratum, fœtum particulis Antimoniatis. 3. Aquam regis quamcunque cum Antimonio pulveriſato, item cum regulo Antimonii mirum quantum effervefcere cum graveolente aquæ fortis odore in aera exſpatiante, cum ſummo calore, ita ut fracturam ſæpe vitrum minetur, ſi præprimis calido in loco mixtura foveatur. Ex hiſce præſuppoſitis facile colligimus, Spiritum nitri vel aquam fortem it. nitrum crudum butyro Antimonii additum cum Spiritu Salis (in butyro contento) degenerare in aquam regis, quæ deinde Antimoniatas particulas latentes ſumma vi aggreditur, ingentemque excitat ſtrepitum cum ſummo calore, qui debetur velociſſimo particularum æthetearum motui. Spiritus enim quo magis abundat Sale æthereo, uti aqua fortis, Spiritus nitri, eò cum alcalinæ naturæ corporibus majorem ſuſcitat effervefcentiam majoremque æſtum.

Aquafortis quomodo differat a Spiritu nitri?

Vera ratio efferveſcentiæ.

Calor ingens unde?

Cur Spiritus nitri præcipitet Mercurium vitæ e butyro?

Præcipitatio Mercurii vitæ proficiſcitur a particulis acidis butyri, amicabile mutuum conjugium ineuntibus cum nitroſis, hinc cum in mutuos amplexus hæc Salia rapiantur, non poſſunt non in poris Spiritus Salis antea contentæ minutiæ Antimoniatæ ſubſidere ac fundum petere, non ſecus ac Mercurius ſolutus in aqua forti, immiſſo Sale communi vel Spiritu Salis (dum fit aqua regis) præcipitatur.

Interdum butyrum Antimonii non effervefcit cum Spiritu nitri.

Notabile autem hoc loco eſt, quod butyrum Antimonii ſi pauxillum aquæ communis prius fuerit admixtum (quo Mercurius vitæ præcipitetur) cum Spiritu nitri non effervefcat, neque etiam hoc facit Mercurius vitæ cum aqua præcipitatus & exſiccatus ſi cum aqua forti miſceatur. Ratio eſt: quod nimirum ab affuſa aqua communi textura Mercurii vitæ pororum ac particularum jam immutata ſit, hinc non datur aquæ regis in ejus poros ingreſſus ac aditus.

Aqua regis aurum ſolvens.

Spiritus nitri igne arenæ a butyro Antimonii abſtractus mutatur in aquam regis, quæ Solis repagula exactiſſime reſerat, reſiduo in fundo vaſis Bezoardico minerali.

CAPUT VIII.

Cinnabaris Antimonii naturam ac elementa docet coloremque ejus rubicundum explicat.

CONſiderata butyri Antimonii natura, ut mentis flectamus aciem ad Cinnabaris Antimonii indolem, principia conſtituentia coloremque ejus coccineum perſcrutandum, ipſius nobiliſſimæ ſcientiæ dulcedo & rei gravitas expoſcere videtur. Nim. Cinnabaris Antimonii nil eſt aliud, quam Mercurius vivus cum Sulphure

Cinnabaris deſcriptio.

Sulphure antimonii amalgamatus & ſic in corpus ſtabile ex obſcuro rubicundum beneficio ignis commutatus. *Doctiſſimus Dn.* WEDELIUS ſtatuit illam nil aliud eſſe quam Mercurium Sublimatum dulcem Sulphure ſive tinctura Antimonii embryonatum & imprægnatum. *v. Pharmac. p.* 139. quod etiam ſuo ſenſu verum eſt. Nim. Mercurius dulcis dicitur ſenſu Medico, quia eſt inſipidus, eſtque nil aliud quam Mercurius vivus particulis acidis ſalinis imprægnatus proportionaliter interſperſis ac ipſi mixtis; notanter dico, certam proportionem ſalis acidi requiri ad Mercurium dulcem conficiendum: Mercurius enim Sublimatus communis, in quo prædominantur partes ſalinæ, ſecus ac ferre poſſunt Mercuriales, ſumme corroſivus ac virulentus exiſtit: quod ſi autem exuberans ſalinarum particularum portio tollatur ac dematur, vel earum abſtractione cum Antimonio in butyrum, vel debita ſalis tartari alkalici copia addita, (quæ enchireſis h. m. Mercurium dulcem parandi mihi optime nota) vel novo Mercurio vivo adjecto, qui globulos ſuos minutiſſimos ramentis ſalinis interponit, exurgit Mercurius dulcis. Sic eodem modo in noſtro opere, acidæ particulæ Mercurii Sublimati deſtillatæ aggrediuntur particulas Antimoniatas, ac fatiſcunt in texturam Sulphuream (Spiritus enim acidus quivis ab Antimonio abſtractus inflammabilem ex illo producit ſubſtantiam) quibus particulis Antimoniatis acidis Sulphureis ſeſe intime atomi Mercuriales aſſociant, acidum illud in amplexus arripiunt ac invicem maritatæ in ſublime feruntur, conſtituuntque ſtabile corpus rubicundum, quod ſapore, textura, friabilitate, modo concreſcendi, non differt a Mercurio dulci, niſi quod ab aſſociatis atomis Sulphureis Antimoniatis colore rubicundo imbutum ſit.

Mercurius Sublimatus quomodo dulcis paretur?

Fundamentum præparat. Cinnabaris.

Elementa Cinnabaris.

Quantum de Mercurio participet? Probatur.

Patet itaque ex quibus principiis ac elementis conſtet Cinnabaris nim. ex Mercurio, & Sulphure Antimonii cum Spiritu ſalino acido recluſo. De Mercurio autem maximam partem participat: eſt enim Cinnabaris Antimonii graviſſima, & pondus pene adæquat ipſius Mercurii, quod clarum fit ſequenti experimento: Aſſumpſi vitreum vaſculum, & exacte indidi Cinnabarim Antimonii bis rectificatam & ponderavi lance accuratiſſima adhibita drachmas quinque & ſcrupulum ſemis. In illud ipſum vitrum indidi Mercurium præcipitatum communem, & replevi illud ac cum Cinnabari factum fuit, & ponderavit drachmas quinque & grana viginti octo: Mercurius itaque granis 18. plus ponderavit. NB. Vitri pondus ſeparatim fuit inſtitutum. Gravitas itaque Cinnabaris dependet proculdubio a Mercurio, omne enim Sulphur leviſſimum eſt. 2. Quod Cinnabaris noſtra pene tota ſit Mercurialis, probatur porro, quia ad Sublimationem Cinnabaris major quantitas Sublimati requiritur quam Antimonii: magna enim pars Antimonii relinquitur, quod cum novo Sublimato remixtum adhuc magnam quantitatem præbet Cinnabaris: Et hoc modo pene totum Antimonium, cum omne in Sulphur verti poſſit, in Cinnabarim redigi poteſt non obſtantibus particulis regulinis. Verum quidem eſt & experimentum plus vice ſimplici feci, quod regulus Antimonii a Sulphure Antimonii pene liberatus & terna vice per ignem & ſalem Nitri purificatus, & cum Sublimato mixtus (in deſtillationem menſtrui optimi ſecretioris) ne granum quidem Cinnabaris largiatur: nihilominus particulæ regulinæ adhuc cum Sulphureis conjunctæ in Cinnabarinum concretum invi cem fatiſcunt. 3. Ad Cinnabarim communem præparandam requiri p. 4. Mercurii vivi & p. 1. Sulphuris vulgo notum. Cinnabaris hæc pene eodem gaudet pondere cum Antimoniali rectificata, niſi quod illius pondus ad unciam unam differat granis viginti tribus. 4. Mercurius e Cinnabari Antimoniali reſuſcitatus ferme totius Cinnabaris pondus in retortum prius injectum adæquat, ut ſcribit FEBVRE *in Chymia p. 657.* Experimentum inſtituendum eſt cum limatura martis: Salia enim alkalina & omnia calcinata huic præparationi minus inſervire perſuaſum meum habeo animum. Inſtitui nimirum aliquando purificationem Mercurii, & tritura diligenti Mercurii vivi uncias ſex permiſcui cum ſalis tartari unciis decem tamdiu, donec ſal hoc nigrum ac gryſeum redditum ſit, globulique Mercuriales ubique diſperſi fuerint. Commiſi hanc materiam retortæ vitreæ & ignem dedi apertum primo leniorem, poſt fortiſſimum & ultra quatuor uncias non prodiit Mercurius. Cui cauſæ hoc adſcribendum, adhuc ſuſpendo judicium meum: invigilare enim huic experimento ulterius volo.

Regulus Antimonii cum Sublimato non dat Cinnabarin.

Quid obſervandum in reſuſcitatione Mercurii?

Patet ex antea dictis quam facile, Cinnabarin noſtram pene totam eſſe Mercurialem & ab ipſo Mercurio gravitatem, conſiſtentiam, texturam, imo virtutem poſſidere, illamque inter medicamenta Mercurialia optimo jure referri debere; de quo infra mentionem injiciemus.

Sulphur Antimonii acidum ineſſe Cinnabari probatur.

Quod attinet alterum elementum Cinnabaris, nim. atomos ſtibiatas Spiritu acido in texturam Sulphuream commutatas: illæ abunde in noſtra Cinnabari ſe offerunt ac patefaciunt: modo cum lixivio forti decoquatur, & tinctum lixivium ſeparetur ac cum acido præcipitetur, Sulphur nanciſcimur haud inelegans puriſſimum, quod fluit & leviter ardet inque auras pene totum abit flammæ admotum.

Acidum autem Sulphuri Antimonii eſſe immixtum ceu ligans ac coagulans principium, quamvis guſtum non afficiat, exinde liquet, quia 1. vapores illi rubicundi, qui in Sublimatione Cinnabaris e retorta prorumpunt, & in Cinnabarim coaleſcere debent, odorem acidum ſpirant, eundemque ſaporem referunt. 2. Mercurius in Cinnabari ab acido Sulphuris ligatus non ſui juris fit formaque viva prodit, niſi additis alkalinis acidum abſumentibus ac deſtruentibus. 3. Ab hoc acido Cinnabaris accidit, quod limatura martis cum illa permixta ad revivificandum Mercurium, in crocum verſa in retorta ſemper reperiatur. 4. Nullum Sulphur elemento acido fixativo ac coagulativo deſtitutum ſi non formali tamen materiali & potentiali eſt imbutum: quod pluribus deducere hujus non eſt loci.

Particulas Sulphureas Vitriolatas ineſſe concluditur.

Tandem non excludendæ ſunt a principio conſtitutivo Cinnabaris particulæ Sulphureæ vitriolatæ, quæ nim. delitescunt in Mercurio Sublimato. Notum eſt, ex mixtura Vitrioli & Salis (quæ ad Sublimationem Mercurii requiritur) deſtillari poſſe Spiritum Salis Sulphure Vitrioli flavo copioſiſſimo imprægnatum, hoc Sulphur in Sublimatione Mercurii procul dubio in amplexus arripit, & ſecum vehit: cum ille maxime gaudeat conſortio Sulphureo. Hinc

quoque patet ratio , cur ſolutio Sublimati , inſtillato Oleo tartari per deliquum rubeſcat. Sulphur itaque hoc Vitriolicum Mercurio Sublimato intime remixtum abire in conſtitutionem Cinnabaris , ex poſitis facile colligere poſſumus.

Perſpicimus itaque Cinnabarin maximam partem ex Mercurialibus , deinde ex Sulphureis Antimoniatis & Vitriolatis acidis particulis eſſe conflatam.

Diverſæ Cinnabaris præparationes.

Cognitis jam principiis & natura Cinnabaris facile eſt perſpicere rationes diverſæ hujus præparationis a quibuſdam inſtitutæ.

Cinnabaris Helmontiana.

Sic Helmontius ſuam Cinnabarin parat hoc modo : primo conficit Sulphur Antimonii ex Antimonio crudo cum aqua Regis , (quod exacte naturam Sulphuris communis refert) Sulphur autem longe elegantius ac copioſius fit, ſi non tam cum aquæ Regis nimis forti menſtruo quam magis temperato nimirum Spiritu Nitri Bezoardico præparetur , (quod colore , ſapore , fluiditate imo in omnibus pene ſimile eſt vulgari Sulphuri) hoc leni igne liquat & commiſcet intime Mercurium vivum : adornat poſtmodum Sublimationem , qua virtuoſiſſimam elegantiſſimamque obtinet Cinnabarin.

Febvre.

Porro Cinnabaris Antimonii , ad imitationem Mercurii iſtius præcipitati fixi (quem deſcribit Febvre *in Chymia. p. 661.* & conſit ex Mercurio vivo , Sale Ammoniaco , & Sulphure communi : tritura Mercurius cum Sulphure, quod notabile eſt , h. m. conjungitur & amalgamatur , poſtmodum mixtura deſtillatur , & Cinnabaris elegantiſſima vaſis lateribus apponitur) ſi loco Sulphuris communis aſſumatur Sulphur Antimonii.

Cinnabaris Wedeliana.

Huc pertinet quoque Cinnabaris Antimonii *Wedeliana*, quam *anno 3. Ephemer. German. p.* 114. communicat , & præparatio talis eſt : ℞. Sulphuris Antimonii cum lixivio ſaponar. facti ℥iij. Mercurii Sublimati ℥iv. pulveriſata & mixta in mortario lapideo , cum ſpatula lignea indita ſunt retortæ anguſtioris orificii datuſque ignis κάτω in principio levior , hinc ſenſim auctus , donec tandem omnia , attamen ſine igne ſuppreſſionis canduerint. Primum exiit butyrum aliquomodo empyreumaticum , hinc ſe oſtendit Cinnabaris antica parte colli retortæ , præcedenti ut ſolet quaſi iridis ſplendore. Collecta fuit Cinnabaris fere ad unciam unam cum Mercurii vivi circiter tantundem.

Noſtra.

Tandem differt ratione præparationis Cinnabaris ſequens quam ego maximopere æſtimo : Accepi ſolutionem Mercurii Sublimati cum aqua communi inſtitutam ad ℥x. ita ut Sublimati contineret ℥iij. ſolutionis Sulphuris Antimonii cum lixivio factæ (qualis eſt illa ex qua Sulphur ſic dictum Antimonii auratum præcipitatur) ℥v. commiſcui invicem & poſt conflictum Sulphur Antimonii cum Mercurio præcipitato in fundo ſeſe junxit eleganter rubicundum. Liquorem ſalinum ſupernatantem decantavi , & recenti aqua communi addita ſalſedinem , aſt non penitus omnem , elutriavi , materiam ſiccavi , in mortario lapideo calido forti tritura optime commiſcui , deinde Sublimationi in retorta vitrea igni aperto leniori commiſi , & deſtillavit primo liquor quidam admodum Sulphureus empyreumaticus ad drachmas ferme tres : ignem urſi & inveni fracta retorta Cinnabaris longe rubicundioris ac elegantioris illa , quæ communi modo præparatur , unciam unam & drachmas quinque. In retorta corpus nigricans ſalinum interſperſis paucis globulis Mercurialibus fuit relictum. Adeo hunc modum Sublimandi Cinnabarim pene optimum judico : aſt butyrum deperditur.

Unde color Cinnabaris purpureus ?

Hiſce penſiculatis omnibus reſtat jam ut colorem illum purpureum , quo Cinnabaris fulget , unde nim. ille dependeat , inquiramus. Deducitur ille dubio procul a varia textura ac diſpoſitione particularum Mercurialium , quæ lucis radios ita reflectunt ac modificant , ut ad oculum ſpectatoris color rubicundus ſiſtatur. Diſpoſitio autem talis pororum ac particularum inducitur Mercurio plerumque vel a Sale ignis æthereo , vel ab admixto Sulphure , utroque prædito facultate tingendi. Sic Mercurius vivus ſolo æthereo ignis ſale ſine ullius rei additione igne Chymico præcipitatur in corpus rubicundiſſimum durum.

Sulphur aptum eſt tingendi Mercurium.

Hinc quoque ſi Mercurii vivi ℔j. igne forti ex retorta vitrea deſtilletur , in vaſis fundo & circa ejus latera parum rubri pulveris adhærebit. v. *B. Parentis Clavis Pharmaceut. Schroderiana. p.* 265. Saturnus qui totus ferme Mercurialis eſt (hinc quoque graviſſimus poſt Solem & Mercurium) igne reverberatorio tractatus vertitur in minium rubicundiſſimum. Cæterum Sulphura maxime apta nata eſſe corpora Mercurialia tingendi ac rubicundum illorum colorem per intima quaſi diſſeminandi ac propagandi , plurimis clarum ſit experimentis. Sic ratio patet , cur aurum pallidum , ſi per Antimonium , quod maxime Sulphureum eſt , fundatur ; vel ſaltem cum tartaro & Sulphure communi (ut aurifabri ſolent) coquatur , colorem ſuum flammeum aureum reaſſumat. Aurum autem *dicente* Gebro *l. c. p.* 125. nil eſt aliud, quam corpus creatum ex ſubſtantia ſubtiliſſima argenti vivi , & ex ſubſtantia pauca Sulphuris mundi & puræ rubedinis illam tingentis. In hujus confirmationem valet illud : quod nonnunquam reperiatur album , ut refert *Dn.* Boyle *tentam. Phyſiol. p.* 27. cui colorem parum veneris admixtum iterum fœnerat.

Porro Mercurius dulcis admiſta Sulphuris Antimonii cum ſale ammoniaco ſublimati pauca quantitate , & trituratus cum aqua communi colorem luteum ſaturatum acquirit. Mercurius quoque ſublimatus corroſivus pulveriſatus , cui Cinnabaris Antimonii particula adjecta fuit , affuſione aquæ communis in rubicundiſſimam pulverem vertitur. Turpethum minerale , (quod fit ex ſublimati ſolutione præcipitata cum oleo tartari per deliquium) ob particulas Sulphureas Vitriolatas admixtas , quæ mire colorem rubicundum explicant , elegantiſſima rubedine gaudet.

Cinnabaris colorem ſuperficialem ſaltem eſſe probatur.

Simili modo Mercurius tum a Sulphure communi tum a Sulphure Antimonii in noſtra præparatione mire tingitur , & veſte purpurea induitur. Quod autem hic color a textura ſaltim particularum Mercurialium immutata originem ducat , ac ſolummodo colorem ſuperficialem , non radicalem , eſſe evincitur ſequentibus experimentis , nim. Cinnabaris Antimonii cum ſale ammoniaco miſta & ſublimata in cucurbitula per arenam elargitur flores nigros , cum tamen ſal ammoniacum cum Antimonio mixtum flores producat rubicundos. Contra Cinnabaris vulgaris exhibet flores albicantes , ſi cum eodem ſale ſublimatur : parili ratione uti minium , quod colore ſuperficiali etiam gaudet,

det,

det, cum eodem ſale ſublimatum flores albos in alembico exhibet.

CAPUT IX.

De medicamentis e Cinnabari Antimonii præparandis.

Rectificatio Cinnabaris.

CInnabaris Antimonii quanquam per ſe citra rectificationem intus tuto propinari poſſit, ſaltim bene lota aqua calida, cui paucillum ſalis lixivioſi adjectum, quo ſordes acidæ Antimoniales a butyro relictæ in externis porulis undulantes detergantur: rectificatione tamen longe purior ac nobilior redditur. Rectificatio poteſt inſtitui per cucurbitulam (vulgo *ſcheide Holblein*) impoſitam crucibulo arena repleto dato igne primo leni, poſt fortiori, donec Cinnabaris circa inferiorem cucurbitæ partem ſublimetur. Eadem encheireſi utimur in ſublimatione Mercurii dulcis: Peracta ſublimatione vitri collum caute diſcindatur & Cinnabaris eximatur, quæ longe ſplendidior ac purior exiſtit: chartæ ſi affricetur, colorem longe elegantiorem rubicundiorem exhibet: magma terreum antimoniale acidum manet in fundo, ſcoriæque in collo affixæ ſunt. Sublimatio ac rectificatio hæc continuetur ſexies vel ſepties. Sunt quidem recentiorum nonnulli, qui unicam ſublimationem ſufficere judicant ac tot repetitas inutiles ac ſuperfluas æſtimant: aſt pace tantorum virorum, (inſignes enim illi ſunt Chimici) ego ſancte conteſtari poſſum, quod, quo Cinnabaris, etiam nativa, frequentius eſt ſublimata, eo longe efficacior, ſubtilior ac ſpirituoſior, imò coloratior evadit, ut unum granum in morbo quovis datum plus præſtet quam quinque non rectificatæ. Verum quidem eſt, tuta eſt admodum non rectificata, aſt non tantis gaudet virtutibus, uti & Mercurius dulcis: particulæ enim omnium metallorum ac mineralium, quo ſubtiliores ac puriores, eo virtute ſunt nobiliores. Jam autem reiterata ſublimatio particulas Mercuriales non ſolum ſubtiliſat, ſpirituoſas reddit, æthereo ignis ſale penetrantiſſimo communicato, verum etiam puriſſimas: hinc in quavis ſublimatione novæ reſurgunt ſcoriæ. Et ſane ob hanc rationem, quod non Cinnabarina ſufficienter ſublimatione exaltata ſint, judico non tantos effectus hodie exſerere ac præſtare poſſe quam olim. Specificum cephalicum Michaelis, cujus baſis eſt Cinnabaris ſexies ſublimata, olim longe efficacius fuit, quam nunc, dum ex Cinnabari ſaltim unica vel ad ſummum ſecunda vice ſublimata concinnatur.

Quomodo inſtituenda?

Cur neceſſaria?

Cur Cinnabarina non hodie tantos præſtent effectus quam olim?

Cinnabaris exacte pulveriſari debet.

Deinde probe notandum hoc eſt, quod Cinnabaris hæc nil pene præſtet, ſi non exactiſſime ſit pulveriſata, & in minutiſſimum pollinem diligenti ac diuturna cum aqua cordiali inſtituta tritura redacta. In hoc peccant plures Chymiatrorum, dum metallica (quæ tamen gravia ſunt & ob id non adſcendunt nec cum lympha vel maſſa ſanguinea communicantur, ſed ſtatim per alvum ſine effectu rejiciuntur) v. gr. Antimonium diaphoreticum, regulum Antimonii medicinalem (qui ſummum maſſæ ſanguineæ eſt depurativum) Mercurium dulcem, Cinnabarim, ſaltim leviter triturant & ita propinant. Idem quoque tenendum eſt de martialibus, lapidibus cancrorum, coralliis, quæ, niſi præparata, vix ullum effectum laudabilem in viſcerum morbifica diſpoſitione præſtant, ſaltim quod acidum in primis viis obveniens abſorbeant & dulcificent. Et ob id magiſteria ſubtiliſſima a veteribus commendata ob virtutem quandam abſorbentem non ſine effectu propinata fuere. Cinnabaris hinc frequenti trituratione & aquæ adſperſione in minutiſſimas atomos redacta cum chylo, lympha, ſanguine miſcetur, & per conſequens nervos membranas ac Spiritus animales afficere ac alloqui poteſt. Vires Cinnabaris hujus an præparatione ſingulari nim. vel ſolutione vel fixatione inſigniter nobilitari vel exaltari poſſint, opus eſt videamus. Quod attinet ſolutionem illam, quæ celebratur per menſtrua corroſiva, v. gr. aquas ſtygias, ut aquam Regis, butyrum Antimonii, Spiritum Nitri (in quo ſolutum Vitriolum eſt) nullius eſt momenti. Notabile hoc eſt, quod Cinnabaris virtutes potiſſimum obtineat ex eo, quod Mercurius Sulphureis anfractuoſis ac gibboſis obtuſis particulis blande ligatus ac obductus ſit, hinc non facile in venenoſam corroſivam naturam, accedente licet ſalino ſtimulo vel ſpiculis acidis in maſſa ſanguinea, abire poteſt: illa enim amplius non habent jus in Mercurium, & ob hanc rationem a nullo ſolvente acido, v. gr. Spiritu Vitrioli, aceto, aqua forti ſolvitur Cinnabaris, licet in Mercurium vivum hæc menſtrua inſigniter agant. Patet exinde, quod Mercurius copula hac ſulphurea quaſi ſolarem induerit naturam, & ad vires eximias exercendas aptus redditus fuerit: ſi itaque copula ac textura per ſolutionem violentam hanc invertitur ac deſtruitur particulis Sulphureis a Mercurialibus ſeparatis, & Mercurius ſimul deleteria facultate, per aſſociationem ſalium corroſivorum in menſtruo latitantium imbuitur, non poteſt non ceſſare virtus Cinnabaris commendatiſſima & in ſummum venenum faceſſere.

Cinnabaris noſtræ ſolutio per corroſiva cur damnanda?

Menſtrua ſecretiora huc quadrant.

Secretiores autem naturæ myſtæ altius progrediuntur & ad exaltandas vires ſalva manente textura commendant menſtrua inſipida catholica æthereæ proſapiæ, quæ radicaliter metalla, lapides, vegetabilia recludere illorumque vires exaltare apta nata ſunt. An detur taliſmodi menſtruum, nolumus hic deducere rationibus ac experimentis, ſed ſaltim commendare *egregium tractatum de Alchymicorum menſtruis & imprimis de uſu Spiritus vini Lulliani Domini Doctoris* WEIDENFELT, *Angli*, *Fautoris æſtumatiſſimi*, qui jam ſub prælo ſudat & ex profeſſo de adeptorum omnium menſtruis tractat. Plures quidem proh dolor! ſunt, qui univerſaliora menſtrua, Sal Naturæ, inſignes panaceas, radicales metallorum ſolutiones, pleno ore dilaudant ac ſpecioſis rationibus & ſagaci artificio animis ad credendum obtrudere conantur, & tamen, ſi attentius rem conſideremus, nil niſi fucus ac dolus eſt. Taliſmodi Impoſtores plures dantur idiotæ, qui Reges, Principes ſummoſque viros per totam pene Europam, imo ulterius vagantes fraudulenta manu circumvenire ac decipere audaciſſimi ſunt. Plures hiſtoriæ ac exempla (turpe dictu eſt, ſed veriſſimum,) & Germanorum proſtant, qui toti nationi ſæpe apud exteros maculam quandam inurunt. Taliſmodi impoſtores infamia ſane notandi; non ſolum enim ſummas tenebras animis curioſorum ſuffundunt, ſummam confu-

Plures dantur impoſtores.

ſionem in naturalis ſcientiæ doctrinam introducunt, verum etiam ſæpe toti provinciæ ac reipublicæ detrimento ſunt. Interim tamen non negandum eſſe judico, dari menſtrua quædam ſubtiliſſima ætherea, quæ nullo corroſivitatis veſtigio relicto intimius corpora recludere ac magis Spirituoſa reddere poſſunt. Sic BALDUINUS, *vir ſatis curioſus in Hermete ſuo curioſo. p.* 50. refert, ſe paraſſe ex ſale ſuo Hermetico magnetico menſtruum catholicum radicaliter ſolvens vegetabilia, carbones, metalla, Cinnabarim nativam illaque ſine ulla corroſivitate potabilia reddens. Porro *Archiater Saxonicus Dn. D.* SIEBOLDUS, monſtravit mihi liquorem ante aliquot annos vinum vetuſtum ſapientem, pellucidum, æthereum, qui in lapidibus pretioſis ac minus pretioſis metallis intime reſolvendis in ſumma medicamenta, egregia, ut me certiorem fecit, præſtet. Quod ſi itaque menſtruum datur taliſmodi, quod Cinnabarim noſtram ſolvere poſſit ſine corroſivitate, ſine deſtructione texturæ, medicamentum ſane exinde exſurgere poſſe longe excellentius ipſa Cinnabari, non ibo inficias. Obſervavi enim in praxi mea quam ſæpiſſime, quod, ſi Cinnabaris cocta prius cum vino: vel ſi Spiritus Vitrioli dulcis ipſi affuſus fuerit, liquor ſupernatans propinetur debite, vires longe præſentiores exſerat quam ſi præparata ſaltim aſſumatur: cum tamen hæc ſolutio ſaltim ſuperficialis ac lenis ſit. Quod ad fixationem HELMONTIUS illam in medicamentis Mercurialibus mirum laudat: Quamdiu enim *inquit in tr. de Febribus* §. 9. *p.* 778. *Mercurius poteſt reſuſcitari, non eſt boni viri remedium.* P. J. FABER *in Curat. p.* 736. Cinnabarim Antimonii vocat Sulphur rubrum & minerale, bezoar rubrum, quod ſi fixetur, vires auri potabilis æquare pronunciat. Fixationem talem communiter inſtituunt ſale ſeu Oleo Vitrioli, quod ob particulas graves fixas ſalinas, Mercuriales globulos dividit, diſgregat, ac interpoſitione ſua ætherearum particularum conjunctionem (quæ volatilitatem efficit) impedit. Hunc in finem KESLERUS *in Obſervat. Chym.* Oleo Vitrioli cicurat ac figit Mercurium vulgi ita, ut fortiſſimi ignis patiens fiat. BASILIUS VALENTINUS *in curru Triumphal. pag.* 408. Mercurium Antimonii cum Oleo Vitrioli in panaceam mirabilem figit. BEGUINUS quoque *in Tyrocinio Chymico p.* 137. Cinnabarim Antimonii vel vulgarem potius cum ſale communi miſtam figit Oleo Sulphuris in pulverem album terna vice abſtrahendo illud a Cinnabari. Fixatio Cinnabaris eodem modo optime procedit, ſi ab hac terna vice abſtrahatur Spiritus nitri: ſic in colorem ex albo flaveſcentem vertitur, Spiritus edulcoretur & relictus flavus pulvis, qui carbonibus ignitis injectus totus avolat, retortæ immittatur, & Oleum Vitrioli, quod Vitrioli Sulphure eſt prægnantiſſimum, aliquoties ab eo abſtrahatur. Materia in retorta relinquitur flaveſcens, quæ aeri expoſita in deliquium abit, ſi materia hæc adhuc ſicca igniatur, fit fixiſſima & acquirit colorem ex bruneo-rubicundum inſtar caryophyllorum, ſaporem habet Vitriolicum venereum; auro ſi affricetur, illud non tingit colore albo ut Mercurius ſolet. Et talis Mercurius fixus procul dubio etiam fuit, quem in uſu habuit *Celeberrimus* KNOEFFELIUS, quo podagram perfecte curare ſcivit; Virtutes ejus ſummas ac laudes proponit JOHANN. DE LAET *in Epiſt. de podagra curata per Andream Knoeffelium.* Notabile autem hoc eſt, quod, ſi materia ab abſtractione Olei Vitrioli in retorta relicta, aqua ſimplici edulcoretur, aqua, quæ provenit exinde acida, ſaporem ac naturam longe aliam referat ac Oleum Vitrioli, & relictus flavus pulvis Mercurialis, carbonibus injectus volatilis ſit, ignemque fugiat, quod ſecus fit, ſi materia hæc Oleo Vitrioli adhuc prægnans igniatur. Cinnabaris autem prædicto modo fixata longe in minori doſi propinari debet, quam vulgaris: ſaltim ab uno grano ad duo & quidem in vehiculo quodam appropriato: circumſpectius longe eſt danda, quoniam ſal quoddam ipſi aſſociatum eſt, quod violentam operationem exercere poteſt. Interim caute data ad obſtructiones pertinaces tartareas referandas longe commodior eſt, majoremque opem fert, quam Cinnabaris ſaltim pura præparata. Quartanarios aliquot ſumma cum laude curavi Cinnabari hac fixata, remixta cum extracto chinæ chinæ, centaurii minoris, gentianæ & ſale abſynthii in forma boli.

Menſtruũ Balduini. — *Sieboldi.* — *Singularis modus propinandi Cinnabarim.* — *Fixatio Cinnabaris* — *Non peragenda corroſivis.* — *Fixatio Cinnabaris per Ol. Vitrioli.* — *Mercurius fixus Knoeffelii.* — *Doſis Cinnabaris fixatæ.* — *Vires ejus.*

Cinnabaris hoc modo fixata non caret quidem ſua laude in arte curandi, aſt quoniam non perfecte fixata eſt, (reſuſcitari namque Mercurius quam facile iterum poteſt) hinc non tantas vires, quantas promittit vere fixata, præſtare atque exhibere poteſt. Quamdiu enim externæ heterogeneæ terreæ ſcoriæ ſive Sulphur externum puriſſimis æthereis homogeneis Mercurialibus particulis eſt commixtum, tamdiu nulla vera fixitas Mercurii, ita, ut reſuſcitationem renuat, ſperari poteſt.

Poteſt reſuſcitari & quare?

Porro Chymicorum plures deſudant quoque, ut Cinnabarim in tincturam ſive potius in formam liquidam potabilem redigant: vix autem talem obtineri poſſe judico, ſi intelligenda ſimul eſt radicalis ſolutio.

Quid judicandum de Tincturis Cinnabaris?

Nimirum ſolutionem Cinnabaris præſtant nil niſi aqua Regis vel menſtrua ſecretiora inſipida Chymicorum: hæc autem nondum nota ſunt, illa magis venenum ex medicamento faciunt, hinc judicium noſtrum de tali tinctura ſuſpendimus. Cum autem præter Mercurium, Sulphur etiam Antimoniale puriſſimum Cinnabaris noſtra pro elemento habeat, hinc tinctura Antimonialis Sulphurea elegantiſſima per ſeparationem & extractionem illius parari poteſt, quamvis non differat a tincturis faciliori methodo ex Antimonio extractis: Nim. omnes Antimonii tincturæ ſero fluxilitatem quandam fœnerant, ſalivationem movent, ſordes glandulis impactas excutiunt, virtutemque ſimul poſſident anodynam.

Tinctura Antimonii ex illa parari poteſt.

Sulphur hoc e Cinnabari per alkalina vel Sulphurea oleoſa menſtrua poteſt extrahi: Si nim. cum lixivio ex ſale tartari bene calcinato confecto coquatur & ſolutio iterum coaguletur, & maſſæ ſalino-Sulphureæ Spiritus vini ſaltim leviter rectificatus (alias non facile tinctura ſaturata, efficax reſurgit) affundatur ac digeſtioni exponatur. Per oleoſa quoque concinnari poteſt extractio: Sulphura enim mineralium facile obſequuntur menſtruis Sulphureis oleoſis. Sic POLEMANNUS *in Tr. de Sulphure Philoſoph.* Elixir vitæ parvum facit ex Sulphure aurato Antimonii ſæpius ab illo abſtrahens Oleum cinamomi, quod tandem Sulphur hoc ſecum vehit ſuper retortam. Eodem modo ex Cinnabari nativa & Antimonii taliſmodi tinctura

Qua ratione? — *Tinct. Elixir. vitæ Polemanni.*

Eſſentia Cinnabaris Thomſonii. ctura parari poteſt. Elegantiſſime ſcripſit THOMSONIUS *in tr. the direct method. of curing Chymical p.* 113. Cinnabaris nativa, quæ juxta *Paracelſum* vocatur metallus primus, poſſidet radians Sulphur ſolare, quod ſi in Oleum rubrum transferatur & poſtmodum in Eſſentiam ſpiritualem, nomine, vinum vitæ: Vel ſi diſſolvatur in Oleo quodam aromatico & circuletur cum ſale quodam alkalino & Spiritu vini, non ſolum purificat & abigit illud, quod corpori nocivum eſt, ſed renovat vires, toti imperat corpori, tonumque & vigorem reſtituit omni parti, ut proportionatam & juſtam actionem edere poſſit: hinc taliſmodi Elixir eſt ſumme conducibile ad protelationem vitæ. Nimirum Cinnabaris noſtra cum Oleo v. gr. corticum citri recenti vel cinamomi & pauxillo Salis tartari admixto probe digeri debet, *Tinctura volatilis Cinnabaris.* tunc Sulphur Oleo communicatur, & illud fit rubicundum, huic poteſt affundi Spiritus ſalis ammoniaci vinoſus, qui Olea ſolvit, & emergit tinctura Spirituoſa volatilis elegantiſſima. Alii ut *Dn.* ELSHOLTZIUS *in deſtillator. curioſ. p.* 22. Cinnabari nativæ vel factitiæ affundit Spiritum terebinthinæ, qui per arenam e cucurbita vitrea deſtillatus prodit rubi- *Balſamum Sulphuris Cinnabarini.* cundus. Balſamum quoque Sulphuris Antimonialis elegantiſſimum parari poteſt, ſi ſali tartari, quod Sulphur ex Cinnabari extraxit, affundatur oleum aniſi vel juniperi & oleum per digeſtionem tinctum cum Spiritu ſalis ammoniaci vinoſo commiſceatur, prodit Spiritus, qui in phthiſi, pleuritide, debite datus vix par habet.

Tinctura Cinnabaris menſtruo meo parata. Porro elegantiſſima tinctura Antimonialis ex Cinnabari nativa parari poteſt cum Spiritu blando acido volatili (cujus beneficio ex omnium metallorum Sulphuribus tincturam extrahere ſcio) quæ flava dulcis eſt, Sulphureumque ingentem habet odorem. In epilepſia illam ana mixtam cum Eſſentia anodyna admirandam ſenſi in epilepſia duorum infantum hic Mindæ Veſtphalorum.

Mercurius Cinnabaris quomodo præparandus? Quod attinet Mercurium Cinnabaris noſtræ, ille cum limatura ſive ſcoriis martis aut veneris quam optime poteſt reduci, item cum calce viva. Hic Mercurius longe nobilior eſt vulgari, quoniam Sulphure Antimonii, cum quo *Mercurius dulcis ſolaris.* amalgamatus fuit, non leviter correctus eſt. Si cum foliis auri amalgametur, & ſic ſaturatus miſceatur cum ſublimato debita proportione in Mercurium ſolarem præſtantiſſimum Chymico igne coquitur, qui blande alvum detrahit, ſimulque aſtrales ſplendidiſſimas in ſinu fovet *Cinnabaris noſtra eſt optimum correctivum opii.* virtutes. Tandem Cinnabaris Antimonii vel nativa etiam optimum eſt correctivum opii. Latet nimirum in opio Sulphur quoddam narcoticum volatile, quod ſeminali ſua reſolubili virtute nervorum ac glandularum porulis ſeſe applicat, ac inſinuat, & ramoſis ſuis particulis Spirituum motum ac influxum retardat, ſicque fermentatio ſanguinis lentior fit, Spiritus ad quietem ſecedunt, cauſaque morbifica non amplius ſentitur. Omnes hi effectus opii non contemnendi ſunt, ſi applicatio ejus cauta ſit, & cauſa morbifica non maligna, altiuſque infixa vitalibus, ac vires adſint, ſanguiniſque motus citatior, evacuatoria omnia aperta: ne itaque nocere poſſit, quam commode adduntur reſolventia, ſic grata medicamenti harmonia exſurgit. Nihil autem melius huic ſcopo inſervit quam Cinnabaris, quæ glandulas afficit, lymphamque ac Spiritus in motu ac fluore conſervat. Quare in uſu habeo Laudanum Opia- *Laudanum Opiatum meum.* tum tale: Aſſumo opium enchireſi Helmontiana cum ſucco cydoniorum, vel pomorum Chinenſium per fermentationem correctum, huic anatica proportione immiſceo Cinnabarim nativam vel Antimonii aliquoties rectificatam, addo oleum cinnamomi & Eſſentiam ambræ ac moſchi ad gratum odorem. Et hoc laudanum præfero omnibus aliis pretioſiſſimis. Doſis eſt granum unum ad quatuor.

Plures compoſitiones & ſelecta medicamina e Cinnabari hac vide in ſequentibus.

CAPUT X.

De modo agendi, ac viribus generalibus Cinnabaris.

Admiratione dignum eſt, quod Cinnabaris noſtra cum e duobus corporibus, quæ per ſe ſat draſtice operantur, ſit conflata, tam nobiliſſimis ac præſtantiſſimis gaudeat virtutibus. Nempe patet ex ſuperioribus, Cinnaba- *Cinnabaris eſt ex duobus ſummis venenis conflata.* rim noſtram nil aliud eſſe quam Mercurium acido Antimonii Sulphure in corpus Cinnabarinum ſtabile coagulatum. Jam autem Mercurius vivus tum externe tum interne adhibitus non raro violentas & naturæ inimicas operationes exſerit; Namque ſalivatione moleſta non ſolum corpus delaſſat, verum etiam tremorem (motus convulſivi ſpeciem) paralyſin, contracturam, imo diarrhæam, cœcitatem nonnunquam inducit. Sulphur quoque antimoniale intus per ſe adhibitum non ſolum nauſeam movet ſæpiſſime, ſed & vomitum, imo ſedes. Ex hiſce perſpicimus, Sulphur Antimonii ac Mercurium vivum adſcendere quaſi in levia venena. Aſt feliciſſimæ ſunt conjunctiones ac *Metallorum quorundam conjunctiones ſunt feliciſſimæ.* confœderationes nonnullorum metallorum ac mineralium, ceu ſalutarium aſtrorum, adeo ut utriuſque operatio violentior per ſe compoſitione & mutua confermentatione valde cicuretur, imo viribus collectis & adauctis virtuoſiſſima evadat. Sic medicamenta ex Venere parata plerumque ſunt emetica: poteſt au- *Tinctura veneris.* tem tinctura interveniente Martis & Antimonii connubio ex Venere parari rubicunda, gratiſſimi ſaporis, quæ ſudorem, non autem ullam nauſeam movet. Porro regulus Antimo- *Regulus Antimonii medicinalis.* nii in ſubſtantia ob vim emeticam ac virulentam virtutem interne non poteſt propinari. Interim tamen in ſale communi tanta latet virtus, ſi hoc rite cum regulo miſceatur & liquetur, ut ipſi omne venenum demat, & inde exſurgat pulvis ex rubro obſcurus ſudoriferus, præſtantiſſimum maſſæ ſanguineæ depurativum; in proclivibus ad vomitum nonnunquam ita juvat naturam, ut ille promoveatur. Eodem modo *Mercurii vitæ correctio.* Mercurius vitæ cum ſale communi bene trituratus vel melius adhuc liquatus degenerat in medicamentum ſudoriferum vel etiam purgans. Mercurius ſublimatus infamatum illud venenum cum Mercurio vivo debite permixtus fit medicamentum tutiſſimum ac leniſſimum, quod Mercurii dulcis nomine venit. Emetica ex Antimonio & Mercurio parata conjugio ſolis in leniſſima medicamina abeunt, facultate illorum draſtica maximam partem ablata. Sic quoque *Purgans ex Mercurio vitæ.* vitrum Antimonii ejuſdemque familiæ Mercu-

rius vitæ aſſociatus Mercurio vivo blando ignis temperamento juxta SCHROEDERUM *in Pharmacop. p.* 409. benigniſſimus leniterque purgans evadit, vel etiam ſudoriferus, ſi pars una Mercurii vitæ & partes quatuor Mercurii dulcis aſſumantur ac coquantur invicem in panaceam *Riverianam* antiquartiam dictam. Vid. HARTMANNUS *in Crollium p.67.* Sulphur Veneris volatile cum Mercurio vivo debite junctum & fixatum fit ſumma panacea. Porro quoque notabile eſt quod ſi arſenicum, ſummum illud venenum, cum anaticâ Antimonii & Sulphuris vivi proportione miſceatur & fluat in phiola clauſa fortiſſimo igne, materia obſcure rubicunda emergat, quæ Lapidis magnetici nomine venit, & quod hæc materia citra nocumentum tuto objici poſſit canibus ad devorandum. Videmus ex hiſce, unum venenum alterum corrigere. Eodem modo quoniam in compoſitione Cinnabaris Mercurius cum Sulphure Antimonii conjungitur, corrigens in quovis horum corporum latet virtus, qua nimirum alteri virulentia demitur, puta acrimonia ſalina debellatur. Nempe Sulphur Antimonii cum acido menſtruo paratum, licet præcipitatum fuerit cum alkalino, emeticum tamen eſt ob ſpicula acida relicta: contra ſi Sulphur Antimonii cum ſale alkalino, quo ſolutum fuit, intus detur, nullumque ſal acidum ad ejus compoſitionem accedat, eſt diaphoreticum. Ergo acidum ſolum additum ipſi fœnerat draſticam vim: Acidas itaque has particulas imbibit ac abſumit in noſtra compoſitione Mercurius, qui ob particulas terreas metallicas, quibus conſtat, acidi admodum rapax eſt: quod patet, quando Mercurius vivus ſublimato adjunctus ipſi demit corroſivitatem. Deinde corrigitur quoque Mercurius vivus in noſtra compoſitione ita, ut non poſſit venenatam induere naturam, a copula nim. Sulphuris Antimonii. Utpote Mercurius ſimul ac ſalino afficitur contagio, tranſit in venenum: ne autem ſpicula ſalina in ſanguine vel lympha aggredi poſſint ipſum, ſeque cum ipſo conjungere impedit textura Sulphuris anfractuoſo contextu ramoſiſque tricis prædita. Videmus enim, ab aqua forti plumbum vel alia metalla vix ſolvi poſſe, ſi illinantur oleo.

Panacea Riveriana antiquartia.

Unum venenum alterum corrigit.

Sulphur Antimonii diaphoreticum.

Cur Cinnab. tuta?

Ex hiſce perſpicimus, Cinnabarim, licet conflata ſit ex duobus venenatis corporibus, medicamentum tamen exiſtere poſſe nobiliſſimum.

Modus agendi Cinnabaris eſt in qualitatibus æthereis ſpiritualibus.

Quod attinet modum agendi Cinnabaris, illa non operatur qualitatibus primis vel ſecundis, ſed tertiis Spiritualibus æthereis. Obſervamus nim. Cinnabarina non ſolum ſed omnia Mercurialia ac metallica non obſequi fermento ventriculi, in minori doſi operari & ſæpe integris viribus permanentibus per alvum iterum excerni, uti pilulæ perpetuæ ex regulo confectæ hoc faciunt teſtatum. Sic aqua licet centies ebulliat cum Mercurio vivo juxta HELMONTIUM & POTERIUM, Mercurio nihil ponderis decedit & aqua illa virtutem anthelminticam ſemper obtinet. Eodem modo vinum ſuperfuſum vitro Antimonii ſæpius, illud emeticum ſemper exiſtit, quanquam vix deprehendi poſſit ponderis decrementum. Cinnabaris Antimonii uncia ſemis ſi ſuſpendatur in dolium vini per 24. horas, vinum egregiis imbuit virtutibus, ut ejus cochlear unum per aliquot dies ſumptum miros præſtet effectus. V, HELMONTIUS *in Tr. in herb. verb. & lapid. eſt magna virtus.* Ex hiſce patet porro ratio, cur aqua in qua Cinnabaris Antimonii vel nativa elutriata fuit, licet ſtet diutius ſuper Cinnabarim, non facile putreſcat ac corrumpatur. Liquores quoque, in quibus ſæpius aurum exſtinctum, mire laudantur & inſtar auri potabilis habentur a BURRHO *in Ep. ad Bartholinum.* Plura de aquis metallicis *vide in Dn. D.* MAJORIS *Genio errante.* Habent nim. omnia metalla ac mineralia effluvia ſua ætherea ſpirituoſa ſenſibus occulta, quibus virtutes ſuas exſerunt quaſi magneticas ac lucidas. Experimentum eſt vulgare magnetis, qui atmoſphæram habet effluviorum ab ipſo corpore ſecedentium, quæ in diſtans agere poſſunt & ferrum movere, ſeu acum magneticam, licet hæc duabus ſpithamis diſtet a magnete.

Probatur.

Metallorum ſpirituoſa effluvia probantur.

Magnetiſmo metallorum.

Porro Gas illud ſive effluvia Sulphurea quæ emergunt ex præcipitatione Sulphuris aurati cum aceto facta per clauſas cyſtas penetrare & argentea vaſa flavo colore inficere poſſunt. Martem attrahere venerem ſeu potius venerem pelli ad martem patet, ſi ſolutioni veneris viridi cum ſale ammoniaco & aqua communi factæ ferri limatura immiſceatur, quæ ſtatim venerem attrahendo mixturam ſeu ſolutionem claram reddit. Mercurium vivum aurum appetere, illudque albo argenteo colore imbuere, etiam vulgo notum.

Hiſce abunde metallorum ſpirituoſæ particulæ probari poſſunt.

Effluvia hæc ſubtiliſſima cum ſint corporea & a corpore promanent, etiam in corpore noſtro virtutes eximias exhibere ac Spiritus afficere poſſunt. Ex hiſce quam facillime intelligere poſſumus, quid velit HELMONTIUS *in tr. in herb. verb. & lap. eſt magna virtus*, dum inquit: metallica medicamina, gemmas, Sulphura mineralium citra ſui diſſolutionem, interitum, ſolo adſpectu, nudo contactu, irradiatione ac radiorum lucidorum ejaculatione in partibus, quas tranſeunt, vires ſuas exſerunt, imo ſunt inſtar aſtrorum lucentium & ſpeculorum lucidorum, radios ſuos eminus in ſopitum vel ſuccenſum archeum evibrant.

Helmontii opinio explicatur.

Agit itaque Cinnabaris ſolis æthereis ſubtiliſſimis effluviis ac atomis, ſenſibus, ſed non rationi occultis: hinc, quo magis eſt per rectificationem ſpirituoſa reddita, ac ſubtiliſata, eo virtutes luculentiores exhibet in curatione morborum.

Quomodo autem ſubtiliſſimæ hæ æthereæ moleculæ a Cinnabari promanantes tantas vires edere poſſint, opus eſt, videamus.

Quomodo ſpirituoſæ Cinnabaris particulæ tantas vires edere poſſint, probatur.

Præſupponimus nimirum ventriculum ac inteſtina maxime tenuia compoſita eſſe non ſolum ex membranis muſculoſis, ac nerveis, verum etiam glandulofis poroſis (ubi ſanguis & lympha Spirituum vehicula cum ipſis Spiritibus undulantur) ad ingeſta digerenda & quintam illorum eſſentiam extrahendam, inutileſque partes ſeparandas. Nimirum ingeſta varii generis fermenteſcibilia in ventriculum deſcendentia ac inteſtina tranſeuntia mediante ſaliva ac lymphatico menſtruo, accedentibus effluviis calidis æthereis ſulphureis ſanguinis, reſolvuntur, ac compages arctior recluditur: cum ingeſtorum natura ipſa ſit fermenteſcibilis, impetum ſuſtinens ac efficiens: particulæ hinc ſolutæ ac extractæ volatiliores ſulphureæ ſtatim per poroſam corporis ſubſtantiam avolant ac Spiritibus

Quomodo ventriculus agat in cibos?

ritibus

ritibus vires ſuffundunt, fixiores autem mucilaginoſæ ſalino Sulphureæ per glandulofam ac poroſam tunicam filtrantur, ac beneficio glandularum, quæ fermento ſingulari præcipitante præditæ ſunt, in chylum lacteum abeunt, qui per vaſa lymphatica, quæ omnia ſunt chyliſera, imprimis autem per ductum thoracicum cum lympha ſanguini communicatur.

Quomodo in medicamenta?

Eodem modo quando propinantur medicamenta & in ventriculum deſcendunt, archeus ceu totius naturæ Alchymiſta reſolutionem ac extractionem partium ſolubilium machinatur beneficio lymphatici microcoſmici menſtrui. Eſt enim in lympha corporis noſtri virtus menſtrualis ætherea penetrantiſſima, cujus beneficio & oſſa imo metalla nonnunquam, ut ferrum, plumbum, reſolvuntur, uti obſervationes variæ proſtant: Parili ratione archeum ſeu Spiritum noſtrum in ventriculo exiſtentem agere in medicamenta metallica ac Cinnabarina & ex illis, quantum fieri poteſt, virtutis medicamentoſæ ſolubilis extrahere, concludendum eſt: quæ virtus poſtmodum cum lympha ipſa conjungitur & ſic per glandulas fertur ad partes, & ipſas Spirituum palæſtras, muſculos ac membranas (ubi vitalis Spirituum eſt fermentatio) illiſque facultatem ſuam imprimit: Qualis autem hæc facultas ſit videbimus.

Quomodo Cinnabaris omnes morbos poſſit curare?

Habet nimirum quælibet totius machinæ corporeæ pars ſuum peculiare fermentum, ſuam digeſtionem, ſuum excrementum, ſuum ſtercus, ut ingenioſe philoſophatur Paracelſus *l. d. modo Pharmac. p.* 770. Gaudet namque quævis pars ſua ſpecifica textura ſeminali (quæ aliis audit Spiritus inſitus) hæc, omnis tranſmutationis ſpecificæ cauſa primaria, excitatur per Spiritus influentes animalem & vitalem:

Fermentum habet quævis corporis pars.

hinc glandulæ, vaſa lymphatica, venæ & arteriolæ ubique adſtites ſunt, ut lymphaticum Spirituoſum fermentum partibus ſubminiſtrent, cujus beneficio ſuccum ſeu ſerum nutritium adductum ulterius reſolvunt, coquunt parteſque heterogeneas per poros ac evacuatoria ab homogeneis ſeparant. Non aliter enim ac metallis nobiliſſimis impuræ heterogeneæ metallicæ ſordes intimius adhæreſcunt: ſic quoque omnibus cibis & alimentis intimius illæ cohærent: adeoque quo omnes ſeparentur & ambroſia ſeu quinta eſſentia ſecedat in corporis & vitalium ſuſtentaculum, provida natura ubique ventriculos & evacuatoria appoſuit.

Unde morbi?

Quod ſi autem lymphatica partium fermenta non rite ſint conſtituta, ſi Spiritus influentes peccent, ſi chylus nutritius in prioribus digeſtionibus a ſalibus & impuritatibus non rite fuit expurgatus, fit στάσις, aceſcentia ac vappeſcentia humorum, pori partium a ſaburra tartarea, (quæ procedente tempore acrior ſemper redditur ac vertitur calore in ſummam corroſivitatem) obſtruuntur: hinc fermenta naturalia partium immutantur, peregrini mortiferi acidi fracidi odores juxta *Helmontium* oriuntur, qui dolores inferunt, nutritionem impediunt, ulcera producunt ac motum partium inhibent.

Vires Cinnabaris reſolventes ſunt.

Taliſmodi ſordes acidas ſtagnantes tartareas omnium morborum mineram ac matricem præbentes, Cinnabarina reſolvunt, fluoreſque omnes totius corporis in ordinem ac motum redigunt, & vaſa poroſque obſtipatos a tartarea fæculenta ſaburra liberant atque aperiunt, & ſic pene omnibus morbis, cum ab obſtructione ortum pene omnes ducant, Cinnabarina medentur.

Agunt itaque Cinnabarina ceu medicamenta Mercurialia reſolvendo, non autem abſorbendo ac præcipitando, ut nonnulli volunt: Acidum enim ſi affundatur Cinnabari, illud non abſumitur aut edulcoratur, uti alkalibus id ſolemne eſt, ſed integris viribus permanet.

Cinnabarina in Spiritus animales & lympham agere probatur.

Quod autem Cinnabarina lympham movendi facultate gaudeant patet exinde, quia maximam partem conſtant ex Mercurio uti ſupe rius edoctum fuit. Mercurialia autem lympham movere, ſalivatio lue Gallica laborantium Mercuriali inunctione inducta abunde docet. Mercurius namque cum conſtet ex puriſſimis æthereis ad nullam formam determinatis ſubtiliſſimis particulis & terreſtribus metallicis, hinc ex conſymboliſmo Spiritus animales omnis ſenſus ac motus parentes alloquitur ac immediate afficit, motumque illorum promovet ſubtiliſſimis ſuis particulis; Quoniam autem illis ſcoriæ heterogeneæ terreæ metallicæ plures immixtæ ſunt, & illæ, ſi ſal quoddam ipſis aſſocietur, in ſumme ſtypticam corroſivam venenatam naturam abeunt, fit ut glandularum ac nervorum pori plus juſto contrahantur, neque amplius hient, ut Spiritus influere poſſint, & hinc ſæpe horrenda ſymptomata ſequuntur Mercurialium uſum.

Cur Mercurialia nonnunquam horrenda ſymptomata inducant?

Nihil autem periculi facile timendum eſt, quod uſum Cinnabaris attinet: hæc enim Sulphure Antimonii conſtat, quod tricis ſuis pinguibus anfractuoſis obducit Mercurium, hinc non facile ſalia aſſociari ipſi poſſunt & copulam cum illo inire, adeoque in venenum abire, uti Mercurialia cruda.

Cur Cinnabaris uſus nullo periculo obnoxius?

Quod autem porro Cinnabarina Spiritus animales, qui omnem motum fluorum ac lymphæ in toto corpore procurant, afficiant, conſtat exinde, quia, ut docet Helmontius *in tr. Catarrhi deliramenta* Mercurius foris illitus fauces, dentes, linguam afficit, imo mercuriali aſſumpto larynx ac fauces nonnunquam præcluduntur. Quapropter a Mercurialibus motis Spiritibus animalibus movetur quoque lympha, quæ perpetuum habet cum ipſis commercium.

Cinnabaris eſt panacea & cur?

Perſpicimus exinde, Cinnabarim noſtram immediate Spiritus animales afficere illorumque motum promovere, adeoque univerſale omnium humorum ſtagnantium eſſe reſolvens ac ſpecificum catholicum, & unicum omnium ſalium ſolvendorum arcanum, & cum omnes pene morbi ab obſtructionibus proveniant, quaſi veram panaceam. Dum enim Cinnabaris omnes obſtructiones tollit & in ordinem excrementa Spirituoſa ſtagnantia redigit, eſt nobiliſſimum purificans ſanguinem, fermenta peregrina citra ullam ſenſibilem mutationem deſtruens, anodynum, nervinum, omnes evacuationes (alvi, urinæ, ſudoris, ſalivæ) promovens, putredini reſiſtens, antifebrile, antiſpaſmodicum, arthriticum, antiſcorbuticum, pectorale imo omnium morborum feliciſſimus alexicacus. Sane digna eſt Cinnabaris panaceæ titulo, quamvis non negem dari longe præſtantiores ac nobiliores panaceas: ſtatuimus tamen primo, nullo alio modo operari poſſe panaceas quam tali, quali Cinnabaris agit: nim. Spiritus ſerenando ac humores reſolvendo: Secundo ex principio ac elemento Sulphureo & Mercuriali conflari debere panaceam veram, uti Cinnabaris.

Via aperta acquirendi veram ac nobiliorem panaceam.

Si nimirum Mercurius vivus ſit ab omnibus externis heterogeneis ſcoriis ac impuritatibus liberatus, ac Spirituoſus virgineus philoſophicus

cus redditus, & poſtmodum ſingulari artificio fixatus cum ſolis connubio debito, ſumma medicina catholica exinde parari poteſt, quæ omnibus morborum indicationibus ſatisfacere poſſit. Quanquam plures dentur modi acquirendi veram panaceam, illum tamen pro optimo ac commodiori habeo, ſi Mercurius, ſecundum PHILALETHAM *in Introitu aperto ad occluſum Regis Palatium*, ab omnibus heterogeneis externis ſcoriis liberetur ac Philoſophicus evadat, ita ut pars una amalgamet partes duas ſolis. Proceſſum PHILALETHA non ſolum tradit præfato in tractatu, verum etiam longe accuratius ac magis perſpicue in *tr. Anglico cujus Tit. hic eſt: Ripley reviv'd or an expoſition upon Sir George Ripleys Hermetico-Poetical works.*

Auctoris tractatus propediem edendus.

Et hoc pacto ac ratione veram viam vides ſtratam acquirendi ſummam medicinam univerſalem. Plura circa hanc materiam tractabo in tractatu propediem edendo cui titulus *Vera panaceæ inquiſitio, & examen omnium medicamentorum Chymicorum falſo pro panaceis venditatorum.*

CAPUT XI.

De Viribus ſpecialibus, variis medicamentis internis & externis, cautelis.

CInnabaris noſtra quam optime omnes evacuationes juvat ac promovet, dum nimirum Spiritus ſerenat, confortat, qui deinde excrementa hoſtilia per debita ſua evacuatoria quam commode proſcribunt, adeo, ut ſæpe obſervatum fuerit, Cinnabarim Antimonii non ſolum ſudorem excitaſſe, verum etiam fortiter purgaſſe ac ſalivationem concitaſſe, vid. WEDELIUS *in Tr. de Medicam. facultat. p.* 152. Sic quoque pulvis abſorbens *Wedelianus*, quem ingreditur Cinnabaris, ſæpe vomitum effeciſſe obſervatus fuit. Poteſt itaque Cinnabaris noſtra quàm commode miſceri cum purgantibus, ſudoriferis, ſalivantibus &c. Natura enim confortata optatius præſidet evacuationibus. Sic *Dn. D.* WEDELIUS, Cinnabarim Antimonii maritatam cum tartaro emetico mire commendat *ad vomitum* movendum. Poteſt commode ſic miſceri: ℞. *tartari emetici gr. ij. croci metallorum gr. i. Cinnabaris Antimonii gr. iij. Miſce f. pulvis.* Pro ſcopo *purgandi* eleganter miſcetur cum pulvere vegetabili vel gialappa reſinoſa additis Salibus v. gr. cremore tartari, tartaro Vitriolato & pauxillo olei macis vel citri. *v. Dn. D.* SCHULTZIUS *in Scrutin. Cinnabarino p.* 86. Inter *ſudorifera alexipharmaca* ſanguinem depurantia commodum locum invenit. Poteſt miſceri vel cum Sale volatili ſalis ammoniaci: it. cum Sale Cornu Cervi volatili à ſaccharo Saturni ſublimato (quod commendat HELVETIUS *in Microſcop. phyſignom.p.*42.) vel cum Sulphure aurato Antimonii, Antimonio diaphoretico, ſpinâ ſerpentina, floribus Sulphuris, Cornu Cervi ſine igne. Inter *diuretica* quoque ejus uſus excellit, ſi amicabile connubium ineat cum arcano duplicato, Sale Succini volatili, lapidibus Cancri, tartaro tartariſato *Ludoviciano*; Tandem quoque Cinnabarina, ut *ſalivam moventia*, egregiam laudem merentur. *Dn. D.* CRAMERUS magni æſtimat & in omnibus fere malignis febribus mixturas ſalivæ fluxum promoventes præſcribit, quas ſemper ingreditur Cinnabaris. Si ſaliva (excrementum maxime Spirituoſum) in malignis fluat, certum ſalutis indicium. Hinc frequenti in uſu hancce habet. ℞. *Aquæ cardui benedicti, baſilici, ſcordii ā. ℥j. aceti ſcillitici* ʒvj. *Cinnabaris Antimonii* ℈ß. *bezoardici mineralis Sennerti ā.* ℈*ij. Mixturæ ſimplicis* ℈j. *M. F. Mixtura.*

Uſus ejus intervomitoria. — *Purgantia.* — *Sudorifera.* — *Diuretica.* — *Salivam moventia.*

Medetur febribus intermitt.

In febribus intermittentibus Cinnabaris Antimonii egregiam locat operam (præmiſſis emetico-diaphoreticis, Salibus aperitivis antifebrilibus, ſudoriferis & diureticis,) habet enim virtutem reſolvendi, Spiritus confortandi, fermenta peregrina præcipitandi, furibundum Spirituum motum coercendi, ſi præprimis miſceatur cum Præcipitantibus, aperitivis, opiatis v. gr. cum Antimonio diaphoretico, lapidibus Cancri, tartaro Vitriolato, conchis præparatis, Sale volatili aperitivo (ex Spiritu ſalis ammoniaci & Spiritu Vitrioli enato) addito pauxillo laudani opiati etiam pro re nata guttula adjecta Olei antifebrilis. Optimum eſt ſtratagema, cum præcipitantibus in febribus jungere Salia aperitiva diuretica, quo ſcoriarum tartarearum ſaburra præcipitata eliminari poſſit. *B. meus Parens* frequenti in uſu habuit Salia antifebrilia. v. gr. arcanum duplicatum tinctum cum Cinnabari nativa vel Antimonii, item Sal exurgens ex combinatione Spiritus ſalis ammoniaci & Spiritus Salis, miſtum cum Cinnabari Antimonii. Hæc Salia una quaſi falce demetunt febres.

Variolis, morbillis, febr. malign.

In febribus malignis, variolis, morbillis, ſi indicia adſunt convulſionum, ſi vigiliæ, dolores graviores, optimo conſilio tunc pulvis bezoardicus compoſitus ex Antimonio diaphoretico, terra ſigillata, Cornu Cervi ſine igne, radice contrajervæ, lapide bezoar, maritari poteſt cum Cinnabari Antimonii, paucis granis additis magiſterii anodyni, vel cum pulvere bezoardico *Sennerti*, pannonico rubro non inconcinne Cinnabaris noſtra miſcetur.

Solatur capitis affectus omnes.

In *affectibus capitis, vertigine, epilepſia, paralyſi, apoplexia*, &c. inſigni encomio digna ac omnibus palmam præripiunt Cinnabarina. Præmiſſis prius medicamentis ſpecificis cephalicis, v. gr. Elixirio cephalico miſto cum Spiritu cephalico volatili, vel antepileptico *Hartmanni*, Mixtura ſimplici: it. præmiſſis ordinariis evacuantibus, pulveres cephalici omne punctum abſolvunt. Egregius hinc eſt pulvis cephalicus *Ludovici v. Pharmac. p.* 642. 643. v. gr. ℞. *pulveris bezoardici* ʒj. *ſuccini albi præparat.* ʒß. *Cinnabaris nativæ vel Antimonii* ℈j. *laudani opiati gr. iij. M. F. pulvis.* Inter omnes excellit ſpecificum cephalicum *Michaelis Mœbii*, Panacœa *Anvvaldina.* Sequens quoque laudem meretur v. gr. ℞. *Cinnabaris Antimonii, cranii humani, ungulæ alcis ā.* ℈iß. *bezoardici Lunaris, ſmaragdi præp. ā.* ℈j. *croci* ℈ß. *ambræ gr. ij. M. F. pulvis.* Sic novi quoque feliciſſimum Practicum, qui pro ſummo arcano habet in epilepſia Cinnabarim Antimonii, quæ probe clyſſo Antimonii Sulphureo imbuta eſt, ac imbibita.

In deliriis ſingularem uſum habet.

In *Mania, melancholia* propinatis prius emeticis evacuantibus, Martialibus aperitivis, ac Salibus volatilibus cephalicis, Cinnabarina commiſta cum arcano duplicato, camphora, ſaccharo Saturni pro re nata addito laudano opiato

miris

miris encomiis ornat ac magni æſtimat *Dn. D.* Ettmullerus.

Porro in *vigiliis*, *doloribus*, *affectibus ſpaſmodicis* omnibus, optima ſunt Cinnabarina exaltata laudano opiato, item præcipitantibus miſta v. gr. conchis, matre perlarum, Antimonio diaphoretico, oculis Cancri, Cornu Cervi ſine igne.

In affectibus thoracicis, tuſſi, phthiſi optime ſe gerit Cinnabaris. In *affectibus* quoque *thoracicis*, *tuſſi*, *aſthmate*, *diſpoſitione phthiſica* omnem laudem ſuperant. Præmiſſis pectoralibus balſamicis Sulphuratis & myrrhatis aperientibus, Martialibus, it. nitroſo balſamico Sale gaudentibus diureticis, pulveres pectorales, quos Cinnabarina opiata ingrediuntur, omnem paginam abſolvunt; v. gr. ℞. *magiſterii Saturni*, *oculorum Cancri ā.* ℨß. *Cinnabaris Antimonii*, *florum Sulphuris*, *ā.* ℈j. *fl. benzoes* ℈ß. *laudani opiati gr. ij. Olei aniſi gutt. ij. M. F. pulvis.* Sequens in tuſſi humida *a Dn. D.* Wedelio commendatus eximius quoque eſt. ℞. *Florum Sulphuris myrrhatorum* ℈ij. *radicis iridis florentinæ*, *ari præparat. Antimonii diaphoretici*, *ā.* ℈j. *lapidum Cancri*, *Cinnabaris Antimonii ā. gr. xv. magiſterii anodyni gr. M. F. pulvis pro 6. doſ.*

Pleuritidis ſpecifica medicina. Imo ſi prius ſudorifera volatilia v. gr. Tinctura bezoardica cum Salibus volatilibus, Elixirio pectorali vel Tinctura anodyna remixta morbo opponantur, pulvis ſequens antipleuriticus *Wedelianus* deſcriptus in *Opiologia* eſt optimus, ℞. *dentis apri philoſophice præp.*, *lapidum Cancri*, *mandibulæ lucii piſcis*, *Cinnabaris nativæ vel Antimonii ā.* ℈j. *laudani opiati gr. j. vel ij.*

In cordis affectibus, ſyncope, palpitatione. In *Syncope*, *palpitatione cordis*, *deliquio animi* datis prius medicamentis cordialibus confortantibus, antiſcorbuticis, Martialibus, pulvis abſorbens Wedelianus (quem etiam ingreditur Cinnabaris) remixtus cum ſpeciebus cordialibus temperatis, vel perlis, lapide bezoar, Oleo cinamomi, eſt omnium laudatiſſimus. Ad confortandos quoque Spiritus vitales & animales ſequens Mixtura non improficua, v.gr. ℞. *aquæ bugloſſæ*, *cinamomi*, *borraginis roſarum ā.* ℥vj. *ſucci Kermes* ℥iiß. *moſchi gr. iß. Cinnabaris nativæ*, *vel Antimonii gr. xv. Zibethi*, *laudani opiati ā. gr. j. ſyrupi coralliorum* ℥vj. *M. F. Mixtura.*

Sedatur Cinnabaris ſingultum, vomitum, cardialgiā. In *Cardialgia*, *ſingultu*, *vomitu*. Præmiſſa tinctura bezoardica, vel Eſſentia carminativa nupta Eſſentiæ caſtorei, opii, item externis applicatis carminativis roborantibus nervinis, ſequens pulvis admodum proficuus exiſtit. ℞. *pulveris bezoardici* ℥j. *concharum præp. Cinnabaris Antimonii ā.* ℈j. *caſtorei* ℈ß. *laudani opiati gr. ij. Olei cinamomi*, *menthæ ā. gt. j. M. F. pulv.*

Ejus uſus ſtomachicus. In *Anorexia*, *appetitu vitiato*, præmiſſo vomitorio, Sale volatili cinamomiſato cum Eſſentia balſami peruviani vel Spiritu Vitrioli volatili cum Spiritu maſtichino mixto, Cinnabarina cum cryſtallis tartari, lapidibus Cancri, terra catechu, radice aronis juncta, adjectis guttulis Olei cinamom. menthæ, macis, & pauxillo moſchi laudatiſſima ſunt.

Hypochondriacum affectum & ſcorbuticum curat. In *Scorbuto*, *affectione hypochondriaca*, *arthritide vaga ſcorbutica*, *ſcabie*. Cinnabarina egregium faciunt officium præmiſſis & interpoſitis evacuantibus, Martialibus, antiſcorbuticis, v.gr. Miſtura ſimplici cum Eſſentia fumariæ, tinctura Antimonii, liquore Martiali, & Eſſentia anodyna combinata vel cum Eſſentia lignorum, *Frid. Hoffmanni Diſſert. varii argum.* tinctura aperitiva *Mœbii*, Eſſentia pini cum Salibus volatilibus, pulveres anodyni præcipitantes e Cinnabari Antimonii, croco Martis (cum nitro parat.) vel pulvere cachectico Quercetani, ſuccino, Antimonio Martiali cach. lapidibus Cancri, conchis præparat. Antimonio diaphoretico parati, adjecto laudano opiato vel Oleo aromatico egregio cum emolumento exhiberi poſſunt. Salia quoque aperitiva v. gr. arcanum duplicatum, Sal ſuccini volatile, tartarus Vitriolatus nobiliſſimarum virtutum conjugium cum Cinnabarinis ineunt, quæ non ſatis laudandam in præfatis affectibus ferunt opem.

In diarrhœa maligna, dyſenteria convenit. In *diarrhœa* & *dyſenteria* exhibitis prius medicamentis interne & externe carminativis, theriacalibus, abſorbentibus, bezoardicis v. gr. ℞. *Eſſentiæ theriacalis* ℈ij. *balſami peruviani* ℈j. *Eſſentiæ anodynæ* ℈ß. *M.* Ad dolores & inteſtinorum convulſiones tollendas, malignas acres qualitates præcipitandas ſequentem pulverem in frequentiſſimo uſu habuit *Dn. D.* Cramerus ♃ *terræ ſigillatæ florum Sulphuris*, *Antimonii diaphoretici ā.* ℨß. *Cinnabaris Antimonii*, *terræ catechuana* ℈j. *laudani opiati gr. ij. Olei cinamomi gr. j. Miſce.* Si malignitas ſimul adſit, ſpina ſerpentina admixta conducit.

Præſentiſſimus eſt ejus uſus in calculo. In *nephriticis doloribus*, ubi Spiritus maxime afficiuntur, vomitus; optimum conſilium practicum per Cinnabarina, opiata, abſorbentia naturæ tumultum ſiſtere; hunc in finem laudatur pulvis nephriticus *Ludovicianus*, qui ex oculis Cancri, Cinnabari, & laudano opiato conflatus eſt. Inter calculum reſolventia Cinnabarina quoque primas tenent partes cum ſpermate ceti, ſale volatili Succini & aliis remixta. *D.* Wedelius in uſu habet laudatiſſimum pulverem nephriticum ſequentem. ℞. *ſpermatis ceti*, *lapidum Cancri*, *ā.* ℨß. *Cinnabaris Antimonii* ℈j. *Salis volatilis ſuccini gr. iv. laudani opiati gr.* ß. *trochiſcorum de alkekengi cum opio* ℈ß. *M. F. pulv. D. in 4. doſes.* Hic pulvis reſolvit tartareum coagulum, abſorbet acidos humores, doloribus ac convulſivis motibus medetur. In *aſthmate*, *catarrho ſuffocativo* laudem quoque meretur. Præmiſſis itaque reſolventibus in calculo, & anodynis topicis carminativis pellentia cum fructu adhiberi poſſunt v. gr. tinctura Mœbii aperitiva cum Spiritu ſuccini miſta, Spiritus nitri dulcis cum Spiritu Salis ammoniaci combinatus & Oleo petroſelini imprægnatus, tinctura alkekengi cum Spiritu nephritico & Spiritu Salis parata, quæ egregie pellunt.

Pulvis nephriticus Wedelianus.

Laudatur quoque in catarrho ſuffocat.

Ejus uſus in colica, paſſione hyſter. In *colica*, *paſſione hyſterica*, Cinnabarina, anodyna & caſtorina omne abſolvunt medendi punctum. Præmiſſa tinctura bezoardica cum Spiritu Salis ammoniaci, caſtorei vel Elixirio uterino, item Eſſentia anodyna miſta, pulvis ſequens *Wedelianus* omni intentioni ſatisfacit. ℞. *pulveris abſorbentis* ℥j. *bezoardici Jovialis*, *Cinnabaris Antimonii ā.* ℈j. *caſtorei præp.* ℈ß. *laudani opiati gr. j. M.*

Cinnabaris partum ſecundat. In *partu difficili* Cinnabarina cum anodynis confortantibus pellentibus maritata multis paraſangis antecellunt omnia medicamenta. Hinc hæc mixtura admodum proficua exiſtit. ℞. *aquæ cinnamomi*, *pulegii liliorum alborum ā.* ℥j. *fellis anguillæ* ℨß. *borracis*, *Cinnabaris Antimonii* ℈j. *Spiritus ſecundinæ humanæ* ℈iß. *ſyrupi de pœonia q. ſ. M. F. Mixtura.*

Putredini, peſti, lumbricis reſiſtit.

Ad omnem putredinem, peſtem, gangrænam, & febres malignas arcendas, item lumbricos enecandos ſequens pulvis commendatiſſimus eſt. ℞. *myrrhæ, Zedoariæ, corticis citri ā. ℥ß. Cinnabaris Antimonii* ℈j. *camphoræ* ℈ß. *Olei ſuccini, rutæ ā. gr. j. M. F. pulvis.*

In ſcabie, lue venerea, gonorrhæa, dextre adhibetur.

In *Gonorrhœa virulenta, Lue Venerea, ſcabie* ſingularem quoque promittunt energiam atque effectum Cinnabarina; propinatis prius bezoardicis, Antimoniatis, ſuccinatis, lignoſis, ac purgantibus ſequens pulvis egregius. ℞. *Cinnabaris Antimonii, magiſterii Saturni, ſuccini, Antimonii Martialis, cach. oſſis ſepiæ. ā.* ℈j. *laudani opiati gr. ij. M. F. pulvis.*

Ejus uſus externus.

Præter uſum internum Cinnabaris Antimonii externe applicata egregiarum virium ſuarum radium diſpergit quoque ad intima ſanguinis, dum ſerum reſolvit, fermentales acidos putredinoſos ſapores ulcerum abſorbet, nervos ſolatur, nobiliſſimaſque exercet virtutes. Sic Poterius *cent. 2. p.* 126. Cinnabarim Antimonii miſcet cum aliis in Emplaſtro quo ſtrumas exulceratas tollit. Abſceſſus quoque ſine dolore ullo ſuppurare ac rodere Emplaſtrum de cicuta *Hildani* miſtum cum Antimonii Cinnabari, autor eſt Bogdanus *in obſerv. p.* 266.

In reſolvendis ſtrumis, abſceſſibus aperiendis.

In præcordialibus anxietatibus Emplaſtrum de gummi ammoniaco cum Cinnabari, Antimonii, unguento altheæ & balſamo peruviano miſtum ad ſalivam promovendam egregiam locat operam. In ſcirrhoſis quoque duris tumoribus cum Emplaſtro de gummi ammoniaco remixta ad illos reſolvendos non excludenda eſt.

Scirrhis curandis.

In affectibus ſpaſmodicis.

In ſpaſmodicis affectibus externe applicita cum aliis commendatur a *B. meo Parente in Clave p.* 294. Poteſt commode miſceri cum unguento alabaſtrino, oleo hyoſcyami deſtillato, oleo macis, caryophyllorum, balſamo peruviano. Conducit quoque in capitis doloribus.

In ulceribus malignis, Cancro &c.

In ulceribus malignis, Cancro, herpete, variolis, Dn. D. Cramerus illam magni æſtimat inſperſam cum oculis Cancri, magiſterio Saturni, item cum lapide arſenicali, balſamo peruviano vel cum camphora, ſpermate ceti. Inſervit quoque Cinnabaris Antimonii cum ſuccino, Sulphure, maſtiche mixta ſuffumigiis ad movendam ſalivam, in lue Venerea, ſcabie. Mercurialia pro ſuffumigiis ſint excluſiſſima, verum cum Sulphuris tricis fixatus fumus omnem deponit noxam; hinc cum Cinnabaris communis pro ſuffumigatione uſurpetur, nullum dubium, quin Cinnabaris Antimonii purior cum meliori fructu ſubſtitui poſſit.

Fumus ejus ſalivationem excitat in lue venerea.

Cinnabaris appenditur contra peſtem, omnes incantationes.

Singularis quoque eſt ejus virtus in peſte, in omnibus incantationibus, ſi appendatur. Electrum minerale immaturum *Paracelſi*, quod nil aliud eſt quam Cinnabaris Antimonii, ad incantationes, ſi collo appendatur, commendatur ab Helmontio *de injectis material.* §. 7.

Cautelæ in exhibenda Cinnabari obſervandæ.

Tandem quoque de Cinnabaris uſu reſtant quædam ſubjungendæ cautelæ. 1. Corporibus impuris ſcorbuticis, quæ ſalia ſylveſtria ac fordes bilioſas poſſident, non cum optato effectu propinantur Cinnabarina, potius prius humores ſunt alterandi & per debita evacuatoria eliminandi. 2. In reſolutione ſanguinis nimia v. gr. in febribus quibuſdam ardentibus, hectica, ſudoribus ſcorbuticis cum Cinnabarinis caute mercari debemus. 3. Non eorum uſus ſit continuus, valde enim gravant ventriculum, ejuſque fermentum deſtruunt. 4. Semper præſtat in forma pilulari illa propinare (modo ſemper liceat) præprimis cum opiatis miſta, ne faucibus adhæreſcant. 5. A noxa Cinnabaris Antimonii uſum ſubſequente bezoardicum Solare cum præſentiſſimo auxilio propinatum, liberat; latet enim in ipſo magnetiſmus, quo Mercuriales atomos in corpus ſparſas attrahit.

INDEX CAPITUM.

Caput I.

De Nomine, Autore, Differentiis Cinnabaris. pag. 127

Caput II.

Antimonii elementa exhibet. 128

Caput III.

Mercurii ſublimati genium indagat. 129

Caput IV.

De butyri ac Cinnabaris Antimonii præparatione, cum variis ſubnexis cautelis. 131

Caput V.

Singularia phœnomena in confectione Cinnabaris occurrentia exhibet. 133

Caput VI.

De Butyri Antimonii Natura, & præparationis fundamento. pag. 134

Caput VII.

De Medicamentis e butyro Antimonii præparandis. 135

Caput VIII.

Cinnabaris Antimonii naturam ac elementa docet, coloremque ejus rubicundum explicat. 136

Caput IX.

De medicamentis e Cinnabari Antimonii præparandis. 139

Caput X.

De modo agendi, ac viribus generalibus Cinnabaris. 141

Caput XI.

De Viribus ſpecialibus, variis medicamentis & externis cautelis. 144

DISSER-

DISSERTATIO
DE PESTIS
ORIGINE ET NATURA.

Primùm edita anno 1708.

PROOEMIUM.

EX omnibus morbis, qui naturæ humanæ inprimis minantur exitium, nullus feralior, nullus pernicioſior eſt Peſte. Hæc non more aliorum affectuum certis tantum corporibus infeſta eſt, iiſque molitur perniciem, ſed promiſcue nullo habito diſcrimine temperamenti, habitus corporis, ætatis, vitæque generis, omnes omnis generis homines adoritur, ingentemque eorum ſtragem edit, totas urbes & regiones depopulatur, imo integra ſanitate pollentes brevi temporis ſpatio miſerrime conficit interimitque. Proprium & huic eſt illud, quod non, ut alii morbi, corpora frequentius occupet, ſed quod longo tempore quaſi ſepulta, ſummo cum impetu erumpat, & latius poſtea diſperſa tam ſævam faciem induat, ut & vehementia ac periculo & celeritate nocendi omnes ſingulaſque ægritudines exſuperet. In eo porro a ceteris morbis diſtat, quod ejus vis ac potentia nec non origo neque in humano corpore quærenda ſit, neque a mole peccantis materiæ arceſſenda, ſed exterius potius accedat, & ſub tenuiſſimo & inviſibili halitu ex improviſo robuſtiſſima etiam corpora ſubeat, eadem penitus mox corruptura. Atque adeo cum ejus natura indoleſque quam maxime diverſa ſit ab aliis morbis, non perfunctorie ejus origo & cauſæ exercere atque fatigare ſolent medicorum ingenia, ita, ut nondum plane inter ipſos conſtet, unde natales vel originem hic morbus trahat, & quomodo progeneretur. Plures adhuc in ea fuerunt ſententia, peſtis naturam plane eſſe incognitam, & tranſcendere humani captus limites, & ultra ejus ſcrutinium eſſe repoſitam. Hinc τὸ θεῖον ſive aliquod divini ei ſubeſſe conſtanter crediderunt: quemadmodum omnibus malis, quorum ratio ac cauſa difficilius cognoſcitur, illud ipſum attribuerunt. Plures itaque fuere, qui a Deo proxime peſtem pro arbitrio ſuo ad coercendos & affligendos homines excitari, aſſeverarunt, natura ejus mortalibus plane exiſtente imperſcrutabili. Nos, cum dirum hoc malum Germaniæ noſtræ rurſus imminere videatur, ingentem in vicinia cladem jam molitum; non alienum exiſtimavimus, de vera peſtis origine atque natura indaganda noſtras meditationes ac obſervationes proponere, quo deinde detecto ejus genio, eo facilius & expeditius iter ſit ad inveniendam ſecuram ac perſpicuam methodum, graviſſimam hanc luem & avertendi, & ſi ſummo vitæ neciſque noſtræ Arbitro ita viſum fuerit, illam ſanandi.

Nullus morbus feralior Peſte. — *Totas regiones depopulatur.* — *Ejus vis nec origo in humano corpore quærenda eſt.* — *Sed ſub inviſibili halitu ex improviſo corpora ſubit.* — *Peſtis naturam plane eſſe incognitam multi contendunt.* — *Qui eam proxime a Deo excitari volunt.* — *Autoris Propoſitum.*

§. 1.

CIrca peſtis igitur originem indolemque ſcrutandam occupati, nolumus eſſe longiores in variorum autorum hac de re ſententiis conquirendis & recenſendis, ſed paucis hoc in negotio ſententiam noſtram breviter ſtrictimque exponemus; Dicimus nempe, peſtis primam originem eſſe putredinem corporis humani vehementiſſimam, ejuſdemque contagio, quo inficit, identidem ineſſe ſubtiliſſimam molem penetrantiſſimæ putredinis; poſtea vero terrorem illum immanem, qui percellit inſtar fulminis animos hominum, non modo fovere, alere, & promovere ipſum contagium, ſed & ejus potentiæ eſſe, ut ſine infectione plures necare poſſit. Hoc ut clarioribus argumentis evincamus, in præſenti, quantum poterimus, adnitemur.

Peſtis Definitio.

2. Principio itaque ſcire oportet, nihil infenſius, nihil inimicius eſſe integritati corporis, nihil ejus ſtructuram ac mixtionem fortius deſtrue-

Putredine nihil infenſius corporis integritati.

deſtruere, nihil denique celerius vinculum illud, quod mentem & machinam noſtram corpoream continet, diſſolvere, quam putredinem. Sicuti enim vita nil niſi actus, ac motus perpetuus eſt, qui, qua pollet vi, corruptionem, ad quam alioquin inclinat corpus, ab eo depellit: mors vel in putredine ipſa radicatur, vel tandem eam poſt ſe certiſſime trahit. Et mortem quidem inde evenire, vel ex eo evidenter claret, quod corpus, ubi computruit, revocari ad integritatem & vitam nullo modo poſſit. Graviſſimæ igitur ſunt illæ paſſiones, quæ a putredine exortæ hominem, qui natura ſua ad corruptionem fertur, invaſerunt. Cujus rei quidem teſtis eſt ſphacelus vel externas partes ſive interiora adgreſſus, cui nunquam non vitæ periculum junctum eſt.

Teſtes ſunt ingentes viſcerum corruptiones.

Teſtes etiam ſunt ingentes viſcerum corruptiones, quæ funeſtas acutaſque febres vel ferales lentas, hecticas nempe, in lucem proferunt. Idem confirmant febres certis temporibus graſſari ſolitæ, quæ malum ſervant morem, & vehementia ſua maxime terrent, plerumque humorum putredine ſubfulcitæ. Quo circa non ſine inſigni ratione veteres in putredine, velut in fundamento, malignas putridaſque febres poſuerunt, quando plerique acutorum morborum vel ex putredine fiunt, vel ad putredinem corpus adfectum deducunt. Inde enim eſt, quod ubi corpus ſtatim poſt mortem inciditur, fœtidiſſima putredo protinus, ipſo ſenſu teſte, ſeſe oſtendat.

3. Quum itaque putredo tam infenſus ſit vitæ humanæ hoſtis, operæ pretium ducimus, paulo altius in indagandam ejus naturam deſcendere.

Putredo eſt mors corporum.

Putredo itaque eſt mors corporum, quorum craſin, texturam, formam & mixtionem prorſus deſtruit, & ita habitum, ſtructuram, ſpeciem, colorem, odorem virtutemque immutat. Id quod putredo efficit motu non ſuperficiali, ſed qui interiora ſubit, in poros anguſtiſſimos intime penetrat motu ſcilicet expanſivo & rarefactorio, unde unio & nexus partium corpus conſtituentium ſolvitur ac relaxatur. Hunc motum inteſtinum phyſici appellare ſolent, quem efficit fluidum illud catholicum ſubtiliſſimum aereo-æthereum, cujus vehementia in commovendis intimis corporis iiſdemque deſtruendis variis naturæ phænomenis ſatis abundeque conſtat, calore inprimis, qui nil niſi hujus fluidi concitatiſſimus motus eſt, id demonſtrante.

Æther effectum putredinis non in omnibus æqualiter producit corporibus.

Æther vero effectum putredinis non in omnibus æqualiter producit corporibus, ſed tantum in iis, quæ tenuiſſimarum partium mixtione pollent, quales ſunt ſulphureæ, aqueæ, ſalſæ, ſubtiles, terreæ. Quare quæ ex hiſce partibus coagmentata ſunt corpora, facillime ſubeunt putredinem, exemplo animantium, quorum quo tenuior ſubtiliorque mixtio, eo valentior quoque putredo, ideoque huic minus virium in plantas eſt, quod hæ acidum admixtum foveant, cujus beneficio & virtute ſulphuris concitatior motus inhibetur. Quoniam vero ſulphureum volatile principium eſt agiliſſimum, hinc illud æthere commotum primo deſerit unionem & aufugere conatur, unde teter ſolet putredinem odor concomitari.

Qua de cauſa teter odor putredinem ſolet concomitari.

Alunt contra & fovent putredinem humidum & calidum, quandoquidem omnia, quæ in putredinem abire debent, humida eſſe oportet, ſicuti contra quæ ad noxam maxime patent, ubi detractus ipſis fuerit humor, tuta ſunt ab omni corruptione. Quod quidem domeſticis experimentis diſcimus, quippe caro animantium & hominum ſiccata non putreſcit, aquæ vero immerſa, vel madido tantum linteo involuta & aeri circumfuſo commiſſa, ſtatim labem contrahit. Quod ipſum imitata ars facile invenit viam corpora mortua a putredine defendendi, ſalibus & ſpiritu vini rectificatiſſimo adfuſo in id ſufficientibus. Hæc enim humidum intimo ex poris imbibunt & abſumunt, & ita texturam firmam ac ſtabilem præſtant.

Calore ad putredinem movendam opus eſt.

Calore quoque opus eſt ad putredinem movendam & propagandam, qua de cauſa æſtivo tempore celeriter corpora putreſcunt, ſiquidem ex phyſicis non ignotum, calorem non niſi celeriorem fluidi ætherei in interioribus partium motum & reactionem eſſe.

Effectus putredinis.

Sequitur porro ſingularis effectus putredinis, ut nempe hæc ſeſe mirifice diffundat ac propaget, h. e. in ſimilem motum corpora diſpoſita abripiat. Eſt enim natura hæc omnis motus ætherei celerrimi, ut ſuum motum in alia ejuſdem naturæ corpora celeriter transfundat. Quod patet ex flamma, quæ celeritatem verticillaris motus in corpora, quæ ad ſimilem motum recipiendum apta ſunt, i. e. inflammabilia tranſmittit.

Mox ſeſe diffundit.

Simili ratione putredo mox ſeſe diffundit, & vicina corpora contagio inficit, nam & celeriter ſerpere & eundo vires ſumere ſolet ſphacelus.

Fructus putridi integros corrumpunt.

Ita videmus fructus putridos, ſi juxta integros ponantur, eoſdem mox corrumpere, & membrum ſphacelo exeſum eandem labem vicinis partibus affricare. Accedit & illud quod ubi ſemel malignitatem concepit corpus, ea difficillime ſiſtit & extingui poſſit. Cujus rei in corpore noſtro animadvertimus clarum documentum, dum caries, quæ putredo oſſium eſt, ſi vel dentem vel oſſa ſquamoſa aut aliud quoddam membrum corripuit, adeo non facile inde excutitur, quin ſucceſſu temporis ſemper augeatur.

Caries oſſium ſemper augetur.

4. Expoſita ſic in genere putredinis natura, intelligere facillimum erit, peſtis indolem geniumque fundatum eſſe in putredine eaque penetrantiſſima ac tenuiſſima. Quod ipſum quidem peſti nomen impoſuiſſe videtur, quando plurimæ linguæ expreſſa plerumque voce illius vim manifeſtant. In ſacro certe codice, cum Deut. XXVIII. v. 21. mentio ejus fit, Piel Hebraicum poni legimus, quæ vox ſignificat corrumpere vel perdere, vid. Mercerum. Expreſſius adhuc Arabes, quorum in lingua peſtis nomine mors citiſſima & acutus morbus denotatur.

Latini peſtem a paſcendo dicunt.

Latini peſtem a paſcendo dicunt, & peſtilentia, uti Isidorus explicat, veluti paſtulentia dicitur.

Græcis corruptor dicitur.

Græcis dicitur λοιμὸς h. e. corruptor, λοιμὸς enim metaphorice ſignificat corruptorem, uti videre eſt Act. XXIV. 5. Primum vero peſtis naturam in putredine verſari, vel ex eo clarum fit, quoniam nullus morbus illa æque eſt contagioſus.

Omnes morbi qui contagium continent oriuntur ex putredine.

Nil enim magis ſeſe propagare ſolet, quam ipſa putredo, & inde animadvertimus, omnes morbos, qui contagium continent, eſſe tales reſpectu tenuiſſimæ putredinis, quam promptiſſime in alia corpora transfundunt.

Ut Scabies, herpes, lepra, ulcus pulmonum &c.

Sunt vero ex ejuſmodi morbis & quidem chronicis ſcabies, achores capitis, ulcera fœtida, herpes, lepra, lues venerea, imo ipſum ulcus pulmonum. Quis vero ignorat, hoſce dictos affectus a lympha plane putrida corrupta cauſtica proficiſci.

Ex

Ex acutis variolæ, morbilli, dyſenteria &c.

Ex acutis variolæ, morbilli, petechiæ, dyſenteria admodum infenſa contagio humanis corporibus ſunt, idque nullam aliam ob cauſam quam quod tenue putridum ex horum corporibus exhalet, quod admiſſum in alia ſana corpora ſubſimilem motum humoribus introducit.

Animantium quoque quidā morbi contagio infeſti ſunt.

Obſervamus quoque idem in animantibus, quorum morbi, qui contagio ſerpunt & alia inquinant, ſunt natura ſua maxime putridi. Perſpicaciſſimum hujus rei exemplum nobis equorum morbi duo ſubminiſtant, alter, qui vocatur *der Rotz*, alter *der Wurm*: quæ mala quam infeſta contagio ſint, & quam facile ſeſe propagent alioſque equos inficiant, res eſt in vulgus nota. Quo circa evitandi hujus contagii cauſa boni patres familiæ, ſi quando equus tali morbo fuerit correptus, totum ſtabulum renovandum curant, ablata omni ſuppellectili equina, præſepi, coriis, & quæ ſunt alia.

Oves præſertim contagioſis morbis ſunt obnoxii.

Si ullum porro animal contagioſis morbis eſt obnoxium, certe ſunt oves, quæ totas greges corrumpunt; inciſis vero corporibus inveniuntur pulmones, imo hepar corrupti, & ſæpius latis vermibus pleni. Notiſſimum præterea eſt, nonnulla loca certum genus ovium, quæ pſora laborant, alere, Germani vocant *Schmeer Vieh*, & gravi pœna cautum in iiſdem eſſe, ne laniones unam ſaltim ex hiſce infectis in greges harum inferant, ne cæteræ pari contagione inficiantur.

5. Putredinem incuſamus in peſte tenuiſſimam penetrantiſſimamque; dantur enim gradus putredinis, quædam tardius, quædam celerius progreditur. Tardius ſolet ire corruptio in viſceribus vel carne quorſum pertinet cancer & ſphacelus. Celeriorem vero vim habet, & citius tragœdiam abſolvit, quæ a rebus externis accidit corporibus, & juvante aere in alia tranſit corpora, ſicuti apparet in febribus malignis petechialibus, variolis, morbo Hungarico & dyſenteria.

Celerrimæ naturæ putredo eſt peſtilentialis.

Celerrimæ autem naturæ putredo eſt peſtilentialis, quod vel ex eo comprehendimus, quoniam brevi tempore ſuum abſolvit proceſſum. Ex effectu enim & operatione cauſæ indoles eſt cognoſcenda.

Putredo eſt motus inteſtinus.

Putredinem diximus eſſe motum inteſtinum, jam vero conſtat, hunc ratione gradus multum differre. Tardiorem & celeriorem in vegetabilibus eſſe fermentationem clariſſimum eſt, magnum quoque diſcrimen intereſt ignem, qui motus ætheris inteſtinus concitatiſſimus, ita plurimum intereſt inter ignem ſolarem & ſic dictum culinarem, ille ex collectis radiis ſolaribus beneficio prægrandis vitri cauſtici tanti eſt effectus, ut celerrime metalla ac lapides liquefaciat, quod plane negatum eſt igni culinari, qui ex lignis & inflammabili materia compoſitus longiori temporis intervallo vix hunc effectum præſtat. Flammæ accenſæ in lignis arefactis vis ac impetus accedente flatu mirum augetur, adeo ut in liquefaciendis metallis & vitris ejus efficacia longe ſuperior ſit illo igne, qui vento non exuſcitatus eſt, nam longe languidioris eſt in operando naturæ. Agnoſcimus itidem in peſte putredinem celerrimæ agilitatis,

Sub tenuiſſimi vaporis vel auræ forma miaſma aliis corporibus inſinuatur.

quod vel ex eo clarum fit, ſi conſideramus, ſub tenuiſſimi vaporis vel auræ forma miaſma aliis corporibus inſinuari. Perpetuum enim in mechanicis eſt, quod fluida tenuiſſima longe majori virtute movendi prædita ſint iis, quæ rudioris & craſſioris ſunt texturæ. Quam mirabiles hac de re effectus nobis phyſica experimenta ſubminiſtrent, notiſſimum eſt. Subtilis aër & æther per fermentationem ſucco rum in motu expanſivum adactus vaſa vitrea ingentis craſſitudinis diſrumpit.

Aeris & ætheris motus expanſivus.

Ipſum hoc aëreo-æthereum fluidum acri externo frigore ab ambitu ad centrum compreſſum in glacie, non modo vitra, ſed & inſignia metallica vaſa diffringere valet. Aër quoque in machina Papiniana compreſſus brevi tempore duriſſima emollit oſſa.

6. Mirum vero illud, quod ſub peſtifera lue tam tenuis & ſtupendæ exiguitatis vapor tam celerem nocendi vim habeat, ut robuſtiſſima corpora intra breve ſpatium opprimat. At qui leviter ſaltem in arte medica verſatus eſt facile perſpiciet, minima ſubinde cauſam & originem eſſe maximorum effectuum. Subtiliſſima enim effluvia texturam ac craſin corporis ejus integram ſervant, a quo promanarunt.

Vapor Zibethi quid in muliere hyſterica producat.

Vapor tenuis Zibethi ab hyſterica femina naribus exceptus, quas cataſtrophes & turbas motuum excitet ac moliatur, muliercularum experimentis edocemur.

Quid vitrum antimonii & opium.

Parum eſt, quod ex antimonii vitro vomitum movet, dum hujus una drachma centum vomitiones provocare valet. Pauxillum pariter opii omnes motus & ſolidarum & fluidarum partium compeſcit.

Reſoeillantia & Fumus lucernæ extinctæ.

Exiguum quoque eſt, quod ſyncopticos per odorem reficit & ad vitam revocat. Fumus graveolens lucernæ nuper extinctæ vi diffuſiva & ſuimet multiplicatione multum aeris inficit, & nidorem peringratum in diſſita etiam intervalla cubiculi diffundit.

Vapor in vaſis.

Subtilis vapor eſt in vaſis, quæ vinum capiunt, ex vappida corruptela remanens, qui ingentem vini recentis quantitatem ſimili tetro odore imbuit atque implet. Parva moles & vix ſenſibilis in vitro, quod corruptum acetum continuit, omnem liquorem infuſum aceti producendi cauſa ad ſimilem vapeſcentiam diſponit. Eadem ratione pauxillum etiam eſſe, quod corporis deſtructionem humani moliatur atque perficiat, haud difficulter ex jam dictis poteſt intelligi. Profecto enim exiliſſimum eſt, quod cum corpore in peſte communicatur, ſed idem agiliſſimæ naturæ eſt & celerrime per univerſi corporis ſphæram ſeſe diffundit.

Aura peſtifera nihil ſubtilius quippe quæ nullo ſenſu ſed ſolo effectu percipitur.

Aura enim peſtifera nihil ſubtilius, quæ nullo ſenſu, ſed ſolo effectu percipitur, ideo in ſacris paginis miaſmata peſtilentialia ſagittarum nomine in caligine volitantium inſigniuntur.

7. Dicimus vero, miaſma illud virulentum, quod in peſte humana corpora afflatu inficit, eſſe nil niſi tenuiſſimam activam putredinem, quæ quo tenuior, eo intimioris admiſſionis & penetrantioris effectus eſt. Hæc cum ſuccis corporis noſtri maxime excrementitiis ſeroſis commixta eos ſubinde in ſubſimilem putridum motum ſtupenda multiplicativa virtute abripit, & celeriter univerſi corporis ſuccos ſimili corruptione contaminat. Ex quibus corruptis corporibus poſtea emiſſa effluvia & exhalationes præparata & diſpoſita corpora ſimili modo & motu corrumpunt.

Seminii peſtilentis operatio cum igne poteſt comparari.

Optime ſeminis peſtilentis ratio cum igne poteſt comparari, ſicuti enim ſcintilla in magnam exardeſcere poteſt flammam, & late ſpargit incendium: ita etiam ſeminium peſtilens tot millia hominum corripere & corrumpere aptum eſt. Cujuſnam vero ſint ingenii hæc effluvia putrida peſtilentialia, curioſiores non immerito quærere ſolent. Nil dubii eſt, ſulphuris & ſalis volatilis ipſis mul-

Hiſce effluviis multum ſulphuris & ſalis volatilis ineſt.

tum ineſſe. Corpora enim quo plus continent ſubtilioris ſulphuris, eo fortiorem penetrantioremque putredinem & fœtorem contrahunt. Qua de cauſa vegetabilia, quæ multum olei ætherei volatilis habent, acrius putreſcunt, aliis hoc activo principio deſtitutis. Ex animantibus homo ſuccorum tenuitate ac ſpirituaſcentia aliis præpollet, unde etiam putredo & excrementorum & corporis humani truculentior eſt quam quæ in ceteris animantibus corruptis obſervatur. Atque putredo quidem ipſa multum inter ſe differt. Sicut enim alia putredo eſt in vino, alia in aceto, alia in hoc vel illo vegetabili, alia in animantibus, ita etiam in homine ingens putredinis diſcrimen animadvertitur. Alia enim male habet in dyſenteria, alia in ſphacelo, alia in lue venerea, alia denique, quæ in morbo nigro Hippocratis affert periculum. Multum quoque differt putredo, quæ eſt in ulceribus, differt, quæ eſt in variolis, in ſcorbuto, & in malignis febribus. Prout enim diverſa craſis & textura eſt humorum, prout elementorum varia mixtio, unio, ſulphuris tenuitas, & humidi ac calidi, quæ putredinem incendunt, proportio, ita magnum quoque putredinis diſcrimen eſt. Qualis vero putredo, talis etiam eſt ipſum contagium; unde non omnis putredo peſtem, non omnis dyſenteriam, variolas aut luem veneream concitat. Et hæc quoque eſt ratio, cur putredo pecorum & contagioſi ipſorum morbi humano generi minus infeſti ſint & raro iis affricentur. Mitior enim & impotentior eſt illorum corruptio, diſſimilia quoque cutis ſpiracula in homine, alius etiam in humano corpore habitus, unde minus promptum iter ejuſmodi lui in corpora hominum patet. Inde videmus certis temporibus ſub magna equorum vel ovium ſtrage integros & ſalvos degere homines. Minus tamen adfirmandum eſt, animantium putredinem congruum eſſe ſanitati; quæ nocens imo penitus pernicialis eſt. Quod confirmat Cl. Nathan Hodges *in deſcript. Peſt. Londinenſis p. 68.* exemplo, quod meretur memorari. Civis quidam actis Londini negotiis ruri præſidium petiturus equum ſubito langueſcentem & ſuccubiturum perſenſit, apertis itaque faucibus, quo ſtudioſius os & linguam contemplaretur & morbi tam repentini cauſam detegeret, incaute anhelitum equi fœtidiſſimum hauſit, mox ægrotare cœpit, & intra biduum exſpiravit.

In homine ingens putredinis diſcrimen animadvertitur.

Qualis putredo talis contagium.

Quare certis temporibus ſub magna brutorum ſtrage ſalvi & integri degant homines.

8. Quoniam igitur peſtis per putredinem mobiliſſimam, ſubtiliſſimamque, ſerpit, & ſeſe diffundit facile, jam apparet, tunc periculum eſſe contagionis maximum, quando in corporibus humanis peſte correptis putredinis ſumma vis ac vigor eſt. Tum enim exhalationes copioſiores & ſulphureæ activioris naturæ facilius perimunt, quod fit ſi putredo peſtilentialis inchoat, vel jam abſoluta eſt. In procinctu igitur habemus rationem, quare in agone qui conſtituti ſunt, facilius homines inficiant, quam alio tempore, item quare peſte mortui rarius peſtem aliis inferant. Extat hac de re elegantiſſimus locus apud Foreſtum *l. 6. obſ. 28.* *In agone, inquit, facile alios inficiunt peſte correpti, ſed homines mortui peſte non facile inficiunt: quia corpora mortuorum, quæ amplius non exſpirant nullum venenum ejaculant. Quod ſi aliquod contrahatur, hoc potius ab eorum pannis vel veſtibus contrahitur, in quibus virus diu conſervari potuit. Siquidem diſſecuimus aliquando corpora mortua ex peſte multis ſpectatoribus ſtudioſis ſine aliquo damno: propterea quod mortuo animali perit omne venenum, & quia ignorabamus, eos mortuos ex peſte, cauſa fuit, ut minus turbaremur.*

Quare in agone conſtituti facilius homines inficiant.

Ejus exemplum apud Foreſtum.

Mortuo animali perit omne venenum.

9. Quod vero peſtilentialis ſeminis vis in humana agat corpora ipſorumque ſuccos corrumpendo plura ſunt, quæ id declarent: Individuum peſtis ſignum eſſe anthraces ſive carbunculos hinc inde in partibus enatos, res eſt quæ non amplius eget probatione. Quid vero aliud anthraces illæ ſunt, quam ſphacelationes intenſiſſimæ atque acerrimæ? Præterea excrementa, quæ in morbi impetu e corpore ejiciuntur, partim ob terribilem fœtorem, partim ob formæ mutationem, ſufficienter intimam illam humorum corruptionem deſignant. Siquidem nonnullorum ſudor tam fœtidus tam ingratus eſt, ut vix quiſquam ſalvis naribus ferre poſſit graveolentiam ab empyreumatica ſuccorum & humorum degeneratione. In peſte Londinenſi ſudores correptorum non tantum copioſi erant, ſed etiam diverſi colore, viſus nimirum color in his citrinus, in illis purpureus, in aliis viridis, niger, & quandoque velut ſanguinolentus. Ideoque mulierculæ quædam peritiores ab induſiorum & linteorum inquinamento decolori, quid ominis ſudore diffluentibus eventurum, haud perperam augurabantur. Per ſuperiora ſubinde vomitione ingenti in conſpectum prodeunt bilioſa floris inſtar cereviſialis fermenteſcentia ſubviridia, nonnunquam tam fœtida, ut correptorum vel cubicula introire vix cuipiam ſalvis naribus liceat, ob prodigioſum fœtorem, quale quid contigit in peſte Londinenſi. vide Dn. Hodges *l. c. p.* 103. Et hæc eſt ratio, quare canes, lupi, corvi, & cætera carnivora animantia nequidem attingant cadavera peſte interempta, uti de Athenienſi peſte ex Thucydide & Lucretio narrat Zacutus Lusit. p. 103. de Romana T. Livius l. 41. c. 1. Peſſimum enim ſignum eſt taliſmodi fœtor excrementorum, unde in Delphenſi peſte, qui fœtida nigra maxime in principio ante coctionis tempus ejiciebant, magna ex parte moriebantur. Vid. Forestum *Obſ.* 13. *p.* 171. Diſſectiones porro cadaverum peſte defunctorum exitialis putredinis vim clariſſime oſtendunt, dum vel in ventriculo aliiſque viſceribus ſphacelationes, carbunculi, maculæ lividæ, purpureæ, nigræ obſervantur, quia nempe ipſa cadavera ſubito poſt mortem flaccida & tumida fiunt, varii quandoque ſubviridis coloris, quamvis dirum hoc malum ægros brevi tempore oppreſſerit.

Individuum peſtis ſignum Anthraces.

Excrementis terribilis eſt fœtor.

Sudor maxime fœtet.

Colore prodit variegato.

Per vomitum reddita prodigioſum fœtorem ſpargunt.

Hinc animalia carnivora peſte interemptorum cadavera non attingunt.

Foreſtus de peſte Delphenſi.

10. Contagium inter ſortis infimæ homines ordinario celerius diffunditur & luxuriat, unde peſtis pauperum lues ſolenniter vocari ſolet. Ratio vero, quare pauperes plus truculentum hoc malum adoriatur, quam divites, & melioris conditionis homines, hæc eſt, quoniam ægri ac miſeri plerumque ſorditiem amant, parvis & anguſtis domiciliis continentur, per quæ liber aeris tranſitus anguſtus, unde exhalationes colliguntur, ſtagnant, & magis exitioſæ fiunt. Aer enim quo tranquillior, eo aptior ad colligendas pravas exhalationes eaſdemque paulo poſt latius diffundendas. Quare loci concluſi, latebroſi & tenebris obſiti, carceres & domus occultis vallibus conditæ, infectioni peſtiferæ valde obnoxiæ ſunt, huic vero minus patent loca ſpatioſa, in aprico poſita & ventis

Inter infimæ ſortis homines contagium ordinario celerius diffunditur.

Qua de cauſa.

Aer quo tranquillior, eo aptior ad colligendas pravas exhalationes.

Loci concluſi & latebroſi infectioni peſtiferæ valde obnoxii ſunt.

Cui minus patent loca ſpatioſa, in aprico poſita & ventis pervia.

ventis pervia. Experimentis domeſticis quoque notum eſt, carnes & omnia edulia in clauſis locis detenta plus vappeſcere & corrumpi, tetrumque odorem ſpargere, quam ſi ſuſpenſa in libero & aprico aere fuerint. Quapropter ædificia editiora, loci montoſi, ventis orientalibus & ſeptentrionalibus expoſiti, hypocauſta laxiora, ædificia non diu extructa minus favent propagationi contagii, quam quæ in decliviori & humiliori loco ſunt poſita, ad quæ liberiori aeri aditus eſt interclusus.

Docuit hæc experientia in pluribus Germaniæ civitatibus

Docuit experientia, in pluribus locis & civitatibus Germaniæ, quas ante XX. & aliquot annos gravis peſtilentia afflixit, eas plateas & domus, quæ eminentiori loco erant poſitæ, magis fuiſſe ab ipſa immunes.

Contagium peſtilentiale facillime in diſſitiſſimas regiones tranſportari poteſt.

11. Ea quoque contagii peſtilentialis eſt natura, ut facillime ex uno loco in alterum tranſportari poſſit in diſſitiſſimas regiones.

Seminii fomitem præbent largiſſimam lana, goſſypium & ſimilia.

Fomitem vero & materiam ſeminii hujus largiſſimam præbere maxime ſolent lanæ, & pannorum, plumarum ac linteorum genera. Spectat huc etiam goſſypium, quo ex Imperio Turcico legitur, lues tranſlata in Belgium & Angliam. Hiſce enim rebus ob poroſitatem facillime peſtilens putridus vapor diu inhærere ac quaſi incarcerari ſolet.

Majorem ſtragem edit peſtis in locis calidis & menſibus æſtivis.

12. Cæterum perquam digna eſt obſervatio, perpetuo majorem ſtragem morbum peſtilentialem edere in locis calidis & menſibus æſtivis, miteſcere vero, imo plane ejus potentiam extingui gelu vehementiori.

Extinguitur gelu vehementiori.

Unde conſtans obſervatio eſt, & monumenta quoque de peſte conſcripta edocent, peſtis ſævientis vehementiam non prius ſe remiſiſſe, niſi media hyeme per rigorem glacialem aliquot ſeptimanis vel menſibus continuum. Hyeme enim contagii exitialis vis quaſi conſtricta evaneſcit & ſopitur.

Ratio eſt in procinctu.

Ratio in procinctu eſt, & commode ex putredinis natura deduci poteſt. Cui enim ignotum, calorem, præſertim ſolarem, mirifice putredinem, ubicunque etiam conſiſtat, & quæcunque corpora occupet, augere & promovere? Sicuti contra gelu eandem avertit, vel jam præſentem depellit & removet. Jamque perſpicua eſt ratio, quare a malignis, putridis & petechialibus febribus, imo ipſa peſte, frigidiſſimæ ſeptentrioni ſubjectæ regiones plane ſint

Circuli arctici accolæ a Peſte immunes ſunt.

liberæ, uti Lapponia, Nova Zembla, & Groenlandia. Et ſi quando contagium peſtilentiale huc advehitur, protinus ſuam virulentiam deponit, adeo ut hæ regiones frigidiſſimæ veneno ac peſti ſint venenum ac peſtis. Refert OLAUS PETRI *apud* SCHEFFERUM *in Deſcript.*

Exemplum.

Lapponiæ cap. 27. cum aliquando cum cannabi peſtis contagium in Lapponiam fuiſſet tranſvectum, non latius ſeſe diſſeminaſſe, ibi, ſed tantum eas aggreſſum fœminas, quæ lino texendo & conficiendo operam navabant. Idem Autor ſcribit aperte, in Lapponia & Nova Zembla peſtem & febres malignas putridas non reperiri: ratio eſt in proclivi, immoderatius enim frigus inteſtinum putredinis motum plane ſiſtit atque conſtringit. Memoratu porro dignum eſt,

A copioſis pluviis peſtis ſymtomata mitiora ſunt facta in peſte Neapolitana.

quod exſtat in hiſtoria peſtis Neapolitanæ & Romanæ a PETRO DE CASTRO conſcripta, quod a copioſis vel violentis pluviis inſignis ſemper mutatio ſymptomatum in melius facta fuerit. Cum hoc conſentit RAYGERUS Obſ. 39. quod in Hungaria tempore pluvioſo & cœlo maxime nebuloſo exiſtente, vis peſtis mitior fuerit obſervata: ſiquidem uti calor motum putredinis magis adjuvat intenditque; ita humidus & ſubfrigidus aer, qualis naſci ſolet pluviarum tempore, putredinis vim minuit atque enervat.

Prima Peſtis origo unde ſit trahenda.

13. Tandem vero perquam curioſa & utilis quæſtio eſt, unde nempe prima origo peſtis ſit trahenda & explicanda & cur tam raro in noſtris viſatur regionibus? Facillimum jam erit judicare, ea loca, quæ putredinem fovere, eamque penetrantiſſimam & ſubtiliſſimam generare idonea ſunt, aptiſſima quoque eſſe ad peſtem generandam. Jam vero ſi conſulimus hiſtoriarum monumenta, &, ſi quando peſtis regiones noſtras occupaverit, primum ejus ortum, viam ac iter majori paulo ſolertia perſcrutemur, perpetuum fere eſt, noſtris quidem terris malignos, putridos, contagioſos & exitiales quoque morbos ſubnaſci, minime vero ipſam peſtem, quæ ſemper natales agnoſcit calidiſſimas regiones, ex quibus poſtea contagio ad noſtras oras defertur. Et quemadmodum frigidiſſima loca peſti ſunt contraria, ita contra calidiſſima & æquatori proxima ad eam fabricandam ſunt valde idonea.

Peſtis vulgo procedit a meridianis partibus ad occaſum ſolis.

PLINIUS *lib.* 7. *Hiſt. mund. cap.* 50. clariſſime prodidit; peſtilentiam ſemper ire a meridianis partibus ad occaſum ſolis, nec unquam fere niſi hyeme ſedari. Et teſtantur hiſtoriæ, Aſiæ & Africæ regiones nutrices ac matres eſſe hujus pernicialis mali. Famoſa olim iſta Athenienſium lues peſtifera, teſte THUCYDIDE ab Æthiopia, quæ eſt ſupra Ægyptum Lybiamque, deſcendit, donec in Athenienſium urbem irrepſerit. AMMIANUS MARCELLINUS *lib.* 19. refert, peſtilentiam ab Æthiopia verſus Septentrionem univerſum fere orbem afflixiſſe.

Urbes quæ perpetua fere peſte vexantur.

14. Græcia, Ægyptus, Turcia & in hiſce magnificæ urbes, Conſtantinopolis, Smyrna, Alexandria, Cayrus perpetua fere vexantur peſte, quæ tamen uno tempore mitior, altero vehementior eſt. Locum hac de re elegantiſſimum habet ALPINUS *de Medicina Ægyptiorum*, quem non alienum reputavi huc inſerere: Omnibus menſibus fere peſtis adportata contagio illam gentem invadere ſolet, & ſævior in primis menſibus, minus ſæva, quo tardior acceſſerit. Junio menſe, ſole cancrum ingrediente, omnino tollitur, quod multis plane divinum eſſe non immerito videtur.

Et quare.

Menſe enim Junio poſt ſolſtitium augmentum fit Nili, quoniam tunc aer calidiſſimus, auſtrinus, inæqualis tamen, mox frigidus, mox calidus, ventis & ſeptentrione accedentibus, mutatur; qui venti conſtanter & placidiſſime ſpirant, æquales ſunt & uniformes. Venti hi eteſiæ appellantur, & oriuntur a liquatis nivibus glacieque in montibus Aſiæ minoris Septentrionalibus. Eteſiæ vero ipſo HIPPOCRATE *teſte lib.* 3. *Epidem. cap.* 3. *text.* 71. adverſantur peſtilentibus conſtitutionibus, quemadmodum auſtrina putrefactionibus favet. Pulcre enim canit OVIDIUS *l.* 7. *Metamorph.*

Lethiferis calidi ſpirarunt flatibus auſtri.

Peſtis in Ægyptum ex Barbaria ſæva; ex Syria mitior.

15. Accedit vero, inquit ALPINUS l. c. peſtis in Ægyptum ex Barbaria, & quidem ſæva, ex Syria mitior. In Barbaria enim aer ſumme calidus & ventis deſtitutus, corpora penetrantiſſime deſtruit & corrumpit; unde ſubtiliſſimæ & intenſiſſimæ fiunt putredines, quæ propagantur, præſertim ſub cœlo vario, ubi modo frigus, modo calor corpus excipit. Talis enim aeris habitus, dum exitum ſordiū ſubtiliorum per

cutis

cutis poros impedit, ad recipiendum contagium corpora præſtat præparatiora. Ex hiſce regionibus calidiſſimis recipiunt peſtem non modo Ægyptus, ſed & Turcicum imperium, Græcia & Italia, quæ olim hac lue graviſſime plerumque vexabatur. Quem in finem prudenter hodierno tempore lege cautum eſt, ut qui ex illis regionibus ad Italiæ oras adpelluntur, circa hujus regni limites per quadraginta dies ſubſiſtere & commorari teneantur. Turcis perquam familiaris peſtis eſt, quod præter cœli vitium ſorditiem amant, frequenter balneis utuntur; quibus corpora laxa, ſpongioſa, & ad contagium concipiendum aptiora reddunt, præterea vino, quod contagium alioquin egregie depellit, ſe abſtinent. Quanquam quidem ipſi peſtem parum curent, quoniam unicuique ſuum pereundi modum ac fatum deſtinatum eſſe credunt, quod effugere nemo poſſit. Quandocunque itaque peſtis ad noſtram tranſvecta eſt Germaniam, per Italiam vel Hungariam ſemper legitur adlata, & primum vel Hungaria, vel Polonia & Auſtria eadem adflicta fuit. Ita 1347. regnante Carolo IV. totum fere orbem occupavit peſtilentia, cum ex Aſia in Europam trajeciſſet, eademque Germaniam noſtram maxime infeſtavit eamque ita exhauſit, ut ne tertia quidem hominum pars ſuperſtes remaneret.

Ex illis oris in Italiam reduces quadraginta dies ſubſiſtere tenentur.

Peſtis ad Germaniã per Italiam vel Hungariam ſemper legitur allata.

Loci percalidi patria Peſtis.

16. Tenendum vero, etiam in locis percalidis, quæ patria quaſi ſunt peſtis, variare quoque peſtis venenum, & altero anno gravius infeſtiuſque, altero mitius & clementius evenire. Nempe uti in noſtris regionibus mutationes tempeſtatum contagioſos ac putridos morbos adferunt, ita etiam in calidiſſimis his locis, ſi tempeſtatum accedit intemperies, vel aliæ res externæ, quæ corruptionem movent, junguntur, graviſſima exiſtit putredo. Inde peſtis atrocitate & magnitudine periculi funeſta, inde contagium multa millia hominum rapiens.

Plura aerẽ inficiendo ad putredinem corpora diſponunt.

Ut aquarum ſtagnationes.

17. Plura vero ſunt, quæ aerem inficiendo, ad putredinem corpora diſponunt, quorum noxam uſus & experientia demonſtrat. Maxime omnium vero ſtagnationes diuturnæ aquarum ſuper terram & inundationes putridum & corruptum eum præſtant. Aer certe per ſe non vitium capit, ſed vaporibus putridis aquarum & exhalationibus cadaverum repletus peſtiferam vim naturamque induit. Quod eleganter confirmat Prosper Alpinus, qui diu commoratus in Ægypto feraci hujus mali terra, diſerte ſcribit, peſtem eodem loci *non* oriri, niſi aqua Nili ſolenni inundatione effuſi diu ſuper terram deſideat. Aqua enim diutius ſuper terram morata ſtagnat, & accedente *æſtate*, quæ ferventiſſima ibi, tabem putredinemque concipit. Idem comprobat diligentiſſimus harum rerum ſcriptor Dapperus *in deſcriptione Africæ*, qui identidem adfirmat, nuſquam in Ægypto peſtem conſpici, niſi Nilus immodice effuſus nimium exundet in regionem. Neque aliter Montanus, qui narrat, prope Famaguſtam Cypriæ oppidum, locum eſſe, qui æſtatis tempore corruptus caloris vi, largum peſtilentium morborum ferat proventum. Si Hallenſes annales a Cl. Oleario conſignatos inſpicimus, Salæ Fluvii exundationes plerumque peſtem & peſtiferos morbos attuliſſe legimus: vid. p. 132. 141. 136. & ſeqq. Anno 1120. aquarum diluvium ſecuta eſt funeſta peſtis p. 140. Anno 1196. poſt aquarum inundationem fames & peſtilentia invaſerunt p. 149. Latius argumentum hoc deduxi in *Diſſ. de Temporibus anni inſalub.*

Res exemplis probatur.

Aer per exhalationem cadaverum corrumpitur.

18. Corrumpitur vero aer mirifice per exhalationem cadaverum, cujus rei exempla notat Jul. Alexand. *l. c. de B. Punico*: it. *Hoſpinianus in vit. Henrici I. Imp.* Orosius l. v. A locuſtis corruptis peſtem in Ægypto exortam fuiſſe, ſacer Scriptor atteſtatur. Notabilis aphoriſmus eſt Damasceni p. 131. Ubivis gentium quocumque anni tempore phalanges muſcarum ſe proferunt, ibidem & ægritudines, quæ ex putredine oriuntur, in corpora indigenarum redundarunt. Noſtris in terris quando æſtate locuſtarum, aranearumque, veſparum agmina aerem repleverunt, aer putridis cauſticis inde vaporibus repletus morbos malignos & contagioſos exhibet. Anno ab urbe condita 628. cum per totam Africam immenſa locuſtarum examina confluxiſſent, frugibuſque & foliis corticibuſque arborum & omnibus herbis conſumptis, vento abreptæ repentino atque in globos coactæ jactatæque diu per aerem, africano tandem in pelago ſubmerſæ ſunt. Hæ vero denuo ad littus rejectæ fœtorem teterrimum atque abominabilem prorſus tabida & putrefacta ſua congerie excitarunt. Inde omnium pariter animalium peſtilentia conſecuta eſt, tum vel maxime avium, pecudum ac beſtiarum corruptione aeris diſſolutarum, ipſis cadaveribus, quæ computruerant, corruptionis vitium mirifice augentibus. In ſola Numidia 80000. hominum, circa oram vero maritimam Carthagini & Uticæ vicinam 20000. perierunt. Uticæ 30000. militum oppreſſa hoc malo, ac quotidie per unam portam a junioribus pluſquam 1500. mortuos elatos fuiſſe accepimus, vid. Diodorum Siculum *l. v.* Sic abjecta & inſepulta cadavera, ubi computruerunt, peſtilentes morbos excitare ſæpe, multis & variis conſtat obſervationibus, ex quibus tantum paucas adduxiſſe ſuffecerit. Kircherus in *ſcrutinio peſtis* commemorat p. 8. quod a cadaveribus boum peſte conſumtorum, cum eadem non obruerentur terra, peſtiferis morbis Gallia adflicta fuerit. Idem laudatus vir adſerit, piſces ac conchas ad littus rejectas, mox putreſcentes, cauſam unicam ſæpe eſſe continuæ fere peſtis maritimas oras devaſtantis. Eademque ratio eſt; cur in Ægypto frequens malum ſit peſtis, quoniam piſces, crocodili & alia monſtra, quibus eſt ferax Nilus, ſecuta exundantem fluvium in limoſos campos deferuntur, poſtea deſtituta aquis ibidem retenta computreſcunt. Videmus etiam, quod ubi piſcinæ glacie obducuntur, & piſces inde deficiunt, verno & æſtivo tempore ubi illi in corruptionem defluunt, peſtes oboriantur. Sub noſtro cœlo febres malignæ, quæ certo tempore magnam cladem inferunt, plerumque in caſtris oriuntur, & mox cum militibus in hyberna concedentibus in urbes adportantur. Quod quidem mali plerumque evenire videmus, quando hoſtis ſuis caſtris decedere coactus alteri eadem relinquit, quæ ab eodem occupantur. Cauſa eſt maxime ſordium & excrementorum copia, tam ab animantibus quam hominibus; cauſa etiam exhalationes ex cadaveribus inſepultis. Accedit tempore autumnali humidus & frigidus aer, qui ſpiramenta cutis per quæ ſubtiles & acres ſordes exire debebant, claudit. Adjice famem & quæ

Inſectorũ agmina aerem putridis vaporibus replẽt.

Quod Hiſtoria confirmatur.

Truculentiſſima Peſtis.

Ex cadaveribus boum peſte conſumptorum Gallia morbis peſtiferis afflicta fuit.

In Ægypto frequens peſtis & quam ob cauſam.

Idem alibi ex eadem cauſa conſpicitur.

Febres malignæ in caſtris oriuntur ab excrementorum copia.

Ab aere quoque humido & frigido.

quæ hanc, debilitato jam corpore, ubi in hyberna pervenerunt, excipit voracitas, labores, excubiæ, quæ vires maxime conſumunt. Hæc

Tandem a fame.

quidem omnia quomodo vires corporis debilitent & ad putredinem viam aperiant, cum abunde notum ſit, non longiore opus eſt explicatione. Atque hæc ipſa ubi in locis ferventiſſimis & æquatori propioribus fiunt, augent & accendunt vim veneni & malignitatis.

19. Poſtquam itaque perſecuti ſumus peſtis naturam & indolem, non alia re niſi ſumma putredine contineri, quæ contagio ſuo celerrimo corpora inficit & juvante aere, quo velut curru vehitur, ab uno corpore ad alterum tranſfertur, facile patet, in aere, ut vulgi fert opinio, non eſſe corruptionem univerſalem, illumque malignum veneno infectum.

In aere non eſt corruptio univerſalis.

Nam frequentiſſime accidit peſtem graſſari ſub conſtitutione aeris temperatiſſima & benigna. Quapropter merito diſtinguendum inter peſtem, quæ ex contagio fit & beneficio aeris tranſfertur, ubi nulla aeris eſt corruptio, & inter ipſam originem peſtis & morborum malignorum contagioſorum, ubi aer non tam in ſubſtantia corruptus, ſed potius ob exceſſivam nimiam humiditatem, quietem, dum ventis non ventilatur, & copiam putridorum vaporum, quibus onuſtus eſt, ſanitati & vitæ fit nocentiſſimus.

Fruſtra agunt medici, qui tempore peſtis ad corrigendum aerem hunc jugibus ſuffimigiis replent.

Fruſtra itaque illi agunt medici, qui peſtis tempore ad corrigendum aerem in urbe magnos faciunt apparatus, aerem replentes varii generis & continuis ſuffimigiis, quæ magis damno, quam emolumento ſunt corpori.

20. Diximus jam de natura ipſius contagii & peſtis origine ac cauſis, ſequitur jam, ut etiam de corporibus eorumque diſpoſitione ad recipiendum contagium noſtram mentem explicemus. Vetus eſt canon philoſophicus: Corpora non agere tantum ſecundum ſphæram activitatis ſuæ, ſed ſecundum modum receptivitatis.

Non quodvis agit in quodlibet.

Non enim quodvis agit in quodlibet, ſed ſubjectum aptum idoneum ad agendum poſcit. Proinde non in omnia corpora agit vel agere poteſt miaſma peſtiferum, ſed certis ſubjectis infenſum eſt.

Quibus Peſtis omniũ maxime periculum minatur.

Ingens vero periculum quam maxime minatur ipſis infantibus, pueris, fœminis magis quam viris, gravidis maxime, plus phlegmaticis quam ſanguineis, melancholicis & cholericis. Qui habitu corporis ſunt laxiori, poros magis patulos & latiores habent pingues & obeſi ſunt, faciliorem contagio aditum præbent, quam qui compreſſum & conſtrictum corporis habitum. Et ut rem in pauca conferamus, omnia ea corpora, quæ humorum gaudent copia & per quorum venas ſanguis tardius fertur, & ubi tranſpiratio imminutior, & excretiones imminutæ ſunt, hæc ad ſuſcipiendum & propagandum quoque contagium aptiſſima judicaveris. Contra in quibus ſanguis citatius per venas circumfertur, excretiones ſunt laudabiles nec non tranſpiratio vegeta, hiſce minus periculo ſunt expoſita. Nam nihil magis adverſatur putredinis energiæ, quam ipſe motus progreſſivus, nil magis eam adjuvat, nutrit ac alit, quam humorum ſtagnatio & tardior curſus, ubi ſeſe diffundere & multiplicare quam aptiſſime poteſt, in ſimilem naturam ſegnes cunctanteſque impuros humores converſura. Præterea in quorum ſuccis & ſanguine ingens eſt impuritas, cujus generis ſunt cacochymici, ſcorbutici, ſcabioſi, in illis & facilior ſuſceptio & celerior contagii fit propagatio. Ex quo facile quiſque intelligere poterit, omnia ea, quæ corpus depravant, vires enervant, tonum partium minuunt & labefactant, excretiones conſuetas & neceſſarias prohibent, peſtis tempore omni ſtudio eſſe evitanda.

Omnia quæ corpus depravant & vires enervant &c. tempore peſtis omni ſtudio ſunt vitanda.

Neque ſilentio prætereundum, carnes omnes corruptas comeſtas augere impuritatem & valde nocere. Sæpius accidit, ut ob autumnum ſolito humidiorem ovium & pecorum ſtrages fiat viſceribus intus corruptis, quorum cadavera plebi viliſſimo pretio venditata uberrimos ſane ſuppeditant humorum putridorum proventus, adeo ut nonnulli ſagaciores exinde malignarum originem deducere ſoleant. Notavit id olim Fernelius, qui l. 6. c. 10. p. 139. tradit eos, qui pravis & putridis carnibus utuntur facile incidere in dyſenteriam & morbos contagioſos.

Senes & melancholici minus contagio ſuccumbunt quam floridæ ætatis homines.

21. Obſervatione vero ſolerti & frequenti compertum eſt, ſenilia & melancholicorum corpora, nec non quæ craſſum paulo & viſcidiorem in vaſis fovent ſanguinem, minus ſuccumbere contagio, quam calidioris naturæ floridæque ætatis. Natura enim morbis, ut cum Plinio loquamur, quaſdam poſuit leges, videlicet in ſenibus non tanta ſulphuris in ſanguine adeſt copia, non tanta partium mobilitas, ut tam facile miaſmati putreſcibili obſecundent, quod etiam valet de melancholicis & alio morbo diuturno, febre vel etiam ipſa peſte laborantibus.

Qui ſemel peſte afflicti fuerunt rarius altera vice in hanc incurrunt.

Qui ſemel enim peſte afflicti fuere, rarius altera vice in hanc incurrunt, horum enim ſanguis per fortiorem inteſtinum motum orbatus quaſi tenuiſſimis ſulphuris partibus, quæ facile obſecundant genio miaſmatis, peſti non patet.

Timor peſtis eminentiſſima cauſa.

22. Accedimus jam ad ipſum timorem, quem aſſerimus etiam cum aliis truculenti mali peſtilentialis eminentiſſimam cauſam.

Negamus tamen eam nil niſi terrorem eſſe. Idque plurimas ob cauſas contrarium confirmantes.

Neque vero ſumus in ea ſententia, ac ſi peſtis nil niſi ſit terror & impreſſio fortior de imagine peſtiferi morbi & repentina morte. Opus enim non eſſet, ut ex calidiſſimis regionibus originem accerſeremus, neque lanis & pannis ex una regione in aliam tranſvehi poſſet, quod tamen confirmat experientia. Neque infantes & lactantes, qui tam fortioris impreſſionis expertes ſunt, facile poſſet corripere. Neque video cur huic graviſſimo morbo contagium denegare velimus, cum alii, ut variolæ, morbilli, febres petechiales, ſcabies, lues venerea, lepra contagio in alia corpora ſerpant. Æque minus perſpicimus, cum dentur ægritudines pecoribus contagio peſtilentiali infenſæ, qua de cauſa humana corpora, quæ tamen ad putrefactionem omnium ſunt paratiſſima, a taliſmodi malis immunia dicere velimus.

Certum eſt quod in peſte ſit contagium.

Certum itaque eſt in peſte contagium, certum etiam illud, quod nihil magis noceat corpori jam infecto vel ad infectionem faciat vel vehementiam morbi augeat, quam peſtilentiſſimus terror.

Licet exẽpla quædam contrarium probare videantur.

Neque ibo inficias, dari caſus, ubi nullo præſente contagio, ſola fortiori phantaſia, terrore ac impreſſione de peſte, poſſe quendam minus firmo corporis ac ratione præditum ſubſimilibus, quæ peſti ſunt propria, ſymptomatibus corripi. Poſſunt talia exempla legi in elegantiſſimo libro, quem conſcripſit Clariſſ. Rivinus *de Peſte Lipſienſi*. Barbette in *Tractat. de Peſte p.* 257. ſolum terrorem poſſe peſtem inducere ſtatuit. Mirifica enim imaginationis vis ac potentia eſt in corpus noſtrum, quod cla-

riſſime inter alia teſtantur ex ſolo terrore ac imaginatione fœtui in utero notæ impreſſæ. WEINRICHIUS *in Lib. de monſtris* ſcribit, quandam gravidam cum vidiſſet maritum ferali pectoris vulnere percuſſum, infantem mox peperiſſe, qui eodem quo maritus vulnus acceperat loco, conſpicuam rimam repræſentaret. GEORG. HORSTIUS *in Ep. ad* FABRICIUM refert An. 1610. Pragæ puerum natum, cujus jecur, inteſtina, lien, ventriculus extra umbilicum propenderint, nec aliam tam monſtroſi partus cauſam apparuiſſe quam ſolam matris imaginationem. Hæc enim tribus ante partum menſibus mactatum forte vitulum viderat, ex cujus aperto ventre viſcera omnia, uti fieri ſolet, eminebant. Longa oratio foret, ſi animus nobis eſſet, plura ejuſmodi exempla, quorum magnum proventum hiſtoriæ medicæ habent, hic congerendi, cum imaginationis vis ex aliis ſubinde rebus confirmetur. Sola imaginatione quoſdam purgari, quoſdam viſo tantum ejuſmodi medicamento alvum copioſe dejicere *M. N. C. Dec. A. IV. Obſerv.* 160. it. *Dec. I. A. VI. Obſerv.* 138. adſerunt. Sola imaginatione etiam ſudorem ſæpe profuſum moveri, curioſo aliquando experimento vidi, quod pulveri ſympathetico urinæ injecto perperam adſcribitur. Multos febricitantium curatos ſola imaginationis vi teſtatur BORELLUS *Cent. III. Obſ. 6.* Quidam cum epilepticum concidentem conſpexiſſet, eodem malo mox periclitatus eſt, quod noſmet ipſi & alii etiam obſervarunt. Ex ſolo aſpectu infantis e longinquo, qui nævos ex variolis habebat, mox virginem generoſam variolarum morbo correptam fuiſſe hic Halæ obſervavi.

Et hiſtoria medicæ de vi imaginationis in quibuſdam refertiſſimæ ſint.

Nec dubitandum ex ſola imaginatione fortiori & terrore peſtem abſente etiam contagio corripere poſſe corpora.

Neque dubitandum eſt, ex ſola imaginatione fortiori & terrore peſtem abſente etiam contagio corripere poſſe corpora. Collegit ejuſmodi obſervationes GISLERUS *de Peſte Brunſuicenſium Obſ.* 9. 10. *&* 11. Terror itaque in peſte plus ſæpius nocet, quam ipſum contagium, unde ſcribit RIVERIUS *de febre peſtilenti pag.* 105. Nonnulli exiſtimant, in obſidionibus & caſtris morbos peſtilentes non tam ex prava victus ratione & cadaverum fœtore, quam terrore, metu, anxietate & mortis formidine provenire, quæ humores exagitet eoſque tumultuari ac fluctuari faciat. Aſſentientem quoque hac in parte habemus CARDILUCIUM, qui p. 24. *de peſte* ſcribit: Interdum hæc lues in locis ſanis, ubi aer purus, nec infectio ab aliis locis metuenda per imaginationem poteſt excitari, ſi nempe affertur, nuntius (quamvis ſit fictus) quendam ex amicis proxima in regione peſte mortuum eſſe, unde ſummus terror, & ingens etiam de peſte imaginatio oriuntur, unde quis ſibi ipſi morbum mirabiliter arceſſere & conſequenter alios inficere poteſt. Peſtem per pavorem, conſternationem & imaginationem exortam & progreſſam JOH. MATTHESIUS *cenſuris difficultat. med. quæſt.* 36. deſcribit. Bonshemi in Electoralis Palatini oppido anno 1591. ancilla ad crucem auream ex falſa perſuaſione in peſtem incidit, & quod noctu viatorem ægrum curru advectum morientem viderat, ſibique quod peſte obiiſſet, firmiſſime perſuaſerat, cum tamen tum temporis nulla peſtis uſpiam graſſaretur: qua defuncta parentes illius ex veſtibus ejus relictis fomenta peſtis concepere. Ita ex uno homine infecto tantum inquinamenti exhalari poteſt, quantum pro mille inficiendis ſufficit. Vid. FLAMIN. GASTONIS *Tract. de Peſte Sect.* 1. MINDERUS *Lib. de Peſtilentia c.* 10. meticuloſos, ac terrore de facili perculſos levi occaſione incurrere in peſtem, ſcribit. Et SENNERTUS *lib. de febribus* inter cauſas peſtis imaginationem terrorem & timorem ponit, & hanc cauſam putat primariam, quod veſpillones & clinicæ mulieres, Chirurgi & alii qui animo præſente & alacri peſte infectis & mortuis ſuas operas locant, raro peſte inficiantur, qui vero animo minus præſentes ſunt, ſubito inficiantur & extinguantur. Amuleta contra peſtem præſtantiſſima eſſe præſidia non novum, ſed in vulgus notum eſt, non vero alio modo operantur, quam quod magna fiducia prædíti non timeant peſtem, unde ab ipſa immunes degunt. Neque dubium eſt quin formidine depoſita & excuſſo protinus timore, quod cum tempore fit, peſtis vehementiam tandem remittat.

Terror in Peſte plus ſæpius nocet, quam ipſum contagium.

Quorum diverſa Exempla in medium proferuntur.

Quare veſpillones &c. qui animo ſunt præſente raro peſte inficiantur.

Amuleta non alio modo operantur, quam quod magna fiducia præditi non timeant peſtem.

DISSER-

DISSERTATIO
DE PESTE
EJUSDEMQUE CURANDÆ RATIONE.

Primùm edita anno 1708.

PROOEMIUM.

PESTIS ingenium naturamque proxima diſſertatione, evidenter ſatis in conſpectum datam arbitramur. In qua fuſe admodum deductum fuit, conſiſtere ejus naturam partim in ſubtiliſſimo putrido principio, partim in ſolo terrore, ſæpe etiam utrumque ad conficiendum ægrum concurrere. Jamque operæ pretium me facturum arbitror, ſi paulo curatius demonſtrem, qua ratione duplices hæ cauſæ, quas modo poſui, in corpora vim ſuam exerant quomodo eadem lædant, in quænam maxime corpora exerceant regnum, & undenam atrox tot ſymptomatum turba & ipſa mors conſequatur. Hiſce enim recte cognitis facilis & expedita curationis ratio inde deducetur.

§. 1.

De vi terroris qui tempore peſtis timidos homines perculit.

AC de terrore quidem, cum in priore diſſertatione uberius dictum ſit, paucis ſaltem meminiſſe juvat, hunc ſolum ſæpe, cum peſtis tempore perculit timidos homines, maxima pollere vi & peſtem, atque ipſam mortem inferendi. Dum enim vehementiſſimo ſpaſmo circuitum corporis conſtringit, depulſus inde ſanguis ſumma cum vi ad interiora, maxime ad cor ruit, ibidemque facile ſyncopen, præcordiorum æſtus, epilepſiam, inflammationem, palpitationem cordis ceteraque mala excitat, quorum vehementia defatigatus æger paucos intra dies collabitur. At ampliorem paulo explicationem deſiderat modus, quo miaſma illud putridum, quod peſtem conſtituit, corpora depopulatur. Atque id ipſum quidem duplici omnino via in fabricam corporis noſtri graſſatur, ſiquidem vel in primis ſtatim viis ſævitiam ſuam oſtendit, inque iiſdem inflammationem excitando, funeſtum eſt, vel ex iis in ſanguinem per venas lacteas & poros diffuſum, totam humorum maſſam, qua ſerpit, putredine corrumpit, perniciemque corpori machinatur. Cum enim peſtilentialis aura juvante aere, ore excepta, ſalivæ primum ſe admiſceat, mox cum eadem ad ventriculum deſcendat, facile intelligi poteſt, in eo, velut in parte delicatiſſimi molliſſimique ſenſus, primum furorem mali exurgere. Quare non imprudenter facere videntur, qui ut a contagio corpus defendant, ſubinde expuere jubent, commendantes eum in finem maſticatoria, & ejuſmodi res, quæ ſtimulando glandulas ſalivam movent, ut ſi quid contagii inhæſit, id ſtatim cum ſaliva rejiciatur. Neque mirum vero, in ventriculo & inteſtinis illud miaſma peſtiferum malorum ſcenam inſtruere, cum ibi adfuſo & ſucco pancreatico, & bile, maxime augeatur, & incrementum capiat. Quos humores dum in naturam ſuam trahit, motuque inteſtino corrumpit, virulentiorem vim induit, quod vel abunde ſymptomatum atrocitas teſtatur. Humores enim acres ſtagnantes dum arrodunt ventriculi tunicas, inflammationem ibi moliuntur, veneni plane naturam æmulantes. Qui adfectus quam funeſtus, quantoque cum periculo junctus ſit, ſatis ſuperque docent omnia venena cauſtica ac acriora, quæ non alio modo necant, quam quod vehementiſſime conſtringendo ventriculi tunicas, inflammationem excitent, quod Cl. WEPFERUS in *lib. de cicuta aquatica*, fuſe eruditeque admodum perſecutus eſt, variiſque idem comprobavit experimentis. Inde eſt, quod HELMONTIUS p. 887. & DIEMERBROECKIUS pag. 272. in diſſectorum ventriculo ſtigmata maculaſque nigricantes ſe reperiſſe adfirment. De qua quidem inflammatione ventriculi, frequenti admodum ſed parum cognito adfectu, fuſius ſupra egi.

Quomodo operetur.

Haud imprudenter agunt, qui ut a contagio corpus defendant, ſubinde expuere jubent.

Qua de cauſa cauſtica venena occidant.

In diſſectorum ventriculo ſtigmata & maculæ nigricantes repertæ.

2. Peſtis autem vim in ventriculum, & ex ea conceptam inflammationem, ipſa ſymptomata, quæ gravitate ſua maxime terrere debent, demonſtrant. Summa certe præcordiorum anxietas ardorque, calor internus, exteriorum frigus, inquietudo, ſitis, linguæ ariditas, delirium, pulſus inæqualis languiduſque & parvus, imo nauſea, vomitus, alvique profluvium, quid aliud loquuntur, niſi præſentiam veneni peſtiferi intra tunicas ventriculi ferocientis? Quæ quidem ſymptomata cum admodum

Peſtis vis in ventriculo maxima.

modum copioſe & erudito ingenio explicet Cl. Fr. de le Boe Sylvius *Praxeos med. tr.* 4. p. 624. tum alii profeſſores artis vel ſcriptores, qui graſſante peſte vixerunt, memoriæ prodiderunt.

Quod ratione & obſervatione probatur.

Antiquiſſimus ſcriptor Thucydides de famoſa illa peſte, quam ſpecioſe deſcribit, teſtatur, quod qui correpti ea fuerint, ita exurerentur iis interiora, ut ne ſubtiliſſimi quidem veſtimenti contactum tolerarent, quamvis ipſum corpus, ſi extrinſecus tangeres, non admodum caleret, cutis vero exiguis puſtulis efflorefceret. Inde etiam Forestus *l. 6. obſerv.* 10. dilucide ſcribit, eos qui Delphenſi in peſte periclitarentur, ex humorum in corde virulentia (uti loquitur) ſumma inquietudine jactatos fuiſſe, modo de latere in latus, modo in ventrem, modo in dorſum volutatos, eoſdemque modo ad caput modo ad pedes ſe dejeciſſe, furentis intra præcordia incendii impatientes. Neque aliter Rivinus, qui in eleganti libello, quo peſtem Lipſienſem complexus eſt, liquido adfirmat, p. 6. in pleriſque fere præcordiorum ſe obſervaſſe anxietatem & cum hac internum æſtum, ſitim nullo humore reſtinguendam, linguæ ariditatem, inquietudinem, jactationem, ſpirandi difficultatem, artuum tremorem, motus convulſivos, vomitus, alvi fluxum, hæmorrhagias periculoſas, dolorem acerbum lumborum viriumque proſtrationem. Kircherus *de peſte pag.* 28. hæc ejuſdem ſymptomata commemorat, nempe cordis angorem, pectoris æſtum, cibi faſtidium, vomitus, animi dejectionem, tenſionem præcordiorum, ſitim, gutturis ardorem, halitus graveolentiam, linguæque ſcabritiem nigritiemque. Et de Brunſwicenſi peſte Gieslerus *obſ.* 13. 14. 15. tradidit, plerumque eam cum nauſea vomituque & alvi etiam fluxu incepiſſe.

Videlicet quod omnia recenſita mala nil aliud quã ſpaſmodicã ventriculi contractionem funeſtamque inflammationem ſignificent.

Quæ quidem omnia mala nihil aliud ſignificant, quam ſpaſmodicam ventriculi & præcordiorum contractionem earumque partium funeſtam inflammationem. Eadem ex re adparet, ferale peſtis miaſma ventriculum inprimis infeſtare, cujus ſumma ibidem vis maxime conſpicua eſt & atrocitate ſymptomatum & necandi celeritate.

3. Quodſi autem intacto ventriculo & inteſtinorum ſinu per poros & vaſa lactea in ſanguinem transfunduntur corrupti intra primas vias ex putrido miaſmate humores, pro varietate corporis varia idemtidem facie incedit contagium, modo clementius agens, modo ferocius & cum jacentis ſummo diſcrimine.

Quomodo ulterius in corpore pergat peſtilentiale venenum.

Quippe cum in corpus debilius, fameque & adfectibus vel intemperantia & venere exhauſtum incidit, vel ſi ſuccis crudis impuriſque turgens ſanguis, ſegni cunctantique alveo progreditur, in lympham maxime & ſerum, quod hinc inde ſtagnat vim ſuam putreſcibilem transfert. Inde extincta naturali lymphæ virtute, ipſum elaſticum fluidum vitiatur, & a perniciali illo fœtore, cordis muſculus arteriarumque motus, qui ab illo in robur excitari debet, langueſcit, viribuſque imminutis ſanguis tardius movetur & putreſcere incipit, quia imbellis natura, erepta omni vi, minus ſufficit peſtifero fermento ad exteriora propellendo. Quod ubi accidit, ſine ſingulari dolore ardoreque, adfecti deficiunt, omni vitali robore extincto & tota ſanguinis humorumque maſſa in pernicialem putredinem commutata. Eandemque ad ſolida etiam jam penetraſſe, inflatio, partiumque marcor & livor indicant. Tali in caſu pulſus naturali ſimillimus eſt *uti* Galenus *lib. IV. de præſagiis ex pulſibus* bene obſervat, calor ac tactus mitis & blandus, ſudor & urina copioſa turbidaque, ut vix febricitare videantur.

Ubi robore pollet natura tum virus ad corporis ambitum explicatur.

4. At ubi contra viribus ac robore pollet natura, & ſanguis libero & expedito itinere corpus pererrat, tunc putridum illud corruptumque virus, quod in ſanguinem tranſmiſſum fuit, naturæ viribus ad corporis ambitum explicatur. Idque ipſum ſub ſpecie bubonum & carbunculorum in ſumma cute ſeſe repræſentat, quo in caſu meliora ſperare licet, quippe de experientia notum, prodeuntes in peſte bubones & id genus exanthemata, adeo non triſtia minari, ut iiſdem erumpentibus infecti potius ſæpiſſime futuræ morti eripiantur. Quod ipſum quidem quam ſalutare ſit corpori, vel ex eo conſtat, quod hæc exanthemata, ubi adparere cœperunt, demonſtrent, virulentum principium, a ſanguine expeditum, quaſi critico motu ad ſummam cutem depulſam fuiſſe.

Poſt excretionem ſymptomata imminuuntur.

Eademque de cauſa poſt excretionem ejuſmodi ſymptomata imminuuntur, cum manifeſto argumento, malignam materiam ad exteriora ſeceſſiſſe. Sicuti id ipſum variolæ morbilli, eryſipelas & alia exanthemata confirmant, quæ ubi cutim ſubierunt, ſymptomatum furor, ante eruptionem ſævire ſolitus, ſtatim conquieſcit.

Bubones clementiores quam carbunculi.

5. Bubones autem clementioris ſunt naturæ, quam carbunculi aliique generis maculæ, quibus in peſte cutis deformatur. Sunt vero nihil aliud bubones, quam glandularum inflammationes, junctæ cum tumore, æſtu gravique dolore, iidemque ea inprimis loca, per quæ feruntur glandulæ, occupare ſolent, unde circa collum, mammas, inguina & ſub axillis, ubi majores paulo glandulæ poſitæ ſunt, maxime conſpiciuntur. Inflammantur etiam in peſte parotides, quæ tamen inflammatio bubonum nomine minus inſignitur. Ac ipſas quidem glandulas corrupta peſtifero miaſmate materia ea de cauſa maxime infeſtat, quoniam hæ ex ſubtiliſſimis tubulis membraniſque nerveis exquiſiti admodum ſenſus conſtant, unde acris cauſtica materia delata ad tubulos cum lympha, dum ibi ſtagnat, corroſione ſua ſpaſmum ac dolorem efficit: Inde conſtrictis tubulis ſanguis & lympha, intercluſo exitu, ibidem deſidet, mox ex humorum ſtaſi partes intumeſcunt, donec ſtagnantes humores corrupti in abſceſſum reſolvantur. Simili de cauſa in eryſipelate inguinales glandulæ cum ardore ac dolore intumeſcunt, quamvis in abſceſſum non eant, quoniam viſcida acris lympha ad has partes delapſa dolorem & ex eodem ſtagnationem excitat.

Salutem prænunciãt ſi cum prodeunt ſymptomata levantur.

6. Salutem autem prænunciant bubones, ſi cum prodeunt, ſymptomata levantur, calor decreſcit, & corpori paulo ampliores vires, mentique erectior redit alacritas. Bonam idemtidem ſpem concipere oportet, ſi iidem matureſcunt, ſi attolluntur & laudabile pus fundunt. Sicuti enim variolæ, ſi bene matureſcunt, & pure albicante abundant, felicem morbi eventum, ita & bubones, ſi ejuſmodi modo procedunt, bona pollicentur. Quippe maturitas oleoſum benignumque ſerum indicat, quo materia acris emollita velut amiſſo aculeo torpet.

7. Si quando autem minores ſunt bubones, ſi lente

Contrariū fit ſi lente ſe profe-runt vel interiora repetant.

ſi lente cunctanterque ſe proferunt, & ſymptomata increſcunt, vel ſi iidem interiora repetunt, ſi duri ac immaturi & nigricantes inter initia ſtatim adparent, coloremque viridem vel plumbeum referunt, ſiniſtrum exitum omnino augurantur. Neque in obſcuro eſſe poteſt ratio., quippe ſub his ſignis maligna ſuccorum indoles & ſumma virulentæ materiæ vis & acredo ſignificatur. Peſſimum etiam ſignum eſt, ſi poſt bubones petechiæ cutem occupant, ſiquidem eo ipſo intelligitur, nondum omne venenum cum bubonibus ad cutim exiiſſe, ſed multum adhuc malignitatis humoribus implicitum inter corpus reſidere Vid. ſollertiſſimus Practicus RAYGERUS *Obſerv. 39.*

Si poſt bubones petechiæ appareant peſſimum ſignum.

Anthraces non glandulas ut bubones, ſed artus & muſculos eorumque membranas & tendines invadunt.

8. Alia ratio eſt carbunculorum ſeu anthracum, qui non glandulas ut bubones, ſed artus & muſculos eorumque membranas & tendines invadunt. Quæ partes quo teneriores ſunt quo molliori ſenſu pollent, eo plus periculi ægro portenditur, quod etiam ex ſymptomatibus, cum quibus hæc exanthemata erumpunt, facile patet. Antequam enim puſtulæ eruptionem moliuntur, inſignis cordis angor, nauſea, frequenſque animi deliquium ægrum defatigant. Mox ubi emicare cæperunt, circuli nunc rubicundo, nunc cinericio fuſcoque colore coronæ in ſpeciem ſepti, adparent; non raro etiam pluribus veſiculis miliaribus, nunc albeſcentibus, nunc liveſcentibus, dividuntur, aut nodi vel tuberculi alte in cute hærentes furunculi in modum ſummo cum incendio & dolore erumpunt, circumjacentibus partibus rubore lividoque vel cæruleo colore defædatis. In ſumma: furunculorum malignorum naturam exprimunt & ubi in copia ad extrema artuum ſe effuderunt, funeſtæ plerumque ſunt cum propter graviſſimum dolorem, quem ibi movent, adfecti facile conficiantur. Idem periculum propoſitum eſt, ſi ſub ſiniſtra ala vel circa fauces conſederunt. Hæ ipſæ enim papulæ inſtar gangrænæ manant, magnam interdum partem muſculorum exedentes, niſi mature commodiſque auxiliis eorum impetum infringamus.

Furunculorum malignorum naturam exprimunt.

Ferales plerumque parotidum tumores.

9. Tumores vero parotidum ſicut in omnibus malignis morbis, ita in peſte etiam plerumque ferales ſunt, ſi in augmento atque ſtatu morbi hæ glandulæ intumeſcunt. Quamvis enim maligna materia eo transferatur, ob molliſſimum tamen ſenſum earum partium, plexuſque nervorum & cerebri vicinitatem, graves ex eadem orti ſpaſmi lethalia ſymptomata & ipſam mortem adferunt. Quando autem iidem tumores in decremento morbi accedunt, & ad ſuppurationem inclinant, ſalutem etiam prænunciant, quia virulenta materia, qua cauſa morbi continebatur, jam temperata peſtiferam vim perdidit.

10. At ubi venenum peſtilentiale a ſanguine jam digreſſum intra corpus remanet, vel ſub bubonum ſpecie jam ad cutem depulſum ad interiora remeat, quod vomitu, terrore, alvi fluxu & frigore accidit, tum virus intra corpus receptum cum ſanguine & lympha ad interiores partes pervagatur. Quæ quo nobiliores, quo ex ſenſibilioribus membranis conſtant, in eo gravius periculum conjiciuntur. Ubi itaque ad duram matrem delatum fuit, maximum in diſcrimen vitæ adducuntur ægri, quippe pernicioſam ibi molitum inflammationem phrenitidem producit. Sub quo adfectu facies ſanguine turget, oculi rubent, ardent, & ſine jacentis voluntate illacrymant. Iidemque torvum vident, ſudorque circa caput, collum & cervicem frigidus fluit, ſitis alioquin vexare ſolita conquieſcit. Quod argumento eſſe poteſt, a ſanguine ſtagnante ſeri copiam digreſſam & ad fauces delapſam ſitim reſtinxiſſe, & materiam ſudori lacrymiſque ſuppeditare. Atque ab eodem ſanguine intra cerebrum & membranas ejus deſidente fit, ut filamenta nervorum varie irritentur, unde mens variis phantaſmatibus perturbatur, & partes ægrotantis involuntarie hinc inde commoventur. Floccos porro ægri legunt, & modo huc modo illuc in lectulo ſe jactant, modo in hoc modo in aliud latus ſe devolventes, & mox ex ſuperiore ſitu ad interiora prolabentes. Nutant præterea pedes, in membris fit ſubſultus, qui maxime in manuum carpis deprehenditur, reſpiratio fit difficilis, pulſus tremulus & formicans debiliſque atque inæqualis, a nervearum nempe tunicarum, quibus arteriæ circumdantur, convulſione. Tandem ubi exteriora corripuit ſpaſmus, facies ex purpureo in plumbum colorem vertitur, extinctoque ſimilis inalbeſcit, tempora collabuntur, nares acutæ fiunt, quæ omnia demonſtrant, mortem adpropinquare.

Quando maxime in diſcrimen vitæ adducantur ægri.

Mortis approximantis ſigna.

Quandoque maligna hæc materia anginam excitat.

11. Quodſi vero maligna materia introrſum regreſſa ad fauces & laryngem deflectit, inflammationem excitat, quam anginam adpellamus. Quæ cum per ſe periculo non careat, tum, ubi peſti accedit, maximum periculum denunciat, ſiquidem correpti peſte, ubi hoc malo adfliguntur, plerumque decedunt, uti bene *idem laudatus* RAYGERUS *obſerv. 39.* adnotavit. Neque enim ignotum eſt, quod angina fauciumque inflammatio graviſſimum periculum adferant, ſi acutis maligniſque febribus adſocientur. Quod jam dudum agnovit Medicinæ Parens HIPPOCRATES, qui *prorrhet.* l. 1. §. 11. diſerte ſcribit, in acutis morbis faucium ſine tumore dolores puſillos & ſtrangulantes eſſe pernicioſos. Adde *aphor. 35. ſect. IV.*

Subinde cardialgiā, ſingultum, &c.

12. Ubi vero ad ventriculum rurſus declinatur venenum hoc, præter ſymptomata, quæ ſupra recenſuimus, cardialgiam atrocem, ardoremque vehementiſſimum, extremorum frigus, defectionem animi & ſingultum haud dubium futuræ mortis indicem procreat. Idem ubi inteſtinorum membranis inhæſit, periculoſæ fiunt diarrhœæ, quia plerumque ſoluta in peſte alvus, niſi tempore critica deſcendat, mortem comminatur. Inde CLAR. RIVINUS *in tractatu de peſte* ſolerter adnotat, vix centeſimum ex iis, quos alvus citatior ſub hoc adfectu exercuerit, mortem effugiſſe.

Diarrhœā,

& Spaſmos producit.

13. Sæpius autem accidit, ut venenum peſtis evolutum e ſanguine interiores partes, maxime in ſenſibilioribus corporibus, vehementi ſpaſmo adficiat, unde ſanguis cum impetu ad alias partes delatus, diſruptis vaſculis effunditur. Inde ubi ad caput redundat, per nares, ſi ad pulmones, per os, ſi ad uterum, per naturalia exoneratur. Ex quibus tamen ſanguinis profuſionibus in quibuſcunque etiam locis fiant, nihil boni prædicere licet, quando plerique ex iis, qui adfectis peſte adfuerunt, ferales hæmorrhagias plerumque eſſe, profitentur. Sic RAYGERUS obſervatione 39. obſervat, mortem, quoties ſe menſtrua oſtenderent, haud procul abfuiſſe. Æque pericuIoſa lues eſt, ſuperveniente ſanguinis ex naribus profuſionem

Ferales oriuntur hæmorrhagiæ narium, oris, pulmonum, uteri.

ſputo ſanguinis, ſicut MINDERERUS *de peſtilentia c.* 11. experientia in edoctus demonſtrat. Et recte judicat *Doctiſſimus* DIEMERBROECK *lib. de peſt. cap.* 13. ex peripneumonia ſanguinem tunc maxime per os & pulmones reddi. FORESTUS porro *in diffuſa ſua praxi* obſervat, pleroſque ex iis, quibus, cum peſte decumberent, ſanguis ex naribus vel pectore fluebat, periiſſe l. V. c. 13. Idemque confirmat VERZASCHA, qui *obſ.* 64. *pag.* 135. prodidit, lethalem plerumque fuiſſe peſtem, ſi hæmorrhagia narium acceſſerit. Et plures quidem exiſtimant, hæmorrhagias, quæ peſti adjunguntur, adeo non terrere debere, ut potius ſalutem polliceantur. At hos quam maxime errare, bene adferit laudatus DIEMERBROECK, cui tantò plus credendum puto, quanto magis & experientia & ratio eidem adſentitur. Fruſtra enim natura laborat per has vias venenum, quod per totum ſanguinem fuſum eſt, expellere, unde exhauſto vitali fonte, ſpiritus imminuuntur & collapſis viribus, quæ exterminando veneno requiruntur, illud in corpore remanet, & putredo longe lateque pervagatur.

14. Ipſa autem ſymptomata, uti jam ſupra monuimus, pro diverſitate corporis, diverſam etiam induunt faciem. Quodſi enim corpus fuerit pituitoſum, ſi venæ multum ſeri trahunt, ſanguis ad caput confluit, unde copioſo ſero ſecedente, altis ſoporibus & deliquiis animi adfecti opprimuntur. Et experientia teſtatur, in ejuſmodi imbecillis phlegmaticiſque corporibus raro fermentum putridum expelli, ſed retentum intra ſanguinem & corpus putredine ſua omnia corrumpere. Inde cum ſerum maxime ſecedat, ſudor copioſe fluit, & urina ſolito largius effunditur. Quale urinæ profluvium ſi extra tempora critica accidit, funeſtum plerumque judicatur, uti ſcite commemorat RIVERIUS l. de feb. peſtilent. p. 217. Si in ſanguineum corpus peſtis incidit, copioſi ſe bubones oſtendunt, puſtulæ fiunt rubræ, & celerius perveniunt ad maturitatem. Melancholicos ſub hoc adfectu inſomnia terroris plena inquietant. At cholerici vigiliis, inflammationibus & hæmorrhagiis exercentur.

Altis ſoporibus quidam aſſiciuntur.

Melancholicos inſomnia & terrores inquietant. Cholerici vigiliis exercentur.

15. Demonſtrato itaque jam modo, quo peſtis corpora noſtra devaſtat, expoſitiſque ſymptomatibus, non alienum nobis videtur, & de iis dicere, quæ & ad peſtem diſponant, & quænam corpora aliis paratiora ſint ad eamdem labem concipiendam. Principio autem ſatis conſtat, famem quam plurimum ad peſtem conferre, ſiquidem hæc illam plerumque ſequitur, adeo ut vulgare etiam proverbium inde innotuerit: ὁ λοιμὸς μετὰ λιμόν, peſtis poſt famem. Id quod ſi ad annales & hiſtoriarum monumenta recurrere placeret, multis ubique exemplis poſſet confirmari. PLUTARCHUS aliquoties peſtilentiam ex fame proveniſſe teſtatur, idque in DEMETRIO & ANTONIO no. 10. exemplis confirmat, eandemque peſtem cum ſimili de cauſa in Cæſarianis caſtris milites adflixiſſet, liberaliori victu generoſoque vino profligatam, idem in *Vit. Cæſar.* adnotavit. Neque longius eſt arceſſenda ratio, quippe oppreſſa fame plebs, ut deſideriis naturæ ſatisfaciat, prava alimenta ejuſmodi tempeſtate ingerit, quibus digerendis cum non par ſit ventriculus, noxii intra corpus ſucci malæque indolis adcumulantur. Accedit, quod ubi poſt anguſtiam annonæ lætior copia adfluere cœpit, ejuſmodi hominum genus avide ſe impleat, unde alimenta languente calore ventriculi, parum ſalubriter concocta pernicioſam contrahunt malignitatem. Quod quidem ſub militum exemplo eleganter confirmari poteſt, qui ubi in hyberna conceſſerunt, maximam ſæpe partem & ægrotant & commoriuntur, non alia de cauſa, quam quod exhauſtum opere militari vigiliiſque & aeris victuſque injuriis corpus, tum ubi lautior victus ſuppetere cæpit, nimia ciborum mole onerant, quos cum natura, adtritis jam viribus, non poſſit ſubigere, effœtum illud plane pronumque & paratum ad putredinem & naſcentes inde morbos reddunt. Et ipſa quidem, ut ad hanc redeamus, fames ob id etiam aditum peſtilentiæ in corpus parat, quod eo tempore inuſitati monſtroſique cibi, ut equi, canis aſinique & aliæ putridæ carnes, frumentum vitiatum fructuſque inſalubres adſumuntur. Quæ alimenta cum prava & aliena ſint corpori noſtro, pravos etiam & alienos ſuccos procreant, adjuvante eorum malignitatem nauſea, cum qua inſolitæ hæ acceptæ dapes minus recte concoquuntur, fluido illo elaſtico, quod per copioſos nervos ventriculo infuſum concoctionem egregie juvat, ſub hac averſo & ad interiora refugiente. Itaque ejuſmodi ſucci cum per ſe putredinem facillime induant, tum multo magis potenti peſtis fermento iique multiplicativo obſecundant. Ita RULANDUS CAPELLUTUS in lib. quem de peſte compoſuit, ſcribit, ex eſu porcinarum carnium, calore vehementi dominante, mille homines periiſſe. Jamque cum fames tantopere lenocinetur peſti, ratio præſto eſt, cur eadem pauperes magis quam lauti delicatique homines abſumantur.

Fames quâ plurimum ad peſtem confert.

Qua de cauſa.

Ratio quare milites ubi in hyberna conceſſerunt, maximam ſæpe partē & ægrotant & commoriuntur.

Ex porcinarum carnium eſu, calore vehementi dominante mille homines perierunt.

16. Uti autem inedia & fames peſtem quamplurimum fovet & adjuvat, ita & intemperantia non minus eo præſtat præſidii adjumentique. Dum enim cibi avidius ingeruntur, natura, velut mole onerata, neque os atterere, neque ea, quæ abundant, per congrua loca expellere poteſt. Unde exortæ cruditates & in ventriculo ab accedente lympha & bile maxime exaſperatæ, & contagium facillime amplectuntur, idemque mirum in modum augent ac propagant. Quare quo majus damnum ingluvies minatur corpori, eo firmius præſtantiuſque præſidium in peſte promittit temperantia, merito ab omnibus qui diligentes ſunt ſalutis ſuæ, ſtudioſe conſectanda. Inde DIODORUS SICULUS, dum fatalem illam Numidæ peſtem deſcribit, diſerte admonet, commoda victus ratione, frugalitate ac moderatione affectuum ejuſmodi tempore communem luem maxime evitari. Qua quoque ratione SOCRATEM accepimus, ſe incolumem præſtitiſſe, cum diriſſima lues Græciam & Atticam inprimis devaſtaret, temperantiæ nempe legibus ſe adſtringens, cujus etiam beneficio in communi clade ſuperſtes perſeverabat. Sicuti contra RIVERIUS bene obſervat, proclivia ad peſtem ea corpora eſſe quæ copioſo abundant ſanguine, eundemque habitum ex intempeſtivo atque lautiore victu ſibi contraxerunt.

Intemperantia non minus peſtem fovet.

Præſidium promittit temperantia.

Proclivia ad peſtem corpora copioſo abundant ſanguine.

17. Cum proinde luxuria peſtis ſit corpori noſtro & ad idem malum præparet, non difficile eſt intellectu, comitem quoque luxuriæ venerem quamplurimum valere ad peſtem intra corpus recipiendam. Scilicet immodica venus maxime enervat effeminatque corpus, ideoque

Venus quâ plurimum valet ad peſtem intra corpus recipiendam.

ideoque hæc perniciofiſſima in peſte, quia quo magis debilitatum eſt corpus, eo minus vel futuræ putredini reſiſtit, vel jam receptam excutere poteſt. Quantum autem venus frequentior emolliat debilitetque corpus, ex eo colligi poteſt, quod ſubtilis roſcidaque lympha, quæ vim ac robur partibus præbet, ſub hac ipſa exhauritur. Neque minus balnea calida ſi frequentior inprimis eorum ſit uſus, peſtem adjuvant, ſiquidem hæc ſolvendo fibrarum tonum corpus valde debilitant, unde labefactato ſalutari ſanguinis motu illud obvium expoſitumque fit putredini. Id quod exemplo ſuo declarant Orientales populi Turcæ, Ægyptii ceterique, quorum corpora quod peſti obnoxia ſint, præter alias res magna ex parte immoderato uſui calidæ lavationis videtur adſcribendum. Quippe hæc laxando habitum corporis, fibris motricibus robur impellendo ſanguini deſtinatum detrahit, unde hic ſegniore flumine progreſſus, adcumulatis intra eum ſordibus, facile putredini patet, ad quam quantum ejuſmodi balnea faciunt, quivis de facili intelliget, qui perpenderit, ex calido & humido putredinem progenerari.

Qua ratione.

Balnea peſtem adjuvant.

Hujus rei teſtes ſunt populi orientales.

18. Cum proinde ex iis, quæ adhuc propoſuimus, ſatis eluceat, impuris corruptiſque intra corpus ſuccis & fibrarum imbecillitate foveri peſtem, ſequetur inde, phlegmaticos, ſcorbuticos, cachecticos, cacochymicos & qui otio deliciiſque diffluunt, peſtem facile incurrere. Inde & mollia puerorum corpora plerumque infeſtat, notante RAYGERO, in peſte Poſonienſi, quæ tria millia hominum rapuit, infantes, femellaſque maxime, interceptas. Cujus rei hæc ratio eſt, quia ejuſmodi corpora impuris, ſalſis, acribuſque ſordibus turgent, partim debilibus fibris & minus potentibus ad motum a natura prædita ſunt, vel diuturno morbo earundem robur perdiderunt. Inde etiam quod gravidis plus ab lue noſtra periculi inſtet, quam aliis mulierculis, quia illæ dum uterum gerunt, cacochymicum plerumque habitum corporis colligunt, facile inde graviuſque contagio adfligendæ. Et obſervavit FORESTUS *l. 6. obſerv. IX.* in peſte Delphenſi raro gravidas evaſiſſe. Cui accedit nobiliſſimus Medicus DIEMERBROECK, qui *lib.* I. *c.* 15. *de peſte* ſcribit, feminas, quæ in Neomagenſi peſte abortum fecerint, aut inſtante tempore peſtis, aut in peſte, peſte correptas periiſſe omnes uno vel altero infante conſervato. Inde cum tantum ipſis periculum impendeat a peſte, nihil ſalubrius conſultiuſque illis eſſe judicamus, quam loci mutationem. Laſſitudo etiam ſpontanea, nauſea, color faciei mutatus, inſomnia, vigiliæ & timor indicio ſunt, corpus ad peſtem inclinare.

Mollia puerorum corpora plerumque peſtis infeſtat.

Gravidis inde plus periculi inſtat.

Teſtibus Foreſto & Diemerbroeckio.

19. Evolutis itaque jam iis etiam quæ ad peſtem diſponunt, reſtat, ut demonſtremus modum, quo quiſque ſuum corpus, ubi hoc malum ingruit, ab ejus impetu tueatur. Cum enim præſervatio & firmior, & tutior ſit in omnibus morbis depellendis, merito hæc peſtis tempore diligenter admodum amplectenda eſt, quippe quæ lues facilius averti quam curari poteſt. Quamvis autem diu multumque agitatum ſit in ſcholis medicorum, ut ejuſmodi medicinam, quæ ab imminente peſte tutum ſecurumque præſtaret corpus, invenirent, nondum tamen ad liquidum perductum eſt ejuſmodi medicamentum. Nec unquam forte adparebit, ſiquidem cum in præſervatione id inprimis agendum ſit, quod tamen arduum, ne miaſma peſtiferum ſuccos vitales ſubeat, & ne humores corrupti intra primas vias naturam geniumque ejus, ubi acceſſit, trahant; de facili videre eſt, ad id impetrandum non unum ſufficere remedium, ſed plura eſſe adhibenda. Ex quo intelligi poteſt, quam lubrico inſiſtant fundamento, qui hoc vel illo auxilio peſtem averti poſſe contendunt.

Medicina ob imminente peſte tutum præſtans corpus nondum ad liquidum perducta eſt.

20. Atque alii quidem, cum viderent peſtiferum miaſma cum aere circumfuſo intra os acceptum, ibidemque ſalivæ admixtum in ventriculum, cum eadem delabi, promtum inde præſidium, uti ipſis viſum fuit, ad arcendam peſtem traxerunt, nempe ut perpetuo ſaliva redderetur. Quod auxilium cum multi probent, tum ejuſdem præſtantiam peculiari libro Bohemus Medicus DOBRZENSKI adſeruit. Idemque ſecuti iter alii, maſticatoria, balſamica, myrrham electam, radicem angelicæ, cortices citri & alia adjecerunt, & ex his trochiſcos formatos ſub lingua continendos præceperunt. Idque inde efficere conati ſunt, ut in primo quaſi flore virulentum miaſma ſtrangularetur, cauſtica ejus vi per balſamicam virtutem imminuta, deinde ut harum rerum uſu expreſſa de glandulis ſaliva copioſe flueret, & cum hac venenum etiam ſimul rejiceretur; Quam utramque methodum licet nos minime improbemus, eandem tamen minus ſufficere excludendo tam ſtrenuo malo arbitramur, experientia illorum confirmati, qui crebris obſervationibus quas de peſte condiderunt aperte teſtantur, plurimos ex iis, qui in frequenti uſu haberent ejuſmodi res, nihilo ſecius correptos peſte occidiſſe.

Quorundam promtum ad arcendam peſtem præſidium; videlicet ut perpetuo ſalivam reddant, nuper in ſuo de Peſte Libello exploſit & cachinno excepit G. Goris Med. Leidenſis.

21. Jam quid de iis dicemus, qui vitium peſtis in aere latere profeſſi, hunc emendare maxime ſtudent, ſub exemplo HIPPOCRATIS, cujus hic autoritatem prætendunt, ſub dio ſtrues lignorum vel pulverem pyrium ſclopetis tormentiſque excuſſum accedentes. Iidem etiam accenſis odoribus ex myrrha, ſuccino, maſtiche, olibano aliiſque reſinis & privatas ædes & publica loca hoc modo contra peſtem communire adlaborant. Quamvis hæc omnia quam parum firmum præſidium præſtent, non ignorare is poterit, qui conſiderat, in peſte ipſum aerem adeo non vitiatum eſſe, ut & ſub ſalubri clementique cœlo hæc lues ſæpe oriatur. Illud tamen ſcire oportet, hoc auxilium tum utique laudandum eſſe, cum ſub humida & pluvioſa tempeſtate peſtis dominatur. Nihil æque enim hanc luem fovet, nihil magis eidem vires addit, quam ejuſmodi aeris conditio, ſub qua laxata corporis compages admodum langueſcit, unde imminuto ſalutari humorum circuitu, neceſſariæ excretiones laborant, iiſdem turbatis ad corruptionem corpus præparatur. Quapropter ſub tali aeris habitu accenſos ignes factoſque odores omnino comprobamus, eoſdem tamen, ſi ſerenus ventiſque perflatus aer adeſt, merito damnamus cum tali tempore plus dammi quam utilitatis præſtent. Adjicit nobis calculum ſuum Vir peritiſſimus MORELLUS, qui *c.* 5. *de febribus peſtilentibus* falſe admodum hanc rem perſtringit: Eat inquit bonus ille Senex (HIPPOCRATES) jubeat idem noſtris, ut incolis quondam in inſula Coo, frutices juniperi colligere & cremari. Videat an ut olim poſſit fugare peſtem fumigatum;

Aeris emendatio parum firmum præſtat præſidium.

Sub humida & pluvioſa tempeſtate ignes & ſuffimigia comprobamus.

Si autem ſerenus ventiſque perflatus ſit aer, ea damnamus

credo

credo ſatis eſt præterita peſte hic in noſtris ædibus, ſatis crematum fruticum juniperi, ſed per condenſata nubila fumi intravit lues, & oculis deſtituta, qui fumi mordacitatem alias ferre nequeunt nimis diſtincte invenit, quos mactaret.

Idem de tabaci uſu eſt tenendum, quem tanquam ſummum præſidium contra peſtem multi prædicarunt.

Idem quod de fumigatione monuimus, de tabaci uſu tenendum eſt, quem velut ſummum præſidium contra peſtem multi prædicarunt. Sed & eoſdem falli, uſus & experientia omnino declaravit.

Famoſa Amuleta. Ex quibus parabantur.

22. Tranſimus jam ad amuleta famoſa apud veteres remedia, quibus contra peſtem mirificam virtutem adtribuerunt, quid de his judicandum ſit, exploraturi. Notum eſt, ex mercurio & arſenico hæc compoſita veteres cordi adpendiſſe, falſo perſuaſi, venena hæc, quaſi ſympathia quadam, attrahere venenum in ipſa aere contentum, ne illud interiora contrectaret. Sed enim iſti commendatores turpiter ſe dant, & a quoque peritiore medico merito reprehenduntur. Inter quos legi meritur VERZASCHA *obſervat. 66.* & ANTON. DEUSINGIUS *in Tract. de peſte P.* 10. *S. iij. c.* 3. a quibus mala ab arſenici amuleto tempore peſtis geſto diſerte commemorantur. Eodemque loco eleganter admodum oſtenditur, vanam hanc de arſenici in peſte virtute opinionem ex male intellecto Arabico idiomate ſubortam in praxin ſubrepſiſſe. Commendaverat enim medicus Arabs ſacculum *Darſeni* quod in ea lingua cinnamomum eſt, quæ vox ſervata aliquantum apud medicos, ut hodieque paſſim fieri ſolet, ab ignaro poſtea linguæ in arſenicum verſa eſt, quem errorem alii ſecuti eundem ſubinde ad poſteros propagarunt.

Si quid præſtent, id apud ignaram plebem fiducia præſtant.

At ſi quid præſtant amuleta, quod tamen quam minimum fore arbitrimur, id utique apud ignaram plebem fiducia præſtant, quippe ejuſmodi ſimplices homines confiſi medicamento, quod in pectore gerunt, omnem timorem formidinemque, res admodum perniciosas tempore peſtis, ex animo ejiciunt.

Fonticuli majori laude ferendi ſunt.

23. Majore utique laude ferendi ſunt fonticuli ſeu ulcera arte facta, quæ multi, velut egregium adverſus peſtem auxilium, commendant, non ſine ratione perſuaſi, per hæc, vel ſpontaneo naturæ motu, vel remediorum vi, venenum peſtilentiale exterminari. FABRICIUS HILDANUS *centur. IV. obſerv.* 23. & 86. prodit, ſe in atrociſſima peſte Lauſanenſi beneficio ulcerum ejuſmodi, quæ in ſiniſtro bracchio & poplite aperuerat, ſervatum, imo neminem ex iis, qui fonticulos gerebant niſi præter quoſdam cacochymicos, ex lue occidiſſe. Quod argumento eſſe poteſt, quanti ſit æſtimandum in peſte hoc genus auxilii, cujus virtutem DEUSINGIUS quoque *tr.* 10. *de peſte c.* 23. HIERON. MERCURIAL. *de peſte c.* 23. & PARÆUS *l.* 22. *c.* 27. ſuis quiſque laudibus nobilitarunt. Nos vero quamvis negemus, hoc tanquam exploratum & commune convenienſque omnibus auxilium in peſte præcipiendum, illud tamen adſerimus, fonticulos in peſte magna cum utilitate geri firmis id perſuaſi argumentis.

Magna cũ utilitate in peſte geruntur.

Per hæc enim alia purgamenta ſanguinis ſeu corrupta materia ex ſanguinis & lymphæ maſſa rejecta percolatur, imo ſalinæ acres noxiæque ſordes huc delatæ exterminantur. Quod illi ſuo exemplo teſtantur, qui Spaſmis, doloribus, catharris diu vexati, multis fruſtra tentatis; tandem hoc admoto auxilio, mirifice adlevantur. Veroque ſimillimum eſt, & peſtis tempore noxios corruptoſque humores, per hæc loca expulſos, minus alimenti præbere circumfuſo peſtifero miaſmati, idemque ubi interiora ſubiit, naturæ viribus per hæc ulcera diſſipari. Quod demonſtrare videtur ille apud VERZASCHA *obſerv.* 61. qui cum fonticulus humorem nigricantem dimiſiſſet mirifice ſtatim adlevabatur.

Nefas eſt præterire alexipharmaca.

24. Nefas eſt præterire alexipharmaca calidiora, quæ cum velut propria peſti remedia a multis extollantur, merito judicium ſententiamque noſtram deſiderant.

Ut Theriacam aliaque quæ magnifico titulo inſigniuntur.

Talia ſunt, ne omnia complectamur, theriaca & ejus extractum, angelica, vincetoxicum, zedoaria, electuarium Orvietan, elect. camphoræ Kegleri, elixir antipeſtilentiale Crollii, elix. proprietat., ol. antipeſtilentiale aliaque quæ magnifico titulo inſigniuntur. At hæc ipſa non modo fallere ſpem de illorum virtute conceptam, ſed & nocere ſæpe, imo faces ſubjicere furenti intra præcordia malo, non difficile eſt, multis obſervationibus adſeverare. Suffecerit tamen in teſtimonium citaſſe clariſſimos artis profeſſores, qui uno ore & in cura & præſervatione hæc noxia eſſe tradiderunt. Videatur CALDERA DE HEREDIA *de peſte Hiſpalenſi* & HILDANUS *de peſte Bernenſi cent. V. obſervat.* 59.

Multus tamen inprimis eſt in iis condemnandis Thonnerus & Nicolaus Ellain. med. Pariſienſis.

Multus tamen inprimis eſt in iis condemnandis THONNERUS qui plurimis obſervationibus adſtruere ſatagit, omnes peſte abſumtos fuiſſe, qui alexipharmacis calidioribus abuterentur. vid. *l.* 1. *p.* 64. 65. 67.

Qui peculiare peſtis antidotum adhuc in abſcondito naturæ ſinu reconditum latet.

25. Igitur cum animadverterent medici ſirmum exploratumque contra peſtem vix reperiri remedium, abjecta plane omni ſpe eo adductos multos ex iis credo, ut cum PALMARIO *c.* 17. *de febre peſtilente* exclamaverunt peculiare peſtis antidotum adhuc in abſcondito naturæ ſinu reconditum latere. Inde relictis remediis, fugam ceu unicum præſidium, quo peſtis prohiberi poſſit, commendare cœperunt, HIPPOCRATEM ea in re ſecuti.

Quidam relictis remediis fugam ſeu unicum præſidium commendant.

THUCYDIDES in famoſa illa peſte maturam fugam tardumque reditum præcipit, cujus memor conſilii GALENUS, cum ſæviret Romæ peſtis, collectis vaſis urbem deſeruit & in ſalubriora conceſſit loca, parum tutam eſſe ratus cum infectis eſſe converſationem.

26. At cum fuga quiſque ipſe ſibi conſulere poſſit, minus conſulendus eſt medicus; ubi autem manendi neceſſitas incidit, proſpiciendum utique eſt aliis auxiliis, quæ & nos hic ſubjiciemus. Demonſtravi nempe in priore diſſertatione & in præſente etiam attigi, terrorem de peſte incuſſum plus nocere ipſa peſte, & hoc ſolo, etiam abſente peſte, multos conſumi, iiſdem malis, quibus qui laborant peſte, jactantur, excruciatos. Terror enim, conſtrictis acuto ſpaſmo exterioribus, ſanguinem ad interiora ſumma cum vi urget, atque ibi vehementiſſima mala maxime inflammationes præcordiorum ac ventriculi excitat, unde HELMONTIUS eſſentiam peſtis in *archeo terrefacto* collocavit.

Helmontius peſtis eſſentiam in archeo terrefacto collocavit.

Atque ſi ex ſolo terrore peſtis corripere poteſt, nullum dubium eſt, quin infectis maxime terror ſit pernicialis. Quare eleganter SENNERTUS in *praxi pag.* 798. ſcribit, ſatius eſſe, ipſam peſtem quandoque diſſimulare, nam in hujus principio plures reſtitui, antequam malum intelligant, & in progreſſu, qui animo præſente ſunt, evadere. Illud omnino certum exploratumque eſt, miaſma peſtiferum, ſi homines

mines timore & terrore perculſos occupat, vel qui anxii ſuſpenſique ſunt de eventu morbi, longe majus periculum minari, exiguamque ſpem præbere ægrotantem reſtituendi. Inde etiam jam ſæpe nobis ad partes vocatus RAYGERUS in Poſonienſi peſte obſervavit, qui terrore metuque occupati eſſent eos, ubi concepiſſent peſtem, periiſſe fere omnes. Quod dubitare nos non ſinit, quin quo majorem in peſte perniciem, terror, eo præſtantiorem opem ferat animi tranquillitas, ſi huic recte ſtudeatur. Abſit proinde terror, abſit metus mollitieſque illa animi, excitandus & erigendus potius eſt animus, eidemque ſemper illud oberrare debet, quod neſcio quis apud Curtium militibus inculcat, mortem plerumque effugere (in peſte) qui contemſerit, timidiſſimum quemque eandem conſequi.

Quo majorem in peſte perniciem, terror, eo præſtantiorem opem fert animi tranquillitas.

27. Et quoniam ſupra poſuimus, peſtis eſſentiam in ſumma celerrimaque verſari putredine, eandemque per contagium, quod in motu putrido conſtitutum eſt, ſuccis corporis induci, facile exinde perſpici poteſt, omnia, quæ putredini contraria, ejuſdemque inteſtinum remorantur motum, inter ſumma peſtis præſidia oportere connumerari. Ipſum autem contagium ingreſſum etiam interiora corporis cum minus diffundere poſſit vim ſuam, niſi corrupta intra corpus humorum moles accedat, intra corpus humorum moles accedat, hinc illud diſcimus, ad propulſandam peſtem neceſſarium eſſe, ut hi ipſi removeantur. Adque id quidem unice præſtat perennis ille ſanguinis motus libero æquabilique curſu corpus obiens, quippe qui putredinem, ad quam natura ſua quæque corpora feruntur, arcet, ſordes inimicas alienaſque ſanguini per congrua loca expellendo. Quo magis, qui tutus eſſe cupit a peſte, non negligere debet ea, quibus hunc ſalutarem motum ſalvum incolumemque præſtet, ut adauctis excretionibus, ſolidis partibus ſuum robur concilietur. Ita videtur, ex ingenti remediorum ſegete non dari præſtantius remedium, non quod perinde adverſetur peſti eidemque aditum in corpus intercludat, quam vinum non quidem promiſcue adreptum, ſed temperatum acidulum, quale eſt excellens Rhenanum. Quod quantam vim contra putredinem & peſtem contineat, intellectum eſt in ſuperiore peſte, quæ ante aliquot annos Germaniam noſtram adflixit, in qua vinum ſaluti fuiſſe, ejus temporis homines adnotarunt. Hoc enim intus ſumtum vires mirifice reficit, torpentemque metu animum excitat atque confirmat, timorem excutit, ſudorem & urinam promovet, & ſubtili temperatoque quo pollet acore reſiſtit putredini. Quod videmus in ſphacelo, in ulceribus putridis, in quibus vinum mirifice prodeſt, nihilque eodem excellentius ad ſanguinem qui in aliqua parte coiit, diſcutiendum. Ipſius autem vini uſus, quem in peſte ſummopere omnino commendamus, hanc methodum deſiderat. Primum eo diligenter collui debet os, maxime ſi cum infectis converſamur, ut abſterſis nempe ſordibus oris & vitioſa ſaliva iſ ſi miaſmati aditus intercludatur. Oportet autem & illud matutino tempore modice deguſtare, ut impedita ſic corruptione ſuccorum refectiſque viribus, ſalutaris ſanguinis motus exinde augeatur.

Peſtis eſſentiam verſari in putredine exinde perſpici poteſt, quod omnia quæ putredini contraria ſunt ejus motum inteſtinum remorantur.

Non datur præſtantius remedium perinde peſti adverſans quam vinum Rhenanum

Quod obſervationibus atque exemplis probatur.

28. Ac vinum quidem cum mirifica ei virtus contra peſtem conſtet, gratia par, merito eſt divitibus lautiſque hominibus commendandum; pauperes vero, quibus non ſuppetit facultas idem comparandi, acetum vini loco ejus adſumere poſſunt, cui non minus ineſt vis, putredinem peſtemque a corpore prohibendi. Debent autem, qui hoc utuntur, jejuni aliquot ejus cochlearia ſorbere, eodemque & fovere nares & os colluere, meliuſque illud erit, ſi adjectis calendulæ floribus it. ſcordio rutaque fuerit deſtillatum. Mirum eſt, quanta ejus ſit efficacia in adjuvando corpore contra graſſantem labem, ſiquidem diſcutiendo ſolvendoque coagulatos humores, ſtimulandoque fibras ſalutares corpori excretiones, ſudorem urinamque egregie provocat, & inde corpus a peſtifera hac labe præſtat illibatum. Quod vulgi etiam experimentis confirmatur, ex quo multi, teſte KORNHAVERO in libro quo in PARACELSUM *de peſte* commentatus eſt, qui allium ex aceto adſumebant, corpus a peſte defenderunt. Et ne vulgi imperitæque plebis experientia abutamur, & ipſos medicos eoſque clariſſimos in teſtimonium vocare juvat, qui uno fere ore præſtantiam hujus auxilii deprædicarunt. Ipſe SYLVIUS *in libro de peſte* ſcribit, ſe beneficio aceti calendulati, quod cum pane adſumſerit peſtem evitaſſe. Cui quidem ſuffragio ſuo juvat magni idemtidem nominis medicus BARTHOLINUS, qui *centuria IV. hiſt.* 13. de aceti viribus hoc prodidit: Noſtrates, inquit, peſte graſſante, ſolo aceto calendulæ ſe muniverunt, eodemque evaſerunt incolumes.

Pauperes acetum aſſumere poſſunt.

Vel allium ex aceto.

Sylvius aceti calendulati beneficio peſtem evitavit.

29. Cuſtodiendæ autem valetudini in peſte præter hæc, quæ recenſuimus, maxime inſerviunt leniora laxantia, quæ balſamica virtute & confirment viſcera, clementerque ſollicitando fibras inteſtinorum, alvum præſtent ſolutiorem, ut a moleſto onere humorum corpus liberetur. Qualis quidem virtus expectari debet ab elixir proprietatis Paracelſi & pillulis Ruffi ſimilem ad modum adparatis. GIESLERUS certe obſervatione de peſte, ſancte adſeverat, neminem ex iis ſublatum peſte, qui alvum ſibi ſubinde his morſulis laxaverit: Recipe *aloes drachmam unam*, *rhabarbari ſcrupulos binos*, *ſulphuris*, *nitri ſingulorum ſcrupulum ſemis*, *ſacchari candidiſſimi q. ſ.* Nos ſequentes pillulas ſummæ fore utilitati arbitramur; Recipe *aloes ſuccotrinæ*, *extract. ſcordii*, *C. B. myrrh. elect. ſuccini*, *maſtiches ana drachmam unam*, *extract. rhabarbari*, *fl. benzoes*, *fl. ſulphuris*, *croci*, *ſalis ſuccini ana gr.* xij. *camphoræ gr.* vj. *olei juniperi guttas* x. *m. f. l. a. pillulæ*, quarum una doſis quindecim grana complecti debet, eædemque bis per ſeptimanam ſumptæ corpus mirum in modum adlevabunt.

Cuſtodiendæ valetudini in Peſte quoque inſerviunt leniora laxantia.

Ut Elix. propriet. Paracelſ. Pil. Ruffi &c.

30. At fruſtra fuerint forſan hæc medicamenta, fruſtra præcepta atque cura medici, niſi hæc temperantia ac continentia velut fulturis quibuſdam ſuſtineantur. Ideoque nos ſupra jam monuimus, ſi quo tempore, certe peſtis tempore rem adprime neceſſariam eſſe temperantiam atque ſobrietatem, qua tantum adjuvatur valetudo, quantum ingluvie libidineque debilitatur. Ex hac enim concepti intra corpus crudi impurique humores hinc inde ſtagnant, qui & corruptionem facile induunt, & ipſi miaſmati ſuggerunt alimenta. Sicuti contra temperantia & frugalitate ſua ſuccis ſalubritas

Temperantia ulterius commendatur.

lubritas temperieſque conſervatur, & progreſſus inde ſanguinis motus placido æquabilique itinere, & vires corpori ſuggerit, & quæ aliena & inimica ſunt corpori, per ſpiramenta cutis & cetera loca dimittit. Quo fit, ut nec peſtifero miaſmati aditus pateat, vel admiſſum intra corpus, ſubtracto ipſi quaſi fomento, facilius feliciuſque dilabatur. Legem itaque temperantiæ ac continentiæ ſibi indicere debet, cui ſalus peſtis tempore curæ eſt, & abſtinere ab carnibus ægri animantis putridiſque, maximeque carne ſuilla, quæ ſummopere auget humores, eoſdemque inutili mole oneratos corrumpit. Aliena etiam ſunt ejuſmodi tempeſtate dulcia, ſaccharum, poma, muſtum & lac aliaque quæ fermentatione qua agunt, corpori nocent. Modicus etiam uſus ſit carnium, ne adcumulati inde ſucci corporis cum propter molem minus expedite ſe moveant, putredini præbeant occaſionem.

Sectandus aer ſerenus.

Verrantur diligenter publicæ plateæ.

31. Uti autem peſtis tempore ſummo cum ſtudio vitari debent, quæ putredinem excitant, ita non minori cura ea ſunt amplectenda, quæ eidem adverſantur. Oportet igitur ſectari maxime aerem ſerenum, habitare in ſublimioribus ædibus, quæ ad ſeptentrionem ſpectent, & ventis orientalibus perflentur. Quare & magiſtratus per edicta cavere debet, ut plateæ diligenter verrantur, eædemque mundæ nitidæque ſerventur, nec ſordes atque purgamenta quævis in eas projiciantur.

Venæſectio in peſte pernicioſa.

32. Contemplati jam igitur præſidia, quibus integra in peſte valetudo ſervari cuſtodirique poſſit, res poſtulare videtur, ut & ad curam hujus mali accedamus. Quæ quamvis admodum difficilis, quippe quæ cum putredine infenſiſſima re corpori pugnat, tamen de ea non deſperandum videtur, ut fecerunt multi ex veteribus medicis, quos fallente cauſa ſæpe fefellit curandi ratio. Ideoque ſolam naturam, hoc malum curare, adfirmarunt; nos autem, quamvis non negemus, naturam quoque plurimum ſibi quoque in hoc malo vindicare, non omnem tamen vim medicamentis adeo detractam volumus, quin egregie his ipſis naturam imbecillem, viribuſque denudatam potenter adjuvari profiteamur. Prius autem, quam ipſam curandi rationem evolvimus, non alienum nos facturos arbitramur, ſi de potentioribus auxiliis, earumque in peſte efficacia paucis differamus. Validiſſimum autem remediorum genus eſt Venæſectio, in peſte tamen adeo pernicioſa, ut quicunque de curanda peſte aliquid memoriæ prodiderunt, eam communi quaſi de ſententia improbarint. Gesnerus l. 3. ep. 85. ſollerti obſervatione id probat, aperte ſcribens. Lugduni fere periiſſe omnes, quibus ſoluta fuerit vena; e cæteris, qui mature uſi ſint remediis alvum præſertim leniter purgantibus initio ſtatim, mox ſudoriferis, ita ut ne ultra horam vel alteram ad ſummum ſudarent, pleroſque conſervatos. Cui idemtidem accedit Gallicus ille Hippocrates Fernelius qui *l. 2. c. 12. de abditis rerum cauſis* hæc dicit: *In peſte*, inquit, *medici celeberrimi, qui longo artis uſu doctrinæ ſtudia compleverunt, prorſus abſtinendum Venæſectione ſentiunt, experti, eos, quibus ſanguis ſeu inter initia ſive poſtea emiſſus fuit, aut paulo poſt obiiſſe, aut in deterius prolapſos.* Quod idem variis exemplis Verzascha *obſervatione* 58. confirmat, & Celsus in præſidiis contra peſtem ponit, ne ejus tempore ſanguis ſoluta vena demittatur. Vitali enim fonte exhauſto, ipſi ſpiritus, detracto quaſi alimento, languent, unde vis movens etiam torpet, particulſque exterioribus contractis tranſpiratio impeditur, ſanguine ab ambitu corporis ad interiora compulſo, putredo intra corpus retinetur. Ex quo ſatis intelligi poteſt, quam caute circumſpecteque detrahere ſanguinem in hoc adfectu conveniat, quam quandoque etiam invenire locum exiſtimamus, magis tamen in præſervatione & in corporibus, quæ ſanguine abundant, vel quibus alias critico motu fundi ſolitus ſanguis conſtitit, vel venæſectioni adſueverunt.

Quam ob cauſam.

Quod exemplis atque præſtantiſſimorum auctorum teſtimoniis paſſim probatur.

De Emeticis in peſte in utramque partem diſputatur.

33. De vomitoriis eorumque in peſte uſu in utramque etiam partem diſputari videmus, Gesnerus *l. 3. cap. 85.* ſcribit: *Intellexi non modo Baſileæ ſed & Lugduni quoque permultos uſu antimonii emetici in peſte raptos, quare iis in morbo eo abſtinebam, niſi forte robuſtius corpus in principio contingeret.* In contrariam it. ſententiam Riverius *cent. IV. obſerv. 99.* qui eodem loci teſtatur, quempiam, cui tertia pars urbis correpta peſte commiſſa fuit, vomitoriis percuraſſe. Nos mediam ab iis ingreſſi viam, valida utique vomitoria merito rejicimus, clementiora magni uſus eſſe in hoc malo adfirmamus. Valentiora utique ejuſmodi vomitoria vires, quæ reſervandæ erant expellendo veneno, admodum imminuunt, exhauſtiſque bonis ſuccis, venenatam miaſmatis vim in ipſum ſanguinem adigunt, majuſque eadem periculum minantur, ſi jam inflammatio ventriculi vel jam adeſt, vel certe adpropinquat. Mollius vero ſentiendum de iis, quæ clementer vomitum evocant, ſiquidem hæc egregiam opem ferunt, ubi inter initia ſtatim, cum ſe correptum peſte ſenſerit æger, offeruntur. Expeditque unice in forma liquida eadem exhibere v. g. unum granum tartari emetici ſolutum ex uncia dimidia aquæ menthæ, adjectis tribus guttis eſſentiæ alexipharmacæ, vel mixturæ ſimplicis, ut inde leniter excitatus ventriculus venenum peſtilentiale rejiciat. Poſt vomitum utiliſſimum eſt acetum alexipharmacum vel camphoram cum nitro adſumere, ut ſudor moveatur. Eſt vero in omni fere vomitu, tum in eo, qui in peſte cietur, adprime utile, ut poſt eum clementior ſudor provocetur, & fuit hæc jam veterum cautio, qui unctiones, balnea & ſudorem poſt vomitum præcipiebant. *Vid.* Corn. Celsum *l. 1. p. 29.* Purgantia eandem fere ſententiam ſubeunt, quando validiora in cura hujus luis ſumma cum induſtria ſunt fugienda, præſertim ſi jam inflammationis in ventriculo metus ſit, quam ſua ſæpe ſponte excitant. Pernicioſa etiam ſunt dulcia, ut manna, caſſia ceteraque, quæ fermentationem moliendo materiam præbent ampliorem graſſanti miaſmati. Probanda autem ſunt, ut in præſervatione, ita & in cura leniora laxantia, quæ balſamica ſimul virtute pollent, ut deducta clementer alvo pernicioſi humores decedant, & alimentum peſtifero veneno detrahatur. Quare commodiſſimum eſt, in principio elixir Paracelſi cum liquore terr. foliat. tartari & eſſent. rhabarbari dare, adjecto etiam uno grano tartari emetici. Sed ubi aliquoties deſcendit alvus, protinus ad ſudorifera accedere oportet.

Valida rejicimus, clementiora magni uſus eſſe in hoc malo affirmamus.

Poſt vomitum utiliſſimum eſt acetum alexipharmacum.

Purgantia eandem fere ſententiam ſubeunt.

34. Inſtituti

Calidiora & ſpirituoſiora medicamenta nec corpus defendunt nec reſtituunt.

34. Inſtituti ratio exigit, ut alexipharmaca & calidiora medicamenta, ut ſalia volatilia oleoſa, ſpiritum C. C., oleum peſtilentiale Heniſii & alia, quæ ad hunc ordinem pertinent, judicio noſtro retractemus. Hæc uti nec defendunt corpus, quod ſupra demonſtravimus, contra imminentem labem, ita idem nec reſtituunt, majorem ſæpe etiam perniciem damnumque adlatura. Nam cum cura hujus mali duplex ſit, ut venenum intra primas adhuc vias detentum ſtatim excutiatur, vel ut idem, ubi jam in ſanguinem delapſum eſt, commoda medicina eliminetur, facile quiſque, qui naturam horum remediorum cognoverit, perſpiciet, utrique ſcopo eadem adeo non reſpondere, ut potius furorem mali augeant promoveantque. Nam & miaſma peſtiferum, ubi adhuc in ventriculo remoratur, non exturbatur e corpore, ſed adactum illorum vi altius in corpus in ſanguinem nempe deſcendit, & conſtricta iiſdem alvus plures ſordes colligit, daturas malo incrementum. Adde quod calefaciendo nimis ſanguinem, vires conſumant, & inde efficiant, ne venenum, cum deficiat natura, ad exteriora depellatur. Merito igitur a ſcientiſſimis medicæ rei viris eorum uſus in hoc malo damnatus fuit, quorum quoniam ſupra autoritate uſi ſumus, ſupervacuum erit, eadem hic rurſus repetere. Credimus tamen ea in re plurium UNTZERO, Viro experientiſſimo & qui in hac olim urbe exercuit artem & de peſte ſcripſit, qui omnia calidiora eorumque uſum reprehendit.

Non prætereunda ſunt anodyna. Quæ præſertim in peſte circumſpectũ uſum deſiderant.

Non prætereunda vero a nobis ſunt anodyna, & theriacalia, magna in magnis morbis remedia, quæ uti in ceteris paſſionibus, ita & in peſte quam circumſpectum uſum deſiderant. Quodſi enim putridis corruptiſque ſuccis primæ turgent viæ, ſi pulſus debilis languiduſque fuerit, viriumque imbecillitas, noxioſiſſima erunt corpori medicina. At in cholericis corporibus & ubi acres cauſticique humores inflammationes ventriculo aliiſque partibus machinari videntur, theriacalia & maxime cum camphora & nitro mixta inſigni erunt adlevamento. *Vid.* VERZASCH. de theriacalibus probatæ virtutis *obſerv.* 55. & 56.

Sudorifero valido ſubveniendum eſt ægro.

35. Sed relictis hiſce, pergimus ad illam methodum, cui nos inſiſtendam eſſe exiſtimamus. Itaque ſi ex terrore ſubito invaſit peſtis, remotis omnibus purgantibus ac vomitoriis, ſudorifero valido ſubveniendum eſt ægro, cui fini maxime reſpondet acetum bezoardicum vel theriacale, quod & coagulatum diſcutit, eundemque in priorem curſum vindicat.

Tum leni emetico & laxante. Mox ſudor iterum movendus acetis Bezoardicis.

Quodſi vero miaſma jam ventriculum ſubiit, leni emetico & laxante illud emoliri oportet, mox, uti ſupra præcepimus, movendus ſudor non calidis volatilibus, ſed iiſdem acetis bezoardicis, quæ in hac cura merito ſibi ſuo primum locum vindicant. Et quamvis jam in præſervatione multa dicta ſint, quæ præſtantiam horum remediorum declarant, non inutile tamen fuerit, & alia adjicere, quæ quantum uſum in cura etiam præſtent, liquido demonſtrent. Mirifice commendat THONNERUS *p.* 21. ejuſmodi acidum medicamentum, luculenter ſcribens, nihil profuiſſe in peſte quam acetum theriacale inter initia ad eliciendos ſudores datum, eodemque remedio anno 1643. graſſante inter milites febre maligna totam gregariorum cohortem ſervatam fuiſſe, convaleſcentibus fere omnibus, quotquot tempeſtive eodem aceto utebantur, exceptis paucis, quibus ſerius a chirurgo oblatum fuerat.

Horum acetorum Formulæ & Encomia.

Eſt autem hoc: Recipe *confection. orvietan. unciam unam, diaſcordii Fracaſtorii drachmas VI. theriacæ unciam ſemis, radic. angelicæ, contrajervæ, enulæ, pimpinellæ, tormentillæ, ſcorzoneræ, dictamni albi, petaſit. ana drachmas iij. ſcordii, milleſolii, rutæ ana m. j. fl. calendulæ, tunicæ ana m. ſemis. baccar. juniperi unciam ſemis, Zedoariæ, macis ana drachmas iij. camphoræ, ſcrupulum unum, croci drachmam unam, myrrhæ elect. drachmas ij. aceti q. ſ.* Ejuſmodi acetum antipeſtilentiale B. Parens FRIDERICUS HOFFMANNUS *in clave pharmaceut. Schrod.* p. 380. deſcribit. Et de ipſa quidem aceti virtute KIRCHERUS lib. de peſte p. 375. manifeſto teſtatur, Romana dominante peſte, quotquot illi uſi fuerint, quamvis etiam cum infectis intra eaſdem ædes morarentur, peſtem evaſiſſe. Componebatur autem hoc medicamentum ex ſpeciebus domeſticis uti ſunt acetum exquiſitiſſimum, ruta, pimpinella, betonica, allium, baccæ juniperi, addito pauxillo camphoræ, quæ per infuſionem in aceto 40. horarum ſpacio digeſta ad ſolem vel intra hypocauſtum percolantur & ad uſum reponuntur. Hoc medicamentum matutino tempore ſumptum egregiam præſtabat antidotum.

Tam in præſervatione quam in curatione.

36. Quantum autem in præſervatione vini & aceti vini uſus habet momenti, tantum & idem in curanda peſte præſtat uſum. Hinc optimum erit, omnia alexipharmaca ex aceto acri vel vino adſumere. Quod longo rerum uſu expertus GESNER *l.* 3. *ep.* 85. ſuo calculo probat, ibidemque judicat, theriacam & alexipharmaca ex vino, cui admixtum ſit acetum, adſumi oportere, poſtque id ſudandum, modice tamen, ne vires deficiant. Eodemque vino ſi febris & inflammatio abeſt, ſubinde reficere oportet vires, & tali in caſu etiam in febre maligna opitulari, eoque curatam febrem ardentem teſtantur *M. N. C. Dec. ij. A. ij. pag.* 87. & *Dec. ij. A. VI. pag.* 67. Simili modo KORNHAVERUS *in Comment.* PARACELS. de peſte, hanc potionem commendat: Recipe *ſpiritus tartari cochlear unum, aceti vini cochlearia tria pro una doſi.*

Hujus farinæ eſt aqua Prophylactica Sylvii.

Eademque fere de cauſa tanti æſtimatur inſigniſque virtutis creditur eſſe in malignis morbis & peſte aqua prophylactica Sylvii, quæ, cum acetum maxime recipiat, non falſo hanc laudem commeretur. Neque vero acetum vini modo & ſpirituoſa & ſubtiliora acida, ſed & fixiora ex iis inſignem in peſte ferunt utilitatem. Quippe in confeſſo eſt, quod nihil æque motum inteſtinum ſulphurearum partium ſiſtat, nihil magis corruptionem & diſſolutionem impediat, quam acidum, in ſummis inde auxiliis connumerandum. Eandemque ob cauſam ſuccus citri tum in cura tum in præſervatione commendatur.

Turcæ in peſte frequentius utuntur ſucco limonum.

COLE DE MORBIS ACUTIS *p.* 88. ſcribit: *In peſte Turcæ frequentius utuntur ſucco limonum, quem liberaliter omni juſculo inſtillant.* Cui accedit FORESTUS qui ſe ipſum hac medicina contra peſtem muniebat. *Ego,* inquit, *cum graſſante peſte nuſquam trepide plenus civium ſtudio me conferrem, illis potiſſimum auxiliis ac potiſſimum mali citrei putamine ſucculento dentibus attrito me munire ſoleo.* Et hujus quidem pomi virtutem contra venenum

Idem fecit Foreſtus. paſſim vetuſtiſſimi autores prædicarunt, unde & VIRGILIUS canit *Georg. l. 2. v. 135.*

Media fert triſtes ſuccos tardumque ſaporem
Felicis mali, quo non præſtantius ullum,
Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ,
Auxilium dabit & membris agit atra venena
Flos adprime tenax: animas & olentia Medi
Ora fovent illo ac ſenibus medicantur anhelis.

Non minor vis eſt ſpiritui vitrioli, qui cum mixtura ſimplice vel tinctura bezoardica mixtus cum omnibus aliis alexipharmacis, de palma certaverit. Quæ vitriolacea inprimis prædicatorem laudum ſuarum MINDERERUM inveniunt. Nulla, *inquit c. 15. de peſte*, eſt putredo, nulla infectio quam non ſuperent, nulla humorum depravatio, quæ per iſta non ſuperetur. Sane ut liberrime loquar, ſi mihi vitriolatorum medicamentorum uſus vel interdiceretur vel inhiberetur, ego ad curationem peſtis nunquam vel certe inermis accederem. Nec alia ratio eſt, cur Mixtura ſimplex & tinctura bezoardica in malignis putridiſque morbis tantopere celebrentur, quam quod ſpiritus vitrioli eam ingrediatur. *Vitriolatorum medicamentorum uſum maxime laudat Mindererus.*

37. Atque de præſtantia acidorum in peſte hæc ſuffecerint, in quorum laudes ſi plura colligendi animus foret, verendum eſt, ne dies atque vox nos deficiat, ideoque ad cætera præcepta, quibus in curanda peſte opus eſt, deproperamus. *Cætera præcepta quibus in curanda peſte opus eſt.* Sub primo igitur impetu mali alexipharmaca danda & ſudor per duas vel tres horas continuandus, oportetque ſimul curam habere, ne adfectus poſt acceptum remedium obdormiſcat. Commoto ſudore conveniunt acidula, in potum detur decoctum C. C. ſcorzoneræ, acetoſ. citri, deguſtandum etiam ſubinde vinum Rhenanum. *Poſt ſudores conveniunt Acidula, decoct. ſcorzoneræ & C. C.* MINDERERUS de peſte ſcribit, niſi intra 24. horas, poſteaquam invaſit peſtis, alexipharmaca exhibeantur, omne auxilium nihil plane proficere. Proſunt etiam in peſte interpoſiti pulveres abſorbentes terrei, qui putredinis vim impediunt. *Pulveres abſorbentes terrei.* Laudat proinde non immerito bolum armeniæ GALENUS *l. IX. de ſimplic. med. facult. c. 6.* in magna, inquit, hac peſte, cujus eadem hæc facies fuit, atque ejus, quæ Thucydidis memoria graſſabatur, quotquot bolum armeniæ ſumpſere celeriter curati ſunt. At quibus non profuit, omnes interiere, ſcilicet cum nec alio quovis curarentur, unde colligitur, quod iis tantum non fuerit auxilio, qui plane erant incurabiles, bibitur autem ex vino albo conſiſtentia tenui modice diluto, ſi aut plane ſebri careat aut leviter ea teneatur. Sin gravius febriat admodum aqueo. At ubi peſtilentiale virus inflammavit interiora, vel certe cæpit inflammare, nihil præſentius, nihil æque exultantes ſpaſmos reprimit, quam camphora cum nitro mixta. *Ubi virus interiora inflammat camphora cum nitro mixta.* Incredibile eſt, quantum hæc medicina ferat adlevamentum, quam potenter furentes ſpaſmos conſopiat, unde in delirio & hæmorrhagiis maxime celebratur. Et nitri quidem virtutem in peſte multi ex veteribus adgnoverunt, idem tamen ubi camphora accedit, ſingularis utique medicina emergit, in omni ſpaſmo maligniſque morbis commendanda. PARACELSUS in peſte ad ſedandum internum ardorem præſcribit nitrum hac ratione adhibendum. Recipe *ſalis petræ drachmam ſemis, aquæ puræ menſuram j. pro potu ordinario.* Diſcutit etiam ſitim & anginam ideoque hanc aquam mirifice extollit KORNHAVERUS in febribus putridis ex vermibus ortis. Idem nitrum par nobiliſſimum medicorum RAYGERUS & RIVERIUS, ille in peſte, hic etiam in aliis malignis morbis paſſim laudat, manifeſto argumento, huic medicamento in acutis morbis plurimum eſſe tribuendum. Eademque de cauſa plurimi non ſine fructu pulvere pyrio in peſte utuntur, uti GIESLERUS *obſerv. 44.* obſervavit.

38. Perſpectis igitur jam iis, quæ ad curam pertinent, forma diſſertationis noſtræ poſtulare videtur, ut & bubonum ac carbunculorum curam adjiciamus. *Bubonum & Carbunculorum cura.* Quorum quidem tumorum naturam variumque ingenium curare noſſe oportet, qui eoſdem recte removere concupiſcit. Scire enim oportet, an bubo mobilis vel ſtabilis, an durus vel mollis, an parvus vel magnus, an depreſſus vel elevatus, an cum inflammatione vel ſine ea inſederit, quibus exploratis ſignis ratio varia curandi trahi debet. Quodſi enim vagus eſt, & ſubinde ſcrutantium eludit viſum, optimum eſt, deprehenſo adfigere cucurbitulam. Conſtatque de experientia, eos in quibus ejuſmodi tumor inſtabilis adparet, non tam commoda poſtea eſſe ſanitate ac ii, in quibus ſuppurati bubones copioſum pus ſaniemque effudere, non obſcuro indicio, in hiſce omne quidem effluxiſſe venenum, in illis vero aliquas ejus reliquias, quamvis utique tenues reſidere. Si tumor durus eſt & duritiei dolor accedit, laxandæ ſunt fibræ pinguibus & oleoſis, ut humores adliciantur. Iiſdem tamen abſtinere oportet, ſi inflammatio adeſt, quo in caſu juvat imponere cataplaſma, quod ex farina tritici, ſemine lini, fœni græci, floribus ſambuc. ficubus, vitello ovi, croco, camphora componitur. Utile etiam eſt, aſſatas ſub charta bibula cepas vel ficus cum oleo liliorum alborum ſubinde per diem adplicare: quod etiam contra morſus ictuſque animantium venenatorum efficaciſſimum eſt remedium. *Aſſatæ cepæ vel ficus cum oleo lilior. alb. applicentur.* Conſequi etiam ex lacte poteſt cataplaſma ſupra commemoratum. Si jam maturus fuerit bubo, aperiendus eſt in parte tumoris decliviore & prominentiore, ut pus tanto facilius effundatur. Ad ulcus autem detergendum elixir proprietatis ſine acido cum eſſentia ſuccini vel balſamo Peruviano mixtum convenit. *Balſamus ad ulcus detergendum.*

39. Eandem fere curam cum deſiderent parotides, minus e re fuerit, eam operoſius hic perſequi, monendum tamen, quod RIVERIUS ſollertiſſimo ingenio *in ſua praxi* adnotavit, & ſanguinis detractionem, & ſolutiorem ſubinde alvum curæ adjiciendam. Quod utrumque quantum præſtet in hoc malo, idem laudatus Autor *de febri peſtilenti p. 145.* pulchris obſervationibus adſtruit, in quibus liquido demonſtrat, in febre maligna epidemica, quæ Monſpelii anno 1623. ferociter regnabat, cum pleriſque parotides intumeſcerent, plures ex iis in principio, fruſtra tentatis multis auxiliis, deceſſiſſe, mox cum ſecutus CORNEL. CELSI præceptum, multa in præcipiti periculo recte fieri, quæ alioquin eſſent omittenda, Venæſectionem alvique ductionem adhibuiſſet, præſtantiſſimis hiſce auxiliis pleroſque evaſiſſe. *Parotides eandem curam deſiderant.*

evaſiſſe. Sed ne hiſce longius immoremur, placet & furunculorum curationem jam exequi. In qua quidem tria quam maxime ab Chirurgo obſervari intereſt, primum ne late nimis ſerpat, carbunculus gangrænæ inſtar ſæpe excurrens, deinde ut carbunculus quamprimum ſeparetur, denique ut ulcus bene conſolidetur. Minus incommodum eſt emplaſtrum, quod conſtat ex allio ſub cineribus aſſato, ſtercore columbino, theriaca & oleo terebinthinæ. Siquecalor abeſt, expedit gallum gallinaceum detractis plumis, vel columbam diſſectam, item calidos pulmones ovium adplicare, eo nempe conſilio ut conſtrictæ partes blando calore delinitæ peſtilenti ſeminio aditum faciant per aperta cutis ſpiramenta exeundi. Nam quo mitiora illis remedia adhibentur, eo melior curatio contingit. Quod ſi autem ſphacelus imminet, ſpiritum vini camphoratum adjecta theriaca prodeſt admovere. In eſchara vero amolienda efficaciſſimum eſt cauterium actuale, nihil etiam præſtantius quam ut candenti cultro ſimul & ſemel anthrax aduratur, donec adfecti ambuſtionem ſentiant. Cultro inflicta vulnera ad radicem uſque & centrum carbunculi penetrare debent, unde expeditior eſcharæ elevatio ejuſdemque ſeparatio. Ipſa eſchara paulatim laxari debet, butyro recenti inungenda. Et hæc in præſenti de peſte ſufficiant.

Formula Emplaſtri adCarbunculos.

Si ſphacelus immine Sp. vin. Camphor. theriacalis eſt admovendus.

In eſchara amolienda efficaciſſimum eſt cauterium actuale.

DISSERTATIO
MEDICO-PRACTICA, DE
PLEURITIDE
ET PERIPNEUMONIA,
Quâ diverſæ de his Autorum ſententiæ expenduntur.

Primùm edita anno 1699.

§. I.

Ex primariis & peracutis humanum genus excruciantibus morbis maxime omnium principatum tenent inflammationes, quæ quaſi ſunt incendia & febres particulares, in membro certo propter ſanguinis vel humoris ſtaſin corruptivam hærentes; quæ poſtea latius ſeſe extendendo, univerſum corpus cunctoſque vitales fluores turbulento calido motu in conſenſum trahunt. Eſt hæc natura ac conditio omnis ferme humoris, ſi à ſtatu naturali & motu debito deflectit, ut inflammatoriam & febrilem quandam in certa ſolida parte producat affectionem, quæ notabilior & truculentiori cum effectu & periculo juncta eſt, quo præſtantius, quod patitur, eſt membrum, & quo gravius ac profundius eſt vitium, unde obſervamus, nullum ferme mori ex morbis acutis, qui non aliquid febrilis vel inflammatorii in corpore patiatur, imo nulla pars eſt, & nullum viſcus in corpore, quod non peculiari & periculoſa inflammatione tangatur. Ex omnibus autem merito eminet illa, quæ pulmones; qui præcipuum ſi à corde diſceſſerimus, in vitali ſanguinis circulo perennando exiſtunt organon, afficit, & vulgariter appellari ſolet Peripneumonia. Eſt hic affectus in tractibus maxime Weſtphaliæ *frequentiſſimus*, ita ut ſi ullus, ſane hic plurimos ibi interficiat. Tametſi autem de hoc in ſcholis medicis celebratiſſimo affectu per multa jam reperiantur ſcripta & notata à Medicorum præſtantiſſimis, ut oleum & operam perdere ille videatur, qui denuo circa hanc materiam laborem ſuſcipit, nihilominus, cum etiam in hoc morbo non omnia rectè & ſolidè expenſa & notata deprehendamus, non dubitavi juxta ductum Dn. Præſidis, communes opiniones de pleuritide & peripneumonia, horum affectuum ſubjecto, cauſis & ortu paulo penitius diſquirere & examinare, fundamento irrefragabilis experientiæ & ſolido ratiociniorum robore innixus.

§. II.

Notiſſimum eſt, unanimi ferme conſenſu à Practicis thoracis inflammationes diſpeſci, in pleuritidem ſpuriam, veram, & peripneumoniam. Spuria exiſtimatur hæc, quando dolor equidem ſentitur, quandoque etiam ſatis acutus, circa latus pectoris, qui interdum locum mutat, & tactu augetur, reſpirationem reddit paulo difficilem, & levem calorem in corpore producit. Vera habetur illa, quando non tantum dolor in uno latere obſervatur ſatis acutus & punctorius, una cum oppreſſione pectoris, anguſtia ſpirandi, tuſſi moleſta, calore eximie febrili, ejectione ſputi cruenti vel colorati. Peripneumonia autem communiter deſignatur, quando ſymptomata hæc dicta omnia

ſunt acerbiora, & dolor in pectore magis gravativus, & oppreſſorius, difficultatem & anguſtiam ſpiritus efficiens maximam, una cum incendio febrili totius corporis maximo, & expectoratione difficiliori. Recepta hic eſt ſententia: in pleuritide ſpuria muſculos externos intercoſtales tantum eſſe affectos, veræ autem ſedem exiſtere in membrana illa ſenſiliſſima, quæ thoracis partes interiores veſtit & dicitur Pleura, una cum ſubjacentibus intercoſtalibus muſculis. In Peripneumonia autem pulmones principaliter eſſe affectos, uno quaſi ore affirmare videntur. Cum autem noſtra ſententia ſit, non tantum in Peripneumonia, verum etiam in pleuritide nominata vera, pulmones principaliter eſſe affectos & inflammatos, per accidens autem pleuram pati, hinc ſufficientibus rationum momentis roboratam ac ſtabilitam illam hoc loco ut proponamus, præcipua noſtra opera ac labor erit. Ut autem commodius illud expediamus, primum omnium utile fore judico, ſi naturam, genium & ortum pleuritidis ſic dictæ ſpuriæ accuratius quodammodo indagemus atque excutiamus. Affici in hoc malo membranam quæ muſculos intercoſtales præſertim exteriores ipſaſque coſtas thoracis cingit atque inveſtit, res extra omne dubium poſita videtur. Convincimur ex dolore ſatis acuto punctorio, qui augetur & increſcit tactu vel preſſione facta externa, luculento indicio, in muſculis thoracis & coſtarum ſedem doloris conſtitutam eſſe. Cauſam, unde dolorificum hoc malum ſuboriatur, variam communiter allegare ſolent Autores. Nonnulli cum HIPPOCRATE flatus incarceratos in fibrarum muſculoſorum interſtitiis incuſant, quoniam externe fotibus & cataplaſmatibus carminativis applicatis, quibus pori occluſi reſerantur, ut flatuoſa materia exitum inveniat, dolor ſedari ſolet. Alii a flatibus contentis in inteſtinorum canale, illos accerſunt, quoniam clyſteres flatus diſcutientes, nec non interna carminativa facultate imbuta, ſuppetias ferre ſolent exoptatas. Dantur etiam ex Veteribus, qui a catarrho & defluxione ſeri à capite, initium & cauſas hujus mali repetunt, quoniam ſubjectis catarrhoſis & qui rheumatiſmis obnoxii ſunt, frequentior hic morbus exiſtere ſolet.

§. III.

At vero ſi rem debitè expendimus, ne ulla ex allegatis his cauſſis placere poterit, utpote, nec flatus in muſculis, multo minus in inteſtinis, quæ non tam alte aſcendere poſſunt, hic quadrant vel ſufficiunt, ſed valde probabilis videtur hæc ſententia, quod nempe ſpuria pleuritis ſit ſpecies Rheumatiſmi & doloris arthritici. Quemadmodum enim ſerum acre, tenue bilioſum, vel etiam tartareo-viſcoſum motu quodam febrili critico ad extremarum partium articulos, mediantibus glandulis mucilaginoſis, vel tunicis glanduloſis, quibus colligantur inter ſe artus, amandatum, membranis tenſilibus & exquiſite ſentientibus inhærens, ſenſum doloris ſatis vehementem efficit: ita etiam ſi ejuſmodi ſerum, ad coſtarum juncturas & muſculorum membranas ablegatur, ſtaſi ſua ſimilem doloris ſpeciem producit. Movemur in hanc ſententiam multis ex rationibus, primo enim pleuritis ſpuria hypochondriacis & ſcorbuticis ſæpius accidit, quibus etiam rheumatiſmus & arthritis, vid. DRAWIZ. *de ſcorbut. Tit.* 7. & WILLIS. *Pharm. Rat. Part. II. Sect.I. cap.* 9. Deinde ſæpiuſcule tempore conſueto, quo alias ſolennes ſunt arthritici vel rheumatici ſeri in manus & pedes decubitus, fieri etiam pleuritides ſolent, accedit quod prodromus & indicium non leve futurorum paroxyſmorum arthriticorum ſoleat eſſe pleuritis ſpuria. Ulterius quoque id patet ex genio morbi cognato ſeu affinitate mutua horum morborum; in arthritide vel rheumatiſmo dolor adeſt ſæpius vagus, qui mutat ſedem, & cum febriculoſa quadam intemperie jungitur, neque tranſit in ſuppurationem, ſed ſucceſſu temporis per ſpiracula cutis, mediante diaphoreſi, evaporata vitioſa materia, ſanatur. Similia obſervantur etiam in noſtro affectu, vaga quoque ejus quandoque eſſe ſolet natura, ut mox petat dorſum, mox claviculam, mox partes ſupra diaphragma, mox infra, ſolaque diaphoreſi expugnatur, niſi admodum impura & ſcorbutica fuerint ſubjecta. Et notabile eſt, quod HIPPOCRATES *Aph.* 38. *S.* 2. *L.* 5. *in Coacis* affirmat, pleuritidem interdum ceſſare per metaſtaſin materiæ ad articulos & glandulas vel parotides; quod utique de pleuritide tantum notha, non autem exquiſita, verum eſt.

§. IV.

Cum itaque hic affectus non tam rarus ſit, ſed ſæpius perſonas cholericas, iræ incontinentes, diætæ vinoſæ aſſuetas, otio & victui copioſo & laudabili indulgentes, viros præſertim & juvenes, præcipuè autem ad arthriticos & rheumaticos inſultus diſpoſitos invadere ſæpe numero ſoleat, citra tamen ſingulare periculum, modo decenti methodo tractetur, unde probe obſervandum eſt, ne pleuritidem talem ſpuriam habeamus pro vera; in illa enim pulmones minime patiuntur, ſed tuſſis ſicca & reſpiratio laborioſa, ſi quæ adeſt, tantum fit per conſenſum, & utut etiam ſucceſſu temporis in quibuſdam materia ejiciatur pituitoſa, minime tamen illud ex pulmonum vitio, inflammatione, vel ex materia intra menbranam pleuram ſtagnante, deducendum eſt; ſed potius circulo lymphæ & ſanguinis præpedito circa locum affectum, & febrili motu, ſerum tenax & viſcoſum evadit, & in fine morbi ſecedens in pulmonibus ejicitur.

§. V.

At vero longè aliter ſeſe res habet in pleuritide vera, quæ talis judicatur, quando dolor adeſt certi lateris in thorace peracutus, febris intenſa, cum pulſu valido & duro, reſpiratio valde difficilis, anxia & doloroſa, ſputum ſanguineis ſtriis refertum, coloratum vel plane cruentum, præcipue circa diem quartum, ſuccedente ſæpius materiæ copioſæ viſcoſæ, magis vel minus tinctæ, vel etiam purulentæ ejectione. Adjuncta ſunt ad tuſſim ſtimulus perpetuus, nox inſomnis, appetitus proſtratio, ſitis moderata, interdum etiam cephalalgia, aliaque. Affectum hunc communiter inflammationi pleuræ adſcribere ſolent; & quidem ex ſequentibus ratiociniis, 1) quod dolorem ſentiant ægrotantes intenſum lateris vel dextri vel ſiniſtri in thorace; 2) quod in pleuritide demortuis cadaveribus intra pleuram vel etiam media-

mediaſtinum, materia viſcida & purulenta quandoque ad libram unam fuerit reperta & pleura exceſſive denſa & craſſa fuerit notata, quales obſervationes legi merentur apud RIOLANUM *in Anthropolog. Lib. III. cap. 5. pag.* 356. RIVERIUM *in Praxi, Lib. VII. cap.* 2. BONETI *Sepulchret. Lib. II. S.* 4. *obſerv.* 20. *it. obſ.* 14. At vero, pace omnium talia ſentientium, nobis viſum eſt ſtatuere, affectum hunc, qui dicitur pleuritis vera, incongrue adſcribi inflammationi pleuræ, ſed potius noſtra hæc eſt ſententia: In pleuritide non ſecus ac Peripneumonia ſemper & primario principaliter pati & affectos eſſe pulmones, quoad unum lobum tantum, & magis ſuperficialiter. Primo itaque quod attinet iſtos dolores, qui percipiuntur in certo latere, & mentiuntur labem in pleura, dicimus illos non dependere à materia ſtagnante intra pleuram & muſculos, ſed potius generari à tumore inflammatorio lobi cujuſdam pulmonalis in dextro vel ſiniſtro latere, unde etiam in vera pleuritide dolor in ipſo pectore magis interne percipitur, nec augetur externo tactu, *es ſticht ſie auf der Bruſt*, præſertim ſub actu inſpirationis, quod proficiſcitur exinde, quoniam, dum mediante aere pulmones expanduntur, pars pulmonis affecta & à ſanguine infarcto jam tumida, facto vehementiori ſanguinis appulſu, premitur, & cum liberè per occluſa vaſa non poſſit tranſire, ad alia aperta pulmonaria vaſa cogitur regurgitare, quæ dum premit & diſtendit copia ſua, non tantum dolor augetur, verum etiam anxietas & ſpiritus anguſtia excitatur. At vero merito hic reponi poterit, dolorem in pleuritide etiam obſervari ſæpius acutum, & in ipſo certo ſpatio circa coſtas; quorſum tamen non pertingere poſſet, ſi pulmonum lobus, qui liberè pectori inhæret, dolore tantum affectus ſit: Ad hoc reſpondendum eſt, in pleriſque hominibus, præcipuè autem in illis, qui notabili quodam thoracis affectu, ſive pleuritide, ſive peripneumonia aut empyemate necantur, pulmones firmiter adnatos fuiſſe repertos pleuræ; Provocamus hic ad experientiam illorum, qui varia cadavera diſſecare ſolent, an non in pleriſque ſubjectis obſervent pulmones ad minimum circa unum latus, maxime circa regionem ſuperiorem firmiter coalitos cum coſtis: multo magis autem hic teſtes cito illos, quibus occaſio & fortuna conceſſit, multos pleuriticos vel peripneumoniacos diſſecare, annon ſemper pulmonum deprehenderint adhæſionem, & principalem in illis læſionem. Rectiſſime hic annotavit paſſim in ſcriptis ſuis SYLVIUS, & fidem mihi quoque fecit *Dn. Præſes* in ſectione multorum cadaverum, ſe pluries deprehendiſſe pulmones ad natos, quam liberos. Cujus rei veritatem etiam adſtruit NICOLAUS MASSA, *in ſua Introductione Anatom. cap.* 29. dum inquit: ſe fere ſemper inveniſſe adhærentiam pulmonis cum pleura, & non ſine difficultate partes ſuperiores pulmonis a pleura potuiſſe ſeparare. Ex eo facilè colligitur, ſi lobus certus pulmonum, præſertim ubi ille firmiter connectitur cum pleura, inflammatus fuerit, fibrillas tendinoſas nerveas & ſenſibiles, tumore iſto ſimul expandi, diſtendi, & hac ratione etiam iſtum dolorem penetrare uſque ad coſtas.

§. VI.

Quod autem obſervationes anatomicas recenſitas attinet, ubi ingens puris copia inventa fuit inter muſculos thoracis & pleuram, aſſerimus, nos non negare, cum vaſa ſanguinea hic obſerventur notabilia, has partes poſſe inflammari, & ſanguinem ſeroſum, chyloſum, præſertim in ſanguineis & plethoricis, qui copioſiſſima & anguſta vaſa habent, in pus converti, ubi etiam dolor lateris, tuſſis, febris, reſpirationis difficultas juncta viſuntur; at vero hic affectus, ut ut veram pleuritidem mentiatur, minime tamen dicendus eſt, & nihil aliud eſt, quam Abſceſſus & Empyema, quod non niſi paracentheſi tollitur, & cognoſcitur ex eo, quod iſte affectus diuturnius affligat, & ſucceſſive ægrum lento calore conficiat, quare etiam ipſe HIPPOCRATES *in Coacis*: niſi intra XIV. dies ſurſum purgentur pleuritici, fiunt empyici, nempe: ſi quis videtur pleuritide laborare & intra XIV. diem nihil exſpuit, continuantibus tamen ſymptomatibus, affectus potius pro empyemate, quam pro vera pleuritide habendus eſt. Itaque ſectionibus prædictis in caſibus ab Autoribus factis, non inferunt, pleuriticum morbum fuiſſe, ſed potius empyematicum.

§. VII.

Quod autem in Pleuritide, ubi ſputum obſervatur coloratum vel cruentum cum dolore pectoris & lateris, non inflammata ſit Pleura, ſed potius pulmo, ex illis quæ ſequuntur, clariſſimè dileſcit; quomodo enim quis ſibi concipere poteſt, ſalvis legibus anatomicis & regulis mechanicis, ſtagnantem ſanguinem intra pleuram ſatis firmam & muſculos thoracis poſſe ferri ad pulmones? neque enim id fieri poteſt mediante tranſſudatione per membranam non adeo poroſam, multo minus autem credibile eſt, hanc ipſam ſtatim inter initia morbi dilacerari. Et ponamus, hoc ipſum fieri, extravaſata tamen materia in pulmones recipi & abſorberi quomodo poſſit, nequaquam intelligimus, utpote & hi exterius cincti ſunt membrana ſatis firma & denſa, quæ eſſet corrodenda, quomodo autem poteſt corrodi a ſanguine puro, ſincero, minus acri & qui etiam non bene attingit hanc membranam, cum hæreat in cavitate; & tametſi ſupponamus cohæſionem lobi pulmonalis cum pleura, minus tamen planum & perſpicuum eſt, quo pacto tam celeriter inſons ſanguis fibrillas pleuræ & pulmonum dilacerare poſſit.

§. VIII.

Quod autem illorum opinionem attinet, abſorberi nempe per ramos venæ Azygos ſanguinem in pleura ſtaſin efficientem; nec illam videmus veritati convenientem, ponamus hoc loco, ſanguinem & materiam extra vaſa poſitam abſorberi, & reduci in venas, & ſucceſſive etiam in pulmones deduci, quomodo autem ibi ab alio ſanguine, quo cum vehitur, ſecretio vel ſeparatio in bronchiali pulmonum ſubſtantia fieri poſſit, intelligi non poteſt. Idem cenſendum eſt de ſputo copioſo, flavo, ſero ſanguinolento, ſpumoſo, quandoque etiam rubro, quod, quomodo in tanta quantitate intra membranam pleuræ contineri poſſit, cum maxima in copia ſæpius exſpuatur; quomodo tranſudare & ad pulmones accedere poſſit, penetrare vix ac ne vix quidem poſſumus. Et largiamur, externam pulmonis membranam erodi a ſero corroſivo una cum ipſa pleura, qua ratione autem in tracheam illud deducatur, non perſpicimus; pulſio enim hic non poteſt habere locum, quoniam deficit a tergo pellens, ſive aer atmoſphæricus. Ad labefactandam præſentem hanc ſententiam etiam illud facit, quod, ſi pulmonum ſubſtantia ſit notabiliter corroſa, difficulter rurſus reciperet conſolidationem, ſed ut remaneret, neceſſe eſſet, pectoris vitium atque exulceratio, id quod tamen non evenit, ſed ex adverſo teſtatur expe-

experientia, ſæpius intra VII. vel XI. dies plenarie reſtitui pleuriticos, ſi recte in cura fuerint tractati, citra ullam mali in pulmonibus relicti ſuſpicionem.

§. IX.

Hiſce itaque diſcuſſis, nihil jam reſtat amplius, quam ut ſtatuamus, malum pleuriticum & peripneumoniacum in pulmonum corpore immediate hoſpitari, & plenariam huic ſententiæ fidem conciliat frequens & attenta cadaverum, hoc morbo defunctorum, diſſectio. Rectiſſime ſuperiori jam ſeculo Felix Plater. *Lib.* 2. *Prax. p.* 409. ſolis pulmonibus ſedem pleuritidis aſſignare conatus eſt, quoniam ſemper in ſectione, pulmonum lobi affecti conſpiciuntur, quæ controverſia poſtmodum, ut ſcribit Welsch. *Dec. I. Curat. IV. p.* 4. inter celeberrimos Italiæ Medicos, publicis ſcriptis renovata, nec ſine ingentibus concertationibus agitata eſt, & eodem loco ſcribit *graviſſimus Autor* experientiſſimus Archiater Romanus, Petrus Servius, dum viveret, affirmare ſolebat, plus quam 300. in Noſodochio ad S. Spiritum pleuriticos a ſe ſectos, & ſemper lobum pulmonis infectum, materiaque repletum conſpectum eſſe, pleura aut nihil omnino ad ſenſum vitiata, aut leviter tantum quodammodo inquinata, idque, ne quis materiam progreſſu temporis in pulmonem e pleura tranſlatum ſuſpicari poſſit, addebat; etiam primo die demortui cadavere aperto, pleuram intactam, pulmonis autem lobum alterum inflammatum apparuiſſe, quod ante illum etiam Bartholinus Vicarius *Libro de opt. Ægrotor. Aſſiſtentia, cap. XI.* in 20. fere hominibus pleuritide defunctis ſe obſervaſſe teſtabatur. Et vetuſtiſſimis temporibus Herophilus apud Coelium Aurelianum II. *Acut. XVI.* pulmonem accuſavit. Pro pulmone etiam pronunciavit Jul. Cæsar Claudin. *Reſponſ. XV.* ad *Baptiſt. Orium Ariminenſem.* Ita etiam Zecchius in *Conſult. Medica, conſil.* 26. *pag.* 301. refert: multos pro pleuriticis habitos, in Anatome pulmones exhibuiſſe fœdatos & dilaceratos. Porro etiam, quod lobus pulmonum in Pleuritide inflammetur, apertione multorum cadaverum docet Laurent. Joubertus, *in Tr. de Affect. Thoracis, cap. VII. pag.* 385. Plura etiam in confirmationem hujus ſententiæ videri poſſunt ap. Hoechstetterum, *Decur. VII. cap.* 4. it. Sennert. *Lib. II. Pr. pag.* 16. Ubi autem oculi fidem faciunt, ſcite ſcribit Avicenna, ibi rationibus opus non eſſe amplius videtur.

§. X.

Meretur ad illuſtrandam noſtram hanc ſententiam de præſenti notari ſectio peripneumoniaci juvenis, celebrata à *Dn. Præſide*, cui ipſe, manus auxiliatrices præbens, interfui: nempe juvenis accedens ad annum XXVI. præditus habitu corporis ſtrictiori, temperaturæ ſanguineo-cholericæ, laboribus mechanicis deditus, ante duos annos ſingulis fere menſibus curavit ſibi applicari cucurbitulas cum ſcarificatione, poſtea ſimul & ſemel per annum has intermiſit, interim nullo notabili incommodo circa pectus fuit affectus; ipſe corripitur menſe Februarii anni currentis, hyeme exiſtente tepida, primum horrore & rigore, corporiſque laſſitudine, quæ ſymptomata mox ſubſequantur dolor in pectore, ſpirandi anguſtia, cum proſtratione appetitus, virium, & calore p. n. Pulſus fuit durus, celer & inæqualis, noctes inquietæ. Adhibentur remedia varia interne pneumonica, omiſſa tamen V. Sne, augetur anguſtia in pectore, cum metu ſuffocationis, & expectoratio eſt difficillima, febris fit intenſior, oculi feroces, facies rubicunda & aſſidua vigilia circa diem VII. delirium præſagiebant, quo etiam die moriebatur. Aperto cadaveris thorace in conſpectum veniebant pulmones mirum inflati, diſtenti & tactu duri, & ferme totam thoracis cavitatem implebant, & quod notabile, firmiſſime erant adnati Diaphragmati, coſtis & dorſi vertebris in utroque latere, ut difficillime cultri acie potuerint ſeparari. Exempti apparebant valde duri inſtar carnis, veſiculæ quaſi carnea craſſa rubicunda ſubſtantia fuerunt infarctæ, & cum diſcinderentur, pauca quantitas ichoris putridi ſanguinei effluebat, nullo præſente pure, pendebant libra examinati V. pondo, & injecti in aquam, conſtanter fundum petebant: in Arteria Aſpera ſpumoſa & tenax materia reperiebatur. Præterea erat memorabile, Arteriam & Venam Pulmonalem circa confinia cordis continuiſſe polypoſas concretiones, quæ ex corde, & auriculis, quarum columnis & fibris firmiter erant connexæ, ramiſque horum vaſorum extractæ, ultra uncias duas pendebant. Cordis autem ventriculi cruore craſſo, nigricante toti erant obſtipati, nec non in Pericardio ſex ad minimum cochlearia aquæ inſtar carnis loturæ cernebantur.

§. XI.

Diſcimus ex hac obſervatione, in peripneumonia, quæ profunda & gravior pulmonum inflammatio eſt, non adeſſe ſemper pus & materiam, ſed potius craſſam ſanguinis ſubſtantiam, firmiſſime poris & tubulis pulmonum impingi, & ita tumorem durum, qui omnium ſymptomatum ſuccedentium cauſa eſt, effici, deinde intermiſſionem eductionis conſuetæ ſanguinis in corpore plethorico ſanguineo-cholerico, graviſſimæ tali ſanguineæ inflammationi anſam & occaſionem præbere poſſe largiſſimam. Præterea probabile videtur, polypoſam ſubſtantiam ex ſucco ſanguinis craſſiori concretam & in pulmonalibus vaſis hærentem, generationi hujus affectus multum velificatam fuiſſe. Confirmat id Malpighius, *in Tr. de Polypo*, qui peripneumoniam aſſerit cauſari ſæpenumero à polypoſis corporibus in pulmonum vaſis hærentibus. Equidem non immerito hic mirari quis poſſet, quare taliſmodi obice poſita circulationi, non perpetuo ante invaſionem fuerit obſervata reſpiratio difficilis; at vero, ratio videtur hæc eſſe, quando polypi hærent in vaſis, ipſa ordinario magis amplianturur, ut nihilominus ſanguini tranſitus pateat, quando itaque ſanguis placide in corpore movetur, nec quantitate nimis exſuperat, libera manet per hanc partem circulatio, & nullum ſubſequitur incommodum, vidimus enim polypos ad ulnam uſque diſperſos per Arteriæ Aortæ, item Venæ Cavæ truncum ſuperiorem & inferiorem, ſine ullo periculo vel ſanitatis detrimento; ſecus autem fit, ſi ſanguinis copia accreſcit & tumultuarius violentus ſanguinis motus exſurgit, præſertim, ſi ex partibus exterioribus conſtrictis, regurgitet ad interiora, ubi circa cor & pulmones congeſtus, cum non poſſit libere tranſire, præcipue ſi in venis polypoſa hæreat ſubſtantia, ſtagnans & accumulatus, inflammatorios tumores, præſertim in viſcere ſanguineo facillima ratione excitare poterit. Videmus ex hiſce, quantum in tali caſu juvet tempeſtive inſtituta ſectio venæ, quæ in noſtro ægro peſſima ratione fuit intermiſſa.

§. XII.

§. XII.

Hiſce jam præmiſſis, firmiter affirmamus & concludimus veræ pleuritidis non ſecus ac peripneumoniæ principale conſtituere ſubjectum ipſos pulmones, tali tamen differentia, ut nempe in pleuritide levior ſaltim & magis ſuperficialis, in lobo nempe pulmonis, ſtaſis ſanguinis exiſtat inflammatoria; in peripneumonia autem gravior & profundior illa ſit, & vaſa majora occupet, quandoque in uno, quandoque in alterutro latere. Nullum enim dubium eſt, hos morbos habere ſuos gradus, ita ut pro diverſitatē gravioris vel levioris inflammationis, periculum etiam variet. Etenim ſi levior eſt, quæ à Veteribus & ipſo HIPPOCRATE paſſim vocari ſolet ſicca & eryſipelacea, feliciter diſcuti & expugnari poterit ſolis diaphoreticis, ſine venæ ſectionis uſu, ubi etiam perpauca ejicitur materia. Si autem eximior inflammatio, morbus non tranſire ſolet ſine ejectione & expectoratione copioſæ, ſive purulentæ, ſive viſcoſæ materiæ. Quod ſi autem inflammatio pulmonum eſt graviſſima, neque ſanguis diſcuti nec in materiam purulentam converti poſſit, utique impactus pulmonibus, in ſphacelum & corruptionem abire debet, & interceptione ſpiritus hominem interficere, niſi mature, heroico & generoſiſſimo veræ ſectionis præſidio, & remediis nitroſis camphoratis opem decentem præſtemus.

§. XIII.

Hiſce jam poſitis, non erit difficile, determinare, unde & quomodo fiat in pleuritide vera, copioſa materiæ rejectio; quando enim circulatio ſanguinis libera impedita eſt, dum capillaria vaſa, præſertim venoſa, obſtructa ſunt, neceſſe eſt, ut à tergo urgente preſſione & impulſu, fiat magna ſanguinis in parte accumulatio, & pororum diſtenſio, per quos à ſanguine ſtagnante materia ſeroſa transmittitur, imo interdum etiam ipſe ſanguis, unde accidit à ſeparatione iſtius ſeri, quod ſtagnatione & calore ſpiſſum & craſſum evadit, dependere irritationem aſperæ arteriæ, ſeu tuſſim & hanc ſubſequentem expectorationem materiæ. Quandoquidem ſolenne eſt ubicunque in corpore noſtro impeditur ſanguinis circulatio, ſive liber itus & reditus per vaſa, ibi etiam ſolennis ſolet eſſe ſeceſſio & ſeparatio ſeri a ſanguine per poros, glandulas & tenuiſſimos excretorios tubulos vicinos, qui ſi diſceſſi & dilacerati fuerint, vel ipſum etiam ſanguinem, vel inde exortum pus producunt.

§. XIV.

Sufficiunt hæc in præſenti de ſubjecto ac ſede horum affectuum; ſupereſt jam, ut mentem etiam noſtram exponamus de cauſis, quæ vulgariter hic ſolent aſſignari. Plures ex Recentioribus principium acidum ceu univerſale coagulativum hic accuſant, ad quod ſaturandum & edulcorandum etiam terrea, alcalina nec non ſalia volatilia oleoſa in cura, ceu præſentiſſima perhibent. At vero, rem ſi accuratius expendimus, exiſtimamus, acidum hic plane incongrue pro cauſa allegari. Res enim difficilis probationis eſt, acidum purum formaliter dari vel reperiri in ſanguine, & poſito, quod mediante victu acidum ſanguini acceſſerit, & cum particulis terreis & ſulphureis congrediendo, tartaream coagulationem vel effectum coagulativum in ſanguine produceret, minime tamen perſpicere poſſumus, qua ratione ſanguis ſic coagulatus tantum in pulmonibus, non autem in aliis membris ac vaſis anguſtioribus hæreat, & ſimiles producat inflammationes; Addimus, quod melancholici, & illi qui acidis cibis, fructibus horaeis, vinis acidis delectantur, rariſſime in hunc affectum conjiciantur. Conſentit hanc in rem HIPPOCRATES *Aph.* 33. *L.* 6. dum ſcribit: *qui eructant acidum, pleuritide non corripiuntur.* SYDENHAMIUS aliique Recentiores inter cauſas dictorum affectuum referre ſuſtinent ſerum craſſum, viſcoſum, quod & quale ſanguini pleuriticorum innatare ſemper fere obſervetur, ita ut etiam κατ' ἐξοχὴν talis ſanguis e vena emiſſus, qui temporis intervallo cruſtam glutinoſam offert, pleuriticus appellari ſoleat. At vero, utut non negemus, proprium ferme eſſe talem ſanguinem inflammatione pulmonum laborantibus, nulla tamen involvit neceſſitas, ubi talis ſanguis, ibi etiam imminentem vel præſentem eſſe noſtrum hunc affectum, ſiquidem teſtatur experientia, innumeros dari caſus, ubi ſimilis ſanguis e vena ſecta educitur, & affectus hic procul abeſt. Denique etiam illud adhuc ſemper remanet dubium, quare tale ſerum ſanguinis in univerſum viſcoſum, in certa tantum parte inflammatorie ſubſiſtat, & non ſimul alia membra eodem modo tangat atque inficiat.

§. XV.

Hiſce jam miſſis reſtat jam ut genuinam originem ac geneſin inflammationis pulmonum inquiramus. Ad hanc itaque rite explicandam & indagandam, opus eſt, ut quædam præmittamus vel ſupponamus ex praxi & hiſtoria medica circa hos morbos notiſſima. 1) autem invadit pleuritis magis adoleſcentes, juvenes & viros, rarius ætatis conſiſtentis & in ſenio conſtitutos; peripneumonia autem magis viros & ſenes, raro juvenes. 2.) Pleuritide plus laborant ſucculenti, ſpongioſioris habitus corporis, ſanguinei, qui venas poſſident parvas, anguſtas & copioſas: Peripneumonia autem magis afficiuntur illi, qui ſanguinem fibroſiorem & craſſiorem obtinent, & ſtricti ac denſioris habitus corporis ſunt, & vaſis gaudent amplioribus. 3) Peripneumonia ordinarie magis invadit tempore hyemali, unde etiam hyemalem morbum pronunciavit HIPPOCRATES *S. III. aph.* 23. Pleuritis autem Vere eſt frequentior. 4) Incurrunt in hunc affectum maxime plethorici, & illi quorum ſanguis difficulter per venas movetur ac progreditur, qui lautioris ſunt victus, vitæ ſedentariæ, carnes in copia comedunt ſuillas, unde Weſtphalis hic morbus eſt familiariſſimus & Germanice dicitur, *die Bruſt Kranckheit.* 5) Obſervamus ad hos pulmonum affectus diſpoſitos maximè eſſe illos, qui olim conſueti fuerunt excretionibus ſanguineis (ſive hæmorrhagiis,) & qui ſanguinem paſſi fuerunt ſibi extrahere aut per ſcarificationem, aut per venæ inciſionem, item, quicunque doloribus, ſpaſmodicis pathematibus, arthriticis inſultibus & febrilibus ſanguinis commotionibus ſubjecti ſunt. 6) Viri frequentius quam fœminæ hiſce malis tentantur, niſi menſium ſuppreſſio accedat, vel ipſi emanere incipiant. 7) Nihil notius eſt, quam, quod illi, qui ſanguinem in venis fovent craſſum & copioſum, vehementiori ſubſequente incaleſcentia, ſive per corporis vehementiorem motum, laborem, exercitationem, ſaltationem, ſive per ingurgitationem vini meracioris, ſpiritus vini, abuſum ſudoriferorum calidorum, balneorum laconicorum, aeris calidioris, & nimiam animi excandeſcentiam incurrant in noſtrum affectum, præſertim ſi mox poſt talem motum frigus accedat, & corpus denudetur.

detur. 8) Et illud conſtat frequenti obſervatione, quod a ſcabie retropulſa, dyſenteria vel alvi fluxu præpoſtere cohibito, it. poſt febres petechiales, variolas, morbillos male curatos, malum hoc ſupervenire ſoleat. 9) Docet experientia, illos, quibus frequentes fuerunt graves tuſſes, hæmoptyſes, & rheumatici ſpaſmodici circa coſtas, ſcapulas & dorſum dolores, detineri crebrius hiſce affectibus; 10) obſervatio eſt conſtans, nec pleuritidem nec peripneumoniam adoriri facile perſonas, niſi præceſſerit horror, rigor, frigus partium extremarum, & præſertim pedum, ubi notabiliter, vaſa ſanguinea detumeſcunt, habitus corporis concidit & ſtrictior evadit: Dicta hæc pathemata excipit mox dolor punctorius & oppreſſorius circa pectus, qui & jam verſus ſcapulas & ſpinam ſe extendit.

§. XVI.

Ex hiſce dictis & adductis facile jam erit colligere ortum & geneſin noſtri mali. Nempe ſupra jam memoratum eſt, pleuriticorum & peripneumoniacorum ſanguinem eſſe valde craſſum atque viſcoſum, unde etiam recte dicitur à GALENO *Aph. VI. comment.* 33. quod pituitoſus ſanguis & coagulatus frequentius excitet peripneumoniam. Id quod etiam confirmat HIPPOCRATES *Lib. IV. de Morbis* cum inquit: *Peripneumonia fit, quando pituita ſanguini mixta pulmoni influxerit.* Sanguis itaque copioſus & tenax, quando ſine impedimento placide circumvolvitur, nullam noxam vel damnum in corpore efficit; quandocunque autem nimio motu calefactus, in tenuiſſimos etiam tubulos impellitur, & ſubſequente frigore ibi coagulatur, neceſſe eſt, ut fiant ſanguinis periculoſæ ſtaſes. Multo magis autem congeſtio ſanguinis & impactio in certa parte occurrit, quando nempe in exteriori corporis cortice rigor, ſpaſmus & frigus oboritur, ubi ad interiora cruor repreſſus, & congeſtus, in vaſis minoribus, vel etiam majoribus ſtagnat, & diſtenſionem, dolorem, calorem inflammatorium producit. Nemo enim amplius in dubium vocabit, inflammationes à ſanguinis ſtaſi & circulo impedito certa in parte oriri. Elegans hanc in rem extat locus apud HIPPOCRATEM *lib. V. de Morb.* dum dicit: *ſanguis per vim calefactus, & venas hiantes ſubiens, cum præ copia exitum quo abire poſſet, non habeat, ibi colligitur, eamque ob cauſam tumor fit, & tam diu adeſt, quoad ex loco, aut per tumorem expurgatus fuit, vel ſanguini cum tempore in pus verſo, exitus pateat.* Cum itaque ſanguis craſſus & copioſus in pulmones illapſus in circulatione ſua libera impediatur, ibi hærens magnam pectoris oppreſſionem & reſpirandi difficultatem inducit, unde facile intelligitur, quam neceſſarium ſit tali in caſu auxilium V. S. ſive in latere affecto ſive in oppoſito celebretur. Scribit SYDENHAMIUS, venæ ſectione non celebrata, ægrum ne tuſſire quidem valere, ſed immani dyſpnœa & inflammationis vi tantum non ſuffocari, quæ cuncta, ſimul ac fuerit adminiſtrata ſectio venæ, ſtatim mitiora evadunt.

§. XVII.

Ulterius nova hic occurrit quæſtio, quæ trutinari accuratius meretur, utrum nempe febris conjuncta cum pleuritide & peripneumonia, ſit ſymptoma illorum & effectus, an potius febris ſit morbi principium, & inflammatio ejus ſymptoma? Nolumus hic longiores eſſe in refellendis variis ſententiis, ſed placet tantum noſtram mentem hic exponere: nempe utique ſtatuimus omnes fere inflammationes, arthritides, eryſipelata, rheumatiſmos, catarrhos, invadere cum febrili quodam inſultu, qui ex rigore, horrore & frigore, & ſubſequente pulſus frequentia & vehementia cognoſcitur. Eſt enim ſolennis naturæ proceſſus, ut ſi aliquid ex corporis ſphæra ſecernere & foras projicere molitur, ſemper efficiat primum ſpaſmum in exterioribus, & ſanguinem ab ambitu corporis propellat ad centrum, ubi deinde rurſus pulſu cordis & arteriarum valido, motio in contrarium fit à centro ad circumferentiam, eum in finem, ut noxia & non miſcibilia cum ſanguine, per debita emunctoria evacuentur.

§. XVIII.

Ex dictis jam facile fluit ratio, quare hypochondriaci, arthritici, & qui ſpaſmodicis affectionibus, dolorificis & febrilibus commotionibus aſſueti ſunt, lubentius incidant in hos affectus, qualia exempla proſtant apud WILLIS. *in Pharm. Rat. Sect. I. cap.* 2. *pag.* 99. & FORESTUM *Lib. XVI. obſ.* 32. BORELLUM *Cent. IV. obſ.* 83. Facit etiam ad generationem noſtri affectus alvi contumax adſtrictio, quod etiam dudum notavit HIPPOCRATES *Lib. de Aere, Aquis & Locis Cap. VI. Tom.* 2. dum inquit: alvus adſtricta peripneumoniæ cauſa eſſe poteſt. Et meretur etiam hic attendi obſervatio apud RIVERIUM, communicata *Cent. I. obſ.* 60. quotieſcunque nempe in certa perſona alvus fuerit obſtructa, pleuritis invaſit, quæ ſtatim ceſſavit, quoties alvus iterum fuit libera facta; nullum enim dubium eſt, ſanguinis liberam circulationem impediri, ipſumque ad partes ſuperiores urgeri, ſi alvus obſtructa & ſcybalis diſtenta fuerit. Denique meretur etiam animadverti circa inflammationis geneſin inſignis locus, qui exſtat apud HIPPOCRATEM *Lib. IV. de Morb.* dum inquit: *Quicquid in morbo copia abundat, dum turbatio in principiis contingit, ad locum fertur, in quo plurimum ſuperat, in turbatione autem amplam capacitatem nactum, ſecretum volvitur, & corpus calefacit, aut in aliqua corporis parte adhæreſceus una cum alio humore, qui alio loco eſt, dolorem & calorem exhibet, quod vero incaleſcit, reliquum etiam corpus calefacit, & ex eo febris.* Præterea autem hic notandum eſt, quod febris & calor ille p. n. qui peripneumoniacos & pleuriticos torquet, etiam ſit productum inflammationis. Ordinario enim ſemper, quo gravior ſolet eſſe partis inflammatio, eo intenſior in ſanguine & toto corpore accenditur calor, adeo, ut inflammationis omnis principium fiat cum febrili inſultu, & febris etiam ab ipſa inflammatione poſtea augeatur.

§. XIX.

Tandem etiam quædam monenda ducimus utilia circa prognoſin horum affectuum. Ominoſum eſſe ſolet ſignum urina in progreſſu morbi copioſa & tenuis. Mirum eſt, nullam de hac re mentionem reperiri in Practicorum libris, cum tamen, ſi attentius omnia ſigna ponderentur, nullum magis, in innumeris ſubjectis ſit magis periculoſum & lethale quam hoc ipſum; & ratio videtur hæc eſſe, quod nempe tam copioſa urinæ ſeceſſio, teſtetur de vinculo ſanguinis & ſeri deſtructo, quandocunque enim in morbo circulatio ſanguinis incipit fieri tardiſſima, ob motum & vires deficientes, tunc ſerum ceu pars liquida facile ſeceſſum molitur a parte craſſiore. Notum enim eſt, motu tam inteſtino quam progreſſivo, elementa ſanguinis fluida & ſolida invicem exacte miſceri, uniri in liquorem fluidum quaſi homogeneum. Si motus hic deficit, uti cernimus in ſanguine

ſanguine extravaſato, ſerum à ſanguine facile diſcedit & ſeparatur. Tenues itaque & copioſæ urinæ ex ſanguinis ſero ortum ſuum habent, uti & ſudores frigidi colliquativi, diarrhææ, quæ omnes periculoſæ ſunt hoc in morbo. vid. HIPPOCRATES *Sect. VI. aph.* 16. Deinde rectiſſime GALENUS *Lib. IV. de Præſag. ex Pulſu cap.* 5. notavit, in Peripneumoniacis pulſum intermittentem, debilem, parvum, frequentem, lethalem eſſe, quod edictum cum experientia certiſſima correſpondere compertum habemus. Talis autem pulſus vires deſtructas, motus vitales deficientes deſignat, cum tamen virium & motuum robur valde neceſſarium ſit, ad vincendas & expugnandas vehementiſſimas has ſanguinis obſtructiones.

§. XX.

Tandem etiam illud notatu dignum eſt, leviorem pulmonum inflammationem cum dolore acutiſſimo junctam, ut plurimum terminari feliciſſime mediante ſudore, & quidem ordinarie die VII. ubi poſt ſudorem omnia fiunt iterum pacata, pulſus naturali ſimilis; reſpiratio liberior, vires cum appetitu eriguntur. Quandoque etiam ipſa natura circa diem IV. per nares profuſionem largam ſanguinis facit, non ſine notabili euphoria. Quando per ejectionem materiæ copioſæ purulentæ morbus finitur, laborandum maxime, ne in fine phthiſis vel hectica accedat, vel etiam valde periculoſa recidiva ſuperveniat. Talis ſæpiſſimè fit, quando in morbi declinatione, vel ſtatim poſt reconvaleſcentiam paulo largius vinum generoſum aſſumatur, vel iracundia corpus exagitetur, pulmones enim debilitati, facile de novo recipiunt ſanguinem. Idem ſentiendum eſt, ſi pleuritis poſt alium morbum diuturnum accedat, talis enim plerumque ſolet eſſe lethalis.

§. XXI.

Ultimo etiam aliquid adjiciendum eſt, circa illas obſervationes, quibus notatum, per alvum materiam purulentam in copia fuiſſe rejectam, qua de re legi meretur VALERIOLA *Lib. I. obſ.* 4. *&* 5. *item* AMATUS LUSITANUS *Cent. I. curat.* 7. ZACUTUS LUSITANUS *Lib. II. Pr. pag.* 303. Quod multa materia purulenta per urinam & alvum rejecta fuerit vid. JOH. ROTHIUS *obſ. med. Cent. II. hiſt.* 15. SCHENK. *obſ.* 97. 98. *&* 100. habet, quod pus pleuriticorum etiam per uterum in mulieribus fuerit eductum. De hiſce jam dicendum exiſtimo, Autores hiſce in rebus valde decipi & falli poſſe, quoniam nempe in hoc morbo urina utplurimum ſedimento craſſo ſcatet, & viſcoſæ alvi fæces ſecedunt, ubi facile tale quid mentiri poteſt pus, & cum accurate illud non poſſit diſcerni, fallaces & incertæ hæ obſervationes ſunt: Utut enim non negemus, materiam purulentam in pulmonibus contentam, reſorberi quoad partem etiam cum ſanguine & per renes vel glandulas majores ſimul poſſe ſecerni; at vero, quando pus cum ſero intime miſcetur, *tunc amittit, plane ſuam naturam, conſiſtentiam, colorem, & conſequenter non ſub tali forma amplius apparere poteſt.*

§. XXII.

Tandem etiam ſubjungenda & monenda quædam ſunt circa curam, quæ nempe notatu videntur neceſſaria. Primaria autem intentio medentis hic eſſe debet, ut ſanguinem in pulmonibus congeſtum & firmiter impactum diſſolvat, diſcutiat, vel ad expectorationem materiam vitioſam ibi hærentem promoveat. Ad has indicationes obtinendas brevibus jam exponere placet, quibus remediis feliciſſime uſus fuerit Dn. Præſes in Praxi ſua. 1) In plethoricis primis ſtatim diebus V. S. in brachio, ſive in oppoſito latere, ſive in affecto, inſtituta, foramine ſatis capaci venæ immiſſo, quæ etiam altero die, prout neceſſitas urgebat, fuit reiterata. 2) Divinum remedium eſt, ſicuti in omnibus inflammationibus, ita etiam in hac, nitrum cum pauxillo camphoræ roboratum, quod vel ſolum, vel cum terreis alcalinis & diaphoreticis maritatum, in decenti doſi fuit oblatum, v. g. *Rec. nitri purificati, oculorum cancri, mandibulæ lucii piſcis, concharum ppt. aa. drachmam unam, cinnabaris nativæ ſcrupulum unum, camphoræ gr. quatuor M. fiat pulvis, dividatur in doſes VIII. de quibus æger capiat ſingulis quatuor horis unam doſin.* Hic pulvis quantum ſoletur hoc morbo detentos, dici vix poteſt; liberam enim reddit reſpirationem & expectorationem, calorem & ſitim nimiam extinguit, dolores demulcet, & blandam movet diaphoreſin. 3) Liquor præſentiſſimi effectus repertus fuit, qui compoſitus ex ſpiritu nitri dulci rite parato, qui non acidus, ſed penetrantiſſimi odoris, & ſuaviſſimi ſaporis eſt, & ſpiritu Buſſii, recipiendo illius unciam ſemis, & hujus drachmam unam, qui liquor virtute diaphoretica in omnibus acutis morbis, etiam malignis & inflammationibus longiſſime exſuperat omnes mixturas & tincturas alexipharmacas, theriacales, bezoardicas. Duo hæc medicamenta, camphoram tantum quandoque omittendo, unice ſufficiunt huic morbo ſanando, ſi nempe porrigantur cum debitis vehiculis, v. g. aqua florum ſambuci, ulmariæ, acaciæ, papaveris rheados, herbæ ſcordii, ſcabioſæ, cardui benedicti. Poteſt etiam hiſce, ſi dolor nimis urget, & affectus magis pleuriticus quam peripneumoniacus ſit, addi diaſcordium Fracaſtorii & elegantiſſimus ſirupus florum papaveris rhoeados. Laudatæ hæ aquæ cum ſemine cardui mariæ, cardui benedicti, in emulſionem præſtantiſſimam converti, & pro re nata uſurpari poſſunt. 4) Externe linimentum ſequens efficaciſſimum fuit, R. *ſpiritus vini rectif. uncias tres, olei nuciſtæ expreſſ. drachmas duas, croci drachmam ſemis, camphoræ drachmam unam & ſemis. Miſce, quod calide fuit cum linteo lateri dolenti repetitis vicibus applicatum.* 5) Ad expectorationem materiæ promovendam recens oleum amygdalarum, dulcium cum ſpermate ceti recenti, ſyrupo violarum, & ſaccharo cando in electuarium debite mixtum nobiliores edidit virtutes præ omnibus aliis pectoralibus. Addi poſſunt in fine morbi aliquot guttulæ olei aniſi vel ligni ſaſſafras. Dicta hæc quæ revera laudatiſſima, in hoc morbo ſufficere poſſunt, modo ſimul conjungatur decens regimen circa res non naturales, de quo paſſim Practici loquuntur. Tandem ultimo loco damnamus & rejicimus hoc in morbo omnia vomitoria, purgantia acriora, ſudorifera vehementiora, exceſſiva opiata omniaque calida ſpirituoſa, acida, aerem frigidum vel etiam nimis calidum, & præſertim pathemata animi, naturæ humanæ & omnibus inflammationibus infenſiſſima.

DISSERTATIO MEDICA
DE
MEDICIS ET MEDICINA
PERVERSA JUDICIA EXHIBENS.

Primùm edita anno 1712.

§. I.

NIHIL præclarius, nihil præſtabilius homini à benigno Numine tributum eſt, quam ipſa prudentia in judicando, qua deteriora ab honeſtis, proficua à noxiis, ſalubria ab inſalubribus in animæ & corporis incolumitatem diſcernere poteſt. Quam nobile vero & magnificum hoc naturæ humanæ a Deo conceſſum munus eſt, tam pauci reperiuntur, qui eo recte fruuntur, ut potius judicandi libertas in præpoſteram & præcipitem tranſiens licentiam plus ſæpenumero obeſſe, quam prodeſſe obſervetur. Etenim ſicuti maturum, rectum & firmum de quodam objecto judicium ex plena & accurata hujus rei naſcitur notitia, omniumque ejus circumſtantiarum & proprietatum inquiſitione: Ita ignorantia & neglectus plenioris informationis immaturum ac infidum non poteſt non parere judicium. Nihil autem inquiſitioni veri æque adverſum eſt, ac nimia celeritas, præpropera feſtinatio & præcipitatio in judicando, qua, de rebus non ſatis ante & ſenſu & ratione perſpectis, vel aliorum auctoritate & æſtimatione vel noſtris opinionibus inducti, nimis temere iniquum & minus prudens judicium pronunciamus. Igitur ſecundum philoſophorum mentem non datur aptior ad hoc malum corrigendum medicina, quam ut ſubinde dubitemus de his rebus, quæ nobis veræ apparent deque illis ſuſpendamus judicium, tantiſper quoad accuratius ſcrutinium & examen verique indagatio præceſſerit. Nolo in præſenti oſtendere & excurrere, quam late per omnes diſciplinas, artes ac ſcientias illa præceps noxiaque judicandi contagio vagetur & quantum damni in indaganda veritate afferat: Sed noſtri tantum erit hoc loco inſtituti judiciorum perverſitatem non tam vulgo, quam doctis, minus tamen rerum phyſicarum & medicarum peritis ſolennem de Medicis, deque Medicina ejuſque poteſtate clariſſime demonſtrare, non deſperans fore, ut noſtris argumentis quidam permoti de Medicis & Medicina mitius ac benignius ſentiant ac æquum & prudens judicium de ipſorum poteſtate formare addiſcant. Quem laborem noſtrum ut auxilio & gratia ſua divinum Numen foveat ac ſecundet, eſt, quod vehementer efflagitamus.

§. II.

Non minus ſcite, quam graviter antiquiſſimus Medicinæ parens HIPPOCRATES *Libr. de Arte prodidit: divinam eſſe artem Medicinam*, at *propter ignorantiam eorum, qui eam exercent & propter* eos, qui *temere de Medicis judicant*, *rem eſſe viliſſimam & omnium opprobrio expoſitam.* Mirum certe eſt ne ullam quidem artem, vel diſciplinam tam temerariis & perverſis patere judiciis, imo probris & calumniis, quam profeſſionem noſtram ſaluberrimam, cujus fundamenta Deus ipſe in natura remediorum, in mechaniſmo corporis noſtri, inque ratione humana poſuit ac ſtabilivit, & quæ omnes, cum ingenuas, tum mechanicas, quas homo inſtinctu quodam divino in neceſſitatem, commoditatem, vel oblectationem excogitavit artes, longiſſime exſuperat. Quid enim nobilius, quam corpus ſanum & integrum conſervare, morbos fugare, mortem arcere & vitam ad naturalem terminum producere? Nihilominus, non modo HIPPOCRATIS ævo, ſed & ſemper & omni tempore cum propter ignorantiam eorum, qui eam temere exercent, tum propter ſiniſtreitatem judicantium divina hæc ars res vilis, imo contumelioſa habita eſt. Etenim in nulla profeſſione, vel arte tanta multitudo & ignorantia artificum conſpicitur, quam in medica, quæ tamen omnium difficillima, tam propter acerrimum, quo pollere debet Medicus, judicium quam propter earum rerum, quas accurate ſcire debet, copiam. Quiſque enim etiam ex infima plebe & multitudine hiſce temporibus ſe medicum profitetur, vel medicinam adverſus certum morbum jactitat. At vero ſapienter notavit HIPPOCRATES *L. de Arte*, *multos eſſe Medicos fama* & *nomine*, *re vero & opere perpaucos* & L. *de Vet. Medicina* ſcribit: *Sunt opifices alii quidam mali*, *alii vero multum præſtantes. Ut enim aliarum artium cunctarum opifices plurimum inter ſe differunt: ſic etiam in Medica evenit arte.* Cauſas vero tam ingentis Medicorum multitudinis & licentiæ practicæ non minus vere, quam eleganter prodidit PLINIUS *L.* 29. *c.* 1. cum ait: *In hac arte ſola evenit*, *ut cuicunque Medicum ſe profitenti ſtatim credatur*, *cum tamen periculum ſit in nullo mendacio majus*, *nulla præterea lex*, *quæ puniat inſcitiam capitalem*, *nullum exemplum vindictæ*: *ſed diſcunt periculis noſtris & experimenta per mortes agunt & Medico tantum hominem occidiſſe ſumma*

ma impunitas eſt. Unum idemque ſentit HIPPOCRATES *Libro citato, qui arguit hoc, quod in civitatibus arti Medicinali nihil ſupplicii, quemadmodum aliis, excepta dedecoris nota, decernatur.*

§. III.

Cum itaque cuivis pro ſuo arbitratu, Medici perſonam induere ejuſque vultum, geſtum, habitum, ſcientiam fingere licitum ſit; hinc vulgus hominum ineptum & ad judicandum proclive Medicum bonum a malo, peritum ab imperito minus recte novit diſtinguere, ſed illis maxime fidit ac aſſentitur, qui alios contemnunt, magna arcana venditant, nec non ingenio & loquacitate aliis ſunt ſuperiores. Elegans hac de re extat locus in præfatione CORNARII *Tomo* 2. AETII *præfixa: Videas, inquit, quoſdam loquacitate ac mira litigandi contentione apud ægros ſe efferre ac geſticulando obtinere, quo putentur rem ipſam & morbum optime tum noſſe, tum curare poſſe, cum interim alius ad hanc rem ſimul adhibitus ob maturiorem conſiderationem, vel linguæ parſimoniam præ illo nihil ſcire putetur & contingit ſane ita ignorantem temeritatem a vulgo probari, ditari ac in honore eſſe, maxime cum fortuna etiam hujuſmodi hominibus favere conſpiciatur, ut, aliquando æger convaleſcat. A prudenti vero Medico omnis abeſt loquacitas, omne præceps conſilium, hunc potius ratio, deliberatio & prudentia ad rectum judicium & inventionem tuti ac idonei remedii reddit:* Neque viro, qui, profundo, quale requiritur ad medicinam, judicio pollet, multiloquentia facile adhæret, utpote, quæ felicis memoriæ ſoboles eſt & rarius cum ſolido judicio conſiſtit & optime CELSUS: *Remediis, non eloquentia ſanantur morbi.* Sapiens antiquitas artem Medicam dixit mutam: Hinc VIRGILIUS L. Æneid.

Scire poteſtates herbarum uſumque medendi
Maluit & mutas agitare inglorius artes.

Utpote medicinæ vis in operationibus magis, quam ſermonibus conſiſtit.

§. IV.

Denique ignarum & inconditum vulgus Medicorum præſtantiam judicare ſolet ex ipſorum aſſiduitate. Vulgaris eſt perſuaſio in ſolis remediis reſidere omnem medendi vim & Medicum omnis felicioris ſanationis eſſe cauſam, cum tamen Natura maxima ex parte ſanet, Medicus vero tantum naturam curet, quæ etiam remediorum vires varie moderatur. Unde inepte vulgus exiſtimat, illum Medicum, qui ſemper ægris aſſidet, vel eos frequenter viſitat, pluris eſſe faciendum iis, qui non tanta aſſiduitate ſe commendant. Tametſi vero decenter morbum explorare, præſertim inter initia ejuſque vires ac progreſſum, maxime, ſi fuerit acutus, ſcrutari Medico conveniat ac neceſſarium ſit; nihilominus nimia aſſiduitas & perpetua illa non officia, ſed ſervitia in morbis, ubi nullum adeſt periculum, eoque tempore, ubi in acutis nulla contingit mutatio, Medico honeſta merito ſuſpecta ſunt, vel, quod fallere ægrum & lucrum ab ipſo captare, vel quod tali ſervitiorum genere ſe commendare velit. Sæpius vero id accidit citra fraudem & ex Medici ipſius ignorantia, dum hic cum ægro exiſtimat Medicum eſſe naturæ ac morborum magiſtrum, & medicamenta omne in medendo abſolvere punctum, cum tamen Natura hac in re principes tueatur partes, quæ optime in acutis ordinem ac tempora ſanationis deſiderat, paucis remediis contenta. Ad hæc tempora, hos motus, hunc ordinem naturæ prudenter attendere, eumque expectare & nunquam præcipitare immatura vel violenta medicina debet Medicus. Minus recte igitur homines plus opis ac auxilii a Medicorum perpetua aſſiduitate, quam ab aliis, qui honeſte funguntur officio, ſibi pollicentur. Atque adeo non ſine ratione a taliſmodi medicis ſibi cavendum eſſe ſcribit SIDONIUS APOLLINARIS *L.* 2. *c.* 22. his verbis: *Sunt Medici quidam parum docti, ſed ſatis ſeduli, qui languidos multos officioſiſſime occidunt.* Et VERULAMIUS *de Augmento Scientiarum pag.* 110. *Etſi ex opera Medicorum quotidiana, quam inviſendo, aſſidendo, præſcribendo ægrotis præſtant, putaret quiſpiam haud ſegniter illos curationem perſequi, atque in eadem certa quaſi via inſiſtere; Tamen, ſi quis ea, quæ præſcribere atque adminiſtrare ſolent Medici, accuratius introſpiciat, inveniet pleraque vacillationis & inconſtantiæ plena & quæ ex tempore excogitant & in mentem illis veniunt abſque certo aliquo præviſo curationis tramite.*

§. V.

Diſcedit quoque a vero judicio vulgus in eo, quod pluris æſtimet ac faciat utplurimum Medicum, qui in formulis præſcribendis facilis ac copioſus, quam qui pauca eaque raro in curationem adhibet. Perverſæ opinionis eſt, remediorum copia adverſus morbos pugnandum eſſe. Ignorantiæ medicæ potius ſignum hoc eſt idque certum & indubitatum, in omni morborum genere præſcribere multa medicamenta eaque varia, ſiquidem Natura & morbificæ cauſæ pauca ſaltem, ſed ſelecta & accommodata deſiderant. Morbum enim tollere eſt ejus cauſam jugulare, cauſa vero diverſiſſimorum effectuum non varia, ſed ſæpius ſimplex eſt, quæ non multa, nec varia deſiderat auxilia. Deinde cunctatione, mora ac tempore opus eſt, ut illud, quod corpori ac vitæ infenſum eſt, emendetur ac ejiciatur: quod ſæpiſſime ſola Natura præſtat ac perficit ſine ullo Medico ullaque Medicina quod ſatis experiuntur plebeii, ruſtici, gentes Medicis deſtitutæ, & qui a Medicina abhorrent: hi frequentiſſime ex acutis paſſionibus, febribus tam benignis, quam malignis, inflammatoriis, variolis, morbillis ſolius naturæ ac temporis beneficio, quiete ac abſtinentia citius evadunt & melius eluctantur, quam divites, potentes, magnates, Principes, qui vel decem Medicos aſſidentes habent, & ſingulis horæ quadrantibus accipiunt medicinam, quæ tantum abeſt ut juvet, ut potius naturam plerumque impediat ac turbet morbumque reddat deteriorem. Aureus ſane hanc in rem extat *Aphoriſmus* 19. JOANNIS DAMASCENI *ad Filium: Medicamenta tibi ſunt certa & pauca uſurpanda, eaque quibus maxime uſu fidere poſſis. Nam ſi volueris multa aſſequi, multiplici ſenſuum varietate eo venies, ut nulli tuto confidere poſſis.* Rectiſſime quoque VERULAMIUS copiam ac varietatem remediorum ignorantiæ filiam appellat. Videas igitur, quantum in judicando aberrent, qui copia præſcriptionum & remediorum multitudine præſtantiam Medici æſtimant.

§. VI.

Eſt porro error decumanus, ſed pervulgatus quando de Medicorum dexteritate ex ſucceſſu curationis

rationis judicium formant, eo, quod plerumque non tam ſcientiæ Medici, quam aliis cauſis debeatur. Nam ſi quis convaleſcit a morbo, ſcientiſſimus Medicus judicatur, quanquam nihil ab eo geſtum eſt, quod opem tulerit, ſed potius imprudenti ſua methodo celeriorem ſanationem impediverit. Contra parum peritus Medicus vulgi judicio eſt, ſi æger e vita diſcedat, ſi longiori morbo detineatur, quem vulgus levem & magnum arbitratur. Hunc vero Medicum turba hominum mirifice æſtimat qui ſanat eos, qui pro moribundis habentur, hic magnam mox adipiſcitur famam, quamvis nihil ipſi præter vile confortans, vel emulſionem perlatam, quæ omnia nihil ad rem faciunt, dederit, nihilominus ejus judicio ſanationem præſtitit omnibus numeris abſolutam & omnes clamant. Eum ſanavit, quem unuſquiſque demortuum exiſtimavit, eum a limine mortis revocavit: & magnus Medicus per totam urbem fertur. Contra vero prudentiſſimus Medicus, ſi ægrum habet ſanandum ex morbo acucuto, qui non putetur moriturus, quod cauſa morbi ſit maligna, adeoque abdita & abſtruſa, omnem tamen inſtruit operam & omnibus induſtriæ nervis contendit, & exquiſitiſſima remedia præſcribit, & ſi hic præter opinionem illorum e vita diſcedit, Medicus ingens exiſtimationis ſuæ periculum incurrit & omnes clamant, eum non recte eſſe tractatum, & plures evaſiſſe qui eodem morbo periculoſioribus ſymptomatibus fuerunt tentati. Quandocunque vero vulgus exiſtimat ægrum ex acuto morbo laborantem evaſurum, idque contingit, tunc nihil factum eſſe a Medico opinantur, utut propter prudentiam medendi multum laudis ac gloriæ mereatur. Adeo Medici exiſtimatio a vulgi opinione, vel potius errore dependet, quod exiſtimat, medicum in morbum ita agere poſſe, quemadmodum in habenam, quæ ad arbitratum adducitur, vel remittitur.

§. VII.

Dicendum etiam aliquid eſt de fortuna Medici. Eſt communis non modo vulgi, ſed & doctorum ac modeſtiorum error, Medicum eſſe Medico in ſanando feliciorem, hinc non facile Medicum, ſi alias fuerit doctus, judicant imperitum, ſed dicunt in ægris ſanandis eum non adeo gaudere fortuna, cui in medendo magna attribuitur efficacia. Verum enim vero quemadmodum in omni vitæ genere ac rebus politicis, quando effectuum cauſas ac connexiones ignoramus, fortuna accuſatur, quæ nonniſi magnum ignorantiæ aſylum eſt: ita etiam in rebus Medicis malum ſucceſſum ſanationum fortunæ imputare inſcitiæ eſt. Nos ex JUVENALIS *Satiris* dicimus:

Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia rebus:
Sed nos fortunam colimus Cœloque locamus.

Sed & SALOMON Proverb. 16. v. 20. pronunciat: Qui prudenter rem inquirit ille invenit fortunam. Nam omnia, ſecundum LIVIUM, ubi ſumma ratione conſilioque acta fuerunt, fortuna etiam ſequitur. THEOPHRASTUS PARACELSUS, ubi de ſecundo Medicinæ fundamento, Aſtronomia verba facit: *hæc* de fortuna & infortunio ſcriptis ingenioſe prodit: *Non eſt fortuna, quæ non habeat ſuam cauſam & ſuam præſcientiam apud Medicum peritum. Quid enim aliud eſt fortuna, quam ſervato ordine naturæ curare Naturam. Quid infelicitas, quam contra Naturæ ordinem rem aggredi?* Hinc ibidem ſubjungit: *Itaque infelicitas eſt inſcitia, felicitas vero peritia. Utrumque enim felicitas & infelicitas a deſperatis dubitatoribus excogitata ſunt, apud quos utrumque nihil aliud eſt, quam aperto ore expectare, an aliquid volando ingredi velit? Vos autem Medicos omnes ita peritia decet eſſe inſtructos, ut originem felicitatis & infelicitatis cognoſcatis, niſi hæc ſciveritis, deſiſtite a medicina. Occidere enim ægrotum non eſt infortunium, ſanare eundem non eſt felicitas; imo eſt exitus & finis oſtendens, qualis ſit uniuſcujuſque peritia & induſtria: Finis enim demonſtrat, quis in fortuna vel infortunio verſatur, inſcientia vel ignorantia. Et* HIPPOCRATES *ſic ſe rem habere ait, ut hi Medici ſoli fortunate facere arbitrentur, qui ſciunt, & contra infortunate, qui ignorant. Fortuna enim uti, eſt recte facere, hæc vero qui ſciunt, faciunt. Non uti fortuna, neque aſſequi hoc, quod velis, eſt id facere minimeque recte, quod neſcis.*

§. VIII.

Enimvero non negandum eſt fortunam ſive fauſtum rerum ſucceſſum, id eſt famam & exiſtimationem, nec non divitias contingere æque perito ac imperito Medico, imo ſæpiſſime inexpertis plus, quam prudentibus & intelligentibus. Eſt hæc res divinæ providentiæ. Utpote res externas Deus peculiari cura ac providentia dirigit ac diſponit pro nutu ac arbitratu ſuo adeo, ut cauſas invenire ac reddere hic ſit difficillimum. Fortuna itaque hoc ſenſu in Medico poteſt habere locum. Medicus enim tametſi parva ſcientiæ Medicæ ſupellectile inſtructus ſit, quandocunque caſu, vel occaſione ad morbos divitum & nobilium & qui multum auctoritate valent, in conſilium adhibetur & ægri convaleſcunt, ſive Naturæ, aut morbi benignioris beneficio, ſive, quod jam ipſe morbus, cum advocatus eſſet, fuerit in declinatione; tunc certe, utut parum artis, vel opis contulerit, mox magnam famam conſequetur. Accedit poſtea, quod in hoc plures confidant & hujus curæ ſeſe committant, cui nobiles ac auctoritate valentes capita ſua crediderunt. Etenim firmiſſimæ veritatis eſt, mundum tam doctum, quam indoctum in omnibus negotiis regi maxima ex parte opinionibus ac præjudiciis aliorum. Itaque non rarum eſt, in vita civili obſervari indignos, imperitos, inſcientes majorem applauſum, famam, opes ac honores quam dignos ac merentes adipiſci. Ex quo jam patet, fortunam quidem non facere in Medico medendi ſcientiam, ſed ſaltem diſpoſitionem rerum externarum ſpectare, quæ in manu ac poteſtate hominis non ſunt & non tantum ad emolumentum & famam, ſed & ad alterius detrimentum, contemptum & calumniam pertinent.

§. IX.

Denique iniquum judicium, imo potius calumnia non tantum vulgi, ſed & eruditorum quin imo Medicorum eſt, Theoreticum malum eſſe Practicum, & eum ſapientiorem ac peritiorem eſſe, qui multos habet ægros tractandos, quam, qui paucos, exiſtimant. Erroris hujus illecebra & occaſio inde naſcitur, quod medicina res exiſtimetur, uti etiam eſt, multi laboris, temporis ac experientiæ, hinc argumentantur, qui multos habet ægros ſanandos, eum peritiorem eſſe eo, qui bene & recte ratiocinari de morbis ſolet, ſed paucos habet ægrotos. At vero utique experientia, id eſt, accurata obſervatio earum rerum, quæ nocent, vel profunt, in invenienda medicina locum præcipuum invenit, & ordine

dine præcedit rationem: Sed cum jam dudum medicina inventa ſit & per tot ſecula, per tot nationes ac climata, inſtituta in tot individuis experientia & obſervatione eorum quæ corpori infenſa, vel amica ſint a præſtantiſſimis Medicis notatum fuerit, jam non amplius de experientia cogitandum, ſed eo nitendum eſt, ut remedia, quorum noti effectus ſunt, ad certa individua, ad certas morbi circumſtantias debito ordine, tempore ac loco applicemus atque prudenter ea accommodemus. Et hæc ſpecialis medendi methodus nil niſi prudentia, conſilium ac ratio Medici eſt & ex morbi cum indole remediorum accurata collatione, comparatione & omnium circumſtantiarum penſitatione naſcitur & acquiritur. Ubi non negandum, quod qui tali prudentia, ratione & habitu judicandi inſtructus ſit, artis continuo exercitio multum proficiat & adhuc confirmetur. Bonus itaque theoreticus ſaniorum Medicorum conſenſu is eſt, qui theoriam ac ratiocinationem ſuam accommodat hiſtoriæ morborum & remediorum, nec non praxi & experientiæ, eamque rationi conformem ac demonſtrativam reddit. Unde bonus theoreticus non poteſt etiam non eſſe bonus practicus. Hinc Medici ratio vel theoria debitis præſidiis inſtructa & experientiæ ſuperſtructa magnos in medicina facit progreſſus, cauſas ac fontes morborum apte aperit, cur alia corpori noxia ſint, alia proficua, incredibili ſolertia diſquirit, veteres recentioribus feliciter conciliat, medendi methodum pro differentia climatum, anni temporum, ſubjectorum, ætatum, vitæ generis diſcrepantem probe diſtinguit, quin & remediorum verum uſum ab abuſu ſedulo diſcernit, præterea aliorum minus ſecuram curationem perquam facile perſpicit, multoque tutiorem & expeditiorem curandi viam in novis ingruentibus affectibus adinvenit. Quibus omnibus ille, qui ſoli inhiat praxi, utut numeroſis adfuerit ægrotis, ſi inſuper Theoria bona careat, deſtituitur. Solenne itaque, ſed revera ſtolidum eſt, experientiam allegare, ubi deficit ratio, circumſtantiarum penſitatio, ſubjecti & cauſæ morbi & modi agendi in remediis cognitio. Cæterum tamen non negandum, plures etiam in Theoreticis committi errores, ubi nempe quis ad hypotheſes inanes, ſpeculativas, fictitias magis obſcuris & nihil ſignificantibus terminis quam principiis perſpicuis ſuperædificatas vult praxin accommodare, & ex hiſce principiis ea remediorum genera rejicere conatur, quæ per omnia ſecula & nationes uſu, aliorumque applauſu ſe commendarunt. Hic valet illud axioma: Malum Theoreticum eſſe malum practicum, ſi videlicet ex Theoria hac nuda, praxin inſtruere velit.

§. X.

Sequitur jam novus proponendus error, qui in eo conſiſtit, quod vulgus iis remediis, quæ ultimo adminiſtrantur, totum curationis ſucceſſum attribuere ſolet. Ita ubi in principio febris intermittentis inciſa fuerit vena, urgente plethora, emetico ſaburra primarum viarum evacuata, obſtructiones quoque viarum per incidentia reſeratæ, febris vero acceſſio nondum deſiit & novus accedit Medicus, & aliquot doſibus chinæ impetum & acceſſionem febris retundit, tunc huic remedio curatio febris unice aſſignatur & felicitas Medici in medendo prædicatur. Pari modo in febre acuta, ſi inter initia & progreſſum morbi omnia fiant ex arte, & circa diem criticum alius Medicus pulverem pretioſum cordialem aureum præſcribat, & mox ſequatur ſudor, virium recuperatio, pulſus mutatio; protinus huic Medico ejuſque remedio totius febris curatio adſcribitur, cum tamen ſi talia a principio data fuiſſent, nil opis tuliſſent. Ita etiam porro, ſi de fructibus quid fuerit deguſtatum, vel eſculentum minus conſulto aſſumptum, atque poſtmodum quis ægrotet, alioque morbo vexetur, tunc cauſa ſolum putatur illud erratum in diæta, aliis infinitis antecedentibus rebus noxiis non adjunctis. Enimvero probe hoc loco tenendum eſt, naturam ſicuti in morbo curando, ita etiam in eodem producendo opus habere certo tempore. Etenim humores pravi pedetentim ad morbum vel paroxyſmum efficiendum accumulantur, eouſque, dum determinatam quantitatem ac menſuram nacti fuerint, ad quod vel minima additio in fine ſufficit & tunc morbi cauſa potens efficitur, quæ agere in corpus poſſit, quæque effectibus morboſis producendis apta ſit. Ubi facile perſpicitur, ea omnia, quæ anteceſſerunt, pro ſua etiam parte agere & egiſſe, non minus, quam in arbore præcidenda centum ſecuris ictus inflicti in caſſum non videntur, cum centeſimus primus eam deturbaverit. Tali modo quandocunque circa criſin morbi acuti adhibentur remedia, falſo adſcribitur ipſis virtus curatrix, quoniam per omne tempus morbi materia peccans prius debuit temperari, maturari & ad expulſionem, vel reſolutionem præparari, quod non medicinæ, ſed tempori potius attribuendum eſt. Felix itaque ille Medicus, qui ad mali venit inclinationem, nam licet Medicus nihil omnino præſtiterit, nihilominus dicitur auctor proſperi eventus.

§. XI.

Cæterum mentio quoque eſt facienda ingentis, vulgati & ſingularis erroris, qui non modo plebis, ſed & doctorum mentes occupat. Perſuaſio eſt fere omnium, imo & Medicorum non adeo ſolidorum, in medicamentis ac remediis, quæ adverſus morbum uſurpari ſolent, reſidere ſanationis efficaciam. Quæ perſuaſio, quod præjudicium fere univerſale & naturæ humanæ quaſi ingenitum, fons ac origo eſt illius ſtolidæ ac pernicioſiſſimæ empiriæ, quæ inter omnis generis homines regnare ſolet. Quiſque enim, ſiquando obſervat, in certo morbo uſurpatum remedium, & ſanationem ſubſecutam, protinus hunc effectum adſcribit huic remedio: ſique ſimilis generis occurrat morbus, ſtatim hoc ipſum commendat ejuſque applicationem ſuadet. Et a tali empiria nemo fere cujuſcunque etiam ætatis, ſexus, vitæ generis, dignitatis ſit, eſt immunis, ſed quiſque fere ſe gerit Medicum. At vero res longe aliter ſeſe habet. Utpote vis & efficacia ſanandi non tam in remediis eorumque activitate ac virtute, quam in corporis noſtri diſpoſitione mutuaque remedii & corporis noſtri actione & reactione conſiſtit & quærenda eſt. Unde tanta effectuum varietas ab uno purgante, opiato, roborante vel mercuriali remedio pro diverſitate ſubjectorum mirifice ratione diſpoſitionis & motus humorum, ratione ſenſibilitatis & ſolidarum partium roboris differentium in uno eodemque morbo reſultat, adeo, ut ejuſdem remedii eadem doſi etiam propinati effectus in certo morbo corporibus quibuſdam ſit benigniſſimus, aliis vero pernicioſiſſimus. Ex quibus jam clariſſime intelligitur, experientiam ſolam, ut perverſa multorum fert opinio, non facere Medicum, quæ toties fere variat, quot ſunt individua, ſed ſolidam & ſanam rationem Medici & exquiſitum judicium, quo circumſtantias morbi, remediique vires experientia dudum cognitas cum morbi & cauſarum morbificarum indole nec non ſubjectorum diſpoſitione comparat, & inde

metho-

methodum applicandi remedia deſumit. Quæ prudens methodus medendi facit Medicum. At hæc tantum abeſt, ut cadat in omnis ſortis homines, ut potius ſummum judicium in Medico & poſtea habitum & exercitationem requirat. Nam quemadmodum in juriſprudentia non ſola legum ſcientia facit Juriſconſultum, ſed applicatio legum facta cum prudentia & judicio ad facti ſpeciem: Ita idem valet in medicina, ubi non remediorum cognitio eorumque virtus perſpecta facit Medicum, ſed potius eorundem applicatio ad certum morbum & ſubjectum: Ubi minima mutatio circumſtantiarum variam remediorum indicationem poſtulat. Quicunque itaque hæc bene conſideraverit ac perpenderit, is non temere in morborum curatione cuivis commendanti remedia in quovis morbo fidet.

§. XII.

Deinceps recenſendus eſt quoque ille receptus valde multorum error; quo putatur Medicus poſſe omnis generis morbos etiam periculoſiſſimos ſanare, cum tamen profeſſio noſtra ſalutaris valde limitata & circumſcripta agendi terminis ſit. Utpote remedia, quibus ceu inſtrumentis artifex utitur, certa activitatis gaudent ſphæra, ultra quam non licet progredi. Quare, ſi cauſa morbi major ſit virtute naturæ ac remediorum efficacia, ipſa manet invicta & deſtructionem machinæ ſubinde infert. Inſcitiæ eſt & erroris res plena, plus exigi & deſiderari a Medico, quam, quod ejus in poteſtate eſt. Veriſſime hanc in rem ſcribit HIPPOCRATES *in Vet. Medicin. Non exigenda ab arte, quæ non profitetur, nam quorum facultatem tum per naturæ, tum per artium inſtrumenta conſequimur, eorum nos opifices profiteri poſſumus, aliorum non item. Si quid igitur homini contigerit, quod medicinæ inſtrumenta ſuperat, id ne ſperandum quidem eſt ab arte medica vinci poſſe.* Quapropter ſi res Medico non ex voto ſuccedit, ſi morbi vehementia remediorum vires ſuperat, non culpa in artem protinus eſt rejicienda: Ideoque non mirandum, multas paſſiones tam acutas, quam chronicas eſſe inſanabiles. Ut autem res illuſtrior fiat exemplis, verſantur nobis ante oculos nonnulli ex chronicis inveterati, habituales, vel hæreditario jure ad nos devoluti morbi, quorum curandi ratio vel nulla, vel valde difficilis, ac imperfecta eſt. Quis enim inveteratum hypochondriacum affectum, nodoſam Podagram, verum Aſciten, veterem pulmonum exulcerationem, renum, vel veſicæ calculum, Hecticam, Aſthma convulſivum cum hydrope thoracis, ſcorbutum conſummatum, guttam ſerenam, longam ſurditiem, cachexiam ex induratione viſcerum fugare, vel feliciter profligare novit? certe ſatis eſt illorum impetum convenientibus remediis mitigare & parumper retundere. Equidem libri medicorum, botanicorum & chymicorum in hiſce rebellibus morbis complura vehementer jactant & commendant remedia & arcana, quæ tamen, quod tantum vana ſpe hominum animos lactent, uſu addiſcimus, ubi turpiter poſtea fallunt, omnemque ſpem ac expectationem deſtituunt.

§. XIII.

Neque porro in poteſtate eſt Medici, multum præſtare arte ſua in febribus acutis, malignis, inflammatoriis ipſaque peſte, ubi certe naturæ benignitas ſolet eſſe optima medicatrix, i. e. ſi fibræ motrices robore ac tono debito gaudent, ſi vaſa ſunt capacia neque humorum ac ſanguinis adeo deſtructa temperies & craſis eſt, tunc morbi acuti ſæpiſſime ſua ſponte, ordine certo ac tempore ceſſant, videlicet violento illo extraordinario febrili motu ſæpe ipſa cauſa hujus motus pernicialis ſucceſſu temporis emendatur, corrigitur atque expellitur. Parum tali in caſu Medicus poteſt proficere ſua arte, niſi quod ea quæ oneri ſunt naturæ, quæ ſalutarem ejus ordinem ac motus impediunt inter initia ſtatim removeat, videlicet vel ſanguinis exſuperantem quantitatem venæ ſectione demendo, vel primas vias a copia excrementitiarum ſordium leni emetico, vel laxante liberando: omni reliquo tempore nihil fere agendum eſt, niſi, ut abſtineat æger ab omnibus alimentis & medicamentis valentioribus nec non in quiete & placida diaphoreſi ſe contineat, potum ſubinde diluentem ac humectantem ipſi præbendo. Truculenta peſtis, morborum facile acutiſſimus & periculoſiſſimus omnia fere remediorum, etiam magnifice commendatorum genera reſpuit: ibi Medicus certe parum, vel nihil ſelectiſſimis ſuis alexipharmacis poteſt præſtare, ſed qui ab ea liberantur, beneficio naturæ, abſtinentia & quiete & temperamento ſanguinis alexipharmaco maxima ex parte ſervantur. Perquam dignum obſervatione eſt, ante ducentos annos Anglicum ſudorem, peſtis ſpeciem, per complures Europæ partes diram edidiſſe ſtragem & nullum remedium quicquam opis attuliſſe, tandem vero optimum & promptiſſimum inventum eſt: ſimulac quis ſudore correptus fuerit, ſtatim quieſcere in lecto neque de loco movere, nihil vel alimenti, vel medicamenti aſſumere, nec multum potionis, neque manum, vel pedem refrigerandi cauſa extra ſtragula proferre, neque ſtragulis ſe onerare debebat: ad viginti quatuor horas debuit hoc facere: & hoc modo plures e gravi hoc morbo evaluerunt, idque certe non artis, ſed naturæ beneficio ac convenienti regimine contigit.

§. XIV.

Ex hiſce dictis jam liquidiſſime intelligitur, non tantam potentiam & facultatem artis noſtræ eſſe, quanta a vulgo, & a principibus, magnatibus judicatur, neque in manu noſtra eſſe ea quæ nonnulli empiricorum gloriantur. Qua propter non immerito ſurgit hoc loco quæſtio, quænam in poteſtate Medici ſint & quænam efficere poſſit? Quamvis vero hujus loci & noſtri inſtituti ratio non ferat hæc fuſius perſequi, breviter tamen curſimque mentem noſtram exponamus. Multum certe poteſt Medicus præſtare in morborum præſervatione, utpote tam acutos, quam chronicos & ea, quæ perniciem, vel deſtructionem inferre poſſunt machinæ corpore poteſt maturius arcere; præterea id efficere poteſt Medicus, ut homo ſine ſingulari dolore, ægritudine, vel moleſtia illum terminum humanæ vitæ poſſit attingere, qui pro temperatura & diſpoſitione humorum fibrarum motricium robore & mechaniſmi corporis peculiari ſtructura ipſi eſt deſtinatus. Idque poterit obtineri, quando non tantum rationis ac morum præceptis animi affectus corpori nocentiſſimos homo diſcit moderari, ſed &, quando Medicus pro ordinato ſanguinis & humorum circulo conſervando, qui omnium functionum ſecundum naturam cauſa ac fons eſt, convenientem alimentorum, elementorum & aliorum remediorum uſum ſuadet ac commendat. Quid vero optabilius, quid præſtabilius, ſit ipſa ſana ac longa vita equidem nihil video? Et quemadmodum qui ſanam ac probam vivendi rationem ignorant, vel deſpicatui habent, aut temere decreta Medicorum diætetica aſpernantur,

tur, non ætatem ſolum in miſeriis, ſed omni morborum inquinamento conſumunt, neque minus vitæ ſibi reſecant longinquitatem & præfinitos a natura terminos ſibi circumcidunt: eadem ratione, qui prudenter ductum & ordinem naturæ ac præcepta medica ſervant ac notitiam ſui corporis habent, probeque ea tenent, quæ nocent, vel proſunt, atque, quæ corpori ſunt utilia, vel congrua, certe illi, & vitam ſuam prolongare & ſine morboſis injuriis eam traducere poterunt. Hæc certe ſunt in manu artis noſtræ: convenientia ſanitatis præſidia ſubminiſtrare & ſuperflua corporis excrementa ejicere, & certe, ſi unum deficit, via paratiſſima eſt ad morbos; ſi vero hæc duo obſervantur, corpus integra ſanitate fruetur atque diutiſſime in ſuarum virium robore conſervabitur. Verum enim vero quotus quiſque eſt, qui hæc recte attendit, conſiderat, vel ad animum revocat; quiſque vult vivere pro ſuo arbitratu nullis legibus adſtrictus, omnia ſalutaria vitæ ac ſanitatis præcepta aſpernans, ſique in morbos graves incurrit, mox poſcit a Medico ſanari, imo jubet curari, ſed moritur etiam, ut debet. Præterea in manu quoque ac poteſtate Medici poſitum eſt, initiis morborum occurrere & majora pericula avertere, neque minus dolores mitigare, ſymptomata minuere & impetum morbi paululum retundere. Ex quibus jam clariſſime videmus, quam graviter vulgo a vero aberrent, qui tantam poteſtatem medendi & ſanandi quoſvis fere morbos Medicis aſſignant & plura ab illis exigant, quam efficere poſſint. Optandum potius vehementer eſſet, ut, qui ſanitatem ac vitam tueri volunt, mature Medicum conſulerent & ab ipſo ſalutaria præcepta exigeret. Optandum etiam vehementer foret, ut Medici plus laboris & operæ impenderent ſtudio ſanitatem conſervandi & eum in finem pro diverſitate climatum, locorum, vitæ generis, non tantum alimentorum, ſed & elementorum aliorumque remediorum naturam, ac vires ex phyſicis & medicis addiſcerent: quæ doctrina hodiernis temporibus maximo cum mortalium detrimento fere prorſus negligitur atque contemnitur.

DISSERTATIO DE MORBIS OCULORUM PRÆCIPUIS RECTA MEDENDI RATIONE.

Primum edita anno 1728.

PROOEMIUM.

TAM artificioſa oculi eſt fabrica, tam mirabilis textura, tam varius & multiplex partium in eo apparatus, tam nobilis ipſius uſus atque functio, ut nulla omnium ex corporis humani partibus cunctis, huic æquiparari poſſit & tam luculenter ſummam ſummi conditoris ſapientiam monſtret atque confirmet. Quod ſi enim penitius oculi ſtructuram rimamur, multa profecto ſingularia prorſus in ea occurrunt, quæ ipſam faciunt admirandam ac nullibi in univerſo corpore ita reperiuntur. Exigua quippe optica hæc eſt machina, & tamen tot ad eam movendam concurrunt muſculi, ac ad nullam aliam quantumvis amplam corporis partem, ut Anatomici præter ſuperciliorum corrugatorem, palpebrarum conſtrictorem, elevatorem & depreſſorem, vel ſex in homine numerent muſculos, oculi bulbo tantum proprios, obliquos nempe binos & quatuor rectos. Nervorum dein longe plures etiam ad oculum ex novem cerebri paribus feruntur, quam ad unam e reliquis corporis partibus aliam. Secundum enim par orbitam oblique ad latus naſi ingreditur, & in fundo muci inſtar teneri in retinam ſic dictam tunicam explicatur, ſicque principaliter viſui ſervit. Tertium par oculorum eſt motorium, & probe orbitam in ſex ramos finditur, ad palpebras, muſculos & tunicas oculi abeuntes. Quartum par trochlearem muſculum ſubit patheticumque ideo vocatur. Quinti demum paris ramus ſuperior ophthalmicus & potiſſima ſexti abducentis paris portio, per oculi muſculos, membranas, palpebras harumque muſculos conſpicuos ſatis ſpargunt ſurculos. Porro inter innumeras fere corporis tunicas atque membranas nulla eſt, quæ tam albi & nivei coloris, quam in oculo albuginea, nulla tam obſcuri & variegati aſpectus, ac uvea & choroidea, nulla etiam tam tranſparens, ac cornea. Nullibi quoque adeo pellucidi & diaphani ſucci a ſanguine ſecernuntur ac in oculo aqueus & vitreus humores, qui radios luminis

minis recta tranſmittunt linea. Tum conſpicuum illud rotundum in uvea foramen, pupilla dictum, per quod radii luminoſi ad internum oculi cavum tranſeunt, limbo orbiculari ex variis nerveis & carneis fibris tanto artificio inſtructum eſt, ut ſolius lucis contactu & motu notabiliter ſe contrahat, demtoque lumine, iterum ſeſe ampliet. Præterea altioris utique indaginis eſt, hoc viſus organon ex frigidis eſſe & in humido maxime conſiſtere, frigus tamen & frigida medicamenta, in morbis quoque calidis, commode ferre, a frigoris libere allabentis injuria non adeo infeſtari, multominus humorum congelationem experiri unquam. Accedit, quod nullibi in univerſo corpore, tot ac tam variæ partes ad unam contexendam concurrant, quam ad oculum, in quo viſuntur non pili creſcentes, cartilagines, variæ magnitudinis glandulæ, nervi, muſculi, differentis texturæ membranæ, diverſi ductus venoſi, arterioſi, excretorii, aquoſi, ſucci variæ conſiſtentiæ & coloris, nec non pinguedo, orbitæ interius, ad excipiendum molliter bulbum, undiquaque in fundo inducta. Omnis autem hic tot tamque diverſarum partium apparatus earundemque admirandus nexus, excellentem hujus partis uſum & ſingularem plane functionem eſſe, ultro ſubindicat. Et ſane oculus nobile illud in corpore organon eſt, cujus miniſterio viſibiles omnis generis conditæ res menti humanæ repræſentantur, ut earum pulcritudinem, multitudinem, ordinem ac uſum contempletur iiſdemque ad celebrandam ſummi Numinis bonitatem & ſapientiam permoveatur. Excubias quaſi in ſuprema hac corporis regione anima agit, & prævisis tanquam in ſpecula iis, quæ circa nos, ita inceſſum motumque corporis ſecundum voluntatem ſuam dirigit, ne externam quandam incurrat injuriam. Quin nihil æque arctiſſimam illam animæ cum corpore unionem teſtatam facit, ac ea, quæ in hoc viſus organo contingunt, dum pictis, mediante lumine, in retina rerum externarum imagunculis, illico anima eaſdem, per binos oculos, non tamen duplices, videat, ſed, uti ſunt, accurate cognoſcit, æſtimat & de iiſdem judicat. Nec ea propter certius diſcedentis e corpore in moribundis animæ ullum eſt indicium, quam immutatus oculorum habitus, evaneſcente poſt mortem omni ipſorum ſplendore. Ne dicam, oculos ipſius animi eſſe indices, & quaſi feneſtras, per quas in animum introſpicere, ejuſdemque indolem, habitum, affectionem, vigorem & diſpoſitionem cognoſcere licet. Sic itaque in ſpectatiſſimos multos uſus conformata eſt artificioſiſſime oculi compages. Ille autem tam multarum & variarum partium hunc in finem concurſus in cauſa eſt, quod nulla etiam in univerſo corpore pars adeo numeroſis & multiplicibus morbis pateat, quam oculus, ita, ut quidam ex recentioribus pluſquam centum morbos in unicam hanc parvam partem cadere aſſerant. Nos quidem jam etiam de morbis oculorum agere conſtituimus, ſed ſpecimen tantum meditamur academicum inaugurale, eamque ob cauſſam præcipuas & in artis exercitio crebrius obvias ex oculorum paſſionibus ſeligemus, & quo pacto recte ac perite iiſdem ſit medendum, docebimus candide. Faxit Summum Numen ut noſter hic labor cedat feliciter & in multorum emolumentum!

§. I.

PRima igitur in hac affectionum oculi perveſtigatione eſto omnium fere frequentiſſima, inflammatio videlicet ipſius, Græco nomine *ophthalmia* dicta. Hæc perquam facile ex rubore, tumore, ardore & dolore oculi cognoſcitur. Neque enim ullibi tam aperte in conſpectum venit inflammatio, quam in candida illa oculi albuginea tunica. Hæc quippe, ſi oculus ſanus, nivea nulliſque rubicundis vaſculis diſtincta comparet, in ophthalmia vero rubellis canaliculis tota perfuſa conſpicitur. Tum enim vaſcula arteriolarum lateralia, quæ ſecundum naturam pellucidum nulloque colore infectum liquorem vehunt, a ſanguine valide ad caput congeſto diſtenduntur, implentur & viſui ſeſe offerunt. Et hæc omnino ita evenire luculenter docet curioſum experimentum, quo injecto per ſiphonem in carotidis ramum liquore ſpiſſiuſculo rubicundo, uti eſt cera rubra in oleo terebinthinæ liquata, adnata oculi tunica per omnem ſui ambitum rufeſcens & inflammata ſeſe repræſentat. Ex quo utique conficitur, in inflammationibus hiſce ſanguinem non tam qualitate & quantitate, quam potius motu & loco minus commodo, nec non proportione peccare.

§. II.

Eſt vero ophthalmia, vel levior, vel gravior, vel etiam graviſſima. Levior albugineæ tantum tunicæ inſidet & non tam late diffunditur. Gravior, præter adnatam, etiam confines palpebras corripit totumque oculum exquiſito ardore & dolore afficit, qui ad levem lucis acceſſum exacerbatur. Diu etiam detinet, ſalſa acris lympha perpetuo exſtillat, & ſi imperita medicatione excipitur, membranoſi quippiam relinquit, ut pupilla ab iride vix poſſit diſtingui. Graviſſima demum illa eſt, quæ profundior, ad ima oculi & interiores tunicas penetrat. Comitatur hanc ſæpe dolor acerbiſſimus, cum febri, quandoque etiam cum delirio, ſequitur ſuppuratio & humorum effluxus, remanente plenaria cœcitate. Rarius tamen a cauſis internis, ſed plerumque a contuſione validiori inducitur. Vidimus ejuſmodi ſuppurationem excidente lente cryſtallina, poſt ictum fortem inter pugillandum oculo inflictum. Vidi vero etiam ſimilem caſum a tinea capitis inveterata, ſubito externis ſiccata.

§. III.

Mitior & non adeo profunda oculi inflammatio, utplurimum a cauſa externa leviori, ut inſperſo pulvere,

pulvere, aut aſperioris cujuſdam appulſu, plaga, aut alliſu externo, aura frigidiori liberius admiſſa, ſudore capitis repulſo, item ab adminiſtrata cataractæ depoſitione, enaſcitur, ideoque haud adeo difficili negotio diſcutitur. In hac enim ſolum albumen ovi, cum aqua roſarum & pauxillo aluminis conquaſſatum, ſufficit & omnibus fere aliis palmam præripit. Et notabile omnino eſt, leviorem hanc ophthalmiam ſolam frigida ejuſmodi & repellentia ferre iiſdemque ſæpe unice abigi, quum omnes aliarum partium inflammationes & eryſipelata, admotis ejuſmodi refrigerantibus & repellente virtute præditis, mirum exaſperentur.

§. IV.

Viciſſim alterum illud ophthalmiæ gravius genus a cauſis potiſſimum internis proficiſcitur, feri nempe impuritate & ſalutaribus excretionibus cohibitis. Nos certe frequentius obſervavimus, magnam & contumacem ejuſmodi inflammatoriam oculi affectionem, a ſuppreſſo ſolenni matutino ſudore, a ſcabie, nec non tinea capitis intempeſtive abacta, a cohibitis menſibus, ulceribus & fiſtulis conſolidatis, repulſa gutta roſacea & id genus aliis, fuiſſe ſubortam. Et hinc utique eſt, quod morbus hic neutiquam ſolis externis cedat, ſed interna efficacia exigat remedia, quæ ſerum recrementitium ab oculis divertant, ſalſos & acres humores diluant atque contemperent eoſdemque ſucceſſive per congrua emunctoria eliminent. Nos, quæ hunc in finem commendemus, habemus infuſa theiformia, ex herba veronicæ, euphraſiæ, radice valerianæ & ſemine fœniculi, ſerum lactis dulce, aquas minerales, tam martiatas, quam alcalinas, acidulas vulgo dictas, quorum certe omnium in corrigendis oculorum vitiis, maximeque iis, quæ ab humorum acrimonia pendent, ſpectata eſt virtus, ſi largiori doſi, debito cum regimine & aliquandiu uſurpentur. Non tamen intermittenda laxantia, pediluvia, nec non urgente plethora & ſuppreſſis criticis ſanguinis evacuationibus, tempeſtiva venæ ſectio.

§. V.

Quod ſi vero grandior adhuc & profundior oculum tenet inflammatio, & periculum eſt, ne interiora in ſuppurationem tranſeant, prætereaque corpus juvenile & ſanguineum, malumque forte ab externa violentia inductum, e re eſt, ut repetita venæſectio celebretur, aut larga manu ſubtrahatur ſanguis, & hoc quidem omnium optime per ſectam jugularem venam, quo certe, in revellendis a capite ſanguine aliiſque humoribus, nihil efficacius. Abſtinendum vero a collyriis refrigerantibus, & aqua potius ſic dicta ſclopetaria, cum aqua roſarum & florum ſambuci remixta, adjecto pauxillo croci & camphoræ, tepefacta, cum linteo duplicato, applicanda. Interius pugnandum leniter diaphoreticis, demulcentibus & reſolventibus, inter quæ ſalubritate antecellunt pulveres bezoardici cinnabarini, leniter nitroſi & camphorati, pota ſimul loco ordinarii potus ptiſana.

§. VI.

Nonnunquam etiam epidemica, neque minus periodica eſt ophthalmia, quæ vel quotannis, vel circa æquinoctium, vel ſingulis menſibus infeſtat. Tum vero vitium utplurimum hæret in hypochondriis, aut natura ſanguinis per nares fruſtra molitur ſeceſſum. Hinc ingruente mali recrudeſcentis tempore, eidem opportuna venæſectione & purgatione, quæ fit per epicraſin, nec non iis quæ hypochondria firmant, occurrendum.

§. VII.

Ophthalmiæ multum affinis eſt *epiphora*. Ambæ enim ab iiſdem ſæpe, externis, æque ac internis cauſis, gignuntur, utraque inflammationis genus, illa ſanguinea, hæc feroſa, illa ab impedito libero ſanguinis per venas progreſſu, hæc ab intercepto ſanguinis per glandulas in venas regreſſu, originem ducit. Eſt vero in epiphora perpetua ſalſæ & acris aquæ effluxio, ita tamen, ut plerumque pruritus & dolor moleſtus, cum oculorum & palpebrarum rubore & tumore, gravius ægrum detineat, quandoque vero effluens humor, acrimonia eminenti deſtitutus, oculum nec dolore, nec rubore afficiat, ſed tantum illacrimatione moleſtus ſit, adeoque mitiorem faciat lippitudinem. In oculi bulbo nullum quidem comparet vitium, palpebræ tamen tument, vaſa ſunt dilatata, & ſi diu durat ex oculo fluxio, lenteſcit demum & craſſeſcit humor, ac in lemas denſatur, quibus palpebræ ſubinde, præſertim noctu, conglutinantur. Solenne hoc malum eſt catarrhoſis, infantibus & pueris, inprimis ſi caput auræ frigidæ exponant. Et in his quidem fovetur utplurimum a tumoribus glandularum colli, nec prius diſcedit, quam expeditis glandulis & reddito lymphæ per eaſdem libero tranſitu. Frequens etiam lippitudinis geneſis poſt variolas & morbillos, quia in his ob æſtum & ebullitionem ſucci temperatam diatheſin exuunt, & ſalſam, impuram, viſcidam contrahunt, quæ niſi ſuperato morbo corrigatur, morbos diu trahentes, potiſſimumque id genus vitium oculis inducere ſolet. Datur præterea lippitudo, quæ epidemice infeſtat, & atmoſphæræ, exhalationibus ſubtilioris acrimoniæ refertæ, vitio debetur.

§. VIII.

Sedes autem mali eſt in glandulis, quarum variæ ſunt in oculo. Maxima harum, lacrymalis dicta, in orbita ſupra angulum minorem collocata eſt, & manifeſtum primum faciente Stenone, ex ſex ſeptemve ductulis, inter palpebrarum membranas decurrentibus & non longe a ciliis totidem diſtinctis oſculis hiantibus, ſerum lacrimale ſalſum fundit, quod a punctis lacrimalibus abſorbetur & per peculiarem ductum ad nares fertur. Dein in cantho oculi majori plures acini glanduloſi conſiſtunt, qui glandulis ſebaceis accenſentur & ſerum lenteſcens plorant. Sub palpebris etiam deliteſcunt glandulæ, ab inventore Meibomianæ vocatæ, & a Morgagni in ſebacearum numerum relatæ, quæ juxta dorſum palpebræ eleganti ordine poſitæ, ad limbum hujus oſculis hiant, e quibus ſtillare videtur illa, quæ in oculorum morbis palpebras conglutinat materia.

§. IX.

Jam, quandocunque excretoria hæc glandularum, ex nerveis & fibroſis tunicis conflata organa, a ſero ſubtili acri, vel etiam ab acribus effluviis arroduntur, nerveæ glandularum membranulæ criſpantur, ſpaſmodice contrahuntur, ut ſanguinis per arteriolas advecti refluxus, ob venas conſtrictas, minus libere fieri poſſit, ſed tubuli glanduloſi a ſecedente ſub mora hac ſero, plus juſto amplientur, & hac ratione ingens fiat ſeri ſalſi lacrimalis effuſio. Ruborem autem & dolorem jungi, acrimoniæ humoris effluentis tribuendum, cui ſæpe tanta copia ſalis

ſalis acris, inſtar ammoniaci, præſertim in ſcorbuticis ineſt, ut Dn. PRÆSES ex drachma una ſeri in lippitudine effuſi, grana duo ſalis muriatici acerrimi, leni tantum evaporatione, obtinuerit, quod tamen ratione odoris & ſaporis multum differt a ſale illo, quod poſt urinæ exhalationem reſtat, luculento indicio, peculiarem plane & mechanicam eſſe glandularum & oculi tubulorum excretoriorum ſtructuram, ut ſerum ſalſum, ſine contagio ſulphuris fœtidi, ut in urina & ſudore fit, admittat.

§. X.

Quæ quum ita ſint, recta lippitudinem ſanandi ratio, utique potiſſimum in edulcoratione ſeri ſalſi ejuſdemque derivatione ab oculo ad alia loca & glandularum nimis remiſſarum robore reſtituendo, conſiſtet. Nos quidem pro certo affirmamus, incipiens malum ſolo potu copioſo infuſi theiformis, ex herba veronicæ & ſemine fœniculi, ad aliquot libras, cum regimine diaphoretico per aliquot dies ſumti, brevi & explicita curatione fuiſſe expugnatum. Contra ea certum pariter, difficulter admodum ſanationem recipere, ſi a diatheſi humorum ſcorbutica invaleſcente fuerit enatum, nec cedere, niſi accedat prudenter inſtituta cura lactis, vel vaccini, cum aqua Selterana nupti, vel etiam ſeri lactis dulcis noſtra methodo parati, nec non fontis medicati mineralis & martialis, interpoſitis idoneis laxantibus & diaphoretico-temperantibus pulveribus. Fruſtra enim omnis medicatio per alia remediorum genera, præſertim externa, tentatur, niſi interna hæc prius fuerint uſurpata. Opus tamen etiam eſt, ut exacta victus & vitæ ratio accedat, vitando ſalſa, acida & acria, nec non frigus, & abſtinendo a vino & ſpirituoſis, immo cereviſiæ potu, & ſumto ordinarii potus loco decocto ex raſura cornu cervi, radice ſcorzoneræ & ſemine fœniculi, uſurpatis ſimul crebrius veſperi ante decubitum pediluviis ex aqua dulci.

§. XI.

Externa, ut in aliis oculorum paſſionibus, ſic & in hoc vitio circumſpecte adhibenda. Hæc inter tamen Dn. PRÆSES frequentius non ſine fructu uſus eſt unguento, ex butyro inſulſo, ſaccharo Saturni & vitriolo albo debita proportione compoſito, quod ad magnitudinem piſi majori cantho oculi inditum, efficaciter, ſi prius internis rite fuerit proſpectum, huic malo medetur, diſcutiente ſimulque roborante qua gaudet virtute. Quid porro ſetaceis, fonticulis & veſicatoriis tribuendum in pertinacibus ejuſmodi oculorum vitiis mitigandis, loquuntur obſervationes Medicorum & encomia de iis paſſim. Nos tamen moleſtis his & incertæ ſæpe efficaciæ auxiliis, medentes melius poſſe ſuperſedere cenſemus, ſi tantummodo, ex inventione *Dni* PRÆSIDIS, veſicatorium groſſi magnitudine nuchæ applicent, idque quotidie recens imponendo, exeſam cutem & apertam ſervare per aliquot menſes jubeant. Tum enim mira ſeri impuri effluit copia, & non tantum hi, ſed alii etiam capitis morbi, exinde egregie levantur.

§. XII.

Serio autem monendum eſt, ophthalmiam & epiphoram perperam nimis refrigerantibus, adſtringentibus, vel acribus collyriis & unguentis excipi. His enim oculi tabem, corrugationem, ſuffuſionem, nec non epiphoram chronicam, rubentem, ſiccam & aſperam fuiſſe inductam, quin palpebrarum exulcerationem concitatam, experientia docet. Si etiam ſicca plane epiphora, abſtinendum ab externis exſiccantibus, multo magis acribus, & oculus ſolo cataplaſmate ex mica panis triticei, lacte & croco, tepide fovendus.

§. XIII.

Porro non infrequens eſt ille oculi rubor, qui ſine inflammatione eſt & *ſugillatio audit.* In hoc album oculi quandoque macula tantum rubra fœdatum, quandoque totum per omnem ſui ambitum, quandoque etiam ultra hunc & iridis quoque circulum, rubrum comparet, & omnia quæ aſpiciuntur rubra videntur. Oritur hoc vitium plerumque a cauſa externa, ut contuſione, quando ſanguis ex minimis vaſculis effuſus & in grumulos abiens, adnatæ tunicæ fibrillis firmius impingitur. Interdum tamen etiam internæ cauſæ debetur, ut in tubicinibus, a nimia inflatione & vaſorum tenſione. Ad abigendum hoc malum egregii uſus eſt ſacculus radice ſigilli Salomonis, herba euphraſiæ, floribus ſambuci, roſarum & chamomillæ vulgaris repletus, vino calido maceratus & oculo impoſitus. Quod ſi vero rubor diſcuti renuit, inſignem omnino opem præſtat ſcarificatio oculi, ab HIPPOCRATE jam pridem *lib. de viſu* commendata & noſtra ætate ab Oculario Pariſienſi, WOOLHOOVSEN, poſtliminio in uſum revocata, de qua pluribus lectu digna nuper edita Lipſiæ doctiſſima a celeberrimo PLATNERO diſſertatio.

§. XIV.

Porro in externorum oculi vitiorum numero eſt *macula alba*, ſive *albugo*, quæ in albo oculi radices fixas habet & ad corneam pertingit, viſumque quodammodo, tegendo partem pupillæ, impedit, ac membrana eſt tenuis alba, quæ frequentius in pueris a variolis relinquitur, vel demum gignitur. Huic abſtergendæ efficaciſſimum deprehendi collyrium, quod ex aqua chelidonii, vitriolo cyprio & ſaccharo Saturni eſt compoſitum, quo crebrius macula cum pluma eſt inungenda. Sequitur nunc grave iſtud malum *unguis*, Græcis πτερύγιον. Quo quidem nomine Medici deſignant membranulam, quæ ex adnata tunica, in majore plerumque oculi cantho, ſuccreſcit, colore albo conſpicua eſt & ad iridem protenſa, pupillam tegit, ſicque viſum impedit. Quod ſi vero hæc membrana, uti haud raro evenit, ita craſſeſcit, ut carnis naturam induat, *pannus* audit. Utrumque ob læſas & eroſas tunicæ adnatæ fibrillas accidit, quo facto, humor glutinoſus exſtillans ibique ſubſiſtens, ſpiſſeſcit & in membranæ ſpeciem denſatur. Aegre autem hic affectus remediis obſecundat, ſi tamen recens eſt, viride illud HARTMANNI collyrium, ex aqua calcis vivæ & ſale ammoniaco, in vaſe æneo paratum, crebrius illitum, rudimenta membranoſa colliquat iterumque diſiicit.

§. XV.

Nonnunquam cornea & adnata oculi tunica exterius obſidetur plane *ulcuſculis*, quæ a Veteribus variis inſigniuntur denominationibus. Cauſam his præbet aſperum, vel erodens quid oculo immiſſum, item nimia ſeri lacrimalis acrimonia, præſertim in corpore ſcorbutico, nec non applicatio valde acris collyrii, etiam imprudenter per nimis acria & calida tractata ophthalmia. Ad mundanda igitur hæc ulcuſcula non contemnenda eſt virtus collyrii, quod

ex

ex aqua roſarum, florum ſambuci, calcis vivæ, tutia, & ſaturni ſaccharo, adjecta portione ſufficienti aquæ ita dictæ *d'arquebuſade*, compoſitum & affecto loco admotum. Dein, pinguedo viperarum recens, non rancida, in aqua calida liquata, inter ophthalmica externa præcipuam merito fert laudem, cujus præſtabilem efficaciam, tam ad ſananda ejuſmodi ulcera, quam detergendas albas, quæ corneæ inſident maculas, & rudimenta unguis incipientis delenda, multis experimentis confirmatam habent probatiſſimi auctores, & inter hos maxime WEDELIUS in *amœnit. mat. med.* & paſſim in ſcriptis ſuis.

§. XVI.

In palpebras etiam non raro incidunt morbi, & *inflammatio* quidem tam ſanguinea, quam ſeroſa, ab impedito libero humorum per eaſdem motu, oriunda. Perquam aptæ enim ſunt huic contrahendæ, quum interior earum membrana, quæ firmiter cum tunica albuginea, nec non perioſtio orbitæ cohæret, & a RUYSCHIO in *theſ. anat. X. pag.* 10. & 48. elegantiſſime deſcripta & depicta, copioſis & tenuiſſimis ſanguiferis vaſculis, glandulis & papillulis nerveis ſit dotata, ac præterea exquiſito polleat ſenſu. Eadem autem, quam quæ in ophthalmia ac epiphora commendavimus, hæc inflammatio poſcit præſidia, iiſdemque ſolis non ſufficientibus, prudenter adminiſtrata palpebrarum ſcarificatio, omne curationis punctum abſolvit.

§. XVII.

Quando demum rigidi in ora palpebræ pili, cilia dicti, intro ad oculum, ob nimiam tunicæ cui inhærent relaxationem, & ex parte etiam contractionem, recurvantur, moleſtam admodum, propter perpetuam irritationem, faciunt afflictionem, quæ non facile, niſi manu chirurgica, tollitur. Neque etiam ſufficit pilos forcipe evellere, quia mox eadem criſpatura renaſcuntur, ſed neceſſarium eſt, ut acu candente eorum radices adurantur, ſicque extrorſum flectantur.

§. XVIII.

Perſpectis ſic præcipuis qui externas oculorum partes infeſtant morbis; ſequitur jam, ut paulo penitius conſideremus illa vitia, quæ in interioribus oculi conſiſtunt & majoris momenti ſunt ad viſionem, ſenſationum nobiliſſimam, minuendam, lædendam, aut tollendam plane. Ut autem eo rectius de horum origine, generatione, cauſis & his nitente perita medendi ratione noſtram promere poſſimus ſententiam; neceſſarium omnino erit, ut naturalem partium in oculo ſtatum prius evolvamus. Jam ex phyſiologicis conſtat, eam oculi eſſe fabricam, ut cameram obſcuram perquam accurate referat. Quemadmodum enim ad hanc conſtruendam opus eſt primo loco tenebricoſo foramine pertuſo, dein pellucidis & convexis lentibus, per quæ recta linea luminoſi radii tranſeant, ac demum ſuperficie candida, in qua pictæ exhibeantur imagines; ſic etiam in oculo omnia hæc ſunt reperiunda. Specum quippe tenebricoſam choroidea & uvea tunica efformat, foramen per quod intrant radii conſtituit pupilla, humores pellucidi, præſertim cryſtallinum & vitreum corpus, ob convexitatem ſuam, lentis habent ſpeciem, & expanſus in fundo nervus opticus retinam facit tunicam, in qua comparent rerum viſibilium imagines, quibus inde ad ſenſorium commune tranſlatis, viſus abſolvitur negotium. Atque adeo in proclivi eſt judicare, omnes viſionis læſiones atque defectus horumque cauſas, vel in pupilla minus integra, ſed obtecta, vel in humorum & corporum diaphanorum obſuſcatione, aut alia præternaturali conſtitutione, vel etiam in retina tunica & nervo optico male affecto, conſiſtere & merito quæri debere.

§. XIX.

Quod quidem ut pariter certa cum ratione fiat, cujuſvis harum partium, maximeque humorum, qui potiſſimum ad viſum faciunt, conditionem & proprietates, experimentis quibuſdam phyſico-chymico-mechanicis ſigillatim evolvemus. Tres autem in ſcholis Medicorum numerantur oculi humores, aqueus nempe, vitreus & cryſtallinus. Aqueus dicitur is, qui utramque oculi cameram, tam anteriorem, quæ inter corneam & uveam, quam poſteriorem, inter uveam & lentem cryſtallinam, replet, quantitate minimus & admodum fluidus eſt. Hunc itaque ex oculo bubulo depromſi, cochleari argenteo indidi, & ſubdita candelæ flamma, animadverti, eundem non, ut alium quemvis aqueum humorem, inde ebulliiſſe, ſed quietum ſemper manſiſſe, forſan propter particularum aëreo-elaſticarum, a quibus ebullitio pendet, defectum. Deinde peculiare id quoque ſub hoc experimento notavi, immunem plane manſiſſe humorem ab omni coagulo, quod tamen omnes ſucci nutritii lymphatici corporis humani, haud ſecus ac albumen ovi, prompte ſubire ſolent. Totus potius blande exhalavit, relictis tantum exiguis in cochleari ſolidis & pellucidis particulis, quæ linguæ admotæ, ſalſum impreſſerunt ſaporem.

§. XX.

Alter humorum, vitreus, aqueo denſior eſt, & hunc duodecies, cryſtallinum vero quater, mole ſuperat, poſterioremque oculi partem, retinæ ubique contiguus, occupat, & propria tenui membrana obductus, in excavato ſinu cryſtallinam lentem ſuſcipit. Hunc pariter examini ſubjeci & poſteaquam ipſum cochleari argenteo injeceram, accedente candelæ flamma, protinus in aquam limpidam fuit liquatus, ſecedente mucilagine quadam craſſiuſcula, quæ mihi tunica ipſum continens arachnoidea viſa fuit. Nullam etiam ebullitionem ſub validiori quamvis calore, adverti, ſed totus paulatim in halitus ſolutus, relicta itidem maſſa ſolida exigua valde, ſaporis ſalſi. Dein integrum vitrei humoris corpus prunis ignitis injeci, ſed totum ſine ullo gravi odore, qui alias ordinario in exuſtis animantium partibus, ſive ſolidis, ſive liquidis, obſervatur, avolavit. Illud autem, quod ſeceſſerat ſub liquatione in cochleari mucilaginoſum cramа, ſolum immiſi poſtea carbonibus, quod ſub combuſtione fœtidum emiſit odorem, relicto pauciſſimo ſaltim cinere.

§. XXI.

Tertius ex humoribus ſic dictis in oculo, ob pelluciditatem, audit cryſtallinus, reliquis ſolidior, lentiformis figuræ, & ita locatus eſt, ut convexa facie ſubjecto vitreo inhæreat eidemque intercedentibus quibuſdam fibrillis nectatur, a ciliari autem ligamento ſuſpenſus teneatur & excipiendis radiis luminoſis adaptetur. Hic ſub examine alia longe, quam bini priores, exhibuit phænomena. Etenim vitreus & aqueus rectificatiſſimo vini ſpiritui, nec non ſpiritui vitrioli immiſſi, nec coagulati ſunt,

nec ullam aliam experti mutationem, cryſtallinus vero in utroque liquore pelluciditatem amiſit & turbidus factus eſt. Admotus etiam candelæ in cochleari flammæ, in liquamen non fuit converſus, & prunis candentibus injectus, corpus in diſſectione exhibuit candidiſſimum, ex meris lamellis, facili negotio ab invicem ſeparandis, conflatum. Et quum iterum igni injiceretur, flammam concepit, graveolentemque ſparſit odorem, qualem omnis ſolida corporis animalis pars exſpirare ſolet.

§. XXII.

Ex his igitur experimentis, id liquido pateſcit, aqueum & vitreum humorem parum inter ſe ratione naturæ & virium differre; vitreum tamen ſolidiorem eſſe aqueo, eam ob rationem, quia in cellulis tunicæ arachnoideæ, collectim conſidentibus, aſſervatur. Cryſtallinum vero perperam humorem vocari, ſed merito partibus ſolidis accenſeri, & jam ab ipſo Hippocrate *lib. de princ. & carn. pag.* 123. thuri tranſparenti recte aſſimilari. Neque etiam hoc cryſtallinum corpus ex particulis homogeneis, uti aqueus & vitreus humor, ſed heterogeneis, ſalino-ſulphureis, non ſecus ac alias ſolidas corporis partes, eſſe conflatum.

§. XXIII.

Hinc porro veri omnino videtur ſimillimum, aliam eſſe originem humoris aquei & vitrei, quam cryſtallini. Hic enim, quum nihil aliud ſit, quam peculiare ex lamellis ſolidis, interjecto ſucco quodam glutinoſo, conſtructum in convexam figuram corpus, eundem in ipſo jam utero, uti alias ſolidas corporis partes, produci, cenſemus. Humor vero aqueus a tenuiſſimis oſculis arteriolarum & vaſorum lymphaticorum, quæ ubertim in uvea & choroidea tunica, ſuppeditatur. Et vitreus ex ſubtili lympha, quam ſubtiliſſima arterioſa in tunica arachnoidea vaſcula fundunt, venit ac nutritur. Interim tamen ſolida cryſtallina lens, quia tenuiſſima arachnoidea & propria coërcetur membranula, quæ vaſculis, ſuccum tenuem pellucidum plorantibus, inſtructæ, inde utique ſuam conſervationem ſuumque augmentum nanciſcitur. Neque enim a veritate alienum videtur, per exiliſſima, tam adducentia, quam abducentia vaſcula, circularem quendam in oculi humoribus ſuccedere motum, quem etiam Hovius aſſeruit ac demonſtravit.

§. XXIV.

Ex interioribus, quæ in oculo conſiſtunt & viſui ſerviunt partibus, cognitu præterea dignum videtur ligamentum ciliare ipſaque iris, quæ in uvea tunica reperiuntur. Hæc quippe tunica, quæ in medio habet pupillam, ex duplici lamella fibroſa admodum & vaſculoſa compoſita eſt, interna nempe & externa. Interna ſuppeditat ligamentum ciliare, quod ex fibrillis muſculo-motricibus nerveis, longitudinalibus & annularibus, copioſis etiam vaſculis, eſt compoſitum, & nerveas fibrillas accipit a tertii & quinti nervorum paris ramo, qui dum nervum opticum intus ſepit, inter ſcleroticam & choroideam fertur ad uveam. In exteriori uveæ lamella iris formatur, quæ etiam ex tenuibus fibrillis & retiformi minimorum vaſculorum congerie quæ varii coloris humorem, vel nigrum, vel cæſium, vel cæruleum ferunt, compoſita eſt, & circum pupillam conſpicitur. Tam ligamentum ciliare, quam iris, tenues arteriolarum ſurculos accipit, a ramo carotidis internæ, qui cum nervo optico oculum ingreditur, & ſcleroticam pertranſiens, ad choroideam excurrit & intus eandem vaſculis innumeris nigri coloris obducit, ad conſtituendam obſcuram ſpecum, in uvea vero ad efficiendos plexus retiformes varii coloris in iride & ligamento ciliari confert.

§. XXV.

Eſt autem ligamentum ciliare ad viſum perficiendum ſingularis uſus atque utilitatis. Hujus enim, ceu ſphincteris beneficio, pupilla mobilis fit, ſive dilatatur & coarctatur. Ea quippe fibrillarum nerveo-muſcularium, quæ pupillam cingunt, eſt indoles, ut ad lucis, vel coloris ſplendidi & vividi, rubicundi, vel ignei acceſſum, notabiliter moveantur & conſtringantur, adeo, ut etiam dolores in iis, qui morbis oculorum laborant, non parum inde augeantur; contra vero ut ad nigrum colorem & in loco tenebricoſo obſcuro relaxentur, dilatentur & foramen amplius efficiant. Quem ſenſibilem motum, utique a nervoſis ſurculis ſortiuntur, eo quod hiſce fortiter læſis, paralyſi afficiatur pupilla, quod maxime fit in gutta ſerena, de qua infra uberius agemus. Præterea ex ligamento ciliari fibrillæ quædam nerveo-tendinoſæ & muſculares ad humorem cryſtallinum, ſeu potius ejus tunicam, cryſtalloidem dictam, excurrunt, quarum beneficio, pro varia lucis receptione, cryſtallina lens pupillæ vel appropinquari, vel etiam viciſſim ab ea removeri & ad retinam adduci poteſt.

§. XXVI.

Perſpecto hactenus paullo accuratius partium oculi internarum ſtatu, qui eſt ſecundum naturam, ſequitur jam, ut qui in has partes præter naturam incidant morbos eorumque originem & cauſas, ad rectam ipſis medendi methodum formandam, paulo clarius exponamus. Et primum quod attinet ad humorum vitia, & ſigillatim humoris aquei, hic quidem admodum exiguæ eſt quantitatis, nihilominus tamen evenit interdum, ut vel defectu, vel abundantia, vel etiam impuritate delinquat. Quando deficit, cornea ſubſidet, pupilla anguſtior redditur, atque lens cryſtallina ad pupillam & corneam, non ſine viſus diminutione, propius accedit. Si nimium redundat, corneam admodum dilatat, extrorſum urget & juſtam diſtantiam a cryſtallino corpore avertit. Quandocunque vero, humor, & aqueus & vitreus, a copioſioris ſanguinis, lymphæ & ſeri, quam par eſt appulſu ad partes externas & internas oculi, ac difficiliori lymphæ regreſſu, nimium increſcunt, oculi bulbus ingentem, immo prodigioſam ſæpe magnitudinem, ſortitur. Contra ubi oculi partes non ſufficienti ſanguinis copia, propter obſtructas minimas arteriolas, perfunduntur, minor redditur bulbus & tabes fit oculi, cui vitio inprimis obnoxii ſenes, ſcorbutici & qui gravioribus doloribus capitis, oculi, præſertim in ipſa ophthalmia, detinentur. Et ſic utique contingere horum affectuum geneſin, optime illuſtrat clariſſimus Dn. Schobret experimento, quo ligato in cane ramo carotidis, ipſe oculus collabitur & flacceſcit, ligata vero vena externa jugulari, in magnam molem attollitur.

§. XXVII.

Quod ſi autem aqueus humor, ab heterogeneis naturæ fixioris & compactioris, propter nimis dilatata vaſculorum adducentium oſcula, admixtis corpuſculis, pelluciditatem quodammodo amittit, interceptis

terceptis a moleculis his opacis innatantibus radiis luminoſis, obſcuræ & variæ ſiſtuntur viſui imagines. Hinc qui hoc vitio laborant, de ſimulacris vagarum rerum, de punctis nigris, de culicibus, de muſcis, oculis obverſantibus, conqueruntur. Plures quidem id eſſe ſuffuſionis, ſive cataractæ incipientis ſignum exiſtimant, autumantes, corpuſcula hæc obſcura copioſius allata, tandem in pelliculam coire atque concreſcere, de qua re mox infra plura dicemus. Verum, per plures annos ejuſmodi corpuſcula oculis obverſantia, ſine omni metu, vel ſucceſſu cataractæ, annotavimus. Quandoque etiam cito fiunt & cito etiam ſponte evaneſcunt, nulla plane ſuffuſione reſtitante.

§. XXVIII.

Alia viſionis læſæ ſpecies, quam recte & κατ' ἐξοχὴν *ſuffuſionem* vocamus, a turbido facto humore non modo aqueo, ſed & interdum vitreo, a Medicis conſideranda videtur. Accidit hæc plerumque, ſi cauſa eſt interna, in utroque oculo, & tunc quaſi aranearum telæ, nebulæ, fumi, viſui obverſantur. Licet vero hæc ſæpius primordia & rudimenta ſint cataractæ veræ, tamen id pariter non eſt perpetuum. Nam obſervavimus ſæpe in praxi, oculorum caliginem & viſus diminutionem, quaſi omnia per nebulas cernerentur, certis tantum temporibus & per certa temporis intervalla infeſtaſſe, ſponte vero poſtea remiſiſſe malum, vel idoneis remediis diſcuſſum fuiſſe. Affligit hoc vitium maxime ſenes, item cachecticos & hypochondriacos, qui ventriculi inflatione, debilitata alvoque adſtricta laborant. Patiuntur inde multum oculi, & viſio non tantum turbatur, cum cœcitatis metu, ſed omnia ſimul duplicata videntur, id quod etiam in hyſtericis non ſemel notavimus. Cachecticis quoque a fortiori & inſueto corporis motu, a balneo nimis calido, mox talem ſuffuſionem accidiſſe, obſervatum a nobis eſt. Quin novimus, menſe Martio, circa æquinoctiale tempus, hebetiorem, ac ſi continuo ante oculos verſentur nebulæ, viſionem factam.

§. XXIX.

Sed hæc vitia omnia utique ab impuris, craſſioribus & rudioribus in oculorum humores ob vehementiorem ſanguinis & humorum ad ſuperiora impetum, delatis moleculis eveniunt, interim quia tantum ſymptomata ſunt aliorum morborum, vel ſua ſponte ſæpe ceſſant, vel convenienti remediorum, in principio recta methodo oblatorum uſu, facile diſcutiuntur, qua de re infra latius. Et ſane hæc ita eſſe luculenter confirmat experientia, nec alienum erit inſerere hoc loco caſum ex TIMÆO a GULDENKLEE *Lib. I. cap. XXVII.* de matrona graviſſima febre ſemitertiana laborante, quæ ingraveſcente paroxyſmo, de oculorum caligine & obverſantibus corpuſculis ante oculos conqueſta, remittente vero paulo poſt febre, omnia ceſſare, & recurrente febre, iterum recurrere, notavit. Dum hæc ſcribimus, petiit etiam a Dn. PRÆSIDE Medicus quidam celebris Noribergenſis conſilium, nomine viri quinquaginta annorum, qui ex diuturna diarrhœa, quam poſtquam diu nimis autocratiæ naturæ ſuperandam reliquiſſet Medicus, demum valide ſiſtentibus cohibuit, valde debilitatus, in ciborum inappetentiam, anorexiam & tenſivum hypochondriorum dolorem incidit, ſubſequente plenaria viſus obſcuratione, quæ tamen pilulis laxantibus & eſſentiis ſtomachicis balſamicis, nec non mixtura, ex tinctura millepedum & ſpiritu carminativo de tribus, ſublata iterum fuit. Sed quia elapſo menſe rediit malum, Domini PRÆSIDIS imploratum auxilium, qui ſuaſit continuationem modo dictorum remediorum, & commendavit præterea elixirium ſuum ſtomachale & tincturam antimonii acrem, cum liquore cornu cervi ſuccinato.

§. XXX.

Sunt etiam nobis in memoria exempla, ubi ſolis ſtomachicis, roborantibus & pilulis balſamicis, methodo Beccheriana confectis, item tragea ſtomachali, quæ radicem valerianæ, meu, ſemina cymini, fœniculi, carvi, cubebas, cardamomum & quadruplum ad omnium pondus ſacchari habuit, ante cibum ſumenda, cui etiam interdum folia ſennæ, aut rhabarbarum admixtum, ejuſmodi viſus obfuſcationes, per intervalla remittentes & redeuntes, cum aſpectu humorum in oculo turbidorum, ſub divina gratia feliciter expugnavimus. Quod ſi enim humorum curſus & impetus a capite & oculis ad alia loca divertitur, & humores recrementitii impuri per renalia cribra & cutis emunctorium placide educuntur, fit, ut per abducentia vaſcula, quas HOVIUS nervoſo-lymphatica vocat, impuri craſſi ſucci abſorbeantur, per adducentia puri advehantur, & hac ratione priſtina claritas humoribus reddatur.

§. XXXI.

Evenit vero non raro in ophthalmia, præſertim graviori, inprimis ab applicatione & inſtillatione collyriorum refrigerantium, ut obnubilatio viſus ex turbidis oculorum humoribus ſuccedat. Hæc majoris, quam prior momenti, & niſi Medicus idoneis efficacibus remediis in principio ſtatim ſuccurrat, & exterius diſcutientia, quæ inter mirificam opem præſtat ſal volatile ſalis ammoniaci ſiccum, cum oleo cephalico roboratum & naribus ſuſceptum, exhibeat, periculum eſt, ne viſus perdatur & juſtus cœcitatis metus.

§. XXXII.

Gravior jam dijudicanda venit controverſia de *cataracta*, ubi ſedem ſuam obtineat. De hac conſtans a primis fere Medicinæ incunabulis, & a GALENI, uſque ad noſtra tempora tenuit ſententia, eandem eſſe pelliculam quandam, ſive membranam, interius pupillæ, ceu velum, obductam, quæ radiorum lucis ingreſſum præcludat. Hanc membranam ex particulis impuris, terreſtribus, opacis, humori aqueo innatantibus, concreſcere & firmiter uveæ adnaſci. Ideoque chirurgica opus eſſe operatione, & pelliculam hanc acu per chirurgum immiſſa, prudenter deponendam ac deprimendam, quo remoto velo, per pupillam radii luminis libere illabi & per pellucidos humores ad retinam pertingere queant.

§. XXXIII.

At vero ſub initium hujus ſeculi, celeberrimi nominis Medicus Gallus, BRISSEAU, anno cIↄIↄccv, & biennio poſt ANTOINE MAITRE JAN, communem hanc ſententiam in dubium vocarunt non modo, ſed & experimentis & accurate in defunctis inſtitutis obſervationibus deſtruere conati ſunt. Aperte enim demonſtrarunt, pelliculam interius non dari, nec cataractæ veræ ſedem in humore aqueo eſſe quærendam, ſed in cryſtallino. Hunc quippe penitus turbidum, obſcurum, album, immo aridum & exſuccum reddi, & in operatione acu, a cohærentibus ligamenti ciliaris fibrillis, item a membrana vitrei humo-

humoris, ſeparari, e ſede ſua dimoveri & deorſum deprimi. Sic radios luminoſos libere per vitreum humorem ad retinam tranſire, & viſum, modo hic pellucidus, ſalvus & integer ſit, fieri adhuc poſſe ſine cryſtallino. Horum in ſententiam conceſſit etiam clariſſimus Germanorum Medicus & Chirurgus, Dn. HEISTERUS, ac egregium, plurimis exacte inſtitutis obſervationibus inſtructum tractatum, de hac materia conſcripſit, qua veritatem acriter aſſeruit & mota in contrarium dubia ſolide diſcuſſit.

§. XXXIV.

Fuerunt tamen jam ante hos, qui eadem de cataractæ ſede & ortu profeſſi ſunt haud obſcure. Clariſſimus quippe ille Jenenſis Profeſſor & Anatomicus, ROLFINCKIUS, *diſpp. anatom. lib. I. cap. XIII.* diſertis verbis tradit: ſuffuſionis & cataractæ in oculis cauſam, non eſſe concretionem humoris aquei, ſed ipſius cryſtallini incraſſationem, addens: *confirmavit id binis vicibus mea attenta in oculis defunctorum obſervatio*, & concludit demum: *hoc tamen perpetuo ita evenire, pronunciare non auſim.* PETRUS etiam BORELLUS in *append. Cent. III. obſ. LXI. pag.* 279. jam tum perhibuit, cataractam non eſſe pelliculam, quæ acu removetur, ſed cryſtallinum humorem obſcurum, quem de loco pellat acus, ruptis ejus venulis ſuſpenſoriis. Nec non RHODIUS *Cent. I. obſ. LXXXI. vidimus*, inquit, *anno* CIƆ IƆC *XXIV. in theatro anatomico*, FRANCISCI PLAZZONI *ductu, ſuffuſionem inter tunicam corneam & uveam, humori cryſtallino oppoſitam, cujus materia non erat pelliculæ ſimilis, ut vulgo creditur, ſed dura & mediocriter craſſa, ſquamæ corneæ in modum, candelæ tamen admota, aliquantulum pellucida.*

§. XXXV.

Nos quidem in ejuſmodi obſervationibus & operationibus non ſumus adeo exercitati; nihilominus tamen nobis etiam optima & veritati conſona videtur revocata a BRISSEAU de cataracta ſententia, idque has potiſſimum ob rationes. Scilicet ex corpuſculis in humido natantibus, fibroſa ſtamina, multo magis ex ſtaminibus contentam pelliculam, concreſcere & conſtrui, plane non videtur probabile. Inteſtinus enim, quo fluida gaudent, partium motus, talem unionem & ſolideſcentiam impedit. Dein exigua admodum humoris aquei eſt quantitas, quæ non capit tam copioſas terreſtres particulas, ut invicem coalitæ, talem pelliculam conficere poſſint. Tum aqueus hic humor homogeneus eſt ac tenuiſſimus, omnemque coagulationem, ab igne, a puriſſimo vini ſpiritu & vitrioli ſpiritu, reſpuit, neque tamen facile moleculæ ſolidæ, niſi mediante ſucco quodam glutinoſo, invicem concreſcunt. Demum pellicula ejuſmodi tunicæ uveæ firmiter concreta, ægre admodum, nec ſine dilaceratione fibrillarum & vaſculorum inſigni, mediante acu poſſet divelli, quod iterum non fieri operatio teſtatur.

§. XXXVI.

Igitur longe probabilior utique videtur hæc ſententia, in humore cryſtallino conſiſtere cataractam, dum tunica cryſtalloides denſa primum fit & opaca, poſtea vero totum cryſtallinum corpus denſatur, exſuccum & opacum evadit. Hoc ſi factum, cataracta a Chirurgis judicatur ad operationem matura. Ubi enim tunica quæ lentem involvit obſcurior tantum facta & luminoſi radii quadantenus adhuc penetrant ad retinam, operatio commode inſtitui nequit, eo quod, non ſine difficultate firmiter inhærens, membrana poſſet divelli. Si vero totum corpus cryſtallinum aridum, opacum & exſuccum redditum, & lucis radii plane non ad retinam amplius pertingere poſſunt; ipſa ariditas lentis facit, ut facilius atque feliciter a vitreo humore & fibris ligamenti ciliaris ſeparari & ad fundum oculi detrudi queat. Ne dicam, ipſum hoc cryſtallinum corpus longe magis ad conglutinationem, obſuſcationem & exſiccationem eſſe aptum, quam vitreum & aqueum humorem. Hoc enim ex lamellis & tenuiſſimis canaliculis, linea paralella juxta ſe poſitis, coagmentatur, ita tamen, ut per interſtitia contiguarum lamellarum ſuccus quidam glutinoſus feratur ſubtilis. Quando vero lamellæ hæ arctius quoad latera accedunt &c. plane concreſcunt, denſum & opacum fit corpus & vera excluditur cataracta.

§. XXXVII.

Sic etiam, quid per *glaucoma* intelligendum, & ubi ſedes ipſius conſtituenda, ambigunt auctores. Plurimi glaucoma id volunt eſſe, quando pupilla intus opaca colorem ex albo virideſcentem refert & inde viſus tollitur, notamque ipſius in eo ponunt, quod paullo profundius per pupillam opacitas conſpiciatur, ex quo poſtea judicant, humorem cryſtallinum in hoc oculi vitio eſſe pellucidum, vitreum vero opacum. Verum ea vitrei humoris, ut ſupra meminimus, eſt indoles, ut ex aqua tenuiſſima, nullo modo coagulabili & in variis cellulis membranaceis contenta, conſtet, in quam nec denſitas, nec concretio cadere poteſt. Volumus igitur potius id glaucoma vocare, quando poſtica corporis cryſtallini pars, vitreo humori adhærens, coaleſcere & ſicceſcere incipit, antica portione adhuc pellucida manente.

§. XXXVIII.

Alia vero eſt quæſtio: annon in interiori uveæ parte gigni queat pellicula, pupillam tegens & cœcitatem inducens? Nobis quidem hoc non videtur a vero alienum, licet rarius id contingere ultro, largiamur. Origo tamen & geneſis ejuſmodi veli, neutiquam ex humore aqueo coagulato, aut ex particulis craſſioribus invicem in eo coalitis, petenda, ſed potius ab eadem cauſa derivanda, propter quam in oculo aliiſque partibus præter naturam ſuccreſcere ſolent tunicæ. Jam vero in comperto eſt, id fieri a ſucco glutinoſo, ex læſis & ſauciatis tunicarum fibrillis exſudante & ſucceſſive in membranæ ſpeciem denſato. Ideoque, quum in lamella interiori pupillæ ligamentum ſit ciliare, ex fibrillis nerveis, muſculoſis & innumeris vaſculis ſanguineis compoſitum, his læſis, vel eroſis, generari poſſe ejuſmodi pelliculam, videtur omnino probabile. Nobis certe innotuerunt caſus, quod a gravi contuſione & percuſſione oculi, a vulnere iridem penetrante, nec non poſt variolarum morbum, ſuccreverit pellicula, non coloris albi margaritæ ſimilis, uti in vera obſervatur cataracta, ſed cæſii & flavi, quæ vero ob firmam cum ligamento ciliari cohæſionem, plane non, vel minimum difficulter admodum, & nonniſi magno cum damno & majoris mali periculo, chirurgica manu potuit ſeparari.

§. XXXIX.

Succedunt nunc illa viſus vitia, quæ a cauſis intra cerebrum, & quidem in nervis viſioni ſervientibus, excluduntur; inter quæ præcipuum eſt id, quod *amauroſis*, & barbaro nomine, gutta ſerena, audit.

Sanus

Sanus & integer in hoc apparet oculus, neque in tunicis ipſius, neque in humoribus, labes conſpicua eſt ulla, tantum quod pupilla nimium & præter naturam ampla adque omnem lucis ſplendorem immobilis plane compareat & paralytica ſit reddita. Claro autem & evidenti ipſum hoc eſt teſtimonio, in nervis eſſe vitium. Quumque non tantum nervus opticus oculum ſubeat, & in retinam, principale viſus organon, in fundo expandatur, verum etiam tertii & quinti nervorum paris propagines, cum optico orbitam ingrediantur, & ad ligamentum ciliare atque pupillam ferantur, nervos hos in gutta ſerena pati & ſedem cauſæ ipſius heic conſtituendam eſſe, patet utique.

§. XL.

Jam quidem inter omnes, qui philoſophiam corporis humani profitentur, conſtat: per nervos, recte & ſecundum naturam conſtitutos, fieri perceptiones & ſenſus, viſum hinc mediante potiſſimum nervo optico, ſano & integro, celebrari, & viciſſim hujus abolitionem in gutta ſerena, ſive imperfecta & incipiente, ſive perfecta & chronica, a vitio nervorum in oculo pendere. Sed qua potiſſimum, & quali labe, nervi hi in amauroſi ſint affecti, ab omnibus non æque ad veritatem accommodate fuit definitum. Multi quippe, & tantum non omnes, accuſarunt nervi optici obſtructionem, a lympha craſſiuſcula, qua tubuli hoc in nervo occludantur, ut liquidi nervei ad retinam affluxus, vel ſufflaminetur, vel intercludatur plane. Verum nondum ab Anatomicis evictum eſt, nervis ineſſe canaliculos & tubulos, per quos liquidum recto vehatur tramite. Neque etiam per cerebri & oblongatam medullam craſſior & cohærens lympha, ſed longe tenuiſſimum & ad cohæſionem minime aptum liquidum fertur. Hinc in nervos obſtructionem cadere neutiquam videtur credibile, multo minus in opticis nervis obſtructio a materia ex cerebro advecta commodum invenit locum. Quin potius, ſicuti in genere omnis paralyſis cauſa & ortus a nervis, vel compreſſis, vel nimis humidis & relaxatis, vel etiam nimis conſtrictis & tenſis recte deducitur; ita in gutta ſerena, paralyſin quoque & eaſdem cauſas ſubeſſe, confirmatius aſſerimus.

§. XLI.

Confirmant aſſerti hujus veritatem uberius obſervationes anatomico-practicæ, quibus ea, quæ guttam ſerenam fecerunt, ſectione defunctorum, innoteſcunt. Nimirum relaxationem nervorum ſæpiſſime ab effuſo ſero induci, teſtatur WEPFERUS *hiſtor. apoplect. IV.* qui ſerum in ventriculis cerebri copioſe collectum & thalamos nervorum opticorum comprimens, in gutta ſerena cum capitis dolore vehementi obſervavit, item *Petr.* PAW *obſ. anat. II.* nec non SCHENCKIUS in *M. N. C. Dec. II. an. V. obſ.* 246. Patet hinc facile ratio, quare poſt caſum ab alto & gravem capitis percuſſionem, ſæpius gutta ſerena, cum aliis ſymptomatibus ſubſequatur, uti quidem cum HILDANO *Cent. V. obſ. VIII.* fidem facit AMATUS LUSITANUS *Cent. VII. obſ. LXIV.* & a nobis quoque crebrius obſervatum fuit, ac in *Medic. conſult. Tom. V. Decad. II. caſ. II. pag.* 92. exemplo perquam notabili confirmatum. Teſtantur quoque obſervationes practicæ, a metaſtaſi ſeri facta ad caput, in febribus acutis, variolis, morbillis, nec non a menſium, hæmorrhoidum & lochiorum retentione, cephalalgiam ſævam, vertiginem & guttam ſerenam, fuiſſe ſubſequuta. Idem ab improvido fortiorum emeticorum uſu, maxime in corporibus impuro ſero abundantibus, evenire, noſmet ipſi annotavimus & HILDANUS *Cent. V. obſ. XIX.* ſimile conſignavit exemplum, nec non WEDELIUS in *diſſert. de gutta ſerena.*

§. XLII.

Viciſſim interdum gutta ſerena a vehementi ſpaſmo & conſtrictione nervorum opticorum inducitur. Crebrius enim obſervavimus, motibus convulſivo-epilepticis ſuperveniſſe guttam ſerenam. Et de colica convulſiva, cum pertinaci alvi occluſione, referunt *M. N. C. Dec. III. Ann. III. obſ. LXXXI.* quod ſubſequam habuerit amauroſin. Ita etiam a mercurialibus intempeſtive adhibitis, ob validiorem ſpaſmum inde nervis inductum, hanc viſus abolitionem productam, teſtatum faciunt *Act. Haſn. Vol. I. obſerv. LXXVI.* Inde quoque rationem petendam eſſe putamus, quare ab intempeſtive conſolidatis ulceribus, fiſtulis, repulſa ſcabie, tinea capitis aliiſque, fuerit ſuborta amauroſis, cujus generis exempla SENNERTUS *Prax. lib. I. Part. III. c. XLIV.* TULPIUS *lib. I. cap. X.* TIMÆUS a GULDENKLEE *lib. I. caſ. XXVIII.* nec non *M. N. C. Cent. VII. p.* 303. memoriæ prodiderunt. Quin eandem ob cauſam, frigida tantum fronti applicata, guttam ſerenam concitaſſe leguntur, auctore PLATERO *Prax. lib. I. cap. VII.* Nec omittenda commemorabilis hanc in rem obſervatio PECHLINI, *obſerv. XLII.* de gutta ſerena menſtrua, cum capitis dolore, ob catameniorum defectum. Quandoque præterea nervi optici compreſſionem in cauſa eſſe, recte jam judicavit PLATERUS, ex tumore globoſo, quem prope nervos viſorios, in gutta ſerena laborante, poſt mortem, deprehendit. Singulare autem eſt, quod habet SPIGELIUS, de femina amauroſi affecta, in cujus cadavere anteriores cerebri ventriculos compreſſos concretoſque, & nervos opticos marcidos ac duplo minores ſolito fuiſſe, notavit.

§. XLIII.

Ad curationem gravis hujus oculorum affectus quod attinet, in genere tenendum: inveteratum ipſum, in quo nihil plane lucis, vel ſplendoris in oculo percipitur, omnem eludere medicationem; ſi vero incipiens eſt gutta ſerena, imperfecta, aut periodica, quæ certis menſibus, diebus, vel horis redit, non omnis ſalutis ſpes decollavit. Confirmatum id habet Dn. PRÆSES exemplo feminæ, quadraginta annorum, quæ poſt diuturnum mœrorem ſubito in menſtrui fluxus ſuppreſſionem & cœcitatem ex gutta ſerena incidit, ita, ut per binos menſes omni deſtituta eſſet viſu, balſamo tamen ſpirituoſo, ſic dicto vitæ, ſemel quotidie cum linteo duplicato fronti & temporibus exterius applicato, & interius datis pilulis balſamicis, nec non ſpiritu cornu cervi ſuccinato, cum tinctura antimonii acri, liquore anodyno minerali & eſſentia caſtorei, viſum ex voto recepit. In ea quoque periodica viſus privatione, quæ hypochondriacis, qui alvo obſtructa & flatulentiis vexantur, ſolennis eſt, aquas Burbonenſes in Gallia, item aquas Feſſyenſes, interne & externe uſurpatas, eximie profuiſſe, novit Dn. PRÆSES. Idem etiam, ex relatione liberi Baronis ex Gallia redeuntis, habet, Medicum hypochondriacum maniacum, diu ſimul laborantem gutta ſerena, pulvere ex cinnabari nativa & limatura martis, æquali pondere nuptis, confecto, & per aliquot menſes quotidie aſſumto, perfectæ redditum ſanitati. Ultimum autem in hoc gravi oculorum vitio eſſe ſolet ſalivatio mercurialis, quam felici cum ſucceſſu fuiſſe celebratam, exemplo confirmat Cl. HEISTERUS, *Tr. de Amauroſi.*

§. XLIV.

Sed e re erit, ut præter ea, quæ jam ſparſim, de recta oculorum vitiis medendi ratione, inſeruimus, obſervationes & cautiones quaſdam, ad felicem medicationem ſuſcipiendam, adhuc ſubnectamus. Ob-

ſervatum quippe fuit, illas ſuffuſionum ſpecies, quæ guttæ ſerenæ nomine inſigniuntur & a cauſa interna, intra cranium & cerebrum proficiſcuntur, longe felicius & facilius ſanationem recipere, in infantili, puerili & juvenili ætate, quam in virili ac ſenili. Evenit hoc in omnibus fere gravioribus capitis morbis, epilepſia, motibus convulſivis, paralyſi & omnibus fere deliriorum ſpeciebus, adeoque etiam in gutta ſerena. Etenim juniora ejuſmodi corpora, dum adhuc creſcunt & partes ſolidæ lapſu temporis aliam figuram, magnitudinem, majuſque robur acquirunt, magna etiam in ſtatu præternaturali fit mutatio, ad emendendam, vel plane tollendam morboſam diſpoſitionem.

§. XLV.

Deinceps & hoc notatu dignum, quod illa viſionis vitia, quæ a nervis male affectis, præſertim irritatis & ſpaſmo nimis conſtrictis, proficiſcuntur, facilius medicationem admittant, inprimis ſi ſub initium occurratur, ac ſi a ſtagnatione, aut prorſus effuſione humorum, originem ducunt. Evenit id non raro ab excrementis tenuioribus, ex corporis ambitu ad interiora repulſis, nec non aliis conſuetis excretionibus ſuppreſſis, tumque totus curationis cardo in eo verſatur, ut recrementitia materia ad exteriora agatur & per congrua emunctoria expellatur. Perficitur autem hoc potiſſimum ſi corpus ad blandam continuam diaphoreſin diſponitur, eumque in finem apprime utiles ſunt pulveres bezoardici cinnabarini, pulvis Marchionis, cum bezoardico minerali & cinnabari, addito quandoque tantillo camphoræ, item ſpiritus bezoardicus Buſſii, cum liquore noſtro anodyno minerali, nec non infuſa theiformia ex ſummitatibus millefolii, herba cardui benedicti, floribus ſambuci & chamomillæ vulgaris, concinnata.

§. XLVI.

Porro frequenti confirmatum habemus obſervatione, in omnibus fere oculorum morbis, ſive in nervis, ſive in humoribus, ſive in tunicis, vitium hæreat, nihil eſſe conducibilius, quam inteſtinorum canalem a ſordibus excrementitiis probe repurgare, quum hoc neglecto, major inde ſanguinis & humorum ad caput fiat impetus & vitium oculi ingraveſcat. Hinc antiquiſſimi Medicorum, Hippocrates & qui poſt eum fuerunt, alvi ſubductionem, ſerio ſuaſerunt. Egregius inprimis hanc in rem eſt Celsi locus *lib. VI. cap. VI.* 37. ſic habens: *nonnulli, quum aliquandiu nihil vidiſſent, repentina alvi profuſione, lumen receperunt. Quo minus alienum videtur & recenti re, & interpoſito tempore, medicamentis quoque moliri dejectiones, quæ omnem noxiam materiam in inferiora depellant.* Galenus ophthalmicos per unam purgationem curatos vidit, & idem fere Pechlinus *de potu thee pag.* 27. perhibet, *in oculorum*, inquiens, *inflammationibus, quum fruſtra diu laboratum topicis & collyriis, unico ſæpe purgante, totum morbum profligavi.* Neceſſarium autem eſt, ut id per benigniora, blanda & per epicraſin laxantia perficiatur, quum purgantia acriora, draſtica nervoſo generi penitus ſint infenſa. Nos eum in finem commendamus pilulas balſamicas frequentius ſumendas, quibus, ſi materia vitioſa altius ſederit, aliquot grana mercurii dulcis, extracti hellebori nigri, nec non pulveris caſtorei commiſcenda.

§. XLVII.

Præterea in præſtantiſſimis adverſus oculorum morbos remediis eſt venæſectio, inprimis etiam in cœcitate repentina, ex caſu ab alto, gravi capitis percuſſione, tanto magis ſub ebrietate eveniente & plethorico corpore exiſtente. Veteres quidem venam in fronte & temporibus pertundi voluerunt, ſed longe tutior eſt recepta noſtro tempore methodus, venas jugulares externas incidendi. Multum enim refert, uti in loco propinquo ſanguis extrahatur, quo humor ſanguineus ſtagnans, vel plane alveis ſuis elapſus, eo promtius derivetur. Et hanc utique ob cauſam factum, quod, memorante Alexandro Benedicto, quidam a vulnere in fronte accepto, a coecitate liberatus. Interim ſi fluxus hæmorrhoidum, aut menſium irregularis, vel ſuppreſſus, in cauſa eſt, ſanguis in pede mittendus, vel primum in ſuperioribus, & poſtea in inferioribus, vena ſecanda.

§. XLVIII.

Tum experientiæ ſuffragio firmum eſt, uti in omnibus capitis & nervorum morbis, ſic etiam in iis, qui oculos detinent, ventriculi & virtutis ipſius digeſtivæ rationem eſſe habendam. Obtinendum hoc maxime exacta victus ratione, vitando omnia, quæ pravos ſuccos ingignunt, quæ difficilius ſolvuntur, quæ flatus creant. Dein ſtomacho languenti ſuccurrendum pulveribus & trageis ſtomachalibus, concinnandis, e. g. ex radice valerianæ, zedoariæ, pimpinellæ albæ, meu, ſemine aniſi, fœniculi, ſileris, corticibus aurantiorum, floribus meliſſæ Turcicæ, ſalviæ, macis, cinnamomo & cardamomo minori, addito demum æquali omnium pondere, ſaccharo canto albo, quippe quæ ante cœnam, vel prandium deglutitæ, omnibus aliis facile palmam præripiunt. Poteſt etiam elæoſaccharum parari, ex ſaccharo & orientalis non adulterati balſami de Mecca eſſentia, quæ cum ſpiritu vini tartariſato alcoholiſato conficitur, addendo in opulentioribus, balſamum de Peru & ambram.

§. XLIX.

De externis tandem & topicis hæc monenda habemus: frigida quidem ad integritatem viſus ſervandam exterius prodeſſe, dum roborante fibrillas nerveas & leniter ſtringente tubulos virtute, nimium ſuccorum appulſum arcent, eamque ob cauſam medicatas etiam aquas, ſubtili vitriolo, aut marte fœtas, morbis oculorum, & arcendis, & ſanandis, egregie provido uſu ſervire. Sed ubi ardor & dolor oculum tenet, nil deterius externo frigidorum collyriorum uſu, ita prorſus, ut, non tantum humores oculi inde turbidi fiant cum viſus hebetudine, verum etiam epiphora chronica, ſuppurationes & ulcera cancroſa in ipſo viſus organo gignantur. Contra oculorum hebetudines & ſuffuſiones efficax quoque, priſco jam Anazarbei teſtimonio *lib. II. cap. XCIV.* eſt viperarum pinguedo, in aqua recenter liquata & oculo immiſſa. Teſte enim colore cæruleo, quem ex vaſis cupreis extrahit ac induit, pollet ſubtili principio alcalino, & propter hoc abſtergente & diſcutiente virtute prædita eſt. Hinc licet in principio illita ardorem & dolorem excitare videatur, ipſum tamen hoc ſalubritatis fert indicium, ad invitandum nempe ſanguinis & fluidi nervei, in veteri vitio, ad oculos affluxum, modo inflammatio abſit. Idem fere præſtat gallinarum pinguedo, qua illita, ſive ad aliquot guttas oculo inſtillata, periodicam viſus obfuſcationem diſcuſſam, & ceſſante pruritu atque calore, oculos inclaruiſſe, noſmet ipſi novimus.

OBSER-

OBSERVATIONES MEDICO-FORENSES SELECTÆ DE LÆSIONIBUS EXTERNIS, ABORTIVIS, VENENIS AC PHILTRIS.

Primùm editæ anno 1729.

PROOEMIUM.

T*ANTÁ artis ſalutaris dignitas eſt atque poteſtas, ut non modo ad vitam cum ſanitate tuendam morboſasque affectiones perſanandas ſalutaria ſuppeditet conſilia atque auxilia, ſed & Jureconſultis, in gravioribus caſibus, ubi de hominis vita & morte, fama & felicitate agitur, viam monſtret & fundamentum ſuggerat, cui innitentes, ipſi poſtea quod juſtitia poſcit decernere poſſint & exſequi. Nemo enim non novit, Juriſperitos ſemper, & quidem merito, Medici exquirere judicium, quando tragicus quidam incidit caſus & delictum in vitam & ſanitatem alterius admiſſum, atque etiam prout medicum hoc fert deciſum, pœnam infligi a judice vel graviorem, vel mitiorem. Quod quidem Medicorum officium forenſe, quum verſ tur circa res maximi momenti; ipſi omnino ſerio ſunt monendi, ne præcipitanter aut temerario, ſed ſumma cum prudentia, circumſpectione ac deliberatione eodem perſungantur, neque etiam ex opinione aut hypotheſi quicquam decernant, ſed ex certis & inconcuſſæ veritatis fundamentis, medicis æque ac chirurgicis judicent, omniaque firmis ac demonſtrativis rationibus corroborent. Nam egregie non minus quam vere monet* TULPIUS lib. IV. cap. VII. plurimum, *inquiens*, intereſt, ſententiam ſuam haud leviter ferre, nedum in tam gravi caſu amicitiæ aut hoſtilitati quicquam dare, quin potius ſoli veritati litare, quæ ut ſemper recta, ſic nunquam non juſta ac DEO grata eſt. Sit tibi religio nunquam judicem in fraudem elicere. Neque enim minores pœnas DEO dabit, qui inſontem damnat, quam qui ſontem dimittit. *Quare ſi forſan in re majoris momenti Medici & Phyſici ad judicandum requiſiti minus aptos ad hoc ſe ſentiant, ſatius eſt & conſcientiæ melius conſulunt, ſi aut peritiores ſimul in conſilium vocant, aut judicium ſuſpendunt & rogant, ut Facultati medicæ ad judicium ferendum tradantur acta. Non enim Juriſconſulti, ut Judices, ſed ipſi Medici per deciſum ſuum, abſolvunt, aut condemnant, ac ſi in promendo hoc falluntur, ille ſupremus judex non minus ſanguinem per injuſtam rei abſolutionem inultum, quam inſontis perperam damnati effuſum, vindicabit certo. Ipſi vero etiam Jureconſulti, eapropter ſunt monendi, ne ſemper fidant privatis Medicorum & Phyſicorum reſponſis, quippe qui ſæpe non ſufficienter anatomica, chirurgica & rationali medica ſcientia ſunt inſtructi, ſed ut potius conſcientiæ rationem habentes, ab integro quodam collegio judicium rogent antequam decretoriam ſuam ferunt ſententiam. Deinceps Medici in reddendis judiciis ſæpe in eo delinquunt, quod licet non falſa, ea tamen afferant, quæ minus ad rem faciunt. Evenit hoc, uti novimus, haud raro quando Acta ſine quæſtionibus traduntur, Medici autem attente Acta non perluſtrant, nec eapropter quid potiſſimum in quæſtione ſit & determinandum norunt, ſed dubia dubiis, rationes ſteriles rationibus, allegata allegatis cumulant & æquivoca dictione efferunt, quod tamen certo definiendum, ut poſtea judicibus, rerum medicarum plerumque ignaris, difficile ſit, vel intelligere allata & ex ambagibus in viam redire, tantum abeſt, ut in uſum ſuum inde quicquam depromere poſſint. Ex quo quum errores ſæpe & confuſio-*

confuſiones oboriantur ; ſemper omnino eo allaborandum eſt Medico, ut poſt curatam Actorum perluſtrationem contentorumque conſiderationem, in quo cardo rei verſetur perſpiciat, ſententiam ſuam perſpicue & ſuccincte promat eandemque ſolidis, claris & ad rem facientibus argumentis confirmet. Sed tum hæc, tum alia, Medico forenſi, tam facienda, quam vitanda, in hoc inaugurali ſpecimine uberius evolvere & monſtrare nobis conſtitutum eſt, ita tamen, ut ſelectas *tantum* obſervationes, de læſionibus externis, abortivis, venenis ac philtris *excerpamus omniaque luculentis exemplis illuſtremus ac confirmemus. Benigniſſimum* Numen *labori huic, publicæ utilitati deſtinato, annuat clementiſſime !*

Observatio I.

Cadaveris inſpectio abſolute eſt neceſſaria, quando homo aſpectu ſanus, ita ab altero læditur, aut vulneratur, ut paulo poſt, vel intra horæ ſpatium, e vita diſcedat.

Scholion.

Verſantur quidem nonnulli ex celeberrimis JCtis, ac inter hos etiam Feltmannus *de inſpect. cadaver. cap. LIV. §. IV.* ea in opinione, ac ſi tum non opus eſſet inſpectione & judicio de abſoluta lethalitate, quum ipſe effectus idem jam clariſſime demonſtraret. Sed tum etiam nihilominus inſtituendam eſſe ſectionem & in mortis cauſam inquirendum, rationes urgent graves. Agitur enim hic de hominis vita, in quo negotio probationes debent eſſe quam clariſſimæ, oculis autem & manibus, plus credendum eſſe, quam opinionibus, perhibuit jam Hippocrates. Deinceps utique accidere poteſt & ſæpius accidiſſe per experientiam conſtat, ut quiſpiam leviter, vel minimum non abſolute lethali modo læſus, tamen exacto exiguo temporis ſpatio intereat, non ex læſione, ſed deliteſcente interius alia cauſa. Meminit *Magn. Dn.* Præses ruſtici Weſtphali, qui menſæ aſſidens & ab uxore contumelioſis verbis exceptus, fruſtum panis Weſtphalici, quem vocant Bonpurnickel, iratus arripuit & in uxoris triclinio exeuntis ſiniſtrum latus conjecit, eo cum effectu, ut illico male haberet & poſt aliquot horas inter animi deliquia obiret. Sectione facta, lien quidem diſruptus & aliquot ſanguinis coagulati & congrumati menſuræ in abdominis cavo comparuerunt. Sed femina diu jam antea aſpectu fuerat pallida & in iram prona, ipſe quoque lien diſruptus ingentis & præternaturalis erat magnitudinis. Hinc recte a Medico judicatum: ob vaſa adeo diſtenta, tunicamque per ſe tenuem nimium expanſam, facile diſſiluiſſe lienem, nec ab ictu hoc, ſi ſtatus fuiſſet naturalis, potuiſſe diſrumpi. Quo JCti permoti, marito non ordinariam, ſed extraordinariam, fuſtigationis pœnam, decreverunt. Alium in dextro latere baculo aliquoties percuſſum, poſtea in ſiniſtrum latus cecidiſſe & brevi poſt obiiſſe, novit idem *Dn.* Præses, ubi poſt mortem interius lien aliquot fiſſuris hians & copioſus coagulatus ſanguis in ventre inventus, exterius autem in latere ſiniſtro nulla ſugillatio, ſed in latere dextro. Neque tamen hæc mortis cauſa plagis, ſed potius facto poſt eas lapſui tribuenda fuit, eo quod lien in homine totus ex vaſis ſanguiferis copioſis eſt coagmentatus & ob membranarum quibus cingitur tenuitatem facile poteſt rumpi, ex quo poſtea ſuccedit ſanguinis effuſio lethalis. Halberſtadii accidit, ut viro juveni, quadrato & robuſto ſanguineo, inter rixas cum ſodalibus caput percuteretur cum cantharo ligneo, iſque inde in lectum ob crapulam delatus mane inveniretur mortuus. Inſtituta ſectione, vix levis ſugillatio & cutis ſauciatio a plaga obſervata, nec in capite, nec aliis corporis viſceribus quicquam præter naturam inventum. Sed diſſecto tandem corde, ingens in conſpectum prodiit polypoſum concrementum, arteriæ pulmonali firmiter impactum. Quod quia oſtium pulmonalis arteriæ clauſit, recte tum judicium tulit *Dn.* Præses, per iram & crapulam ſanguinem valide fuiſſe commotum, polypum e dextro cordis ventriculo abruptum, pulmonali arteriæ intruſum, ſanguinis curſum interceptum & ſic ſubitam mortem inductam. Caveant igitur Medici, ne perſunctorie inſpiciant cadavera, nec eas tantum partes, quas proxime tetigit vulneratio, ſed ut vicinas etiam, imo totum corpus omneſque ipſius partes, examini ſubjiciant, quo ſic tandem mortis cauſam inveniant veram & adæquatam.

Observatio II.

Læſiones abſolute lethales, oppido paucæ ſunt in genere, ſed plures in ſpecie, in alio ſcilicet atque alio individuo.

Scholion.

Nam læſio per ſe & abſolute lethalis in genere dicitur ea, quæ vitam omnibus, ſemper & neceſſario adimit, cujuſcunque ætatis, temperamenti, ſexus & corporis conſtitutionis ac roboris ſint, licet etiam optima quævis tempeſtive adhibeantur præſidia. Sic lethiferæ ſunt paucæ læſiones & tantum eæ, quæ vaſa ſanguifera majora circa cor, pulmones & viſcera interna afficiunt, quando cor ipſum perfoditur, caput & cerebrum circa nervorum principium, medullam oblongatam & ſpinalem, gravius læditur, aut ibi colligitur effuſus humor, nec diſcutiendus, nec educendus ulla arte, ſed putreſcendo necans. Sed multæ viciſſim occurrunt læſiones, quæ licet in genere non ſint abſolute mortiferæ, in illo tamen, in quod inciderunt individuo, moriendi neceſſitatem imponunt abſolutam. Nam ex vero ſcribit Celsus *lib. V. cap. XXVI. confert etiam aliquid & ætas, & corpus, & vitæ propoſitum, & anni tempus. Quia facilius ſaneſcit puer, vel adoleſcens, quam ſenior, valens, quam infirmus ; Neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quam ſi alterum ex his eſt, integri habitus, quam corrupti.* Res patebit exemplis. Senex ſeptuagenario major graviter vulneratur in pede dextro, a glande plumbea trajecta, tibiæ & fibulæ os frangitur & inſignis ſuccedit hæmorrhagia. Adeſt quidem illico Chirurgus peritus, qui ſanguinis fluxum compeſcit & vulnus ſecundum regulas artis tractat. Nihilominus accedit corruptio, ſphacelatio & quinto die mors ipſa. Lethum igitur intulit vulnus; non tamen in genere fuit abſolute lethale. Sphacelus enim externus efficacibus remediis poteſt cohiberi, vel etiam pars illo affecta amputari, & ſic ne latius ſerpat

pat putredo impediri. At in juvenili, robuſto & valido corpore, id quidem commode perficitur, minime vero in ſene, viribus fracto cujuſque ſucci jam in putredinem proni, in quo nec ſphacelati pedis amputationem inſtituere licet, ob virium defectum & hæmorrhagiam ſubſequuturam; quin licet operatio tentaretur, metus tamen ſupereſſet, ne in tanta ſuccorum impuritate, repullularet ſphaceloſa corruptio, quum non inſolens ſit, vel levem inciſionem & læſionem tendinis, ex abſciſſo pedis clavo, ſphacelationem attuliſſe lethalem. Quare rectum omnino judicium: vulnus deſcriptum in hoc individuo fuiſſe abſolute lethale, quia nulla certa demonſtratione poteſt evinci, quod ſanarionem ullo modo fuiſſet admiſſurum. Eadem ratio etiam aliorum eſt vulnerum. Nam nec Medicus, nec medicamenta, nec Chirurgus, vulnus tantum curant & vitam ſervant, ſed ipſius corporis natura, ſive partium ſolidarum & fluidarum diſpoſitio, optima & potiſſima, uti morborum internorum, ſic etiam læſionum externarum, eſt medicatrix; quam medens, ſi deficit, juvare, ſublevare & impedimenta optati ſucceſſus removere debet. Hæc ſi non ſatis valens eſt, ſed per ætatem, nativam & hæreditariam diſpoſitionem, per morbum prægreſſum crebrioreſque animi affectus, languida eſt ac debilis, ſucci impuri, fibrarum robur remiſſum, corpus molle & ſpongioſum, læſiones inflictæ utique facile fiunt abſolute lethales, licet Medicus, Chirurgus & adſtantes omnia quæ ex uſu contulerint.

Observatio III.

Vulnera utplurimum lethalia & propter naturæ bonitatem in quibuſdam tantum ſanata, in aliis cum lethali eventu occurrentia, non per accidens lethalia cenſenda.

Scholion.

Nihil in foro medico frequentius, quam ut mortuo vulnerato, rei defenſor, ſuſpectam reddere nitatur vulneris lethalitatem, idque, quamvis graviſſimum, per accidens lethale fuiſſe contendat, allegatis ex Medicorum obſervatis multis raris ſanationis fere miraculoſæ exemplis. Sed magna inter vulnus utplurimum, & per accidens lethale intercedit differentia. Nam læſio per accidens lethalis ex ſe & ſua natura nunquam ad mortem inferendam eſt ſufficiens & in firmis æque ac infirmis ſanationem recipere poteſt, ob intervenientes autem fortuitas quaſdam cauſas ad eventum deducitur lethalem. Cauſæ etiam quæ mortem procurant, nec a læſionis, nec læſi natura dependent, ſed non naturales ſunt & ab extra accidunt. Sic quando muſculus temporalis aut pericranium læditur, id quidem non moriendi infert neceſſitatem, ſed ſanationi commodiſſimus eſt locus. Interim quando læſus frigori, vel urenti calori affectam partem exponit, aut impetuoſius animo movetur, nec non quando in plethorico venæſectio omittitur, aut Chirurgus perperam medicationem inſtituit & acria atque ſtimulantia admovet, mors excipit & læſio fit per accidens lethalis. Longe vero alia ratio eſt illarum læſionum, quæ graves & ad interficiendum ſunt ſufficientes. Nam ſi quandoque ſanatæ commemorantur, id non vulneris levitati ſanitatem admittente, ſed peculiari prorſus naturæ robori tribuendum. Contra ea, quando lethalem ſortiuntur eventum, naturales & intrinſecæ indeclinabiles, a vulneris & corporis debilioris natura pendentes cauſæ, ſubſunt, nec læſio ea propter tantum per accidens lethalis habenda. Ita ſunt inter exempla, qui a vulneribus inteſtinorum tenuium, ventriculi, diaphragmatis, hepatis, convaluerunt, ob validum minuſque exquiſiti ſenſus corpus. Plures viciſſim eodem modo vulnerati occubuerunt, licet nec in curatione, nec vitæ victuſque regimine quicquam utile omiſſum, & nocivum admiſſum, ex quo lethalis eventus poſſet derivari, tantum quod non tam eminens fuerit virium robur & ſuperando tam gravi vulneri ſufficiens. Miraculoſa etiam ſunt nonnulla exempla de cerebri cum membranis ipſius vulneribus, e quibus ſucceſſive magna cerebri portio exiit, quæ tamen in plebeiis & robuſtis hominibus ſanata. Sed ſi ejuſmodi vulnera corpori accidunt ſolito tantum robore pollente, tanto magis ſenili, aut infantili infirmo, nunquam non necant, nec ob rara ſanationis exempla in his pro per accidens lethalibus venditanda.

Observatio IV.

Dantur læſiones in ſe & ſua natura non, ſed tamen abſolute lethales, quia ad ipſas ſanandas non eſt acceſſus.

Scholion.

Non quidem omnia inſanabilia vulnera, ſunt abſolute lethalia. Proſtant enim exempla eorum, qui in hepate & inteſtinis vulnerati, per longum adhuc vitæ tempus, læſionem circumtulerunt non conſolidatam. Nihilominus verum manet, quod læſiones inſigniores, uti ſunt in vaſis ſanguineis, niſi medicina admoveri poſſit, neceſſario fiant lethales. Nam ſi quis in ſuprema femoris parte profundius paullo fuerit ſauciatus & vaſa ibi diſcurrentia ampliora diſſecta, omnino lethale eſt, quia ob profunditatem ſtipticum non poteſt applicari, neque diſſectum vas ligari, ſed vitam cum ſanguine effundi indeclinabile. Novimus etiam quendam tam leviter in abdomine fuiſſe ſauciatum, ut vix pollicis craſſitie penetrarit gladius, & tractato rite vulnere bene quoque habuiſſe functioneſque iterum expedite ſucceſſiſſe, poſt quatriduum autem ex improviſo langueſcere & animo linqui cœpiſſe, viribuſque indies magis concidentibus, ſexto die animam exſpiraſſe, inventa poſt mortem notabili cruoris in abdominis cavo copia, quæ ex diſciſſo omenti vaſe ſenſim profluxerat. Jam nemo affirmabit vulnus inflictum fuiſſe per ſe lethale, ſed ampliari, ſanguinis ſtillicidium compeſci, vel vas ſauciatum ligari potuiſſe. At Chirurgus conjicere non potuit, inprimis in principio, quum nullum urgeret ſymptoma, quod & quale vas, ac quidem in omento, fuerit læſum. Et licet etiam Chirurgus tentare voluiſſet ampliationem ſectione, renuiſſet tamen procul dubio æger, nihil mali perſentiens. Ne dicam ejuſmodi inciſionem non ſemper periculi eſſe expertem. Atque adeo in morali hac, non phyſica, ſanandi impoſſibilitate, quid decernendum ſit, quæſtio altioris indaginis JCtis decidenda.

Observatio V.

Quandoque exigua admodum eſt læſionis nota, mors tamen inde ſubita.

Scholion.

Obverſantur animo plures ejuſmodi caſus. Meminit adhuc *Dn.* Præses, quendam pugno fortius

in ſcrobiculo cordis percuſſum, illico concidiſſe, & adhibitis fruſtra analepticis, ſub animi deliquiis periiſſe. Poſt mortem, nec corruptio, nec ſphacelus, nec ſanguinis extravaſatio, nec vaſis ruptura inventa ulla, ſed tantum macula nigricans thaleri ambitu in diaphragmate, ubi enſiformi cartilagini connectitur. Mors cito ſequuta, plagam hanc ipſius cauſam fuiſſe prodit; ſed quo pacto, tam levis uti viſa fuit læſio, id efficere potuerit, primo intuitu in difficili eſſe videtur. Verum diaphragma pars exquiſitius ſentiens, ejuſdemque actio ad reſpirationem, quæ cum vita pari paſſu ambulat, eſt abſolute neceſſaria. Ob ſenſum igitur acutum per pugni percuſſionem ſpaſmus ſepto huic inductus, qui non modo ad univerſum nervoſarum partium ſyſtema propagatus, ſed & diaphragmatis motum ſufflaminavit, quo ceſſante, ceſſavit & pulmonum & cordis motus cum vita neceſſario. Interim neutiquam abſolute aſſerere vellem, ejuſmodi ictum, ſemper eundem, vel ſimilem tantum producturum fore effectum in corporibus, quæ non adeo ſenſibilis & ad concipiendos ſpaſmos pronæ diſpoſitionis. Leve etiam erat vulnus, quod militi in ventre circa umbilicum tantum per integumenta erat gladio inflictum, intra quatriduum tamen lethale. Nam quum accepto ictu vehementer adhuc cum adverſario rixaretur & corpus commoveret, ſub inſpiratione fortiori omenti particula in vulnus fuerat intruſa. Chirurgus pinguedinem vulnus claudentem eſſe putans, non repoſuerat, ſed emplaſtrum tantum appoſuerat, nullumque periculum adeſſe declararat. Sed omenti incarcerata portio abiit in ſphaceloſam corruptionem, quæ latius ſerpens, eadem labe abdomen totum contentaque in ipſo viſcera affecit, tam ſubito ut æger quarto die interierit. Chirurgus culpam declinavit eo, quod omenti portio non ex vulnere apparuerit, ſed hæſerit inter membranas & muſculos abdominis, ubi dijudicare & diſcernere non potuerit, an profunde penetrarit vulnus, an vero occluſum fuerit omento. Interim reus, quia læſio intra quartum diem & fatalem terminum mortem attulit, capitis ab JCtis eſt damnatus, juſte, an injuſte, nobis non eſt definiendum. Neque prætereundum leve illud aſpectu diaphragmatis vulnus, quod inter binas ultimas coſtas in ſubſtantiam ſepti ibi accreti vix ad duos digitos tranſverſos gladio obtuſo fuerat inflictum, ſine ipſius perforatione & ſine notabili ſanguinis effuſione, poſt aliquot tamen horas ſub cœlo frigido lethale, eo quod violentus inde diaphragmati ſpaſmus inductus, quo reſpiratio non modo intercluſa, ſed & vaſa ampliſſima per diaphragma tranſeuntia compreſſa, ut ſanguis in laxa meſenterii compage & inter adipoſam renis dextri tunicam, perrumpere fuerit coactus, de quo pluribus videnda *Illuſtr. Dn.* PRÆSIDIS *Medic. conſultat. Part. I. p. 36.* Quin quandoque nec læſio, nec inſtrumentum lædens, externo aſpectu morti inferendæ videntur apta & læſus tamen brevi perit. Novimus fiſtula tenui terrea fumigationi tabaci ſerviente, orbitam oculi inter pocula ex improviſo fuiſſe pertuſam, & quia os ibi tenuiſſimum, cerebrum ejuſque baſis propinqua, citam a læſione ſubſequutam eſſe mortem.

OBSERVATIO VI.

Læſio per ſe non lethalis, ſæpe ex ignorantia, aut defectu Chirurgi, mortem infert.

Scholion.

Non adeo infrequens hoc eſt in foro & praxi medico-chirurgica, nec adeo multum temporis effluxit, quum Facultati medicæ Acta tranſmiſſa, de vulnere cæſim inflicto in externa parte cubiti, ita ut eminens oſſis humeri portio abſciſſa cum cute & carne eſſet pendula. Hæc læſio commode potuiſſet perſanari, ſi remota abſciſſa parte, hæmorrhagia in loco obvio cohibita, balſamum vulnerarium applicatum & epithemata diſcutientia defenſiva fuiſſent admota. Sed quia Chirurgus fruſtum pendulum iterum adducendo, viam ad ſiſtendum ſanguinis ſtillicidium præcluſit, emplaſticis ſuppurationem impedivit, nec defenſiva appoſuit, non modo cum ingenti virium lapſu hæmorrhagia ſæpius recruduit, ſed & ob ligatam arctius ne ſanguis irrueret, ſupernam brachii partem, infra vulnus illud perfrigeratione & necroſi affectum eſt, ac læſus undecimo die exſpiravit. Poteſt etiam contingere, ut vas majus arterioſum, vel venoſum diſcindatur, in tibia, aut brachio, ubi commodus alias deligandi locus. Læſus autem quia extra urbem, aut in pago degit, ubi Chirurgus obtinendus, vel nullus, vel non peritus, ob hæmorrhagiam, alias per remedia & artem compeſcibilem, ſub his vero circumſtantiis effuſam nimis & lethalem, perit. Quæſtio eſt, an percutiens plecti poſſit pœna capitali? Interim ſi forſan Chirurgus etiam nonnihil quod utile eſſe potuiſſet, in vulnere lethum inferente omiſiſſet, ea propter ipſi tamen ſoli non illico mortis cauſa tribuenda, ſed ſemper læſi corporis conſtitutio conſideranda, & videndum, an, etiamſi omnia ex arte exquiſite fuerint confecta, ipſe potuiſſet ſervari, vel ſecus? Atque etiam ſi caſus fuerit dubius, læſi naturæ, an Chirurgi medicationi adſcribendus fatalis eventus, medicum collegium, corporis vulnerati robur & rationem ignorans, in Chirurgum mortis cauſam per accidens conjicere nequit, licet reprehenſione & pœna dignum judicet ipſum, quod non omnia ad ſanationem ex arte proficua contulerit.

OBSERVATIO VII.

Lethalitas vulneris, ex temporis quo læſus ſupervivit, diuturnitate æſtimari nequit.

Scholion.

Eſt quidem ſecundum legum civilium conſtitutionem novem dierum ſpatium, ille fatalis terminus, ex quo abſoluta vulneris lethalitas judicatur. Sed vulnus per accidens lethale, interea mortem inferre poſſe, docuimus ſupra. Et quod in vulnere abſolute lethali, funeſtus eventus longius, ad aliquot interdum hebdomades, protrahi queat, uberius per experientiam conſtat. Exemplo ſit vulnus veſiculæ felleæ, quod abſolute lethale, non tamen cito necat. Diu enim adhuc ſuccedere poſſunt cordis & arteriarum, vitam ſuſtinentes motus, & bilis exigua copia deſtillans aliquandiu in abdominis cavo, vita ſuperſtite, fluctuare. Sed quia vulnus nulla arte conſolidandum & bilioſus humor continuo effunditur in abdomen, temporis diuturnitate augetur nimis, & non modo tunicas inteſtinorum arrodit, ſed & viſcera alia corrumpit, atque adeo lentam mortem, poſt menſem & ultra neceſſitate affert indeclinabili. Nec diſſimilis vulnerum œſophagi, ventriculi & inteſtinorum nec non lacteorum ratio, quæ quum non proxime vitalem ſanguinis progreſſum turbent, non cita mors excipit, ſed poſt aliquod demum tempus, ob ſenſim factam ſucci alimentoſi & chyloſi exſtillationem, corruptionem cum morte inferentem.

OBSER-

Observatio VIII.

Mortis cauſa in renunciatione curate diſtinguenda a cauſa lædente, ſemperque videndum, an illa, ceu effectus, ita comparata, ut adæquata ſit huic, tanquam cauſæ efficienti.

Scholion.

Hoc ſi obſervatur, facile patebit, an læſio per ſe attulerit mortem, an vero cauſa eandem induxerit alia. Nonnunquam enim læſis, eodem modo ac ſanis, accidit morbus, ex quo, quum moriuntur, cauſa perperam læſioni tribuitur. Erat adoleſcens, qui baculo in pectore circa quartam & quintam coſtam, cum levi duntaxat ſugillatione percuſſus, tertio die prævia horripilatione incidit in febrem, acceſſit tuſſis ſicca, reſpiratio difficilis, quarto die ſanguinis ſputum, ſputum tandem ſubſtitit & ſeptimo die occubuit. Poſt mortem in dextro latere, ubi percuſſus erat, corruptus cruor & magna ſeri in pericardio colluvies inventa. Hinc orta diſceptatio, annon ex illata læſióne obierit. Sed per inquiſitionem patuit, tum temporis epidemium fuiſſe inter juniores pleuriticum morbum, nec dubium eſſe, quin adoleſcentulus eodem decubuerit, quia non modo ordinarium pleuritidis veræ ſymptoma, ſputum quarto die cruentum, adfuit, ſed & cauſæ morbo huic inducendo aptæ, ira gravis & ſuperingeſta frigida larga potio, innotuerunt. Plurimum itaque refert, ut Medicus probe in circumſtantias inquirat omnes, quæ ad lethalem eventum conferre potuerunt, quo certus ſit, nullam aliam cauſam, quam læſionem, intuliſſe lethum. Ante viginti circiter annos ordini medico hujus Academiæ tradebantur Acta, cum annexo baculo ex ligno betulæ, craſſitie pollicis, quo femina in collo & humeris percuſſa, paullo poſt interierat, inventis quidem in collo & humeris plagarum veſtigiis, ſed in capitis exterioribus, nulla adfuit ſugillatio, fiſſura vel fractura, in cerebri autem ventriculis aliquot cochlearia ſanguinis extravaſati. Medicus qui ſectioni præfuerat, extravaſationem abſolute lethalem fuiſſe edixit, quia nec per remedia pharmaceutica, nec chirurgica, removeri potuerit. Defenſor ſuſpectam hanc relationem eam ob rationem reddidit, quia læſa viva & ſatis adhuc valida aliquot milliaria pedibus emenſa ſit, quod facere non potuiſſet, ſi cauſa hæc lethifera adfuiſſet. Quare judices a binis in Saxonia collegiis medicis academicis rogarunt judicium, quæ vero in partes Medici tranſierunt & abſolutam lethalitatem aſſeruerunt. Quum vero nobis tandem traderentur Acta, vidimus, a teſtibus depoſitum fuiſſe, defunctam laboraſſe menſium ſuppreſſione & ſæpe etiam colica convulſiva, poſt verbera quoque conqueſtam eſſe de ingenti ventris dolore. Unde pronunciavimus, mortis cauſam fuiſſe quidem ſine dubio ſanguinem in ventriculos cerebri effuſum, ſed quod hæc mortis cauſa, proxime & immediate a plagis fuerit inducta, id eſſe in quæſtione & non poſſe ullo modo demonſtrari. Percuſſionem enim tantum in collo & humeris factam non tanti fuiſſe, ut potuerit in capitis interioribus tam lethiferum inducere effectum, ſed feminam procul dubio interiiſſe apoplexia, dum commoto per iram ſanguine eodemque per dolorificos in ventre ſpaſmos ad caput impetuoſius tranſlato, tenera plexus choroidei vaſcula diſſiluerint ſanguinemque effuderint.

Observatio IX.

Medicus in relatione ſua claras tantum & certas ſententiæ rationes allegare debet; neutiquam vero reum conjecturis & præſumtionibus plus inculpare.

Scholion.

Nuperius admodum id factum eſſe a Medico veterano reminiſcitur *Dn.* Præses. Secuerat is fœtum per abortum ſeptimo menſe excluſum, jam tum quidem perfectum, ſed flaccidum & quaſi tabidum, comparente nulla in capite totoque corpore lethalis læſionis nota, pulmonibus etiam in aqua ſubſidentibus. Mater ex furtiva venere gravida occuluerat & negarat graviditatem, quinto menſe poſt frequentes vomitus & anxietates, ob diætam inſalubrem inciderat in tertianam, eamque poſt binas hebdomades piperis, & radicis imperatoriæ ex aqua ardenti uſu profligarat. Poſtea carceri mancipata conqueſta fuerat de capitis dolore artuumque languore, appetitus proſtratione, nec non dolore iſchii & ſiti, ad quam fallendam aquam frigidam copioſe ingurgitarat. Elapſis aliquot diebus acceſſerant ventris tormina & aquoſus humor continuo e genitalibus ſtillarat, donec tandem fœtum primum, ac poſtea ſecundinas, remotis arbitris, ſub atrociſſimis doloribus excluderet. Medicus igitur in relatione ſua judicavit, ex circumſtantiis in fœtu obſervatis probabili ratione eſſe concludendum, matrem per multa pellentia fœtum exturbare voluiſſe, hoc autem jam nimis adulto, irritum fuiſſe molimen, interim ſubtractum embryoni eſſe alimentum, ut contabuerit tandemque vivere deſierit. Sed in Actis nihil plane fuit reperiundum, quo potuiſſet confirmari, matrem abortiva aſſumſiſſe & veri potius fuit ſimillimum, ex inſalubri diæta ſuccos redditos impuros, poſt tertianam non recte tractatam ſucceſſiſſe lentum morbum ſanguinem & ſuccos laudabiles conſumentem fœtuique ſubtrahentem, demumque per terrorem & iram ob incarcerationem, eſſe inductum abortum. Quare ejuſmodi in caſibus omnino neceſſarium, ut inquiſitione finita, Acta tranſmittantur collegio medico. Sic enim ex teſtimoniis innoteſcunt ſæpe circumſtantiæ, quæ ad deciſionem categoricam, abſolutionem, aut condemnationem, multum faciunt, quæque Medicum renunciantem a principio latuerunt.

Observatio X.

Medico, qui curationi læſi defuncti præfuit, in propria cauſa teſtanti, non ſemper fides habenda.

Scholion.

Medicus, qui læſo medicatus eſt, hoc pereunte, abſolutam plerumque incuſat vulneris lethalitatem, ne ſe ipſum inculpet, quaſi quicquam ad vitam ſervandam omiſerit, aut quod noxium admiſerit, licet ſæpe culpæ non expers ſit, inprimis quum pauci ex junioribus, præſertim Medicis ac Phyſicis, ſufficienti polleant experientia, ut ſciant, quomodo graviter læſis per interna & externa recte ſit ſuccurrendum. Compertum id habet *Ill. Dn.* Præses exemplo cujuſdam, in pectore, duobus tranſverſis digitis infra mammillam dextram, vulnerati. Effluxerat

ex hoc vulnere per aliquot dies ſanguis purus, ſanie poſtea remixtus, ſed non adeo copioſus. Medicus & Chirurgus deficiente ſputo cruento, non ex pulmonum viſcere, ſed ex vulnere in obeſo corpore prodire materiam putarant vulnuſque poſt tertiam hebdomadem ad conſolidationem deduxerant. Sed conſolidato ipſo, tuſſis ſucceſſit, ſpiratio difficilis, cum lento calore, copioſis ſudoribus matutinis & æger quarta poſt hebdomade fatis ceſſit. Diſſecto cadavere, dextra thoracis cavitas magnam puris continuit copiam totuſque ibi pulmo fere corruptus, niger & putridus comparuit, & procul dubio ſanies, per conſolidationem exitu præcluſa & ſanguini remixta, mortis cauſam præbuit. Alius in pulmone vulneratus, parum ſanguinis ſputo rejecit, cui Medicus decoctis traumaticis & adſtringentibus occurrit, eoque cohibito, phthiſis ſucceſſit, pulmonis ulcus tandemque poſt duos menſes mors ipſa. Medicus curationis artifex inſanabile fuiſſe malum teſtatus eſt; ego vero non ſic. Nam ea tantum pulmonis vulnera ſunt lethalia, quæ vaſa majora lædunt, non vero levia, minores canales ſauciantia. Proſtant potius exempla, de pulmonum vulneribus, ſubſequente ſputo cruento, tuſſi & difficili reſpiratione, quæ tamen perfecte ſanata. Quin Tulpius *lib. II. cap. XVII. pag.* 219. memorat, fruſtum pulmonis uncias tres pendens fuiſſe abſciſſum, ſine vitæ diſpendio. Et Peclinus *in hiſt. vuln. thor. art. XXIII.* non tantum vulnus pulmonum, ſed & partem lobuli deciſam obſervavit, ægro convaleſcente. Quare culpa potius in uſurpata ſputum cruentum ſiſtentia rejicienda, quibus ſanguis ſubſtitit, ſed in putredinem abiit & phthiſicum morbum genuit.

Observatio XI.

Pulmonis in aqua ſubſidentia, non eſt infallibile fœtus in utero mortui ſignum.

Scholion.

Embryonem in utero non reſpirare, res eſt indubia. Pulmonis etiam vaſculoſum veſiculoſumque viſcus ab aere atmoſphærico expandi aptum, eapropter in uterino clauſtro collapſum, minus ſpatium occupare & ob id aqua ſpecie gravius in hac ſubſidere, & viciſſim, poſtquam extra uterum aer gravitate & elaſticitate ſua irruens compagem omnem diduxit majus ſpatium occupare, aqua levius reddi ac ſupernatare, id pariter certum. Sed quod Medici infanticidio imputato indubium venditarunt fœtus in utero mortui ſignum, ſubſidentiam, id non adeo certum, ſed fallax eſt. Novimus enim infantis jam per aliquot hebdomades extra uterum vivi & a matre melancholica ſuffocati, pulmones, aquæ injectos fundum petiiſſe. Ratio hujus obſervationis in proclivi. In ſuffocatis ſcilicet, ob intercluſum ſpiritum, ſanguis ex uno ventriculo non poteſt transferri ad alterum, ſed in pulmone congeritur, vaſcula numeroſa farcit, coagulatur & præternaturalem gravitatem viſceri huic conciliat. Medici itaque qui ſectioni præeſt officium eſt, ut pulmonum corpus probe perluſtret, & diſpiciat, an vaſa ſanguine craſſo ſint facta, quod in embryone non accidit.

Observatio XII.

Non dantur pharmaca, ſimpliciter & abſolute natura ſua talia, quæ abortum procurant, ſive fœtum immaturum utero expellunt.

Scholion.

Abortiva pharmaca per ſe & ſua natura talia, quæ ſi non in omnibus gravidis, tamen in pleriſque fœtum expellunt ut purgans alvina ſtercora, emeticum ſaburram e ventriculo & duodeno, diuretica urinam, ſudorifera ſudorem, plane negamus. Creditur hoc quidem vulgo & etiam a quibuſdam Medicis perhibetur, uti jam olim ab Hippocrate, Dioscoride & Plinio factum fuiſſe, literarum monumenta docent. Paſſim etiam hoc nomine nota ſunt varia pharmaca, maximeque ſabina, ejus extractum & oleum, oleum terebinthinæ, balſamus ſulphuris terebinthinatus, baccæ lauri, myrrha, crocus, elixir proprietatis Paracelſi, nec non purgantia acriora & emetica, item ſanguinis miſſiones iteratæ & tertio præſertim & quarto menſe inſtitutæ. Neque negandum, ab his in copia uſurpatis, proritatum quandoque fuiſſe abortum. Sed quod hoc non ſemper, ſed raro & ſub certa tantum corporis diſpoſitione cooperante contingat, aſſerimus. Obſervarunt jam celeberrimi Medici, Rolfinckius, Ludovici, & B. Wedelius, multas vomitoriis, purgantibus, emmenagogis validioribus, nec non venæſectione uſas, fœtum nihilominus legitimo partus tempore excluſiſſe ſanum ac vegetum. Quot ſunt feminæ quæ a ſecundo & tertio menſe perpetuam vomitionem experiuntur, neque tamen abortiunt. De venæſectione tertio menſe inſtituta perhibet Hippocrates, quod abortum cieat. Sed multas *Dn.* Præses novit feminas, ſemper abortientes, niſi venæſectionem ſub graviditate bis vel ter inſtituant. Abortus potius per convulſivum uteri motum ſuccedit, nec unquam accidit niſi hæmorrhagia ex ruptis in utero vaſis præcedat. Quare, niſi talis in utero adſit diſpoſitio, ut fibræ ipſius ad concipiendos convulſivos motus ſit apta & vaſa a ſtagnante & infarcto ſanguine facile perrumpantur, abortus fit nullus. Si vero viciſſim adeſt hæc ad abortum diſpoſitio, is levi ex cauſa, per impenſiorem corporis & animi commotionem, per oneris geſtationem, lapſum in terram, uſum medicamenti ſpirituoſi exæſtuantis, per morbum, præſertim febrem, ſine cauſa alia manifeſta, inducitur, tanto autem facilius, ſi purgans, aut emmenagogum validius fuerit aſſumtum. Quin impotentiam hanc pharmacorum fœtum expellendi conſpectius arguit, quod ne quidem ejuſmodi medicamenta ſint, quæ menſes certo cieant, aut quacunque alia corporis ex parte ſanguinem emoveant, niſi intrinſeca quædam adſit diſpoſitio atque proclivitas. Atque adeo quum abortus ſine hæmorrhagia contingere nequeat, hanc autem in omnibus proritare non liceat, abortum etiam indiſcretim provocari non poſſe, patet. Divinæ potius ſapientiæ ac providentiæ tribuendum, quod non abſoluta ejuſmodi facultas & efficacia medicamentis indita, qua cædes innumeræ & infanticidia plurima patraturi fuiſſent homines improbi atque perverſi. Poſſet quidem noſtro huic aſſerto contrarium videri Hippocratis in *jurejurando* præceptum: ut Medici caveant a peſſis vulvæ ſubdititiis abortivis. Verum nec Hippocrates deſcripſit, nec noſtro hoc tempore nota ſunt medicamenta, quæ

quæ ſine inflammatione & eroſione id præſtare poſſent. Atque etiam credibile eſt, in Græcia & calidioribus regionibus, feminas fuiſſe teneriores & ad abortum magis proclives, in noſtris autem robuſtiores eſſe minuſque exquiſiti ſenſus. Notent autem hactenus allata Jureconſulti ac Judices, qui ſecundum legum criminalium rigorem, abactionem partus vitalis ſtudio patratam, infanticidium cenſent eodemque modo utrumque delictum puniendum eſſe putant, quum licet animus malignus non abfuerit, ipſa etiam corporis natura & morboſa diſpoſitio ad effectum obtinendum, plus contulerit, quam medicamentum ipſum. Teneant quoque in eodem hoc negotio, partum vitalem a Medicis tantum haberi illum, qui vivus extra uterum durare, aeris & alimentorum uſu, poteſt, non vero embryonem quinque aut ſex menſium, cujus partes nondum eam firmitudinem & perfectionem adeptæ, quæ ad circulationem humorum, ſive vitam ſuſtinendam, neceſſaria. Si vero vita eo ſenſu accipienda, ut denotet illum cordis ſanguiniſque motum, quo fœtus nutritur, in utero & augeſcit, primo hic ſtatim menſe adeſt. Quo ſi per abortum ejicitur fœtus, an poſſit pro infanticidio haberi? nos quidem juris naturalis doctoribus determinandum relinquimus.

Observatio XIII.

Medicamina, quæ feminis ſterilitatem, aut viris impotentiam conciliare apta, in rerum natura non exiſtunt.

Scholion.

Vulgaris, ſed falſa eſt opinio, dari in natura rerum nonnulla, quæ generationem in utroque ſexu impedire poſſint, feminis virilis vim extinguendo & conceptionem feminæ impediendo. Veteres jam naturæ conſulti Dioscorides, Plinius, Paulus Ægineta, nec non Schola Salernitana, tribuerunt ejuſmodi virtutem rutæ, agno, perperam caſto dicto, quum ἄγνος jam denotet caſtum, nec non camphoræ. Sed hæc inter fabulas Veterum, ſolida & rationali Phyſices ſcientia deſtitutorum, referenda. Saluberrima potius & præſtantiſſima eſſe hæc variis in morbis remedia, nec unquam hunc ab ipſis obſervatum eſſe effectum, per experientiam conſtat. Multo minus autem veritati reſpondet, quod de camphora circumfertur, quaſi odore impotentiam conciliet, quum Tackenius fidem faciat, Venetiis Pharmacopœum ſublimaſſe camphoram, ipſius tamen uxorem præter morem crebrius peperiſſe. Neque etiam caſtitas medicamentis obtineri poteſt ullis, ſed animi continentia & objectorum declinatione, quæ ſenſus movere & ad libidinoſos actus pellicere apta. Nec a contrario argumentari licet, quum proſtent medicamina venerem excitantia & ſemen augentia; ea propter etiam dari, quæ venerem extinguunt & ſemen minuunt. Illa enim, uti vinum generoſum, decoctum ſuccoladæ, piper, oſtreæ, radix ninſi, ſatyrionis, ita ſunt comparata, ut partim copioſum & ſpirituoſum chylum, ex quo poſtea ſemen uberius & vividius, ingignant; partim etiam ſeminales veſiculas & partes genitales ſtimulent, ex quo coeundi cupido. De his autem, licet non negandum ſit, ſine Cerere & Baccho veteri dicterio frigere venerem, & eſſe nonnulla, ut nitroſa, acida & refrigerantia, quæ ſanguinis inteſtinum motum & chyli proventum minuendo, veneris ſtimulos obtundunt, longe tamen alia ratio eſſe debet eorum mediorum, quæ viris impotentiam & feminis ſterilitatem afferre poſſunt. Ad hoc enim obtinendum non ſufficit ut ſeminis proventus minuatur, ſed ut penitus tollatur, per ea quæ aut ſeminalia vaſa cum teſticulis prorſus conſtringunt & paralytica reſolutione afficiunt, & in feminis, ut non modo ſanguinis orgaſmus ſedetur, ſed & ejus affluxus ad ovaria & uterum prorſus intercipiatur. Hujus virtutis media exiſtere merito negatur, niſi forſan ſint venena, quæ tamen non tantum generandi potentiam, verum etiam totius corporis integritatem labefactant & deſtruunt, idque morbis obnoxium reddunt, in quibus languet ſemper venus.

Observatio XIV.

Multa pro venenis habita, talia non ſunt, & multa venenata non æſtimantur, quæ tamen ſunt.

Scholion.

Si relicta Dioscoridis & Plinii monumenta evolvimus, plura in venenorum claſſem relata eſſe offendimus, quæ virulentam naturam non habent. Sic communiter toxicis annumerantur ſanguis tauri, calx viva, vitriolum, antimonium crudum, auripigmentum, argentum vivum, nec non a quibuſdam adamantis & vitri pulvis, quæ tamen ſine noxa aſſumi poſſunt. Mercurius quippe currens non modo innoxie, vel ad libram, ingerendus, ſed & præſtabilis eſt virtutis, adverſus truculentum paſſionis iliacæ malum, uti per ipſam conſtat experientiam. Antimonium crudum ſpectatæ utilitatis remedium eſt ad ſanguinem repurgandum, ſudorem movendum & arthriticos atque rheumaticos dolores abigendos, tam in pulvere, quam decocto oblatum. Sed quando ignem experitur, eoque ſulphurea pars aufugit, & metallica mercurialis, in regulum & vitrum abiens, remanet, tum demum virulentam & emeticam facultatem nanciſcitur. Calx viva ex aqua decocta, optimum præbet tam internum, quam externum remedium. Pulverem adamantis eodem modo inteſtinorum tunicas, ac vitrum diſcindere, eaque propter necare, fabulam ſapit. Auripigmentum quod Veteres dixere arſenicum, hodienum a quibuſdam perperam habetur pro arſenico flavo, quod ex cobalto & ſulphure conficitur, quum hoc ſit artificiale, illud nativum. Falſo etiam hoc auripigmentum venenum cenſetur lethiferum, quum experientia doceat, illud innoxie ab animantibus & hominibus deglutiri poſſe. Eſt potius ſimilis fere naturæ & craſeos cum antimonio crudo, ipſiuſque mineralis draſtica portio ita particulis ſulphureis ligata eſt ac involuta, ut fibras nerveas minus arrodere & lancinare queat. Pluribus id evicit *Dn.* Præses in reſponſo inſerto *Medicin. conſult. tomo I. Dec. V. caſ. VI.* & certum utique eſt, pinguia, ſulphurea & oleoſa, intimius venenis, etiam corroſivis, mixta, deleteriam eorum vim prorſus cicurare. Summum illud venenum arſenicum, ſi cum æquali portione ſulphuris vivi miſcetur, ambo igne liquata abeunt in maſſam rubicundam, eoque adeo venenata virtute orbatur, ut cani ſine damno poſſit offerri. Neque minus error eſt, fontes veneno poſſe infici, & venenatos reddi. Creditum id fuit imperante *Carolo IV.* quum peſtis ſæviret mirifice & imputatum Judæis, quod fontes intoxicarint, qui eapropter Germania expulſi & in deſerta relegati. Sed phyſicarum, chymicarum & medicarum rerum gnarus rerumque corporearum vires callens, ultro fatebitur, nec in rerum natura dari, nec per artificium parari poſſe ejuſmodi res, quæ hunc præſtent effectum. Falſiſſima etiam eſt traditio, tam pene-

trans & ſubtile venenum confici poſſe per artem, quod chartæ illitum, epiſtola huic inſcripta reſignata, legentem illico interficiat. Quod antiquiſſimis temporibus uſuale fuit venenum, eſt cicuta ejuſque ſuccus inſpiſſatus, ac noſtro tempore in veneficiis plerumque adhibetur arſenicum. Quod, quia inſipidum, clanculum poteſt ingeri, quum ſublimatus mercurius corroſivæ ſit virtutis eaque propter non commode occultandus. Deinceps ſunt in rerum natura nonnulla, quæ quidem plerumque venena eſſe non putantur, ſed tamen vim necandi habent præſentiſſimam. Horum in numero eſt maxime carbonum vivorum fumus, qui in loco humiliori concluſus, ſyncope, ſuffocatione & apoplexia, brevi, licet ratione fere inſenſibili, necat. Confirmata eſt deleteria hæc vis innumeris fere exemplis, incognitam vero etiam celebribus eſſe Medicis, teſtatum fecit tragicus ille caſus, qui Jenæ noſtra memoria accidit, de quo legendum Dn. PRÆSIDIS ſchediaſma, de *vapore carbonum vivorum nocentiſſimo*, cum iis, quæ *Tomo V. Dec. III. caſ. V. Medicin. conſultat.* nec non in *Tomo II. Medic. rat. ſyſtem.* hoc de argumento expoſita. Eundem venenatorum, licet plerumque eſſe non credantur, cenſum ſubeunt, ſaturnina, ſaturnus ipſe, ipſius fumus, lithargyrium, minium, ceruſſa. Quamvis enim non cito & in minori doſi interficiunt, lenti tamen veneni vim habent, & aliquoties data, certam adducunt mortem. Graves illi & atroces morbi, convulſiva colica, paralyſis & aſthma convulſivum, quibus metallurgi graviſſime excruciantur, non aliam habent cauſam, quam fumum ſaturni cum aere hauſtum. Is enim non modo in pulmones deſcendit eoſdemque ſtringendo & exſiccando reſpirationi facit ineptos, ſed & in ventriculum defertur, ibique cum acido primarum viarum permixtus, facultatem contrahit infeſtam, nervoſas fibras & tunicas cum minimis vaſculis conſtringentem, quæ graves morbos ipſamque tandem mortem inducit, uti primus ſolide evicit STOCKHAUSEN de *noxio lithargyrii fumo.* Sunt quidem ex Medicis nonnulli nocentiſſimæ in ſaturno virtutis ignari, qui ad cohibendum ſeminis ſtillicidium ipſum quoque hecticum calorem, præparatum ex hoc metallo ſaccharum & antiphthiſicam Grammanni tincturam laudant. Sed peritiores obſervarunt, inde alvum valide fuiſſe adſtrictam & colicam convulſivam cum atrophia inductam, eaque propter uſus horum jam fere exolevit penitus. Ex omnibus autem hactenus allatis, id teneant Medici: ut circumſpecti ſint in ferendo de veneficiis judicio.

OBSERVATIO XV.

Arſenici validiſſimi veneni ſpecifica antidotus res ſimpliciſſimæ, pinguia nempe & oleoſa, cum lacticiniis, ſufficienti copia data.

Scholion.

Obſervatio hæc per ipſam experientiam eſt certiſſima. Ponamus vero, porrexiſſe malitioſum hominem cuidam cum alimentis arſenicum, licet non ſufficiente ad necandum doſi, ſed incipiente cum doloribus ventris & nauſea veneni operatione, pœnitentia duci, ad Medicum currere, veneficium manifeſtare & impenſe rogare, ut ſuppetias ferat, Medicum autem minus peritum ad exturbandum e ſtomacho venenum præbere emeticum ſtibiatum, eoque ſpaſmum ventriculi & veneni vim intendere, toxicatum tandem ſic perire, ſtomachi inflammatione & ſphacelatione. Mors hoc in caſu non tam veneno, quam Medici ignorantiæ tribuenda. Tum enim opportune adhuc deleterius effectus per certiſſimam oleoſorum antidotum potuiſſet præſcindi, ſed artifex ignarus vomitorio vim veneni adauxit potius, quin dubium omnino eſt, an non forſan ſola natura veneni parce oblati vim ſuperaſſet, ſi non datum fuiſſet emeticum. Eſt igitur dignum meditatione JCtorum argumentum, quo cum certa demonſtratione ex æquo decernant: an, & quali pœna, tam Medicus, quam veneficus, afficiendus?

OBSERVATIO XVI.

Pharmaca amorem conciliantia non dantur certa.

Scholion.

Vetus, ſed erronea, in civili quoque Jure obvia, eſt opinio, dari philtra, ſive pocula amatoria, quæ etiam venenis a quibuſdam annumerantur & priſci *Poetæ* effato;

Nocent animis vimque furoris habent.

Recenſentur hujus virtutis varia a RODERICO A CASTRO in *Med. polit. pag.* 218. nec non a SYLVESTR. RATTRAI in *adit. ad ſympath. rer.* inter quæ potiora ſemen virile, ſanguis menſtruus, cerebrum felis, item pulli aſinini, virga lupi, ſcincus marinus, ſpuma in equarum inguine ex ſudore generata. Sed omnia hæc non ſunt venena, neque etiam ullo modo odium, vel amorem conciliare poſſunt. Nec in levi habendum hoc creatoris beneficium, quo deficiunt res, quorum abuſus maximus & damna forent graviſſima. Efficaciſſimum philtrum amabile objectum, quo adeo ſæpe abripitur phantaſia, ut amor ſequatur plane inſanus. Mirum certe, a ſolo aſpectu, aut tantum concepta animo imagine, femellæ venuſtæ, illico genitales partes ſanguine & ſuccis copioſe affluentibus irrigari & quaſi animari. Quæ phantaſiæ vis utique tanta eſt, quanta in medicamento eſt nullo, ad ciendos venereos ſtimulos. Non quidem negandum eſt, gloriari nonnunquam improbos homines, quod per media naturalia amorem procurare queant. Sed ſubleſta eorum fides, & dubitandum merito, quod unquam id effecerint, ac nonniſi ubi jam in cerebro diſpoſitio quædam & occultus quidam amor in animo delituerit. Belladonnam etiam philtris conficiendis ſervire ferunt. Quæ quia ſolani ſpecies, venenum omnino eſt narcoticum, animum ob nubilans ac phantaſiam pervertens. Unde, ſi forſan phantaſiæ jam inhæret amoris idea, in inſanum amorem, & præſertim in feminis mobilioris phantaſiæ, furorem uterinum eandem erumpere, veri eſt ſimile & facinus hoc gravi pœna digniſſimum. Semper tamen neceſſarium eſt, ut a judice, qui inquiſitioni veritatis præeſt, omnia inveſtigentur cum cura, priuſquam firmum quid ſtatuatur. Quam in rem plura in *Dn.* PRÆSIDIS *Medicin. conſult. Tom. I. Dec. III. Caſ. VIII. p.* 142. *ſqq.* allata.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA
DE
VERA PERPETUI MOBILIS IN HOMINE VIVO IDEA.

Primùm edita anno 1731.

PROOEMIUM.

T*ANTA fuit ſummi terrarum opificis in condendo hoc vaſtiſſimo orbe, tamque immenſa ſapientia, ut, quum ampliſſimum hocce univerſum, omneſque, quæ ejuſdem ſpatioſiſſimo ambitu res continentur, quinque primorum dierum intervallo perfeciſſet, crearet etiam, qui ampliſſimis hiſce muneribus fruerentur, quique in ea regimen omne haberent, parentes noſtros, omni felicitate fulgentes & beatitate. Summæ enim illud ejus ſapientiæ merito adverſum fuiſſet, tantum rerum creatarum numerum fruſtra condidiſſe, quæ nullius utilitati inſervirent, nec unquam incredibili ſua, qua pollebant, voluptate in Celſiſſimi Conditoris gloriam perfundere valerent. Homines itaque quum rectores hujus orbis dominoſque conſtituiſſet, non potuit etiam, quin præſtantiores eminentioreſque præ ceteris rebus creatis, illis concederet principatus ac prærogativas, quibus præ illis, qui eorum parerent imperio, eniteſcerent. Sive enim mentis humanæ excellentiſſimas dotes mediteris, actum quo ad diſtinctam rerum perceptionem tendit perpendas, facultatem conſideres qua ad poſſeſſionem eorum ruit quæ diſtincte ut bona cognovit, ponderes immortalitatem; ſive ejuſdem miraculoſum cum materiali corpore connubium, ejus in hoc efficacem influxum ac potentiam, hujuſque in illam reactionem intuearis mutuam; ſive demum ſolius corporis artificioſiſſimam & vix humana cogitatione adſequendam ſtructuram atque conformationem, qua ad continuos reciprocantes inque ſui conſervationem & continuationem collimantes & per circulum redeuntes motus eleganter fabrefactum eſt, æqua animi lance ſcruteris: ita vero, quocunque oculos dirigas, magnifica ac incomparabilia ubique deprehendes obvia. Hinc niſi res loquatur, ego certe ſcribendo evincere non cupio, quanta ſit ejus ſcientiæ nobilitas, quæ præclarum iſtud hominis & inſigne opus non ſolum penitius intueri atque explicare, ſed etiam quam fieri poteſt diutiſſime & integerrime illud conſervare, ægritudines autem, quæ deſtructionem ipſi minantur tollere ſaluberrimo auſu docet. Objectum enim hujus ſcientiæ, Medicinæ puta, eſt homo vivus, rationalis illa & tot præſtantiis exornata creatura, a Summo Creatore tanquam ſtupendi artificii machina, in medio omnium reliquorum ex manu Conditoris profectorum, ceu in illuſtri poſita, eumque in finem anima rationali prædita, ut poſt Deum propriam tanto melius perſpicere poſſit nobilitatem. At vero, non perſpicit manifeſto & clariſſime quiſpiam mortalium, & adeo neque Medicus mentis noſtræ immortalis plenam indolem ac naturam; immo etiam modum quo corpori adunita exiſtit, inque illud actuat ſi perquiras, cognitionem arcte limitatam & ſpiſſa quaſi caligine prævelatam obtinemus. Is forte defectus palmam Medicæ arti eripiet, ejus præſtantiæ aliquid detrahet? Minime vero. Quum enim omnem Medicinæ finem abſolvat ſanitatis conſervatio, morborumque propulſio; ſanus autem homo dicatur, dum partibus corporis ſua conſtat integritas, iiſque homo ita uti poteſt, ut omnes actiones cum conſtantia quadam & ſine percepta moleſtia obeat, morbus vero huic oppoſitum arguat ſtatum in homine: Hinc luculentiſſime adparet, animæ allegatione hic nihil quicquam profici, dum ultra corporis cancellos progredi neceſſe Medicus non habet, atque adeo in partium naturali ſtructura & functione cognita, morborumque plenario decurſu perſpecto omnem contineri totius Medicinæ rationem. Siquidem docet Medicina, Corpus Noſtrum eſſe Machinam ſummo Dei artificio & ſapientiſſimo or-*

dine ita conſtructam, ut motus ſtructuræ convenientes, & per hanc ſtructuræ convenientiam, qui æterni Artificis in condendo fuit ſcopus, ſimul quoque conſervationem corporis noſtri ſumme corruptibilis tuentes, omnes ejus actiones tam vitales quam naturales & animales ſecundum certum ordinem ex divino præſcripto moderantes, id eſt, ſanitati velificantes, edat. Quorum motuum naturam & leges exquiſite noſſe oportet Medicum, quo luculentius citiuſque pateat ei, quando & quantopere illi ipſi perverſi, turbati vel deſtructi ſint, unde hoc factum ſit, ubi & in qua parte potiſſimum labes niduletur, & quas proxime partes propter cohærentiam & vicinitatem malum correpturum ſit? In hoc enim totius Pathologiæ cardo verſatur, omnium morborum, immo triſtiſſimæ mortis idea recubat. Hinc motuum ſcientia adprime utilis eſt Medico, quia ex horum natura omnia ea, tum quæ circa corpus ſanum contingunt, tum in corpore morboſo, tum quæ in morborum hiſtoriis continentur, apte ſcienterque explicari debent. Et hoc eſt quod Medicorum recentiores & prudentiſſimi quique urgent, omnia ex Mechanicis rationibus deducenda ac derivanda eſſe, quum Veteres & nonnulli pauci ex recentioribus in eo maxime deliquerint, quod nunquam ad motum, qui tamen omnium actionum, formarum, effectuum ac qualitatum, tum in Phyſicis, tum in Medicis cauſſa ac fons eſt, ſed tantummodo ad materiam ejuſque adfectiones & qualitates, aut etiam ad aliud plane incognitum, ſuppoſitum & neſcio quod intelligens principium, omnem cogitationem ac mentem direxerint. Verum enim vero nobis hæc ita feliciter evenere, ut per exquiſitiorem Anatomen, quam indefeſſo ſtudio & rara diligentia ante omnium oculos præcellentiſſimi nominis Viri poſuerunt, Machinæ humanæ cognitionem adæquatam quoad partium ſolidarum ſtructuram, fluidarum temperiem, utrarumque actionem & reactionem atque reciprocum motum ex regulis & legibus Staticis, Mechanicis, Hydraulicis, Opticis, principiis Chymicis derivatam, & perſpicuis ac ſinceris Demonſtrationibus evictam habeamus; unde omnia vitia & adfectus præter naturam in corpore occurrentes facili & ſimplici deductione explicari, & medelarum, quibus debellantur, methodus atque ordo conjici & inferri poteſt. Quum pro Inaugurali Diſſertatione argumentum mihi aliquod eligendum eſſet, volui ejus philoſophandi rationis, quæ Mechanice circa Corpus Humanum inſtituitur, ſpecimen hoc, in ambitu ſuo & connexu exhibere, demonſtrando nimirum univerſam corporis vitam, quæ in certis motibus perpetuis & reciprocis ſolidarum & fluidarum partium conſiſtit, ex ipſo humani corporis Mechaniſmo ſeu potentia motrice intrinſeca & cum eo conjuncta, nec non ſtructura ejuſdem & aptitudine ad motum fluere ac derivari oportere, ut adeo vera Perpetui Mobilis imago in homine vivo præſto ſit, cujus forma, teſte Ill. Dn. Præside in Med. Rat. Tom. I. Lib. I. Sect. I. Cap. II. §. XI. *in eo continetur, ut cauſſa motum ſeu effectum producat, qui effectus rurſus ſit ſimilis motus cauſſa. Hanc autem tractationem eo ordine inſtituam, ut prius Perpetuum Mobile quid ſit, quotuplex ſit, brevibus definiam, quomodo Mechanicum ſive artificiale a Phyſico ſecedat, indigitem, deinde quod in homine vivo ceteriſque animalibus omnino lateat, adfirmem, & quomodo illud cordis motus, ſanguiniſque circularis progreſſus & hinc dependentes ſecretiones, ſecretio imprimis liquidi nervei* ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ *ejuſque in nervos influxus pleniſſime abſolvat, evincam. At æternus ille & primus, quotieſcunque in univerſo mundo motus perficitur flexo genu adorandus motor, mihi ſummam ipſius & ſtupendam ſapientiam in artificioſo hoc Animali Perpetuo Mobili pleniſſima luce radiantem e longinquo quaſi & præſtricta oculorum acie reſpicienti, Gratia Sua cœleſti adſit, huncque laborem in Sui honorem proſpere ſuccedere jubeat clementer.*

§. I.

Scientias arteſque humanas ad tam altum & eminens culturæ ac perfectionis ſuæ faſtigium evectas, ſi quis accuratiori indagine conſideret, illi perſpicere licebit, ad unam eas omnes in ſui origine ex ſedula & penitiori contemplatione quam mortales priſtini inſtituerunt circa res naturales, earum proprietates & effectus, earundem determinatam ad ſe invicem relationem, & ubi concurrunt actionem & reactionem mutuam, vocata ſimul in ſubſidium ea qua homo pollet ratiocinandi & ex veritatibus notis ignotas perveſtigandi facultate progenitas & fundatas fuiſſe, atque ex hoc humili ortu ad auguſtum illud & elatum cacumen, quo hodie conſpiciuntur, excreviſſe, adeo ut hæc meditatio in vulgatum abierit proverbium: humanam artem eſſe ſimiam naturæ. Etiamſi enim alia taceam, quandoquidem per ſingulas diſciplinas eundo id commonſtrare, licet facile foret, prolixum tamen nimis & a ſcopo meo alienum: Vel ſola Mechanices ſcientia, quæ de motu, ejus natura & inſtrumentis tractat, locupletem hujus rei teſtem ſeſe exhibet. Etenim quum cardo Mechanices in legibus motus explicandis, & inſtrumentis quibus ſecundum has leges motus fiunt enumerandis potiſſimum verſetur: Certe has leges prius ſciverint, neceſſe eſt, quam eaſdem ad varias Machinas adplicare & harum tandem beneficio motum vel cum compendio virium & diſpendio temporis, vel compendio temporis & diſpendio virium producere, potuerunt. Hæ vero ipſæ leges motus non alio certe modo mortali generi innotuerunt, quam dum accurate & diligenter ad modum rationemque, qua in ſingulis corporibus motus & adeo omnes

omnes rerum naturalium operationes fiunt, attenderunt Philoſophi, & hinc tandem intellexerunt certis legibus velut ac regulis omnem motum adſtrictum eſſe, quarum præcipuæ & cardinales quaſi ſunt ſequentes: Corpus, quod movetur, ab alio moveri; corpus in motu poſitum motum obviis corporibus, ſi molis non ſint ingentis, communicare; & denique, corpus in motu poſitum in motu ſemper perſiſtere, donec motum alteri corpori communicet; & aliæ plures quæ ex his commode derivantur.

§. II.

At nec hic ſubſtiterunt, ſed ulterius progreſſi, hæc Axiomata & regulas univerſales ad varia corpora debita conformatione prædita, quibus motrices duæ virtutes in diverſa & oppoſita nitentes connecti poſſunt, Machinas vocata, adplicarunt; varias harum ſpecies, quinque nimirum Machinarum ſimplicium excogitarunt, ex his infinitum fere Machinarum compoſitarum numerum confecerunt, quibus omnibus potentia ſive vis motrix juvetur ad pondera, alioquin vires humanas ſuperatura, movenda, immo & motuum horum Machinalium cauſſas adſignarunt, regulas ſeu certas propoſitiones fundamentales, quæ ad omnium machinarum operationes accommodari poſſunt, ſtabiliverunt, ex ARCHIMEDE, CASP. SCHOTTO, FRANCISCO de LANIS, PAULO CASATO & FRANCISCI BAYLII *Inſtitut. Phyſic.* hauriendas, & harum ingenioſe fabrefactarum machinarum ope ſtupendos adeo effectus perpetrant, ut nullum plane tam ingens onus ac pondus eſſe poſſit, cui movendo Regulæ Mechanices non ſufficientem ſubminiſtrent rationem, dummodo materia ſemper ita reſpondeat, & reliqua, quæ poſtulantur, data fuerint. Unde ARCHIMEDEM Regi Syracuſæ mirabili, veraci tamen effato reſpondiſſe: da mihi ſtare in luna, & tibi movebo terram, hiſtoriarum monumentis relatum legimus. Poſtquam itaque tot millia artificioſiſſimarum machinarum a Mechanicis ingenioſis antiquitus pariter ac hodienum pro variis uſibus inventarum, & Mechanices rudem atque ignarum in ſummam admirationem rapientium manifeſto demonſtrent, ingenii humani & artis Mechanicæ viribus multas ſtupendas inſolitas atque ante inauditas motuum ſeu effectuum machinalium ſpecies produci potuiſſe, & plures adhuc iri excogitatum: Non potuit quin multis mortalibus in mentem venerit cogitare, annon poſt tot repertas varias mirabiles motuum & effectuum machinalium ſpecies, etiam per ſingularem machinæ cujuſdam conſtructionem & partium conformationem ac diſpoſitionem motus continuus & perpetuus effici queat? præcipue quum in plantis & animalibus talem motum vigere obſervarint, qui in quantum decreſcit atque imminuitur, tantum in dies rurſus augetur & intenditur per ſuam ipſius efficaciam; Unde quis non humanam artem, quod dixi, naturæ imitatricem agnoſcit? Et ita quidem ſuborta eſt Viris in Mechanica haud leviter verſatis cupido ac deſiderium Perpetuum aliquod Mobile mere Artificiale, quod Principium ſuum ſibi conjunctum atque intrinſecum habeat ſtruendi atque efformandi.

§. III.

Antequam autem hanc, quam inchoavi, diſputationis telam protexere liceat, neceſſe erit explicare prius, quid Perpetuum Mobile ſit, & quotuplex illud? Jam vero Mathematici, Perpetuum Mobile deſcripturi, ſemper ad Machinas Artificiales reſpiciunt. Sic P. FRANCISCUS de LANIS *in Myſterio Nat. & Artis T. I. Lib. 8. C. I. propoſ. I.* Perpetuum Mobile ita deſcripſit: Perpetuum Mobile eſt Machina, quæ motum producere debet, qui ex vi diſpoſitionis Machinæ, ſive corporum gravium aut levium, arte quadam effectæ, ſi ſemel incipiat, debeat perpetuo conſervari, quantum eſt ex principio ſeu cauſſa prima movente, donec ratione materiæ corruptibilis Machina deſtruatur. Hæc vero definitio, præterquam quod ſoli Perpetuo Mobili Mechanico, ſeu arte humana producendo competat, dum ex vi motrice corporum gravium aut levium ſola derivatur, qua non datur alia potentia aptior ad Perpetuum Mobile Mechanicum (§. 7.) in eo etiam reprehendenda eſt, quod non clare exprimat, hanc ipſam vim motricem ſeu hoc ipſum motus principium neceſſario debere eſſe intrinſecum & Machinæ conjunctum. Nobis autem hic definitio deſideratur Perpetui Mobilis, quæ generalis ſit, & omnia corpora perpetuo mobilia tam naturalia, i. e. arte infiniti terrarum Creatoris producta, quam artificialia, quæ humana ars effingere a multis inde temporibus, etſi fruſtra, annisa eſt, ſub ſuo ambitu comprehendat; cui rei, ergo magis quadrabit ita Perpetuum Mobile definire: quod ſit Machina compoſita, cujus principium movens internum & ipſi Machinæ conjunctum, ex natura ſua, ſine diminutione virium, donec Machina deſtruitur, ita continuatur, ut perpetuo ex quiete in motum ſe reſtituere ſine auxilio externo poſſit.

§. IV.

Ut porro adæquata etiam evadat Idea Perpetui Mobilis, diſtinctam ideam enim in ipſa definitione (§. præced.) formavi, neceſſe erit, terminos ſingulos in definitione adhibitos ulterius explicare. Genus erat Machina compoſita. Machinam autem, præeunte ILL. DN. PRÆSIDE *in Med. Rat. Syſtem. Tom. I.* voco Corpus ex variis partibus ſingulari artificis ingenio inter ſe unitis, conſtructum, eo conſilio, ut certos ac ordinatos motus (addo, circa centrum motus) producat; Seu omne corpus quod ſtructuram habet motui locali inſervientem. Hæc enim etiam definitio non ſolum Machinis, quæ in Mechanices doctrina explicantur, ſed omnibus naturalibus quoque Machinis competere debet, quales ſunt omnia corpora naturalia, quippe ſtructura & vi motrice prædita. Structura vero eſt modus, quo actu diſtincta, quæ ſeparatim a ſe invicem exiſtere poſſunt, inter ſe ſunt unita. Machinam autem compoſitam quando Perpetuum Mobile appello, ſub hoc termino ea Idea mente reſidet, quod ſit, quæ per inſtrumentorum Mechanicorum ſeu Machinarum ſimplicium certam ac debitam conjunctionem, motum circa centrum motus producit. Quum itaque τὸ eſſentiale machinæ compoſitæ in eo verſatur, ut machinarum ſimplicium tanquam partium ejus certa & ſpecifica conjunctio ac combinatio debito modo & ordine, unde ſtructura emergit, illæſa atque illibata maneat: Hinc illa partium machinæ harmonia intelligitur, quæ principalis machinæ compoſitæ proprietas & character eſt, qua nimirum, ſimulac vel unica pars machinæ compoſitæ læditur vel disjungitur, & extra ſitum nexumque ſuum diſlocatur, ſtatim per totam machinam & omnes reliquas ejus partes hæc ſe diffundat vel uni parti illata læſio & irregulares motus introducat; Si enim motus machinæ convenienter ejuſdem ſtructuræ fiunt, neceſſario alterata ſtructura, etiam motus alteratur; atqui vero verius eſt prius, ergo & poſterius. Jam demum quid machina ſimplex ſit explicaſſe juvabit. Machinam ſimplicem Mechanicæ

periti deſcribunt, quod ſit omne id quod ad motum producendum vel virium vel temporis compendio conducit. Quum vero machina reſpectu varii quem præſtat uſus vel Mechanica, vel Hydraulica, vel Aerometrica, vel Acuſtica, vel Optica &c. eſſe poſſit: ex iis potiſſimum machinæ Hydraulicæ terminum, quo ſæpe numero infra utar, explicari neceſſe erit; nimirum machina Hydraulica ea eſt, in qua fluida preſſione & impulſu per varii generis tubos pelluntur varioſque adeo effectus producunt.

§. V.

Ex hac ſuppeditata (§. 3.) definitione Perpetui Mobilis prono alveo & ſua quaſi ſponte fluit, ad Perpetuum Mobile non ſufficere, ſi per aliquot menſes, immo annos, motus machinæ beneficio principii inſiti moventis continuaretur: Sed motus debet per naturam principiorum ſuorum motus non poſſe deſinere, niſi per cauſſam externam ſuperiorem, aut per deſtructionem ipſius Machinæ, ſive partium ejus. (§. 4.) Neque vero altera ex parte tantum a Perpetuo Mobili expoſci ac requiri poteſt, ut nullum motus ſui perennantis & ſemetipſum reſtituentis habeat terminum, adeoque hic motus qui per ſe continuus, & perpetuus eſt, in æternum duret; per motum enim perpetuum non intelligo æternum aut infinitum: Namque tale perpetuum mobile in ſublunari hoc mundo non datur, cum omnes communi ore & conſenſu Philoſophi profiteantur, quod nihil ſub ſole æternum. Poteſt itaque principium movens, quoad durationem materiæ, quæ eſt permanentia in eodem ſtatu, tempore abſumi, attritu non evitando confici, impedimentis ab extra in motu ſuo ſupprimi, etiamſi vel maxime talis Machina actu exiſteret, cujus principium intrinſecum movens ex ſua natura ſine diminutione virium ita continuaretur, ut perpetuo ex quiete in motum ſe reſtituere ſine auxilio externo poſſit. (§. 3.) Utrum autem tales Machinæ actu exiſtant, & quæ illæ ſint vere hoc titulo dignæ, ſequentibus dilucidius patebit, homines ceteraque omnia animalia nimirum viva, ſecundum rubricam Diſſertationis: Quis autem negare auſit hæc corpora naturalia ex impedimento & abſumtione, non quoad motum ſuum perpetuum, quem tantillum hic ſupponere liceat, donec infra demonſtratus ſit, ſed quoad conſtitutionem materialem deſtrui poſſe; mors profecto, quæ æquo pede pulſat divitum domos pauperumque tabernas, triſti quotidie & funeſto ſpectaculo hæc evincit. Porro non ad perpetui mobilis requiſita & proprietates pertinet, ut ſponte motum ſuſcipiat, vel ſemel in motu perfecte impeditum quieſcere nequeat; impulſu enim perpetuum mobile eget prius, quam motum ſuſcipit, uti & ſemel in motu ſuo perfecte impeditum, ſine ulla alia remora, per ſe in quiete perſtat ac permanet, donec initium motus ab impulſu externo iterum fiat.

§. VI.

Utor paſſim termino motus perpetui & continui, ne autem ullam vocem loquar, cujus ideam non determinaſſem, fas erit hæc explicare. Equidem quilibet motus per ſe perpetuus foret, niſi cauſſæ externæ inevitabiles præſto eſſent, quæ tanquam reſiſtentiæ eum ſenſim ſenſimque debilitarent imminuerentque, tales ſunt reſiſtentia aeris, attritus Machinarum & alia. Hinc quum motus in tantum decreſcat, in quantum aliis corporibus communicatur, ut adeo neceſſe ſit, pro ratione horum motus decrementorum accedere nova motus incrementa, ſi motus debet eodem gradu, quo incepit, continuari; hæc vero incrementa, quoniam non niſi per novam potentiæ acceſſionem effici queunt: hinc motus perpetuus eſt motus cujus principium movens ſeu potentia motrix ita coordinata eſt, ut ſemper ſemet ipſam reſtituere poſſit, & hinc oritur motus continuus, quippe qui conſtanter iiſdem viribus ſine nova potentia accedente externa continuatur. Quum igitur τὸ poſſe motum ſemet ipſum reſtituere ſit eſſentiale perpetui mobilis (§. 3.) hinc motus perpetuus neceſſario ineſſe debet perpetuo mobili. Motum vero hic intelligo localem, qui eſt ille motus, quo corpus quodcunque ſuum mutat locum per cauſſam mutationis ſive per potentiam, vid. G. G. Leibniz *in Theoria motus p. m.* 14. Potentia denique aut cauſſa movens, ſive principium movens & vis motrix, eſt vis quæ motum localem producit, ſeu quæ corpus locum ſuum mutare cogit. Reſiſtentia e contrario eſt, quodcunque vi motrici ſeu potentiæ in movendo reſiſtit. Quum itaque perpetuum mobile perpetuo ex quiete in motum ſe reſtituere poſſe debeat, (§. 3.) hinc potentia movens intrinſeca & machinæ conjuncta, quæ poſtquam actuavit in quietem recedit, fit hoc ipſo, reſiſtentia, & quia potentia movens ſe debet reſtituere poſſe (§. citat.) hæc reſiſtentia fieri debet nova poſtmodum potentia movens, ſeu quod idem eſt, cauſſa motum ſeu effectum producere debet, qui effectus nova deinde ſit cauſſa novi ſimilis motus ſive effectus, & ita porro per circulum, in quo Ill. Dn. Præses rationem formalem perpetui mobilis collocat, (loc. cit. in Procem.)

§. VII.

Dividunt Perpetuum Mobile in tres ſpecies, ſcilicet in Phyſicum, Phyſico-Mechanicum & Mechanicum; de his tribus ſpeciebus vid. Becherus *in ſtulta ſapientia* §. 4. *p.* 157. ubi prolixius hæc ediſſerit. Ego autem in hac diviſione probanda non operoſe laborabo, quum communia Mathematicorum principia ſecuturus hæc non ex inſtituto excutiam, ſed ordinis ac nexus gratia quaſi in tranſitu attingam. Perpetuum Mobile pure Mechanicum ſeu artificiale apud Fr. de Lanis ita deſcribitur: Si Artifex mediante ſola corporum gravitate vel levitate, vel dixeris mediante impetu, nulla alia naturali motione in auxilium adſerta, motum in ipſis corporibus perpetuare poſſit, qui a natura non dependet. Schottus *in Technica curioſa Lib. VI. C. XI. p. m.* 408. inquit: Perpetuum Mobile eſt cujus principium movens pure artificiale eſt, ipſique mobili conjunctum & quaſi intrinſecum. Tali ergo, machinæ inveniendæ atque excogitandæ magni & exquiſiti innumeri Viri tantam operam navarunt, tot ſumtus, labores, attamen ſine exoptato ſucceſſu impenderunt, ut hoc ipſum Perpetuum Mobile Mechanicum perpetuum ingeniorum tormentum recte nominaveris. Equidem quid ad Perpetuum Mobile Mechanicum Artificiale requiratur, jam inveſtigarunt rerum Mechanicarum periti, nimirum quod fieri debeat ex Axi in Peritrochio cum tympano, & rota artificiali, vid. Orfyreum *in Perpetuo Mobili triumphante p.* 22. quod habere debeat potentiam conſtantem, adeoque punctum quietis invenire non debeat, exin etiam quod non per Elaterem & alias quaſcunque potentias, uti ſunt animantia bruta, quia hæc perpetuo ſe movere omnium conſenſu non poſſunt, ſed aliquando ut quieſcant neceſſe habent, non per aerem & ventum, quia hi æquali & perpetua agitatione non gaudent, hincque ad continuum & ita ad perpetuum motum inſuffi-

ſufficientes ſunt, non per ignem, quia is materia inflammabili abſumta ſponte evaneſcit, ſed per ſolam corporum gravitatem fieri debeat, quia corpora ſemper gravitant, vid. JUNCKNICKELII *clavis Mechanica p. m.* 42. & 237. adeoque per impetum; quod in Perpetuo Mobili pondera, in uno latere deſcendentia, in latere altero ad eandem altitudinem, qua prius deſcenderant, aſcendere debeant, quod hæc pondera licet æqualia & æquali diſtantia a centro ſint, in uno tamen latere ſemper ſuperpondium invenire debeant, adeoque magis gravitent quam in altero, & alia: Ex quibus unuſquiſque, qui vel primis labiis Mechanicam deguſtavit, ſatis intelligit, hæc requiſita præcipue poſterius dari nunquam poſſe, cum ſit contra principia & conceptum libræ, quippe impoſſibile eſt æqualibus potentiis & æqualibus diſtantiis ſuperpondium acquirere. At vero hæc quæ adduco hiſtorice tantum tractans minime hic ſollicitus ſum de probatione, quod Perpetuum Mobile Mechanicum ſive mere artificiale ad ἀδύνατα reperta ſit referendum, quum ſufficienter & perquam ſolide ſeptupla Mathematica methodo concinnata demonſtratione impoſſibilitatem perpetui mobilis Mechanici, in peculiari Diſſertatione ſuper hoc argumentum Lipſiæ habita, comprobavit & adſtruxit Vir in Scientiis Mathematicis ultra mediocritatem doctus DAVID GOTTLOB DIEZ, cui plurimi quoque alii ex noviſſimis Doctiſſimiſque Mathematicis aſſentiuntur in adfirmanda perpetui mobilis mere artificialis impoſſibilitate.

§. VIII.

Oſtendit laudatus iſte Autor, principia Mechanica, hactenus reperta & tradita non ſufficere ad mobile perpetuum conficiendum ac ſtruendum, & ſecundum hæc illud ipſum impoſſibile pronunciat, quatenus cum principiis Mechanicis, prout jam ſunt & a Mechanicis cognoſcuntur docenturque, pugnat, ex quibus tamen procedere deberet, ſi quis illud efformare mente conceperit. Cumque hoc ipſum perpetuum mobile Mechanicum noſtra ætate a quibuſdam pro ſuperato habeatur, imprimis quum ſatis notum ſit, quoſnam motus perpetuum mobile ORFYREI excitaverit, qui ſibi ejus inventionem non ſine multorum plauſibus tribuit: Hinc ſingulas Machinas unquam pro perpetuis mobilibus celebratis & venditis percurrit, perpetuum mobile nimirum Baſileenſe, cujus Autor JEREMIAS MITZ Baſileæ, Perpetuum Mobile per globulos in loculamentis rotitantes, Perpetuum Mobile a SCHEINERO circa terræ centrum effictum, horumque ſingulorum impoſſibilitatem, quod nil minus & quidvis aliud potius ſint, quam perpetua mobilia demonſtrat; tandem etiam perpetuum mobile ORFYREANUM ex deſcriptione ejus propria æſtimatum impoſſibile eſſe addit, duplici ſubducta demonſtratione. Unde apparet hactenus poſt tot diſcuſſiones, machinamenta, per tot denique ſumtus, ingeniorum diſtorſiones pro perpetuo mobili, meros abortus parturientes illos talis Machinæ inventores fuiſſe enixos, quibus & integritas defuit & vita, id eſt, ea, quæ vel maxime requirebatur, motus perpetuitas. Ita forte omnino perpetui mobilis Mechanici inventio cum reperiunda quadratura circuli & explorando lapide philoſophorum ſociata eo redibit, ut niſi oleum operamque perdidiſſe quis voluerit, ſatius foret, a propoſito plane abſtinere & aliam ad nominis celebritatem felicioremque anquirere viam. Etiamſi enim quilibet motus per ſe perpetuus foret, niſi alii corpori communicaretur: (§. 6.) tamen in hoc rerum ſtatu, dum non evitari poteſt, quin motus cœptus cum aliis corporibus communicetur, perpetuus motus non hoc pacto fieri poterit, quippe obſtant reſiſtentia aeris, attritus machinarum &c. (§. cit.) quæ omnia ut perpetui mobilis inventor removeat neceſſe eſt, aut ſi hæc motus decrementa reſarcire & compenſare velit in perpetuo ſuo mobili, id non aliter fieri poſſet, quam per novum rurſus perpetuum mobile.

§. IX.

Altera Perpetui Mobilis ſpecies eſt Phyſico-Mechanicum, quod, uti nominis vis indicat, a cauſſa naturali ſimul & artificiali motum ſuum perpetuum (§. 6.) habet. P. FRANCISCUS de LANIS l. c. C. I. prop. 3. illud ita deſcribit: Motus naturali artificialis perpetuus eſt, ad quem efficiendum præter naturalem impetum, ſive momentum corporum gravium & levium, quibus conſtat Machina artificioſe conſtructa, advocatur in auxilium motus aliquis naturalis, ita tamen, ut artifex non cogatur illum expectare. Motus naturalis eſt motus cujus cauſſa eſt naturalis, id eſt, ex corporis moti natura per ſe fluens. Sane ii, qui de Perpetuo Mobili Mechanico deſperarunt, hoc ipſum tamen Phyſico-Mechanicum vel admiſere, vel poſſibilitati adfine judicarunt. Tale CORNELIUS DREBBELIUS *in Epiſtola ad Regem Magnæ Britanniæ Jacob. VI.* ſemet inveniſſe jactitat, confer. PASCHII *Inventa nov-antiqua C. VII.* §. 44. *p. m.* 698. BECHERUS quoque *in ſapienti ſtultitia* ſe Perpetuum Mobile Mechanico-Phyſicum inveniſſe aſſerit, cujus Iconiſmum SCHOTTUS *in Technica curioſa* exhibet; Et FRANC. de LANIS etiam diverſa Perpetui Mobilis Phyſico-Mechanici exemplaria recenſet, quæ peculiari examini ſubjici poſſent. At vero nec de hac, neque de priori Perpetui Mobilis ſpecie, ſermo mihi eſt, quando in Titulo Diſſertationis de Perpetui Mobilis Idea in homine vivo reperiunda, loquor.

§. X.

Ergo tertia ſpecies eſt Perpetuum Mobile Phyſicum, quod ſolo motu naturali producitur, quid vero motus naturalis ſit, ſupra (§. præced.) dictum eſt. Exempla talis Perpetui Mobilis Phyſici omnia animalia, dum vivunt, exhibent pleniſſime, quippe in quibus cernimus motum in prima generatione conceptum ita ex natura & ſtructura eorum continuari, ut animal finibus ſuis conformiter perpetuo agat; quare animalia vera Perpetua Mobilia ſunt. Et hoc quidem erit, quod prolixius & penitius perveſtigare, iis quæ ſequuntur paginis animus eſt, probando argumentis evidentibus, veram Perpetui Mobilis Phyſici in homine, qui inſtar omnium animantium eſt, vivo deliteſcere Ideam.

§. XI.

Sicuti vero quæ dicta hactenus ſunt, Perpetui Mobilis tam hiſtoricam quam realem explicationem involvunt: Ita reliquos Thematis mei terminos brevibus dilucidaſſe juvabit, licet illud haud obſcure, ni fallor, poſuerim. Hominem, ſepoſita illa lippis & tonſoribus nota, nec ſatis diſtincta, neque ſufficienter adæquata & determinata definitione, quod nimirum ſit animal rationale, rectius definio, quod ſit ſubſtantia per Creatoris ſapientiſſimum & benigniſſimum placitum ex duabus diverſiſſimis ſubſtantiis, anima ſc. humana immortali finita & corpore Organico humano compoſita, quarum ſubſtantiarum prior libera & efficaci ſua voluntate certos

in

in poſteriori motus, & poſterior viciſſim ſuis motibus certas in priori Ideas & paſſiones excitare poteſt. Quam diu itaque hæc unio utriuſque partis ſeu ſubſtantiæ inter ſe diſtinctiſſimæ, perdurat, tam diu homo dicitur: poſtmodum corpus humanum cadaver evadit & anima ſui juris facta ſeparatim exiſtit. Subſtantiam eſſe ens quod exiſtentiam habet per ſe, Ontologiæ ſtudium docet. Notanter autem dicitur per ſe, quod non perinde eſt ac a ſe, nam quicquid exiſtentiam habet per ſe, illud eam aut a ſe, aut ab alio, habet, inde diviſio ſubſtantiæ emergit in creatam & increatam, hoc loco priorem intelligi, nemo neſcit. Anima humana eſt Spiritus cum corpore Organico unitus, eique conformiter agens, quam diu eidem junctus exiſtit, nam per mortem ſeparatim exiſtit. Spiritus autem eſt ſubſtantia intellectu atque voluntate prædita. Per corpus denique Organicum humanum intelligo partem hominis materialem viſibilem, ex variis partibus modo ſapientiſſimo inter ſe coagmentatis & coalitis mechanice & ad certos motus ſubeundos conſtructam, vita propria donatam, & certarum animæ operationum Organon conſtituentem.

§. XII.

Pervolvimur ordine nunc ad quæſtionem quid homo vivus ſit? Ad hanc nihil juvat reſpondere, vel mentionem facere commercii & conjunctionis animæ cum corpore, hæc enim nihil inducit, quam ut homo ſit homo (§. præced.) non autem diſtincte explicat, quibus notis dignoſcatur homo vivus. Notum quoque ex Phyſiologicis eſt, commercium illud corporis cum anima ſubſiſtere per functiones cerebri ſtricte ſumti in nervorum inde progredientium, immo etiam cerebro prorſus deſtructo & exemto, vitam in animali nihiloſecius utcunque continuare. Deinde probabile eſt & fere demonſtrabile, Machina corporis totaliter deſtructa, animam illud ſtatim relinquere: finis enim unionis animæ cum corpore eſt, ut illa per hoc actuet, quando autem ſtructura corporis, imprimis cerebri, per quod anima actuat in ſuum corpus, ex labe quadam eminentiori in aliqua ad vitam neceſſariarum partium hærente, eo uſque eſt immutata & deſtructa, ut per illud anima porro actuare nequeat, hinc ne ulterius ſine ratione ſufficiente corpori juncta ſit, ab eo ſecedit. Vitam adeo & mens & corpus ſuam propriam habet, immo & totum Compoſitum ſua gaudet vita, in definitione hominis (§. præced.) explicata; quando autem de homine vivo ſermo eſt, quatenus mortuo contra opponitur, tunc vitæ ſigna in corpore ſolo quærenda ſunt: anima enim immortalis eſt & plane mortis perpetiendæ neſcia; neque mors ullis aliis ſignis prodit, quam ex quibus corpus deſtructum enormiter eſſe, cognoſcitur. Si itaque inquirimus, quibus ex notis mortuum hominem eſſe judicamus, ex earum enim intelligentia homo vivus quid ſit pateſcet, quum oppoſita juxta ſe poſita magis illuceſcant: Inveniemus tunc hominem mortuum dici, quando functiones omnes ceſſant, præcipue quando cor & arteriæ non amplius pulſant, reſpiratio prorſus deſiit, nullus in corpore calor amplius obſervatur, illudque putreſcere incipit, neque cordis, arteriarum & pulmonum motus revocari poſſunt. Quicunque enim in ſola putredine, omiſſis reliquis criteriis rationem formalem quærunt, fruſtra ſunt, namque ſequitur ea non facit mortem, immo ne ſequitur quidem ſæpe ſtatim. Eſt ergo mors ea cordis, arteriarum & pulmonum, aut etiam earum partium a quibus horum motus pendet, nimirum cerebelli exindeque derivatorum nervorum deſtructio, ut motus humorum in iis peragi amplius nequeant; ſive plenaria circuli ſanguinis ceſſatio. Quæ quum ita ſint, uti certe ſunt, vivus homo erit & vita in homine ſupereſſe judicabitur, quam diu cor cum arteriis pulſat, reſpiratio qualiſcunque continuatur, aut ſi abeſſe videantur, revocari ad uſum utcunque poſſunt. Breviter itaque hominem vivum, eo ſenſu quo heic ſumitur, definire licebit, quod ſit, in cujus corpore ea diſpoſitio adeſt, quæ continuationi circuli ſanguinis adeoque motionibus perpetuis & reciprocis ſolidarum & fluidarum partium ex ejus Mechaniſmo dependentibus, ſufficit.

§. XIII.

Ideam vocant Philoſophi quamcunque in mente factam repræſentationem, ſeu quicquid menti obverſatur. Verum dicitur aliquid, quatenus eſt poſſibile ſeu quatenus eſt ſine contradictione, contradictio autem a Philoſophis unio oppoſitorum nuncupatur, oppoſitorum denique natura in eo verſatur, ut τὸ eſſe unius eorum deſtruat τὸ eſſe alterius eorundem. Cum itaque entium poſſibilitas, eorum quoque conſtituit eſſentiam, ſi enim ens non eſt ſine contradictione, ſane illud plane non eſt: Hinc Philoſophi veritatem non inepte per habitudinem entis ad debitam eſſentiam, vel conformitatem illius cum ejus eſſentia, definiverunt. Vera idea conſequenter erit, ſi in mente facta repræſentatio cum ipſa rei eſſentia coincidat & conveniat. Adeoque vera Perpetui Mobilis in homine vivo Idea innuet: repræſentationis in mente de Perpetuo Mobili (§. 3.) cum ipſa hominis natura, Phyſica ac Mechanica indole & conſtitutione convenientiam atque conformitatem. Quam ſi ſequentibus ſufficienter comprobaverim, titulo Diſſertationis in ipſa tractatione ſatisfactum erit.

§. XIV.

Quod itaque nulla humana ars hactenus producere revera & excogitare ac ſtruere potuit Perpetuum Mobile (§. 8.), quam impenſo deſiderio, quam ingenti labore in invenienda tali Machina deſudaverit; Quod neque propter vetantem impoſſibilitatem ex pugna cum principiis mechanicis mortali generi hactenus cognitis fluentem (§. cit.) ulla unquam humani ingenii acies per ventura ſæcula inventabit forte aut deteget: Ejus vero completam & diſtinctam in omni vivo animali Ideam, adhibita ea, quæ par eſt attentione atque induſtria, perſpicimus.

§. XV.

Quod autem hominis tantum vivi in Diſſertationis rubro poſuerim terminum, id ideo factum, quia homo præ ceteris animantibus longe abſolutiſſimus, tantum multis perfectionis gradibus, ſi corpus reſpicias, ſi vero mentem rationalem, infinitis Paraſangis, a reliquorum animalium, quadrupedum imprimis familia differt; deinde quoniam ſolus homo Medicinæ objectum conſtituit, unde hæc etiam dignitatis ſuæ & Nobilitatis mutuatur præclarum argumentum; demum quod pleraque quæ de humani corporis Mechanica & ad motum continuum perpetuumque (§. 6.) fabrefacta ſtructura (§. 32-54.) dicentur, ad brutorum perfectiora etiam mutatis paucis mutandis adplicari poſſunt; reliquorum vero quadrupedibus inferiorum perfectione animantium diverſitas multa variaque occupatum me non

tenet;

tenet; talis eſt ex. gr. in Amphibiis, quod circulum ſanguinis concernit, differentia a Du Verney in Teſtudine adnotata, aut in pennatis ac volatilibus circa chyli iter & vias ab Harveio, Brunnero, Consentino, aliiſque accepta, aut reſpectu aliorum in aliis per Anatomiæ comparativæ ſtudium in Marc. Aurel. Severini *Zootomia Democritea*, Gerh. Blasii *Anatome animalium*, Joh. Jacob. Peyeri *Obſervat. Anatomicis*, *Lutetiæ Pariſiorum Mémoires pour ſervir à l'Hiſtoire des Animaux*, Mich. Bernh. Valentini *Amphitheatro Zootomico*, & paſſim *in Ephemeridibus* tractatum, innoteſcens diſcrimen. Etiamſi itaque quorundam animalium in ſtructura quædam animadvertatur diverſitas, in omnibus tamen ad motum perpetuum continuumque diverſimode effectam ſtructuram conducere, immo eundem producere, teſtatum facit ea, quæ in omnibus & ſingulis vel minimis animalculis viget ac perennat vita.

§. XVI.

Quum itaque Categorica enunciatione aſſerui, veram perpetui mobilis in homine vivo (§. 14.) ſicuti in reliquis animantium omnibus (§. præced.) deliteſcere Ideam: Hinc ut ordine quæque ſuo proſequamur, in probatione hujus aſſerti de generico vocabulo primum erit diſpiciendum: Machinam enim pro genere perpetui mobilis definivi, (§. 4.) adeoque, utrum hominis vivi corpus Machina reapſe ſit, & qualis? exin utrum hoc titulo ſine crimine & religionis violentia ſalutetur, explorandum.

§. XVII.

Quoſque ut felici ſucceſſu pertingam, curatiori & attenta eorum quæ Anatomes egregium ſtudium docet, & ſanæ rationis judicium dictitat, adnotatione opus erit vehementer. Eſt ſane generaliſſima hæc partium corporis Idea, quod totum quantum humanum corpus ex partibus ſolidis ſeu firmis & fluidis conflatum exiſtat; omne, quicquid per Anatomiam detexeris, oculis & inſpectione oculari uſurpaveris, perquiſiveris in corpore, vel ad fluidum referri poterit, vel ad ſolidum. Et ſunt viſcera omnia, omneſve, quaſcunque nominaveris, corporis humani partes aliud nihil quam ſolidorum & fluidorum variæ combinationis texturæ artificioſiſſimæ, de quo mox infra dilucidius & diſtinctius dicetur.

§. XVIII.

Partes in relatione ad totum conſiſtunt, & vocantur numero plura, quæ ſimul ſumta unum efficiunt; hinc reſpectu partium vocatur totum id, quod omnes habet ſuas partes. Solidum, ita definiente Pitcarnio, eſt corpus omne, cujus partes mutuo & naturaliter cohærentes a ſe invicem non facile recedunt; concipias ex. gr. maſſam quandam compoſitam ex minoribus ſub una ſuperficie partibus adeo firmiter cohærentibus, ut dato certo motu facilius tota maſſa moveatur ſimul, quam partes ejus ſeparentur. Fluidum contra eſt corpus omne, cujus partes minimæ externos ſenſus & in pleriſque microſcopium etiam aciem fugientes, ſupra ſe & juxta ſe mutuo ita lubrice moventur, & tam parum cohærent, ut eodem motu facilius ab invicem ſeparentur, quam una ſimul moveantur. Idem plane innuunt, qui Fluiditatem deſcribunt, quod ſit continuitas ſeu cohæſio Phyſica corporis tam laxa, ut motus gravitatis particularum, ex quibus corpus conſtat, ipſum illum cohæſionis motum ſuperet; ſoliditas e contratio ſit continuitas ſeu cohæſio corporis tam valida, ut motum gravitatis particularum, ex quibus ipſum corpus componitur, vincat. Et hæc eſt fluidi æque ac ſolidi Idea generalis & genuina. Ergo hic vocabulum ſolidi non tam ſtricte ſumitur, ut in phyſicis: Scimus enim omnia fluida ſi accurate loquendum, habere partes ſolidiſſimas, & quo magis corpus eſſe politum, atque quo paucioribus præditum poris, eo ſolidius exiſtere; ſed ita accipio uti in phyſiologia Medica explicatur, ubi ſolidæ partes vocantur quæ fluida in noſtro corpore ambiunt, & quæ cohærent inter ſuas partes, ut haud facile preſſioni cedant & diſſolvantur. Solidæ enim partes rurſus in Similares ſive ſimpliciores, & Diſſimilares ſive compoſitas aut Organicas dividi ſolent. Ad ſimilares ſi recte loqui velimus, non niſi fibræ pertinerent, ex quibus omnes reliquæ partes mirabili artificio ſunt compoſitæ (§. 29.); attamen latiori & ſano ſenſu Anatomici etiam huc referunt omnes partes ſequentes ad ſenſum quaſi ſimplices ſive ſimilares, i. e. reliquis Organicis, ut digito, manu, corde, pulmone &c. ſimpliciores: dum illæ, licet non ubique omnes, ad harum compoſitionem concurrunt. Tales ſunt: Arteriæ, Venæ, nervi, membranæ, ligamenta, muſculi, tendines, pinguedo, vaſa lymphatica, vaſa lactea, ductus excretorii, oſſa, cartilago, ungues, pili, glandulæ; reliquas partes ſolidas ad diſſimilares ſive organicas referunt: eaſque rurſus in nobiliores & ignobiliores dividunt, prout majorem aut minorem neceſſitatem ſive uſum ad vitã obtinent. Alia partium ſolidarum eſt contemplatio, ubi diſpicitur, quales ex iis in Corpore humano ad varia motus compendia, functionumque congruum exercitium, inſervientes Machinæ ſeu Inſtrumenta fabrefacta ſunt, qua de re mox pluribus. (§.22.& 23.)

§. XIX.

Harum ergo duplicis generis partium fluidarum nempe & ſolidarum tum ſtructura tum aptitudo ad motum omnem complebit meam tractationem, ſi ex his primo machinæ exiſtentia demonſtrari poterit, in quo jam laboro, deinde omnes in corpore vivo contingentes actiones vitales æque ac naturales per vires motrices mere mechanicas & ſemet ipſas reſtituentes, adeoque motum continuum & perpetuum (§. 6.) efficientes, deduci, quod ulteriores Diſſertationis paginæ, ni fallor, præſtabunt. Sicuti vero itidem infra pateſcet, minime ſolida ſine fluidorum actione & peculiari craſi ac mixtura, neque fluida abſque debita ſolidorum mechanica ſtructura eos effectus motumque perpetuum, qui vita audit, maximeque noſtræ conſiderationi ſubjicitur, efficere atque edere poſſe: Ita utriuſque generis ſolidarum æque ac fluidarum partium pari paſſu & amico connubio, neque cum alterutrius eminentiori præ alterutro genere neglecta prærogativa, inſtituere fas eſt contemplationem, quod adprime notandum. In eo enim maxime deliquerunt veteres, quod omnem ſolidorum theoriam negligentes plane, per ſolam fluidorum doctrinam explicare anniſi fuerint quæcunque occurrentia phænomena. Exinde quid mirum, quorum palato fluidorum ſyſtema adeo mirifice & unice ſapiebat, quique contra ſolidorum doctrinam alto ſilentio prætenbant, eos neque ſolidi quidquam, & præter ſeſquipedalia, grandiſona verba parum calluiſſe? Inde tot fluidæ eorum facultates, calida, humida, frigida, ſicca, tot vapores diverſi, tot Salia, tot fermentationum genera, & quæ hujuſmodi ſunt figmenta alia, adeo ſtabili ſubnixa baſi, ut ſunt fluida ipſa, nullo vaſe eadem conti-

continente. At vero quum certum & exploratum ſit, dari in Corpore noſtro fluidas æque ac ſolidas partes (§. 17.), has in illas agere continuo, & illas continuo in has iterum reagere (§. 47. & 48.) has majori, illas minori elaſticitate præditas eſſe: proin ipſam rerum naturam ſequuti Medici moderni ſua ſolidis tribuunt cum pereximio ad veritates detegendas Medicas, ſolvendaque Phœnomena uſu ac ſucceſſu, nec quæ fluidis conveniunt, illis demunt, reciprocos earum oſtendunt motus, examinant & explanant, a quibus vita & ſanitas dependent. Hinc felici ſydere ſyſtema, ut vocant, ſolidorum, a veteribus neglectum, ſyſtemati fluidorum convenienter junctum & adſociatum arriſit primariis hodiernæ Medicinæ, quam ideo mechanicam vocant, antiſtitibus & ſcriptoribus optimis Cockburnio, de Moor, Hoffmanno, Præsidi noſtro & Præceptori cum pia mentis reverentia nominando, ipſi Stahlio, Baglivo, Bellino, Borello, Pitcarnio, Freindio, Stromio, Bernoullio aliiſque, quorum opera nunquam ſat admiraberis.

§. XX.

Aſt nec ſufficit ſcire, quod ſolidis & fluidis partibus conſletur omnis corporis noſtri compages: ſed altiori indagine ſcrutandum, quo demum artificio factum ſit, ut ex binarum iſtarum ſapientiſſima contabulatione machina evaſerit corpus noſtrum. Obſervatio docet, firmas ſeu ſolidas corporis partes eſſe aut vaſa coercentia humores, ut arteriæ, venæ quæ ſanguinem, vaſa lymphatica quæ lympham, alia quæ alia continent fluida, aut alia majoris minoriſve molis inſtrumenta ex meris tubulis infinito numero & artificioſe ſic facta, figurata & connexa, ut ex ſingulari hac fabrica determinati quidam motus exerceri poſſint, ſi nimirum cauſſa movens accedat. Hæc vero inſtrumenta non alia, ſed talia ſunt prorſus, quibus extra hominem in rebus artificialibus mechanice motus fieri & explicari conſueverunt. Ita enim hanc in rem ediſſerit Recentiſſimus Inſtitutionum phyſicarum conditor Francisc. Baylius: Nec enim in natura corporea ſine arte quicquam efficitur, ut merito naturæ opera Dei arte facta & machinæ eſſe dicantur, in quorum tum generatione, tum conſervatione, infinita inſtrumentorum varietate & admirando adparatu utitur natura, juxta leges, a Supremo Opifice poſitas.

§. XXI.

Jam ergo, quum corpus hominis vivi debeat eſſe machina compoſita, ex definitione perpetui mobilis (§. 3.) cum titulo Diſſertationis ſeu §. 16. collata; machina compoſita autem inſtrumentorum mechanicorum ſimplicium conjunctionem ſupponat (§. 4.): hinc ad ſimplicium inſtrumentorum conſiderationem perveniendum eſt. Omnia enim illa organa, quibus extra hominem in rebus naturalibus mechanice motus fieri & explicari ſolent, in Corpore humano facile reperias, (§. præced.) utpote in quo adſunt: *Fulcimenta*, quæ corpus grave & eo ipſo mobile ſic ſuſtinent, ut impediatur ejus deorſum motus, ſi vel concutiatur, vel ei motus quidam ſit communicatus; fulcimentorum proin vires in Corpore gerunt generatim vel oſſa omnia, ſpeciatim autem ex. gr. Aſtragalus in pede, cui ceu ſoli infimæ baſi totum corpus, truncus cum extremitatibus inſiſtit, vertebræ colli quæ caput ſuſtinent, & inter illas ea imprimis, quam Atlantem vocant; *Columnæ*, quæ ſunt fulcimenta oblonga, perpendiculariter ſubjecta, ut ex. gr. oſſa tibiæ & femoris quibus tota corporis his ſuperior pars velut firmiſſima baſi nititur, dorſi ſpina; *Trabes*, ſeu columnæ horizontaliter poſitæ, quæ impediunt, quo minus ea quæ ſunt a latere poſita collabi poſſint aut a ſe invicem recedere, huc refer coſtas, item clavicularum oſſa; *Propugnacula*, ſeu corpora dura impetus vehementes corporum externorum vel gravium vel cum impetu irruentium ſuſtinere & ſubjectas ſibi partes defendere capacia, talia ſunt ex. gr. cranium quod cerebro firmiſſimum propter figuram ſuam arcuatam ſeu fornicatam tutamen largitur, ſternum quod eſt pectoris propugnaculum; *Vectes*, quæ potentiarum mechanicarum ſimpliciſſimæ, ſed reliquarum ſimul fundamentum ſunt, conſtant linea recta inflexibili, uno ſui puncto, alii puncto immobili firmo innixa, circa quod moveri poteſt, dividuntur in heterodromos, quando nempe pondus adpenſum & potentia applicata in diverſas & ſibi oppoſitas plagas tendunt, & homodromos, quando tam hæc quam illud in eandem regionem feruntur, quorſum pertinent omnia oſſa circa punctum articulationis ſuæ mobilia, quod reſpectu hujus motus eſt immobile; *Hypomochlia*, ſeu centra quietis, circa quæ corpora ſolida moventur & punctum fixum habent, talia ſunt omnes oſſium articulationes, quippe quum in vecte homodromo ſemper hypomochlium in extremitate vectis ponitur, pleraque autem oſſa vectes homodromos conſtituunt uti dictum; jam articulationes non unum modo punctum efficiunt immobile, quod fere requiri videtur; attamen in omnibus oſſium motibus & inflexionibus punctum quoddam datur, circa quod tanquam ſuum centrum oſſium articuli volvuntur, quod quidem centrum revolutionis ratione tantum adſignari & reperiri debet, eo, quod extremitates oſſium non inſtar coni vel pyramidis, ut in mechanicis Hypomochlium vectis ſtrui ſolet, acuminatæ eſſe potuerint, ſed ad impediendam fragilitatem & luxationem, a provida natura rotundæ ſint efformatæ, quarum una convexa, altera vero ſinuoſa & concava facta, ut adeo contactus non in puncto ſed in ſuperficie ampla fieret, ſicque contuſio vitetur, fractio, luxatio. *Elateres*, qui ſunt corpora violenter compreſſa vel extenſa, in conatu conſtituta, reſtituendi ſemet in figuram ſive in ſitum naturalem; elaterum munere funguntur omnes fibræ in toto corpore, quippe quæ continuo ſe accurtare nituntur, quia ſunt extenſæ violenter, unde earum elaſticitas provenit; neque vero ſenſu incongruo ſingula ſpatiola & interſtitia humorum aere incluſo referta pro totidem elateribus habentur, qui ſimulac accedit calor, expandere ſe in majus ſpatium nituntur. *Cunei*, ſeu corpora dura ex lata baſi in ſuperficiem acutam deſinentia ea lege, ut recepto motu occurrentia obſtacula dividant & ſeparent, horum vices in Corpore humano gerunt dentes, præprimis inciſores, ubi ſimul *forficis* imitamentum deprehenditur; immo & particulas in corpore nutritionem & incrementum efficientes plane cum cuneis tam ratione figuræ, quam ratione ſingularis & enormis motus augmentationis, quam cuneum præſtare mechanica docet, convenire, mihi veroſimillimum eſt, quando conſidero, maximam ac prope incredibilem eſſe vim ſucci nutritii in partes vacuas ſucceſſive impulſi ad ſuperandas maximas reſiſtentias, quod manifeſto comperimus in plantis, quarum tenellæ radices, fiſſuris ſaxorum magni ponderis infixæ, paulatim & inſenſibiliter creſcentes, fiſſuram, non obſtante maxima ſaxorum ſoliditate ac mole inſigniter augent. vid. ill. Bergerus l. c. p. 174. *Trochleæ*, quæ ſunt inſtrumenta motui facilitando & in certam regionem a loco potentiæ (qui eſt locus, ubi adplicatur machinæ potentia movens) alienam

alienam determinando inſervientia: hujus ſingulare exemplum habemus in trochlea illa cartilaginea oculi, circa quam movetur ejus muſculus trochlearis ideo dictus, huc cenſendi etiam ſunt illi annuli & vaginæ, quando unus muſculus alterum perforat v. g. ſic digaſtricus maxillæ inferioris depreſſor ſtylohyoideum ſeu ſtylo-cerato-hyoideum, it. muſculus profundus tertiæ digitorum manus phalangæ flexor, ſublimem, qui eſt ſecundæ digitorum manus phalangæ flexor perforat, ita etiam in pede eadem horum muſculorum ratio eſt. *Præla* ſeu machinæ, quæ motum ſuarum partium conjunctim uni eidemque tertio intercepto communicant, tale eſt dura mater reſpectu τῦ ἐγκεφάλυ & nervorum liquidi ex mente Baglivii; item Diaphragma ratione viſcerum abdominis reprimendorum & conquaſſandorum, nec non tunica veſicæ urinariæ muſcularis ſeu muſculus detruſor urinæ Cowperi, membrana teſticulorum Dartos dicta, arteriæ omnes & cor, aliaque; *Folles*, qui aeris condenſati & preſſi exitu violento motum objecto communicant & ſonos cient, hujus vices gerunt pulmones; *Funes*, quales ſunt muſculi, præcipue tendines, aut omnis fibra motrix; *Cribrum*, quod eleganter refert os cribriforme ſupra nares poſitum, & ſicuti per foraminula, quibus cribrum pertuſum eſſe ſolet, plerumque ſolidi quid tranſmittitur, per filtra autem (§. ſeq.) magis fluida percolantur, ita per hoc cribroſum os etiam tranſitum ſortiuntur nervi olfactorii filamenta; hoc oſſeum in C. H. cribrum eo melius notandum, quo minus ulla volatilium proſapia eodem, pari copioſa foraminulorum ſegete efflorescente propter rationes ſufficientes gaudet, in quibus quippe unum tantum foramen in utroque latere hiat, ne forte nimia aeris copia in cerebrum avium irrueret & volatum impediret. Et plurima alia.

§. XXII.

Quæ enumeravi inſtrumenta ſeu Machinæ ſimplices uſum ſuum & motus compendium magis ad partes aliquas ſolidas redundare faciunt. Etiamſi a ſapientiſſimo Conditore uſus partium ita multiplices ſint ordinati, & nexus atque communicatio inter ſolidas fluidaſque partes ita arctus ac contiguus ſit, ut vix ullum in Corpore inſtrumentum ſolidis partibus inſerviat, quod non ſimul innumeros in fluidas partes uſus transfundat. Attamen adſunt porro etiam multiplicis generis, quæ fluidorum præparationi proxime inſerviunt. Huc pertinent ex. gr. quæ *filtra* nominant, hæc ſunt corpora flexibilia, poroſa, per quorum poros ſive obliqui ſint ſive recti, transmitti poſſunt ſubtiliora liquidi cujuſdam retentis craſſioribus, ſicuti per bibulam chartam ſeu linteaminum diverſos poros, in Pharmacia fieri aſſolet ordinario fluidorum ab invicem vel a ſolidis ſecretio & ſeparatio; ſic per renes urina, per hepar bilis, per pancreas ſuccus pancreaticus, per glandulas ſalivales ſaliva & ſic porro, ſecernuntur; at neque cum iis facio, qui ubicunque aliquid ſecerni vident, ſupponunt glandulas, ſive adſint, ſive nunquam re vera & actu adfuerint, aut etiam morboſas & præternaturales concretiones pro glandulis venditant: ſed rationis pariter dictamen, quam autopſia Anatomica, cum Demonſtrationibus magni nominis Viri Ruyschii ocularibus & manifeſtiſſimis me edocent, ſecretiones in corpore ubicunque fieri quidem per filtri imitamenta & paralleliſmos, ſed hæc proprie & adcurate loquendo aliud eſſe nil, quam canaliculos laterales extremarum arteriolarum, diametrum habentes minorem diametro orificii extremæ arteriolæ, in quos expelluntur impetu ipſius præterfluĭ ſanguinis & a tergo venientis, ſubtiliores magis minuſve partes, craſſioribus in Venulam reſpondentem tranſmiſſis, ad cor revehendis; quando autem hæc arteriola ſimul cum vena nervoque & hoc ductulo laterali ſive excretorio, in peculiaris habitus & faciei partem, propria membrana cinctam complicantur, tunc demum hoc filtrum glandula, niſi rotunda miſcere quadratis cupias, nominandum recte erit. Reperiuntur inſuper quoque in corpore *canales & receptacula*: canalium, in Machinis hydraulicis artificioſa & varia ſua coordinatione jucunda ſpectacula, & miros effectus exhibentium, vicibus funguntur tubuli omnes, arteriæ, venæ, nervi, vaſa lactea, lymphatica, ſpermatica &c. verbo omnia, quæ aliquod coercent fluidum, & ſunt iterum canales vel conniventes, vel divergentes, vel paralleli, quod arteriarum diverſæ reliquorumque tubulorum ramificationes & anaſtomoſes ſatis ſuperque evincunt; hinc quum corpus humanum totum nil ſit niſi canalium in ſingulis punctis coacervatio, exſurgit inde & pateſcit, totam quantam machinam noſtram perfectiſſimo ſenſu eſſe hydraulicam, qua de re infra pluribus (§. 26. ſeq.) Quodſi autem aliquot ejuſmodi tubulorum expandantur in ſacculum quendam per dilatationem extimæ eorundem tunicæ formatum, is *receptaculi* nomine venit, taliſmodi ſunt ſacculi ſeu cellulæ adipoſæ Omenti, Meſenterii, omniumque locorum, præcipue intra muſculos, ubi pinguedo reperibilis, quæ inſtar favi apum diſpoſitæ oleoſam ſanguinis portionem recipiunt per arterias huc delatam; quando vero loco pinguedinis ſerum ingreditur has cellulas in Cachecticis, Hydropicis, Anaſarces & in pedibus Oedematis, ſi vero vapores & flatus eaſdem petunt, Emphyſematis ratio & præſentia habetur; his etiam adnumeranda venit medullæ in oſſibus veſiculoſa ſtructura per Microſcopia detecta cum ſuis vaſis, quæ ſpinæ ventoſæ, inflammationum & ulcerum in intimis oſſibus generationem aliaque Phænomena, ſive hæc a cauſſa externa, concuſſione & læſione, ſive ab interno humorum vitio proveniant, ſolvit eleganter & explicat; Ad veſiculas porro pertinet, quando extremi Tracheæ fines in veſiculas pulmonales, opere mirabili Malpighii coronatas expanduntur; In ſplene autem humano vaſa ſanguifera in veſiculas ſeu cellulas non dilatantur ſicut in vitulis, conf. Ruyschii *Epiſt. IV. Tab.* 4. Deinde huc pertinent etiam capſulæ veſiculares cutis, in variis locis, ut in facie, naſo, labiis, circa aures, in palpebrarum tarſis, circa frontem, umbilicum, mamillarum papillas, ſub axillis, in inguine, circa pudenda, anum conſpicuæ, a Morgagni *in Adverſ. Anat.* paſſim glandulæ ſebaceæ dictæ, quæ in dignoſcendis pariter ac ſanandis variis tumoribus in illis genitis cyſticis ſeu folliculoſis dictis, magnæ ſunt conſiderationis. Saccularibus etiam expanſionibus jure adnumerantur veſiculæ illæ ſubtiliſſimæ humorem limpidum continentes, quibus totum humorem vitreum oculi conſtare demonſtravit Hovius *in Tr. de Circul. humor. in oculo.* Mentio demum *valvularum* injicienda eſt, reliqua enim taceo, quarum in omnibus machinis Hydraulicis, ad progreſſum fluidorum in canalibus promovendum adjuvandumque, maximum uſum explanavit Mariotti; ad hoc motus fluidorum compendium in humanæ machinæ tubis potiſſimum venoſis, in quibus perpendicularis & ob id tardior ac difficilior ſanguinis progreſſus plurimis adminiculis juvandus erat: frequentiſſime autem circa ramificationes venarum binæ valvulæ ita locatæ inveniuntur, ut ex minoribus ramis ſanguis proveniens, libere quidem penetrare poſſit, ex trunco vero majori verſus extremitates impediatur; adeoque ſanguinem ſuperio-

rem valvulæ ſuſtentant, ne relabi, recedere aut extrema venarum premere queat. Hanc vere utilitatem valvulas præſtare, defectus earundem in vena portæ, & hinc factus tardior ac operoſus ſanguinis ſurſum motus, inde ſequentes congeſtiones, exin fluens hæmorrhoidum ortus egregie explicat, loquitur; ubi cordis orificiis quatuor magna vaſa adpendentur, undecim valvulas deprehendimus, quarum tres ſeminulares dictæ in ſingulis arteriis, aorta nempe & pulmonali, regreſſum ſanguinis ex eiſdem in cor tempore diaſtoles impediunt, in vena cava autem tres tricuſpidales, & in vena pulmonali duæ mitrales reditum ſanguinis ex corde in venas pulmonalem & cavam tempore ſyſtoles cordis cohibent, ſapientiſſimi & mirabilis artificii in machina humana oſtenſi luculento argumento; In vaſis lymphaticis vere etiam valvulæ exiſtunt, quas quidem in dubium vocabit BILSIUS, at eaſdem oculis ſpectandas exhibuit Celeberrimus RUYSCHIUS in vaſe lymphatico crurali ex equo deſumto, aere inflato, turgido, atque exſiccato; tandem etiam in vaſis lacteis valvulas præſto eſſe ſemilunares, duplices, oppoſitas, refluxum impedientes, ſed non ita frequentes ac copioſas uti in aliis vaſis lymphaticis oſtendit idem RUYSCHIUS *in Dilucidat. valvul.* cet.

§. XXIII.

Equidem non ignoro, in Mechanica ſcientia, non niſi quinque inſtrumenta ſeu machinas ſimplices numerari, nempe vectem, axin in peritrochlio, trochleam, planum inclinatum ſeu cuneum, & cochleam; immo ex ſolius vectis natura omnes reliquas machinas ſimplices explicari poſſe, WOLFIUS *in Elementis Mechan. C. XIII.* STURM. *in Compend. Matheſeos pag.* 290. *ſeqq.* GRAVESAND *Element. Phyſ. Mathemat. T. I.* At mihi hic non Mechanicam tradere, ſed mechanicorum inſtrumentorum in Corpore Humano a Summo & Venerabili mechanicarum regularum legumque Inſtauratore & Statore factam adplicationem oſtendere animus eſt; hinc voce machinarum ſimplicium hactenus non ſenſu ſtricto uſus fui, quo ſolas has quinque machinarum ſpecies denotat, ſed quatenus a machina compoſita totius corporis, de qua plura dicenda erunt, diſtinguuntur hæc ſimpliciora ſingula inſtrumenta, ex quorum quippe artificioſa & ſapienti mechanica coagmentatione exſurgit ſtupendum illud corporis humani ſtructuræ artificium (§. 32. ſeqq.). Celebris LANCISIUS ſolida corporis inſtrumenta ſ. Organa ad tres præcipue ſpecies revocat: primo, inſtrumenta reſpirationis, ad quæ refert thoracem cum pulmonibus & muſculis reſpirationi inſervientibus; ſecundi generis inſtrumentis adnumerat cor cum adpenſis canalibus ſanguiferis; tertiam denique claſſem conſtituit cerebrum & cerebellum cum nervis inde continuatis. *in Op. Tom. I. p. 2. de mort. ſubit.*

§. XXIV.

Ne quis vero hanc corporis humani adpellationem, dum illud machinam ſaluto (§. 16.) (& idem vere machinam ex aliis machinis ſimplicioribus compoſitam eſſe probavi (§. 20. 22.) ſpeciatim etiam machinam Hydraulicam eſſe ſtupendo artificio, ex meris tubulis fluida continentibus & vehentibus ſtructam, infra (§. 26. 33.) evincam) ut novam & antiquis inuſitatam, atque adeo titulo magis ſpecioſam, quam re ipſa perfectam aut commendabilem eſſe putet, quales tamen invidioſas objectiones ſolida comprobatio omnium eorum, quæ aſſero, facile diſſipabit; is ſciat, demonſtrari haud vanis indiciis & argumentis poſſe, eam ab omni fere tempore quo ſapientia a veteribus & artis Medicæ ſcientia coli & florere cœpit, in uſu, ac priſcis adeo Philoſophis & Medicis notiſſimam fuiſſe. Taceam enim Veteres experientiæ mechanicæ peritiſſimos fuiſſe, admirandas plane machinas conficere ſciviſſe, quod cumprimis DÆDALII Tripodes aurei automati, JARCHÆ Pincernæ aurei convivis miniſtrantes, (quippe qui machinæ fuerunt ſtructuræ Humani corporis æmulæ; ſi adeo veteres ſciverunt artificium humani corporis hac machina arte facta imitari, haudquaquam, Corpus Humanum eſſe machinam, ignorarunt) ARCHITÆ columba lignea volans, HERONIS machinæ Hydraulico-Pneumaticæ, LYSIPPI, PHIDIÆ, BRYAXIS, POLYCLETI ſtatuæ, aliaque vetuſtatis monumenta teſtantur: Id tantum dicam, vetuſtiſſimum inter Medicos parentem, Corpus Humanum eſſe machinam, ſufficienter indicaſſe. Namque quando HIPPOCRATES *L. I. de loc. in homine §.* 3. præclare & cogitanter ſcribit: Si quis minimam Corporis partem male afficere velit, totum corpus adfectionem ſentiet, qualiſcunque tandem ea fuerit, propterea, quod minima corporis pars omnia habet quæcunque & maxima; *& Lib. de Alimentis* ita loquitur: confluxus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia; certe hiſce ipſis verbis præcipuum & palmarium machinæ requiſitum eloquitur, quod quippe eſt, ut partes inter ſe junctæ cohæreant atque debite connexæ ſint, ita prorſus, ut vitium unam partem afficiens, ſive cohæſionem turbans, ceteras ſtatim omnes partes in conſenſum trahat, & inde regulares motus machinæ pervertantur (§. 4.). Exinde quis non concedet, Senem hunc, ſiquidem quæ ad machinam requiruntur probe ſcivit, eademque in Corpore Noſtro ita comparata & præſto eſſe, citatis verbis ſcienter ediſſeruit, neutiquam ignoraſſe, machinam eſſe Corpus Humanum, & operationes ejus fieri per inſtrumenta & rationes mechanicas. Quod idem vero recentiores multo luculentius patefecerunt, quorum non ſatis miranda induſtria ſingulas corporis partes tam cultri quam ingenii acie, variaque Anatomicarum Encheiriſium dexteritate in minutiſſima fere, quibus conſtant, vaſcula diſſecta & demonſtrata fuere, ex quibus ad oculum cuilibet oſtendunt (liceat hic ILL. ARCHIATRI DN. BERGERI, uſurpare elegantiſſima verba, quibus in *Phyſiolog. Med. L.* 1. *C. I. p.* 7. totam corporis mechanicen ad vivum expreſſit) principium vitale in ſola partium, tanquam Elateriorum, filamentorum, funiculorum, catenularum, trabium, vectium, rotularum, ciſternarum, antliarum, canalium, cataractarum, valvularum, cribrorum & aliorum inſtrumentorum, ex quibus machina corporis, veluti organum ex mille compoſitum organis, contexitur, & adornatur, apta & convenienti diſpoſitione poſitum eſſe, a qua poſitione partium actiones, quaſcunque in corpore obſervamus, & admirari vulgo ſolemus, per neceſſitatem quandam naturalem omnes peraguntur, non aliter atque ab artificioſa partium horologii, vel automati alius, conſtructione, omnes ejus effectus proficiſcuntur.

§. XXV.

Corporis adeo noſtri tota moles ex ſolidis fluidiſque partibus conſtans, (§. 17. & 18.) quod & admiranda ejus fabrica, organorum varietas, (§. 21. & 22.) uſus, diſtinctio & ſumma concinnitas ſatis produnt, vivam quandam artificioſiſſimamque machinam hydraulico-mechanicam refert, a cujus partium motu & ſtructura ſalva & incolumi illibataque univerſum ſingularum functionum hilare & conſtans

exercitium,

exercitium, quod ſanitas audit, a contrario ſtatu autem, infenſæ morborum diræque turmæ inducuntur. Solidas enim ſi attentiuſcule inquiras & ponderes partes, in Corpore Humano eaſdem ita inter ſe eſſe unitas, deprehendes, ut hujus vel alterius notabilis læſio cum omnibus reliquis ſtatim communicetur, indeque motus regulares turbentur, & inordinati fiant: Haud ſecus ac in horologio, aliave arte humana fabrefacta machina compoſita (§. 4.) vel unici dentis in rotula vitium, aptum eſt ad motus totius machinæ inordinatos reddendos. Ex aliis magni in phyſiologia nominis & præclari Viris, ſolum SCHELHAMMERUM adducere placet, Medicum Kilonienſium Primarium, qui in edito eruditiſſimo *de Natura ſibi & Medicis vindicata Tractatu p.* 193. ita hanc in rem profitetur: Attendendum, inquit, unde illa pendeat actionum ſive operationum integritas, ſive quales ſint machinæ, quæ inſtrumenta, quibus ex præſcripta lege cuncta adminiſtrentur. Quemadmodum vero videmus, in horologio primum movens, ſive pondus illud ſit adpenſum exterius, ſive elaſtica vi prædita lamella intus alicubi abſcondita, integrum eſſe debere; deinde & rotas ſingulas, orbes & tympana, non modo ſummo artificio elaborata, verum & apte ſuſpenſa & invicem copulata eſſe, denique & pinguedine quadam oblinita, ut molliter delabantur & librentur expedite; ſic in Humano Corpore tria itidem ſunt, quorum integritas naturæ (ſeu mechaniſmi, quem is termino naturæ exprimi rectius putat mavultque contra BOYLEUM, qui nihil magis ſibi agendum putabat, quam ut exploſa notione vulgari naturæ, quæ deſcribebatur per principium motus & quietis & cauſſa omnium actionum & operationum habebatur, in ejus locum ſubſtitueret Mechaniſmi vocabulum, quo longe aptius rem exprimi poſſe exiſtimabat, ſervata tamen eadem ſub terminorum diverſitate in mente Idea) ordinem conſervat, ſubtiliſſimum puta fluidum nerveum, quod eſt veluti ſpiritus intus agens, animæ proximum inſtrumentum, movens primum in horologio referens; deinde partes, quæ motui locali ac ſenſibus, itemque viſcera, quorum admirabilis ſtructura humoribus parandis & conſtituendis dicata ſunt: & denique ipſi humores, quibus omnes perfunduntur, & calorem & lubricitatem recipiunt, apprime ad earum motum expeditiſſium præſtandum facientes. Et non ita multo poſt: Simulac vero alicui particulari corporis machinæ, quarum innumera fere ſeries totam integram univerſalem machinam componit, eique minutiſſimæ, vitium quoddam inferretur, ad reliquas omnes id per continuitatem & cohæſionem ceu circulum redundabit. Ita vero hic Graviſſimus autor innuit, quod idem (§. 16-25.) oſtendere allaboravi, non ſolum univerſum animalium corpus magnam quandam eſſe machinam, ſed etiam ſingulas ejus partes peculiares, & diſtinctas a ſe invicem, machinas abſolvere. Ita enim, præter eas quas (§. 21. & 22.) perquiſivi machinas in Corpore Humano reperiundas, oculus, ut id ſolertiſſimus STURMIUS *in Exercitatione de Viſus organo* oſtendit, perfectam cameram obſcuram, auris concham, tympanum, labyrinthum &c. cor antliam ſeu ſiphonem, vivificum ſanguinis fluidum per tubulos arterioſos ad ſolidas quaſvis partes jugiter propellentem, aut rotulam quandam machinæ animalis primariam refert, quæ reliquas quodammodo tueatur aut regat. Immo ſi ſingulorum iſtorum organorum fabricam interiorem v. g. ventriculi, inteſtinorum, arteriarum, venarum, veſicæ, hepatis, pulmonum, lienis, omnium denique membrorum organicorum miraculoſam ſtructuram, exequendo muneri ſingulorum exactiſſime ubique reſpondentem, tantillum intento oculo evolvamus; in hoc unum facile prona mente conſentiemus, eſſe mille machinas, ex quibus corpus vivens animale conflatur, & earum tam artificioſum adparatum, decentem connexionem, & in unam magnam compoſitam machinam coagmentationem, efformationem, ut media in luce is cœcutire putandus ſit, qui hic mechaniſmum, oculis & ſenſibus obvium, & ex hujus mechaniſmi ſeu reiteratione motus continua hinc perpetua, per potentiam ſemet ipſum reſtituendi atque ex quiete in novum motum proprio intrinſeco principio redeundi capacem (§. 3.); quod nempe ſequentibus demonſtratum eo; perpetuum mobile non agnoſcere velit (§. 48. 54.)

§. XXVI.

Antequam autem hanc materiam miſſam faciam, demonſtrationi inquam, quod Corpus Humanum ſit machina, manum detraham, penitius adhuc rimandum erit, qualis illa ſit machina (§. 16.). Jam quidem anticipavi Corpus Humanum ex fluidis & ſolidis partibus coagmentari (§. 17.), quorum terminorum intelligentiam ſuppeditavi (§. 18.), ſolidas partes eſſe aut vaſa coercentia humores, aut peculiarin mechanici in corpore uſus inſtrumenta, ex quorum ulteriori deductione (§. 21. & 22.) confeci, Corpus Humanum eſſe machinam compoſitam, quod erat demonſtrandum (§. 16.). Jam vero dum recentiorum Anatomicorum inventis id maxime exploratum comprobatumque eſt, horum ipſorum organorum particularium (§. 21. & 22.) ſtructuram, ſicut totius in univerſum corporis, hinc etiam omnium viſcerum, lienis, hepatis, renum, neque minus emunctoriorum, glandularum, teſtium quoque & ipſius cerebri ſubſtantiæ corticalis pariter ac medullaris, item placentæ uterinæ in totum canaliculoſam eſſe, & quod nulla corporis pars vel membrana ſit, vel etiam vas, quod non aliis minoribus vaſculis & tubullis, per quos fluida feruntur, minimis ſit inſtructa; hique canales dum totum corpus conſtituunt, diametrumque continuo imminutam & decreſcentem ſervant, hincque in ſtupendæ exiguitatis & anguſtiæ tubulos tandem producuntur, per quos varia generis fluida jugi & perenni motu circumvehuntur vel ſecernuntur: Conficitur inde, totius humani corporis machinam compoſitam (§. 16. 26.) ſimul eſſe hydraulicam (§. 4.) quod quippe ad quæſtionem: qualis ſit machina corpus noſtrum? (§. 16.) ſecundum momentum adfert. Qua ratione autem & quo ordine hæc ita contingant, diſtincte & adæquare ediſſerere me oportet, ut quæ promiſi ſupra (§. 20.) adimpleam.

§. XXVII.

Quemadmodum in machina hydraulica, fluida impulſu ac preſſione per varii generis tubos pelluntur (§. 4.); ita quoque Corpus Noſtrum aſſero, tot & tam innumerabiles varii generis & magnitudinis tubos, per quos diverſæ indolis fluida perenni & jugi motu tranſcolantur, in omni ſui puncto fovere, ut longe minimos ſi animo tibi conceperis ductulos, hi tamen ipſi licet minimi jam ſint, aliis tamen ſive ductibus ſive tubulis conſtent, quibus etiam ad ſui nutritionem indigent, hæcque diviſio ita longe lateque procedat, donec ultimi ubi diviſio terminum habet, proprio quem vehunt ſucco excreſcant, & nutriantur; conſequenter in multas centenas myriades vaſculorum dirempta ſit machina noſtra mere vaſculoſa, ſoli forſan conditori numeratas. De potentiis

tentiis enim motricibus, quibus fibræ duplici modo inſtructæ ſunt, quippe quæ quaſi vectes ac elateres ſunt (§. 21.) dum earum motu conſtrictorio & dilatatorio (§. 45) liquida indeſinenter propelluntur, poſthæc dicendi locus erit, (§. 46. ſeq.) ut ita demum innoteſcat & percipiatur illud ſtructuræ artificium, quo fit ut Machina Hydraulica, i. e. ex meris diverſis tubulis, per quos humores moventur, conflata (§. 4.) exſurgat corpus noſtrum. Jam itaque probaſſe juvabit, omnia corporis noſtri puncta eſſe vaſculoſa i. e. ex tubulis contexta varii generis, invicem communicantibus. Hos tubulos aut arteriarum, aut venarum, aut nervorum ad familiam referendos eſſe, notum eſt.

§. XXVIII.

Ex his enim triplicis generis canalibus, Arteriis ſcilicet harumque adpendicibus, vaſis nempe ſeroſis & lymphaticis, venis & nervis, omnia & ſingula totius Humani Corporis compoſitæ machinæ viſcera, immo omnes partes ſimilares perinde ac diſſimilares ſive organicas maxima ex parte eſſe conflatas & ſtructas Autopſia Anatomica teſtatur, dum manifeſto intuitu videmus, ad minutiſſimam quamcunque partem, arteriam, venam & nervum ſemper ſocio comitatu abire. Neque enim eſt in univerſo corpore particula ulla ſenſibilis, quin habeat arteriolam, ut docent vulnuſcula minima ſanguinem plorantia, qui niſi per arteriolas advectus eſſet, unde vero foret? dein microſcopia a LEUWENHOECK ſolertiſſime adhibita, ut ubique in ipſius *opuſculis* legitur, & injectiones RUYSCHIANÆ uſque in meditullia oſſium, ubi & membranæ, & vaſcula & humores, vid. RUYSCHII *Theſ. Anat.* 10. *p.* 77. *T.* 3. *F.* 2. quæ tamen omnes aortæ ſunt ramuli. Si ergo in omni puncto corporis adeſt arteriola, ſanguinem a corde ad illud abducens, ſanguis vero omnis ſuperſtes per circulum, cordis ventriculo dextro rurſus advehitur (§. 48.), erit etiam ubique vaſculum ſanguinem a quovis puncto reducens, quod vocatur vena. Nervum autem in quavis data minima areola corporis omniumque viſcerum præſto eſſe eo probatur, quod nullum in corpore ſpatiolum ſit, quod male adfectum v. c. acu punctum non ſenſum doloris exhibeat. Jam autem, quum omnis ſenſus nervum ſupponat, quia abſciſſo vel ligato nervo omnis ſenſus illius partis, ad quam nervus deſcendebat, perit: Ergo in omni punctulo corporis eſt nervoſæ fibrillæ præſentia. Quum per ſingula ire, & carptim a poſteriori oſtendere, quod omnia viſcera ex arteriarum, venarum & nervorum innumeris ramis & propaginibus mire inter ſe irretitis & contextis in eam excreſcant molem, qua cernuntur, nimis prolixum foret: Vel ejus B. L. recordari rogo, quod arteriarum & venarum nomina in Angiologia, & nervorum in Neurologia a partibus ad quas abeunt plerumque ſint deſumta v. g. Arteria Bronchialis, Oeſophagæa, Diaphragmatica, Venæ Hepaticæ, Atrabilariæ, Spermaticæ, Nervus Ophthalmicus, maxillaris ſuperior, maxillaris inferior. Ut multa paucis comprehendam, ad omnes totius corporis partes, omnia ſenſuum externorum organa, omnia ſuperiori, medii & infimi ventris contenta viſcera, omnes ingenti numero in corpore muſculos tam ad nutum imperiumque mentis agentes, quam huic minime ſubjectos, ad omnes membranas, exque his conflatis partibus membranaceis, perioſtium & totius corporis univerſale integumentum, cutim, arteriæ, venæ & nervi exporriguntur, & ad conſtituendam earum partium omnium tam ſtructuram quam molem utramque faciunt paginam.

§. XXIX.

Hæc vero vaſa omnia, quum eo minora atque tenuiora & tandem longe minima atque exilia evadant, quo longius producuntur, hinc ita mirando artificio ſtructura humana conficitur, ut tot innumerorum vaſorum, vaſculorum, tubulorum valde exiguorum & tandem longe minutiſſimorum contextu ac complicatione, mera ultimorum canaliculorum fabrica ex fibris, harumque ex particulis terreis ſubtiliſſimis glutine invicem & vi naturali commiſſis efformatione, ceu ſuis principiis, Machina Hydraulica vere nominandum ſit corpus noſtrum, quod erat probandum (§. 27.). Reliquum eſſet, ut de fluidis quæ per hanc compagem Corporis Humani mere vaſculoſam motu continuo peraguntur, dicerem: At hoc inſtituti ratio non requirit; dum enim in eo laboro, ut clarum evadat, Corpus Humanum eſſe Machinam Hydraulicam (§. 26.), & Formale Machinæ Hydraulicæ id involvat, ut fluida impulſu ac preſſione per varii generis tubulos moveantur (§. 4.): Exin huic ſcopo ſatisfactum erit, ubi aſſero, per omnem ſupra effatam compagem Corporis Humani vaſculoſam in minimos & ultimos uſque tubulos ferri diverſæ indolis humores, donec erunt aperti & concavi, neque quacunque de cauſſa concreti. Nemo facile inficias ibit, per vaſcula ſeu tubulos omnes corporis fluida tranſnare, quam diu aperti ſunt: dum neque de nervis quod tubuloſi ſint & fluidum per eos tranſmittatur, illi dubitant, qui hoc fluidum motus muſculares ſuo influxu efficere (§. 43.) vel maxime negant. Sumatur etiam ubicunque exiecta corporis pars, caro, vel cujuſvis viſceris, deſtillatio ignis potentia inſtituatur: Ingens ſane fluidi copia aqua, Spiritus, Oleum prodibit, & pauciſſimæ partes ſolidæ remanebunt. Immo KEILII calculus oſtendit, maſſam fluidorum in tantum ſuperare molem ſolidorum, ut liquidorum ſint CXX. libræ, ſi corpus in totum ponderat CLX. Hæc liquidi copia ergo aut in parte Corporis Humani deſtillata præſto fuit, aut ab extra aliunde in Retortam advenit. Atqui falſum poſterius: ergo verum prius. Si tam inſignis copia fluidi in parte cadaveris humana deſtillata præſto fuit, aut illa in alveo quodam, ceu in veſica recluſus humor ſtagnavit, aut in multis minimis vaſculis digeſta & contenta fuit; atqui falſum prius, ergo verum poſterius. Idem probant atrophia, vulnuſcula minima, ambuſtio, fonticuli & injectiones RUYSCHIANÆ, quibus hic demonſtrat, membranas, quæ pro meris ſolidis olim habebantur, vaſcula innumerabilia continere, licet albicantes conſpiciantur. Quod ad ipſum motum horum fluidorum per hos innumeros varioſque tubulos (§. 28. & 29.) humanæ Machinæ Hydraulicæ concernit, & qua vi motrice iſte motus producatur (ad Machinæ Hydraulicæ enim notionem denique etiam pertinet, ut liquida per varii generis tubulos moveantur): (§. 4.) de eo mox infra diſpiciam (§. 34. 47.), quando ad alterum tractationis meæ membrum progreſſus, motum hujus Machinæ perpetuum & continuum eſſe probabo. Nunc probatum eſt, Corpus Humanum eſſe Machinam Hydraulicam. Q. E. D. (§. 26.)

§. XXX.

Quia igitur Corpus noſtrum eſt Machina Hydraulica, (§. præced.) ex meris vaſculis (§. 27. ſeqq.) ita coagmentata, ut omnes arteriæ inter ſe invicem, tum quoniam omnes unius Aortæ propagines ſunt, cum quod inſuper ſingulæ inter ſe invicem, quo magis a ſe

a ſe invicem recedunt & in minores magis magiſque pluresque ramificationes diſcerpuntur, eo frequentioribus ubique anaſtomoſibus junguntur; plurimæ arteriolarum extremitates immediate & ſine interpoſito parenchymate cum venulis; venæ rurſus ſingulæ inter ſe invicem creberrimis inoſculationibus & tandem omnes uno Cavæ trunco, neque Portæ Vena excepta; omnia denique hæc ſimul & ſemel cum corde communicent ac prorſus continua ſint; cor vero cum enumeratis vaſis omnibus, ſingulisque inde formatis viſceribus, ceteriſque; ex meris nervis primitus in ſui ortu excreverint, quod in Phyſiologicis probatur: Hinc non poteſt, quin illa, quam ſupra ceu primarium Machinæ requiſitum & criterion (§. 4.) jam HIPPOCRATI notuiſſe intellectamque fuiſſe (§. 25.) prælibavi, qua Corporis Humani partes omnes mirifice inter ſe conſpirant, qua tam fluidæ quam ſolidæ inter ſe mutuo vinculo communicant, & quæ maxime in communicatione motuum regularium pariter ac interturbatorum conſiſtit, ubique vigeat & obvia deprehendatur magna & mutua conſenſio, ad leges hydraulicas nunquam non accuratiſſime adcommodata, & in Pathologicis ac Praxi Medica omni, ad morborum & ſymptomatum generationem, & converſionem ac permutationem intelligendam, pereximii uſus atque conſiderationis exiſtens; ſicuti id præ aliis ſolidiſſime adſtruxit ILL. DN. PRÆSES tum in omnibus ſuis auro mihi carioribus Scriptis, tum imprimis in *Diſſ. de Conſenſu partium, præcipue Pathologiæ & Praxeos Medicæ fundamento*, It. *de transmutatione morborum* aliisque innumeris. Ex ſupra vero (hoc eodem §.) allegatis fundamentis, aut inter ſanguinis motum circularem per vaſa ſanguifera, omnia continua, & per cor in ſe ipſa redeuntia deprehendes hanc ſingularem conſenſionem partium Machinæ humanæ: dum ex. gr. orificio vaſis cujuſdam majoris in corde a polypoſa concretione obturato, omnis corporis partes & functione ſua & vita privari cernis; auricula dextra, ob nimiam ibi ſanguinis congeſtionem vehementius expanſa, ejus contractionem minui, hinc tam animi quam corporis vim deficere, vides; deinceps, quandocunque in una corporis parte, in pulmone vehementi vocis exercitio, in manibus per harum intenſiorem agitationem, aut digitorum in muſicis vibrationem, aut in pedibus, facta ibi diuturniore frictione, ſanguinis progreſſio acceleratur, tunc univerſam ſanguinis & humorum maſſam incaleſcere, celeriuſque progredi obſervas, & ſexcenta alia. Aut inter totum ſyſtema nervorum & inter eas partes quæ copioſioribus nervis, inſuperque dum in planitiem expanduntur, maxime tenſis, pollent, quæ adeo exquiſitiori motu ac ſenſu gaudent, mirabilis eſt conſenſio & mutua communicatio partium. Ita Ventriculus flatibus vehementer diſtentus, ut in malo hypochondriaco, aut alia quacunque de cauſſa irritatus, maximas in præcordiis anxietates, in ſpirando anguſtias, in functionibus animalibus turbationes concitat. Exigua partis ventriculi vel inteſtinorum a veneno eroſio, inteſtini a lumbricis facta lancinatio, tantum valet, ut ſumma anxietas & continuus vomendi conatus, convulſiones, ſudores frigidi, vehementes nervorum ſpaſmi, artuum ſtupendæ agitationes, animi deliquia triſtiſſimo ſpectaculo irruant; a calculi in renibus, ureteribus aut veſica, præprimis autem in poris biliariis, membrana capſulari GLISSONIANA cinctis, atrociſſimos dolores & inauditos affectus proveniſſe, ex ipſius ILL. DN. PRÆSIDIS ore ſingulare exemplum accepi; ſolas diſtenſiones & lancinationes gingivalis carnis, quæ nil eſt, niſi membrana oris communis & perioſteum maxillarum, in infantibus ab erupturo dente factas, febres, deliria, convulſiones &c. conſequuntur. Aut denique inter utraque, vaſa nimirum ſanguifera, ejuſque, quod continent, rubicundi fluidi peridromum, & inter tubulos nerveos ejuſque, quod vehunt, liquidi ſubtiliſſimi mobiliſſimique (§. 31. & 38.) influxum in Corpore Noſtro magna eſt conſenſio, ut læſis vel male adfectis nervis, libera ſanguinis & humorum progreſſio inde vitium trahat, quemadmodum etiam in circulo humorum adparens labes, protinus nervoſarum partium ſtatum & actionem alterat atque perturbat. Febrium, hæmorrhagiarum, excretionum ſuppreſſarum notitia docet, quod ſanguine in viſcere vel vaſis partium minutis ſtagnante aut immobili reddito, protinus ſyſtema nervoſum præter naturam adfici & ſpaſmodice contrahi ſoleat. Idem teſtantur inflammatoriæ & periculoſæ ſtaſes ſanguinis, & copioſioris ſanguinis ad alias partes & vaſa majora morboſæ congeſtiones, a partium nervoſarum punctura, læſione, & diſtenſione ſubortæ. At hæc vero infra, ubi motum humanæ Machinæ perpetuum & continuum (§. 6.) eſſe, i. e. ita comparatum, ut ejus principium movens ſeu vis motrix ſemper ſemet ipſam reſtituere poſſit, comprobavero (§. 32. ſeqq. præcipue §. 49.), plenius planiuſque pateſcent; hoc loco autem tantum hiſtorice adduci debebant, ut evincendo, quod corpori humano, præcipua & principalis differentia ſpecifica, primarius character & palmarium requiſitum Machinæ (§. 4.) quadret omnino, penituſque congruat, ultimum probationi meæ, quod Corpus Humanum vivum ſit Machina compoſita (§. 21-25.) Hydraulica, (§. 26 29.) adderem argumentum, ſimulque Colophonem.

§. XXXI.

Ex quibus omnibus elicitur, rectiſſime Corpus noſtrum Machinam, & quidem Machinam omnium perfectiſſimam adpellari, eo, quod infinitam Dei artem pro Autore agnoſcit, quam nulla humana ratio imitari poterit, & quod perfectiſſimæ regulæ ac leges Hydraulicæ, Hydroſtaticæ, Opticæ, Mechanicæ ibi reperiuntur & inde addiſci poſſunt, denique quod tam mirabiles effectus & conſpirationes mutuæ partium in humana Machina (§. præced.) conſpiciuntur; quæ omnia longiſſime quamcunque excellentiſſimam ullius hominis artem exſuperant. Unde jam facile liquet, perperam eos judicare, qui pro crimine habent, Corpus noſtrum Machinam vocare, dum ſibi perſuadent, Machinas tantum eſſe artis humanæ opera, adeoque dum Humanum Corpus Machina vocatur, intellectus humani imbecillitatem pro regula & norma Divinæ Sapientiæ conſtitui, ſaltem illam cum hac æquiparari. At errant vero & magnopere errant. Produnt enim manifeſto, ſe nunquam ſatis, vel e longinquo cognoviſſe, quid Machina ſit, & anguſtam nimis Ideam ſub hac voce ſe mente complecti. Adſerui enim ſupra (§. 4.), Machinam eſſe nihil aliud, quam mediante cujus ſtructura certi & determinati motus locales producuntur, ſeu quod ſtructuram habet motui locali inſervientem: Jam vero quum in univerſo noſtro Syſtemate Planetario motus certi, ordinati & determinati corporum cœleſtium fiant, & quidem, quod Aſtronomica ſcientia dudum evicit, hi omnes convenienter eorum ſtructuræ contingant, hinc omnino ſpatioſiſſimus ille corporum cœleſtium, certos & determinatos motus ſubeuntium, complexus, Machina dici optimo jure merebitur. Quod quippe idem adfirmat SCHELHAMMERUS: totus mundus Automaton aliquod magnum & immenſurabile ſuis partibus Mechani-

Mechanicis conſtans, complexus multarum rerum, laxe admodum hærentium, mutuoque concurrentium; ita ut legibus adſtricta ſuis ſingula agant. Aut ergo totum etiam hocce Univerſum & maximorum cœleſtium Orbium congeries erit febriculoſæ humanæ artis productum; aut illa propoſitio: Omnes Machinas eſſe artis humanæ opera, vacillabit, titubabit, corruet. Prius vero, quum nemo, qui ſana mente ſidera contemplatur, unquam opinabitur; certe poſterior propoſitio, quod dixi, infirmo & nullo plane nititur fundamento.

§. XXXII.

Hanc igitur, qualem eam §§. ſuperioribus deſcripſi humanam Machinam motu perpetuo pollere, adeoque perfectum, adæquatum & plenarium Perpetuum Mobile conſtituere, tractationis meæ ſeries jam maxime expoſcit demonſtrare. Inde vero ſi animo repetimus, quæ ſupra in definitione Perpetui Mobilis, & motus perpetui ac continui, principiorum inſtar certorum & irrefragabilium, ex quibus neceſſario nexu omnis procedere debet demonſtratio, fundamenti loco poſui, erant hæc: Perpetuum Mobile eſſe Machinam compoſitam, cujus principium movens internum & ipſi Machinæ conjunctum ex natura ſua ſine diminutione virium, donec Machina deſtruitur, ita continuatur, ut perpetuo ex quiete in motum ſe reſtituere ſine auxilio externo poſſit; (§. 3.) & motum adeo perpetuum ac continuum eſſe cujus principium movens ſeu potentia motrix ita eſt coordinata, ut ſemper ſe reſtituat. Hincque motus conſtanter iiſdem viribus ſine nova potentia accedente externa continuatur; & ſequenter motum perpetuum eſſe proprium & characteriſticum Perpetui Mobilis (§. 6.). Nunc porro, ſi hæc ad Machinam humanam compoſitam hydraulicam (§. 30. in fine) adplicare velimus: neceſſe erit primo de motibus in ea contingentibus diſpicere, & quæ qualiſque eorum potentia motrix ſeu principium movens vere ſit, examinare atque explorare; deinde vero perquirere, utrum quidam motus exiſtant, quorum principium movens re vera materiale ita ſit comparatum & coordinatum, ut ſemetipſum per eundem quem efficit motum reſtituere & ex quiete in motum perpetuo tranſire, ex reſiſtentia nova potentia, ſeu quod idem eſt, ex effectu nova ſimilis effectus cauſſa fieri (§. cit.) ſine auxilio externo poſſit?

§. XXXIII.

Quæcunque in Corpore noſtro mutationes & actiones contingunt, motu peraguntur: Quare in illo nil niſi inſtrumenta ſingulari & egregio artificio fabrefacta deprehendimus, (§. 21. & 22.) a quorum diverſitate & habitudine omnis motuum & mutationum varietas proficiſcitur. Quod ſi autem de horum motuum vi & potentia motrice ſeu principio movente ſolliciti ad noſmet ipſos ſereno oculo attendamus & de nobis nobiſcum ex noſtra conſcientia & experientia philoſophari velimus: haud difficulter tres maxime notabiles motuum ſpecies in Corpore noſtro contingentium deprehendemus manifeſto. Primo enim animadvertimus, quod certos & determinatos animæ actus, volitiones nimirum, certi & determinati motus in corpore ſequantur ad ipſam animæ volentis amuſſim, hicque dicuntur voluntarii, quia per juſſum efficacem ſeu determinatam animæ volitionem ex lege unionis binarum illarum ſubſtantiarum in homine (§. 11.) ab adorando Creatore lata & conſtituta, producuntur, ut ſunt v. g. motus artuum, oris, linguæ, oculorum, colli & capitis, dorſi motus flexorii aliique, prævium animæ imperium quotquot excipiunt. Deinde deprehendimus, exerceri & fieri certos & varios in Corpore noſtro motus, inſcia vel invita quoque anima, ita, ut animæ imperia vel conſilia huc quicquam conferre, obſervare non liceat, omni quamvis attentione adhibita, hicque dicuntur ſpontanei, ſeu ex oppoſitione voluntariorum involuntarii, etiam Automatici & pure Mechanici, ſeu neceſſario ex ſolius corporis ſtructura & vi motrice conſequentes, quales ſunt illi, qui paſſim a Phyſiologis Vitales, i. e. qui vitæ ſive totius corporis, ſive partis alicujus tuendæ proxime ac ita inſerviunt, ut ſine hujus diſpendio & jactura abeſſe illi nequeant; & Naturales, qui remotius eidem fini inſerviunt, nempe corpus reparando, vocantur v. g. motus ſyſtalticus & diaſtalticus cordis atque arteriarum, omniumque minimorum vaſculorum & fibrarum ſpeciatim tonicus vocatus ſanguinis humorumque motus progreſſivus & inteſtinus, atque hinc dependentes varii ſecretorii & excretorii motus, item chylificatio, ſanguificatio, nutritio, augmentatio &c. Denique etiam tales in nobis offendimus motus, qui abſque concurſu voluntatis continuantur quidem, per eam tamen modificari, varie augeri, imminui, accelerari, retardari poſſunt, uti ſunt v. g. motus reſpirationem abſolventes, hicque vocantur mixti, ſcilicet ex voluntariis & ſpontaneis quaſi.

§. XXXIV.

Jam, quum omnis motus neceſſario ſupponat vim motricem ſeu principium movens (§. 1.), quia nihil movetur, niſi motum ſit ab alio, adeoque nullus motus ſine vi motrice detur (§. 6.): Hinc conſequitur has recenſitas tres motuum in Corpore Humano contingentium ſpecies ab aliqua vi motrice pendere, qualis autem illa ſit, de eo jam quæſtio eſt. Et primo de motibus exacte ad prævia volitionis amuſſim conſequentibus, voluntariis nimirum, cum Phyſiologorum optimo quoque aſſero, eorum vim motricem & principium movens eſſe ipſam humanam animam, quia primo creationis Idea nullam involvere contradictionem affirmat, quo minus ſpiritui determinatam potentiam in corpora, eaque movenda tribuere liceat, quamvis id non eo modo, quo corpora ſeſe invicem movent, nempe per contactum Phyſicum ſeu ſuperficierum conterminam viciniam fieri, quemvis emunctæ naris largiri oporteat, ſed alio modo conveniente & congruo, nobis hactenus ignoto, nunquam enim ab ignoratione modi ad negationem ipſius rei jam per ſe certæ atque exploratæ valet conſequentia, adeoque neque hic; deinde quia ipſa experientia toto die obvia de eadem potentia confirmat atteſtaturque, ſiquidem cernimus ſemper, & ſolummodo tunc, hos motus fieri, quando & ſimulac voluntas eoſdem juſſerit, tamdiu eoſdem continuari, ac protrahi, donec voluntas itidem determinata permanet, & extemplo ceſſare ac deſinere, quam primum voluntas id fieri voluerit, eoſdem varie & pro lubitu vel centies in unica hora effici, repeti, mutari, ſuſpendi ex liberrima animæ volitione & juſſu; etſi enim hic objiciatur, non univerſalem eſſe hanc concluſionem: in duabus rebus quæ ſimul & uno tempore fiunt ſemper alteram eſſe alterius cauſſam efficientem, tamen adhæc regeri poteſt, rectiſſime & cum ipſius veritatis aſſenſu ita hanc propoſitionem proferri & limitari; in duabus rebus quæ ſimul & eodem tempore fiunt aliquando altera alterius vera & efficiens cauſſa eſt, ergo etiam hic idem non impoſſibile; porro etiam, quia hominibus ſi recte attendimus, quædam ineſt conſcientia & interna convictio ſe hos motus v. g. quando arma

arma corripio ad declinandum irruentis ſicarii ictum, vi prægreſſi ratiocinii & exinde determinatæ voluntatis exercere, quod vero voluntatem pro cauſſa habet id etiam animam, cujus illa pars eſſentialis eſt, adeoque ab anima ſaltim primus in cerebro impulſus fit & fieri debet; denique quia multæ innumeræ atque inexſuperabiles difficultates urgent & obſtant, quo minus Harmoniæ Præſtabilitæ ſubſcribere, circumſpectis rationibus omnibus, caute philoſophaturo non facile liceat. De hiſce motibus voluntariis, eorumque vi motrice ſeu principio movente mihi in hac tractatione ſermo non eſt, quia non ad notionem hominis vivi proxime neceſſario & abſolutè pertinent (§. 12.) nam homo nihilominus vivus omnino adhuc dicendus etiamſi multorum & fere omnium muſculorum voluntariorum paralyſi plane decumbat: Hinc ad ſecundam motuum, qui vocantur ſpontanei ſeu pure Mechanici, ſpeciem propero, motuum enim tertii generis, mixtos quos vocant, intelligentia ex voluntariorum & ſpontaneorum percepta explicatione ultro fluit, & quo pacto ſoli motus reſpirationem abſolventes huc pertineant, infra (§. 54.) diſpicietur, immo & quoſque reſpiratio ad motum perpetuum noſtræ humanæ Machinæ conſervandum faciat ac contribuat.

§. XXXV.

In motibus ergo ſpontaneis, Vitalibus præcipue, qui nimirum ab imperio & nutu animæ nec in ſtatu ſano, nec in morboſo producuntur, aut diriguntur pendentque (§. 33.), veram motus perpetui (§. 32.) Ideam contineri, áſſeveranter adfirmo. Ut vero hæc dilucidius pateſcant, primo de motibus ſpontaneis in genere, eorumque principio movente ſeu vi motrice dicam, deinde ſpeciatim de motibus Vitalibus, quod & quomodo in his vis motrix ſeu principium movens ita coordinatum ſit, ut ſemet ipſum per hos ipſos motus reſtituere adeoque ex reſiſtentia potentia, ex effectu cauſſa fieri poſſit, (§. 32.) evincam, i. e. perpetui mobilis in homine vivo Ideam demonſtrabo.

§. XXXVI.

Dum enim ei, quæ ceu poſterior tractationis meæ pars reliqua eſt probationi, hancce humani corporis Machinam compoſitam (§. 21 - 25.) Hydraulicam, (§. 26 - 29.) reapſe pollere motu perpetuo, ceu vero & proprio charactere Perpetui Mobilis, (§. 6.) propius me accingo; juvat expreſſe ac poſitive aſſerere: hunc motum perpetuum Machinæ humanæ in eo ſitum eſſe, ut cor, mediante influxu liquidi nervei, ceu principii moventis ex cerebello per nervum cardiacum in fibras, quibus denſiſſimo agmine conſtat, muſculares, contractum, & quoad ſpatia ventriculorum arctatum, adducto ejus verſus baſin apice, eum quem recludebat ſanguinem per venas reducem, ceu reſiſtentiam, in arterias fortiter preſſione impellat, haſque dilatet, quæ arteriæ poſtea, derivato huc per ipſam hanc dilatationem liquidi ex cerebello influxu, in fibras quibus arteriæ omnes conflantur muſculares, vi motrice hujus liquidi influentis copioſius, contractæ, & quoad cavitatem ſuam arctatæ, ſanguinem per contractionem cordis acceptum, quaquaverſum adeoque etiam per Carotides internas, quæ inſignem ejus quantitatem admittunt, ad cerebrum & cerebellum tranſprimant, in quo vi & potentia hujus ipſius preſſionis & beneficio fabricæ ac ſtructuræ tubulorum longe minutiſſimorum, quibus omnis τοῦ ἐγκεφάλου moles conficitur, denuo ſecernitur liquidi nervei portio, quæ per ſanguinis a tergo ſupervenientis preſſionem pariter ac per ſactam in corde à ſanguine per venas refluo in illud irruente dilatationem, in cordis fibras muſculares copioſius influit determinaturque, & eodem ipſo influxu novam cordis contractionem producit, ſanguinis in arterias propulſionem, per arterias ad cerebrum & cerebellum adpulſionem, & omnia Phænomena uti prius, iterum reproducit. Hæc probant multa in ſtatu morboſo occurrentia Phænomena, ſufficiat unicum adducere; ubi ſc. vel a nimia ſanguinis detractione, vel in morbis malignis, vel a viſcerum corruptione tantus virium eſt defectus, adeoque langueſcens cordis potentia motrix tam invalida eſt, ut ad ſanguinem propellendum verſus cerebrum in debita quantitate non ſufficiat, præcipue ſi æger ſervet corporis erectum ſitum, tunc ſtatim animi deliquia incidunt, pulſuſque intermittit. Cor itaque ut univerſalis & primus in hac Corporis humani Machina motor, quod ideo primum vivens & ultimum moriens dictum fuit, verumque motus centrum in hac compoſita Machina Corporis Humani conſtituit, (§. 4.) ſuo motu ſanguinem ſubtiliſſimis & laudabilibus partibus ſecretioni liquidi nervei idoneis fœtum, ad cerebrum cerebellumque proxima propellit via, illudque ope pulſus arteriarum innumerarum, quibus univerſa corticalis ſubſtantia contexitur mira implicatione, movet; cerebrum & cerebellum viciſſim eodem ſuo motu à cordis & arteriarum motu accepto, liquidum ſubtiliſſimum, mobiliſſimum nervinum, ex ſanguine mox ante per pulmones attenuato & ſubtiliſato, jugiter intra ſuos exiliſſimos tubulos ſecretum, in cor per nervos impellendo hoc movet: ut adeo mirabili quodam circulo Mechanico i. e. potentiæ moventis in reſiſtentiam, & reſiſtentiæ in novam ſimilem potentiam converſione, ſeu productione effectus per cauſſam, & novæ poſtea cauſſæ per hunc ipſum effectum, is eveniat atque emergat, qui quam maxime ad vitam perennandam, & ad theſin meam comprobandam ſtabiliendamque requirebatur motus perpetuus (§. 32.), ita prorſus, ut motus unius horum binorum principum viſcerum & vitæ corporeæ fontium, cerebelli nimirum & cordis, ſit cauſſa motus alterius, & viciſſim motus alterius ſit cauſſa motus prioris. At vero quum hæc non gratis ſupponere, neque ab ullo quopiam ſine prægreſſa ſufficienti per demonſtrandum corroboratione concedi velim, hinc jam maxime ad id erit incumbendum, ut hæc ſingula dilucidentur, explanentur, comprobentur.

§. XXXVII.

Quum jam totius rei cardo in eo vertatur, ut influxum liquidi nervei ex cerebello per nervos in villos muſculares, veram adæquatam & Mechanicam, i.e. ex neceſſitate agentem cauſſam, vel verum principium movens & vim motricem omnium & ſingulorum motuum ſpontaneorum, vitalium pariter ac naturalium eſſe, demonſtrandum ſit: demonſtrationi huic neceſſario præcedere debet perquiſitio, utrum tale fluidum in cerebro & cerebello ſecernatur, & per exiliſſimos tubulos nerveos concavos moveatur. Huic meo officio ut brevibus ſatisfaciam, ſummatim recenſere juvabit, quæ ad probandam liquidi nervei exiſtentiam ſymbolum ſuum conferunt. Probatur autem fluidi nervei exiſtentia & ſecretio Mechanica a priori: primo ex magna ſanguinis copia, quæ per conſiderabilia & inſignia vaſa ſanguifera ad cerebrum, huic ſolenni & continuæ ſecretioni deſtinatum, conſtanter adfertur, adeo, ut obſervante Summo quondam, ut BELLINO *de Mot. bil. propoſ. XXVII.* audit, naturalis

naturalis Reipublicæ Dictatore MALPIGHIO *Exerc. epiſt. de Cereb. ad* FRACAST. ſi non dimidia, ſaltim tertia pars ſanguinis in caput devehatur; quippe quæ ſingularis & copioſa quantitas ſanguinis ad nutritionem hujus viſceris, τȣ̃ ἐγκεφάλȣ nempe, minime requiri adparet, facta cum aliis viſceribus comparatione, v. g. pulmonibus, qui per exiguam arteriam Bronchialem RUYSCHII, it. hepate, quod per exilem arteriam Hepaticam totum quantum nutritur. Ergo ſi non ſit hoc ſanguine advecto nutritio: neceſſario in alium uſum advehitur; jam vero nullus alius uſus ſupereſt, quam ſecretio liquidi cujuſdam, cui ſecretioni quoque tota cerebri ſtructura favet, patrocinatur, aſſentitur, acclamat; ergo neceſſario ſit talis ſecretio, alias enim ſine ratione ſufficienti ad cerebrum tanta ſanguinis copia deferretur, quod de ſapientia Creatoris ſine crimine ne ſuſpicari quidem licet. Porro hunc copioſum ſanguinem in merum ſecretionis liquidi cujuſdam ſubtiliſſimi uſum ad cerebrum propelli, demonſtrat quoque ſecundo, hujus ſanguinis qualitas, quæ exinde intelligitur, quando tum prævia chyli adfuſio, tum vis & actio pulmonum in ſanguinem animo revolvitur, quippe in pulmonibus multifario & diverſimodo veſicularum pulmonalium per inſpirationem inflatarum, & ſenſim ac ſucceſſive paucioribus in punctis preſſarum motu, mutatione ſpatiorum celluloſorum inter has veſiculas reticulari opere MALPIGHIANO repletorum, eodem tempore inſpirationis ſucceſſive magis auctorum, motu deinde veſicularum & ſpatiorum illorum in exſpiratione, ſucceſſive ſenſimque minorum atque arctiorum, elatere denique aëris in momento retentionis per calorem aſſidue aucto, id fit, ut tribus hiſce reſpirationis momentis ſucceſſivis & nunquam non reciprocantibus, nec arteriæ, venæve, nec ſanguis unquam ſint æqualiter vel ſimiliter preſſi, ſed reciproce premi, pelli, conquaſſari, remitti, atteri, minui, reſolvi, dividi, obtundi, canalibus minimis trajiciundis aptari debeat ſanguinis quæ per pulmones fluit maſſa: hæc omnia paſſus adeoque ſecretioni longe minutiſſimorum globulorum, mobiliſſimorum, quales liquidi nervei effectus expoſcunt, maxime idoneus factus ſanguis directa via ad cerebrum transprimitur, ita tamen, ut itinere perpendiculari in carotidibus aſcendere debeat, quo iterum efficitur, ut graviores craſſioreſque particulæ ſanguinis aortam ingredientis, per adpulſum in notabili illa arcuatione arteriæ aortæ repercuſſi, ad Aortæ ramum deſcendentem determinentur, & ſolæ particulæ ſubtiliores, comminutiores, mobilioreſque, quippe huic adſcenſui perpendiculari præ ceteris unice aptæ, caput & cranium petant; quodſi autem forte craſſiores quædam particulæ ſimul fuerint ſurſum pulſæ, hinc antequam cerebrum ipſum ſanguis arterioſus iſte ingrediatur, moras agit, præſertim in carotidis flexuris, ut ſaliva & mucus ſecerni per externas carotides a ſanguine eo liberius poſſint, immo etiam hunc in finem carotides internæ amandant partem aliquam ſine dubio craſſiorem ad receptacula ſellæ turcicæ, dum ſanguis ita tenuior puriorque ubique redditur, & in carotidibus & vertebralibus ſibi mutuo occurrens miſcetur, placideque progreditur, uti fit ſemper, ubicunque in corpore ſecretio celebranda venit. Hæc enim ipſa remora, quam ſanguis hic agere cogitur, & cui adeo multis adminiculis proſpectum eſt, tertium quod hic ſecretio fiat, ſuppeditat argumentum: obſervatio enim docet, in ſingulis corporis locis, ubi ſecretio perficitur, ſemper cautum eſſe, ne tranſitus ſanguinis, a quo ſecretio fieri debet, ſit nimis velox & rapidus, ſed placidus contra & debite lentus. Ex hac Obſervatione hanc inconcuſſam concluſionem nectere licebit: Ubicunque talis deprehenditur proſpecta ſanguini tranſfluenti remora, qualem ad omnes reliquas ſecretiones in corpore neceſſariam eſſe autopſia docet, ibi ceteris paribus etiam vere fit ſecretio; atqui in vaſis cerebri ita ubique eſt proſpectum ut talis remora exſurgat, qualem ad omnes reliquas ſecretiones neceſſariam eſſe autopſia docet: huc autem pertinet initio, quod carotides tunicam ſuam robuſtam deponunt, deinde quod in utroque latere carotis, delineante WILLISIO *Anat.Cereb.Fig. I.* & vertebralis exhibente RIDLEY *of the brain Fig. I.* trajectu incurvo per oſſeam cranii ſubſtantiam fertur, quo pacto ſanguinis flumen hic per oſſis duritiem curvo tramite tranſiens, penitus refrænatur, ne nimio impetu in cerebrum ruat; porro mutua illa oſculorum arteriarum vertebralium & carotidum conjunctio, qua illæ in cranii baſi, intra duram matrem incedentes, interjecta cervicali per ramum, carotidibus & arteriæ vertebralis ramis ſuperioribus, ad inſtar canalis communicationis inter magna maria, intermedium, ſanguinem ſuum confundunt, adeoque motus momenta ex oppoſitis directionis lineis imminuunt, quo etiam ſpectat, quod arteria cervicalis, carotidibus & vertebralibus interpoſita, obtinuerit notatu digniſſimam illam conſtructionem, qua adeo a conſueta figura conica declinat, ut amplitudine ſua truncos vertebrales, a quibus oritur, longe ſuperet, quumque adeo ſanguinis progreſſus fiat ex ſpatio anguſtiori in amplius, hinc celeritas adeoque motus momentum decreſcit; tandem etiam huc confert notabilis tot ſinuum, Venarum officio fungentium, intra cranium conſtructio, qui amplitudine quam habent ſua, nec non diverticulis & fibris ligamentoſis ex tranſverſim poſitis, quibus longitudinalis præcipue gaudet, ſingularique venarum cerebri in hos ſinus inſertione efficiunt, ne ſanguis a tergo ſequens nimis cito per cerebrum, ſed ita lente, uti ſecretionis commoditas poſtulat, tranſvehi queat, adeoque ſufficientem copioſæ huic ſecretioni moram in ſuo tranſitu trahat. Iſte itaque lentus & æquilibratus ſanguinis per τὸν ἐγκέφαλον tranſitus novo documento eſt, fieri in cerebro ſecretionem; omnem vero probationem abſolvit tubulorum ſanguiferorum pariter ac medulloſorum admodum ſpecificus & intricatus contextus, quem ſequenti argumento includam. Hæc itaque probe perpenſa ac ponderata ſummo cum probabilitatis gradu, qui demonſtrabilem certitudinem proxime attingit, loquuntur, oſtendunt, innuunt, fieri ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ ſecretionem quandam alicujus humoris; at vero hanc probabilem veritatem plenaria certitudine, dubitationi omni exempta, corroborat quarto ipſa τȣ̃ ἐγκεφάλȣ operoſa, exquiſitiſſima, & maximo adparatu luxurians fabrica & ſtructura: cingit enim cerebrum & cerebellum proxime arcteque pia mater, ejuſque exteriorem molem varie circumvolutam in profundis uſque ſulcis diſtinctam ubique proſequitur & exacte ſeparat. Inſervit hæc membrana deducendis ad interiorem corticalem ſubſtantiam tuto & accurate vaſis ſanguiferis, præcipue arterioſis, quibus ipſam copioſis perreptari, in ſuſpenſorum cadaveribus haud ſemel mihi videre licuit, adeo ut, univerſam ejus texturam ex his ſanguiferis vaſculis innumero agmine complicatis conflari injectiones ſtupendæ RUYSCHIANÆ doceant. Quum vero hæc pia mater tanto vaſorum inſignique numero per ſe non egeat, hinc eadem vaſa proxime ad corticalem ſubſtantiam traducit. Etenim in ipſo cerebro perinde ac cerebello duplex ſubſtantia notare eſt, corticalis & medulloſa. Corticalis eſt exterior, mollior & cineritia, ubique cum medulloſa arcte cohæret eamque ambit; adparet vero hæc corticalis ſubſtantia tum nudo oculo, tum microſcopii acie armato, maxime in cadaveribus

diutius

diutius defunctorum vel hydropicorum ex glandulis parvis compoſita: quam ſententiam omni plane dubitatione eximere allaboravit MALPIGHIUS, qui coctione cerebri in oleo & maceratione in atramento nodulos duros corticem & medullam interjacentes producebat. At vero non ſtatim ideo, quia in defunctis diu, & diuturno morbo, inſolita adparent, vel etiam propter rudiorem cerebri cum fervido oleo tractationem, ad glanduloſam corticis cerebroſi ſubſtantiam fuiſſet concludendum. Felicius blandiuſque cerebrum & cerebellum tractavit Celeb. RUYSCHIUS, cujus obitum triſti nuntio ad nos noviter perlatum ploramus valde lugemuſque multum, quippe qui texturam ejus egregio artificio oculo etiam nudo exhibuit. Injectis enim arteriis minoribus, corticem ultro quaſi in innumeros ramulos inſtar tomenti tenues, molliſſimos, ſuccoſos, & diſtinctos ſeſe explicare monſtravit, quos tenuiſſimos cavos canaliculos eſſe, cera injecta colore ſuo prodit, ſæpe ad extrema & medulloſæ ſubſtantiæ initia conſpicuo. Perſpectum quoque ſimul hac ratione eſt, canaliculos hoſce, ex quorum adeo mera complicatione cortex fabricatur, maximam partem a carotidum ſurculis per piam matrem diſſeminatis exporrectas propagines eſſe, progreſſus tamen vertebralium indicat, neque his corticem deſtitui. Ab extremis hiſce arteriolis, poſtquam venas dimiſerunt continuo ductu oriri, ratio infallibilis conſequentia dictitat, canaliculos medullares, quibus innumeris & longe exiliſſimis univerſam medullarem ſubſtantiam coagmentatam eſſe, evincunt α) filamenta, facili ſæpe negotio ſeparanda & elevanda & in ſtriatis maxime corporibus animadvertenda; β) Obſervationes LEUWENHOECKII; γ) Anatomia comparativa, quæ in animalium quorundam cerebris illa filamenta pectinatim ſibi mutuo oppoſita reperit; δ) Analogia totius corporis, quippe nulla pars informis & indigeſta moles eſt, ſed omnes ex vaſculis & filamentis longe ſubtiliſſimis conſtantur (§. 28. & 29.); ε) ipſe ortus embryonis ex carina, i. e. cerebro & medulla ſpinali obſervante MALPIGHIO; embryo autem non creſcere poſſet, niſi carina conſtaret fibrillis & ſtaminibus longe minimis & concavis, per quæ albumen ovi incubatus vi & fotu valde ſubtiliſatum moveretur: ζ) fibrarum medulloſarum ex cerebro & cerebello in medullam oblongatam & ab hac & ſpinali medulla in nervos diſtributio: ſiquidem tubuli ſeu filamenta ſubſtantiæ medullaris ab ultimis villoſis & tomentoſis extremitatibus longe minimarum arteriolarum, quibus corticalis ſubſtantia conflatur, oriunda & cum his vere continua, complicatione ſua anfractuoſa, multiplici, reflexa, diſceſſione, colligatione, ventriculorum concamerationes, & variorum proceſſuum eminentias, variis nominibus donatas, efformant. Ea omnia enim a potentiſſimo ac æterno Mechanico non alio conſilio ſunt facta, quam ut motus liquidi per fibrillas & tubulos ad nervos tendentis, ſit æqualis & æquilibratus non ſolum, ſed per anfractus quoque illos varie directus & reflexus tot actionibus diverſis proportionatus reddatur. Situm iſtum fibrarum nervearum diſtinctum, jam tum ratione ſubſtantiæ medullaris manifeſtavit quodammodo CLARISS. VIEUSSENIUS, qua mediante tubulos tractuſque medullares diſtinctis principiis oriundos & in diverſas plagas tendentes, ac recto vel obliquo ductu ſe interſecantes, obſervavit. Si itaque tota τȣ̃ ἐγκεφάλȣ moles ex meris ſubtiliſſimis & ultra omnem fere imaginationis craſſioris ſaltim limitem exilibus tubulis conflatur, cum ultimis arteriolarum in cortice extremitatibus continuis, neceſſario concavi ſunt & fluidum recludunt, alias ſine ratione ſufficiente cum arteriolis continui facti eſſent; ſi fluidum recludunt, illud a ſanguine arterioſo affatim allato ſegregant, adeoque ſecernunt; ſi illud ſecernunt, movent ſane illud vel motu progreſſivo propellunt, quia nulli humores in corpore ſecundum naturam ſtagnant, & quod ipſa ſecretionis idea involvit, denuo adveniens ſanguis, facta nova ſecretione, liquidum antea ſecretum propellit. At hæc minutiſſima & exiliſſima filamenta medullaria ſingula, cava eſſe & fluidum in iis circulari, ita planum manifeſtumque evadet, per contemplationem argumenti a ligatura nervi cujuſcunque deſumti (§. ſeq.) ut nihil quicquam detur evidentius & perſpicacius hac ipſa fluidi nervei exiſtentia. Colligi enim ex hactenus dictis ſatis ſuperque poteſt, fluidum aliquod & id maxima quidem copia continuo in cerebro ſecerni: adferunt ſane tot arteriæ ex corde via fere directa non exiguam ſanguinis portionem, nec nutriendo cerebro neceſſariam; indicant hæ arteriæ progreſſu ſuo, qui ita fabrefactus comparatuſque eſt, ut moram agat ſufficientem ſanguis, ipſas vere materiam ſecretionis adducere; terminantur illarum ramuli numero innumerabili quoad maximam partem in pia matre pauciſſimo nutrimento indigente; oriuntur inde ab extremis arteriolis canaliculi tenuiſſimi, corticem conſtituentes, qui tum fabrica ſua, tum poſitu & colore etiam manifeſte docent, ſecretionem tenuiſſimi & copioſi fluidi ibi peragi, quod quum in nulla cerebri parte collectum reperiatur, indicium ingens præbet, ſubtiliſſimis pariter ac innumeris ipſum canaliculis advehi.

§. XXXVIII.

Hiſce a priori deſumtis ratiociniis plane congruunt aſſentiunturque, quæ a poſteriori nimirum ex ipſorum experimentorum irrefragabili ſucceſſu & teſtimonio deducuntur argumenta; uti ſunt: 1) ligatura nervi cujuſcunque; ſi nervus enim ligatur aut comprimitur, tunc pars illa, quam ingreditur nervus, ſenſu ac motu privatur; jam vero ſi nervus tractione motus muſculares & tenſione ac vibratione ſenſus produceret, hæc duo nihilominus conſequerentur non obſtante ligatura; quum autem compreſſio nervi, quam etiam ligatura involvit, nihil arguat, niſi interceptum fluidi, quem antea habebat, per filamenta concava motum, ſicque neceſſe ſit, ut motus hujus fluidi, qui ligatura & compreſſione intercipi potuit, antea adfuerit non interruptus, probatum erit, quod erat probandum, nempe moveri in filamentis nervorum liquidum ſubtiliſſimum. Equidem obgeris, evenire etiam motus muſcularis in parte abolitionem, arteria ad eam tendente ligata, hic tamen maximum & notabile deprehenditur diſcrimen, nam arteria ligata plane non perit ſenſus partis, manet is potius ſalvus, integer & incolumis, neque motus ſtatim evaneſcit, ſed demum poſt aliquem temporis decurſum, ligato autem nervo e veſtigio & momentanee ſenſus perinde ac motus ſublatus penitus conſpicitur, neque alia ex cauſſa conſtrictio ſeu ligatura arteriæ ad ſufflaminandum tandem motum facit, quam propterea, quia ad motum muſcularem mechanice celebrandum non ſolum liquidi nervei in muſculum per nervos influxus, ſed etiam ceu cauſſa ſocia non tamen primaria, etiam boni arterioſi ſanguinis in muſculo præſentia requiritur, quippe a quo robur ſuum & fibrarum tenſionem motus muſcularis derivat. Hoc idem adhuc dilucidius commonſtrat 2) Experimentum BELLINI cum nervo Diaphragmatico factum, quum in cane, facta caute apertione & inciſura, nervum Diaphragmaticum comprimeret, illico ſupprimebatur reſpiratio, quæ etiam nec poſtea, relaxata prorſus compreſſione, inchoabatur, donec blande digitis nervum a parte ſuperiori Diaphragma verſus demulcendo &

& fricando, quaſi liquidi cujuſdam progreſſum promovere vellet, reſpirationem motumque Diaphragmatis gratiſſimo ſpectaculo reſtitui cernebat. Si itaque motus partis cujuſdam plane interceptus & ſublatus reſtitui poteſt ſola facta nervi a parte ſuperiori verſus extremitatem leni digitorum frictione, hæc frictio autem nihil innuat, præter liquidi cujuſdam in nervo, quum ſubſtitiſſet, iterum promotum fluxum; neceſſario nexu ſequitur, fluere & moveri in nervis liquidum, quod ex cerebro & cerebello, vi ſecretionis in eo factæ, (§. præced.) deveniat, & ex iis partibus per nervos circuletur. Tandem vero oculatam fidem hujus liquidi, plenariamque convictionem de ejus exiſtentia ſuppeditat 3) ſenſus & viſus, dum illud licet pauciſſimum ex trunco quodam nervi recenter abſciſſo, exprimi poteſt, ſi debito modo digitis comprimatur, tunc enim guttula quædam ſerena & pellucida nervo compreſſo adhærere obſervatur; Immo ſi Leuwenhoeckium audimus, in eo uſque ſtupenda microſcopii acie pervenit, ut incredibiliter parvas & exiles cavitates in fibrillis medullaribus nervi oculis, armatis nempe, obſervaverit: legatur ille *in Epiſt. Phyſiolog. Ep.* 32. *p.* 311. ubi experimenti adminiſtrationem recenſet. Tacite tranſeo alia argumenta & experimenta brevitatis & feſtinationis ergo: Quin immo, etiamſi tot palmariorum & irrefragabilium argumentorum copia nobis non ſuppeteret, vel hæc ſola argumentatio probandæ liquidi nervei exiſtentiæ ſufficeret: Quæcunque Hypotheſis plurimis Phænomenis explicandis ſatisfacit, idque commodiſſime & feliciſſime, ea præ reliquis vera eſt & firmo ſubnixa talo: Atqui Hypotheſis de fluidi nervei in medullaribus cerebri & cerebelli tubulis ſecretione, ejuſdem per nervos motu inteſtino æque ac progreſſivo plurimis phænomenis explicandis &c.

§. XXXIX.

Quoniam autem infra motuum vitalium (§. 33.), quo pacto liquidi nervei per nervos ex cerebello oriundos influxu peragantur, quum motibus voluntariis (§. 33.) deſtinatæ partes nervos tantum ex cerebro accipiant, explicanda eſt: Hinc, ut deducere reliqua mox adducenda eo expeditius detur, hac occaſione, qua de cerebro, eoque quod in illo ſecernitur liquido ſubtiliſſimo tracto, non omittere decet demonſtrare & oſtendere, diſtinctis omnino & diverſiſſimis functionibus tum cerebrum tum cerebellum inſervire atque deſtinari; Cerebrum ſc. ſenſibus & motibus voluntariis peragendis, vel brevius & accuratius omnibus functionibus animalibus, Cerebellum, motibus vitæ conſervandæ neceſſariis (§. 12.) nec ab imperio voluntatis pendentibus; (§. 33.) & utramlibet partem ita res ſuas agere, ut ſe mutuo & proxime non adjuvent. Prius facile colligit, quicunque has partes prout in hominibus & brutis ſe habent, comparat: Etenim cerebrum ex. gr. in bove etiamſi maximo, longe minus tamen quam in homine, & aliter etiam, & magis etiam adhuc alia ratione in aliis animalibus ſtructum; quum contra cerebelli conformatio eadem fere ſit, & major moles in animalibus reſpectu cerebri. Quod gerunt & adminiſtrant utrumque patet & ſolide probatur, quando 1.) læſo graviter cerebro, omnium partium actio voluntaria, omnes ſenſus, interni æque ac externi deſinunt; cordis vero, pulmonum, arteriarum, & reliqui vitales motus, animæ imperio non obſequentes, pergunt; 2) cerebello autem graviter læſo vel diſſecto, quamvis cerebro & medulla oblongata integris, ſtatim cum cordis & pulmonum motu ſufflaminato, vita perit: Namque adeo ſi motus vitales interrumpuntur, neque arteriæ moventur; exin quoque motus ille conſtrictorius & dilatatorius cerebri (§. 36.), in infantibus circa fontanellam percipiendus, & a pulſu tam infiniti numeri arteriarum in cerebro proveniens (§. 36. & 37. num. 4.) ceſſat, iſta vero ſyſtaltica & diaſtaltica cerebri commotio, quum unica cauſſa ſit, ut liquidum nerveum cerebri in nervos ſemper eodem turgidos urgeatur, ſicuti ad ſenſuum omnium activitatem neceſſe eſt, hinc remittente cordis & arteriarum motu, ſimul & ſemel omnes ſenſus fatiſcunt euntque perditum, quod ſuo ipſius exemplo Malpighium fuiſſe expertum, refert Archiater. Bergerus, dum ita graviter hac de re *Lib. de Nat. Human.* pronunciat: Huc enim imprimis facit perpetua vegetaque cordis pulſatio, qua neceſſaria ad ſecretionem, derivationemque humorum, filo non interrupto, per omnes corporis, & ipſos cerebri ac nervorum ductus, preſſio conſtat ſibi, vigetque, ita, ut feriante tantiſper cordis pulſu, mox ita quoque ſucci nervoſi progreſſio & tranſitus, atque adeo tenſio nervorum, & hinc pendentes operationes ferientur. Quemadmodum in ſe ipſo expertus eſt Malpighius, intermittente arteriarum pulſu, eadem temporis differentia, oculus momentanea quaſi ecclipſi tentari, ac ſi cilium tunc collabatur, & multiplici ſuccedente pulſus intermiſſione, corpus ruere, ſenſu motuque oppreſſis. Hæc, experimentum a Willisio in canis vivi capite inſtitutum extra dubium plane ponit, ut adeo certum atque evictum ſatis eſſe exiſtimem, motus viſcerum ab animæ voluntate alienas eique non obſequentes à cerebello dependere, ſicut actiones voluntariæ per nervos e cerebro ablegatos, diriguntur omnino. Immo Willisius omnem differentiam, quam habent voluntarii ac involuntarii ſive ſpontanei motus (§. 33.) circa nervorum principia & egreſſum vel ex cerebro vel cerebello penitius perveſtigavit. Quodſi enim egreſſum nervorum extra calvariam ſpectemus, nervus intercoſtalis cum vago e cerebello potiſſimum oriri, reliqui vero e cerebro, admixtis tamen ſemper quibuſdam ex cerebello tubulis, prodire, perquam certum eſt.

§. XL.

Probatum hactenus, dari fluidum nerveum, idque per nervos tam cerebri quam cerebelli in diverſos tamen diſtinctiſſimoſque uſus circulari: Nunc hoc ipſo fluido ejuſque in nervos influxu vim & actiones muſculares confici, demonſtrandum erit, ut, quo pacto motus in omnibus viſceribus involuntarius Vitalis, motus perpetuus ſit ac continuus, i. e. talis, cujus principium movens poſtquam actuavit, deindeque in quietem receſſit, per hunc ipſum, quem produxit, motum, ſe reſtituere, & hunc ſibi ſemper ſimilem motum iiſdem viribus ſine nova accedente externa potentia movente continuare poſſit, (§. 32.) intelligatur infra (§. 48-50. coll. cum §. 36.)

§. XLI.

Quicunque omnia in motu muſculari occurrentia phænomena ſedulo colligit, & æqua rationis trutina perpendit, illi ex iis ſolida diductione inferre licebit, 1) muſculi cujuſvis fibras ad contractionem ſtructura etiam ſua determinatas eſſe, & ad eam ſemper tendere, 2) ut tamen ſatis valide & determinato modo muſculus agat, aliam externam cauſſam ad hanc inſitam ad ſe contrahendum nitentiam accedere debere, 3) hanc momento citius vim ſuam exercere in parte quavis minima muſculi, & quidem accuratiſſime determinata ratione, 4) hanc vim eadem celeritate, qua in eum derivatur, regredi inde, & aliorſum migrare poſſe; quare 5) hæc vis non ab alia cauſſa

produci

produci in muſculo poteſt, quam fluido corpore tenuiſſimo, mobiliſſimo i. e. nervorum fluido: Quo minus autem ullum dubium relinquatur, quin hoc liquidum nerveum, quod tamen diſtincta ratione a cerebro & cerebello in muſculos derivari vidimus, (§. 39.) vera & præcipua cauſſa omnium actionis muſculorum ſit: penitus demum hanc rem explanat, quod, cum diſtincto hoc commercio, quod muſculos per nervos cum cerebro & cerebello intercedit, ſublato, nervo etiamſi integro, actiones muſculorum voluntariæ & vitales ſubito ceſſent (§. 38. n. 1.).

§. XLII.

Demonſtravit ingenioſiſſimus BORELLUS per integram *partem I. libri ſui de Animal. motu* ex interiori Mechanice, robur & virtutem motivam muſculorum multoties centies & millies ſuperare pondus oſſium & articulorum ſublevatorum. Quantum vero ad modum, validiſſimum iſtud robur exercendi, in eo quidem omnes, qui de illuſtri hoc argumento commentati ſunt, BORELLUS, COLE, HARVÆUS, LOWERUS, CROONE, BELLINUS, BAGLIVUS conveniunt, fibrarum partem carnoſam idoneam eſſe ad contrahendum & conſtringendum, & rurſus dilatandum, unde & motrices nomen illis haſit; neque inter accuratiores ambigitur, contexi muſculos ex fibris ejuſmodi longitudinalibus, quibus adhærent tranſverſales parallelæ, longitudinales ad angulos acutos interſecantes & laxius quodammodo conſtringentes, & ſpatia infinite parva juncturis diſtincta, efficientes. Fibræ longitudinales carneæ ſunt, & ruborem ſuum a ſanguine arterioſo habent, fibrillæ autem tranſverſales mere villi ſubtiliſſimi nervei ſunt, haſque LEUWENHOECKIUS contortas funis inſtar reperit, quare tanto fortius contrahi poſſint: Namque ad omnem muſculum nervi feruntur, ramos per eum minores minoreſque diſtribuentes, quorum commercio cum muſculo intercepto, ſenſus & motus in muſculo ceſſant; (§. 38. num. 1.) exporriguntur vero illi in qualibet parte vel in minima muſculi, ſicut in Phyſiologicis probatur, ſolida omnia primitus ex nervis componi, quare etiam muſculi fibrilla minima nerveæ ſubſtantiæ erit, functio vero ejus requirit, ut fluidum nerveum ubique libere per eam moveri poſſit; Diſtribuitur etiam in omnem muſculum arteria in tam exiguos ramos, ut denique in meras fibras carneas terminari videatur, proſpicit hæc muſculo ruborem & vigorem, roburque conciliat. Illos vero nervos, qui ad motus muſculares quoſcunque abeunt, duriores eſſe, reliquis ſenſationi dicatis, conſtans obſervatio edocuit: quoniam fibræ & tubuli ſinguli ſuis peculiaribus involucris & vaginulis a cerebro continuis donatæ, colligatæ & conſtrictæ ſunt, ob quam conſtrictionem & involutionem involucris denſis cum cerebro communibus, neceſſario preſſio atque elater fluidi, quod tranſit, concentratur, per mutuam fibrarum reſiſtentiam multiplicatur, & ad ſubigendas reſiſtentias infinitas & movenda pondera redditur aptiſſimus.

§. XLIII.

Hiſce jam in anteceſſum notatis, actionem muſcularem, ſive eam, quæ ex omni obſervatione vel maxime hic perpendenda atque explicanda venit, fibrarum carnearum contractionem & accurtationem, ita mihi concipio, nulla precaria Hypotheſi admiſſa: Eo ipſo momento, quo liquidum nerveum (§. 37. & 38.) per canales medullares nervorum uſque ad muſculum actioni illi idoneum, continue, uti in omnibus nervis fluens, a quacunque cauſſa determinante (§. ſeqq.) copioſius vehementiuſque in fibras minimas tranſverſales (§. præced.) irruit, eædem ſingulæ tantillum accurtantur, & fibras longitudinales carneas per ſe ad contractionem pronas (§. 41. n. 1.) contrahunt, accurtant, contorquent; hæ fibræ carneæ, quum ſanguinem arterioſum includant, (§. præced.) poſtquam per fibrillarum tranſverſaltum contractionem in ſingulis ſpatiis (§. præced.) relaxantur, adeoque diametrum ampliorem acquirunt, quæ ampliata ſpatia ſanguis arterioſus expandit: hiſce ſpatiis in actione muſculi ita expanſis, fibra quæcunque longitudinalis repræſentat copiam veſicularum communicantium in extremitate connexarum. Ad imitationem hujus artificii, quod in fibris motricibus muſculorum ita latet, ejuſque penitiorem explanationem STURMIUS Machinam exſtruxit, in qua per veſicarum invicem communicantium ſolo oris flatu factam abbreviationem pondus quoddam notabile allevari, locoque moveri poteſt *vid. Colleg. ejus Curtoſ. part. II. Tentamen XI. de nova qua potentia Mechanica, muſculorum actiones ſtupendas in corpore Animali egregie illuſtrante & oculis ipſis quodammodo demonſtrante.* Hæ ergo veſiculæ quomodo jam extendantur, quæſtio eſt? hic CLARISSIMUS Helvetiorum Mathematicus BERNOUILLIUS *Diſſ. de mot. muſc. Sect. V.* confluxum ſanguinis cum ſucco nervorum elaſtico adducit; JACOBUS KEILIUS autem, in ebullitionis locum e principiis NEWTONI vim attractricem ſeu niſum diſtinctum inter diverſæ magnitudinis particulas ſubſtituit: ego autem mihi hiſce non egere ad horum explicationem videor, remque omnem de hac expanſione veſicularum, in quas fibra carnea longitudinalis per fibrillarum tranſverſalium contractionem corrugatur, ita ſimpliciter mihi concipio: dum fibrillæ tranſverſales contrahuntur tantillum per liquidi nervei influxum, fibræ carneæ longitudinales relaxantur, adeoque ſpatiola fibrarum carnearum longitudinalium, ſanguinem arterioſum continentium, amplificantur quoad Diametrum & veſiculas conſtituunt, iſte vero ipſe in his ſpatiolis ſive veſiculis incluſus ſanguis arterioſus, dum ex longo & arcto, in brevius at ſimul amplius ſpatium urgetur, eo ipſo has veſiculas cum magno motus compendio, quod Machina oſtendit STURMII, in ſphæroidalem formam expandit, eoque ipſo, quum hoc fiat in ſingulis punctis, totum Muſculum ſive omnes fibras carneas contrahit & accurtat. Jam vero ſi computes multitudinem veſicularum unam fibram conſtituentium, ac numerum harum fibrarum unum Muſculum conſtituentium, conſidereſque ſingulas fibras per ſe niſu & tendentia gaudere ad ſe adcurtandum, ponderes denique tot millies mille fibrillas tranſverſales nerveas per influxum liquidi ſingulas tantillum accurtari, & elaterem liquidi nervei propter involucra duriora nervulorum iſtorum eſſe ingentem, auctum & multiplicatum (§. præced.), ſimul vero etiam elaterem aëris in ſanguine arterioſo incluſi, erit tibi facile concludere, exiguam admodum potentiam requiri ad contrahendas fibras muſculares & ad producendas in nobis tot mirandas motuum variationes: Immo ſi intelligas & comprehendas Jo. BERNOUILLIUM, qui *in Medit. Mathematicis de motu Muſcul.* tum curvam, ſecundum quam fibra motrix expanditur, tum rationem inter vim dilatantem & reſiſtentiam, aliaque per Demonſtrationes Algebraicas ingenioſe determinavit, quæ omnia adeo certitudine Geometrica gaudent, ut, quid iis opponi poſſit, certe neſciam; manifeſtum evadet, quam debilis requiratur ſucci permeantis elaſticitas, ad immenſam & incredibilem muſculorum energiam producendam.

§. XLIV.

Quoniam itaque tam ex §o præced. reſtat, quam tractationis meæ ſeries etiam poſtulat, ut poſitive determinem, qualisnam illa cauſſa ſit, quæ liquidum nerveum in villos muſculares tranſverſales eo præciſe momento, dum muſculus agere debet, copioſius vehementiusque influere faciat: Hinc ea ſic conficio. In motibus voluntariis, teſte quotidiana experientia, hanc ipſam efficacem mentis voluntatem & ſtrenuum imperium primam & veram cauſſam hujus influxus copioſioris liquidi nervei ex cerebro per nervos inde oriundos (§. 39.) eſſe, jam ſupra (§. 34.) aſſerui, neque ſpecialius hæc ad ſcopum meum ſpectant. In motibus autem involuntariis ſive ſpontaneis producendis, quorum primarii ſunt vitales, utramque, quæ reſtant, paginam facientes, animæ omnem vim & efficaciam cauſſalitatemque denego, ſed vero hos motus ſpontaneos ex ſolo corporis Mechaniſmo ſive ex corporis vivi ad motum perpetuum diſpoſitione (§. 36.) per ſuarum partium naturam & connexionem neceſſario conſequentem (§. 48.) i. e. ex propulſione ſanguinis per cordis conſtrictionem mediante influxu liquidi nervei ex cerebello factam, verſus cerebellum, cerebellique per arteriarum innumerarum, quibus cortex conſtat (§. 37. num. 4.), dilatationem, neceſſariamque inde tubulorum medullarium lenem compreſſionem progenita liquidi nervei in cor ad novam conſtrictionem propulſione atque impreſſione, (§. 36.) produci. Poſſem quidem in primis negativum momentum, ſc. motus ſpontaneos adeoque potiſſimum vitales ab anima minime produci, neque dirigi, probandum, & quæ ab iis, qui ſecus ſentiunt, argumenta objiciuntur, confutando me diffundere, at non proxime id thema meum exegit, & ſufficienter maſculeque idem præſtitum eſt a Viro Doctiſſimo D. Borosnyai *in Diſſ. de potentia & impotentia animæ humanæ in corpus ſibi junctum organicum*; quibus id unicum tantum addo, quod nullas animæ in producendis moderandiſque motibus vitalibus & ſpontaneis in genere, eſſe vices, vel exinde manifeſtum ſit, quod 1.) quomodo illi perficiantur, plane non, niſi poſt Anatomicam inſpectionem & Phyſiologicam doctrinam hauſtam demum, intelligat quiſquam, 2.) neque feriam & ſtrenuam per volitionem homo eoſdem aut accelerare aut retardare queat, 3.) quia anima plane non ſibi conſcia eſt; ſe hos motus producere; ſed magis poſitivæ parti, pauxillum adhuc, ad plenam Demonſtrationem perficiundam, inhærere oportebit, motuum nempe ſpontaneorum & totius vitæ corporeæ cauſſam veram Phyſicam in ipſius corporis artificioſiſſime ſtructi Mechaniſmo motus perpetui collocandam eſſe.

§. XLV.

Sicuti veterum multis in Phænomenorum ſolutionibus ea erat ſors ac conditio, ut, dum ſufficienti Anatomica cognitione, & obſervationum ſedula collatione deſtituebantur, facile pro Junone nubem, & pro vero falſiſſimum quodvis amplecterentur: Ita in argumento de motu muſculari credere non dubitabant, quaſi motus duntaxat voluntarii, quos animales vocabant, ope fibrarum muſcularium perficerentur, ſpontaneos vero, quos naturales dixere, abſque talibus fibris, ſolo ſpirituum quorundam naturalium, ut vocabant, ope peragi. Verum enim vero, motus omnes ſpontanei, vitales & quotquot eorum numerantur, duplicis tantum generis ſunt, ſyſtalticus nimirum & diaſtalticus, ſive conſtrictorius & dilatatorius. Ratio & experimentatio docet, omnes & ſingulos motus diaſtalticos ſeu dilatatorios non proprios eſſe canalibus, ſed dependere unice à fluidorum aliunde facto in horum cavitates impulſu ac protruſione, adeoque eſſe paſſivos; motus vero ſyſtalticos & conſtrictorios proprios eſſe partibus eoſdem producentibus, ſiquidem ex ſupra (§. 40. 43.) dictis clarum eſt, quod, ubicunque adſint fibræ muſculares, liquidique nervei influxus, ibi fieri debeat actio muſcularis, id eſt, contractio ſive accurtatio fibrarum motricium, ubi fluidum nerveum copioſius vehementiusque in has fibras determinatur; jam vero viſus microſcopio armatus, vel etiam nudus interdum oculus fibras ejuſmodi muſculares in partibus motu ſpontaneo motis v. g. in corde, arteriis, canali inteſtinali, veſicis, ſphincteribus &c. deprehendit; ergo quid mirum motus conſtrictorios, quos ſyſtalticos Græco idiomate vocant, in iiſdem obſervari, & qui dubitabis, dum hæc ita fiunt, per vim & actionem fibrarum muſcularium, ita fieri? Quum autem diverſa & multiplex fibrarum directio ac poſitus neceſſario diverſas & multiplices motuum directiones producat: Hinc ubicunque circularis & ſpiralis fibrarum muſcularium eſt circumvolutio, ibi neceſſario, dum agunt & accurtantur ſingulæ fibræ, anguſtior fieri debet circulus ſeu capacitas intermedia, ejuſque diameter minui, id quod ſi in corde & arteriis contingit ſyſtoles vocatur, ſeu motus conſtrictorius, qui ſimul neceſſario efficit, ut fluida, quæ intra has cavitates coarctandas & conſtringendas tunc temporis deprehenduntur, ex hiſce cavitatibus quaquaverſum & qua patet via propellantur. Concludo autem rectiſſime, ſi omnis in genere muſculorum tam voluntariis quam ſpontaneis motibus deſtinatorum (§. 33.) motus ab influxu liquidi nervoſi & arterioſi dependet (§. 43.) hinc organorum etiam ſpontaneis motibus gaudentium actiones ab influxu horum liquidorum derivandæ ſunt, utrobique enim eadem vaſa, eadem liquida, eadem vis contractilis, & ligatis abſciſſiſque nervis & arteriis hic quoque motus perit. Utrobique vero etiam differentia intercedit, nam in muſculis voluntariis quies ſive ſtatus æquilibrii inter ſe invicem diu, donec nempe eum voluntas determinatione ſua tollat, & motus in illis excitet, perſiſtere poteſt; aſt in organis ad quamvis motionem ſpontaneam deſtinatis, perpetua quædam æquilibrii ſublatio & reſtitutio, ſive motus reciprocus & alternus, ex peculiari eorum Mechaniſmo (§. 47. & 48.), qui alterna, uti dictum dilatatione & contractione abſolvitur, viget. Huc vero etiamſi elaſtica fibrarum ſtructura (§. 41. num. 1.) faciat, notum enim eſt, quod elaſtica corpora tenſa vel compreſſa ad ſtatum æquilibrii ſe reſtituere ſoleant, ut tamen fluida, quæ intra canalium parietes feruntur, & eos diſtendendo dilatandoque diaſtolen efficiunt, valide ac fortiter motu projectili ſeu progreſſivo propelli poſſint: præter elaſticam vaſorum contractilitatem influxus liquidi nervoſi & arterioſi intra tunicas canalium neceſſario requiritur (§. 43. & 47.) ut hæc conſtrictio & dilatatio perennet (§. 48), quippe quæ cordis & arteriarum ſyſtole & diaſtole vera & adæquata ſanguinis in orbem progreſſus ſeu circulationis eſt cauſſa.

§. XLVI.

Equidem demonſtratum eſt, liquidum nerveum per ſuum ex cerebello influxum (§. 39.) in fibras muſculares (§. præced.), quæ vel in faſciculos collectæ perfectum efformant muſculum, ut in corde, vel in membranas expanſæ, muſculares conſtituunt membranas, motus ſpontaneos producere atque efficere. Quum autem hoc liquidum nerveum determinatione ſive cauſſa determinante egeat, ut tunc

præciſe,

præciſe, quando opus eſt, ad ſyſtolen efficiendam (§. præced.) influat; Anima vero illud in motibus, de quibus jam unice agitur, ſpontaneis & vitalibus non determinet, quum eandem ſemel pro ſemper ab hoc titulo excluſerim (§. 44.): Hinc demum quæritur, undenam hæc fiat determinatio? Ut itaque ad finem perducam, quæ de motibus ſpontaneis & vitalibus eorumque principio movente ſeu vi motrice dicere mecum conſtitui (§. 35.) & hactenus ex parte dixi (§. 27-45.): ratione determinationis fluidi nervei ex cerebello in nervos inde oriundos adhuc opus erit explicare. Ita enim res ſe habet: Muſculi omnes totius corporis in æquilibrio ſe tenent, h. e. in eo ſtatu, ut uterque per niſum ſuum contractilem (§. 41. n. 1.) tantum ſe contrahat, donec alter alteri reſiſtat, neque elongentur, quouſque ab antagoniſta, vel ab alia quacunque cauſſa, nempe preſſione fluidorum elongari poſſunt. Fluidi etiam nervei influxus in omnes partes æquabilis eſt, & proinde nullus muſculus præ aliis ad actionem determinatur, niſi cauſſa aliqua nova accedat, quæ fluidum nerveum eo potiſſimum dirigat, determinet, proliciat (§. 41. num. 2.): quippe quam, qualis ſit in motibus ſpontaneis motum perpetuum conficientibus, nunc explicare, vel maxime requiritur.

§. XLVII.

Quilibet attentus animadvertet, jam ſupra (§. 36.) a me ſupponi, fluidum nerveum, quod adeo omni vis motricis ſive potentiæ moventis una cum ſtructura muſcularium fibrarum, munere fungitur (§. 41 - 43.) ratione determinationis (§. præced.) ſemper tunc in fibras muſculares ad actuandum influere, quotieſcunque humores vaſa diſtendunt & dilatant in diaſtole (§. 45.), poſtquam nimirum a facta in alia parte conſtrictione & preſſione, in proximas partes propelluntur & intruduntur: hinc hanc ipſam, quam aut cor aut arteriæ patiuntur dilatationem (§. 45.) eſſe cauſſam determinationis fluidi nervei, ut præciſe huc, ubi dilatatio facta eſt, copioſius vehementiuſque influat, ad eam, qua opus eſt, conſtrictionem efficiundam. Hactenus nihil quidquam adſumſi, quod non addito argumentorum robore evicerim, neque hæc ſic intacta dimittam, ſed penitius probatum ibo. Jam autem ſi fabricam arteriarum in Anatomicis adumbratam perpendimus, exploratum eſt ſtudio & induſtria Willisii, intimam tunicam arteriarum, quam ſanguis immediate tangit, eſſe nerveam, i. e. ex meris ſubtiliſſimis fibrillis nerveis contextam; alteram autem, quæ huic ſuperſternitur, plane ex fibris carneis ſeu muſcularibus conflatam, multis ſtratis fibrarum craſſam; hanc excipere vaſculoſam, ſeu arteriolis & venulis innumeris conſtantem: Nunc itaque, quodſi per ſyſtolen cordis ſanguis magna preſſione in omnes arterias propellitur, non poteſt quin ſanguis fibrillas nerveas in intima arteriarum tunica expanſas, quas immediate attingit, vi illius preſſionis agitet, extendat, vellicet, idque eo magis, quia arteriæ omnes conicæ ſunt, per quam figuram neceſſario ſequitur, quod fluidum preſſione propulſum in ſingulis punctis oppoſita directionis linea, impingat: Talis autem fibrillarum nervearum agitatio, extenſio & vellicatio influxum liquidi nervei prolicit ad producendum in muſculari tunica contractionem muſcularium fibrarum, quæ ſyſtole audit (§. 45.) uti mox probabitur. Eadem & ſimili ratione, uti cum arteriis, eſt quoque cum corde comparatum, cor enim, quo eſt ad vitam pars principalior, & verum in Corporis Humani Machina centrum motus, circa quod ejus motus omnes peraguntur, (§. 36.) eo autem ſtructuram obtinuit mirabiliorem, & copiam fibrarum longe largiſſimam denſiſſimamque. Ejus ſtructura, ſitus, connexio, ut & analogia cum helice, cujus ope ut docet Mechanica, vis debilis incredibilem reſiſtentiam ſuperare poteſt, copia ingens fibrarum muſcularium magnam illi potentiam motricem ineſſe perſuadent (§. 43.). Omnis ejus ſubſtantia mere muſculoſa eſt, cum tendine ſatis valido oſtia cordis in ejus baſi cingente & formante, in quem, fibræ, aliæ in exteriori ejus ambitu a baſi & tendine cordis ſiniſtrorſum, aliæ in interiori latere dextrorſum, flexu potiſſimum ſpirali & ſibi oppoſito, ſeſeque ſummo artificio decuſſante, deferuntur, quæ ut eo fortius cordis parietes conſtringant, in ipſo ejuſdem cono in unum eundemque nodum contorquentur. Has fibras muſculares mirifice perreptant infinitæ nerveæ fibrillæ a pari vago & intercoſtali oriundæ, quas potiſſimum in interiori ventriculorum ſuperficie abundanter eſſe expanſas neutiquam dubitandum eſt. Jam ergo ſi ſanguis, qui in auriculas ceu diverticula, dum cor erat in ſyſtole, a contractione & conſtrictione auricularum cordis, quæ eadem muſculari ſtructura gaudent, valida preſſione in utrumque ventriculum agitur, eoſdem dilatat, expandit, fibras muſculares carneas hiſque interpoſitas fibrillas tranſverſales nerveas (§. 42.) tendit, fibrillas quoque nerveas in interiori ventriculorum ſuperficie diſſeminatas preſſione ſua actuat, vellicatque, gravitate agitat, idque eo magis, quo pluribus inæqualitatibus, lacertulis ſive columnis carneis, interjectiſque ſulcis interna ventriculorum cordis ſuperficies prædita eſt, ad augenda puncta contactus, utque eo magis ſanguis agatur conquaſſeturque, & viciſſim in cordis fibras reagat prematque & vellicet, & hoc ipſo, influxum liquidi nervei ex omni ſyſtemate arterioſo in diaſtolen jam abeunte provocet; adeoque fit cordis ea conſtrictio, quæ ſanguinem in omnem corporis ambitum impellit, eaque ſoluta, fit ea relaxatio ſeu diaſtole, qua ſanguinis irruentis influxu rurſum vellicantur fibrillæ nerveæ, ad novamque contractionem in fibras muſculares cordis fluidum nerveum determinatur, ut nova ſyſtole perficiatur, eaque facta, novæ apertioni relaxentur. Hæc autem vere ita contingere, demonſtrant experimenta: ligatis vel abſciſſis enim exacte cordis nervis, motus ejus vacillat, fatiſcit, abolетur, manetque cor in ſtatu diaſtaltico, exin ſolidum procedit ratiocinium, ſyſtolen ſeu contractionem cordis a nervis & liquidi per illos impulſi ac lati influxu dependere, concurrente ſimul ſanguinis per arterias coronarias in omnem cordis ſubſtantiam influxu, hic enim in omnibus muſculis ad actionem neceſſario adeſſe debet, (§. 42. & 43.) hinc expreſſo ex vaſis coronariis cordis inciſis ſanguine, ceſſant non ita multo poſt pulſationes ejus ſuperſtites in brutis. (§. 38. num. 1.) Ipſam vero cordis & arteriarum ſucceſſivam diaſtolen ſive expanſionem & dilatationem, indeque factam fibrillarum nervearum agitationem & vellicationem, veram cauſſam determinantem eſſe, ut liquidum nerveum copioſius vehementiuſque huc influat ex cerebello, probat 1) hiſtoria congeſtionum & inflammationum, dum nimirum ubicunque in corpore vaſa quædam per humorem ſpiſſiorem quam par eſt redditum, dilatantur, ſimul ac major huc tam fluidi nervei fit influxus in fibras nerveas, quam aliorum etiam humorum ad hanc partem major motus, quia omnia vaſa primitus conſtant ex meris nervis; attamen ejus rei, quando accidit præcipue in interioribus partibus, nullam habemus Ideam ſeu in mente repræſentationem, quippe quæ intra nos ita fiunt plane ignoramus, niſi adeo enormis ſit vaſorum dilatatio, ut rupturæ proxima ſint vaſa, adeoque triſtis illa ſenſatio oboriatur, quam dolorem vocamus,

camus, hæcque in anima ſenſatio inde oritur, quia non facile in ſingulis corporis partibus nervus reperitur, in quo non tam filamenta ſeu tubuli ex cerebri quam ex cerebelli medullari ſubſtantia colligantur (§. 39. in fine,) ex cerebello enim ſine animæ impulſu fluidum nerveum nervis tradi ad agendum aſſerui. (§. 39. collat. c. §. 44.) Si ergo quædam congeſtio humorum & vaſorum dilatatio in aliqua corporis parte fieri poteſt, cujus homo ſibi non eſt conſcius, neque ullam ejus habet notitiam, & tamen eam juſto majorem vaſorum dilatationem ſubſequitur major & copioſior liquidi nervei ad majorem ſyſtolen perficiundam influxus, quod probat ea quæ ſæpius ſola natura medicatrice evenit talis congeſtionis diſcuſſio: hinc hic ipſe copioſior vehementiorque liquidi nervei influxus modo plane Mechanico i. e. neceſſario ſubſequitur hanc dilatationem, ſive quod idem eſt, hæc ipſa dilatatio cauſſa determinans eſt copioſioris liquidi nervei influxus & hinc ſubſequuturæ ſyſtoles; (§. 45.) Atqui verum prius, ergo etiam poſterius; 2.) quia intercepta diaſtole non plenaria ſyſtoles ſuccedit, ſed cor in ſtatu medio permanet; Vena enim cava & pulmonali ligatis, ſanguiniſque in cordis ventriculos influxu præcluſo, motus ejus ceſſat, & cor manet non in ſtatu exacte ſyſtaltico, i. e. ut cava cordis exacte conſtricta & arctata plane relinquantur, ſed in ſtatu inter ſyſtolen & diaſtolen extremam medio; ergo ſi ſyſtole non ſequitur intercepta diaſtole & dilatatione cordis, neceſſario hæc illius cauſſa erit, eo modo, ut, quod dixi, liquidum nerveum per fibrillarum nervearum tenſionem, agitationem & vellicationem ad influendum copioſe & vehementer determinet proliciatque; idem valet de arteriis; 3) quia experimentum docet, quod nervus in animali vivo denudatus, qualitercunque vellicatus & agitatus ſimul conſtrictionem & contracturam partis producat, ad quam amandatur; Si ergo nervus utcunque agitatus & vellicatus in animali vivo conſtrictionem & motum muſcularem efficit, ad motum muſcularem autem neceſſario influxus liquidi nervei requiritur copioſior & vehementior, (§. 41. num. 2. & 5. it. §. 43.) hinc recte infertur, vellicationem & agitationem fibrillarum nervearum eſſe veram cauſſam determinantem copioſioris & vehementioris influxus liquidi nervei. Q. e. probandum. Immo ipſa febris & in genere ſpaſmi theoria, cujus duæ in genere obſervantur cauſſæ materiales, nempe vel ſanguis ſtagnans in nervoſis partibus, eaſdemque ad motus ſollicitans, vel ſubtilis, acris, mole exigua & cauſtica materia fortiores in nervis motus ingenerans, manifeſtat, omne illud, quod nervoſas partes afficit, premit, vellicat, irritat, motus fortiores, ſyſtolenque auctiorem producere, & ſi ſat valide agit, ita ut omne ſyſtema in conſenſum rapere valeat, febrem inducere; etſi etiam hæc per ſe evidentia ſatis ſint, placet tamen adhuc tribus verbis Baglivum adducere, qui varia experimenta cum brutis inſtituens, mox nervoſas valde partes, duram matrem, medullam ſpinalem titillando & vellicando auctiores ſtatim motus ſyſtalticos, mox eaſdem partes pungendo, laceſſendo, aut ipſis ſpiritus acres, rodentes inſtillando exigua doſi, extemplo in corpore animalis tremorem, horrorem, horripilationem, palpitationem cordis, atque ſic artificialem febrim produxit. Jam vero, ſi ſola vellicatio, agitatio, lancinatio, punctio, irritatio nervoſarum fibrillarum ſyſtolen auctiorem ceu vera cauſſa producit & efficit, etiam eadem nervorum modica & lenis agitatio, qualem irruens & preſſione propulſus ſanguis efficit tam ſua gravitate, quam aucta elaſticitate expanſioneque, quam etiam ipſis momentis motus preſſorii & projectilis, ſyſtolen naturalem ſeu minus auctam ciet: id vero non aliter fit, quam dum hæc nervi agitatio copioſiorem liquidi nervei influxum in fibras muſculares cordis & arteriarum provocat, quippe qui neceſſarius eſt ad villorum muſcularium contractionem (§. 41. num. 2.); quodſi vero quiſpiam obgerat, hunc copioſiorem a nervi punctione determinatum influxum liquidi nervei, fieri ab anima per nervos cerebri poſt perceptum dolorem, illi reſpondeo, utut negari non poſſit mixtas ſemper nervis ex cerebello fibrillas eſſe ex cerebro, tamen cerebrum cum ſuis nervis inde orientibus nihil conferre ad motus vitales, ſupra (§. 39.) probavi, & ſolum cerebellum has vices gerere per ſuas nervorum propagines; 4.) denique monendum hic eſt, ineſſe profecto ipſi materiæ motum movendique principium & potentiam agendi concreatam, quemadmodum fauſtiſſimis auſpiciis Ill. Dn. Præses, Leibnitzius aliique poſt hos Phyſici & Mathematici oculatiſſimi docuerunt, neque ulla corpora, uti antiqui putabant mere paſſiva, inertia & velut mortua ſe habere, niſi motus illis aut Archæi, aut varii generis ſpiritus dæmoneſque darent, adeoque quis negaret fluidum nerveum, quod per ſe eſt ſubtiliſſimum & mobiliſſimum, inſigni vi motrice præditum eſſe, & certos definitoſque motus producere, quotieſcunque per agitationem, preſſionem, tenſionem nervorum ad influxum copioſiorem determinatur. Concipias enim tibi tubulos ſive fibrillas nerveas conſtare ex membrana ſimpliciſſima quam ipſæ fibræ ultimæ ſimplices unitæ efformarunt, fibram ſimplicem autem exſurgere ex particularum minimarum terrearum cohæſione beneficio glutinis alicujus & vis naturalis attractricis facta, eum in modum, ſicuti lapides murarios in muris committi videmus: ſimul ac ergo vel leviſſima tenſio, vellicatio, agitatio fibrillæ continget, aderit ſimul etiam harum particularum motus, ergo & ſitus mutatio, his autem particulis quum contiguum ſit fluidum nerveum, hocque ſit longe mobiliſſimum, neceſſario idem, qualis in particulis nervearum fibrillarum eſt excitatus motus ſpecificus, facillime verſus cerebellum communicabitur & tranſibit, iſque motus alium motum producit, uti fit in univerſa natura, quo nimirum fluidum nerveum copioſius quam ante hanc determinationem celeriuſque a cerebello influit in nervos. At inquies, jam ſingularis hic ſententiam tuam premit difficultas, qui fiat ſc. ut præciſe in hos non in alios nervos nervorumve ramos fluidum nerveum influat; Certe vero, ſi quæ alia, hæc facillime expedietur difficultas, ſi cogites ſingulos nervorum tubulos diſtinctiſſimis principiis ſive locis in cerebro & cerebello terminari ſeu exoriri, ergo, ſi quis motus in fluido nerveo per vellicationem, agitationem & tenſionem fibrillarum nervearum factam, ad cerebellum uſque propagabitur, producet is novum motum in cerebello, & quidem præciſe in eo loco & ſpatio, ubi iſte nervus terminatur, ergo quid mirum ſi in ſolis his nervis, qui in hoc loco ſive ſpatio cerebelli vicini ſunt, iſte novus motus contingat, quo fluidum nerveum fortius celeriuſque ad actionem muſcularem influit: non poteſt non ita fieri neceſſitate plane Mechanica. Minime autem quoque in eo ungues arrodere quiſquam neceſſe habet, utrum etiam, & quomodo liquidum nerveum adeo celerrime poſt hanc a nervulorum vellicatione factam determinationem influxus, influere poſſit, ut vix comprehendibile temporis punctum inter determinationem & ipſum influxum intercedat, qui ſapienter perpendit primo ipſam fluidi nervei naturam, quam ſit multo ultra vulgarem & rudiorem conceptum mobiliſſimum & ſubtiliſſimum ex comparatione inſtituta cum celeritate motus in radiis luminoſis vel æthere, immo,

immo vel in craſſo aëre, cujus motus undulatorius, qui ſonum facit, intra 21. arteriarum pulſus per integrum milliare germanicum propagatur, quo reſpectu certe illud exiguum ſpatium eſt a cerebello inde ad partem movendam, quippe in maxima diſtantia, & in excelſo corpore quatuor ulnas vix excedit, 2) quod tubuli, in quibus fluidum nerveum movetur & fluit vehiturque, non ſint ſicut omnia reliqua vaſa totius corporis conici, i. e. diametrum ſuam magis magiſque quo longius procedunt, imminuentes, ſed vero cylindrici, dum nimirum ſinguli ſtupendæ minuitatis tubuli eandem diametrum, qua ex medullari cerebri aut cerebelli ſubſtantia proficiſcuntur egrediunturque, conſtanter per omnem ſuam dimenſionem progreſſumque in ultimos uſque fines retinent: quippe canales conici ejus, ſicuti ex Hydraulicis demonſtrare poſſem, indolis ſunt, ut momenta motus in ſingulis punctis imminuantur, niſi nova a tergo vis motrix ſuccedat, uti omnino contingit in arteris; in tubulis autem cylindricis eadem ſemper fluidi celeritas permanet ab uno impulſu, qui in tubulis nervorum cerebri ab anima, in nervis autem cerebelli ab hac ipſa agitatione & vellicatione tubulorum nerveorum contingit, 3) quia omnes tubuli a cerebro & cerebello inde, unde exorſi ſunt, turgent, & replentur hoc fluido, quod quia per ſe mobiliſſimum & elaſticum eſt, inque tubulis cylindricis movetur, non poteſt non omni cogitatione celerius, tam exiguum ſpatium, quale eſt inter τὸ ἐγκέφαλον & reliquas partes Corporis Humani muſculares, percurrere, motumque propagare. Jam ad ſummum evidentiæ gradum uſque perduxi, liquidum nerveum, quod vere exiſtit (§. 37. & 38.) ſicuti omnem in genere vim & actionem muſcularem per peculiarem ſtructuram muſcularium fibrarum perficit (§. 41-43.) ita ſpeciatim quod in cerebello ſecernitur, §. 39. unicam & veram cauſſam motuum omnium ſpontaneorum, vitalium imprimis eſſe, (§. 45.) a quibus rurſus naturales omnes dependent (§. 53.) & quum illud mox ſuo influxu in cor ſyſtolen cordis, mox alterna irruptione in omne totius corporis arterioſum ſyſtema ſyſtolen arteriarum vere efficiat (§. ſeq.) hinc eam ipſam diaſtolen, quæ poſt ſingulam utrimque ſyſtolen ſuccedit, & dilatationem, inſimul quoque quæ cum hac dilatatione conjuncta eſt, fibrarum nervearum tenſionem, agitationem & preſſionem, eſſe veram cauſſam determinantem fluidum nerveum, ut præciſe poſt ſingulam diaſtolen momentanee influat (§. hoc ipſo). Jam facile erit oſtendere, quomodo ex hoc alternante cordis & arteriarum motu ſyſtaltico & diaſtaltico motus perpetuus emergat (§. 32.) in Corporis Humani machina.

§. XLVIII.

Ubi vero jamjam motum perpetuum humani corporis machinæ demonſtraturus ſum, venit omnino in mentem cogitare ac reminiſci ex Mechanicis, omnem motum tria potiſſimum ſupponere, ſc. ſpatium, quod movendum corpus percurrere poſſit, deinde corpus mobile ſeu corporis movendi ad mutationem loci aptitudinem, & denique principium movens ſeu vim motricem; Quum autem ex notione vivi hominis fluere debeat motus perpetuus ſecundum titulum Diſſertationis, (vel §. 13.) hominis vero vivi primaria & characteriſtica nota in continuatione circuli ſanguinis ſita ſit (§. 12.), hinc motus iſte perpetuus humani corporis machinæ in circuitu iſto undarum purpurearum, non interrupto, ſaltim non plane ſublato, verum perdurante & bene vigente demonſtrandus erit. Ergo circa hunc peridromum ſanguinis, ex quo vera motus perpetui idea emergat, neceſſe eſt, plane eadem reperiri, quæ alias circa motum in genere obſervare licet, ſupereſt nullum prorſus dubium, & hoc loco ea quidem omnia veluti explorata ſuppono. Namque hic circulationis iter viaſque, quo pacto per omnes arterias ſanguis e corde ad omnia puncta peripheriamque corporis, & ex his rurſus ad dextrum cordis ventriculum migret & moveatur, ex hoc dextro corde omnis ſanguis venoſus per arteriam pulmonalem in pulmonales ducatur, & ex his redux ſiniſtro cordi per venam pulmonalem infundatur, unde rurſus in omnes arterias projicitur, per venas iterum ad viciniam cordis, ſaccos LOWERIANOS, auriculas, ipſos cordis ventriculos revehendus, ceu rem ſatis notam, certam & indubiam ſuppono; quæ nullam controverſiam fovet, nec probatione inter Medicos eget, poſt immortalis gloriæ HARVÆUM. Suppono etiam hic ubique ſecundo ſtatum ſanguinis ſecundum naturam, ſanum, i. e. in quo ſanguis aptiſſimus ad motum exiſtit, dum nimirum eſt, uti eſſe debet, definite elaſticus, quia nulla ſyſtoles, quæ cauſſa eſt motus ſanguinis per ſupra dicta (§. 45.), datur ſine prævia diaſtole, hæc vero ab influente ſanguine ejuſque vi expanſiva pendet; (§. 47.) deinde debite fluidus, quia in exigui admodum Diametri tubulos (§. 29.) penetrare tenetur rubicundus latex; porro ſat gravis, ut, dum valide conſtrictione vaſorum premitur in alias cavitates, per impetum a gravitate ortum harum fibrillas nerveas premat rite, vellicet, agitetque, (§. 47.) denique ut ſufficienti quantitate præſens ſit cruor, quia ejus motus progreſſivus per canales definito quodam ſpatio præditos, ſuccedit, ut adeo æquilibrium inter ſolida & fluida conſervetur. His præſuppoſitis, ponamus jam, humores omnes per ſua vaſa æquabiliter diſtributos & cor cum arteriis in ſtatu medio, ut neque nimis contrahantur, neque diſtendantur, nec agant. Ponamus immo, motus omnes ſolidorum ac fluidorum corporis h. e. vitam ipſam ceſſare, ita tamen, ut Machina hæc (§. 31. & 36.) de cetero quoad omnes ſuas partes integra adhuc ſit & motui aptiſſima, & quæritur: quomodo & unde in motum deducatur? Jam vero vel ſexcentæ cauſſæ & totidem modi præſto ſunt, quibus humorum circulus & cum eo vita revocari ad priſtinum ſtatum poſſit. Dabo unicum caſum, qu m etiam v re videmus contingere non ſolum in muſcis, hirundinibus, aliiſque animalibus, ſed vero in ipſo quoque homine, exceſſivo frigore fere emortuo, ponamus calorem externum novum corpori ita deſtituto accidere, neceſſario hinc humores in vaſis natura ſua turgere incipient, tum horum vaſa diſtendent, fibrillas tenuiſſimas nerveas agitabunt (§. præced.), influxum fluidi nervei ex cerebello (§. 39.) huc prolicient, & eo ipſo ad actuandum fibras muſculares determinabunt;) §. 43. & 47.) erit adeo æquilibrium in corpore ſublatum, arteriæ ſanguinem propellent, progredietur hic per venas, ſaccos LOWERIANOS, auriculas & ad ipſum cor; ſanguinis itaque in corde copia major facta ſimili ratione hoc diſtendit ulterius (§. præced.), & reliquos effectus producet nempe ſublata cauſſa, quæ arteriarum contractionem promoverat, (dum ſc. ſanguinis aliqua portio jam in dilatum cor ſeceſſit, ut adeo arteriæ non amplius turgeant dilatenturque, ſed ad ſtatum medium, in quo ſupra erant, poſt peractam ſyſtolen, redierint) actio earum ceſſat & in quiete ſunt, hinc quæ antea in arterias ad actuationem muſcularem influebat liquidi nervei vis & copia jam omnis in cor derivatur per hanc ipſam dilatationem & diſtenſionem quam patitur, (§. præced.) hoc adeoque per ſtructuram ſuam muſcularem (§. 45.) contrahitur, & ſanguis in arterias non amplius contractas propellitur, has diſtendit magis, vim fluidi nervei huc ex corde ab actione

ceſſante derivat (§. præced.): & circulum eodem, quo inceperat, modo in infinitum repeteret, ſi aliæ id cauſſæ tum externæ, tum internæ permitterent.

§. XLIX.

Ex his (§. præced.) ergo irrefragabili documento manifeſtum certumque & comprobatum eſt 1.) Machinam Humani Corporis Hydraulicam (§.26-29.) vere tam affabre eſſe conſtructam, ut motus conſtrictorii & dilatatorii ventriculorum cordis & arteriarum mechanica neceſſitate ſint achroni, uti etiam ventriculorum & auricularum; at vero ſyſtoles & diaſtoles auricularum & arteriarum ſynchronæ; porro ut cordis & arteriarum ſyſtole & diaſtole vera & adæquata circuli ſanguinis cauſſa ſit, in quo quippe verus motus perpetuus Machinæ Corporis humani conſiſtere debet, vi dictorum (§. præced.); circulus ſanguinis vero quum omnium reliquarum in corpore functionum ſpontanearum, naturalium nimirum ſit cauſſa, quod infra probabitur, (§. 53.) hinc ſeriem cauſſarum in circulum abire in hac hominis Machina evictum eſt; ita prorſus, ut cordis ſyſtole diaſtolen arteriarum producat, & diaſtoles arteriarum rurſus provocet earum ſyſtolen, quæ poſtea rurſus cauſſa diaſtoles cordis evadit, & ſic motus ſit perpetuus ac continuus (§. 32. cum 36. coll.) Ex iiſdem (§.præced. elucet 2) in eo etiam Machinam Corporis Humani cum vera perpetui mobilis idea congruere, ut impulſu egeat prius, quam motum ſuſcipiat (§ 5.): iſte vero impulſus contingit & incipit in generatione, quomodo autem contingat, hic diſpiciendi non locus eſt, thema enim meum tantum exigit, ut hunc motum in homine a quocunque impulſu præſentem, demonſtrem eſſe perpetuum ac continuum (§.14.& 32.), ſicuti ſcrutaturo & inquiſituro, utrum machina aliqua mere artificialis v. g. Orfyrei ſit verum perpetuum mobile, i. e. utrum habeat motum perpetuum (§.6.) perinde eſt, Cajus, Lælius, vel Sempronius eam Machinam rotare incipiat ſeu impulſu in motum cieat, de ſola enim motus continuatione an hæc fiat a principio movente intrinſeco, ſemet ipſum reſtituere apto, eſt ſollicitus; ſimiliter etiam ex iis (§. præced.) fluit 3), quod in motu perfecte impedita, ſine ulla alia remora, per ſe in quiete perſtet ac permaneat, donec initium motus ab impulſu externo iterum fiat, quippe quod etiam in perpetuo mobili neceſſarium requiſitum erat; (§. 5.) quia enim ſucceſſiva & reciproca cordis & arteriarum ſyſtole ac diaſtole, perennis & perpetui ſanguinis in orbem fluxus ſive circulationis, adeoque vitæ (§.12.) cauſſa eſt (§.præced.) ipſaque ſyſtole diaſtoles, & rurſus diaſtole ſyſtoles cauſſa vera efficiens, licet non pariter proxima ſit, (§.præced.) ſequitur, quieſcente uno horum motuum, ſive in corde, ſive in arteriis, totius circuli ſanguinis & totius Machinæ Corporis Humani Hydraulicæ motum perpetuum & continuum, ipſamque vitam (§.12.) intercipi: exemplo hæc a priori deducta a poſteriori reapſe demonſtranti ſit, quando ſupra modum ex congeſto ſanguine diſtenditur auricula dextra, v.g. propter aërem nimis rarefactum, ut fit in vacuo, vel calidiſſimo aëre; ſyſtole ejus langueſcit, vel plane perit, unde Syncope; item quando ex vehementiori animi adfectu, vel ex dato veneno, tanta ſæpius fit ſyſtematis nervoſi, quin & cordis conſtrictio, ut ejus expanſio, qua recipitur ſanguis (§. præced.), plane aboleatur. Quia vero novo iterum facto hujus motus in tempore impulſu, motus is perpetuus in perpetuo mobili adeoque etiam in Machina Corporis Humani reſtitui & denuo incipi poteſt, uti mox ante (hoc eodem §. nu. 2.) dictum eſt, hinc, quando cordi vel arteriis quieſcentibus, in poſteriori caſu, ubi diaſtole deficit, vel unica diaſtole jam conquieſcente Machina, redditur, totam ſanguinis maſſam in motum rurſus progreſſivum excitari & cordi atque arteriis motum adeoque vitam reſtitui poſſe experimentum probat Needham & Malpighii, quod ipſe αὐτόπτης nuper privatâ induſtria cum ſucceſſu inſtitui vidi, ſc. cani thorace diſciſſo & corde diu quieſcente, vere emortuo, vitam i. e. ſyſtolen atque diaſtolen cordis arteriarumque ad tempus reddi poſſe, ſi tubulus ductui thoracico vel venæ jugulari, aut cavæ immittatur & aër inſletur, quod etiam in homine mortuo factum eſſe, Brunnerus *in Tract. de glandulis duodeni*, memorabili exemplo confirmat; Ita quoque aqua ſuffocati, vel laqueo ſtrangulati, ſi mature frictionibus, venæ ſectione & immiſſione corporum in aquam calidam tractentur, ad vitam revocati ſunt, non aliam ob cauſſam, quam quod ſanguini & humoribus ad coagulationem jam proximis, fluiditas, & cordi & arteriis, facta a calore expanſione, dilatatio ſeu diaſtole reſtituitur, quam mox conſequitur ſyſtole (§.48.), adeoque priſtinum motus perpetui ſchema (§.præced.) continuatur. In altero autem caſu, quando ſyſtoles emanſit & defecit, ſi unica ſyſtole in tempore rurſus procuratur, ſubito animantia morti proxima (§. 12.) vitam recuperant; uti adparet in animalibus campanæ in Antlia Pneumatica aëre evacuatæ incluſis, admiſſo poſtea ſucceſſive & leni modo aëre, ubi ſyſtole cordis & arteriarum denuo incipit; idem videre eſt circa animalia in aëre enormiter calido & rarefacto conſtituta, quippe qui pulmonum vaſa a nimia ſanguinis expanſione, ultra conſtrictionem diſtendit, adeoque ſyſtolen intercipit, ceſſante ſimul & ſemel totius Machinæ corporis motu; admiſſo autem aëre frigido, vel aqua adſperſa frigida, mox reſtituitur, & vita adeo redit; porro idem probant aqua ſubmerſi, in quibus ob denegatam reſpirationem ſanguinis tranſitus per pulmones intercipitur, ut ſine vita ac motu jaceant, reſtitui tamen vitæ poſſunt forti & diuturniori percuſſione pedum, vaſa & fibras ad motum novum ſyſtalticum producendum excitante; ita denique ſyncopticos forti in pedibus frictione, adſperſione aquæ frigidæ in faciem, frictone labiorum cum Sale, vel odore ſpiritus volatilis, excitari poſſe, vulgaribus experimentis conſtat. Ex his itaque omnibus enumeratis experimentis documentiſque ſole meridiano clarius elucet, & ſumma cum evidentia conficitur, hos quatuor motus, cordis nimirum ſyſtolen, arteriarum diaſtolen, arteriarum ſyſtolen & cordis diaſtolen ita eſſe inſeparabili nexu coordinatos, ut unus alterius eſſe vis motrix & cauſſa debeat, adeoque in corporis humani Machina cauſſam ſeu vim motricem motum producere, qui motus deinde ipſe novi ſimilis motus evadit cauſſa ſive vis motrix: i. e. hoc primum omni exceptione majus, & omni oblocutione gravius argumentum eſt, Machinam Corporis Humani pollere motu perpetuo (§. 32.), & adeo eſſe verum perpetuum mobile (§. 6.)

§. L.

Patet igitur alterni hujus motus, qui in corde non interrupto ordine fieri obſervatur & dies nocteſque ſine unius momenti intermiſſione, & ſine delaſſatione, centum quandoque annos, unico die plus quam centies millies peragendus, durat, & a quo vita dependet, (§. 12.) cauſſa vera, naturalis, facile comprehendibilis, neque pre a ia ulla hypotheſi nixa, ſed potius in ipſa corporis phyſica Mechanica indole fundata, uti vel maxime id ita deducendum mihi injunxi (§. 13.), qua nihil certius, nihil evidentius. Sed cur illa perennet, nec deſtruatur, immo cur adæquata ſemper perſiſtat hæc cauſſa movens, i. e. ut

motus

motus iiſdem ſemper viribus continuari queat (§.6.) mole ſanguinis non eadem ſemper manente, rationem hanc habet. Elabitur utique fluidum nerveum ex canalibus ſuis perpetuo & per diverſas vias, & tanto quidem promptius, quo motus muſculorum major, & circulus ſanguinis celerior conficitur. Eadem tamen cauſſa, quæ illud conſumit, reſtituit & reficit quoque. Redit enim pars ejus & ſine dubio plurima ad cor cum ipſo ſanguine, ſanguis quo frequentior circumagitur, tanto frequentius etiam ad cerebrum redit, tanto hic major copia fluidi nervei ſecernitur, tanto hoc plus urgetur a ſubſequente ſanguine, tanto plus urget per canales medullares præcedentem portionem ad omnes muſculares fibras, tanto major ejus copia in harum fibrillis tranſverſalibus nerveis (§.42.) ſtagnat; tanto denique majori effectui præſtando idem idoneum fit. Adeoque hoc alterum quod Machina Humani Corporis ſit perpetuum mobile ſeu polleat motu perpetuo, omnique exceptione majus conſtituit argumentum, quia in hac Machina ſyſtalticus & diaſtalticus mox cordis, mox arteriarum motus alternatim & reciproce ita perennat, ut unus alterum neceſſitate Mechanica non ſolum cauſſet & excipiat (§. 48. & 49.), ſed etiam augeat imminuatve. Ita enim frequentiori & fortiori reddita ſyſtole cordis per cerebrum & cerebellum in nimiam liquidi nervei expreſſionem agens, ut fit in adfectibus & doloribus, neceſſario accelerabitur ſanguinis per venas ad cor reditus & conſequenter ipſa quoque diaſtole augebitur: & viciſſim auctam diaſtolen per accelerationem ſanguinis venoſi ope motus voluntarii, frictionum, &c. auctior omnino excipit ſyſtole; quod niſi fieret diaſtoles eo uſque invaleſceret, donec omnem ſyſtolen, conſequenter circulum ſanguinis & hinc dependentem vitam, ſufflaminaret, uti exemplum habetur in Syncope. Quo etiam ſanguis minori copia adeſt, quo ille magis corruptus eſt, quo lentius progreditur verſus caput: eo magis contraria ratione ea omnia contingunt. Quia igitur cordis ſyſtoles arteriarum diaſtolen, arteriarum diaſtoles earundem ſyſtolen, ſyſtoles arteriarum cordis diaſtolen & diaſtoles cordis denuo ejuſdem ſyſtolen non ſolum producit (§.48. & 49.), ſed etiam, quod ita plane neceſſarium eſt, auget imminuitve (§.hoc ipſo): hinc inter hos quatuor motus, unus ſemper alterius & quartus iterum primi eſt cauſſa; Cauſſa autem cum ſemper proportionata ſit ſuo effectui, & effectus viciſſim cauſſæ, hinc hi quatuor motus, quorum ſingulus reſpectu præcedentis eſt effectus, reſpectu ſubſequentis autem vere cauſſa eſt, omnes ſibi invicem proportionati ſunt; Ex quatuor autem rebus ſibi invicem proportionatis prior ſe habet ad quartam uti ſecunda ad tertiam & vice verſa, itidem prima ad tertiam, uti ſecunda ad quartam & vice verſa: *vid.* WOLFFII *Elem. Arithmet.*: hincque uti ſe habet ſyſtoles cordis ad diaſtolen cordis, ita diaſtoles arteriarum ad ſyſtolen earundem & vice verſa, it. uti ſyſtoles cordis ad ſyſtolen arteriarum, ita diaſtoles cordis ad diaſtolen arteriarum & vice verſa; exque his principiis fluit omne illud de Pulſu judicium Medicum, quod quippe ſoli huic proportioni innititur; uti diaſtoles arteriarum ad earundem ſyſtolen, ita diaſtoles cordis ad ejuſdem ſyſtolen, ſeu ita totus circulus ſanguinis, omneſque inde pendentes functiones naturales, ſecretiones, omnium canalium motus conſtrictorius ac relaxatorius, fibrarumque oſcillatorius tonicus, conſequenter omnium partium vigor, uno verbo tota vitæ conſtitutio (§. 53.). Quodſi autem Machina hæc perpetuo motu pollens, in aliqua ſui parte, ad hunc perpetuum motum adprime neceſſaria, qualis eſt cor, arteriæ, cerebellum, & liquidi ejus in nervos influxus, tandem etiam pulmones, eo uſque deſtruitur, ut motus humorum in iis peragi amplius nequeant, tunc ſimul omnium motuum in corpore ea adeſt ceſſatio, quæ mors vocatur (§.12.), id vero tantum abeſt, ut impediat, quo minus Corporis Humani Machina verum ſit perpetuum mobile, ut potius expreſſe adjunxerim in definitione (§. 3.) donec machina deſtruitur, & (§. 5. coll. cum §. 49. num. 3.) demonſtraverim, quod requiſitum perpetui mobilis, ſc. ut in motu perfecte impeditum, ſine ulla alia remora, per ſe in quiete perſtet ac permaneat (§. 5.) in Corporis humani Machina, ceu perpetuo mobili Phyſico (§.10.) coincidat congruatque.

§. LI.

Manifeſtum inde eſt, quod ſupra jam poſui (§. 44.) in producendis ac dirigendis actionibus vitalibus, quibus omnis ſecundum titulum Diſſertationis cum §. 12. collatum, perpetui mobilis in homine Idea conficitur, nullas eſſe animæ partes, ſicuti abſque hujus notitia illæ ordine conſtanti peraguntur; ita auxilio prorſus non indigent, determinantur ſuis cauſſis in ipſo corpore reperiundis (§. 47.) & determinata ratione agentibus, (§.præced.) ipſæque iterum novas cauſſas producunt ac determinant, a quibus poſthæc determinantur. Et hoc admirandum & inimitabile perpetui mobilis artificium eſt; quo ſummus conditor machinas vivas præcipue humanas (§. 15.) ab omnibus humana induſtria inveniendis diſtinxit, & quod, quo pietatis prætextu rideant & cavillentur multi, mirantur, qui in ejus perquiſitione ſummam ſapientiam, ubique deprehendunt. Tantum enim abeſt ut, quicunque artificioſiſſimum hunc motus perpetui & continui Mechaniſmum in Corporis humani Machina agnoſcere obtrectant, utut vere præſentem, & hic tantillum demonſtratum, religionis aliquo prætextu tueri ſe, ſibique patrocinari poſſint, ut potius creatori gloriam laudemque detrahant & ſuffurentur haud obſcure, dum Corpus Humanum inferioris adhuc conditionis, quam Automaton quoddam humana manu fabricatum & motibus ſuis ſpontaneis ex voluntate ſui Artificis gaudens, inſtar ſtipitis mere paſſivum & iners eſſe, niſi illi omnes & ſingulos motus ſpontaneos pariter ac voluntarios anima daret, pronunciant. Vix ac ne vix quidem Chriſtianos ita injurios eſſe in ſapientiam Summi Numinis decet, quandoquidem fruſtra & ſine ratione ſufficiente ſupremus microcoſmici hujus operis Artifex tam numeroſiſſimas peculiaris ſtructuræ partes condidiſſet, & mechanicam plane earum coagmentationem adornaſſet, ſi Machina non eſſet Corpus Humanum (§.31.) & Mechaniſmus ſapientiſſime in eo non adminiſtraretur (§. 36. & 48.) i. e. niſi per ſuam ſtructuram propriamque ſibi vim motricem (§. 47.) functiones involuntariæ præcipue Vitales neceſſario conſequerentur (§.35.): Quem in finem obſecro! omnia illa organa & inſtrumenta, quibus extra hominem in rebus naturalibus mechanice motus fieri & explicari ſolent, in Corpore Humano adeo eleganter & nitide reperiuntur (§. 21. & 22.)? cur vaſculoſa adeoque hydraulica omnis Corporis noſtri compages ita conſtructa exiſteret, ut fluida diverſæ indolis motu circulari & inteſtino per minutiſſima vaſcula moveri poſſent (§. 26 - 29.)? quam ob cauſſam omnium & ſingularum partium mediata vel immediata communicatio, & remotiſſimarum quoque connexio ac mirifica conſenſio (§.30.) obſervatur? Quare mechanicus niſus ac reniſus, actio & reactio fluidorum in ſolida, & ſolidorum in fluida per ſyſtolen & diaſtolen, immo etiam per eundem hunc ſimpliciſſimum motum totalis omnium in corpore humorum per omnes

omnes canaliculos circuitus ita artificioſe coördinatus exiſteret (§. 48.) ? Quinimmo cur omnis vitalium motuum decurſus ita conſtitutus eſſet, ut ſanguis arterioſus, qui in arteriis reſiſtentia eſt, ſimul ac per carotides ad cerebrum delatus eſt, fluidi nervei ſecretionem, ejuſque in nervos cerebelli expreſſionem & protruſionem efficeret, adeoque nunc potentia ſeu vis motrix fieret ex ea, quæ ſanguis ante in arteriis erat, reſiſtentia? &c. (§. 36 - 50.) Niſi ut machina motu perpetuo pollens i. e. verum perpetuum mobile foret Corpus Humanum vivum, & ad perennandam vitam ſolus iſte ſapientiſſimus Mechaniſmus perpetui mobilis ſufficeret. Næ, quicunque hæc negare auſit, ille figuram tres angulos habentem non eſſe Triangulum perſuadere conabitur; Ipſa res hic contradicenti in os reclamat, omnem vitæ continuationem tanquam effectum neceſſarium cauſſarum mere Phyſicarum & Mechanicarum conſiderandam venire, ergo non a cauſſa Metaphyſica moraliter & ad fines agente, cum apertiſſima & inexcuſabili principii petitione accerſeri debere, adeoque nullo ſpirituali egere coadjutorio, ſed ſola hac ſapientiſſima perpetui mobilis lege produci. At vero, diluceſcit quoque ex hactenus dictis ſecundo, non proprie, ſi adcurate loquendum ſit, ſolum cor pro perpetuo mobili haberi poſſe: Motus enim perpetuus, uti ſatis excuſſi (§. 36. ſeq.), in hac Corporis Humani machina involvit omnem illam motuum ſeriem, quibus cor conſtringitur, ſanguis ad cerebellum advehitur, in cerebello per hanc ipſam ſanguinis adpulſionem liquidi nervei portio ſecernitur, quæ poſtea in ſuccedente dilatatione cordis, ad novam conſtrictionem in cor influit. Ergo ſi ſola cordis potentia & motrix virtus volvendæ per univerſum corpus ſanguinis humorumve moli par eſt, ſolum cor etiam ſanguinem arterioſum per carotides ad cranium, conſequenterque ad cerebellum propellet, ibique novam, per ſecretionem liquidi nervei, potentiam ſeu vim motricem producet, & ita ſolum cor erit perpetuum mobile. Jam vero utut abſoluta cordis vis motrix & potentia ingens ſit, quod ex ſumma motus celeritate, & ex ſuperanda enormi reſiſtentia, quæ cordis motui objicitur, comparet; Celeritatem iſtam concitatiſſimam eſſe, jam tum concluſit HARVÆUS, at ipſam velocitatis menſuram inveniri ſolum optavit, quam tandem invenit & adcurate computavit RICHARD. LOWERUS *in Tract. de corde & motu ac calore ſanguinis*, ſc. qualibet hora totam illius molem cordis ventriculos trigeſies pertranſire; Reſiſtentiam autem quod attinet, quam cor ſuperare debet ea duplex eſt, ut recte ediſſerit BORELLUS *part. II. cap. 5. de motu animalium* prima, ut arteriæ repleantur ſanguine ad turgentiam, quæ non eſt minor pondere 18000. librarum; ſecunda, ut ab arteriis exeat idem ſanguis a corde propulſus, quæ vis ſane debet eſſe ingens, quandoquidem ſuperandæ ſunt infinitæ reſiſtentiæ muſculorum, viſcerum, glandularum & partium omnium, per quas trajicitur ſanguis, quarum omnia vaſa, quibus conſtat, unice, & quidem arterioſa ſunt conica, i.e. in ſingulis punctis motui reſiſtentia progredientis humoris deinde longe minimæ aperturæ, porro valde intricata & tortuoſa, denique flexilia, quo fit, ut multa impetus e corde propulſi ſanguinis momenta pereant & ſuffocentur, venoſa autem plurima ſunt perpendiculariter, quoad progreſſum ſanguinis, adſcendentia, in quibus propria ſua gravitate deorſum tendit ſanguis, motuique adeo progreſſivo valde multumque reſiſtit, & verſus capillares arterias urget & gravitat, moraturque inſigniter; hæc omnia & ſingula non exigui ponderis argumenta ſi cogites, ſimul quoque perpendas, perenni & continuo nec interrupto fluxu & progreſſu ſanguinem moveri & fluere in vaſis, quod ex inciſa vena æquale & continuum profluvium teſtatur, in corde autem ſyſtolen non eſſe continuam ſed alternatim diaſtole interpellari: hinc adparet ſolum cor ejuſque vim motricem univerſam ſanguinis maſſam non volvere; quibus poſitis, palam eſt ex calculo, quo KEILIUS *in tentam. Med. Phyſ.* vim cordis abſolutam computavit, collato cum vaſta illa reſiſtentia, quam in unica ſolum pulſatione cor offendit vi mox ante dictorum, & quam citatus BORELLUS majorem librarum 135000. determinavit, & exinde demonſtravit, vim motricem abſolutam, qua cordis muſculus conſtringitur, ad totalem vim, qua ſanguis in arteriis expulſioni reſiſtit, eandem proportionem habere quam I. ad LX. ſive reſiſtentiam adgregatam ſexagecuplo eſſe majorem viribus motricibus cordis, inde, inquam, adparet, minime ſolam cordis virtutem motricem ac potentiam ſufficere ſanguini per circulum ad quævis puncta extimæ corporis peripheriæ adeoque etiam ad cerebellum non interrupto flumine deportando: adeoque ad ſyſtolen cordis neceſſario accedere debere ſyſtolen arteriarum, quæ, ut plenaria & continua circulatio vitalis cruoris peragi queat, auxiliatrices manus præbet, & indiſpenſabile coadjutorium. Ergo probatum, non in ſolo corde ſed ſimul etiam in arteriarum ſyſtole perpetuum mobile reperiri, quarum nempe duarum partium motibus ſyſtalticis, cordis nimirum & arteriarum poſitis, ponitur porro etiam ſanguinis ad cerebellum adpulſio, hinc fluidi nervei ſecretio, in nervos propulſio, cordis & arteriarum alterna diaſtoles, & per hanc determinatus fluidi nervei ad novam utrobique alternatim perficiundam ſyſtolen, influxus; quorum quippe enumeratorum motuum ſerie atque ſucceſſiva & alterna coordinatione ſola verus perpetuus motus adeoque verum perpetuum mobile in homine conſtituitur (§. 36. & 48.).

§. LII.

At vero ad finem me accingere, & utut invitum, quæ adhuc multa ſuppeterent hic convenienter dicenda, reticere me cogit multarum circumſtantiarum ratio. Titulus Diſſertationis pollicebatur demonſtrationem ejus, quod in homine vivo vera perpetui mobilis deliteſcat Idea; quoniam autem vera vitæ corporeæ notio in præſentia & perduratione motus ſyſtaltici & diaſtaltici cordis pariter ac arteriarum, & reſpirationis qualiſcunque vere conſiſtit, ſaltim ſi tantillum abſint, modo ad uſum revocari utcunque poſſint (§. 12.), hinc illius meæ theſeos demonſtratio expoſcit, ut evincatur, eam quam Philoſophi rite & exacte philoſophantes mente tenent de perpetuo mobili repræſentationem ſive Ideam cum ipſa hominis vivi natura & indole Phyſica & Mechanica, quæ in cordis & arteriarum reciproco & alternante motu ſyſtaltico & diaſtaltico, ſive verbo, in circuli ſanguinis perduratione vere verſatur, uti dictum, convenire & conformem eſſe (§. 13.). Jam vero hoc ipſo nihil aliud aſſeritur, quam quod circulus ſanguinis in Corpore Humano vivo, cujus ſyſtole & diaſtole arteriarum & cordis adæquata cauſſa eſt (§. 49. num. 1.) coincidat cum definitione perpetui mobilis, quæ ita ſeſe habebat (§. 3.): quod ſit *Machina compoſita, cujus principium movens internum & ipſi Machinæ conjunctum ex natura ſua ſine diminutione virium, donec Machina deſtruitur, ita continuatur, ut perpetuo ex quiete in motum ſe reſtituere ſine auxilio externo poſſit.* Probatum fuit (§. 16 - 25.) Corpus Humanum eſſe *Machinam compoſitam*, & ratione ſpeciei ad quam referenda (§. 4.) eam eſſe *Hydraulicam* (§. 26 29.); porro demonſtratum fuit, hujus Machinæ hydraulicæ principium verum movens eſſe fluidum nerveum (§. 32-38.) in

in cerebello ſecretum (§. 39.), cum peculiari Mechanica ſtructura muſculari (§. 40 45.), hoc vero fluidum ſubtiliſſimum quum in nervorum tubulis minutiſſimis vehatur cum cerebello continuis (§. 37. 38. & 39.) ex nervis autem ceu partibus elementaribus omni ſolidorum compages compoſita ſit, adparet inde *hoc principium movens eſſe internum & ipſi Machinæ conjunctum*; reliqua diſſertationis pars ad finem uſque (§. 36. 47-51.) plane evincit, hocce principium movens internum & ipſi Machinæ conjunctum *ex natura ſua ſine diminutione virium, donec Machina deſtruitur, ita continuari, ut perpetuo ex quiete in motum ſe reſtituere ſine auxilio externo poſſit.* Demonſtratum ergo eſt, q. e. demonſtrandum. Et demonſtratum quidem eſt a priori ex ipſius vivi hominis ſtructura & natura, ſeu Phyſica & Mechanica indole ac conſtitutione, uti id ipſemet mihi ita agendum eſſe injunxi (§. 13.). Si hæc à poſteriori magis adhuc tibi explicari vis, ut planius penitiuſque perſpiciantur hactenus deducta, exemplo a poſteriori illuſtrante id fieri neceſſe eſt, qualis erit ſequens computatio: Si potentia movens ſeu vis motrix æquipollet reſiſtentiæ, habetur æquilibrium, ergo non motus; ſi autem motus fieri debet, neceſſe eſt ut potentia movens ſuperet reſiſtentiam; Jam vero dictum eſt ſupra, (§. 51.) teſte citato BORELLO, reſiſtentiam, quam in unica ſolum ſyſtole cordis potentia movens ſuperandam habet, majorem eſſe librarum 135000, eamque reſiſtentiam reapſe ſuperat potentia movens, nam ſequitur ſingulam ſyſtolen alia nova ſyſtoles non interrupta ſerie, & æquilibrium ſemper tollitur in corpore: Porro, cum in una hora pulſus 5400. fiant, quando aſſumo intra 10. minuta ſecunda cor quindecies pulſare, hinc in una hora potentia motrix cordis ſuperat reſiſtentiam 729000000, & ſpatio unius diei noctiſque reſiſtentiam majorem librarum 17496000000. conſequenter in uno anno, qui 365. diebus numeratur, potentia movens ſeu vis motrix cordis æquabit libris 6661940000000; Nunc demum ſi cogites interdum ulla centum annos cor pulſare, quam innumeris vicibus multiplicari deberet hæc vis motrix cordis, & unde tandem, ſi ſemper nova accederet, omnis vis motrix deſumeretur, haberetur, ſi ad tantum numerum multiplicanda eſſet? Certe hæc ita ſunt comparata, ut ad ea reſpondere explicando nemo quiſquam poſſit, & hæc miraculi loco habere debeat, niſi cauſſam hujus rei Mechanicam, ex iis unice, quæ hactenus diximus, venari velit; ſcilicet, non ita in immenſum multiplicatur vis motrix cordis, uti omnino fieri deberet, ſi nova ſemper vis motrix ſeu potentia movens externa accederet, quotieſcunque nova ſyſtoles peragenda foret, quod quippe in hoc calculo ſuppoſitum eſt, ſive, niſi perpetuum mobile corpus humanum vivum eſſet: Jam vero demonſtratum ſufficienter eſſe corpus hominis vivi perpetuum mobile, i. e. ita comparatum, ut, vi definitionis (§. 3. & hoc ipſo) vis motrix ſe reſtituere ſemper, ſine auxilio externo, ſeu ſine nova potentia ab extra accedente, poſſit: Ergo non nova ſemper potentia accedit ab extra, ſed eadem hæc potentia movens cordis, quæ ad unam ſyſtolen ſufficit e. g. 135000. librarum, poſtquam motum produxit, per hunc ipſum motum, vi ſuperioribus §is dictorum reſtituitur: & hic denique eo redeundum, ut perpendatur, quod ſupra (§. 43.) explicavi, beneficio nimirum ſapientiſſimæ muſcularis ſtructuræ (§. 41. & 42.) fieri, ut debilis requiratur liquidi nervei preſſio & elaſticitas, ad immenſam & incredibilem muſculorum energiam producendam.

§. LIII.

Actiones & motus ſpontaneos vel vitales vel naturales eſſe dixi (§. 33.), vitales eſſe eos, qui vitam proxime & immediate conſtituunt, nempe ſyſtolen & diaſtolen cordis atque arteriarum, & thoracis conſtrictionem atque dilatationem, (§. 12.) in his veram perpetui mobilis ideam demonſtrandam eſſe, innui, (§. 13.) idem hac tractatione factum eſſe, quod circulum ſanguinis reſpicit, oſtendi: (§. præced.) de reſpirationis motu neceſſaria mox adferam, (§. ſeq.) his enim motibus efficitur, ut ſanguinis non interruptus fiat circuitus, quo ipſo omnis corruptio a corpore in ſe putreſcibili arcetur, & alii uſus præſtantur, qui non incommode vulgo ſub titulo effectuum circulationis comprehenduntur, iique ſunt, quos alias etiam actiones ſeu motus naturales adpellant (§. 33.) i. e. quæ partes tam ſolidas quam fluidas augeſcere & reparari faciunt, & inutilia eliminant. Jam itaque quum circulus ſanguinis motus perpetuus ſit (§. præced.), in quo quippe actiones vitales conſiſtunt (§. 12.), hinc omnes reliquas actiones ſpontaneas, naturales nimirum, quippe quas omnes a circulo ſanguinis dependere, nemo vel leviter in Phyſiologia verſatus ignorat, itidem circulo ſuo continuo & perpetuo naturaliter & ſine ulla animæ attentione vel directione decurrere ac peragi, quis non videt? Si liquor arterioſus a corde, & nerveus a cerebello in omnes partes motibus ſpontaneis dicatis ſecundum naturam influit, earum tunc tonus, motus & functio uniuſcujuſque Mechaniſmo appropriata præſto ſunt, ac univerſum negotium vitale perdurat. Porro a circulo ſanguinis ad omnes partes, a diverſa tubulorum ſecretoriorum diametro, diverſæ amplitudinis lateralibus canalibus, ſitu organi colatorii, illius remotione a corde majori minorive, vaſorum directione, &c. omnem ſecretionum & nutritionis pendere Oeconomiam, palam eſt: Secretiones autem, quotquot earum ſunt, omnes in duplicem uſum in corpore inſtitui cernuntur, vel ut ſegregentur ea, quæ ceu inutilia corpori ſalvo & incolumi manſuro excernenda ſunt & foras eliminanda, vel ut in ſingulares peculiareſque uſus varii a ſanguine arterioſo humores diſgregentur. Ita in ventriculo & inteſtinorum canali virtute ſucci ſalivalis & gaſtrici reſolutoria & acceſſu bilis & pancreatici laticis in duodeno alimenta diſſolvuntur, utilis & chyloſus ſuccus ex iiſdem extrahitur, & poſtea per tunicæ villoſæ expanſa oſcula & poros ſecernitur, & a venis lacteis hauſtus, per varios anfractus in via attenuatus, tandem ad ſuum receptaculum tanquam ad commune promptuarium defertur; unde longo per thoracem ductu ad uſque venam ſubclaviam delatus, ſuum denique ſanguineæ maſſæ vectigal perſolvit, ſeque cum ea miſcet, ut nimirum ſuccedente per chylum nutritione, id impetraretur, quod in nulla alia Machina artificiali facile impetrabitur, nimirum ut in ſingulis punctis hujus Machinæ perpetuo mobilis animalis tantum materiæ adponeretur, quantum per motum continuum & exinde inevitabilem attritum abraſum conſumtumque fuit, idque Mechanica hac ipſa, quæ deſtruit, ſanguinis preſſione, & ſegregatarum particularum, ex quibus nutritius corporis ſuccus conſtituitur, inconeatione, contactuque mutuo & immediato omnium ſuperficiecularum cum partibus nutriendis, vel etiam augendis; ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ tenuiſſimum & mobiliſſimum fluidum (§. 37. & 38.) ad motum & ſenſum præſtandum a ſanguine arterioſo ſequeſtratur; in teſtium virilium canaliculoſa ſtructura liquor ſeminalis ad corporis propagationem, ſecedit; In mammis lac pro nutritione infantum a ſanguine ſegregatur;

gatur; tenuiſſimum activum & fermentativum liquidum in glandulis ſalivalibus & in pancreate, pro intima alimentorum diſſolutione elaboratur; ſerum ſalino-ſulphureum, viſcidum, quod bilis nomine venit, in hepatis penicilli pilorum inſtar tubuloſo viſcere ab advecto per venam portæ ſanguine ſecernitur ad pleniorem tam chyli elaborationem, quam citatiorem fecum alvinarum per ſedes expurgationem; ſerum ſuperfluum ſalſum, craſſum, per renes tubuloſos; ſubtilius vero & aquoſum ſalſo-ſulphureum recrementum per tranſpirationem & cutis porulos ac ſecernicula, quorum ſecundum LEUWENHOECKII, CRAANII aliorumque curioſum calculum, totum Corporis noſtri integumentum plus, quam viginti millia habet, & quorum in ſpatiolo manus, quod arena fere tegi poteſt, quinquaginta numerari poſſunt, ſeparatur atque ejicitur; & mucoſitas denique ſuperflua per glanduloſas narium, bronchiorum, & inteſtinorum craſſorum tunicas utiliſſime ſequeſtratur & foras ejicitur, ut hiſce omnibus functionibus ſe- & excretoriis, propter perpetuum ſanguinis in orbem & continuum motum (§. præced.) hincque evenientem ad omnia organa colatoria adpulſionem, hæc ipſa ſanguinis a partibus heterogeneis pepuratio & vitæ adeo conſervatio nunquam non perennet & interitus quam diutiſſime avertatur: unde veteres dixerunt naturam morborum medicatricem, naturam vero HIPPOCRATES principium motus & quietis, i. e. hunc ipſum motum perpetuum ſanguinis definit. Unde apparet, animalium vitam non ſecus, ac hac ipſa Machinæ corporis eorundem ſtructura, qua gaudent, & eo motuum Mechaniſmo, ex quo motus perpetuus emergit, ſeu qui ad perpetuum mobile requiritur, quem etiam vere animalibus ineſſe, per omnem Diſſertationem demonſtravi, produci potuiſſe, ſi ſimul cogites, DEUM ex pluribus mundis poſſibilibus pulcherrimum & perfectiſſimum creaſſe, per infinitam ſuam, qua pollet, ſapientiam & potentiam, eſſe credendum. Hæc enim ipſa, quam animantia obtinuerunt, ſtructura, (16-29. & 40-45.) motuumque illa ipſa in iis contingentium coordinatio, ut motus perpetuus i. e. vita inde emergat (§. 36. & 48.); omnibus finibus, quos Creator intendit exſequendis accommodatiſſima eſt. Quippe, iterum iterumque monſtratum eſt, a motu ſyſtaltico & diaſtaltico cordis & arteriarum, qui ſe invicem alter alterum ut cauſſa effectum producunt, (§. 50.) omnem humorum motum progreſſivum ſeu circulationem pendere, (§. 49. n. 1.) ab hac circulatione porro pendet omnium ſecretionum negotium & excretionum, (§. 53.) quibus poſterioribus quicquid ruinam corpori minatur ſeu ſtruit, extra corpus eliminatur, inter ſecretiones autem præcipue illæ notabiles ſunt, quibus ad nutritionem adeoque ad digeſtionem ciborum egemus, qua nimirum, uti dictum (§. 53.) impetratur, ut in ſingulis punctis, ubi per motus continuos perpetuoſque particulæ attritu abraſæ fuerunt, novæ adponantur, quod in nulla artificiali machina haberi poteſt; principalis autem & primaria inter ſecretiones eſt, quæ ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ celebratur, (§. 37.) in cerebello quidem ad virium motricium, quæ ad ſupra dictos ſyſtalticos cordis & arteriarum motus impenduntur, novam reſtitutionem & inſtaurationem, (§. 39. ſeqq.) in cerebro autem ad omnium Senſuum ſeu actionum animalium, quibus univerſum cognoſcimus, & cum anima noſtra correſpondentes motus edimus & recipimus, vigorem & exercitium, quo deinde fit ut moralibus actionibus variis pares ſimus & ſufficientes, rationales homines. Jam perpetui mobilis idea in motibus primo quidem vitalibus, deinde naturalibus oſtenſa fuit, quod utrumque motuum genus reſpectu & ex relatione ad motus voluntarios, involuntarium ſeu ſpontaneum dictum eſt (§. 33.). At vero de tertio motuum genere, qui mixti vocantur, & quos ſola reſpiratio conficit, ſupra promiſi, me aliqua de iis additurum oſtenſurumque, quousque thoracis reciproca dilatatio & conſtrictio ad motum perpetuum Machinæ Corporis Humani pertineat, eo magis, quia reſpirationem ſupra ad notionem hominis vivi adjunxi (§. 12.) Ergo ſtandum promiſſis.

§. LIV.

Hominis vivi Ideam enim non ſolum in cordis & arteriarum motu conſiſtere dixi, adeoque in circulo ſanguinis, ſed etiam in reſpirationis perduratione (§. 12.); de circulari ſanguinis motu probavi, quod conformis ſit Perpetui Mobilis Ideæ; (§. 52.) Reſtat, ut de motu reſpirationis evincam, eum eſſe perpetuum & continuum; i. e. ejus principium movens ita eſſe coordinatum, ut ſemet ipſum ſemper reſtituere & determinare poſſit ſine nova potentia accedente externa e. g. ab anima (§. 6.) Supereſt itaque adhuc ultimum motuum genus, quos mixtos (§. 33.) ſalutavi, quorſum ſola reſpiratio, ſeu aëris, qui nos ambit, intra pulmones receptio & ſucceſſiva emiſſio pertinet. Namque poſitus valvularum & ipſa ligatura vaſorum cordis evincit, omnem in adulto homine ſanguinem e dextro ventriculo per pulmones ad ſiniſtrum tranſire, qui deinde in totum corpus diſpenſatur; quum vero is per pulmonum vaſa complicata & collapſa pertranſire nequeat, quod circulatio in fœtu demonſtrat, hinc opus eſt, ut hi expandantur, quod fit mediante reſpiratione: Adeoque quoniam vitalis ſanguinis circuitus, in quo Perpetui Mobilis ideam recubare demonſtratum eſt (§. 52.) fieri nequeat, niſi pateat per pulmones ſanguini iter reditusque, hinc eo usque reſpiratio ad motus vitales & motum Machinæ Corporis Humani perpetuum pertinet, quod circulus ſanguinis major, qui per totum corpus contingit, intercipitur ſufflaminaturque, niſi circulus minor, uti ajunt, per arteriam pulmonalem retro in venam ejuſdem nominis, pateat, vigeat in adultis. Quod autem reſpiratio partim ad voluntarios, partim ad ſpontaneos motus pertineat, (§. 33.) nulla alia ratio eſt, quam quia aliqui muſculorum in- & expirationem producentium ſubjecti ſint voluntatis determinationi, alii ſecus. Hinc illa ſaltim reſpiratio, quæ fit nobis non attendentibus & in ſomno, ubi voluntatis actiones ordinario ceſſant, & quæ adeo involuntaria vocari poſſet, & conſequenter ad motum Machinæ Corporis Humani perpetuum etiam pertinet, (§. 12. & 35.) hoc loco pauciſſimis adhuc explicanda eſt. Inſtrumenta, quibus reſpiratio ſine voluntatis imperio & determinatione, reciproco & non interrupto ordine in ſanis, vivis peragitur, præcipua ſunt, in inſpiratione duo quibus diaphragma conſtat muſculi, dein ſubclavius & intercoſtales; in exſpiratione, muſculi, abdominis, rectus, oblique adſcendens, tranſverſus, pyramidalis, & ipſa ſegmenta cartilaginea coſtarum, quæ actione muſculorum intercoſtalium e ſitu ſuo dimota, ea ceſſante, vi ſua elaſtica valide ſe reſtituunt. Diaphragma nervos à vertebralibus colli magnos, & minores ramos ab intercoſtalibus & pari vago; ab utriſque poſterioribus pulmones; intercoſtales muſculi a dorſalibus, & muſculi abdominis ab his & lumbaribus accipiunt. Quibus quomodo harum partium motus, mente nihil determinante, determinari poſſit, & quæ continui & perpetui conſtantiſque illarũ partium motus ratio ſit, ex ſupra hinc inde dictis intelligitur, (§. 39.) nẽpe quod determinatio ſeu cauſſa determinans in ipſo corpore quærenda ſit. (§. 47.) Ponamus enim

enim etiam has partes in æquilibrio ſe tenere. Agentibus igitur intercoſtalibus muſculis, ſubclavio & diaphragmate, eo derivatur fluidi nervei vis (§. 41. & 43.) inque addominis muſculis minor fit, quare eo tempore illi viſceribus abdominis a diaphragmate propulſis facile cedunt & diſtenduntur; Derivatur tamen hoc ipſo impulſu viſcerum ad hos muſculos ſanguine turgidos, adeoque actioni validæ aptos, minus agit in muſculos priores, determinatione ceſſante, abdominales contrahuntur & viſcera verſus diaphragma agunt; Hoc ipſo iterum impulſu iſto diaphragma ad contractionem determinatur, influente huc & in muſculos intercoſtales propter eorum tenſionem fluidi nervei copia, (§. 47.) dum hoc muſculis ſuis binis contrahitur, deſcendit, cavitatem thoracis ampliat, quorſum etiam elevatio coſtarum per muſculos intercoſtales facit; cavitate thoracis dilatata, aër intra pulmones & pleuram incluſus, in majus ſpatium deſcendens, rarior fit, hinc externo minus reſiſtit, qui ideo preſſione ſua per aſperam arteriam irrumpit, pulmones expandit, omneſque eorum veſiculas innumeras: Inſpiratione ita peracta, ad fibras muſculares veſicularum pulmonalium, hac prævia extenſione (§. 47.) affluxus & vis liquidi nervei prolicitur, hinc contrahuntur, aërem fortiter expellunt, diaphragma ſurſum aſcendit, fibræ muſculorum abdominalium violenter extenſæ a preſſione viſcerum, eo validius poſt adfluxum copioſiorem fluidi nervei ad contractionem determinantur (§. 45.); coſtæ, earumque ſegmenta cartilaginea, ceſſante actione muſculorum intercoſtalium, ſua propria elaſticitate deorſum cedunt & in ſitum ſuum naturalem ſe reſtituunt; per contractionem muſculorum abdominalium abdominis contenta valide verſus diaphragma premuntur, ad illud allidunt, nervos ejus agitant & ad contractionem determinant; (§. 47.) & ſic porro iterum inſpiratio ſupra ulterius deducto Mechaniſmo reperitur; hanc mox excipiente exſpiratione. Adeſt vero præterea alius inſtrumentorum adparatus, voluntatis juſſibus magis obſequentium, & validiſſima vi in thoracem agentium, ſiquidem huc præcipue tres Scaleni, qui coſtas ſuperiores tres, maxime concurrente aliorum Muſculorum actione magna vi elevant & figunt, & Serrati, coſtas extrorſum moventes, & ita thoracis cavitatem augentes; maximo ſane commodo in iis caſibus, morbiſque, ubi diaphragmatis & muſculorum intercoſtalium motus a quibuſcunque cauſſis difficilis redditur. Cum hoc itaque reſpirationis motu conſpirat motus cordis, ita, ut illa celeriori vel fortiori facta, cor quoque celerius vel fortius moveatur; & hujus motum celeriorem vel fortiorem illa quoque ſequatur, ſuppreſſaque reſpiratione plane ceſſet motus cordis, conſequenter arteriarum & omnis vita: quia ſuppreſſa reſpiratione, i. e. pulmonum alterna expanſione & collapſu, præpeditur ſanguineæ maſſæ per pulmones tranſitus, intercipitur per venam pulmonalem in ſiniſtrum cor refluxus unde etiam Diaſtoles, quæ quum cauſſa determinans ſit copioſioris liquidi nervei ex cerebello in fibras cordis muſculares influxus ad novam ſyſtolen perficiundam (§. 47.) etiam ſyſtole tollitur, ſyſtoles & Diaſtoles cordis & arteriarum autem quum cauſſa adæquata ſit circuli ſanguinis (§. 49. nu. 1.), iſque vitam conſtituat (§. 12.); hinc ſublatis ſyſtole & diaſtole, tollitur vita, ſicuti vere etiam fit in ſuſpenſis vel ſtrangulatis, aut potius mere ſuffocatis, nam in prioribus, qui laqueo interimuntur, præterquam quod per ſufflaminationem reſpirationis a compreſſione aſperæ arteriæ factam, circularis ſanguinis itus reditusque ex dextro in ſiniſtrum cor præciſus ſit, etiam in collo venarum jugularium ſtrictura, refluxum ſanguinis ex capite prævertit, unde ſtagnatio in cerebro, extravaſatio ex ultimis arteriolis in vaſa lateralia cruorem naturaliter non vehentia, hinc truculentus & brunus faciei adſpectus, vaſorum ruptura & tubulorum medullarium cerebri compreſſio, unde convulſiones.

§. LV.

Demonſtrata igitur hoc pacto eſt vera perpetui mobilis ſeu motus perpetui Idea in circulo ſanguinis (§. 52.) & reliquis ab hoc ſanguinis circulari peridromo unice pendentibus functionibus naturalibus, (§. 53.) demum etiam in reſpiratione, (§. 54.) adeoque in homine vivo, (§. 12.) ergo titulo Diſſertationis ſatisfactum eſt (§. 13.) Etiamſi autem hæc ulterius excuti poſſent, præcipue ad morborum geneſin & curationem adplicando, ubi quippe hujus ſolidæ theoriæ inſignes fructus & præclara commoda largiſſima ſegete effloreſcerent; immo utut etiam occaſione hujus motus perpetui vitalis, quomodo cum eo functiones animales congruant coincidantque, & ille cum his, pluribus explanari poſſet, oſtendendo reactionem corporis in animam: Tamen hæc in aliud tempus referenda erunt, dum plura addere, inter alia, quoniam præfixos limites jam longius tranſgreſſus ſum, plane prohibeor. Sit vero Aeternum & Præpotens Numen, quod tanta ſapientia Machinas humanas conſtruxit atque efformavit, in qua cogitationibus perſcrutanda omnis quaſi effunditur & exſpirat finitus intellectus, pro præſtito mihi cœlitus auxilio per immenſurabilem durationis ſeriem collaudatum.

DISSERTATIO MEDICO-CHYMICA

DE

ACIDO VITRIOLI VINOSO.

Primùm edita anno 1732.

§. I.

PRIUSQUAM ad rem ipſam accedamus, productique noſtri indolem & naturam decenti methodo examinemus, nominalis definitio, ut conſuetudo poſtulat, præmittenda erit, quid per *Acidum Vitrioli Vinoſum* intelligamus: pro diſtinctiori vero notitia, ſpeciatim, quid per *Acidum Vitrioli*, quid per vocem *vinoſum* intelligamus, indicabimus. Intelligimus igitur per *Acidum Vitrioli* nihil aliud, quam illam vitrioli partem acidam ſeparatam a terra metallica reliquiſque adhærentibus terreis moleculis & ſuperfluo phlegmate, quæ communiter ſpiritus & olei vitriolici nomine venit, prout ex vitriolo ipſo vel alumine vel ſulphure communi, vel aliis quoque mineralibus per varias encheireſes expellitur, ex quibus utique oleum vitrioli uſu & expellendi commoditate eſt receptiſſimum: per vocem *vinoſum* vel ſecundum alios *viniſatum* non intelligimus vinum ipſum in tota ſua ſubſtantia, prout adhuc partibus tartareis ſuperflue acidis, oleoſis & aquoſis commixtum eſt; ſed indigitamus hic partem tantum ejus ſpirituoſam, quæ deſtillatione ſeparatur, & ordinario ſpiritus vini nomine venit. (*a*) Hæc ergo compoſitio, quæ ex hujus acidi Vitrioli & ſpiritus vini mixtura producitur, & quæ circa hanc compoſitionem ejuſque ulteriorem tractationem occurrunt phænomena Chymico-Medica ſunt proprie objectum noſtræ Tractationis, cujus & curioſitas & dignitas ad accuratiorem ſui perveſtigationem nos tanto magis incitavit, quum non paucos Viros Celeberrimos in ea jam occupatos viderimus, quorum veſtigia legere nobis integrum erit.

§. II.

Aliis quoque titulis hæc commixtio indeque orientia producta hinc & inde ſolent denominari, minus æque vero meo quidem judicio accuratis: Sic Veteribus audit *Aqua temperata*, ſed hoc nomen etiam ſpiritibus ſalis & nitri dulcibus attribuere ſoliti fuere: CRUGNERO *in ſeinem Chymiſchen Frûhling pag.* 184. audit *Acetum principale*: Quibuſdam ſolet vocitari *ſpiritus vitrioli volatilis*: ſed dantur etiam aliæ methodi ſpiritum vitrioli volatilem producendi, abſque ſpiritus vini admixtione, per additionem ſcilicet aliorum inflammabilium, ex. gr. corporum reſinoſorum, carbonum, limaturæ Martis, Zinci, Antimonii, Mercurii & aliorum. Solet appellari quoque *Spiritus & Oleum vitrioli dulce*: verum cum & per alia remedia hæc acidi vitriolici dulcificatio ab aliis vel quæratur vel perficiatur, & noſter ſpiritus dulcedinem ſtricte ſic dictam non poſſideat, hinc nec hac denominatione compoſitionem noſtram inſignire, ſed potius ACIDUM VITRIOLI VINOSUM eam omnium convenientiſſime appellare libuit; prout & eadem ratione ſpiritum ſalis ammoniaci vinoſum appellare conſuevimus, vel ſi mavis SPIRITUM VINI VITRIOLATUM ſi a potiori quoad pondus denominatio ſumenda eſt.

(*a*) Ex quocunque demum fermentato ſive vino ſive ejus fecibus ſive polenta deſtillatus ſit, ex quibus ſit dictus Spiritus frumenti eſt communiſſimus, dummodo non tantum ab adhærente ſuperfluo phlegmate, ſed & a fœtidiori immixto oleo ſeparatus & purificatus eſt, qui Spiritus vini rectificatiſſimi nomine inſigniri ſolet.

§. III.

De origine hujus producti parum aut nihil fere certi proferre licebit: ſi enim inquirendum ſit tempus nativitatis & occaſio, qua ad hanc mixtionem Philo-Chymici primum pellecti fuerint; certe parum firmi & indubii quicquam, prout & de multis aliis commixtionibus & productis Chymicis, in ſcenam producere poſſumus, cum non pauca ejuſmodi propter ſecretos antiquorum Chymicorum labores altis tenebris involuta jaceant. Interim quod hæc commixtio non recens inventa, ſed jam ab antiquioribus pertractata fuerit, plane profiteri cogimur: cum ſi non accuratas deſcriptiones, ſaltem pro more iſtius temporis varias ejus rei indignationes jam in LULLIO, ISAACO HOLLANDO, BAS. VALENTINO & PARACELSO, reperiamus, qui hanc mixtionem abſque dubio jam ab antiquioribus Chymicis inter alia ſic dicta arcana traditam acceperunt, ut proinde tempus nativitatis ejus determinare non queamus.

§. IV.

Hoc interim eſt certiſſimum, quod olei iſtius ex hac mixtione prodeuntis primus omnium ex libris impreſſis meminerit VALERIUS CORDUS in Libro: *de artificioſis extractionibus*, qui ipſius annotationibus in DIOSCORIDEM à GESNERO 1561. Tiguri in folio editis adjectus eſt, qui & in præfatione manuſcriptum hoc à JOH. CRATONE Wratiſlavia ſibi tranſmiſſum fuiſſe ultro fatetur: licet utique dubium ſit, an VALERIUS CORDUS rem ipſe unquam pertractaverit, & non potius ex MSto fideliter tranſcripſerit;

ſcripſerit; ex quo idem GESNERUS poſtea 1569. parti ſecundæ *Euonymi* poſt mortem ejus a WOLPHIO editi eandem deſcriptionem a verbo ad verbum inſeruit. Hunc preſſo poſtea pede licet conciſius ſequutus eſt & exſcripſit CROLLIUS, & ex hoc verbotenus BEGUINUS mutuatus eſt, quorum tamen commentatores nihil niſi altum ſuper hac re produnt ſilentium, indicio, quod hunc proceſſum nunquam examinare dignati fuerint, ſed tanquam falſum præterierint. (*b*) BOYLE etiam *de Formarum origine p.* 269. idem oleum indigitat, dum liquoris meminit, qui Spiritus prioris ſuavis & poſterioris ſulphurei conſortium reſpuit, mire ſubtilis grati & aromatici: ſed ab hoc tempore nemo fere, (prout ex typo exaratis Chymicorum, quantum mihi videre licuit, ſcriptis patet) eum accuratius perquirere & ſub incudem revocare voluit, ſi excipias ea, quæ, minus accurata licet minerva, in MICH. CRUGNERO, BECHERO, POLEMANNO, BOYLEO, KUNCKELIO, hinc inde reperiuntur, aut quæ in MStis Chymicorum inter arcana ipſorum latuerunt, quorum quidam ingentes ex hac mixtione ſibi polliciti ſunt virtutes, licet ſundamento plerumque deſtituantur; donec Celeb. FR.HOFFMANNUS jam ab aliquo tempore, partim in ſuis Collegiis Chymicis manu auditorum conſcriptis, & demum in *Obſervationibus Chymicis* uberius eum ob oculos ponere ejuſque applicationem Medicam commendare decreverit, a quo tempore non paucis aliis hinc inde materiam hanc ulterioribus experimentis inquirere & deducere occaſionem præbuit, ex quibus D. TRETSCHERUM, Bar. de BAER, D. D. ZITTMANNUM, FROBENIUM (*c*), D. D. GEELHAUSEN (*d*), D. D. HENSINGIUM nominaſſe ſuffecerit: quo in ſtudio quouſque aliorum & noſtra experimenta pervenerint ſequentibus paragraphis elucelcet. (*e*)

§. V.

Sed ut abſque ulterioribus ambagibus rem ipſam aggrediamur; VALERIUS CORDUS in ſua deſcriptione *Spiritus vini rectificatiſſimi & olei vitrioli partes anaticus commiſcet, quas per* 1. *vel* 2. *menſes digeſtioni in cineribus exponit; demum ex cucurbita per B. M. abſtrahit* 1.) *Spiritum vinoſum*, 2.) *ex arena phlegma ſupernatans, mox per vitrum hypocleplicum ſeparanda.* Verum cum longinqua hæc digeſtio ad rem parum faciat, & Spiritus vini rectificatiſſimi portio, anatica inſufficiens ſit ad ſaturandum oleum vitrioli, cum hac ratione multum olei vitrioli inſaturatum & in priori ſua aciditate immutatum reſtet; hinc alii tres, quatuor, vel ſex partes Spiritus vini rectificatiſſimi reſpectu olei iſtius requirunt. Ill. FR. HOFFMANNUS ſex partes Spiritus vini rectificatiſſimi aſſumit, nos mediam partem retinuimus quatuor partibus Spiritus vini rectificatiſſimi contenti: has quatuor partes Spiritus vini rectificatiſſimi non cucurbitæ, quippe qua ratione multum ſpiritus & olei perit, quod per juncturas penetrat (Cordi cucurbita cum alembico colliquefacta & tubulo ad latus vel melius in acumine alembici poſito, eſt utique melior, ſed non ubique haberi poteſt) ſed capaci vaſi retorto immittimus, cui per vices oleum vitrioli per infundibulum acuminatum addimus, ſub qua commixtione calor eximius exoritur & ſtrepitus exauditur, ac ſi ferrum candens aquæ immittatur, cum odore amœno, ſed pulmonibus tamen noxio; hoc per aliquot dies recipiente prius agglutinato pro intimiori commixtione ſtare permittimus, vel per 24. horas leniter digerimus, demum arenæ leviter imponimus, vel ſi mavis B. M. & ſubminiſtrato leniter igne tranſtillat 1) Spiritus fragrantis odoris & ſaporis, poſt, dimidia parte prolicita ſequitur fragrantior, ſed & magis ſulphurei odoris, & demum paulo plus phlegmaticus; prior ſpiritus pro lubitu vel ſeorſim ſervari, vel cum poſteriori miſceri poteſt: ſi vero ebullire incipit materia, leniſſimo continuato calore tranſcendit phlegma ſulphuris fumum redolens, & magis magiſque acidulum cum oleo claro ſupernatante, quod mox ab aqua ſeparandum eſt, ne oleum a phlegmate reſorbeatur vel evaneſcat, præcipue ſi ſpiritus adhuc ei multum immixtus eſſet, a quo poſtea vix recipi poteſt, & in phiola cuſtodiendum. Juvat quoque hoc tempore ſæpius, cum 1. vel 2. unciæ tranſierint, vas recipiens renovare, quo eo melius ſpiritus a ſubſequente phlegmate ſeparetur, donec oleum ipſum appareat. (*f*)

§. VI.

Neceſſum jam foret, ut principia conſtitutiva commixtis ſit quantum fieri poteſt maxime capax, ut liquores immiſſi parvum adimpleant ſpatium; ignis adhibeatur ubique quantum fieri poteſt lentus & lenis, nec unquam nimis intendatur, (unde non incongruum eſt ignem lampadis pro fine hoc obtinendo adhibere) liquores deſtillantes ſæpiuſcule removeantur, & recens vas recipiens præponatur, ut viciſſitudo liquorum adverti poſſit, quo tanto accuratius circa finem laboris exequi expedit: Cum ad mellagineam vel oleoſam denſiorem conſiſtentiam devenerit liquor, tum neceſſum eſt accurate vas deſtillans obſervare, liquorem tranſgreſſum effundere, & ſimulac intumeſcentiam quandam in vitro conſpexeris, mox omnes ex furno carbones exime, vas retortum ex arena attolle, (unde expedit illud non p ofunde ſed paucæ tantum arenæ & quidem ſuperficialiter committere) alias mox omne in forma ſpumæ tranſgreditur, ut retineri non poſſit; ſi vero ſemel ita tranſiliit hæc mellago, tum irritum eſt, ſi etiam denuo cum eadem deſtillationem adornare velles, ut aliquid olei recipere poſſis, ſub hac enim confuſione tota mixtio pro hoc ſcopo turbata eſt. Spiritus prior niſi ſæpe removeatur plurimum olei imbibit, nec unquam plene redit: ſic & ignis paulo intenſior dum oleum præpropere Spiritui priori inſtillat, itidem proventum ejus minuit: cum fumus albus in vaſe apparet, tum intumeſcentia non longe abeſt, ad quem proinde ſollicite attendendum eſt, ſignum ejus quoque eſt cum quædam liquoris motitatio cum ſibilo percipitur. Sub iſta intumeſcentia ſere omnis olei pars tranſcendit: Separatio olei a reſiduo liquore fiat quantocyus, alias ab inſequenti non parum ejus imbibitur.

(*b*) Nullo modo hic ſilentio prætereundus eſt WILLISIUS in *Pharmac. p. m.* 99. qui ait: quod in Spiritu Vini, pars Sulphurea a Spirituoſa diſtincta fuerit, hoc experimento didici: Rec. Spiritus Vitrioli acerrimi lbß. Spiritus vini rectificati lb.j. miſce in Retorta vitrea, & deſtilla in furno arenæ, donec liquore (qui primo homogeneus videtur) avocato craſſamentum nigrum copioſum in fundo remaneat, Spiritus hic capiti mortuo reaffundatur, & duabus vel tribus cohobiis deſtillatio repetatur, demum habebis duos diſtinctos liquores immiſcibiles, videlicet unum acido-Spirituoſum inferius ſubſidentem, & alterum limpidiſſime oleoſum, ſupernatantem, qui procul dubio vini pars Sulphurea pura putaque eſt ſeparata & per ſe manens, dum pars Spirituoſa ſali acido connubit, eſtque Sulphur ſive oleum vini &c. quamvis Autor hic tam in reddenda ætiologia titubet, quam in præparatione inutilibus ambagibus involvatur, quod ex inſequentibus patebit.

(*c*) Niſi Frobenium eundem eſſe D. Tretſcherum quidam exiſtimant.

(*d*) In Diſſertat. de Arthritide.

(*e*) Commemoranda nunc utique erit accurata & cum multo judicio elaborata Diſſertatio de oleo vitrioli dulci quæ 1735. ſub præſidio Excell. D. P. Schultzii ventilata fuit, cujuſque Autor D. D. PAUL. CHRIST. MULLERUS Lipſienſis non parum & operæ & judicii pro inquirendo noſtro concreto impendit, quod unuſquiſque facile perſpicere poterit.

(*f*) Enchireſes abſque quarum adhibitione omne oleum & opera in præparando hoc proceſſu perditur ſequentibus potiſſimum innituntur circumſtantiis: Vas retortum quo utendum

commixtionis noſtræ, ſcilicet acidum vitriolicum & ſpiritum vini, quoad partes ſuas conſtitutivas & elementa dilucidaremus, ſed cum hoc alibi paſſim legatur & propoſitus Diſſertationis terminus id vetet; hinc potius circumſtantias, phænomena & alterationes proceſſus noſtri conſideraturis, occurrit primum ſtrepitus, calor, & efferveſcentia, quæ ſub commixtione utrorùmque oriuntur; quorum cauſæ in intimiori actione & reactione acidi concentrati verſus principium oleoſum & phlegmaticum ſpiritus vini quærendæ ſunt: hinc potis eſt hæc commixtio vitrum diſrumpere, ſi fortiſſime claudatur. Nam ſpiritus vini nihil aliud eſt, quam oleum ſubtile vegetabile mediante ſubſtantia acida ſalina per fermentativum motum attenuata, & cum proportionato phlegmate connexa: notum autem eſt, quod oleum vitrioli cum omnibus oleis mixtum, calorem & æſtum excitet; quod oleum vitrioli, ut & caput mortuum vitrioli cum aqua combinata incaleſcant adhuc magis, quam cum ſpiritu vini; quod ſpiritus vini cum capite mortuo vitrioli ob dephlegmatum in eo contentum acidum calorem excitet: interim hæc ebullitio & calor adhuc vehementior exiſtit, ſi ſpiritus vini in oleum vitrioli demergatur: adeo enim vehementer efferveſcit atque incaleſcit, ut metus ſit diffractionis vitri & transſcenſionis materiæ, imo ſi in calore detineatur, alte ejaculatur, teſte Ill. D. D. STAHLIO *de Salibus p.* 368. Proinde non ſine cauſa encheireſis iſta notanda, ut mixtio fiat placide & ſucceſſive, & oleum vitrioli potius in ſpiritum vini rectificatiſſimum inſtilletur, quam vice verſa. Poſſet quoque hæc mixtio ita inſtitui, ut oleum vitrioli ſub ſui deſtillatione in præpoſitum vas recipiens ſpiritu vini repletum propellatur, ſi proportio juſte teneri poſſit, monente laudatiſſimo D. D. STAHLIO; quæ methodus etiam cum ſpiritu nitri dulci procedit: quod vero ſub hac confuſione ignem concipiant, qui vaſe obturato extinguitur, prout BECHERI *Phyſica* adducit & CARDILUCIUS, id equidem cum KUNCKELIO utique, teſte experientia negamus. Interim ex hac diverſa commixtione dirimenda venit contradictio KUNCKELII & D. D. HIÆRNE, quorum prior, qui oleum vitrioli ſpiritui vini inſtillavit, contendit, *quod oleum vitrioli cum Spiritu vini miſceatur abſque periculo & alteratione, & tantum colore immutetur cum incaleſcentia*; poſterior, qui inverſo ordine procedit, *ebullitionem hanc adſtruit.* Conſiſtentia variatur: nam ſi oleum vitrioli pauca quantitate in Spiritum vini immittatur, miſcentur clare & pellucide; ſi vero nimium acidi vitriolici addas, tum fit magma quaſi, & conſiſtentia ſpiritus vini immutatur. Color ſi oleum vitrioli rectificatum & album aſſumatur, equidem ſic parum alteratur, niſi quod ad flavedinem inclinet; ſed ſi mixturam digeſtioni exponas, magis magiſque rubeſcit, propter intimiorem oleoſæ Spiritus vini partis cum acido vitrioli unionem; olea enim omnia cum oleo vitrioli mixta, obſcure rubeum induunt colorem; hinc KUNCKEL *in Laboratorio p.* 707. jam attendit, *quod Spiritus vini, quo magis oleoſus ſit, tanto obſcurius rubeat cum oleo vitrioli; quod exinde major vel minor Spiritus vini oleoſitas demonſtrari poſſit, & quod Spiritus vini ſuper calcem vivam abſtractus, ſicque ſuperfluo oleo liberatus, omnium parciſſime rubeat*: Sed ſi oleum vitrioli nigrum recipias, rubedo ſtatim per totum liquorem ſeſe diffundit. Semper autem oleum vitrioli quam maxime concentratum aſſumendum eſt, quod ad minimum pennam immiſſam comburit, quin & quidam ante ſepties rectificare jubent; in qua rectificatione, ſi calor per 3. horas ultra terminum continuetur, vitrum quoad partem inferiorem porcellani colorem adſciſcit, quod phænomenon certe inſigne & conſideratu dignum eſt. (*g*) Odor qui antea in utriſque vel nullus, vel debilis erat, ſtatim a mixtione, & adhuc magis in deſtillato exoritur penetrans, ſuavis & fragrans, qui antea neutri ſeorſim inerat, ex hac mixtione generatus: hunc jam BOYLE in Tr. *de origine Formarum p.* 285. advertit & admiratus eſt; *qui oleum vitrioli & ſpiritum vini anatica portione miſcet, per tres hebdomades digerit, demum Spiritum hunc fragrantem abſtrahit, ſubſequente poſtea Spiritu, magis ſulphur accenſum redolente:* hic ortum ſuum debet attenuationi & ſubtiliori commixtioni acidi cum phlogiſtica ſubtiliori Spiritus vinoſi parte. Sapor utriuſque ita alteratur, ut, qui ante ſub commixtione amœnus quidem, ſed cum aliqua conſtringente acerbitate conjunctus erat, poſt deſtillationem vix adverti queat, imo aromaticus penetrans evadat: ex quibus adeo immutatis phænomenis, utique ſenſibilis interna utrorumque immutatio non obſcure colligi poteſt. Hinc ex hac mixtione conſideratu utique digna ſunt, notabilis illa acidi hujus potentiſſimi a Spiritu vini edomatio & corroſivitatis infractio quæ a partibus oleoſis Spiritus vini perficitur, cum analogum quid in commixtione acidi vitriolici cum oleis, reſinis aliiſque inflammabilibus occurrat; hunc enim Spiritum abſque dubio indigitavit D. D. DEGNER *in Collectionibus Uratiſlavienſibus*, cum ait: *oleum vitrioli in copia leni igne deſtrui & converti poteſt in egregium, perquam volatilem & non corroſivum Spiritum, in Chymia & Medicina utilem.* Notabilis eſt Spiritus vini etiam rectificatiſſimi (talem enim ſemper hic requirimus; nam cum Spiritu vini adhuc phlegmatico longe minus iſta procedunt) & acidi vitrioli exaltatio, ex parte in Spiritum fragrantem; gravioris olei vitriolici volatiliſatio, utriuſque in partes phlegmaticas & terram nigram bituminoſam deſtructio: nam ſub deſtillatione poſt priorem Spiritum prodit non exigua portio manifeſte aquoſa & ultimo acidula, moderato etiam igne tranſcendens, (cum acidum vitrioli per ſe ſatis intenſum requirat.) KUNCKELIUS *in Laborat. pag.* 704. & 488. jam animadvertit, *quod Spiritus vini eadem ratione, prout omnia olea, mediante oleo vitrioli in aquam & terram deſtrui poſſit, ſeu potius utraque deſtruantur:* qua intentione Cel. D. D. STAHLIUS, *patientem & repetitam utriuſque tractationem, deſtillationem in leni B. M. accuratam ſemper Spiritus vini ab aqua ſeparationem, partis acidæ elutriationem & debitam concentrationem, & pro intimiori commixtione utrorumque, ſub digeſtione, moram egregie commendat.* Quo ſcopo ſimul pondus ſaturationis exacte inquirendum eſt, nec minus attentam conſiderationem meretur, qua ratione ex ejuſmodi duobus compoſitis aquoſis, quæ antea ſeorſim ſub halitus forma tranſcendebant, jam combinatione ejuſmodi corpus fixum terreum bituminoſum generari potuerit; ubi KUNCKELIUS equidem oppido hic fallitur, qui hanc terram ſoli Spiritui vini adſcribit, quum potius maxima ex parte acido vitriolico ejuſque intimiori terræ cum Excell. D. D. STAHLIO adſcribendum ſit; quanquam Spiritus vini, ratione partium oleoſarum non ſit aſymbolos, quippe a quo nigredo fuliginoſa deducenda eſt, quod acidi vitrioli cum oleis deſtillatis commixtio abunde docere poteſt. Sic ergo potentiſſimum hoc acidum ratione virtutis ſuæ comburentis & conſtringentis & terræ potentialis cum principio inflammabili coit, & in craſſam ejuſmodi terram coagulatur: ſed portio mediæ volatilitatis hujus acidi cum craſſiori paulo parte inflamma-

(*g*) Hinc oleum Vitrioli ſiccum eſt omnium optimum.

inflammabili commixta & expanſa, conſtituit ſpiritum ſeu phlegma illud ſulphureum ſuffocans, quod priorem vinoſum inſequitur. Denique cauſa ſpumeſcentiæ & facillimæ tranſcenſionis partium ultimarum deſtillationis, expanſioni olei & tenacitati cohærentium partium bituminoſarum cum acidiori & graviori phlegmate commixtarum adſcribenda venit, quod deſtillatio mellis, aliorumque id genus tenacium & facile expanſibilium commonſtrat; hinc eadem ratione, ſi mixturæ noſtræ ſufficiens portio arenæ addatur, quo ſic tenacitas hæc diſcontinuetur, ſecurius deſtillatio ad finem perduci poteſt; verum cum hac ratione reſiduum ſeu Caput mortuum impurius reddatur, & ulteriori examini ſeſe ſubtrahat, hinc eam methodum non plane approbamus.

§. VII.

Sed opus nunc erit, ut, quem e noſtra compoſitione produximus Spiritum, ſecundum ipſius relationes jam propinquius examinemus; ubi ex mixtione conſtat, quod conſletur ex ſubtiliſſima combinatione acidi vitriolici, cum oleaginoſa Spiritus vini ſubſtantia, qua utrumque non parum in ſua natura immutatur. Quod enim acidum vitrioli, licet ſub forma ſubtiliſata, hoc compoſitum intret, demonſtrat odor fragrans & ſulphureus, mira paucitas reſtantis acidi vitriolici, ejuſque longe volatilior, quam ante, conſtitutio: Spiritum vinoſum indicat inflammabilitas; inde prior Spiritus, more communis Spiritus vini, obſcurius flammat, poſterior ob generati magis ſulphurei commercium lucidius. Agit ergo & patitur uterque, & ex eorum actione & reactione oritur hæc nova compoſitio, quæ in certis circumſtantiis a priore multum differt: ſic ipſe Spiritus flammans videtur volatilior eſſe, quam nudus Spiritus vinoſus, prout & Spiritus ſulphuris volatilis, omnes alios Spiritus volatiles, volatilitate præcellit; annotavi tamen, ſal volatile quodammodo præcedere in deſtillatione hujus cum Spiritu noſtro commixti. Fragrantiorem longe eſſe odoratus teſtis eſt abundans, ut proinde quibuſdam *Aqua Lulliana* cenſeatur, quæ vaſe aperto fragrantia ſua viciniam implet. Quod ſi ergo Spiritus noſtri relationes ad alia corpora inquirantur, facta cum eo experimenta certiores nos reddunt, quod potentiſſimum vitrioli acidum adeo ſit larvatum, ut cum ſalibus alcalibus fixis & volatilibus abſque efferveſcentia jungatur, niſi ſub prima concuſſione parum, idque non niſi accedente diutina mora iis affricet, propter immutationem & involutionem a particulis pinguibus. Solutiones ſaturninas præcipitat paulo terreſtrius, quam Spiritus vini ſolus: Florum Cyani color cœruleus mutatur in rubrum, indicio occultæ aciditatis, qua ratione commode larvari poteſt; quamvis enim ipſe Spiritus vini in ſua ſubſtantia contineat acidum, id tamen eſt pauciſſimum & adeo celeriter hanc mutationem non inducit; hinc etiam Syrupi violarum colorem cœruleum commutat in rubicundum, & quod præcipuum eſt, ſolutionem mercurii ex Spiritu nitroſo præcipitat in flavum Turpethum minerale, (poſt aliquod tempus tamen iterum albeſcens,) eadem ratione, ut acidum vitrioli & alcali vitriolatum. Metalla & Mineralia ipſa præcipue compactiora, Aurum & Argentum, equidem ita crude non facile adgreditur, & a ſulphure antimonii debiliter flavo colore imbuitur: præparata vero & attenuata, citius, ex. gr. ferrum per Spiritum ſalis fumantem ſublimatum, præcipue ſi Spiritus ex ana Olei vitrioli & ſpiritus vini paratus ſit; præprimis tamen ex iis corpora bituminoſa; hinc ex ſuccino extrahit Tincturam ſatis elegantem, (*h*) nec impar deprehenditur in extrahendis ſubjectis vegetabilium & animalium, quippe corpora reſinoſa compactiora, quæ ſoli Spiritui vini alias pertinacius reſiſtunt, huic victas dare manus coguntur, cujus rei luculentum exemplum monſtrat ſic dictum Gummi Copal, quod in calore certe totum ab eo diſſolvitur, quamvis non negem, quod poſt refrigerationem aliqua ex parte rurſus ſubſideat, & proinde egregium, certe incognitum hactenus, Vernicem conſtituit; Myrrham promte ſatis extrahit, nec in Ambra ſolvenda deſes eſt, poſſetque ad plura ejuſmodi concreta applicari, & cum eo non paucæ vegetabilium eſſentiæ præparari; niſi juſtus incideret metus, quod per hunc Spiritum vires ſpecificæ permultorum vegetabilium infringantur & invertantur. CRUGNERUS tamen *in Chymiſchen Frühling pag.* 184. *it.* 423. ſub Titulo *aceti principalis* eo, ad componenda ſua Elixiria utitur. Interim non diſplicet methodus quorundam, qui acidum vitrioli cum tribus partibus Spiritus vini miſcent, cui mox aromata adjiciunt, & ſic una opera Spiritum vitrioli vinoſum aromaticum tranſpellunt, ſcopo præcipue carminativo; qui vero crudiorem Spiritus vitrioli cum Spiritu vini mixturam pro ſolutionibus corporum adhibent, prout antiquiores conſuevere, crudiores etiam ſolutiones recipiunt; prout ex his SACHSIUS *in Ampelographia p.* 520. cum Spiritu vini vitriolato ex Calce Lunæ, Tincturam Lunæ ſpondet, ſeu potius Veneream: JUNCKEN. *in notis ſuper Agricolam pag.* 63. ex croco vitrioli martis per Spiritum vini qui cum Spiritu vitrioli circulatus eſt, Eſſentiam Martis præparat, ſed aperte adſtringentem, ex quo fundamento etiam a quibuſdam adhibetur ad extractionem particularum martialium, quæ quibuſdam gemmis & lapidibus inhærent; ſed ſolutionem auri cum eo perficere, imo ſecundum SCHROEDERUM *in Unterſuchung etlicher Mineralien* &c. tincturas fixas volatiliſare & ſuper alembicum vehere, id equidem ita crude ab eo nec ſperari nec expectari poteſt; nec promiſſum implent, qui oleum vitrioli cum ana Tincturæ Tartari digerunt, Spiritum abſtrahunt & reſiduo auri folia pro impetranda ſolutione imponunt: interim ex Regno Animali & Vegetabili BEGUINUS *p.m.* 220. ex raſura Cornu Cervi per Spiritum Vitrioli cum ana Spiritus vini mixtum, parat extractum, ſed parum uſuale. AGRICOLA *p.* 416. cum eodem verrucas equinas ſolvit pro ſpecifico, ut ait, antihyſterico. (*i*)

(*h*) Quæ Tinctura præcipue per Spiritum Naphthæ in F. E. digeſtione ſufficiente præparata in Fluore albo ad 60. gt. interne, & externe cum aqua Traumatica commixta perquam commendanda eſt. Quo & reſpexiſſe videtur Excell. D. D. HENCKELIUS hodieque ſine pari judicioſus Metallurgus, cum in Eph. Nat. Curioſ. Vol. IV. p. 316. aſſerit: Succinum in Spiritu Vini totum ſolvi poſſe auxiliante acido Vitriolico.

(*i*) Differt autem quam maxime deſtillata Spiritus vini cum oleo Vitrioli mixtio, ab eadem non deſtillata, & digeſtione tantum coadunata: delituerat ea hactenus quaſi gravi ſomno ſepulta, donec ante paucos annos ab acutiſſimo D. CHRISTIANO DEMOCRITO quaſi excitata & in ſcenam Medicam producta apparuit. Quippe qui variis cum ea feliciter inſtitutis experimentis eam paſſim commendavit & communicavit. Fuit enim ille ipſe liquor, quem adducunt Autores Commercii Litterarii Norinbergenſ. An. l. 1731. p. 172. cum Excell. DD. CARL. Archiater jam Danicus medicamentum hoc D. D. GOETZIO tranſmittit, ejuſque virtutes in podagra arthritide nephritide commendat. Primus vero ſecreto hactenus habitam ejus compoſitionem publico impertiit Excell. D. P. SCHULTZE in egregia Diſſ. an dentur medicamenta quæ calculum in veſica comminuant Menſe Julio 1734. pag. 39. Hunc inſecutus eſt D. D. HUMMEL in curioſa Diſſ. de Arthritide

Sed ut ad Spiritum noſtrum redeamus, hic a ſalibus acidis, alcalibus, fixis, & volatilibus, item neutris, quoad ſenſum parum immutatur, ut proinde nullam fidem mereatur qui in Axtelmeyeri *Natur-Licht P. II. pag.* 168. deſcribitur proceſſus, quod ejuſmodi Spiritus Nitrum commune figere valeat, niſi forte a crudiori tranſpulſo acido vitrioli ſpecies Tartari vitriolati per inutiles ambages generetur. Præcipue tamen obſervatione dignæ ſunt mixturæ noſtri Spiritus cum ſalibus alcalinis: quod ſi enim per aliquod tempus cum iis in forma ſicca vel liquida concutiatur per aliquot dies ſeponatur & demum declinetur & deſtilletur, vel ſi placet cohobetur, omne crudum adhuc acidum reſtat cum ſale alcalino, & Spiritus purior tranſcendit odore eleganti aromatico fragranti, qui itidem non modo egregie medicamentoſus eſt, ſed & menſtruum exiſtit ulterioribus per experimenta indagationibus certe digniſſimum; de quo, ex variis cum eo factis experimentis, extractionem variegati & mutabilis ex minera Wiſmuthi parati coloris, (*k*) & ſolutionem corporis cujuſdam luminoſi, ſolutionem Fuliginis pro Eſſentia, infantibus in Epilepſia, dentitione & inquietudine proficua, nominaſſe ſufficiat; præcipue cum Celebr. D. D. Geelhausen *in Commercio liter.* ſpecialem de hoc exercitationem promittat, quam omnes Philo-Chymici mecum avide exſpectant: ad eundem ſcopum collimat D. D. Kuchel *in Diſſ. de Spiritibus anodynis* ſub Præſidio Cel. D. D. Teichmeyeri habita, qui libram unam hujus Spiritus ſuper duabus unciis calcis vivæ rectificare docet. Differt autem ſi pauciori proportione Sal Tartari cum oleo vitrioli & Spiritu vini commiſcetur, deſtillans exinde Spiritus magis acidulus aquæ inſtillatus, vini quodammodo ſaporem ei conciliat. Sed cum Spiritu urinoſo ſi commiſceatur Spiritus noſter, tum ſal volatile eodem modo ac a puro Spiritu vini præcipitatur, nec in ſubſequente deſtillatione ullum veſtigium ammoniaci ſecreti monſtrat, quale alias ejus cum acido vitriolico quocunque modo facta combinatio ſiſtere ſolet, unde notabilem ejus hoc modo inverſionem & ſubtiliſationem recte concludere nobis licet.

§. VIII.

Vires medicas Spiritus noſtri ſi reſpiciamus, eæ a primitivis ſuis & præcipue ab acido vitriolico multum diſcrepant; fruſtra enim effectum refrigeratorium & coagulatorium ſanguinis hic quæras, cum potius tam per ſe, quam ſi proprio oleo exaltatus ſit, is anodynus, tonicus, carminativus, antiſpaſmodicus, reſolvens, imo ardorem ſanguinis augens deprehendatur; laudatur proinde ab his, culpatur ab illis: nos media incedentes via, neque promiſcuum abuſum approbamus, nec verum & limitatum uſum rejicimus. Securiorem tamen judicamus eum, qui ſuper alcali rectificatus eſt; nam ratione virtutis anodynæ & antiſpaſmodicæ cum fructu uſurpari poteſt ad 20-30. gtt. infantibus ad 6. gtt. in doloribus ſpaſticis, doloribus calculi, vigiliis, convulſionibus & in Epilepſia præſertim infantum a dentitione, a ſpaſmo abdominis & inteſtinorum, præmiſſo præcipue clyſtere, item in cardialgia & doloribus ſtomachi. Ratione virtutis carminativæ prodeſt in flatulentiis, egregius eſt ad ructus, quos eximie pellit, ad vomitum & nauſeam, quæ ſedat. Nocet magis indiſtincto uſu in acutis, dum ardorem auget, in febribus ardentibus &c. Dubiæ ſunt quædam, quæ de eo prædicantur, vires, imo ſæpe fallaces, ut Rosencreuzer *in Aſtronomia pag.* 101. qui in Mania commendat; nec ita crude aſſumendus eſt Ch. Langius, qui affirmat, quod Spiritus vitriolicus Spiritui vini conjunctus, ſtomachum & viſcera radicali refectione beet: aliis calculum præſervare dicitur; nec promiſcuus ejus in Epilepſia uſus operæ pretium facit, licet Rosencreuzer *p. 96.* Cardilucius *in Crollium p.* 487. & 492. eum pro hoc ſcopo indiſtincte commendent. Quod ſi vero cum aliis appropriatis commode miſceatur, in quibuſdam circumſtantiis non ſine fructu poteſt adhiberi, ex quibus præcipua eſt ejus cum pauco, vel parte dimidia Spiritus ſalis ammoniaci ſimplicis vel vinoſi commixtio, unde emergens ſubtile ſal ammoniacale magis incidens & tonicum evadit, quæ mixtura ad ſopiendos ſpaſmos, Convulſiones, Epilepſiam præcipue ex terrore infantum commendatur. D. D. Gohl *in notis ad Dalman.* ſub titulo *Spiritus Cephalici* eum ad Cephalalgiam, Vertiginem & Epilepſiam extollit; prodeſt etiam in flatulentiis & preſſionibus Hypochondriacorum & Hyſtericarum. Convenit etiam mixtura, quæ cum Spiritu C. C. vel Fuliginis, vel Eboris paratur: Cum Balſamo vitæ mixtus, ſingultum momentanee auferre ſolet; cum ſpiritu tartari maritatus, ſolet in momento rubeſcere ab evolutis partibus oleoſis in Spiritu Tartari contentis, indeque magis exæſtuans & diaphoreticus evadit; hinc a quibuſdam loco mixturæ ſimplicis adhibetur ſcopo ſudandi e. g. in Iſchiade, in acutis tamen merito ejus uſum limitamus. Zobel *in Mediciniſcher Perle p.* 103. mixturam ex Spiritu Vitrioli, Spiritu Tartari & Spiritu Vini ana factam, ad morbos hepatis commendat, ſed commendatio hæc cum grano ſalis conſideranda. Ut reliquas ejus commixtiones cum Tincturis alcalinis, Eſſentiis ſtomachicis, aliiſque pro diverſo ſcopo prætereamus.

§. IX.

Inquirendum nunc eſt in naturam olei iſtius, quod ex hac operatione emergit, & circa finem deſtillationis cum phlegmate ſulphureo tranſtillat: nomen olei ipſi rectiſſime convenit, nam eſt liquor pinguis, inflammabilis & cum aqua non miſcibilis, quod ſeparatum ab aqua locum capit. Sed cui originem ſuam debeat de eo eſt controverſia, quum ſint, qui oleo vitrioli eam adſignent, ut Crollius, Valerius

tide tam Tartarea quam Scorbutica. Menſe Octobr. 1734. Trajecti ad Rhenum habita p. 23. ſq. 27. Demum judicioſus Autor notarum ad Chr. Democriti Tractatum de Vita & Medicina animali Germanice redditum 1736. prodeuntium paſſim ejus mentionem facit ut pag. 138. 156. 159. 162. 164. 165. 171. 192. 204. 205. Ubique oleum Vitriolicum 4, 6, 8. partibus Spiritus vini rectificatiſſimi miſcetur, additis diverſis vegetabilibus reſolventibus balſamicis diureticis, quæ extractione digeſtoria uniuntur, indeque recipiunt medicamentum virium non exiguarum, in ſiſtenda fermentatione putrefactoria, reſolvens Tartari, confortans &c. præcipue in obeſis robuſtis & vinoſis ſubjectis applicabile (cavendo vero in ulceroſis, phthiſicis, hecticis, ſiccioribus, & teneris fœmellis) idque vel per ſe, vel cum Elixire alcalino alterando vel cum ſale mirabili adhibitum. Quæ pro hiſtoria hujus producti concinnanda hic adjeciſſe forte nemini ingratum futurum confido.

(*k*) Hoc Sal ex minera Wiſmuthi paratum jam per aliquot luſtra laboratoriis germanis innotuit, unde ejus inventionem externi, (prout nonnullis ipſorum ſolenne eſt) nullo jure ſibi vendicare poterunt: prout & ipſa minera germanis adhuc dum fere propria eſt: color hujus Salis debiliſſime rubeſcens ſolo caloris motu mox in viridem mutatur, qui tamen aere frigido admiſſo poſt breve tempus rurſus evaneſcit, ſed facillimo negotio eodem calore auxiliante denuo in ſcenam producitur.

Valerius Cordus, hinc illud nomine *ſulphuris vitrioli* vel *olei vitrioli dulcis* inſigniunt; alii Spiritui vinoſo, hinc *oleum* vel *ſulphur vini* appellant, ut Libavius, Willisius & *Exc.* D. D. Vater *in Diſſ. de Sulphure vitrioli*; alii utrique. (*l*) Quod ſi mentem noſtram audire cupias, equidem cum Illuſtr. Stahlio oleum hoc Spiritui vini potiſſimum originem ſuam debet, dum oleum vitrioli concentratum ex Spiritu vinoſo aquam attrahit, unde reſolutum antea in iſto oleum rurſus ex parte coagulatur, & coit in formam olei: ſed firmiter quoque perſuaſus ſum, quod ab omni partium vitriolicarum immixtione non ſit penitus immune, ut nihil dicam de externa hujus acidi adhæſione cruda, certe tenerrime ejus immixtioni adſcribenda ſunt non pauca ſingularia hujus olei phænomena, quibus ab aliis omnibus multum diſtinguitur, quo omni jure refero, ſummam hujus olei fugacitatem, ita ut nec in vaſis optime clauſis coerceri poſſit, ſed evaneſcat, ut nec vola nec veſtigium ſuperſit: hinc aliquot guttæ ſaccharo inſtillatæ & aquæ calidæ immiſſæ, cum ſtrepitu & ebullitione in momento in auras disjiciuntur, licet non adeo celeriter, nec cum tanta ebullitione, ut Spiritus Naphthæ eodem modo tractatus, cum ſupernatante in potu Coffee calido cuticula iridiforme; odor fragrans aromaticus, ſed ſimul vitriolico-ſulphureus, ſapor (quod memorabile eſt) frigidus, ac ſi lenem Nitri ſolutionem percipias, (poſtquam ſcilicet ſuper alcali fixum rectificatum fuit) & frigus, quod etiam cuti imprimit: hinc quoque ſi reſtanti acido vitriolico concentrato recentem Spiritum vini rectificatiſſimum affundas, licet Spiritum adhuc magis ſulphureum ſuppeditet, parciſſimum tamen præbet oleum, quod operæ pretium non facit. Pondus hujus olei ex libra una olei vitrioli, quinque vel ſeptem drachmas vix transgreditur, forte qui accuratiſſime labori aſſident, etiam paulo plus ſunt recepturi: minus proinde accurata eſt deſcriptio illa, quæ ſpondet, ſi oleum vitrioli & Spiritus vini ana deſtillentur: & deſtillatum in recipiente, vel alio vaſculo quieſcat, quod ſponte ſeſe ſeparet in tria principia: 1.) oleum ſupernatans, 2.) Spiritus vini in medio, & in fundo oleum vitrioli, nam hac ratione oleum plerumque in Spiritu priori reſorbetur. Eſt igitur oleum hoc penetrantiſſimum, ſulphureum, fragrans, fugaciſſimum, in Spiritu vini ſolubile, celerrime inflammabile, ſed cui adhuc externe acidum vitriolicum crudum adhæret, huic quippe adſcribenda ſunt ab Ill. Frid. Hoffmanno adnimadverſa olei hujus phænomena: *quod, ſi per aliquod tempus in vitro conſervetur, tum rubeſcat, diaphaneitatem ſuam amittat, ſaporem gratum aromaticum deperdat, & rurſus acidum corroſivum evadat; quod in cochleari argenteo ſuper ignem rubedinem contrahat, illud arrodat, & nigram maculam imprimat, quod Mercurium aggrediatur, ſi cum eo in phiala coquatur.* Nam ſi oleum hoc cum alcali fixo miſcetur, aperte cum eo efferveſcit, & quod tunc ab inde abſtrahitur oleum egregium, nec rubeſcit, nec acidum per ſe evadit, nec argentum vel mercurium arrodit. Sed occurrit adhuc differentia circa hoc oleum, quod alii ſupernatare, alii vero fundum petere affirmant. In quantum mea circa hoc oleum ſeſe extendit experientia, licet ſæpius illud confecerim, nihil ego aliud vidi, quam quod oleum ſemper ſupernatet, niſi ex portione anatica Spiritus vini & olei vitrioli deſtillatum fuerit, ubi quidem pleraque pars ſupernatat, ſed quædam guttulæ fundum petunt: quæ tamen gravitas quod ab inhærente copioſius acido derivanda ſit, facile ex eo experimento patet, quod olea ſale imbuta graviora reddantur; unde forte in diverſitate olei vitrioli cauſa hæc quærenda eſt, quam D. D. Kuchel *in Diſſert. de Spiritibus anodynis p. 16.* adducit, obſervationem, dum maſſam piceam in aere ſolvit per menſem, cui tum demum Spiritum reaffundit & deſtillat, indeque ſpiritum ſupernatantem prodire affirmat, qui nihil aliud eſt, quam noſtrum oleum. *Quod oleum hoc in Spiritu vini ſolutum, ſi pauca quantitate ſolutioni auri commiſceatur, flavam Tincturam producat, quæ ferro inſtillata illud deauret;* advertente itidem Frid. Hoffmanno; id equidem cum ordinaria ſolutione auri concentrata & cum ſpiritu vini rurſus diſſoluta commune habet, dum acidum aquæ regis ferrum adgrediens, aurum ſolutum dimittit. *Quod vero eadem ſolutio, ſi per duodecim horas ſtet pulverem nigrum ad fundum dimittat;* combuſtis ab acido partibus oleoſis quæ cum calce auri poſtea fundum petunt, attribuendum eſt. Quod idem oleum noſtrum purum, ut Cel. Stahlius annotavit, cum puro oleo vitrioli confuſum deſtruatur in terram nigram cum multa aqua ſecedente & generatione ſpiritus ſulphurei volatilis, itidem commonſtrant omnia olea hac ratione tractata.

Crudum aurum ab oleo noſtro non diſſolvitur, niſi ſalibus acidis adhuc groſſe imbutum ſit; hinc & Bas. Valentinus aurum per acida prius volatiliſatum requirit: nec experientiæ reſpondet, quæ a Beguino *pag. 191.* ſub Titulo *Aurum potabile oleiforme*, promittitur ſolutio auri; *Si ſpiritum vini Tartariſatum, vel ut alii volunt, Tincturam Tartari ſæpius ab oleo vitrioli abſtrahas per alembicum, & reſiduo auri folia immitas & digeras,* licet Eph. N. C. An. VII. VIII. fideliter ex eo tranſcripſerint.

Qui diutina digeſtione vel Spiritus deſtillati cohobatione uberiorem olei proventum ſpondent, quantum equidem videre hactenus potui, intentionem ſuam vix aſſequentur; illud autem ulteriori inquiſitione dignum reputo, quod Celeb. D. D. Stahlius in Tr. *de Salibus p. 421.* aſſerit, *quod, ſi ſulphureo phlegmati, quod ultimo cum oleo transſtillat, præcipue priori, addas aquam pluviam deſtillatam, eoque phiolam fere ad dimidium colli adimpleas, & ſic per aliquot dies quieſcat, vel leniſſime digeras, ſed vaſe optime clauſo; ſenſim ſenſimque colligatur ad ſuperficiem clarum ejuſmodi fragrans & fugaciſſimum oleum:* quamvis mihi quidem ſucceſſus voto hactenus reſpondere recuſaverit, licet mox ab affuſione aquæ, ad inſtar ſpirituum oleoſorum, lacteum colorem induerit & per ſatis longum tempus retinuerit. (*m*) Glauberus paſſim & D. D. SNELLE in Tr. *de ſale communi*, promittunt ſimile oleum ex Spiritus vini cum acido ſalis vel nitri concentrato commixtione, ſed experimento rariſſime ſuccedente, niſi forte ſpiritus vini ſuperflue oleoſis particulis, vel ab aromatibus, vel a priori illa pinguedine ſeu oleo, quod ſpiritum frumenti in prima deſtillatione præ-

(*l*) Quod oleum hoc ex potiori ſui parte potius oleum vini nuncupandum ſit, ex eo, ni fallor, liquet, quia Spiritus vinoſus ex oleo reſoluto conſtat, quod ſub hac mixtione denuo concentratur, & in oleo Vitrioli nihil inflammabilis unquam demonſtrari poſſit, unde cum oleum hoc totum inflammabile ſit, neceſſario id ex Spiritu vinoſo ortum ſuum duxit, quamvis acidi Vitriolici non modo ſuperficiariam adhæſionem, ſed & ſubtiliſati ejuſdam ſubtiliorem connexionem ex viribus ſpecificis utique lubens agnoſcam.

(*m*) Inquirenda quoque eſt diverſa hujus olei proportio ſecundum differentem aſſumti verſus oleum Vitrioli Spiritus vini proportionem, dum 1. p. olei Vitrioli etiam cum 8. p. Spiritus vini commixta, ejuſmodi oleum ſuppeditet, & Spiritus vini ex fecibus vini paratus longe plus hujus olei impertiatur, quam alius.

cedit, imbutus fuerit, quæ vel in ipſa ſpiritus vini ſuper aquam rectificatione, vel cum ſpiritu ſalis digeſtione ſeparatur & paucis quamvis guttis ſupernatat; ſpiritus nitri vero vehementia ſua partes oleoſas nimis cito comburit & diſpertitur, niſi, ut poſtea videbimus, particulis metallicis nimia activitas infracta fuerit. Quoad vires medicas, oleum noſtrum celebratur ut ſumme anodynum & gratiſſimum nervis ſedativum, præcipue in doloribus ſpaſticis, arthriticis, doloribus calculi, vomitu, colica & præcipue a quibuſdam in epilepſia. Nec vires ejuſmodi anodynas ei plane denegare poſſumus, ulteriori tamen & circumſpectæ experientiæ commendamus, præcipue cum ſola anodyna abſque cauſarum juſta remotione non ubique tuta reperiantur. Præbet quoque oleum noſtrum occaſionem & fundamentum dirimendi litem *in Commerc. lit. Norimb.* circa oleum Talci agitatam. Celeb. & Curioſiſſimus D. D. Geelhausen *p.* 84. *menſtruum* Beerianum *ex oleo vitrioli & Spiritu vini ana deſtillatum & per inſtillatum ſucceſſive oleum tartari per deliquium ab aciditate privatum cum Talco digeſtioni expoſuit, ubi veſtigia olei innatantis apparuere, quæ pro oleo Talci venditat*, ſed p. 117. ubi Anonymus monet; *hoc oleum potius oleo vitrioli deberi*, (ſed prout ante monſtravimus maxima potius ex parte ſpiritui vini originem debet) *quia hoc oleum una cum Spiritu vini alembicum tranſcendit, præcipue ſi deſtillatio paulo longius continuetur*, (quo ipſo veram ipſius producendi encheireſin ſuppeditat) regerit Celeb. D. D. Geelhausen p. 387. *quod hoc oleum cum ſpiritu vini alembicum non tranſſcendat, quia ultimo demum cum phlegmate venit*; (ſed nos per experientiam aſſerimus, quod quidem demum cum phlegmate prodeat, verum per alembicum utique tranſſcendat etiam communem, licet parciori copia, meliuſque per cucurbitam cum alembico ipſi vitrificatione connexam. Hinc Celeb. D. D. Geelhausen, vel hanc olei productionem non advertit, vel hoc oleum ſub longiori digeſtione a ſpiritu priori maxima ex parte abſorptum eſt: unde facile evenire potuit, ut ſub digeſtione hujus ſpiritus cum Talco & aliquali reactione parum olei ex vinculis hujus ſpiritus ſit evolutum.) Demonſtrat porro *quod hoc menſtruum ipſius ſit magis oleoſum, quam Hoffmannianum*, ejuſque præparationem ita docet: *ſi olei vitrioli & ſpiritus vini ana mixta digerantur, leni igne deſtillentur, prodit primo liquor magis ſpirituoſus phlegmati ſequenti & omni aquæ ſupernatans, eique addit lixivium alcalinum q. ſ. demum decantat per tritorium, & habet ipſius menſtruum, quod magis copioſe paratur ex floribus olei vitrioli, ſequens phlegma acidum rejicit, Capiti mortuo nigro affundit ſuum menſtruum & extrahit rubram vitrioli Tincturam pro medicina, ſi menſtruum leni igne abſtrahatur, reſtare oleum vitrioli rubrum perhibet*, (quod potius Tinctura extracta concentrata eſt; nam improprie huic nomen olei tribuitur, nec eſt oleum quæſtionis.) Liceat jam adhuc reſolutionem quæſtionum, quas laudatus Auctor ibidem propoſuit, pace Ipſius pro modulo noſtro tentare. 1.) *An hoc ipſius menſtruum ſit oleum vini, quod adducit* Exc. D. D. Stahlius *in Obſ. p.* 407. Reſpondemus negando: quod ibi enim innuitur oleum, eſt illud ipſum quod ultimo cum phlegmate venit; menſtruum autem hoc eſt ſpiritus vinoſus ſumme æthereus, ſubtiliſſima halituoſa acidi vitrioli ſubſtantia imbutus & concentratus. 2.) *An ſit ſpiritus albus Baſilii?* Reſp. vix videtur, vel ſaltem ulterioribus experimentis id ſtabiliendum, atque aſſeveramus, irrito ſucceſſu hoc menſtruum & reliqua ejus producta pro hoc ſcopo a quibuſdam adhibita fuiſſe. 3.) *An in capite mortuo ſit oleum rubrum Baſilii?* nec hoc affirmare auſim, nam mihi ejuſmodi picea bituminoſa ſubſtantia, quæ hoc improprie ſic appellatum oleum conſtituit, inſufficiens videtur pro conſtituendo ſic dicto ſulphure philoſophico. 4.) *An ex oleo vitrioli communi non queat abdeſtillari portio ſulphurea oleoſa, oleum album, ſulphur vitrioli album in forma plus minus ſicca, ſub nomine florum olei vitrioli?* Reſp. Vix ſatis aſſequor mentem Eximii D. Auctoris, niſi quod mihi videatur innuere, quod ſub debita & repetita olei vitriolici rectificatione & concentratione demum fere coaguletur, & prodeat in forma ſalis ſeu cryſtalli fumantis, concentratiſſimæ aciditatis. 5.) *Annon potius nigredo & Tinctura hujus capitis mortui ſit habenda pro pura Fuligine ſpiritus vini, ita ut de parte ſulphurea olei vitrioli parum vel nihil in eo contineatur?* Reſp. Aliqua quidem ex parte de oleoſa ſpiritus vini portione participat, ſed maxima ex parte ab acido vitriolico deducenda eſt; hæc enim eſt ratio quod aciditas ejus adeo immutata, infracta & imminuta ſit; hinc ex hoc capite mortuo calcinato producitur ſal quoddam vitriolatum, ut alia experimenta jam taceam, quibus olei vitrioli deſtructio in aquam & terram clare vincitur. Separamus vero Cel. D. D. Geelhausen non ægre laturum; quod, prout ipſe deſideravit, publice mentem noſtram circa propoſitas ab ipſo quæſtiones ob connexionem materiarum explicare voluerimus, idque tanto lubentius, ut Ipſum ſimul hoc excitaremus, quo propria circa hoc menſtruum in medicis & phyſicis experimenta tanto citius ſingulari Exercitatione, prout ibidem promiſit, Medico orbi communicaret, noſque ipſos, ſi alicubi erraverimus, in viam reduceret, vel ulterioribus experimentis confirmaret. (*n*) Quod vero cum oleo noſtro ſimul transſtillat phlegma ſulphureum ſuffocativum, communem originem habet cum phlegmate ſulphureo, quod ex miſcela acidi vitriolici cum oleis quibuſcunque ex. gr. expreſſis oritur, ejuſdemque eſt uſus.

§. X.

(*n*) Doleo ex animo Virum hunc integerrimum D. P. Geelhausen præmatura morte præventum ſuam de his rebus mentem & experientiam prout promiſerat publico communicare non potuiſſe: interim hoc certum mihi videtur, quod ipſius oleum Vitrioli dulce ſit ipſiſſimum hoc noſtrum oleum, licet alia methodo extractum, ipſe enim mellaginem eo uſque non tranſpellit, ut oleum noſtrum ſimul tranſire poſſet, ſed ex magmate iſto, in quo adhuc oleum involutum latet cum proprio priore Spiritu oleoſam hanc ſubſtantiam extrahit, quæ poſtmodum abſtracto priore Spiritu condenſatur ſeu coit in ejuſmodi oleum, quod poſtea ipſi priori Spiritui, (prævia utriuſque per alcali fixum edulcoratione) quo cum tamen extractum fuerat, priorem ſolutionem denegat, quod admiratione utique dignum exiſtit, ſed ſeorſim in forma elegantis rubicundi & ponderoſi olei locum inferiorem capit, immutata ſemper natura, & quantitatibus ſemel acquiſitis, & per ſe conſtituit gratum aromaticum medicamen egregiarum virtutum, aurum philoſophicum quibuſdam appellatum, operationis eximiæ in corpore humano. Primariæ hujus rei circumſtantiæ ſunt, quod aſſumat, oleum vitrioli ſiccum, quod ſub rectificatione inſtar nivis lateribus vitri adhæreſcit, ſed a contactu aeris deliqueſcit, ſeparato oleo fixiore: extractio fiat ante dulcificationem, poſtea vero cum alcali utraque edulcorentur, & tum ulteriorem unionem negant: Si vero aurum ex aqua regia cum Spiritu Naphthæ extractum & evaporatum huic oleo adjiciatur, illud rurſus inquinatur a corroſivo aquæ Regiæ & pro uſu Medico magis deturpatur quam melioratur, quod & ex ipſa guſtus acredine mox cognoſcitur.

§. X.

Supereſt nunc examinandum, quod in retorto vaſe reſtat ſic dictum caput mortuum, ſeu maſſa mellaginea nigra ſulphurea, quæ duplici conſtat ſubſtantia: altera acida vitriolica, quæ, per aquam a reliquo corpore ſeparata & rurſus concentrata ſiſtit purum acidum vitriolicum, licet ob aliqualem principii inflammabilis commixtionem magis ſulphureum, hoc nempe ex aëre attrahit humiditatem more olei vitriolici, & pro præparando Tartaro vitriolato, vel deſtillando ſpiritu nitri, vel ſalis, vel aliis laboribus adhuc inſervire poteſt, vel ſi exacte prius concentratum fuerit, novo addito ſpiritu vini, ulterius ſpiritum vitrioli volatilem ſuppeditat, odore adhuc magis ſulphureum, quam qui ex prima deſtillatione prodiit; ſed quod tunc ſimul prodit oleum, operæ pretium non facit, ob infractam magis olei vitriolici aciditatem, quæ tum adeo potenter in ſpiritu vini agere, eumque deſtruere non valet; altera, quæ eſt nigra terra bituminoſa, ex concretis magis terreis fixioribus acidi & inflammabilis principii condunata & compacta, magna ex parte fixa & igni reſiſtens; hinc ſcrupuli duo forti igne candefacti reliquerunt quindecim grana terræ fixæ, ignis vim eludentis, & teſte KUNCKELIO in vitrum faceſſentis, quæ aceto deſtillato extracta & evaporata, dedit aliquam portionem ſalis vitriolati: & caput mortuum hoc cum decem partibus vitri fuſibilis liquefactum, dedit vitrum ex viridi flavum: maxima ex parte convenit cum capite mortuo nigro, quod ex tractatione acidi vitriolici cum oleis emergit. (o) BOYLE in Tr. *de origine formarum p. m.* 289. jam advertit; *quod caput mortuum hoc fragile inſipidum ſit & aqua ſolubile, non inflammabile, ut non in flammam ſed vix ac ne vix quidem in ignem faceſſeret, ita fixum, ut in caſſum conatus ſit, eam vehementi quoque igne in ſublime agere.* Productio hujus terræ nec ſoli ſpiritui vini, ut KUNCKEL facit *in Obſ. P. II. p. m.* 105. adſcribenda, nec ſoli acido vitrioli, ut BECHER exiſtimat, nec non ROTH in Diſſ. *de ſulphure vitrioli*, dum ait: *acidum vitrioli in ſe continet ſulphur, quod ex eo liberatur, digerendo cum ſpiritu vini, ſic ſulphur vitrioli cum ſpiritu vini vel evehitur, vel in digeſtione ad fundum ſubſidet*; nam oleoſa ſpiritus vini pars utique ſuum tribuit, teſtante colore nigro fuliginoſo; adeoque utriuſque commixtioni originem ſuam debet; fuſioni reſiſtit, male tamen a KUNCKELIO *in Laborat. p.* 704. terra damnata appellatur, cum activa ſatis adhuc principia contineat. Hinc Ill. FRID. HOFFMANNUS *in Obſ. Chym. pag.* 280. de eo annotavit; *quod carbonibus vivis injectum totum avolet cum odore ſulphureo; quod vitro cauſtico avolet in auras, nulla terra martiali reſtante; quod cum quatuor partibus ſalis tartari largiatur hepar, hoc hepar* (ego cum duabus partibus ſalis tartari præparavi) *aqua ſolvi & cum aceto præcipitari in ſulphur commune ardens.* In hac operatione intimius jungitur parciſſimum inflammabile principium, abacto ſuperfluo, cum reſtante occulta vitriolica aciditate, ſicque generat ſulphur: *quare autem noſtrum caput mortuum, cum argento cementatum, id non tangat more ſulphuris communis* (ut teſtatur Celeber. HOFFMANNUS l. ſ. c.) id ſuperfluis particulis fuliginoſis involventibus & imperfectæ adhuc ſulphuris mixtioni adſcribendum venit. *Quare autem plus hujus capitis mortui recipiatur, ſi oleum vitrioli cum anatica portione ſpiritus vini miſceas, accedente præcipue longiori digeſtione qua aliquid ſolideſcentis ad fundum ſegregatur*, teſte STAHLIO in Diſſertat. *de Elogiis vitrioli*, hoc unice concentrato magis activo acido vitriolico attribuendum: quod ſi enim tres, quatuor vel plures ſpiritus vini partes ei admiſceas, tum acidum hoc magis debilitatur & infringitur, ut non adeo potenter in ſpiritum vini agere illumque deſtruere valeat, ſed & hæc proportio ſi diuturniori digeſtioni exponatur, ut tanto diutius in ſe invicem agere queant, tanto plus quoque terræ producit, ita ut hæc operatio repetita, tam oleum vitrioli, quam ſpiritum vini deſtruat, & in aquam & terram commutet. Sunt qui ex capite mortuo noſtro calcinato cum ſpiritu ſalis ammoniaci ſolutionem viridem ſpondent; mihi quidem id non ſucceſſit, & ſpiritus ſalis ammoniaci nullo colore tinctus eſt; ſi vero cui id accidit, id volatiliſatis ſub deſtillatione acidi vitriolici particulis venereis attribuendum erit. Dixi ſuperius noſtrum caput mortuum immerito a KUNCKELIO terram damnatam appellari, quod ii præcipue negabunt, qui magna adhuc ex eo ſperant, nec eſt utique indagatione indignum, ſed *citra myſterium* ex Epicriſi Cel. STAHLII, in Diſſert. *de Elogiis vitrioli.* Solutio ſeu extractio ejus cum proprio ſpiritu, vel ſecundum Clariſſ. D. D. GEELHAUSEN cum ſpiritu ſuper alcali rectificato dicitur pro auro potabili venditari, quo fundamento, ipſi viderint quorum intereſt: Proceſſum ipſum jam deſcripſit VREESWYCK in ſcriptis ſuis Chymicis Hollandicis, *qui tamen tres ſpiritus vini partes aſſumit & cohobationem commendat, & Tincturæ extractæ, ſal ex capite mortuo calcinato cum aqua extractum adjicere præcipit.* (p) Alia methodo POLEMAN, teſte BECHERO *in Moroſophia: qui hoc caput mortuum in aqua regis ſolvit ſolutione rubicunda, aquam regis abſtrahit, reſtans ſolvit aqua pluviali deſtillata colore itidem rubro, feces ſeparat, coagulat, totieſque ſolvit, donec non amplius feces ſeponat; hoc ſal clarum, rubicundum, fuſibile, mirabiles operationes in homines & metalla perfeciſſe perhibet.* Quod caput mortuum noſtrum ſi in aqua regis ſolvatur vel extrahatur colore rubicundo, hoc equidem experientia utique approbat, (q) prout etiam KUNCKEL *in Laborat. p.* 478. advertit; *quod ex fecibus olei vitrioli & ſpiritus vini debite tractatis ſanguineo rubicunda ſolutio prodeat:* ubi tamen aquam regis pro menſtruo adhibendam ſilentio ſupprimit. Qui vero ex ſolutione terræ ejuſmodi bituminoſæ in aqua regis ſibi tanta promittunt, mea quidem opinione infirmo videntur niti talo. (r) Caput mortuum noſtrum dum cum acido adhuc conjunctum eſt, dicitur conſtituere *Aquam Vulnerariam Rabelii*, teſte *Tournefort in Laboratorio: Viganus*, ait, *Spiritum vitrioli volatilem ſic facit; Recipe olei vitrioli uncias duas, ſpiritus vini uncias octo, miſce & in B. vel arena igne lento abſtrahe*

(o) Quod pondus productionis hujus Terræ cohobando augeatur, commonſtrat Diſſert. de olei Vitrioli dulci p. 21. §. XXXI.

(p) Quadrat huc judicium accurati quondam Chymiatri D. D. Heuſing in Diſſ. curioſa de Vitriolo an ſit materia philoſophorum 1723. p. 28. cum eos falſe derideret, qui prodeuntia producta ex Spiritu Vini rectificatiſſimo & Sp. urinoſo 3. p. c. 1. p. olei Vitrioli Spiritum ſcilicet oleum & Terram nigram pro liquore Alkaheſt Spiritu Mercurii & Sale philoſophorum æſtimant, & ex eorum compoſitione ſibi lapidem philoſophicum promittunt.

(q) Sed caput mortuum adhuc humidum exiſtat.

(r) Sunt qui in hoc magmate Mercuriale quippiam vel quæruńt vel inveniunt, interim id non ex quovis oleo Vitrioli produci poſſe, ſatis certus ſum, cum in ordinario & vulgari methodo deſtillato oleo id fruſtra quæſiveris.

trahe ad dimidias; tunc liquores refrigeratos rurſus confunde: eſt optimum in omnibus hæmorrhagiis internis & externis, & eſt aqua Rabelii: Hæc enim ſolutio aperte acidula vires coagulandi & conſtringendi abſque dubio exſerit; ſed paulo aliter eam deſcribit Becher *in Moroſophia*, dum inquit: *Guttæ Rabelais* (*s*) *ſive Aqua Styptica egregium certe vulnerarium ſic fit; Recipe oleum vitrioli, ſatura cum ſpiritu vini, tum deſtilla, hujus aliquot guttæ magnum confortativum & interne conſolidare perhibentur; ex capite mortuo vero extrahe ſal & ſolve id in Aqua traumatica, verbo: ſpecies eſt pro Elixire P. P. & pulvere Sympathetico Digbæi*: Sed deſcriptio hæc eſt magis confuſa; a qua etiam adhuc magis abludit illa deſcriptio *Aquæ Rabelii*, quam Snat *Cours de Chymie p.* 517. ſuppeditat, ſcilicet: *Recipe partem unam olei vitrioli, duas vel tres partes ſpiritus vini, miſce, digere per aliquod tempus leniſſime & circula, demum igne leni arenæ deſtilla in ſpiritum acidum dulcificatum, quæ eſt Aqua Styptica Rabelii in hæmorrhagiis & hæmoptyſi, miſce cum aqua Plantaginis ad gratam aciditatem*: (auctor eum non confeciſſe videtur, quoniam nulla hic guſtu percipitur aciditas (*t*) *eſt paregoricum, pellit urinam, operatur egregie in febribus ardentibus, vel miſce cum ptiſana in febribus intermittentibus, Doſis cochlear unum ante paroxyſmum; & operatur mirabiliter in vomitu, ructu; ſiſtit etiam Gonorrhæas ptiſana cum eo acidulata.* Quæ ergo deſcriptio magis genuina ſit, aliis dijudicandum relinquimus, & annon virtutes quædam hyperbolice magis de eo prædicentur. (*u*) Ego exercitii gratia Capiti mortuo noſtro mellagineo ſive piceo affudi aliquando recentem ſpiritum vini, quem rurſus abſtraxi, reſiduo iterum addidi recentem ſpiritum vini, idque cum recenti ſemper ſpiritu vini toties reiteravi, donec in hoc capite mortuo nulla amplius aciditas guſtu perciperetur, ſed omne acidum perfecte ſaturatum fuerit, tum maſſam hanc mellagineam recente ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvi, filtravi & in B. ad conſiſtentiam mellaginis abſtraxi, hanc reſolvi in primo noſtro ſpiritu, quem ſuper alcali rectificaveram, & recepi inde egregiam paregoricam & tonicam Eſſentiam, quam non paucis uſibus internis aptam exiſtimo: hac enim methodo componitur ex acido vitriolico & parte oleoſa ſpiritus vini reſina quædam fragrans ſubtilis & in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolubilis, quæ methodus non inconcinne & ad alias compoſitiones applicari poterit. Eluceſcit ſimul hinc quid exſpectandum ſit de prolixo iſto labore, qui Tychoni a Brahe adſcribitur ab B. D. D. Hoffmanno *in Clave* Schroederiana & Jungkenii *notis in Agricolam p.* 69. qui ſpiritum vitrioli quater ſuper Caput mortuum cohobat, tum duabus partibus ſpiritus vini rectificatiſſimi per menſem digerit, filtrat, per B. abſtrahit & reſiduum cum recenti ſpiritu vini rectificatiſſimo eadem methodo ſæpius tractat, quamvis ſpiritus vitrioli, hac ſuper Caput mortuum cohobatione, magis ſulphureus & volatilis reddatur, & aciditas multum imminuatur; hinc citius quatuor partes ſpiritus vitrioli ab una parte Capitis mortui vitrioli edulcorati abſtrahuntur, & ſpiritus abſtractus demum cum ſpiritu vini circulationi exponitur; convenit cum eo labor D. Mæts *in Collect. Chym. Leyd. p. m.* 223. ſub titulo *oleum vitrioli volatile dulce*; qui tres partes olei vitrioli ab una parte mercurii abſtrahit & reſtans Turpethum cum ſex partibus ſpiritus vini rectificatiſſimi digerit & cohobat, idque ut deobſtruens & egregium vegetabilium, mineralium & Elixiris proprietatis menſtruum commendat; vel qui ſpiritum, oleum & ſal vitrioli miſcent, indeque tres partes ſpiritus vini rectificatiſſimi toties cohobant, donec purum phlegma tranſeat, & reſtans pro Eſſentia vitrioli ſummaque medicina venditant, equidem noſtro judicio vix quicquam recipient, quod operæ pretium ſit facturum.

§. XI.

Reſtant adhuc differentiæ quædam, tam circa acidum vitrioli, quam circa ſpiritum vini ſub hac commixtione examinandæ, quæ curioſis anſam præbere poſſunt prodeuntes circa ea diverſitates annotandi, quamvis circa primaria phænomena plerumque conveniant: utpote circa ſpiritum vini, alii ſpiritum vini ex vino, non ex frumento; quidam ſic dictum *ſpiritum vini* Lullianum requirunt, ut Iungken *in notis ad Agricolam p.* 72. qui ex ipſo vino diu ante digeſto & demum deſtillato & rectificato parari perhibetur; alii ſpiritum vini methodo Kunckelii ſuper aquam rectificatum, qua ratione omne ſuperfluum oleum relinquit; alii ſpiritum vini a calce viva ter abſtractum ſicque partibus ſuperflue oleoſis & acidis orbatum; nonnulli ſic dictum ſpiritu vini philoſophicum, qui ex vino per congelationem concentrato & aliquoties rectificato paratus fuit, commendant. Ex compoſitis huc pertinet ſpiritus ammoniaci vinoſus cum calce viva paratus, quem Celeb. D. D. Teichmeyer adhibet pro parando ſic dicto liquore Dianæ, cujus deſcriptionem in ſua Chymia proponit, qui quoad præcipua a noſtro parum differt, niſi quod ſit debilior. Circa acidum vitrioli differunt, ſi ſpiritum vitrioli volatilem per carbones vel alia methodo paratum cum ſpiritu vini commiſceas, differunt ſi acidum vitrioli non ſatis concentratum, ut communiter ſic dictus ſpiritus vitrioli cum ſpiritu vini combinetur, ex qua commixtione, utpote nimis ſuperficiaria,

(*s*) Seu potius Rabel, non confundendus hic eſt cum Medico Satyrico Rabelais.

(*t*) Niſi ultimo igne fortiſſimo reſtans acidum Vitriolicum ſimul tranſpellas.

(*u*) Diremit hoc dubium ultima Editio Diſpenſatorii Pariſienſis 1732. quæ ſequentem aquæ Rabellianæ largitur deſcriptionem Rec. Marcaſitas Paſſiacas vel alias ferreo-vitriolicas q. v. inde in ollam ferream, affunde aquam ferventem ad ſupereminentiam 4. digitorum, bulliant per ſemihoram agitando, tum marcaſitas cochleari cribrato exime, decoctum decanta & ſerva, exemtas Marcaſitas mitte in fictilia, & in aprico diu noctuque expone, & cum dehiſcere incipiunt eas aſperge identidem decocto, ſuperius aſſervato: cum vero in pulverem abierint fiet lixivium per pannum aut chartam tranſcolandum: ex hujus evaporatione exſurget Sal Vitriolicum per Retortam deſtillandum inſtar olei Vitrioli. Elicitum oleum cohoba ſuper Sal ex colcothare ſeu capite mortuo deſtillationis extractum, & iterum Spiritus vini rectificati duplo edulca circulando in vaſe idoneo: Verum nec Marcaſitæ Paſſiacæ nec minera Martis Solaris Haſſiaca, nec cohobatio ſuper Sal ex capite mortuo extractum adeo neceſſaria ſunt, ut non quodvis oleum purum Vitrioli Martialis ei ſubſtitui poſſit: quo cum convenit D. Astruc in Tractatu de morbis Venereis p. 419. qui hoc nomine ſimplex rite præparatum oleum Vitrioli commendat, ſed 3. p. Spiritus vini, demum vero deſtillat, hoc ergo deſtillatum (niſi ultimo igne fortiſſimo id urgeas) convenit cum Spiritu noſtro Vitrioli volatili, conducit ad hæmorrhagias quaſcunque ſiſtendas, etiam internas, modo ut inflammatione vacent, utilis eſt in febribus ardentibus ad gratam aciditatem vehiculo convenienti inſtillatum, item ptiſanis refrigerantibus quæ initio gonorrhϾ præſcribuntur, maxime ſi dyſuria nimis excruciet. Ibidem ambram gryſeam hoc Spiritu ſolutam commendat in gonorrhæa habituali & contumaci ad 4. 6. 8. 10. gt. vel loco Ambræ adhibe Myrrham Laccam eodem ſcopo & Methodo. Prior autem Pariſienſis deſcriptio convenit cum ſuperiori Chr. Democriti mixtura. Caput mortuum omni Sale edulcoratum continet vires ſedativo adſtringentes & quibuſdam in Epilepſia eſt commendatum, quod tamen ulteriori indagatione adhuc indiget.

ficiaria, pleraque producta non emergunt. Solebant olim deſtillatam hanc mixturam ob crudius immixtum acidum interdum *acetoſum eſurinum* appellare, teſte Ill. D. D. HOFFMANNO, *in notis ad Poterium p.* 536. quid in ſpiritum vini cum ana ſpiritus vitrioli mixtum ter deſtillabant, tum per menſem circulabant, qua methodo fragrantius quidem reddebatur, ſed noſtra phænomena exinde non prodibant, nec quæ in apoplexia & podagra in- & externe ejus refertur commendatio magni facienda eſt; nam quo concentratius eſt acidum vitriolicum, eo intimior combinatio, unde oleum vitrioli ſiccum ſeu glaciale quod ex calcinato vitriolo deſtillatur, cui omnes partes phlegmaticæ ademtæ ſunt, quodque calide ſtatim vaſi retorto inditur & recipienti agglutinatur, ne aer illud rurſus humectare poſſit, omnium eſt convenientiſſimum, quod quoque atteſtatur Excell. D. D. GEELHAUSEN: & AXTELMEYER in *Natur - Licht P. VII. p.* 106. meminit; *quod in Laboratorio Ducis cujuſdam Saxoniæ hoc inſtar ſalis coagulatum oleum vitrioli cum ſpiritu vini commixtum ac digeſtioni expoſitum fuerit, quæ digeſtio per menſem durare debuerit, ſed quia operator nimis cito poſt quatuordecim dies vitrum aperuerit, illud cum impetu & maximo operatoris periculo vitæ etiam diſploſum fuiſſe*; quam diſploſionem male præmaturiori vitri apertioni adſcribit, cum potius generatus ſpiritus naphthæ a candela vel alia flamma abſque dubio accenſus ejus vera & genuina cauſa exſtiterit. Quæ porro differentiæ exoriuntur circa mixturæ noſtræ breviorem vel longiorem digeſtionem, quorum alii 24. horas, alii 8. dies, alii 1 - 3. menſes requirunt, quam mutationem inſtitutæ cohobationes inducant, quippe qua facta ſpiritus magis ſulphureus penetrantior redditur; commendat hanc cohobationem CARDILUCIUS, qui ait: *oleum vitrioli & ſpiritus vini rectificatiſſimus, ſi cohobando in ſpiritum volatilem faceſſant, egregia ſunt in Epilepſia.* Supra citatus VREESWYCK, *it. Pharmacop. Bateana p. m.* 127. quæ ternam cohobationem requirit, circa mixturam olei vitrioli cum quatuor partibus ſpiritus vini, ſicque præparatum in calculo, morbis Tartareis, Catarrho, ſed doſi nimia, quam ad ſcrupulos duos commendat STAPHORST *ibid. p.* 42. menſtruam digeſtionem prius requirit: inquirendum quoque annon ſub hac cohobatione proventus olei imminuatur, vel plane diſpareat. Qua itidem ratione ſe gerit, quando ſpiritus vini rectificatiſſimus ab oleo vitrioli aliquoties deflagratur, ubi mox in copia magna ſatis quantitas atri noſtri pulveris generatur & ſecedit, cui volupe eſt effumantem ſpiritum per inſtrumentum Glauberi vel analogum capere & perquirere, cuique integrum erit. Denique quæ differentiæ occurrunt pro diverſitate ponderis & proportionis, cum ſcilicet methodo POLEMANNI ſpiritus vini in oleum vitrioli inſtillatur ad ſaturationem, vel cum methodo antiquiſſima oleum vitrioli & ſpiritus vini anatica proportione uniuntur, (*x*) per 24. horas digeruntur, poſt deſtillentur, ſicque vel per ſe vel per alcali depuratus adhibeatur; qui enim exinde prodit ſpiritus licet pondere paucior, magis tamen eſt concentratus, indeque effectus edit longe eminentiores, quam cum tribus, quatuor vel ſex partibus ſpiritus vini confectus, & proinde *Spir. Naphthæ, Aqua Luminoſa, ſ. Licht - Waſſer, & Spiritus vini æthereus* audit: (*y*) ejuſmodi enim Spiritus Naphthæ ad inſtar, etiam a remoto, a can-

Frid. Hoffmanni Diſſert. varii argum.

(*x*) Quorum nonnulli anaticam portionem non pondere ſed menſura metiuntur.

(*y*) Primus ejus publicam mentionem fecit Exc. D. D. & Prof. GEELHAUSEN in Diſſ. de Arthritide & Podagra.

dela accenditur, quin & aquæ affuſus in mediis aquis flammat, non ſolum noctu, ſed etiam de die ſatis conſpicuus. (*z*) Si vitrum ſpiritu noſtro impletum apponatur alii vitro ſpiritu ſalis ammoniaci repleto, effumantes ab utrisque vapores in aere ſeſe uniunt & viſibilem fumum condunt, & reliqua, quæ ſequuntur, edit phænomena; differunt tamen, cum alii id adhuc per alcali rectificent, alii non. Interim non ingratum futurum eſſe Lectori exiſtimamus; ſi circa hanc materiam communicemus ea, quæ in nuperrimis actis Societatis Anglicæ a D. D. FROBENIO monſtrata ſunt, experimenta, cum ea in paucorum manibus verſentur, liberam horum experimentorum indagationem ulteriorem cuique relinquentes, quæ ex Anglico ita vertimus:

Relatio de penetranti quodam & æthereo ſpiritu vini, una cum diverſis experimentis cum eo a D. D. FROBENIO (Germano) factis.

Experim. 1. *Perquam ſubtilis hic ſpiritus* (æther) *vegetabilium omnis fere craſſi & denſi aeris vacuus, vel orbatus eſſe videtur; nam quamvis iſtum per antliam pneumaticam quam accuratiſſime extrahas, hic tamen æther reſtat immotus, multo minus bullas emittit, quæ alias in momento in aliis liquoribus apparent, nam quo major quantitas aeris interni in iis reperitur, tanto celerius per hoc in motum cientur, ſimulque copioſam ſpumam & vehementes ebullitiones excitant. Ex hoc apparet, quod æther hic omnium optime abſque ſui imminutione in vacuo ſpatio antliæ pneumaticæ conſervari poſſit, nam ſi in aere aperto ſtaret, in momento evaneſceret. (ultimum hoc eſt falſum.)*

Experim. 2. *Quod ſi ejus aliquot guttæ ſuperficiei cutis inſtillentur; mox ſentitur frigus ei ſimile, quale flocci nivis cauſantur; ſimulac vero ſemel vel bis halitu afflетur, ſtatim manus ſicca eſt: Cavendum tamen hic erit, ne flamma quædam propinquius accedat, ne manus adhuc madida inflammetur, & inurat. (hoc ſuccedit.)*

Experim. 3. *Si ejus aliquot guttæ aquæ calidæ inſtillentur, tum excitat ejuſmodi ſtrepitum ac ſibilum, ac ſi ferrum candens immitteretur; Eodem modo hoc ſuccedit, ſi ejus aliquot guttæ fruſtulo ſacchari inſtillentur, quod poſtmodum aquæ calidæ in vaſculo contentæ immittas, nam ſaccharum in momento cadit ad fundum, liquor æthereus vero cum magno impetu aerem liberum quærit, & per id tempus inſignem ebullitionem excitat. Effectus ejuſmodi tanto major erit, ſi cochlear eo impletum altera manu lebeti cupreo, aqua fervente repleto immittas, eodemque tempore altera manu, chartam flammantem tenente, eum accendas, tum enim inſignem lucentem ſplendorem ſparget. NB. ſed tam cochlear, quam ardens charta ſatis extenſæ ſint longitudinis, ne manus amburantur, conclave etiam, in quo experimentum inſtituitur, ſatis amplum ſit, ut ne quis ſuffocetur; nam æther hic flammans adeo rarefacit aerem, ut vix aer duci poſſit, unde opus eſt feneſtram aperire, quo reſpirare poſſis. (ſuccedit.)*

Experim. 4. *Unde patet, quod æther hic ſit & ignis, & aqua, ſimul vero adeo volatilis, cum tam celeriter evaporet. Quod ſit ignis puriſſimus ex eo clare patet, quod, ſi etiam ad* 10000. *partes aquæ frigidæ affundas, & incendas, non tamen exſtinguetur, donec omne exuſtum ſit. Pro aſſerti hujus probatione recipitur vas terreum, quod* 600. *vel* 6000. *congios*

Gg aquæ

(*z*) Innatat ſubſequenti phlegmati, quod ſi id facere recuſaverit, (ut interdum ſolet) facile id perfici poteſt additione Salis alcalini fixi, quo omne phlegma mox ſeparatur.

aquæ capit, cui affunde tantum unciam hujus ætherei liquoris eumque ſtatim incende, & nemo poterit eum rurſus exſtinguere, licet ingentem adhuc aquæ frigidæ copiam adjicias, donec omne combuſtum eſt, ſed hoc in ſpacioſo conclavi fiat, in quo incendium non pertimeſcendum (hoc non monſtratum eſt.)

Experim. 5. *Porro in æthereo noſtro ſpiritu ne minimum quidem oleitatis, vel pinguedinis, animadverti poteſt; nihilominus hoc exiſtit unicum diſſolvens menſtruum omnium reſinoſorum, gummoſorum, pinguium & oleoſorum concretorum: mediante hoc omnes igneſcibiles & phlogiſtæ materiæ fundamentaliter, cito, ſecure, & cum delectatione, in optimas eſſentias ſolvuntur, ut ſunt: omnia genera oleorum, pix, Terebinthus, Balſamus indicus, Camphora, Cera, Ambra gryſea, Sperma ceti, Maſtix, Moſchus, Copal & ſimilia, exceptis omnium ſalium generibus, vocentur prout velint.*

Experim. 6. *Ulterius obſervata eſt mirabilis Harmonia inter aurum & hunc ætherem, magis quam inter aurum & aquam regiam, unde concludere licet, quod aurum naturæ oleoſæ magis, quam terreſtris ſit, quod probabimus in ſingulari tractatu, qua de tribus Harmonicis menſtruis agemus, ex quibus alterum utpote corroſivum, omnia terreſtria, metalla, & mineralia concreta diſſolvit; alterum utpote aquoſum, omnia genera ſalium; & tertium demum, utpote liquor noſter æthereus, omnes inflammabiles & igneſcibiles materias. Experimentum de ſole ut demonſtremus: Recipitur ſolutio auri in Aqua Regia, cui, poſtquam ea refriguit, affunditur tantum uncia ſemis hujus ætherei liquoris, mixtura in vitro bene coagitatur, tum omne ſolutum aurum in hunc liquorem æthereum intrabit, & terra quædam alba ad fundum cadet, quæ mox in viridem colorem tranſmutabitur, eſtque cuprum illud, quod cum auro commixtum fuerat, liquor æthereus vero ſupernatat tanquam oleum: Hoc experimentum meretur profundam attentionem, nam liquor noſter æthereus ſumme levis & ſupernatans attraxit ad ſe aurum omnium corporum graviſſimum, nam aer craſſus, per quem alias omnia corpora æquali gravitate premuntur, in hoc ſpiritu non reperitur, & ipſe lambit & tangit ſuperficiem aquæ. (hoc ex voto ſucceſſit.) (a)*

Experim. 7. *Ex allatis ergo his rationibus certum eſt, quod ſpiritus hic æthereus, nobiliſſimum, activiſſimum, & utiliſſimum totius Chymiæ & Pharmaciæ ſit inſtrumentum, ubi enim ignis potentialis, ibi actuali non opus eſt, quia omnes Eſſentiæ & olea Eſſentificata ex Lignis, Corticibus, Radicibus, Herbis, Floribus, Baccis & Seminibus &c. ex animalibus & omnibus eorum partibus, in momento, abſque adjumento ullius communis ignis per hoc extrahuntur; Ex Caſtoreo per hoc certis enchireſibus oleum præparatur dulcius & ſuavius, quam oleum Cinnamomi, ut & verum oleum croci mirabilis effectus, & quidem id omne abſque igne & deſtillatione, tantum auxilio harum ſingularium enchireſium. Exemplum hujus methodi ut commonſtremus; Recipias Mentham criſpam, Cinnamomum, Cortices Citri quodvis ſeorſim, vel mixta, conſcinde & impone ea vitro, eiſque ſtatim affunde 1. vel 2. cochlearia hujus liquoris ætherei, repone id ſpatium horæ unius in locum frigidiuſculum, poſt imple vitrum aqua frigida, ſic in momento oleum eſſentiale in ſuperficie aquæ apparebit, quod poſtmodum per infundibulum ſeparari poteſt. Si porro unica guttula hujus olei fruſtulo ſacchari inſtilletur, tum mox ex ſapore cognoſci poterit, ex quo extractum fuerit. Ratione virtutum ſuarum medicinalium jure meritoque nomen COS accepit, dum colorem, Odorem & Saporem continet. (Hoc ſuccedit equidem, ſed non eſt verum & proprium eſſentiale oleum, ſed ſaturata Tinctura.)*

Experim. 8. *Eaſdem vires exſerit in regno animali, extrahit enim oleum eſſentiale ex phoſphoro, item in regno minerali, quod ſi antea ſolutio partium Terreſtrium præceſſerit; ſic etiam extrahit aurum ex vilioribus mineralibus per hanc operationem adeo purum, ac ſi per antimonium fuſum fuiſſet.*

Experim. 9. *Hic liquor nec corroſivus eſt, nec commixtus cum ullo evidenti corroſivo; nam ſi vitra aliquot impleantur cum hac aquaætherea, & priori eorum inſtilletur oleum vitrioli, alteri ſpiritum ſalis, tertio ſpiritum nitri, ſpiritum aluminis, ſpiritum ſalis ammoniaci, oleum tartari per deliquium acetum deſtillatum, videbis, quod iſti omnes ad fundum cadant, nec cum ea commiſceantur. Præterea eſt leviſſimum omnium liquorum, nam ſi vitreum, quod viginti uncias olei vitrioli capit, aſſumas, & hoc liquore adimpleas, non niſi ſeptem uncias requirit, eſt etiam ignis puriſſimus, nam poſt ſui combuſtionem nec fuliginem, nec cineres relinquit. (ſuccedit.)*

Hucuſque D. D. Frobenius. Verum ut plus quam vacuam & inanem notificationem ex hac relatione recipiamus, neceſſum erit ex §. 2. Tranſactionum Eximii Chymici D. Gottfr. Hanckwitzii huc adducere, quam poſt publicationem hujus ætherei liquoris edidit d. 1. Mart. 1730.

§. 1. *Quod olim de hoc liquore æthereo multa fuerit quæſtio, & quod magni æſtimatus fuerit, id patet ex experimento quodam, quod vivente adhuc Domino meo æſtumatiſſimo Equite* Rob. Boyleo *in ipſius Laboratorio facere jubebar; & quidem cum intentione ſolutionis metallicæ mercurii crudi combinatæ cum phlogiſto vini, vel aliorum vegetabilium, nam poſt peractam ſolutionem liquor hic æthereus natabat in ſuperficie ſolventis, quod tum per infundibulum ſeparabam. Nec ignotum erat experimentum* D. Isaaci Newton, *ſed ob præmaturum obitum Equitis mei* Rob. Boylei *ad perfectiorem finem non deducebatur, ut in copia præpararetur. Cum vero poſtea* D. D. Frobenius *in meo Laboratorio per varia experimenta ad majorem perfectionem id deduceret, valde cupidus erat videre in quantum* D. Isaac. Newton *in ſuo libro id retulerit, & reperiebamus magni hujus Viri explicationem deſuper fol. 330.*

§. 2. *Sed circa præparationem ſpiritus vini ætherei* Newtonianam & Frobenianam *eſt quædam differentia;* Newtonianus *enim fit ex partibus analicis ſecundum menſuram, non ſecundum pondus, liquor ſuperior flavus per infundibulum ab inferiore flammam non concipiente Sulphureo ſeparatur, qui abjicitur, ſuperior vero retortæ inditur & leni calore tranſpellitur tamdiu, donec ſuperius retortæ hemiſphærium*

(*a*) Solutioni ſcilicet auri affunduntur 2. p. Spiritus Naphthæ, ſic tranquille aurum ex aqua Regia extrahit, ſi ſepares, guſtu non videtur corroſivum, ſed ſi ei adjicias cuprum, tum mox fortiter corrodet cuprum; & aurum præcipitatur, præcipitatur etiam ab oleo Tartari: interim non ſemper omne aurum perfecte ex aqua Regia extrahitur, ſed ſæpe aliquid ejus in ea reſtat: cui volupe eſt poterit hanc methodum etiam ad alias ſolutiones metallicas applicare, & evenientia exinde producta examinare.

Circa hoc experimentum adjicere libet; amicum quendam ſolutione hac Auri aliquoties cum recenti Spiritu Naphthæ cohobata, ipſum aurum ſimul per Retortam tranſduxiſſe; quamvis alia vice ipſi minus ſucceſſerit.

Hæc auri per Spiritum Naphthæ ſolutio conſtituit ipſiſſimas D. Generalis de la Motthe guttas antipodagricas, quarum mentionem adducit Commerc. Literar. Norinb. 1731. p. 163. & eadem ſunt cum iis quæ ibid. de An. 1732. p. 241. ex Novellis de ſolutione auri nobilis Britonis Pariſiis in præſentia Regis, Reginæ & Cardinalis de Fleury demonſtratæ fuere, id quod hujus Auri ſolutio Pariſiis huc Regi noſtro tranſmiſſa me per autopſian, examen & imitationem docuit.

miſphærium refrigeſcat, & manibus teneri poſſit, ſic in recipiente prodit æthereum vinoſo-ſulphureum Gas perquam penetrans. Huic ſigillatim injice alcali, quo ſulphur præcipitetur, continua id donec nullam amplius ebullitionem excitet, tum alcali ad fundum ſecedet, & æther noſter preparatus ſupernatabit. P. S. ſtudio oblitus ſum proceſſum præparationis in mea relatione: hunc enim D. GOTTFR. HANCKWITZ *in poſteriori ſuo paragrapho appoſuit, ut & ipſe D. D.* FROBENIUS *in ſuo Tractatu id fecit; unde ad Doctiſſimorum horum Virorum ſcripta Lectorem remitto, & in ſcripto* HANCKWITZII *videbis apud quem hic liquor optime haberi poſſit.*

Huc uſque acta philoſophica Anglica; poſſemus equidem varia ſuper prædictos labores adducere, ſed mittimus hæc, quo & alii abeant, in quibus vires ingenii & experimentorum exercere poſſint; ſequentia tantum libet annotare: 1.) ad exemplar experimenti ſexti, recepimus ſolutionem Mercurii cum aqua forti factam eamque concentratam, cui affudimus liquorem prædictum ſuper alcali abſtractum, unde mox oriebatur turbatio, ſubſequente demum præcipitatione & coagulatione cryſtallorum mercurii, ſupernatante tamen ſeparatim ſpiritu noſtro æthereo, qui tamen teſte ſapore, manifeſtiſſime metallica mercurii ſubſtantia imbutus erat. 2.) Circa §. 1. notæ HANCKWITZIANÆ intendit auctor e. gr. unciam unam mercurii in ana aquæ fortis eſſe ſolvendam, cui mox frigeſcenti drachmæ 2. & ſemis vel 3. ſpiritus vini rectificatiſſimi addantur, coagitentur, ſic albeſcet poſt efferveſcentiam lactis inſtar, ſupernatante demum oleo, ſeu ſpiritu quodam, qui mox per ſeparatorium a reſiduo ſejungendus eſt, quippe ad inſtar ſpiritus noſtri etiam in notabili diſtantia a candela inflammatur; ſed ut verum fateamur, experimentum hoc nobis pro voto non ſucceſſit, forte ex defectu neceſſariarum enchireſium, nam ſolutio mercurii ab affuſa prædicta quantitate ſpiritus rectificatiſſimi mox præcipitabatur & coagulabatur, ſupernatante quidem demum liquore quodam ex flavo rubeſcente, ſed nullatenus inflammabili; quæ adduximus ſub intentione, an forte alii experimentum hoc imitaturi feliciores nobis futuri ſint. (*b*)

§. XII.

Sed antequam mixtionem noſtram acidi vitrioli cum ſpiritu vini plane derelinquamus, operæ pretium videtur, in combinationem ſpiritus vini cum vitriolo crudo adhuc inquirere, quæ exinde occurrant producta; differunt autem hæc pro diverſa utriuſque ad ſe invicem applicatione & pondere & diverſa tractandi methodo. Nam quod ſi ſolutioni vitrioli affundas ſpiritum vini rectificatiſſimum, tum more plerorumque ſalium, vitriolum mox in forma ſalis præcipitatur, eaque operatio ſi repetatur, vitriolum magis depuratur, albeſcit & colore ſuo exuitur, unde ſinguralis ejus depuratio ſub hac encheireſi latet. Ni fallor hanc methodum indigitavit Cel. D. D. STAHLIUS in Diſſ. *de elogiis vitrioli pag.* 27. cum afferit, *quod vitriolum venereum ſub depuratione ſua per bonum Spiritum vini dextre adhibitum, non ſolum ſapphirino ſuo colore ſpolietur, ſed & eo uſque cuprum in illo contentum alteretur, ut nequidem in urinæ ſpiritu cœruleum colorem repræſentet.* Quod ſi vero vitriolum in ſole, vel ſub fornace, ad albedinem calcinetur & tum mediocri proportione ſpiritus vini imbibatur & deſtilletur, tranſit idem ſpiritus vitrioli volatilis, præcipue ſi rectificetur, noſtro quodammodo æmulus, licet viribus aliquantum cedens: plerique tantum ſpiritum vini aſſumunt, ut paſtam conficiant; alii ut ZOBEL *in Mediciniſcher Perle p.* 13. aſſumunt libram unam ſpiritus vini ad 12. libras vitrioli ad albedinem calcinati; nonnulli imbibitionem & exſiccationem quinquies vel ſexies repetunt, tum per retortam deſtillant igne intenſo, poſt ſpiritum volatilem a crudiori acido rectificando ſeparant, quem qui magis adhuc volatilem & ſulphureum reddere cupiunt, ut KOENIG *in Regn. Min. p.* 343. *ex* BOHNII *Coll. Chym.* ſpiritum ſubtiliorem per arenam deſtillant, reſiduum crudius acidum aperto igne prodiens oleum corroſivum cum quatuor partibus prioris ſpiritus digerunt, demumque deſtillant: parum quoque differt, qui ſecundum ETTMULLER *in notis ad* SCHROEDERUM ſpiritum vini rectificatiſſimum a plantis cephalicis & nervinis cohobatum cum vitriolo digerit, deſtillat, rectificat in ſpiritum Cephalicum; item, qui ſecundum WEDELIUM ſpiritum vini ſuper vitriolum Cyprium aliquoties cohobant. Spiritum hunc tam per ſe, quam cum ſpiritu Tartari mixtum, vel ad Mixturam Simplici adhibitum laudant in Epilepſia, Apoſtematibus, Syncope, ſuffocatione Matricis, aliiſque cerebri & uteri morbis, quæ encomia tamen cum juſtis cautelis accipienda ſunt. Liceat ex hoc genere adducere, qui in Eph. N. C. Centur. VII. VIII. magnis encomiis effertur ſpiritus vitrioli antepilepticus, qui jubet vitriolum ad flavedinem calcinatum cum ſpiritu vini irrorare ad conſiſtentiam pultis, tum ex retorta leni igne deſtillare per 24. horas, deſtillatum reaffundere parti tertiæ capitis mortui, & rurſus abſtrahere: ſic prodire ſpiritum volatilem, & ſpiritum acidum abſorberi in capite mortuo docet, qui nulla ignis tortura expelli poſſit. (quod tamen veritati quoad omnia non congruit.) (*c*) Si hunc ſpiritum ulterius ſuper Caput mortuum rectificare velis (quo tamen vix opus erit) ſemper minus capitis mortui ſumendum eſſet; quem ſpiritum in Epilepſia, Paſſione Hyſterica, Variolis, Morbillis & ad compoſitionem Mixturæ ſimplicis extollit. Caput mortuum ſolvitur, ſolutum in Aqua colore rubicundo filtratur & in vitro leniter evaporatur: ſic per ſe præcipitatur ſulphur fixum anodynum ad 2. 3. grana in podagra & aliis doloribus (ſed hoc nihil aliud eſt, quam crocus martis). Quin etiam hic ſpiritus a quibuſdam ad ſolutiones adhibetur, ut in iiſdem Eph. N. C. Decur. III. An. V. & VI. *in* ZOBELII *Mediciniſcher Perle p.* 109. Liquor Carneolæ deſcribitur, ſi hæc Gemma pulveriſata digeratur per menſem, poſt filtretur, cum menſtruo compoſito ex vitriolo martis leviter ſiccato cum parte dimidia ſpiritus vini, per menſem digeritur, per arenam deſtillatur & rectificatur, quem ad 10-20. guttas in hæmorrhagiis commendant; quem nos tamen pro ſolutione martiali adeoque ſtyptica renunciamus. Magis placet ea compoſitio, qua vitriolum ad albedinem calcinatum cum ſpiritu vini rectificato humectatur, tum per retortam deſtillatur, indeque ſpiritus prior ſubtiliſſimus per alembicum rectificatur, ſeparatur, hic cum duabus partibus ſpiritus fuliginis ſuper candefactum proprium Caput mortuum rectificati mixtus & digeſtus exaltatur egregie in colore, & conſtituit non inconcinnum liquorem ſubtiliter ammoniacalem variis in medicina uſibus certe non ineptum, ſi cum judicio & diſcre-

(*b*) Vires Medicæ Spiritus Naphtæ maxima ex parte ex ſuperioribus eluceſcent, quibus hac vice tantum addimus, quod in calore hecticodeo effectum exſerat, qualem de eo vix ſuſpicari poſſis.

(*c*) Advertitur hoc in Diſſert. de oleo Vitrioli dulci p. 13. quo tamen nihil aliud ego indicare volui, quam quod juſtis enchireſibus utique expelli adhuc queat, quæ diſſertatio circa phænomena deſtillationis Vitrioli cum ſpiritu vini utique conferri meretur.

diſcretione adhibetur, cujus ulteriorem inquiſitionem proinde commendamus. Penetrantior fit ſpiritus noſter, ſi loco vitrioli ad albedinem calcinati aſſumatur potius vitriolum ad rubedinem calcinatum ſeu Caput mortuum vitrioli: (ſed non plane exuſtum) cum enim in eo partes phlegmaticæ diſpulſæ ſint, hinc quod in eo reſtat acidum concentratius eſt, adeoque tanto fortius cum ſpiritu vini reagit, imo incaleſcit: ex quo fundamento procedit ſic dictus *ſpiritus cephalicus* Langii & Michaelis, ubi ſpiritus vini rectificatiſſimus ſuper hoc vitrioli Caput mortuum, ea qua lubet quantitate abſtrahitur, &, ſi opus eſt, cohobatur, præcipue ſi digeſtio præmittatur, vel pro breviori encheireſi D. Waitz *in Bedencken von der Alchymie p.* 42. ſi caput mortuum vitrioli candens cucurbitæ terreæ tubulatæ immittatur, eique per vices per tubulum iſtum ſpiritus vini immittatur, occluſio mox per lutum tubulo, ita aſcendens in alembicum vitreum ſpiritus vini cum evaporantibus halitibus acidis vitrioli mixtus tranſit ſulphureo volatili odore, quem ſi lubet ſuper panem toſtum rectificare poteris, qui ſimul aſſerit, hac ratione uno die ad 3. libr. hujus ſpiritus parari poſſe, & interdum ſalis volatilis inſtar lateribus adhærere, immo partes ſubtiliores metallicas quaſdam ſimul tranſvehere, quod & ex eo patet, cum teſte quoque Rothio in Diſſert. *de Sulphure vitrioli*, ex hoc ſpiritu interdum per ſe pulvis ruber præcipitetur; imo notum mihi eſt Philo Chymicum quendam vitriolum Hungaricum valde calcinatum, cum ſpiritu vini rectificatiſſimo octo dies noctesque digeſtum, per quinque dies ac noctes deſtillationi commiſiſſe, qui ſpiritus evaporans in aere reliquit terram aurei ferme coloris, quamvis circa ejuſmodi ſubtiliora phænomena, diverſitas vitriolorum non raro in cauſa ſit, ut non ſemper idem, quoad omnia, effectus ſperari poſſit. Spiritus hic Cephalicus olim magni æſtimatus & commendatus fuit in Apoplexia, Epilepſia, Vertigine, Capitis infirmitatibus, teſte Christ. Langio, in operibus paſſim, ſed parcior ejus hodierno tempore uſus commonſtrare videtur, quod decantatas vires non ubique exhibeat: hoc tantum adducere volui, prædictum Langium *in operibus p.* 106. 404. *& P. II. pag.* 85. eum tanquam ſingulare & probatiſſimum ſpecificum in Cachexia & Hydrope multiplici experientia a ſemet ipſo toties comprobatum & ad 80. gtt. ter vel quater de die adhibendum inprimis extollere, quod proinde ulterioribus experimentis non indignum cenſemus. Elsholtz *in deſtillatoria curioſa p. m.* 35. Vitriolum calcinatum cum duabus partibus ſilicum & ſpiritus vini etiam miſcet, & per deſtillationem inde promittit oleum rubrum; Blegny *in Zodiaco* vitriolum per 2. dies calcinat fortiſſime, huic calcinato addit anaticam portionem ſpiritus vini, digerit, poſt forti igne per 4. dies noctesque deſtillat, ſpiritum vini abſtrahit, tum iterata deſtillatione per retortam impoſita, uncia ſemis limaturæ martis dulceſcit; hoc eſt ejuſdem oleum hæmoſtaticum vulnera biduo ſanans ex- & interne ad 3. gtt. cum vino; ſed diſpendio quoad quædam momenta inutili. Poſtremo commendantur, hinc inde in Chymicorum ſcriptis etiam extractiones vitrioli per ſpiritum vini peragendæ, quo præcipue pertinet A Sala *in operibus p.* 372. Extractum vitrioli anodynum, qui vitrioli ad albedinem calcinati libram ſemis cum 30. unciis ſpiritum vini rectificatiſſimi per menſem, vel aliquot, in F. E. vel alio calore digerit, poſt decantat & in B. M. ad conſiſtentiam olei ſeu extracti abſtrahit, idemque ad 6 - 12. gtt. in Epilepſia commendat, ubi abſtractus quidem ſpiritus teſte odore aliquid acidi vitrioli volatiliſati continet, ſed reſtans extractum, quod jam Ludovici *p.* 250. & Gruling *in Florilegio p.* 320. adverterunt, eſt parum anodynum, ſed aperte martiale adſtringens: a quo parum differt, quod præſcribente Keslero *p. m.* 324. ex vitriolo ad rubedinem calcinato & cum ſpiritu vini rectificatiſſimo digeſto eodem modo abſtrahendo præparatur: qui vero cum Zwoelffero *p. m.* 851. hoc reſtans cum alumine uſto miſcent & deſtillant, conforme aliquid noſtris ſupra allegatis recipient, immo ſi deſtillatio fortius urgeatur, etiam aperte acidum, licet quodammodo infractum; quale quid Poterius *in Operibus p.*452. (licet inutiliter martem cum ſulphure calcinatum admiſceat) *acetoſum eſurinum* appellat. Agricola non ſingularem meretur fidem, cum jubet ſal vitrioli multis calcinationibus & ſolutionibus ad rubedinem deductum cum ſpiritu vini ſolvere, repetitis cohobiis volatiliſare, demum cum auro figere, quamvis rubificatio hæc non ſit plane impoſſibilis. Qui vero vitriolum depuratum in phiola H. S. ad rubedinem deducunt, tum cum ſpiritu vini extrahunt, indeque Eſſentiam vel oleum ſingulare pollicentur, prout in operibus Rhenani & in manibus Poterianis, Ettneri & alibi paſſim legere licet, equidem non parvum adgrediuntur laborem, reſtante tamen ſemper dubio, an quod tanto demum labore acquiſitum fuerit, revera operæ pretium faciat. Sed cuique liberum hac de re relinquimus judicium, ſimulque ſpecimini noſtro cum Deo imponimus finem.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
STUDIO MEDICO RECTE PERTRACTANDO
ET EJUS PROBATISSIMIS AUCTORIBUS,

Præfationis loco *Hermanni* CONRINGII in univerſam Artem Medicam Introductioni præmiſſa.

Primùm edita anno 1726.

SI ullus unquam Medicorum, excellenter & verè eruditi nomen, meritorum magnitudine ſibi comparavit, & florentiſſimum reliquit, certe eſt CONRINGIUS, qui tot manſuris & præſtantiſſimis, non ſolum in re medicâ, ſed etiam iis, quæ ad Hiſtoriam & jura Status pertinent, monumentis, ſempiternam famam ad poſteros tranſmiſit, & ad omnia ſcientiarum arcana admiſſus, MAGNI nomine merito ſuo triumphat. Vir enim erat ſtupendæ memoriæ, acutiſſimi judicii, infinitæ lectionis, indefeſſæ induſtriæ, & in exiguo corpore vaſtiſſimi ingenii ac copioſæ polymathiæ, ſcripta quæ condidit tam cogitata, limata, & ſolida ſunt, ac tam terſo & perſpicuo ſtilo concinnata, quam vix in optimis quibuſvis reperias. Et licet horum pauciora medici lemmatis ſint; quæ tamen illud tractant, omnium iſtius ævi ſunt accuratiſſima & politiſſima; ita ut pauca his æquiparari, & nulla prorſus anteponi poſſint. Præclari & luculenti teſtes ſunt varia opuſcula & diſſertationes, nec non Medicina Hermetica, inprimis autem Introductio in univerſam Medicinam, ſingulaſque ejus partes, utiliſſimus profecto labor, & quo ad exactam Medicæ artis hiſtoriam conſignandam nihil aptius, nihil præſtantius. Hujus ſemper fuit ſumma inter Eruditos dignitas maximumque pretium, ita, ut licet ipſe liber aliquoties recuſus ſit, & poſtremo SCHELHAMMERI commentationibus illuſtratus prodierit, avidius tamen coemtus, jam inter rariores connumeretur, & bibliopolarum tabernis elapſus, in ſic dictis auctionibus, ſive publicis librorum venditionibus, nonnunquam pro imperiali & dimidio veneat. Quod quum animadverteret ſolertiſſimus in re litteraria juvanda Dn. CRUG, eruditorum quorumdam Medicorum ſuaſu permotus fuit, ut iteratam editionem adornaret, eandemque nitidis typis deſcribi curaret. Et hunc abſolutum jam a typographo librum paucis abhinc diebus ad me attulit, majorem in modum petens, ut præfationem adjicerem. Recuſavi quidem primum, temporis anguſtiam cauſſatus, & quod ipſe laboribus circa inſtantes nundinas Lipſienſes perficiendis, evulgandis quoque nonnullis ſcriptis, non tam occupatus, quam potius obrutus eſſem; ſed pertinacius flagitante illo, nolui demum penitus honeſtis ejus deſideriis deeſſe, ſed annui & fidem dedi. Cogitanti verò mihi, de quo potiſſimum argumento dicendi materiam ſumerem; animum ſubiit & congruum viſum fuit, ſi ex ingenti ſcriptorum Medicorum numero atque farragine, eos, recentiores maximè & poſt CONRINGII obitum editos libros, qui lectu digni ſunt, & ad ſolidam & rationalem medicam ſcientiam acquirendam plurimum utilitatis conferre poſſunt, delibarem, recenſerem, ac iis, qui olim aliquo inter Medicos eſſe nituntur loco, commendarem; hanc maxime ob cauſſam, quia crebriùs obſervatum, a ſtudioſis maxime, & nonnunquam ab iis, qui jam artis exercitio manum admovent, indiſcretim libros conquiri, & tales etiam coemi, ex quorum lectione parum fructus ferunt, ſed ſæpius tricis tantum irretiuntur, & potius a vero rationalis Medicinæ tramite ſeducuntur. Quum enim, in medicis doctrinis tam ingens ſit opinionum divortium, in theoria tot præjudicia & hypotheſes, in praxi tot errores & lapſus, & præter innumerabiles medicamentorum compoſitiones & harum inanes laudes, ferme nihil; quilibet tamen pro auctoritate pugnet, & ingenii ſui fœtus ſpecioſiſſime jactitet & optimos judicet: arbitro utique opus eſt & fideli manuductione, quo rectam viam calcando, ex ſcopulis emergat diſcendi & proficiendi quidem cupidus, ad judicandum tamen minus aptus, neque veritatem inquirens, in errorum devia abripiatur. Proinde faciam, quantum quidem in me eſt, & ſumma fide, eoque quo par eſt candore, paucos, ſed ſelectiſſimos auctores, ad rem medicam illuſtrandam & perficiendam utiles & neceſſarios, carpam atque laudabo; quo tamen ne quicquam gloriæ aliis aliorum clariſſimorum virorum ſcriptis, hic ob brevitatem prætermiſſis, detrahere animus eſt. Primum itaque hoc ceu certum & irrefragabile ſuppono, Medicinam eſſe diſciplinam non tam memoriæ & ingenii, quam potius ſummi judicii, eamque ob cauſſam, teſte dudum HIPPOCRATE, omnium difficillimam. Etenim in eo omnis Medici officii cardo verſatur, ut ſapienter judicet, quæ tum ad valetudinem tuendam, & vitam diutius protrahendam, tum ad omnis generis ægritudines feliciter propulſandas, proficua vel noxia ſint, illa ſuadendo, hæc vero diſſuadendo. Quum vero mira copia & varietas ſit earum rerum, quæ uſui tam quotidiano, ad alendum corpus, quàm medicinali, ad perſanandum illud, inſerviunt, & hæ perperam uſurpatæ, nocendi etiam facultate polleant; quum porro ipſa hominum corpora, ratione diſpoſitionis & ſtructuræ nativæ partium, ratione ætatis, quavis periodo mutationem inferentis, ratione locorum & climatum, imo anni temporum, quæ aeris, genuini vitalium motuum pabuli, temperiem mirifice immutant, nec non ratione victus & vitæ regiminis,

 aliam

aliam atque aliam habitudinem in functionibus obeundis induant: non poſſunt utique non, quæ his valde ſalutaria ſunt, aliis minus proficua eſſe, eamque ob cauſſam exquiſito Medici judicio opus eſt, qui omnia prudenter diſpenſet, & ſingulis cuncta perite accommodet. Accedit præterea, quod cum innumerabiles ſint morbi, qui non ſolum pro varia temporum, tempeſtatum, locorum conſtitutione, & victus quoque ratione, alium atque alium genium obtinent, ſed etiam pro corporum ac temperamentorum indole, quoad ſymptomata & eventus longe multumque diſcrepant, neque ab iiſdem, ſed diverſæ indolis ſæpe cauſſis, ortum trahunt; non minus ſummæ prudentiæ, ſollicitæ deliberationis & meditationis ſit, omnibus his accommodam medendi viam ingredi, & noſſe quæ ſalutem, & quæ damnum important. Et quod maximum eſt, propudioſa ac perpetua fere inter Medicos eſt diſſenſio, diſcordia & altercatio, dum non modo in medendi methodo mirifice diſſident, ſed & ratione medicamentorum in diverſas abeunt ſententias, & hic medicaminis cujuſdam virtutem incredibilem in modum dilaudat, alter idem hoc ceu pernicioſum penitus rejicit, ut utroque experientiam plenis buccis crepante, difficillimum, quin ſine ſubacti judicii cynoſura irritum plane, veritatem eruere, ſeligere, eidemque aſſenſum præbere. Denique profundo quoque & perſpicaci opus eſt judicio, ubi Medicus in officio conſtitutus, ad varios caſus medicos & chirurgicos reſpondere, & maxime de vulnerum ac læſionum lethalitate, ſolidum judicium ferre debet; eo quod, in perverſo & minus deliberato ejus judicio, vita hominis, quo nil præſtabilius, nil pretioſius, periclitatur.

Ex quo quum pateſcat, Medicum eo præſtantiorem eſſe, quo majori in rebus diſcernendis judicio pollet: ſedulo omnino navanda eſt opera, quo is, qui in artis noſtræ ſtudio fructuoſe verſari, eamque non perfunctorie excolere nititur, mature ea addiſcat, quæ naturalem judicandi facultatem acuunt & intendunt, & quæ viam ac methodum veritatem inveniendi, illamque ab errore & confuſione diſcernendi, dilucide monſtrant. Et hæc ipſa ſapientiſſimi HIPPOCRATIS & acutiſſimorum Philoſophorum ſententia ſunt Arithmeticæ & Geometriæ elementa, quorum cultura & exercitio animus inſtruitur & aſſueſit, ut profunde meditari, notiones perſpicuas & diſtinctas, ab obſcuris & confuſis, reales conceptus ab imaginariis & ſpecioſis verbis, diſtinguere, & ex notis ignota apta connexione detegere poſſit; in quo vera praxis logices & methodus demonſtrationes conficiendi, in omni diſciplinarum genere, comprehenditur. Quare etiam apprime utile fore reor, logica præcepta, quæ a clariſſimi nominis Mathematicis conſignata ſunt, & præ reliquis in Illuſtr. TSCHIRNHAUSEN *Medicina mentis*, & WOLFII *Logica* traduntur, præferre, animo imbibere, & in ampliſſimum uſum ac fructum convertere.

At vero ſummopere neceſſarium eſt, ut Medicus, earum rerum, circa quarum dijudicationem occupatur, exactam prius poſſideat notitiam, quo ſcilicet earum naturam, indolem, facultates, vires, operationes, & ex quibus cauſis natales ducant, intimius pernoſcat. Hæ autem cum nullæ aliæ ſint, quam quæ in corporis humani fabrica & rerum naturalium cenſu obviæ; utique ad earum penitiorem cognitionem, tam anatomica partium, quoad ſtructuram, ſitum, connexionem & uſum, contemplatio, quam ſtudium Philoſophiæ naturalis, experimentis tam phyſicis, quam chymicis, aditum pandunt feliciſſimum. Id enim pro certo tenendum eſt, & Anatomiæ, & Phyſices experimentalis culturam ac ſtudium, vera & firma theoriæ & praxeos Medicæ ſuggerere principia, ſine quibus nil ſolidi in hiſtoria vitæ, ſanitatis & morborum explicari, nulla commoda medendi ratio, vel congrua medicina inveniri, vel remediorum vires & facultates explorari; item cur hæc, vel illa, proficua aut noxia ſint, apta ratione & demonſtratione, exponi poteſt. Neque inficias ire poſſum, craſſam & ſupinam illam anatomici & phyſici ſtudii per plurima ſæcula ignorantiam, & obſervationum Medicarum omni ex parte completarum defectum, nec non quod recentiores, anatomicas & phyſicas doctrinas ſubtilius agitantes, eaſdem minus recte ad Pathologiam & Therapiam, ipſamque ſcientiam de ſanitate tuenda applicare anniſi ſunt; certo fuiſſe obſtaculo, quod ars medica non ad certam rationem, majoremque perfectionis gradum evecta eſt.

Quum itaque harum ſcientiarum tanta utilitas ſit atque neceſſitas, ut iiſdem Medicus rationalis carere nequeat; ſtudioſe omnino monendi ſunt artis noſtræ cultores, ut primum in Academiis ſtudium anatomicis & phyſicis laboribus ſolerter addicant. Quamvis autem facta coram inſpectio corporis penetralium, ipſa partium contrectatio & fidelis in ſecandis iiſdem manuductio, multo utilior & longe præferenda ſit omnibus pictis & æri inciſis figuris, nec non libris ejuſdem argumenti; nihilominus tamen, ut labilis memoria ſubſidium habeat, quo ſibi repræſentare omnia & clarius firmiuſque retinere poſſit, apprime utique libri anatomici, optimi tamen, ex uſu ſunt. In horum cenſum referendi ſunt HEISTERI *Compendium Anatomicum*, VERHEYENS *Anatomia Corporis humani*, HORNII *Opuſcula Anatomica & Chirurgica cum annotationibus* PAULLI, DIEMERBROEKS *opera*, BIDLOO *Anatomia Corporis humani*, CASSERII PLACENTINI *Tabulæ anatomicæ*, & inſtar omnium MANGETI *Theatrum Anatomicum*; quibus merito adjungi debent RUYSCHII *Theſaurus*, *Epiſtolæ*, *obſervationes*, & *adverſaria anatomica*, item MORGAGNI *adverſaria anatomica*. Qui ſpeciatim certarum partium fabricam & uſum expoſuerunt, ſunt RIDLEY *de Cerebro*, VIEUSSEN *in nervographia*, VALSALVA aurem humanam; ductus ſalivales, nec non glandulas humani corporis nemo rectius NUCKIO tradidit. LOWERI elegans liber *de corde* eſt; & *de hepate* BIANCHI egregia ſcripſit. *De pancreate*, *de duodeni glandulis* BRUNNERUS eximius eſt; *de renum ſtructura* BELLINUS, & *de generationis organis de* GRAAF commendantur; *de fabrica glandularum in corpore humano* BOERHAAVE, & *de oſſibus* CLOPTON HAVERS omnes alios antecellunt.

Ad comparandam in rebus chymico-mechanico-phyſicis ſcientiam, ex recentioribus laude digniſſimi ſunt WOLFIUS, qui *Phyſicam Dogmaticam & Experimentalem* ſcripſit; STURMIUS in *Phyſica Electiva*, adjuncto *collegio curioſo*; s'GRAVESAND, in *elementis phyſicis*: quibus addi poſſunt SCHEUCHZERI & KEILII, *Phyſica*, LEUWENHOEKII *Epiſtolæ Phyſiologicæ*, MARIOTTE, VALLISNERI, & GUILLIELMINI Opera, *Acta Philoſophica Anglicana*, nec non *l'Hiſtoire de l'Académie Royale des Sciences*, neque minus & noſtræ & STAHLII *obſervationes Phyſico-Chymicæ*.

A ſtudiis anatomicis & phyſicis, ſpeciatim ad phyſicam & anatomicam corporis humani vivi & ſani ſcientiam, quæ Phyſiologiæ nomine venit, acceſſum facimus, ad quam elucidandam BOHNIUS *in circulo anatomico*, BERGERUS *in phyſiologia*, *Mauritius* HOFFMANNUS *in Diſquiſitionibus Anatomico-phyſiologicis*, BOERHAAVE *in Inſtitutionibus* plane egregiam operam & ſtudium collocarunt. Neque MICHELOTTI diſſertationes de *ſeparatione fluidorum in corpore humano* debita defraudandæ ſunt laude; item PITCARNII *opuſcula phyſiologico-medica*. Sique

que noſtros hac in Academia labores recenſere & commendare par eſt, ſunt potiſſimum e STAHLII Diſſertationibus *de mechaniſmo progreſſivi motus ſanguinis*, item *de æſtu maris microcoſmici*, quas cum fructu legi poſſe putamus, nolo autem multa commemorare *de tomo primo medicinæ* meæ *ſyſtematicæ*, ſed penes lectorem ſit judicium.

Pergimus jam ad eos Auctores, qui de valetudine tuendâ limata & utiliſſima ediderunt ſcripta: Poſt HIPPOCRATEM, qui *libris tribus de diæta*, item *de ſalubri victus ratione*, nec non *de aëris*, *aquarum*, *& locorum natura*, maxime utilia memoriæ prodidit, liber primus *Cornelii* CELSI, & in eundem pulcherrimus LOMMII commentarius, nec non MERCURIALIS de arte gymnaſtica, una cum SANCTORII *Medicina ſtatica*, lectu digniſſimi ſunt. Ex recentioribus quæ RAMMAZINUS, LANCISIUS, & LEMERI in *Traité des Alimens* circa hoc argumentum ex phyſico-mechanicis principiis tradiderunt; præ omnibus aliis merentur commendari, non prætermiſſis BEHRENS *ſelectis diæteticis*: Et quum nobiliſſimam & utiliſſimam hanc Medicinæ partem, non adeo ſollicite ex veris principiis, phyſico-nempe chymicis, minuſque accommode expoſitam eſſe hucuſque deprehenderem; multum operæ impendi, ut ſelectiores complures de ſalubri diæta diſſertationes conſcriberem, quæ magno cum applauſu ubique exceptæ, in Belgio recuſæ, & in Germanicum idioma haud ita pridem tranſlatæ ſunt.

A perverſo rerum quibus homo ad vitæ & ſanitatis tutelam carere nequit uſu, utique origines & primordia morboſarum afflictionum petenda ſunt; quare non ſine ratione hæc pars Pathologiæ a nobis præmittitur. Hæc autem rationalis morborum doctrina duobus potiſſimum abſolvitur momentis, unum eſt exquiſitior quoad omnes circumſtantias ægrotantis corporis, quoad cauſſas morborum antecedentes, ſive remotas, & proximas, quoad ſymptomata, ſeu functionum læſiones, quoad morborum ſecundum origines, ſigna diagnoſtica, tempora, progreſſum & eventum hiſtorica deſcriptio: alterum verò rationalis, fundata & demonſtrativa explicatio ac deductio eſt eorum, quæ in hiſtoria commemorantur. Ad hiſtoricam morborum cognitionem perveniendam, operam & ſtudium antiquiſſimorum, qui in hoc genere excellunt, non ſatis dilaudare poſſum. Et uti HIPPOCRATES inter veteres Medicorum facile princeps ac optimus artis noſtræ parens eſt, ita in hoc etiam omnibus eſt anteferendus, & poſteris expeditam viam monſtravit, quam calcare fas eſt. Ex ejus vero monumentis laude digniſſimi ſunt *Aphoriſmi*, præſertim cum HOLLERII & HEURNII annotamentis editi; & ſigillatim quoad morborum originem commendanda eorumdem *ſectio tertia*, quoad prognoſin *prædictiones Coacæ*, DURETI notis illuſtratæ, *libri epidemiorum* à PROSPERO MARTIANO, VALESIO, MERCURIALI, & noviſſime *Jo.* FREIND, quoad priores duos libros, animadverſionibus inſtructi. *Liber* quoque *tertius Corn.* CELSI mere pathologicus eſt. His adjungenda ſunt ſcripta TRALLIANI, AETII, ÆGINETÆ, ARETÆI, & ex methodicorum ſchola COELII AURELIANI & ALPINI. Non minoris dignitatis & præſtantiæ ſunt *Jodoci* LOMMII *Obſervationes*, quæ eleganter & fideliter morborum ſigna tradunt. Denique, ſi recentiorum, qui peculiares caſus & obſervationes, quæ baſin veræ pathologiæ conſtituunt, cum cura ſolerter conſignarunt, cenſum inimus, non poſſumus non laude proſequi *Caroli* PISONIS *Obſervationes de morbis ex ſeroſa colluvie oriundis*; item VALLERIOLÆ, VERZASCHÆ, HARDERI, CHESNAU, PECHLINI, BALLONII, BOTALLI, FORESTI, PLATERI, LUSITANI, WELSCHII, STALPART *vander* WIEL, WEPFERI, RIEDLINI, RIVERII *Obſervationes Medicinales*, *Acta Haffnienſia*, *Berolinenſium*, *Uratiſlavienſium Medicorum*, *Miſcellanea Naturæ Curioſorum*, *de ſcorbuto* DRABITIUM, EUGALENUM, & WIERUM. Præterea lectu digniſſimi ſunt illi caſus, qui in operibus, WILLISII, LANCISII, SEPTALII, MONTANI, SCHULZII, CRATONIS, ETTMULLERI, LANGII, item in *medicina noſtra conſultatoria*, & paſſim in diſſertationibus academicis de hoc argumento expoſiti ſunt. In primis autem inſerendum hoc loco BONETI *ſepulchretum*, qui obſervationes practicas morbis defunctorum collegit, & in unum volumen redegit, eoque de morborum ſede mortiſque cauſſis lectores luculenter inſtruit.

Ad rationalem morborum deductionem & perſpicuam ſymptomatum evolutionem quod attinet; perpaucos inter veteres reperies, qui hoc in genere laudabilis quippiam præſtiterunt, eo quod, ob defectum ſcientiæ Phyſicæ & experimentalis Philoſophiæ, ignorantiam Anatomiæ, ac potiſſimum circuli ſanguinis, ſtructuræ & uſus partium, vera notitia corporis humani, tum vivi ac ſani, tum morboſi, mechanica deſtituti fuerunt. Recentiorum autem nonnulli laudatiſſimam & fructuoſam in enodandis morbis poſuerunt operam, e quibus diſcendi cupidis abunde ſatisfacient MALPIGHII, BAGLIVI, LANCISII, RAMMAZZINI, BELLINI, BOERHAAVII, aliorumque emendatæ Medicinæ ſcriptorum opera; quibus merito etiam annumerandus eximius *Joannis à* REGA *de ſympathia corporis humani libellus*, nec non FREINDS *Emmenologia*. Si etiam noſtros hac in Academia labores allegare fas eſt, non ſine ſingulari fructu legi poterunt STAHLII Diſſertationes ad veram Pathologiam & Praxin viam pandentes, quas inter maxime eminent, *de motu tonico*, *de morbis ætatum*, *de vena portæ porta malorum*, *de motibus ſpaſmodicis a pulſibus naturalibus differentibus*, *de motibus ſanguinis hæmorrhoidalibus*, *nova pathologia calculi renum*, *de pathologia* fundamentali practica. Quid ergo hac in parte præſtiterim, *tomo* potiſſimum *ſecundo medicinæ rationalis ſyſtematicæ* & *in idea fundamentali totius Medicinæ*, nec non in varii generis pathologici argumenti diſſertationibus, e quibus adduxiſſe ſufficit, quæ *de conſenſu partium præcipuo Pathologiæ fundamento*, *de generatione febrium*, *de generatione mortis in morbis*, *de certo mortis in morbis præſagio*, *de pulſibus*, *de morbis ex aliis prodeuntibus*, *de generatione ſalium morboſorum*, *de duodeno multorum morborum ſede* tractant, intelligentium & cordatorum arbitrio committo. Denique ex iis, qui utiliſſimam illam de hæmorhoidali negotio conſiderationem curatius excuſſerunt, præter STAHLIUM, inprimis nominandus ALBERTI, qui peculiari tractatu eandem fuſius & egregie proſequutus eſt.

Perſpectis igitur morborum cauſſis, origine, indole, & quibus incedant ſymptomatibus; neceſſarium eſt, ut is, qui eorumdem perſanationem molitur, diſpiciat media quibuſcum id perficiat; ita quidem, ut eorum vires & operandi rationem intimius cognitam habeat atque perſpectam. Et licet horum uberrima ſupellex, in claſſes varias deſcripta, materiæ medicæ penu comprehendatur; ſæpius tamen ſpem fallunt, & artis eſt, ex miſcellanea farragine optima & uſu comprobata ſeligere. Ex probatiſſimis autem, qui ſimplicium natales eorumque vires expoſuerunt, ſummo cum fructu evolvi poſſe arbitror POMET *Hiſtoire des Drogues*, LEMERY *Dictionaire des Drogues*, TOURNEFORT *Traité de la matiére Médicinale*, tomi tres, DALE *Pharmacologia*, HERMANNI *Critica de materia medica*, WEDELII *amœnitates materiæ medicæ*, ZORNII *Botanologia*, liber hoc in genere omnibus numeris abſolutus,

tus, S. PAULLI *quadripartitum botanicum*, FLOYER *de viribus plantarum*, BOERHAAVE *de viribus medicamentorum*, & denique etiam noſtra *de modo operandi remediorum phyſico - mechanica* Diſſertatio una cum ſchediaſmate *de methodo compendioſa, plantarum vires & virtutes in medendo indagandi.* Et quia minerales aquæ efficax admodum valetudinis præſidium ſunt; de earum elementis, viribus, operandi modo, utilitate & uſu, non vereor commendare ea, quæ in variis diſſertationibus a me expoſitæ ſunt, & his nundinis, in *tomum ſecundum opuſculorum phyſico - medicorum* collecta, prodibunt.

Quum vero non ſufficiat ſimplicia, eorumque facultates noſſe; ſed eadem etiam uſui aptanda ſint & præparanda; accedere omnino debet artis Pharmaceuticæ, tam Galenicæ quam Chymicæ artificioſæ, notitia. Ad quam percipiendam egregie inſerviunt CHARAS *Pharmacopœa regia*, LEMERY *Cours de Chymie*, *Mauritii* HOFFMANNI *Acta Laboratorii Chymici Altorfini*, POTERII *Obſervationes* cum notis noſtris, LUDOVICI *Pharmacia moderno ſeculo accommodata*, STAHLII *Chymia*; Obſervationes noſtræ Chymicæ; *Diſpenſatorium Brandenburgicum*, ZWOLFERI *Pharmacopœa Auguſtana*, *Pharmacopœa Holmienſis*, WEDELII *Pharmacia in artis formam redacta*, nec non ejuſdem *tractatus de compoſitione medicamentorum.* B. Parentis *Clavis Schroderiana.* Addi poteſt MANGETI *Bibliotheca Chymica.*

Jactis ſic fundamentis, ad ipſius artis exercitium expeditus & felix eſt aditus. De hoc autem cum prudentia, attentione, & exoptato cum ſucceſſu inſtituendo, fideliſſima & longe utiliſſima præcepta traduntur, ipſaque medendi methodus dilucide exponitur in variis ſcriptis. Nos quæ hunc in finem commendemus, habemus potiſſimum, ex libris ſic dictis practicis, SENNERTI, FERNELII, RIVERII, SYDENHAMI, SYLVII, ETTMULLERI, LANGII, MICHAELIS, WALDSCHMIDII & BAGLIVI opera, *Timæi a* GULDENKLEE *caſus medicinales*, & ad horum imitationem concinnatam WEDELII *Praxin clinicam*; nec non ex STAHLII ſcriptis & Manuſcriptis collectum, & in Tabulas a JUNCKERO digeſtum, *Conſpectum Medicinæ practicæ.* Neque prætermittendæ ſunt editæ a Clariſſimis Germaniæ Medicis practici argumenti Diſſertationes, SCHRADERI, MEIBOMII, ETTMULLERI, BOHNII, WEDELII, BERGERI, ZWINGERI, CAMERARII, ALBINI, HEUCHERI, SCHACHERI, BEYERI; quibus accedant in noſtra Academia a clariſſimis Profeſſoribus evulgatæ, una cum meis, quibus univerſam clinicam praxin expoſui, item de arcana medendi methodo, præſtantiſſimis medendi legibus, prudenti remediorum in tempore applicatione & continuatione, item de natura medicatrice mechanica, de medicamentis inſecuris, infidis, purgantibus fortioribus, emeticis ſelectioribus, & cura lactis aſinini. Eundem quoque in cenſum referenda conſilia medico - clinica *Medicinæ Conſultatoriæ* noſtræ inſerta, una cum *tomo tertio Medicinæ ſyſtematicæ rationalis*, quem, ſi Deus vitam & vires conceſſerit, adhuc emittere conſtitui.

Sunt vero præter interna etiam externa in corpore vitia, & violentæ nonnunquam læſiones, quæ non tam interius medicamentoſa præſidia; quam potius exterius manibus adminiſtris opem expoſcunt, & quorum curatio haud poſtremam ſtudii medici partem conficit. Chirurgiam Græco nomine vocant, quæ quantum ornamenti & famæ Medico conciliet, & quam neceſſaria ipſi ſit, ad inſtruendos & corrigendos imperitos noſtros, & ſæpe tamen audaces Chirurgos, ac ſolidum de rebus chirurgicis ferendum judicium, pro re ſatis eſſari nequeo. Quia vero hujus fundamentum eſt anatomes accuratior, tam quoad internas, quam inprimis externas corporis partes, nervos ſcilicet, muſculos, vaſa eorumque propagines cognitio: utique ex iis, qui hoc ſtudii genere conſulendi, præferendi ſunt, qui anatomice in eo verſati ſunt. Et horum ex numero illuſtri laude conſpicui ſunt HEISTERI, DIONIS, PALFINS, & MUNNIGKS *Chirurgia*, MUYS *praxis Medico-Chirurgica rationalis & obſervationes chirurgicæ*, BIDLOO *exercitationes Anatomico-Chirurgicæ*, NUCKII, DEVENTER, & SOLINGEN *operationes chirurgicæ*, MANGETI *Bibliotheca Chirurgica*, RUYSCHII, TULPII HILDANI, a MECKERW, *de la* CHARIERE, GAUCKS *obſervationes chirurgicæ*, SEVERINUS *de occulta abſceſſuum natura*, PETIT *de morbis oſſium*, TOLETUS *de ſectione calculi*, MAURICEAU *Traité des maladies des femmes groſſes*, GARANGEOT *Traité des Operations de Chirurgie.*

Præterea ſæpiſſime contingit, ut Medicus de lethalitate læſionum, vel etiam aliis rebus, ex medico in juridicum forum deferendis, ſententiam & reſponſum promere debeat; quod quum ſæpius irreparabilem ac pretioſiſſimam hominis vitam attingat, & ſemper fundamentum præbeat, ad cujus normam JCti mulctam accommodant; ſummo utique cum judicio & deliberata meditatione, accuratius eorum facta inſpectione, & collatione circumſtantiarum, ſecundum principia medica & chirurgica, illud interponendum erit. Ne igitur in tanti momenti negotio impingat Medicus, quo pacto in eodem perite verſandum ſit, ab optimis ut edoceatur auctoribus anniti debet. Inter hos autem laude merito afficiendi & conſulendi ſunt ZACCHIAS in *Quæſtionibus Medico - Legalibus*, AMMANNUS *in Medicina critica*, *praxi vulnerum lethalium*, *Irenico*, FORTUNATUS FIDELIS *in relationibus*, BOHNIUS *in libro de officio medici duplici*, *de renunciatione vulnerum & eorum lethalitate*, & ZITTMANNUS *in medicina forenſi.* Huc etiam ſpectat *Medicina* mea *Conſultatoria*, & noviſſime edita ALBERTI *Juriſprudentia Medica*, in qua præter præcepta in hoc ſtudii genere utiliſſima, caſus etiam forenſes, partim a me jam antea in Medicina Conſultatoria exhibiti, partim etiam noviter additi, comprehenduntur.

Supereſſet adhuc, ut ampliſſimum & jucundiſſimum hiſtoriæ naturalis campum artis medicæ cultoribus aperirem, & quibus ducibus illum ingredi & excolere debeant, commonſtrarem: ſed quum labores, qui hujus culturæ impenduntur, præter oblectamentum & ornamentum, vix quicquam utilitatis Medico impertiant, neque primario ad medicum ſcopum referendi ſint, ipſa quoque temporis ratio & paginæ anguſtiæ dignam explanationem impediant; filum abrumpo, & ſummum Numen ſupplex precor, ut prudentiſſimorum ac uſu exercitatorum virorum largo proventu excitare velit ingenia, qui dignos ſumant ſpiritus, & unitis exquiſitis viribus, eo laudabiliter contendant, quo utiliſſima noſtra generi humano & præſtantiſſima ars, novis ſubinde acceſſionibus & obſervationibus anatomicis, phyſico - chymicis, & practicis, majora indies capiat incrementa. Scribebam in Fridericiana VIII. Kalend. Octobr. Anni cIↃIↃCCXXV.

FRIDERICI

HOFFMANNI MEDICUS POLITICUS,

SIVE

REGULÆ PRUDENTIÆ

SECUNDUM QUAS MEDICUS JUVENIS STUDIA SUA ET VITÆ RATIONEM DIRIGERE DEBET,

SI FAMAM SIBI FELICEMQUE praxin & cito acquirere & conſervare cupit.

TYPOGAPHUS
BENEVOLO
LECTORI
S. P. D.

INCIDI *forte in Manuſcriptum* de Medico Politico, *maxima cum cura ex privatiſſimis Illuſtris* Hoffmanni *Profeſſoris Halenſis lectionibus calamo Auditorum avide exceptum. Statim ex titulo rei novitatem, ex tractatione ipſa pulcherrimum ordinem intellexi. Accedit, quod utrumque & Medicinæ & Politicæ ſtudium tanto cum ſucceſſu conjunxerit vir ille, ut ſine artibus Machiavellicis hoc duce auream praxin acquirere ſibi poſſit Medicus vel invitus. Equidem non dubito, ſi Autor ipſe opus hoc typis excudi curaſſet, quin limatius fortaſſe prodiiſſet; ſed an excellentiora ſcientiæ monumenta, in hoc opuſculo adumbrata, ſibi reſervaverit, judicabit ſapiens in fine Lector.*

FRE-

FREDERICI HOFFMANNI

MEDICUS POLITICUS.

PARS PRIMA.

De Prudentia circa perſonam ipſius Medici.

CAPUT PRIMUM.

De Religione & Studiis Medici.

REGULA I.

M*EDICUS ſit Chriſtianus.* Chriſtianus eſt ille, qui non tantum intelligit hiſtoriam fidei Chriſtianæ, circa credenda pariter & agenda, ſed qui vita ſua etiam oſtendit, quid & quomodo credat, qui non ſolum ore profitetur Chriſtum ſed etiam operibus ſuis illum imitatur. Si itaque Medicus bonus eſt Chriſtianus, neceſſario excercebit miſericordiam, imprimis erga pauperes, quibus nunquam gratuitum auxilium denegabit, quia benigniſſimus Deus gratam conſtituit Medicinam, eamque ex mera benignitate exerceri ſinit; nec deerit occaſio, quotidiana enim hominum miſeria eum admonebit, conſilio cuivis indigenti ſuccurrere. Porro Medicus non ſit avarus, neque ſuperbus, ſed humilis. Duplex eſt ſuperbia: alia verſatur in animo quando levioris conditionis hominibus denegat colloquium, nec illos æſtimat; alia verſatur in geſtibus, quando veſtitu ſplendidiſſimo multiſque famulis gaudet, quæ omnia nocentiſſima ſolent eſſe Medico. Itaque tanquam Chriſtianus humanitatem exercebit, ad quam optimam occaſionem exhibebit ipſa Medicina, quando conſideramus, quid ſit homo, quam caducus, quam fragilis, unde ortum habeat, naſcitur enim inter ſtercus & urinam. Quid igitur vita hominis? nil niſi umbra.

REGULA II.

Medicus ſit moderatus, nec multum de rebus religionem & fidem ſpectantibus diſputet. Melius eſt ut demonſtretur laudabili vita quid ſit Chriſtianiſmus verus, quam multum rationibus & controverſiis id ipſum indicare.

REGULA III.

Medicus non ſit Atheus. In converſatione hominum obſervamus, multos reperiri Atheos, licet non theoreticos, tamen practicos. Athei vero practici iterum ſunt duplices; alii craſſiores, qui nullum plane diſcrimen inter Deum & naturam credunt, ſed mundum pro Deo agnoſcunt, ad quem Atheiſmum Philoſophia Stoica occaſionem exhibet: alii ſunt ſubtiliores, qui quidem credunt, eſſe etiam Deum, de cætero vero non ſunt ſolliciti de vita juxta placitum Dei inſtituenda. Hic Atheiſmus maxima ex parte ortum habere poterit ex Philoſophia Carteſiana, quando Carteſiani doctrinam de motu per genuina Carteſii principia non explicant, atque ita Divinam providentiam prorſus negant, ſeducti à ſimilitudine, deſumta ab artifice horologium conficiente, qui poſt mortem horologii ſui curam amplius non habet, horologium tamen ex eo in curſu ſuo non turbatur, ſed potius continuo motu horam indicabit; eodem modo Pſeudo-Carteſiani ſtatuunt, quod Deus creaverit mundum, ut Spinoza aliique, quod tamen Carteſio nunquam in mentem venit. Statuendum eſt potius, omnia ſub clementiſſima Dei directione & voluntate fieri, quorſum etiam Carteſius inclinat, dicens: *Deus eſt cauſa, per quam cuncta conſervantur.* Hoc modo deſcribitur & ſignificatur Deus in natura; ideoque longe aliter Deus conſiderandus eſt in gratia, quando nos illuminat & ad fidem perducit.

REGULA IV.

Medicus non ſit ſuperſtitioſus. Hic iterum eſt diſtinctio inter ſuperſtitionem craſſam & ſubtilem. Illa nil aliud eſt, quam Enthuſiaſmus, Fanaticiſmus & Quakerianiſmus, ortumque habet à Philoſophia Platonicorum, qui communiter tres hominis partes eſſentiales ſtatuunt 1) corpus, 2) animam materialem, 3) ipſius Dei particulam, puto ſpiritum. Quoniam itaque Deus omnia revelans in ipſis habitat, in ea ſunt opinione, quod etiam, ut ethnici, abſque verbo extrinſeco, ex revelatione miracula Dei poſſent pronunciare, ſi modo non reſiſtant ſpiritui. Noſtri autem Theologi diſtinguunt inter lumen naturæ & gratiæ, quod accendit reliquias imaginis Divinæ mediante verbo & ſacramentis. Subtilioris ſuperſtitionis ſunt v. g. Chiromantia, Alchimia, Aſtrologia, Phyſiognomia, Magia naturalis & Diabolica, herbarum collectio certo tempore & circumſtantiis variis inſtituenda, rerum ſignaturæ atque tandem curæ ſympatheticæ. Ex Aſtrologia nil plane poſſumus prædicere. Licet etiam Sol & Luna

Luna in terram influant, tamen cætera ſidera nil plane ad plantarum generationem conferunt, ut taceam, ad generationem hominum. Concluſiones ex Phyſiognomia & Chiromantia deductæ ſæpiſſime fallunt, præſertim cum educatio, conſuetudo & vivendi ratio accedant, quæ omnia mirum in modum hominum indolem alterare ſolent. Non quidem plane rejiciuntur. Phyſiognomia & Chiromantia in ſe conſiderata, ſed quatenus reſpectus habetur ad aſtra, ad montem veneris, & ſic porro. Vera Phyſiognomia non modo conſiderat faciem, ſed etiam attendit ad totius corporis habitum, an carnoſus, an cute mollior vel durior; conſiderat porro parentes, inclinationem, quæ potiſſimum ex temperamentis cognoſcitur. Verbi gratia: ſanguinolenti ſunt jocoſi longeque celeriores in omnibus actionibus, quam pituitoſi & phlegmatici, qui cum melancholicis ſunt & tardiores & hebetiores vultuque obtuſiores & toto cœlo à ſanguineis differentes, ob circulationem ſanguinis ſpirituumque tardiorem. Phyſiognomicum ſtudium ex hoc fundamento deſumtum maximopere eſt commendandum. Chiromantiam autem, quoniam nec præterita nec futura certo poteſt cognoſcere, incertam & fallacem judicamus. Alchimia eſt ars vana & nimis quæſtuoſa. Contendunt quidem Alchimiſtæ, quod ſpiritu ſuo extracto mira præſtare poſſint, ſed illorum ſpiritus quam maxime in dubium vocatur, neque hactenus ullus fuit, qui minimum effectum demonſtrare potuiſſet. Quæ vero ars in meris tantum ſpeculationibus conſiſtit, illa deficiente experientia nulla eſt. Circa herbarum collectionem plurimum quidem intereſt, ut certo colligantur tempore, quod vero ad aſtra reſpiciendum ſit, ad certum ſcilicet diem vel horam vel conſtellationem, hoc eſt, quod negamus & ſuperſtitioſum eſſe putamus. Signaturæ vero, ex qua ratione certis partibus medicamenta prodeſſe dicuntur, verbi gratia, nuciſta capiti, nil niſi ſuperſtitionem pro fundamento habent.

Regula V.

Medicus ſit Philoſophus. Per Philoſophiam acquirimus ſapientiam. Medicus verò Philoſophus Deo æqualis habetur juxta *Hippocratem.* Philoſophi autem vel ſunt morales, vel Phyſici, utrumque in uno inveniatur Medico neceſſe eſt. Duplex vero iterum eſt Philoſophia moralis, verſatur vel in intellectu vel voluntate. Hæc inculcat actiones bonas mediaque ad tranquillitatem tam temporalem quam æternam perveniendi; illa vero cognitionem juris naturæ, & quod juxta illud Deo, proximo mihique debeo. Circa jus naturæ varia ſunt Philoſophiæ principia, ſibi invicem contradicentia, optime tamen juxta noſtram hypoteſin illud explicatur, ſi ſtatuamus, principium primum atque ultimum eſſe felicitatem humanam, quæ tres ſub ſe continet leges: I. Deus eſt colendus. Ex lumine naturæ cognoſcimus fuiſſe creatorem, qui & rerum omnium conſervator, cui debemus (α) Timorem, illi enim, qui fecit nos, non erit difficile creaturas ſuas iterum in nihilum redigere; (β) Honorem, quia fuit autor vitæ noſtræ, & hujus univerſi; (γ) Amorem, quia quotidianis nos beat beneficiis. II. Societas eſt ſervanda. Infeliciſſimi eſſemus aliorum conſortio deſtituti, quapropter ſervanda eſt ſocietas, conſiſtens in amore mutuo, à quo omnium gentium jura dependent, quæ jura nil aliud exigunt, quam ut omnia ſocietatem deſtruentia vitentur, rupta enim ſocietate concidit amor atque felicitas cujuſvis. III. Ordo naturæ eſt ſervandus. Verſatur hæc lex vel circa hominem ipſum, vel circa omnes res creatas. Juxta hanc regulam ipſe homo temperanter vivit, non facile turbatur motibus præternaturalibus, ſed vitam longam metamque à Deo propoſitam acquirit. Ex neglectu vero hujus regulæ plurima fluunt peccata, verbi gratia: ira, odium, cædes, ſcortatio, concubitus cum brutis; ex eadem oriuntur cupiditates animi pravæ pro temperamento hominis. Quæ ſi intelligit Medicus, non herbis ſolum ſed etiam verbis atque conſiliis compeſcet plurimorum affectuum ex ejuſmodi cupiditatibus pravis prodeuntium effrena mala. Dixi porro, hanc regulam ſeſe extendere ad omnes res creatas, quantum ſcilicet conſideramus earum naturam, verbi gratia: ignis temperiem, qualitates ciborum aliaque, ut hac ratione fugiamus nociva & appetamus naturæ noſtræ convenientia. Hæc omnia Medicus Phyſica ſcientia inſtructus facile intelligit, juxta quam omnium rerum ſuique ipſius naturam examinat. Concludo itaque, Medicum non modo Philoſophum Moralem, ſed & Phyſicum eſſe debere. Phyſicus eſt, qui effectuum & phœnomenorum naturalium cauſas explicare poteſt. Itaque non ſufficit Medico hominis cognitio, accedere debet machinarum omnium in mundo occurrentium, ſive quod idem eſt, mechaniſmi univerſi. Si enim macrocoſmum non intelligit, quomodo quæſo poteſt cognoſcere microcoſmum? Ante omnia vero Phyſicus Philoſophus ſibi eligat principia vera & certa, quæ fluunt ex recta ratione conjuncta cum experientia; fugiat autem cane pejus & angue, quæ figmenta, ſuperſtitiones & imaginationes pro fundamento habent. Vera enim eruditio non eſt res imaginationis, ſed potius intellectus. Diſtinguitur Philoſophia Phyſica in hiſtoriam & ſcientiam. Hiſtoria Phyſica pertinet ſaltim ad bene eſſe. Quoniam vero hactenus à nemine ex profeſſo tractata fuit, non immerito à Medico excolitur. Abſolvitur potiſſimum tribus capitibus:

1. Continet regnum animale, ubi de natura, eſſentia, ſpeciebus animalium cognitionem ſibi acquirit Medicus. Eſt autem hoc ſtudium difficillimum, & totum hominem totamque ejus ætatem requirit, & licet aliquis totus in hoc ſtudio fuerit occupatus, nunquam tamen completam impetrabit ſcientiam ne reptilium quidem, ut taceam volatilium & natatilium ob ingentem rerum multitudinem. Scripſere hac de re Jonstonus, Aldrovandus. Amatores hujus ſcientiæ ineant nonnunquam conſuetudinem cum venatoribus, aucupibus, aliiſque, quibus brutorum ſpecies præ cæteris cognitæ ſunt.

2. Continet regnum vegetabile ſive hiſtoriam plantarum, quæ vero adeo difficilis & licet decem millia plantarum numerantur, non tamen ad ingentem plantarum numerum accedunt. Præterea & methodus hodiernorum Botanicorum ita inſtituta eſt, ut, qui novit ſumma plantarum genera, quæ ſupra millenarium ſe non extendunt numerum, facili quoque negotio ſpecies à ſe invicem poterit diſtinguere. Excellunt hac in arte Morison, Raius, Hermannus, Rudbeckius, & præ omnibus Celeber. Rivinus, à quo ars botanica, in ſe ſpectata difficillima, faciliori diſci poterit methodo.

γ) Exhibet regnum minerale, ubi Phyſicus iterum calleat metalla eorumque generationem, item gemmas earumque probationem, nec imperitus ſit in arte docimaſtica. Ad hanc cognitionem rurſus totus requiritur homo, & erit tamen incompleta, quia generatio metallorum aciei mentis noſtræ abſcondita eſt. Deſperandum tamen non eſt; poſſumus enim à notis ad ignota concludere, ulterius vero progredi non licet, ſed admiranda potius omnipotentia Divina. Et ſicuti ex artificioſo horologio artificem cognoſcimus arte ſua perfectum, ita ex innumeris potentiſſimi Dei operibus ſummam ejus ſcientiam perſpicimus.

Progredimur nunc ad ſcientiam Phyſicam, quæ ante omnia requiritur à Medico, ut reddere poſſit cauſas omnium rerum naturalium. Hæc ſcientia maxime incompleta eſt, quia ſenſus noſtri non ſufficiunt ad cognoſcen-

noſcendam intimiorem rerum eſſentiam & conſtitutionem; quæ vero ſcimus, ea plurimum ex effectibus ſaltim habemus beneficio Philoſophiæ experimentalis. Atqui ex hujus ignorantia atque defectu omnes omnino errores & ſectæ originem traxerunt, qua exculta, peritura eſt omnis inter Philoſophos diſcordia. Varia ad hanc ſcientiam requiruntur inſtrumenta; Teleſcopia, microſcopia, vitra cauſtica &c. cum quibus varia experimenta inſtituimus, ex his rationes particulares deſumimus, ex quibus denique univerſale probare contendimus. Si hoc obtinemus, certum axioma conſtituimus, juxta quas multas rerum demonſtrationes exhibere poſſumus. Verbi gratia: Amygdalæ in mortario cum aqua tuſæ præbent lactis inſtar emulſionem. Si rationis beneficio inquiro in cauſas, apparet, oleaſas amygdalarum particulas intime cum aqua mixtas talem præferre colorem; ad confirmandam hanc theſin aliud conſtituimus experimentum cum oleo cinnamomi vel aniſi etiam, quod ſolutum & cum aqua mixtum, tranſit in lac. Ex hiſce particularibus experimentis univerſaliter concludo; ubicunque oleum intime ſolvitur à particulis aqueis, ibi exſurgit color lacteus. Applicatio hæc fiat ad chylum noſtrum qui nil aliud eſt, quam emulſio naturalis, quod ex præcedentibus concludo. Quivis Medicus & imprimis Phyſicus continuo in experimentis potiſſimum Chemicis ſit occupatus. Rectiſſime enim Chemia à quibuſdam vocatur Medicinæ anima, quando ſcilicet de experimentis ſermo eſt; qui hanc non intelligit, totam fere Phyſicam ignorat. Duo itaque requiruntur ad Phyſicam experimentalem: 1) Chemia, cujus beneficio multæ inveniuntur veritates, quæque ad ſpecialiora progrediendo ante omnia addiſcenda eſt: 2) Ex Mechanicis ſumme neceſſariam habemus doctrinam de motu, ubi præ omnibus commendatur LEIBNITZIUS in Theodicea ſua, item WALLISIUS, BORELLUS, SINCLARUS de gravitate, TIGELIUS, GASSENDUS &c. Quod vero totam Philoſophiam experimentalem attinet, nullus hactenus repertus fuit, qui veram Mechanicam Philoſophiam in juſtum & accuratum ordinem atque formam redegiſſet. In generalioribus quidem excellens fuit CARTESIUS, item DU HAMEL, LE GRAND, ROHAULTIUS. In ſpecialiori vero Phyſica nemo hactenus omnem abſolvit numerum, poſſumus tamen ex clariſſimis ſcriptoribus collectim ſumtis egregiam haurire ſcientiam. Inter quos principem ſibi vendicant locum BOYLEUS, deinde STURMIUS, Acta Anglicana, Ephemerides, ex quibus omnia optima colligenda, erronea corrigenda ſunt.

REGULA VI.

Medicus ſit eruditus. Id eſt ab omni ruditate liber, hoc impetrat, ſi addiſcit linguas, ex quibus Latina cardinalis dicitur. Scriptores Medici qui in hac Lingua excelluerunt ex veteribus ſunt CELSUS tanquam alter Cicero. In Phyſicis JUL. CÆS. SCALIGER atque PLINIUS. Ex recentioribus VERULAMIUS, ex recentiſſimis PECHLINUS. Poſt hanc ſumme neceſſaria eſt Medico lingua Gallica, quæ his temporibus fere ubique viget. Deinde Anglica atque Italica, utpote in quibus multi libri eduntur eruditiſſimi. Intelligat ad minimum has linguas, ſi non loquatur Medicus. Tandem quoque Græcam eruditus calleat Medicus, ad ornamentum. De cætero vero hac lingua carere poſſumus, quia ſcriptores Græci jam dudum latinitate donati ſunt. In hactenus enarratis linguis nulla quidem conſiſtit eruditio, ſi ſcilicet in ſe conſiderentur, conſtituunt tamen medium, ad aliorum eruditionem nos perducens. Non enim ſemper acquieſcendum eſt in unius cujuſdam autoris ſcripto, ſed varii ſunt conſulendi, quibus diligenter collatis, occaſionem habebimus inſtituendi meditationes de rebus ſenſibus noſtris quotidie non obviis, quæ his neglectis in intellectum non veniſſent. Porro ad veram eruditionem requiritur rectæ rationis uſus, ſive ars ratione recte utendi, quod habemus ex logica. Ut ſcilicet intelligamus omnia egregie proponere, accurate connectere, atque clariſſime demonſtrare. Qui hujus artis vim ſcire amat, non adeat Logicam vulgarem ſed Matheſin, & in ea ſe exerceat, quæ etiam Logiſtica dicitur. Hanc non negligenter tractet, eſt enim Matheſis mater omnium ſcientiarum, qua neglecta omnis ad filiam denegatur aditus, eſtque princeps omnium diſciplinarum. Qui itaque felicem ſibi in his promittit progreſſum, is Arithmeticæ & Algebræ imprimis notitiam ſibi acquirat, quo judicioſus redditur & capax verum à falſo non difficulter diſcernendi. Qui paucis iis veris principiis inſtructus eſt, non opus habet multorum Logicorum ſcriptis. Evolvat CARTESIUM, MALLEBRANCHE, CLERICI Logicam, Metaphyſicam & Pneumaticam, in quibus omnia, quæ ad Logicam veram neceſſaria & Medico utilia, ſufficienter inveniet. Egregiam etiam adfert Medico augmentum & ornamentum, quando Politica inſtructus in conſuetudine cum Politicis non plane rudis reperitur, quod in parentheſi dictum volo. Porro Medicus ſeſe exerceat in Geometria, Statica, Mechanica, Hydraulica & Optica, iiſque utatur in rationibus Phyſicis recte explicandis, quibus maximum afferre ſolent lumen. Cavendum vero ſedulo, ne in quibuſdam minutiis ſcientiam noſtram oſtendamus, quod animum magis otioſum quam judicioſum indicat. Abſoluta ſic Phyſica generali, in ſpecie ad corpus humanum tanquam ſubjectum Medicinæ ſe conferat Medicus, ubi Anatome primum ſibi vindicat locum, quæ duplex eſt: hominum & brutorum. Hæc quidem proprie ad Phyſicam pertinet, in ea tamen non imperitus eſſe debet Medicus, quia non ultima laus eſt, ſi erudite de differentia, in quorundam animalium partibus nonnunquam occurrente, diſſerere poteſt. Commendantur hac in parte BLASIUS, Acta Haffnienſia, Acta Naturæ curioſorum. Imprimis vero Anatomia hominis à Medico requiritur. Optandum hic eſſet, ut diligentius ſtudium hoc utiliſſimum in Academiis tractaretur, ut obſervavimus in WILLISIO, BARTHOLINO aliiſque. In omni Anatomia tria obſervanda veniunt: 1) Structura vaſorum & viſcerum, 2) Oſteologia, 3) Myologia, hæc duo poſteriora ad Chirurgum ut plurimum referuntur, neceſſe tamen erit, ut Medicus exquiſitam & oſſium & Muſculorum habeat cognitionem imprimis in judicio de vulnerum lethalitate ferendo, ubi multorum Medicorum fama atque fortuna periclitatur, item in adſiſtendis operationibus Chirurgicis, ubi ſi Medici atque Chirurgi inſcitia pari paſſu ambulant, miſerrime de ægri luditur corio. Si vero Chirurgus in ſcientia ſua Anatomica Medicum ſuperat, non immerito Medicus irridetur. Ad Myologiam addiſcendam non incongruum eſt conſervatio corporum per balſamationem, quia ſubjecta quotidie non occurrunt. Oſteologia vero optime addiſcitur ex veteribus, ubi præ omnibus commendatur VESALIUS, ut & in Myologia, poſt hunc RIOLANUS, VESLINGIUS aliique. Ex neotericis non inutile judicatur BLANCARDI Anatomia nova. DIONISIUS poterit inſervire, quando diſcurſus Anatomicus eſt inſtituendus. LOWERUS Anatomiam ſuam applicavit ad Mechanicam, DIEMERBROECK pro & contra rationes adfert, & commendatur diſputantibus. BIDLOO quoad figuras judicatur optimus. Fundata ſic Anatomia, in ſpecie intelligat uſum explicare partium, itaque addiſcat Phyſiologiam. Multi quidem Anatomici Phyſiologiam ſimul exhibent, ſed incompletam. Excellunt recentiores in obſervationibus & explicationibus, præ omnibus commendatur BOHNII Circulus

Anatomicus, qui omnia fere Mechanice explicavit. His abſolutis, calleat Medicus Materiam Medicam, ad praxin ſumme neceſſariam, ubi medicamentorum facultates imprimis Chemice explicandæ ſunt. Ex libris eandem addiſcere velle eſt difficillimum, quoniam nemo hactenus accuratiſſime omnia examinavit, quotque ſunt auctores, tot etiam reperiuntur ſententiæ. Prius itaque cum Phyſica Chemia addiſcenda eſt, antequam perveniamus ad Pharmaceuticos. Jam ad praxin ſe applicaturus ante omnia inſtructus eſſe debet Semeiotica atque Pathologia, ex ſignis enim cauſas ſcrutari poſſumus, ex cauſis vero remedia. Primo itaque Pathologia generalis tractanda eſt. Optandum autem foret, ut majorem diligentiam hac in re adhibuiſſent, qui ante nos vixerunt, atque ex fundamento eam tractaſſent. Si enim excipiamus SENNERTUM, & in prognoſi HIPPOCRATEM, nemo ſane reperitur, qui noſtræ intentioni ſatisfacit. Poſt obſervatores ex antiquis evolvendi ſunt neoterici; SYDENHAMUS, SYLVIUS, ETTMULLERUS, ex Chirurgicis HILDANUS. In horum autorum perlectione non tam attendenda ſunt eorum principia, quam cautelæ & obſervationes. Sic acquiritur Praxeos generalis ſcientia, quæ neminem reddit practicum, niſi porro adplicetur ad praxin clinicam.

REGULA VII.

Medicus diſcat praxin Clinicam & individualem. Obſervandus eſt morbus, ægrotus, attendenda ſunt ſigna, indies adnotandæ ſunt variationes ſpeciales. Ante omnia vero Medicus ad praxin ſe applicaturus noſcat conditionem loci, victus rationem naturamque aquarum & individuorum. Circa loci conditionem probe conſiderandus eſt ſitus, qualis ſit climatis conditio, an aër temperatus, an frigidus, quæ anni tempora? ut plurimum enim morbi epidemici ab aëris conditione dependent, verbi gratia: ſi præceſſerit æſtas calidior, ſubſequente autumno dyſenteriis laborant ægri. Circa locum etiam notentur morbi epidemici, e. g. Weſtphalia rariſſime morbis acutis & febribus ardentibus infeſtatur, ſæpius vero febribus quartanis, peripneumonia, pleuritide. In Hungaria atque Polonia iſtis morbis nihil ſolemnius eſt atque frequentius. Loca frigidioris climatis inclinant ad paralyſin, quæ omnia in praxi probe attendenda ſunt. Circa diætam ſciendum, quod ubivis terrarum diverſa ſit victus ratio, alii enim adſueti ſunt durioribus, alii mollioribus, pulmentis, lacticiniis. Durior cibus præſupponit ventriculum robuſtum, requiritur itaque in ejuſmodi ſubjectis doſis medicamentorum auctior, qui mollioribus adſueti ob debilitatem ventriculi, majorem doſin jubent. Circa aquarum naturam notandum, an ſalinæ magis an vitriolicæ, an abundent particulis terreſtribus? an faciles ſint ad coquendos cibos? Quæ omnia accuratiſſime adnotanda ſunt & examinanda, quia multum ad ſanguinis temperiem aquæ conditio conferre ſolet. Qui hæc omnia conſiderat, videbit, effatum GALENI veriſſimum manere; *multa eſſe in praxi, quæ nec dici nec ſcribi poſſunt.* Sciendum ſaltim, quod ab HIPPOCRATIS temporibus hocce ſtudium de exploratione climatum penitus neglectum fuerit, cum tamen dimidia ferme praxis ab eo dependeat. Egregium de locis aquis & aëre caput viſitur in ſcriptis ejus, quod praxeos cultoribus indefeſſis ſummo ſtudio commendo. Poſt HIPPOCRATEM in omnibus practicis ſcriptis nihil fere reperitur. Porro, ad praxin clinicam pertinet cognitio individuorum, ut ſcilicet exploremus, qualia medicamenta in hoc vel illo melius operentur, atque an alias hoc morbo, quo jam laborat, fuerit correptus & qua ratione invaſerit, quaque iterum deſeruerit ægrum? an Venæſectioni fuerit adſuetus, ad ſudorem proclivis? quo gaudeat temperamento? quæ omnia ſi non ab ægroto, tamen à familiaribus ipſis facillime percipi poſſunt. Ad ejuſmodi cognitionem acquirendam conſuetudo cum Medico erudito maximum poterit adferre ſymbolum, vel ſi hoc non conceſſum ſit, adeat collegia caſualia non fictitiis caſibus adornata, ſed ex vera experientia deſumta. Porro ſedulo legendæ ſunt obſervationes veterum practicorum. Poſtea propriæ obſervationes, præſertim circa praxeos initium, conſcribantur, ubi notanda eſt ægrotorum conſtitutio, morbus, medicamenta, eorum effectus. Sæpius præſertim ægrotus viſitandus inter propinandum medicamentum, obſervandus pulſus præſertim in diebus criticis. Non inconſultum porro erit Medico, ſi circa primos praxeos annos ipſe diſpenſet medicamenta, vel ad minimum probe calleat artem pharmaceuticam, ubi non ſolum ſimplicia noſcat, ſed & illorum præparationes & compoſitiones, ne famam amittat apud Pharmacopœum, neque impingat in præſcribendis formulis, ſi ſcilicet præcribat illa, quæ in compoſito adhibito jam extant. Sic quoque in viſitandis Pharmacopoliis plurimum juvabit noſſe ſimplicia & rerum compoſitiones, quod facile acquiritur ſi hypocauſtum conducat Medicinæ ſtudioſus apud pharmacopolam celebrem, ubi præparationibus Pharmaceuticis quotidie intereſſe licebit. Deinde volvendi autores qui Pharmacopœas ſcripſere, præſertim quæ non à Pharmacopœis, ſed toto collegio Medico elaborata ſunt. His peractis ſæpe quoque evolvendus catalogus officinarum, ſeu taxa medicamentorum, & ſucceſſive perlegendus, ut acquiramus pretii notitiam, ſæpius enim ab ægrotis & imprimis pauperibus quæritur de pretio formularum, quem ſi determinare nequeat Medicus, non leve opprobrium ipſi judicatur. Nec prætereundi libri Chemici; commendamus itaque Ill. BOERHAAVE Chemiam, dein LEMERI curſum Chemicum, GLASERUM, SCHROEDERUM, Pharmacopœam Auguſtanam. Ex veteribus AGRICOLÆ commentarium in POPPIUM. Tandem circa medicamentorum diſpenſationem tenendum, quod propria remedia vix approbentur, vix enim medicamentorum pretium ab ægrotis accipimus, quin ſimul etiam autoritatem amittamus. Accedit & hoc ſi ab improviſo moriantur, melius eſt, conſcriptas & aſſervatas in Pharmacopoliis habere formulas, ut, ſi forte nonnulli medicamentis præſcriptis cauſam mortis adſcribere velint, formulæ examinari queant, ſicque Medicus abſolvatur, & culpa potius redundet in Pharmacopœum. Non omnibus tamen medicamentis deſtitutus ſit Medicus, ut pauperibus nempe inſervire poſſit, & quando tali loco praxin exercet, ubi nullum pharmacopolium extat, tunc neceſſario propria medicamentorum diſpenſatio admittitur.

REGULA VIII.

Medicus noſſe debet Chirurgiam. Sæpius interſit operationibus Chirurgicis eaſque probe obſervet, nec ſpernat Chirurgorum conſuetudinem, imprimis peritorum, quæ maxime in peregrinationibus commendatur. Hollandia vero optimam occaſionem exhibet hanc artem exactiſſime exercendi; reperiuntur enim ibi Chirurgi peritiſſimi, cum quibus converſare neminem pœnitebit. Ex autoribus commendantur HILDANUS, VIGANUS, SCULTETI armamentarium. Ex recentioribus BARBETTE, HEISTERUS, GARENGEOT. Porro etiam ſibi comparare debet inſtrumenta Chirurgica, ſi non omnia, tamen neceſſaria, v. g. Trepanum, ut in ſtatu neceſſitatis Chirurgis adeſſe poſſit non ſolum conſilio, ſed & optatiſſimo auxilio. Hæc omnia, de quibus in præcedentibus egimus exactiſſime ſcire oportet Medicum, quare non immerito Medicina

dicina noſtra omnium artium cenſetur difficillima. Hoc tamen non deterreat ejus amatores, habemus enim certa adminicula, quibus hoc ſtudium jucundiſſimum reddere illudque facilitare poſſumus.

CAPUT II.

De Adminiculis in Studio Medico.

ADMINICULUM I.

S*Int libri ſelectiores, quos ſibi comparare debet Medicus.* Multis enim libris ſe obruere non eſt conſultum, omnibus itaque veteribus, HIPPOCRATEM, CELSUM & GALENUM excipiam, carere facile poſſumus. Ex recentioribus quoque pauci ſufficiunt. Suadetur eum in finem conſuetudinem inire cum bibliopolis, ut perlegendos nobis communicent libros recens editos, interdum enim pauca in iis reperiuntur utilia, quæ breviſſimis poſſumus excerpere, ſi vero nonnulli deprehenduntur utiliores, illos nobis comparare par eſt.

ADMINICULUM II.

Sint diaria experimentalia, Chemica & practica. Diario experimentali inſerantur quæ obſervat, dum novas mixtiones tentat, quæ phœnomena, quæ mutationes accidant. Præſertim circa aërem ejuſque mutationes quotidie ſit occupatus, indagando tempeſtates cœlique temperiem & conſequentia ex ipſis conſiderando. Sic tandem expertus ratione prognoſeos multa certo poterit adſerere, quæ alii in dubio ſuſpenſum relinquunt. Inſcribat porro in ſuum diarium varia experimenta Chemica, obſervationeſque circa proceſſus rariores, nec tædeat carbonibus maculare manus, quia teneræ manus tenerum quoque indicant Chemicum, id eſt, Chemiæ parumper peritum. Diarium practicum habeat, obſervationes enim in hoc vel illo morbo quotidie adnotare non detrectet, præſertim in primis praxeos annis, ſic brevi tempore ſibi comparabit egregium theſaurum, quem variis in caſibus experientia confiſus poterit conſulere.

ADMINICULUM III.

Sint loci communes, quos VERULAMIUS magni commodi vocat, adjuvant enim memoriam aciemque judicii exercent. De his philiater ſit ſollicitus, ex multis optima excerpat, & locis communibus inſerere poteſt quæ in opponendo & reſpondendo variiſque occaſionibus iterum adhiberi poſſunt.

ADMINICULUM IV.

Sit liber peculiaris cui inſcribat conſilia Medica judiciaque de vulnerum lethalitate varia, quæ vel ipſe tradidit, vel ab aliis accepit, quibus ſuo tempore commodiſſime rurſus uti, ſolidamque eruditionem demonſtrare poterit, quando ſimiles occurrant caſus, de quibus conſilium vel judicium ferendum ſit.

ADMINICULUM V.

Tempori atque ordini ſtudia ſua accommodet Medicus. Multum refert, ut ſtudia ſua rite inſtituere beneque tractare ſciat. Hic non ſolum reſpiciendum eſt ad anni tempora, verum etiam ad unumquemque diem; nam diſcat tempori cedere, cum aliud tempus meditationibus magis ſit accommodatum, aliud admemorationibus. Vernum tempus aëre temperato vegetabilibus æque ac animalibus & meditationibus vigentibus aptiſſimum. Si mediteris, mens ſit tranquilla, copiaque ſpirituum non pauca, hinc optime facit, qui ſcriptis eruditionem ſuam demonſtraturus hoc eligat tempus. Huic reſpondet aurora, corpora reficiens & alacriora reddens. Æſtivum tempus aptiſſimum eſt ad exercendam rem botanicam, utpote floribus fertiliſſimum, diſſipati enim tunc ſpiritus calore, meditationibus non ſufficiunt. Porro hoc tempus ob dierum longitudinem ad peregrinationem, conſuetudinem cum viris eruditis aptum eſt, item in praxi ad viſendos ægros. Tempus autumnale impendatur ſtudiorum repetitioni & ordinationi eorundem, quæ verno tempore, vel æſtatis aurora meditata ſunt. Veſperi evolvantur libri practici aliique, & quidquid memoriæ demandandum eſt, illud fiat ante noctem, felicius enim tunc tenetur; id quoque hyeme obſervandum, quo res memoriæ tractentur & quotidie legantur. Ante omnia vero in hieme experimenta Chemica ſunt inſtituenda, tunc æſtum facilius tolerare poſſumus & hypocauſta calida multis rebus inquirendis anſam præbent. Hoc quoque tempore Medicus medicamenta parare poterit, quæ proprie diſpenſabit. Tandem quoque exercitio anatomico, quantum fieri poterit, incumbendum, quod tamen autumnali commodius peragitur tempore. Sic erit omnium feliciſſimus, qui juſto ordine omnia adgreditur, & unius anni ſpatio plus perficiet, quam alii, qui neglecto ordine tribus vel quatuor annis talia vix efficiunt.

CAPUT III.

De virtutibus peculiaribus ad famam conſervandam ſumme neceſſariis.

REGULA I.

M*Edicus ſit humilis, non ſuperbus.* Cum quibus inſtituit colloquium, decenter ſe inſinuet, in gratiam nobiliorum æque ac ignobiliorum, neque in veſtitu ſit nimium luxurioſus.

REGULA II.

Medicus ſit taciturnus. Multis quandoque affligitur imbecillitatibus corpus humanum, hæmorrhoidibus, herniis, podagra, gonorrhœa, quæ omnia, uti etiam fonticulos, nemo patientum divulgari gaudet; memores imprimis verborum VERULAMII: Homines aut delectare bono proprio aut malo alieno.

REGULA III.

Medicus non ſit negligens ſui officii, ſed diligens. Hæc præſertim obſervet, quando copia ægrorum auxilium ſuum poſtulant, nec ullum negligat, nec divitibus magis quam egenis ſuccurrat. Si non omnibus adeſſe poteſt, præſertim in locis, ubi ingens hominum & conſequenter ægrorum deprehenditur numerus, non promittat ſuum auxilium, & aperte dicat, ſe non poſſe omnibus proſpicere, alium vero in tempore adeant eumque conſulant, ſic nullam conſcientiæ inuret maculam. Quando in morbis præſertim acutis æger ſæpius viſitandus, & medicamenta, victus & potus ratio ordinanda, providendum, ne nocte deſtituti ſint medicamentis, multum enim in recta continuatione poſitum eſt. Caveat autem, ne ſuperfluus ſit in præſcribendo. Itidem moneo, ut in viſitando ſit moderatior, ne imprimat ægrotis viſitandi conſuetudinem, niſi neceſſitas urgeat. In morbis acutis ter, quater vel quinquies viſendus eſt quovis die ægrotus, ejuſque ſtatus cognoſcendus, nec ſtatim iterum recedendum, ſed per horam & ultra commorandum eſt, ut eo melius mutationibus, quæ ſæpe multiplices

tiplices in hora occurrere ſolent, obvenire poſſit. In febribus intermittentibus ſufficit unica de die viſitatio, vel etiam alternis diebus accedat, accedat vero præcipue circa horam paroxyſmi, ut accurate cognoſcat mutationes. In morbis chronicis duo vel ad ſummum tres per ſeptimanam viſitationes ſufficiunt. Nunquam tamen præſcribendo deficiat Medicus, licet interdum viſitando tardus ſit, nec omnibus ex nutu ſatisfacere poſſit. Nam Medici vita præſertim practica non immerito omnium miſerrima dicitur, quoniam ſervus ſervorum eſt, & nunquam commoditati ſtudere poteſt, ſed omne fere tempus conſumere debet inſerviendo aliis, ſe ipſum conſumendo; inde ſenex Medicus rariſſima avis in terra, & utplurimum Medici morbis malignis à contagio contractis corripiuntur, quare incidenter moneo, ne egrediatur jejunus ad ægros, ſed adſumat prius juſculum vel ſaltem myrrham aut corticem citri aut radicem zedoariæ maſticet, ſic halitus ægrotum non adeo eum poterunt inficere. Qui conſiderat periculum, cui Medicus viſitando ægros ſubjectus eſt, videbit, eum maximum eſſe generis humani beneficium, ſummeque gratiſſimum; propriam enim vitam non curat, ſed ſtudet conſervare vitam alienam. Quibus vero periculis & difficultatibus quam plurimis quanquam ſtipatum ſit ſtudium noſtrum, tamen non deterremur, ſed ab altera parte magna Medici æſtimatio multum incitamenti addit illud amplectentibus.

REGULA IV.

Medicus omnibus virtutibus ex Philoſophia morali deſumtis operam navare debet. Sit itaque miſericors, modeſtus, humanus, fugiat ceu peſtem vitam diſſolutam, verba obſcœna, ebrietatem omnemque ludum illicitum, alias omnem ægrotorum amittit fiduciam. Sique medicamentum effectum non præſtat deſideratum, ſed mali pertinacia potius augetur, certo certius ejuſmodi Medico error quidam adſcribitur, licet omnia ſecundum ſcientiam adornaverit. Porro non ſit jactator inanis, ut empiricorum more multa promittat & pauca efficiat. Non contemnat alios, neque medicamenta ſua ſpecifica extollat, quia juxta tritum illud proverbium, *propria laus ſordet*, melius eſt, quando ab aliis laudes promeritas expectet. Hæc & multa alia diligentiſſime obſervanda ſunt à Medico.

CAPUT IV.

De Peregrinatione Medici.

STudio Medico maximam partem abſoluto, neceſſe eſt, ut inſtituatur peregrinatio, priuſquam id faciat, adſumat gradum Doctoris, gradualis aditus facilius apud omnes admittitur, quam ſtudioſorum. Deinde eruditorum gratiam ſibi conciliet Medicus. Dixi abſolutis ſtudiis Academicis peregrinationem eſſe inſtituendam, nec incongrue; tunc enim ſolidiore eruditione firmoque judicio pollet, adeo ut cum eruditis erudite diſſerere non erubeſcat, quod ſane in juventutis annis non ſperandum. Porro eruditorum imprimis Anglorum conſuetudo talis eſt, ut non facile arcana ſua communicent, niſi prius proceſſum curioſum, obſervationem rariorem, aut ſimilia à peregrinantibus acceperint, non immemores proverbii, quod manus manum lavare debeat. Qui vero ante maturitatis annos peregrinatur, ille fruſtra & tempus & ſumtus impendit; eruditi enim, quos adit, multis rebus ſunt occupati, ut non impendant tempus ſuccurrendi ipſius ſtudiis, & ſi hoc non eſſet, notum eſt, quod ſtudioſus juvenis variis rebus inutilibus præſertim antea non viſis delectetur, ita ut facili negotio animum diſtrahi patiatur aliis rebus, quibus majori diligentia incumbere debebat. Itaque ad firmandam ſaltem eruditionem, quam Philiater jam adeptus eſt, exoticas regiones luſtret, ubi ætas jam maturior, ratio vivendi magis ordinata, judicium firmum exiſtit. Peregrinas Academias ſalutaturus Medicus, ante omnia petat Hollandiam, primum propter perfectiſſimum Botanices exercitium, quale noſtris regionibus propter exoticorum defectum non conceſſum, deinde propter Chirurgiam & praxin firmius ſtabiliendam. Italiam viſitet propter Botanicam & Chirurgiam; Galliam propter Chirurgiam & Philoſophiam; Angliam tam propter praxin, quam propter Mechanicum & Phyſicum ſtudium: Societas enim Regia alit ſemper viros præſtantiſſimos. In Germania vero noſtra Chemia & Praxis non minus floret, quam in aliis terris. Hollandiam atque Angliam viſitet per vernum tempus uſque ad autumnum, Italiam per hyemem.

CAPUT V.

De Promotione Medici.

CIrca promotionem ſuadeo, ut Medicus non adeo maturet, uti plerumque fieri ſolet, ſed tamdiu vitam Academicam colat, quamdiu vires permittunt; &, ſi fieri poteſt, ante annum ſextum Academiam non deſerat: expertus loquor. Quidquid ante promotionem diſcimus, hoc habemus, poſt illam pulcherrima quoque ingenia, accepto perfectionis teſtimonio, ut plurimum deſidiæ dedita ſunt, vel gulæ vel ventri indulgent, impetrato minoris oppidi Phyſicatu praxin exercent, theoriam deſerunt, deſtituti imprimis fideliſſimorum præceptorum manuductione. Alia eſt ratio in illis, qui citius ſumptibus deſtituuntur, quam animus diſcendi cupidine, his indulgendum eſt, quia non aliam emergendi viam proſpiciunt, conſulentes fortunæ ſuæ ditiore matrimonio. Hæc vero probe notet Practicus incipiens, ne ſtatim poſt vitam Academicam ſedem fixam capiat in civitate celebriori vel etiam in patria; exerceat potius per aliquot annos praxin ſuam in loco obſcuriore; ea vero æſtimatio, quam ab initio ſibi acquirit, ſervanda; vel inſerviat Practico erudito viſitando ægros: ſic medicamentorum applicationem accuratius poterit cognoſcere, ſibique practicum theſaurum in alieno quaſi fonte comparare, nec ſine lucro, præſertim ſi humanitatem & modeſtiam ſuam oſtendat. Tandem monere volui, poſt promotionem ſtatim matrimonialibus ſe ne implicet, niſi ſumma fortuna & alia emergendi occaſio ſe offerat. Nam mulier & cum illa res domeſticæ dimidium temporis ſtudiis impendendi ſubripiunt. Hæc ſunt, quæ circa Medici perſonam in prima parte monere volui. Feliciſſimus ille, qui omnia obſervare poterit!

PARS II.

PARS SECUNDA.

De Medici officio circa Perſonas Externas.

CAPUT PRIMUM.

De Medici officio circa Pharmacopœum.

REGULA I.

P*Ræſcribat formulas eleganter Medicus*, quod ſi neſcit, obſcuriſſimam ſervabit famam; Medicum enim ex præſcripto æſtimat Pharmacopœus. Propterea non impingendum contra genuinam formulas præſcribendi methodum, nec præſcribantur talia, quæ nulla mixtione & agitatione combinari poſſint, ne medicamentum aliam acquirat faciem quam determinavit Medicus.

REGULA II.

Exiſtimatio Medici dependet à medicamentorum præparatione. Hæc regula præcipit, ut medicamenta quæ ipſe diſpenſat, rite & non ſordide præparet, partim etiam Pharmacopœo poſtulanti elegantem communicet præſcriptionem.

REGULA III.

Medicus, non quod opus, ſed quod neceſſe eſt, præſcribat. Contra hanc regulam plurimi peccare ſolent Medici, glorioſam ſibi promittentes ex formularum multitudine deprædicationem. Pharmacopœo talis quidem conſuetudo non ingrata eſt; indicat tamen, quod Medici ſcientia non adeo ſit firma. Contra vero laudem ſibi conciliat apud omnes, ſi paucis medicamentis morbi atrocitatem tollat, atque in hoc eruditionis ſuæ perfectionem oſtendat. Verum quidem eſt, quod multa interdum utilia eſſe poſſint & forſan caſu, ſed non ſunt neceſſaria, ideoque potius omittuntur; nam medicamentorum multitudine obruitur & confunditur natura, ut non agat, quod debebat, cum tamen naturæ maxima pars convaleſcentiæ adſcribenda ſit.

REGULA IV.

Quæ in Pharmacopoliis proſtant noſcat Medicus, ſive ſint ſimplicia ſive compoſita & medicamentorum taxam. Ante omnia inquirat in medicamentorum præparationem, an ſpiritus abundent phlegmate an minus, an ſint recentiora olea an rancorem contraxerint, an aquæ deſtillatæ aceſcentiam acquiſiverint. Hæc & alia bene noſcat ut de bonitate remediorum, quæ præſcripturus eſt, certus ſit. Medicamentorum doſis non poteſt eſſe ſemper eadem, ſic compoſitionis & præparationis magna eſt diverſitas, interdum aliquot guttulæ unius medicamenti plus habent efficaciæ, quam alius. Hoc ſi non obſervet Medicus, magnos errores poteſt committere, præſertim in emeticis & opiatis, cum quibus cautiſſime mercari debet, ſemper examinet ejuſmodi medicamenta & eorum compoſitiones exploret, antequam præſcribat. Quot enim Pharmacopœi, tot fere variationes opiatorum, verbi gratia Mindæ laudanum opiatum vocatur Eſſentia anodyna; Medicus cui hoc ignotum eſt præſcribit Eſſentiam anodynam ad guttas decem, laudanum vero opiatum ad grana tria. Valde igitur impingere poterit in hujus præſcriptione.

REGULA V.

Magis Medicus debet ſcribere quam dicere. Hæc regula in ordinandis Medicamentis obſervanda eſt, ne committatur error, neque Pharmacopœus cum Medico ſimul incurrat periculum. Hic Halæ accidit quondam triſtis caſus, dum virgo quædam Paſtoris M. Merckii febre maligna petechiali laboraret, Medicus tum temporis Phyſicus ordinarius ad mitigandum æſtum propinavit Nitrum Antimoniatum optimo cum ſucceſſu, ita ut non dubitaretur de ejus convaleſcentia; altero die accedens Medicus invenit ægram bene conſtitutam & non niſi de æſtu querelas ferentem, diſcedens petit Pharmacopolium, jubetque famulum Nitri Antimoniati ſemidragmam ægrotanti virgini tranſmittere Abſente Medico, famulus Pharmacopolii tranſmittit vitrum Antimonii, virgo adſumto hoc medicamento, dixit: nunc mihi propinaviſtis mortem, ſtatim enim atrociſſima ſupervenere ſymptomata, vomitus enormis & dolores intolerabiles, & obiit poſt horam ſextam. Hæc & ſimilia ex Medici negligentia fieri ſolent quotidie; caveat igitur, ne verbis tantum modo exprimat, ſed ſemper præſcribat, quæ ordinare velit.

REGULA VI.

Reformatio Pharmacopœorum & moderatio taxæ ſumme neceſſaria eſt. Tanta eſt in officinis medicamentorum copia, ut dimidio eorum citra damnum carere poſſemus, præſertim ſi inſpiciamus congeſta à ſumma veterum ignorantia, quippe hæſitantes circa ſimplicium effectum, combinarunt cuncta obvia interdum ineptiſſima. Exemplo ſit compoſitio Theriacæ, quæ componitur ex quinquaginta ingredientibus, cum tamen viginti, cæteris omnibus ſuperfluis, ſufficerent. Sed tamen ſi conſideremus effectum, nemo negabit, ſimplex quoddam oleum vel lac majore virtute alexipharmaca gaudere quam ipſam Theriacam, quæ nil aliud eſt, quam opium corectum, quod omnem vim alexipharmacam amiſit, deſtructum ex compoſitione ſimplicium, neque doloribus ſedandis ſudorique excitando ſatisfaceret, niſi mitigaretur acido quodam vehiculo, quoniam per ſe ſumptum, nimis foret calidum. Porro ex maſſis pilularum non parva ineptiarum copia ſeſe offert. Optandum autem erat, ut ejuſmodi medicamenta ſimul ex officinis ejicerentur, ſic in taxa quoque quædam moderatio foret ſperanda. Incomparabile ſane lucrum quærunt Pharmacopœi, ita ut quædam medicamenta pro uno thalero parabilia pro tinginta, quadraginta & ultra vendant, verbi gratia: Simplicia, quæ in vulgus extant, non magni veneunt, quæ vero ſoli habent, ſextuplo magis conſtare debent, quod adhuc concedendum eſſet, ſi modo in Chemicis immodicum quæſtum non quærerent. Dicunt quidem, ſe maximis impenſis opus habere quovis anno in comparandis medicamentis, quæ per decennium à nemine expetuntur. Sed reſpondemus, abſque damno ejici poſſe cum veterum ineptiis, quæcunque in biennio non præſcribuntur. Deinde non credendum eſt, quod quo-

vis anno compoſitiones aliquot conficiant, ſed maxima pars à proavis hæreditate tradita eſt. Refugiunt porro, quando de moderatione ſermo eſt, ad taxas à magiſtratu approbatas; ſed ſciant, quod veteribus Chemia valde incognita fuerit, qui pro arcanis multa venditata magnis ſumptibus propinarunt. Jam vero, Chemia magis exculta, compendioſo & parvo pretio ejuſmodi arcana omnia præparare ſcimus. Sed nihil efficit Medicus cum ipſo Pharmacopola, niſi magiſtratus vel Princeps ſuccurrat, quod tamen non ſperandum; dona enim cœcos reddunt ſapientes, cauſamque juſtam invertunt. De cætero legi meretur Ludovici integer libellus de moderatione taxæ, quem conſcriptum Pharmacopœo ſuo adnectit.

Regula VII.

Ex præſcriptis ſibi ſoſtrum ex Pharmacopola quærere odioſum & damnoſum eſt. Multi Medici in hoc peccant, quod pactum cum Pharmacopœo ineant, & promittant ſe omnes formulas pro duobus groſſis in Pharmacopolium ſemper præſcripturos, eventu tamen minus felici. Primo enim libertatem ſuam pro pecunia vendit talis Medicus, fitque Pharmacopœi quaſi ſervus, unde ab eo Medicus parvi æſtimatur, putat enim, Medicum ſua gratia deſtitutum non poſſe ſubſiſtere, deinde leviſſima de cauſa offenditur Pharmacopœus, nec veretur poſtea hoc pactum in Medici culpam divulgare, ejuſque avaritiam ægrotis patefacere. Quare conſultum duco, abhorrere à tali conſuetudine.

Regula VIII.

Nimia familiaritas parit contemptum. Quare opprobrio eſt Medico, ſi cum Pharmacopœo fraternitatem contrahat, vel ludere cum ipſo non detrectet; ſic enim faſtus iſtorum augetur, quoniam ſuperiorem ſibi ſimilem reddidere, ſique divitiis abundant, Medicum pauperiorem non ſolum flocci pendere ſed etiam penitus ſupprimere ſtudent.

Regula IX.

Pharmacopolii pyxides ſæpius perluſtrandæ ſunt. Sæpe tituli varia remedia habent, pyxides venena. Sæpe videmus in viſitationibus pharmacopoliorum præſertim inopinatis, quod in pyxide inaurata & ſpecioſo titulo adornata nil niſi tela aranearum ſimiliaque magis nociva quam utilia reperiantur. Ipſorum ſuperbia cum avaritia conjuncta excogitavit talia ſtratagemata, quibus imperitioribus perſuadent, quantos adhibeant ſumtus in componenda præſtantiſſimorum remediorum multitudine, cum tamen pyxides, præſertim in loco elevatiori repoſitæ, ut plurimum inanes ſint, ſi ſedulo inſpiciantur.

Regula X.

Viſitatio medicamentorum curioſa fiat, imprimis Chemicorum & ſimplicium. Summe neceſſarium hoc eſt; nonnullis in urbibus quidem annue ſuſcipitur, in pleriſque vero plerumque intermittitur; ubi vero ex conſuetudine peragitur, munere viſitatores adſtrictos reddunt Pharmacopœi, ut nihil laudabile efficiatur. Inſpicienda imprimis ſimplicia ſunt, an bona nec ne? tum in Chemicorum præparationem inquiratur, & ratione totius proceſſus examinetur. Compoſita denique reſpiciantur, an recentiora ſint, nec ne? Reliqua compoſita imprimis veterum, quæ non æque adhibentur, inſpectione non indigent. In genere vero circa viſitationem teneatur, quod & ſimplicium & compoſitorum maxima pars ſit ſupervacanea. Sic Eleoſaccharorum promptuaria nullius fere ſunt utilitatis, poſſunt enim ex tempore parari. Balſama plurima exulent, extracta omnia, exceptis iis quæ gaudent ſale fixo, reſinoſo vel amaritudine aliqua aut adſtringente virtute. Multis ſyrupis carere poſſumus. Spiritus ex floribus virtutem anodynam habentes inutiles ſunt. Quæ ſale volatili gaudent, pulveriſata ſervare, prorſus eſt inutile; exemplo ſit Rhabarbarum, quod ſi aëri liberiori integrum exponatur, ſuperficies poſt paucos dies redditur inutilis, adeo ut color rubicundus abeat in flavum, ſaporque pereat. Si hoc in integra radice accidit, quid fiet in pulveribus, ubi virtus in tot particulas diviſa corruptioni reſiſtere nequit? Acida non niſi pauca aſſervanda ſunt, conſervæ plurimæ, exceptis florum anthos, cochleariæ, roſarum rubrarum, tuſſilaginis, violarum, citri cum paucis aliis rejiciendæ ſunt; ut & compoſitiones pilularum trochiſcatarum. Eſſentiæ pauciſſimæ aſſervandæ, magiſteria fere omnia, fæculæ, unguenta plurima, inutilia, frivola, non in parva quantitate occurrentia, rejicienda. Hac ratione inſtituta viſitatio docebit, Pharmacopœos innumeris ſuperſedere poſſe ſumptibus, ad quos provocare ſolent, quando de taxæ moderatione ſermo eſt.

Regula XI.

Medicus ſit peritus taxæ, præſertim ejus loci, ubi degit. Neceſſario requiritur hæc notitia, primo ad expiſcandam Pharmacopœorum avaritiam, qui neglecto etiam juramento, ultra præſcriptam taxam urgent medicamentorum pretium: ſecundo reſpectu ægrorum, ut pauperibus non præſcribat cariora, divitibuſque viliora: tandem ut determinare poſſit, quid circiter pro formula præſcribenda ſit ſolvendum, quando fortaſſis ab ægrotis quæritur.

Regula XII.

Succedanea abſque Medici conſenſu non ſunt ſubjicienda à Pharmacopœo. Hoc plerumque fieri ſolet, ut Pharmacopœi & ipſorum famuli ſubſtituant multa, quæ eadem virtute prædita eſſe credunt, præſertim ſi ex præſcriptis una vel altera ſpecies deficiat. Itaque omnino miniſtri jurejurando obſtringi debebant, quia Pharmacopœus non niſi pauciſſima medicamenta ſua manu præparat atque diſtribuit.

Regula XIII.

Confectionibus officinalibus ipſe interſit Medicus, & probe examinet ingredientia & eorum mixturam. Hanc regulam obſervet, quando medicamentum aliquod præparatur frequentius & prolixius præſcribi ſolitum, ut inter conficiendam theriacam. Hic opus eſt, ut ſemper interſit Medicus, curamque gerat, ut omnia ingredientia in ſchedis notata ordine aſſumantur. Sæpius quidem omnia oſtenduntur; abſente vero Medico pretioſa auferunt, quod ſcelus quidem omnes non committunt, ſed tantummodo avari, qui nullum ſcelus pro peccato habent.

Regula XIV.

Pharmacopœo non eſt concedenda praxis, quia non intelligit, quod pertinet ad genium practicum. Non enim ſufficit formularum ad hunc vel illum morbum copia, ſed accedere debet judicium practicum, quo explorandæ ſunt morborum cauſæ & differentiæ, ægrorum natura & ſimilia, ſine quibus rationalis practicus nemo eſſe poteſt. Plebeii quidem in ea ſunt opinione, quod Pharmacopœus circa plantarum ſpecies quotidie occupatus illarum efficaciæ, conſequenter artis Medicæ,

Medicæ, non ſit ignarus, ſed maxime decipiuntur, quidquid enim præſtant, præſtant ut empirici, nemo autem ſartori imperito exhibebit veſtimenta nova corrumpenda, ut taceam, corpus. Si vero quidam Pharmacopœorum in arte Medica præſertim praxi ſufficienter eſt inſtructus, illamque exercendi cupidus, more conſueto coram facultate Medica ſpecimen eruditionis ſuæ exhibeat tentamine aliquo, petatque teſtimonium, tum demum conceditur.

Regula XV.

Interrogare Pharmacopœum ratione morbi & præſcribendorum, turpe eſt. Videtur enim ſpeciem quandam ignorantiæ præ ſe ferre; ratione mixturæ convenit quidem, melius tamen eſt, ſi hoc quoque calleat Medicus.

Regula XVI.

Pharmacopœus à Medico ordinario examinandus prius eſt, & ejus miniſtri. Qui Pharmacopoei munus de novo aggreditur, ejus examinatio ſequentem in modum inſtituatur: 1) Ratione venenorum quærendum, quid ſit venenum, & quæ poſſideant venenatam qualitatem, qualia ſint purgantia fortiora, vomitoria, abortum cauſantia, tam ex regno minerali quam vegetabili deſumta? neque ignarus ſit doſeos eorum. 2) Ratione præparationis, compoſitionis & mixturæ quæritur, quomodo inſtituendæ? quæ ingredientia prius ſumenda? quomodo miſcenda e. g. theriaca, emplaſtrum. Intelligat porro conficere emulſionem, ſi modo certa quantitas ipſi porrigatur, item morſulos, electuaria, ſyrupos. His peractis multa ingredientia præſcribo, ipſumque interrogo, qualis color, & quænam conſiſtentia proveniat ex hac mixtione, intelligat acidum cum alcali ebullire, ſufficit ſi modo effectum ſciat, etiamſi rationem reddere non poſſit. 3) Terminos technicos quoque ſciat, quid ſit bolus, quid linctus, quid apozema? 4) Ratione botanices explorandus, an noſcat ſimplicia? 5) Ratione Chemiæ quoque examinandus erit. 6) Ratione medicamentorum in genere ſciat determinare doſin licet non exactiſſimam, ut ad minimum abſente vel deficiente Medico formulam conficere calleat, verbi gratia, ſudoriferum vel purgans. Si neſciat, communicandæ ipſi ſunt nonnullæ generaliores formulæ. Denique ne taxæ limites tranſeat Pharmacopœus, jurejurando obſtringatur. Formularum examen eodem modo poſſet inſtitui, & laudandi eſſent, ſi omnibus poſſent ſatisfacere; ut plurimum tamen acquieſcere Medicum oportet, ſi modo quoad materiam Medicam accuratam exhibeat ſcientiam, ipſis enim tantum præparandæ committuntur formulæ. Quodſi vero caſu pyxides permutentur, ita ut Mercurius præcipitatus ruber reperiatur, ubi cinabaris Antimonii ineſſe ſignatura oſtendit, tunc ignorantia eorum ingentis periculi cauſa eſſe poteſt. Ex ea ratione non permittenda pueris medicamentorum præparatio, experimur tamen famulos eadem ſæpe pollere ignorantia, qua pueri, quod ſane dolendum, ſi non mutandum eſt.

CAPUT II.

De officio Medici circa Chirurgum ejuſque operationes.

Regula I.

Operationes ordinarias & vulgares relinquat Chirurgis. Non ſecare, nec urere, nec emplaſtra applicare debet, quia infra dignitatem eſt rationalis Medici, ſuſcipere talia; tonſores enim, balneatores & lithotomi ubique fere haberi poſſunt. Hic autem non ſuadeo, ne diſcatur Chirurgiæ ſtudium nobiliſſimum, ſed ſumme neceſſarium eſſe affirmo. Sæpius enim intereſſe debet Medicus operationibus, præſertim periculoſioribus, verbi gratia, trepanationibus, paracentheſi. In priori caſu proſpiciat, ne trepanatio attingat ſuturam, item ut adminiſtretur tali in loco ubi ſanguis commodius emanare poteſt, eum ut locum accurate determinet, ſuccurratque ægrotanti decumbenti analepticis, ſi opus eſt, internis. In paracentheſi, quam nunquam, ut ſolus ſuſcipiat Chirurgus, curet Medicus, ne temerarius ſimul ac ſemel vitam cum aqua detrahat, quale exemplum exhibuit hic Halæ Chirurgus quidam in Advocato quodam hydropico, qui tres fere amphoras prima vice detrahens cauſam mortis poſt decimum diem ſubſequutum acceleravit. Porro adſiſtat Medicus amputationi membrorum, ubi metuendæ hæmorrhagiæ, ibi ſuccurrat conſilio auxilioque.

Regula II.

Medicus non increpet Chirurgum ipſum, ſed modeſte moneat coram ægrotante. Junioribus data hæc lex eſt, quia hac ratione gloriam ſibi conciliare exiſtimant, quando Chirurgi imperitiam propalant; cum tamen nihil aliud efficiunt, quam ut Chirurgus fama ſua deſtitutus occaſionem ulciſcendi quærat, ipſumque Medicum multis calumniis afficiat.

Regula III.

Medicus nimiam familiaritatem cum Chirurgo non ineat, eaſdem ob rationes quas circa Pharmacopœos traditas repetere nolo, illud ſaltim addo, ut caveat diſputationes de hac vel illa re, præſertim ſi ſentiat ſemet inferiorem in tali materia Chirurgica.

Regula IV.

Non patiatur Medicus, ut Chirurgus remedia interna ægrotis offerat. In defectu tamen Medici & in caſu neceſſitatis Chirurgus calleat ea, quæ ſpectant ad artem Chirurgicam, uti ſunt: decocta vel infuſa ex herbis vulneratis, decocta lignorum: pulveres vulnerarii & lapides cancrorum, quæ domeſtica tali in caſu præbere queat; item purgans aliquod lenius ex paſſulis, foliis ſennæ atque rhabarbaro. His ſi plane deſtitutus, vel ſaltem vetuſtiſſimis præſcriptionibus inſtructus ſit, quæ plerumque nullius momenti, Medicus ipſi generaliores quaſdam præſcribere debet formulas, quibus tempore neceſſitatis uti poſſit, quando pauperioribus ſuccurrendum ſit. Præſente vero Medico, nunquam adhibere audeat interna, penituſque ipſi interdicta ſint medicamenta heroica, ut opiata, purgantia draſtica, emetica, quæ inſtar gladii vagina orbati in manu imperiti ſunt. Hoc proprio exemplo teſtatus hic Chirurgus eſt, propinans ſibi grana quindecim gummi guttæ, quo facto plus quam triginta vicibus alvum deponere coactus eſt; evacuatis ſic primis viis, recepit ſe in cellam, hauſtaque frigida aqua & comeſto raphano correptus eſt convulſionibus, cum horrendis ventris torminibus, cum quibus vitam exſpiravit non ſine ſuſpicione veneni à familiari Chirurgo accepti, niſi conſtitiſſet de purgante vehementiori adſumto.

Regula V.

Semper optimo Chirurgo utatur in civitate Medicus. Medicus in civitate Phyſicatum accepturus ſtatim eligere Chirurgum neceſſe habet, qui non ſolum quoad famam integram omnibus eſt notus vel in diſcurſibus aut operationibus eruditionem ſuam comprobavit. Soli enim

enim famæ confidere non eſt conſultum, quia optima interdum fama minime reſpondet eruditioni.

Regula VI.

Medicus non concedat Chirurgo ſectionem cadaverum & inſpectionem vulnerum, ſed ipſe ſectionem inſtituat & dirigat. Peſſima eſt conſuetudo, quam nonnulli prætorum fovent, quando ſcilicet agyrtis & tonſoribus inſpectionem vulnerum committunt; agitur enim de vita hominis lædentis, totumque inquiſitionis fundamentum in vulneris inſpectione poſitum eſt. Itaque non ſufficit, ut advocetur Chirurgus præſertim imperitus, qui non eſt capax judicandi de vulneribus, niſi accedat Medicus, qui etiam ex viſcerum læſorum examine de lethalitate longe accuratius judicium ferre poteſt. Probe vero diſtinguenda vulnera, an lethalia per ſe, an per accidens. Accidit interdum, quod vulnus ratione læſionis minus lethale ſit, ſed ratione impeditæ curationis referri mereatur ad vulnera per ſe lethalia. Vulnera ex accidente lethalia ſunt multiplicia vel ratione ægroti: ſi verbi gratia ſcorbuticum ſubjectum levi pulmonum vulnere infligitur, quod per ſe non adeo lethale fuiſſet, niſi dyſcraſia ſanguinis acceſſiſſet; ſi diætam præſcriptam negligit graviſſimoſque errores committit: vel ratione Chirurgi vulnus per accidens lethale fit, quando non avertit ſymptomata, hæmorrhagiam enormem & ſimilia. Circa debilitatem naturæ oritur controverſia, an vulnera debilioribus inflicta, licet per ſe non ſint lethalia tamen reſpectu debilioris naturæ talia fiant & mortem delinquenti adferant? Academia noſtra Halenſis cum Erfurtenſi affirmavit, quia vulnus inflictum mortem accelerat, ſublata enim cauſa effectus non eſſet ſubſequutus. Cæteræ vero Academiæ mitiores ſunt. Sæpius accedit, quod Medicus in inſpectione vulnerum dubius hæreat, an per ſe lethalia, an minus, v. g. contuſione capitis moritur æger, nullo præſente Chirurgo, qui forte trepanatione auxilium ferre potuiſſet, vel quando trepanum juſto loco non applicatum. In ejuſmodi caſibus optimum eſt ſi nil decernat circa lethalitatem, ſed vulneris conditionem enumeret, cauſaſque ſecundas adducat, cur morti factus ſit obnoxius æger, ſic conſcientiam illæſam ſervat mediaque ſemper tutiſſima progreditur via. Circa ſectionem cadaveris in genere notandum eſt, quod Chirurgo quidem apertio concedi poſſit, vulnus vero ipſum accuratius perſpiciat Medicus, nec acquieſcat in exploratione partis vulneratæ, ſed totum corpus inſpiciat, ut cognoſcatur omnium viſcerum thoracis & abdominis conſtitutio, caput vero non attingitur, niſi fuerit læſum. Hoc pacto Medicus conſcribit caſum, illumque Chirurgo ad confirmationem ſubſcribendam exhibet.

Regula VII.

Chirurgus debet examinari à Medicis & Chirurgis, præſertim novitius. Hic coram collegio Chirurgico à Medico ſequentem in modum inquiratur & examinetur: 1) In Anatomicis, ut ſciat nomina præcipuorum muſculorum, illorum ſitum, tendinumque cohærentiam, ubi nervi tranſeunt, ne in vena ſecanda nervum vel etiam tendinem vel arteriam attingat; intelligat ſitum & nexum partium & articulationes, ut ad judicandas luxationes curamque legitime inſtituendam aptus ſit. 2) Circa lethalitatem vulnerum examinandus, an vulnera ſpinæ dorſi, cordis, contuſio colli & ſimilia lethalia ſint? Cordis vulnera non ſemper lethalia eſſe probant cicatrices, quæ ſæpe reperiuntur circa cor in ſectione cadaverum. Conf. Albini Diſſertatio de læſione cordis habita Francofurti ad Oderam. Vulnera ſpinæ dorſi in ſuperiore parte ſemper periculo majori ſunt expoſita quam in inferiore; quod non adeo lethale eſt. Contuſio colli in junioribus magis lethalis eſt quam in ſenioribus. Hepatis vulnera non ſemper lethalia ſunt, niſi læſio enormis adſit. Ventriculi vulnera in ſuperiore parte non eſſe lethalia teſtatur experientia, ubi hic Halæ culter deglutitus Anno 1693. abdomine aperto iterum per ſtomachum extractus fuit abſque lethalitate. Ex his concludo, vulnera ut plurimum lethalia eſſe propter extravaſationem ſanguinis vel humorum vel ciborum putreſcentium, nervorumque læſionem. Hac ratione venarum aut arteriarum diſſectio in vulnerato femore lethalis eſt. 3) Quærendus eſt, quomodo inflammatio vulneris cognoſcenda, quomodo cura inſtituenda, Medicus proponet ipſi caſus, quos reſolvere curamque demonſtrare debet, ut de fiſtulis curandis, quomodo callus removendus, quomodo vulnera partium tendinoſarum nervoſarum & capitis tractanda, ubi omnia pinguia exulari debent & adhiberi potius nervina, quid ſuccus cæparum in vulnere efficiat? cur brachium ligetur in venæ ſectione? 4) Denique emplaſtra conficere intelligat, ne iſta ſemper ex Pharmacopoliis emere cogatur. Multum vero in eo ſitum eſt, ut ſolvere ſciat reſinoſa aceto ſeu vino generoſo, ut exprimat ſoluta per linteamina, ut igne leniſſime coquat, inſpiſſet, quo lenius enim coquuntur emplaſtra eo melius conficiuntur, vid. Zwelfferi animadverſiones circa præparanda emplaſtra. Circa potiones vulnerarias quærendum, quales conveniant herbæ; circa diætam vulneratorum, quales cibi vitandi. Hac ratione Medicus experitur Chirurgorum profectus, qui interdum ſatis ſunt leves. Quare optandum eſſet, ut diſcentes frequentius Bataviam, Galliam atque Italiam, ob Chirurgiam florentiſſimas, viſitarent, aut ſequantur caſtra, aut viſitent urbes montanas, aurifodinas celebriores, ubi caſus pericoloſiores non raro occurrunt, ex quibus ſolidiſſimam artis ſuæ perfectionem ſibi comparare poſſunt.

Regula VIII.

Medici eſt, judicare de ægri conditione, an opus ſit, an vires ægri ferre poſſint operationes Chirurgicas. Præcipuæ Chirurgorum operationes ſunt venæ ſectiones, lithotomiæ, amputatio membrorum ſphacelatorum, in quibus omnibus ſemper virium ratio eſt habenda, & quidem circa venæſectionem in virium debilitate & præcipue in morbis malignis, ne in mortis periculum præcipitetur æger. Circa lithotomiam & herniotomiam caveatur, ne adminiſtretur, quando dolor ſummus adeſt debiliſque ægrotus exiſtit, præſertim in ſubjectis cacochymicis, ubi ejuſmodi operationes nunquam periculo vacant, licet in ſanguineis aliiſque felicius adminiſtretur. In ſpecie circa lithotomiam obſervandum, an calculus in veſica hæreat grandior, ſæpe enim ulcus vel ardor in meatu urinario, item ſtranguria vel gonorrhœa eoſdem dolores excitare poſſunt, exploratio vero quæ ſtylo inſtituitur, majores quam lithotomia dolores excitat, quod omnes ægri confirmant; itaque cautius eſt procedendum & digito immiſſo explorandum, ſic, ſtante ægro, protinus ſentimus calculum; ex ægro quoque id ipſum experiri poſſumus, decumbens enim nullos fere dolores ſentit, ambulans vero corpore erecto dolores augentur, quia calculus hoc modo ſtatim ad orificium veſicæ procedit. Circa ſphacelum probe notandum eſt, an à cauſa intrinſeca oriatur, an ab extrinſeca, ille nunquam amputatione removeri poteſt, ſed ſemper ulterius ſerpit, quia à malignitate & corruptione ſanguinis oritur, ſi vero à cauſa externa, proſpiciendum erit, an perfecte adſit ſphacelus, an vero gangræna immineat, quæ ſaltem abſque amputatione quoque ſedari poteſt. Quamdiu vero ſigna amputandi membri non luculentiſſime obſervan-

obſervantur, continuandum eſt cum medicamentis alterantibus internis & balſamicis antiſepticis, quibus ſæpe imminenti ſphacelo reſiſtitur.

Regula IX.

Temporis ratio habenda eſt in operationibus, atque videndum an opportune omnia fiant: nec nimis tempori parcendo cunctandum, nec nimis feſtinandum. In lithotomia hæc obſervatio non negligenda; ægrotus enim diu decumbens, doloribus plurimis exhauſtus, ſectionem non facile admittit, quia vires huic ferendæ longe impares ſunt. Ante omnia vero hæc regula obſervanda eſt in cataracta, ne prius deponatur quam ad maturitatem pervenerit; ſic quoque abſceſſus ante maturitatem non ſunt aperiendi, quia excitari poteſt inflammatio degenerans in gangrænam vel ſphacelum; ſi differatur ultra modum operatio, facile degenerare poteſt in fiſtulam cariemque oſſium. Signa vero genuina aperiendi abſceſſus ſunt, puſtula albicans dolorque remittens. Inſtituatur itaque operatio in loco commodo, ne ſic quoque generetur fiſtula, inferius ſcilicet, ſi fieri poteſt, ut materia purulenta paulatim effluere queat.

Regula X.

Sollicitus ſit Medicus de loco eligendo in operationibus Chirurgicis. Venæſectio in brachio medianæ eſt tutiſſima. In operationibus gravioribus locus deſignetur à Medico facto puncto cum penicillo colore tincto, ſive trepanatio fiat, ſive membri amputatio. Dein monendum, ne in articulo abſcindatur membrum ſed trium vel quatuor digitorum diſtantia à læſione. Digitum in articulatione amputare licet.

Regula XI.

Obſervet modum Medicus, quo utitur Chirurgus inter deligandum. v. g. in deligandis fracturis, ne nimis ſtricta facta excitetur gangræna. Neceſſario quidem firma requiritur ligatura, non autem exceſſiva, ſed modus obſervandus, ne nimia compreſſione impediatur ſanguinis circulus, ſicque inflammationi anſa præbeatur. Si ægrotus queritur poſt ligaturam de atrociſſimis doloribus, videndum, an ſtrictior ſit ligatura? quæ ſi reperiatur, aperienda & relaxanda eſt.

Regula XII.

In repoſitione luxatorum membrorum avertat Medicus, ne dolores abſque neceſſitate excitet Chirurgus. Verum quidem eſt, quod abſque extenſione membrum luxatum reponi non poſſit; modus tamen & hic obſervandus, ne excitentur graviſſima ſymptomata.

Regula XIII.

In cura herniarum, ne caſtrentur viri, impediat Medicus. Plerumque peritonæi proceſſus exſcinditur cum teſticulo, ſed peſſimo ſucceſſu; redduntur enim homines impotentes, quod neminem & omnium minime conjuges exhilarat.

Regula XIV.

Medicus examinet inſtrumenta Chirurgica, viſitet emplaſtra, unguenta. Quotidie fieri ſolet, quod inſtrumenta Chirurgorum abſque diſcrimine adhibeantur in infectis & non infectis; hinc pura applicentur & ſordibus accurate abſterſis, priſtino nitori reddantur. Si varia inſtrumenta in operatione quadam applicanda, ante operationem, ut cito abſolvatur, ne circumquaque conquærenda ſint inſtrumenta, alterum juxta alterum ordine, quo applicari debent, reponendum; ita tamen, ut conſpectum ægrotantis fugiant, ne terrorem majorem eidem incutiant. Quod emplaſtra aut unguenta concernit, abſque neceſſitate illorum præparationem vel compoſitionem nunquam exploret Medicus, ne Chirurgo cauſam ſuperbiendi præbeat; aſt tempore neceſſitatis circa ægrotantes obſtrictus eſt Chirurgus, ut declaret eorum compoſitionem, ſi ea exhibuerit.

Regula XV.

Chirurgus an ſit habilis ad tales operationes & probe expertus, videat Medicus; ſæpe enim ignorans & magis audacia, quam ratione ductus inſtituit periculoſiſſimas operationes nulla cautione adhibita ſummoque cum ægrotantis periculo. Quare admodum neceſſaria hæc regula eſt, an verbi gratia ſenio, vel morbo confectus? adeoque ad luxationem reponendam ineptus ob virium defectum, an manus tremore laborent in Venæſectione, cataracta deponenda & ſimilibus? an ſit ebrius? adeoque magis temerarius quam prudens; & in genere, an antea ejuſmodi operationibus interfuerit vel etiam eas exercuerit?

Caput III.

De officio Medici circa obſtetrices & earum munus.

Dolenda ſane eſt obſtetricum, præſertim noſtratum, ignorantia, qua multæ trucidantur puerperæ, quia rariſſime optatum ferre didicere auxilium.

Regula I.

Obſtetrix ante omnia ſit pia, caſta, ſobria, non temeraria, taciturna, honeſta, perita. Pia ſit imprimis, ne impune tractare puerperas vereatur, benedictio enim Divina impiæ menti non largitur. Perita ſit in arte ſua, quare conſultum erit, haud qualicunque muliérculæ obſtetricis munus tradere, niſi examine quædam experientiæ & ſcientiæ ſufficientis ſpecimina edat.

Regula II.

In Anatomicis examinanda eſt obſtetrix. Ad minimum cadaveris fœminei ſectionem adſpexiſſe convenit, ut ſciat ſitum, ſtructuram uteri & vaginæ extra graviditatis tempus; deinde, quod præſtat, ſi cadaveris fœminei gravidi acceſſerit inſpectio, eo magis perfectam habebit harum partium ideam.

Regula III.

In Phyſiologicis examinanda. Juxta hanc regulam intelligat neceſſe eſt, quamdiu gravida gerat in utero, item quando primus embryonis motus percipiatur, ſitum embryonis naturalem, quo modo quoque tempore ad egreſſum ſe accommodet. Ante omnia noſſe debet ſigna graviditatis, ut virginem à meretrice dignoſcere queat, præſertim ſi infanticidii ſigna adſint. Eſt certe non exigui momenti, diſtinguere menſium ſuppreſſionem à graviditate & graviditatem ab hydrope aſcite, quid quod? Medici ſæpe graviditatem pro hydrope tamdiu curarunt, donec partus in lucem prodiit. Maxima vero difficultas in iſtis reperitur fœminis, quæ prima vice utero gerentes ignaræ ſunt omnium ſymptomatum circa gravidas evenientium; unde Medicum ſæpiſſime falſa relatione decipiunt, ſpaſmos iliacos aut alios leniores motus pro embryonis motu habentes

bentes. Ex his apparet, quod non ſtatim ab uno alterove ſigno graviditatem judicare poſſimus, ſed omnia combinanda, ex quibus tandem collective ſumptis veritatem eruere poſſimus. Præcipua vero graviditatis ſigna ex aliis ſunt ſequentia: 1) Genæ gravidarum plerumque rubeſcunt licet non ſemper; contra ſuppreſſione menſium laborantes pallida incedunt facie. 2) Tumor in ſuppreſſione menſium magis reperitur circa inguina atque uteri egreſſum; in gravidis vero magis circa umbilicum animadvertitur & aſcendit. 3) Gravidæ utplurimum nullum virium defectum ſentiunt, nec appetitus earum adeo proſtratus eſt; prout fieri ſolet in menſium ſuppreſſione laborantibus, tamen pro ſigno infallibili non eſt habendum, quia gravidæ nonnullæ aliis infirmiores eſſe ſolent. 4) Venæ turgeſcere incipiunt in gravidis craſſioreſque conſpiciuntur circa femur, quod aliis contingere non ſolet. 5) Mammæ intumeſcunt, quod tamen in multis non accidit, licet inveniantur gravidæ. 6) Urina quidem craſſa apparenteque nebula dicitur, ſed fallax imo fallaciſſimum ſignum eſt, quia in multis morbis eadem apparent. 7) Femur in nonnullis magis dilatatur, ſed non in omnibus, aliæ circa anteriora magis, aliæ circa poſteriora magis fœtum gerunt. 8) Reſtat ultimum & infallibile ſignum, motus ſcilicet infantis, qui plerumque circa ſeptimanam vigeſimam contingere ſolet. Hæc ſi intelliguntur, cæteraque omnia enarrata reſpondent, nullum de graviditate amplius ſupereſt dubium. Interdum vero accidit, quod motus non rite percipiatur etiam ad ſeptimum menſem, præſertim ſi embryo debilior fuerit, tum uſus externus ſpiritus cujuſdam vel balſami embryonis, vel oleum macis & nuciſtæ expreſſum linimenti aut emplaſtri inſtar applicatum abdomini, embryonem roborando facit, ut motus fortior ſentiatur, quod ab alio tumore aut flatibus non accidit. Sed non ſufficit, obſtetricem peritam eſſe ſignorum graviditatis prægreſſæ, ſæpius enim accidit, ut coram magiſtratu judicium ferendum ſit de meretricula, an fuerit gravida, & juxta obſtetricis effatum inquiſitio inſtituatur. Quo in caſu obſervanda ſunt ſequentia: 1) Poſt partum abdomen relinquitur rugoſum, quod non tam cito in priſtinum ſtatum reducitur: 2) Si partus non ita pridem contigerit, fluxus ſanguineus deprehenditur poſt ſex vel octo ſeptimanas, licet ſæpius exiguus, exhibet tamen ſignum certiſſimum.

Regula IV.

Interroganda eſt obſtetrix, quomodo ſuccurrere velit puerperis partu tam faciliori, quam difficiliori laborantibus. Sit itaque circa partum omnium peritiſſima, ut ſciat diſtinguere conatus parturiendi legitimos à falſis. Multum hac in re momenti poſitum eſt, imperita enim obſtetrix ſæpius puerperam ante legitimum parturiendi tempus falſis inſtantibus conatibus fatigat illamque ad promovendos conatus cogit, ita, ut tandem deficiat in ipſo parturiendi actu, dilapidatis antea viribus. Sunt autem veri conatus ſpaſmi ſeu contractiones uteri in dorſo incipientes, & à ſuperioribus verſus inferiora vergentes; falſi contra conatus in dorſo quum incipiunt, ab inferioribus partibus verſus ſuperiora tendunt & penes umbilicum terminantur. In his falſis conatibus non cogantur mulieres, ſed expectandum eſt tempus legitimum, ubi etiam leviſſima abdominis compreſſio infantem excludit. Natura enim eſt firmior in excludendo fœtu quam ipſa puerpera. Qui itaque naturæ leges non obſervat, nunquam certe excludere valebit infantem, etiamſi cuncta adminicula encheireſeſque adhibeat. Similis eſt partus alvi excretionibus, quæ natura non ſuccurrente excernere velle impoſſibile erit. Quando vero natura ad ejiciendum parata, verique percipiantur dolores, obſtetrici convenit, ut videat, an infans ad egreſſum rite ſit diſpoſitus, an orificium uteri internum hiſcat? quod duobus digitis oleo inunctis explorandum. Quo obſervato animus puerperæ erigendus ipſaque admonenda, ne ſubito exſpiret, atque hac ratione parturiendi negotium irritum reddat. De cætero manus puerperarum abdomini imponi poteſt, ut hac quoque ratione partus quodammodo promoveatur. Excluſo fœtu curet obſtetrix, ut ligetur funiculus umbilicalis filo duplicato cera imbuto, puto ea in regione, ubi egreditur ex abdomine, poſtea vero abſcindatur funiculus quatuor tranſverſos digitos ſupra ligaturam. Obſtetrix digitis apprehendit funiculum umbilicalem à placenta dependentem, & infantem recens natum committit adſtantibus ad lavandum, ipſa vero occupata eſt circa extrahendas ſecundinas, quarum extremitates cum funiculo blande apprehendit altera manu, altera vero ſeparationem, ſi opus, paulatim promovet. Extractas ſecundinas explicat obſtetrix, ut omnes videant nihil remanſiſſe; peſſimum enim eſt, ſi tota ſecundina cum ſubſtantia vel etiam portio quædam remaneat, quod obſervavimus in Weſtphalia in pago quodam, ubi fœmina ſecundinis per quatuor ſeptimanas retentis, ſæviſſimis cruciata fuit ſymptomatibus, æſtu ſcilicet & convulſionibus; adhibito vero ſpiritu cornu cervi ingens ſudoris profluvium excitatum fuit, ſicque ſecundinæ putrefactæ prodierunt cum fœtore; utplurimum vero puerperæ intereunt, ſi ſecundinæ retineantur. Partu abſoluto abdomen puerperæ ligandum, ipſa vera ſecundinis extractis in lectum rite præparatum ad lochia excipienda deferatur. Interim infans à viſcoſis ſordibus ſit purgatus in lavacro, cui infuſus ſpiritus lavendulæ vel etiam vinum, præſertim ſi debilitas in fœtu obſervetur. Semper afferat obſtetrix ſecum pro embryone confortando analeptica, ut, aquam antepilepticam, balſamum embryonis, aquam cinnamomi, quibus tempora nareſque inungantur & inſpiretur halitus ex fragrantibus, ex cinnamomo vel caryophyllis. Pro ipſa vero puerpera paratum ſit caſtoreum, quo tempore neceſſitatis uti queat. Hæc de faciliori partu. Quod difficiliorem partum attinet, ſciendum eſt, quod duplici ratione accidat, vel matris vel fœtus cauſa. In matre parturiente notatur plerumque ſpirituum defectus, qui reſtaurandus eſt analepticis conjunctis ſimul antiſpaſmodicis in partu difficili ſumme neceſſariis. Reſpectu fœtus partus difficilis redditur, ob perverſum ſitum, qui fieri ſolet à motu nimio circa parturiendi tempus, quando ex impatientia modo huc modo illuc ſeſe movet puerpera, item ſi legitimo tempore nondum inſtante cogatur ad conatus promovendos; porro ſi membrum aliud verbi gratia, brachium vel pes juſto citius egreditur, quod ſi non ſtatim regreditur, emoritur, cultroque reſecandum, ſi nempe re vera mortuum deprehendatur. Ut plurimum vero in partu difficili infans moritur. Probe itaque calleant obſtetrices an fœtus re vera ſit mortuus, nec ne, ne languide ſpirantem occidant, vel mortuo jam nimium parcant cum non exiguo matris detrimento. Sæpius fœtus in utero diſſecandus ſicque fruſtulatim extrahendus eſt, quæ operatio magnam crudelitatem requirit. Cognoſcitur vero fœtus obitus, ſi mater corripiatur horrore febrili animique deliquiis, ſi facies cum labiis palleat, ſudores frigidi ſint, partes extremæ lividæ, ſi nullus in utero ſentiatur motus, vel ſi de latere in latus ſentiatur quid inſtar lapidis, item ſi ſanies fœtida ex utero emanet. Tandem noſſe debet obſtetrix an gemelli adſint, facile enim fieri poteſt, ut cum uterque egreſſum urgeat, illa unum tantummodo adeſſe credens, utriuſque pedes apprehendat, aut alio modo errorem committat. Licet vero ex indubitatis ſignis vix cognoſcantur,

noſcantur, ſuſpicari tamen gemelli poſſunt, ſi ventris ambitus non fuerit æqualis, ſed certis eminentiis quaſi diviſus, ſi majus ſentiatur pondus & inæquale, quando nempe alter altero vegetior, ſicque in diverſis locis diverſi ſentiantur motus, & quidem tactu vel à matre vel ab aliis.

REGULA V.

Obſtetrix intelligat quid uterus ſit, quid procidentia vaginæ & quid conſilii. Medicus non admittitur, ut ipſe de hoc affectu judicium ferre queat, an uterus an vagina ſaltim prodeat, & magna de hac re orta eſt controverſia, inter BECKIUM & CRAMERUM, hic uterum ipſum, ille vero vaginam tantummodo procidere poſſe ſtatuit. Sciendum itaque eſt, BECKII ſententiam in illo caſu, circa quem controverſia orta fuit, veram fuiſſe, deinde non concludendum univerſaliter, ac ſi procidentia uteri ſit impoſſibilis; nemo tamen ſibi perſuadeat totalem uteri everſionem inſtar mitræ inverſæ fieri, quod plane abſurdum foret. In procidentia uteri adhibenda ſunt uſu interno confortantia propter laxitatem ligamentorum. De cætero obſtetrix calleat quoque, quomodo puerperæ tractandæ, quod tamen magis ad forum Medicum pertinet.

REGULA VI.

Medicus non concedat, ut adhibeantur ſuperſtitioſa circa puerperas. Multifaria anicularum eſt ſuperſtitio, ut omnia hic explicare ſupervacaneum exiſtimem. Aliæ enim in partu difficili tibialia viri, aliæ induſium viri ſordidum induunt puerperæ, aliæ urinam viri propinant, quaſi vero maritus omnis hujus mali cauſa ſit. Alii adhibent cingulum ex corio humano, ac ſi ſingulares vires in eo laterent. Hæc & ſimilia Medicus adhiberi non permittat.

CAPUT IV.

De officio Medici in exhibendis teſtimoniis.

NOn ſolum circa lethalitatem vulnerum teſtimonia à Medico requiruntur, ſed etiam circa contagium, luem Veneream, an ſcilicet veneno interemptus ſit. Legi merentur ZACCHIÆ *quæſtiones Medico-Legales cum commentatione Franckii*, item AMMANNI *Medicina critica*, ejuſdem *Praxis Medica de vulnerum lethalitate*, ut & BOHNIUS *de renunciatione vulnerum.*

REGULA I.

In porrigendis teſtimoniis, ut ex certis indubitatis & ſufficientibus ſignis claram demonſtrationem exhibeat, ſedulo allaboret Medicus.

REGULA II.

In teſtimoniis ferendis ante omnia obſervandum, ne Medicus judicium ſuum extra limites extendat, ſed rationem decidendi relinquat Jureconſultis. Hæ duæ regulæ erunt probe obſervandæ, quas porro applicabimus ad ſingulares caſus.

Teſtimonium de mania.

Quæritur, an quis mania laboret? probe itaque obſervandum eſt, an ſimulata ſit mania, an vera, an duret per tempus, an ſaltem ex morbo oriatur? omnia facile cognoſcuntur ex ſignis ſequentibus: 1. In mania vera vel melancholica nullus vel parcus adeſt ſomnus, adeo ut totam fere noctem vix horam dormiendo transigant, in ſimulata vero mania ſomno indulgent conſueto imo diuturniori. 2. Ex colloquio vera melancholia cognoſcenda, omnia enim miſcent, ad quæſtiones propoſitas interdum non reſpondent, ſaltem ab una re ad alteram perveniunt, licet non ſemper abſurda loquantur. 3. Pulſus eſt vehementior; exagitationes externæ non negligendæ. 4. Etiam ex oculis maniam judicare poſſumus, ſunt enim mentis ſpeculum, quando itaque fulgidi & fugitivi apparent, indicant maniam; quando vero fixi quaſi torpidique deprehenduntur, tunc potius melancholiam deſignant. 5. Ex modo vivendi, moroſi ſunt, nunquam circa unam rem verſantur, ſed modo hoc modo illud incipiunt. 6. Plerumque alvo ſunt adſtricta, interdum quoque circa certam aliquam rem delirio ſaltem corripiuntur, de cætero vero in aliis ſuis rebus ſatis ſapiunt. 7. Tandem à melancholia mania differt in hoc, quod in mania furor ſit perpetuus ſine manifeſta cauſa, oculi ignei, ſomnus fere nullus; Melancholia vero ſeſe exſerit perpetuo horrore, triſtitia atque timore; facile tamen mania, ſi curatur, tranſit in melancholiam & viceverſa.

Teſtimonium circa contagium.

Hic ſane cautius mercandum eſt, quia non hominis unius, ſed totius ſæpe reipublicæ ſalus judicanti Medico relinquitur. Cavendum vero eſt, ne ex quovis morbo maligno peſtem concludamus, ſed inquiramus in cauſas, ſigna, qualitatem morbi; & ſi demum ſuſpicio peſtis adſit, non ſtatim propalanda eſt in vulgus, quia multi à ſolo terrore & timore peſte corripiuntur. Deinde quoque periculum incurrit Medicus, (quod Halberſtadii factum, ubi domum Medici, ſuſpicionem peſtis non divulgantis, aggreſſus eſt vulgus) ſi contagium plane non annunciet, ne ulterius repat. Optimum itaque conſilium, erit magiſtratui indicare periculum ſuſpectæ domus, ut claudatur, vel ad minimum aliis viſitatio ægrorum interdicatur. Cognoſcitur omnis peſtis ex carbunculis & bubonibus frequentius occurrentibus, accedente ardore ſummo in maniam non levem ſed brevem ſæpius tranſeunte, ſed tamen hæc non ſufficiunt; niſi alia in urbe vel pago, modo ſi per viginti milliaria Germanica non diſtet, idem ille morbus ſcilicet peſtis homines corripiat.

Teſtimonium circa affectum leproſum.

Rariſſime quidem hic morbus occurrit, præſertim hic noſtris in terris, & licet nonnunquam inveniatur, non tamen adeo malignus eſt, ut homines interficiat, prout olim factum. Sed tamen melius eſt, ut ejuſmodi ægrotantes ab aliis ſeparentur. Cognoſcitur lepra ex eſchara totam corporis cutem inveſtiente eamque in ſuperficie albedine tingente. Hæc eſchara nec pus nec ſanguinem effundit, ſed ſemper eſt ſquammoſa ac interdum acerrimam humiditatem exhibet.

Teſtimonium circa luem Veneream.

Probe obſervanda in hoc ſigno ſunt omnia ſigna eſſentialia, ne gonorrhoeam virulentam pro lue venerea habentes injuriis afficiamus ægros. Inquirendus itaque ſtatus genitalium, an putredo ibi deprehendatur? quæ melioris confirmationis cauſa Chirurgus ſimul inſpicere jubeatur. Porro quæratur, an ulcera vel puſtulæ circa penem vel in ſcroto? an glandulæ inguinales intumeſcant? Extra genitalia hæc lues ſeſe manifeſtat puſtulis majoribus in facie, dorſo ac pectore. Porro percipiuntur intolerabiles dolores circa oſſa, præſertim tempore nocturno. Obſervavimus aliquando totum cranium carie corruptum & cum dura matre

matre perforatum in milite, qui lue venerea demum extinctus eſt. Interdum quoque tubercula hinc inde apparent, ulceroſam materiam præbentia, tandem raucedo atque exulceratio faucium; quæ omnia hanc luem ſufficienter demonſtrant.

Teſtimonium de obſeſſis & faſcino.

Circa obſeſſionem vel faſcinum iterum cavendum, ne ſtatim tale quid pronunciemus ex convulſionibus ſpaſmodicis vehementiſſimis; licet enim non manifeſtam habeamus earum cauſam, obſervationes tamen teſtantur, à vermibus ſæpe ejuſmodi convulſiones fuiſſe ortas. Obſeſſionis ſuſpicio eſt, quando perſona affecta poſt invocationem Divini numinis convulſionibus torquetur, quibus intermiſſa invocatione non torquetur, item quando multas loquitur linguas, quandoque futura præſagit, vel præterita manifeſtat, quæ alias occulta ſunt. Tale exemplum ſeſe obtulit circa fontes ſoterios Hornhuſianos, ubi homo ſequioris ſexus natione Berolinenſis in conſpectum venit, quæ poſt invocationem, vel ſaltim nominationem Jeſu Chriſti in terram collapſa, murmura, ſtrepitus & mores inconſuetos exhibuit. Dixit aliquando diebus binis elapſis veniet Landgrafius Haſſiæ, quod ita evenit: item paſtori peccata juventutis accurate objecit.

Teſtimonium circa exhibitum venenum.

Signa ſuſpicionis ſunt, quando poſt tale aſſumtum virulentum medicamentum graviſſima ſymptomata, vomitus vel propenſio ad vomitum, reſpirandi difficultas, calor interne, externe vero frigus, tormina ventris intolerabilia, tumor abdominis, tandemque convulſiones lethales ſe exſerunt. Hæc ſigna ingentes aſſumti veneni præſumtiones præbent. Ne vero Medicus illis decipiatur, ſectio inſtituenda eſt, in qua ſi ventriculus deprehendatur eroſus, vel maculis nigris aut rubris adſperſus, ſeu inveniatur aliquid materiæ propinatæ, tunc certo certius ſuſpicionem confirmare poterit. Si tunc repertum illud in ventriculo examinetur, inveniri poterit ex quo genere deſumtum fuerit venenum. Si antimoniale, reduci poteſt in antimonium, vel regulum, vel ſapore cognoſcitur. Arſenicum carbonibus inſperſum cognoſcitur ex odore alliaceo fumoque albicante. Mercurius ſublimatus ſemper exiſtit corroſivus aurique flavedinem colore albo tingit. Opiatum cognoſcitur ex odore & ſapore. Si ſpirituoſum fuerit adſumtum, nihil certi affirmari poterit. Optimum itaque erit pronunciare ſummam ſuſpicionem à veneno, de quo ſuſpectus juramento ſeſe purgare neceſſe habebit. Huc quoque referendus eſt pulvis Monkii, qui non immerito nominatur diabolicus ob triſtiſſimos effectus, quos nobis obſervare licuit Halberſtadii in viro celeberrimo & nuperrime hic Halæ in fœmina quadam nobili; dicitur hic pulvis nil aliud eſſe quam Mercurius vitæ.

Teſtimonium de Surditate.

Sæpe à nobilibus deſideratur judicium de ſurditate à Medico, nam lege peculiari ſurdis munera interdicuntur, quod debito officio fungi non poſſunt. Sed notandum eſt, quod multi inveniantur ſurdi, multique, quibus magnum ingenii acumen ſummaque prudentia, quod tamen merito Juriſconſultis relinquendum, an ſurdi ſint capaces nec ne? Itaque Medico ſaltem incumbit deſcribere factum prout inventum, de cætero circa jura parum ſit ſollicitus.

Teſtimonium circa vulnerum lethalitatem.

Circa hæc teſtimonia legi merentur ſupra nominati autores, ZACCHIAS, AMMANNUS, BOHNIUS. Ipſe vero Medicus conſcribat quotidie caſus occurrentes, evolvatque acta criminalia, ubi ſemper judicium Medicum annexum. Sic egregiam ſibi comparabit notitiam circa vulnerum lethalitatem, & magna ipſius laus eſt, ſi ex certis & indubitatis ſignis judicium ſuum deducere, atque cum ratione proponere poteſt. Incerta ſi occurrant, incertis quoque verbis deſignanda ſunt: *videtur*, *poteſt eſſe*.

Teſtimonium circa philtra.

Circa philtra quoque nonnunquam judicium Medicum deſideratur, ubi non ita pridem celeberrimus D. FRANKE maxime impegit, quæſitus an Princeps Martisburgenſis quodam infectus ſit philtro, affirmativam aſſumſit, examinatis vero omnibus circumſtantiis à Facultate Halenſi refutatus fuit.

Teſtimonium circa impotentiam & ſterilitatem.

Impotentia de viris, ſterilitas de fœminis dicitur. Impotentia eſt vel abſoluta, vel reſtricta. Abſolute incapax dicitur, qui vitiatis genitalibus laborat, ita ut à multis cauſis deduci queat, ut: ſi teſticuli deficiunt; ſi penis nimis parvus aut brevis, ut ingredi non poſſit: ſi hernia major adſit: ſi membrum penitus corruptum, exeſum vel plane deſciſſum, quod ſæpius accidit in lue venerea ut dimidia pars reſcindatur. Stricta impotentia dicitur, quando vel faſcinium vel debilitas & laxitas veſicularum ſeminalium introducta, erigitur quidem penis, ſed ſemen citius effluit, quam par eſt, ut adeo nunquam fœcundus ſperandus ſit congreſſus. Symptomatica eſt e. g. ut plurimum in morbis acutis ob defectum virium nulla eſt erectio, ſed laxitas penis, donec morbo rurſus fugato, vires reſtituantur, talis impotentia notatur in phthiſi, hydrope, hectica: porro gonorrhœa ad tempus impotentiam facit, ſi penis cum dolore erigatur, vel ſi abſque erectione ſemen ſemper effluat. Cavendum eſt in teſtimoniis ferendis, ne ex brevitate penis ſtatim concludamus ad impotentiam, licet enim ſæpius non ſufficit in muliere craſſa, ſufficit tamen in muliere macilenta. Major difficultas occurrit in cognoſcenda ſterilitate; hæc enim pauca & ſæpe nulla manifeſta in oculos incurrentia ſigna oſtendit. Sterilitas etiam in abſolutam & reſtrictam dividi poteſt. Abſoluta dicitur, quando mala conformatio in partibus externis, vel in utero deprehenditur, ut: quando clauſura eſt uteri, vel vagina nimis anguſta, vel in utero ſcirrhus, vel fungoſa quædam caro ex ipſo utero dependet, ubi nullus coitus fœcundus ſperari poteſt, quamdiu hæc impedimenta obtinent, videatur HILDANUS. Quæritur porro, an fluor albus reddat ſteriles? Reſpondetur; experientia docet hoc non eſſe conſtans, dantur enim plurima exempla contrarium affirmantia. Quoad intrinſecas ſterilitatis cauſas apodictice aliquid determinari nequit. Nimia quidem pinguedo ovarium & tubam Fallopianam occupans inertiores reddit fœminas, non tamen ſteriles, dantur enim exempla in contrarium. Hoc vero manifeſtum eſt, quod ſicciores citius concipiant quam pinguiores.

PARS III.

PARS TERTIA.

De Prudentia Medici circa Ægros.

CAPUT PRIMUM.

De officio Medici circa viſitationem ægrorum.

REGULA I.

Ne nimium ſit parcus Medicus in viſitandis ægris, cum tamen dimidium curæ in frequenti viſitatione conſiſtat; præſentia enim Medici reddit ægrum confidentem, atque quæ ab eo excitatur convaleſcentiæ ſpes animum confirmat ægroti. Hoc quoque affectu alacriores redduntur & excitantur ſpiritus animales ad debellandum hoſtem. Contra vero multi intereunt præ mortis timore, qui convaleſcerent, ſi talis affectus illis eximeretur.

REGULA II.

Certior morbi & ſymptomatum cognitio ex viſitatione ægri emergit. Ex relatione nunquam accuratam morbi ægrique conſtitutionem percipere poſſumus, præſertim ſi perſona ægri non fuerit cognita. In relatione ea interdum, quæ ſumme neceſſaria ſunt, omittuntur, ideoque ægrotum ipſum viſitare Medico convenit, nam unica viſitatio mille literis eſt præſtantior & utilior.

REGULA III.

Incrementum & decrementum ex iterata viſitatione patet, præcipue in morbis acutis, ubi mutationes variæ ambiguæ morbi prædicunt eventum. Ejuſmodi mutationes ex oculis ſtatim cognoſcuntur, quare jam ſuo tempore HIPPOCRATES inſpectionem oculorum tantopere commendavit. Ex pulſu quoque plurimum habemus, qui nunc intermittens nunc caprizans, quod peſſimum ſignum. Si cum pulſu concurrat ſudor lenis & frigidus, ſignum indubitatum appropinquantis mortis exhibet. In malignis materiæ cognitio quærenda erit ex quiete, item ex viribus. Si tres priores dies vires ægroti conſumunt, & ſeptimo vel octavo die delirans videaturque robuſtus, Medicus falli poterit, ſi bonum eventum ex eo promittat, falſum enim eſt, quod robur accedat, quando delirium accedit. Sed peſſimum ſignum. Maximum certe Medici artificium prudentiam animi ingentem oſtendens in eo conſiſtit, ut de malignis morbis certum ferre poſſit judicium, & qualis ſit futurus eventus, agitur enim hic de vita hominis & morte, utrumque nuncium, ſi modo certum, licet nonnunquam ingratum, Divinum præſagientis oſtendit animum.

REGULA IV.

Utendi modus & aſſumendi facilitas à directione Medici & præſentia ejus dependet. Haud raro de vehiculo medicamenti adſtantes minus ſunt ſolliciti & in defectu peccant in propinando liquido, quod tamen ad ingratum ſaporem corrigendum plurimum conferre ſolet, præſertim in acidis acrioribus. Præſens ergo Medicus omnia juxta arbitrium ſuum diſponit, ſuaque autoritate ægrotos ad aſſumenda medicamenta excitat præſertim apud infantes vel ſenio confectos, quorum impatientiam reprehendit, ſi morem gerere detrectent. Qui vero à natura à medicamentis pharmaceuticis abhorrent, his juxta morem hodiernum decoctum vel infuſum parari poterit inſtar Thee, quod ipſi parare queunt ex convenientibus herbis. Multi enim præconcepta opinione abhorrent à medicamentis pulcherrimis in officinis paratis, ea vero quæ ab ipſis conficiuntur, licet longe inferiora ſint quoad gratiam ſaporis, majore appetitu tamen aſſumunt.

REGULA V.

Oblatio officii Medico parit contemtum. Neque per alios hoc fiat, neque propria commendatione. Multi quidem ſunt, quorum cura omnis in eo conſiſtit, ut pateat ægrotis inſerviendi cupido, inde aniculas quasdam mercede conducunt, qui dominum Doctorem data occaſione de meliori commendant, quo vero ſucceſſu id fiat, experientia docet; plerumque enim autoritas & fama non diu durant, præſertim ſi pactum inno.eſcat & eruditio promiſſis anicularum non reſpondeat. Eruditio ſemet commendat, quod tamen non interdictum eſt Medico; verum officia ſua offerre & alterum coram ægroto obtrectare turpe eſt, etiamſi maxime incongrua deprehendantur; quod quidem alteri demonſtrandum eſt, ſed tempore convenienti non circa decumbentis lectum, qua difficillime ægrotus ſibi perſuadebit hanc monitionem ſuæ ſalutis cauſa fieri, potius inducitur credere, quod propriæ utilitatis ergo hoc faciat; quo non ſolum famam, ſed & amicitiam ægroti atque Medici amittit.

REGULA VI.

Medicus eſt omnium horarum homo omnibuſque invigilare debet. Non imitetur ſegniores aniculas, ſed ipſe ſit alacris, præſertim nocturno tempore, & ſiquis acceſſum poſtulat non retardet; poteſt enim urgens ſymptoma adeſſe, quod non ſperaverat: itaque accedere feſtinet, ſciatque turpe eſſe, Medicum ex ſexcentis ſcriniis veſtimentorum ornamenta conquirere priuſquam ægrum adeat, vel commoditatis gratia pulſantibus fores relinquere clauſas.

REGULA VII.

In tempore venire omnium rerum eſt primum. Hoc præſtare debet partim præſentia ſua, partim per medicamenta, præſertim quando in malignis febribus periculum imminere intelligit, quo removendo non cunctetur. Optandum quoque erat, ut ægroti hanc regulam melius obſervarent Medicique auxilium implorandum haud diutius differrent, ſed properarent; ſæpiſſime enim culpa triſtioris effectus non Medico ſed ipſi cunctanti ægroto & adſtantibus tardis debetur. At

Principiis obſta, ſero medicina paratur.

REGULA VIII.

Turpe eſt Medicum eſſe ebrium. Famam qui quærit ebrieta-

ebrietatem fugiat, ſana ratio ebrietate perit, ineptumque illum reddit ad præſtandum debitum officium, præſertim ſi tempore noctis neceſſitas conſilium urgeat, quo ebrius ſomno obrutus non poteſt excitari, ſique tandem evigilet temulentus eſt, nec ſcit, quid dicat, aut ſcribat, quare ceu peſtem fugiat ebrietatem ejuſque amatores.

REGULA IX.

Gravitatem temperet humanitate deponatque omnem ſeveritatem. Hoc ipſo non omnis interdicitur gravitas, ſed exceſſiva, quæ nomine moroſitatis inſigniri meretur.

REGULA X.

Non accedat ſaltem ut videatur, ſed etiam ut loquatur. Medici multi ea gaudent conſuetudine, ut lecto aſſidentes nil, niſi interrogati loquantur, quod maxime reprehendendum; eum enim in finem poſtulatur, ut examinet ægrotum, morbi naturam exploret & ſcrutetur cauſas conveniente medicamento tollendas. Plurimi vero peccant in exceſſu contra hanc regulam, qui garrulitate magnam ægrotis interdum contrahunt moleſtiam, dum novellas referunt, cœlique tempeſtates examinant, aut ægrotorum ſeriem eorumque conſtitutionem tempus fallendi gratia recenſent, quo ipſo tamen omnem fiduciam amittunt. Sic enim ægroti garrulum perſpecti exiſtimant, quod præſens de aliis, hoc etiam poſt diſceſſum de ipſis loquatur.

REGULA XI.

Nec jactantia nec pollicitationibus occupetur. Plurimis modis contra hanc regulam peccant nonnulli, quando vel ratione medicamentorum vel ratione eventus morborum plura promittunt, quam præſtare valent, aut medicamenta & eruditionem ſuam in cœlum uſque extollunt. Principio quidem ejuſmodi jactatores magnam ſibi conciliant famam, ſed non diu durantem, uti videmus in empyricis, quorum jactantia mox pateſcit.

REGULA XII.

In acutis morbis ſæpius, in chronicis vero rarius ægrotum viſitet Medicus. Sæpius in acutis punctum temporis neglectum mortis periculum afferre ſolet, præſertim circa dies criticos ſcilicet quartum, ſeptimum, nonum, undecimum, decimum quartum & vigeſimum primum, qui probe obſervandi, & in quibus ægrotus frequentiſſime viſitandus, quo mutationibus ſæpius in hora multoties variantibus occurrere queat. Nec opiata nec evacuantia circa hos dies exhibeat, ſed ſolam naturam operari ſinat, quod veteres jam optime cognoverunt, quando dixerunt: *In diebus criticis nihil movendum eſt.* Cæteroquin regulæ quque diætæ probe obſervandæ atque aëris conditio, quoniam minimus auræ frigidæ adſpiratus mortem nonnunquam conciliare ſolet.

REGULA XIII.

Medicus ſit alacris in ipſis morbis. Alacritas maxime requiritur, quando aliquem invadit apoplexia, catarrhus ſuffocativus aut ſimilis morbus repentinus; quando perſona illuſtris ægrotat.

REGULA XIV.

Non temere accedat ad maniacos, vel amentes furentes aut contagioſo morbo laborantes. Periculo enim non vacant. Si contagio infecti viſitandi, Medicus abſtineat apud illos ſalivam deglutire vel lecto affixus halitum ægroti altius inſpirare. Quoniam vero contagii effluvia plerumque per ſalivam communicantur, præſtat contagioſum illud ſtatim corrigere maſticando myrrham vel citrum in viſitatione ægrorum.

REGULA XV.

Non ambratus nec moſchatus facile incedat Medicus, ut taceam quod ſit effœminati hominis, ſaltem hoc urgeo, quod fœminæ à ſuaveolentia abhorrentes faciliime in paſſionem hyſtericam incidant.

REGULA XVI.

Non feſtinet aditum nimis quam par eſt. Quando nullum periculum in mora eſſe cognovit, non adeo feſtinet, ne avaritiæ ſignum præbeat.

REGULA XVII.

Dato ſoſtro non ſtatim remaneat Medicus. Avarorum ægrotorum certe indoles eſt, qui ſtatim quadantenus à morbo liberati Medico ſoſtrum mittunt, ne crebriore viſitatione id quoque creſcat. Hinc una alteraque vice viſitandi adhuc ſunt, ne ſibi perſuadeant, ſolummodo pecuniæ cauſa Medicum acceſſiſſe; Obſervet tamen Medicus modum, ne videatur ſoſtri cauſa viſitationes crebro repetere, propterea quoque ſub ingreſſu veniam acceſſus precari poteſt.

CAPUT II.

De eo quod Medico obſervandum eſt in ægro ſub morbi ſtatu per varia examina.

Examinanda ſunt præcipue ſequentia: Urina, excrementa alvi, pulſus, oculi, ſaliva, temperamentum, victus ratio, conſuetudo.

Judicium ex inſpectione Urinæ.

REGULA I.

Errant, qui urinæ inſpectionem negligunt vel dedecori eſſe judicant ipſi Medico. Ex urina ſtatum ſanguinis atque ſeri probe cognoſcere poſſumus; itaque non negligenda eſt inſpectio ejus, ſed ſumme neceſſaria apud ægrotorum lectum, licet ea, quæ domi peragitur, non approbanda ſit.

REGULA II.

Non ſoli urinæ fidendum eſt, ſed ſemper alia ſigna conjungenda ſunt. Ex urina quidem præcipua habemus ſigna, ſed non ſufficiunt, niſi alia conjungantur. Omnia autem externa talia ſunt, ex quibus judicare licet ſtatum ſanguinis & viſcerum. Ex quiete ſenſuum & recto eorum uſu, mente tranquilla cognoſcimus ſtatum cerebri, nervorum & ſpirituum animalium actionem. Vitales vero motus perſpicimus ex pulſu, qualis verbi gratia ſit tranſpiratio. Actiones denique naturales judicamus ex egeſtis, urina ſcilicet, alvi excrementis & ſaliva. Præcipue autem indicat urina digeſtionem ventriculi ſerique ſtatum, ejus abundantiam aut defectum, item an tenue ſit, an craſſum. Urina cum pure permixta indicare poteſt renum corruptionem; urina rubra inflammationem viſcerum; in hectica, phthiſi atque hydrope urina utplurimum eſt eadem, quare ad alia ſigna ſimul attendendum eſt.

REGU-

REGULA III.

Non judicium ferre Medicus debet ex urina ſola tranſmiſſa. Multi urinam adportantes adeo obſtinati ſunt, ut plane non reſpondeant rogati de ægroti ſtatu. Interdum etiam ex locis peregrinis diſſitis urina transmittitur & deſideratur judicium; ſed niſi ſimul deſcribatur ætas, ſexus, & an ægrotus lecto detineatur, tunc non accipienda urina, ſed abſque omni judicio remittenda.

REGULA IV.

Quantum fieri poteſt id agant Medici, ut tollant urinæ inſpectionem in domo ſua. Allaborandum Medico eſt, ut diſſuadeat hominibus ex urina magiam, ut ita dicam, expetere.

REGULA V.

Non certum poteſt ferri judicium, niſi notæ adhuc ſint aliæ circumſtantiæ. Ideoque præmittere debet Medicus quoſdam generales circa morbi ſtatum quæſtiones. Primo ratione durationis morbi quæritur, an perſona illa jam diu decubuerit? tunc ſtatim reſponſione produnt ſexum dicuntque: ille vel illa diu quidem male ſe habuit, ſed nondum in lecto detenta fuit; & ſic non opus eſt, ut ratione ſexus aliam proponam quæſtionem. Quia hæc urina pauca, quæro an omnis urina una vice excuſſa allata ſit? Si affirmatur poſſum dicere: profecto puer eſt. Quæro itaque ratione ætatis, tunc ejuſdem determinatam ætatem ſponte indicant. Quando ad primam quæſtionem reſpondent, per 4. vel 5. dies continuas ſemper decubuit, cognoſco morbum acutum; ſi itaque urina rubicunda abſque præcipitatione, quæritur an tuſſis ſimul adſit? ſi affirmatur, eſt pleuritis vel peripneumonia. Symptomata recenſeo: parum dormit, eſt ſemper inquietus, dolor punctorius intolerabilis in latere ſub coſtis, in latus illud ſe reponere nequit, difficulter reſpirat, valde ſitit, calet; quod ipſis ſummam admirationem parit. Si vero tuſſis non conjuncta eſt, indicat febrem ardentem acutam, & tunc dico: caret appetitu, non dormit, calet, ſitit, pulſus celer. Si variolæ graſſantur, & dolor in dorſo ſentitur, quod ipſi ſæpius dicunt, dolores in dorſo ſentiit, ſed tamen non decubuit, tunc dico: Fortaſſe variolæ in herba latent. Si vero tempus eruptionis præterlapſum eſt, & ſentitur dolor in dorſo, & quaſi ſcindens in renibus indicatur renum inflammatio, ſi non ſemper lecto detinetur æger, concludo febrem; ſi diutius querelis morbum protulerit & decumbit, appropinquat hectica, præſertim ſi urina rubicunda, quæro itaque an tuſſi ſicca laboret? ex affirmatione reſpondeo: per noctem ſemper ſudat æger, ſique urina præcipitatur, parum concurrit tumoris; ſi vero tuſſis adeſt, quæro, an tumore laboret? tunc refero ſymptomata, ſi affirmetur. Si urina craſſa & bruna, indicat icterum. Si æger non decumbit, urina exiſtente candida, dico: ventriculus eſt depravatus; ſi anicula, tunc illa inclinat ad cachexiam ſcorbuticam, cujus ſymptomata explico. Si urina rubicunda abſque ſedimento in decumbente muliere, quæro: an frequenter illo morbo affligetur? tunc inclinat ad paſſionem hyſtericam, cujus ſymptomata enarro, imprimis ſi dolor ſimul circa præcordia obſervetur. Si urina rubra pellucida in maſculo, quæritur; an dolores in artubus ſentiat, quod indicat arthritidem.

REGULA VI.

In morbis acutiſſimis urinæ inſpectio ſumme neceſſaria eſt. In peripneumonia, febribus acutis & omnibus inflammationibus, ut & in febribus intermittentibus ſumme neceſſaria eſt urinæ inſpectio. Si autem in febribus acutis non mutetur urina, ſed in eodem ſemper permaneat ſtatu, peſſimum ſignum, ſi vero mutetur, ſperanda convaleſcentia eſt, imprimis ſi pellucida præcipitetur; ſi ab initio ſemper obſervatur craſſa & permanet in eodem ſtatu, peſſimum eſt.

REGULA VII.

Urina non poſt cibum aut potum emiſſa, ſed poſt coctionem abſolutam inſpicienda eſt. Quærendum itaque, an juſto tempore urina aſſervata fuerit? quæ veſperi hora quinta vel ſexta ante cœnam vel mane circa horam ſextam, quando aſſurgere ſolemus mittitur, optima eſt.

REGULA VIII.

Urina craſſa in infantibus voracibus & ſenibus nil donat mali, modo ventriculo ſuccurratur abſtergentibus leniterque purgantibus; in ſenibus indicat concoctionem pravam. Sed tamen bene diſtinguenda eſt urina humana ab urina jumentorum. Horum urinam cognoſcimus ex odore, item ex colore, quoniam turbida eſt, non clara nec pellucida ſed lutea quodammodo vel viridis vel virideſcens. Urina inſtar lixivii ſcorbutum indicat.

REGULA IX.

Urina exiſtente craſſa, cæteris paribus purgatio ut plurimum indicatur. Adhibito uno purgante vel vomitorio, urina redditur genuina.

REGULA X.

Urina quæ antea fuit clara, & deinde turbida craſſa fit, vel etiam vice verſa, indicat calculum. Si ſcilicet abſque medicamentis prius adſumtis talis appareat, tunc conveniunt leniora diuretica, præſertim ſi urina clara ex alba fit craſſa, atque indicat reſolutionem materiæ. Si igitur craſſa ſuccurrendum reſolventibus.

REGULA XI.

Craſſa ſimul & flava urina & bruni coloris linteamina tingens icterum indicat, & quo magis atro colore apparet, icterum nigrum. Hæc ſigna ſunt infallibilia, dicimus itaque: fæces albas deponit per alvum, appetitus eſt proſtatus, ſitit, calet, oculi flavent.

REGULA XII.

Urina aquoſa minus colorata niſi à nimio potu, ut plurimum indicat ſanguinis vitium conſiſtere in principio ſulphureo minus ſubtiliſato. Hæc plegmaticis & ſenibus propria eſt, accidit poſt uſum lactis in hypochondriacis; in calculoſis, propter conſtrictionem tubulorum renalium. Si urina talis copioſius mingitur, plus quam liquidi aſſumtum fuerit, denotat diabetem. Talis urina abſque tinctura emiſſa in febribus malignis, notat triſtiſſimum eventum; indicat enim turbatam penitus deſtructamque maſſæ ſanguineæ unionem atque partium ſeroſarum ſeceſſionem, quando nempe accidit ex motu circulationis ſanguinis deficiente.

REGULA XIII.

Omnis tenuis & aquoſa urina in febribus dicitur cruda. Talis urina indicat recidivam vel morbi contumaciam.

tumaciam. Notandum vero eſt, urinam tempore paroxyſmi ſecretam raro obtinere ſedimentum, ſed tempore intermiſſionis.

REGULA XIV.

In virginibus tenuis aquoſa urina chloroſin ſignificat. Chloroſis nil aliud eſt, quam cachexia cum febre lenta vel amatoria conjuncta orta utplurimum ex menſium ſuppreſſione, ex hac vero motus ſanguinis fit lentior & tranſpiratio impeditior, unde collectio copioſioris ſeri per urinam ſecedentis. In viris notat cachexiam ſeu hydropem, ſi vero non diu durat talis urina notat apepſiam atque bilis defectum, & tunc conveniunt balſamica atque amara, elixiria, extracta amara, item tinctura antimonii, ſalia volatilia oleoſa concoctionem promoventia.

REGULA XV.

Urina oleoſa in macilentis notat hecticam. Duplex eſt talis urina vel oleoſa, vel oleaginoſa quoad totem ſubſtantiam. Quando mincta in matulam ſine ullo ſibilo ac ſtrepitu miſcetur, tunc oleoſa dicitur, & pingue ſupernatat. Oleaginoſa vero parietibus urinalis adhæret, & vitrum reddit opacum. Prior notatur in hypochondriacis hecticis, altera etiam in ſanis obſervatur, ſcilicet in voracibus; talis quoque in omnibus febribus ardentibus.

REGULA XVI.

Si copioſa excernitur urina in cachexia & hydrope, bonum eſt ſignum, notat enim ſeri ſtagnantis ſeceſſionem.

REGULA XVII.

Urina copioſa à diureticis aſſumtis nihil mali portendit, ſed potius bonum eſt ſignum. Diuretica virtutem habent colliquandi ſerum, ſimul etiam laxant conſtrictos poros renales, quare omnia ſalia acida ſunt diuretica. Poſt diureticum datum tota urinæ quantitas oſtendi debet Medico.

REGULA XVIII.

Si ſudor & aliæ egeſtiones ceſſant, tunc copioſius mingitur. Bene SANCTORIUS: *Quando copioſior aſſumtis urina mingitur, tranſpirationem ceſſare.* Et hoc videmus tempore brumali.

REGULA XIX.

Mulieres plus mingunt, quam viri, quia ſunt feroſiores, humidiores & frigidiores.

REGULA XX.

Clara in infantibus ſæpe mingitur urina, quod ob defectum bilis accidit.

REGULA XXI.

Pueri quoque copioſius mingunt quam adulti. Non ſolum copioſius mingunt, ſed etiam ſæpius, propter temperamentum humidum, & niſi mingant, peſſimum ſignum eſt; ſi infantes ſæpius reperiantur in linteamentis humidis, bonum eſt; Sin minus vel ægrotant, vel nutrices lacte deſtituuntur, quod propter remotionis metum ſæpiſſime celant.

REGULA XXII.

Mala eſt alba & clara urina in ictero, minatur utplurimum hydropem. Indicium eſt, bilem eſſe inertem, craſſam, humores craſſos, ad tincturam inertes.

REGULA XXIII.

Sperma in urina ſupernatans notat pollutiones nocturnas vel etiam gonorrhœam. Diſtingui poteſt ſperma à pituita, quæ conſtanter fundum petit, licet agitetur: à pure quod etiam fundum petit, quod mediæ quaſi eſt naturæ & citius reſolvitur quam pituita.

REGULA XXIV.

Urina ſanguinea notat mictum cruentum & læſionem renum, utplurimum nephritidem. Fit nephritis in fœminis à menſium, in viris ab hæmorrhoidum ſuppreſſione. Urina ſanguinea diſtinguitur à rubicunda ſaturata, quod in hac grumi farinacei inſtar antimonii fundum petant, & quamvis tunc mixtura fiat clarior, tamen obſcure cruenta manet; hæc indicat calculum.

REGULA XXV.

Urina alba inſtar ſeri lactis, quæ ſedimentum ponit album, in infantibus utplurimum denotat vermes. Vel ſi pauca guttatim & cum dolore excernitur in adultis calculum veſicæ. In infantibus vermibus laborantibus notatur defectus bilis, parum comedunt, nunc rubent, nunc pallent, pruritum narium ſentiunt, abdomen nonnunquam intumeſcit; conveniunt amara, martialia. In adultis talis urina ſolemniter notat appetitus proſtrationem læſamque digeſtionem, item bilis defectum; & tunc adhibeantur volatilia amara v. g. centaurium minus & bilem reſtituentia.

REGULA XXVI.

Quo magis color urinæ à naturali flavo recedit, eo pejor eſt. Naturalis urinæ color eſt flavus aurei coloris; quo magis itaque excedit, eo auctiorem indicat calorem præternaturalem, quo magis vero decedit, eo magis defectum partium ſulphurearum motum, attritumque minorem declarat.

REGULA XXVII.

Urina exceſſive flava fit etiam à medicamentis aſſumptis, ut à rhabarbaro, croco in quantitate aſſumto, maxime in ſubſtantia. A curcuma perfecte redditur flava; adhibetur hæc radix in obſtructionibus hepatis & bile deficiente, in ictero; Indos hanc radicem pro præſtantiſſimo aromate habere ferunt.

REGULA XXVIII.

Flammea urina per modum ſpiritus nitri in deſtillatione tranſeuntis, ſignificat utplurimum febrem tertianam non notham, ſed exquiſite veram.

REGULA XXIX.

Urina ruffa calorem præternaturalem notat, & quo major eſt rubedo, eo major extrinſecus calor. Augmentum & decrementum caloris interni cognoſcitur optime, ſi recipiatur unica uncia urinæ, & affundatur aquæ ſimplicis quantum ſufficit ad naturalem colorem, & apparebit urinæ ejuſmodi unciam unam interdum recipere, aquæ ſimplicis uncias duas. Hoc ipſo experi-

experimento brevi compendio quotidie caloris decrementum explorari poterit. Ejuſmodi vero urina indicat ſeri defectum, ſulphuris vero exceſſum, & obſervatur utplurimum in omnibus inflammationibus.

Regula XXX.

Quando urina rubicunda abſque calore, notat ſcorbutum, quo magis exaltatus color deprehenditur, eo pejus eſt malum, & notat abundantiam ſalium excrementitiorum.

Regula XXXI.

A nimio motu corporis & animi, à defectu humidi, ut & ab ira nonnunquam, urina talis rubicunda ſecedere ſolet. Nihil mali hoc portendit; poſſumus enim mox ſuccurrere diluentibus, infuſo herbæ thee. Similis urina cum ſedimento obſervatur etiam poſt diuturnas vigilias.

Regula XXXII.

Urina naturali ſimilis etiam eſt in multis morbis & maxime in febribus malignis, petechialibus, pleuritide maligna, uno verbo in omnibus inflammationibus malignis.

Regula XXXIII.

Urina ſaturate rubicunda vel etiam ſanguinea in variolis & morbillis magnum portendit periculum. Plerumque inflammationem internam occurrentem indicat, præſertim cum poſt diem quintum vel ſextum accidat.

Regula XXXIV.

Urina rubicunda citra ſedimentum, quodammodo turbida cum bullis ſignificat utplurimum morbos pectoris, aſthma, catarrhum ſuffocativum, ſummam reſpirandi difficultatem, palpitationem cordis.

Regula XXXV.

Quando urina obſervatur nigra, à plurimis pro ſigno lethali habetur; ſed falſum hoc eſt: talis enim ſæpius obſervata fuit in melancholicis & poſt martialium uſum, ubi utique non adeo bonum eſt.

Regula XXXVI.

Urina livida convulſivos motus indicat, item urina rubicunda abſque ſedimento.

Regula XXXVII.

Pus in urina notat abſceſſum.

Regula XXXVIII.

Imprægnatio ex urina non poteſt cognoſci.

Regula XXXIX.

Furfures farinacei excoriationem veſicæ indicant.

Regula XL.

In menſium ſuppreſſione urina eſt turbida, qualis etiam in gravidis accidit.

Regula XLI.

Indicatio particularis ex urina temeraria eſt. Non poſſumus determinare in qua parte malum hæreat, quia urina non communicat cum cauſis externis, ſed totum fundamentum in eo conſiſtit, ut dignoſcamus ſtatum ſanguinis. Non autem ſufficit ſola urinæ inſpectio, ſed ulterius examinanda eſt quandoque per coctionem atque evaporationem, ut cognoſcamus, quantum ſalis, aquoſi & ſulphuris in ea contineatur. Vini & cereviſiæ craſſioris potatores excernunt urinam copioſo ſale volatili prægnantem: item juvenes præ ſenibus, id quod per deſtillationem intelligitur. Denique non de nihilo eſt illud examen, quod Hippocrates ſuo jam tempore inſtituit quando ponderavit urinam, vel per ſe, vel cum inſtrumentis ſtaticis.

Judicium circa alvi excrementa & quæ per ſuperiora excernuntur.

Hæc imprimis in perſonis ſuperioris conditionis & dignitatis inſpicere non detrectet Medicus. Natura enim præſide nihil turpe. Egregia cognitio exinde habetur in diarrhœa, dyſenteria, ubi videndum an excrementa pure vel ſanguine ſint mixta, an ipſa ſubſtantia inteſtinorum membranacea jam ſit eroſa, vel ſaltem pura lympha excernatur? Deinde quoque inter deponendam alvum inſpicienda ſunt excrementa, ſemper enim in dyſenteria cum dolore excernuntur. Porro ex inſpectione excrementorum innoteſcit ſtatus digeſtionis & conditio bilis, cujus quantitatem teſtantur ipſa excrementa. Si fæces deprehenduntur albæ, indicatur bilem non effundi in duodenum propter ductus choledochi obſtructionem, ſed tranſire ad maſſam ſanguinis & creare icterum. Si vero abſque icteri ſuſpicione apparent excrementa alba, notat bilem non ſatis eſſe ſulphuream. Viridia excrementa in infantibus nonnunquam ſunt prodromus epilepſiæ infantum vel colicæ ſpaſmodicæ, & indicant, magnam acidi quantitatem adeſſe cum bile. Quando enim ejuſmodi excrementis viridibus inſtillatur oleum tartari per deliquium, convertitur viriditas in flavedinem, quod etiam contingit, ſi per vomitum viridiſſima excernantur, acidum enim abſorbetur ab alcalibus. Neceſſe quoque eſt, ut perſpiciat Medicus, an fæces ſint nigræ, quod accidit poſt martialia aſſumta, poſt limaturam martis & tincturam ejus, item poſt acidulorum uſum. Sic quoque ex tempore fæcibus nigredo conciliari poteſt, ſi adjicitur vitriolum. Sed tamen non vacat periculo color nigricans excrementorum, ſi abſque martialibus aſſumptis accidat; obſervantur talia in vitio lienis, & quod peſſimum eſt, in inteſtinis corruptis, quod in Weſtphalia notavimus in mercatore quodam, ubi ante decimum quartum diem obitus nigerrima excrementa prodiere, ſecto vero cadavere, inteſtina plane eroſa inveniebantur. Nonnunquam etiam ipſi Medici hoc ſtratagemate utuntur in morbis malignis, præſertim ſi periculum immineat, martialia adhibent culpam à ſe declinantes, ſi non ex voto obſervetur eventus. Porro attendatur, an cibi ſecedant integri, an ſemi-digeſti? hoc in fluxu cœliaco, illud vero in lienteria obſervatur. Tandem ſi multæ exeant bullulæ, indicatur flatulentia. Quando maximus adeſt fœtor, indicatur inflammatio.

Apud plebeios vero ſufficit relationem de fæcibus ab aliis audire. Per ſuperiora ejiciuntur vel pituitoſa vel bilioſa, quorum inſpectionem primarum viarum ſtatum patefacientem, utcunque admittere licet.

Judicium circa pulſum.

Ante omnia Medicus pulſum tangat, & ex ipſo judicium formet. De pulſuum differentia videri poteſt Sylvius. Motus cordis oritur à motu ſanguinis & ſpirituum animalium. Magnus itaque pulſus indicat mo-

tum ſanguinis fortiſſimum. Debilis atque frequens indicat motum ſanguinis inteſtinum vitioſum cum ſpirituum defectu. Omnis debilis pulſus ante paroxyſmum fit debilior, interdum plane intermittens. Inæqualis pulſus indicat ſanguinis mixtionem inæqualem; intermittens notat deſtructionem maſſæ ſanguineæ, ſpaſmum cordis, catarrhum ſuffocativum, aſthma, & vitioſam ſanguinis circulationem in pulmonibus. Plane intermittens indicat ſyncopen, vel mortem. Magnus & æqualis indicat copiam ſpirituum & ſanguinis motum inteſtinum legitimum; celer & inæqualis, ſi concurrat ſudor, cum defectu ſpirituum, luctuoſum eventum. Medicus pulſum obſervaturus, ſemper attendat ad ſequentes regulas:

Regula I.

Non ſtatim in acceſſu, præſertim tempore hibernali, tangendus eſt pulſus. Sæpius terrore percutiuntur ægri à manu frigida, itaque expectandum, donec manus Medici incaleſcat in hypocauſto.

Regula II.

Non ſolum ex pulſu judicandum, ſed ex aliis ſimul collective ſumtis circumſtantiis. Interdum enim pulſus eſt bonus, urina bona & tamen æger moritur. Hoc accidit in ſenibus, & perſonis ſanguinis viſciditate laborantibus, ſi in his concurrat calor internus, evadit naturali & ſanorum pulſui ſimillimus in ſe nimirum ſpectatus, & tamen exiſtit vitioſus, & præternaturalis ratione ſubjecti ægrotantis. Itaque accedat ætatum & temperamentorum contemplatio, cholerici enim in febribus ſemper celeriori gaudent pulſu, item infantes.

Judicium ex oculis.

Ex oculis judicare poſſumus ſtatum morbi ejuſque vehementiam ut & ſpirituum animalium conditionem. Si clari & fugitivi apparent, ſomno præſertim deficiente certiſſime imminet delirium. Commendavit itaque Hippocrates inſpectionem oculorum idque non ſine ratione.

Judicium ex ſaliva & lympha.

Inſpectio ſalivæ ſumme eſt neceſſaria, eſt enim menſtruum ventriculi ſaliva, & indicat vitium ſtomachi & digeſtionis, depravationem ſi eadem male conſtituta eſt. Acrimonia ſalivæ venerem vel ferrum arrodens indicat aciditatem: ſpumoſa & pauca ſaliva indicat influxum ſpirituum copioſorum; aquoſa defectum ſpirituum. In ſumma, qualis ſaliva, talis digeſtio.

Judicium ex temperamentis.

Ante omnia Medicus accedens ad ægrotum inquirat in ejus temperamentum vel partium ſolidarum. Horum temperies dicitur habitus corporis, ex quo multa concludere licet. Circa fluidarum temperiem attendatur, qualis humorum ſit proportio, an ſit in æquilibrio? an prædominetur ſulphur? an acidum? Qualis enim ſanguis, talis color corporis. Pituitoſorum color albus eſt, ſanguineorum ex rubro pallidus, melancholicorum lividus, cholericorum ruber igneus. Ex oculis quoque cognoſcitur temperamentum: cholericorum oculi ſunt ignei, ſumme mobiles, nigri; pituitoſorum oculi ſunt majores, non adeo mobiles: melancholicorum oculi ſemper in terram ſunt fixi. Per excretiones quoque cognoſcitur temperamentum; ſanguinei majorem habent tranſpirationem, multum ſudoris profundunt: in cholericis contrarium obſervatur; phlegmatici abundant viſciditate ſudantque. In actionibus, ſanguinei ſunt hilares, inconſtantes, quidquid in mentem venit, lingua profert: cholerici ſunt ſuperbi, non diu deliberant, quid agendum. Notabile eſt, quod Galenus dixit: *Mores animi ſequi temperamentum corporis*, quod præſertim apparet in ſtatu morboſo, quoniam arctiſſimum inter animam & corpus datur vinculum: ſic in melancholicis actiones reſpondent temperiei corporis, ſomnolenti ſunt, in omnibus actionibus impedimenta inveniunt, & cogitationes fixas habent propter tardiorem ſanguinis motum: in cholericis, cum ſanguis in illis celerius moveatur, neceſſe eſt, ut animo commoveantur magis: ſanguinei propter fluidiorem ſanguinis motum, celeriores habent inclinationes, nihil plane curant, ſunt hilares, ad Venerem proclives, & in genere ab omnibus iſtis rebus afficiuntur, quæ ad voluptatem pertinent. Ex ingenio quoque ægrorum temperamentum apparet: cholerici ſunt impatientes, iraſcuntur facile, ad delirium inclinant, loquuntur impetuoſe, non diu in lecto detineri poſſunt, ſed ſtatim curari cupiunt: pituitoſi nimis ſunt patientes & parum loquuntur: melancholici non facile fidunt Medico, omnia obſervant dicta, & facile deſperant: ſanguinei ſunt inconſtantes, facile mutant Medicum, & medicamenta omnia adſumunt. Judæi fere omnes ſunt melancholici, non omnia adſumunt, quæ Medicus præbet. Temperamentum, quod cadit in partes ſolidas eſt duplex: alterum laxius, mollius & ſpongioſius; alterum ſtrictius & arctius. In priori venæ ſunt minores, in poſteriori vero majores ſanguine turgidæ, quoniam parva ſanguinis quantitas reperitur in vaſis arctioribus. Sanguinei dicuntur, qui non ſolum multum ſanguinem verum etiam copioſum in carne, paucasque venas habent; his ſi accedant humores pituitoſi, dicuntur phlegmatici. Inde facile apparet, quod unum temperamentum tranſmutari queat in alterum per victum & medicamenta, ſic ſi phlegmatici utuntur ſpirituoſis & motu corporis, fieri poſſunt ſanguinei; item ex cholericis melancholici & contra. Hæc omnia bene cognoſcenda, ſi accuratius in cauſas ſtatumque morbi inquirere velimus.

Judicium ex victus ratione.

Medicus apud ægrotum potiſſimum etiam indagare debet victus rationem, an craſſo, an tenui vel medio utatur victu? an multa comedat, an acidis utatur, leguminoſis, viſcidis. Etenim ex ratione vivendi & victu dependet temperamentum & conſtitutio ſanguinis, ita ut qui craſſum cibum amant, craſſo quoque gaudeant ſanguine, & hac de cauſa etiam diutius ægrotent, corripiantur morbis chronicis; ubi vero ſanguis mobilior, ibi facilius evaneſcit morbus. Deinde etiam quærendum, quali liquido uſus fuerit antea ægrotus, an tenui cereviſia, vel lupulata, an vino vel aqua, & qualis fuerit? qualis enim aqua, tales utplurimum ſolent eſſe humores ſanguiniſque temperies. Si ſalſæ aquæ, plerumque ſcorbutus familiaris ægrotis.

Judicium ex conſuetudine ægrorum.

Exploret Medicus, an æger aſſuetus fuerit longiori ſomno, venæ ſectioni, purgationi, ſudori, vomitui. Fœminæ in ſpecie de menſium conſuetudine quærendæ. Circa morborum conſuetudinem quæratur, an olim hoc morbo correptus fuerit ægrotus, quale initium & qualem finem habuerit, quibus remediis aſſuetus? Si itaque ſtatum ſanguinis præſentem conferat cum præteritis, concludere poterit ex eo ſanguinis temperiem, morbi ſtatum & medicamenti inventionem.

CAPUT

CAPUT III.

De Medici prudentia reſpectu ſui erga ægros.

REGULA I.

Qui Medici curæ demandati ſunt, fideliter tractentur. Fidelitas duplici modo conſideranda eſt: 1) diligenter viſitandus eſt ægrotus: 2) medicamenta neceſſaria præſcribenda, addito ſemper legitimo utendi modo, & ſemper præſcriptorum effectus ſedulo eſt examinandus. Perverſus ſane & plane improbandus eſt mos quorundam ægrorum, qui binos ſemper adhibent Medicos, periculum exinde ſæpius ſibi contrahentes. Neuter enim in opere diligens; quodque uni faciendum erat, id alterum jam feciſſe vel facturum eſſe credit; ſic æger negligitur ſeroque priſtinam recuperat ſanitatem.

REGULA II.

Docti ſunt docte tractandi. Accidit interdum, quod docti ægrotantes phyſicam callentes evolvant libros aliquos Medicorum curioſos, præſertim circa affectum illum, quo corripiuntur. Hi ſucceſſu temporis vel ex diuturna conſuetudine intercedente cum Medico, vel etiam ex autorum diligenti lectione non levem acquiſivere ſcientiam, didicerunt linguam Medicam, licet non abſque ſumptibus. Sæpius enim Medico eruditiſſimas proponunt quæſtiones, ad quas reſpondere res non levioris eſt negotii. Moneo autem, ut tum reſpondeatur cum judicio & ratione de præſenti affectu ejuſque cauſa magis ſpeciatim indicetur docta partim addita ratione, quare hoc vel illud medicamentum in præſenti affectu eligendum. Indoctis & ignaris ſufficit generalis affectus explicatio, exempli gratia: ventriculus eſt depravatus, hepar eſt obſtructum, ſplen intumefactus, ſanguis eſt corruptus. Semidoctis etiam explicet morborum quæſtiones, licet non omnia intelligant, ne hoc neglecto, æger Medici ſcientiam leviorem judicet.

REGULA III.

Qui morem non gerunt, eos mature deſerat Medicus, ne poſtmodum infelici ſubſequente effectu culpa ab imperitiori vulgo Medico ipſi tribuatur.

REGULA IV.

Apud contumaces opus eſt parrheſia interdum & fallacia. Serium ſe præbeat Medicus contra ejuſmodi ægrotos; multi enim timentes autoritatem Medici citius obſequium præſtant & lubentiſſime adſumunt, quod Medico abſente detrectant. Inter plebeios etiam non vereatur objurgationibus uti, præſertim ſi nulla inter ipſos & medicamenta ſit antipathia. Fallacia interdum requiritur, quando ægroti præ timore aſſumere recuſant vomitoria, purgantia, mercurialia, ſub ſpecie aliorum medicamentorum propinari poſſunt, ſique voce ſupplici à Medico contendunt, ne talia præſcribat, reſpondendum eſt quandoque: abſit, talia non exhibeo, minime propinabitur tale; ſed tamen ſpero, quod analepticum ſeu confortans aliquod remedium non detrectabis. Sic aſſumere ſolent ea, quæ citra rationem abhorrent, ſub ſpecie analepticorum, quæ alias præ timore præpoſtero vel imperitia reſpuerent. Quandoque vero abhorrent medicamenta in officinis parata, exiſtimantes omnia ex pharmacopolio allata ingrata eſſe, his domeſtica præſcribenda ſimpliciaque, vel herbæ quædam loco Thee, quas ipſi miſcere & præparare poſſunt. Hæc optima ſæpe eſt methodus, quia ſub ſpecie domeſticorum ægroti ipſi pulcherrima interdum ſic miſcent medicamenta, quæ ſi ex officinis allata eſſent, tanquam nauſeoſa rejicerentur.

REGULA V.

Æger non facile eſt deſerendus. Sine ratione agunt, qui ægrotis nullum auxilium ſupereſſe plane pronunciant, multo minus, qui eos deſerit; interdum enim ex tali immatura prognoſi Medicus non leves maculas famæ ſuæ inurit. Hinc alterum, forſan empiricum conſulunt, qui licet morbus valde ſit malignus, pro more tamen enumerat, quod jam profligaverit plures tales morbos, quo fit, ut confirmato ægrotantis animo, natura omnes in profligando eo morbo colligat vires & adhibeat; accidit & hoc, quod poſtea talis agyrta mirum in modum commendetur, & licet maximos in praxi ſua committat errores, unicus tamen morbus ab aliis lethalis pronunciatus, & ab ipſo caſu & feliciter ſed beneficio naturæ curatus, omnes tegit errores; nec adhibetur fides, ſi rationalis Medicus demonſtret illos, & quantum noceant ejuſmodi jactatores, quia ex invidia tale judicium natum eſſe creditur. Itaque omnibus modis abſtinendum eſt ab ejuſmodi loquendi formulis: amplius ſuccurrere neſcio; quibus remediis ſi parum proficitur, neſcio quid ſuperſit; tunc enim ſtatim alium in auxilium vocant.

REGULA VI.

Mutatio vaga ægrotorum contemnenda eſt à Medico. Inveniuntur multi chronicis laborantes morbis v. g. malo hypochondriaco, phthiſi, podagra, qui ſtatim ad alium confugiunt Medicum, ſi auxilium promiſſum paulo diutius diſtrahatur. Sed peſſima hæc conſuetudo non eſt approbanda, nec ægris ipſis conducit, quando ipſum cui natura illorum eſt cognita, deſerere ſatagunt.

REGULA VII.

Ipſe Medicus, quando ægrotat, alios quoque tempore neceſſitatis conſulat. Hoc nemo vitio vertat Medico, imprimis acuto ſi laboret morbo. Multi enim ægrotantes Medici admoniti à proverbio: Medice cura te ipſum, viribus ſuis plus confidentes tunc temporis nimia quam par eſt, adhibita medicamentorum farragine, malum cum impetu detrudere conantur, nec circumſtantias adeo in ſe penſitant omnes quam in aliis, quod ſæpius cum damno experiuntur proprio. Porro non negligat alienam implorare opem, quando fœmina vel liberi ipſius morbo corripiuntur periculoſo, quoniam ipſe præ dolore & triſtitia omnia penſitare nequit.

REGULA VIII.

Peregrini, & extra urbem degentes à Medico nunquam longius detinendi ſed citius expediendi ſunt. Interdum enim periculum in mora eſt, locique diſtantia ſubitaneam requirit reſponſionem. Hi itaque, qui in civitate degunt, tali in caſu melius expectare poſſunt quam extranei. Hoc quoque obſervetur, quod ſemper chartæ demandari debeat peregrinorum ægrotantium morbus cum medicamentis exhibitis. Sæpius enim intra quatuordecim dies redeunt, ſique remedium optatum attigerit finem, denuo ejus tranſmiſſionem deſiderant, quo intervallo & ſtatus ægri & medicamenta exhibita oblivioni tradita ſunt. Satius itaque erit omnia literis demandare.

REGULA

Regula IX.

In captioſis quæſtionibus & ſubdolis ſtratagematibus omnia inveſtiganda & cautius penſitanda. Maxima in urina committitur fraudulentia, nam ſæpius ægroti Medicorum ſcientiam explorare cupiunt hoc ſtratagemate: mittunt Medico perignoti cujuſdam ægroti urinam, finguntque ex diſſitis apportari locis, quando itaque judicium ex urina non reſpondet cum illo, quod circa lectum contingit, omnem ſimul amittit æſtimationem. Cavendum itaque, ne ſpecialiora ex urina præſagiantur, item ne unquam per literas urinæ judicium patefaciamus, quia ſæpiſſime ægrotantes circa unius Medici judicium non acquieſcunt, ſed & alterius explorant, quando vero conſilia invicem collata non reſpondent, utriuſque fama periclitatur, quia ægrotantes incerti ſunt, cui habenda ſit fides. Sæpius accedunt mulierculæ extra thorum legitimum impræ gnatæ, ſimulantes ſuppreſſionem menſium, vel alium quemcunque morbum, quibus non ſtatim fidendum eſt, ſed accuratius examinandæ ſunt, ut patefiat illarum conſtitutio, an naturalis ſit, an vero morboſa, & ſic cognoſcet Medicus facillime quid adhibendum, & quidem in menſium ſuppreſſione martialia, tanquam leniora pellentia & aperientia commendantur, quibus non facile abortus cauſatur. In genere quoque circa urinæ inſpectionem conſiderandum, quos & quales in civitate reperiantur morbo chronico laborantes: ſic enim inopinata interdum prognoſis Medico conciliavit famam.

Regula X.

Medicus ſi non lectum adire poteſt tamen per literas conſilio inſerviat. Etſi primus cenſeatur ultimus modus, cum ex adſpectu circa lectum facillime cognoſcatur ægrotorum ſtatus; miſerrima tamen res eſt, quando Medicus ab ortu ſolis uſque ad occaſum per plateas divagari cogatur. Laboret itaque eam potius introducere conſuetudinem, ut poſt unam alteramve viſitationem nuncium transmittant ad Medicum, referantque ægrorum conditionem, ſic multis ſimul inſervire poteſt Medicus abſque incommodo. Dolendum tamen eſt, quod, ſi per literas conſulatur Medicus, ſæpius ea, quæ ſumme neceſſaria ſunt ad morbi cauſam cognoſcendam non referantur, hinc appropriata remedia præſcribi non poſſint. Quo in caſu optimum erit, præſcribere leniora diaphoretica, & in reſponſo adnectere quæſtiones de omnibus circumſtantiis, prout ad lectum fieri ſolet, & ſic demum patefiet Medico ægrotorum conſtitutio.

Regula XI.

Miſerrima res eſt Medici, cui ſemper bene eſt, quando aliis male. Per jocum quandoque dici ſolet, Medicos quotidie Deum implorare, ut morbis afficiat mortales, quando in oratione dominica dicunt: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: quoties enim hæc verba pronunciant, toties ægrotos deſiderant. Sed miſerrima ſane res eſt, ſi Medicus ex ægrotantibus victum & amictum quærit. Et licet decumbentes occurrant, multum tamen exinde felicitatis ſibi promittere non poterit, totus enim ſe tradit ægrotis, totus morbus in Medicum quaſi conjicitur, & aliis inſerviendo ſanitati & vitæ commoditati multum detrahit. Sed tamen convenit Medico majorem ægri gerere curam, quam ipſemet æger ſui.

Caput IV.

De officio Medici circa ſpecialiora objecta, Specialiſſime circa Principes & magnates ægrotantes.

Regula I.

Cordatus ſit Medicus non timidus. Imperator enim corporis audit, talem quoque ſe magnatibus exhibeat, cum prudentia tamen præſertim circa adhibenda remedia.

Regula II.

Corporis omne malum tanto conſpectius in ſe, quanto major eſt ille, qui ægrotat. Imprimis apud magnates adhibenda eſt cautio; quo majores enim illi, eo majorem quoque famam conciliat Medico præſtitum auxilium.

Regula III.

Medicus nihil promittat temere. Hoc præſertim obſervandum apud principes & magnates, ut nihil promittamus, niſi quod conſiſtat in noſtra poteſtate; licet enim feliciſſimus aliquando ſequatur effectus, ſpem tamen ſæpe fallere poteſt. Circa opiata tamen nonnunquam, in ſedandis ſiſtendiſque doloribus exoptata prognoſis locum habere poteſt, & tali in caſu Medicus Medico conciliat famam, ægrotantes enim putant, quo major dolor, eo propinquior mors, qui tamen facillime ſedari poteſt opiatis & anodynis.

Regula IV.

Non temere contradicat principi patienti, vel aliis Medicis, niſi periculum urgeat. Contradictiones ferre non poſſunt Principes, itaque audiendæ ſunt eorum rationes; qui enim ſimulare neſcit, neſcit curare. Nec perſtringendi ſunt alii Medici apud Principes, ne alteri foveam paraturus ipſe incidat, præſertim ſi intervallo temporis adverſarius ex ſingulari Principis gratia extollatur.

Regula V.

Sola pretioſa, ſive revera talia, ſive venditata, ſola non ſunt propinanda. Viliſſimis rebus majores vires indidit Divinum numen, quam pretioſis, ne pauperes laborantes deſtituantur auxilio, quare viliora ſi abſolute requiruntur, non ſpernenda ſunt, quanquam cariora propter præjudicium majoris efficaciæ etiam addi poſſint.

Regula VI.

In heroicis medicamentis adhibendis apud principes & cordatus & cautus ſit. Venæſectionem, vomitoria, purgantia &c. non facile adhibeat ſolus, niſi cum aliis neceſſitatem illorum perpenderit. e. g. in febribus lentis emetica interdum ſumme ſunt neceſſaria, quibus intermiſſis, febris lenta ſucceſſu temporis mutatur in hecticam. Vid. Ettmullerum in praxi ſua de vomitoriis. Interdum quoque venæſectio rite adminiſtrata graviſſimum in momento tollit morbum, qua vero neglecta omne ſæpe auxilium redditur fruſtraneum.

Regula VII.

Incurabiles morbos præſtat non attingere. Hæc regula

gula apud Magnates ante omnia tenenda. Præſtat quoque inferioris conditionis homines incurabili morbo laborantes ordinario committere Medico, ſi vero omnibus modis deſideratur auxilium, adhibenda ſaltem ſunt analeptica, emulſiones ſimiliaque, quæ ab iſtis ægrotantibus pro analepticis habentur.

REGULA VIII.

Qui neſcit ſimulare neſcit etiam curare. Non omnia ſpernere Medicus nec contramandare debet quæ ab aliis adhibentur. Mulierculæ ſæpius in conſiliis ferendis ſunt liberaliores, quæ, modo manifeſtum non inferant damnum, permittenda ſunt, præſertim ſi externe quid applicandum, ea tamen lege, ut hæc vel illa ſpecies addi debeat. Interdum quoque ſciolus quidam Chirurgus apud Magnates ſymbolum in morbo confert, quod non plane reprobandum eſt.

REGULA IX.

Non temere ſymptomata quæ ſecundum naturam ſunt, à faſcinio vel veneno orta eſſe pronunciet. Licet interdum præſumtio adſumti veneni adſit, tamen non ſtatim divulganda eſt, niſi ſit certiſſima, & ſi quid ſubſit veri, à Medico facile ſæpius ſuccurri poteſt, cum utplurimum illi robore ſpirituum & ſanguine puro & temperato polleant, nec facile corripiantur à veneno & contagio. Poſt infelicem curam Medici, ſectione inſtituta, venenum fuiſſe exhibitum interdum pronunciant, quod contigit in ſectione Ludovici Principis Brandenburgici.

REGULA X.

Omnes curare non eſt in Medico, omniaque ad votum ſuccedere, plane non eſt ſperandum. Quid eſt frequentius, quam quod ægroti ſecundum Medici præſcriptum exacte vivere negligant? Quid mirum igitur, ſi ſpem illius, cui vitæ & ſanitatis non eſt abſoluta poteſtas, eludat denegatum ægrotantis obſequium.

REGULA XI.

In gravioribus morbis non ſtatim deſperet Medicus, nec deſiſtat à cura; caute tamen ſemper communicato cum aliis conſilio adgrediatur graves morbos.

CAPUT V.

De prudentia Medici circa fœminas ægrotantes.

REGULA I.

Medicus debet eſſe caſtus. Caſtus ſit in verbis & factis, quando ægrotantes viſitare debet fœminas; non enim deeſt Medico libidinem exercendi occaſio, præſertim apud incaſtas fœminas, ſi conſcientiæ leges violare cupit.

REGULA II.

Mulier omnem morbum bis patitur. Antiqua eſt ſententia eaque veriſſima 1) Fœmina omnem morbum patitur, quatenus eſt homo 2) Patitur in ſpecie morbos, qui non cadunt in virum, quando igitur viri ſemel ægrotant, fœmina certe bis ægrotat; Medico quidem decuplo plus negotii faceſſit & animo & corpore imbecillis hic ſexus.

REGULA III.

Lapis lydius ſanitatis fœminarum ſunt menſes. Generale eſt axioma, quales menſes in fœmina ſunt, talis ſanitas. Quando itaque regulares ſunt & ordinati, nec in quantitate nec qualitate peccant, indicant ſanitatem; quando vero ſubſiſtunt, vel parum fluunt, indicant morbos vel conjunctos ipſis menſibus vel ſtatim ſubſequuturos. Plerumque ſi ægrotant fœminæ vitium eſt circa menſes, præſertim in morbis chronicis. Ante omnia itaque quærendum de ſtatu menſium, & qualis excretus fuerit ſanguis, an craſſus vel niger & ſic porro.

REGULA IV.

Mulieres plurimæ in noſtro climate ſunt hyſtericæ; quoniam generis nervoſi debilitatem ſibi contraxerunt à victu craſſiore, abſtinentia à potu, aëre craſſo, abuſu acidorum & à reliquorum rerum non naturalium errore. Semper in ægrotante fœmina habeatur reſpectus ad affectus ſpaſmodicos ſeu paſſionem hyſtericam, & inquiratur in conditionem menſium, item an antea ejuſmodi convulſionibus adſueta fuerit, quod multum periculi involvit, ſi affirmatur, ſi vero negatur, minus difficulter ſanatur.

REGULA V.

In menſibus movendis cautus eſſe debet Medicus. Non ſtatim adhibeantur medicamenta fortiora, menſes pellentia. Supprimuntur interdum menſes ex ſanguinis abundantia, quia ſanguis legitime moveri non poteſt, itaque tunc magis conveniunt venæſectiones. Siſtuntur quoque menſes per aliquot menſes poſt morbum graviorem, in tali caſu convenit ſanguinem potius generare, quam detrahere. Cholericis fœminis & ubi ſanguis abundat ſuppreſſis menſtruis ex refrigerio, ſanguis non provocandus eſt calidioribus, ne malignis morbis anſa præbeatur, ſed potius venæſectio inſtituenda. Contra pituitoſis non conveniunt venæſectiones ſed martialia & pellentia leniora. Nunquam menſes pellantur, niſi ventriculus fuerit correctus.

REGULA VI.

Abortum procurare, quando conſulto id fiat, ſcelus, ſi inconſiderato, dedecus. Non decet Medicum abortum conſulto procurare, nec facile accidit talis caſus, niſi ipſius Medici laſcivi culpa gravida facta fuerit fœmina. Inconſiderato tamen ſæpius fieri ſolet, ſi non rite diſtinguitur ſuppreſſio menſium ab imprægnatione. Cautiſſime itaque agat Medicus, nec ſtatim fortiora adhibeat pellentia, non vomitoria vel purgantia, vel calida oleoſa deſtillata, præſertim in maritatis, licet ipſæ ſe gravidas eſſe negent. Nunquam vero turpius fallitur Medicus quam ab ipſis meretricibus, caveat itaque ſemper, ne menſes provocet, ſed ſaltim exhibeat humores pravos corrigentia, balſamica, extracta amara, abſinthium, ſcordium, meliſſam cum croco & martialibus; & ultro prodibunt menſes.

REGULA VII.

Gravidam eſſe fœminam temere aſſerere vel etiam negare periculoſum eſt. In hoc caſu probe diſcernenda ſunt ſigna graviditatis & menſium ſuppreſſionis, quippe quæ maxime interdum conveniunt.

REGULA VIII.

Effutire ſecreta ſibi concredita uti omnino alias, ſic maxime

maxime apud fœminas ſeu earum ſecretas affectiones, turpe eſt.

Regula IX.

Purgantia, venæſectio, calida fortiora cautiſſime ſunt danda ipſis gravidis vel plane non. Gravidæ leniſſime ſunt tractandæ, venæſectio nonnunquam nocet, nonnunquam abortum provocat, & nonnunquam ab abortu præſervat. Si plethoricæ ſunt fœminæ intermiſſa veneſectione abortus facile cauſatur. Inſtituenda eſt circa menſem quartum vel quintum, in nonnullis etiam circa tertium; nonnunquam ſecunda vel tertia vice, cavendum tamen, ne nimia quantitas ſubtrahatur, præſtat ergo repetere venæſectionem, & parum emittere una vice ad uncias quatuor, vel ad ſummum quinque. Quæ abortui conſuetæ, circa tertium menſem venam ſecari curent & dein alterno ſtatim menſe. In non plethoricis venæſectio abortum procurare poteſt, item ſi circa tempus partus inſtituatur, ubi alimentum majori quantitate requiritur. Quoad purgantia omnia fortiora vitanda ſunt, quoniam operantur ſpaſmo, qui uterum facile afficere poteſt propter conſenſum viciniamque loci. Nonnullarum tamen natura atque nervi ita ſunt comparati, ut nunquam fere afficiantur ſpaſmo, quod ſæpius in meretricibus videmus quæ etiam poſt fortiſſima purgantia adſumta interdum non abortiunt. Itaque nullum datur medicamentum, quod abſolute & neceſſario abortum promoveat, ſed reſpective ſaltim individui. In nonnullis etiam mitiora ſymptomata abortum producunt, ut in cholericis, ſanguineis, ubi quoque animi affectus leviſſimus item clyſteres damnum inferunt, quia ſpiritus facillime moventur. Vomitoria fortiora magis quam ipſa purgantia abortum promovent. Sæpius vero opus eſt vomitu, qui facillime procurari poteſt, præſertim jam præſente nauſea atque propenſione ad vomitum, ſi aqua debita hauriatur in copia & vel dimidia vel quarta pars grani tartari emetici adjiciatur. Convenit quoque gravidis, alvum habere liberam, quod fieri poteſt leniſſimis abſterſivis, verbi gratia rhabarbaro, vel paſſulis vel manna, cremore tartari, terra foliata tartari cum foliis ſennæ, quæ citra ulla tormina & citra noxam alvum movent, gravidisque interdum maxime proficua ſunt, & ab abortu præſervant, nimiam humiditatem abſumendo.

Regula X.

Acida, opiata, frigida ipſumque frigus forte ac rigidum venena ſunt ipſis gravidis. Gravidæ tractandæ ſunt ut plethoricæ & ſimul cacochymicæ. Uti enim in cacochymia frigus & acida nocent, ſic quoque in gravidis coagulum inducunt ſanguini, circulationem ejus reddunt impeditiorem, majorque fit accumulatio humorum & ſordium ſeroſarum, quod etiam à frigore accidit, itaque gravidæ hoc modo tractatæ, graviſſimos incurrunt morbos. Opiata ſunt vitanda, quia ſiſtunt ſpirituum motum, & per conſequens etiam ſanguinis circulum, ita ut ſanguis ſtagnans obſtructiones efficiat, vaſa nimium diſtendat, atque ob ruptionem abortum creet, ſæpius quoque inflammationem uteri aut hæmorrhagias enormes cieat.

Regula XI.

Gravidæ etiam abſtineant ab omnibus pertubationibus mentis & animi pathematibus. Mentis tranquillitas multum contribuit ad prolongandam vitam, ſanumque reddit corpus; multo magis in gravidis eo ſpectandum eſt, quæ & ſuæ & embryonis ſanitati ſimul conſulere debet. Etſi vero fœminæ ab animi affectibus facile plerumque abripiantur; tamen adhuc magis in graviditatis ſtatu ſunt irritabiles. Ex eo vero in triſtiſſima mala incidere poſſunt, cum præſertim in cacochymicis illis nihil magis noceat quam animi commotio, ex qua ſpaſmus & abortus nullo negotio excitantur.

Regula XII.

Potus calidi non promiſcue & copia ſuadendi ſunt ipſis gravidis. Intelligitur hic potiſſimum potus thee & coffee. Obſervatum enim eſt, in cacohymicis potum thee per vias urinarias non ſtatim tranſiviſſe, cum tubuli renales obſtructi ſint, ubi tanquam noxius erat interdicendus, ſi vero tranſeat, moderatus ſemper admitti debet eorum uſus.

Regula XIII.

Gravidæ abſtineant ab omnibus dulcibus; quoniam dulcia abundant viſciditate, lentore quodam. Homines qui motui non ſunt adſueti, poſt dulcium uſum in graviſſima mala incurrunt. Fœminis, infantibus, & quæ vitam amant ſedentariam, nihil magis eſt noxium, quam dulcia, reddunt enim ſanguinem craſſum.

Regula XIV.

Balnea multis gravidis in uſu ſunt maxime menſe ultimo & circa partus tempus. Nonnullæ etiam utuntur aliis menſibus, ſed perperam, catarrhis enim ſic facilime occaſio præbetur, ultimis vero diebus tertio vel quarto ante partum balnea ſaltem tepida maxime proficua ſunt, quia emolliunt & relaxant vias. Sic inſeſſus quoque optime conveniunt gravidis eodem ſcopo.

Regula XV.

Si gravida eſt debilis etiam embryo notabili laborat debilitate. Quando verbi gratia nullus ſentitur motus, tum Medicus ſemper caveat ab omnibus calidioribus, item à durioribus, craſſiores partes in ſe continentibus, ſed cibi facilioris digeſtionis cum vino pauco juncti in uſum vocandi. Item balſamus embryonum externe applicari poteſt cum pane toſto. Abdomen lavari poteſt cum aqua Reginæ Hungariæ, ſicque interdum excitatur & conſervatur fœtus.

Caput VI.

De prudentia Medici circa puerperas.

Regula I.

Puerperæ non copioſis nec fortioribus medicamentis tractandæ ſunt ſed convenientibus.

Regula II.

Tractandæ ſunt puerperæ ut graviter vulneratæ, nam propter egreſſum fœtus ſauciatus eſt uterus, ſanguis ſtagnans reſolvendus eſt, ne inflammationes excitet.

Regula III.

Tractandæ ſunt puerperæ, ut ſumme debiles nam tempore geſtationis multas amittunt vires, in cachecticum quaſi ſtatum præcipitantur, porro etiam in ipſo partu mirum in modum debilitantur. Sic quoque debilitati puerperarum nocent animi affectus, quoniam craſin ſanguinis deſtruunt & ſpiritus magis diſſipant. Nocent porro omnia medicamenta fortiora & commoventia ſcilicet purgantia. Nocent denique cibi copioſi &

& craſſiores ex quibus cruditates maxime generantur. Adhibeantur potius cibi euchymi, carnes juniores, potus tenuis, calida juſcula, & abſtineatur à vino & cibis induratis ſalitis.

Regula IV.

Lydius lapis valetudinis puerperarum ſunt lochia. Lochia male fluentia inflammationes & alia mala indicant. Continetur quoque fluxus lochialis à metu & terrore, ob ſtricturam enim ſtagnat, inflammat & putreſcit in utero. Acida quoque ſupprimunt lochia, quoniam coagulant ſanguinem. Symptomata, quæ comitantur talem fluxum ſuppreſſum, ſolent eſſe graviora, plerumque excitatur febris inflammatoria, & niſi ſuccurramus cautiſſime, graviſſimum imminet periculum, nonnunquam mors.

Regula V.

A nimio lochiorum fluxu maxime debilitantur puerperæ, tunc igitur abſtinendum eſt à cibis copioſioribus dyſpeptis, ab animi pathematibus, medicamentis fortioribus: & adhibendi cibi pauciſſimi temperati ac leniora medicamenta.

Regula VI.

Regimen aëris ſit temperatum, uti omnibus ægris, ſic quoque puerperis. Non convenit aër nimis calidus, nec nimis frigidus, nec nimis humidus. Experientia teſtatur, plures puerperas interire ex errore vel Medicorum, quando adhibent fortiora atque calida tanquam peſſima, cum tamen juſcula nimis ſubſtantifica cum lapidibus cancrorum & analeptica pauciſſima ſufficerent, vel ex errore adſtantium, quando deferuntur in lectum frigidum humidum recens ſtratum quo tranſpiratio impeditur.

Regula VII.

Medicus apud puerperas inquirat potiſſimum in tranſpirationem & reſpirationem. Si ceſſat tranſpiratio & nullum plane ſudorem habent, peſſimum eſt ſignum, incurrunt utplurimum in diarrhœam, quæ vires penitus abſumit. Si reſpiratio atque pulſus inordinatus, febris lenta imminet.

Caput VII.

De prudentia Medici circa infantes eorumque morbos.

Duo ſunt ardua in Medicina, mederi ſcilicet infantibus & gravidis, his facile abortum cauſare poſſumus, in illis vero, quia non facile adſumunt medicamenta, nec loqui nec conqueri poſſunt de affectu, ex conjectura curationem petere debemus. Ob teneritatem infantibus non ſunt deneganda medicamenta, ſed adhibenda cum prudentia & cautiſſime. Nonnunquam opus eſt venæſectione in infantibus plethoricis, quando variolis corripiuntur. Cum tamen plerumque pituitoſi deprehendantur, melius eſt expurgare vitioſam qualitatem ex primis viis, quam ſanguinem detrahere. Vomitoria etiam puſilli, & qui adhuc lactent ferre poſſunt optime, ſufficit autem pars quarta vel quinta unius grani tartari emetici, quæ præſervare poſſunt ab aſthmate, catarrho ſuffocativo; adhibeantur autem in forma liquida. Sæpius ad vomitum ipſi proni ſunt infantes, & ventriculus ſponte ſua ſe exonerat copia lactis adſumti, quod bonum eſt ſignum. Etiam purgantia ferre poſſunt, quæ commodiſſime ſub forma ſyrupi exhibentur, delectantur enim dulcibus, nec facile recuſant abſumere ſyrupum cichorei cum rhabarbaro. Opiata etiam adhibenda conceduntur, in minima tamen doſi, ſufficit decima vel duodecima pars unius grani & adhuc minor doſis cum matre perlarum in dentitione difficili, ubi imminet epilepſia.

Regula I.

Infantum temperamentum non eſt deſtruendum nimis calidis. Multi Medici peccant in hoc graviſſime quando infantibus exhibent ſalia volatilia oleoſa deſtillata ſimiliaque. Sanguini hoc modo vis infertur ejuſque craſis deſtruitur ab ebullitione excitata, nec vinum concedatur, quoniam infantes teneriores reddit, ejuſque uſu abbreviatur vita, redduntur que imbecilles motum ſanguinis nimium concitando. Diſponunt quoque ejuſmodi calida ad epilepſiam, præſertim ubi ebullitio ſanguinis jam adeſt, & proſtant exempla eorum qui mortem ſubierunt poſt uſum ſpiritus cornu cervi in variolis. Obſervamus enim, quod ab uſu vini ejuſmodi tenellorum ſpiritus excitati ad varios quidem jocos, inſtar morionum apti nati ſint, ſed utplurimum increſcentes cum imbecillitate corporis judicii quoque imbecillitatem oſtendunt. Infantes, qui cereviſia craſſiore lupulata atque ſpirituoſa utuntur, utplurimum ſtupidi & ad ſtudia tractanda inepti deprehenduntur.

Regula II.

Purgare convenit infantes. Fieri hoc poterit vel internis educentibus ſaburram ex primis viis, vel etiam clyſteribus quam commodiſſime, quoniam diluunt ſalia corroſiva, quæ maxima copia generantur in ventriculo infantum. Cognoſcitur autem maxime corroſivitas in viriditate & craſſitie fæcum, ex corroſione linteaminum, quod ſæpius accidit, item quando excoriatio accidit ex urinæ acrimonia.

Regula III.

Ad ſudorem nunquam ſunt cogendi: Quoniam ad ſudorem expellendum neceſſario requiruntur calida, quæ deſtruunt craſin & texturam ſanguinis.

Regula IV.

In variolis omnia calida item regimen calidum vitandum. Laudandus recentiorum mos præ deteſtando veterum, quod abſtineant ab omnibus calidis & ſaltem temperata medicamenta adhibeant, edocti melius ex veterum errore & damno, qui virulentiam quandam vi expellendam peccare ſtatuentes in variolis adhibuere calidiſſima. Ad ſummum in uſum vocanda ſunt mixtura ſimplex, diaſcordium Fracaſtorii, item ſpiritus nitri. Interdum ſola conducunt acidula remedia, neglectis omnibus temperatis non minus quam calidis, præſertim in ſanguineis ubi nimia ebullitio. Calida nunquam eſſe proficua videmus in ſcabie, ſi enim calidiſſimis materiam peccantem expellere, & ægrotantes in maxime calefactis hypocauſtis tenere velimus, certe maximum excitamus pruritum, & ſalium acrimoniam exaltamus, quod etiam valet in morbillis.

Regula V.

In infantibus attendendi ſunt clamores. Plerumque torminibus affliguntur quando clamant, ſique concurrat ſimul inflatio abdominis, certi ſumus de torminibus, quæ proveniunt ex vitio lactis, quando primis viis inſunt. Maxime vero hoc in caſu lac peccat craſſitie, quippe qua aptum eſt obſtruere vaſa lactea.

Peſſima eſt nutricum conſuetudo continuo oſtendere clamitantibus mammas lacte turgidas nullum enim exinde ſentiunt levamen ſed malum augetur, quod HIPPOCRATES cognovit, quando dixit; mactant, dum lactant infantes. Nobiliores fœminæ minus aptæ ſunt ad lactandum quam ruſticæ, quoniam illæ ex victu laudabili generant ſanguinem copioſum craſſum, lac quoque craſſum infantibus nocivum deponentem, hæ vero, quoniam victu utuntur tenui, bibunt aquam & veſcuntur braſſica, optimum lac generant ſaniſſimosque nutriunt infantes. In torminibus infantibus injiciantur clyſteres, præbeatur rhabarbarum & oleum amygdalarum dulcium. Ex fœcibus viridibus ſi cognoſcitur acidum, juvant alcalina terrea, mater perlarum, lapides cancrorum. Si lac craſſius in cauſa ſit, detrahatur nutrici alimentum & exhibeatur potus tenuis.

REGULA VI.

Attendendum quoque eſt, an alvus reſpondeat? infans ad minimum ter vel quater intra viginti quatuor horas alvum deponat, ſi unica ſaltem vice id fiat, indicat inclinationem ad morbum. Itaque præſervationis gratia adhibeantur lubricantia, pulvis infantum, radix ireos Florentinæ, rhabarbarum vel etiam clyſteres.

REGULA VII.

Videatur an fæces ſint virides, vel coagulatæ; ſunt utplurimum prodromus morbi, itaque probe obſervetur acidum & viſcidum, viſciditas autem ortum trahit ex inopia diluentis liquoris & nimio acido, quod corrigendum eſt.

REGULA VIII.

Dulcia omnibus fere infantibus grata, inſalubria ſunt ſæpiſſime. Juxta diverſitatem temperamentorum homines diverſa appetunt alimenta, dulce eſt temperamentum infantum, itaque dulcia appetunt, cum tamen ſæpe inſtar veneni noceant, quoniam facile aceſcunt, viſciditatem gignunt, tormina ac vermes procreant, unde ab iis abſtinendum. Si vero medicamenta adſumere detrectent infantes, admiſcenda quidem ſunt dulcia, ſed abſque hac conditione nequaquam ſunt concedenda.

REGULA IX.

Dulcia, acida, ſpirituoſa & nimium frigus infantibus venena ſunt. Dulcia excitant tormina, flatus, obſtructiones: item acida, quæ præterea coagulant lac & ipſorum humores, præſertim ſi ſunt acida mineralia. Spirituoſa vero deſtruunt maſſam ſanguinis & diſponunt ad motus ſpaſticos & epilepſiam. Infantes quando bene bibunt, bene dormiunt, ac ſimul in ſomno granulatim ſudorem profundunt, optimum eſt ſignum. Cavendum itaque eſt, ne frigus corpus illorum attingat nudum. Non penitus ipſis interdicatur uſus aëris liberioris ſi modo corpuſculum & caput defendatur à frigore.

REGULA X.

Faſcinia non ſtatim attribuantur morbis infantum. Quando infantes non ſtatim pingueſcunt, dicitur ſæpiſſime quod ſit ex faſcino, & adhibentur gelatinoſa & lac tanquam bene nutrientia, cum tamen balnea, frictiones & reſolventia medicamenta propter obſtructionem pororum cutis adhiberi deberent. Plerumque vero accidit à vermibus, ut non ſolum contabeſcentia, verum etiam motus convulſivi oriantur.

REGULA XI.

Opiata facillime operantur apud infantes, quia ſunt feroſiores, ideoque parcius ſunt adhibenda. Horum uſus frequentior ſtupida reddit ingenia memoriamque obtuſam. Hæc adhibenda non ſunt, quando alvus eſt adſtricta, quoniam augetur cauſa morbi, & corpus repletur copioſioribus ſordibus. In doloribus dentium opiata ſæpiſſime non ſunt ſpernenda, ſi vero dolores oriantur ex vitio primarum viarum ſedantur quidem opiatis, ſed gravius naſcitur malum.

REGULA XII.

Ex ſuctione, ſomno & ordinata alvo maxime ſanitas infantum noſcitur. Veriſſima eſt regula, qui bene ingerit & bene digerit, bene egerit & ſanus eſt. Digeſtionem vero & nutritionem promovet ſomnus.

REGULA XIII.

Probe obſervandum, quomodo alias ſe geſſerit infans, nonnulli ad clamores à natura adſueti ſunt, alii parum dormiunt, alii ſæpe ſine nocumento vomunt, ſi conſuetudo tranſcenditur, malum indicat.

REGULA XIV.

Recens natis non ſtatim præbeantur mammæ, ad minimum duodecim vel viginti quatuor horæ præterlabantur, nam multa digerenda adhuc infanti reſtant ex utero allata. Adhibeatur itaque ſaltim oleum amygdalarum dulcium, item ſyrupus de cichoreo cum rhabarbaro; cibentur interea juſculo avenaceo infantes.

CAPUT VIII.

De prudentia Medici circa variæ ætatis homines.

I. *Circa infantes.*

INfantes gaudent temperamento calido humido, multum comedunt, & quando cibum detraxeris, ſimul ſomnum detraxeris. Videndum tamen, ne una vice major adhibeatur copia, paucus ſomnus, ſed & ſucceſſive & ſæpius. Motus ipſis concedendus eſt, ſed non fortior, qui ſanitatem firmat. Tandem abſtineant ab omnibus exceſſivis acidis, ſalinis, deſtillatis ſpirituoſis, dulcibus, viſcidis, frigidis, purgantibus draſticis. Cibis veſcantur facilioris digeſtionis, bibant cereviſiam tenuem ſecundariam.

II. *Circa juvenes.*

Juvenes & adoleſcentes melius ferre poſſunt cibos duriores, quia illorum ſanguis magis vergit in calorem. Abſtineant autem maximopere à vino atque ſpirituoſis, etiam à purgantibus fortioribus, ſi in ſtatu ſano conſervandi. Motus corporis proportionatus ratione ingeſtorum, & animi recreationes illis non interdicantur.

III. *Circa adoleſcentes.*

Hi abſtineant maxime à Venere, quoniam liquor ſeminalis ad incrementum partium multum facit. Qui in adoleſcentia Venerem & Bachum exercent, debilitant nimis vires, & effœtum corpus tradunt ſenectuti, qui vero circa trigeſimum annum harum rerum initium faciunt, illi diutius integri conſtabunt.

IV. *Circa*

IV. *Circa viros.*

Hi ſaltim temperatis utantur.

V. *Circa ſenes.*

Senes adhibeant leniora ſpirituoſa & tractandi ſunt placide, ut pueri; Calidiora quidem ſi ſimul ſunt humectantia perferre poſſunt: quæ vero vires abſumunt, qualia ſunt purgantia & quæ ſanguinem deſiccant, ſenili corpori maxime ſunt inimica.

CAPUT IX.

De prudentia Medici in morbis acutis & chronicis.

REGULA I.

Ante omnia Medicus ſe defendere debet à contagio morborum malignorum. Optime ſe defendere poteſt tam à peſte, quam alii morbis, ſi vitam ſervet ſobriam, & liberet ſe à vitioſis humoribus maxime ſcorbuticis & pituitoſis, qui maxime diſpoſiti ſunt ad contrahendam malignitatem, quod non æque accidit in cholericis & melancholicis humoribus. Deinde acidula minus fortiora acida ut ſuccus citri, acetum non nocent, præſertim ſi temperamenti pituitoſi ſit Medicus. Porro ſomnum habeat decentem ut recreentur vires & ſpiritus. Deinde utatur potu vini modico, quoniam pori cutis excretorii patuli ſervandi, ut verbo dicam: ſit ſanus. Denique in ore teneat, quæ volatiliſant pituitam, liquant ſalivam, & corrigunt miaſmata hauſta, quale remedium eſt myrrha, quæ virtute ſua balſamica præſervat à putredine, & miaſmatibus reſiſtit, idem facit Zedoaria, radix contrajervæ, petaſitidis, angelicæ, quæ celebratiſſima ſunt tanquam apophlegmatizantia. Poſtremo ejiciat ſputum continuo in loco infecto, nec deglutiat; illud miaſma enim non facile per pulmones, ſed cum ſaliva in ventriculum & plerumque primas vias prius depluit, deinde ingreditur ſanguinem, id quod ſputo rejecto avertitur. Promovet vero ſputi ejectionem fumus tabaci, cujus uſus maxime commendatur, quoniam ſale ſuo oleoſo venenatam materiam deſtruere poteſt.

REGULA II.

Non facile diu moretur Medicus, vel aſſiſtat ipſis ægris, quando morti ſunt proximi; tunc temporis enim maſſa ſanguinis penitus eſt deſtructa quoad elementa, majoraque exhalant effluvia ob ſummam putredinem. Tempore vero convaleſcentiæ non adeo facile inficiuntur adſtantes, niſi maxime ſint prædiſpoſiti; omnium vero maxime ſi moriantur ægri; abſtineat ergo Medicus circa tempus mortis à viſitatione.

REGULA III.

Conclave humidum ac parvum non perſpirabile Medicus vitare debet. Ipſa loca ubi degunt ægrotantes, multum faciunt ad infectionem, præſertim ſi hypocauſtum ſit parvum, humidum, anguſtum, ibi enim concentrantur miaſmata & putreſcunt, denegato aëris acceſſu, hinc non frequentet Medicus ejuſmodi loca. Adſtantibus quoque ipſis magis conducit, ſi fruantur hypocauſto perſpirabili, & ob eandem rationem tempore hiberno magis inficiunt miaſmata maligna, quoniam non poſſunt aperiri feneſtræ, ad aëris liberioris transgreſſum; quo liberior enim locus & quo magis per ſpirabilis, eo melior quoque judicatur.

REGULA IV.

Medicus ſemper cautiſſime agat in morbis malignis quoad medicamenta heroica. 1) Circa venæſectionem ſit cautiſſimus, præſertim ſi jam malignitate infecti ſint ægri, tunc enim plane non concedatur, quoniam detracto ſanguine magis adhuc dejiciuntur vires, nec opus eſt, niſi in ſubjectis plethoricis. Ubi vero nulla adeſt malignitas, tunc venæſectio plethoricos præſervare poteſt à malignitate ne inficiantur. 2) Exulent omnia purgantia fortiora in malignis, quoniam projiciunt vires, quæ magnam affinitatem habent cum miaſmatibus malignis. Alvus tamen commendatur aperta, fluida & mollis, hunc in finem clyſmata, ſi opus, non negligenda ſunt, vel ſaltim uſu interno ſalia commendanda ſunt, v. g. nitrum depuratum; ſtatim poſt conceptum contagium, commendantur tamen leniora cum alexipharmacis mixta ſumta etiam in ipſa peſte & adhiberi poſſunt ſine præſervativo, quando vero ulterius ſerpſit malignitas, ita, ut humores jam invaſerit, tunc adhibenda amplius non ſunt. 3) Idem valet circa uſum valentiſſimorum ſudoriferorum vel alexipharmacorum, & maxime errat in eo vulgus, adhibens calidiſſima, v. g. ſpiritum cornu cervi, elixir ſudoriferum, perſuaſus, hoc modo una ſtatim vice miaſmata expelli poſſe. Commendatiſſima potius ſunt leniora diaphoretica ſanguinis diſſolutionem impedientia, abſorbentia, terrea, confortantia, antimonium diaphoreticum, ceruſſa antimonii, lapides cancrorum, corallia, mandibulæ lucii piſcis cum nitroſis; deinde etiam humectantia dicta, decoctum ſcorzoneræ, decoctum cornu cervi; item analeptica v. g. tinctura roſarum, aqua florum ſcordii, ut conſerventur vires, in hoc caſu ſumme neceſſariæ, reliqua omnia committantur naturæ. 4) Ante omnia cavendum, ne opiata adhibeantur, ſunt enim opiata ante dies criticos ſemper nocentiſſima, ſi vero ſtatus ægri poſtulat anodyna, ſufficiunt papaveracea & ſemina quatuor frigida majora. Etiam in dyſenteria maligna abſtinendum eſt ab opiatis & fortioribus adſtringentibus, ſed lenioribus abſorbentibus ſuccurrendum eſt ægrotis.

REGULA V.

Medicus prognoſin cautam debet formare in morbis malignis & acutis. Optime dixit HIPPOCRATES. Incertæ ſunt omnes prædictiones circa ſpem ſalutis in morbis acutis. Circumſpecte itaque loqui debet Medicus, ne ſe proſtituat, nec ſtatim abſolute decernat, quod neceſſe ſit mori, quod non evaſurus ſit, ſed ſemper reſtrictive & cum conditione, licet periculum adſit dicat & quidem adſtantibus ſeu ſanguine conjunctis magis, quam ægro: adeſſe periculum, multoſque hujus conſtitutionis obiiſſe, optimum tamen eſſe ſperandum; ſed tamen mortis meditationem non eſſe negligendam, ſiquidem ab omni chriſtiano optime quamvis ſano requiritur ut quavis hora ad moriendum paratus ſit. Ante omnia vero requiritur cautio in principio, ſemper enim dies critici ſunt expectandi, ſeptimus & nonus, ante quos nunquam certa exhibenda eſt prognoſis.

REGULA VI.

Ne nimis tutos nimiumque timidos ægrotos reddat Medicus. Semper in malignis, ubi vires deficiunt, cautus ſit Medicus in prædictione, ratione ſalutis & mortis dubiumque quæſitis ferat judicium, ita ut neſciant quærentes quid debeant concludere ex verbis Medici.

Regula VII.

Si perſonæ ſunt digniores, ſolus curam in malignis morbis nunquam ſuſcipiat, etiamſi ipſe ſit peritiſſimus; præſtat tamen alterum quoque Medicum etiamſi quoad eruditionem inferiorem ſibi adjungere, ſic enim dividitur Medici fama, relictiſque id manet ſolatii, Medicos omnia præſtanda præſtitiſſe. Hæc de morbis malignis in genere; ſequitur nunc in ſpecie de variolis & morbillis.

Regula VIII.

Medicus bene cognoſcat tempora ipſarum variolarum. Quatuor ſunt variolarum tempora: ebullitionis, eruptionis, ſuppurationis, exſiccationis. 1) Tempore ebullitionis circumſpecte & caute ſunt adhibenda calida, & quando maxima eſt ebullitio, tunc plane non ſunt adhibenda, quoniam expellunt quidem, mox vero retrahunt. Conducunt potius temperantia, terrea & leniter laxantia, eamque ob cauſam diarrhoea critica ante quartum diem non eſt ſiſtenda. 2) Tempore eruptionis abſtinendum eſt ab omnibus revocantibus, clyſteribus conſtringentibus, acidis, terreis, opiatis nimioque calore, natura enim requirit ad agendum temperiem, ſponteque expellit variolas, itaque circa diem criticum quarto vel quinto die prognoſin ita inſtituat: ſe ſcilicet velle hoc vel illo medicamento eruptionem promovere, & certiſſime promittere poterit eruptionem. Quoniam vero natura ipſa etiam abſque medicamentis eo tempore expellit quod inimicum eſt, tamen adhibere poteſt medicamentum nitroſum, item lapides cancrorum, diaſcordium Fracaſtorii, antimonium diaphoreticum, myrrham &c. ut ipſi adſcribatur, quod à natura peractum eſt. Idem judicium eſto de morbillis. 3) Tempore ſuppurationis rurſus abſtinendum eſt à calidis, nihil magis enim obeſt tum temporis quam myrrha vel in ſubſtantia vel quod pejus eſt in eſſentia adhibita, quoniam fere ſemper propter exulcerationem atque calorem febris inflammatoria imminet, adhibeantur potius nitroſa, abſorbentia, temperantia. Notetur porro, quod circa ſuppurationem non propinanda ſint ſicca, v. g. pulveres, propter deglutitionem impeditam, ex œſophagi tumore, ſed potius liquida, emulſiones, quo vehiculo lapides cancrorum ſubtiliſſime pulveriſati exhiberi poſſunt, temperantia vero ſemper ſunt optima, nec nocent tunc clyſteres. 4) Tempore exſiccationis adhibeantur balſamica, myrrha, crocus, item elixir balſamicum ex nuciſta, item terrea abſorbentia deſiccantia. Circa variolas porro obſervandum eſt, quod Medicus pro lubitu poſſit prolicere variolas quot & ubi velit. Primum ſcilicet quot velit fit ordinario, ſi tempore ſuppurationis demum adhibeat calida, calida enim ab initio adhibita non ſolum multas expellunt variolas, ſed & profundiores relinquunt cicatrices; quod bene notandum; poſterius ſcilicet, quod poſſit proferre variolas ubicunque velit, hoc modo fit: quando pars corporis, quam variolis obſitam eſſe nolumus ſub ſtragulis minus fovetur. Propterea ſi facies ſemper ſub lecto detinetur, item quando adſueti ſunt ægri certo ſemper incumbere lateri, tunc ordinario in eo latere & in facie plures proditur æ ſunt variolæ. Cavendum itaque ne ejuſmodi methodum tædioſam ægrotantibus adgrediamur, nec unquam faciem obtegamus, ſed ſaltim corpus. Si vero ex errore factum jam ſit, ne majores adhuc fiant, poſt maturationem ſtatim aperiendæ ſunt puſtulæ, & inungendæ oleo amygdalarum dulcium, vel quod melius balſamo ſulphuris ex oleo amygdalarum parato, adjecta pauca camphora. Non tota autem facies inungenda, ſed tantum puſtulæ acu apertæ. Poſt exſiccationem abluatur facies cum aqua florum fabarum cum camphora & ſaccharo candi. Idem obſervandum circa morbillos, niſi quod in his non metuendæ ſint cicatrices. Tandem in genere moneo, ne tempore eruptionis adhibeantur medicamenta naturæ motum à centro ad peripheriam revocantia ad interiora, ut ſunt purgantia atque clyſteres. Poſt eruptionem vero ſi alvus adſtricta reperiatur, aperiatur per clyſmata leniora. Sic ab initio ſtatim tempore ebullitionis adhiberi poſſunt laxantia leniora, acrimoniam diluentia, ut imminuatur variolarum copia.

Regula IX.

Medicus variolas, morbillos, morſus pulicum & maculas ſcorbuticas non pro petechiis habeat & contra. Diſtinguenda ſunt hoc modo: 1) Circa tertium vel quartum febris diem inſurgunt maculæ, & faciei tumeſcentia notatur in variolis faciem occupantibus, quod non videmus in petechiis faciem intactam relinquentibus: 2) morſus pulicum majores ſunt ipſis petechiis, compreſſique pollice relinquunt punctum in centro: 3) maculæ ſcorbuticæ præſertim malignæ ſunt petechiarum ſpecies, paulo tamen tutiores frequentioreſque ipſis petechiis: 4) variolæ à morbillis non æque diſtingui poſſunt ab initio, notandum tamen, quod non facile eodem tempore & loco graſſentur, denique quod rariſſime altera vice corripiantur variolis.

Regula X.

Circa dyſenteriam malignam Medicus cautus ſit ante omnia etiam accedendo dyſentericos. Graviſſimus fœtor circa dyſentericos nonnunquam obſervatur, itaque Medicus non negligat maſticare ſupra laudata remedia. Deinde curet, ut detracto cervicali, excrementa tranſire queant in vas ſuppoſitum, ne conſpurcetur lectus, peſſimuſque excitetur fœtor adſtantibus non minus, quam ipſi ſanitatis præſidi ſumme noxio. Circa prognoſin hujus morbi ſit cautiſſimus, ne promittat convaleſcentiam neque in principio, neque in declinatione, interdum enim uno ſtatim momento ſymptomata remittunt, & tamen maximum imminet periculum, ubi nimirum ſubſequuto ſphacelo viribuſque proſtratis mors in propinquo eſt.

Regula XI.

Scorbutus & malum hypochondriacum ſunt matres omnium morborum chronicorum. Hi morbi nil aliud ſunt, quam depravata ſanguinis & lymphæ temperies, unde dolores ſpaſmodici, digeſtio turbata, ſimiliaque ſymptomata. Porro ex hiſce malis facile ſequitur arthritis, podagra, calculus. Cauſa mali hypochondriaci eſt obſtructio nata ex acido & viſcido, itaque talia venena ſunt hypochondriacis.

Regula XII.

Cura chronicorum maxime inſtituenda eſt tempore vernali & hiemali. Tempore verno omnia ſunt temperata, tota natura viget, aër eſt temperatus, ſubtilis, talemque reddit ſanguinem, & inde longe felicius operantur medicamenta; hiemali vero tempore natura eſt debilis, humores cum aëre denſati, pori obſtructi.

Regula XIII.

Quando nimis radicatum eſt & conſummatum malum, caveat Medicus fortiora adhibere, ſed leniſſime tractet ægrum. Fortioribus natura non confortatur, ſed penitus

penitus deſtruitur, abſint itaque purgantia ſimiliaque, ſemper tamen alvus aperta eſt ſervanda, temperata adhibenda, lapides cancrorum, nitrum depuratum, conchæ præparatæ, item ſalia circa prandium. Porro non inutilis potus thee & caffee, item evacuantia leniſſima qualia ſunt pilulæ hypochondriacæ martiales ex aloe, abſynthio &c. Tandem diæta exactiſſima, motus corporis vel equitando vel alio modo.

Regula XIV.

Non facile promittere debet Medicus reconvaleſcentiam in morbis chronicis. Potiſſimum vero obſervet tempus, ubi natura interdum plus operatur quam omnia medicamenta, ſi modo paululum ipſi ſuccurratur.

Regula XV.

Prudentiſſime ſe gerat Medicus in adhibendis medicamentis heroicis, ſi obtinere velit finem ſibi propoſitum. 1) Circa purgantia probe diſtinguat individua, probe cognoſcat eorum efficaciam, ut poſſit exinde judicare effectum. In melancholicis & hypochondriacis etiam fortiſſima melanagoga nihil efficiunt, feliciorem contra præſtant effectum laxantia, & ex his manna, folia ſennæ, rhabarbarum. Nunquam igitur determinet, quot ſedes à purgante ſupervenerint, interdum plane non operantur, & indicant humores magis corrigendos eſſe quam evacuandos. Porro circa purgantia fortiora monendum, ne unquam propinanda ſint Medico abſente quoniam ſæpiſſime excitare ſolent ſymptomata ſæviſſima, quibus perſentitis Medicus accerſitur & conſulitur. 2) Circa vomitoria quoque ſit cautiſſimus, beneque rurſus diſtinguat ſubjecta an ſint debiliora, an robuſtiora, in debilibus granum unum tartari emetici ſatis magna copia ejicit materiam peccantem, ſi itaque ſupra modum operantur medicamenta emetica, eorum vis infringenda eſt anodynis & alcalinis. Porro notandum, quod viſitatio non inſtituenda ſit circa ipſum operationis actum, nulli enim tam patientes ſunt, quin operationem aliquantum culpent, præſertim ſi anxietates præcordiorum quædam concurrant. Illos itaque peracta demum emeticorum operatione viſitet, tuncque majorem gratiam habebit. 3) Circa venæſectionem media via incedendum, pauca interdum emiſſa ſanguinis quantitas optimum ægroto exhibet ſucceſſum, ſi vero modus tranſcendatur, faciliime ad morbos chronicos panditur via, præſertim in frigidioribus ſubjectis. Optime autem inſtituitur venæſectio, tempore vernali, aëre calidiore, ſanguine ſpirituoſiore, quam hyeme, ubi abſtinendum à venæſectionis negotio. In ſubjectis plethoricis non raro reiterari poteſt venæſectio, ne una ſtatim vice nimia detrahatur quantitas. Prima itaque venæſectio menſe martio inſtituatur, altera majo, quando roſæ proferunt flores. Melancholici quoque venæſectionem admittunt in autumno, quoniam illorum ſanguis craſſior, quam phlegmaticorum. 4) Circa opiata obſervetur tempus nocturnum, quo meliorem exhibent fructum.

Regula XVI.

In omnium medicamentorum adhibitione bene obſervanda ſunt tempora, verbi gratia: quando movendi ſunt menſes, obſervandum ſemper eſt naturæ tempus conſuetum, & tres vel quatuor dies ante illud tempus exhibenda ſunt medicamenta convenientia, quo natura ipſa ad evacuationem inclinans cooperatur.

Regula XVII.

Medicus ad ægrotum vocatus altero jam præſente Medico hæc tria obſervet: 1) Priori relinquat formularum præſcriptionem, niſi ſpecialiſſime ab ipſo deſideretur. 2) Nihil præſcribat abſque alterius conſenſu. 3) Circa prognoſin prius alterius judicium privatim percipiat, ut conveniant, nec ſibi invicem contradicant.

Caput X.

De prudentia Medici circa Soſtrum.

Regula I.

Accipe, dum dolet, poſt morbum Medicus olet. Eſt regula generalis, quæ probe obſervanda, ſciat uti dolore, & tunc non recuſet oblatam accipere pecuniam, quia talis ſolvendi promptitudo non ſemper occurrit, ſed utplurimum cum dolore evaneſcit. Leviſſima interdum anxietas Medico prudenti plurimum affert lucri. Ægrotantes enim doloribus correpti atrocioribus egregia offerunt præmia, perſuaſi, dolores majores eſſe prodromos mortis; ſedato vero dolore metus mortis diſſipatur, & præmia quoque minora expectabit Medicus, præſertim à Judæis, qui optimum ſæpe in civitate ſeligunt Medicum, ſoſtra ſæpius obliviſcuntur. His atque omnibus ingratis detegitur error, ſi advocata quoque alia vice Medicus cunctetur quodammodo, ac ſi aliis diſtrahatur negotiis, præſertim quando periculum non eſt in mora, quid fit? obliti ſoſtri recordantur, accedunt, ſolvunt, omniaque juxta Medici arbitrium gerunt atque perficiunt.

Regula II.

Paciſci de mercede rationalem non decet Medicum. Empirici ut & Chirurgi hoc laborant vitio, ſed Medico non convenit, & maxime ſuſpectum eſt, ſi prænumeratam accipiat pecuniam, majorque tandem evadit ignominia, ſi effectus promiſſis non reſpondeat. Primaria itaque Medici intentio ſit ſalus, non pecunia proximi.

Regula III.

Soſtrum ſive muneris ſive debiti nomine offeratur, promte Medicus accipiat, nec cum pudore, nec cum triſtitia.

Regula IV.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum. Famulos ægrotantes vel eos, quibus quotidianus conceditur aditus, curamus gratis, præſertim ſi magnatum, vel etiam in urbe nobiliorum gratia fruantur. Medicamenta diſpenſamus abſque determinato pretio, ſicque utplurimum duplum accipimus, & ultra; ægroti enim nunquam gratis expoſcere ſolent auxilium, ſed gratuiti ſunt plus ſolvendo, quam opus fuiſſet.

Regula V.

Importune ſoſtrum quærere, parit contemtum. Ægrotantes admonere debiti, turpe eſt, & conciliat Medicis illorum odium, ita ut alteri ſeſe impoſterum committant; ſi vero importuni ſunt ſeu ingrati, tunc per tertium aliquem urgere illos poſſumus, ita tamen, ne ſuboſfaciant, à Medico inſtitutam eſſe admonitionem.

REGULA VI.

Non ſervile ſit ſoſtrum, ſed honorarium. Hæc regula magis ab ægrotantibus obſervanda eſt, quam à Medico; poterit tamen etiam à Medico attendi, ne poſtulet pro una viſitatione duos vel quatuor groſſos, atque hoc pacto rerum ſuarum, non minus quam artis ſalutaris auctor ſit. Præſtat autem laboris præmium ægrotis donare, quam illud ipſum poſtulare vel adſumere.

REGULA VII.

Nec præmia pauperum ſunt ſpernenda, quamvis eos ſæpius gratis curemus. Si accipere recuſamus quæcunque etiam offerantur à pauperibus, tunc putant, Medici auxilium implorare ipſis non amplius eſſe conceſſum.

REGULA VIII.

Prolongare curationem lucri majoris cauſa, infame eſt. Interdum unicum emeticum vel ſal digeſtivum ab initio adhibitum tollere febrim, item purgans vel elixir proprietatis ſine acido paratum menſes ſuppreſſos provocare poteſt, quibus neglectis ad curationem multum requiritur temporis, quod ſane injuſtum, Medico vero ingenuo indignum eſſe cenſetur.

F I N I S.

INDEX

INDEX GENERALIS.

PARS PRIMA.

De prudentia circa perſonam ipſius Medici.

CAPUT PRIMUM.

De Religione & Studiis Medici.

Regula I. *Medicus ſit Chriſtianus.* Pag. 3
II. *Medicus ſit moderatus nec multum de rebus religionem & fidem ſpectantibus diſputet.* ibid.
III. *Medicus non ſit Atheus.* ibid.
IV. *Medicus non ſit ſuperſtitioſus.* ibid.
V. *Medicus ſit Philoſophus.* 4
VI. *Medicus ſit eruditus.* 5
VII. *Medicus diſcat praxin clinicam & individualem.* 6
VIII. *Medicus noſſe debet Chirurgiam.* ibid.

CAPUT II.

De adminiculis in ſtudio Medico.

Adminiculum I. *Sint libri ſelectiores, quos ſibi comparare debet Medicus.* 7
II. *Sint diaria experimentalia, Chemica & practica.* ibid.
III. *Sint loci communes.* ibid.
IV. *Sit liber peculiaris, cui inſcribat conſilia Medica judiciaque de vulnerum lethalitate varia.* ibid.
V. *Tempori atque ordini ſtudia ſua accommodet Medicus.* ibid.

CAPUT III.

De virtutibus peculiaribus ad famam conſervandam ſumme neceſſariis.

Regula I. *Medicus ſit humilis, non ſuperbus.* ibid.
II. *Medicus ſit taciturnus.* ibid.
III. *Medicus non ſit negligens ſui officii, ſed diligens.* ibid.
IV. *Medicus omnibus virtutibus ex Philoſophia morali deſumtis operam navare debet.* 8

CAPUT IV.

De peregrinatione Medici. ibid.

CAPUT V.

De promotione Medici. ibid.

PARS SECUNDA.

De officio Medici circa perſonas externas.

CAPUT PRIMUM.

De Medici officio circa Pharmacopœum.

Regula I. *Præſcribat formulas elegantes Medicus.* 9
II. *Exiſtimatio Medici dependet à medicamentorum præparatione.* ibid.
III. *Medicus non quod opus, ſed quod neceſſe eſt, præſcribat.* ibid.
IV. *Quæ in pharmacopoliis proſtant, noſcat Medicus.* ibid.
V. *Magis Medicus debet ſcribere quam dicere.* ibid.
VI. *Reformatio pharmacopœorum & moderatio taxæ ſumme neceſſaria ſunt.* ibid.
VII. *Ex præſcriptis ſibi ſoſtrum ex Pharmacopola quærere odioſum & damnoſum eſt.* 10
VIII. *Nimia familiaritas parit contemptum.* ibid.
IX. *Pharmacopolii pyxides ſæpius perluſtrandæ ſunt.* ibid.
X. *Viſitatio medicamentorum curioſa fiat, imprimis Chemicorum & ſimplicium.* ibid.
XI. *Medicus ſit peritus taxæ, præſertim ejus loci, ubi degit.* ibid.
XII. *Succedanea abſque Medici conſenſu non ſunt ſubjicienda à Pharmacopœo.* ibid.
XIII. *Confectionibus officinalibus ipſe interſit Medicus & probe examinet ingredientia & eorum mixturam.* ibid.
Regula XIV. *Pharmacopœo non eſt concedenda praxis, quia non intelligit, quod pertinet ad genium practicum.* ibid.
XV. *Interrogare Pharmacopœum ratione morbi & præſcribendorum, turpe eſt.* 11
XVI. *Pharmacopœus à Medico ordinario examinandus prius eſt, & ejus miniſtri.* ibid.

CAPUT II.

De officio Medici circa Chirurgum ejuſque operationes.

Regula I. *Operationes ordinarias & vulgares relinquat Medicus Chirurgis.* ibid.
II. *Medicus non increpet Chirurgum ipſum, ſed modeſte moneat coram ægrotante.* ibid.
III. *Medicus nimiam familiaritatem cum Chirurgo non ineat.* ibid.
IV. *Non patiatur Medicus ut Chirurgus remedia interna ægrotis offerat.* ibid.
V. *Semper optimo Chirurgo utatur in civitate Medicus.* ibid.
VI. *Medicus non concedat Chirurgo ſectionem cadaverum & inſpectionem vulnerum.* 12

Regula

Regula VII. *Chirurgus debet examinari à Medicis & Chirurgis, præſertim novitius.* ibid.
VIII. *Medici eſt, judicare de ægri conditione; an opus ſit, an vires ægri ferre poſſint operationes Chirurgicas.* ibid.
IX. *Temporis ratio habenda eſt in operationibus.* 13
X. *Sollicitus ſit Medicus de loco eligendo in operationibus Chirurgicis.* ibid.
XI. *Obſervet modum Medicus, quo utitur Chirurgus inter deligandum.* ibid.
XII. *In repoſitione luxatorum membrorum avertat Medicus, ne dolores abſque neceſſitate excitet Chirurgus.* ibid.
XIII. *In cura herniarum, ne caſtrentur viri, impediat Medicus.* ibid.
XIV. *Medicus examinet inſtrumenta chirurgica, viſitet emplaſtra, unguenta.* ibid.
XV. *Chirugus an ſit habilis ad tales operationes & probe expertus, videat Medicus.* ibid.

CAPUT III.

De officio Medici circa obſtetrices & earum munus.

Regula I. *Obſtetrix ante omnia ſit pia, caſta, ſobria, non temeraria, taciturna, honeſta, perita.* ibid.
II. *In Anatomicis examinanda eſt obſtetrix.* ibid.
III. *In Phyſiologicis examinanda.* ibid.
IV. *Interroganda eſt obſtetrix quomodo ſuccurrere velit puerperis partu tam faciliori quam difficiliori laborantibus.* 14
V. *Obſtetrix intelligat, quid uterus ſit, quid procidentia vaginæ, & quid conſilii.* 15
VI. *Medicus non concedat, ut adhibeantur ſuperſtitioſa circa puerperas.* ibid.

CAPUT IV.

De officio Medici in exhibendis teſtimoniis.

Regula I. *In porrigendis teſtimoniis, ut ex certis indubitatis & ſufficientibus ſignis claram demonſtrationem exhibeat, ſedulo allaboret Medicus.* ibid.
II. *In teſtimoniis ferendis ante omnia obſervandum, ne Medicus judicium ſuum extra limites extendat, ſed rationem decidendi relinquat Jureconſultis.* ibid.
Teſtimonium de mania. ibid.
Teſtimonium circa contagium. ibid.
Teſtimonium circa affectum leproſum. ibid.
Teſtimonium circa luem veneream. ibid.
Teſtimonium de obſeſſis & faſcino. 16
Teſtimonium circa exhibitum venenum. ibid.
Teſtimonium de ſurditate. ibid.
Teſtimonium circa vulnerum lethalitatem. ibid.
Teſtimonium circa philtra. ibid.
Teſtimonium circa impotentiam & ſterilitatem. ibid.

PARS TERTIA.

De prudentia Medici circa ægros.

CAPUT PRIMUM.

De officio Medici circa viſitationem ægrorum.

Regula I. *Ne nimium ſit parcus Medicus in viſitandis ægris.* 17
II. *Certior morbi & ſymptomatum cognitio ex viſitatione ægri emergit.* ibid.
III. *Incrementum & decrementum ex iterata viſitatione patet.* ibid.
IV. *Utendi modus & aſſumendi facilitas à directione Medici & præſentia ejus dependet.* ibid.
V. *Oblatio officii Medico parit contemtum.* ibid.
VI. *Medicus eſt omnium horarum homo, omnibuſque invigilare debet.* ibid.
VII. *In tempore venire omnium rerum eſt primum.* ibid.
VIII. *Turpe eſt Medicum eſſe ebrium.* ibid.
IX. *Gravitatem temperet humanitate deponatque omnem ſeveritatem.* 18
X. *Non accedat ſaltem ut videatur, ſed etiam ut loquatur.* ibid.
XI. *Nec jactantia nec pollicitationibus occupetur.* ib.
XII. *In acutis morbis ſæpius, in chronicis vero rarius ægrotum viſitet Medicus.* ibid.
XIII. *Medicus ſit alacris in ipſis morbis.* ibid.
XIV. *Non temere accedat ad maniacos, amentes, furentes, aut contagioſo morbo laborantes.* ibid.
XV. *Non ambratus nec moſchatus facile incedat Medicus.* ibid.
XVI. *Non feſtinet aditum nimis quam par eſt.* ibid.
XVII. *Dato ſoſtro non ſtatim remaneat Medicus.* ibid.

CAPUT II.

De eo, quod Medico obſervandum eſt in ægro ſub morbi ſtatu per varia examina.

Judicium ex inſpectione urinæ.

Regula I. *Errant, qui urinæ inſpectionem negligunt vel dedecori eſſe judicant ipſi medico.* ibid.
II. *Non ſoli urinæ fidendum eſt, ſed ſemper alia ſigna conjungenda ſunt.* ibid.
III. *Non judicium ferre Medicus debet ex urina ſola tranſmiſſa.* 19
IV. *Quantum fieri poteſt, id agant Medici, ut tollant urinæ inſpectionem in domo ſua.* ibid.
V. *Non certum poteſt fieri judicium, niſi notæ adhuc ſint aliæ circumſtantiæ.* ibid.
VI. *In morbis acutiſſimis urinæ inſpectio ſumme neceſſaria eſt.* ibid.
VII. *Urina non poſt cibum aut potum emiſſa, ſed poſt coctionem abſolutam inſpicienda eſt.* ibid.
VIII. *Urina craſſa in infantibus voracibus & ſenibus nil denotat mali.* ibid.
IX. *Urina exiſtente craſſa, cæteris paribus utplurimum purgatio indicatur.* ibid.
X. *Urina quæ antea fuit clara & deinde turbida, craſſa fit vel etiam vice verſa, indicat calculum.* ibid.
XI. *Craſſa ſimul & flava urina & bruni coloris linteamina tingens icterum indicat, & quo magis atro colore apparet, icterum nigrum.* ibid.
XII. *Urina aquoſa minus colorata niſi à nimio potu, utplurimum indicat ſanguinis vitium conſiſtere in principio ſulphureo minus ſubtiliſato.* ibid.
XIII. *Omnis tenuis & aquoſa urina in febribus dicitur cruda.* ibid.
XIV. *In virginibus tenuis aquoſa urina chloroſin ſignificat.* 20

REGULA XV. *Urina oleoſa in macilentis notat hecticam.* ibid.
XVI. *Si copioſa excernitur urina in cachexia & hydrope, bonum eſt ſignum.* ibid.
XVII. *Urina copioſa à diureticis aſſumtis nihil mali portendit, ſed potius bonum eſt ſignum.* ibid.
XVIII. *Si ſudor & aliæ egeſtiones ceſſant, tunc copioſius mingitur.* ibid.
XIX. *Mulieres plus mingunt, quam viri.* ibid.
XX. *Clara in infantibus ſæpe mingitur urina.* ib.
XXI. *Pueri quoque copioſius mingunt quam adulti.* ibid.
XXII. *Mala eſt alba & clara urina in ictero, minatur utplurimum hydropem.* ibid.
XXIII. *Sperma in urina ſupernatans notat pollutiones nocturnas vel etiam gonorrhœam.* ib.
XXIV. *Urina ſanguinea notat mictum cruentum & læſionem renum, ut plurimum nephritidem.* ibid.
XXV. *Urina alba inſtar ſeri lactis, quæ ſedimentum ponit album, in infantibus utplurimum denotat vermes.* ibid.
XXVI. *Quo magis color urinæ à naturali flavo recedit, eo pejor eſt.* ibid.
XXVII. *Urina exceſſive flava fit etiam à medicamentis aſſumtis.* ibid.
XXVIII. *Flammea urina per modum ſpiritus nitri in deſtillatione tranſeuntis ſignificat utplurimum febrem tertianam non notham ſed exquiſite veram.* ibid.
XXIX. *Urina ruffa calorem præternaturalem notat, & quo major eſt rubedo, eo major extrinſecus calor.* ibid.
XXX. *Quando urina rubicunda abſque calore, notat ſcorbutum.* 21
XXXI. *A nimio motu corporis & animi, à defectu humidi, ut & ab ira nonnunquam urina talis rubicunda ſecedere ſolet.* ibid.
XXXII. *Urina naturali ſimilis etiam eſt in multis morbis & maxime in febribus malignis.* ib.
XXXIII. *Urina ſaturate rubicunda vel etiam ſanguinea in variolis & morbillis magnum portendit periculum.* ibid.
XXXIV. *Urina rubicunda citra ſedimentum quodammodo turbida cum bullis ſignificat utplurimum morbos pectoris.* ibid.
XXXV. *Quando urina obſervatur nigra, à plurimis pro ſigno lethali habetur; ſed falſum hoc eſt.* ibid.
XXXVI. *Urina livida convulſivos motus indicat, item urina rubicunda abſque ſedimento.* ib.
XXXVII. *Pus in urina notat abſceſſum.* ibid.
XXXVIII. *Impregnatio ex urina non poteſt cognoſci.* ibid.
XXXIX. *Furfures farinacei excoriationem veſicæ indicant.* ibid.
XL. *In menſium ſuppreſſione urina eſt turbida, qualis etiam in gravidis accidit.* ibid.
XLI. *Indicatio particularis ex urina temeraria eſt.* ibid.
Judicium circa alvi excrementa & quæ per ſuperiora excernuntur. ibid.
Judicium circa pulſum. ibid.
REGULA I. *Non ſtatim in acceſſu præſertim tempore hybernali, tangendus eſt pulſus.* 22
II. *Non ſolum ex pulſu judicandum, ſed ex aliis ſimul collective ſumtis circumſtantiis.* ibid.
Judicium ex oculis. ibid.
Judicium ex ſaliva & lympha. ibid.
Judicium ex temperamentis. ibid.
Judicium ex victûs ratione. ibid.
Judicium ex conſuetudine ægrorum. ibid.

CAPUT III.

De Medici prudentia reſpectu ſui erga ægros.

REGULA I. *Qui Medici curæ demandati ſunt, fideliter tractentur.* 23
II. *Docti ſunt doctè tractandi.* ibid.
III. *Qui morem non gerunt, eos mature deſerat Medicus.* ibid.
IV. *Apud contumaces opus eſt parrheſia interdum & fallacia.* ibid.
V. *Æger non facile eſt deſerendus.* ibid.
VI. *Mutatio vaga ægrotorum contemnenda eſt à Medico.* ibid.
VII. *Ipſe Medicus, quando ægrotat, alios quoque tempore neceſſitatis conſulat.* ibid.
VIII. *Peregrini & extra urbem degentes à Medico nunquam longius detinendi, ſed citius expediendi ſunt.* ibid.
IX. *In captioſis quæſtionibus & ſubdolis ſtratagematibus omnia inveſtiganda & cautius penſitanda.* 24
X. *Medicus, ſi non lectum adire poteſt, tamen per literas conſilio inſerviat.* ibid.
XI. *Miſerrima res eſt Medici, cui ſemper bene eſt, quando aliis male.* ibid.

CAPUT IV.

De officio Medici circa ſpecialiora objecta, ſpecialiſſime circa Principes & Magnates ægrotantes.

REGULA I. *Cordatus ſit Medicus non timidus.* ibid.
II. *Corporis omne malum tanto conſpectius in ſe, quanto major eſt ille, qui ægrotat.* ibid.
III. *Medicus nihil promittat temere.* ibid.
IV. *Non temere contradicat principi patienti, vel aliis Medicis, niſi periculum urgeat.* ibid.
V. *Sola pretioſa, ſive revera talia, ſive vendita, ſola non ſunt propinanda.* ibid.
VI. *In heroicis medicamentis adhibendis apud principes & cordatus & cautus ſit.* ibid.
VII. *Incurabiles morbos præſtat non attingere.* ibid.
VIII. *Qui neſcit ſimulare, neſcit etiam curare.* 25
IX. *Non temere ſymptomata, quæ ſecundum naturam ſunt, à faſcinio vel veneno orta eſſe pronunciet.* ibid.
X. *Omnes curare non eſt in Medico, omniaque ad votum ſuccedere, plane non eſt ſperandum.* ibid.
XI. *In gravioribus morbis non ſtatim deſperet Medicus, nec deſiſtat à cura.* ibid.

CAPUT V.

De prudentia Medici circa fœminas ægrotantes.

REGULA I. *Medicus debet eſſe caſtus.* ibid.
II. *Mulier omnem morbum bis patitur.* ibid.
III. *Lapis lydius ſanitatis fœminarum ſunt menſes.* ibid.
IV. *Mulieres plurimæ in noſtro climate ſunt hyſtericæ.* ibid.
V. *In menſibus movendis cautus eſſe debet Medicus.* ibid.
VI. *Abortum procurare quando conſulto id fiat, ſcelus, ſi inconſiderato, dedecus.* ibid.
VII. *Gravidam eſſe fœminam temere aſſerere vel etiam negare periculoſum eſt.* ibid.
VIII. *Effutire ſecreta ſibi concredita, uti omnino alias, ſic maxime apud fœminas & earum ſecreta & affectiones, turpe eſt.* 26
IX. *Purgantia, venæſectio, calida fortiora cautiſſime ſunt danda ipſis gravidis vel plane non.* ibid.
X. *Acida, opiata, frigida ipſumque frigus forte ac rigidum venena ſunt ipſis gravidis.* ibid.

REGULA

Regula XI. *Gravidæ etiam abſtineant ab omnibus perturbationibus mentis & animi pathematibus.* ib.
XII. *Potus calidi non promiſcue & copia ſuadendi ſunt ipſis gravidis.* ibid.
XIII. *Gravidæ abſtineant ab omnibus dulcibus.* ibid.
XIV. *Balnea multis gravidis in uſu ſunt maxime menſe ultimo & circa partûs tempus.* ibid.
XV. *Si gravida eſt debilis, etiam embryo notabili laborat debilitate.* ibid.

CAPUT VI.

De prudentia Medici circa puerperas.

Regula I. *Puerperæ non copioſis nec fortioribus medicamentis tractandæ ſunt ſed convenientibus.* ibid.
II. *Tractandæ ſunt puerperæ, ut graviter vulneratæ.* ibid.
III. *Tractandæ ſunt puerperæ, ut ſumme debiles.* ib.
IV. *Lydius lapis puerperarum valetudinis ſunt lochia.* 27
V. *A nimio lochiorum fluxu maxime debilitantur puerperæ.* ibid.
VI. *Regimen aëris ſit temperatum, uti omnibus ægris, ſic quoque puerperis.* ibid.
VII. *Medicus apud puerperas inquirat potiſſimum in tranſpirationem & reſpirationem.* ibid.

CAPUT VII.

De prudentia Medici circa infantes eorumque morbos.

Regula I. *Infantum temperamentum non eſt deſtruendum nimis calidis.* ibid.
II. *Purgare convenit infantes.* ibid.
III. *Ad ſudorem nunquam ſunt cogendi.* ibid.
IV. *In variolis omnia calida item regimen calidum vitandum.* ibid.
V. *In infantibus attendendi ſunt clamores.* ibid.
VI. *Attendendum quoque eſt, an alvus reſpondeat.* 28
VII. *Videatur, an fœces ſint virides, vel coagulatæ.* ibid.
VIII. *Dulcia omnibus fere infantibus grata inſalubria ſunt ſæpiſſime.* ibid.
IX. *Dulcia, acida, ſpirituoſa & nimium frigus infantibus venena ſunt.* ibid.
X. *Faſcinia non ſtatim attribuantur morbis infantum.* ibid.
XI. *Opiata facillime operantur apud infantes, quia ſunt feroſiores, ideoque parcius ſunt adhibenda.* ibid.
XII. *Ex ſuctione, ſomno & ordinata alvo maxime ſanitas infantum noſcitur.* ibid.
XIII. *Probe obſervandum, quomodo alias ſe geſſerit infans.* ibid.
XIV. *Recens natis non ſtatim præbeantur mammæ.* ib.

CAPUT VIII.

De prudentia Medici circa variæ ætatis homines.

I. Circa infantes. ibid.
II. Circa juvenes. ibid.
III. Circa adoleſcentes. ibid.
IV. Circa viros. 29
V. Circa ſenes. ibid.

CAPUT IX.

De prudentia Medici in morbis acutis & chronicis.

Regula I. *Ante omnia Medicus ſe defendere debet à contagio morborum malignorum.* ibid.
II. *Non facile diu moretur Medicus, vel adſiſtat ipſis ægris, quando morti ſunt proximi.* ibid.
III. *Conclave humidum & parvum non perſpirabile Medicus vitare debet.* ibid.
IV. *Medicus ſemper cautiſſime agat in morbis malignis quoad medicamenta heroica.* ibid.
V. *Medicus prognoſin cautam debet formare in morbis malignis & acutis.* ibid.
VI. *Ne nimis tutos nimiumque timidos ægrotos reddat Medicus.* ibid.
VII. *Si perſonæ ſunt digniores, ſolus curam in malignis morbis nunquam ſuſcipiat, etiamſi ipſe ſit peritiſſimus.* 30
VIII. *Medicus bene cognoſcat tempora ipſarum variolarum.* ibid.
IX. *Medicus variolas, morbillos, morſus pulicum, & maculas ſcorbuticas non pro petechiis habeat & contra.* ibid.
X. *Circa dyſenteriam malignam Medicus cautus ſit ante omnia etiam accedendo ad dyſentericos.* ibid.
XI. *Scorbutus & malum hypochondriacum ſunt matres omnium morborum chronicorum.* ibid.
XII. *Cura chronicorum maxime inſtituenda eſt tempore vernali & hiemali.* ibid.
XIII. *Quando nimis radicatum eſt & conſummatum malum, caveat Medicus fortiora adhibere, ſed leniſſime tractet ægrum.* ibid.
XIV. *Non facile promittere debet Medicus reconvaleſcentiam in morbis chronicis.* 31
XV. *Prudentiſſime ſe gerat Medicus in adhibendis medicamentis heroicis, ſi obtinere velit finem ſibi propoſitum.* ibid.
XVI. *In omnium medicamentorum adhibitione bene obſervanda ſunt tempora.* ibid.
XVII. *Medicus ad ægrotum vocatus, altero jam præſente Medico, quæ obſervare debeat.* ibid.

CAPUT X.

De prudentia Medici circa ſoſtrum.

Regula I. *Accipe dum dolet, poſt morbum Medicus olet.* ibid.
II. *Paciſci de mercede, rationalem non decet Medicum.* ibid.
III. *Soſtrum ſive muneris ſive debiti nomine offeratur, prompte Medicus accipiat, nec cum pudore nec cum triſtitia.* ibid.
IV. *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum.* ibid.
V. *Importune ſoſtrum quærere, parit contemtum.* ib.
VI. *Non ſervile ſit ſoſtrum, ſed honorarium.* 32
VII. *Nec præmia pauperum ſunt ſpernenda, quamvis eos ſæpius gratis curemus.* ibid.
VIII. *Prolongare curationem lucri majoris cauſa, infame eſt.* ibid.

FINIS.

FRIDERICI
HOFFMANNI
CONSILIARII, ARCHIATRI ET PROFESSORIS REGII,
GLORIÆ FAMA POSTHUMA,
Ex Scripto hactenus inedito,
Nempe
COMMENTARIUS
DE DIFFERENTIA
INTER
EJUS DOCTRINAM MEDICO-MECHANICAM,
ET
GEORGII ERNESTI STAHLII MEDICO-ORGANICAM.

Cum præfatione

SALENTINI ERNESTI EUGENII COHAUSEN,
Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, Medici Provincialis Trevirenſis & Phyſici Confluentini, Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum Collegæ, dicti Cleombrotus ſecundus.

Qui credit ſe poſſidere
Omnia Celeberrimi FRIDERICI HOFFMANNI Opera,
Fallitur.
Hocce non poſtremi momenti Scriptum
Summæ Induſtriæ & Doctrinæ monumentum
Hactenus ineditum manſit.
Quod oſtendit
Strenuiſſimos duos Artis Medicæ Archiſtrategos,
Non de barba capri aut aſini umbra,
Sed de deſpotico corporis humani regimine
Seriò, ſed modeſtè & amicè
Inter ſe pugnantes.
Tu, Quiſque es Lector,
Hoſce ſpecta Monomachos,
Et ſine partium ſtudio judica,
Cui palma debeatur.
Non errat,
Qui ambobus Eam conceſſerit.
Et utrumque ſuo in ſenſu triumphatorem
Poſthumæ Gloriæ Laureâ coronârit.

VIRO

NOBILISSIMO, CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

FRANCISCO ANTONIO DE SAYLERN,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI,

Conſiliario Aulico & Archiatro Electorali Trevirenſi &c.

AMICO ET FAUTORI ÆSTUMATISSIMO

Salutem & Felicitatem,

PRÆSENSQUE CL. HOFFMANNI *OPUSCULUM*, *tanquam æquiſſimo Scriptorum Cenſori & inſigni Amatori, non fucatæ Amicitiæ & ſinceræ Venerationis ergo*

offert

SALENTINUS ERNESTUS EUGENIUS COHAUSEN.

FORTES *creantur Fortibus &c.* Vates canit Venuſinus, quidni Solertiſſimi, Clariſſimi, Eruditiſſimique Proavi, Avi & Patres, videbunt non degeneres Nepotes, ſed tales, quales ſe Exemplo prodiderunt: Id in TE veneror, VIR EXCELLENTISSIME! cum enim Avus Tuus, JOANNES CASPARUS DE SAYLERN, æque ac Pater Tuus, JOSEPHUS ANTONIUS, (qui ante paucos menſes annis gravis, Laboribus, Studiiſque fractus, non mortuus, ſed potius ſenili maraſmo confectus deſiit vivere) Viri ſtrenui in Arte Jatrica non duntaxat, ſed & Phyſicis, Chymicis, Alchymicis, Botanicis (quod plurimis præclaris monumentis non tantum TE abunde docere poſſe ſcio, ſed Litterato orbi affluenter innoteſcit) verſatiſſimi ac indefeſſi ſcrutatores non interrupto ordine plurimis annis, ultra ſæculum dixerim Celſiſſimi St. Gallenſis Principis Archiatri munere glorioſè defuncti fuerint, artis laborioſi & indefatigati judicioſi ſcrutatores, omniſque profundæ Litteraturæ Amatores; ex iis itaque tanquam per traducem in TE Litteraturæ imprimis Medicæ fervorem tranſmigraſſe ſuſpicor, ut proin compellar TIBI Levem hancce me promotore & accurante editam CL. HOFFMANNI Diſſertatiunculam de graviſſimo in Medicina negotio ſcilicet artis baſi & fundamento offerre, TUO que exaſciato judicio ſubmittere. Tanti enim Medici, Profeſſoris & Potentiſſimi BORUSSORUM REGIS Archiatri omnibus numeris conſummatum opuſculum nonniſi MAGNI ELECTORIS Proto-Medico digniſſimo dedicari merebatur, non quidem, ut ab eo contra malevolos tutelam exſpectaret; innumeros namque orbis Litteratus habet viros præſtantiſſimos ejus olim diſcipulos, Doctrinæ Mechanicæ fundamentis inſtitutos, qui

qui defenſionem Præceptoris ſui, ſi neceſſe foret, ſuſcepturi eſſent, ſed ſolummodo, ut hoc publicum meæ erga Te obſervantiæ exſtaret teicmerion; hoc igitur duntaxat precor, ut munuſculum ex alieno Phylaterio benevolè ſuſcipere, Tuamque mihi ſemper gratiſſimam amicitiam illibatam conſervare velis: Vale, ſoſpeſque ad Neſtoreos annos vive; atque Patris Patriæ Clementiſſimi pretioſiſſimam ſanitatem in plurima Luſtra favente Cœlo Tua Experientia & vigilantia proroga feliciter. *Dabam ex Muſæo meo Confluentino, pridie Calendar. Februarii MDCCXLVI.*

PRÆ-

PRÆFATIO

Salentini Erneſti Eugenii Cohauſen, M. D.

ILLUSTRIS FRIDERICUS HOFFMANNUS, Academiæ Fridericianæ, quæ Halæ-Magdeburgicæ eſt, Profeſſor Celebratiſſimus, ante quinquennium fato, quidem non immaturo (ſatis enim naturæ, ſatis gloriæ vixerat) plurimum tamen Reipublicæ litterariæ dolendo, è vivis adeoque hominum ſaluti & poſteritatis commodis ereptus. Quam conſummatæ eruditionis atque experientiæ Medicus extiterit, novit litteratus orbis, *à Solis ortu uſque ad Heſperium cubile*, nec minus exactiſſima ejuſdem Opera, tam Phyſiologica, quam Pathologico-Practica abundè teſtantur. Quorum quidem illa eſt elegantia, illa doctrinæ perfectio, ut vera immenſum Medicinæ Oceanum ingredientibus Cynoſura eſſe, & in omnibus Athenæis publice legi, & à cunctis ſolidæ Praxeos ſtudioſis noctu diuque manibus verſari mereantur; Nam cui HOFFMANNI Scripta diſplicent, eum in ſtudio Medico parum profeciſſe exiſtimo. Ego quidem præſtantiſſimo huic Viro (cum quo Commercium litterarium fovendi, mihi aliquando fortuna contigit) Ejuſque Scriptis, non minori candore quam Artis exactitudine exaratis me multum debere ultro fateor, quod plures præcellentiſſimi Archiatri pariter mecum profitentur. Quamdiu expertiſſimus hic Æſculapius Cathedram Medicam frequentavit, ex Schola Hallenſi plures Artis Aſclepiadeæ Heroës, quam ex equo Trajano milites, exierunt. Eodem ad quartam vicem Rectoratus ſceptrum tenente Academia Hallenſis ſumme effloruit, & inſtar Cedri caput extulit, dum Comitum & Baronum, ordiniſque equeſtris ac civici turba eo numero ad illam convolavit, ut Regiſtra Academica, Domus, Menſæ, Templa, Auditoria & Muſarum Habitacula undique iis fuerint repleta, qui ſummo ſibi honori duxerunt, talis Doctoris audire Lectiones, & ceu Rectoris auſcultare præceptis, quæ non tantùm venerabilia reddebat canities, ſed ſumma magis prudentia.

Tranſeo ad Ejus expolitiſſima Scripta, quæ pro veris Medicinæ gazis habenda, inter quas, ſi mihi daretur electio, neſcirem ſane, quibus danda eſſet prærogativa. Omnibus, ſi non æquales, ſaltem magnum eſſe tribuendum pretium non negabit in iis verſatus, ut illorum aliquo carere multæ ſit ſcientiæ diſpendium, & ſummè dolendum, ſi quæ forte alicubi latentes magni Viri lucubrationes in lucem publicam nondum egreſſæ, cujus equidem mihi fidem facit exaſciatiſſimus *Commentarius* (quem hic publicare intendo, nec ob ſua merita Rempublicam Medicam aut potius juniores ejuſdem Candidatos privare potui, ut qui in ſe continet utriuſque Sectæ, moderno ſæculo adeo decantatæ & ventilatæ, ſcilicet *Hoffmannianæ* & *Stahlianæ* pulcherrimam encyclopœdiam) *de differentia inter doctrinam Medico-Mechanicam Illuſtris* FRIDERICI HOFFMANNI *& Illuſtris* GEORGII ERNESTI STAHLII *Medico-Organicam*, de quibus omnibus hic breviter præfabimur.

Non omnia Virorum Clariſſimorum Scripta eam ſortiuntur fortunam, ut obſtetricante Typographia in lucem exeant. Hinc multa Manuſcriptorum millia in Illuſtribus Bibliothecis hinc inde ſervantur. Vel enim aliquando inexſpectato fato ante libri editionem præoccupantur Auctores, vel Opera ipſa aliquid continent, quod vivente Scriptore publicare non expedit: vel Auctor ipſe Opus ſuum amplius elimare, exornare & perficere intendit, morte tamen præpeditur: vel Æmulorum quandoque invidia & perſecutionem metus obſtat, ne publicentur; unde quoque tot libri Anonymi & Pſeudonymi naſcuntur: vel ea quandoque Autographorum apud ſtudioſiores Medicos, imprimis Profeſſores, quibus in dies componendi & diſcipulis dictandi onus incumbit, eſt pro-

 ventus

ventus & copia, ut fœtibus publico magis utilibus aut neceſſariis, uſuram lucis præmittant, aliis in ſcrinio reſtitantibus. Quæ inter haſce cauſa fuerit, ob quam Cl. HOFFMANNUS huncce Tractatum prælo non commiſerit, non eſt facile determinatu. Non obſtitit illi immaturitas aut elaborationis defectus, non enim pro abortu, ſed abſoluto & perfecto Artis Jatricæ fœtus cenſendus eſt. Alia igitur videtur ratio, quæ hujus Operis impreſſionem ſuſpendit. Unicuique, qui vel à longinquo duntaxat Æſculapium ſalutavit, ex veterum recentiorumque Medicorum Annalibus abunde innoteſcit, quantis vel ab ipſis Medicinæ adhuc rudioris incunabulis ſacra Ars agitata fuerit variorum Syſtematum procellis, prout enim aliquis vel ex Phyſicorum aut Philoſophorum ſchola oriundus ſibi conceptum formabat, vel ideam fingebat, ita ſingula Naturæ Phænomena, operationes, functiones, motus & actiones ad eadem principia adſtringere, quin torquere & ſecundum ſuas Regulas metiri & explicare allaborabat, ſique famæ ſuæ aliquam celebritatem acquiſiverat, vel in celebri aliquo Athenæo profeſſorali munere fungebatur, non difficile erat aſſeclas & ſectatores cœcos reperire, qui ſubinde noviter excoctum ſyſtema pro aris & focis totis viribus defendebant, quod ex antiqua & recenti hiſtoria Medica repetere velle, & nimis prolixum & ſupervacaneum autumo, cum in prolegomenis Inſtitutionum fuſiores explicatores totam rei ſeriem ab ortu plerumque enarrare & deſcribere conſueverint; ut aliorum, ita quoque Celeberrimi *Stahliani* principii, idem fuit ortus, idem progreſſus, cum enim acutiſſimus Vir perſpiceret, doleretque ſecundum conceptas aliquando fictas & imaginarias multorum fallaces & ſteriles Theorias (quæ tamen vera, minimè erronea, ad felix tam periculoſæ & ſimul nobilis Artis exercitium tuto exercendum prorſus neceſſaria videtur, & altera totius Ædificii Medicinalis fortiſſima columna eſt, quæ ſi carioſa ſit, tota moles collabaſcit, cum Theoria Praxis mentalis dicatur) non ſat propriè & convenienter, ſed tantum ex præſuppoſitis in omnibus circumſtantiis corporis viventis animalis functiones, actioneſque deduci & explicari, totus in eo fuit, ut novum aliquot Syſtema partim reſuſcitaret, partim pareret, quo faciliori modo operationes corporis animati tum explicari, tum huic ſolido & inconcuſſo fundamento ſuperſtrueretur Pathologia, ac tutius, jucundiuſque quam hactenus Praxis Medica exerceretur. Non diffitendum Cl. STAHLIUM per introductionem ſui Novi & Rari Syſtematis multa commoda attuliſſe, innumeros errores correxiſſe, tum Artis facilitate, tum plurimis circumſpectis cautelis quibus obſervatis curationes illæ tumultuariæ, violentæ, derogatæ & ſic dictæ heroicæ moderatæ ſunt, tutiorique nec non amœniori methodo Therapia pertractata, quod quivis vel obiter in Arte verſatus ultronee fateri cogitur, & hanc laudem immortalem ambabus manibus Cl. STAHLIO largior, non inficior me plurimum *Stahlianis* principiis debere, nec infrequentem & quidem feliciter agere in multis caſibus ejuſdem ſuccinctæ Praxeos imitatorem; ô quam pulchrum & jucundum eſt apum inſtar ex plurimis exercitatis practicis diverſorum licet & contrariorum Syſtematum Aſſeclis colligere verorum experimentorum (quæ ſola Medicum nobilitant & exaltant) practicorum mellilegium, cum nihil turpius, nihil damnoſius, quam adeo pertinaciter ſuo inhærere Syſtemati, ut & id repudiatur, quod & Autopſia, & repetita confirmat Experientia, num prudenter nullius in Verba Magiſtri ita jurandum, ut omnia aliorum dicta & facta excludantur, hinc Ecclecticum agere cum judicio practico (quod in multis admodum rarum eſt, attamen adeo utile & neceſſarium) optimum & tutiſſimum eſt; cum vero inter alia judicioſiſſimum STAHLII Syſtema & captu facile, & huic ſuperinſtructa Praxis nullis ſonticis & periculoſis tentaminibus expoſita credatur, non mirandum illud quoque tot habuiſſe & adhuc alere ſtrenuos imitatores, nam cum in Celeberrima Hallenſium Univerſitate (quæ totam fere Germaniam de expertiſſimis & doctiſſimis Medicis providit) tam benigna Virorum litteratorum Matre Profeſſorem ageret ſolertiſſimum & eloquentiſſimum, nil obſtat, quin auſcultantes diſcipuli Scientiarum aucupes hiſce principiis admodum plauſibilibus innutriti illud per univerſum orbem ocyus cum maximo applauſu divulgarent & propalarent, quod ſtrenue adjuvit non proletaria aſt fundamentalis Clariſſ. STAHLII omne fere ſcibile excutiens eruditio, ſumma quam apud Magnates, Reges & Principes, ſuo ſtudio & indefeſſo labore acquiſiverat confidentia, facilis & Rhetorica docendi methodus, explicandi claritas, & tot præclara Scripta & elegantes Diſſertationes, quas tum ipſe, tum genuini ejus diſcipuli per typum publicas fecerunt, & ſæpius in linguam vernaculam tranſtulerunt, ut & amuſi illas legere & applicare poſſent; Verum non iniquius fuit fatum Excellentiſſimo HOFFMANNO (cujus cineres adhuc poſt fata veneror) qui in eadem Academia, eadem facilitate, pari eruditione, non diſpari eloquentia, ſimili ſorte, fama & facundia, in eadem

eadem dignitate, æquali Regum, Nobilium & Magnatum confidentia inſtructus, jugi frequentiſſimorum auditorum amore & reſpectu fotus & exceptus aliud Syſtema, neinpe Mechanicum publicè & privatim docuit, & diffuſiſſimis doctiſſimiſque voluminibus orbi litterato expoſuit; verum quantum mihi conſtat, & hactenus expiſcari potui, nullo peculiari ſcripto ſe publicum Antagoniſtam præbuit, Monomachiam litterariam, ut opinor, evitaturus; niſi præſente *Commentario* ex quo, quæ ſit inter Doctrinam Medico-Mechanicam & Organicam differentia, ex poſtulatis juxta ſe poſitis facile innoteſcit. Negari nequit, ingenioſa eſt Ill. STAHLII Theoria: quis enim Virum de Republica medica meritiſſimum debito privet elogio? Sed Ill. HOFFMANNI diffuſior, in Praxi tamen ſecurior, adeoque probabiliter verior, quod argumentis utrimque ad Experientiæ bilancem libratis, quæ hæc ſuggerit diſſertatio, ſatis pateſcit. Quis credet Febres, Hæmorrhagias, Spaſmos &c. merum eſſe Naturæ ægroti ſalutem intendentis motum, cum hic ſibi relictus non raro lethales producat ſucceſſus, qui Methodo Hoffmannianâ, maturè moderatus, aut correctus, aut alio directus ſæpiſſime periculo caret, duntaxat à ſucci cujuſdam vitio, aut Orgaſmo materialiter, non à Natura ſeu Anima efficiente dependens. Non difficile fuiſſet ſingulos hujus Schediaſmatis paragraphos ſcholiis & animadverſionibus illuſtrare & confirmare, niſi eadem ex cœteris HOFFMANNI Scriptis forent notiſſima, neque id officii mei ratio permiſit. Cum enim Germania noſtra celeberrimis abundet Archiatris, qui Excell. STAHLIUM habuere præceptorem, & in ejus quaſi verba jurârunt, facile ex viris expertiſſimis quis inſurgere poſſet, poſtulatis meis litem moturus. Quocirca cuique libertatem relinquo alterutrius hujus Profeſſoris in Medicina principia ſequendi & manutenendi. Et ſane, quod Commentarium hunc publicum fieri noluerit HOFFMANNUS, cauſam eſſe judico, quod cum STAHLIO, ceu Profeſſorali & Archiatrali dignitate Collega ſuo, ratione fundamentorum Artis medicæ tricas & contentiones fovilſe ita palam videri non voluerit. Legenti enim conſtat, Eum omnia tanta ſedati animi modeſtia pertractâſſe, ut ne vel minima invidiæ aut æmulationis veſtigia in Scripto hoc appareant.

Diſcant igitur ſeverioris naſi Ariſtarchi, qui ex Theonis ſunt poſteris, aliorumque Facta vel Scripta livido oculo non ſolum aſpicere, ſed & temerariè laceſſere, aut potius ſelliſſare non verentur, ac interim non niſi Apinas Tricaſque & ſi quid vilius iſtis proferunt, Pſaphoniſque aves divendunt, vanam gloriolam aucupari affectantes, ſibique ut Lentilius meus *Miſcellan. medico-pract. Part. II. p.* 454. de ſimili Thraſonico Cenſore ipſum malevolè incitante conqueritur, tantum gloriæ diſcedere autumantes, quantum aliorum famæ accedit; cum grano ſalis & moderamine ſcribere, ne *Avis ex cantu* noſcatur, ſique ſibi imaginando blandiantur, quod præ aliis ſapiant, id modeſtè laudabili more Hoffmanniano ſi proferant veniam & Encomium merentur, nec erubeſco ex monitu Theoph. Boneti *Mercur. compitalit. lib.* 20. §. 68. *p.* 974. errores proprios confiteri Hippocratem imitatus, præcipuè *in miniſterio, quod utilitatis cauſa poſteris traditur*, Celsus *lib.* 8. *c.* 4. à Doctis etiam diſſentire quis vetat, tribuo multum Hippocrati, multum Galeno, multum Tralliano, tribuo quoque & aliquid mihi, verum diſſenſus ille non debet fieri Sycophantarum & Rabularum forenſium more, qui non niſi craſſa ad ſtabula releganda ſarcaſmata evomunt, & ſtrenuo quaſi facto ſibimetipſi & quidem ſoli applaudunt; ſed prô quam felix partus, quam pulcra tali patre ab Erotomania reconvaleſcente digniſſima proles, quæ certè laudem, ſed non niſi ab ignorantibus, juſtique & honeſti oblitis, recipit.

Is ſanè mihi eſt pacatiſſimus animus, & mens imbecillitatis ſuæ abundè conſcia, ut nunquam infallibilem Dictatorem agere præſumpſerim, illud verò reciprocum mihi veri & artis ſtudium, ut modeſtum aliorum diſſenſum approbem, docerique vel ab inerudito (nam & Mediaſtinus fuit aliquando opportuna locutus) non pudeat, ſed ſuperbam inſolentiam, altumque & Thraſonicum ſupercilium ægrè feram, tuli tamen aliquoties, ut quia altercationis ſterilis ſerram difficulter traho, verituſque fui, ne juſta cogeret ira, ut inſolenti calamo durius frænum injicerem, aut forte, quod in proverbio dicitur: *Cicadam alâ corriperem* & ſic *Argutos inter ſtrepat* ulterius *anſer olores.* Hinc tacens diſſimulavi: ſciat quiſquis ſit ſuperciliofus & inſulſus Cenſor, ſi *ipſi Machæra ſit, quod nobis Urbina ſit domi.* Talia autem partim futilia, inania, nulliuſque emphaſeos in me tendentia tela ſalſo riſu potius & vilipendio, quam ſtomachabunda retorſione digna generosè judico; hoc duntaxat monere non docere volui (quod arrogantiam ſaperet) iſtiuſmodi inanis gloriæ aucupes longè prudentius agere, ſi Excellentiſſimi HOFFMANNI nullo inſolenti contradicendi ſtudio unquam excitati exemplar imitarentur, aut quod aptius foret omnino tacentes deliteſcerent.

Mirari

Mirari quis poſſet, quomodo hic Tractatus & præſens Commentarius, qui nunc me accurante publici fit juris, ad manus meas devenerit, cui facile eſt reſponſum, Opus iſtud ab HOFFMANNO cuidam dilecto ſcientiæ filio ad deſcribendum conceſſum, & ab eo D. Patruo meo Cl. *Doctori Cohauſen*, & ab hoc mihi eſſe communicatum, quod igitur abſit veris Artis filiis invidere; eſt etenim eo ſtudio atque diligentia elaboratum, ut non tantum eos erudire, ſed etiam adhuc in tumulo B. Viri cineres honorare valeat, quoties enim novus in lucem prodit Tractatus, toties de eo inter viros doctos fit fabula, & fama Auctoris magis magiſque augetur; unde & hunc Commentarium ſub *Gloriæ Famæ Poſthumæ* inſcriptione publicare volui.

Accedite igitur
Fidi Aſclepiadis Alumni,
Adeſt
Æſculapii Hallenſis oracula nuper fundentis,
Quem litteratus mirabatur Orbis,
Eruditionis Phœnicem,
Quem conſulebant & honorabant Reges &
Principes.
Alterum Hippocratem,
Quem venerabantur Academiarum Proceres,
Sapientiæ Lumen,
Quem ſtudioſa colebat Juventus
Officioſum quaſi parentem,
Et Fidum Præceptorem,
Quem univerſa prædicabit poſteritas.
Tractatus verè aureus.
De corporis humani Organiſmo
Sub Naturæ ſeu Animæ Rationalis regimine.
De artificioſo Ejuſdem Mechaniſmo,
A partium ſolidarum ſtructura,
A Fluidarum cum iis æquilibrio,
Et motu continuo
Sub Spirituum animalium præſidio.
Legite, Ruminate,
Ex iis, quod lubet, eligite Syſtema.
Et hiſce Ducibus ad Artis Jatricæ complementum
Tendite,
Ut
ad corporis humani quà ſani qua morbidi
Perfectam Notitiam,
Sicque ad Diſciplinæ caput medici exaltantis
Apicem perveniatis.
Vivite, valete.

DE

DE
DIFFERENTIA DOCTRINÆ STAHLIANÆ
A Noſtra in Pathologicis & Therapeuticis.

§. I.

ſcopus Auctoris.

CLARISSIMUS Dn. *Georgius Erneſtus* STAHLIUS, magni ingenii Medicus, plane novam hypotheſin, ſeu magis theoriam in diſciplinam artis medicæ introducere hactenus allaboravit, eamque non modo docendo, ſed & compluribus ſcriptis propugnavit, & cum publico communicavit, neque paucos aſſeclas, & ſectatores invenit. E re itaque fore putavi, ut quomodo hæc nova hypotheſis ſeu theoria à noſtra eo uſque propoſita & aſſerta differat, & in quibus conveniat, paulo accuratius perpendere atque examinare. Statuit autem ampliſſimus Vir cum Philoſophis Ariſtotelicis, hominem ex duabus partibus, anima nempe rationali & corpore organico conſtare. Per animam intelligit ſubſtantiam, quæ in ſe & per ſe cauſſa & principium ſit omnium operationum ſeu actionum in corpore noſtro tam rationalium, quam vitalium & naturalium. Per corpus vero organicum intelligit corpus noſtrum affabre ad certos fines & motus conſtructum, mixtionis tamen valde corruptibilis, dum ex male cohærentibus principiis, aqua, oleo & terra conflatum ſit, adeoque etiam per ſe & in ſe, levi cauſſa externa accedente, calidò nempe aëre, in putredinoſam corruptionem valde pronum ſit, nihilominus a corruptione hac per motus ſolidorum & fluidorum, ſanguinis maxime circularem motum, & ab eo dependentes motus ſecretorios & excretorios indies præſervetur & vindicetur; cum videlicet id ipſum, quod corruptioni proximum ſit, & reliquas partes atque humores facile in eandem corruptionem conjicere poſſit mediante ſecretione & excretione continuo expellatur, atque hac ratione corpus per ſe corruptibile vivum maneat, & a corruptione immune perduret. Quapropter etiam ipſi vita nihil aliud eſt, quam præſervatio corporis a corruptione per motus, maxime vero per progreſſivum & motus ſecretorios & excretorios.

Stahlii opinio. *Quid per animam.* *Quid per corpus.* *Vita quid ipſi.*

§. II.

Ens immateriale ipſi cauſſa omnium motuum.

Hos motus vero, qui defendunt a præſentanea putredine animantium corpora, efficere & præſtare aſſerit, principium vitale, ſeu primum movens, quod incorruptibile, incorporeum, ſeu immateriale ſit, quod non tantum actibus ratiocinandi præſit, ſed & motus ſolidorum, cordis & arteriarum tonicos, omniumque partium, qui vitalibus & naturalibus functionibus præficiuntur, proxime & immediate efficiat, adeoque dum vitaliter ſic agit, naturam a Veteribus appellari; mentem vero ſeu animam rationalem dici, quatenus actibus ratiocinandi vel ſenſitivis præeſt; hanc vero ſententiam non minoris momenti argumentis confirmare & ſtatuminare nititur.

Omnis materia eſt illi paſſiva.

Primo. Dicit, omnia corpora, omnemque materiam ex ſe, & ſua natura eſſe mere paſſivam, immobilem, tantum extenſam, in partes diviſibilem, omnis motus, activitatis & niſus expertem; ergo neceſſe eſſe, ut a principio quodam incorporeo & immateriali activo inſtruatur, & in actum & motum deducatur, præſertim cùm motus ipſe non niſi res ſit incorporea, non extenſa, indiviſibilis.

Anima omnium motuum proxima cauſſa.

Secundo. Dicit, quod anima motuum in corpore noſtro proxima & vera cauſſa ſit: eluceſcere clare exinde, quia pro lubitu & arbitrio corporis noſtri membra externa, artus, modo ſint rite ceu inſtrumenta motus conſtituta, movere, actuare & ad certos actus & fines dirigere poſſimus.

Tertio. Quod non tantum moveantur a principio illo in ſe movente & vitali actus voluntarii, ſed & vitales, impulſorii nempe & tonici cordis, arteriarum, muſculorum, ex eo ſatis manifeſtum fieri, dum ad graves animi commotiones, iram, terrorem, triſtitiam etiam & timorem, mox immutatio pulſus cordis & arteriarum ſequatur, tonus etiam partium alteretur, vel conſtringatur, vel nimium relaxetur, tota œconomia motuum vitalium, qui in motu progreſſivo & circulari humorum, nec non in ſecretorio & excretorio conſiſtunt, valde alteretur ſine ullo materiali interveniente cauſſali principio in homine etiam ſaniſſimo.

Quarto. Quod a perverſa etiam animæ phan-

taſia & depravata ratiocinatione internarum partium functiones lædantur, vel ex eo arguit, quod v. g. pediculus vel crinis inter cibos aſpectus, ſtatim vomitum & nauſeam concitare poſſit: Inſpecta elegans puella genitalia tumentia efficere queat; vel a ſolo purgante aut emetico viſo, vel naribus ſuſcepto ventriculus ſubverti & alvus ſubmoveri poſſit, cum eodem fere effectu ac ſi reipſa aſſumta forent.

Anima cauſſa formationis fœtus in utero exiſtit.

Quinto. Dicit, animam eſſe etiam veram cauſſam formationis fœtus in utero ſeu mechaniſmi & organiſmi iſtius partium corporis pulcherrimi, qui in animantium ſtructura obſervatur, idque demonſtrat exinde, quia fœtus in utero non modo primis menſibus, ſed etiam fere ultimis a perverſa matris phantaſia, & variarum idearum impreſſione deformari, mutilari & eaſdem impreſſiones atque imagines, quas mulier in mente gerit, ipſi fœtui communicare poſſit, innumeris id mirabilibus hiſtoriis & exemplis abunde teſtantibus.

§. III.

Negantur eſſe ſpiritus animales.

Cum itaque anima ſolo actu immateriali tantam motus energiam & potentiam per ſe & in ſe in omnes corporis noſtri partes tam internas, quam externas habeat, non opus eſſe adſtruit ſpiritibus ſic dictis animalibus, vitalibus & naturalibus, qui mere tantummodo ſunt Veterum commenta; quare negat cerebri functionem ſecundum plurimorum veterum & recentiorum ſententiam in ſecretione fluidi agiliſſimi, & mobiliſſimi conſiſtere, neque per nervos illud ipſum pro motu & ſenſu excitando ad partes amandari, ſed ſolam animam ſufficere pro motu vel ſenſu efficiendo, eamque immediate ſine ullo alio intermedio ſolida & per ea fluida commovere poſſe.

§. IV.

Intima notitia, & cognitio, quæ in & extra corpus fiunt, animæ adſcribitur.

Præterea huic principio vitali & primo motori peculiarem adhuc aſſignat facultatem, videlicet intimam quandam notitiam & cognitionem earum rerum, quæ in corpore noſtro & circa illud & ſenſum internum contingunt, cum nempe corporis conſervationi amicæ & inimicæ ſint, vel ad ejus deſtructionem tendant; idque exinde probare contendit, quia nempe anima ſummo artificio, quod in congruo & convenienti ſitu, configuratione, ſtructura & textura partium conſiſtit, corpus in utero efformet, quod fieri neutiquam poſſet, niſi intentione, inventione, cognitione & ſapientia inſtructa ſit, quæ etiam inde eluceſcat, quod externas læſiones, v. g. per vulnera, aut contuſiones in muſculis & partibus ſolidis factas, ſingulari artificio carne replere, vaſa corrupta vel diſciſſa reſarcire, exornare, nutrire, & a corruptione immunes præſtare poſſit, quæ cuncta ſine cognitione rerum materialium neutiquam perfici poſſint.

§. V.

Nulla mortis cauſſa datur in corpore.

Denique aſſeritur, non poſſe ullam veram cauſſam neceſſitatis moriendi inevitabilis inveniri & allegari in ſtructura corporis noſtri, adeoque neceſſario ad id recurrendum eſſe arbitratur, quod DEUS, ſapientiſſimus rerum conditor, animæ humanæ certam & limitatam agendi & motus vitales præſtandi potentiam largitus fuerit, ut tandem a ſe ipſo ens ſucceſſu temporis factum a motus energia deſiſtat. Quapropter etiam & vitæ & mortis cauſſam in corpore organico non eſſe quærendam, aſſeritur, ſed in ipſo illo movente principio, quod deſiſtat tandem a motibus vitalibus, præſertim ſi conſideret, tantam noxam imminere corpori a cauſſis externis & morborum materialibus, ut non amplius iiſdem removendis vel expellendis idoneum ſit.

Vitæ mortis cauſſa in anima.

§. VI.

Temperamenta ab anima fiunt.

Cum ipſa anima ſit ipſius corporis organici fabricatrix, idque ratione ſtructuræ, ſolidarum maxime partium, valde differat, neque negandum ſit, ſolidas partes eſſe inſtrumentum motus, idque cum varium ſit, varie etiam modificari & determinari motus efficaciam, & inde diverſas quodammodo functiones tam animales, quam vitales, & naturales in hominibus fieri, quarum diverſitas vulgo ſic dictis temperamentis tribuitur; hinc etiam principium illud vitale temperamentorum diverſorum auctorem & fabrum eſſe aſſeritur.

§. VII.

In pathologiis quid notandum.

Quod attinet ad ipſam doctrinam morborum, ſeu Pathologiam, hæc ipſa ita inſtruitur: Dicunt nempe, cum anima habeat perfectam & interiorem rerum corporearum, quæ in corpus humanum incidunt, notitiam, & moralem quandam quaſi æſtimationem, quæ damno vel ſaluti futura ſint, ſive deſtructionem aut læſionem corpori minantur. Quapropter ut illa evitetur, provido & vegeto conſilio, aut auxilio ipſam contra noxiam & hoſtilem materiam e corpore removendam inſurgere & motibus contra hanc ipſam quaſi ſeſe armare, ut debito tempore & per congrua emunctoria illa e corpore removeatur, & expellatur. Idque maxime fieri in febribus & affectibus ſpaſmodicis, ubi nempe in febre natura inſurgat vehementiori & inordinato & aucto motu ſanguinis progreſſivo, neque minus ſecretorio & excretorio intenſiori facto, cujus beneficio materia infeſta, quæ noxiam corruptionem minature corpore cum impetu quaſi emoveatur, atque rejiciatur. Ex hoc fundamento deducitur, febres, nec non ſpaſticas affectiones in ſe & ſua natura non eſſe pernicioſas, ſed bona & optima intentione a principio, quod cuſtodit vitam, inſtitui, ſaluberrimum nempe in finem, ut quod ipſi noxium eſt, avertatur & expellatur. Inde etiam concluditur, naturam optimam morborum eſſe medicatricem, ipſamque optimam methodum, & vias, & modum noſſe, quibus ſuccurri debeat laboranti corpori, quare Medicus tantummodo ductum & viam naturæ ſequi debet, & nihil peſtilentius eſſe, quam turbare naturam in ſuo curandi opere.

Febres ſunt ſemper ſalutares.

Natura optima medicatrix.

§. VIII.

πληθώρα omnium morborum mater.

Notandum vero quam maxime eſt, quod inter omnia ea, quæ corpori ruinam & læſionem afferre poſſint, nihil magis emineat, quam ſanguinis nimia copia, ſive plethora; hinc etiam quaſi univerſalis cauſſa morborum æſtimatur, contra quam ſe movere debeat natura, & ratio additur hæc: quia ſanguis ob nimiam copiam

&

& abundantiam pervadere vaſa nequeat, nec circulari rite, ſed neceſſe eſt, ut hinc inde in vaſis ſtagnet, ſegnius vel plane non progrediatur, partes infarciat, obſtruat, & ipſe tandem in corruptelam & putredinem abeat. Hanc itaque ſanguinis abundantiam & morborum acutorum & chronicorum præcipuam, imo vero omnium morborum materialem cauſſam eſſe ſtatuitur, omni pathologia ſalſa in exilium redacta, qua etiam ſimul κακοχυμία, ſeu impuritas humorum ſalſa, acris, viſcida, bilioſa penitus quaſi reprimitur, & quaſi in dubium vocatur. Venena vero & miaſmata virulenta, quæ vehementem corruptionem vel deſtructionem partibus ſolidis & fluidis minantur, ita eſſe comparata affirmatur, ut vel metum ac terrorem incutiant naturæ moventi & ſenſitivæ, unde plerumque a veneno ſumto, virium proſtratio ſumma, & animi defectio fiat, vel etiam, ſi nimia eſt vehementia, ab omni motu penitus deſiſtat, & mors ſequatur, vel natura vehementibus commotionibus ſpaſticis, præſertim in toto corpore ſuſcitatis, ad cito expellendum illud, quod tantam perniciem & deſtructionem minitetur corpori vivo, ſe armet, unde tanta vehementia ſymptomatum ſumtum venenum ſequatur, quæ cuncta pathemata tanquam effectus ex intentione bona & ſalutares & directi ad tuendum corpus æſtimari debeat.

'achochy- ia nulla. *peratio eneno- um animæ ſcribi- ur.* *Inde ſym- tomata a venenis.* *ono ſine unt.*

§. IX.

Methodus, qua utitur nima in emoven- da plethora d evitan- os mor- os.

Cum vero ſanguinis & humorum abundantia præcipua ſit morboſorum motuum cauſſa materialis ac occaſionalis, hinc provida natura duplici methodo, ſeu proceſſu, eam removere intendit, nimirum vel eam plane imminuendo & per calorem nimium reſolvendo in corruptum & impurum ſerum, idque maxime fieri per motum ſolidorum & fluidorum progreſſivum auctum, & inde factum intenſiorem calorem. Alter modus eſt, ut ipſum ſanguinem ſuperfluum atque inutilem, & naturæ gravem, purum & ſincerum in ſubſtantia per certa emunctoria expellat; idque maxime in fœminis per uterum, in viris per hæmorrhagias narium aut hæmorrhoides; id vero fieri per fortiores ſpaſticas ſtricturas partium, quarum beneficio ſanguis majori in copia ſive impetu ruit ac pellitur ad loca, ubi ejici debet, quo ex diſtentis nimium & diſruptis vaſis, quod nimium eſt & exundat, expellatur.

§. X.

Ad ſanguinem vero ſuperfluum, ac vitali conſervationi inimicum evacuandum, ſapientem & providam naturam uti peculiari & ſpeciali modo ſecundum diverſitatem vario: cum nempe in ætate puerili per caput & narium venas illam evacuationem & excretionem ſanguinis moliatur, in juvenili ætate per pulmones, ſed perperam id ipſum inſtituat; in fœminis, poſt annum decimum quartum per uteri venas; in viris vero provectioris ætatis, per hæmorrhoidalia vaſa hanc evacuationem ſuſcipiat. Quodſi itaque debito modo, quantitate ac tempore ejuſmodi excretio fiat, ſalutaris utique & valde proficua erit ipſi corpori; quodſi vero hæc ipſa excretio impeditur, vel plane in modo, quantitate ac tempore deficiat aut excedat, aut penitus ceſſet, quanquam alias conſueta pro diverſitate locorum ſanguinem congeſtum ſtagnare, & graviſſima ſymptomata producere, novi dogmatis auctores aſſerunt, adeoque morbos, qui certis ætatibus familiares, & quaſi proprii ſunt, inde ſuam petere originem, v. g. ſi in ætate puerili, vel adoleſcentibus, ſanguis e naribus non rite fertur, fieri inde capitis dolores gravativos, acutos etiam & lanciinatorios, cum facie tumida, & rubicunda, & venis circa frontem & tempora inflatis, cum narium pruritu & ſiccitate; jungi etiam hiſce ſcotomiam, tinnitum aurium, graves ſomnos, ſique ſanguis multo ſero abundat, glandularum circa jugula & aures fieri tumores; Oculorum ſalſas defluxiones, ſeu epiphoram, vel ophthalmiam; etiam in infantibus primorum annorum achores, tineam capitis, exulcerationes faciei, aurium defluxiones purulentas & ſeroſas inde propullulare.

Morbi certis ætatibus proprii, unde?

Ætas puerilis quibuſnam morbis ſubjecta?

§. XI.

Juvenilis ætas, quibus morbis obnoxia?

In juvenili ætate cum ſanguinis impetus non tam amplius ad caput, ſed pectus potius dirigatur, vaſis pulmonum adapertis, fieri hæmoptyſin, ſeu ſanguinis ejectionem cum tuſſi, quæ ſi variis de cauſſis impeditur, ſanguinem copioſiorem ad pulmones appulſum ſtagnare, & producere aſthmata, tuſſes ſiccas cum dolore pectoris fixo, item tubercula & vomicas in ipſa pulmonum ſubſtantia enaſci; quæ ſi tendant in ulcera, phthiſes fieri, ſeu conſummationem corporis cum febre lenta, & valde copioſa ejectione ſputi viſcidi, plus vel minus purulenti, interdum etiam cum ſtriis ſanguineis mixti: ab eodem impetu ſanguinis ad thoracem & pulmones dicunt etiam originem trahere pleuritidem tam ſpuriam, quam veram, atque etiam peripneumoniam, anginam quoque, quo morbi juvenili ætati ab anno XXI. uſque ad XXXV. perquam familiares ſunt.

§. XII.

Sexus ſequioris morbi.

In ſexu vero ſequiori longe majora mala, variaque a non rite ſuccedente menſium negotio fieri. Nam cum ſanguis ſuperfluus ad venas uteri evacuationis cauſſa cum impetu delatus non ejicitur, neceſſe eſt, ut in vaſis uteri ſtagnet, illaque non modo infarciat, ſed & regurgitet ad partes ſuperiores, ad vaſa nempe gaſtrica, meſaraica, vel etiam inteſtina, ventriculum, quoque, unde cuncta illa pathemata varii generis ſpaſtica, quæ ſub paſſionis hyſtericæ nomine veniunt, ortum ſuum trahunt; univerſum vero corpus & functiones ejuſdem graviſſime affliguntur, dum nempe in capite fiunt cephalalgiæ, hemicraniæ, epilepſiæ, apoplexiæ, ſpaſmi, & convulſiones ſic dictæ hyſtericæ; in thorace palpitationes & tremores cordis, dum omnes ſenſus interni & externi intereunt ſalvo motu cordis & reſpiratione. In pulmonibus aſthma ſuffocativum, præcordiorum ſumma anxietas; in abdomine nauſea & faſtidium ciborum, inappetentia, conatus vomendi, dolor gravativus ventriculi, borborigmi & murmura inteſtinorum, inflationes dolorificæ hypochondriorum, cardialgiæ, ſeu ſpaſmi ventriculi, pertinaces alvi obſtructiones, urinæ tenues aquoſæ, externarum partium frigora.

§. XIII.

Sexus nobilioris conſectaria.

In ſexu vero nobiliori, ſi ipſa ſapiens natura ex bona intentione & proæreſi noxium & nimis affluentem ſanguinem felici molimine per venas inteſtini recti ejicere nititur, idque non rite procedit, graviſſimas etiam paſſiones chronicas juvenilis & virilis maxime ætatis homines invadere, dum nempe ſpaſmi ad interiora & ſuperiora convertuntur, & ſanguis reſtagnans circa inteſtina, præſertim rectum & colon, regurgitat ad ventriculum, inteſtina tenuia, pectus & caput, & inde natales habere pathemata illa, quæ ſub mali hypochondriaci nomine vulgo venire ſolent, & maximam convenientiam cum iis habent, quæ in paſſionem hyſtericam incidunt, & vehementer ſpaſmodica ſunt.

§. XIV.

Provectior ætas quibuſnam morbis ſubjaceat?

In provectiori ætate renes maxime, & viæ urinariæ ab excretione hæmorrhoidum cohibita, vel deficiente patiuntur, unde calculoſæ & dolorificæ paſſiones in renibus & veſica, item inflammationes, exulcerationes renum & veſicæ, mictiones quoque cruentæ, urinæ retentiones, ſeu difficillimæ & dolorificæ excretiones, ſtranguriæ ſuam petunt originem. Ab hæmorrhoidali negotio non rite ſuccedente rheumaticos, arthriticos dolores, chiragram, podagram, malum iſchiaticum ſuam trahere originem confidenter affirmant, & inde eliciunt, fœminas, quæ utero purgantur, eſſe immunes ab iis morbis, & viros, qui fluxu hæmorrhoidali laborant, & hunc ipſum eſſe horum morborum præſentiſſimum remedium.

§. XV.

Plethora morborum chronicorum productrix.

Nimiam quoque ſanguinis copiam, ſeu plethoram, ſi non a natura vacuatur, cauſſam eſſe dicunt leucophlegmatiæ, hydropis, aſcitis, cachexiæ, icteri flavi & nigri, morbi nigri Hippocratis & pathematum etiam ſpaſmodicorum, item vomitus cruenti, fluxus hepatici, quia nempe ſanguis abundans per venam portæ, quæ caret pulſu, difficillime per hepatis ſubſtantiam trajicitur in corporibus præſertim quieti deditis; hinc ſanguinem regurgitare ad ventriculum, inteſtina, omentum, pancreas, & lienem, & ibi hæc mala ſuperius dicta producere.

§. XVI.

Ex dictis concluditur naturæ intentionem eſſe bonam.

Ex quibus adhuc dictis & adductis ſatis clare apparet, ob nimiam ſanguinis abundantiam vel reſolvendam, vel excernendam naturam in omnibus morbis bona intentione, proæreſi & conſilio eſſe occupatam, ex quo concluditur, omnes motus morboſos, ac impetus in morbis, & pathemata ſpaſtica febrilia non eſſe in ſe & ſua natura pernicioſa, ſed ſapienter in bonum finem, nempe ad conſervationem corporis & ejus vitæ inſtitui. Licet vero naturæ intentio quidem ſemper & abſolute ſit bona, tamen interdum dicunt eam aberrare a ſcopo ſuo, dum nempe vel non congruum ordinem, ſeu locum evacuandi eligit, nec tempus, nec proportionem & gradum motus recte obſervare, & multa fruſtra ſuſcipere, id tamen fieri mere per accidens. Prudentis itaque & ſapientis Medici eſſe, errores hos obſervare, & naturam errantem congruis remediis in ordinem reducere.

Concedunt naturam errare.

Quid Medicus in hoc caſu efficiat.

§. XVII.

Omnium motuum & actionum cauſſam abſente immateriali deducunt; quibus poſitis negant elementorum, alimentorum, medicamentorum vires & facultates in corpore inertes & activas eſſe.

Cum omnium motuum & actionum, quæcunque in corpore noſtro contingunt, tam in ſtatu ſano, quam morboſo, & reſtituendo novorum dogmatum auctores ab ente quodam immateriali primo movente notitia inſtructo, adeoque & libere, & cum intentione quadam ad certum finem agente, tanquam a cauſſa proxima & immediata deducant, & materiam pure paſſivam habeant; hinc colligunt, non modo elementorum, aeris, ætheris, caloris, aquæ, ſed & alimentorum, imo medicamentorum vires & facultates plane eſſe inertes; activa & movente facultate deſtitutas; ſed præbere tantummodo occaſionem & cauſſam externam interno principio moventi, ut pro morali earum rerum materialium æſtimatione motus varios determinatos, qui ad conſervationem corporis ſpectant, inſtituat; nunquam vero in perniciem corporis, ſeu per ſe noxios, uti vulgo habentur, morboſi, efficiat. Exinde etiam concludunt, nec calorem nimium, nec frigus, nec aeris mutationes, nec alimenta exceſſivis qualitatibus prædita, nimis ſalſa, acria, ſpirituoſa, adeo nociva eſſe, ut cauſſas morborum præbere, ſeu motus naturales invertendi potentia gaudere valeant; quod vel ex eo liquide fieri exiſtimant, quia rariſſime homines ægrotant, cum tamen innumera morborum ſint genera ac ſpecies, de quibus vix unus per omnem ætatem hominem quendam invadat; talis vero morborum infrequentia eſſe nequeat, ſi errores in diæta, & ſex rebus non naturalibus commiſſi per ſe, & ſua natura, adeoque cauſſabiliter & active morbos, & motus morboſos producerent. Ex hiſce itaque illud fluit, hominem non adeo rigoroſe ſecundum regulas diæteticas debere vivere, ſecundum Celsi dictum (ſanus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet) ſed ſub vario vitæ & diætæ genere ſalvum & incolumem, atque a morbis immunem poſſe perſiſtere, modo evitet nimiam edendi intemperantiam, & caveat ſibi ab iis, quæ copiam ſanguinis & ſuccorum ingenerant nimiam, & quæcunque ſpiſſos & minus fluidos humores efficiant. Putant itaque ſufficientem potum, congruum tamen, & motum ſufficientem, eſſe optima adverſus omnis generis morbos præſidia. Dicunt porro nec aeris intemperantiam, aut temporum conſtitutiones inordinatas cauſſas morborum epidemicorum & graſſantium conſtituere, cum alias omnes homines deberent ægrotare, quod tamen non accidit, ſed tantummodo ipſam providam naturam internam moventem pro diſpoſitione corporis & morali æſtimatione noxæ ab iis rebus imminuendis inſtituere, & inſtruere ejuſmodi morboſas affectiones, adeoque ad ſenſum naturæ referendos maxime eſſe morborum ortus.

§. XVIII.

Homines cur magis præ brutis ægrotent?

Ceterum quod homines longe magis ægrotent præ ipſis brutis, & morbos etiam graviores præ illis patiantur, ut ſunt, v. g. febres, quibus illa carent, hanc addunt ingenioſam explicationem & rationem: hominis nempe naturam, ſeu principium internum cognoſcens, & movens

movens eſſe majoris ſenſus & ratione inſtructum præ animantibus brutis; hinc etiam longe facilius percipere illam noxam & damnum imminens a cauſſis externis, ideoque ſeſe mature contra hoc ipſum eliminandum e corpore, motibus intenſioribus, ſeu particularibus ſpaſticis, ſeu univerſalibus febrilibus ſeſe armare non alium in finem, quam ut defendatur corpus, & ab interitu vindicetur, dum vero tam eximio ſenſu prædita animantia non ſint, fieri inde ut minus ægrotent, & citius etiam moriantur.

Diſquiſitio operationum medicamentorum. Nunc vero etiam quædam adjicienda ſunt, quæ novæ Doctrinæ Medicæ aſſertores de viribus remediorum judicent, atque etiam iis non ſecus ac aliis cauſſis & corporibus naturalibus vim movendi & agendi in corpus noſtrum denegant, multo minus, quod ex rationibus manifeſtis & mechanicis eorum vires explicare poſſe affirmare audent, quoniam in corpore mortuo neque purgantia, neque emetica interius infuſa operantur, neque cantharides exterius applicatæ veſicas excitant, aut cauſticam vim quandam exſerunt; contra vero a ſolo purgante, vel emetico cum nauſea aſpecto vel purgante ſoluto in venam infuſo emeſin & purgationem fieri; quare dicunt, medicamentorum operationem requirere corpus non mortuum, ſed vivum; per hoc vero intelligunt principio rationali movente inſtructum, cui operatio & virtus remediorum ſit adſcribenda. Porro etiam id urgetur dari medicamenta ſpecifica, v. g. contra dolorem dentium, epilepſiam, maniam, &c. ubi nulla poteſt allegari phyſica & mechanica cauſſa. Porro etiam id in contrarium movent, quoſdam certa remedia, ut v. g. fœminas plane ferre non poſſe, ut ſunt ſuaveolentia, alias vero inde recreari & delectari. Ita etiam nonnulli camphorata, abſinthiaca, vel etiam certa aromata, naturæ alias valde blanda & amica, neque per odorem aut ſaporem, multominus pro interno uſu pati poſſe, adeo, ut potius ſæpe exinde graviſſima ſibi accerſant ſymptomata. Porro etiam id in conſiderationem debere venire contra mechanicum operandi remediorum methodum urgent, a medicamentis iiſdem datis, duobus vel tribus eodem morbo laborantibus, diverſum tamen ſequi effectum, & operationem; id, quod fieri non poſſet, ſi ratio operationis, & cauſſa virium in ipſo medicamento reſideret, qua de cauſſa argumentantur, naturam peculiarem cujuſvis hominis, ſeu principium internum agens non iiſdem, ſed plane diverſis ſæpe proprietatibus inſtructum, eſſe cauſſam tam diverſæ & ſæpe contrariæ operationis in remediis, adeo ut ipſa natura potius ſit vera directrix & moderatrix virium medicinalium.

§. XIX.

Eadem venenorum operatio. De venenorum, quæ brevi temporis intervallo & in exili mole hominem interficiunt, modo agendi & operandi in corpus humanum eadem fere ſententia & aſſertio eſt. *Venena duplicis ſunt generis.* Cum vero hæc ipſa duplicis ſint generis, utpote quædam narcoſi & ſtupefactione ſenſum & motuum vim vitæ inferunt; quædam vero partes ſolidas arrodunt ſua ſubtili acrimonia; dicunt ipſa narcotica non agendi interno principio eſſe inſtructa, ſed ipſam naturam ſingulari & ſpecifica ratione metuentem ab iis noxam ſeſe retrahere, & a motibus ac ſenſibus deſiſtere; a venenis vero cauſticis, cum illa ipſa deſtructionem ſolidorum machinentur, eam abripi in motus valde intenſos, celerrimos, & citatiſſimos, quo ſatis tempeſtive & cito ejiciat illud ipſum, quod minatur deſtructionem corporis; & inde fieri dolores, ſpaſmos, convulſiones, vomitus, alvi dejectiones, commotiones quoque febriles; ſi vero nimia ſit noxa, adeo ut natura ſe eam expugnare poſſe non præſumat, retrahere omnem ſuam vim ſimul & ſemel, & victam quaſi naturam a motu deſiſtere, inde ut homo pereat.

§. XX.

Therapeia Theoriæ ſuperſtructa. Quod attinet ad Therapeiam Clariſſimi Auctoris, hæc utique ejus theoriæ penitus ſuperſtructa eſt, & primo quoad præſervationem a morbis, inter alia remedia venæ ſectionem mirifice commendat tanquam præſervatorium, & acutarum, & chronicarum paſſionum, & eam maxime in pede celebrandam, & quidem propter hanc rationem, quia nempe ſanguinis & humorum abundantia materialis fere omnium morborum cauſſa eſt. *Venæ ſectionem in pede commendat.* Secundo, quia natura provida vitæ conſervatrix præter naturam abundantem ſanguinem in nobiliori ſexu per venas ſedis, in ſequiori vero per venas colli uterini ſua ſponte & ſalutariter evacuare intendit, venam in pede ſecandam ſuadet, ſi negotium hoc excretionis non rite ſuccedat, atque etiam ut impetus ſanguinis ad partes inferiores, uterum nempe, & inteſtinum rectum promoveatur. Cum ſi in manu aut brachio vena aperiatur, quam facile fieri poſſit, ut motus & impetus ſanguinis ad ſuperiora non ſine noxa convertatur. Præterea ad removendas & arcendas varii generis afflictiones, præſertim diuturnas, ſufficientem corporis motum, laborem & exercitationem una cum ſufficiente, ſed congruo potu ſuadet, quo ſanguinis motus & circuitus, aucto muſculoſarum partium tonico motu, per poroſam partium ſubſtantiam augeatur & intendatur, & hoc ipſo non modo ſpiſſitudo multorum morborum mater præcaveatur, ſed & nimium humorum & ſanguinis in ſerum ſalſum diſſolvatur, & auctiori tranſpiratione facta, e corpore expellatur, & ut eo id facilius ſuccedat, abſtinentiam a nimia voracitate, ſeu nimia copia ciborum, non delectu habito intemperatorum, ſerio inculcat. *Venæ ſectionem circa æquinoctialia tempora nullo habito temperamentorum delectu ſuadet.* Præterea etiam ad præcavendos morbos, qui maxime tempore vernali & autumnali incidere ſolent, ſanguinis miſſiones circa æquinoctialia tempora, ubi variæ commotiones ſanguinis ſolenniter fiunt, maxime facit, & fere has ipſas ſine ſelectu temperamentorum, ſive habitus corporis ſuadet.

§. XXI.

Quid in cura morborum agendum Medico. Quod concernit morborum curationes, & medendi illius methodum, totus eſt in naturam ſapientiſſimam morborum medicatricem, in motibus morboſis, qui ſemper in ſalutarem finem intenduntur, nunquam eſſe turbandam & impediendam, ſed potius vel ſpectandam tantum, vel in opere ſuo quodammodo adjuvandam. Affirmat nempe naturam corporis humani a Divino Numine energia, & potentia ſufficienti inſtructam eſſe medicandi, eamque optime ſcite, quo tempore, quo modo, quo gradu, qua proportione, qua directione ad loca, & per quænam congrua evacuatoria motus ſint inſti-

inſtituendi, & materia vitioſa evacuanda, quod maxime apparet in febribus, præſertim acutis, & potiſſimum exanthematicis, in inflammatoriis etiam, in quibus ſæpiſſime citra ullum Medici auxilium, ipſa natura ſola optime ſanat, & certis temporibus, ſeu diebus ſic dictis criticis, ſalutariter materiam noxiam expellit, morbos finit, & ægros ſanitati reſtituit. Porro etiam obſervat, quod ſæpius plebeii, pauperes, & incolæ regionum, quæ Medicis carent, citius & melius convaleſcant ſolius naturæ beneficio, ac ii, qui multis Pharmacis, & multis Medicis utuntur. Nihilominus, cum natura nonniſi motibus contra morbos & eorum cauſſas poſſit pugnare, minime vero in ejus poteſtate ſitum ſit, materiam peregrinæ indolis vel qualitatis alterare, corrigere, & materiam craſſam, ſpiſſam, fluxilem reddere; hinc Medicus hoc in negotio ſubvenire debet medicamentis alterantibus & diluentibus, quæ nempe materiam fluxilem, mobilem, & ad excernendum idoneam reddunt, quo fine maxime in febribus tam acutis & continuis, quam etiam intermittentibus humectantia, diluentia, & ſufficientem potum deſiderat; neque minus pulveribus terreis, vel ſalinis, v. g. ad materiam viſcidam & mucidam incidendam, ſale abſterſivo, ut tartaro vitriolato, aut arcano duplicato, aut ad bilioſam orgaſticam calidam temperandam nitro purificato, aut ad acidum temperandum pulveribus abſorbentibus terreis feliciſſime utitur: Præterea non niſi temperatum calorem lecti aut hypocauſti in omnibus acutis affectibus & inflammationibus plurimum laudat.

Medicamenta alterantia commendantur.

Et diluentia.

§. XXII.

Quid Medico agendum, dum natura ad motus producendos languida eſt, & quibus remediis obveniendum.

Cum vero interdum natura in quibuſdam corporibus valde ad motus efficiendos & excitandos languida ſit, quare Medicum hos ipſos & excitare, & promovere tali in caſu oportet, in quem finem maxime in uſu habet, & commendat eſſentiam ex radicibus alexi-pharmacis cum ſpiritu vini extractam, & maxime omnium eſſentiam pimpinellæ & ſcordii, qua, ſæpius refracta tantum doſi utitur, maxime eo tempore, quo natura per ſuperficiem corporis molitur evacuationem. Cum vero etiam nonnunquam natura motus nimis æſtuoſos & impetuoſos inſtituat, refrænandos eſſe a Medico adſtruit, quod commodiſſime fieri autumat tam per medicamenta nitroſa, quam per pulveres terreos cum ſucco citri, aut acido mixtos. Hac methodo ceu univerſali utitur in omnibus febrilibus commotionibus, ſeu acutis, ſeu intermittentibus, etiam exanthematicis & inflammatoriis, & ipſi naturæ reliquum negotium committit. Maxime vero omnium diſſuadet primo venæ ſectiones in febribus etiam inflammatoriis, vel rariſſime eas concedit, hanc maxime ob rationem, quia natura in febribus, præſertim acutis, nimiam quantitatem ſanguinis per ejus reſolutionem in ſerum imminuere ſtudet, non vero per evacuationem ſinceri ſanguinis; hinc Medicum non debere contrariari providæ naturæ intentioni. In intermittentium curatione rejicit fere omnia emetica & tonica adſtringentia, præſertim chinæ corticem, quoniam pluribus exemplis, & obſervationibus compertum eſt, non modo recidivas pejoreſque febres inde enatas, ſed & graves inde afflictiones obortas, contracturas, tumores œdematoſos & hydropicos, febres lentas, pathemata hypochondriaca, hyſterica, & varii generis ſpaſmodica; paroxyſmos itaque febriles nullo modo eſſe impediendos, quoniam ad materiam mucidæ & peregrinæ indolis vitalibus viſceribus inſidentem incidendam, removendam & expellendam tendunt; neque tamen inficiatur, corticem chinæ, vel martiale etiam remedium, ſi omnis materia febrilis penitus exhauſta fuerit, & natura tantum ex conſuetudine repetat febriles motus, non ſine fructu dari poſſe. Præterea damnat etiam ſudoriferorum & diaphoreticorum uſum tempore intermedio vel aliquot horas ante paroxyſmum; ſed ea laudat ſub declinatione, ubi ipſa natura ſudorem molitur, vacuo vero tempore nullatenus.

Quomodo nimii motus refrænandi ſint a Medico.

In febribus inflammatoriis diſſuadet venæ-ſectionem.

Æmetica, tonica adſtringentia, chinam chinæ in intermittentibus rejicit. Pathemata a cortice chinæ orta recenſentur.

Damnat diaphoretica & ſudorifera ante paroxyſmum, quæ ſub declinatione dandaſunt.

§. XXIII.

Præterea uſum corticis chaccarillæ longe anteponendum eſſe cortici chinæ, ad effectum tonicum ſeu roborantem præſtandum, tam in cura intermittentium, quam etiam in diarrhœa ac dyſenteria perhibet; & quoniam contumaces intermittentes, & præſertim quartanæ febres altius radicatæ ſint in quodam viſcere abdominis, præſertim hepate, reſidente ibi ſaburra acida, tenaci, viſcida; ad hanc itaque removendam pilulas Beccherianas, vel correctas balſamicas, idem extracta & eſſentias ex amaris radicibus & herbis una cum eſſentia alexipharmaca ad reſolvendam viſcidam materiam crebrius uſurpanda ſuadet.

Laudat corticem chaccarillæ inperſanandis intermittentibus, diarrhœis, dyſenteriis. Pilulas Beccherianas extracta, eſſentias ex amaris radicibus, item eſſent. Alexipharmacam in ſaburra acida, tenaci, viſcida ſuadet.

§. XXIV.

Præterea in febribus catarrhalibus tam benignis, quam malignis, quoniam natura occupata eſt in evacuando ſero ſalſo ſuperfluo per tuſſim fauces & nares, commendat identidem alexipharmacam eſſentiam, & medicamenta ex radicibus Helenii, ari, & gummi ammoniaco, myrrha parata: neque rejicit nitroſa, utpote, quæ lympham ſubtiliorem ſalſam incraſſando, utilitatem afferant. In febre lenta rejiciuntur omnia emetica, præter ſalia vero abſterſiva & alexipharmaca diſcutientia ad abſterſionem ſeri ſtagnantis ſalſi purgantia ex agarico, gummi ammoniaco, mercurio dulci, reſina jalappæ dilaudantur; quæ methodus medendi in hecticis febribus etiam paſſim commendatur. Tandem ut recidivæ in omni febrium genere evitentur, vel etiam alii affectus periculoſi arceantur, ad tranſpirationem promovendam, & diſcutiendas materiæ peccantis reliquias auctor & ſuaſor eſt, ut ſibi caveant convaleſcentes ab aere liberiori & frigidiori, & uſum eſſentiæ alexipharmacæ mane adhuc per aliquot ſeptimanas continuent.

In febribus catarrhalibus alexipharmaca, eſſentias, gummi ammon. myrrham, helenium, arum commendat.

Qua methodo recidivæ evitentur, proponit.

§. XXV.

Quod concernit curam paſſionum chronicarum, hanc ipſam unice dirigendam eſſe jubet ad abundantiam & ſpiſſitudinem ſanguinis, (quam omnium chronicarum paſſionum materialem eſſe dicit cauſſam, & quæ maxime in viſceribus reſidet, atque vena Portæ) removendam; cumque provida natura ſalutari fine, & conſilio hanc ipſam tollere nititur, motibus tonicis intenſioribus redditis ſive ſpaſticis, quorum beneficio copioſus & ſpiſſus ſanguis ad ejus evacuationem ingenti cum vigore motus vel ad caput

Plethoram accuſat chronicarum paſſionum paſſionum cauſſam materialem.

Quomodo natura nitatur hanc tollere plethoram demonſtratur.

caput ad concitandam narium hæmorrhagiam, vel ad pectus, ut tuſſi ibi evacuetur, vel ad ventriculum aut inteſtina, ut per vomitum aut ſedis venas ejus fiat excretio, vel ad renes, ut mictu ejiciatur; potiſſimum vero in ſexu ſequiori ad uterum, ut ſingulis menſibus expurgetur, in viris ad vaſa inteſtini recti hæmorrhoidalia, ut ſalutariter ibi exoneretur, mittitur & urgetur. At vero cum motus iſti & molimina, quæ ad excretionem tendunt, plerumque ſint incompleta, & minus ſufficientia, ut ſanguis in iis locis exitum non inveniat, ſed ſtagnet & ſubſiſtat, exinde omnium chronicarum paſſionum deducit atque derivat originem; quapropter ad hos motus minus completos in genere, præſertim illos erroneos, qui fiunt ad pectus, ventriculum, & renes avertendos artificiales evacuationes per inciſionem venæ, præſertim in pede, neque minus menſium & hæmorrhoidum fluxum procurandum per medicamenta congrua & ſpecifica, commendat maxime, cum dicti hi morbi chronici a neglecta, vel antea conſueta ſanguinis miſſione omiſſa, item a ſuppreſſis, vel non amplius aut inordinate fluentibus menſibus aut hæmorrhoidibus ſuam petant originem, adeoque has evacuationes non tantum ad præſervandos hoſce morbos, ſed & ad paroximos avertendos, imo in ipſa cura neceſſarias exiſtimat.

§. XXVI.

Quia vero præcipue morbi capitis chronici, v. g. ἡμικρανία, κεφαλαλγία, ſanguinea & feroſa ἀποπληξία, ὀφθαλμία, ὀδονταλγία, δυσηκοία, ſeu auditus gravitas cum aurium tinnitu; vertigo quoque, ſcotomia, ſeu viſus hebetudo, item affectus ſoporoſi, paralyſes, ἀποπληξία, deliria tam maniaca, quam melancholica, tumores quoque colli, eryſipelas capitis, defluxiones ex oculis & auribus ab ejuſmodi congeſtionibus ſanguinis & ſeri ad caput per motus ſpaſticos incompletos naſcuntur, nil aliud in cura agendum eſt, quam ut impetus humorum ad caput præter venæ ſectionem in pede, aut hirudinum applicationes, aut ſcarificationes in nucha & dorſo, pediluvia, fonticulos, veſicatoria, frictiones, clyſteres acres deriventur & refrænentur ad derivandum nempe humorum impetum, tonus partium capitis debilitatus roboretur, & hac ratione diſcuſſio ſanguinis & humorum ſtagnantium promoveatur, cui fini obtinendo exterius laudat ſpiritum vini camphoratum, ſeu idoneum præſidium; interius vero præter tincturam alexipharmacam, mixturam tonicam ex ſpiritu cornu cervi rect. & tincturam antimonii acris, vel tartari mixtam magni æſtimat.

§. XXVII.

Si quando ſanguis motibus incompletis ſpaſticis, præſertim in juvenili ætate, fertur ad pectus, & non ibi excernitur, atque exinde tuſſes oppletivæ, humidæ, aſthmaticæ, pleuritides ſpuriæ, ὀρθοπνοία, cordis palpitationes, vomicæ, tubercula pulmonum, ἄσθματα convulſiva, ſuffocatoria, pulmonum quoque exulcerationes, hecticæque febres fiunt, eadem utitur methodo curandi, ut dictum eſt in morbis capitis, & præter derivantia ibi memorata antiſpaſmodica & digeſtiva, humores ſpiſſos colliquantia, ſalia nempe media cum nitroſis & abſorbentibus remixta; item eſſentias alexipharmacas, diaphoreticas, præſertim eſſentiam pimpinellæ, ſcordii, enulæ uſurpandas ſuadet. Decocta vero vulgaria ex vulnerariis, item omnia dulcia, expectorantia & acida damnat, utpote quæ majorem affluxum ſanguinis & humorum ad pectus concitant. Ad diſcuſſionem vero & expectorationem materiæ viſcidæ magni facit extractum tabaci, ipſumque etiam nitrum in refracta doſi uſurpatum; in phthiſi quoque ipſa, febribus hecticis & lentis venæ ſectionem in pede ſuadet.

Dulcia expectorantia acida damnat in morbis pectoris.

Extractum tabaci laudatur, & nitrum.

In phthiſi & hectica venæ ſectione in pede ſuadet.

§. XXVIII.

Si natura ſubſiſtentem ſanguinem ſpiſſum & copioſum, præſertim in ramis venæ portæ, per ventriculum & inteſtinum rectum nititur ejicere, idque non præſtat, inde naſcuntur cardiogmi, cardialgiæ, dolores conſtrictorii & inflativi ventriculi, & inteſtinorum cum ſumma anxietate & ſpirandi anguſtia, ructus, inclinationes ad vomitum, inappetentia, alvi adſtrictiones, inflationes dolorificæ ventris, præſertim hypochondriorum, cœcæ hæmorrhoides dolentes, quæ omnia ſymptomata in fœminis mali hyſterici, in viris ſub mali hypochondriaci ſchemate veniunt, & interdum etiam ipſum pectus & caput in conſenſum trahunt ac abripiunt, tunc eadem methodus curandi locum habet, ut per ſanguinis miſſiones, excretiones ſanguinis per hæmorrhoides & menſes promoveantur, quod tamen artis eſt, & antiſpaſmodica ſalina digeſtiva, maxime omnium vero pilulæ Beccherianæ a Stahlio correctæ, propinentur; ad motus nempe iſtos ſpaſticos compeſcendos, præterea medicamenta ex millefolio, ejuſque ſummitatibus magni æſtimat.

Morbi abdominis exponuntur & eorum cura.

Millefolium magni æſtimat.

§. XXIX.

In morbis vero chronicis, ut ſunt cachexia, hydrops, icterus flavus & niger, & quicunque ab infarcto ſanguinis in viſceribus abdominis, atque vena portæ oriuntur: præter pilulas balſamicas Beccheri correctas, & ſalia neutra ſic dicta digeſtiva & infuſa laxantia ex radicibus amaris & aromaticis, rhabarbaro, agarico parata, nil fere aliud remedii genus commendat; in doloribus quoque arthriticis, rheumaticis, & podagricis, & aliis externis inflammatoris, & ulceroſis affectibus, qui ſecundum ejus ſententiam a nimia ſanguinis abundantia, ab hæmorrhoidum fluxu deficiente, vel ſuppreſſo, & motibus congeſtoriis ſanguinis ad partes externas erroneis proveniunt, præter venæ ſectionem in pede cum cucurbitularum appoſitione ſeu ſcarificatione, eſſentiam alexipharmacam, & pulveres nitroſos abſorbentes & digeſtivos, nihil aliud in cura admittit. Omnes hæmorrhagiarum nimiarum ſpecies venæ ſectione in brachio, ſi nimius menſium vel hæmorrhoidum fluxus eſt, in pede, ſi hæmorrhagia narium, hæmoptyſis, aut vomitio, vel mictio cruenta urgent, tractat: item pulveribus nitroſis, cinnabarinis, quibuſcum corallia cum ſucco citri, ſpecies de hyacintho in uſum trahit, ſique nimius impetus refrænandus eſt, aliquot grana maſſæ pilularum de cynogloſſa admittit. Hac methodo jam præfata curandi, & vix alia utitur in omnium morborum generibus, & in

In morbis chronicis Stahlii ſententia.

Omnes hæmorrhagiarũ ſpecies venæ ſectione in brachio aut in pede tractat.

Pilulæ de cynogloſſa laudantur.

eo curæ ſuæ potiſſimum ponit cardinem. *Primo.* Ut ſanguinis abundantia tollatur; *Secundo.* Ut ſanguis & humores ad alia loca incongrua motibus erroneis & incompletis miſſi, revellantur & deriventur. *Tertio.* Ut humores evacuantibus, diluentibus & humectantibus fluxiles & mobiles reddantur. *Quarto.* Ut excretiones per cutim, per diapnoica, diaphoretica; alvinæ, per clyſteres, vel pilulas balſamicas promoveantur, & humores viſcidi hinc inde ſtagnantes per ſalia media attenuentur & incidantur. *Quinto.* Per medicamenta tonica & roborantia diſcuſſio humorum ſtagnantium procuretur. *Sexto.* Ut humorum vel ſanguinis nimiæ commotiones & motus ſpaſtici, per nitroſa, cinnabarina, vel per maſſam pilularum de cynogloſſa, vel etiam per ſpecifica antepileptica ex animantium regno præſertim deſumta, compeſcantur & ſopiantur.

§. XXX.

Chronici morbi a ſuppreſſis hæmorrhoidibus in viris proveniunt.

Mulierum affectus a menſium ſuppreſſione provenientes, curantur venæ ſectione in pede facta, & pilulis Beccherianis.

Præterea, quia affectus chronici plerique ex hæmorrhoidum ſuppreſſione in viris naſcuntur, applicationem hirudinum ad venas ani, ſeu univerſale remedium plurimum laudat atque commendat, & quia mulierum affectus a menſium ſuppreſſione vel irregulari fluxu, item affectus puerperarum a turbatione lochialis fluxus potiſſimum proveniunt; quare præter venæ ſectionem pilulas Beccheri correctas omne curationis punctum dictis in affectibus ferre confidenter aſſerit.

§. XXXI.

Mercurius dulcis magni fit ad incidendos, & reſolvendos humores craſſos in obſtructionibus, ſcirrho hepatis, lienis, & in infantibus.

Cæterum mercurium dulcem, ſeu ſecurum, & efficax remedium, incidens & reſolvens humores craſſos in obſtructione, infarctu & ſcirrho viſcerum, hepatis, lienis, neque minus in infantibus aliquot annorum, ceu elegans catharticum in pleriſque eorum affectibus ante & etiam poſt variolarum morbum uſurpandum maxime æſtimat. In fluore quoque albo maligno, in lue venerea curanda ejus uſum non ſatis poteſt commendare.

§. XXXII.

In fluore albo maligno, lue venerea illum quoque adhibet.

Ex toto damnat emetica, & purgantia. Item opiata vilipendit.

Præterea ex toto fere damnat & rejicit ad uſum Medico-practicum emetica & purgantia fortiora, utut, in tuſſi humida ad derivandum humorum impetum ad inferiora pilulis ex extracto panchimagogo Crollii, mercurio dulci, trochiſcis alhandal, paratis, utendum eſſe cenſeat. Damnat quoque in totum opiata, quamvis pilulis de cynogloſſa frequentiſſime utatur, eam ob rationem, quia mitigant motus, & ſpaſmos ſiſtunt & paroxyſmos; poſtea vero recidivas; vel ſymptomata acerbiora efficiant.

Adſtringentia & cort. chinæ & martialia ſuſpecta habet.

Omnia quoque adſtringentia, & inter ea quoque corticem chinæ, & martialia ſuſpecta habet, illum in curandis intermittentibus febribus, hæc vero in affectu hypochondriaco, cachexia, menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione, quia nempe obſervatum fuit ab eorum uſu cachexiam, tumores pedum œdematoſos & hydropicos ſuboriri.

Salium volatilium uſum in affectibus chronicis diſſuadet.

Salia quoque volatilia, & præſertim eorum largiorem uſum in affectibus chronicis valde diſſuadet, quia nempe viſcera conſtringunt, ſanguinis motum concitant, & ad tumorum generationem occaſionem præbent, & quia acidum præternaturale in affectu hypochondriaco, vel etiam hyſterico, febribus quoque intermittentibus, præſertim quartana ſtabulans in primis viis non admittit; quare in hiſce morbis, ſuſpecta quoque facit abſorbentia & martialia in pulvere, quia frequentius uſurpata humores ſpiſſos ac tenaces reddunt, & turbas in primis viis procreant.

Abſorbentia & martialia ſuſpecta habet.

Rejicit caſtoreum.

Neque amicus eſt medicamentis ex Caſtoreo paratis, quæ alias ad ſpaſmos tollendos in fœminis hyſtericis frequentiſſime uſurpantur, quia nempe caput obnubilant, præcordiorum anguſtias augent, & nauſeoſa in ventriculo concitant pathemata.

Rejicit aquas medicatas.

Neque amicus eſt fontium ſalubrium, acidularum nempe & thermarum, quarum uſum nullibi fere commendat, atque in malo hypochondriaco non veretur affirmare, quod remedium ſit gravius ipſo morbo. In hæmorrhoidibus quoque & menſium ſuppreſſione uſum acidularum excipere pedum tumores œdematoſos, & denique hydropem, & phthiſin pronunciat.

Damnat curam lactis in phthiſi.

Curam lactis in phthiſicis vilipendit, & nihil aliud eam eſſe, quam ſi Medicus totum curæ negotium naturæ commendet, affirmat.

Camphoræ uſum externum ſolummodo admittit ob vim diſcutientem, & reſolventem.

Camphoræ uſum interdum nullibi fere in ullo morbo admittit; externe vero eam in ſpiritu vini ſolutam, adjecto croco, ceu univerſale remedium diſcutiens & reſolvens in inflammationibus, doloribus, tumoribus non ſatis magnifice dilaudare poteſt. Denique cum ſpecificis ſanguinis excretionem ſiſtentibus & antiſpaſmodicis, ut dente hippopotami, priapo cervi, lumbricis terreſtribus, lapide manati, ungula alcis, etiam ſummitatibus millefolii cautiſſime utendum inculcat, ne natura inpoſterum plane abhorreat ab excretionibus.

§. XXXIII.

Nunc enarratis Stahlii principiis auctor ſuam exponit ſententiã.

Poſtquam itaque celeberrimi Stahlii doctrinam medicam, ejuſque præcipua placita & capita tam in theoria, quam praxi breviter quidem, non tamen adeo perfunctorie adduxi: laboris utique erit, & operæ pretium, ut etiam fundamenta & principia, quibus Ego in theoria & praxi mea rationali uti ſoleo, & ſolitus ſum, exponam, & ſimul candide cum omnium pace, & ſine omni affectu, qui in veritatis inquiſitione ut pernicioſiſſimus fugiendus eſt, dubia & difficultates ſubjungam, quæ me movent, & moverunt, quominus penitus ejus dogmata, præſertim in theorteica, parte medicinæ rationalis amplecti potuerim.

Non amplectitur Stahlii ſentẽtiam.

§. XXXIV.

Stahlium laudat auctor, quod multa magni momenti adduxerit.

In Therapeia.

Ego vero non diffiteor, ſed aperte teſtor, in ejus doctrina plura eſſe maximi æſtimanda, & in uſum commendanda. Primum enim quod attinet ad ejus Theoriam, ipſe vitæ & ſanitatis rationem non tantum in ſanguinis circulo, ſed etiam in congruis humorum ſecretionibus & excretionibus rectiſſime conſtituit, quod neglectum maxime videmus a Medicis ſuperioris ſæculi. Deinde præter pulſum & motum cordis & arteriarum, qui in ſyſtole & diaſtole eorum conſiſtit, agnoſcit adhuc alium ejuſdem naturæ, ſed ſubtiliorem, in ſolidis maxime partibus, fibris muſculoſis, & nerveis relaxatorium & conſtrictorium, qui ipſi vocatur motus tonicus, quem Veteres tonum vocarunt, de qua materia nobilem diſſertationem ante triginta & aliquot annos conſcripſit, & oſtendit, iſtum

Motus tonicus.

Diſſ. de motus tonico Stahlii laudatur.

motum

motum tonicum, ſecundum naturam conſtitutum, multum velificari functionibus ſecundum naturam, & ordinem celebrandis, illum vero varie in morbis immutari, vel nimium intendi & exacerbari, unde motus ſpaſmodicus fiat; vel nimium relaxari, unde atonia exſurgat, & ab hac varietate motus tonici in partibus ſolidis fieri in morbis multas congeſtiones ſanguinis & humorum exitiales, ſæpe etiam in bonum finem, ut removeatur illud & evacuetur, quod noxium eſt.

Diſſ. de vena portæ Stahlii laudatur.

Deinde eſt fere primus inter alios, qui diffiliorem per venam ſic dictam portæ, & per illa viſcera, ex qua vena portæ recipit ſanguinem, & adducit ad hepar, ſanguinis circuitum, ceu cauſſam multarum chronicarum paſſionum habet & agnoſcit; eo maxime, quod hæc vena pulſu adeoque ſufficienti ſanguinis per compagem mere vaſculoſam hepatis impulſu careat, inde regurgitationes & ſtagnationes in viſceribus & vaſis hæmorrhoidalibus fiunt, fœcundæ morborum & pathematum ſpaſmodicorum matres.

Nemo fuit, qui morbos a plethora, & hæmorrhoidum fluxu ſuppreſſo tam accurate deduxit, quam ipſe.

Tandem nemo fere fuit ex recentioribus, qui veterum ſententiam de noxa plethoræ, de hæmorrhoidum fluxu ſuppreſſo, quantas moleſtias & incommoda procreet, ſere penitus extinctam & neglectam in lucem & uſum revocavit, præter Illuſtrem Stahlium.

§. XXXV.

Quid boni in praxi exiſtit, oſtenditur.

Quod ad ipſius praxin & medendi methodum pertinet, *primo* laudandus utique in eo eſt, quod therapiam valde tutam, & qua non facile quiſpiam ægrotantibus nocere poſſit, in ſcriptis ſuis adornet atque commendet; quæ potiſſimum in eo conſiſtit, ut omnibus validioribus valde activis remediis, & quæ magnam medentis deſiderant prudentiam, ut ſunt emetica, purgantia fortiora, opiata, valde calida & ſpirituoſa, volatilia, adſtringentia quoque hoſtis ſit & ab iis quam maxime abhorreat.

Secundo. Quod negotium curandi in acutis & periculo plenis febribus, inflammationibus, potiſſimum naturæ committat, neque facile eam variis artificiis turbare geſtiat.

Tertio. Quod non multitudine & varietate remediorum ægrotos oneret, ſed pauca, tuta & ſelecta in uſu habeat, ut ſunt maxime ſalia media, digeſtiva, pilulæ balſamicæ leniter aloeticæ, nitroſa, quorum virtutem præ omnibus recte extollit.

Quarto. Quod pediluvia & clyſteres magni æſtimet & faciat.

Quinto. Denique quod venæ ſectioni valde patrocinetur, eamque ad morbos maxime arcendos, ceu ſummum præſidium, præſertim ſi in pede temporibus æquinoctialibus celebretur, habeat.

§. XXXVI.

Multa adhuc deſideranda in theoria, praxique Stahliana ſunt.

Hæc omnia, quamvis ſint egregia, & non ſine ejus laude memoranda, attamen plura adhuc mea quidem ſententia, judicio & experientia occurrunt, quæ in ejus theoria & praxi poſſunt deſiderari, & monitu neceſſaria ſunt, ſi artem noſtram magis rationalem & demonſtrativam conficere, ſi etiam plus in perſanandis gravibus malis proficere, & præſtare velimus.

De differentia Doctr. Stahl. & Hoffmann.

§. XXXVII.

Prima difficultas.

Prima vero imo princeps difficultas doctrinæ ſuæ Medicæ, quæ non modo in ipſa Theoria ſubſiſtit, ſed & ad praxin transfertur, eſt illud, quod omnem motum, omnem generationem, omnem operationem & actionem tantummodo a cauſa, ſeu ente immateriali in corpore noſtro derivet, & rebus corporeis, ſive ſint elementa, ſeu alimenta, venena, aut medicamenta propriam & ex ſua natura vim agendi, & vitales functiones vel naturales efficiendi, abolendi, immutandi deneget, ſed non tantum materiam in genere corporum pure habeat paſſivam, ſed etiam corpus noſtrum mecanice quidem & artificioſe conſtructum, tantummodo paſſivum, & tanquam organon ſeu merum inſtrumentum, in quo motus & functiones ab anima celebrentur, habeat.

Materia Stahlio corporum eſt paſſiva.

Fundamentum hujus doctrinæ petit ab hiſce principiis, quod materia in ſe conſiderata pure ſit paſſiva, omnis actionis, motus & operationis expers; quod motus ſit res plane immaterialis, adeoque ab ente immateriali in ſe, ceu primum movente, proficiſci debeat.

Ratio hujus ſententiæ exponitur.

Veterum dogma amplectitur Stahlius.

Equidem veteres Philoſophorum hæc dogmata amplexi ſunt; verum enim vero, nemo facile ex recentioribus, qui experimentali chymico-mechanica philoſophia inſtructus, naturam, indolem, cauſſam & effectum motuum clariſſime perſpectas habet, in hanc ſententiam quoad ipſum medicum uſum deſcendere poterit. Quapropter ut hoc argumentum paulo accuratius hoc loco evolvamus, non erit inconveniens.

Nullus Philoſophus phyſico-chymico-mechanica philoſophia inſtructus, in hanc ſententiam deſcendet.

§. XXXVIII.

Hæc ſententia facile Atheiſmum generare poteſt.

Profecto hæc doctrina, quod materia in rerum natura ſit mere paſſiva, atque ejus actio, ſeu motus ab ente immateriali proveniat, multos peperit errores, & diverſas ſententias produxit.

Ariſtotelis ſyſtema de materia.

Aristoteles cauſſam motuum in corporibus deduxit a quodam principio activo, quod entechiam, vel etiam formam ſubſtantialem appellavit.

Platonis & ejus ſectatorum de materia ſententia.

Plato, & ejus ſectatores crediderunt, unum eſſe principium activum per totam rerum univerſitatem diſperſum, quod formet, actuet & animet materiam, & hoc dicit eſſe animam mundi.

Ægyptiorum & Aſtrologorū mens.

Ægyptii & Aſtrologiæ ſtudio dediti, ab aſtris & ſiderum influxu id ipſum derivarunt, unde etiam Aſtrologiæ, ſeu divinandi & præſagiendi ex aſtris & eorum conjunctione atque influxu ars prognata eſt.

Carteſii de materia opinio.

Cartesius, & ejus aſſeclæ recentioris ævi cauſſam motus univerſalem, a qua immediate & proxime materia paſſiva in actum & motum deducatur, varieque transformetur, dixerunt eſſe divinam, ſeu ab ipſo DEO immediate provenire, quo ſuppoſito exiſtentiam DEI optima ratione demonſtrari poſſe exiſtimarunt.

Quare ad Atheiſmū generandum apta ſit hæc ſententia, exponitur.

Verum enim vero, ſi rem paullo ſubtilius perpendamus, tantum abeſt, ut DEI exiſtentia ex hac ſententia poſſit evinci, ut potius verum Atheiſmi fundamentum in hac ipſa poſitum ſit. Nam ſi corpora in ſe & ſua natura ſunt mere paſſiva, & ex ſua natura nihil efficere, nihil operari poſſunt, ſed omnem actum & operationem accipiunt a virtute DEI immediata, certe non aliud ſequitur, quam quod operationes rerum corporearum ſint operationes DEI, conſequenter inter vires creaturarum & creatoris nulla am-

Spinoza ab hac ſententia in atheiſmum delabitur. plius intercedit differentia. Hæc ſententia quoque SPINOZAM, qui fuit ſectæ Carteſii addictiſſimus, ad Atheiſmi doctrinam perduxit, ut mundum crediderit DEUM, & unam tantummodo admiſerit ſubſtantiam, cujus variæ operationes, & modi operandi ipſi ſunt attributa divina. *Daniel Beckerus negat operationem diabolorum in corpora.* Porro hæc Carteſii ſententia DANIELEM BECKERUM, & omnes, qui ſpirituum exiſtentiam & operationem in corpora pernegant, eo perduxit, ut negaverint, diabolum poſſe agere in corpora, eo quod DEUS ſolus motum præſtet in corporibus.

§. XXXIX.

Clariſſimus STAHLIUS ea eſt in ſententia, materiam eſſe pure paſſivam, ad motum efficiendum plane inidoneam ac ineptam; motum vero eſſe rem immaterialem, quæ ex uno corpore in aliud tranſcendat, ita ut hoc, in quo actu præſens ſit, moveatur tam diu, donec illud deſerat, & in aliud proximum transferatur. *Auctoris ſententia de motu.* Verum enim vero mea eſt ſententia, quod nullæ ſubſtantiæ conditæ fuerint pure paſſivæ, id eſt, quæ omnis actionis & operationis expertes ſint, neque motum eſſe rem ſeu ſubſtantiam materialem, vel immaterialem, ſed operationem & actionem corporum. *Quid Philoſophus ad evitandos errores noſcere debeat, oſtenditur.* Cum itaque multum interſit, ut Philoſophus rerum, quæ in univerſo exiſtunt, naturam, eſſentiam, proprietates, & earum operationes ad confuſiones evitandas probe ſciat diſcernere, placet etiam perpaucis de ſubſtantiarum, quæ in univerſo ſunt, natura & differentia noſtram mentem exponere. *Hoffmanni de motu ſententia.* DEUS infinitæ potentiæ, ſapientiæ & bonitatis in prima creatione voluit, ut ſubſtantiæ, ſeu res creatæ extra ſe exiſſent, quæ motum ex neceſſitate quoad operationes ſuas exſererent, atque pro hujus varietate varios effectus & phœnomena producerent; & hæ ſunt res corporeæ, quæ rurſus duplicis ſunt generis, aliæ ſimpliciſſimæ, homogeneæ, & dicuntur elementa, quæ ſunt inviſibilia, & principia compoſitorum, quæ in ſenſus incurrunt, extenſa, & dividi poſſunt in partes. Omnia hæc, ſeu ſimplicia, ſeu compoſita, vi & potentia quadam motrice & reſiſtente qua unum agit in alterum, inſtructa ſunt, ut mutua actione & reactione locum vel ſitum mutarent, & motum exſererent, qui omnium phœnomenorum, qualitatum, effectuum, vitæ, nutritionis, corruptionis, imo omnis mutationis in rebus corporeis cauſſa & fons eſt. *Modus, quomodo fiat motus.* Fit itaque motus non niſi actionis corporis unius in alterum, per mutuam nempe preſſionem, impulſum vel renitentiam, adeoque per contactum, ſine quo nullus motus in rebus corporeis fieri poteſt. DEUS vero infinitæ ſapientiæ voluit, ut res corporeæ ſecundum certam normam ab ipſo præſcriptam ſuas vires motrices & reſiſtentes ſibi invicem communicarent, ſeu certos effectus in motum producerent, adeo, ut non pro lubitu, ſecundum hanc a DEO inſitam normam ex neceſſitate agere debent, & hæc norma leges motuum vocari ſolet, quarum præcipuæ ſunt.

Axioma I. 1.) Quod vis major ſemper debeat minorem ſuperare, hoc eſt, ad loci mutationem requiritur, ut unius corporis preſſio, ſeu impulſus ſuperet vim reſiſtentem alterius corporis.

II. 2.) Quod corpora in æquilibrio conſtituta, id eſt, ubi æquales ſunt vires reſiſtentiæ, & vires impellentes, ſeu motrices, quieſcant; quod æquilibrium, minima etiam mole addita vel demta, dum tollitur, motus incipiat, uti videmus in corporibus æquilibratis per bilancem, ubi uncia una demta, vel addita, centenarios tollere, aut deprimere poteſt.

3.) Omnis motrix potentia vel conſiſtit in *Axioma III.* maſſa, ſeu in conjunctione, cohæſione plurimarum partium, ut fit in corporibus ſolidis, & magnum conatum nitendi, premendi & renitendi habet; vel conſiſtit in velocitate motus, ſeu exercitio virium motricium; ubi notandum, quod celeritas magis in ſubtilioribus & corporibus fluidis, quorum partes non invicem cohærent, ſed in continuo inteſtino motu ſunt, exſeratur, & quod celeritas compenſare, ſeu idem efficere, vel etiam ſuperare poſſit pondus, quod nempe inhæret maſſæ.

4.) Corpora in motu conſtituta facilius poſ- *IV.* ſunt impellere ea, quæ in motu non ſunt conſtituta, ſeu quieſcentia, unde fluidorum potentia maxima eſt in ſolida & gravia, ut videmus in igne, æthere, atque aere.

5.) Fluida non ſecundum baſin, ſed ſecun- *V.* dum longitudinem premunt, & vim atque potentiam ſuam vel in ſolida vel fluida exſerunt, hinc, v. g. aqua in longo & anguſto canali conſtituta maxima vi pollet reſiſtentiam corporis ſolidi ſuperandi, & a loco ſuo dimovendi.

6.) Dum unum corpus agit in alterum, *VI.* ſemper vis motrix reſiſtens & impellens eſt æqualis, & æquilibratur, ſeu ad ſtatum quietis reducitur, ut quod reliquum eſt, tantum virtutis effectum in corpus mobile exſerat, uti id clare videmus in corporibus per bilancem æquilibratis, dum illud, quod additur, tantum moveat.

7.) Vis motrix in corporibus, prout variam *VII.* figuram & ſtructuram vel magnitudinem habet, varie ſe exſerit. Sic quæ figura gaudent rotunda, & parvæ molis ſunt, longe facilius moventur, quam quæ figuram habent quadratam, aut triangularem, aut majoris ſunt ſuperficiei. Deinde corpora quædam comprimi poſſunt a vi externa, qua ceſſante ſponte ſua in priſtinum locum ſe reſtituunt, & hæc dicuntur elaſtica, ut ſunt veſica inflata aere, ſpongia, arcus, aut chorda.

8.) In corporibus elaſticis vis reſtituens ſem- *VIII.* per eſt æqualis virtuti comprimenti, adeo ut, quo majori vi ac gradu corpus flexile & elaſticum comprimitur, eodem etiam virtutis motricis gradu ſeſe in priſtinum locum reſtituat, & corpora juxta ſe poſita propellat.

9.) Qualis eſt linea, qua unum corpus in al- *IX.* terum incidit, & pellitur, tali etiam linea imo angulo repellitur, quod in corporibus elaſticis & percutientibus locum habet, & maximi momenti eſt in opticis.

10.) Motus corporis acceleratur, ſi ipſi alia *X.* vis motrix ſuperadditur, ſeu novum impulſum ab alio accipit; retardatur vero, ſeu impeditur motus, quo plures reſiſtentias vincere debet. Hæ fere ſunt omnes leges motuum a ſapientiſſimo Conditore naturæ rebus corporeis impreſſæ, quæ non tantum in rebus a natura provenientibus ſponte, ſed etiam ab artificio productis conſpiciuntur & obſervantur: optimeque poſſunt applicari in ſcientia ſtatica, hydraulica, mechanica, hydroſtatica, optica.

§. XL.

§. XL.

Expoſitis hiſce legibus facile detegitur DEI exiſtentia.

Hæ motuum leges, ſecundum quas tanquam ad normam omnes naturæ effectus in rebus corporeis fiunt, & motus perficiuntur, exiſtentiam Divini Numinis luculenter demonſtrant, cum nempe, *primo*, non poſſunt aliis modis & rationibus corpora exercere motus ſuos, & operationes, quare, quod non alia, ſed ad hanc ipſam normam ſemper agant, cauſſa debet eſſe, quæ Celeberrimo Leibnizio & ejus aſſeclis dicitur principium rationis ſufficientis.

Secundo. Quia ſecundum has motuum leges omnia corpora, tam organica ad certos fines conſtructa, ut ſunt animantia & vegetabilia, vel etiam inorganica, ut metalla, lapides, ſalia: Neque minus artificio humano ad certos motus, & effectus præſtandos compoſita, utique ex varietate mirabilium effectuum, & operationum Divini Numinis Sapientia clariſſime elucet.

DEUS eſt prima cauſſa motuum. DEUS ſolus facit miracula, ideo eſt cauſſa miraculorum.

Tertio. Cum DEUS ſit Auctor & prima cauſſa legum motus, ſecundum quas regitur univerſum, nemo eas tollere, ſuſpendere, ac immutare poteſt, niſi ſolus DEUS, quodſi id facit, miracula, ſeu plane extraordinariæ in rerum corporearum natura fiunt operationes, & hæ dicuntur miraculoſæ; adeoque ſolus DEUS eſt cauſſa miraculorum.

Mechanice rem explicare, quid?

Quarto. Quicunque vult phœnomena & effectus rerum naturalium clare, & perſpicue explicare, & cauſſas eruere, is ſecundum motuum leges id ipſum debet præſtare, & hoc ipſum eſt illud mechanice explicare.

§. XLI.

Vires motrices poſſunt augeri, minui, & immutari.

Ex motuum legibus diſcimus per experientiam vires motrices corporum poſſe augeri, minui, immutari per additionem vel ſubſtractionem maſſæ cujuſdam corporeæ, ut clare videmus in corporibus æquilibratis, ubi minima moles addita vel demta æquilibrium tollere, & motum corporis vel augere, vel diminuere poſſit, & exinde rectiſſime concluditur, materiam non dari in rerum natura pure paſſivam, ſed vim motricem eſſe eſſentialem, & non ſeparabilem corporum affectionem, licet mente corpus paſſive, quatenus extenſum patitur, dividitur, motum recipit, poſſit conſiderari, & hoc ſenſu materiale dici, neutiquam vero, ut res & ſubſtantia per ſe ſubſiſtat. Certe quodcunque dividi, addi, minui, & menſurari poteſt, illud nec immateriale, nec ſpirituale eſt, adeoque nec vis motrix maſſæ inhærens, & ipſi eſſentialis talis dici poteſt.

Non datur materia paſſiva.

§. XLII.

[V]is corporis non tranſcendit ex uno in aliud, ſed potius per combinationem, & contactum.

Cum corporis motus ad alterius impulſum increſcat, non exiſtimandum eſt, vim corporis ex uno corpore tranſcendere in alterum, ſed potius per combinationem & contactum corporum, vires, quæ antea erant diviſæ, jam conjunguntur, non ſecus ac unciæ duæ, in bilance junctæ, plus valent, quam uncia una reſiſtens, ita etiam id obtinet in gradibus celeritatis, qui compenſant pondus, ſeu cum pondere æquiparant.

§. XLIII.

Demonſtratur experimentis non dari materiam paſſivam, ſed activam.

Quod vero corpora non mere paſſive ſe habeant, ſed in illis mira activa reſideat potentia, compluribus luculentis experimentis demonſtrari poteſt, v. g. pulvis pyrius in ſe conſideratus videtur plane iners, & paſſivus, ſed ſi parum ignis accedit, ejus activa vis in motum reducta, tanta pollet potentia, ut duriſſimos muros frangere poſſit. Ita etiam oleum caryophillorum, & ſpiritus nitri fumans concentratus, quæ ſeorſim omnis ferme efficaciæ ſunt expertes, ſi invicem combinentur, luculenta flamma exſurgit. Venenum quoque, ut arſenicum album, vel forte purgans, aut emeticum videtur etiam paſſive ſe habere, ſed in corpore humano in motum adactum ſuam ſummam pernicialem vim, quæ inſidet, oſtendit.

§. XLIV.

Fluida etiam ſunt activa, quod demonſtratur.

Quin imo corpora præſertim fluida videntur quieſcere, & motu carere, tamen ejus partes inteſtino inviſibili motu invicem aguntur, qui in ſenſus incurrit, dum corpora ſolida ſolvere incipiunt, quod ſine motu fieri nequit; ita aqua quieſcens in vaſe ſaccharum, vel ſal impoſitum ſolvit. Aquæ forti limatura martis injecta, vehementer ebullit, adeoque motus efficaciam in ſe habet. Corpora elaſtica compreſſa propria vi ſe reſtituunt, ergo in ipſis quippiam activum eſt, quod hoc præſtat.

§. XLV.

Nunc demonſtrata activitate materiæ author ſe recipit ad aliud argumentum, id eſt ſpiritus.

Ita ſatis multis & egregiis argumentis adſtruximus corporum naturam, & motus cauſſas, quæ ipſis in corporibus hærent, non aliunde a re quadam immateriali petendas eſſe; ſequitur jam, ut etiam aliarum ſubſtantiarum, quæ non motu vel reſiſtentia ſuam operationem exſerunt, & quæ nec dividi, nec mutari, nec augeri, vel minui poſſunt, ſed immateriales, ſeu potius incorporeæ ſunt, naturam, eſſentiam, & operationes diſtinctiſſimas a corporum operationibus exponamus, & hæ ſunt ſubſtantiæ intelligentes, & libere agentes, & vocari ſolent ſpiritus.

Nam uti corpora agunt coacte, nec pro lubitu agere poſſunt, ita ſpiritus non coacte, ſed libere ad arbitrium ſuum agunt, ſed omnia ex intentione & proæreſi, quia carent corpore. Intelligentes vero ſunt ſpiritus, dum claram notionem & conceptum habent de rebus, illas invicem diſtinguere, & inter ſe quoque combinare poſſunt, id eſt rerum ideas inter ſe addere, ſubtrahere, & inde ſummam deducere; porro etiam ex notis ignota invenire; ut videmus in Scientia Arithmetica, Algebra, & Geometria. Porro omnes ſpiritus impreſſam etiam a DEO habent legem, cum nulla creatura ſit ſine lege, & norma, quæ eſt ſenſus juſti & veri, id eſt, veritatum ſunt capaces, veritatibus convincuntur, & ſecundum regulas juſti morales ſuas actiones inſtituere debent, quibus operationibus omnia corpora etiam organica, quæ animata dicuntur, ut bruta, deſtituuntur; quia ſpiritu carent, quæ mens & anima rationalis vocari ſolet.

Omnes ſpiritus impreſſam a DEO habent legem.

Differentia hominis a brutis.

§. XLVI.

Num ſpiritus in corpora agere poſſint, author ſuſpendit ſuũ judicium, id tamen probatur ex Scriptura Sancta.

Quæſtio vero oritur: num ſpiritus præditi ſint potentia corpora movendi? Ad quod reponimus, nullam vim motricem, ſeu nitentem, ſeu renitentem, ſeu reſiſtentem immaterialibus ſubſtantiis ineſſe poſſe, quoniam hæ vires ad eſſentialem affectionem corporum ſpectant, & per combinationem aut contactum invicem communicantur, qualis rebus immaterialibus plane non competit; nihilominus tamen cum ſacra Scriptura teſtetur, Angelos tam bronos, quam malos agere poſſe in corpora, & ipſa etiam mens noſtra ſpiritualis indolis ad motus voluntarios pro ejus arbitrio exercendos in artubus maxime externis plurimum confert, ipſa teſte experientia; exinde recte concluditur, mentem, ſeu ſpiritum, per ſe motus non efficere, certam tamen & limitatam a Conditore Divino poſſidere energiam, motus non omnes, ſed certos tantum ac determinatos per media rite conſtituta in actum exercitum deducendi. Qua ratione vero id fiat, utique captum noſtrum, qui etiam habet ſuos limites, ſuperat; ſed ſufficit adſtruere experientiam, qua docemur voluntatem utique noſtram eſſe efficacem cauſſam in dirigendis, vel in actum deducendis motibus. Nam inſtar univerſalis principii & axiomatis hoc ponendum eſt, quo poſito ſtatim & ſemper ponitur effectus, & quo remoto, ſtatim & ſemper quoque removetur effectus, id merito loco cauſſæ efficientis haberi debet, quod apparet noſtra voluntate.

§. XLVII.

Spiritus duplicis ſunt generis, Angelici, humani.

Angelici nullis egẽt mediis ad motus producendos.

Notandum vero maxime omnium eſt, quod ſpiritus, ſeu ſubſtantiæ intelligentes, & libere agentes, duplicis ſint generis, vel plane a corpore ſunt ſeparatæ, ut ſpiritus Angelici, vel corpori organico firmius alligati: Illi nullis egent mediis, ſeu cauſſis naturalibus, ſeu phyſico-mechanicis ad intellectum, & actiones ſuas producendas, neque etiam a ſenſibus, & rerum effectibus ad earum cauſſas, ſeu ex notis ad ignota concludunt ac ratiocinantur, uti ſpiritus, ſeu mentes humano corpori organico alligatæ, ſed potius intima rerum penetrant, potentiam tamen agendi etiam in alias ſubſtantias habent a DEO limitibus adſtrictam.

Humanus ſpiritus eſt duabus coalitus & ſubſtantiis immateriali & corporea, ſeu materia.

Homo itaque nil niſi ſpiritus, ſeu ens immateriale, intelligens eſt, corpori tamen organico vivo & animato infuſum & alligatum, adeoque homo ex duplici ſubſtantia coalitus, ſpiritu nempe & corpore organico ſummo artificio ad certos, & determinatos motus edendos conſtructo; quod cum brutis quidem commune habemus, ſed longe tamen ratione ſtructuræ præſtantius & perfectius.

Mens certas limitatas leges a DEO habet, quo perfectiores ſunt partes, ſeu corpus, eo melius functiones animæ fiunt, quod demonſtratur.

Mens vero ſeu ſpiritus, licet in ſe ſit immutabilis, indiviſibilis, nulli mutationi a corporibus obnoxia, & vis intelligendi ipſi eſſentialis & propria, tamen quamdiu cum corpore organico vivo animali conjuncta eſt, voluit infinitæ ſapientiæ Conditor, ut ſub certo ordine ſeu lege ſuos intelligendi actus exerceat; ſiquidem mens non ſine moderatione ac temperie motuum vitalium recte ſe habentium functiones ſuas rite obire poteſt, quod gravibus rationum momentis ac argumentis, quam facillimum eſt demonſtrandi; videmus enim vires intelligendi, judicandi, ratiocinandi, ratione ætatis, temperamenti & ſtructuræ corporis mirum differre, ita, v. g. in infantibus & ſenibus decrepitis vis intelligendi & judicandi admodum imbecillis eſt, & vacillat, unde etiam tritum illud proverbium: *Senes bis pueri.* In temperamento cholerico vis ingenii longe acutior; in melancholico vis judicandi major; in phlegmatico valde languida eſt, & ingenii & judicii vis. Videmus quoque porro multum differre vires cogitantes & intelligentes pro differentia ingeſtorum; notiſſimum enim eſt a potibus inebriantibus, a medicamentis etiam narcoticis vim intelligendi & ratiocinandi plane depravari. Patet etiam porro a morbis ſeu motibus perverſis fluidorum, & ſolidorum, ut in affectibus ſpaſmodicis ſic dictis hypochondriacis, febribus, deliria furibunda pariter, & melancholica, timoris, triſtitiæ, & anxietatis plena oboriri, & varios in ratiocinatione errores fieri, qui tamen per congrua medicamenta, fluidorum & ſolidorum motum in ordinem redigentia, penitus poſſunt tolli. Neque ignotum eſt, ingenii, judicii, & rationis vires pro differentia climatum, aeris, anni temporum, victus etiam mirum in modum variare, qua de re latius egi in Diſſ. de temperamento, ſeu ſanguine fundamento morum, & morborum in gentibus. Tandem quoque certiſſima conſtat experientia a læſione cerebri per externa, vulnera, contuſiones intellectum plane poſſe aboleri, vel penitus depravari.

Quod pendet multum ab ingeſtis, & quidem.

In morbis valde immutantur hæ operationes.

Ratione climatum, aeris, anni temporum, victus diſferunt.

Vulnera & contuſiones depravant intellectũ.

§. XLVIII.

Anima non eſt ſenſitiva, neque loco-motiva, quod probatur.

Neque etiam mens, ſeu anima rationalis ſive immaterialis potentiam, & facultatem habet in homine ſenſitivam & loco-motivam; nam videmus organis ſenſoriis & motoriis, v. g. oculo, aure & muſculis artuum ſecundum naturam conſtitutis, & recte conformatis ac conſtitutis, ſalvo per iſta ſanguinis influxu & progreſſu, eorum nervis, & membranis læſis, nihilominus motum & ſenſum ceſſare; uti videmus in gutta ſerena, in deperdito auditu, atque paralyſi, & mentem, licet efficaciſſime velit, tamen hæc organa rite conſtituta, neque in motum excitari, neque in iis percipere poſſe; obſervamus quoque ipſis animantibus brutis vim loco-motivam & ſenſitivam ineſſe, quæ tamen mente carent, dum nulla indicia, nullæ proprietates, quæ ſpiritibus, & menti competunt, in iis animadvertuntur; ergo neceſſe eſt, vim illam ſenſitivam, & loco-motivam in homine, & brutis a longe alia cauſſa, quam ab immateriali, & ſpirituali ente petendam eſſe.

§. XLIX.

Vis propagandi non in ſpiritu rationali ſita eſt, quia eſt omnibus animantibus propria.

Neque etiam virtus propagandi ſui ſimile, ſeu efformandi corpora organica ſui ſimilia in ſpiritu rationali, & immateriali conſiſtit. Nam non modo hæc vis homini, ſed omnibus brutis, inſectis, imo plantis competit, & non modo in plantis, ſeminibus, ſed & tenuiſſimo ramo, imo foliis ineſt. In animantibus ſeminis guttula & ovulo fœmineo inſidet illa virtus organizans plaſtica. Si vero velimus illam ſtatuere ſpiritualem, tot eſſent ſpiritus, quot ramuli, quot ovula, quot guttulæ ſeminis, & ſequeretur etiam, quod ſpiritus dividi poſſint, ergo

Vis formandi eſt materialis.

ergo neceſſe eſt, ut ſit materialis ſtatuenda, neque ſubſtantia per ſe movens. Nam diu hæc virtus plaſtica in ſemine plantarum ſubſiſtere, & per plures annos quieſcere poteſt, donec tandem a calore ſolari, & humore aqueo in actum & operationem excitetur.

Semina vetuſta amittunt ſuam vim multiplicandi.

Videmus quoque ſemina, ſi nimis vetuſta ſunt, amittere ſuam vim multiplicandi, eamque exſpirare, ut nulla amplius arte, vel cultura produci poſſit, ergo neceſſe eſt, ut ſit materialis. Neque vero negandum eſt, ex minima mole ſeminis non modo plantas, ſed & animantia produci, ſummo & ſapientiſſimo artificio, ex variis partibus certo ſitu, ordine, nexu, figura, magnitudine, motu, quiete gaudentibus in certum finem, & ſui conſervationem eſſe conſtructa. Inde colligere licet, talem efformationem non ſine intentione, & deliberatione fieri poſſe, adeoque a rationali ente proficiſci. Id tamen negamus, hanc ſapientem ſtructuram ex propria & inſita ſemini virtute intelligente, ſeu rationali proficiſci; ſed potius aſſerimus, ſecundum rationem & ordinem ſapientiſſimi Conditoris efformari corpora animata & organica, cum talem vim in primordio rerum materiali cuidam fluidiſſimæ ſubſtantiæ, de qua infra agemus, impreſſiſſet ſpecificam, ſecundum quam agunt tanquam ad legem, & normam, nulla cognitione, & intentione prædita, ſed ex mera neceſſitate, quam virtutem etiam adhuc conſervat omnipotenti ſuo verbo.

Auctoris ſententia de generatione.

Igitur non in ſpiritu hæc formandi vis quærenda eſt, etenim facile Polytheiſm. & Gentiliſmum produceret. Sed in materia, cui hæc virtus a DEO inſita eſt.

Nam certe ſi vellemus ſtatuere ſpiritus quoſdam finitos propria virtute ſibi quotannis nova domicilia formare, & tot conditores ſpiritus exiſtant, quot corpora, dubium certe oritur, annon totum univerſum iſti ſpiritus creaverint, vel etiam neceſſe eſt, ut inde via ſternatur ad Polytheiſmum & Gentiliſmum, & profecto hac ratione Omnipotentiæ, Honori, & Sapientiæ infinitæ Numinis & Creatoris multum detrahitur.

§. L.

Vita non in ente immateriali exiſtit.

Neque etiam vita hominis, quæ motibus circulatoriis, ſecretoriis & excretoriis fluidorum, & ſolidorum contractoriis & dilatatoriis continetur, ab anima rationali eſt derivanda. Nam obſervamus, horum omnium motuum, qui vitam conſervant, & corpus a putredine defendunt, cauſam eſſe cor ejuſque motum, quo deſtructo mox ruit corpus in putredinem. Nam nec efficaciſſima hominis voluntas cordis motum ſublatum reſtituere, vel directe eum augere & minuere poteſt; ut clariſſime inde pateat vitam hominis non in ejus voluntatem eſſe poſitam, ſed eam dependere a cauſſis externis phyſico-mechanicis, quarum directionem ſolus DEUS habet, & poſſidet. Quinimo in homine mens immaterialis, per ſe utique ſubſiſtens, ſuas functiones non exercere, nec cogitare, nec intelligere, ratiocinari, aut libere velle poteſt, ſine vita, cordis motu, & circulo ſanguinis; unde videmus, illo ad tempus ſublato in ſyncope, omnem cogitationem, intellectum, & rationem perire, ſimul ac vero ille redit, rurſus etiam & ſtatim incipit homo non modo ſentire, ſed & de perceptis judicare & ratiocinari.

uthoris ntentia rca ani- i pathe- ata, ut am, ti- orem, titiam.

Tandem etiam in quæſtionem venit, num affectus, ut ira, timor, appetitus venereus, fames, triſtitia ſint functiones entis liberi, ſeu rationalis, ſeu ſpiritus? Nos dicimus, cum bruta his haud careant, & affectibus iiſdem afficiantur, ut homines, qui maxime tendunt in eorum conſervationem, longe ab alio principio, ſeu cauſſa, quam ab anima rationali eos eſſe deducendos, præſertim cum animadvertamus pro temperamento animantium, imo hominum, pro varia ſtructura partium, varia diſpoſitione alimentorum, victus, partium varia diſpoſitione morbo afflictarum, plus vel minus & homines, & animalia ad gaudium, triſtitiam, iram, terrorem, venerem eſſe proclivia; hinc recte concluditur, motus & affectus non eſſe affectiones ſpiritus immaterialis, ſed ab alio principio dependere nobis cum brutis communi, quod veteres dixerunt animam ſenſitivam, de qua infra ſententiam noſtram exponere lubet.

§. LI.

Hæc de fœtus formatione & modo motus fiendi, quemadmodum ad medicinam nil faciunt, facile illis Medicus carere poteſt, ſaltim cognoſcat, in quonam conſiſtat vita & ſanitas, & harum cauſſas, a quibus proficiſcantur, ſciat, ut debitis remediis adverſus morbos ſe armare poſſit.

Verum enim vero cum medicinæ ſcopus plane non ſit ſcire formationem corporis vivi animantis, nec quicquam ad medicinam faciendam conferat, noſſe quomodo perceptiones, & a quo principio illæ ipſæ fiant, idque magis ad forum philoſophicum & metaphyſicum pertineat, ſed objectum artis medicæ ſit, corpus organicum jam efformatum, & vivum, & id tantummodo ad medicinam rationalem faciat, noſſe, in quonam vita corporis noſtri conſiſtat, & a quibus cauſſis vita & ſanitas dependeat, quibus congruis remediis vita diutius conſervari, corpus morbis affectum ſanitati reſtitui, & a morboſis inſultibus præſervari poſſit, & quæ ſanitati & vitæ ſint adverſa, e medio tollantur: Facile patet, ea ad medicinam rationalem plane non admittenda eſſe principia, ex quibus hæc ipſa jam dicta clare non poſſunt demonſtrari, vel etiam, quæ ad hiſtoriam morbi explicandam, & ad phœnomena in eo contenta reſolvenda plane ſunt inidonea; adeoque tam in theoria, quam praxi omni uſu ſunt deſtituta, cum quibus nulli effectus vel phœnomena connecti, nihil quod corpori utile vel noxium eſt, inveniri poteſt; & annon hujus generis ac indolis ſit principium immateriale, primum movens ac rationale, de quo nemo ullam claram notionem habere poteſt, Philoſophis maxime, & qui artem demonſtrandi ſciunt, judicandum relinquo.

Medici officium eſt vitam ſervare, mortem avertere.

Quapropter cum Medici potiſſimum officium ſit, vitam & ſanitatem ſalvam tectamque ſervare, & morbos ac mortem avertere, neceſſe utique eſt, ut Medicus ſciat primo omnium, in quo eſſentia & formalis ratio ipſius vitæ ejuſque cauſſæ conſiſtat.

Vita non eſt conjunctio animæ cum corpore.

Vita itaque a Medico ſi conſideratur, minus recte dicitur conjunctio animæ rationalis cum corpore, quæ utique ad eſſentiam hominis ſpectat, non ad formalem & proximam rationem corporis vivi, quo etiam animantia bruta gaudent, mente deſtituta, adeoque non in anima, ſed in corpore ipſo quærenda eſt vitæ ratio.

§. LII.

Neque formalis vitæ ratio eſt in conſervatione a putredine.

Neque etiam formalis vitæ ratio in ſola conſervatione corporis corruptibilis, & præſervatione ab ipſa quærenda eſt, licet vitam hanc ipſa ſequatur; ſiquidem & corporis mortui ſtructura a putredine immunis artificio chymico, vel etiam valde intenſo frigore diu ſervari poteſt;

Ratio formalis eſt eſſentia vitæ in motibus.

ſed potius vitæ ratio formalis & eſſentia quærenda eſt in motibus, qui in machina corporis

corporis noſtri vigent, artificioſiſſime conſtructa, ex ſolidorum elateribus & innumeris variæ magnitudinis, formæ & figuræ tubulis, adeoque recte hydraulico-elaſtica dicenda. Quamdiu itaque fluida agunt in ſolida, & ſolida in fluida, ſolidaque ſyſtaltico & diaſtaltico, ſeu contractorio & dilatatorio motu gaudent, & varii generis fluida, quæ inter præcipua eſt ſanguinis maſſa, per mere vaſculoſam corporis compagem circulari motu progrediuntur, & utilia ſecernuntur, & inutilia ejiciuntur, tam diu dicitur corpus eſſe vivum, & vita adeſſe; ſimul ac vero hic motus ſolidorum & fluidorum ceſſat, ut in ſyncope, ceſſat etiam vita, & omnes functiones ab his motibus dependentes ad tempus tamen. Quando vero ex toto deſinunt hi motus, ut non amplius revocari poſſint, mors præſto eſt, & omnes functiones a motibus hiſce dependentes una cum actionibus & operationibus animæ rationalis, cognitione, intellectu, ſenſu interno & externo deſinunt. Quapropter nec vitæ, nec mortis natura in anima tanquam cauſſa præſente vel abſente aut deſerente corpus, ſed in natura & cauſſis horum motuum quæri debet, & inveniri etiam poteſt. Quicunque itaque per congrua remedia motum illum ſolidorum ſyſtolen & diaſtolen, & etiam fluidorum diu conſervare ſcit, is utique & vitam diu protrahere & mortem avertere novit. Quare opus eſſe videmus, ut Medicus diſcat, & ſciat, quænam ad motus hoſce vitales conſervandos faciant, & quænam iis extinguendis vel deſtruendis apta ſint, & inſerviant, ut hæc evitet, illa vero amplectat, & applicet.

Syncope quid?

Mors?

Quare vita non in anima.

Mortis avertendæ præſidia.

Quæ ſcitu Medico neceſſaria ad præcavendam mortem.

§. LIII.

Vita non ſolum ab humorum, ſanguinisque circulo dependet, ſed etiam a ſe- & excretionibus, quas omnes non perfunctorie excurrit Auctor, hoc capite.

Verum non tantum vitæ & ſanitatis ratio, ſeu liberum & integrum exercitium omnium functionum corporis noſtri a ſanguine & humorum circulatorio motu dependet, ſed etiam a debita & juſta motuum ſecretoriorum & excretoriorum indole, natura, atque conſtitutione, ut pote ſine ſecretionibus & excretionibus nec vita, nec ſanitas diu integra ſubſiſtere poteſt: hiſce vero a naturali ſuo ſtatu deſiſtentibus, repente motus fiunt præternaturales, ſeu morboſi, & cauſſæ, quæ morbos faciunt, progignuntur. Res itaque maximi momenti, tam in theoria, quam praxi rationali ſtabilienda eſt, ſcire, quomodo fiant hi ſecretorii & excretorii actus, & a quibus cauſſis dependeant, vel immutentur. Habent vero ſingulæ tam ſecretiones quam excretiones liquidorum peculiarem ad integritatem corporis utilitatem ac uſum. Præcipua, & quaſi prima ex ſecretionibus eſt ipſius liquoris chyloſi ſecretio quæ ex alimentis ingeſtis, & probe digeſtis in tunica villoſa inteſtinorum, quæ ex copioſis & tenuiſſimis vaſculis contexta eſt, ſeparatur & vaſis lacteis ad ductum thoracicum tendentibus ad ſanguinem transfertur, qui materiam præbet & ſanguini, & omnibus univerſi corporis liquidis. Ab eo jam cum ſanguine, motu inteſtino probe ſubacto ſeparatur in fœminis nutricibus per mammas lac, quod nil niſi chylus eſt in nutrimentum infantis; idem liquor in gravidis per tunicam amnios, & ſecundinas materiam præbet nutritionis fœtus.

Porro a chylo ſeparata, & ſecreta pinguis, & oleoſa ſubſtantia in ductibus adipoſis conſtituit pinguedinem, qua partes externæ, & internæ obductæ ſunt varium in uſum. Poſtea ſuccus temperatus roſcidus, & gelatinoſus, per minimos tubulos partium ſecretus, abit in nutrimentum, & augmentum partium ſolidarum; tenuiſſima vero & aquea ſanguinis, & humoris alibilis portio, quæ lymphæ nomine venit tam in habitu corporis, quam in internis viſceribus ſecreta, per tenuiſſimos, & laterales arteriolarum ramulos, per vaſa lymphatica fertur. Hujus liquoris ſeu lymphæ gelatinoſæ pars nutritionem efficit, a qua ſecedens pars aquea, ad nutritionem inepta, per vaſa tranſit lymphatica, dein ſanguini affunditur, illumque in fluiditate conſervat, chylum diluit, ſalia acria temperat, & vehiculum eſt variorum excrementorum, maxime ſalino-ſulphureorum e corpore eliminandorum. Porro tenuiſſima, fluidiſſima, & mobiliſſima ſanguinis, & humoris alibilis portio, per tenuiſſimos, & anguſtiſſimos corticis, & medullæ cerebri, nec non medullæ ſpinalis, quæ nonniſi cerebrum vel cerebellum continuatum eſt, tubulos ſeparata, conſtituit liquidum ſpirituoſum, quod per nervos ac membranas fertur, ad fibris motum contractionis, ſyſtoles nempe, præſtandum, & ad oſcillatorium motum, cujus beneficio perceptiones fiunt in membranis nerveis efficiendum. Ejuſdem fere naturæ humor ſpirituoſus in tubuloſa teſtium ſubſtantia identidem a ſanguine arterioſo ſeparatur, ad propagationem ſeu generationem neceſſarius. Præterea magni adhuc uſus humores in partibus ſecernuntur, maxime per glandulas, quæ ex tortuoſo & implicato flexu varii generis vaſorum conſtant, & contextæ ſunt; ita, v. g. in glandulis lacrymalibus humor ſalſus ad detergendos, & humectandos oculos; pinguis & amarus in glandulis meatum auditorium obſidentibus; in tunica glanduloſa, quæ pituitaria dicitur, narium & ductuum, qui a cavitatibus & ſinubus oſſium capitis feruntur ad nares, lympha mucida ad humectandas has partes, & purgandum quoque ſanguinem a mucoſitatibus; in tunica mere glanduloſa faucium, pharyngis, œſophagi identidem lympha quædam mucoſa ad deglutiendum utilis. Denique in glandulis ſalivalibus, parotidibus, ſublingualibus, & porro in tunica glanduloſa ventriculi, glandulis inteſtini duodeni, ilei atque in glandula quam maxima, quæ pancreatis nomine venit, & liquorem per ductum proprium fert ad duodenum, ſeparatur a ſanguinis maſſa, tenuis, valde activæ, expanſivæ, & fermenteſcibilis indolis humor, ad ſolutionem intimam alimentorum valde proficuus, qui in faucibus ſalivæ nomine venit. In glandulis & tunica glanduloſa inteſtinorum craſſorum, coli & recti, lympha ſeparatur mucoſa, id eſt, quæ facile in mucum abit, ad excrementorum motum ejectorium inſerviens; ita etiam porro in glandulis, vel etiam ligamentis glanduloſis articulorum ſeparatur humor lymphaticus, gelatinoſus motui artuum inſerviens. In tunica ductuum urinariorum, identidem glanduloſa uteri, veſicæ, urethræ & glandulis proſtratis, tam marium, quam fœminarum identidem glutinoſus humor ſecernitur ad has partes ab acrimonia urinæ defendendas. Tandem inter excretiones humorum, qui naturæ ſolidorum & fluidorum, corporis animantis valde adverſæ ſunt, principem locum tenet illa excretio, quæ fit per tubuloſam, & poroſam cutis ſubſtantiam, ex qua

vel

vel per vaporem continuum, ſeu per inſenſibilem difflationem, vel per madorem ſenſibilem fertur humor aqueus ſalino ſulphureus, tenuioris tamen indolis, ſeu noxius & ſuperfluus. Humor vero craſſior, & ſalibus ſulphureis fixioris indolis refertus, identidem inutilis per renales tubulos ſecretus, ejicitur per veſicam urinariam, & urinæ nomine venit. Craſſior vero & terreſtris alimentorum, dum eorum prius portio utilis in inteſtinis ſeparata ſut, per alvum ejicitur, & hæc vocatur excretio alvina. Eſt vero adhuc alius liquor, identidem natura ſua alienus, & excrementitius, partibus nempe oleaginoſis, ſulphureis, & ſalinis alcalinis præditus, ſaporis amaricantis, bilis nomine veniens in ampliſſimo illo hepatis viſcere a ſanguine venoſo ſeparatus. Sed quoniam adhuc aliqualem utilitatem in negotio digeſtionis & chylificationis præſtat, fertur in primum inteſtinum, quod dicitur duodenum; poſtea vero cum ingeſtorum fœculentiis alvo ejicitur, ſummo ſanitatis commodo. Hiſce ſecretionum & excretionum modis perennat maxime ſanitas, ſive vita ſana perdurat.

§. LIV.

[Se- & ex]cretionis [n]egotium [m]edicinæ [fu]ndamentum.

Quoad negotium vero ſe- & excretionis animalis, quod univerſæ medicinæ rationalis fundamentum eſt, rectius intelligendum ſcire convenit. *Primo.* Machinam corporis noſtri animalis ex innumerabilibus ratione magnitudinis, formæ, figuræ, texturæ ac ſtructuræ, & ſitus variis canalibus, & ſtupendæ tenuitatis quoque vaſculis, quæ varii generis liquida vehunt, & circumvehunt, eaque vel in uſum ſecernunt, vel e corpore excernunt conflatam eſſe. Certe mirabile eſt, quod ſumma corporis noſtri cutis, vel minima partis portio acu pungi non poſſit illæſo vaſculo ſanguineo, vel ubi non guttula liquoris limpidi prodeat.

[A]rteria [ma]gna eſt [pr]incipiū, [&] radix [om]nium [va]ſorum, [&] tubulo[ru]m.

Secundo. Notabile eſt, quod arteria magna ex corde prodiens, radix, & principium ſit omnium vaſorum, & tubulorum, cujuſcunque generis ſint, ſive ſanguinem, ſeu alium liquorem vehant, dum nempe ejus extremitates, ac fines tandem deſinunt in vaſa ſecretoria, vel etiam revehentia, ut ſunt venæ, vaſa lymphatica; quod vel exinde conſtat, quia omnes humores ſecernendi advehuntur ad partes a cordis, & arteriarum motu, & revehuntur quoque ad idem principium, ut nullum fluidum in univerſo corpore quieſcat, ſed circulatorio motu redeat ad ſuum principium, nempe cor, & arteriam magnam, exceptis iis, quæ foras ejiciuntur; quare etiam obſervamus particulas cantharidum cauſticas in veſicatorio emplaſtro exterius applicatas mediante circulatione redire ad vias urinarias, teſte ardore, & dolore, quem ibi excitant. Argentum quoque vivum exterius inunctum vim ſuam ſpargere ad laryngem, ad glandulas ſalivales in faucibus detentas. Ita etiam oleo lavendulæ ſi inunguntur pedes, urina inde violaceum acquirit odorem. Nullus itaque humor eſt in corpore, qui non circulatur, quod fieri autem non poſſet, niſi canalium invicem eſſet communicatio, connexio, quam etiam ad oculum Clariſſimus Ruyſchius artificioſis injectionibus laudabili conatu demonſtrare annixus eſt.

[Omn]es humores circulatur.

Ruyſchius laudatur.

Tertio. Notatu dignum eſt, quod motus ille circulatorius fluidorum, in quo vita maxime poſita eſt, unice dependeat a ſimpliciſſimo motu, nempe cordis, & tubulorum contractionis, & expanſionis, quam Græci συςολην, & διάςολην vocant. Hic motus viget omnibus in canalibus, qui liquida vehunt, & ſenſibilis admodum eſt in corde ac arteriis, ſubtilior vero in omnibus reliquis vaſis ac tubulis ſecretoriis & excretoriis. Hoc motu reguntur omnia fluida corporis, hic motus præſervat corpus a corruptione, hic motus vitam, & ſanitatem tuetur, hic motus inordinatos morbos parit, & functiones animæ lædit, hic motus deſtructus mortis cauſſa eſt. Quare ut ejus motus, nempe contractionis & dilatationis vaſorum, & canalium cauſſas, & quomodo perficiatur recte calleat Medicus, & Philoſophus maximi utique intereſt. Celeberrimus noſter Auctor Stahlius brevibus ſeſe expedit, & enti immaterialiter, rationaliter cum directione, & vitaliter agenti, ſeu quod idem eſt animæ rationali hujus motus cauſſam, & modum adſtruit, atque hoc eſt præcipuum ejus theoriæ, & therapiæ fundamentum; quod proinde tanto majori cura, & indagine excutiendum erit. Nos dicimus hunc motum, qui præeſt vitæ, & ſecretiones & excretiones moderatur, pure eſſe mechanicum, cujus exiſtentiæ cauſſam in principiis mere corporeis ponimus, excluſa anima, quæ tantummodo ad motus voluntarios concurrit, & dicimus motum contractionis, & expanſionis primum dependere a ſolidorum, ſeu fibrarum vi elaſtica, qua non modo omnes canales corporis animantis, ſed & omnes reliquæ partes gaudent. Per corpora vero vi elaſtica donata, intelligimus ea, quæ extra locum ſuum quietis, vi quadam, aut comprimuntur, aut diſtenduntur, & poſtea vi ſua propria in priſtinum locum, ſitum, & figuram ſe reſtituunt. Obſervamus nempe non modo partes externas, ipſam cutim, muſculos, ſed & omnia viſcera, cor, ventriculum, inteſtina, uterum maxime mirifica virtute elaſtica inſtructa eſſe, dum cutis, item uterus, illa ab hydrope, hic a fœtu in gravidis mirum in modum diſtenditur. Poſtea vero ceſſante diſtenſionis cauſſa in priſtinum locum, ſitum, & magnitudinem redeat. Prout vero ipſæ fibræ, quæ ſunt elaſticæ indolis, varie contortæ, & conſtructæ ſunt, ita quoque in partibus, quibus inſunt varie vim ſuam elaſticam exſerunt, ita cordis, cujus fibræ inſtar cochleæ, & funis invicem contortæ ſunt, & cavitates efformant, potentia motrix, ſeu contractoria eſt validiſſima, adeo, ut reſiſtentiam omnium liquidorum in corpore canaliculoſo contentorum (nam omnes canales repleti ſunt liquidis) ſuperare valeat: quemadmodum id Clariſſimus Borellus in libro de motu animalium; item Dominus Keilius Anglus in ſcriptis ſuis ex mechanicis, & geometricis principiis clariſſime demonſtrarunt. Et certe hæc ſyſtole, & diaſtole cordis primum quoque principium omnium motuum in reliquis canalibus eſt, quo ceſſante, ceſſant & reliqui motus, quare recte dicitur: *Cor primum movens, & ultimum moriens.*

Stahlii ſententia facilis.

Motus contractionis, & expanſionis a ſolidis dependet.

Vir elaſtica, quid?

Borellus, & Keilius laudantur.

Deinde obſervamus canales iſtos, qui ex tunicis vaſculoſis, carneis, & nervoſis compoſiti ſunt, & ubi fibræ annulariter, & circulariter ſunt contortæ, majorem habere vim expanſivam, & contractilem, uti videmus in ventriculo, inteſtinis, arteriis, ductibus quoque urinariis, ureteribus, veſica, urethra, ductibus biliariis

Canales ex tunicis vaſculoſis, carneis, nervoſis compoſiti, & fibris annulariter & circulariter contortis

donati, majorem vim exp in ſivā præ reliquis habent. biliariis ex hepate prodeuntibus, ductibus ſalivalibus, qui omnes proprio ſuo motu ſyſtoles, & diaſtoles inſtructi ſunt. Huc pertinent etiam ipſæ glandulæ conglobatæ, per quas vaſa lymphatica tranſeunt, quæ identidem ex fibris carneis, & nerveis conſtructæ ſunt, & ſtructura ſua vividum motum lymphæ imprimunt. Obſervamus porro, ubi in canalibus fibræ annulares exiſtunt, ſeu in circulum contractæ ſunt, vel etiam valvulæ exiſtunt, contentis humidis impulſum quemdam imprimi, & motum ejus retrogradum adjuvare, uti id in venis, & vaſis lymphaticis, & canali alimentorum animadvertere licet.

Vis hæc elaſtica non ſolum in partibus ſolidis exiſtit, ſed & in fluxu liquidi nervei, & ſanguinis. Verum enim vero non tantum mechanica illa ſtructura fibrarum elaſticarum ad motum contractionis, & dilatationis in corpore animali ad movendos humores ſufficit; ſed neceſſe eſt, ut alia adhuc cauſſa accedente inſtruatur, & vigoretur, & hæc conſiſtit meo quidem, & aliorum etiam recentiorum judicio, in influxu ſanguinis, & liquidi nervei, quo non modo cordis ſubſtantia, ſed & omnium canalium in corpore, imo muſculorum, omniumque fibrarum compages vigorantur, & animantur; utpote omnes tunicæ, quæ ex arteriis, & fibris compoſitæ ſunt, in quibus maxima vis contractilis, & expanſiva ſe exſerit, ſanguine arterioſo perfunduntur, & nervorum ramificationibus, vel etiam membranis nerveis inſtructæ ſunt.

§. LV.

Motus contractionis dependet a liquido arterioſo, & nervoſo. Statuimus itaque, motum contractionis cordis, & tubulorum, quo introrſum moventur latera fibrarum, fibræ abbreviantur, & canales anguſtiores fiunt, & liquidum contentum propellitur, dependere a liquido, tam arterioſo, quam nervoſo intra tunicas, ex quibus vaſa compoſita ſunt, contento. *Motus dilatationis dependet a ſanguine, & humoribus intra cavitates ipſorum canalium.* Motum vero dilatationis, ſeu expanſionis, qua vaſa extrorſum moventur, & ampliantur, fieri a ſanguine vel humoribus intra ipſorum cavitates contentis, & intra eas fluentibus, quibus vis elaſtica fibrarum ſuperatur, ac fibræ extrorſum vergunt; poſtea vero ſua ſponte per influxum fluidi arterioſi, & nervoſi reſtituantur. Progreſſio vero liquidorum hac ratione fit; contractio ſemper efficit diaſtolen, & diaſtole rurſus ſyſtolen, ita tamen, ut contractio ſemper ordine præcedat, ceu motus maxime activus; ita, v. g. cordis contractio efficit diaſtolen in arteriis, hæc diaſtole cauſſa eſt ſyſtoles arteriarum, qua progrediuntur fluida ad venas, & vaſa ſecretoria, ubi rurſus per ſphincteres, & valvulas elatere inſtructas, atque ab affluxu majori humorum contractionem, ſeu ſyſtolen paſſas ad cor, ceu principium regrediuntur; atque non modo in ſanguinis circulo primus motus contractorius, qui quaſi reliquorum prima cauſa eſt & origo, ſed & in aliis canalibus, qui humida vehunt, obſervatur: Ita, v. g. pharynx muſculis pluribus donata, quando contrahitur, cauſſa eſt deſcenſus ingeſtorum in ventriculum; deinde contractio valida pylori, qui ex annularibus fibris carneis copioſis compoſitus eſt, incipit motum periſtalticum in canali tenuium inteſtinorum, principium vero coli validis membranis muſculoſis, nerveis, nec non vaſis ſanguineis, & nervis copioſe inſtructum incipit motum, quo excrementa ſurſum, & per tot convolutiones, & flexuras coli ad anum uſque progrediuntur. Pelvis, quæ urinam infundit ex renibus in ureteres ab fibras muſculoſas, & membranas valde validas muſculoſas & nerveas motu quoque contractionis gaudet.

§. LVI.

Vis elaſtica a fluido arterioſo & nervoſo dependet. Quod vero vis elaſtica fibrarum, & canalium a fluido tam arterioſo, quam nervoſo intra tunicas, & interſtitia fibrarum detento pendenda eſt, plurima evincunt experimenta. *Experimentum.* Nam ligato arteriæ ramo, qui ad canales, & organa motuum fertur, nervo illæſo, vis motrix omnis perit; & contra etiam ligato vel inciſo nervo ejuſdem partis ſalvo ſanguinis affluxu per arterias identidem omnis movendi potentia ceſſat, & relaxata ligatura protinus redit, quod Bellinus maxime ad oculum demonſtravit, *Bellinus laudatur.* dum in cane aperto thorace nervos diaphragmatis ligavit, ſublato mox ejus motu, qui ſtatim reſtitutus fuit vinculo relaxato. Notiſſimum quoque eſt Stenonis experimentum, quod ſi *Steno laudatur.* in cane aperto abdomine deſcendens aortæ truncus valido ſtringatur vinculo, protinus ſubjectæ diaphragmatis partes paralyſi laborant: ſublato vero vinculo atque adeo libero ſanguinis commeatu reddito, eædem partes mox ſenſum, & motum recuperant. Rurſus etiam curioſum eſt experimentum, quando nempe ope ſiphonis in animalis poſt brevi exſtincti arteriam injicitur aqua tepida, tunc muſculi illius partis recipientis ramos ab arteria, mox moveri, & agitari incipiunt. Quod vero diaſtole ſyſtolen excitare poſſit, id quoque luculenter docemur hoc experimento, dum aperto thorace canis cor quieſcens, flatu immiſſo in cordis dextrum ventriculum, vel per ductum thoracicum, vel per venam cavam, protinus motus cordis ſyſtalticus reſuſcitetur, & ad aliquot momenta duret. In ſyncope quoque affectis contractio cordis plane deficit, & affluxu ſanguinis ad cor per frictiones validas, & irritationes nervoſarum partium in plantis pedum, in naribus, & labiis per ſpirituoſa, acida, vel volatilia, vel per affuſionem aquæ frigidæ, qua vis contractoria ſive elaſtica valde augetur, in vitam revocantur. Quamvis vero ut ſatis evictum, nullus motus ſine affluxu liquidi nervei, & ſanguinei in ſolidis fieri poſſit, & nervorum, cerebrique fluido præcipua vis motrix, & elaſtica, ceu maxime contractoria, ineſt ob ſummam ſubtilitatem, & penetrantiam, qua pollet: nihilominus hujus exiſtentiam Claríſſimus Stahlius, & qui eum preſſo pede ſequuntur, penitus negant, & non ita pridem *Liquidum nerveum negat Stahlius.* Medicus, & Profeſſor Francofurtenſis ad Oderam Goelicke magna certe temeritate liquidum nerveum, ſive cerebri, & ſpiritus animales nomine Apollinis in Parnaſſo ſedentis e foro Medico penitus relegare auſus fuit, cujus tamen conatibus ſolide, & maſcule ſeſe oppoſuit junior quidam Medicus ex Schola mea prodiens, Practicus Francofurti ad Mœnum peculiari libello; operæ certe pretium erit perpaucis, ſed tamen ſolidiſſimis argumentis cerebri officium, & liquidi nervorum ad motum maxime, & ſenſationem conferentis exiſten- *Probatur exiſtentia ſpirituum animaliū.* tiam, & generationem ſtabilire, & confirmare.

Nullum animal abſque cerebro, & medulla. *Primo.* Nullum animal exiſtit, quod cerebro, & ſpinali medulla, & ex iis prodeuntibus nervis careat.

Secundo. In formatione embryonis poſt cordis

dis elaborationem, natura maxime in elaboratione capitis, & medullæ ſpinalis occupata eſt.

Tertio. Structura cerebri, & medullæ ſpinalis ex minimis, & anguſtiſſimis canaliculis conflata, & fluido turgida, clariſſime utique teſtatur, liquidum per illa circulari, & continuo affluxu, & effluxu progredi; qualis motus in omni liquido contento in partibus corporis noſtri ſolidis obſervatur; quo, ſi deſtituitur, liquidum in corruptionem abire debet, vitæ noſtræ infenſiſſimam. Jam vero obſervamus, ſi portio cerebri, vel medullæ ſpinalis recenter exemta ponderetur poſt exſiccationem vix remaneat ſeptima pars ponderis prioris a fluido in aerem immiſſo.

§. LVII.

Tota *quarto* cerebri, & medullæ ſpinalis ſubſtantia ex innumerabilibus, & tenuiſſimis, tam quoad corticem, quam medullam canaliculis conflata eſt, qui nonniſi tenuiſſimam fluidam materiam admittere poteſt, quæ mediante ſanguine arterioſo immediate ex cordis ſiniſtro ventriculo, in quo ſanguis continetur valde fluidus, & ſubtilis, partim a commixtione lymphæ, & ſucci chyloſi, aerisque partibus ſubtilibus turgidi, partim etiam a tranſitu per pulmonum vaſculare corpus admixtis ſubtiliſſimis æthereis elaſticis & per reſpirationem ſubtilior redditus adducitur, non alium certe in finem, quam ut ibi tenuiſſimæ, & mobiliſſimæ ſpirituoſæ chyli, lymphæ, & ſanguinis partes ſeparentur, & per innumerabiles nervos, & eorum ramificationes ad partes ferantur.

Quare etiam deficiente, vel ceſſante ſanguinis arterioſi ad cerebrum affluxu, ut fit in ſyncope, ſive cordis impulſu ceſſante, vel quando in brutis arteriæ carotides vinculo ſtringuntur, aut per polypoſas concretiones in carotidibus corporis humani ſubſiſtentibus liber ſanguinis fluxus impeditur, mox omnis ſenſatio, omnis motus perit, vel imminuitur, documento ſatis manifeſto, ſanguinis liberiorem affluxum ad cerebrum uſum habere præſtantiſſimum. Quod vero quippiam a ſanguine in cerebro ſecernatur, quod deſcendit poſtea ad medullam oblongatam, ſeu principium nervorum, & ipſos nervos, vel ex eo manifeſtum cenſeo, dum nempe compreſſi ventriculi cerebri, vel protuberantiæ medullæ oblongatæ a ſanguine, vel ſero extravaſato apoplexiam ingenerent, & ſenſus tam internos, quam externos, motuſque voluntarios aboleant: quod etiam fit, ſi principium ſpinalis medullæ extravaſatus occupet humor. Obſervamus quoque a diffractis cervicis vertebris, hominem mox perire, vel ſi in medio ſpina dorſalis læſa, vulnerata aut diffracta fuerit, partes infra læſionem poſitas omni ſenſu, motu, & convenienti quoque nutritione privari; & curioſum eſt experimentum anatomicum, quando videlicet ſubtiliſſimo cultro ovium cranium elevamus, & ſubjacens cerebrum apto & lato inſtrumento comprimimus, mox ſemi-apoplectica fiunt animantia; quamprimum vero a compreſſione remittimus, ut cerebrum in ſitum ſuum naturalem redeat, mox remittunt hæc ſymptomata. At vero præcipuum argumentum, quo in dubium vocare volunt, fluidi, ſeu liquidi in cerebro, vel nervis exiſtentiam novæ hypotheſeos auctores,

[R]eſpondetur ad dubium, quod non detur [li]quidum [n]erveum.

hoc eſt, quod neque in nervis, neque in cerebri filamentis tubuli cavi in ſenſum incidant, & nervi ligati non ſupra ligaturam intumeſcant. Sed hoc argumentum ſatis frigidum, & jejunum eſt: perquam enim notum eſt per folia, per ramos, radices plantarum, & arborum decurrere, & circulare quoque liquidum, quo creſcunt, & nutriuntur, neque tamen canales viſui eſſe obnoxios, neque ſupra ligaturam intumeſcere. Ecquis porro eſt, qui in capillis, per quos etiam transfluit liquidum, cavitatem demonſtrare poteſt? Ecquis demonſtrare audet canaliculos illos, ex quorum convolutione teſtes conſtant, non eſſe caveos? cum tamen cavitas eorum non incidat in ſenſus; & tamen per eos ſeparetur liquor ſeminalis, indolis certe ſubtiliſſimæ, & mobiliſſimæ; quod vero nervi, licet ex filamentis teretibus ſint coaliti, gaudeant ſuis cavitatibus, non modo LEEWENHOECKIUS in operibus ſuis per microſcopia ſua accuratiſſime confecta demonſtravit, verum etiam exinde colligitur, quia portio nervi majoris abſciſſa, & injecta aquæ tepidæ valde intumeſcat.

Leevvenhœckius laudatur.

§. LVIII.

Verum enim vero jam quæſtio incidit, cujus naturæ, & indolis ſit illud ipſum liquidum, in cerebro & nervis incluſum, & quod ſenſum, & motum vitalem, & tonicum præſtare debeat. Dicimus paucis, conſtare illud ex ſubtiliſſimo illo materiali fluido, quod ſummæ activitatis, & expanſivæ virtutis eſt, & omnibus in rerum natura ſublunaribus rebus motum, & vigorem præſtat; & illud ipſum nihil aliud eſt, quam fluidum illud catholicum æthereo-aereum, cujus potentia, & vis in motibus, & effectibus admirandis præſtandis, non modo per varia experimenta phyſico-mechanica, quæ maxime beneficio Antliæ pneumaticæ inſtituuntur, ſed & chymica, v. g. per effectum pulveris pyrii, & adhuc alia ad oculum demonſtrari poteſt. Cum itaque nullum corpus organicum, planta, brutum, vel etiam homo carere poſſit hoc fluido, ceu univerſali movente, recte concludimus, illud ipſum eandem quoque naturam, & virtutem, qua extra corpora organica operatur, adhuc intra corpus obtinere. Jam vero notiſſimum eſt, quod nullum animal vivere poſſit ſine aere, æthere ſemper inſtructo, utpote, qui non modo per inſpirationem, ſed & per omnis generis alimenta, atque etiam exterius per poros corporum tranſit, & fertur ad interiora; hujus etiam in ſuccis vitalibus præſentiam clariſſime inde demonſtrare licet, dum nempe animal quodcunque aere ſubtracto in vacuo mirifice intumeſcit, æquilibrio aeris atmoſphærici, & interni ſublato; ab aere vero fortiſſime compreſſo per Antliam, cujus maxima in comprimendo eſt potentia, animal non perire, ſed potius vigorem motus acquirere; niſi vero aer internus reſiſteret externo compreſſo, neceſſe eſſet, ut omnibus partibus corporis, & canalibus vehementiſſime compreſſis circulus humorum periret, quod tamen non evenit. Deinde irrefragabilis teſtatur experientia, hominem ratione animi, & corporis longe agiliorem, vivaciorem, & ad labores alacriorem eſſe, ſi fruitur aere temperato, puro, & ſereno, qualis eſt vernalis, & ventibus flantibus ex oriente, quam ſi aer eſt turbidus, humidus, vappidus, ſub flatu ventorum Auſtri,

Liquidi nervoſi natura exponitur.

Nulla viventia imo plantæ hoc liquido carere poſſunt.

Nihil poteſt vivere abſque aere.

Auſtri, & Zephyri, & qualis maxime autumnali tempore regnat. Deinde quoque obſervamus omnia illa alimenta, & medicamenta, quæ multis particulis ſubtilioribus aereo-elaſticis referta ſunt, miram virtutem analepticam habere, vires emortuas ſtatim reſuſcitantem; exemplo erit optimum vinum, quod & interius, & exterius vires recreat; & aromata, quæ ſubtiliſſimo, & ſuaviſſimo oleo imprægnata ſunt; Certe aquæ, quæ magnam vim, & efficaciam in medendo præſtant, ut ſunt minerales ſic dictæ, efficaciam ſuam maxime debent particulis aereo-elaſticis, quibus conſtant, quæ vigorem, robur, & tonum ſolidis præſtando operationes tam laudabiles exſerunt. Quod vero non modo aer, ſed & æther, qui celerrimi, & rapidiſſimi motus eſt, atque in aere, ceu vehiculo continetur, ad vitales motus ſit neceſſarius, vel clare inde eluceſcit, quod ſine ſolari, vel artificiali calore, qui nonniſi rapidiſſimus ætheris motus eſt, nec plantas creſcere, nec animal vivere, nec ullum ſemen fœcundum fieri poſſit; quare obſervamus pro diverſitate ſitus ſolis, qui ætherem potiſſimum movet circa diverſa anni tempora, locorum, climatum, variarumque Regionum conſtitutione, mirifice quoque corporum organicorum, & hominis, & animantium variare effectus, & operationes, & potiſſimum vires, & robur corporum.

§. LIX.

Particulæ illæ aereo-æthereæ continentur in lympha delibatiſſima, tanquam convenienti & appropriato vehiculo.

At vero liquidum illud cerebri ſeu nervorum, & membranarum potentia motrice, & tonum, & robur partibus fœnerante inſtructum, non ex meris partibus aereo-æthereo-elaſticis, & celerrimæ activitatis compoſitum eſt, ſed ſimul etiam ex humidis, ſeu lympha delibatiſſima, puriſſima, & ſubtiliſſima, in qua, & ſub qua tanquam in vehiculo, & involucro activiſſimæ indolis partes continentur; non ſecus ac videmus in ſpiritibus chymico igne productis, ſub phlegmate valde ſulphureas, vel ſalino-ſpirituales agiliſſimæ indolis, & promte evaporabiles contineri. Nam nullo modo concipi poteſt, qua ratione fluidum aereo-æthereo-elaſticum in ſanguine contentum, in cerebri canaliculoſa compage, & per tubulos ac nervos vehi, inque iis includi poſſit, cum valde penetrantis per omnes poros ſit virtutis. Nos itaque ſumus hac in ſententia, liquidi cerebri, ac nervoſi naturam ac ſubſtantiam conſimilem eſſe liquori ſeminali, qui ex lympha roſcida, temperatiſſima, & ſubtiliſſimis ſpirituoſis aereo-æthereis, & ſulphureis elaſticis particulis imbuta conſtat; inde etiam jam facile peti poterit ratio, quare a nimia effuſione ſeminis virium proſtratio nimia fiat, & omnes partes tono, & robore ſuo ſucceſſive defraudentur; cum ejus conſervatio, & parcior excretio corporis, & animi vires, & robur conſervet, & augeat; id teſtante Celso: rara (id eſt venus) corpus excitat, frequens ſolvit; ſiquidem a nimia evacuatione hujus liquoris ſpirituoſi, etiam ſanguinis, tanquam fontis, ſpirituoſitas extrahitur. Neque etiam hæc ſententia, quod fluidum nerveum, & cerebri veteribus ſub ſpirituum animalium, vel animæ ſenſitivæ nomine veniens ex partibus aereo-æthereis, & aqueis compoſitum ſit, recenter nata eſt, ſed a veteribus Philoſophis, & Medicis recepta.

Liquidum nerveum eſt ſubſtantia conſimilis liquori ſeminali ſecundum Hoffm.

A nimio coitu vires labefactantur.

Hæc opinio de liquido nerveo non adeo noviter eſt detecta, ſed veteribus jam fuit cognita, ut

Pythagoras, animam ſenſitivam dicit eſſe delibatam ex æthere, qui ſolis radiis calidis ſit, & ipſa aqua; vid. Diogenes Laertius. Epicurus, animam dicit eſſe temperatum quid ex aere, igne, & aqua; per ignem vero nihil aliud intelligit, quam ætherem, qui materia ignis eſt. Inſtar omnium vero poteſt eſſe noſter Hippocrates, qui paſſim *in libris ſuis de carnibus, de diæta, de morbis ſacris perhibet*, animam conſtare ex igne, & aqua. Per ignem vero intelligit ætherem, qui omnia movet; per aquam vero illud elementum, quod omnia nutrit, & dicit, tunc animam eſſe ſapientiſſimam, ſi ex igne, & aqua commixtum habeat temperamentum; & ulterius concludit, ſi ignis nimium ſuperet aquam, fieri inſaniam; ſi aqua vero ſuperet ignem, oriri ſtupiditatem. Et porro idem graviſſimus Auctor hinc inde in monumentis ſuis perhibet, animam hominis ſemper produci uſque ad mortem, & corpora hominum multum differre; ex quibus clare intelligitur, Veteres, inque primis Hippocratem, animam, quæ ſenſum, vigorem, & motum præſtat, corpori habuiſſe materialem, & ex agiliſſimis fluidis partibus, igne nempe, aere, æthere, & aqua compoſitam, & ex iis commixtam, & ab hiſce elementis atque ingredientibus, ut ita dicam, varias pati mutationes, & producere effectus; & *libro de flatibus* clariſſime ſcribit, aerem ſenſum, & motum præſtare partibus, & ſapientiam hominis in decenti habitu corporis conſiſtere, & per diætam animam fieri, vel ſtupidiorem, vel ſapientiorem.

Pythagoræ in Diog. Laert. Epicuro. Hippocrati.

Hippocratis de liquido nerveo ſententia.

Veterum de anima placita, quam pro materiali habuere.

§. LX.

Fluidi vero agiliſſimi cerebri materia primordialiter in ipſo ſanguine, & præſertim eo, qui in ſiniſtro cordis ventriculo concluſus eſt, & ex eo derivatur ad cerebrum, continetur: neque enim exiſtimandum eſt, ſanguinem particulis activis moventibus, ſeu viribus motricibus elaſticis eſſe deſtitutum, ſed potius ſanguis eſt promus condus omnium virium, & liquidi etiam cerebri ac nervorum; ſiquidem ex alimentis, & aere ambiente has ipſas accipit, & tantummodo partes illæ fluidæ mobiliſſimæ una cum tenuiſſima lympha ex ſanguine ſeparantur ab aliis craſſioribus, & impurioribus moleculis.

§. LXI.

Fluidum nerveum activa vi præditum, quod probatur.

Quod vero ſanguinis fluidum activa vi motrice inſtructum ſit, plura ſunt, quæ id teſtatum faciunt, argumenta. Nam

1.) Animalia, quæ copioſo, & tenui ſanguine prædita ſunt, longe vivaciora, longe robuſtiora ſunt iis, quæ paucum ſanguinem in vaſis alunt.

2.) Quo plus ſanguinis detrahitur per immodica profluvia, intempeſtivas venarum apertiones, vel etiam per ejus conſumptionem motibus febrilibus, eo plus vires, quarum natura in potentia movendi conſiſtit, detrimentum capiunt, & ſolidorum tonus, & robur vacillare incipit.

3.) Animadvertimus fame, & inedia perire vires, quæ ſi diuturna eſt, mortem fieri, ſeu omnium virium plenariam exſtinctionem. Porro etiam ea alimenta, quæ partes ſulphureas, ſpirituoſas, ſuccum gelatinoſum, temperatum, ex quo conſtat ſanguis, ingenerant, uti

uti ſunt maxime panis, & vinum, carneſque animantium robur addere corpori, vireſque imminutas augere; cum contra ea, quæ ex partibus minus volatilibus, aqueis, & effœtis conſtituta ſunt, ut ſunt plurima ex vegetabilibus, herbis nempe & radicibus, parum virium debilitato corpori ſuggerere.

4.) Obſervamus illæſo licet & ſalvo influxu liquidi nervei in partes, & motuum organa, ſi influxu ſanguinis privantur, valde imminui, vel perire robur, & motuum efficaciam: ſed potius hæc duo fluida ſimul juncta abſolvunt potentiam illam ſolidorum motricem in œconomia animali neceſſariam nempe reciprocam ſyſtolen atque diaſtolen, & profecto ſi probe examinemus maximam illam motricem potentiam, qua præ aliis corporis partibus muſculus cordis inſtructus eſt; certe animadvertimus eam magis a vivido, largiori, & perenni influxu, & progreſſu ſanguinis arterioſi ex cordis ſubſtantia per vaſa coronaria, quibus fibroſa, & muſculoſa cordis ſubſtantia copioſiſſimis intertexta eſt, quam ab ipſo fluido, & liquido nerveo oriri: cum non adeo inſignes ramificationes, & proportionatæ ad talem motum nervi paris nempe octavi, & intercoſtalis ad vitalem hunc muſculum abeant; & certe hic ipſe ſanguis intra ſubſtantiam cordis ad ejus conſtrictionem multum facere, dum continuo breviſſima via ſanguis ex cordis ventriculo ſiniſtro floridiſſimus, & ſubtiliſſimis, & mobilibus partibus inſtructus ad eum ducitur, quo privilegio nulla alia corporis pars gaudet; quare etiam non mirum eſt, quod tam facile in animi deliquium, ſeu cordis quietem homo incidat paulo largiori ſanguinis detractione, qua muſculus cordis ſufficienti influxu orbatur. Jam etiam claret ratio, quare ventriculis cordis illæſis vulnera per muſculoſam cordis ſubſtantiam, quæ magna eſt in ſiniſtro ventriculo, tranſeuntia cito lethalia ſint, ſubtracto nempe per ſanguinis effluxum motu ſyſtaltico, ſeu contractorio; atque animadvertimus, motum cordis, qui arteriarum pulſatione cognoſcitur, totumque circulum ſanguinis accelerari poſſe pro diverſo rerum non naturalium uſu; ita ut mox a cibo ſumto, item a potu Caffee calido, vel liquore aſſumto ſpirituoſo, aut ſale volatili oleoſo brevi poſt pulſus augetur, & intra quinque ſecundas, cum alias pulſus numerantur quinque, ſeptem, & octo fiant; idem fit, ſi corpus motu exercetur, ſtatim acceleratur pulſus. Notabilem etiam animadvertimus ejus mutatione ab aeris, vel tempeſtatum mutatione; ſi cœlum eſt ſerenum ſub flatu ventorum ex oriente ſpirantium, pulſus ſtatim robuſtior, & celerior eſt, languidior vero ſub cœli conſtitutione auſtrina, & pluvioſa. Ab opiatis aſſumtis, item nitroſis, pulſus in numero, & etiam in magnitudine decreſcit, quod etiam fit ſub ſomno, & quiete corporis. Ex quibus clariſſime elucet vigorem cordis, & tonum partium vitalem a cauſſis materialibus, & externis moventibus; non vero tantum ab ente quodam immateriali, multominus rationali dependere.

Cor, cur am obno- xium ani- mi deli- uiis ſic di- ctis?

l. Auctor ncludit igorem rdis a uſſis ma- rialibus pendere.

§. LXII.

jectio.

Verum enim vero non levis momenti dubium hoc loco moveri poterit ab animi affectibus, præſertim ira, terrore, & triſtitia, item a cupiditate venerea mirifice immutari motum cordis, & arteriarum, motumque partium tonicum, & inde quoque circularem motum humorum, & inde dependens ſecretionum & excretionum negotium vehementem mutationem pati citra concurſum cauſſarum materialium, & externarum? Quod dubium ut ſolvamus, maxime omnium neceſſe eſt, ut cum affectus hi animæ ſenſitivæ adſcribantur, paullo clarius, quid per animam ſenſitivam intelligendum ſit, & in quo natura affectuum animi conſiſtat, exponamus. Nos per animam ſic dictam ſenſitivam, quæ ſimul eſt plaſtica, noſtriſque corporibus cum brutis communis, nihil aliud intelligimus, quam fluidum illud longe ſimpliciſſimum, & ſubtiliſſimum aereo-æthereum naturæ admodum mobiliſſimæ, quod in cerebro, nervis, nervoſis membranis, & omnibus organis tam ſenſuum internorum, quam externorum continetur, atque incluſum eſt. Hoc propter vim illam agiliſſimam motricem, adhuc aliam a ſapientiſſimo Conditore inſitam, ſeu innatam habet, quod nempe a rebus, & objectis externis diverſimode ipſis motus, & impulſus imprimi poſſit, quem jugiter cuſtodit, & retinet, & ſecundum quem etiam determinatos motus, & reactiones in machina cerebri, & organis ſenſoriis probe diſpoſitis inſtituit. Nam quemadmodum fluidum æthereum externum ab objectis viſibilibus, ſeu luce luſtratis reflexum determinato, & vix comprehenſibili modo objecta in camera obſcura, vel in ipſis ſpeculis repræſentat. Sic quoque internus ille æther, quia ejuſdem cum fluido eſt naturæ eundem motum ab objectis viſibilibus recipere, & membranis, & nervis opticis, & ſenſorio communi communicare debet, & ejuſdem objecti viſibilis imaginem exprimere. Et porro ſicut quælibet vox a ſpecifico, & determinato motu tremulo aerei fluidi fit, iſque etiam integer conſervatur, & per dura corpora repulſus echo conſtituit, non ſecus in membranis, & nervis acuſticis aereo-æthereum fluidum, ſimili motu, & impulſu affectum, eundem imprimit ſenſorio communi, & varias reſuſcitat reactiones, qui motus ſenſorio communi impreſſus, eſt illa ipſa idea, non vero mentis, vel entis rationalis fictio. Nam quot attinet ſenſum, & perceptionem animantium, quæ cogitatione deſtituuntur, in nullo alio conſiſtit, quam quod motus ſpiritibus animalibus, ſeu fluido nervorum impreſſus varius, pro diſpoſitione illa ſtupendi artificii divinæ machinæ cerebri, in aliis partibus motus ordinatos certa menſura, proportione, gradu, ad certum quoque finem, qui ex diverſo artificio ſtructuræ animantium varius eſt, & ad cujuſque ſpeciei conſervationem tendit, efficiat motus ſive reactiones, ſeu quod idem eſt, ideas in cerebro relinquat, quæ ſi rurſus in actum deducuntur, fit exinde cogitatio, & memoria, qua utique bruta cum homine inſtructa ſunt, & eandem quoque conformationem cum cerebro, & omnibus ſenſoriis organis habent; ſed principio illo, quod ideas pro lubitu repetere, invicem combinare, connectere, & inde concludere, & rerum naturas penetrare, atque diſtinguere, ſenſum veri, & juſti in ſe habere poſſit, quo præditi ſunt homines, plane carent. Animi itaque affectus, ut ira, cupiditas, & averſationes non animæ rationalis, ſed ſenſitivæ, quæ cum brutis nobis communis eſt, effectus atque producta ſunt, quod etiam jam a veteribus Philoſophis, inque primis

Præmittuntur quædam, & poſtea reſpondetur.

Anima ſenſitiva nil aliud eſt, quam fluidum aereo-æthereum in nervis contentum.

Ab objectis externis diverſa liquido nerveo imprimuntur.

Animi pathemata non animæ rationalis, ſed ſenſitivæ ſunt, quæ brutis communia ſunt.

De differentia Doctr. Stahl. & Hoffmann.

Animi affectus definitio. primis PLATONE notatum fuit. Sunt itaque affectus animi nil niſi peculiares a rebus, & objectis externis motuum impreſſiones in fluidum cerebri, & nervorum variæ atque determinatæ: quare non mirum eſt, ſi exinde vitientur & turbentur motus vitales, cordis præ- *In ira pulſus augetur.* ſertim, & tonus partium. Obſervamus nempe ab ira vehementius pulmonum, & cordis vaſa conſtringi, & motum ſanguinis augeri per u- *In metu, mœrore, triſtitia relaxatur.* niverſum corpus; in metu vero, & triſtitia nimis relaxari, unde pulſus fit languidus, debilis, vires, & tonus partium deſtruitur. In terrore vero animadvertimus, ſuperficiem corporis, atque partes extremas valde conſtringi, & ſanguis verſus interiora a circumferentia ad *In appetitu venereo etiam pulſus augetur.* centrum pelli. In appetitu venereo identidem increſcunt motus vitales, cordis, & arteriarum, atque magis ac par eſt, impetuoſiores fiunt, cor quoque incipit a veneris œſtro plus juſto palpitare. Videmus itaque clariſſime, fluidum illud puriſſimum ac ſubtiliſſimum cerebri ex quo prodeunt nervi. Collocamus non modo a DEO provenire vim moventem, & alia corpora fluida, ſed plane peculiarem aliis denegatam vim motuum impreſſam retinere, & ſecundum hanc ordinatos motus efficere ſecundum leges a DEO inſitas ſapientiſſimas in apta nempe & peculiariter diſpoſita pro varie- *Actus memoriæ, & imaginationis non ſolum a fluido nerveo.* tate animantium cerebri machina. Neque enim exiſtimandum eſt, actum memoriæ, & imaginationis tantummodo operationes eſſe fluidi nervei, ſed potius hi ipſi actus dependent a fluido illo intra cerebri tubulos artificioſiſſime compoſitos recte conſtitutos; unde videmus læſa cerebri ſubſtantia, eaque vel depreſſa, vel compreſſa ab humoribus extravaſatis memoriam ac imaginationem multum lædi in homine non ſecus, ac in brutis.

§. LXIII.

Affectuum animi deſcriptio. Affectus vero animi ſunt nonniſi depravatæ imaginationis operationes, quæ a mere mechanica diſpoſitione organorum, & fluidi nervei perverſo impreſſo motu ab objectis externis dependent; unde obſervamus ad terrorem, iram, timorem, triſtitiam, & multas perverſas phantaſias, hominem antea ſanum, per perverſam diætam, potus valde inebriantes, per medicamenta narcotica, & etiam per morbos, ut videmus in phthiſi, febrili æſtu, malo flatulento, & ſpaſmodico ſic dicto hypochondriaco, & hyſterico, præter voluntatem ex neceſſitate quadam quaſi coactiva perduci, & viciſſim etiam per bonam diætam, per congrua remedia, & morborum ſanationem prorſus tol- *Affectus animi non mentis operationes.* li, & auferri poſſe. Ex quo clare patet, affectus animi, qui cum brutis nobis ſunt communes, non operationes mentis, ſeu ſpiritus eſſe, ſed tantummodo principii materialis, & fluidi nervei in ſuis organis contenti, & perverſo motu impreſſo circumacti. Falſo itaque adſcribuntur morboſi, & perverſi vitales motus animæ rationali in homine, cum potius ſint actus mechanici, & principii materialis.

§. LXIV.

De ſede animæ diſquiſitio. Quæſtio jam incidit majoris momenti, in quonam videlicet commercium illud, quod animæ rationali intercedit cum corpore organico, in quo revera humanæ naturæ ratio, & fundamentum verſatur, conſiſtat. Hoc loco noſtra quidem firma, & rata ſententia eſt, ſa- *Auctoris ſententia exponitur.* pientiſſimum Conditorem voluiſſe, ut ſpiritus, ſeu mens in homine operationes ſuas, nempe actus cogitandi, ratiocinandi, judicandi, & libere agendi exſerat miniſterio imaginationis, & memoriæ, in brutali etiam corpore exiſtentis, quæ menti ſuppeditet ideas, ſeu veſtigia motuum per ſenſoria ab objectis impreſſorum, tanquam materiam cogitandi, diſtinguendi, judicandi; quapropter ſine uſu ſenſuum, memoriæ, atque imaginationis mens nullam vim, & operationem exercere poteſt; ſed tamen etiam id ſub certis legibus præſtat a DEO in ordine rerum, ubi una ſubſtantia in alteram agit, ſapientiſſime inditis; niſi enim actus ille imaginationis, qui fit a fluido nerveo in machina cerebri, ſenſoria etiam recte ſe habeat, ut videmus in morbis, & animi affectibus, mens in operatione ſua plane impeditur, unde ratio deliriorum, & inſomniorum petenda eſt. Supponit itaque mentis, & rationis operatio, etiam ſecundum veterum Medicorum, & Philoſophorum ſententiam, temperatum, & bene diſpoſitum cerebrum, nec minus organa ſenſuum recte conſtituta. Porro etiam commercium mentis cum corpore organico in eo conſiſtit, quod imperium quoddam, ſeu potentiam, limitatam tamen, in certarum partium motus habeat; cujus generis maxime ſunt artus, & muſculi, quorum motus voluntati animæ ſubjectus eſt, dum pro lubitu muſculos, & artus movere, thoracem quoque conſtringere, & dilatare, ſphincterem ani, & veſicæ aperire, & occludere poſſumus. Neque vero immediate hos motus efficit mens in hiſce partibus, ſed ſupponit organa motoria, ſeu muſculos decenter conſtructos, & conformatos, & influxu liquidi nervei, & arterioſi imbutos, ſeu perſuſos; & noſtra ſententia eſt, quod immediate agat in cerebrum, & fluidum, agiliſſimum, & ſimpliciſſimum, quod utique facilius regere, & dirigere poterit, quam corpus craſſum ſolidum, majoris molis, quæ ſententia eſt novæ hypotheſeos Auctorum, & Sectatorum. Attamen res ita concipi debet, ac ſi mens, ſeu ſpiritus hominis rationalis vires motrices fluidi nervei in naturam ſuam augere, vel minuere, ſeu novas, & alias creare poſſit, quod ſolius DEI, & miraculi eſt, ſed quod tantummodo talem limitatam potentiam habeat, vires fluido cerebri nervoſo, a natura inſitas, in certa loca, facta communicatione dirigere, vel diſſipatione eos a partibus divertere. Quomodo vero id ipſum peragatur, id utique ſuperat plane captum noſtrum, ſed tamen ab imbecillitate intellectus ad negationem rei minime valere conſequentiam, veriſſimum axioma Philoſophorum eſt. Nam quomodo agant ſpiritus in corpora, plane nobis incognitum eſt, licet in Scriptura ſacra, & experientia, & certis legibus adſtricta, fundata ſit; minime tamen ſpiritus habet talem potentiam in muſculum cordis, ſyſtema vaſorum arterioſorum, & excretoriorum, item in ventriculi, & inteſtinorum motum periſtalticum, ut pro lubitu ad partes dirigere poſſit, vel diſſipare ſpiritus, utpote qui actus vitales in manu Creatoris ſiti ſunt, & dependent ab ejus opere, ſeu mechaniſmo in natura rerum, ſeu materiarum fundato; Nihilominus nos etiam menti humanæ tribuimus quamdam potentiam in actus vitales, indirectam

directam tamen quandam, & mediatam, dum nempe homo pro lubitu manus, pedes, & artus movere poteſt; ejus in poteſtate eſt, rebus externis, ſine quibus vita noſtra conſiſtere nequit, ut aere, alimentis, & medicamentis vario modo utendi, vel etiam artus motu, & labore exercendi, vel otio, & quieti indulgendi. Porro etiam mens inſtructa firmis ratiociniis ex theologicis & moralibus fundamentis, potentiam quandam poſſidet, cupiditates, ſeu affectus animi ſic dictos per contrarias impreſſiones corrigendi, refrænandi, & occaſiones affectuum auferendi, & hæc eſt lucta illa ſpiritus cum carne, & dominium contra cupiditates, quod tantopere commendat ſacra Scriptura.

Lucta carnis, quid?

§. LXV.

Quod vero inſuper vis intelligens, & ratiocinans mentis, tanquam miniſterio, & inſtrumento liquido nerveo in cerebri tubulis, & membranis ejus contento utatur, ex eo utique luculenter colligere licet, quod ſub diuturnis, & profundis fatigationibus, cogitationibus, & intempeſtivis ſtudiis fluidum illud diſſipetur, minuatur, & inde robur, & vis motrix vitalibus partibus, nec non illis, quæ ſecretionis, & digeſtionis actibus inſerviunt, admodum ſubtrahatur, & hoc reſpectu nobiliſſima illa pars hominis, mens, ſanitatem corporis evertere poteſt.

§. LXVI.

Virtus plaſtica in fluido nerveo.

Præterea præter vim ſic dictam ſenſitivam, & imaginativam, adhuc alia fluidiſſimo corporis noſtri liquido virtus, & facultas ineſt, quæ recte dici poteſt organizans, ſeu ad mentem veterum plaſtica, qua ſimile organicum corpus modo certe ineffabili producitur. Sapientiſſimus enim rerum Conditor in principio rerum creatarum talem diſpoſitionem, & vim impreſſit ſimpliciſſimo, & ſubtiliſſimo æthereo maxime fluido, non modo animantium, ſed & vegetantium, ut quævis ejus vel minima portio imaginem non ſecus ac æther lucidus externus objectorum viſibilium, vel aeris fluidum determinatos ſonos totius mechaniſmi, & organiſmi partium ſuo efficaciſſimo verbo impreſſam recondat, & ſecundum hanc efformet, extendat, & viſibile corpus reddat; quæ virtus, quia divina eſt, utique captum noſtrum humanum plane exſuperat, & clariſſime de infinita, & enarrabili atque ſtupenda ſapientia, & ratione Creatoris teſtatur. Nam quot corpora organica, & ſpecies animantium, & vegetabilium ſunt, tot diverſi mechaniſmi ad certos fines conditi, non poſſunt non eximio declarare infinitam bonitatem, & ſapientiam ſupremi Opificis. Res ſane ſumma admiratione digna, quod illa vis organizans, ordinato nempe motu, ratione numeri, magnitudinis, figuræ, menſuræ, ſitus, & gradus agens, latiſſime diffuſa ſit, & in quavis etiam minima portione fluidi ætherei inhæreat; ut id aperte patet in vegetabilibus, dum minima particula radicis, vel folii vim multiplicativam poſſidet, ſed tamen in ſemine, quod ex copioſo fluido ſimpliciſſimo conſtat, maxime in actum ſeſe exſerat, ſub acceſſu caloris, & humidi congrui, quorum beneficio nutritio fit.

§. LXVII.

Conſtructio corporis non ut actus internæ cognitionis conſideranda eſt.

Neque vero hæc efformatio corporis organici tanquam actus internæ cognitionis, intentionis, rationis, & directionis ad certum finem intrinſece conſiderari poteſt; licet non citra ſapientiam, & rationem Creatoris qui ipſi vitalem vim impreſſit, exiſtat; quandoquidem illa vis plaſtica pure ſe habet paſſive a motu ordinato impreſſo dependens; unde fit, ut etiam in morboſis parentibus labes viſcerum imprimatur ſoboli, & perverſæ phantaſiæ actus fluido cerebri inhærentes vim illam organizantem turbare, pervertere, & ſimilem ideam vitali corpori imprimere poſſit, monſtroſis fœtibus id teſtantibus; quo magis etiam apparet fluidum nerveum quod in cerebro mutationem patitur, tranſire quoque in ipſum liquorem ſeminalem. Eſt porro res maximi momenti, quod illa deſideria, cupiditates, & diſpoſitiones, quæ in phantaſia hominis inhærent, ſub ipſo conceptu a parentibus in liberos tranſeunt.

§. LXVIII.

Actiones animæ ſenſitivæ ex neceſſitate mechanica.

Ex quibus jam clare apparere autumo, omnia in corpore humano, non excluſis etiam actionibus, quæ vulgo animæ ſenſitivæ aſſignantur, fieri ex neceſſitate mechanica. Utut vero ille mechaniſmus, qui in cerebri machina bene diſpoſita quoad actiones ſic dictas animales fit, longe ſubtilior, & ſublimior ſit illo, qui in actibus vitalibus perficitur. Nuſquam enim ullus mortalium ſpecialem nobiliſſimarum illarum partium uſum, eminentiarum, & monticulorum, ex quibus cerebrum compoſitum eſt, vel ratione, vel ſenſu rite penetrare poterit; quare in Medico, ut Medico hujus mechaniſmi animalis cognitio interior ſcitu minime eſt neceſſaria, nec magnopere ad artem faciendam ſpectat. Nam Medicus originem vitæ, & rationem, qua ſenſationes in cerebro fiunt, bene ignorare poteſt, cum ejus verum, & genuinum officium tantummodo ſit, vivum jam, & efformatum corpus in vitali, & ſano ſtatu conſervare, & omnis generis afflictiones, tam præſervatorie, quam curative depellere. Neque ſecus in Medicina ſe res habet, ac cum horticultura, cui deditus modum, quo planta ex ſemine fertur, ignorare commode poteſt, quomodo vero hæc ad fœcunditatem, & vegetationem perveniat, & quæ media ad ejus culturam ſint neceſſaria, minime ignorare debet. Verſatur itaque vera theoria Medica, in explicandis phœnomenis in hiſtoria vitæ, ſanitatis, & morborum occurrentibus, & quadrat, potiſſimum in eo, ut doceat, in quonam vitæ, ſeu motuum vitalium, corpus corruptibile conſervantium, conſiſtat ratio, & quæ ad vitam continuandam, & ſanam præſtandam conferant, vel contraria ſint. Jam vero ſupra a nobis ſatis demonſtratum eſt, vitam non niſi eſſe motum fluidorum progreſſivum, ſecretorium & excretorium per cor, & canales varii generis, beneficio motus eorum conſtrictorii, & dilatatorii, ſeu ſyſtoles, & diaſtoles reciproci; quo motu ſalvo, libero, æquabili, ac proportionato omnium functionum tam corporis, quam animæ adeſt integritas: Verum enim vero cum quotidie obſervemus functionum, tam animalium, quam vitalium, & naturalium in corporibus

Medicinæ cum horticultura comparatio.

Theoria Medicæ objectum.

Vitæ definitio.

humanis non eandem, & ſimilem eſſe naturam, ſed magnam differentiam, opus utique eſt, ut hujus differentiæ cauſſas indagemus. Notum utique eſt, neque vero negari poteſt, alios aliis eſſe vivaciores, robuſtiores, morbis minus obnoxios, & facilius quoque ex iis emergere; differre quoque actiones ingenii, animi, memoriæ, imo ipſos mores, & diſpoſitionem ad affectus, hominum quoſdam ad hos, quoſdam ad alios morbos eſſe proclives. Differunt quoque quoad actiones naturales, quod alii plus appetunt, digerunt, & facilius quoque ſuperflua egerunt, alii minus. Nonnulli a quibuſdam rebus externis, v. g. venæ ſectione, alimentis, vel medicamentis offenduntur; alii econtra noxas exinde ortas melius ferunt & ferre poſſunt. Veteres veris naturæ principiis, Phyſicis, & Anatomicis, ex quibus veræ demonſtrationes in rebus naturalibus confici debent, deſtituti, cauſſas effectuum ſolis nominibus explicare, uti contenti erant, ita quoque temperamenta hominum diverſa, quatuor nempe, quæ ſtatuerunt ex numero elementorum primarum qualitatum, & fictorum humorum quatuor, ſanguineum nempe, phlegmaticum, cholericum, & melancholicum, diverſitatis functionum in hominibus cauſſas allegarunt. Nos, repudiatis omnibus iſtis terminis, qui nil niſi maximam ſterilitatem explicationi rerum Medicarum attulerunt, ex differentia mechaniſmi corporum humanorum, id eſt diverſæ ſtructuræ ſolidorum, qua fiunt maxime motus, ſyſtoles, & diaſtoles; & progreſſivi fluidorum cauſſam hujus differentiæ adſcribimus. Conſtat enim quædam corpora, vaſa, ſeu canales, qui fluida vehunt, arterias præſertim, & venas valde capacia, ſed non adeo numeroſa poſſidere, alios valde exilibus, anguſtis, ſed numeroſiſſimis præditos eſſe; quædam etiam nervos, & tendines longe compactiores, & robuſtiores; nonnulla vero valde ſubtiles, & minoris magnitudinis obtinent. In quibuſdam fibræ totius corporis valdæ ſunt ſolidæ, tenſæ, teneræ, in nonnullis vero valde duræ, compactæ, in aliis vero ſunt molles, flexiles. Eodem modo ſe res habet, cum corde, arteriis, & reliquis canalibus, ex membranis valde elaſticis compoſitis, dum vaſa illa magis quoad ſubſtantiam ſuam ſint tenſa, ſtricta, teneriora, vel etiam craſſiora, vel magis flaccida, mollia, & denſiora, uno verbo, ad ſolidorum reciprocum motum elaſticum, & ſanguinis, atque humorum impulſum magis vel minus idonea. Inſtar regulæ vero fere univerſalis, ſeu axiomatis tenendum eſt, pro diverſo motu ſolidorum, & fluidorum variare functiones animi, & corporis; unde vulgo dicuntur cholerici, qui fibras habent teneriores, & ſtrictiores, magis tenſas adeoque elaſticas, unde celerior fit fluidorum motus; ſi vaſa ſimul habent capacia, magnum adhuc ſit robur, tum dicitur temperamentum cholerico-ſanguineum. Si fibræ illæ elaſticæ, ſtrictiores ſimul, robuſtæ, & compactæ ſunt, & vaſa capacia ſanguine plena, cholerico-melancholicum temperamentum, evadit. Si vero fibræ, & canales corporis ſunt paullo molliores, & flaccidiores, & vaſa valde copioſa, & exilia, impulſus fluidorum, & circulus ſanguinis debilior evadit, tunc dicitur temperamentum phlegmaticum. Si vero medio modo ſe habent canales, vel eorum elateres ut nec adeo validus, nec languidus ſit, ſed temperatior fluidorum motus, tunc exſurgit ſanguineum temperamentum, quod ſub majori capacitate vaſorum eſt ſanguineo-melancholicum. Melancholicum vero temperamentum vocatur, ſi canales ex fibris craſſioribus, durioribus, ſed minus elaſticis, & tenſis conſtructi ſunt, & vaſa adſunt majora, unde ſanguis tarde progreditur, ac humores facile ſpiſſeſcunt.

Authoris ſententia de temperamentorũ differentia exponitur.

§. LXIX.

Verum enim vero ſtructura hæc ſolidorum, ad motum & impulſum major vel minor proclivitas, non ſemper eadem manet per omnem vitam, ſed non parum immutatur ſucceſſu annorum, & per omnes ætates. Ita in ætate infantili fibræ corporis magis ſunt flexiles, molles, quarum elater creſcit in adoleſcentia: in juvenili, & virili ætate major fit, & majorem vigorem, robur, & tenſionem acquirunt. Succedentibus annis, atque in ſenectute fibræ fiunt magis craſſæ, denſæ, minus mobiles, compactæ, duræ, & vaſorum diametri minores, & cavitates anguſtiores, unde etiam clariſſime patet ratio, quare ſecundum ætates differant hominum mores, inclinationes, vires ingenii, diſpoſitiones quoque ad morbos, & ad ingeſta, & excreta diverſis modis actiones naturales ſe habeant.

§. LXX.

Morbi hæreditarii transferuntur in liberos.

Notiſſimum porro eſt, morbidas viſcerum diſpoſitiones, ipſaſque ægritudines, quibus parentes tempore conceptionis laborant, transferri in liberos; ita quod attinet ad morbos capitis, epilepſia, mania, melancholia, & apoplexia affectus ſunt hæreditarii; quoad morbos pectoris, hæmoptyſis, phthiſis potiſſimum a parentibus tranſcendunt quoque in liberos. Affectus ſpaſmodici ventriculi, & inteſtinorum, qui hypochondriaci mali nomine venire ſolent, identidem hæreditarii obſervantur. Hydrops, qui maxime ex labe viſcerum, potiſſimum pulmonum naſcitur, & calculus ex renum vitio, identidem morbis ex nativitate prodeuntibus accenſeri merentur. Videmus abortiones matribus familiares in filias tranſcendiſſe facili, & levi data cauſſa. Et articulorum dolores, arthritici dicti, maxime omnium ſunt hæreditarii, adeo, ut vix videas ullum ex podagra laborante genitum, qui non uti pater eodem morbo affectus fuerit. Fundamentum horum morborum minime in vitio fluidarum partium, ſed in vitiata ſtructura ſolidarum, & nativa quadam atonia, ſeu imbecillitate vaſorum, & membranarum nervoſarum conſiſtit. Et hæc quoque eſt ratio, quare hi morbi, accurata etiam obſervata diæta non ſileant, ſed procedente tempore prodeant, & levi errore admiſſo ſuſcitentur. Porro etiam quod difficillimam ſanationem admittant, ſed optima etiam remediorum genera eludant, eo quod non tam facile ſit, vitia in ſtructura ſolidorum hærentia emendare, & tollere. Minus itaque recte hi morbi tribuuntur ſecundum HELMONTIUM Archæo, aut vitali moventi principio, ſecundum ideas morbidas impreſſas ab ente immateriali, utut non negandum ſit hanc eſſe poſſe remotam, non vero proximam cauſſam hæreditariarum paſſionum.

Morbi hæreditarii ſanationem non admittunt, & quare?

Helmontii error circa hanc rem.

§. LXXI.

§. LXXI.

Mors inevitabilis mechanice demonſtratur.

Tandem quoque inevitabilis mortis ratio & cauſſa, cui omnes homines, & animantia obnoxia ſunt, unice adſcribenda eſt ſtructuræ immutatæ ſolidorum, quæ plane peculiaris eſt in ætate valde ſenili. Notum eſt in ſenectute vires ſucceſſive vacillare, atque debilitatem, & imbecillitatem ſenibus propriam tandem mortis cauſſam fieri. Notum porro eſt, quod nutritio pereat in ſenibus, ac ſuperficies corporis contrahatur, & facies rugis plena fiat, ingentemque impuritatem ſalino-ſulphuream ſanguinis, & humorum ſenilium affectuum maxime cauſſam ſeſe ſiſtere; quæ accidentia ſenibus, licet temperatiſſime vivant, tranquillo animo, optimo, & puriſſimo aere, & alimentis convenientis naturæ, menſuræ, & temperiei utantur, ſunt familiaria; manifeſto indicio, & morborum, & morbis, quæ ſenectutem ſequuntur, cauſſam non in fluidis partibus, ſed ſolidis radicatam eſſe. Si vero jam paullo propius intueamur, & conferamus ſtructuram ſolidorum in juvenili, & ſenili ætate, obſervabimus in ſenibus omnes ſolidas partes, ut oſſa, cartilagines, tendines, fibras, muſculos, nervos, membranas, ac vaſa longe duriora, & compactiora eſſe, & diametros canalium longe anguſtiores, cum in juvenili ætate hæ omnes partes magis ſunt flexiles, mobiliores, & poroſiores, leviores quoque. Jam vero ſupra a nobis demonſtratum eſt, totam compagem corporis noſtri eſſe canaliculoſam, & per eam continuam fieri fluidorum circulationem. Oſtenſum quoque eſt, per minima vaſcula organorum tam ſecretoriorum quam excretoriorum ingentem, & miram mutationem contingere corporis, dum per minimos diametros canalium fluida ſubtiliſſima, magnæ virtutis, & agilitatis, tranſeunt, v. g. per medullam cerebri, ſpinalem, & nervos, per teſtium quoque ſubſtantiam, & per emunctoria quoque excretoria, & glanduloſa, inutiles, & alienæ partes ſeparantur, & a vitali conſortio excluduntur. Hiſce itaque canalibus apertis, & nutritio, & robur partium omnium adeſt, & ſanitatis vigor. Cum vero, accedente ſenio, ob craſſitiem, & duritiem fibrarum, & tunicarum, minima vaſcula in cerebro, & præſertim nervis, necnon vaſa ſanguinea, quæ ad membranas vaſorum feruntur, & tubuli, qui ſuccum nutritium excludunt, anguſtantur, & clauduntur; facile apparet ratio cur vires motrices, & robur partium quæ non tantum a ſolidis compactis, & duris elaſticis, ſed fluido tenui ſanguineo, & nervoſo turgidis dependent, valde imminuantur; & quoniam excretoriorum tubuli, præſertim in cute, cum tempore etiam anguſtiores fiunt; hinc a retentis ſordibus excrementitiis, impuritas humoribus ſalſo-ſulphurea humoribus neceſſario accedere debet; hinc perit nutritio, & morbi oriuntur a ſalina colluvie humorum maxime deducendi. Equidem in ſenibus pulſus obſervatur longe durior, imo plenior, quam in viris, & juvenibus; id vero fit propter arteriarum majorem factam duritiem, & reſiſtentiam, & quia ſanguinis, & humorum copia in vaſis majoribus accreſcens, minimis occluſis, vehementiorem efficit diaſtolem; nihilominus vires admodum decreſcunt, & minuuntur; certiſſimo ſane argumento, virium robur non a ſolo ſanguine, vel ab elaſticitate fibrarum paſſiva, ſed ab influxu fluidi ſubtilioris in fibras elaſticas dependere, adeo, ut quo major eſt influxus fluidi, quod in cerebro, & medulla ſpinali ſecernitur, & per nervos vehitur, eo magis muſculoſæ fibræ vigorentur, & animentur; eo magis fit incrementum virium; quod unicum argumentum etiam ad exiſtentiam ſubtiliſſimi, & mobiliſſimi fluidi per anguſtiſſimos canales, quod vehitur, demonſtrandam, ſufficiens eſſe poterit. Si vero, ſecundum receptam a nonnullis hoc tempore hypotheſin anima eſſet cauſſa virium, profecto minime reddi poterit ratio, quare in ſenibus ſub fibrarum majori reddito robore, duritie, & elaſticitate non potius increſcat vis, & potentia motrix, quæ tamen in viris, & juvenibus longe major eſt ſub minori licet rigiditate nervorum, & fibrarum.

Contemplatio partium ſolidarum in ſtatu naturali,& præternaturali.

Quoniam vero nemo hominum augmentum, ſolidiorem, & compactiorem fibrarum ſubſtantiam, & inde dependentem canalium anguſtiam, evitare poteſt, jam ineluctabilis mortis cauſſa detecta eſt, quæ tantopere novæ hypotheſeos patronos, & ejus ſectatores torquet, & ſemper torquebit. Nunc vero etiam ex hiſce datis fundamentis eluceſcet ratio, quare homo unus præ altero poſſit eſſe vivacior. Ego ſane multoties obſervavi, cum inquirerem in decrepitis 80 annorum, vel ultra agentibus cauſſam longævitatis, hos ipſos non adeo duras partes, nervos, & tendines habuiſſe, ſed molliori etiam, & teneriori cute per omnem vitam gaviſos eſſe; uno verbo, a nativitate non valde compactas, ſed molliores habuiſſe fibras, vaſa quodammodo capaciora; quæ ſtructura ſolidorum in mollitie fibrarum, & vaſorum capacitate conſiſtens, ceteris paribus longævitatis cauſſa eſt.

Longævitatis cauſſa naturalis.

§. LXXII.

Medici poteſtas in fluida.

Ex modo dictis clare videmus, ſolidorum texturam, & ſtructuram, nec in poteſtate naturæ, nec Medici eſſe, ut pro lubitu eam mutare poſſit; ſiquidem nec fibras vulneratas, aut vi externa læſas, cicatricibus id teſtantibus, natura in priſtinum ſtatum reducere poteſt. Venit itaque in quæſtionem, cum ſolidorum actio ſine fluidis ſubſiſtere nequeat, imo ab iis ſuſtentetur, annon homo, vel Medicus, poteſtatem habeat in fluida corporis noſtri, ad vitam, & ſanitatem ſervandam, & ad morbos depellendos? quod utique nos aſſerimus. Videtur vero noſtra ſententia plane contraria eſſe, aſſertioni novæ, & pneumaticæ doctrinæ defenſorum. Hi enim cum ſtatuant, motus efficiendi potentiam ad vitam, & morbos neceſſarios, ſeu prærogativam, tantummodo adſcribendam eſſe principio vitali interno, immateriali, & rationali, hoc ipſo omnem detrahunt potentiam ipſis fluidis corporis noſtri, & tantummodo ſeu mobilia, & paſſive ſe habentia conſiderant. Quare etiam alimentis, ipſique aeri, quæ materiam conſtituunt ipſorum fluidorum, facultatem ad vitam, & ſanitatem ſpectantem, imo morbos efficientem denegant: inde fit, ut non adeo rigoroſe ſervandas eſſe leges diæteticas exiſtiment, cum experientia doceat etiam ſub magno errore in rebus non naturalibus hominem ſeu individuum rariſſime ægrotare, & magnam eſſe morborum infrequentiam, cum tamen ſi errata in diæta, ex abuſu harum rerum commiſ-

commiſſa, cauſſas morborum, & ipſos morbos efficerent, vix aliter poſſet fieri, quin homo ſemper adverſa valetudine teneatur; quod tamen non evenit. At vero noſtra hæc in experientia, & ratione ſolide fundata ſententia eſt; vitam, & ſanitatem, morbos quoque, & mortem, tum etiam præſervationem a morbis, & eorum curationem dependere, maxime, & potiſſimum a cauſſis mere externis corporeis phyſico-mechanicis, motu nempe, & diſpoſitione materiæ ad motum agentibus, & hæc ipſa potiſſimum eſſe aerem, ac ingeſta tam eſculenta, quam potulenta, ſolis animi affectibus exceptis. Nam hæc ipſa ſunt, quæ materiam, & pabulum ſanguini, & humoribus omnibus vitalibus ſupeditant. Hæc ſunt quæ conſtituunt, & modificant ſanguinis, & humorum maſſam, proportionem ac temperiem. Hæc ſunt, quæ fluida temperata, & apta ad motus, & functiones vitales per jugem, & calidum progreſſivum, ac inteſtinum motum procurant, intemperata, effœta, & inutilia reddita reſarciunt, & novos aptoſque vitæ ſuccos loco horum ſubſtituunt. Hæc quoque ſunt, ſine quorum uſu nullum animal diu vivere, vel ſubſiſtere poteſt; ergo neceſſe eſt, ut ipſis illis rebus magna ſit efficacia, & potentia in corpus noſtrum, ejusque vitales motus, ac functiones.

Vita, & ſanitas, morbi, & mors ex cauſſis corporeis phyſico-mechanicis dependent.

Aeris, & eſculentorum præſtantia.

§. LXXIII.

Fluidi nervei neceſſitas.

Supra a nobis oſtenſum eſt, fluidum nerveum, & ſanguinem in corde, & canalibus corporis noſtri, ipſis etiam in muſculis cauſſam eſſe ſyſtoles, ſive motus contractorii. Oſtenſum quoque a nobis eſt, reciprocam diaſtolen cordis, & canalium fieri a fluidis intra cavitatem eorum contentis, & hoc motu ſyſtoles, & diaſtoles totam œconomiam motuum reliquorum, & functionum gubernari; & quod ſolida maxime operationem debeant fluidis. Jam vero ipſa fluida certa in proportione, mixtione, & temperie conſtituta eſſe debent, ut motibus ſolidorum ſint apta: Quia vero hæc temperies, mixtio, & proportio non ſemper una eademque manet, ſed ipſo motu immutatur, & conſumitur, adeo ut ex humore utili & vitali, excrementum fiat, neceſſe utique eſt, ut, ſi humores in debita temperie, & proportione conſervari debeant, id ipſum fieri debeat per ingeſta, alimenta, ac elementa, quibus homini quotidie opus eſt. Cum vero horum diverſiſſima ſit natura, indoles, vis, & efficacia, oportet utique ea ſeligere, quæ proportionem, & convenientiam habent cum vitalibus noſtris ſuccis, & ea evitare, quæ eorum mixtioni, & naturæ contraria ſunt; & in eo utique conſiſtit totum fundamentum univerſæ ſcientiæ diæteticæ; quinimo ex hujus ſcientiæ neglectu origo vera morborum proficiſcitur. Placet itaque hæc paullo fuſius ob uſum plane inſignem deducere. Primo nempe certo certius eſt, nullum hominem ſine aere externo, corpus ambiente, ſine inſpiratione ejus in pulmonum viſcus vivere poſſe: nam ſubtracto animantibus aere, ut videmus experimentis, cum animantia in vacuo, per antliam pneumaticam facto, includimus, ſtatim perit vita, quæ tamen tempeſtive & paulatim admiſſo aere ſtatim reſtituitur; ergo ſumma eſt utilitas aeris ad vitam. Quæritur vero qua ratione id fiat? Quod autem apparebit, ſi primo conſideremus aeris fluido magnam ineſſe potentiam motus elaſticam, & expanſivam, quæ maxime apparet in Barometris, & Thermometris, & in rebus, ex quibus aer extractus, vel compreſſus eſt. Perſpicimus porro, quod in omnibus fluidis & alimentis inſit etiam fluidum aereum, in ſuccis animantium vim maxime elaſticam, & expanſivam exſerens. Jam vero porro notum eſt, ad vitalem motum progreſſivum ſanguinis, & humorum neceſſarium eſſe proportionatam ſyſtolen, & diaſtolen vaſorum & cordis, quæ in eo conſiſtit, ut diaſtole, ſeu expanſio cordis, & canalium a ſuccis intra eorum cavitatem contentis, non ſupra modum vincat, & ſuperet ſyſtalticam vim in ipſis tunicis nerveo-membranoſis, ex quibus vaſa compoſita ſunt. Neque etiam contra, tanta debet eſſe contractio, & ſyſtole, ut ab expanſione humorum intra cavitates non poſſit ſuperari, ſed ambo hi motus debent eſſe in æquilibrio poſiti. Quod ſi itaque aer externus, ſumma elaſticitate donatus, ſubtrahitur corporibus, internus ille, qui eſt in ſanguine, & ſuccis ſupra modum ſe expandit, & reciprocam ſyſtolen cordis, & vaſorum impedit, hinc mox ceſſat circulus ſanguinis, & cum eo vita. Præterea cum ſine reſpiratione, quæ in reciproca inſpiratione & exſpiratione aeris in & e pulmonibus conſiſtit, nullum animal perfecte vivere poſſit, & quod hæc ipſa cum vitali cordis motu pari ambulet paſſu: hæc ratio eſt; quia ſine admiſſo elaſtico aere in pulmonum ſubſtantiam, mere vaſcularem, & veſicularem, ſanguis a dextro cordis ventriculo non poteſt ad ſiniſtrum redire. Si vero hic ſanguinis affluxu, qui facit ejus diaſtolen, deſtituitur, neceſſe eſt, ut ejus etiam ſyſtole, & impulſus ſanguinis ad arterias ceſſet, ceſſat & ipſe circulus ſanguinis, & vita. Promovetur vero ſanguinis curſus per pulmones ad ſiniſtrum cordis thalamum per reſpirationem, inſpirato aere elaſtico, quo vaſa ſanguinea a calore ſanguinis nimis expanſa comprimuntur, & ſimul etiam ipſa vaſa ſanguinea minima, & innumerabilia, ex quibus pulmo compoſitus eſt, explicantur; hinc fit, ut ſanguis ex arteria pulmonali, ex qua propter valvulas ad dextrum ventriculum venire non poteſt, tranſeat in venam pulmonalem, & ſiniſtrum ventriculum. Quod vero ad circulum ſanguinis etiam auctiorem reddendum in univerſo corpore conferat reſpiratio, clariſſime ex eo patet, quod pulſus, & motus cordis, imo univerſi corporis calor augeatur, intenſiori facta reſpiratione, quæ fit maxime ſub magna exercitatione, corporis aſcenſu, & deſcenſu, atque etiam ſub intenſiori, & diuturna voce, ac ſermone.

Aeris neceſſitas.

§. LXXIV.

Quam utile vero ad vitales motus, ſyſtolen nempe, & diaſtolen ſolidorum, & circuitum ſanguinis, atque humorum moderandos, atque in debita proportione, & æquabilitate conſervandos aeris fluidum temperatum, & elaſtica vi præditum eſt, quod non modo per cibum, & potum, ſed & per nares, fauces, & aſperam arteriam, atque etiam per ſubſtantiam cutis poroſam, & tubuloſam, & ſolidas, & fluidas partes intus penetrat: tam inſenſum eſt quoque illud ipſum vitæ, & ſanitati invertendo motus ordinatos, ſi illud ipſum deflectit a ſua temperie, id eſt, ſi vel nimia humiditate,

miditate, calore, aut frigore excedit; vel etiam, ſi nimis leve, & rarefactum, vel nimis compreſſum, & grave eſt, vel ſi nimis exhalationibus, & vaporibus pravæ indolis repletum, vim ſuam elaſticam ferme penitus amittit, ut ad vitam, & reſpirationem tuendam plane fiat inutile; qualis vero corporum ad morbos diſpoſitio ex vario, & mutato atmoſphæræ fluido proveniat, vel ipſi morbi, qui certis anni temporibus, certis tempeſtatum conſtitutionibus, & certis locis ac regionibus, quaſi proprii, & valde familiares ſunt, (quorum catalogum graviſſimus Auctor HIPPOCRATES peculiaribus aphoriſmis Sect. III. quam optime complexus eſt) abunde teſtantur. *Barometri utilitas.* Res certe obſervatione digna eſt, quod pro diverſitate elevationis, ac deſcenſus argenti vivi in Barometro, corporis, imo animi functiones, & motus diverſimode ſe habeant. Non ſemel etiam, ſed ſæpius annotavimus, ægros convaleſcentes ſub argenti vivi demiſſiori ſitu, nec vires, nec appetentiam, nec ſomnum quietum, aut digerendi vim recuperare non potuiſſe, quæ omnia, facto altiori ſitu in naturalem mox ſtatum redire cœperunt. Obſervamus porro ſub demiſſiori ſitu argenti vivi in eodem inſtrumento, & vires ingenii, & corporis vacillare, fibras eſſe relaxatas, vaſa tumida; ſub altiori vero ſitu creſcit mox vigor actionum, ſtrictior fit habitus corporis, pulſus, qui antea languidus erat, robuſtior vegetior fit. Ecquis itaque eſt, qui negare velit cum fundamento, & ratione hiſce non ineſſe magnam vim, atque potentiam motus in corpore noſtro augendi, minuendi, immutandi, tam in vitæ, & ſanitatis tutela, quam etiam in generatione morborum, & eorum curatione? Neque hoc loco valet illa objectio, non in omnibus corporibus eandem vim, atque effectum obſervari, ſed ipſum principium vitale internum, & aeris, & alimentorum, & aliarum rerum externarum vim, & potentiam prudenter moderari, atque in certos fines dirigere. Verum enim vero utut rerum corporearum vires, & proprietates non ſunt abſolute, ſed ſemper relatione corporum, in quibus operationem exercent, nitantur, adeoque pro diverſitate corporum quodammodo varient; tamen, quod attinet aeris, & ætheris fluidum, longe efficaciſſimum, & penetrantiſſimum, ejuſque actionem, & operationem in corpora humana, id ipſum præ aliis rebus corporeis, quandam hac in re poſſidet prærogativam, ut non tam facile ejus virtus, licet quodammodo, poſſit immutari. Calor enim ſemper agit rarefaciendo, & expandendo ſolida, & fluida, cum frigus hæc ipſa condenſet, & comprimat; *[A]eris noxa* aer propter copiam exhalationum, præſertim ſulphurearum, ut fumi ſulphuris, carbonum, & fermenteſcibilis muſti, elaſticitate privatus ad reſpirationem inutilis, omnes omines necat; & omnia quoque animantia ſub nimis rarefacto aere, vel vires, vel vitam amittunt. Neque unquam has vires, & effectus moderandi, immutandi, aut aliter determinandi habetur ullum in nobis principium, quocunque etiam nomine veniat, & quanta energia ipſi aſſignetur.

§. LXXV.

[Al]imento-[ru]m tum [...]dorum [...]n flui-

Sunt vero & alia præter aerem ex rebus corporeis, quibus homo indiget ad vitales motus in machina conſervandos, & hæc ſunt ipſa alimenta, tam liquida quam ſolida, quibus maxima vis ad vitam, ſanitatem, & morborum curationem ineſt, & a Medicis ſolertiſſime addiſcenda. *dorum neceſſitas, & noxa exponitur.* Sicuti enim motus vitales ſubſiſtere, & continuare nequeunt, niſi corporis noſtri fluida, quæ qualitate longiſſime ſuperant ſolidas partes, in certa mole, ſeu quantitate, atque proportione ad vaſa, & fibras, quibus vehuntur, in certa quoque elementorum, quæ illa conſtituunt, temperie, mixtione, & craſi ſint conſtituta. Hæc ipſa autem omnia a quantitate, & temperie ingeſtorum dependeant, ita maxime convenit Medico ſcire, quænam tam copia, quam temperie fluidis iſtis vitalibus infenſa ſint, atque ad graves morbos diſponant. Plura enim ſunt, quæ ingeri poſſunt, & ingeruntur, quæ nimia mole peccant; plura ſunt, quæ nec cum ſanguine, lympha, aut chylo quoad craſin, & ingredientia analogiam habent, aut convenientiam, ut videmus in cibis magna in copia aſſumtis, acidis, ſalſis, acribus, præcalidis, craſſis, viſcidis, adſtringentibus, vel etiam nimis ſpirituoſis, quæ ad producendos morbos, præſertim chronicos, plurimum conferunt. Utut vero, ſi quis in diæta perverſa delinquat, non protinus experiatur damnum, & incurrat in morbos, tamen ex eo elici poteſt, hanc ipſam a Medico in generatione morborum attendendam non eſſe.

Cauſſa immediata, & proxima poſita, ponitur morbus.

Nam, quod probe inſtar regulæ tenendum eſt, cauſſa immediata, & proxima unica eſt, qua poſita ponitur morbus; ſed ad eam progignendam plures remotæ concurrere, & conſpirare debent, inter quas potiſſimum referuntur errata in diæta. Summa enim DEI Sapientia conſtitutum eſt, ut plures cauſſæ remotæ, quæ diſponunt, & faciunt ad morbum, concurrere debeant, nempe ex rebus naturalibus, ætas, ſtructura corporis, temperamentum, ſexus, vitæ genus, hæreditaria diſpoſitio, conſuetudo; ex rebus non naturalibus, aeris ſtatus, nec non ingeſta, animi affectus, motus, & quies corporis, aliaque, quæ omnia, cum diverſæ indolis, & virtutis ſint, ſæpius fit, ut alterum alterius vim nocentem corpori impediat; quod ſi non contingeret, utique homo ſemper ægrotaret. Ita, e. g. qui temperamento ſic dicto cholerico gaudet, inque juvenili, vel virili ætate conſtitutus eſt, & corpus motu probe exercet, alimenta acida, & quæ adſtringentis ſunt facultatis, innoxie ferre poteſt, neque ullo quidem pacto ab iis læditur. *Cholerici non facile afficiuntur ab acidis, & adſtringentibus.* Qui vero habitus ſunt ſpongioſioris, ut fœminæ, vel ſic dicti phlegmatici, & vitam degunt motus expertem, ab omnibus acidis, & adſtringentibus cibis mirifice læduntur, adeo, ut fœminas ad menſium ſuppreſſionem, & exinde prognatos graves, & diros morbos, præſertim ſi nimium iis delectentur, diſponant. *Phlegmatici autem facile ab illis læduntur, & in morbos incidunt.* Et adoleſcentes ejuſdem naturæ ad affectum hypochondriacum, infantes ad atrophiam, calorem lentum, ſenes vero ad dyſuriam, ſtranguriam, pruritum cutis, tormina, alvi obſtructionem diſponant. Veriſſime enim, & ſapientiſſime prodidit Parens Medicinæ HIPPOCRATES, naturas alias ad æſtatem, alias ad hyemem melius ſe habere, & nos quoque addimus, alias ad alimenta acida refrigerantia, alias ad calida ſpirituoſa, alias rurſus ad victum craſſum, durum, alias ad tenuem, & ſic in cæteris, melius vel deterius ſe habere; quare in præſcribendis regulis, & præceptis ad ſanitatem tuendam pertinen- *Hippocrates laudatur.*

tinentibus probe dignoſcere, & diſcernere naturas corporum oportet Medicum.

Qui non facile in morbos incidunt?

In genere hoc loco notari debet, ſanos, robuſtos, & validos homines, quales ſunt, qui corpora habent latis vaſis, & fibris validis, elaſticis, tenſis inſtructa; ſub qua ſtructura, & textura partium ſolidarum, liberius circulantur humores vitales, atque inutiles excernantur, non facile ægrotare; neque facile lædi a rebus externis, aere puta, & ingeſtis, ſed incongrua, quæ in uſum admittunt, expedite per excretiones e corpore ejiciuntur, ut nullam noxam inferre poſſint. Spectant huc maxime ætate juvenes, viri, & qui motu, & labore corpus exercent, atque affectuum intemperantia, & mentis fatigationibus vacui ſunt; qui utique non tam rigoroſe legibus diæteticis adſtringi debent: verum longe diſpar eſt ratio cum hominibus natura imbecilli, id eſt, ſtructura partium ſolidarum tenui, molli, exilibus, & numeroſiſſimis vaſis præditis, vel etiam in ætate infantili, vel ſenili conſtitutis; aut qui a præcedente morbo vires, & ſanguinem amiſere, aut qui ob morbum adhuc præſentem debiles, atque infirmi ſunt; qui utique a levi etiam errato in uſu ſex rerum non naturalium commiſſo, v. g. a vento boreali, aut ſole nimis fervido, vel tempore anni inſolito, nimis humido, vel pluvioſo, vel a levi animi affectu, & commotione, v. g. ira, terrore, cibo paullo largius ſumto, potu nimis ſpirituoſo, vel fœculento, acido, mox læduntur, & noxam, & mutationem in functionibus œconomiæ animalis percipiunt; quinimo diuturniori abuſu harum rerum noxiarum ad morboſas afflictiones non modo diſponuntur, ſed morboſæ jam diſpoſitiones invaleſcunt, affectus ſilentes revocantur; ut adeo ex hiſce clariſſime appareat, magnam ineſſe rebus hiſce externis ad ſanitatem tuendam, imo ad procreandos morbos, ad eos quoque perſanandos, imo ad mortem producendam, vel vitam protrahendam eſſe efficaciam, eamque eo magis a Medico attendendam, quo magis cum imbecillibus corporibus ipſi agendum ſit.

Qui facile in morbos incidunt, recenſetur.

Rebus ſic dictis non naturalibus magna ineſt efficacia ad ſanitatem, & morbos, & mortem.

§. LXXVI.

Neque etiam hoc aſſertum cum experientia reſpondet, rarius hominem ægrotare, contrarium utique teſtantur omnes imbecilles, qui modo a nobis deſcripti ſunt. Nam ſecundum facundiſſimi ipſius Celſi effatum, imbecillitas omnibus morbis patet; Qui ſpongioſum corporis habitum a natura habent, qui ætati juvenili, & ſenili proximi ſunt, qui mox a morbo convaluerunt, ipſæ quoque fœminæ, præſertim poſt puerperium, multis afflictionibus corporis expoſitæ ſunt, licet non ſemper lecto affigantur. Conqueruntur enim ſubinde de doloribus, rheumatiſmis, virium languore, ſomno inquieto, inappetentia, tuſſi, coryza, ventris torminibus, & ad laborem corporis, & ingenii minus idoneæ ſunt; quæ mala vitio cauſſarum mere externarum adſcribenda ſunt. Quod vero homo non omnibus morbis obnoxius ſit, id Sapientiæ Divinæ tribuendum eſt, cum multæ remotæ cauſſæ in unam immediatam, ſive proximam, conſpirare debeant, nec una ſufficiat. Non poſſum vero non hoc loco mentionem injicere aſſerti cujuſdam in Scriptis Stahlianis paſſim conſpicui, ex mille hominibus vix unum eſſe, qui ſphacelo moriatur, cum tamen ſanguis ad corruptionem valde proclivis ſit. Ego vero non erravero, ſi aſſeram, ex mille hominibus vix unum eſſe, qui non ſphacelo moriatur, non quidem partium externarum, ſed internarum; quod aſſertum clariſſime diſſectio corporum morbo acuto, vel chronico defunctorum teſtatur; cum ſemper corrupta, putrida, ſphaceloſa interna viſcera, & præſertim partes nerveæ, ventriculus, inteſtina, ſphaceloſis maculis tacta inveniantur; quod etiam ab aſſumto veneno fit, nec non in contagioſis morbis deprehenditur. Neque poſſum diffiteri, meam eſſe ſententiam, mortis non violentæ proximam cauſſam in putredine, quæ non modo ſolidis, ſed maxime fluidis ac tenuiſſimis, quæ in cerebro, nervis, & membranis hoſpitantur inſenſiſſima, & ad motus vitales deſtruendos aptiſſima eſt, ſitam eſſe. Rariſſime enim homo moritur a morbo, ubi non ſtatim poſt mortem fœtor, & putredo ſe ſenſibus manifeſtat: quod vero non æque fit in iis, qui vulnere aut alia violenta morte occubuere. Ex quo non obſcure colligitur, mortem ex morbis inſecutam, pro proxima cauſa agnoſcere feralem illam, & deſtructivam putredinem.

Puerperæ variis afflictionibus tentantur, plerumque a cauſſis externis provenientibus.

Homo non omnibus morbis obnoxius eſt.

Pleriqne homines ſphacelo moriuntur, contra Stahlium.

§. LXXVII.

Stahlii doctrina de morbis exponitur.

Quod attinet ad doctrinam de morbis, plura etiam ibi deprehenduntur, quæ quandam animadverſionem, atque indagationem paullo accuratiorem merentur. Statuit nempe celeberrimi nominis Vir, in morbis, ſeu motibus, & paroxyſmis morborum pugnam intercedere naturæ cum morbo, ſeu potius cum cauſſa morbifica. Eſt videlicet ea in ſententia, corpori noſtro, ejuſque partibus, præſertim ſolidis, ineſſe principium quoddam non tantum abſolute, & in ſe movens, ſed & ſubtiliſſimo ſenſu, atque notitia eorum, quæ in corpore ſunt, noxiorum, & quæ deſtruere, & corrumpere corpus apta ſunt, inſtructum, ut deinde morali quadam æſtimatione noxæ, vel damni ingruentis optimam habeat intentionem, hoc ipſum, ceu pernicioſum a corpore, motibus redditis intenſioribus removendi, atque foras e corpore ejiciendi, exinde colligit, morbos, & maxime febres, atque affectus ſpaſmodicos plus in ſalutem, quam in perniciem corporis tendere, & in ſe, & ſua natura ſalutares eſſe, utut natura non ſemper finem ſuum obtinere poſſit, vel quandoque in intentione mediorum aberret, aut plane abſiſtat ab omni conatu motus, ſi major vis, ac vehementia mali adſit, quam ea expugnare poſſit. Inde etiam porro fluit, dari quidem cauſſas materiales morborum, ſed non efficientes, & eas magis objective, & occaſionaliter, quam efficienter, & active agere. Verum enim vero primo omnium deſiderandum eſt, ut exiſtentia ejuſmodi principii, ſenſu, & æſtimatione earum rerum, quæ ſunt, & fiunt intra corpus imbuti, & quod intentionem, atque proæreſin habeat, claris argumentis demonſtretur; nam eadem facilitate, ac libertate, qua id affirmari, illud quoque negari, & rejici poteſt. Et profecto methodus demonſtrandi veritates id vult, & urget, ut primo omnium illud principium, ex quo deductiones rationales, & demonſtrationes fieri debent, in quadam doctrina, ſit quoad exiſtentiam, & modum concipiendi ſufficienter

ter probatum. Si vero quiſpiam urgere velit a poſteriori, & ab effectibus id clarum reddi, tunc certe reponimus, id ipſum ex morbis, ſeu motibus morboſis potius clariſſime apparere, nec ſcientia, nec prudentia, aut ſapienti intentione hos ipſos fieri, neque illud, quod movet interne, ejuſmodi requiſitis gaudere. Quandoquidem experientia quotidiana docemur, homines fere ſemper velle, & appetere ea, quæ vitali conſervationi corporis magis pernicioſa, quam utilia ſunt, ita, v. g. qui cholerici ſunt temperamenti, amant maxime ſpirituoſa, liquores inebriantes, calidos potus, immoderatas animi, & corporis commotiones, vigilias, cum potius eorum naturæ quam maxime conveniant ſedativa, humectantia, & refrigerantia, corporiſque quies. Melancholici contra delectantur otio, vita ſedentaria, potu parciori, cibis craſſis, & acidis, cum potius eorum naturæ parcior victus, potus largior, labor, & exercitatio corporis convenientiſſima ſit. Non diſpar eſt ratio cum fœminis, quæ identidem propter ſpiſſum, & copioſum, quem vehunt, & alunt ſanguinem corpus labore exercere, potum largiorem, & temperate ſpirituoſum aſſumere, & omnia frigida, acida, fructus horæos, dulcia, panificia evitare debeant; quod tamen non accidit. Quodſi itaque ipſa anima tam ſenſitiva, quam rationalis, in hiſce rebus aberrat, multo magis id judicandum eſt de iis, quæ ea ipſa quatenus intra corpus operatur. Porro etiam obſervamus, plurimos ex motibus morboſis, iiſque præcipuis, & vehementibus, minime ad ſalutem, & conſervationem corporis, ſed potius ad ejus perniciem, & deſtructionem tendere, & plane nullam convenientiam, æſtimationem moralem, vel rationalem intelligi poſſe; quod argumentum aliquot exemplis illuſtrare lubet; v. g. levis eſt illa vulneratio, & læſio, quæ fit in punctura nervi, & infelici ſectione venæ, nec non in vulneratione tendinis nervoſi, vel in infelici exciſione clavi pedis: nullius quoque fere momenti eſt illa attritio, lancinatio ureteris, quæ exoritur ex deſcenſu calculi per illum, vel quando a calculo in veſica detento ejus tunica quodammodo arroditur; neque cujuſdam peculiaris momenti eſt illa lancinatio, quam vermes in ventriculo, inteſtinis tam tenuibus, quam craſſis excitant, vel etiam illa punctura duræ matris, quæ fit a filamentis, vel feſtulis a cranio mediante percuſſione abſcedentibus, vel etiam punctura aciculæ improvide deglutitæ in ventriculum, aut ictus veſpæ in cute capitis, quæ damna omnia a recenſitis producta ad deſtructionem vitæ nullius momenti ſunt. Nihilominus ob has leviſſimas læſiones, natura excitat motus vehementiſſimos, ſpaſmos univerſi generis nervoſi, convulſiones, epilepſiam, anxietates, vomitus, extremorum frigora, ſæpius etiam ſphacelum, & mortem; qui motus, ſi non ſedati fuerint, corpus in vita conſervari non poterit. Deinde annotare licet, quod operatio illa, quam venena, ſeu narcotica, ſeu cauſtica, exſerunt, nociva, plane non comparanda ſit ratione noxæ cum iis motibus, qui venenum ſumtum ſequuntur, cujus generis ſunt deliria, epilepſiæ, lipothymiæ, interni ardores cum extremorum frigore, vehementiſſimi cruciatus, & anxietates præcordiorum, & primarum viarum, nam ex ſua natura necem poſt ſe trahunt.

[H]omines [m]agis ap[pe]tunt per[ni]cioſa, [qu]am utilia, uti [ch]olerici [sp]irituoſa, [&]c.

[M]elancholici cibis [c]raſſis, aci[d]is, potu [p]arciori delectantur.

[I]d quod & [i]n fœminis [o]bſervatur.

Leves vulnerationes nullius momenti recenſentur, quæ ſi non promte ſedantur, in mortem tranſeunt.

Inſuper nullo quidem pacto concipi poteſt, quare ſi excretiones rei noxiæ in corpore moliendæ ſint, ut bilis copioſæ, & cauſticæ in inteſtinis tenuibus, calculi in ureteribus, vel in ductu choledocho hærentis, ſpaſmi concitentur, qui vaſa magis anguſtant, & conſtringunt, ut excretio fieri nequeat; cum hæc ipſa non prius fieri poteſt, quam ipſi canales a ſpaſmo liberati fuerint; & fruſtra tantum, & in perniciem ejuſmodi motus cientur, nullius plane uſus ac finis; id quod fit in omnibus doloribus a cauſſa materiali ſuſcitatis. Præterea ſi tanta ſapientia vindicandi corpus ab interitu, & noxa, imbutum eſſet internum agens, quare materiam tartaream, ſalſam, acrem in doloribus arthriticis, podagra, chiragra, gonagra &c. ejicit ad ligamenta artuum, non vero mox per renes, ſeu commodum & congruum hujus materiæ emunctorium ejicit. Neque etiam concipiendum eſt, quare, ſi febres eſſent tam ſalutares in corporis conſervationem inſtituti motus, quare natura tantum apparatum motuum, & ſymptomatum plane noxiorum, ut ſunt conſtipatio cutis, ſudoris ſuppreſſio, alvi adſtrictio, & repulſus ſanguinis ad interiora, exceſſivus æſtus, vigiliæ, delirium, ſub quibus ſæpiſſime vita perit, inſtituat? & non ſtatim potius ab interioribus ad exteriora, ad habitum nempe corporis motus auctiores efficiat, augendo quidem ſyſtolen, & diaſtolen cordis, & arteriarum, ſed exterius relaxando, ipſamque cutim, ut eo facilius, & felicius materia, & quantitate, & qualitate pernicialis foras ejici poſſit. Quæ omnia ſufficienter docent, non elective, non ſapienter, non cum ratione, ſed potius erronee, confuſe, tumultuarie motus fieri in morbis, & non niſi mere per accidens, ſique a Medico moderantur, & diriguntur in bonum finem, ſalutares eſſe. Verum hoc argumentum infra paullo latius proſequamur.

Demonſtratur error naturæ, ſeu principii agentis.

§. LXXVIII.

Nunc accedimus ad illam ſententiam paullo accuratius perluſtrandam, qua aſſeritur, nimiam ſanguinis plenitudinem, quam Græci πληθώραν vocant, omnium fere, paucis exceptis, morborum veram, & materialem exiſtere cauſſam, quæ maxime exitium minetur corpori, atque ea propter ſapientem, & providam naturam optimo conſilio, & ratione omnes vires, ut eam amoliatur, removeatque, intendere, & extraordinarios quoſdam, & auctos motus inſtituere, qui ex parte ſunt febriles, ex parte ſpaſmodici particulares; illi eum in finem inſtituuntur, ut nimium abundans ſanguis, calido, auctiori, inteſtino motu conſumatur, atque in ſerum ſalſum excrementitium fatiſcat, & reſolvatur. Hi vero, nempe ſpaſmodici eo fine adornantur, ut ſanguis nimium abundans, & toti œconomiæ functionum vitalium turbationem minitans, ſincerus & purus per loca convenientia expellatur, v. g. in ſexu ſequiori per uterum, per nares in ætate puerili, in virili vero, & ſenili per ipſas ſedis venas, ſeu per hæmorrhoidales; adeoque exinde colligunt, omnes naturæ conatus, & motus, atque molimina, quæ vulgo pro morboſis, & paſſivis habentur, non modo eſſe ſalutifera, ſed & potiſſimum eo tendere, ut nimia ſanguinis abundantia, ceu fœcundiſſima morborum, & exitii procreatrix, vel per reſolutionem febrilem,

Clariſſimus Stahlius adſtruit plethoram omnium (paucis exceptis) morborum cauſſam.

vel per ſanguinis effuſiones, ſeu per hæmorrhagias minuatur, quo facto, mox etiam omnia incommoda ceſſent, & integer functionum ſtatus redeat.

§. LXXIX.

Plethora unice cauſſam omnium morborum adſcribere repugnat rationali medicinæ, id, quod variis exemplis demonſtratur.

Verum enim vero quamvis ſanguis ſupra modum exundans, atque in vaſis congeſtus, mediatam cauſſam plurimarum, præſertim chronicarum, paſſionum præbeat, & frequentiſſime primum fundamentum, atque initium fit, a quo deinde plures affectus vitioſi in corpus redundant, ſeu pluribus morboſis affectionibus occaſionem, & anſam ſubminiſtret, quin etiam ſæpiſſime cauſſa ſit ſpaſmorum tam febrilium, quam ad hæmorrhagias tendentium, ſi nempe in partibus congeſtus ſtagnet, vel ſtatim concipiat; ſed tamen plethoram, ceu immediatam, & proximam cauſſam omnium morborum venditare velle, eandem unicam, id eſt, quod maxime experientiæ, & medicinæ rationali repugnat. Nam hoc loco probe notari velim, Celeberrimum Auctorem in pathologia, ſeu doctrina de morbis propemodum omnes potentias ſalinas, acidas, ſapidas, & ſulphureas, ceu morborum cauſſas materiales, vellicantes, & irritantes fibras nerveas rejicere, atque in exilium proſcribere. Ego vero facile demonſtrabo, a ſanguinis defectu plures oriri morbos, quam ex ejus nimia abundantia, imo plus periculi vitæ imminere; in promptu nempe ſunt exempla, ubi homines ſani, & robuſti, ſanguine, & humoribus pleni, ut ruſtici, plebeii, & opifices citra ullas ſanguinis miſſiones, vel ſanguinis excretiones, vel hæmorrhoides, per omnem vitam optima fruantur valetudine, fere penitus immunes a morboſis affectionibus. Deinde quotidiana, & indubia confirmat experientia, & obſervatio, graves, & periculi pleniſſimas ægritudines eos ſubinde ſequi, qui modo ex morbo, ſeu febre acuta continua, vel intermittente, aut gravi hæmorrhagia per puerperium, abortum, vel per vulnerationem gravem emerſerunt, cujus generis ſunt phthiſis, lenta febris, tumores œdematoſi, hydrops, affectus ſpaſtici, colici, hypochondriaci, hyſterici, cum tamen certiſſimum ſit in iis corporibus plus deficere, quam excedere ſanguinem, eumque per nimias profuſiones, & febrem eſſe conſumtum. Neque ignotum eſt, ipſam peſtem, alioſque peſſimæ indolis morbos iis in corporibus, quæ ob famem, & labores parum ſanguinis in vaſis continent, facilius adoriri, & vim ſuam malignam in proſtratione virium plus exſerere, quam in ſanguine plenis; cujus rei teſtes eſſe poſſunt morbi caſtrenſes, circa finem maxime autumni infeſtantes, cum per æſtatem, per fatigationes corporis, vigilias, alimenta corrupta, & ad ſanguinem bonum ingenerandum inidonea, ſanguinis, & humorum bonorum maſſa penitus depauperata eſt. Inſuper teſtatur experientia, plurimos morbos ab immoderata affectuum intemperantia, ira præſertim, terrore & triſtitia, item ex nimio frigore admiſſo, vel frigido potu largiori ſudanti corpori ſuperingeſto, vel ſubita aeris, & cœli mutatione ſuboriri, citra ſanguinis, & humorum exuperantiam. Denique quando conſideramus eos morbos, quibus ſubinde affligitur homo, & qui plurimum regnant, multumque faceſſunt negotii Medicis, eſſe epidemicos, qui maxime ex inſolita temporum, tempeſtatumque conſtitutione, ac ſubita mutatione naſcuntur, uti ſunt variolæ, morbilli, & omnis generis febres, catarrhales benignæ, & malignæ, intermittentes, & continuæ, bilioſæ, & lentæ, purpuraceæ, diarrhœæ, etiam dyſenteriæ, facile apparet, horum originem nullo quoque pacto a ſanguinis, & humorum quantitate, ſeu potius a prava qualitate deduci poſſe. Eadem eſt ratio cum morbis certis locis ob peculiarem victus rationem, vel aeris ſtatum, vel aquarum impuritatem propriis, qui non tantum plethoricos, ſed & alios minus ſanguine abundantes invadunt non ſecus ac epidemici. Quot morbi propagantur per contagium nullo habito reſpectu ad ſanguinem, ut videmus in peſte, petechiis, variolis, morbillis, dyſenteria, lue venerea, ſcabie maligna. Quam graves, dolorificæ, & ſpaſticæ affectiones ſunt, quæ a vermibus, calculis tam in veſicula fellea, quam in veſica urinaria hærentibus, necnon retentis flatibus, proveniunt, & corpora ſanguine minus plena, æque ac eo referta omnibus morborum generibus divexant, miſerrimaſque toti œconomiæ vitali paſſiones inferunt.

Caſtrenſium morborum genius.

Plurimi morbi a rebus non naturalibus ſuam ducunt originem.

Subita temporum mutatio epidemiorum cauſſa.

Peculiaris victus ratio, vel aeris ſtatus, vel aquarum impuritas abſque ſanguinis infectione morbos creant.

§. LXXX.

Plethora non eſt univerſalis morborum cauſſa.

Nihil vero magis huic ſententiæ, plethoram eſſe univerſalem fere morborum cauſſam, adverſatur, quam quod ſubinde videamus ex nimia, vel enormi ſanguinis, aut humorum profuſione, v. g. menſium in fœminis, aut hæmorrhoidum in viris longe majora mala, & pericula imminere, quam ex menſium, vel hæmorrhoidum retentione; nam propter ſummam virium imbecillitatem, quæ exinde in omnibus actionibus viſitur, preſſo pede ſequentem, quandoque celerrime, enormiter, & cum impetu fit ſyncope, imo convulſio ſæpiſſime invadit. Si vero ſanguinis profuſiones nimiæ diutius affligunt, tumores œdematoſi, cachexia, hydrops, tabes, hectica ſubſequuntur; neque tantum nimiæ ſanguinis profuſiones, ſed etiam immoderatiores aliorum humorum excretiones ad parandos morbos valde proclives ſunt; ita, v. g. nimio urinæ in diabete profluvio, ſalivæ in imprudenti adminiſtratione mercurialium, vel etiam ſudoris colliquativi, in corporibus imbecillibus; aut nimia ſeri viſcoſi per uterinas glandulas in fluore albo, aut liquoris ſeminalis in viris per pollutiones nocturnas, excretionibus aut lymphæ nutritiæ, ſeu ſynoviæ in vulneratis articulis, vel ſeri excrementitii, vel fœcum alvinarum excretionibus, præter ſummam virium debilitatem, & languorem corporis, febres lentæ, hecticæ, atrophia, cachexia, & hydrops ſuccedunt.

§. LXXXI.

Salia peregrina non ſunt generalis morborum origo.

Quod attinet vero illud dogma: pathologiam falſam, ſeu ortum morborum ex ſalinis, peregrinis qualitatibus, & potentiis, e foro medico fere omnino exterminandum eſſe: fatemur & hanc ſententiam plane repugnare omni experientiæ. Neque vero poſſumus ire inficias, quoſdam Theoriæ Medicæ Scriptores in recentiori ævo, poſthabitis fere omnibus aliis morborum cauſſis, v. g. plethora, & motuum vitiis perperam morborum fere omnium cauſſas a ſalibus, v. g. ſale acri, ſalſo, acido, ſpecifico,

cifico, & omnis fere generis ſalinis, ſulphureis, & ſtimulantibus, ac irritantibus potentiis, vel ut BONTEKOE, & ejus aſſeclis placuit, ex acido, & viſcido derivare voluiſſe, & in eo plurimum aberraſſe; maximeque quod ſalia ejuſmodi peregrinæ indolis pro cauſſis morborum proximis habuerint. Ex eo tamen minime ſequitur, ſalinas varii generis potentias in pathologicis, ſeu ad generationem morborum, vel cauſſarum morbificarum proximarum, & ſymptomatum plane non eſſe attendendas.

Natura animantiũ temperatis gaudet ſuccis.

Nam ipſa natura animantium gaudet valde temperatis, nulla exceſſiva, & ſenſibili qualitate præditis ſuccis, qui tantum ad nutrimentum, texturam, & augmentum partium pertinent; ea propter humores vitales a ſordibus ſalinis, quæ per ingeſta corpus ſubeunt, vel motu inteſtino calido producuntur, per varii generis emunctoria educendis, v. g. per alvum bilioſis ſuccis, per urinam humoribus aqueis, ſalibus craſſioribus, per ſubcutaneos tubulos ſubtilioribus ſalibus imbutis, occupata eſt natura: & hæ excretiones ad tuendam valetudinem ſummopere ſunt neceſſariæ. Ecquis itaque eſt, ex hoc argumento, qui non ſatis clare perſpiciat, excretionibus hiſce ſuppreſſis, vel imminutis, & retentis hiſce ſordibus, quod fit in malo ſcorbutico, cachectico, vitiari inde benignam ſanguinis, & humorum craſin, & peſſima inde ſuboriri mala, unice ab intemperie illa ſalina impura humorum deducenda, ut ſunt defœdationes, & exulcerationes cutis, ut ſcabies, herpetis genera, vel etiam ulcera cacoethica, tendines, ac oſſa arrodentia, gingivarum eroſiones, ac putredines, pruritus cutis, tabes, & atrophia partium, dolores rheumatici, ſeu arthritici, vehementiores capitis quoque; quæ cuncta ſymptomata ceſſant, emunctoriis reclusis, excretionibus reſtitutis, & adhibitis medicamentis, quæ acrimoniam ſalinam demulcent, diluunt, & ad excretionem promovent; quæ omnia nomine ſanguinem depurantium, vel edulcorantium nomine vulgo veniunt, quo ſpectat maxime lactis, ſeri lactis, & aquarum mineralium conveniens uſus. Deinde quod graves affectus ex intemperatis, & ſalina qualitate peccantibus humoribus proveniant, nemo negabit, qui vel leviter tantum in artis exercitio verſatus eſt; omnes enim fere morbi infantiles, præſertim qui lactantes exercent, & ad mortem eos præcipitant, ut ſunt, tormina atrocia ventris, febres, convulſiones, epilepſiæ, aſthmata, tuſſes ferinæ, & clangoſæ, ſuffocativæ, corroſivis acidis humoribus prima in regione collectis, & bilem more fortiſſimorum acidorum viridem reddentibus debentur; & certe medendi iis morbis ratio potiſſimum in eo verſatur, ut corrodentes illi humores contemperentur, & per convenientia, cujus generis ſunt alcalina, remedia, corrigantur. Si porro conſideremus, quanta incommoda, & mala ſuboriantur ex bile corroſiva, & acriori reddita, v. g. paſſiones cholericæ, diarrhœæ, dyſentericæ, fluxiones inteſtinorum, eroſiones, continui ſtimuli ad egerendum, ſeu teneſmi; & ex acrimonia, hac ſæpe producuntur inflammationes ventriculi, & inteſtinorum cum febre: ultro fatendum eſt non in quantitate, ſed qualitate perverſa hærere vitium humorum & ſanguinis. Dolores rheumatici, arthritici a ſero acri extravaſato, & membranas muſculorum, & artuum arrodente fieri, vel ex eo clarum evadit, quia hi

Excretionibus naturalibus ſuppreſſis, vel imminutis ſanguinis, & humorum craſis vitiatur.

Serum lactis, & aquæ minerales ſanguinem edulcorant.

Infantum lactantium morbi ab acidis humoribus plurimi oriuntur.

Alcalinorum in infantibus uſus.

Bilis acrimoniæ morbi.

Rheumatiſmi, & arthritidis cauſſa.

Medela.

hi morbi non rectius tolluntur, quam copia humorum diluentium, & demulcentium, ut aquarum mineralium, lactis, ptiſanæ copioſius hauſtæ, vel etiam infuſis herbarum cum aqua factis. Deinde quod omnia ſalita, acida, acria, ſalſa ingeſta hos dolores augeant, quo etiam pertinent dolores capitis, item odontalgici. Denique tophaceæ materiæ intra articulos genitæ, & calculi renalis, vel veſicæ, quo ſubinde excipiuntur ejuſmodi dolores, ſatis claram noſtram reddunt aſſertionem. Morbi, qui ætatem ſenilem comitantur, potiſſimum a vitioſis, & excrementitiis ſalibus, maſſam humorum deturpantibus, ſuum trahunt ortum, ut ſunt pruritus totius corporis, ſicca ſcabies, dyſuriæ, ſtranguriæ, ulcerationes, cancri, quæ ſane difficilem admittunt curationem & partium ſanationem; ariduræ, contracturæ, alvi frequentiores fluxus, ventris tormina, difficiles conſolidationes vulnerum, vel fractorum oſſium ob deficiens temperatum nutrimentum, teſtantur.

Lædentia.

Senum morbi a vitioſis ſalibus ortum ducunt.

Morborum ſenum curandorum difficultas.

§. LXXXII.

Salium in corpore humano maxima potentia.

Quanta vero vehementia, & potentia inſit ſalinis corpuſculis ad univerſi corporis œconomiam motuum pervertendam, & deſtruendam teſtantur venena corroſiva, & purgantia fortiora ſive acriora, quæ arrodendo tunicas nerveas ventriculi, & inteſtinorum, funeſta, inque foro medico ſatis nota ſymptomata producunt; quinimo exterius acres liquores infuſi partibus nervoſis, v. g. ſauciatis, vehementes dolores, ſpaſmos, imo febres, & convulſiones teſtantibus ab hiſtoriis, quas maxime collegit FABRICIUS HILDANUS, inducunt.

§. LXXXIII.

Dictum fuit ſupra ab imminutis, vel cohibitis excretionibus ingentem impuritatem, atque intemperiem, quam Græci Κακοχυμίαν vocant, humores vitales contrahere; verum ex omnibus excretionibus nulla eſt, quæ tam ſubito, & graviter naturalem ſanguinis, & humorum craſin alteret, & plane alienam, & impuram reddat, quam ſecretio bilioſi ſucci in hepate variis ex cauſſis ſufflaminata; quatenus nempe hic ipſe humor regurgitat ad ſanguinem, & lympham, & ſubito perverſo colore, ac hoſtili qualitate illum contaminat. Neque ignotum eſt, quam graviter in ictero functiones corporis fere omnes lædantur, dum vires elangueſcunt, appetentia ciborum emoritur, ſomnus fit inquietus, nutritio perit, urina flavum ſuum colorem mutat in brunum, alvus fit ſicca, & adſtricta, tota cutis flavo colore, & pruritu tingitur, & omnis animi vigor perit; quæ cuncta ſymptomata non aliam certe cauſſam agnoſcunt, quam ſubito introductam humorum intemperiem. Si vero icterus flavus degenerat in nigrum, quod fit, ſi impuritas illa bilioſa additione pravorum ſuccorum, præſertim acidorum, pejor redditur, ſymptomata adhuc acerbiora fiunt, videlicet virium languor increſcit, ſomni adeſt defectus, ulcera cacoetica partes externas occupant, eryſipelas, quæ non raro in ſphacelum abit, partes externas occupat; quandoque etiam hæmorrhagiæ funeſtæ per nares, gingivas, & per anum ſequuntur; quæ omnia ſatis abundeque declarant, ac teſtantur, non ſolam quantitatem humorum

Secretio bilis in hepate ſufflaminata ſanguinis, & humorum craſin alterat.

In ictero fere omnium functionum læſio.

Icteri flavi in nigrum degenerantis ſymptomata atrociora.

morum nimiam, ſeu plethoram ad cauſſas morborum formandas ſufficere.

§. LXXXIV.

Intemperata etiam copioſe aſſumta non facile ſanos lædunt. Ad contrariam ſententiam evincendam hæc afferri ſolet, quod nempe teſtetur quotidiana experientia ab ingeſtis, etiam valde intemperatis, atque copioſis, dulcibus, acidis, ſalſis, acribus, ſpirituoſis quoque, & calidis, in cibo & potu, non lædi facile ipſam valetudinem, ſed plures hæc ipſa plane innoxie ferre poſſe.

§. LXXXV.

Verum ad hæc ipſa reponimus illud tritum, *ſanis omnia eſſe ſana*, id eſt, non facile ab intemperatis, & naturæ humanæ etiam inimicis ſanum hominem lædi. *Vera ſanorum conſtitutio.* Per ſana vero corpora intelligimus ea, quæ ſunt viribus robuſta, quæ probe ingerunt, digerunt, & quod maximum eſt, probe egerunt, ita nempe, ut menſura egeſtorum in perfectioris ætatis hominibus menſuræ ingeſtorum reſpondeat, ſeu æqualis ſit. Itaque illis hominibus non facile nocent, niſi in nimia, & repetita quantitate intemperata cujuſcunque generis ſunt, in cibo, & potu ſumta. Nam mox beneficio vigoris motus, qui in corde, & canalibus viget, qui in ventriculo, & inteſtinis exiſtit, rurſus e corpore rejiciuntur, & quidem maxima ex parte per alvum. *Cibi ſalſi, dulces, acidi, pingues, & acres alvum ſtimulant.* Accedit, quod cibi intemperati, ſalſi, dulces, acidi, pingues, acres facultate præditi ſunt alvum ſtimulandi. Contra vero obſervamus quotidie, & certa, & indubia experientia docet, hæc ipſa, præſertim in paullo majori copia, quammaxime infirmis, & imbecillioribus corporibus nocere, adeo ut vel ipſos morbos ingenerent, vel diſpoſitionem ad eos efficiant, vel morbum accedentem benignum periculoſum, & malignum reddant. *Cibi omnis generis in majori copia aſſumti debiles lædunt.* Per imbecilliora vero corpora intelligimus ea, quæ male egerunt, maxime per alvum, & ſubcutaneum cribrum; unde humores in corpore ſubſiſtunt, & accumulantur, & mora pejorem indolem contrahunt. *Debilium indoles.* Et hæc potiſſimum ſunt ea corpora, quæ natura, ſeu a nativitate debilia, vaſis exilibus, & fibris laxis prædita, & a morboſis parentibus genita ſunt; ſexu vero imbecilliores ſunt ſemper fœminæ præ viris; ætate infantes, & ſenes.

§. LXXXVI.

Ex omnibus vero intemperatis quammaxime valetudinem offendunt, & ad morbos diſponunt, eoſque præſentes exacerbant, vel recidivas ingenerant, nimis calida, & ſpirituoſa; quæ capiti, & ſyſtemati nervoſarum partium admodum ſunt inimica, & ad morbos capitis, & nervorum valde diſponunt, ut ſunt apoplexia, mania, vertigo, affectus ſoporoſi, lethargus, in juvenili ætate motus convulſivi, epileptici; *Spirituoſa & acida genus nervorum, & caput corrumpunt.* Nimius quoque abuſus ſpiritus vini polypoſas concretiones in vaſis majoribus cordis, & pulmonum ingenerat, & hinc graviſſimas chronicas paſſiones, ut aſthma convulſivum, hydropem pectoris, phthiſin, hæmoptyſin, aſciten, vel etiam peripneumoniam ingignit. *Spiritus vini abuſus polyporum genitor.* Acidorum vero, tam in cibo, quam potu abuſus ſexui fœminino propter menſium negotium, ad quorum inordinatum fluxum, & ſuppreſſionem multum facit, nec non iis, qui ad hæmorrhoides ſunt proclives, ſenibus quoque, & qui vitium in pulmonibus habent, valde eſt inimicus propter vim conſtrictivam, quam partibus ſolidis, & coagulantem fluidis affert. *Acida fœminis, hæmorrhoidariis, ſenibus & pulmones debiles habentibus nociva.* A victu nimis duro, & diæta ſalſa, viſcera valde læduntur, maxime vero hepar, & lien, atque pulmones, quæ a craſſo, & lento ſanguine infarcta, obſtructa, cachecticum, & ſcorbuticum morbum ingenerant, atque ad hydropen, icterum non minus flavum, quam nigrum, quartanam, morbum ſic dictum nigrum Hippocratis diſponunt. *Diæta ſalſa viſcera lædit.* Et profecto plurimi morbi, qui certis locis ſolennes ſunt, & Græce Ενδήμοι dicuntur, ab intemperato victu, & potus vitio, aere excepto, recte derivantur; quæ omnia tam clara, & perſpicua ſunt, ut nulli dubitationi de generatione morborum ex prava intemperie, & exceſſiva qualitate alimentorum, locus amplius remaneat. *Intemperatus victus endemiorum cauſſa.*

§. LXXXVII.

Cum vero in univerſa medica doctrina vix ulla difficilior ſit res, & quæ pluribus diſſenſionibus obnoxia, ad praxin tamen cognita, ſumme utilis, & neceſſaria ſit, quam ea, quæ morborum generationem ex cauſſarum morbificarum ſerie, natura, & operandi ratione, recte, & perſpicue tradit, ac evolvit; placet paucis, accurate tamen, & ſolide ſententiam noſtram hoc loco explicare, ut quiſque intelligere poſſit, quo fundamento pathologiæ noſtræ veritas, & therapiæ ratio fundata ſit. *Vera therapiæ mens aperitur.*

Nos itaque dicimus, cauſſas illas, quæ motus ſecundum naturam corporis noſtri invertunt, & functiones lædunt cujuſcunque etiam naturæ, & generis ſint, afficere principaliter eas partes, quibus magna vis, & potentia ineſt motrix, & ſenſationis quoque, & a quibus maxime illa vis, & facultas activa, ſyſtoles, & diaſtoles, ſeu contractionis, & dilatationis, quæ in corde, & toto ſyſtemate vaſorum viget, per quæ fiunt, progrediuntur, & circulantur fluida, dependent, & hæ ſunt maxime nervi, membranæ, atque ex iis vaſa, & canales conſtructi. *Cauſſæ morbificæ maxime afficiunt partes motu, & ſenſatione gaudentes.* Inter has partes, & canales quoque ſenſu, & motu exquiſitiori præditas, eminet maxime ille magnus canalis alimentarius, qui a faucibus tendit uſque ad anum, & œſophagum, ventriculum, & totum inteſtinorum volumen complectitur. Hic tono, & motu ſuo, qui dicitur periſtalticus, contractorio, & dilatatorio reciproco gaudent, qui maxime actionibus naturalibus, alimentorum ſolutioni, digeſtioni, diſtributioni chyli, & impurarum partium excretioni præeſt. In adminiſtratione actionum vitalium, quarum integritas ex moderato, & æquabili pulſu, calore, & perſpiratione, ac reſpiratione quoque dignoſcitur, cor cum toto ſyſtemate tubulorum, qui fluida vehunt, atque impellunt, ac ſyſtoles, & diaſtoles motu gaudent, ſuam potentiam maxime mutuantur a nervis, eorum fluido, & tunicarum nervearum elatere. *Actionum vitalium integritas a moderato pulſu, calore, perſpiratione, & reſpiratione habetur.* Denique actionum animalium integritas, quæ maxime omnium ex ſomno placido, tranquillo animi habitu, & ab omni affectu, & moleſtia vacuo cognoſcitur, debetur maxime nervoſis tunicis, quæ cerebrum, ſpinalem medullam, & organa ſenſuum inveſtiunt.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Syſtema nervoſum bene conſtitutum ſanitatis cauſſa. A partibus nervoſis male affectis habetur functionum læſio.

Si itaque omnes hæ dictæ nervoſæ partes, ac tunicæ, atque canales ex iis compoſiti, recte ſunt conſtitutæ, id eſt, in moderato tono tenſionis, & relaxationis, & æquabili oſcillatorio motu ſeſe habent, tunc tota œconomia actionum corporis, & animi recte viget; ſimul ac vero illæ partes violentiam quandam patiuntur, ſive exterius per nimiam diſtenſionem, tractionem, compreſſionem, vel contorſionem, aut eroſionem, ſeu vellicationem, aut puncturam, vel interius ab eorum fluido, quod fit maxime in affectibus animi, vehementer agitantur, aut alterantur, protinus læſio fit actionum, & morbus præſto eſt. Hæc læſio vero actionum eo major eſt, quo vehementior illa vis eſt, quam patiuntur a cauſſis externis: potiſſimum & inſtar regulæ hic notandum, quod maxime eo in loco, ubi cauſſa morbifica, læſionem nervoſis partibus inferens ſedem ſuam habet fixam, & operationem, turbatio, & perverſio læſionum naturalium obſervetur, & hæ partes maxime ſymptomatibus affligantur. Deinde inſtar regulæ, & legis, qua motus in macrocoſmo adminiſtrantur, hoc teneri oportet, quod maxima ſit conſenſio, quæ in mutua communicatione motuum vitioſorum conſiſtit inter partes nerveas potiſſimum & fibroſas, quæ ſenſu, & motu gaudent exquiſito, adeo, ut una graviter affecta, alia, & quidem primum vicina, & quæ nervos communes ab una eademque radice habent; poſtea vero etiam remotæ partes, ſi graviſſima eſt illa læſio, in conſenſum rapiantur.

Regula obſervanda.

§. LXXXIX.

Notitia conſenſus partium nervoſarũ eſt fundamentum pathologiæ rationalis. Deducitur ab inſtantia.

Præcipuum itaque fundamentum pathologiæ rationalis conſiſtit in notitia conſenſus partium nervoſarum inter ſe invicem, qui in eo verſatur, ut motus vitioſi parte una graviter affecta invicem communicentur; inter partes nervoſas ſenſibilioris, & mobilioris indolis, & quæ invicem inter ſe communicant, ſunt præcipue referendæ: *Primo.* In capite meninges, & exterius pericranium, & partes illæ, quæ dura, vel pia matre, aut pericranio cinguntur. *Secundo.* In ſpinali medulla membranæ identidem dura, & pia mater, quæ hanc medullam, & omnes nervos ex ea prodeuntes cingunt. *Tertio.* Larynx cum arteria aſpera, & bronchiis pulmonum, quæ identidem ex tunicis valde nervoſis conflatæ ſunt. *Quarto.* Diaphragma cum membrana pleuræ, & muſculis intercoſtalibus. *Quinto.* Cor cum toto ſyſtemate vaſorum, & maxime arteriarum, quarum tunicæ nerveæ ſenſu, & motu gaudent. *Sexto.* Viæ urinariæ, ureteres nempe cum veſica, & urethra. *Septimo.* Viæ biliariæ, ut ductus hepatici cum choledocho, & veſica fellea. *Octavo.* Totus œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum canalis a faucibus uſque ad anum, totus membranaceus & ex tunicis nervoſis, & fibroſis conflatus. *Nono.* Ipſa cutis membrana identidem ex filamentis muſculoſo-tendinoſis, & nerveis conſtructa, valde ſenſibilis, præſertim in volis manuum, & plantis pedum, umbilico, nuca, carpis quoque manuum, & temporibus. *Decimo.* Perioſtium, ceu membrana valde tenuis, & ſenſibilis omnia oſſa, dentibus exceptis, immediate cingens. *Undecimo.* Ligamenta tendinoſa, & nervoſa articulorum. Tanta vero eſt harum omnium partium conſenſio, ut una graviter læſa, omnes reliquæ afficiantur; quod luculentiſſime patet ab aſſumto veneno ſubtilioris cauſticæ indolis, quod dum adhuc in ventriculo latet, & pernicialem ſuam vim exſerit, brevi, & celeriter omnes partes nervoſæ, & muſculoſæ in præternaturales, & violentos motus cientur, omniumque actionum perverſio ſæpe lethalis.

Veneni cauſtici aſſumpti actio.

§. XC.

Scientia conſenſus læſarum partium nervoſarum Medico ſumme neceſſaria. Demonſtratur.

Variæ ſunt affectiones, & ſymptomata, quæ a læſis partibus nervoſis, ſeu per conſenſum ſeu per idiopathiam oboriuntur, quas accurate ſcire convenit Medico. Quando in capite patitur, & male afficitur pericranium, gravis fit dolor lancinatorius, tenſivus, gravativus, & ſæpe inſtar glaciei ad ſenſum frigidus, præſertim in iis locis, ubi per ſuturas oſſa cranii junguntur in ſyncipite, vel occipite. Si meninges, & præſertim dura mater præter naturam læduntur, deliria, apoplexia, epilepſia, affectus ſoporoſi, ut lethargus, ſomni terribiles fiunt. Affectis partibus capitis, ad quas nervi, & membranæ cerebri pertingunt, pro diverſa eorum natura varii pullulant morbi; in oculis nempe, & eorum nervis, & membranis dolor preſſorius, inflammatio, vertigo, oculorum caligo, hebetudo, viſus depravatus; in auribus earum tinnitus, vel etiam ſurditas; in lingua aphonia; in labiis tremulus motus; in muſculis faciei, & oris ſpaſmus cynicus, horribilis aſpectus, ſtridor dentium; in faucibus, earum anguſtia, & difficilis deglutitio.

§. XCI.

Medullæ ſpinalis male affectæ, item Laryngis, & Diaphragmatis afflicti ſymptomata.

Quando membranæ cum nervis ſpinalis medullæ violentiam quandam patiuntur, facta vel compreſſione, vel vellicatione, aut eroſione, tunc paralyſes, motus convulſivi, miræ agitationes, & jactationes artuum, contorſiones, dorſi, & cervicis ſtupores, immobilitates artuum, dolor dorſi preſſorius, præſertim circa primam vertebram lumborum, aut circa os ſacrum. Larynx cum aſpera arteria, & bronchiis præternaturaliter afflictæ efficiunt ſiccam, ferinam, & convulſivam tuſſim, pectoris oppreſſionem, & ſpirandi difficultatem. Diaphragma vero, quando violentiam patitur, & nervi intercoſtales ſimul in conſenſum trahuntur, aſthma fit convulſivum, & ſingultus quoque.

Ex canale alimentario, & excrementitio male affecto morbi qui?

Quandocunque cauſſa morbifica, pernicialis indolis totum illum nervoſum canalem alimentarium, & excrementitium, qui œſophagum, ventriculum, & omnia inteſtina complectitur, vehementer exagitat, aut is ab aliis partibus morboſis in conſenſum rapitur, graviſſima tunc pullulant ſymptomata, ut in ventriculo continua nauſea, ſive ad vomendum ſtimulus, imo ipſe vomitus, vehementiſſimus, conſtrictivus dolor cum anxietate ſumma circa præcordia ad dorſum ſæpe pertingens preſſorius, lancinatorius, qui cardialgiæ nomine venit; inappetentia continua ructus, inflatio ventriculi inſtar pugni circa cartilaginem enſiformem, & dextrum latus. In inteſtinis vero proveniunt ſæva tormina, dolores inflativi hypochondrio-

driorum, alvi fluxus, vel etiam ejus conſtrictiones, & adſtrictiones, teneſmus.

§. XCII.

Cordis convulſi affectiones quæ? Si cor cum ſyſtemate vaſorum convellitur, cordis tremor, & palpitatio, pulſus arteriarum durus, contractus, inæqualis, celerior, imo febrilis accedit; & a ſpaſmo occluſis extremitatibus orificiorum in ano, utero, hæmorrhoidum, vel menſium fiunt ſuppreſſiones; præterea æſtus, ſitis eandem petunt originem, & a male affecto arteriarum motu proveniunt; animi quoque deliquia a motu cordis plane deficiente naſcuntur. Summi quoque languores, & debilitates ab arteriarum, & cordis motu præternaturali ſuam petunt originem.

§. XCIII.

Viarum urinariarum læſarum ſymptomatum enarratio. Viæ urinariæ, quando læſionem percipiunt, & vehementer vellicantur, atteruntur, & diſtenduntur, v. g. a calculo renum, vel veſicæ, dolor fixus circa lumbos, urinæ tenues, ſtranguriæ, dyſuriæ naſcuntur. Ductibus vero biliariis vehementer læſis, ſeu a calculo in veſica, vel ductibus hærente, ſeu ab aliis cauſſis dolor fixus, & ardens in regione hepatis animadvertitur, fit nauſea, vomitus biliosi, cholera, ictteritius faciei color.

§. XCIV.

Cutis præternaturaliter affecta, quos morbos pariat? Quando cutis, quæ univerſum corpus tegit, præternaturaliter afficitur, tunc horrores, frigores, ſudores frigidi, extremorum frigora cum vaſorum detumeſcentia, & ſiccitate, & contractione cutis, ut anſerina quaſi appareat, vel etiam ſudores copioſi, colliquativi, umbilici etiam introrſum tractiones proficiſcuntur. Artuum ligamenta, ſi violentiam patiuntur, inſignis dolor cum rubore, tumore, & immobilitate fiunt.

§. XCV.

Conſenſus partium conſiſtit in contiguitate nervorum. De conſenſu vero partium mutuo, & communicatione vitioſorum motuum id apprime notandum venit, eum quam maxime vigere inter partes ſibi contiguas viciniores, & quæ eadem nervorum diſtributione gaudent. Ita magna eſt conſenſio faucium, œſophagi, & ventriculi, ſiquidem intruſo faucibus digito, mox ſtomachus ad vomitum, & ſubverſionem irritatur; Sique idem ſpaſmo afficitur conſtrictio faucium, & deglutitionis difficultas ſequitur, vitium hypochondriacis, & hyſtericis non infrequens. Atque etiam notanda eſt ingens illa ventriculi, & diaphragmatis conſpiratio in ſingultu, & aſthmate flatulento apparens: Ventriculi quoque, & duodeni, quod noſtra ſententia alter, parvus, & ſuccenturiatus ventriculus eſt, magna eſt conſenſio, quæ apparet ex vomitione copioſæ bilis ſumto emetico. Major vero adhuc ductuum biliariorum, duodeni, & ipſius ventriculi communicatio exiſtit, quæ apparet inde, cum ſumto emetico, purgante, aut veneno, vel atroci dolore, & ſpaſmo ventriculi ſubito color icteritius gignitur; atque emetica magnam ſucci bilioſi copiam ex univerſo ſyſtemate ductuum biliariorum evacuare ſolent. *Deducitur ab exemplo.* Denique notum eſt, quod hærente calculo in veſicula fellea, vel ductibus biliariis, ventriculus cardialgia, nauſea, cibi faſtidio, & anxietate, quæ circa præcordia fit, prematur. Inteſtina quoque, ſi affecta ſunt, v. g. in paſſione iliaca, dolore ilei, qui vulgo vocatur colicus, vel ſi a verminibus eorum tunicæ lancinantur, ventriculi fit ſubverſio, fauces humorem limpidum ſtillant, & ſingultus ſæpe infeſtat. Quam maxime vero notanda venit inteſtini recti, & veſicæ urinariæ commutua communicatio; ita a dolore calculi in veſica teneſmus, ſeu frequens ad deſiderdum eſt ſtimulus, & affecto inteſtino recto ab hæmorrhoidibus cœcis, vel ab ulcere in dyſenteria perpetuus ad mingendum eſt ſtimulus cum ſtranguria, & dyſuria ſæpe junctus. Viæ quoque urinariæ, nempe ureteres cum veſica, & urethra mire inter ſe conſentiunt, quod vel ex eo apparet, dum in uno tandem uretere calculus firmiter hærens alterum ſalvum ſimul conſtringit, & urinæ ſuppreſſionem parit, & ſub dolore a calculo renali in urethræ parte anteriori dolor, & ardor obſervatur. Renum quoque, & ureterum cum vicina adhærente inteſtini coli parte intercedit notabilis communicatio, qua fit, ut ſub gravi dolore calculi dolor colicus proveniat; hinc ſæpius ab imperitis hic dolor confunditur, adeo, ut colicus pro dolore calculi, & calculi pro dolore colico habeatur. Flatus vero in flexura coli, præſertim in latere ſiniſtro, retenti, prohibent ſæpius compreſſione calculi in ureteres exitum. Neque umbilici cum inteſtinis vicinis, & veſica præteriri debet ſympathia; inde enim ratio elucеſcit, quare non ſine fructu purgandi, vel dolorem inteſtinorum ſopiendi, aut urinam provocandi, purgantia, anthelmintica, vel etiam anodyna umbilico exterius applicentur. Quod attinet ad partes nervoſas capitis, ibi etiam, quæ ſunt vicinæ, & proximæ invicem compatiuntur; ita in epilepſia, quæ a dentitione difficili infantum frequentiſſime fit, dentium perioſtii cum membranis cerebri apparet communicatio. Item in omnibus fere capitis morbis, & præſertim doloribus, oculi ob membranas valde nerveas moleſto afficiuntur dolore preſſorio, vel etiam non raro inflammatione, aut contorſione, viſuque depravato. Tempora quoque, quæ valde ſenſibilis, & nerveæ texturæ ſunt, valde læſa, aut vulnerata, & in cura male tractata ingignunt, non infrequenter graves, & lethales capitis morbos; & propter conſenſum, quem illa fovent cum cerebro, & ejus membranis emplaſtra anodyna, vel etiam roborantia iis applicata non carent fructu.

Et quoniam in nucha multi tendines, & nervi concurrunt, veſicatoria, vel etiam ſetacea, aut linimenta ſpirituoſa ibi applicata morbis capitis egregie ſuccurrere obſervamus. *Veſicatorii vel ſetacei nuchæ applicati uſus* Et porro cum medulla ſpinalis, nonniſi ſit cerebrum, vel potius cerebellum continuatum, inde evenit, ut apoplexia in paralyſin, & morbi capitis in motus artuum convulſivos, vel hi quoque in apoplexiam frequentius terminentur.

Quoad ipſum pectus, ejuſque partes, notabilis eſt illa harmonia inter tunicas nerveas narium, & organorum reſpirationi inſervientium, quæ luculenter apparet in ſternutatione, ubi irritatæ nares ab acri ſtimulo vehementiſſimam efficiunt exſpirationem, & thoracis compreſſio-

compreſſionem. Inter nares quoque & laryngem, & inter hanc, & aſperam arteriam mutua actio, & conſenſio intercedit, dum mox in coryza ſternutationem ſubſequitur laryngis irritatio, & hanc ipſam tuſſis excipit; imo in tuſſi convulſiva, præſertim infantili, frequens, & vehemens ſæpe jungitur ſternutatio cum pituitæ multæ, interdum etiam ſanguinis excretione. Neque negligenda eſt membranæ pleuræ cum bronchiis pulmonum conſenſio, clare apparens, dum in pleuritide ſpuria, ſeu potius muſculorum thoracis rheumatiſmo tuſſis ſicca cum ſpirandi difficultate fit. *Singularis obſervatio in pathologia quæ?* Maxime omnium vero ſingularem in pathologia rationali attentionem, & conſiderationem meretur conſenſio illa plane univerſalis ventriculi cum annexis inteſtinis, ſeu primarum viarum cum univerſi corporis partibus nervoſis, etiam longe diſſitis, quæ in nulla alia parte corporis animalis obſervatur. Imo etiam mirifice conſentit ventriculus cum capite, & ejus partibus contentis nerveis; hinc fit, ut vitia capitis mox in primas vias, & harum vitia in caput tranſeant. Nihil occurrit frequentius, quam poſt gravem læſionem, & percuſſionem capitis, præprimis cranii vomitus fieri. In omni gravi dolore capitis innappetentia fit, digeſtio turbatur, & alvi egeſtio ſupprimitur. In reliquis etiam capitis morbis, præſertim phrenitide, mania, epilepſia, apoplexia, querela eſt circa præcordia de eorum moleſto dolore, de nauſea, de ſtimulo ad vomitum. Quando ventriculus, vel inteſtina a ſumto veneno, vel vehementiori emetico, aut catharctico, aut a bile cauſtica, vel lacte coagulato, & corroſivo, aut inteſtina a vermibus arroduntur, epilepſias, & convulſiones, vertiginem quoque, & capitis dolores, item deliria ſubſequi experientia confirmatum habemus.

§. XCVI.

Læſa ventriculi, & inteſtinorum ſubſtantia multorum damnorum origo.

Neque certe melius damna illa: quæ totius corporis partibus, & earum functionibus inferuntur, a læſa ventriculi, & inteſtinorum ſubſtantia demonſtrari poſſunt, ac ſi conſideremus ſæva illa ſymptomata, quæ venena aſſumta, ſive narcotica, ſive cauſtica, & quæ vermes, inteſtinorum tunicas lancinantes, ſequuntur. Notabilis hunc in finem hiſtoria a deglutita acicula ſymptomatum provenientium ob puncturam ſtomachi meretur legi apud HILDANUM obſervat. XXXIV. lib. I. *Hildani obſervatio de acicula.* ubi propter inſolita, & ſtupenda ſymptomata ægra pro dæmoniaca habita fuit, horrendis convulſionibus agitata. Porro cauſa dolorum capitis, vertiginis, epilepſiæ, & motuum convulſivorum, viſus depravati, oculorum caliginis, & ſpuriæ cataractæ, aurium quoque tinnitus, & horribilis faciei aſpectus, maniæ quoque frequentiſſime latitat in primis viis, & per conſenſum hos capitis, & nervorum morbos inducit. Notabilis quoque inteſtinorum conſenſus eſt, cum medulla ſpinali, ejuſque membranis, ac nervis, quare colicam convulſivam frequentiſſime ſubſequitur paralyſis, & lancinationes a vermibus inteſtinorum deſinunt ſæpe in motus artuum convulſivos. Dolor ille preſſorius valde ſolennis circa primam vertebram lumbarem, nec non in oſſe ſacro, & dolor quoque coxendicis frequentiſſime oritur a male affectis, & ſpaſmo conſtrictis, aut flatu diſtentis inteſtinis, tam tenuibus, quam craſſis, præſertim colo.

§. XCVII.

Magnus primarum viarum cum cute conſenſus.

Eſt quoque magnus conſenſus primarum viarum cum integumento corporis noſtri, texturæ valde nerveæ, & fibroſæ, cute nempe. Nam rigores, horripilationes, conſtrictiones cutis, & ejus pororum, ut inſtar anſerinæ appareat, vaſorum ſanguiferorum in ea detumeſcentia, tubulorum, qui ſerum ſalſum ſubtile inſtar vaporum tranſmittunt, occluſio, & partium extremarum refrigeratio, quæ in principio omnium febrium, & in doloribus, & morbis ſpaſmodicis fere ſemper contingunt, & a prava affectione, & labe membranarum, & nervorum medullæ ſpinalis proficiſcuntur, cauſſam ſuam potiſſimum primis in viis habent, quod febrium intermittentium, morborum periodicorum, & ſpaſmodicorum, item recidivarum febrilium curatio potiſſimum demonſtrat.

§. XCVIII.

Ventriculi conſenſio cum thorace, quæ?

Obſervatur quoque ingens conſenſio ventriculi cum thorace, & ejus partibus contentis, muſculis, & nervis intercoſtalibus, diaphragmate, & aſpera arteria. Nam tuſſes illæ vehementes chronicæ cum copioſæ pituitæ ejectione, convulſivæ etiam, & clangoſæ infantum, aſthmata flatulenta, & ſpaſtica, ſingultuoſæ thoracis concuſſiones, anxiæ illæ pectoris oppreſſiones, dolores quoque vagi pleuritici, plerumque abſconditam ſuam cauſſam in primis viis habent, dum illa vel flatibus, vel ſpaſmis, aut colluvie vitioſorum humorum, bilis acidæ, cauſticæ, vel etiam verminoſa progenie obſeſſæ ſunt. Neque vix alio modo tolluntur, ac remotis hiſce per convenientia remedia cauſſis.

§. XCIX.

Ventriculi conſenſus cum renibus.

Neque prætereundus eſt ventriculi conſenſus cum renibus, & potiſſimum eorum ductibus urinam vehentibus, ſeu ureteribus, qui ſeſe exſerit calculo in uretere firmius hærente, vel ſanguine congrumato, aut ſi ipſa veſica a congeſto, & ſtagnante ſanguine ſpaſmodice afficitur. Nam mox perit omnis appetitus, ventriculi fit ſubverſio, & ſtimulus ad vomitum, flatulentiæ occupant inteſtina, præcordiorum fit anxietas, & alvus fit tenſa, dura, & conſtricta.

§. C.

Maxima ventriculi conſpiratio cum utero Medico conſideranda.

Maxime omnium vero conſenſio ventriculi, & inteſtinorum cum ipſo uteto meretur a Medico conſiderari, quam negotium menſium, ſi non rite procedit, luculentiſſime demonſtrat. Quamvis vero ipſe uterus ad partes nervoſas, ſenſu, & motu præditas, minime ſit referendus, & hinc quoque conſenſus iſtius cauſſa neutiquam a communicatione motuum anomalorum per nervoſas partes deduci debeat, attamen ipſe uterus eſt illa pars, quæ cauſſam ſubminiſtrat pathematum ſpaſticorum, in ventriculo potiſſimum, & inteſtinis, cum nempe ob interceptum, vel minus ſufficiens ſanguinis menſtrui criticum profluvium, ipſe ſanguis regurgitat ad ventriculi, & inteſtinorum tunicas, ubi ſupra modum congeſtus ſtagnat in vaſis, & diſtrahendo nerveas tunicas, moleſta illa ſymptomata excitat, quæ in menſium ſup-

preſſione obveniunt, & primario in ventriculi, & inteſtinorum canale male affectis conſiſtunt, poſtea etiam in alias remotas partes ſparguntur. Simili modo ventriculus, & canalis inteſtinorum conſenſum fovet cum hepate, & viſceribus, qua pertingit vena portæ. Nam ſi ſanguis per hepatis viſcus, ob deficientem venæ portæ impulſum non libere tranſit; neque per hæmorrhoidalia vaſa critico, & ſalutari motu rejicitur, tunc omnino regurgitat ad ventriculum, & inteſtina, ibique gravia pathemata ſpaſtica concitat, quæ totum corpus in conſenſum trahunt. Hæc longe potentiora fiunt, ſi ſubito menſium, vel hæmorrhoidum fluxus, aut vehementi animi affectu, aut admiſſo frigore, vel medicamento ſtyptico perperam adhibito, vel alia ex cauſſa cohibetur. In genere hoc loco notari velim, ſanguinem in partibus nerveo-muſculoſis valde congeſtum, & ſtagnantem ſpaſmodicorum pathematum fœcundum genitorem eſſe. Siquidem ſanguinis abundantia per ſe non facile nociva eſt, aut nervis inimica, vel ſpaſmorum procreatrix, ſed tunc demum evadit, quando ob ſpiſſitudinem liber ejus tranſitus, & circulus per minima vaſculorum impeditur, regurgitat, & reſtagnat in vaſis ſanguineis, quæ partibus, præſertim tunicis nervoſis, ut fit in ventriculo, & inteſtinis, in dura quoque cerebri matre, & medulla ſpinali intertexta ſunt. Et quia roboris dejectio, & virium imbecillitas quam maxime liberum ſanguinis circuitum per minima, & capillaria vaſcula efficit, non mirum eſt, homines a quacunque cauſſa imbecilles, longe magis expoſitos eſſe pathematibus ſpaſmodicis, quam qui ingentem ſanguinis copiam in vaſis alunt, ſed ſimul robuſtæ, & vegetæ ſunt naturæ.

Spiſſus ſanguis in partibus nervoſo-muſculoſis congeſtus ſpaſmorum genitor.

§. CI.

Stabilito ſic conſenſu, conſpiratione, ac communicatione motuum anomalorum, & morboſorum, tanquam præcipuo pathologiæ rationalis fundamento, ſequitur jam, ut etiam eas inveſtigemus cauſſas, quæ ſyſtema partium nervoſarum violenter afficiunt, & motus morbificos ſpaſticos præſertim cauſſantur, & quomodo hæ ipſæ operationem ſuam, ac vim in ſenſibiles, & mobiles has partes exſerant. Nam meo quidem judicio nulla fere eſt morbifica cauſſa, quæ non primario, & primo afficiat genus nervoſum. Sunt vero præter jam ſupra memoratas cauſſas, nempe ſanguinem ſtagnantem, vermes, varii generis venena, flatus, calculoſæ concretiones, quæ partim diſtendendo, & diſtrahendo, partim etiam arrodendo, & lancinando ac conſtringendo, & criſpando nerveas fibrillas, agunt; ipſi immoderatioris animi motus, & nominatim animi excandeſcentia, iracundia, vehemens terror, timor, & diuturnior mœror animi, & angor, mentiſque longior fatigatio. Dici vix poteſt, quam ſubito, & quaſi in inſtanti ſyſtema partium nervoſarum inde præter naturam agitetur, commoveatur, & œconomia functionum animalium lædatur, adeo ut revera omnium venenorum, quæ non tam celeriter agunt, pernicialem vim longiſſime exſuperent. Sicuti vero diverſa horum affectuum eſt natura, ita etiam non eadem potentia, & operatio ab iis in corpus obſervatur; quandoquidem a terrore partes corporis externæ nerveæ, integumenta cum primis ejus, ſpaſtico quodam motu contrahuntur, & ſanguinis circuitus per extrema corporis, & minima vaſcula, neque minus ſaluberrima illa per cutim tranſpiratio intercipitur, & ſanguis ad interiora reprimitur, & ejus motus intra convertitur. A gravi vero iracundia, intenſior fit omnium vaſorum, & fibrarum nervearum tonus, velocior ſanguinis, & fluidorum per pectus ad caput maxime circuitus non ſecus, ac in febre, delirio, vel inſania fieri ſolet. Alia vero ratio eſt operandi triſtitiæ, qua omnis toni, roboris, & virium in partibus ſolidis, & nerveis fit dejectio, ſub qua non modo ſanguinis circuitus lentior, ſecretio & excretio languidior, ita prorſus, ut triſtitia lento quidem gradu operetur; ſed ad morbos gravis periculi corpus valde diſponat. Immoderatior vero animi ſub intempeſtivis ſtudiis, aut meditationibus labor, & fatigatio ſummam etiam debilitatem, præcipue capitis, quæ ad cerebri morbos diſponit, relinquit, & ventriculi quoque ac motus periſtaltici tonum, roburque labefactat. Nam quod probe hoc loco notandum eſt, exitialis illa animi affectuum vis percipitur maxime primis in viis, ventriculo nempe, & iis annexis inteſtinis tanquam digeſtionis, chylificationis, ac excretionis alvinæ organis. Terror enim mox omnem delet appetentiam, & alvum conſtringit, vel eam nimis fluidam, & turbidam reddit. Ira vero vehementior ventriculum, ipſaque inteſtina tenuia vehementi ſpaſmo convellit, nauſeam, vomitum gignit, & bilioſum ſuccum ingenti in copia ad inteſtina tenuia deturbat, ut inde non modo appetentia, digeſtio, & chylificatio lædatur, ſed peſſimæ indolis humores prima in regione colligantur. Timor vero, & mœſtitia, ac mentis profundior agitatio, ac labor inſignem quoque languorem ventriculo, & inteſtinis inferunt, dejiciendo, & turbando digeſtionis, & chylificationis negotium, & robur, & tonum auferendo; inde flatulentiæ, borborygmi, ſeu inteſtinorum murmura, alvi nimiæ dejectiones, ructus, inquieti, & anxii ſomni cum totius corporis languore oboriuntur.

Cauſſæ ſyſtema nervorum afficientes enumerantur.

§. CII.

Porro ex iis morborum cauſſis, quæ valde ſyſtema nervoſum infeſtant, inque primis proximam ſuam vehementiam in nervoſam ſtomachi, & inteſtinorum ſubſtantiam evibrant, principem ſibi locum vindicant venena exterius admiſſa, quibus validiora purgantia, emetica, narcotica, ex argento vivo parata, acria, & cauſtica ex inſectis, diuretica, improvide data, annumerare licet: uti & ea, quæ veneni ſpeciem præſeferunt, ejuſque indolem, & vehementiam æmulantur, dum minima mole celeriter œconomiam motuum naturalium ſubvertunt, inque ipſius corporis penetralibus genita, cujus generis ſunt omnes ad excretionem maxime per ſummam cutim deſtinatæ agiliſſimæ, & valde hoſtilis indolis ſordes, uti eſt materia exanthematica purpuræ, tam albæ, quam rubræ, petechiarum, variolarum, morbillorum, macularum ſcorbuticarum, phlyctænum, herpetis, ſcabiei, guttæ roſaceæ, tineæ capitis, quæ ſemel a ſanguine ſequeſtrata, dum ad interiora repellitur, non rurſus ſeſe conjungit cum liquidis corporis, ſeu nervoſis fibris, & tunicis firmius inhæreſcens ſpaſticas contractiones, ſeu ſtricturas efficien-

Morborum cauſſæ veneni ſpeciem præſeferentes demonſtrat

efficiendo, ſæva inducit ſymptomata. Non abſimilis naturæ, & vehementiæ eſt quoque illa materia, quæ in eryſipelate, podagra, chiragra, & rheumatiſmo retrocedit, & repellitur; idem quoque, quando materia per fonticulos, ulcera antiqua, excerni ſolita, & conſolidatis iis introvertitur. Pertinet huc quoque ſudor criticus totius corporis, vel etiam certarum partium, ut pedum conſuetus, ſubito cohibitus, & repulſus.

§. CIII.

Aer virulentus œconomiam animalem deſtruit.

Præterea Aer, virulentis exhalationibus refertus, & per nares, fauces, atque arteriam aſperam, aut etiam per ventriculum in nerveas partes penetrans, quam celerrime univerſi corporis vitales motus pervertendo gravia infert ſymptomata, id quod luculenter teſtatur aer miaſmatibus in morbis contagioſis ſic dictis, ut peſte, petechiis, variolis, morbillis, dyſenteria maligna, & aliis contagioſis refertus.

§. CIV.

Aer metallicus ſævorum ſymptomatum author.

Quam vehementer aer vapore ſulphuris, vel carbonum ardentium, vel etiam in metallurgicis fumo plumbi ab igne tractatis, & excoctis mineris ſaturninis repletus & interius hauſtus noceat, & funeſta mox inferat ſymptomata, res eſt notiſſima; quo pertinet etiam fumus candelæ ſebaceæ extinctæ, & rerum ſuaveolentium, ut moſchi, zybethi, florum valde odoratorum, qui, odore tantum ſuſceptus in quibuſdam ſenſibilioris naturæ, præſertim fœminis, totum nervoſum genus convellendo ſæva infert interdum pathemata. Neque amplius obſcurum in praxi medica eſt, quam infeſtæ vitæ, & ſanitati ſint excretiones materiæ vitioſæ per ſudorem, alvum, nares, uterum, per membrum virile, in gonorrhœa tam benigna, quam maligna, fluore albo, coryza, diarrhœa, tranſpiratione fortiori ſubito ab aere frigido cohibita, præſertim in declinatione febrium, ſive intermittentium, ſive acutarum, & exanthematicarum. Cohibita enim ſic materia vitioſa, & in corpore relicta, longe pejorem indolem mora contrahit, & inſtar veneni in nervoſas, & mobiles partes graſſatur, earum tonum, motum, & ſtatum naturalem penitus invertendo. Pertinet huc quoque cauſſa, quæ morbos efficit recidivantes, quæ profecto vix alia eſt, quam quod in morbis, febribus præſertim, non omnis materia morbi vitioſa penitus ex corpore ejecta fuit, ſed prava diæta, aut tranſpiratione cohibita, aut alio vitio, adſtrictione quoque alvina cohibita, & intercepta; unde hæc pernicioſa materia denuo in ſenſibiles, & mobiles partes corporis agendo priorem morbum exſuſcitat.

Excretiones cohibitæ multos morbos creant.

§. CV.

Plethora, & cacochymia non ſunt generales morborum cauſſæ.

Ex hiſce jam dictis, & adductis clare & liquidiſſime apparere arbitror, affectionum, tam chronicarum quam acutarum, cauſſas, mole ſæpius valde exiguas, ſed agilitate, & movendi potentia eo majori imbutas eſſe, eaſque primario, & proxime non tam in fluidas corporis partes, neque in craſſas carneas, & crudiores; ſed in eas, quæ ſenſu, & motu acutiori, & exquiſitiori præditæ ſunt, fibrillas nempe, & tunicas nerveas, & muſculares exitialem vim ſuam exſerere, & longe majorem numerum gravium affectuum producere, quam ipſam plethoram, vel etiam cacochymiam ſuccorum.

§. CVI.

Humores crudi partes nerveo-muſculares lædunt.

Verum enim vero non tantum tenuis, & agiliſſimæ indolis materiæ morbificæ activas, & nerveas muſculares corporis animalis partes violenter afficiunt, ſed & crudiores, & paullo craſſiores, quantitate & qualitate peccantes humores exitialem vim iis inferunt, & varii generis morbos progignunt; ita, e. g. videmus a copioſe ingeſto potu frigido corpori, præſertim calenti & ſudanti, graviſſimas ægritudines ſubito pronaſci; inflammationem nempe ventriculi funeſtam ſæpe, lipothymiam quoque, & inter affectus chronicos hecticam, phthiſin, hydropem, vel malum hypochondriacum. Neque ignotum eſt a nimia & ſubita ingurgitatione liquoris inebriantis, vini, ſpiritus vini, mentem non modo turbari, ſed & ventriculum ad vomitum concitari. A ſubito, & nimio ingeſto cibo, præſertim eo, qui inflat, anxietates præcordiorum cum ſpirandi anguſtia, dolore lancinante, languore totius corporis, ructibus, & inclinatione, ſive ſtimulo ad vomitum confeſtim ſubſequi, res etiam in vulgus nota eſt.

Potus frigidi corpori calenti ingeſti noxa.

Liquorum fermentatorum, & ciborum inflantium nimium ingeſtorum morbi oriundi, qui?

§. CVII.

Ventriculus cum annexo duodeno, & colon atonia laborans fœcunda morborum mater.

Deinceps ſi quis alius locus fœcundus, & aptus eſt procreandæ materiæ, quæ motus morboſos efficit, & functiones ſecundum naturam turbat, certe eſt officina digeſtionis alimentorum, nempe ventriculus cum annexo duodeno, atque inteſtinum colon, quod fœculentias, & ſordes excrementitias cuſtodit. Nam quando labaſcente tono, & motu periſtaltico ventriculi, duodeni in eorum flexuris remanet materia indigeſta, & cruda, atque illa diuturniori mora, vel etiam admixtis vitioſis e corpore ſuccis, bilioſo nempe, vel fermentali ex pancreate, & glandulis, deterior redditur, & hoſtilem acidam, corroſivam, aut bilioſam, acrem, ac corruptam indolem contrahit: fomes certe, & minera multarum afflictionum adeſt. Siquidem prava ejuſmodi materia non modo ſtatim, & proxime pernicialem ſuam vim in nervoſas canalium, quibus continetur, tunicas exſerit, eaſque ad anomalas motiones ſollicitat, ſed & plane peregrino charactere omne humidum, & chyloſum ſuccum, qui ex aſſumptis tranſit ad ſanguinis maſſam, inquinat, & quod probe notandum, etiam medicamentorum virtutem labefactat; inde fit, ut ſucceſſive cacochymia, ſeu impuritas ſanguini, & ejus ſuccis ingeneretur, quæ plurimorum malorum fœcunda eſt procreatrix. Denique quando excrementitiæ ſordes, ob vacillantem motum propulſorium ex craſſis non recte deturbantur, ſed diutius ibi hærent, fœtida, & putrida corrupta materia liquida per vaſa lymphatica, identidem ad maſſam ſanguinis, & humorum fertur, atque eorum impuritas increſcit; ipſæ quoque ſtercoreæ ſordes nimium collectæ tunicas nerveas inteſtini craſſioris moleſtant, & flatuum tranſitum penitus intercludunt, ut hi non ſine moleſtia ad ſuperiora, ipſum-

Medicamentorum virtutem labefactantia quæ?

Primæ viæ in quocunque morbo conſiderandæ.

ipſumque ventriculum regurgitent. Eſt itaque prima regio in quocunque morbo probe admodum conſideranda, eo quod fundamentum plurimorum morborum, & centrum quaſi morboſarum ſordium ibi contineatur. Vix enim datur morbus, vel gravius ſymptoma, ubi non digeſtio, & appetentia læſa ſit, ubi alvus ſuum faciat officium, & ubi primæ illæ viæ a flatibus, doloribus, ſpaſmis liberæ ſint. Et profecto ſi prima initia, & geneſin plurimorum morborum paullo penitius ſcrutemur, materialis eorum cauſſa primis in viis deliteſcit: paſſiones, quibus ſubinde hypochondriaci, & hyſtericæ premuntur fere omnes ex vitiis primarum viarum naſcuntur. Infantiles graves morbi vix aliam, quam hanc ſedem agnoſcunt. Febrium intermittentium, lentarum, & errantium, bilioſarum cauſſa, imo ex acutis ſic dictis Hungaricæ, dyſenteriæ quoque, diarrhœæ, choleræ flatulentæ, ſpaſmodicæ, vomitus, nauſeæ, inappetentiæ, anxietatum præcordialium, aſthmatis, ſingultus, tuſſis convulſivæ, & chronicæ, & morborum plurimorum capitis, ut ſupra jam meminimus, mineram, & fomitem ſucci corrupti, plus minus vitioſi, bilioſi, acidi, viſcidi ſubminiſtrant. Porro etiam in remotis partibus conſiſtentes morbi, ut tot varii generis dolores, in ſpecie rheumatiſmi, & arthritidis ſpecies, & varia exanthemata, ſummæ cutis defœdationes per maculas, puſtulas, exulcerationes, languores etiam, & tremores artuum, & uno verbo, quæ ex dyſcraſia humorum ſcorbutica proveniunt mala, a vitio digeſtionis in primis viis, & corruptis ibi detentis humoribus foventur, ſuſtentantur, ac materiam quaſi, ac pabulum accipiunt. Nam perquam notabilis in pathologicis eſt vitioſus ille circulus, dum pravi ſucci ex primis viis tranſeunt ad interiora, & ipſius ſanguinis, & humorum maſſam, & rurſus ex hac mediante ſucco bilioſo, & fermentali glandularum redeunt ad ſuum principium: quare incaſſum, & fruſtra laborant illi Medici, qui non curam habent primarum viarum in omnibus morbis, & curam ſuam ad colluviem, & ſentinam vitioſorum humorum ibi latitantium corrigendam, & evacuandam non dirigunt. Sciſſiſſime HIPPOCRATES *lib. de morbis* ventriculum dicit eſſe magnum fontem, maris facultatem habens, dum omnibus dat, & ab omnibus accipit. Neque ineleganter cecinit SERENUS SAMONICUS:

Primæ viæ plurimorum morborum materialis cauſſa.

Demonſtratur.

Hippocrates confirmat.

Samonicus citatus.

Qui ſtomachum regem totius corporis eſſe
Contendunt, niti vera ratione videntur;
Cujus non validus firmat tenor omnia membra,
Et contra ejuſdem infirmantur cuncta dolore.

Ventriculi actio eſt ſyſtematica.

Nam ſi ullius partis, certe ventriculi actio eſt, ſyſtematica, & dependet a toto ſyſtemate motuum vitalium, & humorum, ac ſanguinis qualitate, atque conditione; hinc etiam fit, ut in omni fere morbo actio ventriculi, appetentia nempe, digeſtio, alvi excretio læſa ſit, atque adeo certum, & indubium recuperatæ valetudinis indicium eſt, ſi in morbis appetentia, digeſtio, & naturalis alvi excretio redit.

Valetudinis recuperatæ indicium.

§. CVIII.

Nimia ſanguinis in tortuoſis uteri vaſculis congeſtio chronicorum in fœminis morborum origo.

Ex omnibus vero morborum, præſertim chronicorum cauſſis, nulla frequentius, nulla vehementius ſyſtema nervoſarum partium affligit, & pathemata ſpaſtica, ac læſiones functionum in univerſo corpore inducit, quam nimia ſanguinis in tortuoſis, atque inflexis uteri vaſis congeſtio, & coacervatio ad criticam menſium evacuationem ſpectans; quæ dum inſtat, ſi inordinate ſuccedit, deficit, aut repente cohibetur, & reprimitur; ſanguis per vaſa venoſa, ſi impeditur in progreſſu, ac reditu, regurgitat, & majori copia, & impetu in ramos majores, & etiam minimos ruens, diſtenſionem, compreſſionem, & diſtractionem membranarum nervearum in inteſtinorum tunicis, in ventriculo, in membranis medullam ſpinalem inveſtientibus cauſſatur, & hinc in ventriculo anxietates nauſeoſas, inflationes dolorificas, cardialgias, vomitiones, interdum quoque cruentas, & ſpirandi anguſtiam efficit. Nimium vero delatus ſanguis, & ſtagnans in inteſtinis tenuibus tormina, & alvi conſtrictiones, in inteſtino colo flatulentas, & dolorificas, ac lancinantes in hypochondriis diſtenſiones; in dorſo, & oſſe ſacro graves preſſorios dolores, partium extremarum refrigerationes, tractiones, tremores, & languorem virium in univerſo corpore, quod eſſentiale, & fere indivulſum generis nervoſi graviter affecti ſymptoma eſt, cauſſatur. Si vero ſpaſmorum violentia, & ſanguinis copia major eſt, ad pectus & caput ejus nimia fit congeſtio, atque in his partibus ſtagnatio, & nervoſarum ac muſculoſarum partium afflictio; in capite cephalalgias, vertiginem, apoplexiam ſic dictam ſpaſmodicam, tinnitum aurium: in pectore, & corde lypothymiam, metum ſuffocationis, tuſſim ſiccam: in membranis ſuperioribus ſpinæ dorſalis, colli, manuum, & artuum violentas diſtractiones, & convulſivas agitationes non raro efficit; quæ ſymptomata vulgo vocari ſolent hypochondriaco-hyſterica, atque in debitum ordinem reſtitutis menſibus, ſponte deſinunt. Quo diutius vero genus nervoſum exercent, & ſanguinis debita excretio impeditur, eo difficiliorem, uti omnes morbi nervorum diutius perſeverantes, ſanationem recipiunt, & levi etiam data occaſione, & cauſſa revertuntur. Frequentius vero hi ſpaſtici affectus fœminas in ipſo puerperio, vel etiam poſt illud, ſi lochia non rite fluxerunt, vel etiam dum gravidæ ſunt, ſi ſanguinis miſſionem, & excretionem per alvum negligunt, & animi affectibus jactantur, infeſtant. Nam per partum, & tempore puerperii, & poſt illud, tonus uteri, ejuſque vaſorum facile labem contrahit, ut non liber ſanguinis, etiam extra menſium tempus, fiat tranſitus. Præſtat itaque in omnibus morbis, quibus ſexus fœmininus afficitur, curam, & rationem habere excretionis hujus uterinæ, ſine qua recte conſtituta, nulla fœmina perfecta gaudet valetudine.

Probatur.

Virium languor ſyſtematis nervoſi affecti ſymptoma.

Omnes nervorum morbi difficiliorem efficiunt ſanationem.

Ad excretionem uterinam in fœminis omnis cura dirigenda.

§. CIX.

Quod jam de menſium fluxu, atque excretione non rite ſe habente, & quam gravia inde oriantur pathemata ſpaſtica, & functionum, ac motuum vitalium læſiones, dictum fuit; id etiam merito ad fluxum ſanguinis per venas ani, ſeu hæmorrhoides internas in ſexu nobiliori, præſertim ſub corporis habitu ſpongioſo & ſucculento, vaſis copioſis, & exilibus prædito, referendum eſt. Si nempe propter difficiliorem ſanguinis per hepar, & venam portæ pulſu deſtitutam, regreſſum, ipſe nimium

Sanguis in vena portæ nimium coacerva-

tus Hæmorrhoidum in viris cauſſa.

mium colligitur, & in vaſis ac tunicis inteſtinorum, præſertim craſſorum, & recti, nerveis ſtagnat, illas diſtendit, atque ejus excretio per orificia vaſorum hæmorrhoidalium in inteſtino recto impeditur; ſupprimitur, vel repente cohibetur: Eadem enim ſymptomata, quæ jam recenſuimus in menſium irregulari fluxu obvenientia graviter infeſtant. Quare Medicus prudens in chronicis paſſionibus virili ſexui familiaribus ſollicite ſemper indagare debet, num hæmorrhoidarii ſint, vel ex eorum familia, vel an conatus, vel molimina ad hunc fluxum adſint. Fruſtra enim laborat, qui ad has in curatione non intendit, ac intentionem curandi eo ſimul dirigit.

In chronicis paſſionibus ſemper Medico hæmorrhoides inquirendæ.

§. CX.

Sententia quorundam Auctorum refutatur.

Enim vero utut hæc omnia firmo nitantur experientiæ fundamento, tamen neutiquam ſecundum ſententiam novæ doctrinæ medicæ quorundam Auctorum exiſtimandum eſt, omnia pathemata ſupra jam memorata ſpaſmodica, quæ in fœminis malo hyſterico, in viris malo hypochondriaco adſcribuntur, & frequentius in praxi medica occurrunt, non aliam agnoſcere cauſam & originem, niſi excretionis ſanguineæ per uterum, vel per anum, vitium, defectum, aut præternaturalem ſtatum, ſed a ſola, & unica hac cauſſa eſſe derivandam. Nam diuturna obſervatione per tot annorum ſeriem, in tot numeroſis, & plus quam aliquot mille ſubjectis, quæ nobis circa fontes minerales, thermas, & acidulas degentes ejuſmodi morbis affecti occurrerunt, explorata prius vera prima morbi origine, edocti ſumus viros, qui nunquam ad hæmorrhoidum fluxum habuerunt diſpoſitionem, & perfecte ſani fuerunt, fœminas quoque, quibus menſium negotium dextre ſucceſſit, affectu hypochondriaco, & hyſterico, ejuſque pathematibus correptos fuiſſe, & demum ſub ipſo illo morbo ad hæmorrhoidum fluxum enatam fuiſſe diſpoſitionem, vel menſium ſtatum antea integrum, turbatum fuiſſe, non ſine ſymptomatum exacerbatione. Invadit nempe hic morbus ſpaſmodicus, recte univerſalis dicendus, corpora ſenſibilioris, & animi, & corporis natura prædita, & valde debilia, vel a morbo præcedente, vel a diuturno mœrore, animi affectu, immodica venere, nimia ebrietate, vel a partu laborioſo in fœminis, aut a nimiis fatigationibus, & lucubrationibus mentis in literatis, vel per effrænes ſanguinis profuſiones, aut nimias ejus per venam ſectam miſſiones, præſertim quando tonus ventriculi, & inteſtinorum variis modis perverſus, vel deſtructus fuit, e. g. a potu frigido poſt motum nimium, & incaleſcentiam corporis, a cibo, vel potu aſſumto ſtatim poſt iram, aut terrorem, ab abuſu vinorum, & ingeſtorum, quæ acidum copioſum recondunt; a purgantibus, emeticis, draſticis, ex malo ſub aquarum mineralium uſu regimine diætetico; ab intempeſtive per adſtringentia cohibitis ſanguinis fluxibus, ſudoris quoque, vel alvi fluxibus; a male tractatis febribus, præſertim intermittentibus cum adſtringentibus, antequam cauſſa febris fuit remota; item a medicamentis mercurialibus, ſaturninis in gonorrhœa virulenta, & lue venerea perperam adhibitis. Quæ cuncta, dum canalem illum magnum alimentarium, & excrementitium valde nervoſum offendunt, ejuſque tonum invertunt, excretionem ſucci fermentalis ſalivalis per glandulas, & tunicas glanduloſas, & ingreſſum ſucci chyloſi in venas lacteas, atque excretionem inutilium ſordium per anum plane invertunt, & digeſtionem atque chylificationem vitiant, ſpaſticaſque ſtricturas in hunc canalem plane alienas inferunt: facile patet, eadem ſymptomata, quæ a cohibitis, vel deficientibus menſibus, vel hæmorrhoidibus fiunt, excitari poſſunt.

Authoris obſervatio multiplici annorum ſerie comprobata exhibetur.

Mali hypochondriaci verus exortus unde?

Nam in genere hoc loco tenendum eſt, quod pathemata illa, quæ vulgo hypochondriaci mali nomine efferuntur, nonniſi primario affectiones præternaturales generis nervoſi, & partium nervoſarum ſint, a quibus deinde liber, & æquabilis ſanguinis, & humorum vitalis motus cum debitis ſecretionibus & excretionibus plane turbatur, & invertitur. Hujus vero mali cauſſam non tam eſſe ſanguinem in partibus nerveis congeſtum, & ſtagnantem ob defectum criticæ per menſes, vel hæmorrhoides, evacuationis; ſed plures alias cauſſas jam ſupra memoratas, quæ variis modis ſyſtema nervoſarum partium, & maxime canalem ventriculi, & inteſtinorum lædunt, ejuſque motum deſtruunt, invertunt, & æquabilem fluidi nervoſi motum interturbant.

Ejuſdem mali cauſſa.

§. CXI.

Nunc vero ſequitur illud quoddam dubium, circa theoriam recentiorum pathologicam, paullo penitius diſcutiendum. Notum nempe per experientiam eſt, quod certi morbi certis ætatibus valde ſint familiares, quorum fundamentum Clariſſimus Stahlius aſſerit eſſe ſanguinis, & humorum a provida natura tentatam imminutionem, & evacuationem, quæ ſi non dextre ſuccedit, provenire inde morbos ætatum, ita, e. g. in ætate infantili naturam moliri evacuationem ſanguinis per nares, quæ ſi incompleta ſit, vel non ſuccedat, capitis inde dolores, tumores parotidum, glandularum colli, aurium humiditates etiam purulentas, capitis tineam, & ulcerationes, oculorum acres fluxiones, epiphoram, ophthalmiam fieri, & epilepſiam quoque, inter morbos ætatis infantilis inde oriri frequentiſſime.

Stahlii ſententia recenſetur.

Verum enim vero licet non negandum ſit, hos morbos perquam frequentes, & familiares eſſe infantibus, num vero illorum origo, & cauſſa a ſanguinis motu ad caput propter finem evacuatorium oriantur, plures obſtant in experientia firmatæ rationes. Nam dicti hi morbi plurimi, plus ſoboles ſunt feri excrementitii, ibi congeſti, quam ſanguinis; unde etiam laxantibus, & alterantibus longe felicius tolluntur, quam ſanguinis detractione, quæ nullo modo huic ætati congruit. Epilepſia vero, qua hæc ætas crebrius affligitur, nullo modo ſanguinis congeſtio ad caput dici poterit; cum potius teneritudo, & ſenſibilitas membranæ cerebri, & etiam ſpinalis medullæ accuſanda ſit, quæ in motus anomalos convulſivo-epilepticos ſubeundos valde eſt proclivis. Deinde obſervamus, epilepſiam, & convulſiones in infantibus, vel a dentitione difficili, vel a vermibus in inteſtinis ſtabulantibus, vel a materia acri cauſtica nervoſis hiſce membranis inſidente, in principio variolarum, morbillorum, vel a bile corroſiva viridi, ſtomachi & inteſtinorum tunicas arrodentes, nullo vero modo a

Impugnatur.

 ſanguinis

ſanguinis abundantia fieri. Quod attinet vero ad capitis dolores, qui non modo huic ætati, ſed etiam aliis ætatibus familiares ſunt, non ſemper, ſed rarius certe, ſuppreſſam ſanguinis per nares evacuationem ſequuntur; ſed potius a cruditatibus primæ regionis, a frigido vento aquilonari capiti admiſſo, a ſtagnante ſero, quod per coryzam evacuatur, vel a coryza ſuppreſſa, vel etiam ab ipſis vermibus oriuntur. Quod vero in prima ætate maxime morbi caput infeſtent, ut ſunt tinea, achores, fluxiones aurium, & oculorum, cauſſa hæc potiſſimum eſt, quod ad magnitudinem, auctionem, & perfectionem capitis, quam natura primo intendit perficiendam, multum ſanguinis, & humoris nutritii adducatur, minime vero eum in finem, ut ibi evacuetur; & fiunt tunc facile ſtagnationes in vaſis minimis, & hinc dicti morbi.

§. CXII.

Juvenilium morborum plures cauſſæ.

Eadem ratione morbi, qui adoleſcentibus, & juvenili ætati familiares ſunt, ut phthiſis, hæmoptyſis, tuſſis, pleuritis vera, & ſpuria, aſthma, non tam a ſanguinis incompleto evacuatorio motu per pulmonum vaſa, & aſperam arteriam ſuſcitantur, ſed a pluribus aliis cauſſis foventur, ita, e. g. plures phthiſin, hæmoptyſin, & tabem incurrunt a nimia ingurgitatione potus calidi, vini, ſpiritus vini, & ſæpius quoque phthiſis ſoboles eſt mali hypochondriaci, nec non hæreditaria prava diſpoſitio pulmonum ad phthiſin facit. Pleuriticæ vero affectiones, & peripneumaticæ, & identidem phthiſes, & pulmonum morbi a frigore corpori incautius admiſſo, vel potu frigido corpori incaleſcenti admiſſo oriuntur; ubi tamen non negandum eſt in juvenili, & virili ætate motum cordis eſſe validiorem, & impetum ſanguinis ad pulmones, & thoracem majorem, dubio procul ad extenſionem, & naturalem magnitudinem pectoris perficiendam, & ob hanc cauſſam fieri inflammationes, congeſtiones, & infarctus ſanguinis, & humorum, & exinde proficiſcentes ægritudines, febres præſertim ardentes, acutas, inflammatorias in hac ætate præſertim ab anno XXV ad XXXV plus fieri quam in aliis ætatibus.

§. CXIII.

De ſenum morbis Authoris ſententia.

De morbis ſenum hæc noſtra eſt ſententia: quod hi ipſi, horumque cauſſa, rarius a deficiente fluxu hæmorrhoidali, vel in fœminis a ceſſatione menſium deducenda ſit; utpote pathemata magis ſpaſmodica, ut ſupra monitum, ab hiſce excretionibus minus recte ſe habentibus proficiſcuntur, quibus tamen ætas ſenilis non ſubjecta eſt. Sed ſenum morbi, quos recenſet etiam HIPPOCRATES Sect. III. Aphor. XXXI. tabes, vigiliæ, urinæ difficultas, ſtranguria, calculus veſicæ, mictio cruenta, languor univerſi corporis, digeſtio vitiata cum proventu flatuum, & cruditatum acidarum, pedum vacillatio, viſus hebetudo, auditus gravitas, difficilis conſolidatio vulnerum, & læſionum externarum, ſicca ſcabies, tumor, & ulcera pedum, vertigo, apoplexia, memoriæ debilitas non tam a ſanguinis, & humorum abundantia, ſed potius a ſeri excrementitii copia ob tranſpirationem difficiliorem, & omnium virium defectum, dum influxus debitus liquidi nervei, & ſanguinei in partes ob canales anguſtiores tam ſecretorios quam excretorios ætate redditos, duci & derivari debent, quorum geneſin in *Tomo primo Medicinæ Syſtem.* item *in Diſſ. noſtra de valetudine ſenum tuenda*, paullo prolixius, & clarius deduximus.

Hyppocrates Sect. III. Aphor. XXXI.

Medic. Syſtem. T. I. it. Diſſ. de Valet. Sen. tuen. citatur.

§. CXIV.

Stahlii ſententia de calculi, & artuum doloribus.

Ulterius quoque hoc loco memorandum eſt, quod Clariſſimus STAHLIUS ea ſit in ſententia, calculi, & artuum dolores, præſertim podagricos, nimium redundantis ſanguinis ob imminutam evacuationem, vel per menſes in fœminis, vel per hæmorrhoides in viris eſſe progeniem; idque exinde demonſtrare nititur, quia quamdiu menſes recte fluunt in fœminis, eæ minus calculo, & podagræ ſunt obnoxiæ; quæ ſententia etiam eſt magni noſtri HIPPOCRATIS; viros quoque minus tentare podagra, quamdiu hæmorrhoides fluunt, imo reſtituto harum fluxu podagram optime curari. Verum utut non negandum ſit, ex ſanguinis ſuperabundantis difficiliori progreſſu, & inde orta humorum impuritate ingentem fieri ad hos morbos diſpoſitionem; & obſervatione quoque conſtet fœminas hiſce tentari poſt L. annum, penitus ceſſante menſium fluxu, & viros gravius affligi hiſce malis retardata evacuatione ſanguinis per hæmorrhoides, & allevationem dolorum ingentem fieri, ſi hæ rite fluunt: ſed tamen cum obſervatione conſtet indubia, & calculum, & podagram inter morbos hæreditarios, qui innatam labem, & imbecillitatem partibus ſolidis relinquunt, pertinere, nunc videmus quæ horum morborum procreatrix eſt. Deinde cum per experientiam cognitum ſit, ſub fluxu etiam menſium, & hæmorrhoidum etiam nimio, non ceſſare generationem calculi, vel materiæ ad dolores podagricos, neque ulla ſanguinis miſſione eam impediri poſſe. Atque cum non ignotum ſit, malam diætam, quæ multa acida, viſcida, præſertim ex lacticiniis, caſeo, & in potu aquas valde crudas, graves admittit, teſte ipſa Helvetia, ubi calculus fere endemius eſt, ad geneſin calculorum valde conferre. Intemperantia etiam in venere, ira, baccho ad rudimenta podagræ, & doloris cujuſque arthritici, & rheumatici præcipuum momentum confert; Denique etiam evictum eſt ſanguinem, humoreſque edulcorantia, atque excretiones per alvum, per cutim, & urinam promoventia hiſce morbis, & præcavendis, & avertendis, & ſanandis longe meliora eſſe præſidia ipſis ſanguinis miſſionibus. Recte itaque colligitur plethoram potius horum affectuum eſſe cauſſam valde remotam, & plus ad mitigationem in cura, quam ad expugnationem horum malorum ſymbolum ſuum contribuere.

Refutatur experientia.

Calculus in Helvetia endemius.

Arthritidis, rheumatiſmi, & Podagræ remedia.

§. CXV.

Nunc accedimus ad doctrinam paullo altioris momenti diſquirendam, num videlicet omnis generis febres, quarum natura, & eſſentia in ſolidorum, & fluidorum motibus acceleratis, & inordinatis cum pulſu frequentiori, & æſtu nimio, ac præternaturali verſatur, ſint in ſe, & per ſe adeo abſolute motus ſalutares vocandi, cum nempe in finem a ſapiente, & ſenſu interiori prædita natura inſtituti, ut ſanguis,

guis, & humores nimium abundantes, & periculum vitæ minantes ad id avertendum, calore, & motu aucto partim conſumantur, & materia excrementitia, in quam humores motu inteſtino reſolvuntur per congrua emunctoria ejiciatur? Rationes, quæ ad confirmandam hanc ſententiam adducuntur, ſunt ſequentes:

Febris cammoda enumerantur.

1.) Quod natura optimam habeat intentionem, id quod moleſtum, vel vitæ inimicum eſt, removendi, atque foras ejiciendi, utut non ſemper obtineat ſuum ſcopum: intentio tamen in ſe ſit bona, & ſalutaris.

2.) Quod finita febre redeant functiones in ordinem, & homo ſanus, imo ſæpe vegetior evadat.

3.) Quod multæ, & graves chronicæ affectiones, ut epilepſia, melancholia, paſſio hypochondriaca, cachexia, & morbi ab infarctu viſcerum non tutius, & certius ſaneſcant, quam ſuperveniente febre quadam.

4.) Quod natura ſuos motus contra cauſſam morbificam, certa proportione, gradu, tempore inſtituat, & per certa etiam emunctoria ſub certis diebus, qui critici vocantur, demum pernicialem materiam foras propulſat.

5.) Quodſi turbetur natura in opere ſuo tam ſalutari, & ſapienti per plane incongrua auxilia evacuantia, ſanguinis miſſiones, adſtringentia, & ſedantia, vel graviores, & funeſti affectus, vel ipſa mors, vel lethalia ſymptomata producuntur.

6.) Demum dicunt, apparere quam luculenter energiam naturæ activæ, & ſcientia præditæ ex eo, quod, v. g. in intermittentibus certis temporis periodis, accurate interdum obſervatis, motus hi redeant, poſtea quieſcant: quod neutiquam evenire poſſet, ſi materia morbi, quæ ſemper in corpore præſens, neceſſaria, & mechanica horum motuum ſit cauſſa.

§. CXVI.

Authoris de febribus aperitur ſententia.

Antequam hæc non levia dubia diluam, atque removeam, e re fore puto in hac, quæ omnium in pathologicis præcipua eſt doctrina, meam aperire ſententiam. Ego videlicet exiſtimo febrem eſſe univerſi ſyſtematis nervoſi, & vaſculoſi affectionem, quæ potiſſimum in eo conſiſtit, quod harum partium nervoſarum, & fibroſarum ſyſtole, & tonus ob fortiorem ſtricturam longe auctior, longe intenſior fiat, cum magna motuum vitalium, nempe circuli ſanguinis, ſecretorii & excretorii perturbatione, & inæqualitate, dum ſanguis, & humores partes externas in principio deſerunt, & majori copia introferuntur ad cor, vaſa majora, & caput; poſtea vero ob majorem ſanguinis affluxum in corde, arteriis, & tunicis arteriarum ſyſtole, & pulſus longe velocior, & circulus fluidorum acceleratior per univerſum corpus fiat, vel in malum, vel etiam in bonum exitum, videlicet vel in vitæ, & ſanitatis conſervationem, & reſtitutionem, vel in ejus deſtructionem. Nam quemadmodum alii morbi ſpaſtici certis tantum partibus inhærent, & circulum ſanguinis turbant, ut pathemata hypochondriaca, hyſterica, hæmorrhagica; ita in febre ſpaſmi occupant totum habitum corporis, & partes maxime externas, horrore, frigore, refrigeratione, conſtrictione, vaſorumque detumeſcentia id teſtante, & ſanguis a vaſis minimis, & peripheria corporis introvertitur, & ad cor, & vaſa majora pellitur, & primo anxietates, anguſtias cum pulſu parvo, contracto, debili, dorſi quoque, & capitis dolore, & totius corporis languorem efficit. Poſtea vero aucta ſyſtole, & diaſtole cordis, & canalis magni arterioſi, per vaſcula, & poros conſtrictos, & ſpaſmo anguſtatos cum magno impetu, & velocitate pellitur ad extrema corporis; unde pulſus fit paullo durior, & celerior cum intenſo æſtu, ſiti, vigilia, rubore faciei, & artuum; donec tandem ſpaſmo hoc univerſali ſoluto, vel remittente, habitus corporis laxior fiat, pori, & tubuli rurſus aperiantur, & ſudor copioſior, cum urina craſſa ſedimentum deponente, profluat; quæ motuum anomalia, quo diutius, & continuo magis durat, eo plus ſubeſt periculi, & cauſſa mali vehementior; quo plus vero remittit, vel plane intermittit, ut videmus in intermittentibus, eo minus ſubeſt periculi, nec cauſſa febris tam exitialis eſt.

Febris enumerantur ſymptomata.

§. CXVII.

Duplex febris ſtatuitur motus.

In febre autem duplicis generis motus obſervatur; unus nempe ille ſpaſmodicus ab extra introvergens, vitæ certe inſidias ſtruens, ſub quo etiam omnes, qui febre pereunt, tolluntur: nam is ipſe eſt, qui ſanguine introrſum ad partes nobiliores, potiſſimum ad caput, & ventriculum, nimium congeſto, ſphaceloſam ventriculi inflammationem, vel phrenitidem, aut convulſiones concitat, ipſamque tandem cordis ſyſtolen extinguit, & ipſum circulum ſanguinis. Alter vero motus, qui priorem ſequitur, a centro nempe ad circumferentiam, circulo aucto magis eſt vitalis, & ad vitæ conſervationem tendit; & hic etiam is eſt ipſe, qui, ſi probe eum adminiſtret, & moderetur Medicus, ſalutem affert corpori, qui cauſſam morbi expugnat, ſtaſes, & infarctus ſanguinis reſolvit, humores valde impuros, & abundantes minuit, evacuat, & omnem ſanitatem reddit; quinimo aliis inveteratis paſſionibus ſuperveniens, epilepſiæ, convulſionibus, affectibus ſpaſticis, & quæ ab infarctu viſcerum proveniunt, eas ſæpe numero feliciter tollit, Hippocrate jam id bene obſervante. Quod vero nulla febris ſine ſpaſtica affectione totius generis nervoſi oriri poſſit, ex eo clarum fit, quia nulla febris oritur ſine extremarum partium ſpaſmis, horrore, & refrigeratione, & quia omnia hæc ea, quæ vehementer ſyſtema nervoſarum partium irritant, convellunt, febri excitandæ apta ſunt. Quemadmodum id apparet ab aſſumto veneno cauſtico, vel miaſmate contagioſi morbi intus admiſſo, aut morſu viperæ, vel canis rabidi, vel punctura tendinis, nervi, aut duræ matris in cerebro, aut admoto acri remedio corroſivo partibus nervoſis vulneratis, aut quando ſerum acre, ut videmus in podagra, ligamenta tendineo-nervoſa arrodit; paullo grandior & aſperior calculus ureteribus violentiam affert, aut vermes tunicam inteſtinorum lancinant; vel quando aer tetris exhalationibus infectorum, vel paludoſis refertus, intro attrahitur; aut pus in exanthematibus, apoſtematibus magnis, vel etiam parvis, ut variolis, cutem nerveam diſtendit, aut adſtringens balneum nimis calide adminiſtratum, vel tranſpiratio occluditur, ut videmus in thermis Carolinis minus recte uſurpatis; vel etiam ſi ſanguis congeſtus nimium in vaſa minima partium nervo-

Nulla febris oritur abſque ſpaſtica ſyſtematis nervoſi affectione.

Balnei nimis calidi uſurpati noxa.

nervoſarum, ſeu membranarum nervearum, v. g. meningum, pleuræ, aſperæ arteriæ pulmonum, ventriculi, inteſtinorum ſubſiſtit, & inflammationem parit. Ex quibus clare intelligitur, non ſanguinis, & humorum copiam in ſe ſpectatam, vel quantitatem humorum etiam impurorum, niſi ſtagnet, vel ſtaſin in partibus nervoſis concitet, febri excitandæ aptam eſſe, ſed potius omnis generis febrium cauſſam quærendam eſſe in tali principio, quod poteſtatem, & vim habet nervoſarum partium texturam lædendi, & violenter in eam agendi.

§. CXVIII.

In febres facile incidentes, qui?

Nam attenta certe obſervatione diſcimus, nec ſanguine ſincero, nec impuro abundantes, ut videmus in ictericis, ſcorbuticis, ſcabie, aut lue venerea correptis, facile incidere in febres. Nam crudior illa, & craſſior bilioſa, vel ſalina excrementitia impuritas ad genus nervoſum commovendum minus idonea eſt, ſed requiritur materia longe ſubtilioris, & agilioris indolis, quæ in intima fibrarum nervearum admittatur. Nam profecto cauſſa motuum febrilium non tam in mole, ſed potius in tenuitate, & exilitate nocente conſiſtit; id quod luculenter teſtatur febrium epidemiarum, quarum maxima pars eſt ex atmoſphæræ collectis, & intus receptis virulentis cauſticis molleculis, geneſis. Subtilis quoque, & valde cauſticæ naturæ eſt illa materia, quæ febrem in purpura rubra, & alba, in variolis, morbillis, poſt ſcabiem vel podagram retropulſam, poſt prohibitam tranſpirationem in corpore ſudante, & ubi prima regio colluvie cruditatum ſordeſcit, progignit. Siquidem intermittentium fomes prima in regione abſque omni dubio reſidet, ſed tamen non ſufficit hic colluvies crudorum, acidorum, bilioſorum & corruptorum humorum ſaburra, ad ingignendum febrilem paroxyſmum; alias hypochondriaci continuo febre laborarent: ſed neceſſe eſt, ut materia accedat ſubtilioris, & magis pernicialis naturæ, quam vel ex ſuppreſſa tranſpiratione, vel ex aeris inquinamentis cum cibo, & potu deglutitis arceſſendam eſſe puto. Obſervamus etiam non raro hanc acrimoniam ſubtiliorem cauſticam intermittentium cauſſam eſſe, dum illa relegata ad habitum corporis, & excreta per puſtulas, ſcabiem, aut alia exanthemata, febriles commotiones, vel remittant, vel penitus conquieſcant.

Epidemiorum cauſſa conſiſtit in minimis aeris virulenti moleculis.

Intermittentium fomes in primis viis reſidet. Quæ cauſſa earum efficiens.

§. CXIX.

Purgantia draſtica febrium recidivas generant.

Huc etiam trahenda eſt ratio, quare intermittentium recidivas purgans paullo vehementioris indolis ſumtum, tam promte, & celeriter efficere, & febriles motus reſuſcitare ſoleat; quod tamen non evenit ab aliis laxantibus, vel etiam fortiter evacuantibus, modo non virulento quodam cauſtico ſubtili principio inſtructa ſint. Ex quo etiam clare intelligitur, quam hoſtilia generi nervoſo ſint omnia draſtica purgantia.

§. CXX.

De partium in febribus affectione ac

Nunc vero paullo ſubtilioris momenti quæſtiones reſolvendæ occurrunt: 1.) Quænam maxime ſenſibiliores, & nervoſæ partes primo, & præcipue in febribus afficiantur? 2.) Deinde unde periodici ſtatis diebus, imo ſubinde horis recurſus in intermittentibus fiat? Ad primam quæſtionem quod attinet, merito diſtingui debent febres eſſentiales, ſeu idiopathicæ, ſeu affectus primarius a ſecundariis, ſeu ſymptomaticis, quæ alios morbos comitantur. In illis illi rurſus differentiam quandam agnoſcunt a cauſſa, quæ vel in ſanguine, vel in ſero, ſeu lympha conſiſtit; ubi ſanguis in cauſſa eſt, febris oritur inflammatoria, & hæc occupat maxime partes membranaceas, & nerveas, ſenſibilioris indolis, ſanguine ibi plurimum congeſto; & prout hæ partes membranoſæ differunt, differt etiam inflammatoria febris; ita, v. g. ſanguis quieſcens, & ſtagnans in vaſis meningum, efficit phrenitidem: in tunicis nerveis, ac tendinoſis oculorum, ophtalmiam: in tunica nervea ductus auditorii, otalgiam; in ipſis tunicis nervoſis, quæ laryngem, ejuſque muſculos, & cartilagines inveſtiunt, anginam: in vaſis, quæ membranam pleuræ intercoſtalem internam afficiunt, cauſſatur pleuritidem: in tunicis nerveo-glanduloſis veſicularum pulmonalium, & bronchiorum, peripneumoniam ſuperficialem, & leviorem, vel graviorem, & profundiorem.

periodorũ exorta quæſtiones enodantur.

Febrium differentia.

Si inter ventriculi membranas nerveas firmius impactus hæret ſanguis, fit periculi plena ejus febris inflammatoria: Si diaphragma eodem modo patitur, oritur paraphrenitis, affectus paullo rarior: quando peritonæum, & ligamenta hepatis, illi annexa, quieſcente, & infixo ſanguine diſtenſionem, & vim quandam patiuntur, hepatitis naſcitur. Nam quod probe notandum eſt, nec hepar, nec lien, quoniam viſcera minus membranacea, & ſenſu acutiori minus prædita, inflammationem patiuntur: Frequentior vero conſiſtit febris acuta & inflammatoria in inteſtinis, eorumque tunicis; ita nempe, ut duodeno affecto cum ductibus biliariis cholerica fiat. Ileon ſi occupat inflammatio, febris valde periculoſa, brevi tempore necans naſcitur, & *miſerere mei* vulgo dicitur. Longe frequentiores vero ſunt inflammationes, & inflammatoriæ febres meſenterii, & annexorum inteſtinorum, utut rariſſime recte cognoſcantur a Medicis; & primus fere omnium, qui de his mentionem fecit, fuit BAGLIVUS in operibus ſuis. Nam certe ſectiones cadaverum acutis febribus defunctorum luculentiſſime teſtantur inflammata, & ſphaceloſa eſſe ipſa inteſtina. Si vero hæ febres acutæ diutius progrediuntur, & in lentas degenerant, abſceſſus, & corruptiones in meſenterio reperiuntur. Præterea ipſe uterus quoque, cum ex pluribus tunicis interne, & externe ſenſibilioribus compoſitus ſit, patitur inflammationem, quæ in corporibus puerperarum a lochiorum retentione frequentiſſime obſervatur.

Hepar, & lien per ſe non patiuntur inflammationem.

Baglivus primus detexit febres meſentericas.

Tandem etiam obſervamus a cute inflammata in eryſipelate oriri febrem; quod etiam accidit in doloribus arthriticis, podagricis, ubi etiam leviores inflammationes, rubore, tumore, & dolore id teſtantibus, adſunt, & febris conjuncta eſt.

In febribus inflammatoriis partes nerveæ patiuntur.

Ex quibus omnibus jam dictis patet in febribus iſtis inflammatoriis ſanguineis, acutis, partis nerveæ texturam primario pati, atque affligi. Nunc etiam inquirendum erit ſubjectum, ſeu pars affecta febrium lymphaticarum, & catarrhalium, ad quas non modo ſimplices illas catar-

catarrhales benignas, ſed potiſſimum, quæ ſunt pejoris indolis, morbilloſas, varioloſas, purpuraceas, imo ſecundum noſtram ſententiam ipſam etiam peſtem, & petechialem, & quæ a miaſmate intus ſuſcepto prodeunt, reſerimus. Deinde quoque inquirenda erit pars præcipua quæ primario afficitur in intermittentibus febribus. Harum dictarum febrium ſubjectum primarium, noſtro quidem judicio, nos reponimus in iis partibus, quæ principaliter ſenſum, & motum fœnerant reliquis noſtri corporis partibus. Et hæ ſunt ipſæ illæ membranæ, ſanguinis & ſucci nervei influxu turgidæ, & motu conſtrictorio, & relaxatorio, ut ut ſubtiliori gaudentes, quæ cerebrum, & medullam ſpinæ cingunt, & duræ, ac piæ matris nomine veniunt, quippe hæ ſunt, quæ motum, & affluxum ad has partes liquidi nervoſi moderantur, & efficiunt. Hæ ſunt, quæ originem dant omnibus reliquis membranis nerveis totius corporis, adeoque intimæ communicationis, & conſenſus ſunt. Hæ ſunt, quæ ipſorum nervorum texturam conſtituunt. Quodſi itaque ſanguis ad has membranas adducitur, vel ſerum, quod ſubtili acrimonia cauſtica ſulphurea varii generis imbutum eſt, quemadmodum id fit in dictis febribus, motiones inde fiunt ſpaſticæ, & contractiones totius generis nervoſi, ſine quibus nulla febris, ſeu inæqualis, & intenſior cordis, arteriarum, nec non ſanguinis motus fieri poteſt. In intermittentibus febribus pathemata illa ſpaſtica noſtra ſententia ex membranis nerveis cerebri, & ſpinalis medullæ oriunda paullo luculentius apparet ex horrore, refrigeratione, contractione, detumeſcentia vaſorum, conſtrictione pororum in partibus externis, & maxime externa oſcitatione, & pandiculatione, quæ ut plurimum præcedit; ex alvi tenſione, & conſtipatione, tranſpiratione ſuppreſſa, pulſu contracto, & parvo, duro, anxietate præcordiorum cum nauſea, & inclinatione ad vomitum, dolore dorſi, & maxime lumborum, item capitis languore, & laſſitudine totius corporis, & dolore maxime contuſorio ipſorum artuum, quæ omnia generis nervoſi pathemata ſunt. Si lympha vero paullo acrior cerebri membranas exercet in morbillis, variolis, primis diebus epilepſia, deliria junguntur. In peſte vero, ſi venenum interiora ſubit, nullum dubium eſt, quin hoc ipſum proxime, & immediate penetret, & ſeſe inſinuet in cerebri membranas, & nervos, & cum tota ſubſtantia adverſum ſit puriori, & elaſtico cerebri, & nervorum alimento, mox ingens omnium virium vitalium, præſertim cordis, & arteriarum motus fit defectio, & inde inflammatoriæ, ſphaceloſæ, præſertim in ventriculo, & aliis nobilioribus partibus, ſtaſes: & niſi hæ maturius convenientibus auxiliis diſcutiantur, lethalis vitæ fit cataſtrophe.

[I]ntermittentium primarium ſubjectum ſunt membranæ ſanguinis, & ſucci nervei influxu turgidæ.

[P]athemata generis nervoſi referentur.

[P]eſtis genius operandi.

§. CXXI.

Nulla igitur oritur febris, ubi non primum ſyſtema nervorum, & nervoſarum partium fuerit affectum, ubi non præceſſerit horror, & refrigeratio corporis, & ab hoc etiam initium febris, ſive acuta, ſive chronica fuerit, vulgo deſumitur. Nulla febris oritur, ubi non a ſpaſtice conſtrictis partibus, fibris, & tubulis extremarum partium ſanguis inæqualis, retrogradus, & introverſus a circumferentia ad centrum, ſeu ad cor, & majora vaſa fit motus, & congeſtio, & inde etiam febris initia, præcordiorum anxietas, anguſta, & anxia ſpiratio, pulſus inæqualis, & parvus, contractus, viriumque languor, & projectio in univerſo corpore debent referri. Hanc ſanguinis congeſtionem ad pectus, cor, imo ad ipſum cerebrum, poſtea ſucceſſive ſequitur cordis, & arteriarum motus, & pulſus auctior, plenior, celerior, quem deinde excipit æſtus univerſi corporis, rubor, inflatio, ſitis, vigilia, inquietudo, urina parcior, & coloratior, corporiſque, & virium, ſi diuturnior hic motus fuerit, conſumtio. Hic motus vero ſanguinis ad ſuperficiem corporis auctior a diaſtole cordis, & arteriarum, ob diſtenſionem majorem a ſanguine introverſo, & regurgitante, & copioſioris fluidi nervei ex cerebro affluxu, dependet, & tam diu durat, quamdiu ſtrictura illa ſpaſtica vaſa, & fibras occupat. Definit vero, ubi hæc ipſa ceſſat, & tunc febrilis motus finitus eſt, cujus finis index eſt largior habitus cutis, tubulorum identidem urinariorum, bilioſorum etiam, & canalis inteſtinalis; unde largior ſudoris fit profuſio, urina ſecedit craſſior ſedimentum deponens, alvus fit fluidior, & bilioſæ ſedes copioſe excernuntur. Summatim attendenda hæc regula, ceu lex microcoſmica eſt, quod ſpaſmum, ac torſionem, ſeu criſpaturam vaſorum, & fibrarum perpetuo excipiat imbecillitas, ſeu atonia, ſeu nimia reſolutio, & laxitas; ita prorſus, ut quo vehementior fuerit ſpaſmus, imbecillitas, ſeu atonia partis eo major fiat.

Spaſtica fibrarum, & tubulorum extremarum partium contractio retrograda eſt febrium initium.

Relaxata ſpaſtica contractione habetur febrium ceſſatio.

Spaſmum excipit atonia, & vice verſa.

§. CXXII.

Hac regula obſervata, facillimum jam erit paullo penitius penetrare in genuinas cauſſas periodici recurſus paroxyſmorum febrilium, quæ nunquam antea rite explicatæ, vel detectæ fuerunt. Obſervatione enim perquam dignum eſt, tempore a paroxyſmo vacuo, a fibris, & tubulis vehementi ſpaſmo in ipſa febre conſtrictis, obſervari ingentem laxitatem, & debilem, ac imbecillem vim, ac potentiam motricem; inde fit, ut ſanguinis circulus in paroxyſmo vehementiſſime auctus, nunc valde ſegnis, & retardatus obſervetur, id ipſum maxime teſtante pulſu, qui in paroxyſmo intra quinque minuta ſecunda novem vel decem vicibus obſervatur, tempore intermiſſionis vix quinque aut ſex vibrationes edit. Perſpiratio quoque corporis tunc valde imminuta eſt, & tota cutis ad ſenſum frigida, & horridula obſervatur: Inde fit, ut poſtquam materia peccans, & congeſta in vaſis membranarum ipſo motu, & calore aucto in paroxyſmo fuerit diſſoluta, & diſcuſſa, jam de novo ob retardatum circulum ſanguinis, & excretionem ſubcutaneam imminutam genita in partibus nervoſo-membranaceis etiam imbecillioribus, denuo ſtagnet, ſubſiſtat, & affligendo genus nervoſum de novo ſuſcitet paroxyſmum. Et hoc loco quoque probe tenendum illud eſt, quod ſub ipſis motibus, & paroxyſmis febrilibus propter motum inteſtinum nimis calidum, auctum, ingens cacochymia, & impuritas humoribus contrahatur, dum illi temperati, & benigni in falſas ſulphureas viſcidas recrementitias abeunt ſordes, quæ quoniam die vacuo non rite diſſlantur, ſed in corpore remanent, ſuccos fermentales, ipſamque bilem vitiant: inde fit, ut materia, & fomes intermit-

Febrilium vera paroxyſmorum ratio exponitur.

In ipſis paroxyſmis maxima contrahitur cacochymia.

tentis febris prima in regione delitefcens ex commixtione, & confermentatione pravorum humorum, & cruditatum denuo augmentum capiat, & ſenſim, paulatimque per vaſa lymphatica, & lactea cum ingeſtis accedens ad maſſam ſanguinis efficiat iſtas commotiones ſpaſtico febriles in nervoſis, & membranaceis corporis partibus. Quandoquidem id ante omnia ſcire convenit omnium fere morborum periodicorum, & paroxyſmorum originalem, & materialem cauſſam delitefcere primis in viis, & præcipue omnium in parvo illo ſuccenturiato a nobis dicto ventriculo, qui duodeni vulgo nomine venit, ubi ob ſtagnationem, & moram frequentem humorum vitioſorum, qui ex mala digeſtione aſſumtorum, ex depravata, & corrupta bile, & lympha pancreatica, vera fabrica, & hoſpitium exiſtit, & maxime omnium id in intermittentibus febribus locum habet. Cum vero hæ ipſæ ejus ſint indolis, atque genii, ut vel faciliorem, vel difficiliorem ſanationem admittant, & ſæpe unico vomitorio, aut aliquot doſibus deterſivorum ſalium, & roborante remedio, expugnentur: ſubinde vero omnia hæc remedia alias probatiſſima, eludant. Statuendum utique eſt, ubi tam contumaces hæ febres ſunt, ut videmus in febribus autumnalibus tertianis, vel quartanis non tantum morbificæ cauſſæ ſedem primis in viis, ſed adhuc paullo altius in ipſa labe viſcerum, præſertim hepatis, lienis, & pancreatis, quæ ob circuitum ſanguinis ibi difficiliorem, facile labem contrahunt, & functione ſua privantur, quærendam, & curandi rationem eo eſſe dirigendam. Jam etiam ratio facile peti poteſt, quare ejuſmodi contumaces, & chronicas intermittentes, ſi præpoſtera methodo tractentur, frequentiſſime tumores œdematoſi, hydrops, aſcites, pathemata ſpaſtica hypochondriaca, vel etiam lentæ, & hecticæ febres inſequantur.

Morborum periodicorum cauſſa originalis latet in primis viis, præſertim in duodeno.

Febrium pernicialium cauſſa adſtruitur.

§. CXXIII.

Tuta, & rationalis intermittentium medendi methodus aperitur.

Hæc vera, & rationalis intermittentium theoria nos etiam deducit ad tutam, & rationalem medendi viam, quæ in eo potiſſimum verſatur, ut 1.) omnium ea materialis cauſſa prima in regione potiſſimum ſubſiſtens, & pernicialem ſuam vim in ſyſtema partium nervoſarum diffundens, partim corrigendo, partim evacuando removeatur. 2.) Ut geneſis novæ materiæ febrilis ad novos paroxyſmos ſuſcitandos impediatur. Ad primam intentionem obtinendam ſalia deterſiva cum alcalinis, & abſorbentibus mixta, emetica quoque ſecura, & evacuantia congrua, vacuo præſertim die exhibita, omne abſolvunt punctum. Deinde ut novæ materiæ febrilis generatio avertatur, opus eſt, ut declinante febre, & tempore intermiſſionis ſanguinis, & humorum maſſa a ſordibus excrementitiis, quæ ipſæ motu febrili ſubnatæ fuerunt auctiori tranſpiratione per univerſale corporis emunctorium, cutim nempe, neque minus per vias urinarias, & alvum apertam excludantur. Demum expurgatis probe impuritatibus, & humorum, ac ſanguinis nimia copia in plethoricis imminuta, & viſcerum infarctu ſublato, adhibenda ſunt ea remedia, quæ peculiari vi roborante, tonica, ſubadſtringente pollent, quibus, & primarum viarum, & aliarum partium nervoſarum tonus roboretur, atonia, quæ matrix eſt novæ materiæ febrilis, removeatur; quæ remedia, ſi pro ratione corporum laborantium, ſeu naturarum diverſarum vitio, & pro conditione humorum peccantium rite, & cum judicio applicantur, ex toto tolli poteſt febrilis ejuſmodi commotio ſine ullo recidivæ metu, modo ab ipſis ægris diætæ habeatur ratio. Si vero præpoſtera methodo tractantur, quæ valde vulgaris eſt, & roborantia ante correctionem, & evacuationem peccantis materiæ adhibentur, non modo recidivæ ſæpe pejoris indolis, ſed & morbi, qui multum periculi alunt, chronici ſuſcitantur. Secundum itaque hanc noſtram theoriam multa phænomena circa doctrinam febrium clare intelligi poſſunt, quæ ex alia hypotheſi plane non intelligibilia ſunt, e. g. 1.) Quare cortex chinæ tam inſecurum ſit remedium, & ſimul tamen mirabilem, & pene divinam in cohibendis motibus febrilibus, & perfecte curanda febre præſtare poſſit opem? 2.) Item, quare emetica in ipſa febri, ſive potius in ipſo paroxyſmo adhibita funeſtum ſæpe proferant effectum? 3.) Quare nonnullis remediis, ut opiatis, ipſi paroxyſmi ad tempus ſuſpendi queant, calidis vero, & acribus, & volatilibus remediis ex tertiana, & quartana ſimplici, tertiana, vel quartana duplex fieri poſſit? Et 4.) quare venæ ſectio interdum ſaluti, ac magno præſidio ſit, interdum etiam longe contumaciorem febrem efficiat, ac valde noceat? Item 5.) cur unico ſæpe emetico, & aliquot doſibus corticis chinæ ſubjunctis ſimul & ſemel, uno quaſi ictu tolli poſſit febris? Quod tamen non univerſale eſt. Porro etiam 6.) quare veſicatorio, vel paullo acriori cataplaſmate manuum carpis applicato, paroxyſmus ſuſpendi, vel penitus tolli poſſit? Denique 7.) quare cum corpus auræ frigidiori, & humidiori in locis humidioribus ſubterraneis, vel etiam vento boreali expoſitum fuerit, febris ſæpius recrudeſcat præcedente ſemper circa primam lumborum vertebram dolore, & poſtea ſubſequente horipilatione, & extremorum frigore?

Authoris præſcripta methodo diverſi febrifugorũ effectus, & febrium phænomena melius quam alia explanantur.

§. CXXIV.

Contraria hypotheſis eſt inſufficiens ad explicanda febrium phænomena.

Præterea perquam difficili negotio ex alia, & recepta hypotheſi de febribus explicari poteſt, quare catarcticum, ſeu validius purgans tam expedite, & prompte recidivas ingeneret? item quare a balneo nimis calido, & adſtrictivæ facultatis, v. g. aquarum, ſeu thermarum Carolinarum, vel etiam ex fonte Lauchſtadenſi parato, febrilis motus mox, qui ex intermittente, in continuam febrem, niſi cito occurramus, deſinit, induci poſſit? Porro quoque, quare a tendinea, vel nervea parte leviter puncta, vel vulnerata, vel graviter læſa, vel acri corroſivo medicamento ipſi applicato, febris oriri poſſit? Et tandem quare intermittentes perperam tractatæ, præſertim in corpore juvenili, & ſenſibili in affectus graves ſpaſmodicos deſinant?

§. CXXV.

Cortex chinæ, & martialia ante corporis purificationem ſunt nocentiſſima.

An & quomodo problemata illa adducta ex noſtra doctrina poſſint reſolvi, jam videbimus: 1.) Quare cortex chinæ, & alia ſpecifica antifebrilia, ac martialia adſtrictivæ facultatis ſæpiſſime divinam opem ferant in harum febrium ſanatione, ſæpiſſime etiam pernicialem effectum poſt ſe relinquant? Dicimus itaque ea eſſe nocentiſſima, ſi ante correctionem, vel evacuationem materiæ

peccantis

peccantis uſurpentur; quia relicta illa materia, utut motus febrilis ſupprimatur, cauſſa evadit aliarum paſſionum graviorum, præſertim ſpaſticarum, vel ſi ſimul concurrit nimia ſanguinis, ac humorum exundantia, & lentor, viſcerum infarctus, obſtructiones, & affectus chronici emergunt, e. g. hydrops: nam adſtrictiva ſua, qua pollent, vi, vaſa anguſtiora, & minima, quæ ſunt in emunctoriis, occluduntur; quod vel ex eo clarum fit, quia perperam adhibitas urinas tenuiores ſine ſedimento, & ſedes minus bilioſas, & fœtidas reddant, perſpiratio quoque debilior, & languidior cum tumore, & aſſenſu extimæ cutis obſervatur. Nocentiſſimus quoque eſt hujus remedii uſus, vel ante paroxyſmum, vel in ipſo paroxyſmo: nam propter ſuam adſtrictionem ſpaſmo conſtrictas nerveas fibrillas plus conſtringit, adeoque anxietates, & omnia illa ſymptomata, quæ ſub horrore, & frigore eveniunt, exaſperant. Tutum vero, & efficaciſſimum cortex chinæ, & alia adſtringentia præbent remedium, 1) ubi corpus probe a redundantia, & impuritate humorum peccantium per congrua emunctoria convenientibus evacuantibus liberatum eſt.

Prædicta medicamenta ante, & in paroxyſmo nocent.

Diebus a febre vacuis proſunt.

2.) Quando diebus vacuis a febre, ubi ſpaſmus remiſit, & potius atonia, & dejecto tono laborant partes, uſurpantur, tunc omnis generis excretiones ſalutares evadunt. Obſervavimus enim a cortice chinæ alvum ſolutam eſſe per crebras dejectiones, item ſudorem, & reſpirationem auctam fuiſſe, tum urinæ fluxum fieri liberaliorem, quandoque etiam ipſum ſalivæ fluxum provocatura, & vires totius corporis languentes erectas fuiſſe & increviſſe.

Emetica circa, & in paroxyſmo ſunt exitialia.

3.) Cur emetica ſumme exitioſa ſint circa paroxyſmum, vel in ipſa acceſſione? maxime vero utilia die intermiſſionis, ſi indicatio ejuſmodi remedii adſit? ratio hæc eſt, quia ſtrictura ſpaſtica agunt in tunicas nerveas ventriculi, & inteſtinorum, quæ ſub paroxyſmo febrili præſens eſt, & quam augent; quod vero non evenit, ubi ſpaſmus plane deſeruit has partes vacuo nempe a febre die.

Anodyna, & opiata paroxyſmos leniunt, ſed poſtea exacerbant.

4.) Quare aſſumtis anodynis, & opiatis paroxyſmi leniores fiant, vel etiam plane ſuſpendantur, poſtea vero majori impetu revertantur? quod fit, quia opiata facultatem habent, principio ſuo vaporoſo omnem ſtricturam, & motum, ac tonum partium fibroſarum, fibrarumque motricium, minuendi, labefactandi, vel etiam ſpaſmos avertendi. Nam operantur atonia, quæ ſemper contraria eſt ſpaſmo; ſed cum ſub tali ſtatu ſolidorum excretiones minuantur, & major proventus vitioſæ, & peccantis materiæ excernendæ fiat, non mirum eſt, poſtea paroxyſmos exacerbari.

Volatilia paroxyſmos exaſperant.

5.) Dignum quoque notatu eſt, quod volatilibus, calidis accelerari poſſint paroxyſmi, imo quandoque exaſperari, & ex ſimplici tertiana, vel quartana, duplex, vel continua reddi queat; quod ex eo dependet, quia omnia calida, volatilia, ſudorifera, præſertim ſordes bilioſas, acidas, corruptas prima in regione ſtabulantes, motu inteſtino non modo ſubtiliores reddunt, ſed & ad maſſam ſanguinis, & humorum, conſtricta magis inteſtinali excretione celerrime deducunt: Et obſervavimus nonnunquam purpureas maculas hac ratione, ac perverſa methodo fuiſſe intermittentibus aſſociatas.

Venæſectio paroxyſmos ſolvit in plethoricis.

6.) Venæ ſectio maxime proficua, & ſalutaris eſt, in intermittentibus imo auxilium neceſſarium, ſi ſtatus plethoricus, ætas juvenilis, diæta vinoſa, & affectus animi impetuoſior febri occaſionem ſimul dedit, & niſi cito ſolutio fiat plethoræ, metus eſt, ne intermittens tertiana in continuam degeneret, & ſub ipſo paroxyſmo mentis abalienatio ſuccedat. Notiſſimum vero eſt quod ſæpe ſanguinis miſſio, non modo diſponat ad generationem intermittentium, ſed etiam earum expeditam correctionem, & curationem impediat, ſi cruditatibus obſeſſæ ſint primæ viæ, ſi habitus corporis valde ſpongioſus, & exilibus vaſis turgidus, tempus etiam autumnale, & a prohibita tranſpiratione, nimio frigore ad cutim admiſſo, febris acuta orta fuerit. Sanguine enim detracto tranſpiratio magis minuitur, cruditates in primis viis coacervantur, & obſtructiones viſcerum, unde contumacia febris, augentur.

Venæ ſectio in cruditatibus primarum viarum nocet.

Vomitorii effectus.

7.) Sæpe fit, ut unico vomitorio, & ſpecifico antifebrili ſubjuncto ſimul & ſemel febris expugnetur; interdum vero hæc methodus penitus inconveniens fit. Illud ſuccedit, ſi ob colluviem humorum vitioſorum prima in regione collectorum, ex nimia voracitate febris naſcatur, & nauſeam ſive conatum ad vomitum, amaritiem oris, & dolorem anxium preſſorium circa præcordia comitem habeat, & initio febris mitius procedat. Si vero, ut ſæpius fit, in calidioribus ſubjectis, & tempore æſtivo ob præcedentem iram, & tranſpirationem impeditam, principium febris eſt inſtar continuæ, ita, ut ægrius etiam a Medico diſcerni queat intermittens, cavendum eſt ab emeticis, ſed potius nitroſa cum lenioribus diaphoreticis mixta, & alvum clementer laxantia locum habent.

Cortex chinæ quomodo, & in quibus ſit porrigendus.

De uſu, & viribus corticis chinæ inter initia febris id ſcire convenit, quod expurgata prima regione, ſive naturæ, ſive artis beneficio in tali febre, cujus acceſſio in principio mitiſſima eſt, commodiſſime adhiberi poſſit, & longe tutius, ac ſi jam aliquot paroxyſmi præceſſerint. Nocet vero, ubi corpus plethoricum eſt, præſertim ſanguinis impuri copia refertum, ubi viſcerum metuendi ſunt infarctus, & in febribus, quæ autumnali tempore gignuntur.

§. CXXVI.

Veſicatoriorum operatio qualis, & applicatio quando?

Porro ex noſtra doctrina reſolvendum quoque eſt hoc problema, quod ad applicationem emplaſtri veſicatorii, vel roborantis febriles paroxyſmi, vel plane conquieſcant, & finiantur, vel ad tempus ſiſtantur? Videtur quidem horum remediorum operatio potius favere, & velificari febrilium motuum ſpaſticorum productioni, & continuationi; experientia tamen teſtatur contrarium. Ratio enim in eo poſita eſt, quod non tempore acceſſionis, vel paroxyſmi, ſed extra illud applicari debeat; & quia tunc maxima eſt motuum vitalium imbecillitas, & quaſi atonia nervoſarum, & muſculoſarum partium, quæ novæ materiæ febrilis genitrix exiſtit, hæc remedia ſtimulo ſuo acri, quem exſerunt in partes tendinoſas, & nervoſas, carpis manuum dum applicantur, atoniam hanc tollunt, & vigorem motuum tam progreſſivi, quam excretorii tuentur, & reſtituunt, & hac ratione generationem novæ materiæ febrilis impediunt. Inſuper experientia confirmat, febrium recidivas facillime fieri finita febre, ſi quis auræ frigidiori, præſertim ſeptentrionali, corpus exponat,

Aura frigidior, & humidior recidivarum origo.

exponat, aut in locis humilioribus, quæ frigido, humido, & vappido aëre plena ſunt, paullo diutius verſetur. Ratio in procinctu eſt, quia nempe in ejuſmodi ſtatu aeris non modo perſpiratio, qua ſordes in humorum maſſa relictæ excrementitiæ ejiciuntur, ſiſtitur, & genus nervoſum de novo ad ſpaſmos febriles irritatur. Eveniunt vero ejuſmodi recidivæ facile, ſi materia febrilis nondum ſufficienter per idonea remedia, & eorum continuationem e corpore fuerit proſcripta, atque foras eliminata.

§. CXXVII.

Purgantia Draſtica quomodo recidivantes febres generent?

Tandem etiam illud diſcutiendum eſt, cur tam promte, & facile a ſumto purgante, paullo validiori & fortiori, paroxyſmus antea quieſcens ſubito revertatur, & recrudeſcat; cujus rei rationem inde deducimus, quod principium illud acre cauſticum, quo cathartica operantur nervoſis partibus inſinuatum, de novo ſuſcitet febriles illos priores ſpaſmos; ſiquidem a clementer laxantibus, utut copioſiores ſedes moveant, illud ipſum non evenit. Et certe, ſi quid aliud, imprudens balnei nimis calidi, aquarum Carolinarum in impuro corpore applicatio, evidenter febris generationem declarat; cujus mirabilis effectus hæc ſubeſt ratio; præ omnibus aliis thermis hæ graves ſunt refertæ copioſo calcareo terreſtri, & ochreo elemento, cujus ratione externum poroſum corporis habitum conſtringendo expedite, & feliciter tumores œdematoſos pedum abigunt, & exulcerationes exſiccant; cum itaque & pondere ſuo, quo premunt ſuperficiem corporis, & adſtrictiva vi liberam difflationem impediunt, & fortiori ſtrictura humores ab exterioribus ad interiora repellunt; fit utique, ut caloris nimii acceſſu hi rarefacti valde diaſtolen cordis, & arteriarum, & ſubſequentem ſyſtolen augeant, & motum revera febrilem cum pulſu celeri, & duro, cephalalgia, dolore dorſi, & languore univerſi corporis producant, cui, niſi cito convenienti auxilio ſuccurramus, genuina intermittens, aut continua pro ſubjecti natura inducitur, quæ febris recte meretur dici artificialis, ſeu arte producta.

Calcarea Thermarum Carolinarum terra qua ratione febres producat?

§. CXXVIII.

Ab immodico frigore, balneo frigido, & terrore febres quomodo exoriantur?

Nunc etiam erit facillime ratio reddenda; quare ab immodico frigore admiſſo corpori, balneo etiam frigido, item a terrore gigni poſſit febrilis calidus motus cum magna cordis, & arteriarum expanſione, celerique motu; dum nempe harum rerum indoles eſt, conſtringendo habitum corporis, ſummamque cutis ſuperficiem, vi ad interiora, & majora vaſa ſanguinem repellere, ubi poſtea congeſtus, tanta motus efficacia, quanta eſt repulſio, ſeſe expandit, & in priorem ſtatum ſe reſtituit. Deinde artificialem etiam productionem motus febrilis, quam promte efficere ſolet punctura tantummodo, vel læſio, contuſio, aut vulneratio tendinoſæ, aut nervoſæ ſenſibilis cujuſdam partis, quam mox excipit partis dolor, ſtrictura, rubor, ardor, & poſtea durus, & celer pulſus cum ſiti, & vigilia; Neque ſilentio prætereundum eſt a ſolo dolore ardente, & congeſtionibus in magnis abſceſſibus, in ſuppuratione variolarum, quæ graviorum dolorum ſunt comites, febres ſuſcitari.

§. CXXIX.

Pulſuum celeritas in febribus unde?

Reſtat adhuc quædam eſſentialis circumſtantia ipſam febrim conſtituens & indicans, etiam explicanda, quæ videlicet eſt pulſuum celeritas cum renitentia quædam juncta, & ex numero certo dato temporis ſpatio metienda; equidem non omnis frequentia, quæ eſt affectio celeritatis, indicat febrem, ſed ea, quæ renitentiam, ſeu potius duritiem quandam, ſenſu tactus perceptibilem, comitem habet. Nam datur etiam pulſus frequens, tactu mollis, qui potius motus febrilis remiſſionem, & declinationem arguit. Celeritas hæc pulſuum ab aucta ſyſtole, & diaſtole cordis proficiſcitur: renitentia vero, & durities a ſpaſtica ſtrictura tunicarum nervearum, & muſculoſarum, quæ arterioſos tubulos efformant. Ipſe enim ſpaſmus tam univerſalis eſt, ut maxime omnium vaſa, quæ omnis generis fluida vehunt, maxime vero arterias occupet. Eſt vero pulſus in principio febris, horrore, & frigore ingruente, contractus, parvus, plenior vero, & major in vigore febris, nunquam vero ſine renitentia.

§. CXXX.

Febris phyſica, & non metaphyſica neceſſitate efficitur.

Ex hiſce omnibus probe penſitatis, & evidenter explicatis, liquido apparet, motum febrilem non eſſe opus principii cujuſdam, ſenſu interno, vel intentione, aut directione motuum ad certum finem tendente, inſita, quaſi præditum, nec morali, ac metaphyſica plus quam phyſica neceſſitate motus fieri: ſed eſſe potius motum febrilem affectionem ſyſtematis nervoſi ſpaſticam, qua totus ſanguinis circulus ſeu curſus immutatur, dum ab exterioribus ad interiora, & rurſus ab his ad peripheriam corporis fertur; adeoque pure mechanica, & phyſica neceſſitate fieri, ita ut cauſſis ejuſmodi præſentibus, quæ ſyſtema partium nervoſarum univerſum, & ſimul genus vaſorum in ſpaſmum conjicere poſſunt, neceſſario motus ſequi debeat febrilis, niſi velimus omnem cauſſalem influxum, atque energiam motus unius corporis in aliud negare, atque in totum rejicere. Quandoquidem illud dicimus mechanice fieri, ſeu ex neceſſitate phyſica, ubi materia præſente ſtatim, & ſemper mutatio in alio corpore accidit, & viciſſim remota hac materia, ceu cauſſa ſtatim ipſe effectus tollitur.

§. CXXXI.

Principiis metaphyſicum ad phœnomena medica explicanda non eſt admittendum.

Denique etiam plane non admittenda eſt taliſmodi doctrina, ſeu theoria in medicina rationali, quâ nec explicari queunt phœnomena, circumſtantiæ, cauſſæ, ſymptomata in hiſtoria cujuſdam morbi contenta, nec quare hæc, vel illa remedia ſalubrem, vel inſalubrem, ſeu noxium effectum produxerint, clare demonſtrare: nec cauſſis morborum tollendis convenientia remedia invenire, cum methodo, & ordine prudenter ea applicandi, poſſunt; & ejus generis ſunt hypotheſes, quæ pro principio agnoſcunt ens quoddam cognitione, intentione, & rationali moralitate, vel etiam errore præditum. Equidem non negamus, corpus noſtrum a ſapientiſſimo Opifice tam affabre eſſe conſtructum & contextum, ut non modo motibus ſe ipſum a corruptione mortifera defendere,

dere, ſed etiam ut motus ſubinde plane irregulares, ſeu a norma ſecundum naturam aberrantes, tanquam media ſunt, quibus aliena e corpore proſcribantur, atque ſic mediate in ſalutem ejus tendant. Quales ſunt maxime febriles, & ſpaſmodici a materia motibus naturalibus infeſta inducti, ipſius cauſſæ morbificæ emendationi, remotioni, imo expulſioni in corpore inſerviunt, adeo, ut loco medicinæ ſint; hinc fit, ut etiam periculoſe, & acute decumbentes, ejuſmodi motibus febrilibus, & ſpaſticis exacerbatis, ſine Medici opifice, & auxilio ſanitati reſtituantur, ipſaque cauſſa morbi per effectus, quos producit, expugnetur; quod vero longe felicius evenit, ſi prudens Medicus hos motus rite moderari, & pro re nata, vel promovere, aut levare, aut dirigere pro deſtruenda morbi cauſſa valeat. Sed tamen crebro quoque obſervamus, talem eſſe indolem motuum morboſorum, qui plane non correctioni, vel emendationi, aut excretioni materiæ hoſtilis quadrant, ſed plane fruſtranei ſunt, imo potius ad pervertendos, & extinguendos, vel minimum ad gravem corpori noxam inducendam idonei ſunt; uti obſervamus a ſumto veneno, a punctura, vel læſione nervi, vel tendinis a ſtaſi inflammatoria etiam pauci ſanguinis in tunicis ventriculi, inteſtinorum, meningibus, a bile corroſiva ventriculum, & duodenum inflammante, quemadmodum etiam videmus febres in hydrope, phthiſi, cachexia ad exitialem tendere corruptionem. Neque ſapientia naturæ ex eo ſpectatur in adminiſtrandis vitalibus motibus, cum, e. g. ubi motus ſolidorum, & fluidorum intendendi, & accelerandi erant, ut in malignis febribus, & ubi ſphaceloſa corruptione internæ, vel etiam externæ partes corripiuntur, valde languentes, & debiles, parvo, & debili pulſu id teſtante, viriumque proſtratione, obſervantur. Contra ubi iſti motus attemperandi, & moderandi erant, ut in febribus ardentibus, bilioſis, cholericis, valde intenſi, & vehementes cum magno detrimento inſtituuntur.

Motus febrium ſpaſtici per ſe non ſunt ſalutares. Ex quibus clariſſime intelligitur, motus nec febriles, nec alias ſpaſticos per ſe, & ſua natura intentionaliter, & proæretice eſſe ſalutares dicendos, utut ad ſalutem, ad conſervationem corporis, & morbos propellendos ſalutarem ſæpe numero effectum poſt ſe relinquant: Id enim fit tantum per accidens, & reſpectu ipſius cauſſæ, quæ motus hos præternaturales produxit, ſi videlicet ea ita ſit comparata, ut motibus ejuſmodi auctis corrigi, excerni, & expugnari poſſit.

Adſtruitur ſententia adverſaria. Quamvis vero novæ hujus doctrinæ Aſſertores hoc loco monere ſoleant, errare ſæpiſſime naturam in motibus vitalibus dirigendis, non intentione, quæ ſemper bona, ſed executione, cum per incongruas vias ſtratagemata ſua moliatur: Medici igitur eſſe hunc errorem corrigere, & inventione mediorum, & modorum convenientium & in ordinem redigere. Verum enim vero probandum eſt ſolido argumento, quod adhuc deſideratur, ex ratione interna, & inſita, dirigi omnes motus vitales, tam in ſtatu ſano, quam morboſo, ſed gratis talismodi principium ſupponitur. Deinde ſubjicienda eſſet ratio, quare ejuſmodi error committatur, & an ipſe vel in intellectu, vel voluntate ejus reſideat. Deinceps afferri debent rationes, & modi operandi remediorum, quo nempe pacto in intellectum, vel voluntatem entis ejuſmodi, ſeu principii rationaliter agentis agere & errorem ejus emendare poſſit Medicus; & an ullo modo intelligi, vel mente comprehendi poſſit; & annon potius omnis remediorum actio, vel in fluidas, vel ſolidas partes, adeoque in materiam, & motum vergat, & dirigenda ſit, nullo habito reſpectu ad intellectum, vel voluntatem. Deinceps ſi naturæ corporis noſtri poteſtatem errandi, ſeu motus, conſervationi vitali inimicos, inſtruendi ſupponere velimus, quis Medicus eſt tam perſpicaci judicio, ut ſalutares, & utiles a noxiis, & infenſis naturæ, a priori, id eſt ex indole entis intelligentis, diſcernere poſſit? Profecto tali in caſu Medicus neſcit, quid facto opus ſit. Nam facillime erroneum motum pro bono, & ſalutari, & contra, ſalutarem pro erroneo agnoſcere, & contrarios effectus proponere poteſt; quod ego ſæpiſſime animadverti in eorum praxi, qui ejuſmodi principiis inſtructi fuerunt. *Authoris obſervatio de perverſa adverſariorum praxi.* Vidimus ſæpe conatus ad vomendum ab ira præcedente, calculo in veſicula fellea, vel uretere hærente, ubi leni emetico naturam in opere ſuo ſecundare volunt, ſed peſſimo effectu. Vidimus aliquoties in morbis capitis gravioribus, inſultibus apoplecticis, in affectibus ſoporoſis, epilepticis, phreniticis, capitis etiam gravi dolore, conatus, & inclinationem ad vomendum, quæ fit ob conſenſum, qui intercedit inter ventriculum & cerebrum, & ejus meninges propter par vagum, & intercoſtale, porrectum fuiſſe emeticum, quo major ſanguinis, & humorum ad caput factus affluxus malum reddidit deterius. Vidimus a fluxu ſanguinis hæmorrhoidalis largiori in cachecticis proſperum eventum prædictum fuiſſe, cum tamen non ita multo poſt hunc fluxum hydropicus tumor exceperit, eo quod immoderatum ſanguinis per venas ani profluvium ab hepatis infarctu, & obſtructione ortum fuerit. Ita etiam annotavimus a larga hæmorrhagia narium, vel etiam urinæ liberaliori profluvio in febribus continuis bonum felicis eventus omen deſumtum fuiſſe, ſed plane fruſtra, cum funeſta ſymptomata mox ſecuta fuerint: ſiquidem ejuſmodi hæmorrhagia in acutis ſpaſticas ſtricturas indicat, quibus ſanguis magno impetu fertur ad caput, quo copioſius per nares rejecto, vires vacillant, atque deficiunt regendis amplius vitalibus humoribus; & copioſa, præſertim tenuis urinæ in acutis profluvia ſeceſſionem ſeri a ſanguine, & identidem ſpaſticas ſtricturas partium indicant; quæ nunquam ſalutares ſunt. Obſervavimus quoque non ſemel, ſed iterum, iterumque, a ſordium alvinarum copia ſubſiſtente in inteſtinorum volumine, conatus ad vomendum, imo ipſi vomitus obortos fuiſſe omnis liquidi cum præcordiorum anxietate, fruſtra datis ſtomachicis, confortantibus ventriculum, vel etiam lenioribus emeticis ad materiam bilioſam educendam; cum potius hæc ſymptomata, aperta per iteratos clyſteres alvo, & fæcum copia excluſa, ſimul & ſemel hæc ſymptomata exſpirarunt. Poſſemus plura adhuc alia hac de re afferre exempla, ubi Medicus, non conſideratis, & perſpectis morborum cauſſis, & quomodo hæ ipſæ pro ſua varietate varia induxerint ſymtomata, deceptus fuerit ab hypotheſi, idque a potiſſimum de cauſa, quia ſalutares motus ab inſalutaribus diſcernere

g 3 neſciverit,

neſciverit, nec ſic auxilium ferre in adminiſtrandis aptis, & convenientibus auxiliis.

§. CXXXII.

Adverſariorum ſententia de anima exponitur.

Occurrendum adhuc erit dubio, quo Aſſertores novi dogmatis ad ſtabiliendam ſuam ſententiam de rationali ente, intra corpus vitam, & motus adminiſtrante, uti ſolent; quod videlicet bruta animantia motibus febrilibus ſpaſticis, & convulſivis fere omnino careant, quia eorum principium, ſeu anima minori ratiocinandi facultate inſtructa eſt, quam in homine, unde etiam non tam celeriter noxam materiæ alienæ ſentiat, & motibus ad eam removendam ſe armet. Verum enim vero, quamvis febriles, & ſpaſticos motus non plane denegare velimus animantibus perfectioribus, tamen id veriſſimum eſt, utique longe majoribus motionibus præternaturalibus, & morboſis, febribus, & convulſionibus agitari hominem præ brutis, imo vivacitate præſtare hominem inter cætera bruta animantia; neutiquam vero id tribuendum eſt enti cuidam ex intelligentia interna agenti, ſed potius ſapientiſſimæ, & rationali ſtructuræ corporis humani, & potiſſimum cerebri, ac nervorum præ brutis; quandoquidem conſtat, cerebrum humanum multum copia, & ſubtiliori ſtructura prævalere aliorum, etiam grandiſſimorum, animantium cerebro; deinde alimentis homines victitant longe ſubtilioris, & tenerioris ſubſtantiæ, quam ipſa bruta; inde recte colligitur, majorem copiam fluidi mobiliſſimi, & efficaciſſimi ad motum, quod veteribus ſpirituum animalium nomine venit, in homine produci, quam in brutis; quo majore vero copia fluidi moventis, partes muſculoſæ, & nerveæ perfunduntur, eo facilius ſtimulantur, & adiguntur ad motum; hinc fit, ut omnino vitæ inimicæ, & alienæ res promtius motus ſuſcitent morboſos in homine, quam brutis, nec ſine ratione, & ſapientiſſimo ſcopo ſummi Opificis, ut ipſis illis motibus opportune adminiſtratis corpus a noxa, & periculo inde imminente vindicetur.

Motus in homine præ brutis ſunt majores, & vivaciores.

Clare demonſtratur

§. CXXXIII.

Secundum adverſarios anima eſt cauſſans ſeptenariũ criticorum

Adhuc reſtat aliud dubium diſcutiendum; videlicet dicunt ad confirmandam ſuam ſententiam de ente ratione prædito, omnia fieri in morbis, tam quoad productionem ſymptomatum, quam ad eorum remiſſionem, imo quo ad morbi ſolutionem plenariam, exacto certo temporis ſpacio, ut apparet in diebus criticis, qui ſeptenario numero continentur, ubi morbus ordinario deſinit, vel etiam ad interitum tendit, & antequam dies iſti eveniant, naturam in opere ſuo plane non indigere medicina, vel quacunque alia re, nec hiſce eſſe ſcopum naturæ interturbandum, aut motus hoſce naturæ intercipiendos, quæ cuncta plane mirabilem ſapientiam demonſtrant. Verum non negamus ſumma ſapientia non modo corpora macrocoſmica, ut videmus in motibus ſiderum cœleſtium ordinatiſſimis, ſed & in microcoſmo, imo in omnibus animantibus, & vegetabilibus, ea ratione eſſe conſtructa, quæ inde elucet, ut certis temporibus certæ proveniant mutationes; & placuit maxime ſummo naturæ Architecto ſeptenarium numerum eligere ad notabilem quandam mutationem in corporibus perficiendam. Ex eo tamen minime colligendum, hanc adminiſtrationem motuum in corpore humano, dum naſcitur, adoleſcit, ſeneſcit, cum morbis affligitur, & paroxyſmis morboſis, morbique finiuntur certis temporum intervallis, opus eſſe interno in nobis agente, & numerum, & proportionem motuum intelligente, ſed potius hæc beneficia referenda ſunt ſapientiſſimo DEI artificio.

Sapientiſſimum DEI artificium motuum criticorum Author.

§. CXXXIV.

In initio morborum Medico in criſes prævertere.

Quod vero attinet ad illud; ante dies criticos non eſſe morborum tentandam expugnationem, id limitatione, quo eget, & cum grano ſalis intelligendum eſt. Etenim ſi Medicus ante expectationem diei critici cauſſam morbi medicina oppugnare, & vincere poteſt, utique id debet efficere, & ſic prævenire morbum, & dies criticos, quod ſæpiſſime fit inter initia morbi, febrium præſertim peſtilentialium, malignarum, inflammatoriarum, & etiam intermittentium. Si vero jam operatio cauſſæ morbificæ ita proceſſerit, ut functiones vitales, & animales non parum, ſed plurimum læſerit, non eſt in poteſtate Medici amplius hanc cauſſam pro lubitu tollere; ſed exſpectandum utique eſt tempus, cujus ratio, & natura ſecundum temporis, tantummodo in certo numero, & menſura motuum, ſicut in toto univerſo, ita etiam in corpore humano conſiſtit. Cum vero nihil poſſit effici eximium, & magnum ſine motibus, & eorum numero in natura ipſa, ita etiam curatio morbi, quæ fit per naturam, exigit certum, & definitum motuum vitalium, cordis nempe, & pulſuum numerum, ſeu tempus. Quod vero etiam hic motus non dependeat ab interno quodam principio, vel ex eo ſatis liquet, quod poſſint illi motus medicamentis præpoſtere licet augeri, imminui, intercipi, & impediri.

Vigente morbo Medico criſes ſunt exſpectandæ.

Curatio exigit definitum motuum vitalium cordis, & pulſuum numerum, ſeu tempus.

§. CXXXV.

Authoris de febribus ſententia a Stahlio in quibus differat.

Poſtquam jam noſtræ doctrinæ, & theoriæ de febribus fundamenta tradidimus, & paullo fuſiori ſermone ejus momenta perſecuti ſumus: quiſque qui facultate in rebus medicis judicandi pollet, nunc facile videbit ingentem eſſe noſtræ doctrinæ de febribus comparatam cum Clariſſimi Stahlii theoria differentiam, utpote qui

1. Motus febriles in ſe, & ſua natura ſalutares abſolute exiſtimat; nos vero eos relative bonos, vel malos habemus, in ſe vero, & ſua natura conſideratos eſſe plane irregulares, & incongruos motibus vitalibus.

2. Ille affirmat, motus hos extraordinarios febriles a principio quodam intentionali, & dirigente, motu, & ſenſu inſito prædito, ſuſcitari; nos vero hos motus pure mechanice fieri a cauſſis nempe mere phyſicis, id eſt corporeis, motus hos producentibus, nulla interveniente morali æſtimatione, ſed ex phyſica inevitabili neceſſitate, adeo, ut his poſitis cauſſis proportionatis, ſequi etiam neceſſario debeant febriles effectus ſeu motus.

3. Ille ſine conſideratione motuum ſpaſmodicorum, in genere nervoſarum partium, in omni febre præſentium; & ſine conſideratione, in quibus locis, & partibus hi motus ſuboriuntur, in ſolam intentionem, & actionem,

nem, ac directionem entis rationalis, totum febrium negotium transfert, & motus hos non per ſe, ſed propter cauſſas tantummodo occaſionales, & ad imminentem noxam præcavendam corpori vivo tam intenſos motus naturam inſtituere contendit. Nos vero dicimus a cauſſis ipſis, & propter cauſſas, febriles commotiones neceſſario fieri debere, & quidem nunquam ſine præcedente generis nervoſi ſpaſtica conſtrictione, & præternaturali ejuſdem a cauſſis affectione.

4. Ille pro cauſſa habet febrium præcipua, hanc nempe ſanguinis nimiam abundantiam, ſeu potius redundantiam, & inde imminens vitæ periculum, & deſtructionem. Nos vero plane id negamus, & plethoram tantummodo accidentaliter concurrere in febribus adſtruimus, eaſque, niſi remedium congruum opponatur, deteriores reddere; ſed potius febrilium motuum cauſam a cauſſa valde agilis, & hoſtilis indolis exigua mole in nervoſas partes inſtar veneni quaſi agentis, vel alio quodam modo partes nervoſas lædentis deducimus.

5. Ille porro, pro ſcopo naturam habere in excitandis febribus ſanguinis copioſi per motum, & calorem inteſtinum, diſſolutionem, & imminutionem, adeoque venæ ſectionis remedium, quia naturæ ſcopo adverſatur, in omnium febrium ſanatione repudiandum eſſe aſſeverat. Nos vero per accidens tantum plethoricam ſi adeſt corporis affectionem febrili motu aucto ſalutari emendare, imminui, & infarctus viſcerum ab eo tolli, ſtaſes, & ſtagnationes reſolvi, & aliena, ac ſuperflua excerni exiſtimamus; cum ſæpiſſime iſti aucti motus plane ſint inutiles, quando, ut plerumque evenit, corpora minus repleta, & ſanguine, ac humoribus referta a febrili inſultu infeſtantur. Repugnat quoque experientiæ ſanguinis miſſionem ſæpiſſime, quamvis non ſemper, in omni fere febrium genere tutiſſimum, & neceſſarium non eſſe remedium, non tam ad ipſam febrem, & ejus motum a cauſſa tollendam, ſed ad ſymptomata graviora præcavenda, & ut felicior febris fiat progreſſus, & eventus, qua in re opus eſt exacto judicio Medici, & prudentia. Tandem quoque quoad medendi viam in eo diſcedimus, quod ille nimium indulgeat paroxyſmis, & motibus in febre continuandis, neque ullo modo ſiſtendis, ne naturam in opere, & ſcopo ſalutari turbemus. Cum ego hac ſim in ſententia, non quidem medicamenta eſſe porrigenda ad cohibendos hoſce motus, quæ palliativa, & minus auſpicata eſt ſanatio, ſed omnibus modis eſſe enitendum, ut tuto, & celeriter cauſſæ, quæ febrim inferunt, convenientibus, & opportunis remediis removeantur, nullo habito reſpectu ad tempus, quod feliciter fit ſtatim in principio febrium, & ſic febris iſta expugnetur. Denique quiſque facile liquide videre poteſt, noſtram doctrinam de febribus, principiis phyſico-mechanicis inſtructam, ita eſſe comparatam, ut caſibus, & hiſtoriis morborum commode & cum ratione applicari, difficilia phœnomena explicari & circumſtantiæ occurrentes variæ ratione eventus, ſeu prognoſeos, ratione originis quoque commoda ratione exponi, & remediorum vires, & virtutes, noxam quoque, & periculum, ac inſecuritatem incongruorum apta ratione, & connexione intelligi, & deduci poſſint; Utrum vero ex adverſa hypotheſi tam clare, tam perſpicue, & convenienter poſſit id ipſum præſtari, dijudicandum relinquimus iis, qui facultate judicandi pollent, atque in exercitio artis ſimul verſati ſunt.

§. CXXXVI.

Stahlii ſententia de remediorum operatione.

Perluſtravimus hactenus ſingulares in pathologicis Clariſſimi Auctoris doctrinas, & quomodo cum noſtris conveniant, vel non conveniant, monſtravimus. Nunc ſequitur, ut quæ ſentiat, de remediorum operatione in corpus humanum tradamus; cum autem clariſſimi nominis vir ea ſit in ſententia, corpus humanum utut artificioſiſſime, imo mechanice, conſtructum, reſpectu motuum mere paſſive, ſe habere, & tantummodo inſtrumentum, & organon eſſe animæ, ſeu entis, in ſe & ſua natura motu & ſenſu inſito gaudentis, quod omnium motuum, & mutationum, quæ in corpore obveniunt, prima, & principalis cauſſa ſit efficiens: hinc concludit, & ipſa remedia cujuſcunque etiam fuerint generis, interne, vel externe uſurpata ex ſe, & ſua natura nec motus facere, nec eoſdem alterare poſſe, ſed omne illud, quod ratione effectus in nobis præſtant medicamenta, ſive in evacuando, ſeu roborando, vel ſopiendo, conſiſtit, proxime, & immediate dependere ab interno hoc agente immaterialis indolis; in confirmationem hujus ſententiæ non levis momenti afferuntur rationes:

1. Nempe dicitur in corpore mortuo humano nullum medicamentum, neque etiam venenum quoddam mutationem quandam efficere, neque veſicatorium, & cauſticum exterius applicatum veſicas excitare: ſed requiri ad ejuſmodi operationes, & effectus corpus vivum, ſeu animatum.

2. Compertum eſſe irrefragabili, & certa experientia, hominem ex perverſa phantaſia, ſeu imaginatione a ſolo viſu, auditu, vel odoratu, medicamenti, e. g. emetici, purgantis, aut ſudoriferi citra interne datum ejuſmodi medicamentum, ſudare, vomere, & purgare poſſe.

3. Id maxime urgent, remediorum vires, & operationes admodum eſſe diverſas, adeo ut, quod vehementiſſime alium purget, in alio parum efficiat; in tertio vero ſudorem, vel vomitum cieat, & moveat: martialia in quibuſdam vim aperientem, in aliis vero adſtringentem exſerant. Idem dicitur de opiatis, & anodynis, quæ utut interdum ſomnum provocent, imo delirium tollant, in quibuſdam vigilias, & delirium augeant, idque obſervetur in plurimis heroicis remediis. Dicunt porro modum remediorum operandi minus recte, & commode per cauſſas phyſicas materiales, v. g. per ſalinum, vel ſulphureum principium explicari poſſe, cum nempe ſit communis opinio, purgantia vim ſuam exerere cauſtico quodam, nerveas inteſtinorum tunicas vellicante, & ſtimulante, principio, cum tamen ſale acerrimo prædita, ut ſunt, radix ari, piper, zingiber purgante effectu plane deſtituantur: denique etiam notum ſit per experimenta, quæ in transfuſione ſanguinis varia adornata fuerunt, liquorem purgantem, vel etiam emeticum ſyphone in venam animantis, v. g. canis infuſum, emeſin, vel etiam alvi dejectionem in eo excitaſſe, nullo formali ſtimulo proxime ad inteſtinorum tunicas accedente. Ut itaque ab hiſce

hiſce dubiis, atque difficultatibus nos expediamus, atque explicemus, ordine eas pervolvere, & trutinare lubet: 1.) Nullus enim eſt, qui unquam aſſeruit medicamenta immediate, & proxime motum contractionis, & dilatationis ſolidorum, qui ad vitam requiritur, & fluidorum progreſſum poſſe efficere, ubi ille non adeſt, vel plane deficit, id eſt, in corpore mortuo; nec utique Medicus negotium ſuum cum eo habet, ſed cum corpore vivo, in quo motus, tam ſolidorum quam fluidorum, jam ſunt præſentes, & de eo eſt quæſtio, num motus illi ab ipſis medicamentis, & eorum viribus active, & efficienter augeri, minui, vel in totum, vel in hac, vel illa parte, imo ſiſti, & variis modis mutari poſſint; ſed hoc utique eſt, quod nos affirmamus. Id quidem non negandum eſt, uti in genere maximam eſſe phantaſiæ vim corporis noſtri motus varie afficiendi, ita etiam quoad effectus evacuatorios, & medicinales id quandoque evenire, ex eo vero minime ſequitur, in omni remediorum activitate, virtute animæ imaginativa, & varia ejus ſentiente, & percipiente opus eſſe virtute. Conſtat utique a vehementi ira cordis ſyſtolen, & ſanguinis curſum augeri, imo varios a phantaſia in corpus humanum effectus, motuum exacerbationes vel imminutiones, fieri poſſe: ſed tamen idem fieri poteſt tam medicamento ſudorifero quam ab aere calido, & humido, v. g. balnei, & motu corporis validiori, &c.

Authoris ſenſus exponitur.

§. CXXXVII.

Diverſa medicaminum operatio non dependet ab anima.

Quod attinet ad illud dubium, 2.) eadem medicamenta diverſas edere vires, & operationes in corpore humano etiam eodem morbo laborante; Verum id ipſum, utut veriſſimum ſit, minime tamen dependet a principio in nobis diverſimode ſentiente, & æſtimante, ac ſecundum æſtimationes morales motus dirigente; quod cum nobis plane ſit incognitum, atque obſcurum, neceſſe eſt, ut pleniſſima ignorantia de operatione remediorum in medicinam hac ratione inferatur. Notum enim eſt, & huc certe trahendum axioma, ſicut corpora, ita etiam medicamenta non agere ſecundum modum, ſed receptivitatem; hinc, e. g. ſol calore ſuo vim indurandi, & etiam liquefaciendi habet, illud in luto, hoc in cera, vel butyro. Conſtat experientia, analeptica alias efficaciſſima, quæ ex ſuaveolentibus petita ſunt, præſertim ex ambra, moſcho, vel floribus odoratiſſimis, in corporibus, quæ valde mobilis ſunt naturæ, ad affectus ſpaſticos propenſæ, ut ſunt fœminæ hyſtericæ, & homines hypochondriaci, non modo vires deſtruere, ſed & graviſſima non ſine vitæ periculo inferre ſymptomata. Emeticum, & purgans leviori doſi in corporibus mobilioribus, & ubi ſucci ſalſi, acres, & biliosi ſunt, enormem ſæpe emeſin, & catharſin excitant; ubi vero ſunt humores tenaces, acetoſi, & ventriculus cum inteſtinis non adeo facilis ad tormina, vel ſpaſticas ſtricturas, emeticum, vel catharcticum etiam paullo largiori doſi exhibitum nihil fere efficit. Martialium, & aliorum adſtringentium valde differens facultas operandi perſpectiſſima eſt, cum, ubi humores ſunt admodum promti, & fibrarum eſt laxitas, vim eximie aperientem præbeant; ubi vero humorum eſt tenacitas, & vaſorum, ac fibrarum ſtrictura, noxium potius effectum adſtrictivum, quam aperientem præſtant, dum ſua virtute plus obſtruunt, & humores tenaciores reddunt. Anodyna, inque primis ex opio concinnata remedia, in affectibus ſpaſticis, ubi fluidum nervorum in vehementi, & tumultuario eſt motu, divinam fere opem, quietem, & ſomnum inferendo, & levando dolores, præſtant, & excretiones ſalutares adjuvant, præſertim diflationem humorum ex ſumma cute; cum contra in corporibus, quæ humorum putridorum, & crudorum copia, & colluvie referta ſunt, perniciālem noxam inferendi potentia valeant, & ſic in cæteris remediis, quæ eminenti facultate activa inſtructa ſunt. Et profecto præcipuum in praxi medica rationali momentum in eo verſatur, ut Medicus non modo a priori elementa, & agendi principia in medicamentis probe cognoſcat, ſed potiſſimum, ut eorum diverſas operandi rationes, pro diverſitate corporum, ſeu potius pro diverſa diſpoſitione partium ſolidarum, & fluidarum, & ſecundum HIPPOCRATEM impetum facientium, ſeu moventium, & ſpirituoſarum per multiplicem, & longam experientiam, ac uſum exploret, ut deinde aptum, & opportunum remedium in occurrente quodam morbo, etiam difficili, invenire, imo quod maximum eſt ad augendam æſtimationem ejus, vires, & operationes prædicere poſſit.

Corporum actio ſecundum modum ſed receptivitatem agunt.

Inſtantia a ſole.

Medicamina diverſi generis enarrata ſecundum corporum diverſitatem agere.

Medicamentorum conſtitutiva, & corporum diverſitas Medico ſummopere exploranda.

§. CXXXVIII.

Quod porro concernit hoc dubium 3.) non poſſe ſciri medicamentorum operationes, & explicari per cauſſas phyſicas; verum ad hoc reponimus, ſi diverſas illas, quas exſerunt remedia, operationes & virtutes tantummodo, ut vulgo ſolet, ex inſito medicamenti principio activo judicare, & æſtimare velimus, verum id eſt, ſed ſequitur ad probe cognoſcendas facultates remediorum accurata ſubjecti cognitio in quo operantur, & per quod ejus operationes varie modificantur, & alterantur. Scire vero hoc loco convenit, omnia remedia vim ſuam exſerere, vel in partes ſolidas, vel in partes fluidas, aut impetum facientes. Per ſolidas intelligimus has partes, quæ ex tunicis nervoſis, & muſculoſis conſtructæ ſunt, & motu gaudent ſyſtoles atque diaſtoles; cujus generis ſunt vaſa, & canaliculi varii; in has itaque operantur, vel ſalino ſtimulo quodam ſubtiliori ſalino, acri, & paullo craſſiori, aut principio quodam fixiori terreſtri, earum partes comprimendo, & condenſando; vel agunt in humores, ſeu partes fluidas, eas diluendo, colliquando humorum craſſitiem, ſalinas acres partes, & ſulphureas temperando, & mitigando, & tenaces ſubtiliſando, & mitigando, cujus generis ſunt vulgo ſic dicta alterantia; quemadmodum ad priorem claſſem ſpectant evacuantia, & roborantia, & agunt maxime in ſpirituoſas, quæ vel in ſanguine, & lympha, vel in cerebro, nervis, & membranis nervoſis continentur, illas augendo, reſuſcitando, ut ſunt analeptica, vel deprimendo, earum motum, vel ſiſtendo, ut ſunt ſedativa, & anodyna, vel in motum extraordinarium, & irregularem cogendo, ut ſunt ipſa emetica, & medicamenta, quæ ſulphureo quodam ſubtili acri principio non modo laceſſunt fibrillas nervoſas, ſed & intimius ſeſe immiſcent fluidis partibus; hunc maxime

Ad medicaminum facultates cognoſcendas requiritur accurata ſubjectorum cognitio.

Remedia agunt in partes ſolidas, fluidas, & ſpiritus.

maxime ſpectant ipſa narcotica, & virulenta quadam vi operationem ſuam exſerentia, quæ omnem cautionem, & obſervationem in medendo deſiderant.

§. CXXXIX.

In dubitationem hoc loco inprimis trahitur emeticorum, & purgantium operationem non poſſe explicari per activam virtutem ſtimuli ſalini in ventriculi, & inteſtinorum tunicas, eo quod plurima acria, e. g. radix ari, pimpinellæ, piper, zingiber dentur, quæ omni virtute purgandi carent. At vero noſtra non fert ſententia inteſtina tantummodo ad movendas ſedes ſtimulo ſalino ſollicitare, ſed potius omne illud, quod ab activa quadam virtute in nervoſas, & muſculares tunicas, ſenſu & motu gaudentes, inteſtinorum, & ventriculi agere, & illas ad commotionem, & reactionem conſtrictoriam, ſeu ſpaſticam urgere, & vomitus, & ſedes cauſſari poſſe; ita videmus ſolius aquæ communis tepidæ copia, pauxillo addito ſale communi, vomitum provocari, maxime in diſpoſitis ad eum, & per anum infuſa, dejectiones, & alvum ſolvi poſſe, cum hic non tam ſtimulus ſalinus, ſed potius ipſum pondus celeriter ingeſti fluidi cauſſa ſit hujus commotionis violentæ, non alia ratione, ac videmus vini largiori, & celeriori potu vomitum cieri, & copia aquarum mineralium dejectiones moveri, ſæpe ſatis largas. Deinde obſervamus non ſemper a ſalinis acribus, ſed etiam a ſulphureis vaporoſis, naturæ & odori minus gratis moleculis, & vomitus, & ſedes moveri, uti id manifeſtum eſt in ſulphure antimonii aurato, Panacea Glauberiana, gummi guttæ, ſcammonio ſulphurato, quin etiam ſemen daturæ; & narcotica pluries obſervata ſunt purgante, & emetica virtute prædita, cum nempe hæc ipſa fluidiſſimo, & moventi principio, quod fibris nerveis, & muſcularibus ineſt, peculiari craſi, & textura ſua agunt, idque invertendo, præter naturales motiones concitant; nihilominus tamen ſalia præprimis facultate purgante, & laxante eminent, & inter hæc ipſa ſalia medii generis locum inveniunt, quæ cuncta, majori doſi data, cum ſufficiente quantitate liquidi, ſive aſſumta ore, ſeu alvo infuſa per clyſterem ſedes largas excitant: quin etiam ſal commune id facit, quod, ad unciam unam cum liquido exhibitum, longe frequentiores ſedes facit, quam quodvis purgans. Vis purgans ſalis Ebſonienſis, Sedlicenſis, Ægrani, arcani duplicati, tartari vitriolati, tartari tartariſati, terræ foliatæ tartari, ſalis digeſtivi Sylvii, cremoris tartari, ſeu tartari crudi notiſſima eſt, ſi paullo largiori doſi offerantur. Mel, caſſia, manna, ſuccus betulæ incoctus, roob paſſularum, ſambuci, ficuum ad uncias aliquot, ſi exhibentur, ſedes quandoque ſine ulla virium diminutione decem aut viginti provocant, certe non alio, niſi dulci, quo pollent, ſale & mucilagine emolliente, & relaxante, quo major affluxus humorum ad inteſtina invitatur. Salia vero alcalia, præſertim fixa, plane carent purgante facultate, ut patet in omnibus ſalibus per incinerationem vegetabilium factis. Et cum radix ari, pimpinellæ, piper, & zingiber ſal quidem cuſtodiant valde acre, ſed fixiſſimæ indolis, quod patet ex deſtillatione & coctione, dum nihil dimittunt in aures ſua de acrimonia, non purgant. Cum autem fixa ſalia alcalia minus penetrare poſſint in intima fibrillarum nervearum, mirum non eſt, deſtitui hæc ipſa virtute purgante, licet ſtimulans facultas, & incidens humorum tenacitatem, imo in quibuſdam diuretica iſtis remediis non poſſit denegari. In quibus vero corporibus ſal acre, magis vel minus ſulphureum, vaporoſum, valde volatilis, & tenerrimæ indolis, continetur, utut penetrat ad intima fibrarum, imo ad conſortium fluidi ſic dicti nervei, & vitalis in ſanguine, ut apparet in colocynthide, helleboro nigro, & albo, radice, & foliis aſari, radice ipecacuanæ, cortice medio ſambuci, imo in ipſa aloe, ſcammoneo, elaterio; hæc utique intus ſumta validiſſime, & alvum, & vomitum cient, exiliori etiam doſi; & quod maxime notatu dignum, ſola paullo diuturniori coctione hac virtute validiſſima penitus ſpoliantur.

Spaſtica fibrarum conſtrictio eſt vomitus, & purgationis cauſſa.

Salia mediæ naturæ vim laxandi habent.

Salia alcalia fixa non purgant.

Corpora ſale acri, & ſulphure vaporoſo pollentia validiſſime vomitum, & alvum movent.

§. CXL.

Deinde etiam id urgeri ſolet, emetica, & purgantia, beneficio ſyphonis in venam apertam animantis injecta, & alvum, & vomitum provocare; exinde volunt concludere, non opus eſſe mediato ſtimulo tunicarum ventriculi. Ponamus tantiſper, experimenta recte ſe habere, quæ de transfuſione ſanguinis Auctores publicis ſcriptis tradiderunt: non mirandum eſt, ab ejuſmodi draſticis ſanguini infuſis, & vomitum, & ſedes concitari. Ego exiſtimo, quod etiam, ſi experimenti probe habeatur ratio, præternaturales convulſiones, & motiones artuum fieri. Neque etiam opus eſt, ut inteſtina, & ventriculus ad ejuſmodi præternaturales, & violentos motus per materiam, quæ intra cavitatem eorum hæret, irritetur, ſed ſufficit, ſi cum ſanguine ejuſmodi moleculæ virulentæ a'. harum partium tunicas ferantur, ubi omnino eundem affectum præſtare valent. Quod vero purgantium ſubtiles partes ad ſanguinis, & humorum maſſam ferri, & integra, & ſalva ſua ſtructura, & textura purgantem virtutem retinere poſſint, liquido inter alia teſtatur purgatio infantis lactantis, qui purgatur a purgante aſſumto, etiam ab ipſa nutrice.

Purgantia & vomitoria venæ apertæ infuſa ſuam operationem faciunt.

Eorundem ſecundum Authorem operandi modus.

Infans purgatur a nutrice accepto purgante.

§. CXLI.

Cæterum mechanica, & pure phyſica ratio operandi medicamentorum vel in ipſos ſenſus incidit, vel etiam ex eo ſatis clare apparet, cum ab eorum immutata textura, ſeu ab occurrentibus humoribus in corpore, ſeu ab extra admixtis variis alterantibus, plane immutetur, vel etiam aboleatur operandi vis, & efficacia, ita, e. g. quod oleoſa, pinguia, humida quoque tepida lubricent, relaxent, emolliant partes duras, tenſas, conſtrictas; quod deinde mucida, viſcida, mucilaginoſa, & pinguia præter virtutem emollientem, acrimoniam humorum, acidas, & ſalinas cuſpides infringant, & temperent: Quod porro aquarum copia, præſertim calide pota, eximiam vim poſſideant tenaces, viſcidos, & glutinoſos humores, imo ipſum ſanguinem congrumatum, & exſiccatum diſſolvendi, & fluidum reddendi, neque minus acrimoniam

Mechanica eſt medicaminum operatio.

ſalinam contemperandi; Quod porro alcalina tam terrea quam ſalina, facultate emineant fortiſſimum acidum abſorbendi, immutandi, & plane innoxium reddendi: denique & ſalia alcalina fixiora, & volatiliora, pingues, oleoſas, viſcidas, & valde tenaces partes reſolvendi, & fluidiorem, ac floridiorem ſanguinem reddendi, quo effectu etiam nitrum præparatum, ſi ſanguini admiſceatur, gaudet; denique quod aſtringentia, acida vim coagulandi fluidum habeant, uti id videmus maxime dum lacti, & ſanguini admiſcentur; Ecquis eſt, qui dubitare de eo velit, vel ſolidum argumentum afferre conetur, quo demonſtret, ceſſare hanc virtutem, ſi intra corpus aſſumantur? Porro quod omnia, quæ ſulphureum gravem vaporem, & odorem ſpargunt, torporem, ſomnolentiam, ac motuum, ſenſuumque imbecillitatem, uſu tam interno quam externo, inferant, nemo facile plane negabit, niſi qui plane hoſpes, ac rudis ſit in experientia medica. Quo fundamento vero hunc ipſum effectum a principio interno cognoſcente, dirigente, eligente motus, perſpicua claritate, & ſimplicitate, quæ omnis veritatis indivulſus comes eſt, ducere, & derivare velit, ego quidem non aſſequor.

Tenuiſſima effluvia ſulphurea in aere contenta noſtri corporis motus alterant.

Quanta vero vis, & poteſtas inſit tenuiſſimis effluviis ſulphureis in aere diſperſis alterandi, & immutandi corporis noſtri motus, immediata & proxima ratio, tenuiſſima corporis fluida afficiendo, non obſcura eſſe iis poteſt, qui in progignendis morbis, & gravibus ſymptomatibus, vel etiam producendis certis effectibus in corpore humano ſcientia quadam inſtructi ſunt;

Aſſæ fœtidæ effectus.

dum, v.g. ſolo odore aſſæ fœtidæ, vel ejus portione per clyſterem in anum, & inteſtina infuſa vehementiſſimi convulſivi, & epileptici motus in hyſtericis ſedari poſſunt. Certe mirabiles illi effectus, qui a prudenti fontium mineralium uſu, tum in præſervandis, tum ſanandis morbis, & eorum recidivas avertendis dependent,

Aquarum mineraliũ virtus copioſæ aquæ æthereo-ſpirituoſo elemento, & ſalibus neutris alcalinis adſcribitur.

& non amplius tantum Medicis expertis, (de inexpertis, & harum rerum imperitis non loquar) ſed & multitudini hominum, tam nobilium, quam ignobilium, qui opem inde, & non ab aliis remediis perceperunt, perquam noti ſunt; & tamen unice virtuti copioſæ aquæ æthereo-ſpirituoſo elemento, & ſalibus neutris alcalinis adſcribi, ut exinde eorum pure mechanica operatio explicari poſſit, & debeat.

Ad venena cauſtica aſſumpta remedia.

Notiſſimum porro eſt, non dari contra infamata cauſtica venena, quæ inter principem locum habet arſenicum cryſtallinum, tutius, & certius præſidium, & auxilium ipſo lacte, & oleo copioſius hauſto, adeo, ut ſolo hoc auxilio a morte præſentanea vindicari poſſit, qui hoc venenum ſumſerunt. Quam ſtupenda hujus remedii eſt operatio, tam ſimplex, & pure mechanica eſt; dum nempe acies, & ſpicula tenuiſſima hujus cauſtici veneni contextu viſcido, & oleoſo horum remediorum quaſi involucro quodam excipiuntur, & detinentur, ut nullam amplius vim arrodentem in nerveas ventriculi, & inteſtinorum tunicas exſerere, & exercere poſſint. Dum porro ſtricturas illas vehementes, mortis genitrices, nervearum harum partium emolliendo, relaxando impediunt, & denique ventriculum ad ipſum vomitum provocandum non ſine eximio effectu cum hac ratione venenum, vel ejus portio ejicitur, ſollicitat. Plura certe in confirmationem noſtræ doctrinæ de mechanica remediorum operatione adduci poſſent argumenta, quibus perplexa, obſcura illa, & nullius utilitatis in praxi medica hypotheſis, quod medicamenta tantummodo ſint cauſſæ occaſionales, nullum cauſſalem, & phyſicum effectum in motus corporis habentes, ſed unice ab interno immateriali principio dependeant. Nam certe tota rationalis medicina fundatur maxime in eo, ut Medicus uſum, & operandi rationem remediorum, quæ porrigit, calleat: neque hæc doctrina ſatis unquam per experientiam ſolidam, & attentam addiſci poterit, propter hanc potiſſimum rationem, quia ut ſupra a nobis actum fuit, medicamentorum effectus in corpore multum a diſpoſitione partium fluidarum, & ſolidarum immutatur, idque etiam non alia, quam mechanica ratione.

Varietas individuorum artem medicam facit conjecturalem.

Cum vero multum difficultatis habeat accurata interna cognitio partium fluidarum, & ſolidarum, inde fit, ut Medicus non tam accurate ſemper prædicere poſſit, propter varietatem individuorum, certos, & determinatos effectus. Sique in ulla medicinæ parte ars noſtra exiſtat conjecturalis, certe in hac parte doctrinæ Medicæ eſt, & maxime propter defectum ſufficientis experientiæ.

Declaratur ab exemplis.

Quomodo vero effectus remediorum in corpore noſtro immutari poſſint, paucis ſaltim id declarare lubet exemplis. Magneſia ſic dicta alba nitri in quibuſdam fortiter purgat, & ſex vel octo ſedes movet; in aliis vero tantummodo tormina, & flatus ciet, & nihil fere excernit. In illis invenit prima in regione copioſum acidum, quod dum abſorbet, & reſolvit, vergit in ſal neutrum, & amarum, quod ſtimulando inteſtina alvinas dejectiones promovet. Nam ſi ſpiritu vitrioli dicta hæc magneſia ſolvatur, ſal evadit amarum ſali Glauberiano, vel Ebſonienſi perquam ſimile purgans. Ubi vero caret ventriculus acidis, & potius ſcatet tenacibus humoribus, omnis purgantis virtutis expers eſt.

Melancholici plus ſolvuntur lenioribus quam validioribus medicamentis.

Notum porro eſt, quartanarios, hypochondriacos, ſeu ex melancholia hypochondriaca laborantes rarius commoveri a datis validioribus etiam emeticis, & catharticis, ſed augeri inde anxietates, & ſpaſmos cum virium imminutione; contra vero a mitiſſimis, & lenioribus, manna, v.g. & amygdalino oleo alvum in iis egregie ſolvi, cujus effectus ratio non alia eſt, quam quod acida ſalia illud ſubtile cauſticum, quod emeticis, & catharticis ineſt, figant, enervent, immutent, & ſic efficacia ſua ſpolient. Cum vero manna acidum conſtrictivum edulcoret, & ſimul præſertim cum oleoſis adſtrictas partes, & fibras relaxet, non mirum eſt, inde eximiorem hoc morbo laborantes experiri virtutem.

§. CXLII.

Curationis fundamentum in quo conſiſtat.

Cum itaque totius curationis morborum fundamentum, cardo, & ſcopus in eo verſetur, ut vel materia peccans temperetur, corrigatur, & ad excretionem apta reddatur: deinde ut illa ipſa per congrua emunctoria evacuetur, & denique ut motus anomali, ſpaſtici, irregulares; & exorbitantes componantur, & tranquilli reddantur; motus vero tam ſolidorum, quam fluidorum deficientes, & langueſcentes excitentur, promoveantur; inde patet, univerſam reme-

remediorum claſſem optime diſpeſci poſſe in alterantia, evacuantia, roborantia, & ſedativa.

Medica medicamenta ſunt a priori, & a poſteriori noſcenda.

Ex quo intelligitur, Medicum, ſi cum ratione, & certitudine agere, & præſcribere medicamenta velit, operam debere dare, ut a priori, ſenſuum maxime beneficio, & per obſervationes, mixtiones, variaque tentamina phyſica, & chymica, remediorum facultates, vires, mixtionem, principia activa ingredientia exploret, & poſtea a poſteriori, ſeu ab effectu per multiplicem experientiam differentes eorum vires accurate pernoſcat. Neque hoc tantum valet de remediis e pharmacia petitis, ſed etiam potiſſimum de diæteticis, domeſticis, & familiaribus, quorum revera, ſi verum dicere fas eſt, longe major adhuc, calculo exquiſite poſito, virtus & efficacia in morbis tum præſervandis, tum ſanandis eſt, quam pharmaceuticorum, & activæ indolis, ſic dictorum chymicorum, utpote illa, ceu magis naturæ amica, lente, ſucceſſive, & æqualiter agunt, & ſine diminutione virium: hæc vero magis intemperata cum quadam vi, & vehementia operationem ſuam exſequuntur.

Domeſtica ſunt præſtantiora aliis medicamentis.

§. CXLIII.

Ad perquirendas remediorum vires Philoſophia experimentalis ſumme utilis.

Quo magis patet, quanta utilitas in recte perſcrutandis remediorum viribus, obſervationibus, & experimentis phyſico-chymicis rite inſtitutis, & debito modo applicatis inſit, & quanto pretio hoc ſtudium Philoſophiæ experimentalis æſtimandum, & commendandum ſit: vid. Boyle phyſicam experimentalem, qui fuſe hac de re egit. Ex ejus enim per multa ſæcula neglectu, & ignorantia factum eſt, ut de medicamentorum ex triplici regno petitorum variis viribus & effectibus in ſanatione morborum aſſignatis, tanta figmenta, inania encomia fruſtrationes, imo pura mendacia in tot Medicorum libris Botanicis, Chymicis, Pharmaceuticis conſignata appareant, ut ex labyrintho hoc nemo facile emergere poterit, niſi quis filo Ariadnæo utatur, id eſt, qui omnibus hiſce prædicationibus a priori, beneficio ſaporis, imo miniſterio variarum phyſicarum, & chymicarum mixtionum, elementa, & principia, quibus conſtant, agendi exploret. Ita, qui rerum medicarum callens eſt, vires, & facultates, quales poſſideant in medendis morbis, licet nondum expertas, maxima ex parte prædicere, pronunciare, & determinare valebit.

§. CXLIV.

Vera therapiæ baſis juxta Hippocratem eſt genuina medicamentorum facultatum cognitio.

Quemadmodum vero ad felicem, ſecuram, & vere efficacem therapiam omnino requiritur, ut artifex medicamentorum, quæ ejus inſtrumenta ſunt, uti loquitur Hippocrates, veras, & genuinas vires, & facultates pro diverſa circumſtantiarum ratione, & individuorum ægrotantium natura probe cognitas habeat, ac exploret multiplici uſu, atque experientia; ita nihil eſt, quod laudabili huic inſtituto magis repugnet, atque averſetur, quam ingens multitudo, & varietas remediorum non tam ſimplicium, & familiarium, quam inepte compoſitorum, & ex tot ingredientibus coacervatorum, quibus tot diſpenſatoria, tot libri chymici, & pharmaceutici ſcatent; quo pertinent

Farrago medicamentorum officit.

etiam tot, & tantopere prædicata ſpecifica, arcana, panaceæ, & magnis titulis ornata chymica, quibus communiter in praxi uti ſolent male inſtructi, & informati, qui id pro more habent, ut, ſi unum non juvat, brevi tempore ad alterum confugiant, & remedia immutent contra monitum ipſius Hippocratis, qui prudentiſſime inculcat in Aphoriſmis ſuis, *non eſſe mutanda remedia, quæ in principio cum ratione præſcripta fuerunt, licet res morbi in eodem ſtatu permaneat.* Non enim ratione fieri poteſt, ut remediorum effectus, tam brevi temporis ſpacio, præſertim in affectibus chronicis, ſequi, & ſperari poſſit. Cum itaque multitudo, & varietas mirum diſturbet, confundat, & diſtrahat Medici obſervationem, mirum non eſt; hac methodo qui utuntur, nunquam, tametſi per centum annos praxin exercerent, ad veram notitiam virium, quæ medicamentis inſunt; vel rariſſime ad partem ſaltem eorum pervenire poſſint.

Secundum Hippocratis effatum medicamenta in principio ordinata non ſtatim mutanda.

Inſtar arcani revera ſummi tenendum, & commendandum eſt illis, qui praxin aggredi, ac officio, & ſcopo ſuo recte, ac feliciter fungi velint, ut ipſi pauca, ſecura, faciliora, & ſimpliciora plus quam compoſita, ad uſum ſeligant remedia, & non tantum ipſi præparent, & diſpenſent, ſed & attente poſtea, atque cum cura eorum virtutes, atque effectus, non neglecta hiſtoria morbi cum ſuis circumſtantiis, memoria teneant, & ſcripto conſignent. Ita brevi tempore non modo theſaurum obſervationum, ſed & mirabilium, quæ remediis inſunt, virium ſummo cum fructu ſibi comparabunt. Inter omnes alios, qui ad pauca, & ſelectiora remediorum illorum tam chymicorum, & Galenicorum ingentem ſylvam per compendium quaſi reduxerunt, eminet maxime Ludovici inſignis Medicus, & Chymicus, & Archiater Gothanus, qui pharmaciam conſcripſit moderno ſæculo accommodatam.

Praxin exercenti medicam pauca ſed experta cum accurata morborum hiſtoria ſunt conſignanda.

Ludovici Pharmacia recommendatur.

§. CXLV.

Stahlius laudatur.

Laudandus hoc nomine quoque venit Clariſſimus Stahlius noſter, qui utique paucis, ſelectioribus, & ſecurioribus, certis quoque utitur remediis, cujus perſpectas, & cognitas vires ex multiplici uſu, ac experientia habet; in quibus tamen, ut vere fatear, deſidero, ut nimis curta eorum ſuppellex ſit, & multa deficiant, quæ magni uſus ſunt, & eſſe poſſunt. Equidem ad praxin totam, & ſine periculo ineundam, ubi non facile nocendi occaſionem habet Medicus, & ubi ipſe naturam robuſtam, atque benignam, ejuſque autocratiam vitalem, energiam, & ſynergiam morbis curandis occupatam habet, ibi utique non ſecurior, non melior haberi poteſt ſanandi methodus, utpote qui ab omnibus heroicis abſtinet. Ubi vero res agenda eſt cum corporibus ægrotantibus, ubi natura eſt debilis, & imbecillis, & quaſi corrupta, id eſt, ubi humores vitales nimium a temperie ſua recedunt, vires multis de cauſſis fractæ ſunt, nec viſcera penitus ſalva, & integra, & nervoſarum partium ſyſtema, tam animi affectibus crebrioribus, quam in conſuetudinem abeuntibus ſpaſmis, & anomalis motionibus diuturno tempore agitatum, & deſtructum eſt. Ubi etiam cito malo præſenti ſuccurrere, & futurum avertere oportet, ad quod

Ipſius medendi methodus inquiritur.

In morbis chronicis non eſt ſufficiens.

ſola natura non ſufficit, ſed Medica ars requiritur, ibi certe hæc auxiliorum genera non ſufficere, & omne punctum abſolvere, is profecto videbit, ac intelliget, qui fœcundam, & uberem praxin exercet, & cum variis morborum generibus, & differentibus corporum naturis negotium habet.

§. CXLVI.

Summa emeticorum in medendo efficacia.

Profecto, qui artis præſertim paullo ampliori exercitio occupari vult, emeticis bene præparatis, & ſecurioribus plane non carere poteſt, utpote, quæ circumſpecte, convenienti doſi, & apto regimine uſurpata mirabilem, & pene divinam in morbis graviſſimis, ſtatim etiam ſub herba prima eradicandis, præſtant opem.

Reformidantur a multis neotericis.

Nihilominus ex ſcriptis hodierni temporis clare apparet ea ceu periculoſa valde reformidari, imo vix ac ne vix in uſum trahi, & quidem, ut videtur maxime in favorem hypotheſeos, quam fovent de morbis; quia nempe pro certo, & firmo habent plurimorum morborum originem ex ſanguinis redundantia, & ipſos morbos, ſeu potius motus morboſos, tam febriles, quam ſpaſmodicos eo tendere, ut vel in ſerum excrementitium ſuperabundantem ſanguinem diſſolvant, vel illum ſincerum per venas uteri, vel ani evacuare moliantur; quam excretionem mirum afferunt turbari per emetica, dum ſanguis a partibus inferioribus ſurſum ad ſuperiores, ad præcordia, ſtomachum, & pulmones urgetur, periculoſa ibi pathemata non modo ſuſcitentur, ſed & ad cruentam vomitionem, vel ipſam hæmoptyſin diſponant, præſertim ſi circa illa tempora, quibus natura has ſalutares ſanguinis excretiones molitur, emetica quis porrigat, quorum noxam pernicialem aliquot exemplis oſtendunt; at vero abuſus horum remediorum valde efficacium minime rectum tollit uſum.

Quibuſnam in morbis non ſint porrigenda.

Nam improbamus utique eorum uſum, ubi a ſanguinis excretionibus turbatis oriuntur ſymptomata; & providus etiam, imo cautiſſimus, eorum uſus eſſe debet in hypochondriacis, hæmorrhoidariis, ac hyſtericis fœminis, multo adhuc magis, ſi ſi ab animi paullo vehementioribus affectibus, præſertim ira, terrore, ſpaſmi circa præcordia vehementes ſunt, vel a partibus exterioribus ad interiores urgetur, & repellitur.

Enumerantur morbi, in quibus ſint exhibenda.

Sed cum multi magni morbi ex chronicis, præſertim plerumque lentæ febres, quæ imbecillioribus corporibus, præſertim a præcedente morbo redditis, nimium indulgentibus ciborum appetentiæ, perquam familiares ſint, intermittentes quoque febres, & inter eas maxime tertianæ exquiſitæ, nothæ, imo duplices, & in quotidianam converſæ, typum non ſervantes, ſæpiſſime ex colluvie vitioſorum, & bilioſorum humorum non tam in ventriculo, quam duodeno ſtagnantium ſuſcitentur, & foveantur, a nullo alio certe remedio plus præſentis efficaciæ, ſeu in domandis, & minuendis motibus febrilibus expectari poterit, quam ab emetico opportune, & circumſpecte, ratione doſeos præſertim, dato. Vidimus & infantes lactantes, pueros, imo valde imbecilles, & ſenes a ſentina vitioſorum, & crudorum humorum prima in regione ſtabulantium periculi plenum aſthma flatulentum ad ſuffocationem uſque infeſtum, unico levi vomitorio diluto ſatis, ſimul, & ſemel penitus ſublatum. In variolis, morbillis tempore ſuppurationis, in infantibus æque ac adultioribus, ſæpius ſummæ ſpirandi anguſtiæ cum deficiente expectoratione oriuntur, ubi ſummo cum fructu a dato emetico ab omni periculo liberati fuerunt. Icterum malum certe quod diuturnitate valde exercet eo laborantes, frequentiſſime obſervavi ſublatum, omnibus aliis fruſtra datis purgantibus aperientibus, emetico vel ſemel vel aliquoties repetito, quo incredibilis humoris bilioſi copia, quod mirari ſubit, fuit excreta; Inde vero mox reſtitutus fuit color naturalis fœcibus, urinæ, & color faciei dilutior redditus fuit; ſiquidem icterus ſæpius non a calculo ſelleo, vel ductuum biliariorum occluſione, aut ſpaſtica forti conſtrictione; ſed tantummodo a ſucco bilioſo glutinoſo in vaſis biliariis hærente, imo etiam ab ejus copia in ipſo duodeno diutius retenta propter ejus tonum dejectum naſcitur, ubi nihil ſalutarius eſt, quam ſtimulo emetico, duodenum, & annexos ductus biliarios a ſordibus bilioſis ibi hærentibus deplere. Plures novi infantes, & pueros, qui ob nimiam voracitatem, e. g. placentarum, & defectum potus in ingentes anxietates præcordiorum, appetitum penitus proſtratum, & flatulentiam cum ſomni defectu, & inquietudine inciderunt, alvo ſimul obſtructa, & per ſeptimanam, & ultra fuerunt cruciati; ubi explorata cauſſa morbi unum lene emeticum cum infuſo mannæ mixtum ſuppetias tulit præſentiſſimas, præſertim ſi largior potus ſub ipſa operatione fuerit conceſſus.

§. CXLVII.

In morbis contagioſis vomitoria ſummum præſtant effectum.

In morbis contagio infeſtis, quibus quam maxime annumerari debent in caſtris graſſantes dyſenteriæ, morbus Hungaricus, febres petechiales, imo ipſa peſtis, ubi virulentum miaſma mediante ſalivali latice in primam regionem una cum cibis deſcendit, & copia corruptorum, & putridorum humorum ibi ſtagnantium majorem vim acquirit; protinus, & inter initia ſtatim, ſi nauſea nempe, & circa præcordia anxietas, imo debilitas, Germanice, *Ubelkeit*, adeſt, datum conveniens emeticum magno præſidio eſt, & hac ratione, priuſquam exitialis vis ad ſanguinis maſſam, & nervoſarum partium ſyſtema delata fuerit, totum malum imminens arcet, & præoccupat, præſertim ſi poſt ejus operationem medicamentum analepticum cum bezoardico mixtum propinetur. Quæ methodus, ſi ulla certe hæc eſt probatiſſima longa experientia Medicorum caſtrenſium, hinc etiam commendatiſſima eſſe debet.

Dyſenteria epidemica ab initio ſtatim expoſcit vomitorium.

Dyſenteria epidemica, & quæ ex corruptis corroſivis humoribus naſcitur, expoſcit utique ſtatim inter initia emeticum, modo præmiſſum fuerit humores corroſivos temperans, & corrigens remedium; Quo nomine utique famigeratiſſima, & laudatiſſima eſt radix, non ita longo tempore ex America delata, Ipecacuannhæ, qua ſemel, vel bis primis diebus exhibita, brevi tempore vis mali vel minuitur, vel penitus tollitur.

Ipecacuannhæ effectus.

§. CXLVIII.

§. CXLVIII.

Morbi certis periodis invadentes emetico mature exhibito tolluntur.

Purpura, præſertim chronica, affectus arthritici, rheumatici, podagrici, & morbi præſertim, qui certis periodis invadunt, ut aſthma, tuſſis humida, hemicrania ſuam mineram, & fomitem, ut plurimum in duodeno, ubi revera eſt officina, ob concurſum valde differentis indolis, etiam ex univerſo corpore, humorum, materiæ variæ morbificæ adeſt; ubi ſi cito, & mature medicamentum depletorium, per ſuperiora præſertim, adhibetur, averti, & valde minui vehementia morbi poteſt. Angli non ſine fructu in principio variolarum, imo morbillorum, lene porrigunt emeticum, quia hi morbi etiam ſunt contagioſi, & præſentia corruptorum vitioſorum humorum primis in viis longe nocentiorem vim acquirunt. Celeb. CONERDINGIUS, ſi ullus, certe hic valde exercitatiſſimus, & prudentiſſimus practicus, & Ducum Brunſvicenſium Archiater inter initia, ſi quis conſilium ab eo petiit, variolarum ſemper in more habuit a doſi pulveris bezoardici cum uno vel duobus granis panaceæ Glauberianæ, quæ emetica eſt, offerre, ita ut vomitus ſecutus cum euphoria, & expulſio facilior reddita fuerit. Ex quibus omnibus in ſolida experientia, & ratione fundatis ſatis oſtenditur, quanta vis, & efficacia heroicis hiſce remediis, de quibus ſaltem fere inter Doctores novæ doctrinæ medicæ eſt ſilentium, inſit, ſi nempe cum prudenti cautione, & ſufficienti deliberatione adhibeantur. Commendo hanc in rem lectionem Diſſertationis noſtræ de duodeno plurimorum morborum ſede; item de emeticorum uſu, & abuſu; & quæ in Tomo II. medicinæ ſyſtematicæ hac de re commentati ſumus.

Angli in principio variolarum & morbillorum lene vomitorium exhibent.

Conerdingii variolas curandi methodus.

Diſſertatio Authoris de duodeno commendatur.

§. CXLIX.

De draſticis purgantibus Authoris ſententia.

Inter magna morborum præſidia referuntur ab omni fere retro memoria, & hodienum ipſa purgantia valentioris indolis, græcis vocata *δραςικα*, quorum certe ingens eſt in arte pharmaceutica numerus. De hiſce jam libere dicam meam ſententiam; illis nempe dextram, & circumſpectam medendi artem penitus carere poſſe, tanquam inſecuris, & naturæ, ac viribus valde adverſis; neque certe ſine ratione Methodicorum Princeps ASCLEPIADES olim e medicina illa expulit, & noſtro tempore CAMPEGIUS, HELMONTIUS, & BONTEKOE pro venenis ea habuerunt; cum inflammatorio cauſtico ſale ſubtiliſſimo ventriculi nerveam ſubſtantiam lancinando gravia, & lethalia ſymptomata ſæpenumero producant, id quod etiam variis, ac curioſis experimentis cum animantibus inſtitutis Clariſſimus WEPFERUS confirmat. Et quamvis eorum dextro interdum uſu ad aquas hydropicorum potenter educendas, nec non aquarum mineralium reliquias a potu exterminandas, neque nimis in contumacibus chronicis paſſionibus, quæ a lympha corrupta, lenta in corporibus torpidioribus naſcuntur, ut ſunt lues venerea, vel gonorrhœa, utilitatis quicquam allatum fuerit; ſed tamen cum ſecuriora, neque naturæ humanæ tam infeſta poſſideamus, ejuſdem operationis & effectus, conſultiſſime ab iis abſtineamus; præſertim cum quotidiana doceat fere experientia, immanem in modum ab iis, perverſe & imperite datis, ſanitatem lædi, & maxime tonum, ac robur ventriculi, & inteſtinorum quorum momentum ad valetudinem tuendam maximum eſt, ab iis perverti, ac deſtrui. Conſcripſi ego peculiarem hac de re Diſſertationem de fortioribus purgantibus e foro medico extirpandis, & fuſius meam ſententiam explicavi in Tomo II. Medicinæ ſyſtematicæ. Igitur non poſſum non laudare Clariſſimi STAHLII methodum in doctrina de purgantibus, qui identidem jure, meritoque catharticorum uſum penitus fere repudiat, & nonniſi extractum Panchymagogum Crolii cum aliis miſcendum, ad alvum purgandam admittit & dilaudat; uniceque in omnibus fere caſibus contentus eſt pilularum balſamicarum ad imitationem compoſitionis Becherianæ ab ipſo concinnatarum uſu, adeo, ut nullus fere morbus ſit, in quo non mirifice laudibus eas extollat; permotus maxime, ut videtur, ſua hypotheſi, qua omnis generis chronicas paſſiones ex perverſo excretionis ſanguineæ, maxime per menſes, aut hæmorrhoides, ſeu nimio, aut deficiente, atque irregulari a natura inſtituto negotio derivat. De quibus pilulis hunc prædicat effectum, quod non detur excellentius remedium hæmorrhagiis iſtis ſaluberrimis, vel moderandis, vel ſiſtendis, aut ſi deficiunt, procurandis. De hoc remedio non contradicendi animo, quo nunquam geſtio ægre alicui facere, ſed experientia certa, & conſtanti permotus, meam ſic expono ſententiam. Arcanum Beccherianarum, & ſecundum illud adornatarum compoſitionum, & correctarum tam a Clariſſimo STAHLIO, quam a nobis, in eo conſiſtit, ut aloë probe correcta in valde conciſa, & refracta doſi has pilulas ingrediatur; cum ab omni tempore, ut teſtantur compoſitiones pharmaceuticæ, aloe baſis omnium pilularum fere fuerit, ſed in tam magna doſi, ut reliqua omnia ingredientia, ſi non ſuperaverit quantitate, certe tamen æquaverit; unde cum in Beccherianis pilulis grana tria vel quatuor pro doſi aſſumuntur, olim novem vel decem grana cum aliis ſumta fuerunt. Quantam vero commotionem ſanguinis, præſertim in ſanguine plenis, in juventute conſtitutis, ac lauta & vinoſa diæta utentibus, ingens doſis aloes efficiat, & quomodo ad excretiones ſanguinis diſponat, certe amplius obſcurum eſſe nequit, quod tamen incommodum non tam facile expectari poterit a minori doſi. Poſtea illud in compoſitione Beccheriana probandum eſt, quod aloen, & momentum etiam extracti hellebori nigri cum extractis amaris, & gummatibus temperatis balſamicis miſceat, qua ratione non modo vis aloes in minimas partes diſpergitur, & contemperatur, ſed & ſimul propter ſaluberrima ingredientia, pilulæ balſamicam, & roborantem ventriculi, & inteſtinorum tonum virtutem acquirunt, unde emergit laudatiſſimum remedium non tam purgans, quam roborans. Quemadmodum vero multæ ſunt morborum, & cauſſarum morbificarum, item corporum, & naturarum differentiæ, ita pro univerſali remedio, ſeu roborante, ſeu laxante hoc ipſum minime haberi debet. Præſtantiſſimas ejuſmodi pilularum balſamicarum, quales etiam

Aſclepiades, Helmontius, & Bontekoe e medicina expulerunt ea.

Venenoſitatem in iis reſidere confirmat Wepferus.

Diſſert. Author. de draſticis medicamentis citatur.

Stahlii methodus de purgantibus laudatur.

Pilulæ Beccherianæ ab eo ſummopere extolluntur.

Authoris de pilulis Beccherianis expoſitio.

Aloes in magna doſi adhibita in ſanguineis & juvenibus ſanguinis motus adauget.

Pilulæ balſamicæ quibuſnam

in ſubjectis, & qualibus in morbis ſint porrigenda.

etiam ego in uſu habeo, vires expertus ſum, & experti quoque alii ſunt, magis tamen in ſexu fœminino, quam maſculino, magis in temperamento torpidiori, & pituitoſo, quam ſanguineo, & cholerico, magis etiam accommodatæ ſunt fœminis in puerperio, & quidem ſtatim in primis diebus conſtitutis, item medio quoque tempore, & fine decenter uſurpatæ. Egregiæ quoque ſunt ad menſes promovendos, ſi eorum vitium non a valde difficilibus, & ſonticis cauſſis dependeat, & proveniat. Sunt quoque maxime utiles, ubi cruditates viſcidæ, & acidæ in hypochondriacis, flatulentis, & imbecillitate digeſtionis laborantibus, leniter educendæ ſunt, & hinc revera inter πολύχρηςα remedia locum inveniunt aptiſſimum. Verum enim vero iis in caſibus, ubi plethora ſubeſt, ubi calida humorum intemperies, ſanguinis facilis commotio, & ad nimias hæmorrhagias per alienas præſertim vias diſpoſitio, ubi humorum acrimonia, dolores, vigilias efficit, & bilis primis in viis exſuperat, ubi quoque copiam humorum, & ſeri eliminare expedit, ut in cachecticis, ad hydropem diſpoſitis, leucophlegmatia laborantibus; porro etiam in omnibus fere pectoris, & capitis affectibus, & vitiis, ubi etiam vel blanda, vel paullo fortiori vacuatione opus eſt, fruſtra non modo dantur, ſed & cum majori incommodo, & ſæpe inutiliter, facta ſanguinis majori commotione, præſertim paullo largiori doſi exhibitæ; ſed utique opus eſt aliis auxiliis ad noxium per alvum humorem expurgandum.

Extracti Panchymagogi Crollii incommodum.

Et quamvis extracti panchymagogi Crollii uſus non penitus ſit removendus, pluribus tamen in caſibus, & morbis, & eorum cauſſis non reſpondet; inſuper id quoque habet incommodi, ut poſt alvum ſolutam eam per aliquot dies tardiorem, & adſtrictiorem efficiat.

Reſpectus diverſitatis corporum in recentiorum praxi ab Authore deſideratur.

Deſidero itaque quam maxime id in recentiorum praxi, quod non appropriatorum, pro diverſa ratione corporum, evacuantium, quibus tamen maximus in praxi medica eſt uſus, habeant notitiam. Nam id maxime magni in praxi momenti & valoris eſt, ut pro diverſorum humorum noxiorum natura, & conditione inveniatur evacuans, quod ſimul correctivæ virtutis exiſtat. Ita, e. g. quando ventriculus, & prima regio ſaburra viſcidorum, & lentorum humorum ſcatet, ut ſæpiſſime fit in imbecillitate ventriculi digeſtionis, in paſſione hypochondriaca laborantibus; item in lentis, & quibuſdam etiam intermittentibus febribus, non datur expeditius, & accommodatius evacuans ſale quodam neutro amaricante, modo ſufficienti doſi, & prius in aquæ debita quantitate ſolutum porrectum, quo ſpectant ſal Ebſonenſe, Sedlicenſe & ex fontibus ægranis paratum: item artificiale amarum Glauberi, tartarus vitriolatus, ſal polychreſtum ex ſulphure, & nitro paratum, ſecundum deſcriptionem Clariſſimi Lemery, Arcanum duplicatum, quorum virtus, & operatio evacuans ſine omni virium, aut inteſtinorum deſtructione in movendis ſex vel ultra ſedibus non ſatis dictis in morbis dilaudari poteſt. Et cum fons Sedlicenſis a nobis detectus, præ omnibus aliis in Europa cognitus copioſiſſimo ejuſmodi ſale amaro deterſivo refertus ſit, de quo peculiarem

In febribus lentis, & intermittentibus non datur præſtantius evacuans ſalibus neutris.

Diſſertationem edidimus, pro evacuandi ſcopo in ejuſmodi caſibus vix reperitur ſimile, & efficacius medicamentum. Huc etiam ſpectat uſus acidularum, præſertim ægranarum, & thermarum Carolinarum evacuatorius eximius, ob ſal amarum deterſivum, cujus plurimam in ſe recondunt copiam.

Diſſertatio Authoris de ſale amaro Sedlicenſi allegatur.

§. CL.

Mirabilis mannæ virtus ſectæ methodicæ jam nota edocetur.

Quando vero humores acidi primis in viis ſtabulantes, (quod fit maxime in melancholicis, hypochondriacis, infantibus lactantibus, ubi bilis viridis æruginoſa peccat, quartana febre laborantibus) corrigendi, & evacuandi ſunt, remedium non datur præſentius ipſa manna, modo debita, & ſufficienti doſi, vel cum, vel ſine ſtimulo ſalino detur, cujus virtus antiquioribus, præſertim ſectæ methodicæ addictis, revera divina, ſatis nota, & perſpecta, noſtro tempore vero fere obliterata, & tantummodo ad morbos infantiles, præſertim ſi tuſſi laborant, rejecta. Aſſeruerunt enim, ineſſe huic ſimplici vim leniter evacuatoriam, non ſine flatulentiis operandi, cum tamen experientia teſtetur, ſi ad uncias duas, vel tres detur, decies imo interdum vigeſies ſedes movere, & nimiam quantitatem humorum ſine omni incommodo, vel virium jactura educere, adeo, ut id præſtent ratione evacuationis, & quidem ſecuriſſime, quod fruſtra, & non ſine damno a fortiſſimis purgantibus expectatur. Poteſt hac de re legi Diſſertatio noſtra de mirabili virtute mannæ conſcripta.

Legenda Diſſert. Authoris de mirab. mannæ virtute.

§. CLI.

Manna imbecillimis naturis exhiberi poteſt.

Id habet peculiare manna præ aliis, & laxantibus, & purgantibus, quod imbecillimis naturis, corporibus, in quorum numero ſunt ſenes, infantes, gravidæ, & ex morbo debilitati, aut nervorum gravi affectu laborantes, tutiſſime, & maximo cum emolumento, imo ſine omni noxa dari poſſit; & quod præcipuum eſt, ubi purgantia etiam vehementiora nihil efficiunt, quod frequentiſſime fit in melancholicis, quartana, aut hypochondriaca affectione laborantibus, propter acidum prima in regione reſidens, quod elemento acri purgativo valde adverſum eſt: ſola manna, legitima doſi exhibita, multas ſedes ſine omni incommodo movere ſolet.

In iis ſubjectis, ubi fortiora purgantia nihil efficiunt, manna optatum præſtat effectũ.

Præterea tutiſſime etiam evacuandi cauſſa uſurpatur in morbis exanthematicis, præſertim in purpura ſcorbutica, neque minus in eryſipelaceis, rheumaticis, & arthriticis paſſionibus, in quibus alia purgantia alias non ſine formidine dantur, ne materiæ vitioſæ progreſſus fiat ad interiora. Cum itaque in praxi rationali certe hoc ſimplici carere non poſſimus, mirari utique ſubit, quod fere nulla reperiatur mentio, vel commendatio in noviſſimis ſcriptis Medicorum de ea. Notum certe eſt, quam difficilis, & ardua res ſit, purgare humores acidos, ſonticos, prima in regione collectos, qui dulcibus ejuſmodi facultate ſtimulante præditis non modo corriguntur, ſed & feliciter educuntur; quo effectu etiam ſplendent Roob Sambuci, quod præter effectum diaphoreticum etiam alvum movet paullo altiori doſi, nempe ad unciam unam, vel duas exhibitum; præſertim ſi quippiam

Quibuſnã in morbis, ubi alia purgantia damnantur, ſit propinanda.

Recentiorum ſcripta corripiuntur ab Authoribus.

quippiam ſalis digeſtivi admiſceatur; item Roob Paſſularum; Ficuum pinguium, Pulpæ caſſiæ, ſyrupus florum Perſicorum, Acaciæ, Violarum per infuſionem, & ſine forti coctione paratus, quibus cremor tartari ad meliorem ſtimulum opportuniſſime additur; Pro ipſius mannæ, imo omnium vehiculo, ſerum lactis caprini ad menſuram ſemis vel ultra, in ſcorbuticis lento calore affectis, meretur laudem. Deinceps id etiam non ſine cenſura dimittendum eſt in recentioribus, quod uſus lactis aſinini, qui tantopere ab HIPPOCRATE, & veteribus laudatur, plane exoleverit ad leniter, & tuto alvum ſubducendam, etiam in imbecillimis corporibus, ubi omnia alia laxantia propter ventriculi debilitatem locum vix commodum inveniunt. Novi plurimos caſus contumaciſſimæ per plures annos alvi conſtrictionis, quæ tanta fuit, ut non ſine clyſtere, vel interno ſtimulante commota fuerit, id, quod evenit maxime in iis, qui ſpaſmis hypochondriacis detinentur, ubi ſolo lactis aſinini frequentiori uſu per aliquot ſeptimanas, vel menſes mane uſurpato, alvus in ordinem ita redacta fuerit, ut ſine ullo alio adminiculo quotidie ſedes debite ſecutæ fuerint, deſinentibus ſpaſmis, anxietatibus, atque interno calore, aliiſque ſymptomatibus, quæ fœminas pariter, & viros diutius vexarunt. Abundat hoc lac ſale tenerrimo, dulci inſtar ſacchari, cujus ingens copia certa enchireſi præparatur, quod ad unciam unam datum inſtar mannæ operatur. Hac de re, & laudatiſſimo lactis aſinini uſu, non ſine ratione lectionem Diſſertationis noſtræ de mirabili lactis aſinini uſu commendo.

Obſervationes Authoris de lacte aſinino.

Diſſert. de lact. aſinino commendatur.

§. CLII.

Humores bilioſi abundantes præſertim æſtivo tempore leniti vo ex Tamarindis facto ſunt evacuandi.

Quandocunque vero humores in corpore exſuperant valde bilioſi, calidi, acres, ut fit in cholericis, tempore æſtivo, vel calidas regiones incolentibus, vel in flagrantiſſimo præternaturali æſtu conſtitutis, conjuncta ſimul ſiti, vigilia, ardore interno, urina intenſe tincta, ipſoſque humores ſubinde & affatim in primis viis collectos evacuare expedit, convenienti etiam evacuante opus eſt, quod videlicet ſimul intemperiem hanc corrigendi facultate polleat; cui ſcopo obtinendo benigniſſima parens natura offert nobis acidulos fructus in ipſis tamarindis, quorum decoctum ſi recipiantur unciæ duæ ad menſuram unam aquæ, vel ſolum, vel cum manna adhuc mixtum, accommodatiſſimum, imo tutiſſimum in ejuſmodi caſibus evacuans præbet, & ob id maxime commendabile, quod gratiſſimi ſit ſaporis, æſtum ſimul deprimat, & ſitim nimiam exſtinguat. Simili vero effectu in ejuſmodi circumſtantiis gaudet ipſe tartarus crudus, vel adhuc rectius cremor tartari in aqueo vehiculo ſolutus, & cum vehiculo ſufficienti aqueo, adjecto ſyrupo violarum, uſurpatus, ſed pro doſi ad minimum drachma una vel duæ cremoris tartari, vel loco hujus tartari crudi ſemiuncia, imo una ſumi poteſt. Vidi præſidio hoc alvum, ad plures dies interdum ad ſeptem imo decem compreſſam, aliis fruſtra tentatam remediis, feliciſſime ſolutam fuiſſe.

§. CLIII.

In humoribus exundantibus acidis, & cruditatibus viſcidis commode adhibentur purgantia, amaricantia, ut ſunt Aloe, & Rhabarbarum.

Quodſi vero copia eſt humorum acidorum, & cruditatum viſcidarum, ob bilis defectum, in duodeno, tunc utique non ipſa jam laudata dulcia, & mannata, non acida, neque purgantia fortiora, aut ſalina remedia copioſe data commode adhibentur; ſed tunc provida ſalutis humanæ natura nobis largitur ſimplicia amara, ſale nempe alcalino ſulphureo inſtructa, quæ ſimul ſtimulandi, & alvum movendi facultatem cuſtodiunt: quæ inter eminent maxime Rhabarbarum, & Aloe, quæ evacuantia ſunt omni laude ſuperiora, modo rite præparentur, & adminiſtrentur. In corporibus nempe humidioribus, pituitoſis, copia humorum viſcidorum, acidorum refertis, tempore præſertim Autumnali, humido, aut in ſexu ſequiori, utpote ſimul præter laxantem virtutem, corrigentem, incidentem, & balſamicam, roborantem habent. Cum vero Rhabarbarum longe innocentius ſit ipſa aloe, imo etiam ejus uſus latius pateat, cum non modo clementer evacuet ſordes ex inteſtinorum volumine, ſed & eorum tonum dejectum roborando reſuſcitet, ita ut in alvi fluxibus præſentis etiam ſit efficaciæ; & quia non commovet, ut aloe, bilioſos humores etiam ubi ii peccant, vel qualitate, vel copia, aut etiam motu in affectibus hepaticis, item poſt iræ affectum, qui maxime ſyſtema vaſorum biliariorum infeſtat, omnibus aliis evacuantibus præferri debet, præſertim ſi non tam in ſubſtantia, ſed & infuſo adhibetur, vel cum paſſulis in roob leniſſime coquatur, & pro re nata alia admiſceantur, ſeu ſtimulantia, ſeu corrigentia.

In alvi fluxibus, & nimiis iræ affectibus optime convenit Rhabarbarum datum.

§. CLIV.

Abſorbentia cum antimonio diaphoretico juncta acidos humores leniſſime evacuant.

Ad purgandos commode, & cum inſigni εὐφορίᾳ acidos, qui in primis viis frequentius infeſtant, humores, ſola abſorbentia terrea, neque minus antimonium diaphoreticum, ſeu rectius illud, quod ex regulo paratur, & ceruſſæ antimonii nomine venit, ſi hæc invicem miſceantur, præbent pulverem diaphoreticum, qui tamen, ſi acidum offendit in ventriculo, & inteſtinis, aliquot ſedes placidiſſime movet, id quod vero a nullo obſervatum fuiſſe deprehendi. Talis pulvis pro ſenibus laxandis, ſi alvus officio ſuo non fungitur, & aliis imbecillioribus, hypochondriacis etiam, & qui potu, acidum in receſſu habente, ſubinde utuntur, medicina eſt accommodatiſſima. Ejuſdem operationis, ſed longe majoris virtutis eſt pulvis albus tenuiſſimus calcareus, qui ex lixivio nitri, vulgo *Mutter-Lauge*, noſtris temporibus ſolennis eſt, ſed propter rodentem ſuam vim ſenſibiliori ventriculo minus congruus; non raro enim tormina, roſiones, & conatus deſidendi fruſtraneos efficit, atque eam ob cauſſam ejus uſum plane ſepoſui in ejuſmodi complexionibus. De hoc genere laxantium id tenendum eſt, vacare plane hac virtute evacuatoria, ſi non inveniant prima in regione acidum, cum quo congrediantur in ſal neutrum, unde vim ſuam ſtimulantem accipiunt.

Senibus, & debilioribus hypochondriacis apta ſunt.

Magneſia nitri ventriculis ſenſibilioribus non congruit.

§. CLV.

§. CLV.

Ad aquas hydropicorum educendas Author emeticum antimoniale cum mannæ decocto propinat.

Si vero expedit copioſe collectas aquas in habitu corporis, atque etiam ex inteſtinorum latibulis, & glandulis per alvum educere, ut in anaſarca, ſeu leucophlegmatia affectis, vel ſi ſuperſunt aquæ a potu fontium ſalubrium, præſertim in habitu corporis, partibuſque externis, tunc utique paullo fortiori ſtimulo opus eſt, in ſegnioribus præſertim naturis, quia in hoc caſu jam dicta leniora, licet majori doſi exhibita, non ſemper ſufficiunt: propterea ego repudiatis omnibus acrioribus, venenato acerrimo principio ſcatentibus, ſoleo emeticum antimoniale cum decocto mannæ miſcere, ita intenditur vis illa purgans, & rarius, imo nunquam in hydropicis emeſis obſervatur.

§. CLVI.

De ſudoriferis, & alexipharmacis balſamicis Authoris ſententia.

Progredimur jam ad alia generoſiora in morbis tum arcendis, cum ſanandis præſidia, quæ nempe ſunt circulationem ſanguinis, & fluidorum principio ſalino volatili ſulphureo intendentia, quæ vel nomine *ſudoriferorum*, *alexipharmacorum*, vel *balſamicorum* efferuntur, de quorum uſu noſtram, & aliorum etiam depromere volumus ſententiam. Intelligimus ſpeciatim per ea, ſalia volatilia oleoſa, primum a SYLVIO Celeberrimo Lugdunenſium Medico in uſu tracta, ſalia volatilia animalium ab oleo ſuo empyreumatico depurata, quorum princeps eſt *ſal Cornu Cervi volatile*, cum vel ſine ſalis ammoniaci ſale volatili remixtum, ſpiritus volatiles animantium ex ſale volatili, & ſpiritu vini parati, *ſpiritus Buſſii*, item *tinctura bezordica* cum hiſce ſpiritibus parata, *ſpiritus Cornu Cervi ſuccinati Michaelis*, quo ſpectant etiam *tinctura bezoardica ad imitationem ejuſdem parata*, & famigeratiſſima *Paracelſi ſimplex mixtura*; item *Theriaca*, *eſſentiæ*, & *aquæ theriacales*: Porro *camphora*, vel in pulvere, vel ſpiritu vini ſoluta, *olea* omnia *aromatica*, & omnes *eſſentiæ* radicum, oleoſis & aromaticis ingredientibus quaſi conditæ, & præparatæ. Item *balſamum* ſic dictum *ſulphuris ſuccinatum*, *elixiria cephalica*, *balſama vitæ*: Quamvis horum remediorum olim magna laus, gloria, & commendatio fuerit; tamen noſtris temporibus plurimi ſunt, qui eorum uſum reformidant, & plane ſuſpectum reddunt; idque maxime ex hypotheſi, qua adſtruitur ex ſanguinis abundantia, ſeu plethora morborum originem eſſe ducendam, quæ ejuſmodi calidioribus propter motum, quem augent, inteſtinum mirifice intenditur; ita, ut propter turgeſcentiam, & orgaſmum non tantum plethora ad vaſa, ſed etiam ad vires fiat morborum magnorum procreatrix. Deinde quod vehementer ſanguinem, & fluida corporis commovendo ad dolores, inflammationes, ſanguinis congeſtiones periculoſas, hæmorrhagias etiam diſponant. At vero licet non negandum ſit, uti optimorum, & efficaciſſimorum remediorum dari abuſum, dum non dextre, & prudenter applicantur, ita etiam id ipſum de hiſce generoſis remediis veriſſimum eſt; ex eo tamen minime ſequitur, inſecura hæc, & ſuſpecta eſſe remedia. Nam ſi ingens urget plethora, quod tamen frequenter fit, ſi corpus eſt juvenile, percalida regio, vel temporis, & aeris conſtitutio æſtiva, ſi calor quoque internus affligit, ſique bilis in prima regione eſt exuberantia, & ſi quis diætæ vinoſæ, & ſpirituoſæ aromaticæ aſſuetus eſt, tunc utique talia validiora calefacientia promiſcue, ſi quis præſcribere velit, mirifice hallucinabitur, & noxam non mediocrem inferet. At vero cum plurimorum morborum origo ſubinde ex defectu ſanguinis, & ex abundantia humorum, vel ſeri viſcidi, & impuri, ex tranſpiratione impedita in ſegnioribus, torpidis, plebeiis etiam hominibus, qui eduliis frigidis, crudis, potu aquæ, vel cereviſiæ tenuis contenti eſſe debent, viriumque, & ſanguinis adeſt paucitas, tunc utique hæc ipſa calidiora, cum prudentia & cautione data, auxiliatrices, & fere divinas afferunt manus, dum a calculo, rheumatiſmis, cachexia, febribus intermittentibus, quartana maxime, œdematoſis tumoribus, & hydrope præſervant.

Alexipharmaca balſamica quibuſnam in ſubjectis noxam afferant.

Quibuſnam in morbis, & individuis divinas porrigant manus.

§. CLVII.

Sudorifera balſamica in morbis epidemiis, & endemiis ſumme conferunt.

Reponimus itaque medicamenta, quæ ſulphureo calido volatili principio agunt, inter ea, quæ ſanguinis ſaluberrimum illum, & vitalem circulum, ſi ſegnior, & tardior eſt, promovent; & hac ratione ſalutiferum illud ſecretionum, & excretionum ad ſanitatem ſumme neceſſarium negotium ſimul procurant, maximeque liberam illam, & inſenſibilem per magnum illud, & univerſale fere corporis emunctorium cutim ſuperfluæ, & halituoſæ materiæ difflationem tuentur; quo ipſo facile jam eluceſcit, quanta vis, & energia iis remediis, in avertendis gravibus paſſionibus, tam acutis quam chronicis, morbis endemiis, & epidemicis, & præſertim iis, qui ex ſanguinis, & humorum copia, ac impuritate, eorumque ſtagnatione hinc inde in vaſculoſa viſcerum compage naſcuntur. Peſtilentia morbus eſt, quo non facile truculentior, ſed non melius, & rectius ea avertitur, quam per medicamenta calidiora, balſamica, ſudorifera, cujus naturæ ſunt vulgo ſic dicta alexipharmaca ſimplicia, & compoſita; Et id quoque valet de aliis morbis maligne graſſantibus ex corruptione, vel pronitate ad putredinem, & quæ ob pravam diætam, vel tempeſtatem diutius humidam, atmoſphæram elatere deſtitutam, naſcuntur, & autumno præſertim, & primis hyemis temporibus ſe exſerunt. Spectandæ quoque, & diſcernendæ ſunt regiones in uſu calidiorum ſanguinem commoventium, in quo utique magnum momentum quoad adminiſtrationem remediorum ſitum eſt. Si quis enim iis paullo liberalius, & frequentius uti velit in præcalidis Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ Regionibus, is certe non leve damnum infert. Alia ratio eſt Regionum, & locorum, quæ fruuntur aere, & diæta craſſiori, corpora habent compactiora, & qui loca incolunt declivia, humida, præſertim marina, ubi ad movendam humorum maſſam, fortiori & movente utique

In calidis regionibus non ſunt exhibenda.

In frigidis & humidis provinciis proſunt.

utique opus eſt præſidio; quare etiam experientia docet, omnibus rationibus inanibus, & hypotheſibus ſuperior, ad præcavendum ſcorbuticum malum, quo populi ſeptentrionales, & qui in locis maritimis habitant, vehementer affliguntur, ejuſmodi medicamentis ſale acri volatili ſcatentibus, ut ſunt herbæ, & radices ſic dictæ antiſcorbuticæ, ſalibus volatilibus animantium, decoctis ex ingredientibus talibus, quæ ligna, & radices reſinoſas ingrediuntur, modo non deficiat ſufficiens diluentium copia, nil eſſe præſentius, nil ad curandum, & præſervandum aptius. Plures noſtri temporis exiſtimant, atque invanum aſſerunt, ſalibus volatilibus, oleo empyreumatico animantium, vel alio vegetabili fragrantia fœdis ineſſe ſummam vim, & poteſtatem vehementer motus humorum vitales invertendi, & effrænes efficiendi, valde calefactoriam, quod etiam aperte de camphoratis profitentur, ſed experientia e diametro repugnat, ac contradicit.

In ſcorbuto laudantur.

Ante aliquot luſtra cum non modo in Belgio, ſed etiam in Germania hypotheſis Bontekoiana medica, qua ipſe Auctor omnes morbos ex acido, & viſcido deducebat, floreret, & nonniſi alcalina, volatilia, & fixa, atque infuſum herbæ Thee curandi, & præſervandi cauſſam admitterentur, rejectis omnibus purgantibus, ſanguinis miſſionibus, & acidis, ſalis volatilis cornu cervi rectificati, item ſalis volatilis ſicci, & fluidi *Sylvii*, tam frequens, & tam liberalis erat in Aulis Principum, & Magnatum, quibus aſſueta diæta calida, & vinoſa erat, uſus, ut ſal volatile cornu cervi ad unam drachmam, & ultra fere quotidie in prandio, vel convivio quodam, a quovis cum vino, & ſaccharo ad conciliandum meliorem ſaporem, & ſpumeſcentiam fuerit aſſumta, non modo ſine noxa, ſed ſimul etiam ſine ſenſu caloris aucto, egregioque cum effectu nimirum præſervatorio a morbis.

Hypotheſis Bontekiana adducitur.

Camphoræ uſum internum plures reformidant, ſed ſolida experientia deſtituti. Fruſtra enim metuunt vim calefacientem, cum tamen uſus, & experientia plane teſtetur contrarium; qua quiſque confirmari poteſt, ſi vel drachma ſemis, modo ſolvatur prius in oleo, v. g. oleo amygdalarum dulcium, imo ultra cum aqueo vehiculo ſimul & ſemel hauriatur, refrigerationem potius in toto corpore, quam calorem inde percipere; ut pro certo poſſimus affirmare decem guttulas olei caryophyllorum, vel cinnamomi plus calefacere, quam uncias duas camphoræ intus ſumtæ.

Camphora a pluribus reformidatur.

Habet enim hoc ſimplex quoddam peculiare ratione ſuæ texturæ præ omnibus aliis oleis, & volatilibus calidis, quod nempe tota inflammabilis, calore etiam mediocri tota in auras avolet, nullo relicto tenacitatis veſtigio, more oleorum; quod etiam exterius uſurpata, ſive forma ſicca, ſive humida, non calefaciat, ſed potius calorem in inflammationibus abigat, & hac ratione refrigeret, & quod interius ſumta, ſecus ac faciunt ſalia volatilia animantium, vel olea deſtillata, pulſum, calorem, ſitim augeat; nihilominus in arcenda putredine maligna humorum, eaque diſcutienda, abigenda e corpore mediante diſflatione ſubcutanea, nihil ſit excellentius.

Ejuſdem vires.

Qua de cauſſa in morbis peſtilentialibus malignis, petechizantibus Gallorum peritiſſimus practicus Riverius, ut videre eſt in ejus libris, & obſervationibus, imo ad arcenda deliria in acutis febribus ſummo cum fructu camphoram ad grana decem, quindecim una cum lapide Prunellæ, quo æſtus præternaturalis melius temperetur, laudatiſſimo cum effectu præſcripſit, & commendavit.

Riverius in deliriis acutarum porrexit.

Screta Medicorum Helvetiorum peritiſſimus identidem frequentiſſime in uſu habuit, in febribus caſtrenſibus benignis & malignis, ceteris nihil juvantibus, camphoram cum pauxillo croci in ſpiritu vini ſolutam doſi certe ſatis magna ad guttas quatuor, vel quinque propinare.

Screta in febribus benignis, & malignis aliis nihil juvantibus.

Semper vero laudabili ſucceſſu Celeberrimus Batavorum Medicus Theodorus Craanen camphoram in uſu habuit familiariſſimo, non modo in febribus acutis, malignis, & inflammatoriis, ſed etiam in deliriis furibundis, & melancholicis: neque ſatis dilaudari poteſt ejus efficacia: nam poſſidet præter vim diſcutientem virtutem anodynam, ſedativam. Denique in lue venerea, gonorrhœa virulenta, & aliis ex malignitate humorum exanthematicis, & ulceroſis naſcentibus paſſionibus, in ſphacelo etiam, & ulceribus cancroſis camphoræ uſus internus debet eſſe æſtumatiſſimus: Certe in gonorrhœa virulenta ſpiritus Therebinthinæ, in quo camphora ſoluta, modo præmittantur purgantia, & acrimoniam humorum temperantia nil facile efficacius reperitur.

Craanen in febribus inflammatoriis, & deliriis furibundis, & melancholicis.

§. CLVIII.

Ego certe nullus dubito affirmare, camphoram non tam plena, quam refracta doſi cum nitro, & abſorbente mixtam, & rite uſurpatam in febribus inflammatoriis, malignis, hæmorrhagiis effrenibus moderandis, in diſcutiendis hypochondriorum, & hyſtericarum flatibus, in refrenandis ſpaſmis non certius, & efficacius dari auxilium, cum ego cum ſummo emolumento olim ſemper in praxi eo uſus fuerim. Tantopere laudata in hæmorrhagiis ſiſtendis *Sperniola Crollii* virtutem debet admixtæ camphoræ, & multum etiam virtutis in compeſcendis hæmorrhagiis, vel aliis excretionibus ſpecies de hyacintho, camphoræ, utut paululum ingrediatur, debent.

Obſervatio Authoris de camphora cum abſorbente mixta.

Verumtamen id de camphora, ſicut de omnibus aliis vaporoſis, ſeu ſuaveolentibus, ſeu graveolentibus tenendum eſſe exiſtimo, quod non omnes ea æque ſalubriter, ac feliciter, dubio procul propter ſingularem cerebri, & nervorum affectionem, quam Græci ἰδιοσυγκρασίαν appellant, ferre poſſint; id, quod ante eorum uſum probe explorare oportet Medicum.

In exhibendo cautela quæ?

§. CLIX.

Clariſſimus Stahlius cum ſuis Aſſeclis in frequentiſſimo uſu habet *eſſentiam alexipharmacam* ex radicibus alexipharmacis compoſitam, item *eſſentiam pimpinellæ albæ*, *ſcordii*

Stahlii cū aſſeclis eſſentiæ alexipharmacæ abuſus culpatur.

cum ſpiritu vini extractam. Conſtat utique, hiſce remediis ſua laus, & ſuus uſus, præſertim ſi uſurpentur, non tam tempore paroxyſmi, ac vigore morbi, & febrium, ſed ad præſervationem, & tempore intermiſſionis. Multos vero ego obſervavi abuſus, dum fere in omnibus morbis exanthematicis, inflammatoriis, & acutis febribus illa uſurpata fuerunt, præſertim in paullo majori doſi, & ſine interpoſitione pulverum nitroſorum, vel refrigerantium, non ſine majori ſubſequente æſtu, ſiti, ſanguiniſque commotione, ea interdum intentione, ut malignus vapor ad habitum corporis propellatur; cum tamen id longe felicius expediri poſſit ſolis bezoardicis fixis, & ſi opus eſt pauxillo camphoræ adjecto pro doſi, vel etiam mixtura ſimplici, quæ longe temperatior eſt propter acidum vitrioli ac ejuſmodi eſſentia.

§. CLX.

Obſervavi quoque in praxi recentiorum ſalibus volatilibus, ſeu potius ſpiritibus ſale volatili turgidis imputari vim quandam augendi tumores œdematoſos, imo eos in hydropicos convertendi; ſed ego hanc noxam neque a priori per rationem, neque a poſteriori per experientiam deprehendere potui. Siquidem hæc ipſa remedia, dum tonum ſolidorum, & viſcerum roborant, ſtagnationi, & infarctui, a quo hæc vitia proveniunt, reſiſtunt, & humorum circulationem promovent; nil crebrius evenit, quam pedum poſt longum morbum perpeſſum intumeſcentia, præſertim a paullo largiori paſtu, quam ego feliciſſime ſemper depuli uſu ſalium volatilium cum Tinctura tartari mixtorum. Et certe ego non poſſum penetrare cauſſam, quare nonnulli ex noſtris ſpiritus volatiles oleoſos ſecundum Sylvii methodum præparatos, quorum uſus per multa tempora, & regiones celebratiſſimus, & laudatiſſimus, tantopere odio quaſi habeant, ut vix formulam in omni morborum curatione deprehendere liceat.

Pedũ intumeſcentiã uſu ſalium volatilium cum tinctura tartari mixtorum depulit Author contra Hypotheſin recentiorum.

§. CLXI.

De abſorbentibus Authoris mens aperitur.

Nunc quoque de abſorbentibus, ſeu acidum temperantibus remediis noſtram ut exponamus ſententiam & mentem, res poſcere videtur. Multum certe laudis, & meriti tribuimus Sylvio, & qui ex ejus Schola prodierunt, quibus accenſendus eſt maxime Bontekoe, Owercamp, Craanen, quod horum remediorum uſum antea plane incognitum, vel neglectum in frequentiorem uſum, & praxin introduxerint: neque id ſine ratione, & ſucceſſu feliciſſimo. Equidem Sylvius cauſſas, & originem morborum ex præternaturali acido ſucci pancreatici, bilis vitio, & abundantia pituitæ deducebat, & ob hanc cauſſam non modo abſorbentium, & invertentium acidum alcalinorum terreorum, ſed & ſalium alcalium fixorum, & volatilium uſum magni fecit, & ampliſſimis laudibus, & virtutibus in ſcriptis ſuis exornavit. Licet vero hæc hypotheſis pathologica non ubivis firmo conſiſtat talo, tamen id negandum minime eſt, acidum copioſum, & præternaturale ſæpiſſime in primis viis, ventriculo maxime, & duodeno magnas creare moleſtias, digeſtionis, & chylificationis, nec non excretionis alvinæ negotium turbare, & pervertere; præterea ructus, vomitus, anxietates, tormina, torſiones, & roſiones in præcordiis, & inteſtinis cauſſari: idque manifeſto fere omnes hypochondriacos, melancholia Hypochondriacorum ſocia laborantes, fœminas quoque cachecticas, & quæ menſes inordinatos habent, multo adhuc vero magis infantes lactantes, item febre lenta inprimis quartana affectos experiri, quotidiana, & manifeſta experientia Medicorum, & ægrotorum id teſtante. Jam vero vix ullum remedium tam evidentem, tam præſentem mox effectum exſerit, eumque laudatiſſimum, quam pulvis ex abſorbentibus exhibitus, qui protinus humorum acrimoniam acidam corrigens, inſigne affert levamen, & ſymptomatum mitigationem. Plures novi hypochondriaca affectione vexatos, qui a nullo remedio, quam abſorbente, & ſolo pulvere lapillorum cancrorum ſymptomatum mitigationem quotidie aſſumto experti fuerunt. Quæ cum ita ſint, equidem non ſatis mirari poſſum, quare in recentiorum doctorum praxi, tam raro, & infrequenter abſorbentium alcalinorum, tam terreorum, quam ſalinorum uſus, & commendatio reperiatur, cum revera medicamenta ſint πολύχρηςα, & valde innocentia, cujus neglectus cauſſa ſine injuria tribuenda videtur hypotheſi huic, quod videlicet malum hypochondriacum, & aliæ chronicæ paſſiones ex longe alia origine, & cauſſa, quam ab acido peccante in primis viis, ducant: ſed potius a fluxu hæmorrhoidali ſuppreſſo, vel impedito, adeoque ab infarctu ſanguinis in hepate, & venæ portæ ramis repetendæ ſint. Quamvis vero id in totum non negemus, alia tamen quæſtio eſt: annon ex ipſa illa prima origine, ſeu circulo ſanguinis per viſcera abdominis impedito ſuperabundantia præternaturalis acidi humoris in primis viis penes hypochondriacos, ac ſcorbuticos, atque cachecticos proveniat, & multorum incommodorum in ipſis procreatrix ſit? & annon ad levanda illa mala, æque ad morbum, ejuſque cauſſam eradicandam, abſorbentium uſus convenientiſſimus ſit?

Sylvius, Bontekoe, Owercãp, & Craanen laudantur.

Hypotheſis Sylvii exponitur.

Convellitur.

Abſorbentium virtutes.

Recentiorum praxis corripitur.

§. CLXII.

Ceterum quod attinet ad medicamenta, quæ ex marte præparari ſolent, & quæ demum ineunte chymicorum ſeculo in uſum vocata fuerunt, & adhuc uſque a Medicorum peritiſſimis, quibus haud injuria ex Anglis Willisium, & Sydenhamium, ex Germanis Michaelem, Rolfinckium, Ludovici, Ettmullerum & Wedelium accenſemus: magnæ certe laudis, & famæ conſtanter fere fuerunt remedia ad chronicas paſſiones propulſandas, & ſanandas, ſeu præſidia præſtantiſſima

Angli, & Germani de martis præparationibus ſcribentes laudantur.

Authoris de martis virtutibus ſententia. tiſſima habita fuerunt. Et certe ſi meam interponam ſententiam, nullum fere ex omnibus chymico igne, & labore, inque primis ex metallorum familia confectum remedium eſt, quod naturæ magis corporis noſtri ſit amicum, magiſque innocens, & majoris efficaciæ, ſi dextre uſurpetur, quam quod ex marte prodit. Hic enim eſt, qui ſulphure minerali ſubtili, & admodum roborante ſcatet. Hic eſt, qui nullo contagio arſenicali, ut cætera metalla infectus eſt. Hic ſimul alcalino terreo acidum invertente pollet elemento, unde ubi dejectus fibrarum tonus robore reparandus, & hinc fluidorum motus progreſſivus, & excretorius provocandus eſt, martialia opem certe ferunt valde eximiam. Multum vero refert, qua ratione præparata ſint, & qua methodo, & prudentia ea uſurpentur. *Martialiū exhibendi modus ſecundum Anthorem.* Neque enim hic diffiteri poſſum, hæc ipſa inter heroica ponenda eſſe, quorum ea eſt indoles, ut dextro uſu multum juvent, ſiniſtro plurimum noceant. Probo maxime, ſi ipſa limatura martis ſine igne, ſine corroſivo, aut acido ſale in tenuiſſimum pulverem redigatur, vel ſi ex aquarum martialium, ut ſunt Lauchſtadienſes, ſedimento tenuiſſimus crocus colligatur, qui certe omnibus aliis diverſimode præparatis crocis longiſſime antecellit virtute, & efficacia, ac innocenti uſu. Ex martialibus liquidæ formæ præfero ea, quæ cum menſtruis acidis lenioribus vegetabilium, ut ſucco citri, aurantiorum, cydoniorum, pomorum, aut aceto vini præparata ſunt. Hæc enim tenuiſſimum tantum alcalinum, & ſulphureum principium relicta craſſiori magis adſtrictiva portione extrahunt. Perpaucis itaque martialium virtus recte cognita, & perſpecta eſt, & perpauci ſunt, qui iis recte uti poſſunt. Nam ubi robur adjiciendum relaxatis partibus, ubi motus, & excretiones ſiſtendæ, vel etiam in ordinem revocandæ ſunt ſanguinis, & aliorum humorum, non facile invenies tale remedium, quod tam cito, & exigua doſi operationes ſuas exſerat. Quod etiam valet, ſi intermittentium paroxyſmus cohibere quis cito velit, quod longe facilius expediet, quam cum cortice famigeratiſſimo chinæ; id quod etiam non potuit *Crocus martis a Stahlio ad levandos febrium paroxyſmos commendatur.* Clariſſimus STAHLIUS negare, dum ſubtiliſſimum crocum martis peculiari methodo præparatum, qui exiſtit in operibus ſuis chymicis, ad febrium intermittentium paroxyſmos levandos, magnifice commendat. Atque ego certe in menſium, & hæmorrhoidum negotio in ordine conſervando, in arcenda cachexia, in hæmorrhagiis enormibus provide ſiſtendis, & menſibus retardatis etiam promovendis, & in hypochondriacorum, & hyſtericarum pathematibus mitigandis non efficacius, modo judicium ac prudentia accedat Medici, invenire potui remedium. *Stahlius, & ejus alumni ex marte præparata in chronicis ſuſpecta habent.* Qua de cauſſa ſatis mirari nequeo, quare Clariſſimus STAHLIUS, & ejus diſciplinæ Alumni tantopere ex marte præparata remedia, ceu ſuſpecta in chronicis ſic dictis paſſionibus habeant, ac ſi eorum uſus magis ad cachexiam, & hydropem diſponat, quam ut eos avertat. Fundatur vero, ut ego exiſtimo, hæc ſententia in illo præjudicio martem propter adſtrictivam vim ſanguinis ſalutares excretiones, præſertim hæmorrhoidum, vel menſium ſiſtere; cum a libero, & ſufficienti horum fluxu impedito, aut cohibito fere omnium chronicorum morborum cauſſam, ac originem deducere ſoleat. Certiſſima tamen experientia hic contradicit, dum ſi rite uſurpentur, hos fluxus magis promoveant, quam eos ſupprimant. *Experientia contradicit.* Quare non inconveniens erit, pauca hic ſubjicere circa eorum dextrum uſum monita. *Authoris monita circa martis uſum.* Expedit 1. ex marte parata dare extra paroxyſmum, & ubi ſpaſticæ contractiones a partibus nervoſis, & fibroſis abſunt. 2. Ubi humores ſatis ſunt fluxiles, adeoque cum ſufficienti quantitate diluentium, 3. ubi viſcera a tono ſuo dejecta, non vero obdurata, obſtructa, & ſcirrhoſa. 4. Si alvum non aperiunt, interponenda ſunt benigne eam ducentia. 5. Si pulſus ab eorum uſu non increſcit, vel facies coloratior fit, motu, & exercitio corporis eorum operatio ſecundanda eſt.

§. CLXIII.

Perſpecta virtute martialium, ſequitur nunc, ut de cortice chinæ, qui ceu infallibile ſpecificum antifebrile habetur, noſtram, & quorumdam recentiorum, imprimis Clariſſimi STAHLII, & qui ejus veſtigia in theoria, & praxi legunt, ſententiam depromam. *De cortice chinæ Stahlii ſententia perquiritur.* Is Clariſſimi nominis Vir hujus uſum valde deteſtatur in curatione intermittentium, eam maxime ob cauſſam, quia ab ejus uſu non modo recidivas pernicioſas, ſed & alios ſæviores adhuc ſupervenientes morbos frequentius obſervaverit; cui ſententiæ ejus quoque hypotheſis multum patrocinatur, dum febrem habet pro ſalutari naturæ conamine, abundantiam, & impuritatem humorum, ac ſanguinis partim conſumendi, partim etiam evacuandi. Si itaque cohibitione motuum febrilium natura in opere ſuo valde ſalubri impediatur, non poſſit non inde inſignis noxa a remanente cauſſa & materia peccante corpori inferri, qua de cauſſa non niſi eo tempore, quo tota febris ſponte quaſi finita eſt, & tantummodo conſueti quidam motus febriculoſi remanent, ejus uſum ſuadet, quo iſti motus plane inutiles cohibeantur. At vero ego ſic ſtatuo, corticem chinæ accenſendum eſſe iis remediis, quæ recto, ac dextro uſu multum juvant, ſiniſtro vero valde nocent; *Authoris ſententia.* cujus naturæ ſint omnia ſic dicta heroica; adeoque non mirum eſt, ſi imprudenter, ut multoties fit, exhibeatur, prava inde ſymptomata, & peſſimas recidivas inde oriri. Ego experientia non ſuperficiaria, ſed certa, & multiplici ſuffultus aſſevero, non efficacius, non certius dari remedium, non modo ad febres intermittentes, ſed alios ſpaſmodicos, & chronicos affectus mitigandos, & propulſandos, quam ſi hoc remedium cum ratione, deliberatione, debito tempore, doſi, ac ordine propinetur. *Cautela circa corticis chinæ exhibendi uſum.* Summa enim imperitia eſt, ſi quis eo velit uti, 1. mox ante, vel in ipſo paroxyſmo; 2. Ante evacuationem primarum viarum, ante coctionem, ut cum veteribus loquar, in urina apparentem, quod fit

ſit depoſitione ſedimenti. 3. Si obſtructis, vel vitio eminenti laborantibus viſceribus, ut hypochondriacis, vel morbum latentem habentibus, velit dare, vel etiam plethora prius non ſoluta, aut circa menſium, vel hæmorrhoidum fluxum, & 4. Si poſt emanſionem paroxyſmorum non materiæ peccanti removendæ ulterius convenienti medicina occurrere velit. Quicunque autem hoc cortice recte uti ſcit, is non modo brevi tempore febres, quæ valde vires laceſſunt, & corpus conſumunt expugnare, & ſine omni noxa priſtinæ ſanitati reſtituere poterit. Vidi ſane plurima exempla, ubi ſine hoc remedio variis aliis auxiliis ſalinis, amaris, diaphoreticis tentata fuit intermittentis cura, non ad paucos menſes, ſed ad dimidium fere anni, ut imbecillimum inde corpus redditum fuerit, aliis facile morbis obnoxium, cum contra brevi tempore hoc remedio recte uſurpato ſine omni formidine noxæ plurimi ſanitatem adepti fuerint. Neque in rerum natura facile remedium invenire licet, quod tantis viribus, & naturæ non inimicis ſplendeat, ac inſtructum ſit, quam ille Cortex. Cuſtodit enim principium reſinoſo-ſulphureum ſapore, & odore valde gratum, quod etiam cum ſpiritu vini rectificatiſſimo commode extrahitur: poſſidet etiam ſal quoddam tenue, amaricans, quod partim in ſpiritu vini, vel aqua, quæ cum ipſo decoquitur, ſecedit: obtinet ulterius terram quandam teneriorem, ſolubilem, & adſtringentem, quæ identidem facile ſecedit in menſtruum aqueum. Hæc ingredientia, ſeorſim ſpectata, febris cauſſæ expugnandæ non inconvenientia ſunt, & rarius hæc juncta in uno ſimplici obſervantur. Veteres de ejuſmodi remediis dixerunt agere tota ſubſtantia: principium enim reſinoſo-ſulphureum, & adſtringens, robur adjicit delaſſatis a motu, & calore febrili viſceribus, & vaſorum ſanguiferorum tunicis, & maxime omnium eorum vaſorum, quæ inveſtiunt membranas medullæ ſpinalis, ubi ſedes, ac origo eſt, meo quidem judicio, ſpaſmorum febrilium univerſi corporis: robore itaque ſuo impediunt novæ materiæ febrilis generationem. Deinde quoque cortex chinæ hac ſua roborante & adſtrictiva virtute frequentiſſime, & utiliſſime alvi fluxum, vel largum ſudorem, imo quod aliquoties obſervavi ſalivæ fluxum cauſare. Denique principio amaricante quo pollet, acidum, & viſcidum, quo prima regio multum in intermittentibus abundat, infringit, immutat, & balſamicam vim bili vitioſæ conciliat. Ego ſancte affirmare poſſum, quod vel minimum mille per ætatem meam intermittentes curaverim chinæ cortice, ceu baſi remediorum, ſine ulla noxa, vel recidiva ſuperveniente; ſed præmiſſo, ſi opus fuerit, emetico, ſalinis deterſivis, & tenaces humores incidentibus, & diluentibus curam aggreſſus ſum: hoc ipſo cortice in electuario cum aliis roborantibus, & antifebrilibus mixto; Ita per aliquot dies ſumto, mitigati, vel etiam penitus ſublati fuerunt ex toto ipſi paroxyſmi; ſed tunc per plures adhuc dies continuavi illa remedia, quæ humorum cruditati, impuritati corrigendæ, & evacuationi inſerviunt, additis etiam roborantibus ſemper, & ſtomachicis.

Authoris obſervatio.

Corticis chinæ conſtitutiva eſſentialia.

Theca medullæ ſpinalis membranacea, eſt ſedes ſpaſmorum febrilium.

Verus corticis chinæ porrigendi modus.

§. CLXIV.

Sum enim ego hac in ſententia ſine adſtringentium, & roborantium prudenti uſu, vix celerem, & felicem intermittentium febrium ſanationem expediri poſſe; id quod etiam Clariſſimus STAHLIUS confirmat, cum crocum martis ſingulari modo præparatum virtutis eminentis adſtrictivæ, ceu arcanum quoddam ad intermittentes curandas commendet; eaque propter ego penetrare rationem nequeo, quare tam exoſa ipſi exiſtat talis corticis chinæ exhibitio, cum præter vim adſtrictoriam, eximie roborans, & amaricans virtus ipſi inſit. Videtur enim in ejus, & aliorum ſcriptis, corticem chaccarillæ multum præferri ipſi cortici Peruviano, tam in febrium curatione, quam etiam ad roborandum ventriculi, & inteſtinorum tonum. Quia vero hic cortex magis reſinoſus, & calidioris indolis eſt, & minus adſtringentis virtutis, quam chinæ cortex, huic in domandis intermittentium acceſſionibus plus utique tribuo teſte identidem experientia, quam chaccarillæ, quia ille temperatior eſt, & plus aquæ ſolubilis adſtrictivæ continet. In tono vero roborando ventriculi, & inteſtinorum inter ſtomachica cortex caſcarillæ, ſeu potius ejus eſſentia concentrata principem merito locum obtinet.

In adſtringentium, & roboranti uſu felix conſiſtit febrium curatio.

Stahlius confirmat.

Cortex chinæ teſte experientia plus præſtat in febribus quam chaccarilla.

§. CLXV.

Proximum nunc eſt, ut de opio ſimplici, a medicinæ fere incunabulis per omnia retro ſecula, in uſum Medicum recepto, & tot præparationibus, compoſitionibus, & correctionibus a Galenicis, æque ac Chymicis vehementer vexato, juſtum in medendo judicium meum exponam. Non facile in univerſa remediorum claſſe ullum aliud reperire licet, quod tam exili doſi promptiſſime, & præſentiſſime virtutem ſuam in ſiſtendis omnis generis excretionibus, doloribus, & motibus tum ſolidorum, quam fluidorum vehementioribus, & præternaturalibus exſerat, & quod etiam tam diverſis, & contrariis medentium judiciis, (cum nonnulli ejus dotes ad cœlum uſque extollant, alii pro veneno infamato habeant,) expoſitum ſit quam ipſum opium, & ex eo, ceu baſi præparatum medicamentum.

In Opii minima mole maxima virtus.

Diverſæ de eo Authorum ſententiæ.

§. CLXVI.

Ut itaque tam diſcrepantes Auctorum ſententias de uſu opiatorum componamus, dicimus, ea utique eſſe valde activæ naturæ, hoc eſt, quæ parva mole data inſignem motibus corporis mutationem afferunt, adeoque non empiricam, ſed fere rationalem medendi rationem, imo exactam circumſpectionem, ac cautionem depoſcere, ne plus damni, quam emolumenti, quod de omnibus heroicis valet remediis, præſtemus.

Diſcrepantes Authorum ſententiæ ab Authore combinantur.

Quiſque

Opio quando non ſit utendum. Quiſque vero, niſi plane imperitus, intelligere poteſt, ejuſmodi ſiſtentibus & ſedativis motuum non utendum eſſe, ubi motuum, vel excretionum eſt defectus, ubi pulſuum magnitudo, & robur deeſt, atque virium, tam animalium, quam vitalium, ac naturalium magna eſt imbecillitas; quare ſenes, & ex diuturno morbo imbecilles redditi, aut maligno morbo quodam affecti, ex toto utique ab ejuſmodi medicamentis abſtinere debent. *Quibus in caſibus ſit porrigendum.* Dantur vero complures caſus, ubi integris viribus, & robore ſolidorum ſalvo, ſumma vehementia dolorum, ſpaſticarum conſtrictionum, neque minus excretionum varii generis impetuoſitas effrænis urget ſine humorum, & ſanguinis notabili abundantia, atque ubi cauſſa magis in motu, & qualitate vitioſa quærenda eſt: ibi utique ſumme utile, & neceſſarium, quam primum fieri poteſt, hæc ipſa ſedare, & refrenare, ne plus juſto vires, quæ vitæ ſunt conſervatrices, & naturæ autocratiam conſtituunt, nimium peſſundentur, & graviora inde ſymptomata metuenda arceantur. *Axioma Medicum de non utendis validioribus, ubi mitiora locum habent.* Deinceps prudentia medica exigit, ut non utamur validioribus ſedativis, ubi mitiora, & tutiora locum inveniunt, & ut magis imminuta, & refracta, quam magna, & plena doſi eorum uſum tentemus. *Opiata quali modo ſint exhibenda.* Deinde, ut non cruda, ſed potius bene correcta, commixtione, vel cum analepticis, vel purgantibus, ſudoriferis, aut cum aliis morbo, & ejus cauſſis appropriatis, cujus generis ſunt *Theriaca Cœleſtis*, *Pilulæ Wildeganſii*, *Starckii Anglicanæ*, *maſſa pilularum de ſtyrace*, *Laudanum hyſtericum*, *Eſſentia anodina* cum tinctura antimonii tartariſata parata, *Laudanum* cum oleo cinnamomi, moſcho, & ambra confectum, in uſum vocemus. *In magna neceſſitate alias irritis præſcribit Author.* Ego nonniſi magna neceſſitate urgente opiatis talibus utor; niſi, ubi nitroſa, emulſiones ex ſeminibus frigidis, diluentia, & liquor maxime meus anodynus mineralis in ſedandis motibus, & excretionibus non ſufficiunt. Clariſſimus Stahlius, & qui eum preſſe ſequuntur, quamvis magno odio habeant, ceu naturæ humanæ, vel potius eorum hypotheſibus valde adverſa opiata, quod etiam ex ejus Diſſertatione de impoſtura opii animadvertere licet, ſed tamen ipſo facto teſtantur, non poſſe medicinam carere ejuſmodi ſedativis, dum maſſa pilularum de cynogloſſa ad decem interdum pro doſi grana in effrænibus ſanguinis, & aliorum humorum excretionibus dilaudant; *Pil. de Cynogl. ad gr. decem præſcribendas reformidat Author.* quam tamen ego certe ob ſeminis Hyoſciami vim narcoticam, & quod non adeo fauſtos ſucceſſus aliquoties ab iis datis obſervavi, non auſus ſum præſcribere. *Quibusnã in morbis anodyna ſint ordinanda.* Neque etiam tantopere anodyna reformidanda eſſe in principio inflammationum, in exquiſitis arthriticis, rheumaticis, colicis, & podagricis doloribus, in nimiis alvi dejectionibus, peritiſſimorum Medicorum a multis retro-ſeculis praxis, & experientia luculenter evincit. *Animadverſio.* Sed videndum, & probe animadvertendum eſſe a circumſpectis Medicis cenſeo, num forſan ex idioſyncraſia opiata, quod non ſemel obſervavi, quibuſdam ſint naturæ plane adverſa, & non levem noxam corpori minentur.

§. CLXVII.

Ab opiatis pervenimus nunc ad ea, quæ vaporoſo quodam principio identidem ſuas operationes in medendo exſerunt, quæ inter maxime eminet *caſtoreum*, & ex eo præparata, quæ a primis medicinæ incunabulis, & a multo retro-ſeculis conſtanter in uſum recepta in ſedandis motibus ſpaſticis, & hyſtericis, etiam plebeiis mulierculis notiſſima; *Caſtoreum Antiquis frequenti fuit in uſu.* nihilominus compluribus ex noſtris recentioribus valde infida, & exoſa, adeo, ut etiam in affectibus ſpaſmodicis, hypochondriaco-hyſtericis, epilepſia, ſingultu, colica convulſiva, eorum uſum valde improbent, tantiſper ſolum admiſſo uſu externo. *Recentioribus compluribus exoſum.* Neque aliam poſſunt aſſignare rationem, quam quod ſanguinem multum commoveant, & caput oppleant; At vero quotidiana fere experientia noxam, & inſecuritatem horum remediorum claris aliquot exemplis, ſeu obſervationibus demonſtrare non valet, ſed potius contrarium tuetur. Neque tamen dubitandum, iis uti & aliis efficacibus quenquam poſſe abuti, cum tamen notiſſimum ſit, inconſideratum abuſum nunquam tollere genuinum uſum. *Authoris exhibendi modus.* Ego vero ſolitus ſum pulveribus antiſpaſmodicis nitroſo-cinnabarinis refracta doſi eſſentiam, vel extractum caſtorei admiſcere, vel etiam ejus eſſentiam maritatam cum liquore anodyno minerali, & ſemper expertus ſum mirabilem in componendis ſpaſticis, & convulſivis motibus citra ullam noxam caloris aucti, vel commotionis ſanguinis, aut metum torporis in capite deprehendi. Pulveribus quoque errhinis cephalicis in affectibus capitis caſtorei pulverem admiſcere egregio cum fructu ſoleo.

§. CLXVIII.

Progreſſum nunc facio ad ea paullo validiora, & activiora, quæ metallorum claſſis nobis ſuggerit remedia, & quidem ea, quæ mercurialis ſunt proſapiæ, e quibus principem locum tenet ipſum *argentum vivum*, ſeu mercurius; quibus etiam accenſeri debent *aurum*, *argentum*, *cuprum*, & *plumbum*. *Aurum, argentum, venus, & ſaturnus non agunt, niſi ſoluta.* Hæc certe ita ſunt a natura comparata, ut niſi ſoluta fuerint, omnium virium ſint expertia; ſoluta vero, quod fit per ſalinum adminiculum, in doſi etiam admodum conciſa, vim, & mutationem ingentem in motibus maxime augendis, & perturbandis edere ſoleant, ut de omnibus præparatis ex auro, argento, venere, & ſaturno id veriſſime dici poſſit, ſolis exceptis reliquis duobus metallis, ſtanno nempe, & marte, quæ ſunt inter metalla leviſſima, & copioſo ſulphure, naturæ non inimico, imbuta ſunt. In nullo vero manifeſtius, & celerius ſeſe oſtendit remedio vehementia operandi, quam in iis, quæ argentum vivum complectuntur. *Mercurialia in parva doſi, ſi non rite fuerint edulcorata, ſummam corpori noxam afferunt.* Hæc enim talia ſunt, ut parva doſi, exemplo *Turpethi mineralis*, *Arcani corallini*, *mercurii præcipitati albi* & *rubri*, anxietates, nauſeas, vel etiam vomitiones,

tiones, tormina, alvi dejectiones, ſalivæ fluxus, præſertim ſub paullo majori doſi ad grana quinque, vel ſex, & graviora quoque ſymptomata, incompeſcibiles ſalivæ fluxus, ulcera in lingua, & faucibus, paralyſes, convulſiones, ſummam virium, & appetitus proſtrationem efficiant, ſi non rite fuerint edulcorata; vel etiam ſi in ipſius corporis penetralibus ſalia varia, præſertim lixivioſa, vel bilem acrem corroſivam, ut penes arthriticos, podagricos, ictericos, cachecticos, febre chronica laborantes, hypochondriacos, inveniant, a quorum connubio veri veneni naturam aſſumunt.

Mercuriū dulcem, licet bene edulcoratum, non eſſe ordinandum, niſi in ſumma neceſſitate ſuadet Author.

Et quamvis mercurius ſic dictus dulcis, ſeu dulcificatus bene præparatus mercurialium ſit leniſſimus, & ego etiam olim eo uſus ſim, poſtea vero multiplici experientia, & meliori ratiocinio inſtructus, deprehendi ejus uſum valde eſſe inſecurum, & ſummam cautionem deſiderare in praxi Medica, eo quod non datum eſt cuivis Medico, humorum intra primas vias, & corpus latentium, noxiorum, a quibus vis mercurii inverti, & immutari poteſt, naturam, & diſpoſitionem prænoſcere; quare auctor ſum, non ſine ratione ſumma, ut quantum fieri poſſit ab iis, qui cum integritate famæ medicinam facere volunt, abſtineant. Nihilominus tamen non deſtituuntur uſu in certis morbis egregio & dextro ac cum cautione applicata, ut ſunt.

In lue gallica ſummum eſt ſpecificum.

Lues illa a venere impuriori contracta gallica, in qua certe eradicanda mercurialia ſunt ſpecifica; cum nempe totam humorum, veneno ſuſcepto corruptorum, ſeri, & lymphæ maſſam per vehementes ſtricturas glandularum, & vaſorum lymphaticorum commoveant, & per ſalivales fontes cum magno fœtore exturbent; ſed ſub regimine convenienti, & diæta perpetua ut adhibeantur, ſumme neceſſarium eſt. Neque enim facile ullum errorem in diæta commiſſum, in admittendo frigido aere, in cibis, & alimentis acidis, ſalſis, aut potu ſpirituoſo, vel acido, v. g. cereviſiæ, vel vini admittunt, remota etiam omni animi & ejus motuum intemperantia.

Ante curam ſalivationis corpus præparandum.

Præparandum itaque eſt ante curam ſalivatoriam, & venæ ſectione, & diluentibus, & temperantibus, emollientibus balneis, ipſum corpus morbo chronico liberum, ante contagium integrum, & validum; quæ omnia ſi negliguntur, noxa certe, ac damnum præſentiſſimum non facile coercibile reſultat.

In ejuſmodi morbis mercurio diaphoretico utitur Author.

Ego a longo jam tempore in ejuſmodi morbis mercurio utor diaphoretico, quem nonniſi tribus doſibus per integrum morbi curſum ad grana duo vel tria pro una doſi exhibeo, & corpus ſubinde ad ſudorem, & tranſpirationem auctiorem balneis, & diaphoreticis, decoctis intercurrentibus diſponi jubeo: ita multa exempla mihi, & aliis, quibus hoc remedium communicavi, in promptu ſunt, quod ſæpiſſime hæc lues ſine ſalivatione, & incommodo fuerit curata; qua de re videnda Diſſertatio de mercurio & medicamentis mercurialibus.

Diſſertatio de mercurio videnda.

Mercurius dulcis ad necandos inteſtinorū vermes in forma pilularum porrigendos.

Ceterum in praxi Medica vulgatiſſimus mercurii dulcis uſus eſt in necandis inteſtinorum vermibus, ad quod ceu ſpecificum, ſeu arcanum vulgo plurimum commendatur; neque ego ejus uſum diſſuadeo modo in forma pilularum cum congruis purgantibus miſceatur. Ego vere vidi a pulvere ejus exhibito aliquoties pro doſi ad aliquot tantum grana vehementia ſymptomata, ſummam virium, & appetentiæ proſtrationem, anxietatem, & internum æſtum; quod etiam obſervavi, ſi hic pulvis infantibus, & pueris primis diebus ante invaſionem variolarum, item in epilepſia a dentitione difficili datus fuerit, qua de re poſſunt legi obſervationes aliquot, quas in medicina noſtra conſultatoria congeſſi.

Obſervationes aliquot in medicina conſultatoria conſulendæ.

Stahlius corripitur.

Ego itaque non ſatis mirari poſſum, quod, cum Clariſſimi nominis Vir Dominus STAHLIUS tam parcus alias, & timidus ſit in activioris naturæ medicamentis uſurpandis, non vereatur ipſum mercurium dulcem, ceu elegans, & tutum in pulvere etiam exhibitum pro infantibus catharticum commendare, & quidem ad grana tria, vel quatuor pro doſi; item in Atrophia, ſcabie retropulſa, pectorali tuſſi, viſcerum ſcirrhis reſolvendis ipſum ceu peculiare, & efficax remedium proponat. Ego certe mallem, cum tutiora habeamus, ab ejuſmodi infidis abſtrahere, præſertim cum valde arduum, & difficile ſit, ſufficienti cautione in ejuſmodi remediis adminiſtrandis, cujus ſumma nocendi vis ineſt, uti.

Ex auro, argento, venere, & ſaturno præparata ſunt corroſiva medicamina.

Ejuſdem commatis cum mercurialibus ſunt etiam ea, quæ ex auro, argento, venere, & ſaturno parantur, quæ a rerum chymicarum, & medicarum fere imperitis tantis laudibus vulgo ceu ſumma eſſent in ſanandis morbis arcana deprædicantur. De quibus tamen vere dicere poſſumus, quodſi ingrediantur revera quoddam medicamentum, ubi nec aurum excipere licet, inter inſecura, ſuſpecta, infida, valentiora numeranda eſſe. Nam hæc ipſa non agunt in corpus humanum, niſi ſoluta ſalibus, cujuſcunque etiam fuerint generis; ſi vero ſolvuntur, ſemper corroſivam naturam nanciſcuntur, utpote mirabile eſt exiguas tantummodo particulas, & moleculas ſalis cujuſdam auro, vel mercurio, itemque argento immixtas, ut videmus in auro fulminanti, magiſterio lunæ, mercurio præcipitato albo, elotione licet præcedente ſufficiente, affricare hiſce metallis vim erodentem, tunicas inteſtinorum, & ventriculi nerveas vellicantem, adeo ut non ſine periculo in pulvere, ac paullo majori, ac repetita doſi præſcripta dentur, ſi offendant prima in regione humores ſalſos, acres, a quibus ulterius amplius ſolvantur.

§. CLXIX.

Accedimus jam ad magnum illud paſſionum chronicarum præſidium, aquas nempe minerales, tam frigidas quam calidas, thermas nempe, & acidulas, & quid de harum virtute ſentiat Clariſſimus STAHLIUS, & qui eum ſequuntur, videbimus.

Quamvis mihi nunquam animus ſit ægre cuidam, adeoque & meritiſſimo viro, contradictionem facere, non poſſum tamen hoc loco pro veritate tuenda, & pro vindicandis præſtantiſſimis viribus, quas divina bonitas in ſalutem

lutem totius generis humani ejuſmodi aquis largiter fere in omnibus regionibus, & gratis profluentibus indiderit, meam ſententiam contra ipſum exponere.

Stahlii ſententia de acidulis.

Ille in peculiari ſcripto de hac materia falſo exiſtimat acidulis ineſſe elementa naturæ humanæ valde adverſa, copioſum vitriolum martiale, interdum etiam venereum, & alumen, præter nitrum, ſal commune, calcaream terram pinguem, & bituminoſam materiam, quam etiam ipſis aſſignat. Ex natura itaque horum ingredientium falſo aſſignatorum citra ullam experientiam, vel præcedentem accuratiorem inveſtigationem de eorum viribus, cum nunquam hæc loca viſitaverit, vel ut patet chymicæ, mechanicæ, docimaſiæ ſubjecerit ipſe cum ſuis fidis Aſſeclis, non ſine levi præcipitantia ſcribit, quod Aquæ hæ ultra præſervativam leviorem adhuc morbos præoccupandi efficaciam, & levioribus illorum affectibus ad reſtitutionem adhuc tempeſtivam viam ſternendi, inſignem poteſtatem minus tueantur, unde inveteratis morbis ſanandis minus pares ſe exhibeant. Hoc præjudicio auctoritatis alii inducti pro ſtolido idolo hos fontes habent, & mittere ægrotos ad ejuſmodi loca nihil aliud eſſe, quam eos publico periculo exponere, Germanice: *Vogel-frey machen*, & Medicos, qui earum uſum magnifaciunt, non verentur inſimulare lucri faciendi cauſa id fieri. Hinc in omnibus morbis chronicis, quos nominatim recenſui, inſecuros, imo noxios hos fontes judicant, & vix leviſſimum tantum uſum quendam præſervatorium, idque magis ob alia accedentia, mutationem nempe cœli, aeris, motum in itinere, diætam exactam in iis uſurpandis adſcribunt.

Authoris de Thermarum Carolinarum, & acidularũ uſu obſervationes.

Ego vero, qui per complures annos varios Germaniæ fontes, præſertim Carolinos, quos frequentavi vigeſies, variis examinibus ad eruenda ingredientia ſubjeci, & pluſquam mille obſervationes de thermarum, & acidularum uſu, & viribus in variis morborum, præſertim chronicorum generibus, in quibus magnum præſtarunt auxilium, mihi comparavi; non poſſum non vera fide teſtari, hos fontes, ſi non empirice, & indiſcriminatim, ſed a Medico perito & prudente uſurpentur, ſuperare longiſſime omnia alia remedia in pharmaceutica, galenica æque ac chymica, in vincendis morbis, ſi natura non ſint inſanabiles, adeo ut hi fontes ſi non curent, alia remedia modo dicta non ſanabunt. Id quod experientia innumerabilium exemplorum manifeſtum eſt, dum a Medicis per plures annos fruſtranea cura morbi tentati, potu decenti, unica vel etiam repetita vice, ſanationem receperunt. Neque etiam experientia hæc deſtituitur manifeſtis, & ſolidis rationibus: nam hi fontes conſtant ex taliſmodi ingredientibus, quæ naturæ corporis humani, ejuſque fluidis, & ſolidis partibus admodum amica, & benigna ſunt, adeoque tutiſſima, & quæ porro facultate, & virtute inſtructa ſunt diluendi, temperandi, & fluidos reddendi; ſeu colliquandi humores impuros, ſalinos, viſcidos, acidos, eoſque per omnia in corpore humano collocata emunctoria, alvum, urinam, tranſpirationem, quandoque etiam per ſalivæ fluxum, & vomitum deturbandi; deinde etiam relaxatas, & a tono ſuo dejectas fibras muſculoſas, & nerveas roborandi, ut expeditior, promtior, & liberior, æquabiliorque humorum fiat circuitus.

Conſtitutiva agentia.

Et hæc ipſa ſunt aqua limpida, pura, principio ſpirituoſo-æthereo elaſtico prædita, quod vires maximas addit ceteris ingredientibus, turgida, & quod elementum guſtu, odore, & bullularum motione ſeſe manifeſtat, & quia valde volatile eſt, & viribus inſtructum, hinc fit, ut calore exhalante omni virtute medicamentoſa priventur. Deinde fixioris indolis elementis ſcatent hi fontes, & hi ſunt non vitriolum, multo minus veneris naturæ, non alumen, non ſulphur, nec bitumen, de quibus ne mica quidem reperire licet, ſed partim ſal alcali puriſſimum ſali tartari, vel nitro fixo in omnibus ſimile, partim ſal neutrum amaricans, quale eſt ſal Ebſamenſe ſali Glauberiano perſimile, & levior alcalina calcarea, & quodammodo martialis proſapiæ cum acido quovis promte confligens terra. Jam judicet quiſque ex æquo, qui vel medicamentorum vires, vel morborum cauſſas recte penetrat, annon ejuſmodi fontium, quos Divina manus largiter mortalibus in eorum ſalutem donat, decens uſus ad morborum præſervationes, ad chronicas paſſiones ſanandas, quæ ex nimia humorum abundantia, vel impuritate, ſtagnatione, vel obſtructione vaſorum, aut viſcerum infarctu, necnon excretionum debitarum ſuppreſſione proveniunt, re ipſa ſit ſumme proficuus, & ſecurus? an vero intutus, periculoſus, aut noxius?

Stahlius, & ejus ſequaces chronicorum originem in humorum ſpiſſitudine ponunt.

Cum Clariſſimus Stahlius, & ejus ſequaces plurimarum chronicarum, & gravium paſſionum originem, & cauſſam a ſanguinis, & humorum ſpiſſitudine, atque in vaſis ſtagnatione, neque minus ab excretionis ſanguineæ, tam menſtruæ, quam hæmorrhoidalis vitio; item a ſanguinis, & humorum congeſtionibus ad certa loca deducant;

Fontes Soterii præſtantiſſimũ ſunt humorum ſpiſſitudinis reſolvens.

nullum præſtantius ad ſpiſſitudinem ſanguinis, & humorum diſſolvendam, ad infarctus, & congeſtiones nimias humorum expediendas, & denique ad excretionem hæmorrhoidalem, & menſtruam purgationem in ordinem redigendam, revera aptius exiſtat medicamentum: eo plus mirari ſubit, quare hæc quæ divinam opem præſtant remedia tam ſuſque deque habeantur.

Craſſam Medicorũ fontium Sotericorũ ignorantiam dolet Author.

Dolendum profecto eſt, quod complures ex Medicis etiam præcipue notis, nullam exactam harum fontium mineralium tam quoad ingredientia, quam quoad modum operandi, & vires habeant notitiam; id quod plurimi teſtatum faciunt, quando ægros morbis, vel plane ſua natura inſanabilibus, aut per medicinam ineptam corruptis laborantes ad hos fontes mittunt cum inepta certe inſtructione, ac præſcripto modo iis utendi.

§. CLXX.

Complures ſunt, & fuerunt a longo inde tempore hac in perverſa ſententia, remedia hæc

hæc eſſe vehementiſſimæ operationis, & requirere robuſta, & valida corpora; ſed id eſſe falſiſſimum, vel inde demonſtrari non ſolum poteſt, quod innocentiſſima ingredientia foveant, ſed & quod gravidis, infantibus, ſenibus, ex morbo convaleſcentibus, & valde debilitatis non noceant, ſed potius prudenti cura adhibita proficiant. Conſtans fuit opinio acidulas præeminenti acido eſſe imbutas, unde exiſtimarunt pulmonibus eſſe noxias; & phthiſicis, & fœminis, quibus acida præ aliis ſunt inimica, valde adverſa, cum tamen plane contrarium ſal, nempe alcali, obtineant, cujus ratione effervefcunt cum omni acido, idque corroſivum mitiſſimum efficiunt, & in ſal ſalſum, ſeu neutrum convertunt, & lac minime coagulant, ſed potius fluidum reddunt, & a coagulo præſervant; unde ego primus fui, qui cum incomparabili ſucceſſu ſuaſi acidulas in graviſſimis morbis, præſertim nervorum, cum lacte mixtas bibendas. Pauciſſimi vero ex Medicis acidularum, & thermarum elementa recte norunt, qua nempe ratione quantitatis, & ponderis differant, & quænam ex ingredientibus prædominium habeant. Nam certe quædam valde ſunt temperatæ, minus purgantes, & copioſum ſal alcali fovent, ut thermæ Ebſamenſes, acidulæ Selteranæ; quædam ſale copioſo amaricante purgante ſcatent, ut ex acidulis Egranæ, ex thermis Carolinæ; quædam valde ſunt ſpirituoſæ, ſubtiliores, ut Spadanæ, Swalbacenſes; quædam fortiter ſpirituoſæ, & multum ochreæ, & martialis calcareæ ſubſtantiæ habent, & roborantis, ut ſunt Pyrmontanæ; quædam valde temperatæ, & ſubtiles, ut pro potu ordinario optime poſſint commendari, ut ſunt Dinſteinenſes, Antonianæ, Wildungenſes.

Fontes Soterii innocentiſſima in ſe fovent ingredientia.

Præpoſtera de acidulis opinio.

Acidulæ lac fluidius reddunt.

Acidulas cum lacte bibendas primus ſuaſit Author.

Diverſa ſunt thermarum, & acidularum ingredientia.

§. CLXXI.

In genere hoc loco velim notare, diluentia terrea tam ad valetudinem ſartam, tectamque conſervandam, quam ad ægritudines imminuendas, præcavendas, vel etiam præſentes tollendas omnium eſſe ſecuriſſima, & efficaciſſima, & nunquam ſatis in praxi laudanda. Notum enim ex anatomicis eſt, quod compages corporis humani, & ejus partium ſit mere vaſculoſa, per quæ ſemper fluida libere tranſire, & circulare debent in ſano ſtatu. Cum vero per hæc vaſa, & minima vaſcula, humorum iter, ac fluxum nihil tueri, & conſervare rectius poſſit, quam tenue copioſum liquidum, vera hæc eſt cauſſa, quare non modo fontes iſti ſalutares copioſius hauſti, ſed & infuſa herbarum temperatarum, item Thee, noſtris temporibus valde familiaria, egregium effectum habeant valetudinem tuendi, non tam ratione herbarum medicatatum, quam potius ipſius aquæ, quæ quo ſubtilior, & quo majori copia offeratur, eo eminentiorem virtutem exſerit; qua de cauſſa etiam id mihi animadvertendum videtur in praxi Stahliana, quod tam parcus in commendandis infuſis Theiformibus ſit, cum tamen innocuam, & ſimul efficaciſſimam medicinam præbeant in omni fere morborum genere.

Diluentia aquea, tam prophilactice, quam curative valere.

Probatur Autopſia Anatomica.

Stahlius taxatur.

§. CLXXII.

Cum agimus de diluentium ſaluberrimo uſu, nolo prætermittere, quod ego in praxi mea, ad ſanandas tam chronicas, quam acutas paſſiones, ſemper abſtinere jubeo a cereviſiæ potu, quippe rariſſime quædam deprehenditur morbo conveniens, ſed vel nimis conſiſtentes, & alimentoſæ humorum fluiditati reſiſtunt, & vires onerant, vel recentes adhuc flatulentias gignunt, aut vetuſtæ ſpirituoſitate nimia, & acore infeſtæ ſunt, quæ cuncta incommoda non expectare licet a puriſſima aqua decocta cum ſpeciebus, v. g. radicibus, corticibus, vel ſeminibus, quæ morbo ſimul tollendo opitulantur, ut adeo alimentum plus ſæpe ad recuperandam valetudinem conferat, quam aliud quoddam e fonte pharmaceutico petitum. Si ventriculus non aſſuetus eſt tenuibus potionibus, ſoleo tertiam partem vini intermiſcere rhenani vetuſti.

Cereviſiæ potum prohibet Author in ſtatu morboſo.

§. CLXXIII.

Miſſa diluentium, & fontium ſalutiferorum conſideratione medico-practica ad aliud auxilii genus vernaculum, & domeſticum, ſimpliciſſimum, & facillimum, ab antiquitate maxime æſtumatum, & revera ſi ullum aliud gravibus morbis ſanandis aptiſſimum, a recentioribus vero proh dolor! vel ignoratum, vel neglectum nos convertimus; & hoc ipſum eſt animantium lac, & quod præſtantia ſuperat reliqua, aſininum, deinde caprinum, & denique vaccinum. Quandoquidem lac non modo princeps eſt inter alimenta, ſed & meo quidem judicio inter morborum remedia præſervatoria, & curatoria præſtantiſſimum. Naturæ quippe eſt amiciſſimum, nulla exceſſiva nocente qualitate inſtructum, quod acrimoniam humorum, quæ frequentiſſime, egregie diluendo, & temperando, alvinam quoque excretionem, & quæ per urinam fit blande movendo, & ſimul genus nervoſum motibus ſpaſticis valde exacerbatum deliniendo ſuas vires exſequitur, idque ſeroſa ſua aquea, & ſubdulci ſalina, qua pollet maxime aſininum, ſubſtantia. Siquidem ſerum ſapore ſaccharum referens certa ἐγχείρησι præparari poteſt, & quia parum caſeoſæ, ſeu in coagulum abeuntis materiæ continet, neque ab acido ventriculi coagulum ſuſcipit, hinc ſi modo ejus copia ſemper haberi poſſit divinam certe opem in medendo præſtat. Ego certe ad morbos nervoſarum partium, quorſum refero ſævos dolores, convulſiones, ſpaſmos, pathemata hyſterica, hypochondriaca, motus epilepticos, convulſivos, item delirium maniacum; porro atrophiam, & tabem, ad morbos, qui ex impuritate ſanguinis, & ſeri proveniunt: morbos cutis, purpuram, ſcabiem, & varias exulceratio-

Lac inter alimenta, & morborum remedia princeps.

Ad morbos nervoſarum partium præſtantiſſimâ eſſe curam lactis obſervavit Author.

cerationes, & puſtulas, item ad conſolidanda interna pulmonum apoſtemata, non certius, non efficacius ſcio, & expertus ſum remedium præter curam lactis decenter inſtitutam. Quare etiam ad dolores podagricos, & arthriticos mitigandos nihil excellentius eſt; cum vero lac aſininum non ubique ſuppetat, ſoleo lac vaccinum, & caprinum diluere, & miſcere cum acidulis, præſertim Selteranis, quæ plus quam aliæ copioſo alcalino ſale imbutæ ſunt; ita virtus lactis augetur leniens, temperans, & evacuans, & in primis viis inimicum coagulum prohibetur. Certe veteres ferè omnes, & primi Medicinæ conditores; HIPPOCRATES, GALENUS, CELSUS, DIOSCORIDES, MESUES, PLINIUS, ARETÆUS, TRALLIANUS lacte animantium, & ſero ejus memoratis jam in morbis ſummo cum fructu uſi fuerunt; & revera pudet, imo turpe eſt dictu, quod recentioribus, cum medicina a Chymicis agitari incepit per parvas chymicorum medicamentorum doſes, hæc diætetica, & domeſtica licet optima remedia plane exoleverint. Quapropter ut eorum uſus plurimum rurſus commendetur propter ſummam medendi efficaciam, & in uſum traducatur, ſumme neceſſarium eſt. Ego itaque miror etiam, quoties pervolvo Clariſſimi STAHLII, & eorum qui eum ſequuntur ſcripta, nullam plane mentionem hujus optimi remedii reperiri; & ut ego exiſtimo dubio procul hypotheſeos ſuæ ratione eo adductus fuit, quæ non permittit talia nutrientia, cum ex plethora, ſeu ſanguinis abundantia, quam lac auget, omnium fere morborum origines deducat. Plura legi poſſunt in Differt. meis de uſu lactis aſinini, ſero lactis, & miſcela lactis cum acidulis.

Primi Medicinæ Parentes jam lacte, ejusque ſero cum fructu uſi fuere.

Recentiores culpantur.

Differt. de uſu lactis aſin. ſer. lact. & miſcel. lact. cum acidul. pervolvenda.

§. CLXXIV.

Supereſt nunc, ut de remedio antiquiſſimo, & ſimul omnium efficaciſſimo, operationis celerrimæ, & facillimæ, inque omnibus fere morbis maxime præſervandis accommodatiſſimo agamus; & hoc eſt ſanguinis miſſio, ſive per ſcarificationem in cute, ſive per venarum inciſionem, ſive per applicationem hirudinum. Quod remedium, uti ſuam laudem ſibi conſtanter per multa ſecula vindicavit, ita certe mirandum, a pluribus recentioribus ex falſis hypotheſibus longo tempore contentui habitum fuiſſe, ut non erubuerint in claſſem interficientium remediorum *Mord-Mittel*, venæ ſectionem reponere, quo nomine notus eſt HELMONTIUS, BONTEKOE, OWERCAMP, & plures adhuc Chymici, qui vitæ theſaurum amitti hac ratione falſo judicant.

Venæ ſectionem in claſſem interficientium repoſuerunt Helmontius, Bontekoe, Ovvercamp, & plures Chimici.

§. CLXXV.

Ex omnibus certe noſtri temporis, qui venæ ſectionis laudem, & uſum præſtantiſſimum vindicavit, & conſtituit, & qui quaſi ejus patrocinium ſuſcepit, eminet noſter STAHLIUS: nam ſi ullum, certe hoc remedii genus, ejus hypotheſi favet, ac reſpondet, quæ fere omnes morbos tam acutos, quam chronicos ex nimia ſanguinis abundantia, & ejus critica per uteri, vel ani venas excretione deficiente cohibita, aut ſuppreſſa deducit, inde ceu præſervativum adverſus omnis generis morbos venæ ſectionis remedium plurimum commendat, atque etiam ego ejuſdem ſum ſententiæ, non dari præſentius, certius, ac facilius adverſus morbos præcavendos, & ſanandos in arte noſtra remedium ipſa ſanguinis miſſione, modo rite cum grano ſalis in uſum trahatur; ſed certe id non tam facile eſt, quam vulgo putatur, ſed in arte difficile, atque arduum quid, venæ ſectionem prudenter adminiſtrare. Quamvis vero in eo maxime conſentiam cum laudato antea Viro, quod ſit optimum ex præſervatoriis, ſi ſanguinis nimia redundantia, & ex hac virium, & excretionum ſuppreſſio metuenda ſit, tamen multa adhuc alia ſunt, quibus cum ipſo conſentire ex toto nequeo, maxime quod ſpectat ipſorum morborum, præſertim acutorum, ſanationem. Eſt enim ea in ſingulari ſententia, prout ejus prodita ſcripta oſtendunt, minus accommodatum auxilium eſſe inciſionem venarum, in quibuſcunque febribus, & motibus febrilibus, intermittentibus, & continuis, atque hinc etiam in inflammationibus internis cautiſſime, vel plane non, ut in pleuritide, & in peripneumonia admittit venæ ſectionem, hiſce ductus rationibus: 1. Quod ſanguinis miſſio in febribus ſit contra naturæ intentionem, quæ non ſinceram ejus abundantis evacuationem, ſed potius ejus calore, & æſtu auctiori in ſerum excrementitium reſolutionem pro ſcopo habeat. 2. Quia frequens teſtatur obſervatio, in acutis, ſi inter initia ſanguis miſſus fuerit circa dies criticos, metaſtaſes ſanguinis ad caput phreniticas, anginoſas ſæpe lethales eveniſſe. Verum enim vero uſus, & directio remediorum minime ex hypotheſibus peculiaribus nondum ſatis ſtabilitis, neque ex ſuperficiali, & inſufficienti obſervatione, ſed potius ex rationibus ſolidis, & experientia a longo tempore firmata meo quidem judicio deſumi debet. Jam vero univerſa Gallica natio, ut unicum tantum urgeam argumentum, contrariam teſtatur experientiam, cum nulla febrium ſpecies ſit, etiam non exceptis exanthematicis, variolis, morbillis, petechialibus, purpuratis, in qua non ſemel, ſed interdum repetitis vicibus hoc remedio cum fructu utuntur, & ejus omiſſionem valde increpent. BOTALLUS primus fere fuit, qui ante ſeculum, & dimidium venæ ſectionem tam frequenter, tam largiter celebrandam in hanc regionem introduxit, quem etiam adhuc conſtanter ſequuntur. Si antiquiores, præter Gallos, Italos, ipſumque HIPPOCRATEM, & GALENUM, conſulimus, utiliſſimam venæ ſectionem, imo in inflammationibus præſertim pulmonum gravioribus, tanquam neceſſarium præſidium extollunt.

Stahlii laus de venæ ſectionis adminiſtratione.

Authoris amicabilis cum Stahlio conſenſus.

In aliquibus diſſentit Author.

In pleuritide, & peripneumonia non admittit venæ ſectionem Stahlius.

Uſus remediorum non ex hypotheſi, ſed ex ſolida ratione, & experientia eſt deducenda.

Galli ferme in omnibus febribus venam cum fructu ſecant.

Botallus ante ſeculum & dimidium frequentiã venæ ſectionis introduxit.

§. CLXXVI.

Plethora in febre, & inflammatione inſtantaneã requirit venæ ſectionem.

Nos ita componimus breviter hanc controverſiam; nec febris, nec inflammatio in ſe conſiderata neceſſario expoſtulat ſanguinis miſſionem, ſed ſi plethora jungitur febri, & inflammationi, cujuſcunque generis, & naturæ ſit, ſanguinis evacuatio abſolute neceſſaria eſt, & quo citius, & magis in tempore inſtituitur, eo plus affert utilitatis: & quidem ob hanc rationem; *Plethoræ periculum quod?* plethora ſub febre ſummum periculum minatur, quia ſanguis ſub ſpaſmodica ſyſtematis vaſculoſi, & membranacei conſtrictione, quæ fere eſſentialis eſt febri, in anguſtum, & arctum cogitur, & ipſo calore valde expanditur, unde congeſtionis inflammatoriæ majoris, vel etiam diruptionis vaſorum, & extravaſationis mortiferæ metus oritur, quæ omnia peſſima ſymptomata tempeſtivâ, interdum etiam repetitâ, venæ ſectione averti poſſunt. Eadem ratione id valet in inflammationibus, quæ proxime a ſtaſi ſanguinis firmius hærente intra vaſcula proveniunt, quam ſtaſin non facile tollit venæ ſectio, ſed in ſtatu plethorico ſtagnatio, & congeſtio ſanguinis in parte affecta major fit, ut hinc ſtatus inflammationis convenienti methodo diſcuti queat.

Quibuſnã in morbis, & ſubjectis venæ ſectio ſit vitanda.

Improbamus itaque ſanguinis præſertim largiores miſſiones in febribus, ubi non tam ſanguinis copia, ſed ſeri impuritas urget, habitus corporis ſpongioſus, & valde exilibus vaſis turgidus eſt. Nam demto ſanguine, cujus beneficio, & affluxu ad partes etiam inflammatas inflammatio tolli debet, & materia impura, præſertim exanthematica, expelli, natura in expellendo, & diſcutiendo imbecillior fit, tandem etiam deficit, & elangueſcit non ſine vitæ periculo, & ſubſequente morte.

§. CLXXVII.

Plethora extra febrem ad præcavendos magnos morbos venæ ſectionem expoſtulat.

Et hoc in genere notandum eſt, ubicunque plethora etiam extra febrem urget, & periculum quoddam minatur, quod accerſitur immoderatiori motu corporis, aut animi affectu, potu ſpirituoſo, aut intenſiori frigore, aut medicamento valde ſanguinem commovente, ſeu purgante, ſeu ſudorifero, vel etiam balneo, ſanguinem mittere utiliſſimum eſt, & ſic magni morbi præcaveri poſſunt; id vero maxime obſervandum eſt, ſi ſanguinis excretio valde ſalutaris, & critica ſubito cohibetur, aut deficit, v. g. in fluxu hæmorrhoidali, menſtruo, & ſi quadam ex cauſſa, dolore, ſpaſmo lochiorum in puerperiis effluxus impeditur, quo caſu, niſi aperies venam, mors in procinctu eſt, vel grave aliud periculum. Contra vero improvide adminiſtrata venæ ſectio grave infert damnum, cum nempe ſanguine, ſi non adeo nimius eſt, detracto, eorum, quæ debilia, ad pathemata ſpaſmodica valde diſpoſita, ut ſunt ordinario ſic dicti hypochondriaci, quibus partes inferiores, & extremæ refrigeſcunt, ſpaſmi increſcunt, & motus congeſtorii inæquales ſanguinis ad partes ſuperiores, præcordia, pectus, caput incrementum ſumunt, & inſultus ſemi-apoplectici, & etiam vere apoplectici, convulſivi motus, deliria, mania, phrenitides inde infeliciſſimæ propullulent: quemadmodum ego per ætatem meam ejuſmodi triſtia exempla complura in praxi annotavi. Quapropter cautiſſime, & hyſtericis, & hypochondriacis ſuadere oportet venæ ſectionem. *Hypochondriacis, & hyſtericis cautiſſime ſuaderi oportere obſervavit Author.* Peccatur hac in re fere toto die, dum promiſcue, & indiſcriminatim in hiſce affectibus ſanguinis miſſio in pede commendatur, & maxime ob præjudicium theoreticum, quod tantum hæ paſſiones originem ſuam habeant a menſtruali, vel hæmorrhoidali ſanguinis excretione non recte ſe habente, cum ſubinde longe aliæ cauſſæ hos affectus procreaverint, & harum excretionum effectus demum hunc morbum conſecuti fuerint, utut non negandum ſit, ſi a ſanguinis retenti nimia abundantia pathemata ſpaſmodica proveniant, ipſius ſanguinis extractionem longe eſſe utiliſſimam. *Cautela.* Cavendum vero maximopere eſt a liberalibus, & copioſioribus ſanguinis miſſionibus, ubi venæ ſunt exiles, corporis habitus ſpongioſus, ætas juvenilis, ventriculus debilis, & ſpaſtica pathemata ſubſunt, & ipſe ſanguis tenuis, fluidus è vena effluit.

§. CLXXVIII.

Venæ ſectionis in pede commoda.

Quod attinet ad venæ ſectionem in pede, quæ hiſce temporibus mirifice commendatur, adeo ut non aliis locis, niſi in pede, eam jam admittere velint: cenſeo eam præſervationis cauſſa, atque penes eos, qui hæmorrhoidalibus fluxionibus ſanguinis obnoxii ſunt, & maxime etiam apud fœminas propter menſium fluxum longe eſſe utiliſſimam: revellit enim ſanguinem maxime a ſuperioribus partibus, capite, & pectore, item ab abdomine: neque in gravidis inutilis eſt, & tutius celebratur quam venæ ſectio in brachio propter minorem animi deliquii metum. *Damna.* At vero dantur caſus, ubi ſectio venæ in pede non modo inutilis, ſed & exitioſa eſt, v. g. ſi quis eam velit adminiſtrare in apoplexia ſanguinea, vel etiam inſultu apoplectico leviori a ſanguinis congeſtione oborto, qui affectus plerumque originem habent a ſpaſmis primarum viarum, & extremarum partium refrigeratione. Item ſi in melancholia, mania extremis partibus refrigeratis eam velit ordinare; porro etiam in pleuritide vera, peripneumonia, ubi in brachio facto ingenti foramine cum impetu ſanguis eſt revellendus, is certe multum detrimenti afferret, & ei malum augeret. Si quoque nimia eſt ſanguinis per uteri, & hæmorrhoidum venas excluſio, identidem apertio venæ in partibus inferioribus plus nocet, quam prodeſt, ſed potius revulſionis cauſſa aperienda eſt vena brachii. *De venæ ſectione æquinoctiali Authoris obſervatio.* Non poſſum quoque non hoc loco improbare modernum quorundam modum, qui ſi utile eſt præſervationis cauſſa ſanguinem mittere, nolunt aliud tempus, niſi æquinoctiale eligere, vel exſpectare, ubi complures novi ante illud tempus in graves morbos, imo ipſam mortem incidiſſe.

§. CLXXIX.

§. CLXXIX.

Plethorici circa æquinoctia inſignem ſentiunt ebullitionem.

Utut enim non negandum ſit, circa æquinoctium utrumque vernum & autumnale, inſignem ſanguinis commotionem, præſertim apud eos, qui plethoricæ ſunt affectionis, obſervari; adeo ut ſanguis variis in locis exitum affectet, præſertim per venas ani, vel etiam per caput, imo in nonnullis per pulmones, atque ſi talis evacuatio non contingit, non raro a congeſtione nimia hinc inde in partibus graves, & periculi plenæ ægritudines pullulent, phrenitides, apoplexiæ, phthiſes, aſthmata, pleuritides, hæmoptyſes, & ſpaſtici abdominis affectus, quibus evitandis tempeſtiva ſanguinis miſſio ante æquinoctium magno præſidio eſt; nihilominus tamen, ſi neceſſitas urgeat, & plethora ejuſque ex aliis cauſſis commotio periculum minatur, inconſultum eſt, hoc expectare tempus, ſed anticipare illud oportet. Idem cenſendum de venæ ſectione circa novilunium, luna nempe decreſcente, quam nonnulli tantopere laudant: nam neceſſitas nec legem, nec tempus poſtulat; multominus vero attendi debent illi curioſi, qui certos ex ſiderum conſtellatione benigna indicant, & publicant dies ad ſecundum venæ ſectionis ſucceſſum utiliſſimos. Futilis enim revera, & experientiæ minus reſpondens eſt ſiderum, & planetarum, excepto ſole & luna, poteſtas & influxus in corpus humanum.

Quibuſnã morbis circa æquinoctia venæ ſectio præſidio ſit.

In neceſſitate nec tempus expectandũ, nec ſiderum influxus conſiderandus.

§. CLXXX.

Circa venæ ſectionis uſum adductus ab Authore practicus error.

Reſtat adhuc non levis, ſed familiaris practicus error circa uſum venæ ſectionis notandus, dum Medici non diſtinguunt, ſed potius confundunt cauſſam primam, & originalem morbi cum ſecundaria, & conſequente, quæ primæ cauſſæ quaſi effectus eſt; ſic poteſt plethora prima cauſſa eſſe valetudinis adverſæ, & initium etiam ponere ſubſequentis phthiſeos, ſcorbuti, podagræ, hecticæ febris, hydropis, cachexiæ ſcorbuticæ, & ad hoſce præcavendos utiliſſimum remedium. Poſtea vero ſi quis eam adminiſtrare velit dictis in morbis, ubi non de ſanguinis abundantia, ſed de ſuccorum impuritate, viſcerum vitio, & motibus ſolidorum perverſis cogitandum eſt, is certe multum damni infert. Peccatur vero contra hanc regulam fere toto die, dum nempe in fœminarum morbis, quorum primordia menſium defectui debentur, v. g. hectica, cachexia, phthiſi demum moliuntur ſanguinis miſſionem per pedem, viribus corporis jam penitus fractis, & enervatis. Plura ſalutaria monita, & præcepta circa optimum, & utiliſſimum venæ ſectionis præſidium legi poſſunt in Diſſertatione mea ante annum edita, quæ complures obſervationes proponit circa venæ ſectionis adminiſtrationem.

Diſſert, de Venæ ſect. evolvenda.

§. CLXXXI.

Scarificationem in corporibus exiguis venis inſtructis præſtat adhibere præ venæ ſectione.

De uſu ſcarificationis id paucis tenendum eſt, eam longe ſecuriorem ſæpius eſſe, & meliorem ipſa venæ ſectione, ſi nempe corpus eſt valde exiguis, & tenuibus venis turgidum, quale plerumque eſt fœminarum, & ſanguinis copia evacuationem poſtulat; certe melius, & tutius ille exhauritur ſine ullo incommodo, vel metu deficientis animi per cucurbitularum cum ferro appoſitionem. Nam hac ratione etiam inhibetur ſanguinis tranſlatio, vel congeſtio ad has, vel illas partes, quas in ſenſibilioribus hominibus facile poſt ſe trahit ſanguinis per venas inciſas extractio nimis velox, & impetuoſa. Falſa quoque eſt, & minus in experientia fundata opinio, hoc præſidio ſanguinem tantum tenuiorem, & ſeroſiorem elici relicta ejus craſſiori parte; quandoquidem certo experimento conſtat, tres partes fluidi, & unam tantum ſolidi in ſanguine per cucurbitulas evacuato, non aliter ac qui e venis extrahitur, identidem reperiri. Ad præſervationem itaque morborum idem efficere ſcarificationem, quam Venæ ſectionem extra omne dubium eſt. Ad morborum vero curationem, & ad periculum ocyſſime avertendum non idem effectus. Plus enim ad evacuandum, non vero ad revellendum, & ad derivandum valet, & quadrat hoc ipſum præſidium.

§. CLXXXII.

Inedia triduana commendatur ab Hippocrate, Galeno, Celſo, & Cœlio Aureliano.

Reſtat adhuc incomparabile ad tuendam ſanitatem remedium, idque evacuatorium, & ſummum præſervativum, quod blande, ſuaviter, æqualiter, ſenſim, ac ſucceſſive ſine commotione, turbatione, humorum copiam minuit, & longe tutius id præſtat, quam ſanguinis miſſio, vel purgatio, & quod maxime vernali tempore, quo ſolennes ejuſmodi evacuationes ſunt, commendationem meretur, idque eſt fames, ſeu inedia per aliquot dies. Galenus triduanam abſtinentiam in cibis dilaudat, ceu ſummum ad præcavendas ægritudines præſidium, vel etiam jejunium, aut abſtinentiam a cœna, a cibis, & carnibus nutrientibus, potu vini, & cereviſiæ; quod remedium certe Veteres ſapientiſſimi, & inter hos Hippocrates, Celsus, Galenus, Cælius Aurelianus mirifice commendarunt. Hippocrates *lib. de veter. medicina* ſcribit: Fames magnam potentiam ſanandi habet in natura hominis; & profecto omnes hi morbi, qui ab humorum nimia redundantia, item plethora naſcuntur, ut ſunt plerique ex chronicis, catarrhi, rheumatiſmi, arthritides, podagra, cachexia, malum ſcorbuticum, calculus, ſcabies, pſora, ulcera manantia, puſtulæ, ipſa quoque lues venerea, emaciantibus ejuſmodi curis, ſi tractentur, ſanationem non modo recipiunt feliciſſimam, ſed & tempeſtive præcaveri poſſunt, atque hiſce nominibus valde ſunt commendabiles; ſic utique, qui ſe munit hoc præſidio adverſus morbos, non opus habebit ſanguinis miſſionibus, vel aliis evacuatoriis. Non ſine ratione itaque miramur in Medicorum noſtri ævi ſcriptis nullam fere mentionem, vel commendationem præſtantiſſimi hujus remedii priſcis temporibus uſitatiſſimi

Quibuſnã in morbis ſit uſurpanda.

Ejuſdem Recentiorum negligentia.

tatiſſimi fieri, cum tamen ad plethoram, a qua ceu fonte ſe e derivant omnis generis morbos, minuendam nihil ſit efficacius, & ſecurius.

§. CLXXXIII.

Quod attinet ad ipſa ſalia mediæ indolis, ſeu neutra, aperiente & digerente efficacia inſigni prædita, quorum certe ingens eſt noſtris temporibus numerus; & demum etiam, quod concernit ipſum nitrum purificatum, fatendum ingenue eſt, multum laudis, & meriti Clariſſimum STAHLIUM ſibi vindicaſſe horum remediorum frequentiſſimo in praxin Medicam recepto uſu. *Stahlius laudatur, quod frequenter ſalibus neutris, & nitro uſus fuerit.* Utut enim non ignota fuerit horum remediorum, & ipſius quoque nitri in refrenandis motibus ſanguinis nimiis, & calidis efficacia in Gallia maxime, ipſoque RIVERIO, CRAANEN Batavorum celebri Medico, & CONERDINGIO Germaniæ Medico ampliſſimo uſu celebrata, & peculiari Diſſertatione a nobis primis hujus Academiæ annis *de uſu egregio nitri* conſcripta: tamen is ipſe partim auctoritate ſua, partim etiam dextro ejus uſu, ac deprehenſa ſumma utilitate id efficit, ut hæc medicamenta, inque primis nitrum, ad multi generis morbos non ſine inſigni fructu in frequentiſſimum uſum trahatur. *Nitrum in diverſis morbis efficaciſſimū.* Cum itaque vera, & certa conſtet experientia, nullum dari remedium, quod tam efficax, tam innocens etiam in ſpaſticis pathematibus, ſanguiniſque commotionibus irregularibus reprimendis, & moderando æſtu interno deprehendatur, quam ipſum nitrum, ſeu purificatum, ſeu per artificium paratum ex aqua forti, ſeu ſpiritu nitri, & ſale tartari cum abſorbentibus, & ſalibus digeſtivis mixtum; ita certe πολύχρεστον evadit remedium in chronicis, & acutis paſſionibus optimum. Sicut vero nulla in rerum natura efficax datur medicina, quæ non dextro uſu poſſit officere; ita etiam non ſemel, ſed ſæpius ab iis, qui noſtri Ampliſſimi Auctoris enutriti ſunt practicis principiis deprehendi, & notavi abuſum, dum in morbis exanthematicis, cum ſumma virium imbecillitate junctis, ut purpura alba, petechiis, morbillis, & variolis malignis, infantibus, phlegmaticæ, & torpidioris naturæ hominibus, in morbis quoque catarrhalibus ea non ſine detrimento obtulerunt, nulla habita ratione ætatis, virium, temperamenti, morbi, & cauſſæ morbificæ. *Quibuſnā in morbis efficiat.*

§. CLXXXIV.

Perluſtravimus hactenus dotes, facultates, & virtutes multorum præſtantiſſimorum in arte noſtra remediorum, interpoſito noſtro de eorum dextro, & ſiniſtro uſu judicio. Sequitur jam, ut in genere medendi methodum, ſeu normam, & regulam, qua morbi tam acuti, quam chronici recte tractari debent, paullo clarius oculo, & menti ſubjiciamus, & in quonam ego conveniam cum Clariſſimo noſtro Auctore, vel diſcrepem, hac in re producam.

Stahlii de natura morborum medicatrice ſententia. Is maxime amplectitur veterum, & ſapientiſſimorum Medicorum ſententiam, naturam optimam eſſe morborum medicatricem, & illam ſapientiſſime omnia in ſanando morbo, debito tempore, gradu, intentione agendi, convenientibus locis, quibus materia hoſtilis ejicitur, dirigere ad bonum finem, quod vel ex eo ſatis eluceſcit, dum ſponte plurimi, & graves morbi ſine ulla adhibita arte, vel medicina ſanentur, & ſæpe longe felicius convaleſcant, iis, qui multis Medicis uſi fuerunt. Quemadmodum id maxime apparet in febribus acutis, inflammatoriis, exanthematicis, peſte, petechiis, purpura, variolis, morbillis, & qui ſunt ſimilis generis.

Quapropter veteres omnibus viribus in monumentis ſuis, quæ poſteritati ſuæ reliquerunt, ſuadent, ut Medicus naturam, & ejus ductum ſequatur, nec turbare eam ſuo in opere debeat; *Medico ſequendus eſt naturæ ductus.* quæ omnia cum ſint veriſſima, quod nempe plures vindicentur a gravibus morbis ſine ulla medicina, vel arte, & qui deſtituuntur Medico, ſolius naturæ viribus, ſeu αὐτοκρατία evadant; ſed tamen id minime negari poteſt, vel debet, quod etiam natura humana ſit non modo multorum morborum, & cauſſarum morbificarum, ſed & ipſius mortis, & motuum ad mortem tendentium procreatrix; *Natura multorum morborū, imo ipſius mortis procreatrix.* quemadmodum id manifeſtum apparet in motibus iſtis vehementioribus ſpaſticis, qui a partibus exterioribus ad interiora vergunt, & ad nobiles partes, cerebrum, & cor, ſanguinem, & humores cum magno impetu tranſmittunt, ut convulſiones, epilepſiæ, & lethales ſyncopes, necnon apoplexiæ inde proveniant. *Demonſtratur.* Qua de cauſſa operæ pretium erit, ut paullo accuratius hanc veterum ſententiam de natura morborum medicatrice examini ſubjiciamus, ut verum, & clariorem inde ſenſum accipiamus. Perquam notum eſt, veteres plane ignoraſſe ſtructuram corporis, ejuſque partium anatomiam, & uſum; nec vitæ, nec ſanitatis cauſſas unquam penetraſſe genuinas, dum ſanguinis natura, ac motus circularis, & ſaluberrimum ſecretionis & excretionis negotium, quo vita maxime, & ſanitas ſuſtinentur, prorſus ignotum fuit ipſis, conſequenter etiam ſolo nomine pro cauſſa aſſignanda vitæ, ſanitatis, operationis remediorum, reconvaleſcentia contenti fuerunt, nempe natura. *Veteribus vera ſtructura corporis anatomica ignorata.*

§. CLXXXV.

De natura itaque corporis humani, quatenus illud vivum, & ſanum conſervat, & morboſas ægritudines propellit, adeoque verum Medici, & medicinæ ſubjectum eſt, ut cujus favore ipſe ſanationes ſuas perficit, noſtra hæc eſt ſententia: Benignus, & ſapientiſſimus Conditor tam affabre conſtructis organis inſtruxit machinam corporis noſtri, ut perennes ibi vigeant motus ad vitalem conſervationem tendentes, progreſſivi, in circulum abeuntes, neque minus utilium ſecretorii, & inutilium excretorii; deinde etiam diſſolutorii, combinatorii, atque inteſtini varii generis, quorum adminiſtratione regulari omnes functiones in univerſo corpore peraguntur, *Authoris de natura effatum.*

quæ

quæ motuum œconomia mechaniſmi artificioſiſſimi nomine venit; horum motuum beneficio fluida varii generis præparantur, miſcentur, motu progreſſivo feruntur, a putredine conſervantur, ſolida nutriunt, & ſolidis quoque ipſum robur, & tonum fœnerant.

Axioma mechanicum.

Inſtar regulæ enim univerſalis tenendum eſt, quod fluidum primum movens ſit, quod animet, & actuet ſolida, & moveat, & rurſus ſolida motu ſuo agunt in fluida.

Circulus ſanguinis ſanitatis conſervator, & morborum ſanator.

Paucis, in circulum abiens progreſſivus motus cum ſecretionibus & excretionibus corpus conſervat, & præſervat a morbis, & vitam tuetur, & ille ipſe circulus immutatus, & irregularis lædit functiones, & efficit morbos, & ille ipſe circulus per congrua remedia in ordinem, & naturalem ſtatum redactus veram medicinam præbet adverſus graviſſimos morbos,

Medici officium.

cum Medici nullum aliud officium ſit, quam omni arte, & cura hos vitales motus in ordinem redigere, & diutiſſime ita conſervare, ſi diu ſanum, & longævum corpus efficere velit. Quod vero nonnulli morborum ſine Medici ope ſaneſcant, id adſcribendum eſt DEI providentiæ, quæ inde maxime elucet, quod ipſi irregulares, & præternaturales in morbis motus, præſertim accelerati in febribus, vel ſpaſticis affectionibus, pro medicina, & præſidio ſint adverſus cauſſas morbificas, quas ipſi ſubinde corrigendo, reſolvendo, temperando, vel excernendo abigunt, ut adeo ſæpius in ipſo morbo poſitum ſit remedium adverſus ipſum;

Multi naturæ motus tendunt ad corporis deſtructionem.

ſed hoc ipſum non in totum valet, nam multi naturæ motus tendunt non modo ad functionem, ſed etiam ipſius corporis, & vitæ deſtructionem; neque minus ad morborum graviſſimorum generationem, & novam productionem.

Medico naturæ motus ſunt cognoſcendi.

In eo itaque verſatur præcipua, & primaria Medici cura, ut in ſalutem vergentes motus ab iis, qui in ejus deſtructionem vergunt, probe dignoſcat, atque illos quantum fieri poteſt, ſecundet, nullo modo vero ſupprimat, hos vero ſedet, ſopiat, emendet, atque in ordinem redigat.

Quidam recentiores omnes naturæ motus, tam ſalutares, quam corpori infenſos ab anima derivant.

Neque vero hæc omnia a Clariſſimis noſtri ævi Medicis quibuſdam negantur, in eo tamen a noſtra differunt ſententia, quod nempe exiſtiment omnis generis motus, tam ſalutares, quam etiam infenſos corporis noſtri regi, dirigi, & gubernari ex morali quadam æſtimatione, ſenſu, ratione, ſæpius vero errore a principio ſuperiori immateriali, & ſpirituali, quod non verentur animam rationalem dicere.

Refutantur.

Verum ſi tale principium in actionibus vitalibus quis velit ſtatuere, neceſſe eſt, ut ſimul & ſemel omnis explicatio rerum medicarum rationalis, omnium remediorum certa operatio, & omnium rerum nonnaturalium facultas, virtus, & uſus, conſequenter omnis ſcientia medica nullius momenti ſit; eo quod Medicus nullam habeat potentiam, vel facultatem in principium illud dirigens motus: in id nempe, mutationes quaſdam introducendo, aut illud ipſum variis modis alterando; & omnia non ex neceſſitate quadam in corpore noſtro per elementa, alimenta, ingeſta medicamenta fierent, ſed omnia tantum dependerent ab intentione, ſenſu, æſtimatione, ratione ſana, vel corrupta hujus entis; & nulla alia via eſt ad deſtruendas demonſtrationes in medicina, & ad ſtabiliendam empyriam puram, quæ niſi rationalis, id eſt, fundetur rationibus, & cauſſis ex ſtructura anatomica, partim ex ſcientia mechanica, partim chymica deſumtis, mirifice fallit.

Anima poſſidet potentiam in corpus limitatam.

Interea tamen non negandum eſt, mentem, ſeu animam ſic dictam rationalem potentiam a DEO nactam eſſe quandam, limitatam tamen in corpus potentiam, uti videmus in motibus voluntariis corporis, quos, ſi modo bene conſtitutum fuerit, in externis partibus dirigere poteſt. Neque imus inficias, principium ſic dictum ſenſitivum, quod cum brutis nobis commune eſt, & varias ideas recipit, & ſecundum has agit identidem potentiam poſſidere a DEO limitatam, motus naturales, & phyſico-mechanicos variis modis turbandi, deſtruendi, ut clariſſime apparet in animi pathematibus, & vitioſis phantaſiæ affectionibus, ex quo tamen neutiquam ſequitur phyſicos, & mechanicos in corpore noſtro omnes motus ſemper in poteſtate, & directione, tam animæ rationalis, quam ſenſitivæ poſitos eſſe. Si itaque Medicus perverſos, ut animæ ſenſitivæ, motus corrigere, & in ordinem redigere velit, neceſſe eſt, ut per medicamenta, quæ vel immediate in ſolidas, vel fluidas partes materiam fluidam alterando, agunt, & afficiunt, id faciat.

Scientia Medica occupata circa motus corporis phyſicos abſtracta eſſe debet ab omnibus ſpeculationibus metaphyſicis.

Unde clariſſime, ut puto apparet, artem, & ſcientiam medicam motibus maxime, & materia phyſico-mechanica niti, ac fundatam eſſe, adeo, ut optimus Medicus eſſe poſſit, qui de animæ rationalis ſenſitivæ natura, indole, modo influxus in corpus noſtrum prorſus nihil ſciat; ut adeo medicina pure phyſico-mechanica ſit, in exilium actis omnibus aliis metaphyſicis abſtractionibus, & nullius momenti in praxi medica ſpeculationibus. Hiſce jam clare expoſitis, nunc longe felicius veteres quando de natura loquuntur, quod ſit optima medicatrix morborum, quod naturæ viam, & ductum ſequi, eam imitari debeat Medicus, intelligere poſſumus.

§. CLXXXVI.

Motus naturæ ſalutares a noxiis diſcernendi.

Siquidem hic canon practicus vetuſtiſſimus, & noſtro etiam ævo receptus, *medicum naturæ ductum & vias* ſequi debere, inſigni eget limitatione, & explicatione, quam nemo recte afferre poterit, niſi qui motus naturæ ſalutares a noxiis, & morboſis diſcernere noverit: quodſi non contingat, ingentes errores in praxi obveniunt.

Probatur ab exēplis.

Neque enim ignotum eſt, naturam ſæpe moliri excretiones non ſine ingenti pernicie; ita, v. g. in fœminis deficiente menſium fluxu cruentas ſubinde vomitiones, vel rejectiones ſanguinis per tuſſim, qui morbus dicitur αἱμόπτυσις, molitur. In fluxu hæmorrhoidali ſuppreſſo motus ſanguinis non modo ad pectus, ſed etiam ad caput fit, qui niſi ſanguis per nares feratur, congeſtio nimia fit humorum, & ſtagnatio in vaſis, unde capitis morbi. Deinde in dolore ex calculo renum, gravi etiam inteſtinorum, iliaco, & colico, & fere in omnibus gravioribus ca-

pitis morbis, apoplexia, epilepſia, vehementi cephalalgia, convulſionibus, imo a læſionibus externis capitis vehementioribus natura molitur vomitiones, & ſubverſiones ſtomachi; in hypochondriacis ingentes ſalivæ profuſiones; in affectibus ſpaſmodicis hyſtericis urinæ tenuis copioſum fluxum; in febribus copioſiſſimos ſæpe ſudores, alvinum fluxum, ſeu diarrhœas in morbillis, variolis, purpura non ſine ſummo detrimento: in pulmonum vitiis muci copioſiſſimi fit expectoratio; in fœminis quibuſdam ſeri viſcidi nimia per uteri glandulas effuſio, quæ ingentem debilitatem, & alias chronicas paſſiones poſt ſe trahit. Si quis itaque canonem hunc medicum male intellectum, *medicum naturæ ductum ſequi, & adjuvare debere*, minus dextre applicare velit, neque has excretiones moderari, ſedare, ſed potius promovere, is certe in inevitabilem perniciem præcipitabit ægrotantem.

§. CLXXXVII.

Medico veri naturæ motus a ſpuriis, & morboſis ſunt diſtinguendi.

Ut autem hæc omnia recte, & ordine fiant, opus eſt, ut Medicus naturæ motus, per quos ſanguinis, & humorum progreſſivum motum, cum ſecretionibus & excretionibus intelligimus, veros a ſpuriis, & morboſis diſtinguat; ſi a peripheria corporis vergunt, & convertuntur ad interiora per ſpaſticas, maxime nervoſarum, & muſculoſarum partium, contractiones, imminutis, & ſuppreſſis ordinariis excretionibus, per quos motus ſpurii excitantur, nimiæ fiunt congeſtiones ad nobiliora viſcera, caput præſertim, cor, & pulmones, inde periculoſæ ſtaſes inflammatoriæ, ſanguiniſque, & humorum decubitus, vel extravaſationes ſæpius funeſtæ, aut humorum evacuationes per inſueta loca, & ſanguinis evacuationes nimiæ:

Motus naturæ de Peripheria ad interiora vergentes ſunt Medico blande extravertendi.

hos ductus, & motus minime debet ſequi, imitari, vel promovere Medicus, ſed potius quantum fieri poteſt, moderari, temperare, & motus ab interioribus ad exteriores partes blande ducere, & derivare, ſanguiniſque motum, & circuitum ad extimas partes, & habitum corporis blande reducere, ſpaſticas conſtrictiones removere, & uno verbo ad veros, & genuinos ductus, motus, & vias naturam dirigere.

Motuum tempus ſagaciter obſervandū.

Cum vero, obſervatione attenta docente, in ejuſmodi morboſis motibus tempus ſibi maximam partem ſalutis vindicet, cum ſponte convenienti tempore intermittere, vel remittere ſoleant hi perverſi naturæ motus, prudens Medicus quam maxime hujus temporis beneficio uti debet, & in eo conſiſtit fundamentum bonæ, & rationalis medendi methodi. Ulterius vero quid deſiderem in praxi Stahliana, & ejus Aſſeclarum libere, & ingenue dicam:

Stahlius, ejuſque Aſſeclæ nimium naturæ autocratiæ indulgentes.

nimis enim illi indulgent autocratiæ naturæ, ſeu ſpontaneæ morborum ex naturæ robore curationi; quæ utique & locum habet, & magni momenti eſt, modo Medicus ſemper negotium habeat cum ejuſmodi corporibus, quæ tali robore pollent,

Corpora ſalvo adhuc ſyſtemate nervoſo paucis opus habēt remediis.

& in quibus ſyſtema nervoſarum partium non adeo perverſis, & anomalis motibus afflictum, ſed ſalvum adhuc, & integrum; ubi motus tam ſecretorii quam excretorii facile poſſunt reſtitui, viſcera non adeo vitioſa, vel corrupta, nec inemendabilis humorum dyſcraſia ſubeſt, tunc utique & paucis remediis opus eſt, & congruo regimine, modo temporis exſpectatio accedat commoda, feliciter expediri poteſt. Neque opus eſt heroicis, vel generoſis curis.

Subjecta infirmis, & debilibus prædita nervis generoſioribus indigent medicamentis.

Cum vero Medici potiſſimum adverſus imbecillitatem naturæ pugnare debet, & cum corporibus valde infirmis, quorum vires vel ætate, vel perverſis animi motibus, ac deſideriis, aut pravo victu, & vitæ regimine, aut præcedente morbo, vel etiam a nativa, & hæreditaria a parentibus diſpoſitione dejectæ ſunt, & ſyſtema nervoſarum partium animi immoderatis affectibus penitus fractum, viſcera non integra, emunctoria obſtructa, & motus, qui vitali ſecretioni & excretioni præſunt, atque humores, qui vitam, ac ſanitatem fovent, plane a naturali ſua craſi & indole deflectunt, ut in plurimis morbis chronicis præſertim accidit, tunc utique a natura præſidium petere ſolum, & præcipuum plane fruſtraneum eſt, ſed ars ſibi vindicat præcipuum in medendo momentum; neque ſufficiunt innocentia illa, &

pauca

pauca ſelecta quidem remedia nitroſa, digeſtiva, præcipitantia, & temperate balſamica, laxantia, aut ſanguinis miſſiones, vel leniora alexipharmaca: ſed aliis generoſioribus opus eſt, ut emeticis, ſalivatione ex mercurio rite applicato, acidularum, thermarum, aut balneorum uſu, lactis cura, & medicamentis ex antimonio, vel marte, aut lignis ad expediendas obſtructiones, ad purificandum ſanguinem, petitis; venæ ſectionibus etiam ſæpius repetitis, & regimine accurato diætetico, præſertim abſtinentia, & jejuniis, motu, & exercitatione corporis per laborem, equitationem, quæ generoſæ curæ utique non mediocrem, ſed exquiſitam experientiam, prudentiam, circumſpectionem, & judicium requirunt, quia ſi hæc deficiunt, paratæ ſunt hæ curæ tam facile ad nocendum, quam ad juvandum.

§. CLXXXVIII.

Virtutes remediorū præſtantiſſimorum Medicus cognitas habeat rationali experientia approbatas.

Univerſæ enim praxeos medicæ cardo potiſſimum in eo verſatur, ut Medicus exquiſitiſſime vires, virtutes, & effectus præſtantiſſimorum remediorum, quibus arte, & ingenio ſolidi quid efficere debet, cognitas habeat, idque non vulgari experientia, ſeu ἐμπειρία, ſed vere rationali, quæ paullo difficilius, longo uſu, & compluribus obſervationibus, & morborum hiſtoriis, quæ omnes minimas circumſtantias, & phænomena complectuntur, neque minus ejuſmodi perſpicua theoria, ſeu philoſophia corporis humani vivi, ſani, morboſi, ex qua commode, & apte omnia phænomena explicari poſſunt, & quæ vera clavis obſervationum eſt, acquiritur; quare optimus Medicus is judicandus eſt, qui inſigni apparatu, atque theſauro certe & plene obſervationum conſcriptarum inſtructus eſt, ſeu per propriam experientiam, ſeu per alienam, non tamen ita, ut eas ipſas obſervationes ſolummodo in charta conſignatas poſſideat, ſed & ut alta eas mente inſculptas habeat, ut elicita inde theoremata applicare in curis ſuis ſciat; porro qui ex iis beneficio ſcientiæ, ſeu theoriæ medicæ facultatem recte judicandi de morbi eventu, de remediorum operatione, & convenienti applicatione pro tanta varietate morborum, circumſtantiarum, corporum ægrotantium, cauſſarum morbificarum, ætate, longo uſu & experientia didicit; Contra qui in exercitio artis non verſatus eſt, neque copiam poſſidet obſervationum accurate conſcriptarum, neque occaſionem habet obſervandi, & denique clara theoria ex principiis anatomico-phyſicis conſtructa caret, ſed præjudiciis ac Theoriæ falſæ, ex inanibus cerebri figmentis conſtructæ, inhæret, is profecto nunquam minus recte judicium prognoſticon formare, aut quid ex tanta remediorum claſſe, & farragine proficuum, neceſſarium & ſeligendum ſit, item, quid juvet, & ad Praxin feliciter inſtituendam proficiat, aut econtra noceat vel rejiciat, recte judicare poterit. Et quum ars Medica propter copiam, & varietatem corporum, locorum, temporum, & morborum continua eget obſervatione, & meditatione, hinc recte ab Hippocrate: *Vita brevis, Ars longa*, quæ nunquam recte ab uno homine perfecte addiſci poteſt, recte dicitur. Quare multis in partibus tantum manet conjecturalis, & profecto illud Terentii applicari poteſt, quod res, ætas, & uſus maneant, & doceant, quod illa, quæ putas ſcire, neſcias, & quæ primo in loco ponis, experiendo repudies. Quapropter viam, & methodum obſervandi in praxi medica ego nunquam ſatis laudare poſſum, quia obſervatio, & uſus ſemper aliquid novi docet. Verum enim vero hiſce difficultatibus plane non laborant omnibus, qui morborum curationem ſapientiſſimæ naturæ in corpore noſtro intentioni, & directioni committunt, & paucis fidis, & plane innocentibus remediis eam ſecundare allaborant. Ita enim non opus eſt multorum annorum experientia, & obſervatione, neque quadam in difficili negotio comparata ex variis ſcientiis theoria; atque ego etiam hanc methodum curandi omnibus illis commendo plurimum, artem medicam tuto facere, id eſt, non committendo peccare, & nocere volunt, qui pigri eſſe volunt, & non ſatis in artis principiis erudiri; &

Medicus optimus, qui cenſendus ſit.

Medicus non exercitatus nullum aptum de morbis tam prognoſticum, quam curativum judicium ferre poteſt.

Ars Medica continua obſervatione & meditatione indiget.

Terentii aſſertum.

Obſervandi methodus in praxi medica laudatur ab Authore.

& ſolidi quicquam, quod natura nequit in difficilibus effectibus mitigandis, vel tollendis præſtare volunt. Nam certe ardua, & difficilis res eſt, generoſis uti remediis, quæ in manu imperiti non aliud ſunt, quam gladius in manibus furioſi. Accedit & hoc, quod hæc methodus medicinam tractandi non adeo deſideret ingenium, ſed brevi tempore modo breviter tradatur, poſſit addiſci. Et huc maxime referenda eſt Clariſſimi noſtri Stahlii, & aliorum clariſſimorum praxis, & methodus medendi, quæ ob id maxime commendanda, quod non facile poſſit quis nocere, cum infiniti errores, & damna recte, & rite utendi remediis a Medicis non ſatis doctis, & peritis committantur.

Stahlii, aliorumque medendi methodus commendatur.

Num vero hæc methodus ſufficiat gravibus paſſionibus, & afflictionibus, præſertim chronicis minuendis, vel tollendis, ad quas curandas plus ars, quam natura ſibi vindicat; id maxime eſt, quod in quæſtionem, & controverſiam, & dubitationem venit.

In chronicis plus valet ars Medica quam natura.

F I N I S.

ERNESTI ANTONII

NICOLAI

MEDICINÆ DOCTORIS

METHODUS

CONCINNANDI

FORMULAS

MEDICAMENTORUM

EXEMPLIS AD MEDICI ILLUSTRISSIMI

FRIDERICI HOFFMANNI

MENTEM ACCOMMODATIS

ILLUSTRATA.

VIRO

ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO, ATQUE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. ANDREÆ ELIÆ BUCHNERO

POTENTISSIMO BORUSSIÆ REGI

A CONSILIIS INITIMIS, SACRI ROMANI IMPERII NOBILI, COMITI PALATINO CÆSAREO, ACADEMIÆ IMPERIALIS NATURÆ CURIOSORUM PRÆSIDI,

MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS,

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, Regiæ Berolinenſis Societatis Scientiarum Sodali, Facultatis Medicæ Decano h. t.

SPECTATISSIMO

PATRONO ATQUE FAUTORI SUO,

OMNI, QUA PAR EST,

RELIGIONE AC PIETATE ÆTERNUM COLENDO

S. P. D.

ERNESTUS ANTONIUS NICOLAI.

DEDICATIO.

NISI ſingularis TUÆ, VIR ILLUSTRIS, humanitatis, quam ad unum omnes virtutibus juſtum tribuentes pretium in TE admirantur, TUIQUE in me favoris tot tantaque jam pridem mihi dediſſes documenta, hanc, qua leve hoc opuſculum SPLENDIDISSIMO TUO NOMINI ſacratum eſſe volui, libertatem vix ac ne vix quidem ſatis a me poſſe excuſari facile crediidiſſem. Verum enim vero cum de propenſiſſima TUA erga me voluntate ſatis ſuperque jam ſim perſuaſus, TEque ſemper mei ſtudioſiſſimum & amantiſſimum cognoverim, ut, quem TIBI ea in re, non dicam, anteferendum, ſed comparandum arbitrer, inveniam omnino neminem, & præterea, quod maximum eſt, hoc meum, quod TUIS deſtinares prælectionibus, opuſculum dignum reputaveris; mearum exiſtimavi partium, oblata hac mihi occaſione, qua, an quicquam mihi gratius atque exoptatius accidere potuiſſet, omni jure dubito, non meam ſolum debitam in TE, VIR SUMME, obſervantiam, ſed gratam etiam TUORUM in me ſtudiorum memoriam, non ullo certe tempore in me morituram, publice teſtificari. Sed hæc non ſunt ſola, quæ mihi dediſti, TUÆ erga me benevolentiæ documenta, ſed tot tantaque ſunt, ut ea, non dicam, efferre, ſed enarrare tantum nequeam. Qua de re mirum TIBI, MÆCENAS OMNI PIETATE COLENDE, videri non poteſt, me AMPLISSIMO TUO NOMINI tenue hoc conſecraſſe opuſculum, ſperantem, fore ut hoc, quod TIBI devotiſſima offero mente, munuſculum, mihi deficiente munere SPECTATISSIMO TUO NOMINE digniori, meque gratia, favore atque amore TUO non dedigneris. Si mihi per mirabilem TUAM in tot honoribus verecundiam de laudibus TUIS, magniſque in rem medicam meritis dicere liceret, ampliſſimus mihi diſſerendi campus eſſet patefactus, ſed, ne præconum aut adulatorum more ea extollere videar, præſtat nihil, quam non ſatis dicere, præſertim, cum jam pridem cultiori hominum parti ſint explorata, neque adeo mea egeant prædicatione vel jactatione. Hæc tamen ut diſſimulem, nequaquam a me poſſum impetrare, TE, VIR ILLUSTRIS, ad eximium ſeculi noſtri decus non mirifica ſolum medendi dexteritate & ſcientia, ſed exquiſitiſſima etiam TUA in rebus phyſicis & medicis eruditione ILLUSTRE TUUM NOMEN ab oblivione vindicaſſe. Quot hominum in ipſo imminentis mortis periculo, TU, VIR LONGE EXPERENTISSIME, ſervaſti atque ad ſanitatem reduxiſti, quos, niſi TUÆ fuiſſent commiſſi curæ, orcus jam pridem abſtuliſſet? Atque hæc minora ſunt, ſi illis bene comparentur muneribus, quibus noſtram illuſtras Academiam. Quod reliquum eſt, Numen oro atque obteſtor divinum, velit honores, commoda, & emolumenta TUA in dies magis magisque augere, TE diutiſſime ſalvum atque incolumem in Academiæ ornamentum, & bonorum omnium tutiſſimum patrocinium ſervare, omnique felicitatis genere locupletare. Si quando denique eveniat, ut officiis meis, quantum TE, FAUTOR MAXIMOPERE COLENDE, in oculis feram, oſtendere poſſim, nemini me, qui id promtius animoque alacriore faciat, conceſſurum, certo TIBI perſuadeas velim, me vero ut ſummo TUO ſemper habeas commendatum patrocinio & favori, ultimum eſt ac præcipuum, quod maximopere TE rogo. *Halæ Magdeburgicæ*, *die* XI. *Aprilis* MDCCXLVII.

PRÆFATIO.

SI quicquam eſt, quod Medico artem ſuam felici cum ſucceſſu exercituro ſcitu eſt neceſſarium, ejuſque famæ & exiſtimationi majora afferre valet incrementa, hæc certe eſt ſcientia, quæ remedia ſingularibus ægri conditionibus accommodata inveniendi, eademque præparandi methodum tradit. Quæcunque enim in omnibus aliis diſciplinæ medicæ partibus docentur, nullum alium in finem ab artis ſalutaris ſtudioſo diſcuntur, quam ut hominis ſanitatem in caſu quovis obvio ſingulari vel præſentem conſervandi, vel eam, quod frequentius contingit, amiſſam reſtituendi cognitione inſtruatur. Sic ſaltem, ut hunc obtineat finem ſtudium ſuum ita dirigere deberet atque inſtituere, cui ad praxin ſe applicandi medicam eſt animus. Verum enim vero maximopere eſt dolendum, pleroſque perverſo procedere ordine, dum vel theoriæ duntaxat ſubſidia eam ad praxim applicandi negligentes operam navant, vel theoria, vel plane non vel leviter tantum inſtructi morborum curationem aggredi conantur. Qualem vero hi utrique in artis exercitio ſibi polliceri poſſint fortunam, collectu eſt facillimum, diuque jam innumeris experientiæ teſtimoniis confirmatum.

Complurium Medicorum artem ſuam exercentium mos eſt & conſuetudo, ut ad certas remediorum formulas, quas alii bonas & probatas proclamarunt, ſe adſtringant, iiſque, ſcientia de ingredientium virtute, & ea, quæ ex ſingulorum virtutibus conjunctis exſurgit, efficacia judicandi deſtituti vel promiſcue utantur, vel eas ſaltem minus prudenter adhibeant. Alii contra, nec pauci, qui, quamvis aliis ſe ſagaciores eſſe putent, medicinæ partes, materiam inprimis medicam, & methodum concinnandi formulas, hiſtorice tantum callent, eo procedunt audaciæ, ut ipſi novas remediorum formulas concinnent, eaſque ad datos caſus accommodent, ſed eheu! qui, quales & quanti hac in re ab illis non committuntur errores? id quod unicuique ſcientia formulas præſcribendi inſtructo & eorum præſcripta intuenti facillimum erit perſpectu. Deprehendet nimirum, eos ſæpiſſime in præſcribendo remedio conjungere, quæ vel plane non conjungi poſſunt, vel, ſi ſe conjungi patiantur, ratione virtutis, quæ intenditur, ſe mutuo deſtruunt.

Neque id maximopere eſt mirandum, cum non levis requiratur ſcientia ad formulam medicam regulis exacte reſpondentem concinnandam. Quæcunque enim remedii præſcribatur formula, illa, uti ex ipſa apparebit pertractatione, ſemper materiam medicamenti determinare debet. Cum vero hæc ex triplici petatur naturæ regno, minerali ſcilicet, animali & vegetabili, ejuſque virtutem materia doceat medica, eam ut perfecte calleat Medicus formulam concinnaturus neceſſe eſt. Quamvis vero hanc medicinæ partem probe cognitam habere debeat ac perſpectam, qui formulas artis regulis conſentaneas vult concinnare; nihilominus tamen eum & pharmacia & indicationum doctrina penitus imbutum eſſe oportet. Hæc etenim ipſum inſtruit, an, quid, quibus auxiliis, quo tempore, modo & ordine ſit agendum, & de aliis ſcitu neceſſariis circumſtantiis; illa vero varios, quibus medicamentum præparari poteſt, modos ipſum docet, atque, cum modus præparandi medicamentum ejuſdem determinet formam, quæ in quavis, uti ex inferius dicendis clarius apparebit, formula neceſſario eſt deſignanda, patet exinde, quam neceſſaria Medico formulam præſcripturo ſit pharmaciæ cognitio. Nec ſane horum ſuperficiaria, ut vulgo occurrit, hic requiritur cognitio, cum, quomodo quis, quem indicationum doctrina latet, num quid, quodnam ſit agendum, quibusnam utendum ad hoc obtinendum remediis, determinare, medicamenti materiem, quæ ipſi ignota eſt, in formula indicare, pharmacopœo leges dare ignarus ipſe agendorum, & medicamenti effectum præſagire poſſit, quem ejus natura & virtus fugiunt,

plane

plane concipi nequeat. Atque ex his facile eſt collectu, non adeo levis, uti multi ſibi perſuadent, eſſe operæ negotium, quod circa formulas verſatur concinnandas.

Verum enim vero omnes, qui a Medicis in formulis præſcribendis committuntur, errores excuſari & ipſis ignoſci poſſent, niſi cum ipſorum famæ, & ægrorum ſalutis, quin vitæ periculo eſſent conjuncti. Omnia enim, quæ cogitat & deliberat Medicus, cujus conſilium ab ægro expetitur, ejuſque ſola abſolvuntur ſpeculatione, ægro non proſunt, niſi remedio præſcripto juſteque applicato in actum deducantur, & tum demum, hoc ſi rite factum & dextre curatum fuerit, finis obtinetur artis; cum contra, ſi quid in præſcribendo remedio temere, imprudenter, ſine ratione, & perfunctorie fuerit poſitum, Medicus facile a ſcopo ſuo aberrare, & fine ſuo plane excidere poſſit, utcunque ceterum recte collineaverit. Qua de re, cum non ex iis, quæ animo concepit, ſed chartæ mandavit Medicus, de ejuſdem peritia & curandi methodo judicetur & decernatur, formulæ præſcriptionem rem eſſe cum non levi tum Medici tum ægri reſpectu periculo conjunctam, ſatis ſuperque apparet.

Et profecto, ex formula a Medico præſcripta quilibet medicinæ perfecte gnarus ejuſdem eruditionis magnitudinem facile metiri poteſt. Nam levi ipſi patet negotio, num eas omnes, quæ methodo præſcribendi formulas principia ſuppeditant, diſciplinas calleat, ipſaſque leges in concinnanda formula obſervandas probe intelligat. Quin peritiſſimus quiſque ex Medici formula artis regulis conſentanea facile perſpicere poteſt, quemnam finem remedio aſſequi intendat, &, ſi qua ex formula hoc cognoſci nequit, jure exinde conficitur, Medicum, qui formulam præſcripſit, vel nullum plane, quem remedio intenderit, ſibi præfixiſſe ſcopum, vel eo excidiſſe, vel denique artis præſcribendi formulas fuiſſe ignarum. Si ita eorum, qui multum ſe in praxi profeciſſe gloriantur, formulæ a perito examinarentur, quam paucæ ejuſmodi examen cum laude ſuſtinere poſſent, & quot cenſura non eſſent dignæ!

Sed, ne præfationis limites tranſgrediar, nimiſque ſim longus, ad propoſitum propius mihi eſt accedendum, rationeſque, quibus commotus hunc de formulis concinnandis edidi libellum, ſunt declarandæ. Multi quidem ejuſdem argumenti libri jam proſtant, ita, ut alio eorum numerum augere ſupervacaneum videatur; nihilominus tamen, ſi verum fateri fas eſt, plerique ita ſunt comparati, ut argumentum nec diſtincte nec adæquate nec legitimo in iis pertractatum fuerit ordine. Omne fere id, de quo ſermo eſt, nec eſt definitum, vel, ſi hoc, quod tamen rariſſimum eſt, factum fuerit, ſaltem non legitime explicatum, theſes probatione & determinatione indigentes ſunt nec rite determinatæ nec demonſtratæ, notiones vel fere omnes neglectæ, vel non legitime conditæ, propoſitiones ſibi contradicentes & falſæ accumulatæ, regularum multæ ſunt adeo inſtabiles, ut ſæpius negligantur, quam obſerventur, aliæ vero inter ſe pugnant, exceptiones regulis ſunt longe numeroſiores, atque hæc omnia non poſſunt non intelligenti maximum creare tædium. Quærat quis in libris de formulis definitiones formulæ, baſeos, adjuvantis, corrigentis, conſtituentis, aliarumque rerum, quas, quo minus attingam, ſpatii anguſtia prohibet, & theſium demonſtrationes, & certus ſum, eum hæc omnia non eſſe deprehenſurum. Accedit ad hæc, quod auctores, qui de formulis concinnandis ſcripſerunt, in libris ſuis ejuſmodi exemplorum loco ſubſtituerint formulas, quarum pleræque vel plane non, vel ſaltem rariſſime in certis tantum quibuſdam caſibus minus obviis poſſunt adhiberi. Equidem probe ſcio, non dari medicamentorum formulas eidem ſcopo in univerſum & ſemper aptas, valdeque improbo morem iſtum, quo praxeos doctores tirones ſuos ad certas tantum eaſque paucas medicamentorum formulas ſe adſtringere, iiſque vel parum vel plane non mutatis in omnibus omnino caſibus ſingularibus, qui tamen maxime diverſi ſunt & omnimode determinati, uti jubent; nihilominus tamen hoc tantum urgeo & volo, exemplorum loco in libris de formulis commodius poſſe ſubjungi formulas medicamentorum uſitatiores, frequentius occurrentes, tutiores, quam inuſitatas infrequentes & minus tutas, atque id eo magis neceſſarium eſſe exiſtimo, cum non omnes, qui medicinam didicerunt, facultate polleant medicamentorum formulas legitime concinnandi.

Quæ omnia cum mecum penſitarem, inceſſit me cupido, opuſculum de methodo præſcribendi formulas medicamentorum ita elaborandi, ut ea, quæ paulo ante reprehendi, emendarem, illudque edendi. Accidit deinde, ut, cum aliquando ſermones cum Illustri Domino BUCHNERO, Medicorum Principe & Patrono meo summo, quem maxima animi religione colere nunquam deſinam, de rebus ad medicinam pertinentibus conferrem, inciderem in formularum medicarum mentionem, atque ipſi quod cepi, propoſitum, libellum de methodo concinnandi formulas medicamentorum edendi aperirem. Illustris hic vir non meum ſolum adprobavit propoſitum, ſed me etiam

ad id perficiendum incitavit, atque cum tunc temporis de formulis præſcribendis prælegere vellet, hoc meum, quod nunc prodiit, opuſculum dignum reputavit, quod ſuis prælectionibus deſtinaret, eamque ob cauſam ejus fini *Syllabum materiæ medicæ ſelectioris* ſubjunxit. Ego vero in elaborando hoc opuſculo eum ſecutus ſum ordinem, qui legibus cogitandi naturalibus maxime eſt conformis, atque id ita inſtituendum ſum ratus, ut ea præmittantur, ex quibus, quæ ſequuntur, ſunt intelligenda, definitiones legitime condantur, & aſſerta ratiociniorum legitime cohærentium ope demonſtrentur. Si vero hunc violaverim ordinem, non meus certe animus, ſed virium mearum imbecillitas, & temporis, qua excluſus fui, anguſtia erit accuſanda. Exemplorum loco ſubjunxi formulas uſui aptas, tutas, & frequenter occurrentes, idque eo facilius facere potui, cum mihi per longum temporis ſpatium perpetua cum *Medico quondam illuſtri & Viro de medicina immortaliter merito* FRIDERICO HOFFMANNO conſuetudine frui, atque ejus non a manibus ſolum eſſe, ſed ejuſdem etiam privatiſſima in addiſcenda & exercenda praxi medica opera uti licuerit, eoque duce commodiſſimam me in ægris viſitandis & curandis, conſiliiſque elaborandis medicis exercendi habuerim occaſionem. Subjunxi igitur hoc in opuſculo medicamentorum formulas, quibus *Celeberrimus hic quondam Medicus* ſæpiſſime fuit uſus, alias tamen pro meæ mentis perſpicacia & arbitrio mutavi, multas ipſe concinnavi atque ad ejus mentem accommodavi; id quod eo magis fuit neceſſarium, quo certius eſt, non quamvis medicamenti formulam cujuſvis exempli loco ſubſtitui, eoque fungi poſſe. Maximum vero, quod me, ut hoc ita facerem, incitavit, argumentum hoc eſt, quod eos imitari noluerim, qui cœco animi impetu rapti & auctoritatis præjudicio capti præceptorum aſſerta examini nec ſubjiciunt, nec, ſi vel maxime vellent, in eorum veritatem inquirere poſſunt, ſed ea, quamvis ſint falſa, tanquam ex tripode dicta venerantur, alios docent, & ſic errores exſtirpandos propagant. Multa quidem nec inutilia præter ea, quæ jam hoc in opuſculo ſunt contenta, proferre, aliaque prolixius pertractare potuiſſem, ſed, cum negotiorum meorum multitudo me impediret, quo minus prius, quam anno hoc ineunte manum huic operi admovere poſſem, illudque mihi paſchate ſtatim præterlapſo eſſet perficiendum atque ad finem perducendum, tempori mihi fuit cedendum. Hoc præterea monendum eſſe duco, quod, cum mihi multis negotiis implicito vix tantum temporis ſuppetierit, ut libellum hunc, cum ſub prelo eſſet, ſemel tantum perluſtrare, & vitia tum a me in ſcribendo, tum a typographo commiſſa emendare potuerim, partim mea, partim typographi culpa multa irrepſerint vitia typographica. Reliquum quod eſt, *Te, Benevole Lector*, ut errata typographica amice corrigas, & meum *Tibi* inſerviendi ſtudium ſerena & benevola accipias mente, maximopere rogo. Vale, mihique fave. *Dabam Halæ Magdeburgicæ, die XI. Aprilis MDCCXLVII.*

PARS

PARS PRIMA
DE
FORMULIS IN GENERE.
SECTIO I.
De Eſſentia Formulæ.

§. I.

Medici non rite definiverunt formulam.

QUUM leges bonæ methodi requirant, ut rei pertractandæ legitima ſuppeditetur definitio, mihi, de formulis medicis acturo, incumbit definire, quid ſit formula medica. Conſului hinc celeberrimos, qui de formulis remediorum ſcripſerunt, Auctores, ſed, ſi verum fateri licet, vel nullam, vel ſaltem non legitimam in iis inveni formulæ medicæ definitionem. Neque hoc ſum miratus, cum partim Medici, neſcio, qua opinione capti, parum de definitionibus condendis ſint ſolliciti; partim vero definitio formulæ medicæ non admodum ſit inventu facilis, cum nimis multæ eæque variæ dentur formularum medicarum ſpecies: atque variorum circa eas occurrentium multitudo impediat, quominus facile illud, quod ipſis commune eſt atque proprium, detegi poſſit. Ne quis vero me ejuſdem, quod in aliis reprehendi, vitii accuſet, curandum mihi eſt, ut legitimam formulæ medicæ conſtruam definitionem, atque hoc fine regulis utar logicis, quæ præcipiunt, ut attendatur ad varios, quibus aliquid *formula* nominatur *medica*, caſus, atque in iis inquiratur, cur aliquid formulæ nomine inſigniatur, ita, ut abſtractionis ope illa inveniantur, quæ omnibus formulis medicis communia ſunt & propria. Qua de re ad ea, quæ ſequuntur, attendendum eſſe velim.

§. II.

Definitio formulæ medicæ.

Si quis varias attentiori contemplatur mente formulas medicas, eas, quot & qualeſcunque ſint, in eo convenire deprehendet, ut certis ſignis certum, quo medicamentum aliquod ſit præparandum, modum determinent. Sic hæc formula:

℞ rhabarbari electi, ʒj
Fiat pulvis.

vel

℞ rhabarbari electi ʒj
lapidum cancrorum ppt.
nitri purificati, āā ʒß
Miſce fiat pulvis.

certis ſignis indicat modum, ad quem aliquod medicamentum ſit parandum, & idem ſic ſe in reliquis omnibus formularum ſpeciebus habet. Non autem neceſſe eſt, ut aliquid, ſi formulæ medicæ nomen mereri debeat, ſemper ſchedulæ ſit inſcriptum, & his nec aliis ſignis expreſſum. Hoc enim plane arbitrarium eſt & more tantum receptum, nec ad eſſentiam formulæ pertinet, quoniam ea non litteris, ſed vocibus quandoque, imo omnibus linguis exprimi poteſt & exprimitur. Hoc tantum requiritur ad formulam, ut certis ſignis, quæ & qualiacunque ea vel maxime ſint, certum modum determinet, quo medicamentum fieri vel præparari debeat. Quæ igitur cum ita ſint, *formula medica* erit definienda, quod ſit *determinatio modi, quo medicamentum ſit præparandum, ſignis expreſſa.*

§. III.

Dubium, quod contra definitionem formulæ medicæ datam moveri poſſet, refutatur.

Multi forſan definitionem formulæ §. II. datam vitii accuſare poſſent, hac ratione ducti, quoniam illa non determinaret id, ex quo medicamentum præparari debeat, ſive ejuſdem *materiam*; ſed hi, quibus hoc dubium incidit, logicæ minus ſunt periti, ideoque ſciant, definitionem non continere debere ſuperflua, neque ei immiſcenda eſſe omnia, quæ ex ea legitima conſequentia deduci poſſunt. Quod vero hæc propoſitio: quod nimirum formula medica id, ex quo medicamentum ſit præparandum, ſive materiam medicamenti indicare debeat, ex definitione §.II. ſuppeditata fluat, ſtatim oſtendam.

§. IV.

Formula medica docere debet materiam medicamenti.

Nullum medicamentum, quodcunque vel ſit, præparari poteſt, niſi aliquid adſit, ex quo præparetur, ſive, omne medicamentum præparandum debet præparari ex certa materia. Nunc formula medica eſt determinatio modi, quo medicamentum præparari debet, ſignis expreſſa §.II. Ergo formula medica determinare debet materiam, ex qua medicamentum ſit præparandum.

§. V.

Formula medica non determinat ſolum materiam, ſed formam etiam medicamenti.

Formula medica non determinat ſolum materiam medicamenti §. IV. ſed ejuſdem etiam *formam*. Cum enim determinet ſignis modum, quo medicamentum ſit præparandum §. II, & modus, quo medicamentum paratur, determinet ejuſdem formam, hinc non materiam ſolum, ex qua medicamentum ſit parandum, ſed ejuſdem etiam formam indicat. Omnis igitur formula ex duobus conſtat eſſentialibus, nimium primo ex *determinatione materiæ medicamenti*, & ſecundo ex *determinatione formæ* ſeu *modi* in ſpecie, quo ex data materia medicamentum fieri poſſit.

§. VI.

Conſenſus definitionis formulæ §. 2. datæ cum Celeb. Gaubii *definitione oſtenditur.*

Ne quis vero putet, meam definitionem formulæ §. II. traditam ab uſu loquendi Medicorum diſcedere, mihi oſtendendum eſt contrarium. Multas quidem definitiones, quas Medici de formula dederunt, quamvis non ſint legitimæ, tanquam teſtimonia huc pertinentia allegare poſſem, ſed hoc, ne nimis ſim longus, non faciam. Sufficiat tantum Celeberrimi Gaubii, qui omnium optime de formulis medicis ſcripſit, definitionem adducere, quæ in ejuſdem libello de *methodo concinnandi formulas medicamentorum* §. I. reperitur: *Formula*, inquit, *vocatur remedii pharmaceutici, ex arte inventi, quoad materiam & formam rationalis conſignatio, juxta quam id a pharmacopœo apte parari atque ægro commode & fructuoſe applicari poteſt.* Hæc definitio eatenus cum mea convenit, quatenus eas continet notas, quæ requiruntur ad definitionem formulæ. Dixi, formulam eſſe determinationem modi, quo medicamentum ſit præparandum, ſignis expreſſam §. II. & Celeberrimus Gaubius inter alia aſſerit, eam eſſe conſignationem remedii quoad formam. Nonne ergo his verbis idem, quod ego, dicit? Quid enim conſignatio remedii quoad formam ſignificat aliud, quam determinationem modi, quo medicamentum ſit præparandum, uti apparet ex §. V. Reliqua, quæ in definitione Celeberrimi Gaubii recenſita ſunt, ſunt ſuperflua, quæ ex definitione exulare debent, & legitima tantum conſequentia ex ea deduci §. III. quemadmodum id a me factum fuit in antecedentibus. Nec plus enim nec minus ad formulam requiritur, quam ut ſignis determinet modum, quo medicamentum ſit præparandum. Hæc vero, quod, uti doctiſſimus Gaubius in ſua formulæ definitione aſſerit, *remedium ſit pharmaceuticum, ex arte inventum, conſignatio ejuſdem rationalis, quod remedium iſtud juxta hanc conſignationem a pharmacopœo apte parari atque ægro commode & fructuoſe applicari poſſit*, plane non ingredi debent definitionem formulæ, quod cuilibet logicæ perito facile eſt demonſtratu.

§. VII.

Formula medica eſt definitio genetica medicamenti.

Quicquid eſt determinatio modi, quo aliquid fit, ſignis expreſſa, illud eſt idea determinata modi, quo aliquid fit, ſymbolice expreſſa. Fac enim, determinationem modi, quo aliquid fit, ſignis expreſſam non eſſe ideam determinatam modi, quo aliquid fit, ſymbolice expreſſam, neceſſario aliquid deficeret, quod requireretur ad modum, quo aliquid fit, determinandum, adeoque modus, quo aliquid fit, non eſſet determinatus: id quod contra hypotheſin, utpote quæ poſtulat, modum, quo aliquid fit, eſſe determinatum. Patet ergo, omne id, quod eſt determinatio modi, quo aliquid fit, ſignis expreſſa, eſſe ideam determinatam modi, quo aliquid fit, ſymbolice expreſſam. Atqui omnis idea determinata modi, quo aliquid fit, ſignis expreſſa, eſt definitio genetica ejuſdem rei. Ergo omnis determinatio modi, quo aliquid fit, ſignis expreſſa, eſt definitio genetica alicujus rei. Jam formula eſt determinatio modi, quo medicamentum ſit præparandum, ſignis expreſſa §. II. Ergo formula eſt definitio genetica medicamenti.

§. VIII.

Quid ſint ingredientia medicamenti.

Materies medicamenti præparandi exiſtere nequit, niſi quid vel plura adſint, ex quibus conſtat. Ea vero, quæ materiam medicamenti conſtituunt, dicuntur ejuſdem *ingredientia*.

§. IX.

Formula determinat ingredientia medicamenti.

Formula determinare debet materiam medicamenti §. IV. Materia medicamenti exiſtere nequit, niſi quid, vel plura adſint, ex quibus conſtet §. VIII. Fac ergo, materiam medicamenti conſtare ex uno vel pluribus, formula determinare debet hoc unum vel hæc plura, ex quibus materia medicamenti conſtat. Jam illa, quæ materiem medicamenti conſtituunt, dicuntur ingredientia medicamenti §. VIII. Qua de re formula, ſi materia medicamenti ex uno conſtat, hoc unum ingrediens, & plura ingredientia, ſi ex pluribus conſtat, determinare debet.

§. X.

Definitio ſubſcriptionis in formula.

Definitionem *ſubſcriptionis* conditurо in variis formularum exemplis attendendum eſt ad eas, quæ ſubſcriptionem conſtituunt, notas, eique animo perluſtrandum, num hæ in omni ſubſcriptione adſint eamque ab omnibus aliis formulæ partibus diſtinguant nec ne? Quod ſi facit, deprehendet, ſubſcriptionem in formula eſſe determinationem formæ medicamenti. Sic in formulis ſequentibus.

℞. Radicum pyrethri,
angelicæ, ana, ʒj
Mercurii dulcis, gr. xx.
Miſce: Fiant Trochiſci cum ſ. q. gummi tragacanthæ
℞. Rhabarbari Alexandrini,
Reſinæ Jalappæ cum nucleis pineis tritæ, gr. iv.
Conſervæ Menthæ ʒj.
Sacchari in aqua roſarum ſoluti q. ſ.
Miſce: Fiant Morſuli, conſpergantur
Olei fœniculi, gutt. ij.

hæc verba:

Miſce fiant trochiſci cum ſ. q. gummi tragac. &
Miſce fiant morſuli, conſpergantur olei fœniculi, gutt. ij.

complectuntur ſubſcriptionem. Sed quid hæc aliud denotat, quam determinationem formæ medicamenti? Et eodem modo ſic ſe in reliquis formularum ſpeciebus habet.

§. XI.

Omnis formula debet habere ſubſcriptionem.

Omnis formula determinat formam medicamenti §. V. Jam determinatio formæ medicamenti eſt ſubſcriptio §. X. Ergo omnis formula debet habere ſubſcriptionem.

§. XII.

§. XII.

Definitio medicamenti abſoluti & relativi.

Medicamentum in genere ita comparatum eſſe debet, ut ſanitati hominis conducat. Jam vero in hoc modus, quo eſt adhibendum, ut hic finis obtineri queat, determinatus eſt, vel non. In priori caſu, quo modus, quo medicamentum aliquod ſit adhibendum, ut ſanitati conducat, eſt determinatus, dicitur *medicamentum relativum*; in poſteriori vero caſu, quo modus illud adhibendi non eſt determinatus, appellatur *medicamentum abſolutum*.

§. XIII.

Definitio antecedens illuſtratur.

Ne mentis acumine deſtituti hanc medicamenti in abſolutum & relativum diſtinctionem in meo tantum natam eſſe cerebro, nec certo niti fundamento ſibi perſuadeant, ejus veritatem ulterius illuſtrabo. Equidem eam inter Medicos nec uſitatam, nec ab iis traditam eſſe probe ſcio, nihilominus tamen ſumme eſſe neceſſariam docebunt ſequentia. Sæpiſſime experientia teſte aliquod medicamentum, alias vel maxime innocuum, in certo caſu, quo non legitime adhibetur, veneni naturam aſſumit & medicamentum eſſe deſinit. Ejuſmodi medicamentum eſt medicamentum abſolutum, quoniam per ſe, nulla habita ratione modi id adhibendi, ſanitati conducere poteſt, ſed in dato caſu, quo non rite, ut hic finis obtineatur, uſurpatur, non eſt medicamentum relativum. Tartarus emeticus eo reſpectu eſt medicamentum abſolutum, quo conſideratur eatenus, quatenus per ſe, ſine reſpectu ad modum ejus adhibendi habito, ſanitati conducere poteſt; hoc vero reſpectu, quo ſpectatur eatenus, quatenus hoc vel illo modo in certo caſu adhibitus ſanitatem amiſſam reſtituere valet, eſt medicamentum relativum. Quodſi igitur accidit, ut illegitime adhibitus ſanitati non conducat, tunc amplius non eſt medicamentum relativum, ſed abſolutum tantum. Quæ omnia cum ita ſint, medicamentum abſolutum exiſtit tale per ſolam præparationem ex data materia, ſine reſpectu ad modum id applicandi, & hinc modus præparandi ex data materia ſolus ejus formam conſtituit, cum e contrario pateat, formam medicamenti relativi conſiſtere in modo medicamentum non ſolum præparandi, ſed illud etiam adhibendi.

§. XIV.

Omnis formula determinat modum præparandi medicamentum vel abſolutum vel relativum.

Omnis formula determinat modum præparandi medicamentum §. II. Jam medicamentum eſt vel abſolutum, vel relativum §. XII. Ergo omnis formula determinat modum, quo vel medicamentum abſolutum, vel relativum ſit præparandum.

§. XV.

Definitio formulæ abſolutæ & relativæ.

Formula, quæ determinat modum præparandi medicamentum abſolutum, mihi audit *abſoluta*, & *relativa*, ſi determinat modum præparandi medicamentum relativum.

§. XVI.

Omnis formula eſt vel abſoluta vel relativa.

Omnis formula determinat modum, quo vel medicamentum abſolutum, vel relativum ſit præparandum §. XIV. Jam formula, quæ determinat modum, quo medicamentum abſolutum ſit præparandum, eſt abſoluta, & relativa, quæ determinat modum præparandi medicamentum relativum §. XV. Ergo omnis formula eſt vel abſoluta, vel relativa.

§. XVII.

Corollarium.

Omnis formula debet habere ſubſcriptionem §. XI. hinc etiam tam abſoluta, quam relativa.

§. XVIII.

Corollarium.

Omnis formula determinat formam medicamenti §. V. hinc etiam tam abſoluta, quam relativa.

§. XIX.

Quid ſit determinatio formæ medicamenti in formula abſoluta.

Formula abſoluta determinat formam medicamenti abſoluti §. XVIII. Jam forma medicamenti abſoluti eſt ſolus modus medicamentum præparandi ex data materia §. XIII. Ergo determinatio formæ medicamenti in formula abſoluta conſiſtit tantum in determinatione modi medicamentum præparandi ex data materia.

§. XX.

Scholion de ſenſu vocis: modus præparandi medicamentum.

Vocabulum *modus medicamentum præparandi* ſumitur vel *late*, ſeu concretive, pro modo, quo ex data materia medicamentum fieri debet, & quo in ſenſu accipitur in definitione formulæ §. II. vel *ſtricte*, ſeu abſtracte, pro determinatione modi præparandi medicamentum ſine reſpectu materiæ ex qua, atque in hoc ſignificatu ſumitur §. XIX.

§. XXI.

Quid ſit determinatio formæ medicamenti in formula relativa.

Formula relativa determinat formam medicamenti relativi §. XVIII. Jam forma medicamenti relativi eſt, præter modum medicamentum præparandi, modus idem applicandi §. XIII. Ergo determinatio formæ medicamenti in formula relativa eſt determinatio modi medicamentum non ſolum præparandi, ſed illud etiam adhibendi.

§. XXII.

Quid ſit ſubſcriptio in formula abſoluta.

Determinatio formæ medicamenti in formula abſoluta eſt tantum determinatio modi medicamentum præparandi §. XIX. Jam ſubſcriptio eſt determinatio formæ medicamenti §. X. Ergo ſubſcriptio in formula abſoluta eſt tantum determinatio medicamentum præparandi.

§. XXIII.

Subſcriptio in formula relativa eſt determinatio medicamentum non ſolum præparandi, ſed etiam illud adhibendi.

Determinatio formæ medicamenti in formula relativa eſt determinatio modi medicamentum non ſolum præparandi, ſed illud etiam adhibendi §. XXII. Jam determinatio formæ medicamenti eſt ſubſcriptio §. X. Ergo ſubſcriptio in formula relativa eſt determinatio modi medicamentum non ſolum præparandi, ſed illud etiam adhibendi.

§. XXIV.

Duæ perſonæ circa omnem formulam occurrunt & his tam forma, quam materia medicamenti nota eſſe debet.

Cum omnis formula ſit determinatio modi, quo medicamentum ſit parandum, ſignis expreſſa §. II. circa omnem formulam neceſſario aliquis adeſſe debet, qui determinat modum, quo medicamentum ſit parandum, & qui ſecundum hanc determinationem medicamentum præparat. Paucis, circa omnem formulam duæ occurrunt perſonæ, una, quæ formulam præſcribit, & altera, quæ medicamentum ſecundum præſcriptum præparat. Interdum quidem unica perſona non efficit ſolum formulam, verum etiam ſimul medicamentum, ſed tunc hæc vices alterutrius perſonæ gerit. Atque his utriſque tam forma, quam materia medicamenti perſpecta ſit neceſſe eſt, nam alias non concipere

licet, quomodo hic, qui formulam præſcribit, hoc efficere poſſit, niſi ipſe tam materiam, quam formam medicamenti ſciret, & itidem facile eſt demonſtratu, eum etiam, qui medicamentum ſecundum præſcriptum præparat, ejuſdem formam & materiam noſſe debere.

§. XXV.

Aſſerta §. XXIV. valent quoque de formula abſoluta & relativa.

Circa omnem formulam duæ occurrunt perſonæ, una, quæ præſcribit formulam, & altera, quæ medicamentum ſecundum formulam præſcriptam præparat, atque his tam forma, quam materies medicamenti perſpecta eſſe debet §. XXIV. Jam formula abſoluta & relativa eſt formula. Ergo ea, quæ de formula in genere paulo ante dixi, de formula abſoluta & relativa valent.

§. XXVI.

Circa formulam relativam tres occurrunt perſonæ, quarum prima formulam relativam præſcribit, altera medicamentum ad hanc præparat & tertia illud applicat.

Circa formulam relativam duo quidem occurrunt, unus, qui formulam relativam præſcribit, & alter, qui medicamentum ad hanc præparat, atque his tam materia, quam forma medicamenti relativi cognita ſit neceſſe eſt §. XXV. ſed præterea circa hanc formulam alius occurrit, nimirum is, qui medicamentum ad hanc formulam paratum applicat, atque huic nec materia, nec forma medicamenti abſolute ſcitu eſt neceſſaria, ſed tantum forma medicamenti relativi, ſive, quod idem eſt, modus illud adhibendi. Cum enim circa formulam relativam duæ occurrant perſonæ, quibus tam materies, quam forma medicamenti relativi ſcitu eſt neceſſaria §. XXV. forma vero medicamenti relativi in modo id applicandi conſiſtat §. XIII. patet, præter modo dictas perſonas adhuc aliam, ſive tertiam, adeſſe debere, quæ medicamentum ad formulam relativam paratum applicat. Tres igitur circa formulam relativam occurrunt perſonæ, quarum prima formulam relativam præſcribit, altera medicamentum ad hanc præparat & tertia illud applicat.

§. XXVII.

Definitio ſignaturæ.

Signatura eſt *expreſſio ejus, quod applicanti medicamentum ſcitu eſt neceſſarium.* Conſideret quis varias, & tot, quot ipſi placet, ſignaturas, & ea, quæ dixi, vera eſſe deprehendet. Ille vero, qui applicat medicamentum. poteſt eſſe vel æger ipſe, vel unus adſtantium.

§. XXVIII.

Signatura docet modum applicandi medicamentum.

Signatura eſt expreſſio ejus, quod applicanti medicamentum ſcitu eſt neceſſarium §. XXVII. Jam id, quod applicanti medicamentum ſcitu eſt neceſſarium, eſt modus applicandi medicamentum. Ergo ſignatura docet *modum applicandi* medicamentum.

§. XXIX.

Signatura docet formam medicamenti relativi.

Signatura docet modum applicandi medicamentum §. XXVIII. Jam modus applicandi medicamentum eſt forma medicamenti relativi §. XIII. Ergo ſignatura docet *formam medicamenti relativi.*

§. XXX.

Signatura pertinet ad formulam relativam, non ad abſolutam.

Cum ſignatura doceat formam medicamenti relativi §. XXVIII. pertinet ad formulam relativam, non vero abſolutam, quoniam non hæc, ſed illa determinat formam medicamenti relativi §. XVIII.

§. XXXI.

Definitio medicamenti officinalis & magiſtralis.

Omne medicamentum vel proſtare debet in officinis ſecundum leges provinciales jam præparatum, vel non. Prius nominatur *medicamentum officinale*, poſterius *magiſtrale.* Omne ergo medicamentum eſt vel officinale, vel magiſtrale.

§. XXXII.

Definitio formulæ officinalis & magiſtralis.

Formula, quæ docet modum, quo medicamentum magiſtrale ſit præparandum, nominatur *formula magiſtralis*; ea vero, quæ determinat modum præparandi medicamentum officinale, *officinalis.*

§. XXXIII.

Omnis formula eſt vel magiſtralis, vel officinalis.

Omnis formula eſt determinatio modi, quo medicamentum ſit præparandum, ſignis expreſſa §. II. Jam omne medicamentum eſt vel officinale, vel magiſtrale §. XXXI. Ergo omnis formula determinare debet modum, quo medicamentum vel magiſtrale, vel officinale ſit præparandum. Jam formula, quæ determinat modum præparandi medicamentum officinale, audit officinalis, & ea contra, quæ indicat modum, quo medicamentum magiſtrale ſit parandum, magiſtralis §. XXXII. Ergo omnis formula eſt vel officinalis, vel magiſtralis.

SECTIO II.

De Formula ſimplici & compoſita.

§. XXXIV.

Quid medicamentum ſimplex & compoſitum.

MEdicamentum præparatur vel ex uno ingrediente, vel ex pluribus. Illud nominatur ſimplex, hoc vero compoſitum.

§. XXXV.

Omne medicamentum eſt vel ſimplex vel compoſitum.

Omne medicamentum præparatur vel ex uno ingrediente, vel ex pluribus. Jam illud eſt medicamentum ſimplex, hoc vero compoſitum §. XXXIV. Ergo omne medicamentum eſt vel ſimplex, vel compoſitum.

§. XXXVI.

Quomodo cogitando evolvantur partes medicamenti compoſiti.

Cum medicamentum compoſitum ex pluribus uno conſtet ingredientibus §. XXXV. omnia medicamenti compoſiti ingredientia ita comparata ſint neceſſe eſt, ut ſimul ſumta rationem ſufficientem effectus, quem medicamentum compoſitum producere debet, in ſe contineant. Quæ cum ita ſint, aliquid adeſſe poteſt, quod maximam partem de ratione ſufficiente effectus, quem medicamentum compoſitum producere debet, in ſe continet. Illud ingrediens medicamenti compoſiti, quod maximam partem de ratione ſufficiente effectus, quem medicamentum compoſitum producere debet, in ſe continet, mihi audit *pars medicamenti compoſiti principalis*; e contrario vero *minus principalis*, ſi minorem partem de ratione ſufficiente effectus, quem medicamentum compoſitum producere debet, in ſe continet.

§. XXXVII.

Definitio baſeos.

Pars medicamenti compoſiti principalis, ſive ea, quæ maximam partem de ratione ſufficiente effe-

effectus, quem medicamentum compoſitum producere debet, in ſe continet, dicitur *baſis.*

§. XXXVIII.

Omnis baſis ratione virtutis eſt vel ſimplex vel compoſita.

Baſis eſt pars medicamenti compoſiti, quæ maximam partem de ratione ſufficiente effectus, quem medicamentum compoſitum producere debet, in ſe continet §. XXXVII. Jam hic effectus eſt vel ſimplex, vel compoſitus. Ergo baſis partem maximam de ratione ſufficiente effectus à medicamento compoſito producendi vel ſimplicis, vel compoſiti in ſe continet. Baſis, quæ maximam partem de ratione ſufficiente effectus vel ſimplicis vel compoſiti a medicamento compoſito producendi in ſe continet, dicitur ratione virtutis vel *ſimplex*, vel compoſita. Omnis ergo baſis eſt ratione virtutis vel ſimplex, vel compoſita.

§. XXXIX.

Omnis baſis ratione materiæ eſt vel ſimplex vel compoſita.

Omnis baſis vel conſtat ex uno ingrediente, vel ex pluribus. Hæc nominatur compoſita, illa ſimplex, utraque vero ſic appellatur ratione materiæ. Omnis igitur baſis eſt ratione materiæ vel ſimplex vel compoſita.

§. XL.

Baſis omnia ingredientia medicamenti compoſiti ſemper vi, non vero quantitate, ſuperare debet.

Cum effectus ſupponat vim, quæ illum producit, (*per princ. philoſ.*) & baſis ſit pars medicamenti compoſiti, quæ maximam partem de ratione ſufficiente effectus a medicamento compoſito producendi in ſe continet §. XXXVII. vis baſeos maxima pars virtutis totius medicamenti compoſiti eſſe, adeoque vi omnia reliqua ejuſdem ingredientia ſuperare debet. Cum vero quantitas virtutis non determinat quantitatem molis, (*per princ. philoſ.*) hæc eſt indeterminata, adeoque poteſt eſſe major, vel minor. Patet ergo, baſin virtute quidem omnia ingredientia medicamenti compoſiti ſuperare debere, non vero quantitate molis.

§. XLI.

Demonſtrata §. XL. valent quoque de baſi tam ratione materiæ quam virtutis, vel ſimplici, vel compoſita.

Baſis tam ratione virtutis, quam materiæ, eſt vel ſimplex, vel compoſita §. XXXVIII. XXXIX. Jam baſis quantitate quidem virtutis omnia medicamenti compoſiti ingredientia ſemper ſuperare debet, non vero quantitate molis §. XL. Ergo baſis, quæ vel ratione virtutis, vel materiæ, vel ſimplex vel compoſita eſt, omnia medicamenti compoſiti ingredientia quantitate virtutis, non vero molis ſuperare debet.

§. XLII.

Baſis ea quantitate ſumi debet, qua ſufficit ſcopo exequendo.

Baſis eſt medium, quod adhibetur à Medico ad ſcopum quendam impetrandum. Jam illud ſemper medium eſt eligendum, quod ſcopo impetrando æquale eſt. Ergo baſis ea quantitate ſumi debet, qua ſufficit ſcopo Medici impetrando, atque hoc valet de baſi ſimplici vel compoſita, tam ratione virtutis, quam materiæ.

§. XLIII.

Baſis ratione virtutis in reſpectu ad effectum a medicamento compoſito producendum vel peccat exceſſu, vel defectu.

Cum baſis ſit pars medicamenti compoſiti, quæ maximam partem de ratione ſufficiente effectus, quem medicamentum compoſitum producere debet, in ſe continet §. XXXVII. illa non totam rationem ſufficientem effectus a medicamento compoſito producendi in ſe complectitur, neque vis ejus huic effectui producendo eſt æqualis. Cum itaque vis baſeos in medicamento compoſito effectui ab hoc producendo non ſit æqualis, vel major eſſe debet, quam neceſſarium eſt ad effectum a medicamento producendum, vel minor, quam ut hic effectus produci poſſit. Paucis, baſis ratione virtutis, in reſpectu ad effectum a medicamento compoſito producendum, peccat vel exceſſu, vel defectu.

§. XLIV.

Si vis baſeos effectui a medicamento compoſito producendo impar ſit, adjuvans habere debet.

Quoniam vis baſeos in medicamento compoſito vel major eſt, quam neceſſarium eſt ad effectum a medicamento compoſito producendum, vel minor, quam ut hic effectus produci poſſit §. XLIII. neceſſario, ſi vis ejus minor eſt, quam ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſit, opus habet tertio, quod ejus actionem promovet. Jam illa pars medicamenti compoſiti, quæ baſeos actionem promovet, dicitur *adjuvans.* Qua de re baſis in medicamento compoſito adjuvans junctum ſibi habere debet, ſi ejus vis minor eſt, quam ut effectus a medicamento compoſito producendus excitari poſſit. Ejus ergo in omni medicamento compoſito haud perpetua eſt neceſſitas.

§. XLV.

Adjuvans baſi vi cedit.

Adjuvans eſt pars medicamenti compoſiti §. XLIV. hinc vis ejus eſt pars virtutis totius medicamenti compoſiti, & cum baſis itidem ſit pars medicamenti compoſiti §. XXXVII. ejus quoque vis ut pars virtutis totius medicamenti compoſiti ſit neceſſe eſt. Jam baſis continet maximam partem de ratione ſufficiente effectus a medicamento compoſito producendi §. XXXVII. adeoque vis ejus eſt pars maxima virtutis totius medicamenti. Duæ partes maximæ ſunt impoſſibiles (*per princ. mathem.*) Ergo vis adjuvantis minor eſt vi baſeos.

§. XLVI.

Adjuvans mole baſin non ſemper ſuperare debet.

Quamvis adjuvans baſi vi cedere debeat §. XLV. nihilominus tamen non neceſſarium eſt, ut ipſa quoque ratione molis ſit minus. Demonſtratum quidem eſt, adjuvans baſi ratione virtutis eſſe debere minus §. cit. ſed cum quantitas virtutis non determinet quantitatem molis, hæc in adjuvante eſt indeterminata, adeoque poteſt eſſe tam major, quam minor quantitate molis baſeos.

§. XLVII.

Scholion.

Sit vis baſeos, quæ minor eſt effectu a medicamento compoſito producendo $= a$
ejus effectus $= b$
effectus a medicamento compoſito producendus $= c$
vis ad eum requiſita $= d$, erit,

quoniam vis ſemper effectui pleno æqualis eſſe debet, $a = b$ & $d = c$.

Jam per hypotheſin, utpote quæ poſtulat, vim baſeos minorem eſſe vi requiſita ad effectum medicamenti compoſiti, & effectum baſeos minorem eſſe effectu a medicamento compoſito producendo, eſt

$$a < d$$
$$b < c, \text{ ergo}$$
$$c = b + x$$

Sit porro vis requiſita ad producendum effectum $x = y$, erit, quoniam

$a < d$, adeoque

$d = a + y$ per hypotheſim,

$y = d - a$, hoc eſt, vis adjuvantis ſemper æqualis eſt differentiæ inter vim neceſſariam ad effectum producendum a medicamento compoſito atque vim ipſius baſeos. Sit v. g.

$a = b = 8$

$c = d = 12$, erit, quoniam

$d = a + y$

$8 + y = 12$ & per conſequens

$y = 12 - 8 = 4$, ſeu vis adjuvantis hoc caſu ad vim baſeos eſt in ratione ſubdupla, vel ſe habet ut 1 ad 2.

§. XLVIII.

Ratio, cur vis baſeos minor ſit, quam ut effectus a medicamento compoſito producendus produci poſſit; eſt reſpectu baſeos vel externa vel interna.

Cum vis baſeos minor ſit, quam ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſit, ſi adjuvante indiget §. XLIV. ratio adeſſe debet, cur vis baſeos minor ſit, quam ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſit, & hæc ratio latet vel in ipſa baſi, vel extra illam. Si prius, hoc eſt, ſi ratio, cur vis baſeos minor ſit, quam ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſit, latet in ipſa baſi, ratio hæc eſt interna, externa vero, ſi latet extra baſin.

§. XLIX.

Si ratio dicta eſt interna reſpectu baſeos, vel producit eundem quidem cum medicamento effectum, ſed tantum minorem, vel diverſum.

Fac, rationem, cur vis baſeos effectui a medicamento compoſito producendo ſit impar, eſſe in ipſa baſi, ſive internam, tunc duo iterum poſſibiles ſunt caſus. Vis enim baſeos vel producit effectum eundem quidem, quem medicamentum compoſitum producere debet, ſed gradu tantum minori ab hoc diſcrepantem, vel diverſum, & alium, quem medicamentum compoſitum producere non debet.

§. L.

Quidnam ſit in priori caſu, de quo §. XLIX. mentio fit, adjuvans.

Vis baſeos, quæ minor eſt, quam ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſit, excitat, ſi ratio hac de re latet in ipſa baſi, vel eundem quidem, quem medicamentum compoſitum producere debet, effectum, ſed minori tantum gradu ab hoc diſcrepantem, vel diverſum & alium, qui a medicamento compoſito non deſideratur §. XLIX. Jam fac, prius habere locum, ſive vim baſeos effectui a medicamento compoſito producendo imparem excitare quidem eundem, quem medicamentum compoſitum producere debet, effectum, ſed gradu tantum minori ab hoc diſcrepantem, tunc illud baſeos actionem promovebit, quod vim ejus minorem ita intendit, ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſit. Jam id eſt adjuvans, quod actionem baſeos promovet §. XLIV. Qua de re, ſi vis baſeos, quæ minor eſt, ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſit, edit eundem quidem, quem medicamentum compoſitum producere debet, effectum, ſed gradu tantum minori ab eo diſcrepantem, utique hinc omne illud eſt baſeos adjuvans, quod vim ejus minorem ita intendit, ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſit.

§. LI.

Quidnam in poſteriori caſu ſit adjuvans.

Ponas alterum caſum, quo vis baſeos, quæ minor eſt, quam ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſit, edit effectum diverſum & alium, qui medicamento compoſito non intenditur §. XLIX. tunc illud baſeos actionem promovebit, quod efficit, ut non alium & diverſum, ſed eundem, qui medicamento compoſito intenditur, effectum producat, ſive, quod ita determinat ejuſdem actionem, ut eundem, qui a medicamento compoſito proficiſci debet, effectum producat. Jam id eſt adjuvans, quod baſeos actionem promovet §. XLIV. Ergo, ſi vis baſeos diverſum & alium, qui a medicamento compoſito excitari non debet, effectum producit, omne illud eſt adjuvans, *quod baſeos actionem ita determinat, ut eundem, qui a medicamento compoſito eſt producendus, effectum producat.*

§. LII.

Demonſtrata §. L. LI. exemplis illuſtrantur.

Multa exempla medicamentorum, quæ demonſtrata §. L. & LI. illuſtrant, occurrunt. Sic laxantibus lenioribus junguntur trochiſci alhandal, adjuvantis vicem explentes. Iſta, laxantia nimirum leniora, in medicamento compoſito fortius purgante baſeos vicem ſuſtinentia, producunt quidem effectum eundem, quem medicamentum compoſitum producere debet, & qui in excitanda alvi ſolutione conſiſtit, ſed non tantum, quantus a medicamento compoſito purgante fortiori deſideratur, adeoque minori tantum gradu ab eo differentem. Ut igitur laxantia hæc leniora, in medicamento compoſito purgante validiori loco baſeos poſita, non eundem ſolum, quem medicamentum compoſitum producere debet, effectum, ſed tantum etiam, quantus a medicamento purgante fortiori deſideratur, producant, hac ex ratione & hoc fine ipſis loco adjuvantis adduntur trochiſci alhandal. Neque minus de poſteriori caſu, quo vis baſeos minor producit diverſum & alium effectum, quem medicamentum compoſitum producere non debet, multa proferre poſſem exempla, ſed, ne nimis ſim longus, unum tantum attigiſſe ſufficiat. Sit e. g. mercurius dulcis baſis in medicamento purgante. Hic per ſe ſolus, uti notum eſt, excitare poteſt ſalivationem, adeoque producere effectum diverſum & alium, quem Medicus medicamento purgante non intendit. Id quod ne fiat, ipſi aliquid addendum eſt, quod impedit, quo minus diverſum & alium producat effectum, qui a medicamento compoſito purgante non deſideratur, atque hoc obtinetur additamento purgantium, vices adjuvantis in medicamento compoſito purgante, cujus baſis ſit mercurius dulcis, ſupplentium. Si vero mercurius dulcis in medicamento compoſito ſalivante ſit baſis, ipſi, ne alium producat effectum, quem non intendimus medicamento ſalivante, loco adjuvantis addimus terrea, abſorbentia, aut reſolventia.

§. LIII.

Si ratio, cur vis baſeos minor ſit, eſt externa, §. XLVIII omne illud eſt adjuvans, quod impedimenta removet, baſeos vim reddentia inefficacem.

Si ratio, cur vis baſeos minor ſit quam ut effectus a medicamento compoſito producendus produci poſſit, eſt externa, ſive latet extra baſin §. XLVIII. ſemper impedimenta adſint neceſſe eſt, quæ obſtant, quo minus baſis vim ſuam exſerere poſſit, atque hoc in caſu facile eſt conceptu, omne illud baſeos actionem promovere, quod impedimenta, quæ vim ejus ab efficacia prohibuerunt, removet. Jam illud eſt adjuvans, quod baſeos actionem promovet §. XLIV. Ergo, ſi ratio, cur vis baſeos minor ſit, quam ut effectus

effectus a medicamento compoſito edendus produci poſſit, eſt externa, omne illud eſt adjuvans, quod impedimenta removet, quæ obſtant, quo minus baſis vim ſuam exſerere poſſit.

§. LIV.

Exemplis dicta §. LIII. illuſtrantur. Non deficiunt exempla in praxi, quæ demonſtrant, ſæpiſſime occurrere impedimenta, vim baſeos in medicamento compoſito, quo certus intenditur effectus, imminuentia & retardantia. Sic fac, medicamento compoſito materiam vel per vomitum, vel per alvum eſſe evacuandam, hujus materiæ evacuatio eſt effectus, quem medicamentum compoſitum producere debet. Fac vero iterum, hanc materiam vomitu vel alvo ejiciendam difficulter eſſe mobilem, tunc illud eſt impedimentum, quo minus baſis medicamenti compoſiti vomitorii, vel purgantis, vim ſuam exſerere poſſit. Atque hoc in caſu illud erit adjuvans, quod materiam vomitu vel alvo exturbandam, ſed difficulter mobilem, ita præparat & diſponit, ut facile moveri & ejici poſſit, id quod obtinetur reſolventibus. Sæpius partes, quas medicamentum compoſitum permeare debet, antequam ad eam perveniat partem, qua quatenus medicamentum agere debet, minus ſunt liberæ ac ita diſpoſitæ, ut vim baſeos in medicamento compoſito infringant, quibus in caſibus omne illud adjuvantis vicem explet, quicquid vias, quæ virtuti baſes medicamenti compoſiti reſiſtunt, liberas reddit atque eas ita diſponit, ut non adeo magnam virtuti baſeos creent reſiſtentiam.

§. LV.

Notio corrigentis evolvitur. Conſideravi hactenus illum caſum, quo vis baſeos minor eſt, quam ut effectus a medicamento compoſito producendus produci poſſit, &, quicquid in eo occurrit notatu dignum, evolvi §. XLIII. Supereſt nunc alter caſus, quo vis baſeos in medicamento compoſito major eſt, quam effectus ab eo producendus §. cit. Quodſi igitur vis baſeos major eſt, quam effectus a medicamento compoſito producendus, tertio locus eſt, quod vim baſeos, quæ major eſt quam effectus a medicamento compoſito producendus, ita imminuit, ut huic effectui producendo æqualis evadat, atque hoc vocatur *corrigens*. Hoc igitur illa pars eſt medicamenti compoſiti, quæ vim baſeos, quæ major eſt, quam effectus a medicamento compoſito producendus, ita imminuit, ut huic effectui æqualis evadat.

§. LVI.

Corrigens non ſemper in medicamento compoſito adeſſe debet. Cum corrigente tunc demum opus ſit in medicamento compoſito, ſi in eo vis baſeos major eſt, quam effectus ab eo producendus, eaque ita eſt imminuenda, ut huic effectui producendo æqualis evadat §. LIV. corrigentis haud perpetua in omni medicamento compoſito eſt neceſſitas, ſed ex eo; abſente modo dicta conditione, ſi nimirum vis baſeos non major eſt quam effectus a medicamento compoſito producendus, exulare debet.

§. LVII.

Corrigens vim baſeos majorem non ita imminuere debet, ut effectui a medicamento compoſito producendo impar evadat. Quoniam porro corrigens vim baſeos majorem ita imminuit, ut effectui a medicamento compoſito producendo æqualis evadat §. LV. eam non ita imminuere debet, ut huic effectui producendo impar evadat. Fac enim, corrigens vim baſeos majorem ita imminuere, ut effectui a medicamento compoſito producendo impar evadat, tunc vis baſeos minor eſſet, quam ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci poſſet. Id quod cum repugnet fini, patet, corrigens vim baſeos majorem non ita imminuere debere, ut effectus a medicamento compoſito excitandus produci nequeat.

§. LVIII.

Vis baſeos major poteſt conſiderari tanquam compoſita ex duabus partibus. Si vis baſeos major eſt, quam effectus a medicamento compoſito producendus, corrigenti locus eſt §. LV. atque cum illud, quod majus eſt altero, poſſit conſiderari tanquam compoſitum ex duabus partibus, quarum altera minori quantitati ſit æqualis, vis hæc baſeos major concipi poteſt tanquam compoſita ex duabus partibus, quarum prima producit effectum a medicamento compoſito producendum, ſecunda vero alium effectum.

§. LIX.

De effectu baſeos homogeneo & heterogeneo. Cum pars una virtutis baſeos, quæ major eſt, quam effectus a medicamento compoſito producendus, exſerat effectum a medicamento compoſito producendum, & altera præterea alium §. LVIII. hic alius effectus eſt vel homogeneus cum priori, eo nimirum, qui a medicamento compoſito eſt producendus, vel non. Si prius, hoc eſt, ſi pars ſecunda virtutis baſeos, quæ major eſt, quam effectus a medicamento compoſito excitandus, producit effectum homogeneum cum altero effectu, qui proficiſcitur a prima parte virtutis baſeos majoris, corrigens eſt adhibendum. Cum enim medicamentum eum in finem adhibeatur, ut ſanitati conducat, effectus ab ipſo producendus, quem Medicus intendit, tantus eſſe debet, quanto ad hunc finem obtinendum opus eſt, unde baſis etiam eſt adhibenda, cujus vis par eſt effectui huic producendo. Quodſi ergo vis baſeos hoc effectu major eſt, ita, ut ejus pars una producat effectum a medicamento compoſito producendum, altera vero alium, ſed cum priore homogeneum, majorem exſerit effectum, quam quidem intendit Medicus, adeoque talem, qui ob exceſſum ſanitati officit. Opus ergo eſt alio medio, quo vis baſeos juſto major ad juſtam menſuram redigatur; quod cum fiat adhibito corrigente §. LV. patet, ipſi hoc in caſu eſſe locum, quo pars una virtutis, qua baſis gaudet, majoris, producit effectum a medicamento compoſito producendum, altera vero alium, ſed cum priore eundem.

§. LX.

Heterogeneus baſeos effectus eſt vel diſparatus ab effectu medicamenti compoſiti, vel ei oppoſitus. Si pars altera virtutis, qua baſis prædita eſt, producit effectum, qui cum effectu a medicamento compoſito producendo non eſt homogeneus §. LIX. exſerit effectum ab eo heterogeneum, ſive diverſum. Jam diverſa ſunt vel diſparata, vel oppoſita (*per princ. phil.*). Ergo effectus diverſus ab effectu medicati compoſiti, qui proficiſcitur a parte altera virtutis, qua gaudet baſis §. LIX. eſt vel ab effectu medicamenti compoſiti diſparatus, vel ei oppoſitus.

§. LXI.

Scholion. Uſus ſui in antecedentibus multis terminis philoſophicis non explicatis, ſed conſulto, legibus bonæ methodi id non exigentibus, huic labori ſuperſedi, ne libellus hic in magnum

)b(3 excreſ-

excreſceret volumen. Quoniam vero aliqui inter hos occurrunt, quos nec adeo frequentes, nec omnibus notos eſſe puto, uti ſunt termini *effectus baſeos diſparatus* & *oppoſitus*, eorum explicationem reique ipſius illuſtrationem clariorem ſuppeditabo. Notandum igitur eſt, ea, quæ ſunt diverſa, ita eſſe comparata, ut compoſſibilia ſint, ſeu ſimul exiſtere queant in eodem ſubjecto, vel non. Priora dicuntur diſparata, e. g. pietas & eruditio, poſteriora oppoſita, ut frigus & calor. Applicentur hæc dicta ad effectum baſeos diſparatum ab effectu medicamenti compoſiti, vel ei oppoſitum, & facile erit determinatu, quid per hos effectus intelligatur. Cum enim virtus baſeos, quæ major eſt, quam effectus a medicamento compoſito producendus, poſſit conſiderari tanquam compoſita ex duabus partibus, quarum una edit effectum a medicamento compoſito producendum, altera vero alium §. LVIII. hic alius effectus, qui ab altera parte virtutis baſeos majoris proficiſcitur, ita eſt comparatus, ut poſitus vel tollat effectum priorem, ſive eum, qui a medicamento compoſito proficiſcitur, vel cum eo ſimul conſtare poſſit. Si prius, effectus, qui oritur ab altera parte virtutis baſeos majoris, eſt oppoſitus effectui a medicamento compoſito producendo; ſi poſterius, dicitur ab eo diſparatus. Sit e. g. effectus cujuſdam medicamenti compoſiti laxantis $= 4$
vis vero baſeos, quæ major eſt, quam effectus medicamenti compoſiti $= 6$
tunc hæc vis producit quidem effectum a medicamento compoſito producendum, qui eſt $= 4$ ſed & præterea alium, qui $= 2$. Sit porro hic effectus cum priore a medicamento compoſito producendo, qui $= 4$, idem, ſive homogeneus, qualis eſt, ſi in laxando alvum conſiſtit, tunc, quoniam hic effectus baſeos, qui $= 2$, non intenditur, corrigens eſt adhibendum §. LVIII. Sit vero hic effectus baſeos $= 2$ non idem cum priore effectu, eo nimirum, qui medicamento compoſito eſt producendus, ſed excitet vomitum, tunc ab eo eſt diſparatus.

§. LXII.

Quo in caſu corrigente non abſolute opus ſit.

Sit vis baſeos major effectu a medicamento compoſito producendo, ut edat pars virtutis baſeos majoris una effectum deſideratum, altera vero ab eo diſparatum §. LVIII. LIX. LX. non neceſſario hoc in caſu corrigente opus eſt, quoniam hic non obſtat, quin ille, qui a medicamento compoſito eſt producendus, in actum deducatur. Quadrat huc exemplum poſterius §. LXI. allatum, quo effectus baſeos, qui $= 2$, non conſiſtit in laxando, ſed in excitando vomitum, atque hoc in caſu non neceſſario & abſolute requiritur corrigens. Interea, ſi Medicus, certis rationibus extrinſecis motus, eum tantum intendit effectum a medicamento compoſito & una parte virtutis baſeos majoris producendum, ſine iſto effectu ab eo diſparato, qui provenit ab altera parte virtutis baſeos majoris, aliquid ab eo eſt adhibendum, quod vim baſeos majorem effectu a medicamento compoſito producendo ita imminuit, ut huic tantum, non alii producendo æqualis evadat. Id quod cum obtineatur corrigentis ope §. LV. medicus, ſi, certis rationibus extrinſecis ductus, eum tantum intendit effectum a medicamento compoſito & una parte virtutis baſeos majoris producendum, ſine effectu ab hoc diſparato, qui proficiſcitur ab altera parte virtutis baſeos majoris, ad hunc finem obtinendum corrigens adhibere debet.

§. LXIII.

Quando eodem opus ſit.

Medicus quidem, ſi certis rationibus extrinſecis commotus intendit effectum tantum a medicamento compoſito ex una parte virtutis baſeos majoris producendum, ſine effectu ab hoc diſparato, qui proficiſcitur ab altera parte virtutis baſeos majoris, ad hunc finem obtinendum corrigens adhibere debet §. LXII. Sed ipſi hoc in caſu iterum ad duo eſt reſpiciendum, utrum nimirum ea pars virtutis baſeos majoris, quæ producit effectum ab effectu medicamenti compoſiti diſparatum, tolli queat per aliquod corrigens, ſalva ea parte virtutis baſeos majoris, quæ neceſſaria eſt ad effectum a medicamento compoſito producendum, nec ne? Si prius, corrigens eſt adhibendum, ſed non in poſteriori caſu. In hoc etenim ſi Medicus adhibere vellet corrigens, effectum medicamenti compoſiti, quem tamen intendit, deſtrueret, adeoque ageret contra finem ſuum.

§. LXIV.

Effectus baſeos diſparatus eſt vel quoad ſanitatem indifferens, vel ei prodeſt, atque in utroque caſu eſt vel jucundus, vel non.

Effectus diſparatus, qui ab altera parte virtutis baſeos majoris provenit §. LX. LXI. non eſt ita comparatus, ut reſpectu finis, quem Medicus medicamento compoſito intendit, ſanitati noceat. Quod enim ſi eſſet, hic effectus diſparatus non eſſet diſparatus, ſed oppoſitus, id quod repugnaret demonſtratis §. LX. LXI. Quæ igitur cum ita ſint, effectus diſparatus, ab altera parte virtutis baſeos majoris proveniens, ita comparatus ſit neceſſe eſt, ut vel ſanitati conducat, vel reſpectu ejus ſit indifferens, hoc eſt, ut ei neque proſit, neque obſit. In utroque hoc effectu diſparato, qui vel quoad ſanitatem indifferens eſt, vel ei conducit, corrigente non opus eſt, quoniam nulla adeſt ratio, cur id ſit adhibendum; ſed hic iterum ad duo eſt reſpiciendum. Eſt etenim uterque effectus vel ſimul jucundus, vel injucundus. Si effectus diſparatus, qui ab altera parte virtutis baſeos majoris oritur, ſanitati conducit ſimulque eſt jucundus, corrigente non opus eſt, quoniam nulla adeſt ratio, cur illud ſit adhibendum, atque Medicum oportet nihil ſine ratione agere. Si vero hic effectus non ſimul eſt jucundus, ſed injucundus, videndum eſt, utrum hæc injucunditas tolli queat ab altera parte virtutis baſeos majoris, a qua proficiſcitur, per aliquod corrigens, ſalva ea parte virtutis baſeos majoris, quæ neceſſaria eſt ad effectum a medicamento compoſito producendum, nec ne? Si prius, corrigens eſt adhibendum ad injucunditatem tollendam, non vero in poſteriori caſu.

§. LXV.

De injucunditate effectus baſeos diſparati.

Si effectus diſparatus, qui ab altera parte virtutis baſeos majoris provenit, & vel ſanitati conducit, vel reſpectu ejus indifferens eſt, eſt injucundus §. LXIV. hæc injucunditas afficere poteſt organum guſtus, olfactus & viſus, adeoque reſpicere ſaporem, odorem & colorem. Quomodo vero hi jucundi corrigentis ope tolli & in jucundos mutari queant, in genere determinari nequit, quoniam non omnes iiſdem

delectantur odoribus, ſaporibus & coloribus. Dulcia & ſuaveolentia quibuſdam placent, aliis ſunt inſenſiſſima, immo multis male olent & ſapiunt omnia e pharmacopolio petita. Plerumque ſapori medicamenti jucundo conciliando uſurpantur ſyrupi, acida, ſaccharum, &c. Odori vero injucundo tollendo aquæ & olea fragrantia, ambra, moſchus, cinnamomum, &c. & coloris gratia conciliatur medicamento cinnabari, ſantalo rubro, auri & argenti foliolis. Notandum tamen, nec tantam in medicamentis, quanta cibo & potu conciliari poteſt, gratiam ſemper obtineri poſſe, nec ab ipſis ægris exigi, quoniam his invitatur morbi moleſtia. Sunt, qui omnem navant operam in concilianda medicamento coloris gratia per auri argentique folia ubique intermiſta, ſed hæc nunquam omiſſa ridiculam produnt vanitatem, quamvis in pilulis interdum ferri poſſint.

§. LXVI.

Quidnam non ſit corrigens. Si quid pro corrigente adhibetur, quod, dum injucunditatem effectus diſparati, vel quoad ſanitatem indifferentis, vel eidem conducentis, tollit, aliam producit, vel vim baſeos ita imminuit, ut effectui a medicamento compoſito producendo impar evadat, illud non eſt corrigens. Medici hac in re ſæpiſſime delinquunt, dum aliquid corrigentis inſtar adhibent, quod vel, dum unam injucunditatem tollit, aliam producit, vel baſeos virtutem ita imminuit, ut effectus à medicamento compoſito excitandus produci nequeat.

§. LXVII.

De effectu baſeos oppoſito. Vis baſeos, quæ major eſt, quam effectus a medicamento compoſito producendus, concipi poteſt tanquam compoſita ex duabus partibus, quarum una producit effectum a medicamento compoſito producendum, altera vero alium §. LVIII. qui vel ab eo eſt diſparatus, vel ei oppoſitus §. LX. Quodſi ergo hic effectus, qui ab altera parte virtutis baſeos, quæ major eſt, quam effectus a medicamento compoſito producendus, oritur, oppoſitus eſt effectui a medicamento compoſito producendo, certum malum, cum hic aliud malum tollere debeat, producat neceſſe eſt, quo in caſu eo eſt reſpiciendum, utrum altera pars virtutis baſeos majoris effectu a medicamento compoſito producendo, quæ hunc effectum noxium producit, tolli queat, ſalva altera parte virtutis baſeos majoris effectu a medicamento compoſito producendo, quæ requiritur ad hunc effectum producendum, nec ne? Si prius, corrigens ad hunc finem eſt adhibendum; ſi poſterius, ad duo iterum eſt reſpiciendum. Vel enim aliud medicamentum datur, cum quo hoc incommodum, quod in noxio effectu conſiſtit, connexum non eſt, & quod ad finem eundem adhiberi poteſt, vel non. Si prius, illud eſt adhibendum, ſi poſterius, videndum, an noxius effectus, qui ab altera parte virtutis baſeos majoris effectu a medicamento compoſito producendo minor ſit malo, cui effectus a medicamento compoſito producendus mederi debeat, nec ne. Priori caſu hoc medicamento uti datur ſine corrigente, poſteriori vero plane ab eo eſt abſtinendum.

§. LXVIII.

Scholion.

Sit vis baſeos major $= a$
ejus effectus $= b$
effectus deſideratus medicamenti compoſiti $= c$
vis requiſita ad eum producendum $= d$

Et integer effectus b vel homogeneus cum deſiderato effectu c vel non.

Ponamus prius; & erit

$$b > c$$

Et quum etiam $a = b$
$\& \; d = c$

$$a > d, \text{ \& per conſequens}$$

$$a = d + p$$

Quia integrum a homogeneum eſt cum $d + p$ (*per hyp.*)

ſit exponens rationis $p : a = n$, erit

$$p = an, \; \&$$

$$a = d + an$$

$$a - an = d$$

$$a : d = 1 : 1 - n$$

Seu vis baſeos hoc caſu eſt ad vim dati medicamenti ut unitas ad differentiam inter unitatem & exponentem rationis exceſſus vis baſeos ad illam integram. Quare ut vis baſeos vi datæ æqualis evadat; adſumendum eſt corrigens, cujus vis ad vim baſeos ut $n : 1$, quæ vero contrarium effectum producat, ut in relatione ad vim baſeos pro quantitate privativa haberi, illique addita ipſam ad datam uſque quantitatem imminuere valeat.

Ponamus, porro, integrum effectum b non eſſe homogeneum cum deſiderato effectu c, erit tamen pars ejuſdem deſiderato homogenea.

Sit porro hæc pars $= x$
ejus complementum ad totum $= y$, erit

$$b = x + y$$

Sit exponens rationis $x : c = m$, erit

$$x = cm$$

$$b = cm + y$$

$$b - y = cm$$

Sit porro vis æqualis effectui $y = s$
effectui $x = r$ erit cum

$$b = x + y \; (\textit{per dem.})$$

$\& \; a = b$
$x + y = r + s$

$$a = r + s$$

Et quia $x : c = m$ (*per hyp.*)

$$r : d = m$$

$$r = dm$$

$$a = dm + s$$

$$a - s = dm$$

Qua-

Quapropter ut hoc caſu effectus heterogeneus y tollatur, adſumendum eſt corrigens, cujus vis æqualis eſt vi ad eum requiſitæ s, ſed contraria, ut ad eam relata privativæ vicem ſuſtineat, adeoque vi baſeos adjecta eandem data vi s mulctare poſſit. Cum vero præterea exponens m vel $= 1$ vel > 1 vel < 1 eſſe queat; illo caſu nullo alio ingrediente, iſto corrigente adhuc alio, per caſum priorem determinando, hoc vero adjuvante opus eſt.

§. LXIX.

Scholion.

Aliquos eo procedere temeritatis, ut algebraicas theſium mearum demonſtrationes & illuſtrationes inutiles declarent, atque adunco naſo ſuſpendant, facile conjicere poſſum, ſed hoc neque miror, neque curo, certe perſuaſus, ejuſmodi homines mentis acumine eſſe deſtitutos, eorumque cerebrum idearum confuſarum tenebris refertum. Lubens concedo, illis, qui algebram non callent, theſium demonſtrationes algebraicas nullam afferre utilitatem, aſt ſciant, me has ipſorum gratia hic non apponere, & caveant, ne de re, cujus nullam habent cognitionem, judicent; alias enim magnam produnt temeritatem ac imprudentiam. Qui contra algebram intelligit, me ejus ope veritates detexiſſe, quas ſine iſtius beneficio vel plane non, vel ſaltem non adeo facile inveniſſem, ex adductis exemplis algebraicis ſatis ſuperque perſpiciet, atque illorum gratia, qui cupiditate flagrant, non vanam & ſuperficiariam, ſed diſtinctam & ſolidam cognitionem veritatum medicarum ſibi acquirendi, algebraicas demonſtrationes & illuſtrationes hic ſubjungo.

§. LXX.

Notio conſtituentis evolvitur.

Medicamentū compoſitum eſt illud, quod conſtat ex pluribus uno ingredientibus §. XXXIV. adeoque eſt unum, quod oritur ex combinatione horum ingredientium. Quod ſi quis conſiderat, legum cogitandi naturalium ope adjutus, facile mente aſſequi poteſt, hic ad duo maxime eſſe reſpiciendum. Nam hæc ingredientia, quæ ſimul ſumta medicamentum conſtituere debent compoſitum, ita ſunt comparata, ut vel in debitam ac deſideratam combinationem ſive formam, qua hoc unum, medicamentum nimirum compoſitum, conſtituere debent, redigi poſſint vel non. Si poſterius, hoc eſt, ſi ingredientia non debito & deſiderato modo combinari poſſunt, ut exinde deſiderata medicamenti compoſiti forma exſurgat, tertio opus eſt, quod ingredientia in talem redigit combinationem, ut deſiderati medicamenti compoſiti forma obtineatur, atque hoc vocatur *conſtituens*. Si prius, hoc eſt, ſi ingredientia medicamenti compoſiti ita combinari queunt, ut exinde deſiderata ejuſdem forma exſurgat, eo conſtituente nimirum, non opus eſt. *Eſt igitur conſtituens illa pars medicamenti compoſiti, quæ reliquis ingredientibus medicamenti compoſiti in deſideratam formam redigendis inſervit.*

§. LXXI.

Quæ circa conſtituens ſint determinanda.

Duo in conſtituente, qua tali, ſi loco ingredientis in medicamento compoſito ſit adhibendum, poſſunt determinari, nimirum 1) ejus materia, 2) ejus quantitas. Materia conſtituentis, qua talis, ita comparata eſſe debet, ut quoad effectum a medicamento compoſito producendum ſit indifferens, id eſt, eum neque augeat, neque imminuat. Ponatur enim horum alterutrum, priori caſu adjuvantis §. XLIV. poſteriori vero corrigentis vicem ſuſtinebit §. LV. adeoque non erit conſtituens §. LXX. Porro in determinatione materiæ conſtituentis reſpiciendum eſt ad formam medicamenti compoſiti, quæ deſideratur. Cum enim conſtituens ſit id, quod reliquis medicamenti compoſiti ingredientibus in deſideratam formam redigendis inſervit §. LXX. conſequens eſt, ut talis conſtituentis aſſumatur materia, quæ formæ medicamenti deſideratæ conveniens eſt. Prout igitur alia atque alia medicamenti forma deſideratur, alia etiam conſtituentis materia requiritur, unde patet, in determinanda materia conſtituentis ad formam medicamenti, quæ deſideratur, eſſe reſpiciendum.

§. LXXII.

Quid agendum ſit medico, ſi duæ materiæ ipſi occurrant, conſtituentis vicem explentes.

Si duæ occurrunt materiæ, quæ reſpectu rationum internarum æque commode vice conſtituentis in medicamento compoſito fungi poſſunt, ratio habenda eſt circumſtantiarum externarum, ut nimirum illud aſſumatur, quod ratione pretii, guſtus, doſeos, aliorumque accidentium Medico ad finem obtinendum videtur convenientiſſimum.

§. LXXIII.

Quantitas conſtituentis ex forma medicamenti compoſiti determinatur.

Quantitas conſtituentis determinari poteſt ex forma medicamenti compoſiti. Quoniam enim conſtituens eſt illa pars medicamenti compoſiti, quæ reliquis ejus ingredientibus in debitam formam redigendis inſervit §. LXX. tanta ejus quantitas adeſſe debet, quanta ad hunc finem requiritur. Qui cum ſit forma medicamenti compoſiti, quantitatem conſtituentis ex forma medicamenti compoſiti determinari poſſe patet.

§. LXXIV.

Doſis quoque medicamenti compoſiti relativi determinat quantitatem conſtituentis.

Forma medicamenti compoſiti relativi conſiſtit in modo illud applicandi §. XIII. & cum hic doſin ejuſdem determinet, doſis pertinet ad formam medicamenti relativi. Sed forma medicamenti compoſiti determinat quantitatem conſtituentis. §. LXXIII. Ergo etiam doſis in medicamento compoſito relativo determinat quantitatem conſtituentis.

§. LXXV.

Quot eſſe poſſint partes medicamenti compoſiti.

Quatuor itaque eſſe poſſunt partes medicamenti compoſiti 1) baſis 2) adjuvans 3) corrigens 4) conſtituens §. XXXVII. XLIV. LV. LXX.

§. LXXVI.

Quando in medicamento compoſito adeſſe debeat baſis, & quando non.

Si medicamentum compoſitum conſtat ex duobus ingredientibus, hæc aut vim habent æqualem, quæ requiritur ad effectum a medicamento compoſito producendum, aut non. Si prius, hoc eſt, ſi duo ingredientia medicamenti compoſiti prædita ſunt vi æquali, nulla adeſt pars, quæ maximam partem de ratione ſufficiente effectus a medicamento compoſito producendi in ſe continet, adeoque nulla baſis §. XXXVII. Si vero poſterius, hoc eſt, ſi medicamentum conſtat ex duobus ingredientibus, vim inæqualem, quæ neceſſaria eſt ad effectum medicamenti compoſiti producendum, habentibus, aliquod adeſſe debet, quod maximam partem de ratione ſufficiente effectus

ctus a medicamento compoſito producendi in ſe continet, adeoque hoc in caſu baſis neceſſario adeſſe debet §. XXXVII. In medicamento igitur compoſito, ſi ex duobus ingredientibus, vi ad effectum ejuſdem producendum requiſita & æquali inſtructis, conſtat, non abſolute neceſſaria eſt baſis, ſed in eo utique, quod ex duobus ingredientibus componitur vi inæquali, quæ requiritur ad effectum medicamenti compoſiti producendum, inſtructis.

§. LXXVII.

Num baſis in medicamento compoſito adeſſe debeat, ſi ex pluribus, quam duobus conſtat ingredientibus.

Ponamus vero, medicamentum compoſitum ex pluribus quam duobus conſtare ingredientibus, plurium horum ingredientium vis vel ſingulorum inter ſe æqualis eſt, vel non. Si prius; cum ſumma alicujus quantitatis aliquoties ſumtæ ipſa quantitate major ſit (*per princ. arithm.*) & plures quantitates ſimul ſumtæ pro una haberi queant: ſi omnia ingredientia præter unum ſimul ſumantur, vis ſummæ eorum, ut unum conſideratæ, major eſt vi unius alterius. Si poſterius; cum majus majori additum majorem efficiat ſummam (*per princ. arithm.*): ſi ingredientia, quorum major eſt vis præter unum, cujus vis eſt minima, ſimul ſumantur, vis horum tanquam unum conſideratorum vi unius poſterioris iterum major erit. Utroque igitur in caſu medicamentum compoſitum conſiderari poteſt ut medicamentum compoſitum conſtans ex duobus ingredientibus vi inæquali præditis. Sed, ſi medicamentum compoſitum conſtat ex duobus ingredientibus virtutis inæqualis, alterutrum baſeos nomen invenit §. LXXVI. Ergo etiam in medicamento compoſito ex pluribus, quam duobus ingredientibus conſiſtente, baſis adſit neceſſe eſt.

§. LXXVIII.

Sint e. g. medicamenti compoſiti A ingredientia b, c, d,

erit $A = b + c + d$ (*per princ. arithm.*)

Sit porro $b = c = d$, erit

$b + c > d$ (*per princ. arithm.*)

Quare cum omnis quantitas tanquam unum ſpectari queat, ponatur

$b + c = e$, adeoque erit

$A = e + d$. Cum vero

$b + c > d$ (*per hyp.*) eſt etiam

$e > d$ adeoque

e baſis medicamenti compoſ. A.

Sit vero $b > c$ &

$c > d$; erit etiam

$b + c > d$ (*per princ. arithm.*)

Quapropter, ſi ponatur iterum $b + c = e$; erit

$A = e + d$ & per conſequens e iterum baſis erit medicamenti compoſiti.

Sit v. c. $A = 24$

$b = c = d = 8$; erit

$b + c = e = 8 + 8 = 16$, adeoque cum $d = 8$ erit

$16 > 8$, adeoque baſis medicamenti compoſiti A erit $= 16$.

Sit vero manente $A = 24$

$b = 10$

$c = 8$

$d = 6$; erit

$b + c = e = 18$ & cum

$d = 6$ (*per hypoth.*)

$18 > 6$ eritque hoc caſu

baſis $= 18$

§. LXXIX.

Si medicamentum compoſitum habet baſin, debet habere vel adjuvans, vel corrigens.

Ponas, medicamentum compoſitum habere baſin, tunc illius vis vel major eſt, quam neceſſarium eſt ad effectum a medicamento compoſito producendum, vel minor, quam ut hic effectus produci poſſit §. XLIII. Si prius eſt, baſis adjuvans junctum ſibi habere debet §. XLIV. corrigens vero, ſi poſterius locum habet §. LV. Qua de re medicamentum compoſitum, ſi habet baſin, vel adjuvans, vel corrigens ſecum ferat neceſſe eſt.

§. LXXX.

Quando medicamentum habeat tam corrigens, quam adjuvans.

Si medicamentum compoſitum habet baſin, illiuſque vis eo reſpectu eſt major, ut producat effectum, qui non intenditur, alio vero reſpectu minor, ita, ut non ſufficiat effectui, qui a medicamento compoſito deſideratur, producendo; hoc caſu adjuvās, illo corrigens habere debet §. XLIV. LV. adeoque patet, medicamentum compoſitum, ſi habet baſin, vel corrigens, vel adjuvans §. LXXIX. vel utrumque ſimul habere debere.

§. LXXXI.

Quando medicamentum compoſitum omnes ſuas partes habeat.

Si baſis medicamenti compoſiti, quod vel adjuvans, vel corrigens, vel utrumque ſimul habet, vel cum adjuvante, vel cum corrigente, vel cum utroque ita combinari nequit, ut, quæ deſideratur, forma medicamenti exinde exſurgat, conſtituente opus eſt §. LXX. Qua de re medicamentum compoſitum, poſita modo dicta conditione, vel adjuvans & conſtituens, vel corrigens & conſtituens, vel adjuvans & corrigens ſimulque conſtituens habere debet.

§. LXXXII.

Medicamentum compoſitum eo eſt perfectius, quo pauciora habet ingredientia.

Perfectio in genere eſt conſenſus variorum in uno, &, quatenus objectum aliquod perfectum eſt dicendum, eatenus variorum ejus conjunctio ex communi quodam principio explicari debet; quod principium, cum ratio determinans perfectionis ſit, rationem in ſe continere debet, cur hæc, & non alia varia hoc & non alio modo conjuncta ſint (*per princ. ontol.*) Ad eadem attendendum eſt in perfectionem medicamenti compoſiti inquirentibus. Varia ejus, ſive ingredientia, eum in finem combinantur, ut effectus aliquis datus inde obtineri queat; quare hic finis rationem perfectionis medicamenti compoſiti determinantem conſtituit. Perfectum igitur eſt medicamentum compoſitum, cujus ingredientium conjunctio ex hoc principio poteſt explicari, eoque perfectius, quo pauciora ingredientia eidem ſufficientia fini conjunguntur. Ponamus enim, quinque conjungi ingredientia in medicamento compoſito, ubi tria producendo fini jam paria fuiſſent, ex ratione determinante perfectionis medicamenti compoſiti intelligi nequit, cur præter hæc tria reliqua duo adſumta ſint, quare eadem cum reliquis non conſentiunt, & idcirco ob diſſenſum variorum in uno hoc caſu obvium,

medicamentum juſto pluribus ingredientibus conſtans altero dato imperfectius eſt. Patet igitur, medicamento compoſito eo majorem competere perfectionem, quo minorem habet ingredientium numerum.

§. LXXXIII.

Medicamentum compoſitum eo eſt perfectius, quo majorem reſpectu ſanitatis producit effectum.

Medicamentum compoſitum in genere eſt perfectum, quatenus ingredientia ejus in uno conſentiunt, ſeu eorum conjunctio ex communi quodam principio poteſt explicari §. LXXXII. quod eſt finis ejus deſideratus, ſeu effectus reſpectu ſanitatis producendus §. cit. Ponamus ergo, duos effectus ſanitati utiles, ſed inæquales eſſe producendos, minor tanquam pars majoris conſiderari (*per princip. mathem.*), & per conſequens major tanquam conſiſtens ex minore & alio ſeu complemento ad totum concipi poterit. Quare, ſi major eſt effectus medicamenti, ratio determinans perfectionis ejus compoſita eſt, adeoque ipſa ejuſdem perfectio compoſita dici meretur (*per princ. ontol.*) Cum vero perfectio compoſita ceteris paribus ſimplice major ſit, major etiam erit perfectio medicamenti, cui major reſpondet effectus ſanitati proficuus.

§. LXXXIV.

Quod uno vales efficere ingrediente, ne tentes pluribus.

Medicamentum compoſitum eo eſt perfectius, quo pauciora habet ingredientia & quo major eſt effectus, qui his obtinetur §. LXXXII. LXXXIII. Qua de re, quod uno vales efficere ingrediente, ne tentes pluribus. Medici, ſi qua in re, in hac certe plerumque peccant. Ita enim coacervant ingredientia, ut medicamentum exinde oriatur compoſitum magno ingredientium numero gaudens, falſo ſibi perſuaſi, in eo medicamenti perfectionem eſſe poſitam. Nihil dicam de medicamentis magiſtralibus & officinalibus, quod pleraque iſtorum ingentem ingredientium numerum habeant, & quod multa eorum ingredientia vi ſibi invicem repugnent. Hinc *illuſtris b. m.* Hoffmannus hanc methodum, medicamenta præſcribendi ex magno ingredientium numero conflata, jure meritoque rejecit, aliamque ſecutus eſt, regulæ antea prolatæ conſentaneam, uti ex ejuſdem medicamentis ſatis ſuperque apparet.

§. LXXXV.

Baſis materia ſimplex & virtute compoſita alii eſt præferenda.

Fac, Medico, baſin medicamenti compoſiti deſideranti, duas occurrere baſes æque commode ſcopo ſuo ſatisfacientes, quarum altera tam materia, quam virtute compoſita, altera vero ſimplex materia, & virtute compoſita eſt, hæc præ illa ipſi eligenda eſt, quoniam ad eum effectum, quem uno aſſequi poteſt, impetrandum, non pluribus uti debet §. LXXXIV.

§. LXXXVI.

Corrigens vel adjuvans tale eſt eligendum, quod locum conſtituentis ſupplet.

Si medicamentum compoſitum, cujus baſis vel adjuvans, vel corrigens, vel utrumque ſibi junctum habet §. LXXIX. LXXX. conſtituente indiget, Medicus, quoniam ad id, quod uno aſſequi poteſt, obtinendum, non adhibere debet plura §. LXXXIV. curet, ut alterutrum horum inveniri queat tale, quod ſimul & conſtituentis vicem impleat, ne præter neceſſitatem multiplicentur ingredientia.

§. LXXXVII.

Ingredientia medicamenti commiſcibilia ſint neceſſe eſt.

Cum, ſi medicamentum compoſitum, cujus baſis vel adjuvans, vel corrigens, vel utrumque ſibi junctum habere debet §. LXXIX. LXXX. conſtituens exigit, horum alterum tale ſit eligendum, quod ſimul conſtituentis vicem impleat §. LXXXVI. reliqua ejuſdem modo dicta ingredientia ita comparata ſint neceſſe eſt, ut commode inter ſe commiſceri & combinari queant, quo exinde deſiderata medicamenti forma exſurgat. Quod enim ſi non eſſet, neque adjuvans, neque corrigens conſtituentis vice fungi poſſet; id quod repugnat hypotheſi.

§. LXXXVIII.

Definitio formulæ ſimplicis & compoſitæ.

Formula, quæ ſignis determinat modum præparandi medicamentum ſimplex, dicitur ſimplex, compoſita vero, quæ determinat modum præparandi medicamentum compoſitum.

§. LXXXIX.

Omnis formula eſt vel ſimplex vel compoſita.

Omnis formula ſignis determinat modum, quo medicamentum fieri debet §. II. Jam omne medicamentum eſt vel ſimplex, vel compoſitum §. XXXV. Ergo omnis formula determinare debet modum, quo medicamentum vel ſimplex, vel compoſitum ſit præparandum. Nunc formula, quæ determinat modum præparandi medicamentum ſimplex, audit ſimplex, compoſita vero, ſi determinat modum præparandi medicamentum compoſitum §. LXXXIX. Ergo omnis formula eſt vel ſimplex, vel compoſita.

§. XC.

Exempla formulæ ſimplicis & compoſitæ.

Exemplum formulæ ſimplicis eſt:

℞. radicis jalappæ ℈j
Fiat pulvis.

Hoc vero

℞ radicis jalappæ
cremoris tartari āā ℈j
diagrydii ſulphurati gr. IV.
olei de cedro gutt. ij.

Miſce, fiat pulvis, eſt exemplum formulæ compoſitæ.

§. XCI.

Corollarium.

Omnis formula determinare debet tam materiam, quam formam medicamenti §. IV. V. hinc etiam tam ſimplex, quam compoſita.

§. XCII.

Corollarium.

Formula, ſi materia medicamenti ex uno conſtat ingrediente, hoc unum ingrediens, & plura ingredientia, ſi ex pluribus conſtat, determinare debet §. IX. Quam ob rem formula ſimplex illud unum ingrediens, ex quo medicamentum ſimplex conſtat, determinare debet, compoſita vero iſta ingredientia, ex quibus medicamentum compoſitum paratur.

§. XCIII.

Corollarium.

Quoniam omnis formula debet habere ſubſcriptionem §. XI. idem de formula ſimplici & compoſita valet.

§. XCIV.

Corollarium.

Omnis formula eſt vel abſoluta, vel relativa §. XVI. hinc & tam ſimplex, quam compoſita, eſt vel abſoluta, vel relativa.

§. XCV.

Corollarium.

Determinatio formæ medicamenti in formula abſoluta eſt tantum determinatio modi

medi-

medicamentum præparandi ex data materia §.X. Quodſi igitur formula tam ſimplex, quam compoſita, eſt abſoluta, determinatio formæ medicamenti in formula ſimplici & compoſita conſiſtet tantum in determinatione modi, medicamentum ad harum alterutram præparandi ex data materia.

§. XCVI.

Corollarium. Determinatio formæ medicamenti in formula relativa, eſt determinatio modi, medicamentum non ſolum præparandi, ſed illud etiam adhibendi §. XXI. Si igitur formula tam ſimplex, quam compoſita, eſt relativa, determinatio formæ medicamenti in formula tam ſimplici, quam compoſita, erit determinatio modi, medicamentum ad harum alterutram paratum non ſolum præparandi, ſed illud etiam applicandi.

§. XCVII.

Quid ſit ſubſcriptio in formula ſimplici & compoſita abſoluta. Subſcriptio in formula abſoluta eſt tantum determinatio modi, medicamentum præparandi §. XXII. Fac ergo, formulam tam ſimplicem, quam compoſitam eſſe abſolutam, tunc ſubſcriptio in formula ſimplici & compoſita conſiſtet in determinatione modi, medicamentum ad harum alterutram præparandi.

§. XCVIII.

Quid ſit ſubſcriptio in formula ſimplici & compoſita relativa. Subſcriptio in formula relativa eſt determinatio modi, medicamentum non ſolum præparandi, ſed illud etiam adhibendi §. XXIII. Jam ponas, formulam tam ſimplicem, quam compoſitam, eſſe relativam, ſubſcriptio in formula ſimplici & compoſita erit determinatio modi, medicamentum ad harum alterutram non ſolum præparandi, ſed illud etiam applicandi.

§. XCIX.

Circa formulam tam ſimplicem, quam compoſitam, duæ occurrunt perſonæ, quibus tam materia, quam forma medicamenti nota eſſe debet. Circa omnem formulam duæ occurrunt perſonæ, una, quæ formulam præſcribit, & altera, quæ ad iſtam medicamentum præparat, atque his tam materia, quam forma medicamenti nota ſit, neceſſe eſt §. XXIV. Idem valet de formula tam abſoluta, quam relativa §. XXV. Qua de re circa formulam quoque ſimplicem & compoſitam, ſive ſit abſoluta, ſive relativa, duæ occurrunt perſonæ, quarum altera formulam harum alterutram præſcribit, altera vero medicamentum ad iſtam præparat, atque his tam materia, quam forma medicamenti perſpecta ſit neceſſe eſt.

§. C.

Circa formulam ſimplicem & compoſitam relativam tres occurrunt perſonæ. Circa formulam relativam tres occurrunt perſonæ, quarum prima formulam relativam præſcribit, altera medicamentum ad hanc præparat, & tertia illud applicat §. XXVI. Si igitur formula tam ſimplex, quam compoſita, eſt relativa, circa utraſque tres occurrunt perſonæ, quarum prima harum alterutram præſcribit, altera medicamentum ad hanc præparat, & tertia illud applicat.

§. CI.

Quatenus pertineat ſignatura ad formulam ſimplicem & compoſitam. Cum ſignatura pertineat ad formulam relativam §. X. ad formulam ſimplicem & compoſitam eatenus pertinet, quatenus ſunt formulæ relativæ.

§. CII.

Corollarium. Quoniam omnis formula eſt vel magiſtralis, vel officinalis §. XXXIII. formula ſimplex & compoſita erit vel magiſtralis, vel officinalis.

§. CIII.

De neceſſitate formularum magiſtralium. Videretur equidem in tanta formularum ſimplicium & compoſitarum officinalium affluentia vix, niſi rarius, formulis magiſtralibus opus eſſe; ſed frequentiorem tamen earum uſum exigunt multæ rationes. Sit enim a Medico morbus, quicunque ſit, in individuo ſanandus, tunc aliqua medicamentorum officinalium ejus indicationibus reſpondent, aut non. Cum jam poſterius ſæpiſſime evenire ſoleat, Medicus alia, quam officinalia medicamenta, excogitare cogitur. Jam hæc ſunt magiſtralia §. XXXI. Ergo ſæpiſſime medicamentis magiſtralibus opus habet Medicus. Jam formulæ, quæ docent modum, quo medicamenta magiſtralia ſint præparanda, audiunt formulæ magiſtrales §. cit. Patet igitur frequentior formularum magiſtralium neceſſitas. Sed reſpondeant aliqua medicamentorum officinalium Medici indicationibus, tunc vel effectum ejus indicationibus reſpondentem producunt, vel non. Poſterius iterum ſæpiſſime contingit. Medicamenta enim officinalia, uti plerumque, ſed minus recte, fieri ſolet, non debita cum cura, cautione & dexteritate præparantur, vel, ſi id fit, nimis diu ad corruptionem uſque aſſervantur, ut virtutem ſuam perdant, unde iterum medicamentorum formularumque magiſtralium patet neceſſitas. Et ſi vel maxime producant effectum indicationibus Medici reſpondentem, perſæpe tamen evenit, ut aliæ accedant rationes externæ, quæ impediunt, quo minus in uſum vocari queant, ut ſunt color, ſapor, odor & forma eorum, quæ æger averſatur.

§. CIV.

Formula compoſita debet determinare baſin, adjuvans, corrigens, vel utrumque, & conſtituens. Formula compoſita determinare debet ingredientia medicamenti compoſiti §. XCII. Fac ergo, ingredientia ejuſdem eſſe vel baſin, & ſimul vel adjuvans, vel corrigens, vel utrumque, atque conſtituens, tunc formula compoſita determinare debet vel baſin, & ſimul vel adjuvans, vel corrigens, vel utrumque, atque conſtituens.

§. CV.

Formula compoſita debet determinare ingredientium proportionem. Cum formula compoſita determinet modum, medicamentum ex pluribus uno ingredientibus præparandi §. XXXIV. neceſſario determinare debet ingredientium proportionem. Quomodo enim determinare poſſit modum, medicamentum ex pluribus ingredientibus præparandi, niſi ſimul eorum proportionem determinet, plane concipi nequit.

SECTIO III.

De ſubſcriptione & ſignatura formulæ.

§. CVI.

Specialior pertractatio de ſubſcriptione & ſignatura. MUlta jam, tum de ſubſcriptione, tum de ſignatura, in antecedentibus dicta ſunt, neque ea hic repetere mihi animus eſt, ſed potius ſpecialiorem pertractationem de ſubſcriptione & ſignatura aggredior, ea, quæ circa eas ſunt notanda, comprehendentem.

§. CVII.

Subſcriptio eſt tantum determi- Subſcriptio in formula abſoluta eſt tantum determinatio modi, medicamentum præparandi §. XXII.

natio formæ medicamenti absoluti.

§. XXII. Jam modus medicamentum præparandi abſolvit formam medicamenti abſoluti §. XIII. Ergo ſubſcriptio in formula abſoluta eſt tantum determinatio formæ medicamenti abſoluti.

§. CVIII.

Subſcriptio in formula relativa eſt determinatio formæ medicamenti relativi.

Subſcriptio in formula relativa eſt determinatio modi, medicamentum non ſolum præparandi, ſed illud etiam applicandi §. XXIII. Jam modus, medicamentum non ſolum præparandi, ſed illud etiam applicandi, conſtituit formam medicamenti relativi §. XIII. Ergo ſubſcriptio in formula relativa eſt determinatio formæ medicamenti relativi.

§. CIX.

Corollarium.

Hæc, quæ demonſtravi §. CVII. CVIII. valent tam de formula ſimplici, quam compoſita, ſi ſunt vel abſolutæ, vel relativæ.

§. CX.

Subſcriptio in formula abſoluta debet determinare operationes præparationis.

Cum ſubſcriptio in formula abſoluta ſit determinatio modi, medicamentum præparandi §. XXII. & medicamentum certo modo, quicunque ſit, præparari nequeat, niſi certis operationibus, ſubſcriptio in formula abſoluta determinare debet operationes circa modum præparandi occurrentes.

§. CXI.

De ſignis ſubſcriptionis in formula.

Si formula abſoluta eſt compoſita, ſive conſtat ex pluribus ingredientibus tantum permiſcendis, hoc indicatur per M. quod ſignificat *Miſce*, dein ſubſcribitur plerumque F. quod ſignificat *Fiat*, addito formulæ nomine, v. g. Pulvis, Bolus, Pilulæ, &c. Si vero formula eſt ſimplex, ſive, quod idem eſt, ex uno conſtat ingrediente, omittitur M. quod ſignificat mixtionem ſuſcipiendam, quoniam non adſunt ingredientia commiſcenda. Si tamen præter miſcelam alia inſuper deſideratur operatio, v. g. conſciſſio, tuſio, digeſtio, coctio, ſolutio, &c. hæc quoque eſt deſignanda, & vel ante, vel poſt M ponenda, prout miſcelam vel præcedere, vel ſequi debet. Receptaculi etiam, cui indendum eſt medicamentum, mentio nonnunquam fit, neque minus obturamenti, ſi id facile avolantia, aut aëre liqueſcentia ingrediuntur. Illud exprimitur ſic.: D. ad vitrum, pyxidem &c. quod ſignificat: detur &c.

§. CXII.

Quænam in modo applicandi præcipue ſunt determinanda.

In modo applicandi medicamentum varia determinari poſſunt, inprimis autem ad ea, quæ ſequuntur, eſt reſpiciendum. Nimirum 1) ad eam quantitatem, quæ una vice ſumitur, ſive ad doſin, 2) ad tempus, quo eſt applicandum, 3) ad vehiculum, 4) ad regimen, ante, ſub & poſt remedii applicationem obſervandum, 5) ad partem, cui eſt applicandum, 6) ad inſtrumentum, cum quo eſt applicandum.

§. CXIII.

Quid in ſubſcriptione formulæ relativæ ſit determinandum.

Subſcriptio in formula relativa determinat modum applicandi medicamentum §. XXII. Jam in modo applicandi medicamentum varia occurrunt, quæ determinari poſſunt, inprimis vero determinanda ſunt 1) doſis medicamenti applicandi, 2) tempus, quo eſt applicandum, 3) vehiculum, quocum eſt ſumendum, 4) regimen, ante, ſub & poſt applicationem medicamenti obſervandum, 5) pars, cui eſt applicandum, 6) inſtrumentum, cum quo eſt applicandum §. CXII. Ergo ſubſcriptio in formula relativa ea, quæ modo dixi, determinare debet.

§. CXIV.

Scholion.

In ſubſcriptione formulæ relativæ non in genere determinari poteſt modus applicandi medicamentum una cum iis, quæ in iſto occurrunt, in caſu ſingulari, quoniam ille pro circumſtantiarum in eo accedentium, quæ variæ & infinitæ ſunt, ratione admodum variat. Sic ſæpius neceſſe eſt, ut ſubſcriptio in formula relativa deſignet vehiculum, cum contra in alio caſu vehiculi determinatione non opus ſit.

§. CXV.

De diviſione medicamenti in ſuas doſes.

Si medicamentum compoſitum in ſuas doſes eſt dividendum, interdum expedit, Pharmacopœum ſedulo monere, ut doſes ſingulas exactiſſime faciat æquales. Sæpe enim, ut tempori & operæ parcat, ad oculum tantum partitionem inſtituit.

§. CXVI.

De determinatione uſus medicamenti reſpectu temporis.

Multi Medici, neſcio qua ridicula opinione capti, in determinando medicamenti uſu, de tempore eligendo nimis ſunt ſolliciti, ita, ut ſigna cœleſtia ſiderumque conſtellationes conſulant, illudque ex his determinent, ſed quis non videt, ejuſmodi homines ſuperſtitione eſſe captos. Meus interea, dum has ſcrupuloſas temporum determinationes, ex aſtrologicis obſervationibus extortas, rejicio, animus eo non redit, ut in determinando uſu medicamenti nullam plane temporis habendam eſſe rationem putem: Haudquaquam; ſed potius affirmo, tale tempus eſſe ad uſum medicamenti eligendum, quod præ aliis maxime aptum eſt & accommodatum, ut medicamentum effectum ſuum ſanitati proficuum optime exſerere poſſit. Sæpiſſime in praxi occurrunt caſus, in quibus maxime ad hanc regulam eſt attendendum. Sic plerumque matutino tempore, quo ventriculus vacuus eſt, dantur vomitoria, purgantia, laxantia, ſudorifera, &c. & in febribus intermittentibus tempus ante vel poſt paroxyſmum eligitur, quo medicamenta, horum morborum curationi accommodata, applicare jubet Medicus.

§. CXVII.

De vehiculo.

Si vehiculo opus eſt, Medicus tale eligere debet, 1) quod medicamenti adhibendi virtutem neque deſtruit, neque imminuit; quod enim ſi non faceret, finem, quem medicamento intendit, vel plane non aſſequeretur, vel ſaltem non tantum, quantum deſiderat; 2) vehiculum medicamento ipſo adhibendo non debet eſſe ingratius, ne majorem, quam hoc, moleſtiam creet ægro; 3) ægro nec noxium, nec ingratum, ſed potius 4) morbi indoli ægrique conditionibus accommodatum ſit neceſſe eſt. Ex his, inprimis ex numero ſecundo patet, cur loco vehiculi gratiora, vel ſaltem conſueta uſurpentur, ut vinum, cereviſia, juſcula, infuſum Thée, Coffée, prunum maceratum, julapia, aqua, vel ſimplex, vel deſtillata, & ſimilia. Notandum tamen eſt, in genere determinari non poſſe, quodnam vehiculum in caſu quovis ſingulari conveniat. Hic etenim eſt omnimode determinatus, adeoque infinitæ eæque variæ in eo occurrunt circumſtantiæ, pro quarum diverſitate

ſitate hoc vel illud eſt adhibendum vehiculum.

§. CXVIII.

De regimine. Regimen ante, ſub & poſt remedii applicationem ut determinetur, ſæpiſſime abſolute eſt neceſſarium, quoniam medicamenti actionem pro ſua indole mutare, & vel augere, vel minuere, vel plane deſtruere poteſt. Quodnam vero regimen in caſu quovis ſingulari conducat, in genere determinari nequit, ſed hoc a diverſitate circumſtantiarum in caſu ſingulari occurrentium dependet. Facile interea patet, easdem, quas de vehiculo dedi §. CXVII. circa regimen itidem eſſe obſervandas, ita, ut 1) medicamenti actionem neque imminuat, neque deſtruat, 2) ægro neque ingratum, ſi ſine ipſius noxa fieri poteſt, ſit, neque 3) ipſi noceat, ſed 4) potius ipſi ejuſque conditionibus ſit accommodatum.

§. CXIX.

De ſignatura. Quid ſignatura ſit, quod illa doceat modum applicandi medicamentum, formamque medicamenti relativi, & pertineat ad formulam relativam, jam demonſtratum fuit §. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. Nunc ſpecialiorem ejus pertractationem aggredior.

§. CXX.

De expreſſione ſignaturæ. Si ſignatura in formula eſt exprimenda, a Medicis receptum eſt, ut illa indigitetur per S, quod ſignificat *Signetur*, atque hoc S poſt ſubſcriptionem ponitur. Apud nos exprimitur illa idiomate vernaculo, & ſolet a pharmacopœo chartulæ inſcribi, illaque medicamenti receptaculo affigi.

§. CXXI.

Quomodo plura ſimilia medicamenta a ſe ſint diſcernenda. Si plura ſimilis formæ remedia eidem ægro ſimul ſint exhibenda, ſingulas per litteras majuſculas A, B, C, &c. vel numeros 1. 2. 3. &c. in fronte vel margine cujuslibet formulæ poſitos, a ſe mutuo diſcerni, hæque ipſæ notæ dein cuivis ſignaturæ poſt literam S adſcribi ſolent. e. g. S. lit. A, vel No. 1. Hoc vero plane non eſt neceſſarium, ſi unum tantum, vel plura, facile a ſe invicem diſtinguenda, medicamenta præſcribuntur.

§. CXXII.

Quando ſignatura titulum medicamenti docere debeat. In ſignatura plerumque medicamenti titulus, ex forma & virtute ejus compoſitus, deſignari ſolet; id quod tunc inprimis eſt neceſſarium, ſi applicanti medicamentum nomen ejus, ſive titulus ſcitu eſt neceſſarius. Signatura enim cum exprimere debeat illud, quod applicanti medicamentum ſcitu eſt neceſſarium §. XXVII. titulum quoque medicamenti, ex forma & virtute ejuſdem compoſitum, ſi applicanti ſcitu eſt neceſſarius, uti frequentius id contingit, deſignare debet.

§. CXXIII.

Exempla de titulo afferuntur. Sat copioſa dantur de titulo medicamenti, ex forma & virtute ejus compoſito, exempla, ita, ut multa cuivis facile in mentem ventura eſſe credam. Sic v. g. hæc nomina: *Purgier-pulver, Brechpulver, Laxiertranck*, ſunt tituli medicamentorum ex forma eorundem & virtute compoſiti.

§. CXXIV.

Quænam in titulo medicamenti vitanda ſint. In deſignando medicamenti titulo evitanda inprimis eſt circulatoria oſtentatio, nimiaque prolixitas, nec ſeſquipedalia & hyperbolica adhibenda ſunt epitheta, ad medicamentum ſummis laudibus extollendum. Riſum hæc movent intelligentibus, ludibrioque exponunt Medicum, quamvis plebem capiant. Tituli: *Hertzverwahrendes Pulver, unvergleichliche Goldtinctur, Solar-und Vitalpulver, reſolvirende und zertheilende, ſchmerzlindernde und luftmachende antiſpaſmodiſche Mixtur*, exemplo inſervire poſſunt, reliquos ut taceam titulos magis ridiculos.

§. CXXV.

Signatura determinet ea, quæ in modo applicandi medicamentum ſunt determinanda. In modo applicandi medicamentum inprimis determinari debet, ſi opus eſt, 1) doſis ejus, 2) tempus, quo eſt applicandum, 3) pars, cui eſt applicandum, 4) vehiculum, 5) regimen, 6) inſtrumentum, quo eſt applicandum §. CXIII. Jam ſignatura, cum doceat modum applicandi medicamentum §. XXVIII. determinare debet ea, quæ in modo applicandi medicamentum ſunt determinanda, hinc etiam ea, quæ inprimis determinari debent, ſi opus eſt, & jam recenſita ſunt.

§. CXXVI.

Scholion. Conſulto dixi, quod, ſi opus ſit, in modo applicandi medicamentum, determinari debeat doſis &c. §. CXXV. quoniam ea, quæ in quovis caſu ſingulari, reſpectu modi applicandi medicamentum, ſunt determinanda, in genere determinari nequeunt. Patet præterea ex §. CXXV. collato cum §. CXIII. ſignaturam cum ſubſcriptione in formula relativa convenire, & ab ea in eo tantum differre, quod lingua exprimi ſoleat vernacula §. CXX.

§. CXXVII.

De doſi in ſignatura. Si doſis in ſignatura eſt exprimenda, hæc per ejuſmodi debet deſignari quantitates, quæ ægro vel adſtantibus cognitæ, nec determinatu difficiles ſunt, ut per cochlearia, cyathos, digitabulum, nucis magnitudinem, guttas, &c. Sic v. g. ſcribi ſolet:

Pulver, davon auf einmal eine Meſſerſpitze voll zu nehmen.

Mixtur, davon auf einmal ein Löffel voll zu nehmen.

Si vero exactiſſima requiratur doſis, hoc pharmacopœi potius induſtriæ eſt committendum, ut hic remedium in ſuas doſes jam diſtributum exhibeat.

§. CXXVIII.

De vehiculo in ſignatura. Vehiculum in ſignatura æque ac doſis germanico ſolet exprimi idiomate, e. g.

Pulver, mit Waſſer zu nehmen.

Magentropfen, ſo gleich nach Tiſche im Wein einzunehmen.

§. CXXIX.

De regimine & tempore in ſignatura. Regimen & tempus, quo medicamentum eſt adhibendum, ſi determinanda ſunt, ita deſignari ſolent, v. g.

Brechpulver, darauf warm Bier, oder Habergrütze zu trincken.

Pulver, dabey der Schweiſs abzuwarten.

Fieberpulver, eine Stunde vor den Paroxyſmo zu nehmen.

Purgierpulver, frühe zu nehmen.

SECTIO IV.

De quantitate medicamentorum.

§. CXXX.

Omne medicamentum habet quantitatem.

OMne, quod exiſtit, determinatam habet quantitatem (*per princ. philoſ.*). Hinc omne medicamentum determinata quantitate gaudeat neceſſe eſt.

§. CXXXI.

Medicamentum abſolutum & relativum habet quantitatem.

Omne medicamentum determinatam habet quantitatem §. CXXX. Jam medicamentum eſt vel abſolutum, vel relativum §. XII. Ergo medicamentum, tam abſolutum, quam relativum, quantitatem habere debet.

§. CXXXII.

Quantitas medicamenti abſoluti, qua talis, eſt indeterminata.

Medicamentum abſolutum eſt, quod ſanitati conducere poteſt, ſed in quo modus applicandi non eſt determinatus §. XII. Quare cum hæc notio nihil contineat, quod rationem determinatæ cujuſdam quantitatis ejus complectatur, quantitas medicamenti abſoluti, qua talis, indeterminata eſt, adeoque, ſi determinari debet, ex rationibus extrinſecis determinanda.

§. CXXXIII.

In medicamento relativo quantitas ejus, quæ ſemel ſumenda, determinata eſſe debet.

In medicamento relativo modus illud applicandi eſt determinatus §. XII. Cum vero medicamentum relativum applicari nequeat, niſi in determinata quantitate, quæ ſemel eſt ſumenda, hæc quantitas etiam ad modum illud applicandi pertinet. Jam modus applicandi in medicamento relativo eſt determinatus §. cit. Ergo in medicamento relativo, qua tali, quantitas ejus, quæ ſemel, ſeu una vice eſt ſumenda, determinata eſſe debet.

§. CXXXIV.

Definitio doſeos & ejuſdem molis.

Quantitas medicamenti relativi, quæ una vice ſumenda eſt, *doſis* ejuſdem vocatur, quantitas vero doſis appellatur *moles doſis.*

§. CXXXV.

In medicamento relativo doſis ejus determinata eſſe debet.

In medicamento relativo quantitas ejus, quæ una vice eſt ſumenda, determinata eſſe debet §. CXXXIII. Jam quantitas medicamenti relativi, quæ una vice ſumenda eſt, dicitur doſis §. CXXXIV. Ergo in medicamento relativo doſis ejuſdem determinari debet.

§. CXXXVI.

Quo reſpectu quantitas medicamento relativo competat.

Doſis eſt quantitas medicamenti relativi, quæ una vice eſt ſumenda §. CXXXIV. adeoque eſt quantitas medicamenti relativi, quæ in eo in relatione ad modum applicandi concipitur. Sed cum omne medicamentum, & abſolutum quoque, quantitate gaudeat §. CXXX. CXXXI. medicamentum relativum, qua medicamentum in genere, quantitatem habere debet. Quapropter quantitas medicamento relativo duplici reſpectu competit, vel in relatione ad modum applicandi, vel non.

§. CXXXVII.

Definitio quantitatis generalis & ſpecialis.

Illa quantitas, quæ medicamento in relatione ad modum applicandi competit, dicitur quantitas ſpecialis, hæc vero, quæ ipſi non competit in relatione ad modum applicandi, quantitas generalis.

§. CXXXVIII.

Quantitas medicamenti relativi ſpecialis eſt doſis ejus.

Quantitas ſpecialis medicamenti relativi eſt illa quantitas, quæ medicamento relativo in relatione ad modum applicandi competit §. CXXXVII. Jam illa quantitas, quæ medicamento relativo in relatione ad modum applicandi competit, eſt quantitas medicamenti relativi, quæ una vice eſt ſumenda §. CXXXIII. & hæc dicitur doſis §. CXXXIV. Ergo quantitas ſpecialis medicamenti relativi eſt doſis ejuſdem.

§. CXXXIX.

Quantitas medicamenti abſoluti eſt generalis.

Quantitas medicamenti abſoluti eſt indeterminata §. CXXXII. adeoque ipſi non competit in relatione ad modum applicandi. Jam illa quantitas, quæ medicamento non competit in relatione ad modum applicandi, dicitur quantitas generalis §. CXXXVII. Ergo quantitas medicamenti abſoluti eſt quantitas generalis.

§. CXL.

Quænam in doſi ſpectanda veniant.

Quantitas ſpecialis medicamenti relativi eſt doſis ejuſdem §. CXXXVIII. In hac duo ſpectanda veniunt, nimirum 1) ipſius quantitas, 2) numerus, quoties eſt applicanda. Jam illa dicitur moles doſis §. CXXXIV. Ergo circa doſin numerus & moles ejus ſpectanda veniunt.

§. CXLI.

Ex quibus moles doſis determinatur.

Molem doſis determinant variæ conditiones, vel circa medicamentum adhibendum, vel ſubjectum, cui applicandum eſt medicamentum, occurrentes. Hæ Medico probe ſunt ponderandæ, ne exceſſu vel defectu peccans, remedio etiam apte ſelecto, aut noceat, aut finem, quem intendit, vel plane non, vel ſaltem non tantum aſſequatur, quantum deſiderat.

§. CXLII.

Doſes medicamentorum eſſe debent proportionatæ viribus corporis.

Moles doſium debent eſſe proportionatæ viribus corporis humani; ſeu uti ſunt vires corporum humanorum, ita quoque debent eſſe moles doſium, ſive vires medicamentorum. Quomodocunque enim operentur medicamenta, in vires corporis ſemper agunt. Major ergo moles doſis, quam vires corporis admittunt, corpus lædit, & ſi minor doſis moles eſt, quam vires corporis requirunt, vis medicamenti non ſufficit ad operationem, quæ deſideratur, edendam, quoniam illa a corporis viribus enervatur.

§. CXLIII.

De incremento & decremento virium.

Vires corporis humani per omnem ætatem non eandem habent quantitatem, ſed pro hujus diverſitate ſunt vel majores, vel minores. A primo conceptionis puncto, quo vivere incipit tenellus embryo, & poſt nativitatem, ejus vires ſemper creſcunt, uſque dum ad vigorem, ſeu conſtantem ætatem, pervenerit; tunc aliquamdiu ſubſiſtunt, poſtea vero accedente ſenio, decreſcunt. Deinde notamus & illud, vires & robur corporis, quo propius eſt ortui, eo velocius creſcere, & poſt conſiſtentem ætatem paulatim decreſcere. Quæ cum ita ſint, iſtum virium progreſſum nobis poſſumus concipere tanquam compoſitum ex incremento & decremento, ita, ut vires creſcant & decreſcant, ea tamen

tamen conditione, ut a primo ortu velocius, deinceps vero tardius paulatim creſcant, & contra a primo ortu tardius, deinceps paulatim velocius decreſcant.

§. CXLIV.

Quomodo doſes ætatibus accommodandæ ſint.

Cum moles doſium debeant eſſe ut vires corporum humanorum §. CXLII. moles doſium, ſi ætatibus ſunt accommodandæ, debent eandem, quam vires ſervant, progreſſionem ſervare. Non vero licet doſes aſſumere in ratione annorum ætatis, quoniam vires initio velocius creſcunt, deinde tardius, poſt conſiſtunt, denique decreſcunt §. CXLIII. anni autem ætatis æquabiliter ſemper creſcunt.

§. CXLV.

Scholion.

Hæc, quæ de incremento & decremento virium, ratione ætatis, dixi §. CXLIII. ſunt intelligenda de corporis ſtatu naturali. Cum vero multæ eæque variæ, quamdiu corpus humanum vivit, in id agant cauſæ, quæ vires ejus certæ ætati naturaliter proprias mutent, easque vel augeant, vel imminuant, patet, vires corporis humani viventis, ſi præternaturales cauſæ in id agunt, reſpectu ætatis non eandem, quam deſcripſi §. CXLIII. proportionem ſervare. Sic e. g. corpus hominis, in quo puero vires ſolita proportione creverunt, poteſt, poſtquam juvenis factus eſt, a variis cauſis præternaturalibus ita mutari, ut vires in proportione ætati juvenili naturaliter propria non amplius creſcant.

§. CXLVI.

Scholion.

Ex his, quæ §. CXLV. dixi, cuius facile erit judicatu, quid ſentiendum ſit de *Domini Doctoris* Theodori Balthasaris, Medici matheſeos perfecte gnari, inventione, qua lineæ curvæ beneficio moles doſium cuivis ætati proprias determinavit, & quæ in ejuſdem *diatribe de doſibus medicamentorum*, §. CCCCXLIV. reperitur. Hic conſiderans ea, quæ de proportione, qua vires corporis reſpectu ætatis creſcunt & decreſcunt, dicta ſunt §. CXLIII. invenit exinde algebræ ope curvam, per cujus abſciſſas ætates, per applicatas vero vires corporis vel, quod perinde eſt, doſes medicamentorum exponuntur, & quæ eam habet proprietatem, ut applicatæ creſcant, & quidem initio velocius, deinde tardius, poſt maximam vero applicatam paulatim iterum decreſcant, dum interim abſciſſæ progreſſionem numerorum naturalem ſervant. Sed, ſi meum hac de re ferre licet judicium, non poſſum non confiteri, ea, quæ Vir modo laudatus de determinanda mole doſium reſpectu ætatum protulit, non conſtanter obtinere, & multis obnoxia eſſe exceptionibus. Ille igitur nec ſatis prudenter, nec ſatis ſollicite ageret, qui doſin medicamenti cujuſdam, pro individuo in certa ætate conſtituto, tantummodo ex linea curva Balthasaris determinare vellet, nulla reliquarum circa individuum occurrentium circumſtantiarum ratione habita; quemadmodum etiam ille inique ageret, qui determinationem doſium reſpectu ætatis plane rejicere, eamque in praxi inutilem declarare vellet. Multis rationibus ejus utilitatem in praxi comprobare poſſem, ſed ſufficiant teſtimonia Medicorum artis exercitio magnam famam conſecutorum, ut celeberrimi Gaubii & Junckeri. Ille in libello ſuo, de *methodo concinnandi formulas medicamentorum* §. LXIV. γ. inquit: *in determinanda mole doſeos ætatis ratio habenda eſt*; hic autem in *conſpectu formularum medicarum* p. 4. doſeos molem pro ætatis ratione determinavit. Pone itaque, doſin efficacem eſſe pro homine

conſiſtentis ætatis		1	vel Drachm. I.
ſic erunt pro ann.	XIV - XXI	$\frac{2}{3}$	vel Scrup. ij.
	VII - XIV	$\frac{1}{2}$	vel Drachm. ß.
	IV - VII	$\frac{1}{3}$	vel Scrup. j.
	IV — —	$\frac{1}{4}$	vel Gran. XV.
	III — —	$\frac{1}{6}$	vel Scrup. ß.
	II — —	$\frac{1}{8}$	vel Gran. VIII.
	I — —	$\frac{1}{12}$	vel Gran. V.

§. CXLVII.

Moles doſeos determinatur ex diſpoſitione ſingulari aſſumentis.

Porro in determinanda doſeos mole reſpiciendum eſt ad diſpoſitionem ægri vel adhibentis ſingularem primario morbo complicatam. Eſt autem naturalis, vel præternaturalis, vel temporaria, vel perpetua, & a conformatione, habitu corporis, ſexu, morbis prægreſſis aliiſque cauſis dependet. Sic nauſea juvat & promovet vomitum, ideoque nauſeabundi, & quibus alias familiares ſunt vomitiones, exigua emeticorum doſi ad vomendum irritantur. Si adſit diſpoſitio ad diarrhœam, vel alvi lubricitas, ea ipſa quoque promovet medicamentorum purgantium operationem. Quando adeſt diatheſis ad ſudorem, ſudorifera validius agunt, quam alias, ubi talis diſpoſitio abeſt. Sicubi adfuerit propenſio ad ſomnum, opiata, papaverina & alia hypnotica, parca doſi exhibita, ſomnum facilius inducunt.

§. CXLVIII.

Moles doſis ad idioſyncraſiam eſt accommodanda.

Ad idioſyncraſiam inſuper adhibentis in determinanda doſis mole eſt attendendum, qua efficitur, ut in aliquibus quædam medicamenta neutiquam illum effectum edant, quem alias ordinarie edere ſolent. Sic reperiuntur, qui pharmacis vomitoriis & purgantibus, etiamſi validiora ſint, vel parum vel plane non moventur; cum contra alios eorum adſpectus vel odor moveat. Hic vero caute eſt procedendum. Nec enim utile eſt, nec prudenter actum, eo uſque augere doſin, quouſque ea ad vincendam reſiſtentiam ſufficere putatur, ſed res potius majori cum cautione & feliciori ſucceſſu, ſtimulorum ſalinorum additamento, expediri poteſt.

§. CXLIX.

Conſuetudo variat molem doſis.

Conſuetudo pariter hic locum habet; quum eorum, quibus natura adſuevit, doſis major plerumque lenius agat, quam minor inſuetorum. Sic qui opium ſæpius in uſum vocant, ſenſim ſenſimque majorem ejus doſin ferre diſcunt, atque idem Nicotianæ uſus exemplo ubivis obvio commonſtrat.

§. CL.

Molis & temperamenti corporis in determinanda doſi ratio eſt habenda.

Moles pariter corporis, licet viribus non ſemper ſit proportionata, doſeos molem nonnunquam variat. Temperamentum etiam hic limites figit. Cholericus ab eadem medicamenti, quod fortius agit, doſi, quæ phlegmaticum vel melancholicum parum movet, longe majores, quam horum alteruter, experitur effectus. Des enim cholerico, phlegmatico, vel melancholico, eandem purgantis vel vomitorii quantitatem, & gradu diverſos ſecuturos eſſe effectus depre-

deprehendes. Humectantium, refrigerantium, relaxantium majorem plerumque doſin facile ferunt cholerici & melancholici; læduntur a minore etiam quantitate contrariorum, quæ tamen, majore licet doſi applicata, phlegmaticis utplurimum bene conducunt.

§. CLI.

Sexus & victus in determinanda mole doſeos ſunt conſiderandi.

Sexus item huc facit. Fœminarum conſtitutio, quæ virorum ſtructura tenerior eſt, doſin poſtulat minorem, quin delicatulæ paulo majorem nonnunquam reſpuunt medicamenti quantitatem, ſi vel maxime neceſſaria ſit. Nec vitæ genus plane eſt prætereundum, utpote quod varias corporibus inducit habitudines, medicamentorum doſin vel majorem, vel minorem exigentes. Sic victus durus, diu continuatus, ceteris paribus ita mutat corpora, ut longe facilius majores medicamentorum vehementius operantium doſes ferant, quam illa, quæ victu molli utuntur.

§. CLII.

Clima determinat molem doſeos.

Nationes in certo climate habitantes reſpectu doſeos, medicamentorum peculiare quidpiam ſibi vindicant. Incolæ regionum ſeptentrionalium, ut Ruſſi, Sueci, Dani, Norwegi, a medicamentis fortioris operationis difficilius moventur. Exemplo ſunt purgantia, vomitoria, aliaque, quæ, ſi debitum exſerere debent effectum, his gentibus majori doſi, quam noſtratibus, ſunt propinanda. In hujus phænomeni cauſam, cum ſpatii anguſtia non permittat, nec inquiram, nec plura hac de re proferre neceſſarium exiſtimo, cum ea ſolidiſſime pertractata inveniantur in Diſſertatione *Illuſtris Domini* BUCHNERI, *de differentiis naturarum reſpectu climatum.*

§. CLIII.

Anni tempus variat doſin medicamentorum.

Neque minus anni tempus in determinanda medicamentorum doſi eſt ſpectandum. Ardentior enim Sirius, ſæviens gelu, aura temperatior, corpora majori vel minori medicamentorum doſi ut moveantur, ſuadent.

§. CLIV.

Scholion.

Ex iis, quæ hactenus dixi, ſatis ſuperque apparet, permulta & varia eſſe, ad quæ in determinanda medicamentorum doſi eſt reſpiciendum. Equidem non omnia omnino huc pertinentia me attigiſſe & ſcio & lubens confiteor, ſed ſpero, neminem a me deſideraturum eſſe, ut ad unam omnes circumſtantias, quarum in determinanda medicamentorum doſi ratio habenda eſt, hic allegem, nec hoc facere poſſum, cum plura ſuperſint magis neceſſaria a me pertractanda. Sufficiat, me attigiſſe præcipuas & ſæpiſſime occurrentes, ex quibus doſis medicamentorum eſt determinanda, conditiones, & adhuc reliquas non levioris momenti eſſe contemplaturum.

§. CLV.

Medicus noſſe debet doſes efficaces medicamentorum.

Si quis medicamentorum virtutem ad conditiones, quæ in determinanda doſium mole obſervandæ, & in antecedentibus prolatæ ſunt, comparat, deprehendet, varias eaſque novas iterum occurrere circumſtantias, doſin medicamentorum vario modo determinantes, ad quas eſt reſpiciendum. Qua de re Medicus, ex arte formulam præſcripturus, uſitatiorum quorumvis medicamentorum, generoſiorum inprimis, doſes efficaces, per experientiam legitime ſtabilitas, harumque gradus exacte cognitos & perſpectos habeat neceſſe eſt. Quod enim ſi ignorat Medicus, quomodo in caſu quodam ſingulari doſin medicamenti determinare poſſit, concipi plane nequit. Si qua autem nova, non dum rite explorata, uſurpare ipſi placuerit, illis ſumma cum prudentia utatur, ne famæ incurrat periculum, hinc ſolito minori doſi experimentum capiat, eamque, animadverſa ejus inertia, circumſpecte deinde augeat.

§. CLVI.

Pretium, ſpecifica levitas & injucunditas medicamenti doſin ejus determinat.

Interdum pretium medicamenti, quod ceteris paribus non adeo magnæ efficaciæ eſt, doſin majorem, quæ adhiberi poſſet, non permittit. Margaritæ, gemmæ, lapis porci, bezoar, &c. exemplo hic inſervire poſſunt. Specifica etiam levitas medicamenti adhibendi, quod in majore tantum doſi adhibitum effectum edit deſideratum, de doſi ordinaria detrahit, ne ejus moles nimia ſimul ingerenda nauſeam producat. Neque minus medicamenti adhibendi injucunditas, ratione odoris, ſaporis, vel alterius qualitatis, parciorem ejus doſin poſtulat, uti id uſus aſæ fœtidæ, caſtorei, pinguium aliorumque docent. Suppono hic utique circumſtantias, quæ requirunt, ut medicamenta modo dicta in ea uſurpentur forma, qua eorum injucundæ qualitates non ex parte ſaltem corrigi, ſed penitus ſentiri poſſunt.

§. CLVII.

Applicatio medicamentorum determinat eorum doſin.

Prout idem medicamentum vel externe, vel interne applicatur, pro eo etiam ejus doſis determinatur. Nec deerunt hæc cogitantibus exempla illud probantia. Mihi in mentem incidunt camphora, crocus, flores ſulphuris, balſamus de Copaiva, Peruvianus, Hoffmanni, aliuſque liquidus, uſui tam interno quam externo aptus, oleum terebinthinæ, eſſentia myrrhæ, ſuccini, maſtiches, balſami Peruviani. Hæc omnia, ſuppoſita reſpectu quorundam parte, in quam agunt, minus ſenſili, ſi debita cum cautione externe applicantur, majorem admittunt doſin, quam ſi interne adhibentur. Quid? quod eadem medicamenta, ea præſertim, quæ calidæ, ſpirituoſæ ac efficacioris indolis ſunt, ſi ad diverſas corporis partes externas ſunt applicanda, inæqualem expoſcunt doſin, minorem, ſi pars, cui ſunt applicanda, magna gaudet ſenſatione, majorem, ſi minus eſt ſenſilis. Nec parum intereſt diſcriminis, utrum laxans, quod aptum eſſe ſuppono, ut tam ore aſſumi, quam clyſteris ope corpori ingeri queat, ore hauriatur, an clyſtere injiciatur.

§. CLVIII.

Pertractationis de doſibus ſpecialis ratio.

Cum Medicus efficaces uſitatorum, generoſiorum inprimis medicamentorum doſes, per experientiam legitime ſtabilitas, noſſe debeat, ſi formulam ex arte præſcribere vult §. CLV. me non inutilem laborem ſuſceptururn eſſe, quilibet facile judicare poteſt, ſi medicamentorum, quæ frequenter adhibentur, & eorum etiam, quæ dicuntur heroica, ſive generoſiora, doſes efficaces ordinarias, ſecundum *illuſtris* HOFFMANNI, Præceptoris mei pie defuncti, cujus adhuc cineres veneror, obſervationes ea, qua ab illo percepi, ſinceritate hic tradam. Nec deſtituor rationibus meum propoſitum approbantibus, meque determinantibus, cur id hoc potius, nec alio modo proſequar. Partim enim id eam ob

cauſam

cauſam feci, quoniam doſis medicamentorum ex experientia & obſervationibus eſt determinanda, & *illuſtris b. m.* Hoffmannus ex longo, qui ipſi fuit in praxi medica, uſu, amplam ſibi comparavit experientiam, ac permultas obſervationes, partim vero, ne lectores medicamentorum uſitatorum & generoſiorum doſes alibi fruſtra quærant, vel ſaltem non ſatis accurate per experientiam ſtabilitas.

§. CLIX.

De medicamentis heroicis. Per heroica, ſive generoſiora medicamenta, intelliguntur illa, quæ in minori doſi adhibita, magnum edunt effectum, atque ad hæc a Medicis referuntur purgantia draſtica, emetica, opiata, narcotica, ex mercurio præparata, & alia.

§. CLX.

De doſi emeticorum. Doſis emeticorum

I. Regni vegetabilis, in quo occurrunt radices

1) aſari, cujus pulvis robuſtiori corpori non dari debet ultra ʒj. ſed ſæpius dimidia ſufficit.
2) hellebori albi, cujus extractum propinatur ad ℈j.
3) ipecacuanhæ, quæ datur in pulvere a granis XV. ad ℈j - ʒß - ʒj.
4) ſquillæ, cujus oxymel ab uncia una pro infantibus præſcribitur.

II. Regni mineralis

a) *ex antimonio.*

1) *tartari emetici ex croco metallorum præparati*, qui in pulvere ab octava grani parte ad 1. 2. 3. 4. grana datur. Infans ab hujus tartari emetici grani unius parte quarta moveri poteſt. Ille vero tartarus emeticus, qui ex vitro antimonii præparatur, propter vehementem operationem non amplius nunc uſurpatur. Hujus enim granum unum æque vehementer agit, ac grana duo vel tria tartari emetici ex croco metallorum confecti.
2) *reguli antimonii medicinalis* a granis VI ad ℈ß vel ℈j.
3) *ſulphuris antimonii aurati* a granis II ad VI.
4) *aquæ benedictæ Rulandi* ℥ß - ℥j.
5) *oxyſacchari emetici Angeli Salæ* ʒij - ℥ß.
6) *oxyſacchari emetici Ludovici* ʒij - ℥ß.
7) *ſapæ vomitoriæ Sylvii* ʒj - ℥ß.
8) *vitri antimonii* a granis ij ad IV uſque.
9) *croci metallorum* a granis ij ad VI.
10) *mercurii vitæ* grana ij - iij.
11) *infuſorum antimoniatorum quorumcunque* ℥j. Notandum vero, quod vitrum antimonii, crocus metallorum, mercurius vitæ, ob vehementem, quam edunt, emeticam operationem, plane non exhibeantur a Medicis prudentibus, & quod tutius ſit, ab illorum uſu plane abſtinere. Videatur *Illuſtris b. m.* Hoffmannus *in Med. Syſtemat. Tom. III. Sect. II. cap. V.*

b) *Ex mercurio.*

1) *turpethi mineralis* gr. ij.
2) *auri vitæ Kepleri* pauca grana. Sed hæc ex mercurio præparata vomitoria minus tuta ſunt & ſecura, ideoque ab eorum uſu abſtinent Medici prudentes.

§. CLXI.

De doſi purgantium draſticorum. Doſis purgantium draſticorum

1) *bryoniæ* ʒj - ʒij. infuſi ℥ij. ſucci ℥j.
2) *carthami ſeminis* ʒj - ʒij.
3) *cataputiæ* grana VI.
4) *colocynthidis* ℈ß. extracti ejus grana IV - VI.
5) *elaterii nigri* grana XXV. *albi* gr. j - ij.
6) *ellebori nigri* grana iij - IV extracti ejus gr. V.
7) *eſulæ extracti* grana ij - iij.
8) *gratiolæ herbæ* infuſi ℥ß. In ſubſtantia datur, teſte *Excellentiſſimo b. m.* Schulzio, in *theſibus ſuis de materia medica* p. 158. a ℈j. ad ʒj.
9) *gummi guttæ* a granis V ad XII. Sed poſterior doſis eſt maxima & quadrat pro hydropicis, alias grana VI ſufficiunt.
10) *jalappæ reſinoſæ* radicis ℈j - ℈ij. reſinæ ejus gr. ij - IV.
11) *iridis Florentinæ* ℈ß. Grana ij - IV ſufficiunt pro infantibus.
12) *iridis noſtratis* ʒj. infantibus gr. ij - iij.
13) *mechoacannæ* ℈j - ʒj.
14) *ſoldanellæ* grana XV - ℈j. *Excellentiſſimus* vero *b. m.* Schulzius *in theſibus ſuis de materia medica* p. 109. aſſerit: dari pulverem *ſoldanellæ* ad ʒj. eamque pro decocto ad manipulum unum vel unciam unam præſcribi.
15) *ſcammonei* grana XV - ℈j. reſinæ ejus grana ij - IV.
16) *turpethi vegetabilis* ʒß. reſinæ ejus ℈ß - gr. XV.
17) *diagrydii ſulphurati* grana IV - ℈ß.
18) *auri fulminantis* gran. j - VI.
19) *trochiſcorum alhandal* gr. ij - iij.

§. CLXII.

De doſi laxantium. Laxantium doſis largior eſſe poteſt. Manna ad tres uncias dari poteſt; tamarindi in decocto ad uncias duas, immo tres; agaricus in infuſo ad drachmam unam & dimidiam; rhabarbarum in pulvere a drachma una uſque ad drachmam unam & dimidiam, in infuſo ad unciam dimidiam; folia ſennæ, quæ raro ſub pulveris forma adhibentur, in infuſo a drachmis duabus uſque ad unciam dimidiam propinantur. Extractum aloës pro doſi ultra ſcrupulum dimidium non eſt exhibendum, ob vehementem, quem in humoribus, plethoricorum præſertim, concitare ſolet, orgaſmum, & ſalia neutra, ut tartarus vitriolatus, cremor tartari, ſal gemmæ, Anglicanum, Ebshamenſe, Egranum, Sedlicenſe, Carolinenſe, digeſtivum Sylvii, arcanum duplicatum, borax Veneta, magneſia, &c. ſi laxandi vel purgandi fine ſunt adhibenda, uſque ad unciam unam præſcribi poſſunt, dummodo ſufficiente aquæ quantitate diluta fuerint.

§. CLXIII.

De doſi ſudoriferorum. Inter ſudorifera indolis efficacioris, quæ frequentius uſurpantur, eminent ſpiritus & ſalia volatilia ex partibus animantium parata, ut ſpiritus cornu cervi ſimplex, ſuccinatus, eboris, bezoardicus Buſſii. Qui ſi probe præparati fuerint, ſufficiunt pro doſi guttæ quadraginta. Salia vero volatilia animantium ſudorifera, quorum

præcipua & uſitatiora ſunt, ſal volatile cornu cervi & ſal volatile oleoſum Sylvii, longe minorem, ſi uſurpanda ſunt, exigunt doſin. Decem enim grana eorum, vel ſcrupulus unus pro doſi, valde movent ſudorem, ſi cum regimine dentur. Oleum cornu cervi, vel oleum tartari fœtidum, potentia ſunt ſudorifera, ſi ſolvantur in ſpiritu vini, ita, ut pro doſi guttæ tres vel duæ ſufficiant. Tincturæ ſic dictæ alexipharmacæ & bezoardicæ pro doſi ad guttas quinquaginta porriguntur.

§. CLXIV.

De doſi diureticorum.

Quod attinet ad diuretica iiſque ratione doſis utendi modum, hæc multum variat, prout nempe efficacia differunt, & vel mitiora, vel vehementiora in uſum vocantur. Ad vehementiora pertinent inprimis cantharides & millepedes, quæ ſalutarem exſerunt, in hydrope inprimis & anaſarca, efficaciam, eorumque pulveres ultra grana duodecim exhiberi non ſolent. Tinctura antimonii acris ſat fortiter etiam urinam movet, ſufficitque eam pro doſi a guttis quadraginta ad quinquaginta, cum ſufficienti liquido, dare. Varia ex lapidibus & conchyliis uſta, validam quoque urinam pellendi facultatem & acrimoniam poſſident, atque ideo non larga doſi præſcribuntur. Sumuntur commode de his grana decem cum vehiculo aqueo demulcente, ut ſero lactis, quod omnium optimum hoc fine eſt vehiculum. Neque minus oleum deſtillatum juniperi, terebinthinæ, balſami ſulphuris, ut balſamus ſulphuris terebinthinatus, juniperatus, fortiter movent urinam, & de his guttæ decem pro una vice ſufficiunt. Tinctura tartari, eſſentia pimpinellæ albæ & ſuccini, liquor terræ foliatæ tartari, quæ uſitatiora ſunt diuretica, ſi ſub guttarum forma ſunt adhibenda, pro doſi dantur a guttis triginta ad quadraginta, immo ultra.

§. CLXV.

De doſi ſalium.

Salia media, præter ſtimulum, quem in partibus ſolidis efficiunt, & effectus exinde provenientes, qui in vegetiori eorum actione, motus humorum, ſecretionum & excretionum augmento, conſiſtunt, fluida viſcida & ſpiſſa reſolvunt atque abſtergunt, unde ſumma eorum abunde patet utilitas. Diverſo adhiberi poſſunt ſcopo, & pro eo etiam eorum doſis variat. Si finis eſt alvum aperiendi, ab uncia dimidia uſque ad unam adhiberi poſſunt, alias pro doſi drachma dimidia vel una ſufficit, immo minor interdum quantitas pro una vice ſumenda requiritur, ſi ſubjecta ſenſibilia ſunt & ſpaſmis obnoxia. Ad ſalia inprimis alcalina fixa, ex vegetabilibus per incinerationem parata, quod attinet, ad alterandos humores in primis viis majori vel minori dantur doſi. Si acidorum in primis viis adeſt abundantia, ut in hypochondriacis, melancholicis, iiſque, qui victu utuntur acido, ea majori quantitate, ut a drachma dimidia ad unam, immo ultra, pro accidentium differentia, aſſumere licet. Si vero ventriculus magna præditus eſt ſenſatione, biliſque juſto majori in primis viis hæret copia, minori potius quantitate, ut a granis ſex uſque ad duodecim, præſcribi debent. Si viſcera laxa & debilia ſunt ac obſtructionibus obſeſſa, ut in cachexia, chloroſi, leucophlegmatia, hydrope ejusque ſpecie anaſarca, aliiſque morbis, majori etiam quantitate & repetitis vicibus adhiberi poſſunt.

§. CLXVI.

De doſi nitri.

Nitri vis refrigerans, attenuans, & excretiones per alvum & urinam promovens, ſpaſmos ſanguiniſque commotiones orgaſticas ſedans, ſatis nota eſt, ideoque ulteriori hic non eget probatione. Si itaque nitrum ſine alvum aperiendi & urinam pellendi præſcribitur, largior ejus poteſt eſſe doſis, quæ tamen ultra drachmam dimidiam non eſt extendenda. Alias refrigerandi ſcopo grana decem, cum aliis aptis remediis mixta, ſufficiunt, ſed opus eſt continuatione ejuſmodi remedii.

§. CLXVII.

De doſi ſpirituum acidorum mineralium.

Quod attinet ad ſpiritus acidos minerales dulcificatos, ut ſpiritum vitrioli, ſalis communis & nitri dulcem, fructu ſuo non deſtituuntur, dum appetitum ciborumque digeſtionem promovent, ſpaſmos demulcent, quem effectum inprimis ſpiritus nitri dulcis edit, atque æſtum temperat. A guttis quadraginta uſque ad ſexaginta poſſunt exhiberi.

§. CLXVIII.

De doſi hypnoticorum & narticorum.

Pervenio nunc ad hypnotica & narcotica, inter quæ opium, & ea quæ ex opio præparantur, primas tenent. Horum doſis caute eſt determinanda, ne plus damni, quam emolumenti afferant. In iis, in quibus vires languent, præſtat penitus ab iis abſtinere. Si vero neceſſitas urget, ut motus & excretiones nimis auctæ compeſcantur, dolores ſedentur, ſomnuſque ac placida quies inferatur, opii probe depurati doſis granum dimidium & ad ſummum unum transgredi non debet. Neque laudana opiata, inprimis valde inſpiſſata, ultra grana quatuor propinare licet, ſed præſtat ſemper minorem, quam hanc, præſcribere quantitatem, quamvis de laudano liquido Sydenhami guttæ decem ad viginti & viginti quinque, una vice propinentur. Rarius opium ſolum, ſed tutius correctum uſurpatur. Corrigitur vero, uti facile eſt collectu, cum virtus ejus in ſiſtendo motus & ſenſationes conſiſtat, per ea, quæ contrariam poſſident virtutem, hoc eſt, quæ virtute gaudent motus & ſenſationes augendi, qualia ſunt analeptica, & inter hæc præcipue balſamica, purgantia, emetica, diuretica, alexipharmaca & ſudorifera. Sic opium in *theriaca Andromachi*, *cœleſti*, *mithridatio*, *electuario diaſcordio Fracaſtorii*, corrigitur additamento balſamicorum, ſic dictorum alexipharmacorum, & carminativorum, *in pilulis Starckeyanis polychreſtis* per purgantia & diuretica, *in pilulis Wildeganſii* per emetica & balſamica, *in pilulis de cynogloſſa* per aromatica.

§. CLXIX.

Continuatio de doſi opiatorum.

Pilulæ Wildeganſii numero tres, quatuor, vel quinque, pro doſi ſufficiunt, & *Starckeyanæ* identidem ad grana octo vel decem uſurpantur. *Electuarium diaſcordium Fracaſtorii*, *mithridatium*, *theriacam Andromachi*, ad drachmam dimidiam, immo & paulo ultra in robuſtioribus licet offerre. Mitiora vero anodyna, qualia ſunt ea, quæ ex papavere albo & nigro parantur, liberaliori adhibentur quantitate. Sic ſemen papaveris albi & nigri in emulſionibus a drachma una ad duas pro doſi exhibere licet. Crocus, qui etiam virtute anodyna & ſopiente gaudet, atque in pectoris affectibus non contemnendam præſtat utilitatem, in pulvere ad grana ſex & octo dari poteſt, in extracto a tribus granis uſque ad

ad quatuor. *Pilularum de ſtyrace*, ad tuſſim ſedandam aliaſque catarrhales moleſtias curandas, *de cynogloſſa* ad moderandas nimias ſanguinis fluxiones, uſus noſtro tempore eſt crebrior, ſed earum etiam doſin moderari convenit. *Maſſa* enim *pilularum de cynogloſſa*, præter opium, ſemen etiam hyoſcyami, narcoticæ virtutis, complectitur, hinc eas rarius & non niſi ad grana duo vel tria pro una doſi præſcribere convenit; ſciendum tamen, alios eas ad ſcrupulum dimidium propinare. Idem ſentiendum eſt de pilulis de ſtyrace. Sunt enim itidem valde opiatæ, ita ut in quolibet ſcrupulo duo grana opii contineantur, quare ultra dimidium ſcrupulum progredi non licet.

§. CLXX.

De doſi roborantium. Inter roborantia maxime eminent cortex chinæ, caſcarillæ, & quæ ex ferro præparantur, & neminem fore dubito, qui non neceſſarium exiſtimet, ut conveniens eorum doſis quoque determinetur, præſertim cum cortex chinæ, rite adhibitus, primum inter ſpecifica antiſebrilia occupet locum, cortex vero caſcarillæ, legitime uſurpatus, egregia & ſingulari efficacia in ſiſtendis excretionibus nimiis ſe commendet, & martialia prudenter applicata, in curatione morborum a partium ſolidarum laxitate & debilitate provenientium, ut cachexiæ, chloroſis, leucophlegmatiæ morbique hypochondriaci, & excretionibus nimis auctis moderandis, optimum exſerant effectum. Cortex chinæ, ſi in pulvere adhibetur, ſufficit ejus drachma dimidia pro una vice, ſed repetatur neceſſe eſt; alias doſis ejus uſque ad drachmam integram extendi poteſt. Cortex vero caſcarillæ, utpote qui cum cortice chinæ eandem, ſed validiorem poſſidet virtutem, minori quantitate adhiberi debet, & in ſubſtantia a granis decem ad ſcrupulum unum, in eſſentia a guttis viginti ad quadraginta, in extracto a granis duobus ad grana quinque & ſex, dari poteſt.

§. CLXXI.

De doſi medicamentorum martialium. Martialium doſin difficilius quidem licet determinare, quoniam medicamenta, quæ ex marte conficiuntur, vario modo præparantur, uti ex multis iiſque admodum diverſis medicamentorum martialium præparationibus & compoſitionibus, in libris paſſim exſtantibus, ſatis ſuperque apparet; in genere tamen hoc eſt notandum, quod ea, quæ aliis magis ſunt concentrata, vique adſtringendi majore prædita, minori ſint propinanda doſi, & quod plerique celeberrimi Medici, in artis exercitio verſati, eorum doſes ſequenti modo determinent. *Illuſtris b. m.* HOFFMANNUS crocum martis tenuiſſimum, & limaturam martis in ſubtiliſſimum pollinem redactam, commode ad grana decem pro una vice dari poſſe aſſerit; STAHLIUS vero teſte *excellentiſſimo b. m.* SCHULZIO, in *theſibus ſuis de materia medica p.* 90. crocum ſuum martis aperitivum a granis duobus uſque ad ſex grana exhibendum ſuaſit. *Tinctura martis Zwelfferi, ſive tinctura martis cum arcano tartari*, affirmante id eodem loco Viro modo laudato, a guttis quadraginta uſque ad drachmas tres ab ipſo Zwelffero commendatur, *tincturæ vero martis Zwelfferi ex croco* doſis minor eſt, eaque ultra drachmam unam non datur. *Tincturæ martis tartariſatæ Ludovici, tincturæ martis cum ſucco pomorum Borsdorfiorum, nec non tincturæ martis vitriolatæ* doſis, ex ejuſdem viri teſtimonio, eſt drachma una ad duas. *Elixir martis balſamicum*, ad mentem beati HOFFMANNI præparatum, ab illo ad guttas triginta & quadraginta præſcribitur, & idem, quantum mihi ſaltem conſtat, tincturæ modo adductæ martiales longe minori, quam ea, quæ a beato SCHULZIO determinata fuit, quantitate ut exhibeantur, ſuadet, nec, ut mihi videtur, ſine ratione.

§. CLXXII.

De doſi camphoræ. Reſtat adhuc aliquid dicere de doſi camphoræ, remedii in inflammationibus diſcutiendis, febribus contagioſis, malignis, putridis, præſtantiſſimi. Paucis multa de ejus effectu ſalutari dixi, & qui plura de hoc legere cupit, illa inveniet in eleganti diſſertatione *beati* HOFFMANNI, mei olim Præceptoris maximopere colendi, *de camphoræ uſu interno ſecuriſſimo & præſtantiſſimo*, in *Operibus ejus medicis varii argumenti* iterum recuſa. Hic vir celeberrimus, qui in adhibendis remediis admodum ſollicitus fuit ac prudens, camphoram raro ſolam interne, ſed cum nitro mixtam exhibendam juſſit, ejuſque granum unum, vel duo, pro una doſi ſufficere obſervavit.

§. CLXXIII.

De doſi mercurialium. Inter mercurialia, quæ interne ſalivationem movendi fine dantur, tutiſſimum ac optimum eſt mercurius dulcis, probe per decoctionem iteratam a reliquis mercurii ſublimati virulentis particulis depuratus. Prima vice ultra grana ſex pro doſi offerri non ſolet, augendo circa alterum diem hanc doſin ad duo vel tria grana, & paulatim ita aſcendendo, donec ad drachmam dimidiam perventum ſit, & ſalivæ oriatur fluxus. Turpethum minerale, arcanum corallinum, quod alias mercurii præcipitati rubri nomine venit, mercurius præcipitatus albus, ſi ſcopo ſalivæ fluxum promovendi dantur, longe minori ſunt exhibenda quantitate & ſufficiunt pro doſi grana duo. Hæc enim præparata, propter particulas ſalinas concentratas iis adhærentes, draſticæ ſunt virtutis, ita, ut majori doſi vomitum & alvi fluxum cum torminibus, vel horum alterutrum, concitent. Mercurium vero vivum nonnulli non ſine fructu ad paſſionem iliacam periculi plenam curandam adhibent, neque ejus uſus tunc eſt reprehendendus, ſi ileus oritur a fecibus alvi induratis, inteſtina in loco quodam obſtipantibus, vel ab inteſtinis convolutis & ſe mutuo ingreſſis. Quod ſi itaque, circumſtantiis probe exploratis, mercurii vivi uſus ad hunc finem utilis ac neceſſarius judicatur, prius probe depurandus, lavandus & per corium trajiciendus eſt, neque facile ultra libram dimidiam vel integram offerendus, quod optime fit cum juſculo pingui. Valde vero cavendum eſt, ne quis eo inflammatione præſente & viribus ægri jam dejectis utatur.

§. CLXXIV.

Quantitas medicamenti una vice ſumenda variari poteſt, vel non. Quantitas medicamenti relativi, quæ una vice ſumenda, eſt ita comparata, ut vel ſalvo medicamenti effectu variari queat, vel non. Jam doſis eſt quantitas medicamenti relativi, quæ una vice eſt ſumenda §. XIII. Ergo doſis ita comparata ſit neceſſe eſt, ut vel ſalvo medicamenti effectu, qui intenditur, variari queat, vel non.

§. CLXXV.

Definitio doſeos arbitrariæ & definitæ.

Doſis medicamenti, quæ ſalvo medicamenti effectu, qui intenditur, mutari poteſt, dicitur arbitraria, ea contra, quæ ſalvo medicamenti effectu, qui intenditur, variari nequit, appellatur doſis definita, ſive definienda. Patet ergo, doſin medicamenti eſſe vel arbitrariam, vel definitam, ſive definiendam §. CLXXIV.

§. CLXXVI.

Doſis arbitraria poteſt vel augeri, vel minui.

Quantitas medicamenti una vice ſumenda, quæ variari poteſt, vel poteſt augeri, vel minui. Jam doſis medicamenti arbitraria eſt quantitas, quæ variari poteſt §. CLXXV. Ergo doſis medicamenti arbitraria poteſt vel augeri, vel minui.

§. CLXXVII.

Quando doſis medicamenti definita eſſe debeat.

Si doſis medicamenti ita eſt comparata, ut vel exceſſu, vel defectu peccans, damnum producat, definita eſſe debet, ſive eſt definienda. Cum enim finis medicamenti ſit ſanitas, medicamentum tanquam medium ad hunc finem non niſi in ea quantitate eſt adhibendum, quæ eidem conveniens eſt. Jam ponas, hanc quantitatem non eſſe niſi unicam. Quare, ſi plus minuſve ea ſumatur, ſeu, ſi exceſſu vel defectu peccetur, Medicus finem deſideratum non obtinebit. Quapropter, cum tamen medicamentum medium ad eum finem aſſequendum eſſe debeat (*per demonſtr.*) Medicus etiam hanc unicam quantitatem indigitare debet, ſeu doſis debet eſſe definita §. CLXXV.

§. CLXXVIII.

Scholion.

Quod doſis medicamenti, exceſſu vel defectu peccans, damnum producere poſſit, res eſt experientiæ teſtimonio ſatis ſuperque confirmata. Sic doſis medicamenti exceſſu peccat, quando exinde nimia ſequitur operatio, vel a copia medicamenti natura obruitur vireſque ejus proſternuntur. Defectu vero ratione doſeos peccat medicamentum, dum non ſufficit morbo debellando, ſed potius permittit, ut vel in ſtatione ſua contumaciter maneat, vel majores vires indulgendo acquirat.

§. CLXXIX.

Quando doſi arbitrariæ locus ſit.

Cum doſis medicamenti, ſi ita eſt comparata, ut vel exceſſu, vel defectu peccans damnum producat, definita eſſe debeat §. CLXXVII. ſequitur, ut doſis medicamenti, ſi ita eſt comparata, ut vel exceſſu, vel defectu peccans nullum inferat damnum, non ſit definita, ſed ſalvo medicamenti effectu variari poſſit, adeoque ſit arbitraria §. CLXXV. Patet ergo doſi medicamenti arbitrariæ tunc eſſe locum, quando ex ejus exceſſu vel defectu nullum oritur damnum.

§. CLXXX.

Quænam medicamenta doſi adhibeantur arbitraria.

Doſes vehiculorum, in quibus medicamenta aſſumuntur, item ipſorum medicamentorum, quæ ad cibi & potus indolem & ſuavitatem propius accedunt, uti decoctorum, ptiſanarum, juſculorum, juleporum, morſulorum jucundorum, ita ſunt comparatæ, ut ex earum defectu vel exceſſu nullum, vel non notabile ſaltem, oriatur damnum. Jam medicamenta adhibere licet doſi arbitraria, quorum exceſſus vel defectus nullum infert damnum §. CLXXIX. Quid igitur mirum eſt, vehicula & medicamenta ad cibi & potus naturam & gratiam accedentia & a me recenſita, doſin admittere arbitrariam. Eodem modo facile demonſtrari poteſt, etiam ea doſin admittere arbitrariam, quæ varias ob cauſas medicamentis ſunt admiſcenda, ita tamen, ut virtutem eorum nec augeant, nec imminuant, vel ſaltem admodum parum.

§. CLXXXI.

Conſultum eſt, ut doſis medicamentorum arbitraria, quamvis non adeo ſtricte determinetur.

Licet vero in arbitrio applicantis medicamentum poſitum ſit, quantum de medicamentis, doſin arbitrariam admittentibus, adhibere velit, conſultius tamen eſt, ut etiam hoc in caſu Medicus, quamvis non adeo ſtricte, determinet doſin. Metuendum enim eſt, ne, ſi æger medicamenta faſtidiat, ea plane omittat, vel nimis parva in quantitate ea aſſumat, vel, ſi palato arrideant, in nimia quantitate adhibeat.

§. CLXXXII.

Doſes ordinariæ medicamentorum ſunt determinandæ.

A multis quidem cauſis vires medicamentorum ejuſdem ſpeciei immutantur, & vel augentur, vel imminuuntur, eamque ob rationem iis diverſæ a diverſis aſſignantur doſes; nihilominus tamen in ſpecie medicamentis, uti id a me jam factum fuit in antecedentibus, conſtituendæ ſunt certæ doſes, rationi conformes & uſu comprobatæ, quæ illis convenient in eo ſtatu virtutis, in quo ordinarie conſtituta deprehenduntur, hominique adulto, in ætatis vigore conſtituto, competunt. Tales doſes vocantur *ordinariæ*. Ego in antecedentibus earum jam feci mentionem, ideo non plura addam.

§. CLXXXIII.

Doſis poteſt augeri vel minui.

Quantitas poteſt augeri & minui (*per princ. mathem.*) Si augetur quantitas, illa augeri poteſt vel per additionem, vel per multiplicationem; ſi vero minuitur, illa minuitur vel per ſubtractionem, vel per diviſionem (*per princ. mathem.*) Jam doſis eſt quantitas §. CXXXIV. Ergo doſis poteſt vel augeri, vel minui, & ſi augetur, illud fit vel per additionem, vel per multiplicationem; ſi vero minuitur, illud fit vel per ſubtractionem, vel diviſionem.

§. CLXXXIV.

Quantitas medicamenti relativi generalis tot doſes continere debet, quot ad finem ſuum neceſſarias judicat Medicus.

Medicamentum relativum eſt medium ad finem deſideratum obtinendum. Quare cum medium rationem ſufficientem finis in ſe continere debeat (*per princ. philoſ.*) quantitas medicamenti relativi tanta eſſe debet, quanta ad hunc finem requiritur. Et cum doſes ſint partes quantitatis generalis medicamenti relativi, & quantitas generalis ex tot partibus conſtare debeat, quot ad finem datum neceſſariæ ſunt, tot etiam doſes contineat neceſſe eſt, quot ad finem ſuum neceſſarias exiſtimat Medicus.

§. CLXXXV.

Quantitates generales medicamentorum relativorum ſunt in ratione molium & numerorum doſium compoſita.

Quantitates generales medicamentorum relativorum ſunt in ratione molium & numerorum doſium compoſita. Cum enim quantitates generales medicamentorum relativorum tot doſes continere debeant, quot ad finem datum ſunt neceſſariæ §. CLXXXIV. numerum determinatum doſium determinatæ cujuſdam molis complectuntur, & ſunt ergo ut facta numerorum doſium in moles earundem. Quare cum facta ſint in ratione factorum compoſita, (*per princ.*

princ. arithm.) quantitates generales medicamentorum relativorum ſunt in ratione molium & numerorum doſium compoſita.

§. CLXXXVI.

Corollarium. Cum quantitates generales medicamentorum relativorum ſint in ratione molium & numerorum doſium compoſita §. CLXXXV. ſequitur, ut, ſi molem doſeos in numerum ejus ducas, quantitas medicamenti relativi generalis prodeat. Et ſic habemus modum, ex quantitate ſpeciali medicamenti relativi, utpote quæ doſis eſt §. CXXXVIII. inveniendi quantitatem generalem. Patet porro ex dictis §. CLXXXV. quod numerus doſium inveniatur, ſi quantitas generalis medicamenti relativi dividatur per molem, moles vero doſeos prodeat, ſi eadem quantitas generalis per numerum doſium dividatur, atque ſic exinde infertur, quantitatem generalem eandem eſſe cum quantitate ſpeciali, ſive doſi, ſi numerus ejus eſt unitas, contra vero ad eandem eſſe in genere in ratione multipla, & ad minimum in dupla, ſi numerus doſium unitatem excedit.

§. CLXXXVII.

Scholion. Quoniã hæc, quæ demonſtravi §. CLXXXV. CLXXXVI. quibuſdam allatis exemplis faciliora fore conceptu mihi perſuadeo, ne quid omittere videar, quod ad eorum clariorem explicationem aliquid facere poſſit, ea, quæ ulteriori eorum illuſtrationi inſerviunt, huc apponam atque ad ea attendi velim. Quantitas medicamenti relativi generalis, moles & numerus doſium, ſunt tres quantitates, quarum duæ poſteriores determinant priorem, nimirum quantitatem generalem. Hæc eſt factum, moles vero & numerus doſium ſunt factores. Jam ex datis factoribus invenitur factum per eorum multiplicationem (*per princ. arithm.*) Ideo quantitas generalis, utpote quæ eſt factum, prodeat neceſſe eſt, ſi moles & numerus doſium, quippe quæ ſunt factores, multiplicantur. Docet porro arithmetica, ex dato facto & factore diviſionis ope alterum inveniri factorem. Qua de re ex data quantitate medicamenti generali, utpote facto, & mole doſeos, quippe factore, ſi illa per hunc dividatur, inveniatur numerus doſium neceſſe eſt, moles vero, ſi eadem quantitas generalis dividatur per numerum doſeos.

Sit v. g. numerus doſium = 4
moles doſis = 3,
quantitas medicamenti relativi generalis erit = 12.
Maneant hæ quantitates eædem, & prodit numerus doſium = 4,
ſi quantitas generalis = 12 dividatur per molem = 3, moles contra doſis = 3, ſi eadem quantitas generalis dividatur per numerum doſis = 4.

§. CLXXXVIII.

Scholion. Facile vero patet, ſupponi in demonſtratione §. CLXXXV. medicamentum relativum ita eſſe comparatum, ut in ſufficiente quantitate ſimul & ſemel præparari queat. Quodſi enim hoc ſingulares circumſtantiæ in caſu obvio diſſuadeant, quantitas medicamenti relativi generalis, ſemel præparanda, hoc modo determinari nequit, ſed tunc ad conditiones has ſingulares eſt reſpiciendum.

§. CLXXXIX.

Numerus doſium eſt vel ſimplex, vel multiplex, quandoque arbitrarius. In genere quidem determinari nequit, quinam doſium numerus in caſu quovis ſingulari locum habeat, utpote cujus determinatio a variis iiſque infinitis in eo occurrentibus circumſtantiis dependet; interea tamen certæ abſtractionis ope inveniri poſſunt regulæ prudentiæ a Medico circa numerum doſium probe obſervandæ, eundemque determinantes. Nihil mihi facilius eſſet, quam demonſtrationem harum regularum prudentiæ dare, eamque ſimul hic ſubjungere, ſed, ne demonſtrandi pruritu vexari videar, eas ſine demonſtratione eo, quo a celeberrimo GAUBIO in libro ejus ſæpius citato traditæ fuerunt, ordine hic apponam. *De numero doſium pertractatio.*

§. CXC.

Si doſis unica ſcopo Medici ſufficit, non opus eſt pluribus. *Regula prima.*

§. CXCI.

Si remedium eſt injucundum, ita, ut vel ſine moleſtia ægro applicari nequeat, vel æger in eo adhibendo tardus ſit & difficilis, doſes, quantum potes pauciſſimas præſcribe. *Regula ſecunda.*

§. CXCII.

Medicamenta, quæ mora facile virtutem ſuam amittunt & corrumpuntur, uti ſunt ea, quæ facile exhalant, liqueſcunt, nimis areſcunt, parciore præſcribantur doſi. Aëris temperies aliæque circumſtantiæ, vitia modo dicta magis minuſve promoventes, ſpecialius doſium numerum hoc in caſu determinant. *Regula tertia.*

§. CXCIII.

Si doſis medicamenti efficax mole major eſt, quam ut una vice commode applicari queat, expedit, ſi per alia licet, eam in plures doſes minores, per intervalla adſumendas, dividere, ne applicanti moleſtia, & vel nauſea, vel vomitus excitetur, id quod in proclivibus ad vomitum præcipue obſervandum eſſe jam dixi §. CXLVII. *Regula quarta.*

§. CXCIV.

Si doſin efficacem ordinariam medicamenti heroici adhibere velis & debeas, nec tamen ejus, cui eſt applicanda, naturæ & idioſyncraſiæ, aliarumque ſcitu neceſſariarum circumſtantiarum, probe es gnarus, conſultius eſt, doſin efficacem vel per ſubtractionem, vel per diviſionem minuere minoreſque doſes partitis vicibus dare. Idem circa uſum novorum, & adhuc uſu non ſatis probatorum remediorum obtinere, jam monui ſupra §. CLV. *Regula quinta.*

§. CXCV.

Si incognita, vel dubia morbi indoles incertum facit remedii effectum, quod Medicus, ne artis ſuæ prodere imperfectionem, vel ægrum deſerere, & de ejus ſalute deſperare videatur, interdum præſcribere cogitur, non multæ ſaltem præſcribantur doſes; minus enim ſic ægro moleſtus eſt & facilius inſuper, ſi opus eſt, medicamentum mutare poteſt. *Regula ſexta.*

§. CXCVI.

Regula ſeptima. Quæ ſine majori, difficiliori & longiori opera præparari nequeunt medicamenta, ad plures doſes niſi aliud quid obſtet, præſcribe; ut parcas pharmacopœi operæ nimium ſæpe pretioſæ. Immo ea etiam, quæ peregre mittuntur, ad loca pharmacopoliis bene inſtructis deſtituta, ſi per alia licet, majori quantitate ut præparentur, curandum eſt.

§. CXCVII.

Regula octava. Contra, ſi Medicus ægro eſt proximus, eumque frequenter viſitare cogitur, doſium numerum contrahat, ne crebrius ſine data præſcriptione abeat; id quod aliquibus minus eſt acceptum.

§. CXCVIII.

Regula nona. Ubi diu continuandus ejuſdem remedii uſus requiritur, in tot, quot neceſſariæ ſunt, doſibus præparandum cura. Sæpius enim parſimonia emti ſuadet uſum, vix, præcipue ſi faſtidio jungitur, ad novi emtionem compulſura. Et itidem multiplicandæ ſunt doſes, ſi per brevia intervalla medicamentum eſt adhibendum, ne iteratæ præparationis neceſſitas ſit moleſta.

§. CXCIX.

Regula decima. Denique, ſi medicamentum eſt variandum, quod ex ægrorum culpa, eorum inprimis, qui morbo laborant chronico, plerumque fit, vel indicationes, aliæque cauſæ requirunt, minorem ejus præſcribe quantitatem, ut eo crebrius, quando neceſſarium eſt, & leviore ſumtu variare poſſis.

SECTIO V.

De Ponderibus Medicis.

§. CC.

Quantitas corporis determinatur vel per pondus, vel per volumen. CUm corpora ſint maſſæ extenſæ, eorum quantitas determinatur vel per quantitatem extenſionis, vel per quantitatem maſſæ. Illa audit volumen, hæc pondus. Ergo corporum quantitas determinatur vel per pondus, vel per volumen.

§. CCI.

Idem valet de medicamentis, eorumque ingredientibus. Ingredientia medicamentorum, quin medicamenta ipſa ſunt corpora. Jam corporum quantitas determinatur vel per pondus, vel per volumen §. CC. Ergo quantitas medicamentorum, eorumque ingredientium, determinatur vel per pondus, vel per volumen.

§. CCII.

De ponderibus in officinis uſitatis. Pondera, quibus in medicina utimur, ſunt libra medica ejusque partes. Libra una continet uncias duodecim, uncia una continet octo drachmas, drachma una complectitur ſcrupulos tres, & ſcrupulus unus viginti grana.

§. CCIII.

De ſignis ponderum. Medici a longo ſatis tempore certos, compendii forſan in ſcribendo cauſa, excogitarunt characteres, quibus pondera ſua deſignarunt, atque hi noſtro ævo ubique ſunt recepti, ita, ut formulam præſcripturus eos noſſe debeat. Denotat autem

hoc ſignum ℔ libram medicam
— — ℥ unciam
— — ʒ drachmam
— — ℈ ſcrupulum
— — gr. granum.

Dimidia horum ponderum pars deſignari ſolet hoc charactere ß, ita, ut, ſi libra dimidia, vel uncia dimidia ſit denotanda, ſcribatur ſic: ℔ß, ℥ß. Idem ſic ſe in reliquis ponderibus habet.

§. CCIV.

Scholion. Granum ulterius in partes dividi poteſt & dividitur, ac piperis albi, vel hordei grano minori circiter æquale habetur. Conſultius autem foret, grano exacte definiti ponderis, uti eo, quo aurifabri uti ſolent, juxta Fernelii conſilium uti; quum alias reliqua omnia pondera majora, granum pro baſi habentia, incerta ſint.

§. CCV.

Quibus notis numerus ponderum exprimatur. Numerus ponderum non barbaris notis, 1. 2. 3. &c. ſed Romanis, I. II. III. &c. exprimi ſolet.

§. CCVI.

De proportione ponderum. Vt proportio ponderum uno intuitu comprehendi poſſit, ſequentem tabulam apponam.

℔	℥	ʒ	℈	gr.
℔j	℥XII	ʒXCVI	℈CCLXXXVIII	5760
℔ß	℥VI	ʒXLVIII	℈CXLIV	2880
℥j	℥j	ʒVIII	℈XXIV	480
℥ß	—	ʒIV	℈XII	240
ʒj	—	ʒj	℈III	60
ʒß	—	—	℈iß	30
℈j	—	—	℈j	20
℈ß	—	—	— —	10
gr.j	—	—	— —	1

§. CCVII.

De determinatione quantitatis medicamentorum per faſciculos, manipulos & pugillos. Quantitas medicamentorum eorumque ingredientium determinari quoque ſolet per faſciculos, manipulos & pugillos, atque hæc determinatio quantitatis medicamentorum eorumque ingredientium eſt determinatio quantitatis eorum per volumen §. CCI. Valet iſta tantum de aridis.

§. CCVIII.

Quid ſit faſciculus. Faſciculus eſt, quantum ulna, ſive brachio complicato capi poteſt. Æqualis habetur manipulis duodecim, atque ſic utplurimum determinatur quantitas herbarum e. g. pro balneis.

§. CCIX.

Quid ſit manipulus. Manipulus eſt, quantum tota manu capi poteſt. Reſpondet fere pugillis quatuor, vel unciæ unius dimidio. Sic determinari ſolent quantitates herbarum, foliorum & florum, rarius ſeminum.

§. CCX.

§. CCX.

Quid ſit pugillus.

Pugillus continet, quantum pollice duobuſque digitis prioribus unius manus prehendi poteſt. Reſpondet fere drachmæ dimidiæ, vel integræ. Dividitur à multis Medicis, iiſque accuratioribus, in majorem & minorem. Per majorem pugillum intelligunt, ſi tantum accipiatur, quantum quinque digitorum extremitatibus teneri poteſt, atque hunc ordinarium eſſe & circiter drachmam unam adæquare aſſerunt. Pugillus minor iis audit, ſi tantum accipiatur, quantum tribus digitis comprehendi poteſt, atque hic dimidio fere unius drachmæ reſpondere dicitur.

§. CCXI.

Ad quæ circa determinationem quantitatis medicamentorum per faſciculos &c. ſit attendendum.

Si Medicus medicamentorum quantitatem per per faſciculos, manipulos, vel pugillos determinare vult, ſciat neceſſe eſt, quanta ſit illorum denſitas & raritas, item quod eorum menſura & virtutes ſint æquales. Nam herbæ, folia, flores, modo arctius comprimuntur, modo laxius coacervantur, quin & pro magnitudine brachiorum, manuum ac digitorum, faſciculi, manipuli & pugilli variant, & fiunt vel minores, vel majores. Denique in deſiccando virtutes huic herbæ magis, alii minus conſervantur, & alii magis pereunt. Habet igitur idcirco hoc menſuræ genus per faſciculos, manipulos & pugillos, tum demum locum, quando doſis adeo exacta non requiritur, & ex ejus exceſſu vel defectu, vel plane nullum metuendum eſt incommodum, vel ſaltem non notabile. Si vero cautione hac in re opus ſit, potius ponderibus, quam faſciculis, manipulis & pugillis, determinentur herbarum, foliorum & florum quantitates, v. g. ſi evacuantia, anodyna & narcotica ſint recipienda.

§. CCXII.

Quomodo pars dimidia eorum exprimatur.

Faſciculi, manipuli & pugilli biſecari ſolent, & tunc eorum pars dimidia æque ac ponderum, deſignari ſolet charactere ß. Sic, ſi manipulus dimidius eſt exprimendus, ſcribitur mß.

§. CCXIII.

De determinanda quantitate medicamentorum per numerum.

Si medicamenta maſſæ homogeneæ & ejuſdem gravitatis ſpecificæ æqualia habeant volumina, pondera ſunt ut numeri eorum, & quantitates eorum numero determinari poſſunt. Sic ordinarie doſes pilularum, quandoque & trochiſcorum, rotularum, bolorumque definiri ſolent numero. Fructus quoque, ſemina majora, bulbi interdum, albumina & vitelli ovorum præſcribuntur numero.

§. CCXIV.

De quantitate voluminis medicamentorum per congium, cyathum &c. determinanda.

Præterea quantitas voluminis medicamentorum determinari vulgo ſolet menſuris cavis, & eam ob cauſam menſuræ cavæ medicamentorum ſunt uti eorum volumina. Menſurarum cavarum varia apud veteres occurrunt genera, quæ noſtro tempore fere in deſuetudinem abierunt. Sunt vero uſitatæ menſuræ cavæ, congius, ſextarius, hemina, cyathus, cochlear. Congius continet ſex ſextarios, quilibet ſextarius pendit libras duas, vel uncias viginti quatuor aquæ. Hemina eſt dimidium ſextarii, ac proinde pendit libram unam, ſeu uncias duodecim aquæ. Pharmacopœis hoc menſuræ genus uſitatum eſt, & ab aliis ſimpliciter appellatur *menſura*, cujus pars duodecima *uncia* quoque ab iiſdem nominatur. Cyathus eſt duodecima pars ſextarii, & pendit aquæ uncias duas, hic tantum circiter capit, quantum vaſculum, ex quo potus Thee hauritur. Cochlear eſt duodecima pars Cyathi, atque propterea circiter pendit ſcrupulos quatuor.

§. CCXV.

De proportione menſurarum cavarum.

Ut proportio menſurarum cavarum uno intuitu oculis uſurpari queat, ſequentem tabulam hic ſubjungam.

	Sextarii	Heminæ	Cyathi	Cochlear
Congius	6	12	72	864
Sextarius	1	2	12	144
Hemina	—	1	6	72
Cyathus	—	—	1	12
Cochlear	—	—	—	1

§. CCXVI.

De determinatione doſium per guttas.

Nec omittenda eſt doſium per guttas determinatio, quæ hodie frequentiſſima eſt, ubi medicamenta liquida exigua doſi præſcribuntur, uti ſunt eſſentiæ, tincturæ, ſpiritus, olea deſtillata, & ſimilia.

§. CCXVII.

Maſſæ guttarum, in quanam ſint ratione.

Sunt autem maſſæ guttarum in ratione multipliciter compoſita, ac primo quidem in ratione directa cohæſionis. Cohæſio enim particularum primaria cauſa eſt, ut liquida guttatim deſtillent; ſine hac enim ſtatim in minimas diſſiparentur moleculas. Cohæſio vero particularum in variis fluidis variat, & modo major eſt, modo minor. Spiritus vini particulæ non tanta vi ſibi invicem cohærent, quanta aquæ, nec aquæ particulæ tanta vi, quanta olei. Porro cohæſionem particularum fluidorum auget eorum viſciditas, atque eadem eorum guttis majorem conciliat magnitudinem. Ita v. g. guttæ mellis, balſamorum, ſunt majores, quam guttæ aquarum, & aquæ, in qua gummi ſolutum eſt, guttæ ſunt majores, quam guttæ aquæ puræ.

§. CCXVIII.

Ratio maſſæ guttarum ulterius exponitur.

Cum guttæ in ſuperficie quadam colligantur atque ex ea decidant, ejus quoque in determinanda guttarum magnitudine habenda eſt ratio. Guttæ enim cadentes e vaſe, cujus margo eſt amplus, ſunt majores, & contra, ſi a fili extremitate decidant multo minores, unde patet, guttas eſſe in ratione directa ſuperficierum, in quibus colliguntur, & a quibus deſtillant. Neque minus guttas aſperitas ſuperficiei, e qua cadunt, reddit majores, quoniam liquidi particulæ ab aſperitate ſuperficiei, diutius retinentur, ut hac ratione major liquidi quantitas in unam colligatur guttam. Quemadmodum vero ſuperficiei, e qua guttæ cadunt, aſperitas liquidi collectionem adjuvat, ita ei ſuperficiei lævitas obeſt, quam ob rem ceteris paribus e ligneis vaſis majores, quam e vitreis, cadunt guttæ. Maſſæ itaque guttarum ſunt in ratione directa ſcabritiei, ſed in reciproca lævitatis, quæ eſt in ſuperficiebus, e quibus cadunt.

§. CCXIX.

§. CCXIX.

Determinatio quantitatis per guttas non eſt exactiſſima.

Hæ ſunt præcipuæ, ſed non omnes rationes, pro quarum varietate guttæ quoque variant, & reliquas proferre poſſem, niſi mihi ſit verendum, ne his lectoribus ſim moleſtus. Prolatæ igitur ſufficiant. Satis enim ſuperque ex adductis §. CCXVII. CCXVIII. apparet, cum guttæ tot modis variari poſſint, doſin medicamentorum vix accurate per guttas determinari poſſe. Quamobrem doſium per guttas determinatio eo caſu habet locum, ubi rigor non requiritur, nec damnum eſt metuendum, etiamſi quantitas medicamenti liquidi per guttas determinata doſin deſtinatam paululum excedat, vel ab illa deficiat.

§. CCXX.

Quomodo ſatis accurate quantitas per guttas determinari poſſit.

Qui vero magis accuratam doſium determinationem per guttas, quam quæ vulgo in uſu eſt, deſiderat, huic incommodo, de quo §. CCXIX. dictum eſt, facile mederi poteſt, ſi nimirum, poſtquam vaſculo vitreo inditum eſt medicamentum guttatim aſſumendum, guttulæ quotcunque effuſæ pondere examinentur. Ita enim pondere illarum invento, facile deinde per proportionum regulam directam invenire poteſt, quot cuicunque ponderi guttæ, ex eodem vel ſimili vaſculo cadentes, reſpondeant. Sic e vaſculis illis minoribus, diſpenſationi eſſentiarum deſtinatis, dum liquida mediocriter deſtillant, unaquæque gutta circiter grani unius pondus adæquat.

§. CCXXI.

Scholion.

Eadem, quam determinationi quantitatis medicamentorum per faſciculos, manipulos & pugillos ſubjunxi §. CCXI. cautela circa determinationem doſium per congium, ſextarium, heminam, cyathum & cochlear eſt obſervanda. Hæ etenim poſteriores menſuræ in variis locis variant, nec minus ſunt conſtantes, quid? quod pro diverſitate liquorum plus minusve continent, unde præ his certior ponderum uſus eſt, ſi quantitas medicamentorum accuratius eſt determinanda, vel, ſi hæ menſuræ placent, ſcire expedit, quantum pondus de variis liquoribus capiant.

§. CCXXII.

De expreſſione ponderum majorum.

Pondera majora, vel integra, vel dimidia, propriis ſuis notis, non notis ponderum minorum, ex quibus conſtant, ſunt exprimenda. Sic non ſolemus præſcribere ℈Iß, ſed ʒß, neque ʒIV, ſed ℥ß.

§. CCXXIII.

Quomodo eadem ingredientium quantitas exprimatur?

Si plura medicamenti ingredientia, proxime ſibi invicem ſubjuncta, æquali ſingula quantitate præſcribuntur, non neceſſe eſt cuivis ingredienti quantitatem ſuam ſigillatim adſcribere, ſed ſigno āā utimur, utpote quod ante poſtremi illorum ingredientium quantitatem deſignandam poſitum notat, de priorum ſingulis tantundem eſſe recipiendum. Sic v. g. ſi aquæ ceraſorum nigrorum uncia una ſit accipienda, & tantundem de aqua florum tiliæ, ſambuci & acaciæ, ſcribitur ſic:

℞. Aquæ ceraſorum nigrorum
florum tiliæ
ſambuci
acaciæ āā ℥j.

§. CCXXIV.

Quando quantitatis determinatio pharmacopœi arbitrio relinquatur.

Nonnunquam quantitatis medicamenti determinatio Pharmacopœi arbitrio relinquitur, atque hoc indicatur ſignis: q. ſ. quod ſignificat: quantum ſatis, quantum ſufficit. Hoc fit & ferri poteſt in iis caſibus, ubi Pharmacopœus quantitatem, quæ ejus arbitrio determinanda committitur, ex cognito ipſi conſiſtentiæ deſideratæ gradu, vel alia quadam regula ſtabili, ipſi nota, juſte determinare poteſt, in aliis vero caſibus nimis vagis, in quibus Pharmacopœus neſcit quantitatem ſatis accurate determinare, id eſt vitandum.

§. CCXXV.

Cognitio ponderum veterum eſt neceſſaria.

Veteres aliis uſi ſunt modis quantitates determinandi, qui, licet hodie ſint exoleti, Medico tamen cogniti ſint neceſſe eſt, ut eorum ſcripta legere & intelligere poſſit, præcipue, ſi eorum præjudicio auctoritatis eſt deditus. Videantur hinc apud Fernelium, Sennertum alioſque.

SECTIO VI.

De ſignis formulæ.

§. CCXXVI.

Omnis formula ſignis eſt exprimenda.

Cum formula ſit determinatio modi, quo medicamentum fieri debet, ſignis expreſſa §. II. ſequitur, ut omnis formula, ſi eſt concinnanda, ſignis ſit exprimenda.

§. CCXXVII.

Definitio ſigni.

Signum eſt objectum externum, ſive in ſenſus incurrens, cujus cogitatio excitat in nobis cogitationem rei alterius cum ipſo conjunctæ.

§. CCXXVIII.

Formula per talia eſt exprimenda, quorum cogitationes excitant cogitationes aliarum rerum.

Omnis formula ſignis eſt exprimenda §. CCXXVI. Jam ſigna ſunt objecta externa, quorum cogitationes excitant in nobis cogitationes rerum aliarum cum ipſis conjunctarum §. CCXXVII. Ergo omnis formula eſt exprimenda per talia objecta, quorum cogitationes rerum aliarum cum ipſis conjunctarum.

§. CCXXIX.

Signa cogitationum eas exprimunt vel communiter vel non.

Omnia ſigna, quibus cogitationes noſtræ exprimuntur, ſunt ita comparata, ut vel communiter iis utamur ad cogitationes noſtras per ea exprimendas, vel non communiter.

§. CCXXX.

Definitio ſignorum ordinariorum & extraordinariorum.

Signa cogitationum, quibus communiter utimur ad eas exprimendas, dicuntur ordinaria; extraordinaria vero ſunt ea, quibus non communiter utimur ad cogitationes noſtras exprimendas.

§. CCXXXI.

Omnia ſigna ſunt vel ordinaria, vel extraordinaria.

Omnia ſigna cogitationum ſunt ita comparata, ut vel iis communiter utamur ad cogitationes noſtras exprimendas, vel non §. CCXXIX. Jam illa audiunt ordinaria, hæc extraordinaria §. CCXXX. Ergo omnia ſigna ſunt vel ordinaria, vel extraordinaria.

§. CCXXXII.

§. CCXXXII.

Ad quos ſenſus referantur ſigna ordinaria.

Ordinaria cogitationum ſigna referuntur vel ad ſenſum viſus, vel auditus.

§. CCXXXIII.

De ſonis articulatis, vocibus, & terminis.

Ordinaria illa cogitationum ſigna, quæ pertinent ad ſenſum auditus, ſunt ſoni articulati, qui vocum nomine, & quatenus ſigna ſunt idearum, terminorum nomine veniunt.

§. CCXXXIV.

De ſcriptura.

Illa ſigna cogitationum ordinaria, quæ ad ſenſum viſus referuntur, ſunt ductus in extenſo quopiam, & hi *ſcripturæ* nomine veniunt.

§. CCXXXV.

Scriptura indicat cogitationes vel mediate, vel immediate.

Scriptura indicat vel proxime, ſive immediate cogitationes, vel remote, ſive mediate, dum proxime voces indicat atque per has deinde cogitationes.

§. CCXXXVI.

Definitio ſcripturæ ordinariæ & extraordinariæ.

Scriptura, quæ mediate, ſive remote cogitationes indicat, ita, ut proxime voces & his mediantibus tandem cogitationes denotet, dicitur *ordinaria*; hæc vero, quæ immediate, ſive proxime cogitationes indicat, *extraordinaria* appellatur. Patet ergo, ſcripturam eſſe vel ordinariam, vel extraordinariam §. CCXXXV.

§. CCXXXVII.

Scholion.

Scriptura ordinaria apud pleraſque obtinet gentes. Attendat quis v. g. ad ſcripturæ genus ordinarium, quo Germani vel Latini utuntur, & convincetur de veritate eorum, quæ dixi §. CCXXXVI. Deprehendet nimirum, literas Germanorum vel Latinorum non indicare immediate ſive proxime cogitationes, ſed primo voces, & deinde his mediantibus cogitationes, & ſic quoque cum reliquis ſcripturæ generibus eſt comparatum. Scriptura vero extraordinaria obtinuit olim in hieroglyphicis Ægyptiorum atque hodienum in Sinenſium monumentis, itemque in Chemicorum & Aſtronomorum ſignis obtinet. Sic v. g. ♂, quod notat Chemicis ferrum, Aſtronomis planetam Martem; & ♄, quod apud Chemicos ſignificat plumbum, apud Aſtronomos Saturnum, & alia ſigna pertinent ad ſcripturam extraordinariam. Denotant enim hæc ſigna non immediate voces & his mediantibus demum cogitationes quaſdam, ſed res ipſas proxime & immediate.

§. CCXXXVIII.

Formula ſignis vel ordinariis, vel extraordinariis poteſt exprimi.

Omnis formula ſignis eſt exprimenda §. CCXXVI. Jam ſigna cogitationum ſunt vel ordinaria, vel extraordinaria §. CCXXX. Ergo omnis formula ſignis cogitationum vel ordinariis, vel extraordinariis poteſt exprimi.

§. CCXXXIX.

Formula ſignis ordinariis ad ſenſum auditus, vel viſus pertinentibus exprimi poteſt.

Omnia formula ſignis cogitationum ordinariis poteſt exprimi §. CCXXXVIII. Jam ſigna cogitationum ordinaria referuntur vel ad ſenſum viſus, vel auditus §. CCXXXII. Ergo omnis formula ſignis cogitationum ordinariis exprimi poteſt, quæ referuntur vel ad ſenſum auditus, vel viſus.

§. CCXL.

Formula vocibus exprimi poteſt.

Omnis formula ſignis cogitationum ordinariis exprimi poteſt, quæ pertinent ad ſenſum auditus §. CCXXXIX. Jam ſigna cogitationum ordinaria, quæ pertinent ad ſenſum auditus, dicuntur voces §. CCXXXIII. Ergo omnis formula vocibus exprimi poteſt.

§. CCXLI.

Scholion.

Apparet ex hoc §. CCXL. Medicos peccare, qui formulam definiunt per præſcriptum medicamenti a Medico ad pharmacopœum, chartulæ ſive ſchedulæ inſcriptum. Nonne Medicus, ſi pharmacopœo vel alii ſcientia medicamenti præparandi inſtructo præſens eſt, formulam æque vocibus, ac calamo exprimere poteſt? Nemo certe hoc negare audebit.

§. CCXLII.

Omnis formula ſcriptura exprimi ſolet.

Omnis formula ſignis cogitationum ordinariis, quæ pertinent ad ſenſum viſus, exprimi poteſt §. CCXXXIX. Jam ſigna cogitationum ordinaria, quæ ad ſenſum viſus pertinent, ſcripturæ nomine veniunt §. CCXXXIV. Omnis igitur formula ſcriptura exprimi poteſt. Atque hoc plerumque fieri ſolet.

§. CCXLIII.

Formula ſcriptura vel ordinaria vel extraordinaria exprimi poteſt.

Omnis formula ſcriptura exprimi poteſt §. CCXLII. Jam ſcriptura eſt vel ordinaria, vel extraordinaria §. CCXXXVI. Ergo omnis formula ſcriptura vel ordinaria, vel extraordinaria exprimi poteſt.

§. CCXLIV.

Scholion.

Verum eſt, omnem formulam ſcriptura vel ordinaria, vel extraordinaria exprimi poſſe §. CCXLIII. ſed more non eſt receptum, ut formula, quæ eſt ſcribenda, tota vel ſcriptura ordinaria, vel extraordinaria exprimatur, ſed partim ſcriptura ordinaria, partim extraordinaria deſignari ſolet. Hoc vero nec neceſſarium eſſe, nec ad formulæ eſſentiam pertinere, ſed plane arbitrarium & tantummodo ita uſitatum eſſe, ſatis ſuperque apparet. Sic hæc formula:

> ♃. 🜍is ♁ii ☉rat ult. ⫟tion.
> ♀i ⊕-lat. āā gr. VI.
> conch. ppt. gr. VIII.
> M. F. pulvis.

maxima ex parte ſcriptura extraordinaria, ex alia vero parte, minima certe, ordinaria ſcriptura eſt expreſſa. Sed quæritur, num ille ſit reprehendendus, an non? qui ſcriberet ita:

> Recipe: Sulphuris antimonii aurati ultimæ præcipitationis,
> tartari vitriolati, ana grana ſex,
> concharum præparatarum, grana octo.
> Miſceatur, fiat pulvis.

Reſpondeo: hic formulam ſcripſit regulis ad eſſentiam ejus pertinentibus exacte reſpondentem, nec ulla in re eſt reprehendendus, niſi in eo, quod in ſcribenda formula modum ſcripturæ a Medicis receptum non fuerit ſecutus.

§. CCXLV.

Cur ſigna formulæ inventa fuerint.

Hic poſterior modus exprimendi formulam ſine characteribus, de quo §. CCXLIV. dictum eſt, Medicis nimis prolixus forſan, ut mea fert opinio, & moleſtus eſt viſus, eamque ob cauſam, ut huic mederentur incommodo, & brevius exprimerent formulam, invenerunt certos characteres, ſive ſigna. Sed alia quoque iis eſſe potuit ratio characteres excogitandi, ut nimirum

ea in formula celarent, quæ aliis ſcitu nec neceſſaria, nec ſcire licita fuerunt.

§. CCXLVI.

Signa formulæ reſpiciunt vel formam, vel materiam medicamenti.

Cum formula determinet tam formam, quam materiam medicamenti §. IV. V. ſigna circa formulam occurrentia reſpiciunt vel formam, vel materiam medicamenti.

§. CCXLVII.

Signa reſpicientia materiam medicamenti reſpiciunt quoque ingredientia medicamenti.

Ea, quæ materiam medicamenti conſtituunt, dicuntur ingredientia ejuſdem §. VIII. Jam ſigna in formula reſpiciunt vel materiam medicamenti, vel ejuſdem formam §. CCXLVI. Ergo ea ſigna circa formulam occurrentia, quæ reſpiciunt materiam medicamenti, reſpiciunt quoque ingredientia medicamenti.

§. CCXLVIII.

Signa ingredientium ſunt iterum duplicia.

Signa, quæ reſpiciunt ingredientia medicamenti, ſpectant porro eorum vel qualitatem, vel quantitatem.

§. CCXLIX.

De ſignis ingredientium quoad qualitatem.

Signa ingredientium medicamenti quoad qualitatem in omnibus Lexicis pharmaceuticis occurrunt, ut ſupervacaneum ſit, ea hic loci repetere.

§. CCL.

De ſignis ingredientium quoad quantitatem.

Signa ingredientium quoad quantitatem ſunt p, quod denotat pugillum, & m, quod denotat manipulum. Reliqua huc pertinentia jam indicata ſunt §. CCIII. ideo ea pariter hic repetere nolo.

§. CCLI.

Quænam ſigna Medico in formula ſint eligenda.

Cum ſignum ſit objectum externum, cujus repræſentatio in alio excitare debet repræſentationem rei alterius cum ipſo conjunctæ §. CCXXVII. Medico ſignis in formula, ad quam quis medicamentum præparare debet, uſuro, talia eligenda ſunt ſigna, quorum repræſentationes excitant in alio, qui medicamentum præparare debet, cogitationes illarum rerum, quas cum iſtis ſignis conjunxit.

§. CCLII.

Quænam ſigna porro Medico in formula vitanda ſint.

Medicus ſignis in formula, ad quam quis medicamentum præparare debet, uſurus, ejuſmodi adhibere debet ſigna, quorum repræſentationes excitant in alio, qui medicamentum ad formulam datam præparare debet, cogitationes illarum rerum, quas cum ſuis ſignis conjunxit §. CCLI. Qua de re ipſi ejuſmodi ſignis in formula uti non licet, quorum repræſentationes in illo, qui medicamentum ad hanc præparare debet, vel plane nullas excitant cogitationes illarum rerum, tanquam cum iſtis conjunctarum, vel illas quidem, ſed & præterea alias, quas cum ſignis ſuis nec conjunxit, nec conjungendas eſſe voluit.

§. CCLIII.

Definitio ſigni ignoti & æquivoci.

Si quod ſignum in alio nullam excitat cogitationem alterius rei, tanquam cum ipſa conjunctæ, hoc alii eſt ignotum; ſi vero quoddam ſignum in alio excitare quidem poteſt cogitationem ejus rei, quam quis cum ipſo conjunxit, ſed præterea etiam aliam, quam cum ſigno ſuo non conjunxit, ita, ut alius neſciat, utra ſigno indicetur, hoc alii eſt æquivocum.

§. CCLIV.

Medicus in formula non debet adhibere ſigna, quæ præparanti medicamentum ſunt ignota vel æquivoca.

Medicus ſignis in formula uſurus non ejuſmodi debet adhibere, quarum cogitationes in illo, qui medicamentum ad hanc præparare debet, vel plane non excitant cogitationes illarum rerum, quas cum iſtis conjunxit, vel illas quidem, ſed & præterea alias, quas cum ſignis ſuis nec conjunxit, nec conjungendas eſſe voluit §. CCLII. Jam priora ſigna ſunt ignota, poſteriora æquivoca §. CCLIII. Ergo Medicus ſignis in formula uſurus non adhibere debet ſigna, quæ præparanti ad hanc medicamentum ſunt æquivoca, vel ignota.

§. CCLV.

Quæ Medico circa ſigna §. CCXLIX. ſint obſervanda.

Hoc, quod demonſtravi de ſignis in genere §. CCLI. -- CCLIV. valet quoque de ſignis allegatis §. CCXLIX. Qua de re Medicus in eo caute & circumſpecte agere, nec iis ſignis promiſcue in formulis uti debet, niſi certus ſit, ea præparanti medicamentum ad formulam eſſe nota. Eum præterea ſigna, ſi quibus uti velit, diſtincte exprimere debere, ut præparans medicamentum illa cognoſcere poſſit, facile patet.

SECTIO VII.

De qualitatibus formulæ accidentalibus.

§. CCLVI.

De qualitatibus formulæ accidentalibus in genere.

NEc eſt neceſſarium, nec ad formulæ eſſentiam pertinet, ut ea in chartula ſcribatur §. CCXLI. Qua de re qualitates, quæ formulæ, reſpectu modi illam ſcribendi, competunt, non erunt neceſſariæ, ſed accidentales tantum. Quoniam vero more eſt receptum, & plerumque fieri ſolet, ut formula ſchedulæ inſcribatur, qualitates quoque accidentales, quæ ipſi hoc reſpectu propriæ ſunt, noſſe debet Medicus formulam præſcripturus, ne morem, qui hac in re obſervatur, vel ignoraſſe, vel neglexiſſe videatur.

§. CCLVII.

De inſcriptione formulæ.

Pertinet vero ad qualitates formulæ accidentales *inſcriptio*, quæ in fronte chartæ, cui formula inſcribitur, poni, & ſigno quodam pium votum indicare ſolet. Variat vero pro arbitrio Medici, & quiſque hanc vel illam ſibi fingere & uſurpare poteſt. Alii utuntur hac: †, alii iſta: C. D, alii ſic ſcribunt in fronte formulæ: J. D. vel, quod magis eſt uſitatum, ⌗ & $\frac{\alpha}{\omega}$. A multis omittitur, nec ſine peccato.

§. CCLVIII.

De initio formulæ.

Formulæ initium, quod ejus inſcriptione magis eſt uſitatum, nota: Rec. vel ℞, quod ſignificat: recipe, deſignari ſolet, quo veluti jubetur pharmacopœus, ea, quæ ſequuntur, accipere. Vocabulum latinum barbarum, recepta, & germanicum *Recept*, inde habet ſuam originem.

§. CCLIX.

De ordine, quo ingredientia ſcribuntur.

Ordo, quo formulæ ingredientia ſcribuntur, pariter eſt referendus ad qualitates ejus accidentales. Varius enim eſt in variis formularum ſpeciebus, nec in una eademque formulæ ſpecie unus idemque obſervatur. In genere tamen eſt notandum, primo, quod quodvis ſingulare ingre-

ingrediens in ſingulari ſcribi ſoleat linea, nec duo vel tria continuo juxta ſe mutuo ponantur. Sic ſcribi non ſolet:

℞. Lapidum Cancrorum ppt., Cornu Cervi uſti, Antimonii diaphoretici, ana, ʒj. florum ſulphuris, ʒß. M. F. Pulvis, ſed ita:

℞. Lapidum Cancrorum ppt.,
Cornu Cervi uſti,
Antimonii diaphoretici, ana, ʒj.
Florum Sulphuris, ʒß.
M. F. Pulvis.

Deinde ingredientia ejuſdem ſpeciei ſibi mutuo proxime ſubjungi ſolent, ut radix radici, herba herbæ, aqua aquæ &c. Tum ſpecie diverſa juxta quantitatem, qua recipiuntur, plerumque in ſcribendo collocantur, ita, ut iſta, quæ majori præſcribuntur quantitate, reliquis præponantur, nullo habito ad baſin reſpectu, num ſcilicet primo, an alio loco ponatur. Sic v. g. in potionibus, electuariis & bolis, aquæ & conſervæ, quæ tanquam excipientia majori doſi præſcribuntur, primum occupant locum. In emplaſtris autem & morſulis excipientia reliquis poſtponuntur. Alias *baſis* primum tenet locum, alterum *adjuvans*, tertium *corrigens*, poſtremum *conſtituens*. Denique hoc eſt notandum, quod ea, quæ præſcribuntur quantitate non definita, vel ex reliquorum ſaltem ingredientium quantitate definienda, fere ultimum ſemper occupent locum. Dantur interea harum regularum exceptiones poſtea indicandæ.

§. CCLX.

De modo ſcribendi ingredientia nominis communis.

Si plura ejuſdem ſpeciei ingredientia, uti dictum eſt §. CCLIX. ſibi mutuo proxime ſubjunguntur, primo tantum nomen ſpeciei omnibus commune præfigitur, reliquorum vero nomina tantum propria deinceps ſub nomine proprio primi ita collocantur, ut cuivis ſingularis detur linea. Sic ſcribi non ſolet:

℞. radicis chinæ
radicis ſalſaparillæ
radicis ſcorzoneræ āā ℥ß, ſed ita:

℞. radicum chinæ
ſalſaparillæ
ſcorzoneræ āā ℥ß.

Hoc igitur quomodo in reliquis formularum ſpeciebus ſit adplicandum, facile eſt conceptu.

§. CCLXI.

Quænam porro Medico ſcribenti formulam ſint obſervanda.

Porro Medicus diſtincte ſcribat, neque negligenter literas pingat, utpote ex quo, pharmacopoeo ſcriptionem non intelligente, & aliud pro deſignato minus utile vel plane noxium ſubſtituente, magnum, uti experientia docet, ægro conciliari poteſt damnum. Nec peccet contra orthographiam, ne ſe pharmacopoei aliorumque ludibrio exponat, atque inconditum ſcriptionis exceſſum vitet.

SECTIO VIII.

De regulis in Formularum præſcriptione obſervandis.

§. CCLXII.

Medicus formulam non debet præſcribere ſine ratione.

Cum Medicus nihil agere debeat ſine ratione ſufficiente, nec formulam præſcribere debet, niſi ipſi ratio ſit ſufficiens. Hinc nunquam tumultuario, ſed ſemper ex indicatione prius rite deducta, agat.

§. CCLXIII.

Ratio eſt vel extrinſeca, vel intrinſeca.

Ratio ſufficiens, quæ Medicum determinat, ut formulam præſcribat, vel latet in natura morbi, vel extra illam. Hæc mihi audit ratio ſufficiens extrinſeca, illa intrinſeca.

§. CCLXIV.

Medicus formulam præſcribere non debet, niſi ipſi ſit ratio vel extrinſeca, vel intrinſeca, vel utraque.

Cum Medicus formulam præſcribere non debeat, niſi ipſi ſit ratio ſufficiens, quæ illum ad hoc determinat §. CCLXII. & hæc ratio vel ſit intrinſeca, vel extrinſeca §. CCLXIII. Medicus formulam non debet præſcribere, niſi ipſi ratio ſit ſufficiens vel extrinſeca, vel intrinſeca, vel utraque; e contrario vero formulam concinnare debet, ſi ipſi ratio ſufficiens ſit vel extrinſeca, vel intrinſeca, vel utraque.

§. CCLXV.

In quibuſnam caſibus Medicus formulam præſcribere debeat, & in quibus non.

Si vel naturæ robur adhuc præſens ſufficit ad morbum tollendum, vel morbus nullam plane admittit medelam, vel, ſi admittit, majus exinde naſcitur damnum, vel dubia ac incerta adhuc eſt morbi indoles, nulla Medico eſt intrinſeca ratio §. CCLXIII. quæ illum determinare poſſit, ut formulam præſcribat. Cum vero pleriſque, ſuæ ſanitatis curam Medico committentibus, nimis durum ſit, ab illo penitus deſtitui, atque id eos in majorem ſuæ ſalutis deſperationem adducat, nec conſilii, nec arti medicæ laudi ſit, ejus prodere imperfectionem, hæ ſi occurrunt circumſtantiæ, largiuntur Medico rationem ſufficientem externam, cur formulam præſcribere debeat. Sunt vero medicamenta huic ſcopo idonea illa, quæ ex inertioribus conflantur, ut emulſiones, mixturæ, pulviſculi inefficaces & id genus alia. Hæc, ſi vel maxime nihil efficiant, tranquillum tamen reddunt ægrum, qui ſæpe mavult pia fraude decipi, quam a Medico deſtitui.

§. CCLXVI.

Medico eſt determinanda formulæ ſpecies.

Quodſi ergo Medico eſt ratio ſufficiens illum determinans, ut formulam præſcribat, porro ipſi formulæ ſpecies eſt determinanda, id quod facile facere poteſt, ſi doctrinam indicationum habet cognitam & perſpectam.

§. CCLXVII.

Quodnam medicamentum altero ſit perfectius.

Cum medicamentum ſit medium, quo Medicus utitur ad finem ſuum obtinendum, qui eſt ſanitas, & medium eo ſit perfectius, quo aptius eſt, ut per id finis obtineri queat, medicamentum eo eſt perfectius, quo aptius eſt, ut per id finem ſuum aſſequi poſſit Medicus, ſive, ut ejus ope ſanitas obtineri poſſit.

§. CCLXVIII.

Medicus eligere debet medicamentum ſcopo ſuo maxime appropriatum.

Cum medicamentum eo ſit perfectius, quo aptius eſt, ut eo finem ſuum aſſequi poſſit Medicus §. CCLXVII. eligere debet in quovis caſu medicamenta ſcopo ſuo conſequendo maxime appropriata.

§. CCLXIX.

Quo tutius eſt, quo citius agit, & quo jucundius eſt medicamentum, eo eſt perfectius.

Cum medicamentum eo ſit aptius, ut eo finem ſuum aſſequi poſſit Medicus, quo vel tutius, vel citius, vel quo majori cum jucunditate ſanitati conducit, & medicamentum eo ſit perfectius, quo aptius eſt, ut eo finem ſuum aſſequi poſſit Medicus §. CCLXVIII. medicamentum eo erit perfectius, quo vel tutius, vel citius, vel quo majori cum jucunditate, reliquis circumſtantiis id permittentibus, ſanitati conducit.

§. CCLXX.

Hoc medicamentum eſt eligendum, quod vel tutius, vel citius vel majori cum jucunditate ſanitati conducit.

Cum medicamentum eo ſit perfectius, quo vel tutius, vel citius, vel majori cum jucunditate, circumſtantiis occurrentibus minime contrariis, ſanitati conducit §. CCLXIX. Medicus, reliquis circumſtantiis id non prohibentibus, medicamentum eligere debet, quod vel tutius, vel citius, vel majori cum jucunditate ſanitati ſub modo dicta conditione conducit.

§. CCLXXI.

Nova, nondum explorata, inconſueta non adhibere debet Medicus.

Cum medicus ex utriſque medicamentis ipſi occurrentibus, quibus finem ſuum aſſequi, ſed quorum uno finis hic tutius obtineri poteſt, illud eligere debeat, quo tutius ejus finis impetrari poteſt §. CCLXX. nova, nondum explorata, inconſueta, cum minus tuta ſint, non adhibere debet, ſi aliis, veteribus nempe, probe exploratis, conſuetis, cum ea magis tuta ſint, idem præſtare poſſit. Quodſi vero hoc circumſtantiæ in caſu obvio occurrentes non permittant, illis utatur ſumma cum prudentia, ne famæ incurrat periculum.

§. CCLXXII.

Hoc, quod dixi, inprimis notandum circa uſum heroicorum.

Hoc, quod dixi §. CCLXXI. maxime obſervandum eſt circa uſum medicamentorum heroicorum, ad quæ pertinent purgantia draſtica, emetica, opiata, ex mercurio præparata, & alia §. CLIX. maxime in ſubjectis debilioribus, aut valde ſenſibilibus, ne vehementiæ remedii ſuccumbant, in artis medicæ Medicique opprobrium. A draſticis igitur purgantibus eſt abſtinendum, ſi mitiora ſufficiunt, & idem quomodo ad reliquorum medicamentorum heroicorum uſum ſit applicandum, facile patet.

§. CCLXXIII.

Obſoletis non utatur Medicus.

Ab uſu obſoletorum & effœtorum, quoniam vel ſuam, ſi non totam, ex parte tamen amiſerunt virtutem, vel per moram corrupta alienam & noxiam aſſumſerunt indolem, abſtineat Medicus, ne vel ægro noxam cauſetur, vel ſaltem effectu fruſtretur. Patet exinde ratio, cur præſtet, medicamenta ex officina pharmaceutica celebriore, in qua multa diſtrahuntur, depromere, cum frequentior diſtractio frequentiorem requirat renovationem. Si cui vero bona fides & peritia Pharmacopœi jam nota eſt & perſpecta, ex ejus officina, ſi vel maxime adeo celebris non ſit, ſua quoque depromere poteſt medicamenta.

§. CCLXXIV.

Ingrata, quantum fieri poteſt, vitentur.

Quæ ægris ingratas excitant ſenſationes, quantum fieri poteſt, vitentur, vel parciori ſaltem quantitate cum aliis remixta artificioſe abſcondantur, cum Medicus illud præ alio eligere debeat medicamentum, quod cum emolumento, quod exinde naſcitur ſanitati, illo majorem jucunditatem habet conjunctam §. CCLXX. Conſultius enim eſt, nullum, quam ejuſmodi exhibere remedium, a quo natura abhorret; id quod in fœminis præcipue hyſtericis, infantibus, aliiſque ſubjectis, ſenſatione magna præditis, eſt obſervandum.

§. CCLXXV.

Idioſyncraſiæ ratio eſt habenda circa uſum remedii.

Quæ igitur cum ita ſint, nonnunquam convenit in ægri idioſyncraſiam, reſpectu cujuſdam remedii, inquirere, utpote qua efficitur, ut remedium, quod alias ex omni parte abſolutum eſt, vel plane non, vel ſaltem ſine noxa applicari nequeat.

§. CCLXXVI.

Medicus non præſcribat difficulter parabilia, vel ea præparet ipſe.

Si Medicus de fide & dexteritate præparantis non eſt certus, præſtat, Medicum ea, quæ accuratiorem & difficiliorem expoſcunt præparationem, medicamenta, vel plane non præſcribere, vel propria ſaltem exhibere manu.

§. CCLXXVII.

A pretioſis abſtineat Medicus, niſi id exigant circumſtantiæ.

Pretioſiora medicamenta non adhibeat Medicus, ſi idem minus pretioſis efficere poteſt, quod plerumque obtinet. Unde patet, quod Medicus in præſcribendo conſulere ægrotantium crumenæ, nec pauperibus inprimis ordinare debeat pretioſa, qualia ſunt bezoar, ninſi, gemmæ, margaritæ, aut chemica illa magiſteria, quorum maxima pars non minimam promiſſi explet partem. Ditiorum interea luxui hic aliquid det, & eorum opinioni, qui ſæpius ex pretio vim remedii æſtimant, ſe accommodet Medicus.

§. CCLXXVIII.

Indigena exoticis non ſunt ſine ratione anteponenda.

Si indigena æque ſcopo Medici ſatisfaciunt, ac exotica, illa his non præferat, quoniam minus fraudibus ac corruptioni ſunt obnoxia.

§. CCLXXIX.

Quomodo Medicus ſe gerere debeat circa uſum conſuetorum.

Vulgus, & qui ejus opinione ſunt capti, putant communia, conſueta, ipſiſque nomine, ſapore aliiſque qualitatibus nota, longe minorem, quam ſingularia, inconſueta & ipſis incognita, ſanitati afferre utilitatem. Medicus ergo hæc ſciens bene & prudenter agit, dum illa, ſi iis uti velit & debeat, ſub titulo minus uſitato & aliis commixtis tecta præſcribit, ne ea vel horreant, vel plane tanquam nihil præſtitura aſpernentur.

§. CCLXXX.

Medicus ſimplicitati & brevitati formulæ ſtudeat.

In præſcribendis remediis ſimplicitati & brevitati ſtudeat Medicus, & ſi nativa & præparata, ſimplicia & compoſita eadem gaudent virtute, nativa præparatis, & ſimplicia compoſitis præferat.

§. CCLXXXI.

Materiam medicam & appellationes varias medicamentorum ſciat.

Uti accurata materiæ medicæ cognitio Medico formulam præſcripturo ſcitu utilis eſt & neceſſaria, ſic illa inprimis, quæ in pharmacopoliis loci, in quo praxin exercet, proſtant, cognita habere debet, ne talia præſcribat, quibus carent officinæ, & Pharmacopœus aliud pro alio ſubſtituat, quod plerumque fieri ſolet. Porro præter vires & doſes medicamentorum varias uſitatas, eorum appellationes ut ſciat neceſſe eſt, ne idem remedium eadem in formula ſub variis nominibus præſcribat.

§. CCLXXXII.

§. CCLXXXII.

Conſiſtentiæ medicamentorum, tam ſimplicium, quam compoſitorum ſit gnarus.

Neque minus medicamentorum, tam ſimplicium, quam compoſitorum, conſiſtentiæ gnarus ſit Medicus, ne partim formam alienam, vel menſuram præſcribat impropriam, partim vero ne ea in una eademque formula combinet, quæ ſimul apte & ſine mutatione incongrua miſceri, vel miſta commode adhiberi nequeunt.

§. CCLXXXIII.

Principia, vires, & mutuas habitudines medicamentorum cognitas habere debet.

Opus præterea eſt, ut Medicus principia, vires atque mutuas medicamentorum tum ad ſe invicem, tum ad inſtrumenta, quibus præparantur, habitudines, probe cognita atque explorata habeat, ne talia conjungat in uno eodemque medicamento, quæ 1) effectum, qui hoc intenditur, vel plane deſtruunt, vel ſaltem impediunt, vel alienum producunt, 2) virulentiam juncta contrahunt, uti ex mercurio dulci cum ſalibus mediis combinato patet, 3) mixta ſe pertinaciter reſpuunt, vel odorem tetrum ſpirant.

§. CCLXXXIV.

Medicus officinalia remedia noſſe debet.

Porro Medicus medicamentorum compoſitorum officinalium ingredientia noſſe debet, ne ex tempore componenda jubeat, quæ jam compoſita proſtant, vel illa medicamentis officinalibus addat, quæ eorum jam ingrediuntur compoſitionem, niſi id poſtulet indicatio.

§. CCLXXXV.

Quomodo in eligenda formulæ ſpecie ſe gerat Medicus.

Si remedia, quorum uſum poſtulat indicatio, in quamcunque formulæ ſpeciem commode redigi poſſunt, ex ægro quære, quamnam præ reliquis amet, & cuinam adſueverit, ſed ſimul, dum ægri arbitrio hac in re te accommodas, morbi naturæ, vis, ſymptomatum aliorumque, qui morbum primarium in ægro comitantur, affectuum rationem habe. Nam morbus quidam, qui curandus eſt, non omnes ferre poteſt formulas, ſed peculiares, eas nempe, quæ indicationibus ex eo depromtis reſpondent.

§. CCLXXXVI.

Cur non plures regulæ afferantur.

Multas in præſcribendis formulis obſervandas ſupereſſe regulas probe ſcio, ſed quoniam hæ maxima ex parte ad methodum medendi pertinent, utpote in qua pertractari ſolent, & lectoribus præterea plurimis ſaltem moleſtum eſt, ſi in generalibus nimis ſim longus, eas mittam & potius ad ſpecialiora tranſeam.

PARS SECUNDA
DE
FORMULIS IN SPECIE.

SECTIO I.

De ſpeciebus medicamentorum internorum.

§. CCLXXXVII.

Medicamenta omnia ſunt vel externo, vel interna.

OMNIA medicamenta vel ori ingeſta deglutiuntur, vel non, ſed extrinſecus applicantur. Illa Medicis audiunt *interna*, hæc *externa*. Omnia ergo medicamenta ſunt vel interna, vel externa. Atque hæc ſumma medicamentorum eſt diviſio.

§. CCLXXXVIII.

Interna medicamenta ſunt vel fluida, vel non.

Quod medicamenta interna, de quibus hic agendum eſt, attinet, illa ſunt vel fluida, vel non fluida. Non fluida iterum ſunt vel ſicca, ſive ſolida, vel mollia.

§. CCLXXXIX.

De pilulis, trochiſcis, rotulis, morſulis.

Interna medicamenta ſicca conſtant ex partibus vel cohærentibus & cohæſione ſua totum integrum conſtituentibus, vel non. Si poſterius, hoc eſt, ſi medicamentum internum ſiccum conſtat ex partibus inter ſe nec cohærentibus, nec totum integrum conſtituentibus, audit *pulvis*, & præcipue *internus*. Si prius, hoc eſt, ſi medicamentum internum conſtat ex partibus inter ſe cohærentibus & totum integrum conſtituentibus, certum exinde oritur totum, certa figura præditum. Pro varietate figuræ hujus totius varias medicamentum nanciſcitur denominationes. Sic *pilularum* nomine venit, ſi figura hujus totius eſt ſphærica; *trochiſcus* appellatur, ſi ejus figura eſt circularis utrinque plana ex una facie ſigno, ut ſtella, deſignata; *rotula*, ſi eadem eſt circularis & plano-convexa; & *morſulus*, ſi figura eſt oblonga quadrata.

§. CCXC.

Scholion.

Morſuli vocantur quoque *tabulæ*, *teſſellæ*, *teſſellulæ*, *electuaria ſolida*. *Rotullæ* vero appellantur etiam *orbiculi*, *orbiculæ*.

§. CCXCI.

De eclegmate, electuario & bolo.

Medicamenta interna mollia, pro diverſo eorundem mollitiei gradu, in diverſas abeunt ſpecies. Sic medicamentum internum molle dicitur *eclegma*, *linctus*, *looch*, ſi tantæ eſt mollitiei, quantæ ſyrupus, & ejus inſtar lente diffluit; *electuarium*, ſi minorem, quam eclegma, habet mollitiem, & *bolus*, ſi electuario ratione mollitiei cedit, & buccellæ quantitate definitur.

§. CCXCII.

De decoctis & infuſis.

Interna medicamenta fluida vel conſtant ex unico fluido, vel ex commixtione plurium diverſorum. Si prius, hoc eſt, ſi medicamentum fluidum internum conſtat ex unico fluido, vel

ſimul ſolidum adſumitur, vel non. Si ſimul ſolidum aſſumitur, & fluidum ex ipſo nobiliores & ſolubiles extrahit partes, aliis inſolubilibus relictis, nominatur *decoctum*, ſi hoc fit ope ebullitionis; & *infuſum*, ſi fit ſine ebullitione, ope tantum macerationis. Unde patet, *infuſum* eſſe medicamentum internum fluidum, ex menſtruo liquore, materiæ ſolidæ ſolvendæ parte aliqua ope macerationis citra ebullitionem imbuto, conſtans; *decoctum* vero itidem eſſe medicamentum internum fluidum, ſimile infuſo, ſed menſtruo liquore cum materia ſolida ſolvenda ad ignem ebulliente paratum.

§. CCXCIII.

De mixtura diffuſiſſima, media, concentrata, & julepo.

Internum medicamentum fluidum, ex commixtione plurium diverſorum conſtans, vocatur generali nomine *mixtura*, in ſpecie 1) eſt *diffuſiſſima*, & *julepus* audit, ſi eſt dilutiſſima, fere diaphana, ex ſapore, odore, colore, jucundioribus conflata, & potum ſuavem exhibet pluribus doſibus deſtinatum; 2) *media*, quæ proprie mixtura vocatur, julapio ſpiſſior, minore mole efficax, quacunque dote, injucundiora etiam admittens, una vel pluribus doſibus, haud tamen per guttas determinatis, conſtans; *concentrata*, ſeu *guttæ*, quæ minore, quam prior, mole efficax, ex ſpirituoſis tantum & ejuſmodi liquidis, quorum virtus ſub exiguo volumine latet, conflata eſt, & doſin per guttas determinatam ſaltem admittit.

§. CCXCIV.

De tinctura, eſſentia, elexirio.

Si medicamentum fluidum, quod, cum ſolido conjunctum, ejus partes nobiliores vel ex parte, vel ex toto extraxit, habet colorem diaphanum, dicitur *tinctura*; *eſſentia*, ſi color ejus minus eſt diaphanus, & conſiſtentia major, quam tincturæ; & *elexir*, ſi magis obſcurum habet colorem, majoremque conſiſtentiam, quam eſſentia.

§. CCXCV.

Scholion.

Neque Medici, neque Pharmacopoei accurate obſervant differentiam, quæ eſt inter *tincturam*, *eſſentiam* & *elexir*, ſed appellationem ſæpe variant. Secundum accuratam autem diſtinctionem modo jam dicto §. CCXCIV. ſunt diſtinguendæ, ita, ut illa menſtrua, quæ colorem habent diaphanum, ſive ſit ruber, ſive flavus, ſive viridis, ſive cœruleus, *tincturæ*; ea contra quæ minus pellucidum colorem, & magis ſaturatam, quam tincturæ, habent conſiſtentiam, *eſſentiæ*; & ea, quæ magis obſcuro colore & majore his conſiſtentia prædita ſint, *elexiria* appellentur. Videatur hac de re Excellentiſſimus, JUNCKERUS in *Conſpectu Formularum* p. 52. Celeberimus NEUMANNUS in *Prælectionibus chemicis* a D. D. ZIMMERMANNO editis *P. I. cap. X.* & Doctiſſimus BALTHASAR, in libro *de doſibus medicamentorum* §. CCCLXXVI. qui omnes mecum conſentiunt. Qua de re, ſi quod liquidum tincturæ, eſſentiæ & elexirii nomine inſignitur, nec tamen modo dictos characteres habet, non proprie & legitime nomen ſuum gerit.

§. CCXCVI.

De potionibus & emulſionibus.

Species mixturæ mediæ eſt *potio*, per quam intelligitur medicamentum internum fluidum, in quo vel ſolida pulverulenta, vel mollia ſolubilia, vel fluida concentratæ virtutis, tanquam in apto vehiculo, incluſa ſunt. *Potiones* differunt a *julepis*, quod hi conſiſtentiæ ſint tenuioris, dilutioris & fere diaphanæ, illæ vero turbidiores & ſpiſſiores. Si medicamentum internum liquidum, mediante aqua ex ſeminibus lacteſcentibus paratum, & conſiſtentia & colore utcunque lacti eſt ſimile, dicitur *emulſio*.

SECTIO II.

De formula pulveris interni.

§. CCXCVII.

Quid ſit pulvis.

PUlvis internus eſt medicamentum internum ſiccum, in particulas parvas inter ſe non cohærentes comminutum & æquabiliter miſtum.

§. CCXCVIII.

Pulvis eſt vel ſimplex vel compoſitus, vel magiſtralis vel officinalis.

Cum omne medicamentum ſit vel ſimplex, vel compoſitum §. XXXV. vel officinale, vel magiſtrale §. XXXI. & vel abſolutum, vel relativum §. XII. pulvis, dum pariter eſt medicamentum §. CCXCVII. eſt vel ſimplex, vel compoſitus; vel magiſtralis, vel officinalis; vel relativus, vel abſolutus.

§. CCXCIX.

De tribus ſpeciebus pulverum.

Cum pulvis ſit medicamentum ſiccum, in parvas particulas inter ſe non cohærentes comminutum §. CCXCVII. pro gradu tenuitatis partium ejus vario modo dividitur. Sic pulvis, ſi ejus partes ſunt ſubtiliſſimæ, ita, ut pollinem impalpabilem, quem vulgo *alcohol* vocant, referant, dicitur *ſubtiliſſimus*, ſive *alcohol*; *groſſus*, ſive *tragea*, ſi partes ejus ſunt craſſiores; & *ſimpliciter pulveris* ſive *ſpecierum* nomen gerit, ſi partes ejus mediæ ſunt ſubtilitatis. Ad hanc ſpeciem pulveris pertinent e. g. *ſpecies imperatoriæ*, *diacinnamomi*, *diarrhodon Abbatis*, *pulvis ſtomachicus Birckmanni.*

§. CCC.

Demonſtrata applicantur ad formulam pulveris.

Quæ demonſtravi §. IV. V. IX. XI. XVI. XVII. XVIII. XIX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXIX. XXXIII. valent quoque de formula pulveris, uti unicuique hæc penſitanti facile patebit, ita, ut ſupervacaneum eſſe ducam, ea longa ſyllogiſmorum ſerie applicare ad formulam pulveris.

§. CCCI.

Quænam materiem pulveri interni præbeant.

Cum pulvis ſit medicamentum internum ſiccum, in parvas particulas non cohærentes redactum §. CCXCVII. ſequitur, ut omne id materiam pulveri præbeat, quod interno uſui aptum vel ex ſe, vel ſub aliorum miſcela in partes minutas non cohærentes redigi poteſt. Huc igitur inſerviunt ſimplicia quævis regni triplicis ſicca, friabilia, interno uſui apta, nec non præparata & compoſita ſimilia.

§. CCCII.

Num ſpiſſa, mollia & liquida materiam pulveri præbeant.

Cum ſpiſſa & mollia, ut ſucci expreſſi, extracta, electuaria, immo liquida, ut balſama liquida & olea, non per ſe quidem & ſola in partes minutas non cohærentes redigi poſſint, eam ob cauſam & eatenus materiam pulveri non præbent §. CCCI. Nihilominus tamen eatenus materiam pulveris conſtituunt, quatenus in debita quantitate cum ſufficiente ſiccorum friabilium

lium quantitate mixta, in partes parvas minus cohærentes comminui poſſunt §. cit.

§. CCCIII.

De ingredientibus pulveris.

Cum ingredientia medicamenti ea ſint, quæ ejus materiam conſtituunt §. VIII. ea erunt ingredientia pulveris, quæ ejus conſtituunt materiam. Patet ergo ex §. CCCI. CCCII. quænam & quam varia ſint ingredientia pulveris.

§. CCCIV.

De ſelectu ingredientium pulveris.

Ne vero promiſcue & ſine ullo diſcrimine ex pulveris ingredientibus quævis congerantur, delectus in his eſt habendus. Qua de re in pulvere ſimplice præſcribendo non tale eſt eligendum ingrediens, quod ſolum in pulveris formam redigi nequit, vel eandem, ſi vel maxime eam aſſumſerit, non diutius retinet. Præterea ingrediens pulveris ſimplicis tale, ſi fieri poteſt, eſt eligendum, quod nec moleſtos, nec noxios producit effectus, vel in, vel poſt aſſumtionem. In pulvere compoſito itidem ea, ſi circumſtantiæ id non prohibent, vitanda ſunt ingredientia, quæ in debitam pulveris formam redigi nequeunt, vel ſi id evitari nequit, cum alio vel aliis ſunt combinanda, quorum ope deſiderata forma exſurgit. Neque minus, ſi per circumſtantias licet, talia in pulvere compoſito non ſunt accipienda ingredientia, quæ ſive in, ſive poſt aſſumtionem, vel moleſtos, vel noxios producunt effectus, vel, ſi id fieri nequit, cum alio vel aliis ſunt commiſcenda, quæ eorum qualitates corrigunt.

§. CCCV.

Specifice leviora & majore mole efficacia, quantum fieri poteſt, in pulvere vitanda, ſunt.

Specifice leviora ſimulque majori tantum doſi efficacia, qualia ſunt vegetabilia, herbæ, flores, folia, &c. interne in pulveris forma adſumenda, magna inferunt incommoda, cum magnam doſis adſumendæ conſtituant molem, & in vehiculo, quo tales pulveres ſumuntur, mox turgeſcant, & uti majorem molem exhibent, ſic majorem etiam excitant in aſſumendo moleſtiam. Jam in pulvere tam ſimplici, quam compoſito, ea, ſi per circumſtantias licet, vitanda ſunt ingredientia, quæ in aſſumendo moleſtias excitant §. CCCIV. Qua de re ſpecifice leviora nec exigua doſi efficacia in pulvere interno, ſi fieri poteſt, non ſunt adhibenda.

§. CCCVI.

Si ſunt adhibenda ſpecifice leviora, iis admiſcenda, ſunt minori doſi efficacia.

Quodſi vero, neceſſitate urgente, ſpecifice leviora & majori tantum quantitate efficacia ſunt adhibenda in pulvere compoſito, illis admiſcenda ſunt alia minore mole efficacia, ut priorum inertiæ ſuccurratur, eorumque injucunditas minuatur.

§. CCCVII.

Gummata in pulvere vix dantur ſola.

Gummata difficulter ſunt friabilia, & in adſumendo per ſalivam diſſoluta, facile lenteſcunt, unde patet, ea minus commode in pulveris formam redigi poſſe, & in adſumendo magnas excitare moleſtias. Jam ea ingredientia in pulvere tam ſimplici, quam compoſito, ſi fieri poteſt, non ſunt adhibenda, quæ vel in pulveris formam redigi non poſſunt, vel in adſumendo moleſtias creant §. CCCIV. Patet ergo ratio, cur gummata in pulvere ſimplici vel plane non, & in compoſito non ſola, ſed cum aliis mixta, dentur.

§. CCCVIII.

Mucilaginoſa, oleoſa & pinguia in pulvere ſimplici non ſunt adhibenda ſed in compoſito cum aridis ſubacta.

Mucilagine & oleo plena, uti ſunt multa ſemina, trita in paſtam coeunt, nec commode in pulveris formam redigi poſſunt. Qua de re ea pulveres ſimplices non ingredi debent §. CCCIV. ſed compoſitos tantum, ita ut cum debita aliorum aridiorum quantitate ſubacta porrigantur §. cit. Idem valet de pinguibus.

§. CCCIX.

Acriora, amariſſima, partibuſque internis adhærentia, non ſunt in pulvere ſimplici adhibenda.

Acriora, amariſſima, partibus internis adhærentia, & hinc vel moleſtos, vel noxios effectus producentia, ex ratione §. CCCIV. adducta non ſunt, ſi fieri poteſt, præſcribenda in pulvere ſimplici, ſed in compoſito, aliis commodis ingredientibus mixta. Et eam ob cauſam reſinæ, inprimis acriores, ſalibus appropriatis, abſorbentibus terreis, ſaccharo, vel olei idonei pauxillo ſubiguntur, ne his mixtæ, partibus internis adhæreſcant, & ut, ſolubiliores redditæ, eo facilius & minori incommodo effectum ſuum edant.

§. CCCX.

Mercurialia ſola in pulvere non dentur, ſed cum aliis mixta.

Præparata mercurialia, generoſiora inprimis, in pulvere ſimplici dare non convenit, quoniam doſis parvitas, in qua porriguntur, repugnat, ideo, ſi in pulvere propinanda ſint, una cum aliis idoneis ingredientibus mixta, in pulvere compoſito præſcribantur. Neque minus tutius videtur, mercurialia iſta pilularum, vel boli, quam pulveris ſpecie exhibere.

§. CCCXI.

Sal alcali fixum in pulvere ſimplici non eſt præſcribendum.

Sal alcalinum fixum quoniam facile deliqueſcit, pulveris formam non retinet. Cum jam pulvis ſimplex ex ingrediente pulveris formam non retinente non ſit conficiendus §. CCCIV. ex ſale alcalino fixo pulvis ſimplex non eſt præparandus. Accedit ad hæc, quod ingrediens pulveris ſimplicis, ſi fieri poteſt, tale ſit eligendum, quod in aſſumendo nullas excitat moleſtias §. CCCIV. Cum vero, experientia teſte, ſal alcalinum fixum urinoſam acrimoniam, quæ admodum moleſta eſt & injucunda, ſecum ferat, alia præterea ſubeſt ratio, cur non ingredientis vicem in pulvere ſimplici explere poſſit.

§. CCCXII.

Sal alcali fixum tanquam ingrediens in pulveribus compoſitis admitti poteſt.

Quamvis ſal alcali fixum ſub pulveris ſimplicis forma porrigi nequeat §. CCCXI. compoſitum tamen pulverem ingredi poteſt, & ingreditur, neceſſitate in caſu obvio alcali fixi uſum in pulvere poſtulante, ita ut ſimul nulla ratio urinoſæ ejus acrimoniæ habenda ſit, ſi nimirum cum aliis ingredientibus, facile ejus deliquium uſque ad certum tempus prohibentibus, miſcetur.

§. CCCXIII.

Salia volatilia non facile ingrediuntur pulveres.

Salia quoque volatilia pulveribus non facile admiſceri ſolent, quoniam odore & ſapore ſunt ingrata, &, niſi mox aſſumantur, vel in vitro probe obturato aſſerventur, exhalant.

§. CCCXIV.

Quomodo corrigantur ſapores ingrati pulverum.

Sapores ingrati pulverum compoſitorum ſaccharo, elæoſaccharo, tragearum præcipue confectionibus ſaccharatis ſolitis & ſimilibus corrigi ſolent. Sunt autem eleoſacchara nihil niſi ſaccharum, quod una vel altera guttula olei cujuſdam deſtillati eſt imprægnatum.

§. CCCXV.

§. CCCXV.

De quantitate ſacchari in pulveribus compoſitis.

Sacchari, ſi eſt adhibendum in pulveribus compoſitis ingrati ſaporis, quantitas ad reliquorum ingredientium pondus ſumitur, literis ad P. O. id eſt, pondus omnium, adjectis, & ſic in trageis, maxime diffuſioribus, reliquorum ponderi æqualis, hujuſve dupla, immo tripla præſcribitur.

§. CCCXVI.

Quomodo odores injucundi pulverum corrigantur.

Odores injucundi pulverum compoſitorum oleis fragrantibus, pauxillo moſchi ambræque corrigi ſolent, ſed circa uſum horum attendendum eſt ad individui diſpoſitionem ſingularem. Ad utrumque ſcopum, nimirum ad ſaporem & odorem gratum pulveribus conciliandum, adhibentur elæoſacchara §. CCCXV.

§. CCCXVII.

Quomodo coloris gratia pulveribus compoſitis ſit concilianda.

Si coloris gratia pulveri compoſito eſt concilianda, hoc fine uſurpantur cinnabaris, ſantalum rubrum, auri foliola aliaque; ſed circa eorum uſum notanda ſunt dicta §. LXV.

§. CCCXVIII.

Pulvis compoſitus eo eſt perfectior, quo pauciora habet ingredientia & quo major eſt effectus, qui his obtinetur.

Cum medicamentum compoſitum eo ſit perfectius, quo pauciora habet ingredientia, & quo major eſt effectus, qui his obtinetur §. LXXXII. LXXXIII. pulvis compoſitus, cum ſit medicamentum §. CCXCVII. eo eſt perfectior, quo paucioribus conſtat ingredientibus, & quo major eſt effectus, qui his obtinetur.

§. CCCXIX.

De ordine, quo ingredientia pulveris ſe invicem ſequuntur.

Qui ea, quæ circa ordinem, quo ingredientia pulveris compoſiti in ſcribendo ſint collocanda, obſervanda ſunt, noſſe cupit, repetat huc, quæ dicta ſunt §. CCLIX.

§. CCCXX.

De mole doſeos pulverum.

Doſis pulverum, eorum inprimis, qui mediæ ſunt ſubtilitatis, commoda & uſitata, eſt drachma dimidia. Interdum tamen augetur ad drachmam uſque integram, ſed rarius, nec niſi ægris minus nauſeantibus, vel ingredientibus pulverum ex ſe ponderoſioribus. Ultra hanc doſis pulverum vix augeri ſolet. Trageæ, quæ iis pulveribus plerumque & gratiores & diffuſiores ſunt, ultra drachmam unam facile exhiberi poſſunt, quin ſæpe pondere non ſatis accurate determinato, ad cochlear unum, cultri apicem, &c. dantur.

§. CCCXXI.

Dicta de mole doſeos medicamentorum valent quoque de mole doſeos pulverum.

Omnia, quæ de mole doſeos medicamentorum determinanda dixi §. CXLI – CLVII. valent quoque de mole doſeos pulverum, ideoque hic ſunt repetenda. Semper vero, quouſque fieri poteſt, moles pulverum nimia, inprimis ſi ejus materies eſt injucunda, æger delicatior, ad nauſeam & vomitum pronus, & deglutitione non adeo expedita gaudet, eſt vitanda, &, ſi neceſſitas pulveris doſeos molem nimiam exigit, præſtat eam in plures doſes minores, per breviora intervalla adſumendas, dividere §. CXCIII.

§. CCCXXII.

Quæ circa molem doſis pulverum ſint animadvertenda.

Hæc vero, quæ dixi de nimia doſi pulverum vitanda §. CCCXXI. uti facile patet, intelligenda ſunt de pulveribus, in vehiculo, in quo aſſumuntur, non ſolubilibus. Si vero pulveres majore mole effectum deſideratum producentes in vehiculo, in quo aſſumuntur, ſe ſolvi patiuntur, uti ſunt pleraque ſalia neutra, moles eorum doſis ultra doſin pulveris ordinarium §. CCCXX. ita eſt extendenda, uti dictum fuit §. CLXII. CLXV.

§. CCCXXIII.

De quantitate generali pulveris interni.

Demonſtrata de quantitate generali medicamenti relativi §. CLXXXIV. CLXXXV. CLXXXVI. CLXXXVII. CLXXXVIII. valent quoque de quantitate generali pulveris interni, quatenus eſt medicamentum relativum.

§. CCCXXIV.

Quantitas pulveris generalis in caſu quovis ſingulari determinari in genere nequit.

Quantitas generalis pulveris interni relativi in caſu quovis ſingulari determinari nequit, ſed ex circumſtantiis in eodem occurrentibus eſt determinanda. Cum enim numerus & moles doſis medicamenti, pro variis in caſu ſingulari obviis conditionibus, admodum variat §. CXLI. – CLXXIII. & §. CLXXXIX – CXCIX. idem valebit de mole & numero doſeos pulveris interni. Quare, cum quantitas medicamenti relativi generalis ex mole & numero doſeos ſit determinanda §. CLXXXVI. CLXXXVII. hæc duo vero in pulvere pro variis in caſu ſingulari obviis circumſtantiis varient, quantitas pulveris generalis in caſu ſingulari determinari nequit.

§. CCCXXV.

Scholion.

Sic quantitas generalis tragearum modo eſt uncia dimidia, modo integra, modo ad plures augetur. Evacuantium pulverum ſæpiſſime una ſaltem doſis ſimul præſcribitur, niſi continuo quodam tempore, vel per breviora intervalla, ſint adhibenda. Pulveres alterantes, uti interdum ad unam, duas & tres doſes, ſic frequenter ad unciam unam imo plures ſimul præſcribi ſolent.

§. CCCXXVI.

Scholion.

Medico formulam pulveris interni præſcribenti maxime curandum eſt, ut, ſi fieri poſſit, quantitas ejuſdem generalis per pondus doſis ſine reſiduo dividi poſſit, ſi ejus diviſio in doſes certi ponderis pharmacopœo perficienda committitur. Interdum, ſi a minus accurata pulveris, generoſioris inprimis, diviſione periculum ſit metuendum, conſultum eſt, ut ſingulas doſes ſeorſim adaptare jubeatur pharmacopœus.

§. CCCXXVII.

Quomodo doſis efficacis pulveris moli nimiæ mederi quis poſſit?

Si doſis ingredientium pulveris efficax excedit juſtam molem doſeos §. CCCXX. vel numerum doſeos potius, quam molem ejus auge, vel adde, quæ minore mole eorum vim augent, quod maxime in ſpecifice levioribus notandum eſt §. CCCVI. CCCXXIII.

§. CCCXXVIII.

Si doſeos pulveris moles debito minor eſt quantitate conſtituentis eſt augenda.

Cum doſis medicamenti relativi determinet quantitatem conſtituentis §. LXXIV. doſis pulveris, tanquam medicamenti relativi, itidem determinare debet quantitatem conſtituentis. Si ergo pulveris doſeos efficacis moles longe major eſt mole doſeos pulveris ordinaria §. CCCXX. tanta conſtituentis quantitas eſt ſumenda, ut pulveris doſeos moles tanta, quanta deſideratur, evadat. Atque id maxime requiritur in pulveribus

ribus emeticis, purgantibus, aliiſque generoſioribus.

§. CCCXXIX.

De ſubſcriptione & ſignatura pulveris interni. Quæ ſupra de ſubſcriptione & ſignatura formulæ in genere demonſtrata ſunt §. CVII — CXXIX. valent quoque de ſubſcriptione & ſignatura formulæ in ſpecie, & per conſequens pulveris interni, ideoque dicta huc applicentur.

§. CCCXXX.

De uſu pulverum internorum. Uſus pulverum internorum eſt frequentiſſimus, & tam evacuandi, quam alterandi ſcopo accommodatus; ſed ſimul circa hunc reſpiciendum eſt, an morbi indoles, cauſæ & ipſius remedii indicati natura, aliæque in caſu ſingulari occurrentes circumſtantiæ pulveris uſui non repugnent, eumque prohibeant.

§. CCCXXXI.

Formulæ pulverum internorum.

I. Emeticæ.

1.

℞. Radicis ipecacuanhæ, ℈j.
Tartari vitriolati, vel
Salis tartari ℈ß. M. f. pulvis. S.
Brechpulver auf einmal zu nehmen.

2.

℞. Radicis ipecacuanhæ, ℈j.
Tartari emetici, gr. I — II.
vitriolati, gr. VI.
M. f. pulvis D. S.
ut antea.

3.

℞. Tartari emetici, gr. III.
vitriolati, ℈ß.
M. f. pulvis. D. S.
ut ſupra.

II. Purgantes & laxantes.

1.

℞. Radicis jalappæ reſinoſæ ℈j.
Cremoris tartari ℈ß.
Diagrydii ſulphurati, gr. IV.
Olei de cedro gutt. I.
M. f. pulvis. D. S.
Purgierpulver auf einmal zu nehmen.

2.

℞. Tartari vitriolati, ℈j.
Reſinæ jalappæ, gr. IV.
Olei aniſi gutt. I — II.
M. f. pulvis D. S.
ut ſupra.

3.

℞. Reſinæ jalappæ ppt. ℈ß.
Nitri depurati, gr. IV.
M. f. pulvis.

4.

℞. Scammonii ſulphurati,
Mercurii dulc. ana gr. VI.
Concharum ppt. ℈ß.
M. f. pulvis.

5.

℞. Sulphuris antimonii aurati ultimæ præcipitationis,
Tartari vitriolati, ana gr. VI.
Concharum ppt. gr. VIII.
M. f. pulvis.

6.

℞. Cremoris tartari ʒj.
Mercurii diaphoretici
Diagrydii ſulphurati, ana gr. V.
Olei de cedro gutt. I.
M. f. pulvis.

7.

℞. Rhabarbari electi, ʒj.
Magneſiæ albæ ʒß.
M. f. pulvis divid. in duas partes æquales.

8.

℞. Rhabarbari electi
Lapidum cancrorum ppt.
Terræ foliatæ tartari, ana ʒj.
M. f. pulvis divid. in doſ. VI.

Pulvis laxans No. 7. optime conducit illis, quorum primæ viæ acido ſcatent, ut hypochondriacis & melancholicis. Acidum enim, ſi adeſt, infringit virtutem laxantium, unde ſæpius obſervavi, a rhabarbaro cum nullo abſorbente conjuncto, & pilulis balſamicis ſolis aſſumtis, alvum vel plane non, vel ſaltem parum fuiſſe ſolutam in iis hominibus, quorum primæ viæ acido refertæ fuerunt; contra vero dicta remedia debito modo ſuum edidiſſe effectum, ſi uſus pulveris abſorbentis cum pauxillo digeſtivi, vel præmiſſus, vel conjunctus fuerit. Magneſia, ſi acidum in primis viis invenit, cum eo abit in ſal neutrum, alvumque hac ratione egregie aperit, unde etiam in malo hypochondriaco *ab illuſtri b. m.* HOFFMANNO valde commendatur. Rhabarbarum ſummo quoque cum fructu datur cum nitro iis, qui humorum orgaſmo æſtuque volatico facile corripiuntur, quibuſque bilis in nimia copia in ventriculum vel inteſtina excreta fuit, ubi ſtagnans multa incommoda producit, & cum digeſtivo exhibetur, ut tartaro vitriolato, ſi primæ viæ cruditatibus viſcidis abundant.

III) Diaphoreticæ & ſudoriferæ.

1.

℞. Cornu cervi philoſophice ppt.
uſti,
Succini ppt.
Mercurii diaphoretici, ana ʒj.
Nitri purificati, ʒß.
Cinnabaris ppt. ℈j.
Olei de cedro, ſeu cinnam. gutt. I — II.
M. f. pulvis, dividendus in XI. partes æquales.

Nitrum pulveribus diaphoreticis eam, ut mea fert opinio, ob rationem adjicitur, ut æſtus, qui horum uſum facile in quibuſdam ſubſequi poſſet, præcaveatur, mihique modus, pulveres diaphoreticos ex magna quantitate nitri & tartari

vitriolati componendi, uti quorundam mos eſt, admodum reprehendendus videtur. Sunt etiam quidam, qui nitrum cum floribus ſulphuris, in pulveribus diaphoreticis mixtum, interne propinare reformidant, putantes, nitrum a ſpiritu ſuo corroſivo liberari hocque admodum eſſe pernicioſum; ſed experientia teſtatur, hunc metum eſſe vanum, & ego multas vidi formulas pulverum diaphoreticorum, a Celeberrimis Viris, in artis exercitio bene verſatis, præſcriptas, quorum compoſitionem nitrum cum ſulphure combinatum ingreditur. Camphora ſæpius ſalutari cum effectu in ejuſmodi pulveribus adhibetur, de quo jam dixi ſupra §. CLXXII. hinc ejus grana duo pulveri deſcripto addi poſſunt, & præterea pauca grana extracti caſtorei, vel croci, ſi corpus ſpaſmis affligitur, & tranſpiratio eſt promovenda. Hoc enim poſteriori modo adhibitus, egregium exſerit effectum in affectibus rheumaticis, arthriticis, hypochondriacis & hyſtericis.

2.

℞. Mercurii diaphoretici,
Cornu cervi philoſophice ppt. ana ʒß.
Florum ſulphuris ℈ß.
M. f. pulvis.

3.

℞. Bezoardici mineralis ſive
Ceruſſæ antimonii ʒj.
Reguli antimonii medicinalis ʒß.
Salis volatilis Cornu Cervi vel
Viperarum gr. XII.
M. f. pulvis.

4.

℞. Æthiopis mineralis,
Cornu cervi philoſophice ppt.
Antimonii diaphoretici ana ʒj.
Sulphuris antimonii aurati ultimæ præcipitationis,
Elæoſacchari cinnamomi ana ʒß.
M. f. pulvis.

Hic pulvis No. 4. egregium exſerit effectum in morbis ab impuritate ſeri oriundis, ut ſcabie, lue venerea, aliiſque, nec non in ulceribus malignis & obſtructionibus glandularum. In his poſterioribus æthiops mineralis ſolus, cum abſorbentibus terreis, ſine additamento aliorum diaphoreticorum fixorum, exhiberi poteſt. Elæoſaccharum grati ſaporis conciliandi cauſa hic additur, hinc quoque ſi ejus nulla eſt habenda ratio, omitti poteſt.

IV. Diureticæ.

1.

♃. Concharum uſtarum, ſive
Teſtarum ovorum uſtorum gr. xij.
Salis Succini bene ppt. gr. viij.
Olei Juniperi puri, gutt. ij.
M. F. Pulvis.

2.

♃. Salis ononidis, ſive geniſtæ
Nitri antimoniati,
Tartari Vitriolati,
Oculorum Cancri citratorum, ana, ʒj.
M. F. Pulvis.

3.

♃. Terræ foliatæ tartari,
Concharum ppt. ana, ʒj.
Millepedum ppt. ℈j.
M. F. Pulvis dividendus in vj. partes æquales.

His pulveribus non eſt promiſcue utendum in ſuppreſſione urinæ, ſed probe prius indagandæ ſunt ejuſdem cauſæ. Nam ſi effluxum urinæ ſpaſmi a calculo producti ſupprimunt, malum potius augent, quam minuunt. Si vero excretio urinæ a viſcida materia, tubulos urinarios, vel vias, quas urina permeare debet, obſtruente, ſufflaminatur, pulvis No. 1. & 2. præ aliis convenit, & poſterior No. 3. in hydrope & tumoribus œdematoſis curandis egregie ſe gerit.

V. Siſtentes ſimulque roborantes.

1.

℞. Matris perlarum ppt.
Succini ppt.
Nitri depurati,
Corallii rubri ppt. ana ʒj.
Corticis caſcarillæ ʒß.
Olei macis gutt. V.
M. F. Pulvis.

Pulvis hic egregium exſerit effectum in excretionibus ſanguinis ſerique nimiis compeſcendis, præcipue præcavendis, ut in hæmoptyſi, vomitu cruento, diarrhœa in dyſenteriam abitura.

2.

♃. Lapidum Cancrorum ppt.
Specierum de hyacintho,
Nitri purificati,
Cryſtalli montanæ ppt, ana, ʒß.
Theriacæ cœleſtis gr. iij. ſive
Maſſæ Pilularum de cynogloſſa, gr. v.
M. F. Pulvis dividendus in vj. partes.

3.

♃. Nitri depurati,
Oculorum cancri citratorum, ana, ℈ij.
Cinnabaris optimæ gr. xxx.
M. F. Pulvis.

VI. Pulvis abſorbens.

♃. Lapidum cancrorum ppt.
Concharum ppt.
Teſtarum Ovorum ppt.
Corallii rubri ppt. ſive
Matris perlarum, ana, ʒij.
Cinnabaris optimæ ppt. ʒß.
Vitrioli Martis ad albedinem calcinati, gr. x.
M. F. Pulvis.

Pulvis abſorbens ſolus optime ex unico horum ingredientium, ut conchis præparatis, confici poteſt, nec tot opus eſt. Speciminis tantum loco hunc pulverem hic appoſui. In genere vero notandum, pulveres abſorbentes non majori & ſæpius repetita doſi eſſe exhibendos, niſi acido primas vias infeſtante.

VII.

VII. Pulvis præcipitans, ſive temperans.

℞. Lapidum Cancrorum,
Matris perlarum āā ℥j.
Nitri purificati ℥ß.
M. f. pulvis.

VIII. Pulveres digeſtivi & ventriculum roborantes.

1.

℞. Concharum ppt. ſive
citratarum
Tartari vitriolati āā ʒij.
M. f. pulvis.

2.

℞. Lapidum Cancrorum ppt.
Tartari Vitriolati ſive
Salis digeſtivi Sylvii āā ʒj.
Radicum ari.
pimpinellæ albæ
Cinnamomi acuti āā ℈ij.
M. f. pulvis.

3.

℞. Flavedinis corticis citri.
aurantiorum,
Tartari vitriolati, ana ʒij.
Nitri purificati, ʒj.
Corticis caſcarillæ
Cardamomi minoris, ana ℈ij.
M. F. Pulvis.

4.

℞. Lapidum cancrorum, ppt.
Succini ppt.
Nitri purificati, ana ʒj.
Corticum chinæ.
caſcarillæ, ana ℈j.
M. F. Pulvis.

5.

℞. Calami aromatici
Galangæ
Coſti veri, ana ʒj.
Cinnamomi acuti
Flavedinis corticis citri
aurantiorum, ana ʒij.
Cardamomi minoris
Cubebarum, ana ℈ij.
Sacchari candi ℥ij. -- III.
Oleorum cinnamomi
nuciſtæ deſtillatæ
de cedro ana gutt. VI.
M. F. tragea.

Pulveres No. 1. & 2. proprie ſunt digeſtivi, poſterior majorem, prior minorem in cruditatibus viſcidis reſolvendis exſerit effectum. Pulvis No. 3. 4. & 5. in ventriculi imbecillitate effectibuſque ab hac dependentibus tollendis conducit, quem effectum poſterior præ ceteris majori in gradu producit. Sumitur, uti plerumque trageæ adhiberi ſolent, cum vino generoſo vel cum pane medicato, ſaccharato, cocto, toſto vulgari vino generoſo imbuto, cui dein juſta quantitate inſpergitur.

IX. Pulveres antiſpaſmodici & antepileptici.

1.

℞. Lumbricorum terreſtrium,
Raſuræ ungulæ alces,
dentis hippopotami,
Radicis pœoniæ,
Nitri purificati, ana ʒij.
Cinnabaris ppt. ʒß.
Extracti caſtorei, gr. vj.
M. F. Pulvis.

2.

℞. Pulveris Marchionis, ʒij.
Succini ppt.
Nitri purificati, ana ʒß.
Olei macis, gutt. ij.
M. F. Pulvis.

Quidam ſequentem pulverem antiſpaſmodicum prædicant, ejuſque vires in ſpaſmis mitigandis ſummis laudibus extollunt. Admodum quoque frequenter, &c, quod maxime mirandum eſt, ſine ullo diſcrimine & ratione circumſtantiarum habita uſurpatur, ſed quo jure ipſi hic titulus conveniat, aliorum judicio relinquam.

3.

℞. Tartari vitriolati
Nitri purificati
Salis mirabilis Glauberi, ana ℥j.
Lapidum cancrorum ppt.
Cinnabaris nativæ, ana ℥ß.
M. F. Pulvis.

Pulveres No. 1. & 2. deſcripti, ab illuſtri b. m. HOFFMANNO in affectibus epilepticis & ſpaſmodicis maximopere commendantur, uti cuique ejus ſcripta legenti patebit. Infinitæ fere pulverum antiſpaſmodicorum & antepilepticorum in libris extant compoſitiones, quæ maxima ex parte conſtant ex ſic dictis ſpecificis antiſpaſmodicis & antepilepticis, qualia ungula alces, cranium humanum, lapis manati, dens hippopotami, ebur, cornu cervi, unicornu verum, idque genus alia, eſſe prædicantur. Quod ad meum de horum virtute judicium attinet, dubito, num ea a reliquorum terreorum, e regno animali depromtorum, virtute differat, utpote quæ, ut mea fert opinio, in acrimonia acida abſorbenda, vel alteranda, & effectibus exinde dependentibus, conſiſtit. Qua de re eatenus quidem dicta remedia epilepſiæ mederi, quatenus illa provenit ab acrimonia acida irritante, lubens meritoque concedo; ſed num alio etiam & plane diverſo reſpectu antepilepticorum titulum mereantur, dubius hæreo, nec affirmare audeo. Quæ igitur ſi ita eſſent, maximopere mirarer, cur in tali formula, qualis eſt illa No. 1., tot ex dictis remediis congerantur, cum tamen unum ſuffeciſſet. Certe enim mihi perſuadeo, tam ratione, quam experientia nixus, epilepſiam infantum, quæ ab acrimonia acida primas vias irritante oritur, ſolis conchis præparatis, vel alio hujus generis remedio, æque debellari poſſe, ac pulvere No. 1. deſcripto. Præterea notandum eſt, nullum remedium antiſpaſmodicum & antepilepticum nec exiſtere, nec dari poſſe, quod omni omnino ſpaſmo & epilepſiæ,

a quacunque proficiſcantur cauſa, medeatur, ſed, ſi quod remedium ſpaſmum vel epilepſiam curare debeat, indaganda prius eſt ejuſdem cauſa, ut huic tollendæ aptum & conveniens inveniri poſſit. Sed quotnam & quam variæ ſunt ſpaſmi vel epilepſiæ cauſæ?

X. Pulveres pectorales.

1.

℞. Sacchari candi ℥j.
Myrrhæ depuratæ ʒß.
Olei macis gutt. IV.
M. F. Pulvis.

2.

℞. Sacchari candi ℥j.
Myrrhæ electæ ℈ij.
Florum ſulphuris,
Radicis iridis Florentinæ, ana ʒß.
Croci gr. V.
M. F. Pulvis.

3.

℞. Lapidum cancrorum ppt.
Terræ foliatæ tartari ſeu
Tartari tartariſati, ana ʒj.
Radicis glycyrrhizæ,
iridis Florentinæ,
pimpinellæ albæ,
ari, ana ʒß.
M. F. Pulvis.

4.

℞. Radicis vincetoxici ℈j.
ſquillæ,
Nitri depurati, ana gr. VI.
M. F. pulvis, dividendus in partes duas æquales.

Pulvis No. 1. egregie conducit in pectoris affectu, quo pulmones & bronchia materia tenax & ejectu difficilis obſidet, tuſſis adeſt, pulmones debilitati ſunt atque in iis ulcus naſci incipit, vel jam natum eſt. Myrrham enim, vi principiorum, ex quibus conſtat, pulmones debilitatos roborare, & ulcera depurare & conſolidare, materiamque tenacem reſolvere, ex materia medica patet. Pulvis No. 2. præter eoſdem, qui a pulvere No. 1. producuntur, effectus, materiam tenacem magis reſolvit, & tranſpirationem promovet, unde patet, cui ſcopo adhiberi poſſit. Pulvis No. 3. præ modo dictis pulveribus hoc habet peculiare, ut materiam lentam & viſcidam, pulmones obſidentem, fortius reſolvat, adeoque in malis, quæ exinde oriuntur, tollendis, egregium exſerit effectum. Ad eoſdem fines obtinendos, pulveres deſcripti creberrime uſurpati ſunt ab *illuſtri b. m.* HOFFMANNO. Pulvis poſterior No. 4. ſingulari in aſthmate humido utilitate præ omnibus aliis ſe commendat, ejuſque virtus ſalutaris in hydrope, tumoribus œdematoſis & cachecticis, nephritide pituitoſa, calculo, ſuppreſſione urinæ, aliisque ægritudinum graviorum ſpeciebus, a Medicis maximopere laudatur, teſtante id *celeberrimo D. D.* WAGNERO in libello ſuo, ſub obſervationum clinicarum titulo anno 1737. edito. Veritatem dictorum maxima ex parte Vir modo laudatus *illuſtris b. m.* HOFFMANNUS ampliſſima ſua experientia comprobat. Scribit enim in *Med. rat. ſyſt. Tom. IV. Part. III. Sect. II. cap. 2. obſ.* 8. *in epicriſi* ita: *Obſervatione denique digniſſima eſt mirabilis illa ac fere ſtupenda ſquillæ, in allevando aſthmatis immani paroxyſmo, efficacia — — Certe meretur hæc radix inter remedia heroica referri, & noſtris etiam temporibus in uſum trahi. Nam exſerit non modo virtutem potenter incidentem, verum etiam languentes motus excitat, &, quod mirabile eſt, blande ſimul anodynum exſerit effectum. Scire vero licet, ante illius uſum corpus blandis laxantibus eſſe purgandum, illamque ad tria aut quatuor grana, cum radice vincetoxici & nitro, quod mitigat acriorem ejus vim, exhibendam.* Et in epicriſi obſ. 8. addit. *Præter hæc memorabilis ſquillæ videtur effectus, aliquot etiam aliis exemplis notatus, in ſpaſmis & convulſionibus partium nervoſarum præſentiſſime ſopiendis, maxime catarrho ſuffocativo, aſthmate convulſivo, quandoque etiam in epilepſia,* &c.

XI. Pulveres analeptici & confortantes.

1.

℞. Cinnabaris optimæ ℈ß.
Sacchari Canarienſis ℥j.
Olei cinnamomi ʒß.
M. F. Pulvis.

2.

℞. Sacchari Canarienſis ℥ß.
Ambræ gryſeæ ℈ß.
Moſchi gr. IV.
Olei cinnamomi gutt. VIII.
M. F. Pulvis.

Uſus pulverum No. 1. & 2. debet eſſe circumſpectus, nec plethoricis, ad ſanguinis & humorum orgaſmum admodum pronis, exhibeantur, magna præſertim quantitate. Pulveris No. 2. ingredientia quædam non omnes ſine magno incommodo perferre poſſunt, ideo vel plane ab ejus uſu eſt abſtinendum, vel ei pulvis No. 1. ſubſtituendus. Alias pulveres hi legitime adhibiti bene conducunt in viribus languentibus, & effectibus exinde reſultantibus.

XII. Pulveres purificantes & ſalivantes.

1.

℞. Concharum ppt. ʒij.
Mercurii dulcis ʒj.
M. F. Pulvis.

2.

℞. Millepedum ppt. ℈ß.
Mercurii dulcis gr. iij.
M. F. Pulvis.

Sumuntur quoque hæc pulveris ingredientia ad partes æquales. Conferatur de horum pulverum uſu *Commerc. litterar. phyſico-med. Ann. I. p.* 412. & *Acta phyſico-medica Nat. Cur. Vol. I. p.* 58. Uſus horum pulverum jam per ſe patet, ſed præterea optime adhibentur in ulceribus malignis & obſtructionibus partium glanduloſarum a cauſa venerea provenientibus.

XIII.

XIII. Pulveres menſes & partum difficilem promoventes.

1.

℞. Boracis Venetæ ʒj.
Myrrhæ rubræ ℈j.
Elæoſacchari cinnamomi gutt. I.
M. f. pulvis, dividendus in IV. partes æquales.

2.

℞. Boracis Venetæ,
Cinnamomi acuti āā ʒij.
Hepatis anguillæ,
Succini albi ppt. āā ʒj.
Croci ʒß.
M. f. pulvis, dividendus in doſ. XIV.

XIV. Pulveres anthelmintici.

1.

℞. Radicis Jalappæ,
Seminis Santonici,
Corallinæ,
Mercurii dulcis,
Cornu Cervi uſti, ana, ʒß.
M. F. Pulvis.

2.

℞. Mercurii dulcis, ſive
Æthiopis mineralis,
Scammonii ſulphurati, ſeu
Radicis Jalappæ, ana ʒß.
Matris Perlarum ppt. ʒj.
M. F. Pulvis.

XV. Pulvis Antifebrilis.

℞. Tartari vitriolati,
Salis digeſtivi Sylvii,
Concharum ppt.
Nitri depurati,
Antimonii diaphoretici, ana ʒj.
Corticis Chinæ
Caſcarillæ, ana, ʒß.
M. F. Pulvis.

XVI. Pulveres aperitivi.

1.

℞. Salis Ebſonienſis ſive
Carolinarum
Sedlicenſis ana ℥j.
Cremoris Tartari ʒß.
Nitri purificati ʒij.
M. F. Pulvis.

2.

℞. Tartari Vitriolati ʒiij.
Oculorum Cancri citratorum
Nitri depurati ana ℥j.
Cinnabaris ℈j.
M. F. Pulvis.

Salia dicta partes ſolidas ſtimulando & humores tenaces reſolvendo agunt, hinc egregium in obſtructionibus viſcerum eorumque infarctu & morbis exinde dependentibus, neque minus in excretione alvi & urinæ promovenda, exſerunt effectum, inprimis ſi ſimul pilularum balſamicarum Hoffmannianarum uſus conjungitur. Eodem modo & fine creberrime uſurpata ſunt ab illuſtri b. m. HOFFMANNO.

SECTIO III.

De formula boli.

§. CCCXXXII.

Bolus eſt medicamentum internum molle, quod electuario ratione mollitiei cedit, & buccellæ quantitate definitur §. CCXCI. *Definitio boli.*

§. CCCXXXIII.

Eodem, quo antea de pulvere demonſtratum eſt §. CCXCVIII. modo, facile evinci poteſt, bolum eſſe vel ſimplicem vel compoſitum, vel magiſtralem vel officinalem, vel relativum vel abſolutum, ejuſdemque formulam eſſe vel ſimplicem vel compoſitam, vel magiſtralem vel officinalem, vel relativam vel abſolutam. *Bolus eſt vel ſimplex vel compoſitus, magiſtralis vel officinalis, relativus vel abſolutus.*

§. CCCXXXIV.

Cum bolus ſit medicamentum internum molle, quod ratione mollitiei electuario cedit §. CCCXXXII. omne id ejus ingredi poteſt materiam, quod in ejuſdem formam redigi poteſt. Jam id, quod in boli formam redigi poteſt, vel per ſe, vel commixtione aliorum hujus formæ eſt capax. Qua de re omne id boli materiam ingredi poteſt, quod vel ex ſe, vel commixtione aliorum in boli formam redigi poteſt. Nunc ea, quæ materiem medicamenti conſtituunt, dicuntur ingredientia ejuſdem §. VIII. Ergo omne id ingredientis vice in bolo fungi poteſt, quod vel per ſe, vel commixtione cum aliis, in boli formam, redigi poteſt. *Omne id ingredientis vice in bolo fungi poteſt, quod vel per ſe vel commixtione aliorum in boli formam redigi poteſt.*

§. CCCXXXV.

Quæ dicta §. CCCXXXIV. cum ita ſint, ingredientium vice in bolo fungi poſſunt 1) ſicca friabilia omnia, minore doſi efficacia, pulveri conſtituendo idonea §. CCCI. 2) mollia magis minuſque ſpiſſa, ut conſervæ, confectiones molles, balſama ſive nativa, ſive artificialia denſiora, unguenta potabilia, ſyrupi, &c. 3) liquida concentratiora, uti balſama nativa vel artificialia liquida, olea, ſpiritus, tincturæ, eſſentiæ, elexiria, &c. Hæc etenim vel per ſe, vel commixtione aliorum recenſitorum in boli formam redigi poſſunt. *Recenſentur, quæ bolum ingredi poſſunt.*

§. CCCXXXVI.

Sicut omne medicamentum ſimplex, ita & bolus ſimplex ex uno conſtat ingrediente §. XXXIV. Jam omne id ingredientis vice in bolo fungi poteſt, quod vel ex ſe, vel aliorum miſcela in boli formam redigi poteſt §. CCCXXXIV. Qua de re ingrediens boli ſimplicis, cum unum tantum ſit, ita comparatum ſit neceſſe eſt, ut per ſe ſine aliorum miſcela in boli formam redigi poſſit. Ponas enim contrarium, hoc eſt, ingrediens, ex quo bolus ſimplex eſt formandus, non poſſe in ejus formam redigi, tunc aliis opus eſſet, quorum miſcela debitam boli formam conſtitueret, adeoque non *Ingrediens boli ſimplicis ita comparatum ſit neceſſe eſt, ut per ſe in boli formam redigi poſſit.*

)ſ(3 bolus

bolus ſimplex, ſed compoſitus oriretur, id quod repugnat hypotheſi.

§. CCCXXXVII.

Quædam boli ingredientia vel in formam boli redigi poſſunt vel non.

Si qua boli compoſiti ingredientia in boli formam redigenda conſiderantur; ea ita comparata ſunt, ut vel per ſe, ſine aliorum miſcela, in boli formam redigi poſſint, vel non. Si poſterius, hoc eſt, ſi qua boli compoſiti ingredientia per ſe, ſine aliorum miſcela, in boli formam redigi nequeunt, alio ſive aliis opus eſt, quæ commixta illorum formam deſideratam conſtituunt. Si prius vero locum habet, tertio ſive aliis non opus eſt, ad iſta ingredientia boli compoſiti in boli formam redigenda.

§. CCCXXXVIII.

Definitio excipiendorum & excipientium in bolo.

Hæc ingredientia boli, quæ per ſe, ſine aliorum miſcela, in formam boli redigi nequeunt, dicuntur *excipienda*, iſta vero, quæ his ingredientibus in boli formam redigendis inſerviunt, audiunt *excipientia*.

§. CCCXXXIX.

Antecedens definitio exemplis illuſtratur.

Sic ſicca, quorum mentionem feci §. CCCXXXV. No. 1. eo reſpectu, quo per ſe, ſine aliorum miſcela, in boli formam redigi nequeunt, ſunt excipienda in bolo, mollia vero recenſita §. CCCXXXV. No. 2. eatenus excipientia, quatenus ſiccis in boli formam redigendis inſerviunt.

§. CCCXL.

Si qua boli ingredientia per ſe ſine aliis in boli formam redigi poſſunt, non opus eſt excipientibus.

Si qua ingredientia, ex quibus bolus eſt formandus, in boli formam per ſe ſine aliorum miſcela redigi queunt, tertio ſive aliis non opus eſt ad iſta ingredientia in boli formam redigenda §. CCCXXXVII. Jam iſta ingredientia boli, quæ reliquis ingredientibus in formam boli redigendis inſerviunt, audiunt excipientia §. CCCXXXVIII. Ergo, ſi qua ingredientia, ex quibus bolus eſt formandus, per ſe ſine aliorum miſcela in boli formam redigi queunt, excipiente vel excipientibus in bolo non opus eſt.

§. CCCXLI.

Excipientibus in bolo opus eſt, ſi qua ejus ingredientia in boli formam redigi nequeunt.

E contrario, ſi qua boli ingredientia per ſe ſine aliorum miſcela in boli formam redigi nequeunt, alio vel aliis in bolo opus eſt, quæ commixta formam deſideratam conſtituunt §. CCCXXXVII. Jam hæc dicuntur excipientia §. CCCXXXVIII. Ergo in bolo, ſi qua ejus ingredientia per ſe ſine aliorum miſcela in boli formam redigi nequeunt, excipiente vel excipientibus opus eſt.

§. CCCXLII.

Si qua adſunt excipienda in bolo, excipientibus.

In bolo, ſi qua ejus ingredientia per ſe ſine aliorum miſcela in ejus formam redigi nequeunt, excipiente vel excipientibus opus eſt §. CCCXLI. Jam iſta boli ingredientia, quæ per ſe ſine aliorum miſcela in boli formam redigi nequeunt, ſunt excipienda §. CCCXXXVIII. Ergo ſi qua in bolo excipienda ſunt, excipiente vel excipientibus in bolo opus eſt.

§. CCCXLIII.

Si excipientia in bolo adſunt, excipiendaque que adeſſe debent.

Eodem, quo §. CCCXLII. uſus ſum, modo, facile demonſtrari poteſt, quod, ſi quod in bolo excipiens, vel ſi qua excipientia in bolo compoſito adſint, excipiendum vel excipienda in bolo adeſſe debeant.

§. CCCXLIV.

Excipientium qualitas & quantitas ex excipiendorum quantitate & qualitate ſunt determinanda.

Ubi excipienda in bolo compoſito adſunt, excipientia quoque adeſſe debent §. CCCXLII. Qua de re excipientia boli compoſiti tam ratione quantitatis, quam qualitatis variare debent, prout excipienda tam ratione quantitatis, quam qualitatis variant; atque ſic illorum quantitas & qualitas ex horum quantitate & qualitate ſunt determinanda, ut hac ratione debita boli forma exſurgat.

§. CCCXLV.

Si ſicca ſunt excipienda, liquida diverſo fluiditatis gradu prædita excipientia eſſe poſſunt in bolo.

Quod ad qualitatem excipientium attinet, illa determinatur per excipiendorum qualitatem §. CCCXXXIV. Scilicet talis excipientium qualitas eſſe debet, ut hæc cum excipiendis commixta totum conſtituant, cujus partes determinato gradu cohærent. Quare cum gradus cohæſionis partium in bolo eidem in melle ſit æqualis §. CCCXXXII. partes excipientium cum excipiendis ſiccis miſcendorum leviori gradu, quam partes boli, cohæreant neceſſe eſt, adeoque qualitas excipientium in genere hoc caſu in eo conſiſtit, ut eorum conſiſtentia boli conſiſtentia minor ſit. Cum vero hæc excipientia variis modis, ratione conſiſtentiæ, a bolo differre queant, liquida diverſo fluiditatis gradu prædita, poſitis excipiendis ſiccis, excipientium vice in bolo fungi poſſunt.

§. CCCXLVI.

De determinatione quantitatis excipientium.

Quod ad quantitatem excipientium attinet, illa determinatur per quantitatem excipiendorum §. CCCXLIV. Si enim v. g. ſiccorum certa quantitas in bolo excipienda eſt, tanta ſumi debet excipientium quantitas, ut hæc ſicca debitam boli conſiſtentiam acquirant. Deinde determinantur excipientia ratione quantitatis per excipiendorum, & per ſuam ipſorum qualitatem.

§. CCCXLVII.

Quænam quantitas excipientium in bolo eſſe ſoleat.

Si ſicca in bolo ſunt excipienda, hæc pro doſi ad drachmam dimidiam ſcrupulos duos, & ad ſummum ad drachmam integram ſunt capienda, ne doſis boli accedentibus excipientibus juſto plus augeatur. Excipientium vero varia tum requiritur proportio, prout magis minuſque ſpiſſa fuerint. Sic conſervæ hunc in finem uſitatiſſimæ, electuaria, mel, balſama ſpiſſa & unguenta, a ſcrupulis duobus ad drachmam integram, immo ad ℨiß ſumi ſolent; Rob, pulpæ, confectiones molles a drachma dimidia ad integram, immo ſcrupulos quatuor; ſyrupi, utpote liquidiores, a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam, vel integram. Scilicet poſita ſiccorum excipiendorum quantitate eadem, tanto minor ad ea ſubigenda excipientium quantitas requiritur, quo hæc ſunt liquidiora.

§. CCCXLVIII.

Quantitas excipientium ulterius determinatur.

Si ſicca in minore quantitate ſunt excipienda in bolo, excipientia ſpiſſiora commodius adhibentur, ſi vero in majori quantitate excipienda ſunt, dilutiora, ne doſis boli juſto plus augeatur. Si denique ſiccis excipiendis liquida accedant, qualia ſunt §. CCCXXXV. No. 3. hæc non ultra guttam unam, duas, ad ſummum quatuor,

pro

pro ſingulis bolis recipiuntur; quamvis in determinanda eorundem quantitate ad eorum gradum fluiditatis in caſu ſingulari ſit reſpiciendum. Tum vero pro rata excipientium mollium proportio eſt minuenda.

§. CCCXLIX.

Quantitatem excipientium mollium determinat interdum pharmacopœus. Alias quantitate ſiccorum & fluidorum in bolo determinata, excipientium mollium quantitas arbitrio Pharmacopoei determinanda relinquitur, ſcribendo: q. ſ. Id quod vero tunc non eſt faciendum, ſi eorum doſis efficax accurata determinatione indiget.

§. CCCL.

Liquidiora adduntur, ut bolus debitam ſuam mollitiem acquirat. Frequentiſſime vero, ſi ſiccorum excipiendorum moles paulo major eſt, vel ſi excipiens primarium ſpiſſius & in parciori quantitate, circumſtantiis id exigentibus, eſt adhibendum, ita, ut dubium ſit, an exinde boli conſiſtentia, debito mollitiei gradu prædita, emergere queat, alia liquidiora, v. g. ſyrupi, in ſufficiente quantitate ſuperadduntur, ut ſic bolus debitum ſuæ mollitiei gradum conſequatur.

§. CCCLI.

Si bolus nimis mollis, admiſceri ſolent ſolida. Contra, ſi nimia boli mollities prævidetur, tantum ſacchari, pulveris liquiritiæ & ſimilium appropriatorum admiſceri ſolet, quantum ſatis eſt ad debitam bolo conſiſtentiam conciliandam; id quod maxime in bolis terebinthinaceis puris obtinet.

§. CCCLII.

Quæ circa pinguia in bolo ſint obſervanda. Pinguia, ut unguenta potabilia, balſama, ſaccharo aliiſque ſiccis commixtis & intertritis dividere expedit, ut facilius ingeri & in ventriculo ſolvi poſſint.

§. CCCLIII.

Quænam in boli forma commodius, quam pulveris porrigantur. Mercurialia, draſtica inprimis, quæ in minori quantitate uſurpantur, acria, viſcida, aliaque qualitatibus, ut ſapore vel odore moleſta, commodius in bolo compoſito, quam in pulvere propinantur. Illa etenim, quæ in minori quantitate ſunt adhibenda, excipientium idoneorum additamento in majorem molem, ſi deſideratur, extendi poſſunt. Hæc vero aſſumtu difficilia & qualitatibus diverſis moleſta, itidem commodis excipientibus tegi atque involvi poſſunt, quod poſterius in pulvere æque commode obtineri nequit.

§. CCCLIV.

Quænam bolum aliquamdiu conſervandum ingredi non debeant. Si boli aliquamdiu ſunt conſervandi, eos talia ingredi non poſſe, quæ debitam eorum conſiſtentiam deſtruunt, per ſe patet, nec ulteriori eget demonſtratione.

§. CCCLV.

Salia alcalica & facile efferveſcentia bolos aliquamdiu aſſervandos ingredi non debent. Salia alcalica tum fixa, tum volatilia, aliaque ex ſalibus neutris, cito in deliquium abeunt, hinc, ſi bolum ingrederentur, qui diu eſſet conſervandus, debitam ejus conſiſtentiam deſtruerent. Neque minus ea, quæ inter ſe efferveſcunt, vel facile fermentant, decentem boli diu aſſervandi conſiſtentiam pervertunt & tollunt. Qua de re ſalia alcalica, tum fixa, tum volatilia, & ſalia quædam ex ſalibus neutris cito deliqueſcentia, nec non inter ſe efferveſcentia, vel facile fermentantia, bolos, qui aliquamdiu conſervandi ſunt, ingredi non debent. Nam talia in bolos aliquamdiu conſervandos non ſunt recipienda, quæ debitam eorum conſiſtentiam deſtruunt §. CCCLIV.

§. CCCLVI.

De ordine, quo ingredientia boli præſcribuntur. Ordo, qui in præſcribendis ingredientibus in bolo uſitatus eſt, ita ſe habet; primo loco excipiens determinatæ quantitatis ponatur, dein excipienda ſicca, poſt liquida, & tandem, ſi quod accedit, excipiens, cujus quantitas pharmacopœo relinquitur determinanda.

§. CCCLVII.

De mole doſeos boli. Moles doſeos boli a drachma una ad integram & dimidiam, vel duas uſque, extenditur, ſed ulterius non eſt augenda, niſi ſpecifice graviora recipiantur ægerque in adſumendo non ſit difficilis. Neque doſis boli drachma major ſit, ſi ex levioribus conflatur. Qua de re, ſi doſis boli hos tranſgreditur limites, conſultius eſt, hujus doſeos molem in plures dividere doſes eaſque repetita vice exhibere, quam grandiori doſeos mole ægro eſſe moleſtum. Bolum enim quam maxime commendat parvitas, ut eo facilius deglutiri poſſit, hinc nimia parvitate hic vix peccatur, licet ne ſcrupulum quidem ſuperet bolus.

§. CCCLVIII.

De quantitate generali boli. Quantitas generalis boli ſæpiſſime unam ſaltem vel duas, raro plures, quam tres vel quatuor, doſes complectitur, niſi intervallis brevibus ſint capiendæ. Quum enim a Pharmacopoeo jam partitæ exhibeantur, diutius ſervatæ pro ingredientium indole vel nimis deliqueſcunt, vel ſicceſcunt. Reliqua, quæ de quantitate generali boli ſunt obſervanda, repetantur ex dictis §. CLXXXIV. CLXXXV. CLXXXVI. CLXXXVII. CLXXXVIII.

§. CCCLIX.

De uſu bolorum. De ſubſcriptione & ſignatura formulæ boli nihil dicam. Applicentur huc dicta in ſuperioribus. Veteres tunc utebantur bolis, quando ægri pulveres, vel alias ſpecierum medicamentorum qualitates moleſtas averſabantur, quo caſu & hodie locum habent. Quoniam vero ipſorum bolorum ingeſtionem variæ difficultates premunt, præſcriptio eorum non adeo frequens eſt, ſed ad caſus & circumſtantias ſpeciales reſervari debet.

§. CCCLX.

De virtute bolorum. Boli effectum ſuum non ſatis promte exhibere ſolent, quoniam excipientia, quibus excipienda implicita & involuta ſunt, tardius ſolvuntur, vel ex his, ſi vel maxime cito ſolvantur, excipienda difficulter extricantur, & eorum efficacia hac ratione retardatur. Hinc etiam, ſi boli tardior vel difficilior in ventriculo metuitur diſſolutio, juvat liquorem idoneum calidum poſt ejus aſſumtionem dare, ut promtior ejuſdem reſolutio promoveatur; id quod maxime circa bolos terebinthinaceos & ſimiles eſt notandum.

§. CCCLXI.

Exempla formularum boli.

I. Boli emetici.

1.

℞. Conſervæ roſarum ℈ij.
Pulveris radicis ipecacuanhæ ℈j.
Syrupi de cinnamomo q. ſ.
M. F. bolus.

2. ℞.

2.

℞. Conſervæ gratiolæ ʒß.
Pulveris radicis ipecacuanhæ ℈ß.
Tartari emetici gr. ij.
Syrupi de cortice citri q. ſ.
M. F. bolus.

II. Boli purgantes & laxantes.

1.

℞. Conſervæ florum perſicorum ℈ij.
Pulveris radicis jalappæ ℈j.
Diagrydii ſulphurati gr. iv.
Syrupi de cichoreo cum rheo. q. ſ.
M. F. bolus.

2.

℞. Conſervæ fumariæ ʒß.
Reſinæ jalappæ gr. iv.
Olei aniſi gutt. i—ij.
M. F. bolus.

3.

℞. Conſervæ roſarum ℈ij.
Pulveris radicis jalappæ
Mercurii dulcis ana ℈ß.
Syrupi de cichoreo cum rheo q. ſ.
M. F. bolus.

4.

℞. Conſervæ florum perſicorum ʒß.
Reſinæ jalappæ ppt.
Diagrydii ſulphurati ana gr. vj.
Syrupi roſarum ſolutivi q. ſ.
M. F. bolus.

5.

℞. Caſſiæ extractæ ℥j.
Rhabarbari electi ʒj.
M. F. boli No. VIII.

6.

℞. Conſervæ roſarum ʒj.
Rhabarbari electi ℈ij.
Reſinæ jalappæ ppt. ℈ß.
Syrupi de cichoreo cum rheo q. ſ.
M. F. boli No. II.

7.

℞. Conſervæ gratiolæ ℈iiß.
Mercurii dulcis ℈ß.
Reſinæ ſcammonii gr. iv. ſive
jalappæ gr. iij.
Syrupi roſarum ſolutivi q. ſ.
M. F. bolus.

8.

℞. Terebinthinæ Venetæ ʒß.
Reſinæ jalappæ cum vitello ovi probe
tritæ gr. vj.
Mercurii dulcis gr. iv.
Syrupi nymphеæ q. ſ.
M. F. bolus.

III. Boli diaphoretici.

1.

℞. Roob ſambuci
Antimonii diaphoretici ana ʒj.
M. F. boli No. III.

2.

℞. Roob ſambuci ʒiij.
Ceruſſæ antimonii ʒj.
Reguli antimonii medicinalis ʒß.
Syrupi de ſcordio q. ſ.
M. F. boli No. vj.

3.

℞. Conſervæ roſarum ʒj.
Antimonii diaphoretici
Æthiopis mineralis ana ℈j.
Sulphuris Antimonii aurati ultimæ
præcipitationis gr. v.
M. F. cum ſyrupi violarum q. ſ. bolus pro
doſi unica.

IV. Bolus diureticus.

℞. Roob juniperi ʒj.
Succini ppt. ℈j.
Millepedum ppt. ℈ß.
Syrupi capillorum veneris q. ſ.
M. F. bolus.

V. Boli roborantes & adſtringentes.

1.

℞. Roob acaciæ noſtratis ʒj.
Succini ppt.
Corallii rubri ppt. ana ʒß.
Corticis caſcarillæ ℈j.
Syrupi granatorum q. ſ.
M. F. boli No. IV.

2.

℞. Conſervæ balauſtiorum ℈j.
Specierum de hyacintho ℈ß.
Syrupi granatorum, ſive
de cinnamomo q. ſ.
M. F. bolus.

3.

℞. Roob berberis ℈ij.
Terræ ſigillatæ ℈j.
Croci martis adſtringentis gr. iv.
Syrupi myrtilli q. ſ.
M. F. bolus.

4.

℞. Roob Cornorum, ʒß.
Corticis chinæ
caſcarillæ
Succini ppt. ana, ℈ß.
Syrupi Cydoniorum q. ſ.
M. F. bolus.

VI.

VI. Boli antiſpaſmodici.

1.

♃. Conſervæ papaveris rhœados, ʒj.
Radicis pœoniæ, ʒß.
Theriacæ cœleſtis,
Extracti caſtorei, ana, gr. iij.
Syrupi papaveris albi, q. ſ.
M. F. boli No. III.

2.

♃. Electuarii diaſcordii Sylvii,
Lumbricorum terreſtrium,
Radicis pœoniæ, ana ℈j.
Syrupi papaveris albi q. ſ.
M. F. bolus.

3.

♃. Conſervæ florum anthos ʒj.
Pulveris Marchionis ʒß.
Laudani opiati gutt. i-ij.
M. F. boli No. III.

VII. Boli pectorales.

1.

♃. Syrupi capillorum veneris.
Succi condenſati glycyrrhizæ ana ʒß.
Croci gr. iij.
M. F. boli No. II.

2.

♃. Balſami pectoralis Meibomii ʒß.
Conditi radicis pimpinellæ,
Myrrhæ electæ ana ℈j.
Syrupi de eryſimo Lobelii q. ſ.
M. F. bolus pro una doſi.

VIII. Bolus anthelminticus.

♃. Conſervæ florum perſicorum,
violarum ana ℈ß.
Corallinæ,
Radicis jalappæ,
Seminis ſantonici,
Mercurii dulcis ana ℈[illegible].
M. F. cum ſyrupi violarum q. ſ.
boli No. III. ſucceſſive deglutiendi.

IX. Bolus ſalivans.

♃. Conſervæ fumariæ ʒß.
Mercurii dulcis gr. vj.
M. F. bolus.

SECTIO IV.

De Formula electuarii.

§. CCCLXII.

Omne id ingredientis vice in electuario fungi poteſt, quod vel ex ſe,

CUm electuarium ſit medicamentum internum molle, quod minorem, quam bolus, habet mollitiem §. CCXCI. omne id ejus ingredi poteſt materiam, quod in ejuſdem formam redigi poteſt. Jam id, quod in electuarii formam redigi poteſt, vel per ſe, vel commixtione aliorum hujus formæ eſt capax. Qua de re omne id materiam electuarii ingredi poteſt, quod vel per ſe, vel commixtione aliorum in electuarii formam redigi poteſt. Nunc ea, quæ materiem medicamenti conſtituunt, dicuntur ejuſdem ingredientia §. VIII. Ergo omne id ingredientis vice in electuario fungi poteſt, quod vel per ſe, vel commixtione aliorum in electuarii formam redigi poteſt.

vel commixtione aliorum in electuarii formam redigi poteſt.

§. CCCLXIII.

Recenſentur, quæ electuarium ingredi poſſunt.

Cum omne id ingredientis vice in electuario fungi poſſit, quod vel ex ſe, vel commixtione aliorum in electuarii formam redigi poteſt §. CCCLXII. ingredientia electuarii eſſe poſſunt, quæ recenſita ſunt §. CCCXXXV. Accedunt ad hæc conditura, utpote quæ frequentius ad electuaria recipi ſolent.

§. CCCLXIV.

Ingrediens electuarii ſimplicis per ſe formæ electuarii capax ſit neceſſe eſt.

Omne medicamentum ſimplex ex uno conſtat ingrediente §. XXXIV. hinc & electuarium ſimplex. Jam omne id ingredientis vice in electuario fungi poteſt, quod vel per ſe, vel commixtione aliorum in electuarii formam redigi poteſt §. CCCLXII. Qua de re ingrediens electuarii ſimplicis, cum unum tantum ſit, ita comparatum ſit neceſſe eſt, ut per ſe ſine aliorum miſcela in electuarii formam redigi poſſit.

§. CCCLXV.

Aliqua electuarii ingredientia in formam electuarii vel per ſe redigi poſſunt, vel non.

Si qua electuarii compoſiti ingredientia in electuarii formam ſunt redigenda, illa vel apta ſunt, ut per ſe, ſine aliorum miſcela, in formam electuarii redigi queant, vel non. Si prius eſt, tertio vel aliis non opus eſt, ad iſta ingredientia in electuarii compoſiti formam redigenda. Si poſterius locum habet, alio ſive aliis opus eſt, quorum commixtione forma electuarii debita emergit.

§. CCCLXVI.

Definitio excipiendorum & excipientium in electuario.

Hæc ingredientia electuarii, quæ per ſe, ſine aliorum miſcela, in electuarii formam redigi non poſſunt, dicuntur *excipienda*; iſta vero, quæ his ingredientibus in electuarii formam redigendis inſerviunt, audiunt *excipientia.*

§. CCCLXVII.

Definitio antecedens illuſtratur.

Sic v. g. ſicca pulverulenta & liquida eatenus ſunt excipienda electuarii, quatenus per ſe ſine aliorum miſcela in electuarii formam redigi non poſſunt, mollia vero, ut conſervæ, ſyrupi, idque genus alia, eatenus excipientia, quatenus ſiccis pulverulentis in debitam formam electuarii redigendis inſerviunt.

§. CCCLXVIII.

Demonſtrata de excipientibus & excipiendis boli applicanda ſunt ad electuarium.

Eodem, quo §. CCCXL. CCCXLI. CCCXLII. CCCXLIII. CCCXLIV. uſus ſum, modo, demonſtratur, quod 1) ſi qua ingredientia, ex quibus electuarium eſt formandum, per ſe, ſine aliorum miſcela, in electuarii formam redigi queunt, excipiente vel excipientibus in electuario non opus ſit, 2) ſi qua contra electuarii ingredientia per ſe, ſine aliorum miſcela, in electuarii formam redigi nequeunt, excipiente vel excipientibus opus ſit, 3) ſi qua in electuario excipienda ſunt, excipiens vel excipientia adeſſe debeant, 4) ſi quod excipiens, vel ſi qua excipientia in electuario adſint, excipiendum vel excipienda adeſſe quoque debeant, 5) excipien-

tium in electuario quantitas & qualitas ex excipiendorum in electuario quantitate & qualitate determinetur. Ponatur enim locis citatis loco boli electuarium & reliqua maneant omnia, tunc ea, quæ dixi, vera eſſe, clariſſime apparebit.

§. CCCLXIX.

Excipientium in electuario, ſi ejus excipienda ſicca ſint, qualitas in genere in eo co ſiſtit, ut eorum conſiſtentia electuarii conſiſtentia minor ſit.

Cum electuarium à bolo non differat, niſi quod hoc minorem habeat conſiſtentiam §. CCXCI. ea, quæ de qualitate excipientium boli, ſi ejus excipienda ſunt ſicca, demonſtravi §. CCCXLV. applicari poſſunt ad qualitatem excipientium in electuario, ſi ejus excipienda ſunt ſicca, ratione ſimul conſiſtentiæ, quæ in electuario minor eſt, quam in bolo, habita. Jam cum ſi boli excipienda ſunt ſicca, excipientium ejus qualitas in genere in hoc conſiſtat, ut eorum conſiſtentia boli conſiſtentia ſit minor §. CCCXLV. excipientium electuarii, ſi ejus excipienda ſicca ſunt, qualitas in genere ita comparata eſſe debet, ut eorum conſiſtentia electuarii conſiſtentia minor ſit. Cum vero hæc excipientia ratione conſiſtentiæ variis modis ab electuario differre queant, liquida diverſo gradu fluiditatis prædita excipientium vice in electuario, ſi ejus excipienda ſicca ſunt, fungi poſſunt.

§. CCCLXX.

Quomodo quantitas excipientium electuarii determinetur.

Eadem qua §. CCCLXIX. uſus ſum, ratione evincitur, quantitatem excipientium in electuario determinari 1) per quantitatem excipiendorum, 2) per qualitatem excipiendorum & 3) ſuam ipſorum qualitatem.

§. CCCLXXI.

Excipientium in electuario quantitas vel major eſt vel minor pro eorundem conſiſtentia poſitis ſiccis excipiendis.

Quod ad quantitatem excipientium in electuario attinet, cum hæc per ſuam ipſorum & excipiendorum qualitatem in eodem determinetur §. CCCLXX. poſitis excipiendis electuarii ſiccis, liquidorum excipientium §. CCCLXIX. major vel minor quantitas ad eandem ſiccorum excipiendorum in electuario quantitatem requiritur, prout eorum conſiſtentia vel major eſt, vel minor, ut ſic debita electuarii forma exſurgat.

§. CCCLXXII.

Proportio excipientium liquidorum in electuario determinatur.

Cum liquidorum excipientium in electuario, poſitis excipiendis ſiccis, quantitas vel major vel minor ſit, prout eorum conſiſtentia vel major vel minor eſt §. CCCLXXI. poſita ſiccorum electuarii excipiendorum drachma una ſi excipientia ſunt ſpiſſiora, uti conſervæ, electuaria officinalia, &c. opus erit horum uncia una; ſi minus ſpiſſa, uti ſunt roob, pulpa, mel, confectio mollis &c. drachmæ duæ ſufficiunt. Hæc enim proportio excipientium ſi negligeretur, debita electuarii forma exinde non exſurgeret.

§. CCCLXXIII.

Excipientium variæ conſiſtentiæ quantitas ex dictis determinatur.

Si ergo excipientia variæ conſiſtentiæ in electuarium recipiuntur, ex dictis §. CCCLXXI. CCCLXXII. cujuslibet proportio facile determinatur. Tum vero ſpiſſiorum quantitate definita, ſi vel exinde, vel ex paulo majore excipiendorum ſiccorum mole electuarii forma juſto majori conſiſtentiæ gradu prædita emergit, liquidiora in tanta quantitate adduntur, quanta ſufficit ad debitam electuario conſiſtentiam conciliandam, quod exprimitur ita: q. ſ.

§. CCCLXXIV.

Si liquida in electuario ſunt excipienda,

Si vero in electuario liquida ſunt excipienda, excipientia ſicca in tanta quantitate ſunt recipienda, ut forma electuarii debita exinde reſultet. Quandoque ſolito mollius deſiderat æger electuarium, ut commodius dilui ingerique queat, atque id facile obtinetur aucta liquidorum quantitate monitoque pharmacopœo in ſubſcriptione, ſi huic illorum quantitas determinanda relinquitur.

ſicca excipientia in tanta quantitate ſunt capienda, ut forma electuarii exinde reſultet.

§. CCCLXXV.

Quomodo ingredientia comparata eſſe debeant, ſi electuarium pluribus una doſibus eſt ſumendum & diu conſervandum.

Si electuarium compoſitum, pluribus una doſibus ſumendum & per certum tempus aſſervandum, eſt conficiendum, ejuſmodi ingredientia ſunt eligenda, quæ æquabiliter inter ſe commiſceri, commixta in debitam electuarii formam redigi poſſunt, eamque per certum tempus retinent, & doſi minus accurata nullum, ſaltem non notabile, inferunt damnum. Neque minus ea, poſita modo dicta conditione, ita comparata ſint neceſſe eſt, ut mora virtutem ſuam nec perdant, nec aliam eamque noxiam aſſumant indolem, &, ſi fieri poteſt, minus ſint injucunda.

§. CCCLXXVI.

Quænam electuarium ingredi non debeant.

Quæ facile in deliquium, effervescentiam, putredinem abeunt, aceſcunt, vel exhalant, ſi in electuarii formam redigerentur, virtutem ſuam perdunt, & alienam, vel noxiam, vel injucundam, vel noxiam, & injucundam ſimul qualitatem induunt, & electuarii formam non retinent. Cum vero ejuſmodi ingredientia non ſint recipienda in electuarium pluribus una doſibus ſumendum & per certum tempus conſervandum §. CCCLXXV. patet, ea, quæ facile deliqueſcunt, effervescunt, putreſcunt, aceſcunt, exhalant, electuarium pluribus una doſibus adhibendum & per certum tempus aſſervandum ingredi non debere. Salia igitur alcalina, fixa & volatilia, in ejuſmodi electuarium non ſunt recipienda.

§. CCCLXXVII.

Pulverulenta in electuario probe ſunt cum aliis ſubigenda.

Cum ingredientia electuarii pluribus una doſibus ſumendi & per certum tempus conſervandi ita comparata eſſe debeant, ut æquabiliter inter ſe commiſceri & commixta in debitam electuarii formam redigi poſſint eamque retineant §. CCCLXXV. pulveres, ſi recipiendi ſunt in electuarium, cum aliis, ut pinguibus, reſinoſis, balſamicis, vitello ovi; idque genus aliis, probe ſunt commiſcendi & ſubigendi, ne mora ſecedant.

§. CCCLXXVIII.

Draſtica, maxime metallica & mercurialia in electuarium non ſunt recipienda.

Draſtica quoque, maxime metallica & mercurialia, in electuario, ſi vel maxime æquabiliter cum aliis commixta fuerint, mora facile ſecedunt & fundum petunt, atque non has ſolum ob rationes, ſed ob doſin minus accuratam, quæ hic plerumque ægris vel adſtantibus committitur determinanda, periculum facile inferunt. Qua de re draſtica, maxime metallica & mercurialia, cum ejuſmodi ingredientia, quæ cum aliis commixta debitam electuarii formam per certum tempus non retinent, neque commixta manent, & damnum inferunt, in electuarium non ſint recipienda §. CCCLXXVI. ex eo exulare debent.

§. CCCLXXIX.

Electuarii conſiſtentia major eſſe debet, ſi id ſpecifice.

Si vero circumſtantiis id exigentibus ſpecifice graviora in electuarium ſunt recipienda, major ipſi ob rationem §. CCCLXXVIII. adductam concilianda eſt conſiſtentia. Auri argentique folia

graviora ingrediuntur. folia ornamenti cauſa interdum electuario intermiſcentur, quibus, qui vult, uti poteſt, memor interim dictorum §. LXV.

§. CCCLXXX.

De ordine, quo ingredientia electuarii ſcribuntur. Ordo, quo electuarii ingredientia ſcribi ſolent, vix differt ab ordine, qui circa ingredientia boli obtinet, §. CCCLVI. Primo loco ponuntur in formula electuarii mollia, pondere determinata, dein ſicca, tum liquida, tandem ea, quæ in quantitate ſufficiente a pharmacopœo determinanda præſcribuntur. Sponte vero patet, ſiccis primum deberi locum, ſi nullum ingrediens molle pondere determinato accedit.

§. CCCLXXXI.

De doſi electuarii. Doſis electuarii haud facile doſin boli tranſgredi debet. Rarius pondere, ſæpius volumine determinatur, v. g. nucis avellanæ, juglandis, moſchatæ, caſtaneæ magnitudine, vel quantum cochleari, ſive cultri apice capi poteſt. Interdum electuarium portionibus aliquot, ut tribus, quatuor, quinque, &c. per certa intervalla ingerendum jubetur, ſed tunc eo eſt reſpiciendum, ne portio quævis buccellam excedat.

§. CCCLXXXII.

De quantitate generali electuarii. Quantitas generalis electuarii non facile unciis quatuor vel quinque major præſcribitur, prout eo magis minuſque frequenter vel diu eſt utendum. Moles ejus nimia, pro ingredientium indole, vel nimium ſpiſſeſcit, vel liqueſcit, vel alio modo corrumpitur.

§. CCCLXXXIII.

De uſu electuarii. Uſus electuarii idem eſt qui boli. Eo frequentius uſi fuerunt Veteres, quam Recentiores; quamvis ejus uſus, ſi prudenter inſtituitur, non ſit contemnendus.

§. CCCLXXXIV.

Speciminis loco ſunt.

I. Electuaria emetica.

1.

℞. Conſervæ gratiolæ ℥j.
Pulveris radicis ipecacuanhæ ℈j.
Syrupi de cinnamomo q. ſ.
M. F. electuarium pro una doſi.

2.

℞. Pulveris radicis ipecacuanhæ ℈ß.
Tartari emetici gr. ij.
Syrupi violarum ʒß.
Olei deſtillati menthæ gutt. j.
M. F. electuarium pro una doſi.

II. Electuaria purgantia & laxantia.

1.

℞. Conſervæ florum perſicorum ʒß.
Reſinæ jalappæ cum vitello ovi probe ſubactæ,
Diagrydii ſulphurati ana gr. vj.
Syrupi de cichoreo cum rheo q. ſ.
M. F. electuarium pro una doſi.

2.

℞. Conſervæ fumariæ ℈ij.
Pulveris radicis jalappæ ℈j.
Diagrydii ſulphurati gr. iv.
Syrupi de cichoreo cum rheo q. ſ.
M. F. electuarium pro una doſi.

3.

℞. Pulpæ caſſiæ,
paſſularum ana ℥ß.
Pulveris rhabarbari electi ʒiij.
Syrupi de cichoreo cum rheo q. ſ.
M. F. electuarium tribus vel quatuor doſibus ſumendum.

4.

℞. Conſervæ roſarum,
violarum ana ℥ß.
Pulpæ caſſiæ,
tamarindorum, ſive
paſſularum ana ʒij.
Pulveris rhabarbari electi ʒiß.
radicis Jalappæ ʒß.
Syrupi de cichoreo cum rheo q. ſ.
M. F. electuarium.

5.

℞. Pulpæ tamarindorum electorum ℥ij.
Cryſtallorum tartari minutim pulv. ʒij.
M. F. electuarium.

III. Electuaria pectoralia.

1.

℞. Spermatis ceti recentis ℥ß.
Olei amygdalarum dulcium recentis ʒij.
Syrupi capillorum veneris,
violarum,
Sacchari candi albi ana ℥ß.
Croci gr. xv.
M. F. electuarium.

2.

℞. Pulveris radicis iridis Florentinæ,
pimpinellæ albæ,
ari, ana, ℈j.
Balſami pectoralis Meibomii, gutt. xL.
Syrupi Capillorum veneris ʒij.
M. F. electuarium.

3.

℞. Myrrhæ depuratæ, ʒij.
Mellis albi, ℥iij.
M. F. electuarium.

4.

℞. Sacchari Myrrhati §. CCCXXXI. Claſſ. X. No. 1. deſcripti ʒj.
Syrupi Capillorum veneris ʒij.
M. F. electuarium.

IV. Electuaria antifebrilia.

1.

℞. Roob Sambuci, ℥ß.
Pulveris corticis chinæ,
caſcarillæ, ana, ʒiij.
florum chamomillæ, ʒij.
caryophyllorum aromaticorum,
Extracti centaurii minoris, ana, ʒß.
Syrupi Cardui benedicti, ſeu
Julepi Roſarum, ℥iß.
M. F. Electuarium.

2.

℞. Pulveris corticis chinæ,
Conditi aurantiorum,
Zingiberis, ana ℥ß.
Olei cinnamomi gutt. iij.
caryophyllorum gutt. ij.
M. F. c. ſ. q. ſyrupi cinnamomi Electuarium.

3.

℞. Pulveris corticis chinæ ℥ß.
Salis polychreſti, ʒij.
Syrupi V. radicum aperientium q. ſ.
M. F. Electuarium.

V. Electuaria roborantia & analeptica.

1.

℞. Conditi corticis citri,
aurantiorum,
caryophyllorum,
Pulveris corticis chinæ,
caſcarillæ, ana ʒß.
Syrupi de cinnamomo ʒv.
M. F. Electuarium.

2.

℞. Conſervæ meliſſæ ℥j.
Conditi nucis moſchatæ,
radicis Zingiberis ana ʒij.
Specierum aromatici roſati incompl. ℥ß.
Eſſentiæ corticis caſcarillæ ʒj.
Syrupi corticis citri q. ſ.
M. F. Electuarium.

3.

℞. Conſervæ roſarum ℥j.
Conditi radicis eryngii,
pimpinellæ ana ʒij.
Pulveris cinnamomi,
cardamomi minoris,
caryophyllorum ana ʒj.
Syrupi corticis aurantiorum, q. ſ.
M. F. Electuarium.

VI. Electuarium anthelminticum.

℞. Seminum ſantonici,
abſinthii vulgaris,
tanaceti ana ʒij.
Mellis ℥ij.
M. F. Electuarium.

VII. Electuaria adſtringentia.

1.

℞. Conſervæ roſarum rubrarum ℥j.
Specierum de hyacyntho ʒj.
Syrupi corticis citri, q. ſ.
M. F. Electuarium.

2.

℞. Roob cornorum ℥j.
Pulveris corticis caſcarillæ,
chinæ,
Corallii rubri ppt. āā ʒß.
Syrupi myrtillorum q. ſ.
M. F. Electuarium.

Hæc modo deſcripta electuaria fructu ſuo non deſtituuntur in ſiſtendis excretionibus nimiis, ut in hæmoptyſi, mictu & vomitu cruento, diarrhoea & dyſenteria, quamvis ſecurius hos morbos præcavendi, quam curandi fine uſurpari poſſint. Si vero curandi ſcopo adhibentur, uſus eorum providus & circumſpectus eſſe debet.

SECTIO V.

De formula eclegmatis.

§. CCCLXXXV.

De varia denominatione eclegmatis.

QUid *eclegma* ſit, jam dictum eſt §.CCXCI. Eſt vox originis græcæ, & derivatur ab ἐκλείχω, quod ſignificat *lingo*, unde & a græcis vocatur ἐκλεικτὸν, & a Latinis *linctus*. Sine dubio hoc medicamentum eam ob cauſam hoc nomen adeptum eſt, quoniam lingi ſolet. Arabes illud appellant *looch* & *lohoch*. Per vices linctum, ore detentum, ſenſim liqueſcens deglutitur.

§. CCCLXXXVI.

Quæ de bolo & electuario demonſtrata ſunt, mutandis mutatis valent quoque de eclegmate.

Cum bolus, electuarium & eclegma in eo conveniant, quod ſint medicamenta interna mollia, nec ulla re a ſe invicem diſcrepent, niſi gradu mollitiei, qui in quovis determinatus eſt §. CCXCI. patet, omnia ea, quæ demonſtravi de bolo & electuario eo, quo hæc cum eclegmate conveniunt, reſpectu, de eodem valere. Quapropter, ne ſine neceſſitate prolixus videar, propoſitiones de bolo & electuario demonſtratas, quatenus valent de eclegmate, huc ſine demonſtratione apponam, quoniam unusquiſque facili negotio, dummodo mutet mutanda, earum demonſtrationem condere poterit.

§. CCCLXXXVII.

Quæ ingredientium vice in electuario fungi poſſint.

Quæ igitur cum ita ſint §. CCCLXXXVI. patet, quod omne id ingredientis vice in linctu fungi poſſit, quod ejus vicem ſuſtinere poteſt in electuario & bolo §. CCCXXXV. CCCLXIII. Quibus accedunt inſuper looch officinalia, olea expreſſa blandiora, mucilagines, vitelli ovorum, quandoque etiam aquæ ſtillatitiæ.

§. CCCLXXXVIII.

Applicantur demonſtrata de electuariis ad linctum.

Patet porro ex ratione adducta §. CCCLXXXVI. ingrediens linctus ſimplicis ita eſſe debere comparatum, ut per ſe, ſine aliorum miſcela, in linctus

ctus formam redigi poſſit §. CCCXXXVI. 2) quædam linctus compoſiti ingredientia formæ linctus vel per ſe, ſine aliorum miſcela, eſſe capacia, vel non §. CCCXXXVII. 3) quid ſit excipiens & excipiendum in linctu §. CCCXXXVIII. 4) ſi qua ingredientia, ex quibus linctus eſt componendus, per ſe, ſine aliorum miſcela, in linctus formam redigi queunt, eundem excipiente ſive excipientibus non opus habere §. CCCXL. 5) contra ea linctus ingredientia, quæ per ſe, ſine aliorum miſcela, in linctus formam redigi nequeunt, excipiens vel excipientia poſtulare §. CCCXLI. 6) ſi qua in linctu excipienda ſint, excipiens vel excipientia adeſſe debere §. CCCXLII. 7) excipientis vel excipientium in linctu præſentiam ponere præſentiam excipiendi vel excipiendorum in eodem §. CCCXLIII. 8) excipientium in linctu quantitatem & qualitatem excipiendorum linctus quantitate & qualitate determinari §. CCCXLIV.

§. CCCLXXXIX.

Solida vel rarius, vel non, vel ſaltem tenerrima, vel facile liqueſcentia linctum ingrediuntur.

Quamvis igitur multa ingredientium vice in linctu fungi poſſint §. CCCLXXXVII. nihilominus tamen horum delectus eſt habendus. Cum enim linctus electuario majorem poſſideat mollitiem §. CCXCI. ne hæc linctui conveniens mollities pervertatur, ſicca, ſive ſolida, vel plane non, vel ſaltem rariſſime linctum ingredi, vel ea, ſi qua ingrediuntur, vel maxime tenerrima requiri, vel facile liqueſcentia, patet. Et eandem ob cauſam rarius conſervæ & condita in linctum recipiuntur; quamvis hæc trajectu per ſetaceum delicatioribus aptari poſſint.

§. CCCXC.

Draſtica acria aliisque qualitatibus moleſta linctum vix tuto ingrediuntur.

Eæ, quæ draſticorum, metallicorum inprimis & mercurialium uſum in electuario diſſuadent, rationes §. CCCLXXVIII. valent quoque de linctu, quibus accedit, quod hic nec ſcopus uſum draſticorum exigat. Qua de re ea linctum vix tuto ingrediuntur. Neque minus acria, aliiſque qualitatibus, ut ſapore & odore moleſta, quantum fieri poteſt, in linctu vitantur, cum deglutitione lenta, qua ingeri ſolet, qualitates moleſtæ, eæ præſertim, quæ guſtum afficiunt, magis evolvantur, eorumque moleſtia augeatur.

§. CCCXCI.

Quænam circa pinguia ſint animadvertenda.

Pinguia contra & mucilaginoſa, frequentius in linctu adhibentur, atque hanc ob cauſam cavendum eſt, ne rancida ſint alioque modo corrupta, utpote quod facile contingit officinalibus diu aſſervatis. Pinguibus & oleoſis ſubigendis vitellus ovi inprimis convenit, cui proxima ſunt ſaccharum, mel & ex his confecta. Vitelli fere ſubtriplum, mellis autem & ſacchari plus requiritur.

§. CCCXCII.

Ex quibus linctus confici poſſit.

Ex looch officinalibus, melle, cremore lactis, vitellis ovorum, confectionibus mollibus, ſyrupis iiſque, quæ ad horum lentorem accedunt, ut mucilaginibus, oleis preſſis blandis ſimilibusque, quacunque fere proportione junctis, linctus exſurgit, modo eorum, quæ ſubigendis pinguibus inſerviunt, ſatis ſit. Horum interea ſingulorum doſin determinant dicta §. CXLI — CLVII.

§. CCCXCIII.

Conſervarum, ſiccorum, electuariorum, pulparum, ſyruporum, aliorumque liquidorum concentratiorum proportio determinatur.

Conſervæ, electuaria, pulpæ, triplum vel quadruplum ſyrupi diluentis fere requirunt, ſicca octuplum, quamvis ſiccorum & conſervarum quantitas major recipi poſſit, ſi de iis ſetacei ope arcentur partes ſolidæ. Olea deſtillata, balſama liquida, elexiria, eſſentiæ, tincturæ, ſpiritus & id genus alia, doſi refracta, uti in electuario, accedunt, ita, ut ideo vix reliquorum proportio mutetur. Aquæ deſtillatæ, ſi nimia linctus metuitur craſſities, quantitas addenda pharmacopoei arbitrio determinanda relinquitur. Frequentius quoque ſyrupi q. ſ. præſcribitur. Dilutior interea linctus conſiſtentia q. ſ. cogi poteſt.

§. CCCXCIV.

Conſiſtentiæ gradus linctui proprius ſæpius negligitur.

Conſiſtentiæ gradus, qui linctui competit, ſæpius negligitur & ipſi modo major, modo minor, pro circumſtantiarum id exigentium ratione, conciliatur, unde patet, proportionis, qua linctus ingredientia accipienda ſunt, leges allegatas omnis exceptionis non eſſe expertes. Sic linctus conſiſtentia ſolito redditur major, ſi metus eſt, ne pinguia ipſi intermixta ſecedant.

§. CCCXCV.

De ordine, quo ingredientia linctus ſcribuntur.

Ordo, quo ingredientia linctus in formula ſcribuntur, non unus idemque obſervatur. Quæ difficulter ſolubilibus ſubigendis inſerviunt, his proxime ſubjunguntur, ceterum obſervantur regulæ, quarum mentionem feci §. CCLIX.

§. CCCXCVI.

De doſi linctus.

Doſis linctus rarius pondere, ſæpius volumine determinatur. Illud vero ſi fit, pondus linctus unciam dimidiam excedere non debet. Hoc vero ſi placet, utpote quod uſitatius eſt, parvi cochlearis menſura, aut, quantum baculo liquiritiæ capi poteſt, determinatur ejuſdem doſis.

§. CCCXCVII.

De quantitate generali linctus.

Quantitas generalis linctus eadem fere eſt, quæ electuarii & vix unquam ultra ſex uncias augetur, niſi uſus ejus ſit frequentiſſimus. Ingredientium quoque qualitas, ut ſaccharatorum facilis fermentatio, pinguium & mucilaginoſorum corruptio, calida inprimis tempeſtate facilius contingens, prohibet interdum, quo minus linctus in majori doſeos mole præſcribatur.

§. CCCXCVIII.

De uſu linctus.

Adhibetur linctus in morbis partes internas, præcipue fauces, œſophagum, laryngem, trachæam, bronchia infeſtantibus, ut aphthis, tuſſi, peripneumonia, phthiſi, rarius in aliis.

§. CCCXCIX.

Specimina linctuum ſunt.

I. Linctus tuſſim leniens & expectorationem promovens.

℞. Olei amygdalarum dulcium recentis ℥j.
Spermatis ceti recentis ʒij.
Croci gr. X.
Syrupi violarum,
Sacchari candi, ana ℥ij.
M. F. Linctus.

II. Linctus in faucium & linguæ ardore & tumore.

℞. Albuminis ovi in aqua quaſſati ℥ij.
Aquæ roſarum ℥j.
Syrupi granatorum,
diamori, ana ℥ß.
Salis prunellæ gr. XII.
Liquoris anodini mineralis gutt. XXX.
M. F. Linctus.

III. Boerhavii linctus ad ſputa ſuppreſſa in peripneumonia.

℞. Olei amygdalarum dulcium recentis ℥iß.
Syrupi violarum,
Mellis virginei,
Vitelli ovi recentis ana ℥ß.
M. F. Linctus.

IV. Linctus in aphthis.

1.

℞. Syrupi papaveris albi,
Cremoris lactis ana ℥ij.
Vitellos ovorum No. II.
Aquæ roſarum ℥ij.
M. F. Linctus.

2.

℞. Vitellos ovorum No. II. conquaſſentur in
Aquæ roſarum ℥ij.
Mucilaginis ſeminis cydoniorum,
Mellis virginei ana ℥j.
Croci gr. VI.
M. F. Linctus.

SECTIO VI.

De formula pilularum.

§. CCCC.

Applicantur hic demonſtrata in ſuperioribus.

QUid pilulæ ſint, jam dictum fuit §. CCLXXXIX. eaſque ſimplices eſſe vel compoſitas, magiſtrales vel officinales, relativas vel abſolutas, & omne id ingredientis vice in pilulis fungi poſſe, quod vel per ſe, vel commixtione aliorum in pilularum formam redigi poteſt, eodem, quo de bolo & electuario demonſtravi, modo §. CCCXXXIII. CCCXXXIV. probari poteſt, ita, ut ſupervacaneum eſſe arbitrer, harum theſium demonſtrationes huc apponere.

§. CCCCI.

Recenſentur, quæ pilulas ingredi poſſunt.

Cum omnia ea pilulas ingredi poſſint, quæ vel per ſe, vel commixtione aliorum in formam pilularum redigi poſſunt §. CCCC. ingredientium vice in pilulis fungi poſſunt 1) ſicca tenacia, uti gummi, gummi-reſinæ, reſinæ, extracta ſolida, ſucci denſi, maſſæ pilulares officinales, ſapones ſolidi, trochiſci efficaciores; 2) ſicca pulverulenta ex quovis regno petita; 3) ſpiſſiora, ut mel, terebinthina, extracta mollia, electuaria, ſed rarius, mica panis recentis & ejuſmodi alia; 4) minus ſpiſſa, ut ſyrupi, vitellus ovi, balſama liquida, mucilagines, confectiones molles, &c. 5) liquidiora, ut elexiria, eſſentiæ, tincturæ, ſpiritus fermentati, olea aromatica, extracta eſſentialia, &c. Hæc enim omnia vel per ſe, vel commixtione aliorum in formam pilularum redigi poſſunt. Quæ No. 3. 4. & 5. recenſita ſunt, plerumque excipientium vice fungi ſolent.

§. CCCCII.

Qualis delectus in iis, quæ ingredientium vice in pilulis, fungi poſſunt, ſit habendus.

Quamvis igitur adeo multa pilulas ingredi poſſint §. CCCCI. nihilominus tamen recenſita §. cit. No. 1. aptiſſima ſunt & uſitatiſſima, & ex iis No. 2. ea præcipue loco ingredientium adhibentur, quæ ſpecifice graviora ſunt & parva doſi efficacia, cum e contrario pulverulenta levia, haud facile cohærentia, minus ſubtilia & majori doſi efficacia, quantum fieri poteſt, vitari ſoleant. Neque immerito maſſæ pilularum officinales præter eas, quarum compoſitio concinna eſt & uſus frequens, in pilulis omittuntur, cum diutius aſſervatæ plerumque vel nimis ſicceſcant, vel alio modo corrumpantur.

§. CCCCIII.

Ingrediens pilularum ſimplicium per ſe formæ pilularum debet eſſe capax,

Ingrediens pilularum ſimplicium ita comparatum ſit neceſſe eſt, ut per ſe, ſine aliorum miſcela, in formam pilularum redigi poſſit. Hæc propoſitio eadem demonſtratur ratione, quam ſecutus ſum §. CCCXXXVI.

§. CCCCIV.

De excipientibus & excipiendis pilularum.

Quædam, quæ in pilularum compoſitarum formam ſunt redigenda, eam vel per ſe, ſine aliorum miſcela, aſſumere poſſunt, vel non. Si poſterius, adeſſe debent *excipienda* & *excipientia pilularum.* Sic ſicca tenacia, quæ recenſui §. CCCCI. No. 1. eo reſpectu, quo per ſe, ſine aliorum miſcela, in pilularum formam redigi nequeunt, ſunt excipienda in pilulis; ſpiſſiorum vero, quorum mentionem feci §. cit. No. 3. 4. quædam eatenus ſunt excipientia in pilulis, quatenus illis in debitam pilularum formam redigendis inſerviunt.

§. CCCCV.

Quando excipientibus in pilulis non opus ſit.

Si qua ingredientia, ex quibus pilulæ compoſitæ ſunt formandæ, in pilularum formam redigi queunt, excipiente vel excipientibus in pilulis non opus eſt.

§. CCCCVI.

Quando excipientia in pilulis requirantur.

Contra, ſi qua pilularum compoſitarum ingredientia, per ſe, ſine aliorum miſcela, pilularum formam aſſumere nequeunt, excipiens vel excipientia in pilulis requiruntur.

§. CCCCVII.

Si excipientia adſint in pilulis, excipienda requiruntur & vice verſa.

Si qua in pilulis excipienda ſunt, excipiente vel excipientibus in pilulis opus eſt. Neque minus ſi qua in pilulis excipientia adſint, excipiendum vel excipienda in pilulis adeſſe debent.

§. CCCCVIII.

Excipientium in pilulis quantitas & qualitas ex excipiendorum qualitate & quantitate determinatur.

Excipientia pilularum tam ratione qualitatis, quam quantitatis, variare debent, prout excipienda tam ratione quantitatis, quam qualitatis variant, atque adeo illorum quantitas & qualitas ex horum quantitate & qualitate ſunt determinanda.

§. CCCCIX.

§. CCCCIX.

Quænam excipientia in pilulis eſſe poſſint, ſi earum excipienda ſunt ſicca.

Si ſicca ſunt excipienda in pilulis, liquida diverſo fluiditatis gradu prædita excipientium vice in pilulis fungi poſſunt, qualia ſunt §. CCCCI. No. 3. 4. 5.

§. CCCCX.

Scholion.

Conſulto omnium eorum, quæ afferui §. CCCCIV. CCCCV. CCCCVI. CCCCVII. CCCCVIII. CCCCIX. demonſtrationes omiſi, ne nimis longus eſſe videar. Neque id neceſſarium fuit, cum demonſtrationes, quas §. CCCXXXVII. CCCXXXVIII. CCCXL. CCCXLI. CCCXLII. CCCXLIII. CCCXLIV. CCCXLV. de bolo dedi, etiam de pilulis valeant, nullaque plane mutatione indigeant, niſi ut in iis, loco vocis *bolus*, vocabulum *pilulæ* ponatur.

§. CCCCXI.

De determinatione quantitatis excipientium in pilulis.

Quantitas excipientium in pilulis determinatur 1) per excipiendorum quantitatem, 2) per eorundem & 3) ſuam ipſorum qualitatem §. CCCLXX.

§. CCCCXII.

Liquida §. CCCCI. No. 3. 4. 5. omnia non quadrant excipiendis ſiccis.

Quamvis, ſi ſicca ſunt excipienda in pilulis, liquida diverſo fluiditatis gradu prædita excipientium vice in pilulis fungi poſſint §. CCCCIX nihilominus tamen hæc omnia, ſi excipientis vicem gerere debent, excipiendis ſiccis promiſcue non quadrant, ſed aliqua tantum, atque illorum qualitas tunc ex excipiendorum qualitate eſt determinanda §. CCCCVIII. Sic ſiccorum tenacium, quæ recenſui §. CCCCI. No. 1. inprimis reſinoſorum, excipientia ſunt liquidiora, ut eſſentiæ, tincturæ idque genus alia, quæ commemoravi §. CCCCI. No. 5. deinde vitellus ovi, balſama, & terebinthina. Sicca pulverulenta excipientibus egent ſpiſſioris conſiſtentiæ, qualia ſunt §. CCCCI. No. 3. 4.

§. CCCCXIII.

Si excipienda ſunt ſpiſſa, ſicca pulverulenta ſunt excipientia.

Si excipienda in pilulis ſunt magis minuſve ſpiſſa, & ad fluidorum indolem accedunt, uti ea, quæ §. CCCCI. No. 3. 4. indicavi, patet, ſicca pulverulenta bibula, uti farinæ, pulvis liquiritiæ, ſuccini, maſtiches, & ſimilia, illis in formam pilularum redigendis inſervire, adeoque excipientia eſſe.

§. CCCCXIV.

Quantitas excipientium determinatur, ſi pilularum excipienda ſunt ſicca.

Si in pilulis excipienda ſunt ſicca pulverulenta, liquida diverſo fluiditatis gradu prædita excipientium vice in pilulis fungi poſſunt §. CCCCIX. qualia ſunt §. CCCCI. No. 3. 4. 5. Sed cum excipientium quantitas ex ipſorum qualitate determinetur §. CCCCXI. varia requiritur excipientium, diverſo fl iditatis gradu præditorum, quantitas, pro varia eorundem conſiſtentia, & in genere tanto plus, quo ſpiſſiora ſunt, & eo minus, quo fluidiora ſunt, ut debita pilularum conſiſtentia exinde emergat.

Poſita ergo excipiendorum ſiccorum uncia una:

excipientis ſpiſſi §. CCCCI. No. 3. drachm. V. ad VI.
—— minus ſpiſſi §. cit. No. 4. drachm. III. ad IV.
—— liquidioris §. cit. No. 5. drachm. II. ad III.

opus eſt, ut pilulæ determinatam ſuam acquirant conſiſtentiam. Interdum excipientis quantitas pharmacopœi judicio determinanda relinquitur.

§. CCCCXV.

Quali tas excipientium diverſæ conſiſtentiæ poteſt ex dictis determinari.

Patet hinc ex §. CCCCXIV. proportio, ſi plura excipientia diverſæ conſiſtentiæ, vel ſi excipienda tum ſicca pulverulenta, tum ſicca tenacia, qualia ſunt §. CCCCI. No. 1. ſimul adhibenda ſunt. Neque minus pulveris, qui ad excipienda magis minuſque ſpiſſa in pilulis uſurpatur §. CCCCXIII. proportio ex regula §. CCCCXIV. data intelligitur; interdum tamen ejus quantitas non præſcribitur, ſed pharmacopœo determinanda committitur, ſcribendo, q. ſ.

§. CCCCXVI.

Quid faciendum ſit, ſi non conſtat, utrum excipientium quantitates rite determinatæ ſint nec ne.

Si quis, dum excipientium in pilulis quantitates determinare vult, dubius eſt & metuit, ne vel ſint juſto majores, vel minores, ut ne errorem, quem facile evitare potuiſſet, committat, bene prudenterque agit, ſi unius excipientis vel quorundam excipientium tam parvam quantitatem præſcribat, ut eam ſolam ſcopo excipiendi non ſufficere certus ſciat, & deinde reliqui excipientis vel reliquorum excipientium quantum ſatis ſubjungat.

§. CCCCXVII.

Nullum ſal ingrediens eſſe poteſt pilularum ſimplicium.

Cum ingrediens pilularum ſimplicium ita comparatum eſſe debeat, ut per ſe, ſine aliorum miſcela, in pilularum formam redigi poſſit §. CCCCIII. nullum vero ſal, quodcunque ſit, per ſe, ſine aliorum combinatione, pilularum formæ capax ſit, patet, nullum ſal ingredientis vice in pilulis ſimplicibus fungi poſſe.

§. CCCCXVIII.

Salia, quæ cum aliorum combinatione in pilularum formam redigi poſſunt, ingredi poſſunt pilulas compoſitas.

Quamvis vero hoc, quod aſſerui §. CCCCXVII. verum ſit, nihilominus tamen apparet, ſalia, quæ cum aliorum commixtione in pilularum formam redigi poſſunt, ingredientium vicem in pilulis compoſitis ſuſtinere poſſe §. CCCC. Ejus generis ſalia ſunt ſalia neutra, ut tartarus vitriolatus, tartariſatus, cremor tartari, ſal ſuccini, acetoſellæ, idque genus alia. Raro quidem ſalibus cito liqueſcentibus, qualia ſunt ſal tartari, terra foliata tartari, idque genus alia, vel exhalantibus, in pilulis compoſitis locus eſt, ſed tamen minori quantitate data & cum aliis idoneis commixta ferri poſſunt.

§. CCCCXIX.

Quibus nam forma pilularum optime quadret.

Acria, ſapore, odore aliiſque qualitatibus moleſta, commodiſſime pilularum forma exhibentur, cum his tegendis accommodatior non detur formula. Et ſic quoque cum metallicis & mercurialibus comparatum eſt, utpote quæ aptiſſime in pilulis propinari poſſunt. Cinnabarin quoque tanquam commodiſſimum pilularum, præſertim purgantium, & ſeri vitio & ſpaſmis tollendis dicatarum, ingrediens, commendant aliqui, inter quos præcipue eminet *illuſtris* b. m. Hoffmannus, putantes, cinnabarin omnibus pilulis gratum rubicundum conciliare colorem, cum purgantibus acrioribus, quæ pilulas alvo purgandæ deſtinatas ingrediuntur, tritu probe ſubactam, illorum acrimoniam cauſticam mitigare, egregiumque in ſpaſmis demulcendis & lymphæ vitio corrigendo exſerere effectum. Sed quid de hoc ſentiendum ſit, alii ſagaciores judicent.

§. CCCCXX.

§. CCCCXX.

De ordine, quo ingredientia pilularum ſcribuntur.

Ordo, qui in ſcribendis pilularum compoſitarum ingredientibus a Medicis obſervatur, non certis & immutabilibus ſe adſtringit legibus. Plerumque excipienda juxta ſpeciei ſimilitudinem & ſingulorum quantitatem ita, uti dictum fuit §. CCLIX. collocata præmittuntur, his dein excipientia ſubjunguntur, atque horum illa, quæ non determinata quantitate præſcribuntur, ultimo loco ponuntur §. cit.

§. CCCCXXI.

De mole pilularum.

Moles cujuſvis pilulæ non una eademque obtinet, ſed variat, prout hæc vel illa arridet. Veteres pilulis majoris molis, quam Recentiores, uſi fuerunt; id quod ex eo apparet, quoniam ex drachma una maſſæ vix ſex vel octo formarunt pilulas. Nonnullæ nationes, ut Galli & Angli, adhuc hunc morem quoad pilularum magnitudinem ſequuntur. Major pilulæ moles eſt, ſi ex octo vel decem granis maſſæ conſtet, atque hæc, immo hac major, Gallis & Anglis eſt uſitatiſſima. Apud nos in uſu eſt triplex pilularum moles: Nonnullæ ponderant duo grana & mole ſua piſum æquant, aliæ pondere ſuo granum unum referunt, & iterum aliæ granum tantum ſemis vel minus ponderant.

§. CCCCXXII.

De doſi pilularum.

Quo minor eſt doſis pilularum, eo eſt gratior, dummodo effectum legitime edat, ita, ut hic defectu vix peccari queat. Ordinaria doſis eſt ſcrupulus unus, interdum tamen ad ſcrupulos duos, immo drachmam unam, ſed raro augetur, niſi indicatione id poſtulante, ingredientibus pilularum ſpecifice gravioribus, ægroque facili.

§. CCCCXXIII.

Quæ circa doſin pilularum ſint animadvertenda.

Pilulas alterantes, lentius agentes, in ſanguinem inſinuandas, difficulter ſolubiles, parva potius doſi, ſæpiusque iterata, quam majori unica, dare præſtat, atque idem obſervandum eſt de pilulis mercurialibus ſialagogis, purgantibus draſticis, idque genus aliis, utpote quæ tutius, diviſa in minores doſi efficaci, exhibentur, niſi indicatio poſtulet, ut Medicus morbum conatu validiori adgrediatur, nec aliæ circumſtantiæ id diſſuadeant. Neque minus conſultum eſt, ſi ſine ingenti humorum commotione, vel per epicraſin pilulis alvus eſt ſubducenda, earum doſis efficacis partem tertiam vel quartam exhibere veſperi, reliquam vero proximo mane. Ceterum obſerventur circa doſin pilularum dicta §. CXLI. CLVII. CLXXVII. CLXXXIII. CLXXXIX. CXCIX.

§. CCCCXXIV.

De numero pilularum.

Numerus pilularum pro doſi facile invenitur, ex doſeos pilularum mole per pondus pilulæ deſideratum diviſa. Sunt, qui ſuperſtitione a Medicis introducta capti, a numero pilularum pari pro doſi abhorrent. Horum opinioni facile ſe quis accommodare poteſt.

§. CCCCXXV.

De quantitate generali pilularum.

Quantitas pilularum generalis invenitur ex numero & mole doſeos §. CLXXXV. CLXXXVI. ſed in caſu ſingulari in genere determinari nequit. Pillulæ evacuantes ſæpe ad unam, interdum ad duas & tres doſes præſcribuntur, alterantes ad totidem uncias. Repetantur præterea huc dicta de quantitate pulveris generali §. CCCXXV.

§. CCCCXXVI.

De ſubſcriptione formulæ pilularum.

Subſcriptio formulæ pilularum hæc eſt: *M. f. pilulæ.* Additur ſemper numerus vel omnium pilularum, quæ ex data maſſa ſunt præparandæ, vel indicatur, quotnam ex certo maſſæ pondere formari debeant, vel quanti ponderis quælibet deſideretur. Sic ſcribi ſolet: M. f. pilulæ No. I. II. III. &c. vel ex ℈j. No. XX. vel ſingulæ gr. I. II. III. ponderantes. Subjungitur interdum id, quo pilulæ ſunt obducendæ, ne facile cohæreſcant, cui ſcopo inſerviunt folia auri, argenti, pulvis glycyrrhizæ, ſantali rubri, cinnamomi, ſeminis lycopodii, chinæ & lapidum cancrorum, atque id tanto magis hic ferri poteſt, quo certius eſt, hac ratione earum colores, ſaporeſque & odores ſæpe injucundiſſimos corrigi, conſiſtentiam debitam conſervari, atque prohiberi, quo minus facile diffluant, nimis dureſcant, vel in pulverem dilabantur; interea tamen mora longiori hoc involucrum corrumpitur. Ceterum repetantur huc dicta §. CXIII. CXV. CXVI.

§. CCCCXXVII.

De ſignatura formulæ pilularum.

Signatura formulæ pilularum determinat, ſi opus eſt, *titulum earum ex nomine & virtute compoſitum* §. CXXII. CXXIII. *doſin, tempus, regimen, & vehiculum* §. CXXV. Quod ad hoc attinet, alii illo utuntur, alii non item, & eorum, qui illud adhibent, aliqui ſolido vel ſpiſſo, uti nebula, paſſula majore, pruno cocto, gelatina, vel roob gratiore, idque genus aliis, aliqui liquido utuntur. Hoc ſi frigidum eſt, aptius eſt calido, utpote quod rarius, vel plane non uſurpatur, dum pilulas liquefacit, atque hæ liquefactæ guſtum modo valde adverſo afficiant faucibusque magna cum moleſtia adhæreant. Nonnunquam, pilulis aſſumtis liquor ut ſuperbibatur, neceſſarium eſt, tum ut ingrati ſaporis reliquiæ abſtergantur, tum ut earum ſolutio in ventriculo promoveatur. Conferantur huc præterea dicta §. CXVII.

§. CCCCXXVIII.

De uſu pilularum.

Pilulæ æque ac pulveres frequentiſſime uſurpantur, & ſcopo alterandi pariter ac evacuandi, maxime in affectibus chronicis, optime ſatisfaciunt. In acutis morbis rarius uſurpantur, niſi emetica, narcotica, purgantia & ſimilia ſub earum forma dari vel volupe vel opus fuerit. Quæ ingrata ſunt, commodiſſime pilularum forma ingeruntur. Sunt tamen, quibus hæc remedii ſpecies nec placet, nec convenit. Iis, qui deglutiendi difficultate laborant, non debent præſcribi pilulæ. Subjectis quoque temperiei ſiccæ minus ſunt accommodatæ, neque, ſi quis a promtiſſima remedii actione effectus eſt ſperandus, in uſum vocandæ.

§. CCCCXXIX.

I. Pilulæ purgantes & laxantes.

I.

℞. Mercurii dulcis ʒß.
Reſinæ jalappæ cum pineis tritæ gr. XII.
Extracti panchymagogi Crollii ʒj.
M. F. Pilulæ gr. I. ponderantes & obducantur foliis argenti.

2. ℞.

2.

℞. Æthiopis mineralis,
Mercurii dulcis,
Extracti rhabarbari,
fumariæ,
panchymagogi Crollii ana ʒj.
M. F. cum eſſentiæ ſuccini q. ſ. pilulæ ex ℈j.
No. XX.

3.

℞. Extracti marocoſtini,
Mercurii dulcis ana ℈j.
Reſinæ jalappæ cum pineis tritæ gr. v.
M. F. cum eſſentiæ ſuccini q. ſ. pilulæ
No. XXX.

4.

℞. Reſinæ ligni aloes,
ladani,
Florum benzoes,
Salis ſuccini,
Balſami Peruviani,
Myrrhæ electæ ana ℈j.
Mercurii dulcis,
Extracti hellebori nigri ana ʒß.
rhabarbari,
Aloes roſatæ, ana ʒj.
M. F. pilulæ ex ℈j. No. XX.

5.

℞. Reſinæ jalappæ ppt.
Mercurii dulcis,
Cinnabaris nativæ ana ℈j.
Gummi ammoniaci depurati,
Maſtiches,
Aloes roſatæ,
Extracti rhabarbari,
hellebori nigri ana ʒß.
M. F. pilulæ gr. i. ponderantes.

6.

℞. Aloes gummoſæ ℈j.
Extracti panchymagogi Crollii ℈ß.
Limaturæ martis ppt. gr. v.
M. F. pilulæ ad pondus gr. I.
Sunt pilulæ contra obſtructiones.

7.

℞. Gummi ammoniaci in aceto ſquillitico
ſoluti & inſpiſſati
Mercurii dulcis,
Aloes roſatæ,
Extracti fumariæ ana ℈j.
M. F. pilulæ ex ℈i. No. XX.

8.

℞. Gummi ammoniaci in aceto ſquillitico
ſoluti & inſpiſſati,
Saponis Veneti,
Boracis Venetæ,
Pulveris radicis ari,
Aloes roſatæ,
Extracti centaurii minoris,
rhabarbari ana ʒß.
M. F. pilulæ ex ℈j. No. XX.

Pilulæ I. N. 1. 2. & 3. egregie conducunt in morbis ſanguinis, a ſeri inprimis impuritate proficiſcentibus, ut in affectibus ſcabioſis, puſtuloſis & pruriginoſis idque genus aliis. Neque minorem præſtant utilitatem in morbis cerebri & nervorum, auditus & viſus vitiis, quatenus ab humore his in partibus ſtagnante, earumque functiones lædente proveniunt. Pilulæ No. 4. & 5. vitiis cerebri nervorumque, quatenus ab eorum debilitate proficiſcuntur, ſunt dicatæ. Quæ No. 7. & 8. deſcriptæ ſunt, non egregia ſolum vi alvum leniter laxandi, ſed aperiendi etiam & reſolvendi præditæ ſunt, adeoque in morbis, qui a viſcerum, glandularum aliarumque partium obſtructione oriuntur, maximo cum fructu adhibentur.

II. Pilulæ hydropicæ.

1.

℞. Maſſæ pilularum balſamicarum
No. III. 1. ʒß.
Pulveris radicis vincetoxici,
ſquillæ ana gr. iv.
Gummi guttæ gr. ii—iv.
M. F. pilulæ pro una doſi.

2.

℞. Elaterii,
Extracti hellebori nigri,
centaurii minoris,
abſynthii,
Mercurii dulcis ana ʒß.
Extracti croci gr. vi.
M. F. cum balſami Peruviani q. ſ.
pilulæ ex ʒß. No. XX.

3.

℞. Extracti catholici ʒß.
ellebori nigri,
Mercurii dulcis ana gr. iv.
Reſinæ jalappæ,
Gummi guttæ ana gr. iii.
M. F. pilulæ No. XX.

III. Pilulæ balſamicæ polychreſtæ.

1.

℞. Pulveris rhabarbari electi,
Saponis veneti,
Boracis venetæ,
Myrrhæ electæ,
Maſtiches,
Succini,
Benzoes, ana, ʒj.
Gummi Ammoniaci in aceto ſquillitico
ſoluti,
Sagapeni,
Aloes roſatæ,
Extracti cardui benedicti,
fumariæ,
centaurii minoris, ana, ʒß.
Croci, ℈ij.
M. F. Pilulæ ex ℈j. No. XX.

2.

℞. Aloes gummoſæ,
Myrrhæ ppt.
Gummi Juniperi,
Hederæ, ana ℈j.
Extracti cochleariæ aquoſi,
abſinthii vinoſi,
cardui benedicti vinoſi,
Terebinthinæ Venetæ leniter coctæ
ana, ℈ß.
M. F. pilulæ ex ℈j. No. XV.

Hæ pilulæ No. 1. utilitate ſe præ multis aliis commendant. Aluum enim blande laxant, ita, ut ventriculi & inteſtinorum tonum non deſtruant, uti a pleriſque purgantibus fieri ſolet, ſed eum potius roborent. Præter hanc roborandi virtutem, egregia quoque obſtructiones aperiendi & abſtergendi vi gaudent, eamque ob cauſam, impeditum ſanguinis per abdominis viſcera circuitum in ordinem redigendi fine, ſummo cum fructu uſurpantur, unde unicuique facile patebit, quam multiplicem præſtent utilitatem. Sic bene conducunt in malo hypochondriaco, hyſterico iiſque, qui ab his tanquam cauſis dependent, malis. Eodem cum fructu in uteri vitiis, a ſanguinis per vaſa ejus minus expedito circuitu proficiſcentibus, cachexia, chloroſi, leucophlegmatia, hydrope, hæmorrhoidum vel menſium fluxu impedito, & multis, quæ exinde oriuntur, malis adhibentur, eorumque efficacia conjuncto ſalis aperitivi uſu promovetur, de quo jam dixi §. CCCXXXI. XXVI. Pilulæ No. 2. cum prioribus fere conveniunt, & gradu tantum minori effectuum ab iis differre videntur.

IV. Pilulæ ad menſes promovendos.

℞. Gummi ammoniaci in aceto ſquillitico
ſoluti,
galbani,
bdellii,
Myrrhæ electæ,
Saponis Veneti,
Aloes depuratæ,
Boracis venetæ,
Extracti ariſtolochiæ rotundæ āā ʒj.
caſtorei,
croci ana ℈j.
M. F. l. a. pilulæ ex ℈j. No. XX.

V. Pilulæ antiſpaſmodicæ.

℞. Extracti chamomillæ,
millefolii,
cardui benedicti ana ʒj.
Gummi ſagapeni,
opoponacis,
Myrrhæ electæ,
Aſæ fœtidæ,
Pulveris caſtorei ana ʒß.
Cinnabaris,
Croci ana ℈ij.
M. F. pilulæ ex ℈j. No. XX.

Hæ pilulæ in ſpaſmis uteri mitigandis egregiam exſerunt utilitatem. Pro circumſtantiarum ratione pulvis caſtorei & croci magis refracta doſi iis addi, neque minus loco horum extractum caſtorei & croci ad pauca grana adhiberi poteſt. Si vero alvus ſimul leniter eſt laxanda, poſſunt hæ pilulæ antiſpaſmodicæ ita præparari:

℞. Extracti chamomillæ,
millefolii,
rhabarbari,
Gummi ſagapeni,
Myrrhæ electæ,
Aloes roſatæ, ana ʒß.
Extracti croci,
caſtorei,
Cinnabaris,
Reſinæ ſtyracis ana gr. xii.
M. F. cum eſſentiæ balſami Peruviani q. ſ.
pilulæ ex ℈j. No. XX.

VI. Pilulæ anthelminticæ.

℞. Extracti tanaceti,
centaurii minoris,
rhabarbari,
Aloes depuratæ,
Aſæ fœtidæ,
Mercurii dulcis ana ʒß.
M. F. cum terebinthinæ Venetæ q. ſ. pilulæ
ex ℈j. No. XX.

Poſſunt his pilulis pro re nata addi extracti croci & caſtorei grana III—IV.

VII. Pilulæ pectorales.

1.

℞. Gummi Ammoniaci in oxymelle ſquillitico ſoluti,
Aloes depuratæ,
Spermatis Ceti recentis,
Myrrhæ electæ,
Pulveris radicis liquiritiæ excorticatæ,
ana, ʒß.
Croci ℈ij.
M. F. cum eſſentiæ croci q. ſ. pilulæ grani j.

2.

℞. Extracti Rhabarbari ℈j.
croci ℈ß.
M. F. pilulæ gr. i. doſis gr. i. ij.

3.

℞. Aloes depuratæ ℥j.
Spermatis ceti recentis ʒij.
Extracti croci ʒj.
M. F. Pilulæ ad pondus gr. i.

4.

℞. Maſſæ Pilularum Aloephanginarum,
de Styrace, ana ʒß.
Extracti croci gr. v.
M. F. pilulæ ex ℈j. No. XX.

5.

℞. Gummi ammoniaci depurati,
Oxymellis ſquillitici,
Myrrhæ electæ,
Benzoes,
Pulveris radicis ſquillæ,
helenii ana ʒß.
Croci ℈j.
M. F. cum balſami Peruviani q. ſ. pilulæ
ex ℈j. No. XX.

6. ℞.

6.

℞. Gummi ammoniaci depurati,
Myrrhæ electæ,
Benzoes,
Balſami Peruviani,
Succi glycyrrhizæ ana ʒß.
Pulveris millepedum,
Nitri depurati ana ℈j.
M. F. pilulæ ex ℈j. No. XX.

7.

℞. Pulveris radicis iridis Florentinæ,
pimpinellæ albæ ana ℈j.
ſquillæ ℈ß.
Gummi ammoniaci in oxymelle ſquillitico ſoluti,
Succi glycyrrhizæ ana ʒß.
M. F. pilulæ ex ℈j. No. XX.

Pilulæ No. 1. egregia virtute, tuſſim effrenem motuſque pectoris vehementes cum ea conjunctos mitigandi, & materiam tenacem, pulmones obſidentem & difficulter mobilem, reſolvendi & per alvum blande ſubducendi, gaudent, unde earum utilitas ſatis ſuperque apparet. Pilulæ No. 2. ad priores virtute fere accedunt, ſed iis paulo ſunt inferiores. Pilulæ No. 3. ſunt pilulæ pectorales *D. D.* ALLION, quarum deſcriptionem genuinam eſſe ego ſaltem certe mihi perſuadeo. Num vero virtute pilulis No. 1. antecellant, vix credo. Equidem permultos magnas ipſis tribuere laudes atque frequentiſſime uſurpari, me non fugit, ſed e contrario, admodum multos, vulgum præſertim, de remedii efficacia judicare non poſſe, probe ſcio. Uſus harum pilularum, ut mea ſaltem fert opinio, magna cum prudentia inſtituendus eſſe mihi videtur. Ingreditur enim eas aloe & extractum croci ſatis larga quantitate, quæ humores, in iis præſertim, qui ad ſanguinis exæſtuationem facile pronis, valde exagitant, alioſque pernicioſos effectus producunt. Pilulæ No. 4. motibus in tuſſi effrenibus mitigandis ſunt deſtinatæ, uti ex earundem compoſitione, quam ingreditur opium & crocus, patet, eamque ob cauſam conveniunt in tuſſi & aſthmate convulſivo. Quæ No. 7. deſcriptæ ſunt, materiam tenacem, pulmones obſidentem minuſque mobilem, reſolvunt atque ad exitum aptam reddunt, fibras pulmonum ſtimulant atque hac ratione expectorationem promovent, unde earum utilitas in aſthmate pituitoſo, aliiſque id genus affectibus, ſatis apparet. Cum his conveniunt deſcriptæ No. 3. & 6.

VIII. Pilulæ roborantes & adſtringentes.

1.

℞. Extracti caſcarillæ ʒiij.
Succini ppt.
Corallii rubri ppt.
Gummi maſtiches ana ʒj.
Pulveris corticis caſcarillæ ʒß.
M. F. pilulæ cum eſſentiæ ſuccini q. ſ. ex ʒß. No. XXX.

2.

℞. Pulveris corticis caſcarillæ ʒß.
Extracti tormentillæ,
caſcarillæ ana gr. vj.
Maſſæ pilularum de cynogloſſa gr. ij.
M. F. pilulæ No. XX.

Hæ pilulæ uſurpari poſſunt in nimiis excretionibus ſiſtendis, ut in diarrhœa, dyſenteria, fluore albo, gonorrhœa. Poteſt etiam his addi limatura martis, ſi id deſiderat indicatio.

IX. Pilulæ ad gonorrhœam ſiſtendam.

1.

℞. Oſſis ſepiæ ppt.
Corallii rubri ppt.
Terræ catechu,
Succini ppt. ana ʒß.
Extracti caſcarillæ ʒij.
M. F. pilulæ ex ℈j. No. XV.

2.

℞. Gummi maſtiches,
elemi,
Terræ catechu ana ℈j.
M. F. cum balſami Peruviani q. ſ. pilulæ.

3.

℞. Terebinthinæ Venetæ ʒj.
Succini,
Maſtiches,
Terræ catechu,
Antimonii diaphoretici martialis,
Corallii rubri ppt. ana ʒß.
Balſami Peruviani q. ſ.
M. F. pilulæ.

Addi his poteſt, ſi opus eſt, olibanum & terra ſigillata.

X. Pilulæ ſanguinem purificantes & ſalivantes.

1.

℞. Mercurii dulcis gr. xij.
Lapidum cancrorum ppt. ℈j.
M. F. cum mucil. tragacanth. q. ſ. pilulæ.

2.

℞. Æthiopis mineralis ʒiij.
Reguli antimonii medicin. ʒiß.
Reſinæ guajaci ʒß.
Extracti fumariæ,
cardui benedicti ſive
ſaſſaparillæ compoſiti Pharm. Bat. āā. ʒij.
M. F. cum eſſentiæ ſuccini q. ſ. pilulæ ex ℈j. No. XX.

XI. Pilulæ ſtomachicæ, ſive viſcerales.

℞. Extracti corticis caſcarillæ,
gentianæ rubræ,
abſinthii,
rhabarbari,
Aloes correctæ,
Myrrhæ electæ,
Maſtiches,
Succini ppt. ana ʒß.
Limaturæ martis ppt. ℈j.
M. F. pilulæ ex ℈j. No. XV. obducantur foliis argenti.

SECTIO VII.

De Formula trochiſcorum.

§. CCCCXXX.

Quotuplices ſint trochiſci.

TRochiſci ſunt vel ſimplices vel compoſiti, vel abſoluti vel relativi, vel magiſtrales vel officinales.

§. CCCCXXXI.

Omne id ingredientis vice in trochiſcis fungi poteſt, quod vel per ſe vel commixtione aliorum in trochiſci formam redigi poteſt.

Omne id ingredientis vice in trochiſcis fungi poteſt, quod vel per ſe, vel commixtione aliorum, in trochiſci formam redigi poteſt. Pertinent huc 1) ſicca, tum macilenta, qualia ſunt farinæ orobi, lupinorum, idque genus alia; tum tenacia, uti ſunt ea, quæ recenſita ſunt §. CCCCI. N. 1. 2.) ſpiſſiora, ut electuaria, pulpæ, mel, albumen ovi, mucilagines, ſyrupi, balſama &c. 3) liquida minus ſpiſſa, ſive concentrata, ſive minus concentrata, ut ſucci, decocta, infuſa vegetantium, aquæ deſtillatæ, vina, ſpiritus vini, olea aromatica. Hæc enim vel per ſe, vel commixtione aliorum, in trochiſci formam redigi poſſunt.

§. CCCCXXXII.

Quomodo ingrediens trochiſcorum ſimplicium comparatum eſſe debeat.

Ingrediens trochiſcorum ſimplicium ita comparatum eſſe debet, ut per ſe, ſine aliorum miſcela, in trochiſci formam redigi poſſit.

§. CCCCXXXIII.

De excipientibus & excipiendis trochiſcorum.

Si qua trochiſcorum compoſitorum ingredientia in trochiſci formam redigenda ſunt, ea vel per ſe, ſine aliorum miſcela, in trochiſcorum formam redigi poſſunt, vel non. Si poſterius eſt, alio ſive aliis opus eſt, quorum commixtione forma deſiderata emergat. Hæc dicuntur *excipientia*, illa vero *excipienda trochiſcorum.* Si prius locum habet, nullo ejuſmodi ingrediente opus eſt.

§. CCCCXXXIV.

Quando excipientia, vel excipienda in trochiſcis adeſſe debeant.

Si qua in trochiſcis excipienda ſunt, excipiente vel excipientibus opus eſt, & ſi qua in trochiſcis adſunt excipientia, excipiendum vel excipienda in iis adeſſe debent.

§. CCCCXXXV.

De determinatione quantitatis & qualitatis excipientium.

Excipientium in trochiſcis quantitas & qualitas & excipiendorum quantitate & qualitate determinatur. Quantitas vero excipientium ulterius ex excipiendorum & ſua ipſorum qualitate eſt determinanda.

§. CCCCXXXVI.

Scholion.

Nolit quis mirari, me eorum, quæ §. CCCCXXX. CCCCXXXI. CCCCXXXII. CCCCXXXIII. CCCCXXXIV. CCCCXXXV. aſſerui, demonſtrationes omiſiſſe. Sciens prudenſque hoc feci, & conſulto eandem, quam in pertractatione de pilulis, cogitandi & ſcribendi methodum hic ſum ſecutus, ne demonſtrationes ſæpius repetitas hic repetendo lectori nauſeam creem. Qui vero aſſertorum demonſtrationes deſiderat, illas invenit in §. CCCXXXIII. CCCXXXIV. CCCXXXVI. CCCXXXVII. CCCXXXVIII. CCCXL. CCCXLI. CCCXLII. CCCXLIII. CCCLXX. dummodo vocabulo *bolus* ſubſtituat vocabulum *trochiſcus.*

§. CCCCXXXVII.

Si ſicca in trochiſcis ſunt excipienda, ſpiſſiora, diverſo viſciditatis gradu prædita, excipientium vice fungi poſſunt.

Qualitas excipientium in trochiſcis compoſitis determinatur ex quantitate excipiendorum §. CCCCXXXV. Scilicet talis excipientium in trochiſcis compoſitis qualitas eſſe debet, ut hæc cum excipiendis commixta totum ſiccum conſtituant, cujus partes determinato gradu cohærent §. CCLXXXIX. Qua de re, ſi in trochiſcis excipienda ſunt ſicca macilenta, qualia ſunt §. CCCCXXXI. No. 1. excipientia nec tantæ ſint ſiccitatis, quantæ excipienda, nec excipientium partes tanto, quanto excipientium partes, gradu, ſed leviori cohæreant neceſſe eſt. Cum vero hic ſiccitatis excipientium eorumque partium cohæſionis gradus a ſiccitate trochiſci, ejuſque partium debita cohæſionis gradu, variis modis differre queat, patet, viſcida diverſo viſciditatis gradu prædita in trochiſcis, ſi excipienda ſunt ſicca, excipientium vice fungi poſſe. Ejus generis ſunt ſpiſſiora §. CCCXXXI. No. 2. recenſita.

§. CCCCXXXVIII.

Excipientium qualitas reſpectu excipiendorum ulterius determinatur.

Eodem, quo §. CCCCXXXVII. uſus ſum, modo, facile demonſtrari poteſt, 1) liquida diverſo fluiditatis gradu prædita, cujus generis ſunt §. CCCCXXXI. No. 3. excipientium vicem in trochiſcis ſuſtinere poſſe, ſi excipienda in iis ſunt ſicca tenacia, qualia ſunt §. CCCCXXXI. No. 1. recenſita; 2) ſicca macilenta §. CCCCXXXI. No. 1. loco excipientium in trochiſcis uſurpari poſſe, ſi excipienda ſunt ſpiſſiora §. CCCCXXXI. No. 2. indicata; 3) ſicca tenacia, uti ſunt §. CCCCI. No. 1. commemorata, excipientium in trochiſcis vicem ſupplere poſſe, ſi excipienda ſunt liquida diffuſiora ex iis, quæ §. CCCCXXXI. No. 3. indicata ſunt.

§. CCCCXXXIX.

Corollarium.

Facile ex dictis §. CCCCXXXVIII. patet, cujuſmodi excipiente vel excipientibus in trochiſcis opus ſit, ſi excipienda variæ conſiſtentiæ recipiuntur.

§. CCCCXL.

Quænam in trochiſcis ſint vitanda, & adhibenda.

Quoniam trochiſci inſtar eclegmatis, ſenſim in ore diſſoluti, deglutiuntur, ſapore, odore aliiſque qualitatibus moleſta, quantum fieri poteſt, in his vitantur, vel parcius ſaltem & aliis correcta immiſcentur. Sic tenacia in iis, pro infantibus ſaltem, non ſunt præſcribenda, quoniam manſa, dentes conglutinando, moleſtiam creant. Neque minus generoſiora, vel valde acria, ex eorum compoſitione, ſi fieri poteſt, excluduntur, præſertim, cum eorum nec ſcopus, nec uſus talia exigat. Salibus quoque tum ob facile deliquium, tum ſaporem ingratum, hic vix locus conceditur, ſacchari e contrario uſus frequens requiritur, partim, ut trochiſcis iis ſaporis gratia & facilior in ore diſſolutio concilietur, partim vero, ut amplior ingredientium moles obtineatur; quo fine & amylum ſæpe adhibetur.

§. CCCCXLI.

Proportio excipientium in trochiſcis ad excipienda in caſu ſingulari generatim determinari nequit.

Jam multa ſunt, quæ quantitatem excipientium reſpectu excipiendorum determinant, uti ex dictis §. CCCCXXXVII. CCCCXXXVIII. luculenter apparet, unde non difficile erit perſpectu, excipientium ad excipientia proportionem in omni caſu ſingulari generatim vix accurate determinari poſſe. Atque eandem ob cauſam, ea, præter-

præſertim cum generoſiora hic exulent §. CCCCXL. Pharmacopœi judicio tuto committitur determinanda.

§. CCCCXLII.

Regulæ traduntur, quæ in determinando proportione excipientium ad excipienda ſunt obſervandæ.

Quamvis excipientium ad excipienda in trochiſcis proportio in caſu quovis ſingulari vix accurate determinari queat §. CCCCXLI. nihilominus tamen abſtractionis ope regulæ quædam generales ſtabiliri poſſunt, quas hac in re obſervare & utile eſt & neceſſarium. Notandum igitur eſt, quod, ſi ſicca macilenta in trochiſcis ſunt excipienda, eorum pondus ſpecificum excipientium quantitatem admodum variet, ita, ut pro hujus diverſitate, modo plus, modo minus excipientis requiratur. In genere, ſi idem macilentum ſiccum eſt excipiendum, tanto minor ad id requiritur excipientis quantitas, quo hoc ſpiſſius eſt. Sic ad partes tres excipiendorum ſiccorum macilentorum leviſſimorum, excipientium liquidorum, qualia ſunt §. CCCCXXXI. No. 3. indicata, partes quatuor, excipientium vero ſpiſſiorum §. CCCCXXXI. No. 3. partes ſex ad novem uſque, requiruntur. Si eadem ſicca macilenta excipienda ſunt mediæ gravitatis, ad eorum partes tres, liquidorum §. CCCCXXXI. No. 3. excipientium fere partes duæ requiruntur, & ſpiſſiorum §. CCCCXXXI. No. 2. excipientium pro diverſa eorundem conſiſtentia partes quatuor ad ſex. Porro ſi excipienda ſunt ſicca tenacia, qualia ſunt §. CCCCXXXI. No. 1. recenſita, ad eorum partes tres ſufficit liquidorum §. CCCCXXXI. No. 3. excipientium pars una. Denique ſi excipienda ſunt ſpiſſiora, quorum mentionem feci §. CCCCXXXI. No. 2. ad eorum partes tres opus eſt ſiccorum macilentorum excipientium partibus duabus, & ad excipiendorum liquidorum §. CCCCXXXI. No. 3. partes tres, excipientium ſiccorum partibus novem.

§. CCCCXLIII.

De quantitate ſacchari trochiſcis addenda.

Saccharum, quod trochiſcos ingreditur, illis additur pondere reliquorum ingredientium æquali, duplo, triplo, quadruplo, immo ultra, prout id conditiones exigunt, atque idem valet de amylo.

§. CCCCXLIV.

De mole trochiſcorum.

Trochiſcorum moles apud veteres longe major erat, quam recentiores. Illorum enim trochiſci moles a drachma una uſque ad tres erat extenſa, a recentioribus vero a granis ſex vix ultra ſcrupulum dimidium augetur, ejuſque pondus, ſi ſpiritus fœtori corrigendo deſtinatus eſt, tantum ad grana duo vel tria aſcendit. Sæpiſſime volumine, ut piſi, lupini, &c. magnitudine, rarius pondere determinatur trochiſcus.

§. CCCCXLV.

De doſi trochiſcorum.

Doſis trochiſcorum numero determinari ſolet, qui vero pro eorundem mole vel majore vel minore, & ingredientium natura, varius eſt. No. I. II. III. vel plures ore retinentur, ut in eo liqueſcant, ac ſucceſſive deglutiuntur. Si draſtica, quod vero rariſſimum eſt §. CCCCXL. eos ingrediuntur, ex cujuſlibet trochiſci pondere, juxta draſtici ingredientis proportionem notam, numerus eorum eſt determinandus.

§. CCCCXLVI.

De quantitate trochiſcorum generali.

Trochiſcorum quantitas generalis uncia una vel integra & dimidia inferior præſcribi non ſolet, quod tamen non obſervatur, ſi trochiſci in uſum vocantur officinales, de quibus tantum, quantum deſideratur & neceſſarium eſt, præſcribi poteſt.

§. CCCCXLVII.

De uſu trochiſcorum.

De ſubſcriptione & ſignatura formulæ trochiſcorum nihil notatu dignum habeo, quod moneam. Quod ad uſum eorum attinet, ille apud Veteres frequentior erat, quam apud Recentiores, nec ab his ulterius extenditur, niſi ad mala faucium, pharyngis, laryngis, aſperæ arteriæ, fœtorem ſpiritus, & prophylaxin a contagio.

§. CCCCXLVIII.

Specimina ſunto:

I. Trochiſci ad fœtorem oris.

1.

♃. Benzoes,
Styracis calamitæ,
Terræ catechu ana ʒj.
Ambræ, gr. v.
M. F. cum gummi Arabici in aqua roſarum ſoluti q. ſ. Trochiſci, piſi magnitudine.

2.

♃. Reſinæ corticis thymiamatis Hoffmanni ℈j.
Ambræ gryſeæ, gr. xv.
Moſchi, gr. xii.
Olei cinnamomi, gutt. vi.
Sacchari albiſſimi, ℥j.
M. F. cum mucilaginis gummi Arabici in aqua cinnamomi factæ, q. ſ. Trochiſci.

II. Trochiſci ſublinguales, ad prophylaxin a contagio.

1.

♃. Theriacæ Andromachi, ʒij.
Myrrhæ electæ, ʒj.
Olei deſtillati corticis citri, gut. xii.
Succi citri recentis, ℥.
Pulveris corticis aurantiorum q. ſ.
M. F. Trochiſci, ſinguli ſcrupuli dimidii.

2.

♃. Pulveris radicis vincetoxicis,
angelicæ,
carlinæ, ana ʒij.
pimpinellæ, ʒj.
Myrrhæ rubræ ʒß.
Olei deſtillati rutæ, gutt. vii.
M. F. cum mucilagine gummi tragacanthæ Trochiſci.

III. Trochiſci adverſus ſitim.

1.

℞. Cryſtallorum tartari ʒij.
Lapidis prunellæ, ʒß.
Pulveris glycyrrhizæ,
Sacchari Canarienſis, ana ʒiij.
Mucilaginis ſeminis cydoniorum q. ſ.
M. F. l. a. Trochiſci.

)b(3 2. ♃.

2.

℞. Cryſtallorum tartari ʒvj.
Sacchari Canarienſis ℥j.
M. F. cum mucilaginis tragacanthæ q. ſ. Trochiſci.

IV. Trochiſci bechici.

1.

℞. Succi liquiritiæ inſpiſſati
Radicis iridis Florentinæ, ana ʒij.
helenii ʒj.
Amygdalarum ℥iß.
Storacis calamitæ ʒj.
Florum ſulphuris ℈j.
benzoes ℈iß.
Olei deſtillati aniſi gutt. XII.
Sacchari alb. ℥iiß.
M. F. cum ſ. q. mucilaginis tragacanthæ in aqua hyſſopi ſoluti Trochiſci.

2.

♃. Pulveris radicis iridis Florentinæ ʒiß.
Glycyrrhizæ,
Florum ſulphuris, ana ʒj.
Myrrhæ rubræ ʒß.
Croci gr. X.
Sacchari Canarienſis ℥ß.
M. F. cum gummi tragacanthæ in aqua ſcabioſæ ſoluti q. ſ. Trochiſci.

V. Trochiſci pro fumo.

1.

♃. Benzoes ℥ß.
Storacis calamitæ,
Roſarum rubrarum, ana ʒij.
Ligni aloes,
Santali citrini, ana ʒj.
Sacchari albiſſimi ℥iß.
Ambræ,
Moſchi,
Zibethi ana ℈ß.
Mucilaginis tragacanthæ q. ſ.
M. F. Trochiſci.

2.

♃. Gummi benzoes ℥j.
olibani,
Ligni aloes, ana ℥ß.
ſantali flavi ʒij.
Sacchari albiſſimi ℥j.
Zibethi,
Ambræ ana ℈ß.
Pulveriſata fiant cum ſ. q. mucilaginis tragacanthæ in aqua roſarum ſoluta Trochiſci.

SECTIO VIII.

De formula morſulorum.

§. CCCCXLIX.

Quid ſit morſulus. Morſulus, qui etiam *electuarium ſolidum*, *tabula*, *tabella*, *teſſella*, *teſſellula* nominatur, eſt medicamentum internum ſiccum, variæ, utplurimum oblongæ quadratæ figuræ, ex varia materie, interventu ſacchari ſoluti & coĉti in formam ſolidam fragilem redacta, conſtans. Requiritur & laudatur in eo ſoliditas cum fragilitate, cohæſio non lenteſcens, facile in ore deliquium & uſus jucundus.

§. CCCCL.

Scholion. Locutus ſum §. CCCCXLIX. de morſuli ſpecie hodie uſitata, hoc eſt, de tali morſulo, qualis in officinis proſtare & a Medicis præſcribi ſolet. Ejuſmodi morſulus eſt compoſitus, uti patet ex CCCCXLIX. collato ad §. XXXIV. Morſulum vero tum ſimplicem, ex commodo ingrediente ſine ſaccharo, tum compoſitum, ex variorum idoneorum ingredientium miſcela, itidem ſine ſacchari interventu, præparari poſſe, nullum plane eſt dubium, ſed ejuſmodi morſuli uſu non ſunt recepti, hinc conſideremus tantum uſitatiores.

§. CCCCLI.

De excipientibus & excipiendis in morſulis. Materies, quæ morſulum, de quo §. CCCCXLIX. locutus ſum, ingreditur, eſt itidem, ut in bolo, electuario, eclegmate & pilulis, vel *excipiens*, vel *excipienda*. *Excipiendorum in morſulis vice* fungi poſſunt ea omnia, quæ loco ingredientium in electuario adhiberi poſſunt & recenſita ſunt §. CCCXXXV. CCCLXIII. Patet exinde ſimul ratio, cur morſulus nominetur electuarium ſolidum. *Excipiens morſuli* eſt ſaccharum minus pingue, in liquore idoneo, aquoſo maxime, ſolutum & ad debitam conſiſtentiam incoĉtum.

§. CCCCLII.

Quænam morſulos ingredi non debeant. Cum ad morſuli bonitatem requiratur, ut partes ejus conſtituant ſolidum fragile, in ore facile liqueſcens & jucundi uſus, nec lentore cohæreant §. CCCCXLIX. patet, gummi, extracta, ſuccos denſos, terreſtria, pinguia, idque genus alia tenacia, quantum fieri poteſt, in morſulis eſſe vitanda, vel iis ſaltem parciori quantitate commiſcenda. Eaſdem ob rationes nec ſapore, vel odore moleſta, morſulos ingrediuntur, nec unguinoſis locus in iis conceditur, nec ſaccharum vel pinguedine propria, vel miſto glutine lentum, ſed tantum albiſſimum ſimplex, vel roſatum, hic adhibetur. Salia quoque, præſertim facile liqueſcentia vel exhalantia, vix recipiuntur. Craſſioribus quidem pulveribus, ſi ſunt molliculi, in morſulis eſt locus, ſed duriora, niſi tenuiſſime ſint comminuta, exulare debent, quoniam manſa moleſtum excitant ſtridorem.

§. CCCCLIII.

Acida, foſſilia, adſtringentia, incraſſantia, nuclei facile ranceſcentes in morſulis ſunt vitanda. Quoniam morſulos ſaccharum ſolutum & ad debitam conſiſtentiam redactum ingreditur §. CCCCXLIX. CCCCLI. ea, quæ ſaccharo commixta vires ſuas perdunt, uti adſtringentia, incraſſantia idque genus alia, vel quæ impediunt, quo minus id in debitam conſiſtentiam redigi poſſit, uti acida foſſilia, in morſulis non ſunt adhibenda. Neque in iis, præſertim, ſi diu ſunt conſervandi, nuclei oleo facile ranceſcente ſcatentes, carnes & ſimilia ſunt præſcribenda. E contrario generoſiorum, quia & ſpecifice graviorum uſus in morſulis admitti poteſt, dum modo cum aliis ingredientibus æquabiliter miſceantur.

§. CCCCLIV.

§. CCCCLIV.

De odoris & coloris gratia morſulis concilianda.

Odoris ſuavitas morſulis ambra, moſcho, zibetho, parciori quantitate intermixtis, vel liquidis fragrantibus, ut oleis, eſſentiis, &c. eorum maſſæ jam congelatæ affuſis, & coloris gratia appreſſis auri, argentique foliis, vel varii coloris floſculis, minutim conciſis & paulo ante refrigerium inſperſis, iis conciliari ſolet, atque his, ſi circumſtantiæ requirunt, aliquis uti poteſt, memor tamen dictorum §. LXV.

§. CCCCLV.

De quantitate excipiendorum & excipientium in morſulis.

Quantitas excipiendorum in morſulis ex ſingulorum quantitate & qualitate, collata ad qualitatem & quantitatem finis, qui intenditur, determinatur. Excipientis autem, ſacchari nimirum, quadruplum vel ſextuplum, ratione excipiendorum, commode adhibetur. Alii ſacchari octuplum, imo plus recipiunt, ſed minus recte, quoniam tanta ejus mole virtus reliquorum diffunditur, quin plane interdum obtunditur, & doſis efficax ſine neceſſitate augetur. Sed præterea circa hæc maxime ad excipiendorum pondus ſpecificum & conſiſtentiam eſt reſpiciendum. Leviſſima enim excipienda, ob volumen eorum majus, majori indigent excipientis, ſacchari ſcilicet, quantitate, ſicca vero, dura, bibula, cum parciori ejuſdem quantitate in debitam abeunt formam.

§. CCCCLVI.

Si excipienda ſaccharum continent, illius quantitas pro rata eſt imminuenda.

Si excipienda ipſa continent ſaccharum, uti conſervæ, condita, confectiones, &c., excipientis, ſacchari nimirum, quantitas pro rata eſt imminuenda. Interdum ſacchari ad reliqua ingredientia proportio Pharmacopœi judicio relinquitur determinanda, a quo tamen eſt abſtinendum, ſi doſis requiritur determinata; ad quod accedit, quod hac in re Pharmacopœi non certos obſervent limites.

§. CCCCLVII.

De mole, doſi, quantitate generali morſulorum & ordine ingredientia eorum ſcribendi.

Medici eundem fere in ſcribendis morſuli ingredientibus ſequuntur, quem in trochiſcis & pilulis §. CCCCXX. ordinem. *Moles morſuli* rariſſime determinatur pondere vel volumine, nec adeo exacta eſt, quin a drachma una uſque ad unciam dimidiam, & ultra extendatur. *Doſis* determinatur vel numero, ut ad dimidium, unum, duos, &c. morſulos, pro eorundem magnitudine majori vel minori, vel fruſtulo, ſi morſuli maſſa integra eſt & indiviſa, vel pondere, ſi efficaciora continentur, unciam tamen vix excedere ſolet. *Quantitas generalis* unciis quatuor minor haud commode præparatur; ſed ad hoc ſæpius non reſpicitur. Si officinales morſuli in uſum vocantur, tantum, quantum ſcopo ſufficit, præſcribere licet, quamvis ne unciam quidem dimidiam ſuperet.

§. CCCCLVIII.

De uſu morſulorum.

Morſuli hodie rarius in uſum vocantur, interdum tamen ſub eorum forma purgantia, anthelmintica, ſtomachica, carminativa, antacida, roborantia, aphrodiſiaca, bechica, halitus fœtorem corrigentia, exhibentur. Eſt præterea hæc medicamenti ſpecies domeſtico uſui & iter facientibus ſatis commoda, ad qualitates medicamenti moleſtas, ſaporem vel odorem afficientes, abſcondendas fucumque infantibus aliiſque, qui palati deliciis indulgent, faciendum, non inepta, & manet ſat diu integra atque incorrupta. E contrario autem ſcopo medico, quo actio deſideratur expedita, atque iis, quibus dulcia faſtidio ſunt & noxia, minus convenit.

§. CCCCLIX.

Exempla ſunt:

I. Morſuli purgantes & laxantes.

1.

℞. Pulveris radicis jalappæ ʒiij.
Scammonii optimi ʒij.
Antimonii diaphoretici ℥ß.
Flavedinis corticis citri ʒiij.
Sacchari albiſſimi in aqua roſarum ſoluti ℥viij.
M. F. Morſuli.

2.

℞. Pulveris rhabarbari optimi,
Cremoris tartari ana ʒij.
Flavedinis corticis citri recens deraſæ ʒß.
Sacchari canarienſis ℥iv.
M. F. Morſuli.

II. Morſuli anthelmintici.

℞. Conſervæ abſinthii vulgaris,
Seminis ſantonici,
tanaceti ana ʒij.
Æthiopis mineralis ʒiij.
Reſinæ jalappæ ppt. ʒiß.
Sacchari albiſſimi infuſo tanaceti ſoluti ℥v.
M. F. Morſuli ſinguli unciæ dimidiæ.

III. Morſuli ſtomachici.

1.

℞. Conſervæ menthæ ʒiij.
Nucicis indicæ moſchatæ conditæ,
Corticis caſcarillæ,
aurantiorum ana ʒij.
Macis ʒj.
M. F. cum ſacchari albiſſimi in aqua roſar. ſoluti q. ſ. Morſuli, oleo de cedro & citri oblinendi.

2.

℞. Cinnamomi ʒv.
Zingiberis ℥ß.
Caryophyllorum ʒij.
Cardamomi,
Galangæ,
Macis,
Nucis moſchatæ ana ʒj.
Amygdalarum dulcium excorticatarum,
Pinearum mundatarum,
Piſtaciarum recentium, ana ℥ß.
Sacchari canarienſis in aqua roſarum & cinnamomi ana q. ſ. ſoluti ℔j.
M. F. Morſuli.

IV. Morſuli antacidi.

℞. Matris perlarum ppt.
Cretæ albiſſimæ,
Concharum ppt.
Coralliorum ppt. ana ʒj.
Radicis zingiberis conditæ ʒiij.
Cinnamomi groſſe triti ʒj.
Sacchari albiſſimi in aqua pura ſoluti q. ſ.
M. F. l. a. Morſuli.

SECTIO

SECTIO IX.

De formula rotularum.

§. CCCCLX.

De geneſi rotularum in genere.

Rotulæ, quales a Medicis præſcribi & in officinis præparari ſolent, ſunt medicamenta interna, ſicca, ex materie paululum ſubtiliore & ſolubiliore ea, quæ morſulos ingreditur, ſaccharoque excepta, compoſita, & in figuram circularem & plano - convexam redacta.

§. CCCCLXI.

Differentia rotularum a morſulis & trochiſcis oſtenditur.

Cum morſuli æque ac rotulæ ſaccharo excipiantur §. CCCCLX. CCCCLI. patet, rotulas eatenus cum morſulis convenire. Differunt vero a ſe invicem 1) ratione figuræ, quæ in morſulis oblonga quadrata, in rotulis circularis, & plano - convexa eſt §. CCCCLX. CCCCXLIX. 2) ratione magnitudinis, quæ in morſulis major, in rotulis minor eſt, 3) ratione ingredientium. Morſulos enim, præter pulverulenta, conſervæ, condita aliaque craſſiora ingrediuntur §. CCCXXXV. CCCLXIII. CCCCLI. quæ in rotulis exſulare debent, earumque materies eſt ſolubilior ea, quæ morſulos ingreditur. Trochiſci differunt a rotulis, quod hæ ſaccharo, illi autem mucilagine excipiantur §. CCCCLX.

§. CCCCLXII.

Convenientia rotularum & morſulorum declaratur.

Requiritur & laudatur in rotulis æque ac in morſulis ſoliditas, fragilitas, cohæſio non lenteſcens, facile in ore deliquium uſusque jucundus §. CCCCXLIX. Sed præter has dotes in rotulis laudatur pelluciditas, quæ in his magis diaphana, quam in morſulis eſſe debet.

§. CCCCLXIII.

Quanam rotulas non ingrediantur.

Hoc, quo rotulæ a morſulis diſtinguuntur, & ſe præ his commendant, eſt pelluciditas magis diaphana §. CCCCLXII. Cum vero hæc in rotulis obtineri nequeat, ſi iſtas ingrederentur quæ vel ſatis tenuiter & æquabiliter miſceri nequeunt, uti conſervæ, condita, pulveres craſſiores, fructus, nuclei idque genus alia, vel in grumos facile abeunt, patet exinde ratio, cur talia in rotulas rariſſime vel plane non recipiantur. Et eandem ob rationem in rotulis tanto magis ſaccharum requiritur albiſſimum, quam in morſulis.

§. CCCCLXIV.

Quænam ingredientium vice in rotulis fungi ſoleant.

Ingredientium vice in rotulis fungi ſolent 1) ſucci liquidi gratiores aciduli, ut ſuccus ribium, berberum, citri, &c. qui cum ſaccharo coqui & inſpiſſari ſolent, 2) olea deſtillata, ut cinnamomi, caryophyllorum, meliſſæ, citri, ligni Rhodii, &c. & eſſentiæ cum ſaccharo in aqua deſtillata ſolutæ, 3) pulveres vel ſimplices, ut mater perlarum, corallia rubra præparata, ſuccinum præparatum, olibanum, maſtiche, benzoe, pulvis radicis jalappæ, iridis Florentinæ, zingiberis, cubebarum, cardamomi, aniſi ſtellati, canellæ albæ, croci orientalis, cochinellæ, boracis Venetæ, aliique pulveres roborantes, nervini & ſtimulantes, vel compoſiti, ut ſpecies diambræ, diamoſchi, diaireos, diamargaritæ. Nonnunquam extracta, ut & confectio alkermes, & pro effectu laxante reſina jalappæ & mercurius dulcis, addi ſolent.

§. CCCCLXV.

Quænam rotularum ingredientia virtutem ſuam amittant & quomodo?

Interdum ſicca & ſpiſſa a rotularum compoſitione excluduntur, & ſoli ſucci liquidi gratiores, maxime aciduli, ut ſuccus citri, ribium, berberum, &c. cum ſaccharo ad rotulas conficiendas adhibentur. Hæ ſic præparatæ uſus ſunt jucundiſſimi. Alii idem moliuntur cum aquis deſtillatis, rotulasque ex ſaccharo, in aqua deſtillata ſoluto & inſpiſſato, parari jubent, ſed, cum virtus, quam aquæ deſtillatæ, ſi qua iis ineſt, ſaccharo impertiri poſſunt, hac ratione pereat, qui rotulas hoc modo præparatas aquæ deſtillatæ virtute præditas eſſe putant, admodum falluntur. Atque idem notandum eſt de iſtis rotulis, quæ ex elæoſaccharis in aquis ſolutis & incoctis, vel oleis deſtillatis, vel eſſentiis concentratioribus, cum ſaccharo in aqua deſtillata ſoluto & incocto, præparantur. Elæoſacchara enim, olea & eſſentiæ, de quibus modo dixi, ſub hac præparatione non poſſunt non aliquam virtutis ſuæ partem perdere. Qui ſyrupum ad rotulas ex eo conficiendas præſcribunt, videant, qualem eligant. Terrea & ſalina facile liqueſcentia non bene tolerant rotulæ, quoniam illa conſiſtentiam earum nimis denſam & tenacem, hæc autem nimis laxam & fluidam reddunt.

§. CCCCLXVI.

Quænam in præſcribendis rotulis ſint obſervanda.

Si circumſtantiæ exigunt, vel permittunt, ut rotulæ officinales præſcribantur, eas oleo vel eſſentia idonea oblinere licet, ut aliqua ab iis virtus certius expectari poſſit. Idem obſervari poteſt circa rotulas magiſtrales, præſertim, ſi metuitur, ne volatilia calenti maſſæ immiſceantur, eorumque virtus hac ratione pereat.

§. CCCCLXVII.

De proportione ſacchari in rotulis reſpectu excipiendorum.

Numerus ingredientium in rotulis minor eſſe ſolet, quam in morſulis, & fere talis, qualis in bolo. Eorundem vero proportio eadem propemodum eſt, quæ in morſulis, §. CCCCLV. CCCCLVI. paucis tantum exceptis, quæ in eo conſiſtunt, ut hic majore ſacchari quantitate reſpectu excipiendorum opus ſit. Et eandem ob rationem, ad ſuccos acidos in rotulas redigendos, ſacchari fere ſextuplum vel octuplum adhibetur, ad eſſentiarum vero drachmam unam, vel integram & dimidiam, & ad oleorum aromaticorum guttas viginti, ejus unciæ duæ requiruntur. In eadem quantitate eſſentiæ & olea recipiuntur, ſi iis rotulæ ſunt oblinendæ §. CCCCLXVI.

§. CCCCLXVIII.

Ad quænam in rotularum præparatione ſit reſpiciendum.

Rotularum quidem præparatio debita pharmacopœo cognita ſupponitur, nihilominus tamen ab eo ita eſt inſtituenda, ut volatilia adjicienda vel plane non, vel minimam certe quoad partem calore diſſipentur; id quod eum interdum monere non abs re erit.

§. CCCCLXIX.

De mole, doſi & quantitate generali rotularum.

Moles rotulæ minor eſt, quam morſuli, communiter ſcrupulum vel drachmam dimidiam æquat, & rariſſime pondere, vel volumine determinatur §. CCCCLVII. Ejuſdem doſis æque ac morſuli, numero ad unam, duas, tres &c.

interdum

interdum pondere, quod vero pro varia ingredientium efficacia & proportione varium eſt, definitur §. cit. Quantitas rotularum generalis convenit cum quantitate generali morſulorum §. cit., quamvis & minor commode præparari poſſit, ſi ſucci acidi, vel ſyrupi, ad eas conficiendas præſcribuntur.

§. CCCCLXX.

De uſu rotularum. De ſubſcriptione & ſignatura formulæ rotularum nihil habeo, quod moneam. Uſus earum idem fere eſt ac morſulorum §. CCCCLVIII. Parum hodie ſunt uſitatæ, niſi forte ad ſcopum analepticum & ad ægrorum delicatorum palatum ordinentur. Nonnunquam in faucium ardore & inflammatione, tuſſi pectorali & fœtida exſpiratione, ordinantur. Hæ dicuntur *Bruſt-Küchlein*, & leniunt, abſtergunt & expectorant. Quæ ex ſuccis acidis parantur, vi gratiſſima, ſitim in acutis morbis ægros maxime affligentem mitigandi, ſe commendant.

§. CCCCLXXI.

Specimina ſunt

I. Rotulæ laxantes.

♃. Cremoris tartari,
Pulveris rhabarbari optimi ana ʒij.
Flavedinis corticis citri recentis, ʒß.
Sacchari albiſſimi in aqua roſar. ſoluti ℥iij.
M. F. rotulæ.

II. Rotulæ laxantes anthelminticæ.

1.

♃. Pulveris ſeminis ſantonici,
radicis jalappæ, ana ʒiij.
corallinæ ʒj.
Mercurii dulcis ʒiß.
Sacchari in aqua roſarum ſoluti ℥iiij.
M. F. rotulæ. Doſis eſt, pro puero trium aut quatuor annorum, drachma uſque ad ſcrupulos quatuor, pro adulto uncia dimidia.

2.

♃. Seminis abſinthii ʒij.
Mercurii dulcis ℈iv.
Diagrydii ʒj.
Sacchari in aqua tanaceti ſoluti ℥iiß.
M. F. rotulæ.

III. Rotulæ pectorales.

1.

♃. Pulveris radicis iridis Florentinæ,
Succini ppt. ana ʒj.
Pulveris radicis glycyrrhizæ,
Florum ſulphuris ana ʒß.
Myrrhæ electæ ℈ij.
Croci ℈ß.
Sacchari in aqua hyſſopi ſolvendi ℥ij.
M. F. rotulæ.

2.

♃. Pulveris radicis iridis Florentinæ ℥ß.
Succi liquiritiæ inſpiſſati ʒij.
Florum ſulphuris ℈ij.
F. cum ſ. q. ſacchari candi in aqua hyſſopi ſoluti rotulæ.

3.

♃. Specierum diaireos ſimpl. recent. ppt. ℥ß.
Succi liquiritiæ ʒij.
Extracti enulæ ℈ij.
Florum benzoes ℈j.
Sacchari in aqua tuſſilaginis ſoluti q. ſ.
M. F. rotulæ.

IV. Rotulæ roborantes ventriculum.

♃. Olei ſtillatitii menthæ,
de cedro ana gutt. xv.
Eſſentiæ corticis aurantiorum,
ſuccini ana ʒij.
Sacchari albiſſimi in aqua menthæ ſoluti & inſpiſſati ℥v.
M. F. rotulæ.

V. Rotulæ adverſus ſitim.

♃. Sacchari albiſſimi ſubtiliſſime pulveriſati ℥iij.
Leni igne calefactis immiſce
Succi pomi citrei recentis ʒv.
Flavedinis ejuſdem tenuiter raſæ ℈j.
F. rotulæ.

SECTIO X.

De Formula infuſi interni.

§. CCCCLXXII.

Ad infuſum pertinet ſolvens, & ſolvendum. Cum infuſum ſit medicamentum internum fluidum, ex liquore menſtruo, materiæ ſolidæ ſolvendæ parte aliqua imbuto, conſtans §. CCXCII. patet, infuſum præparari per ſolutionem, ſive ſit perfecta, ſive imperfecta, adeoque ad infuſi præparationem requiri *materiam ſolventem*, ſeu *menſtruum*, & *materiam ſolvendam.* Illud, quod præter hæc duo ad infuſum accedit, dicitur *acceſſorium*; quo quando opus ſit, ex ſequentibus patebit.

§. CCCCLXXIII.

Materia ſolvens & ſolvenda infuſi invicem uniri debent, & hoc fit ope macerationis. Si liquor ſolvens parte aliqua materiæ ſolvendæ imbutus eſſe debet, neceſſe eſt, ut materia ſolvens & ſolvenda ſe invicem contingant atque inter ſe uniantur. Jam infuſum eſt medicamentum fluidum, ex liquore menſtruo, materiæ ſolvendæ parte imbuto, conſtans §. CCXCII. Ergo infuſi, quod eſt præparandum, liquor menſtruus & materia ſolvenda ſe contingere atque inter ſe uniri debent. Hæc materiæ ſolventis & ſolvendæ unio fit ope infuſionis & macerationis, quæ vel frigida eſt, vel calida, ita nimirum, ut menſtruus liquor materiæ ſolvendæ affundatur vel calidus, vel frigidus.

§. CCCCLXXIV.

De menſtruis infuſi. Cum ad infuſi præparationem requiratur materia ſolvens, ſeu menſtruum §. CCCCLXXII. omne id materiam infuſi ingredi poteſt, quod ipſi menſtruum præbet, atque ejus generis eſt 1) aqua, ut aqua ſimplex, deſtillata, lac, ejus ſerum, decoctum aquoſum, phlegma vitrioli, &c. 2) vinum, ut vinum uvarum, Rhenanum, Moſellanum, Hiſpanicum, Gallicum, &c. ceraſorum,

ribium, berberum, &c. cereviſia, muſtum, &c. 3) Spiritus, ut ſpiritus vini vulgaris, rectificatus, ſpiritus frumenti, juniperi, aliique ardentes fermentati. Patet hinc menſtruum infuſi eſſe vel vinoſum, vel ſpirituoſum, vel, quod ordinarium eſt, aquoſum.

§. CCCCLXXV.

Quidnam materiam ſolvendam infuſo largiri poſſit.

Quoniam ad infuſum requiritur materia ſolvenda §. CCCCLXXII. omne id materiam infuſi ingredi poteſt, quod ipſi materiem largitur ſolvendam. Porro, cum materia ſolvenda in liquoris ſolventis interſtitia, vel tota, vel ex parte, penetrare eaque occupare debeat, omne id materiam ſolvendam infuſo largiri poteſt, quod interno uſui aptum virtute gaudet medicata per macerationem in menſtruum tranſeunte.

§. CCCCLXXVI.

Quænam ingredientium vice in infuſo fungi poſſint.

Ingredientia medicamenti ſunt, quæ ejus conſtituunt materiam §. VIII. Jam ea, quæ infuſo materiam vel ſolventem, vel ſolvendam præbent, materiam ejuſdem ingredi poſſunt §. CCCCLXXIV. CCCCLXXV. Qua de re ea, quæ infuſo materiam vel ſolventem, vel ſolvendam largiuntur, ingredientium vice in infuſa fungi poſſunt.

§. CCCCLXXVII.

Recenſentur, quæ ex regno minerali & animali materiam ſolvendam infuſo præbent.

Ejus generis plurima, quæ materiam ſolvendam infuſo largiuntur, ſuppeditat regnum vegetabile, pauciora animale & minerale. Quæ ex regno minerali depromuntur, ſunt inprimis ferrum, antimonium, ſuccina, ſulphura & ex his præparata. Animale vix multa, præter inſecta aliquot, caſtoreum, moſchum, zibethum, calculos quoſdam & ſtercora largitur, & quæ ex regno vegetabili deſumuntur, adeo multa ſunt, ut ea hic recenſere nimis longum foret, & præterea magis cognita, quam priora, ſupponi poſſunt.

§. CCCCLXXVIII.

Acceſſorium requiritur, quando ſolutio in infuſo eſt promovenda.

Si ſolutio, qua præparatur infuſum, eſt promovenda, aliquid ad id, præter materiam ſolventem & ſolvendam, accedere debet, quo hoc obtinetur. Jam id dicitur acceſſorium §. CCCCLXXII. Ergo acceſſorium requiritur, ſi ſolutio, qua infuſum præparatur, eſt promovenda.

§. CCCCLXXIX.

Acceſſorium ita comparatum eſſe poteſt, ut materiam vel ſolvendam vel ſolventem ad ſolutionem aptiorem reddat.

Quando ſolutio, qua præparatur infuſum, eſt promovenda, hoc obtineri poteſt, dum vel materia ſolvens, vel ſolvenda ad ſolutionem aptior redditur. Illud fit menſtruum acuendo, ut fortius agat in materiam ſolvendam, eam nimirum aperiendo atque ita mutando, ut ſe facilius & melius a menſtruo, quod manſit immutatum, ſolvi patiatur. Jam acceſſorio opus eſt, ſi ſolutio, qua infuſum præparatur, eſt promovenda §. CCCCLXXVIII. Ergo id, quod materiam vel ſolventem, vel ſolvendam, ad ſolutionem aptiorem reddit, acceſſorii vice fungi poteſt, quod requiritur, ſi ſolutio, qua infuſum eſt præparandum eſt promovenda.

§. CCCCLXXX.

Recenſentur acceſſoria ſolutionem in infuſo promoventia.

Acceſſoria quæ hoc, quem deſcripſi §. CCCCLXXIX. modo agunt, ſunt maxime ſalium varia genera, alcalina, acida, neutra, ut ſal tartari, tartarus tartariſatus, cremor, cryſtalli tartari, nitrum, nitrum antimoniatum, tartarus vitriolatus, &c. quin &, licet rarius, ſpiritus ardentes, fermentati, ſimplices, vel vegetantium aromaticorum virtute impragnati.

§. CCCCLXXXI.

Si infuſi virtus augenda vel moleſta qualitas corrigenda, acceſſoria huic fini inſervientia requiruntur.

Si infuſione peracta infuſi virtus vel augenda, vel ejus injucundæ qualitates ſunt corrigendæ, talia præter materiam ſolventem & ſolvendam ſunt addenda, quæ huic inſerviunt ſcopo. Jam illa dicuntur acceſſoria §. CCCCLXXII. Ergo, ſi poſt infuſionem infuſi virtus intendenda eſt, vel qualitates ejus moleſtæ corrigendæ ſunt, acceſſoria huic ſcopo inſervientia requiruntur, eaque præterea ita comparata eſſe debent, ut in eodem menſtruo ſe ſolvi patiantur, nec ſoluta præcipitent. Quæ ejuſmodi acceſſoriorum vice fungi ſolent, ſunt ſyrupi, elæoſacchara, mel, confectiones molles, tincturæ, eſſentiæ, vinum & id genus alia.

§. CCCCLXXXII.

Quænam præ ceteris apta ſint ad materiem ſolvendam infuſo præbendam.

Non ſufficit ſcire, quænam ex tribus naturæ regnis materiam ſolvendam infuſo præbeant, ſed noſſe etiam expedit & neceſſarium eſt, quænam ex his regnis, & præſertim ex vegetabili, præ ceteris apta ſint ad materiam ſolvendam infuſo largiendam. Notandum igitur eſt, ea inprimis apta eſſe ad materiam ſolvendam infuſo præbendam, quæ vel facilius, & vel tota, vel quoad maximam partem, commodo virtutem ſuam medicam impertiunt menſtruo.

§. CCCCLXXXIII.

Quæ principia volatilia habent, apta ſunt præ ceteris ad materiam ſolvendam infuſo præbendam.

Quæ principiis mobilibus, volatilibus, non adeo fixis & aliis profunde immerſis, prædita ſunt, in menſtruum virtutem ſuam facilius dimittunt, hinc præ ceteris apta ſunt ad materiam ſolvendam infuſo præbendam. Ea enim commodam infuſo materiam ſolvendam largiuntur, quæ menſtruo idoneo facilius virtutem ſuam impertiunt §. CCCCLXXXII. Et eadem ratione patet, ea, quæ vel per ſe calore leni, vel cum aqua ebulliente tractata aquas & olea ſtillatitia medicata præbent, infuſo potiſſimum convenire.

§. CCCCLXXXIV.

Idem demonſtratur de ſuccis denſis, ſaponaceis, gummoſis & reſinoſis.

Succi denſi, ſaponacei, gummoſi, reſinoſi & ex his compoſita, idoneo menſtruo tractata, vel tota, vel quoad maximam ſaltem partem virtutem medicam ipſi communicant. Jam ea, quæ vel tota, vel maxima ex parte menſtruo commodo virtutem ſuam medicam impertiunt, præ ceteris apta ſunt ad materiam ſolvendam infuſo largiendam §. CCCCLXXXII. Ergo ea, quæ jam commemoravi, maxime accommodata ſunt ad materiam infuſi ſolvendam conſtituendam.

§. CCCCLXXXV.

Menſtruum eligendum eſt materiæ ſolvendæ accommodatum & congruum.

Locutus ſum §. CCCCLXXXII. & CCCCLXXXIII. de menſtruo commodo, & certe nihil magis Medico eſt curandum, quam ut, poſtquam materiam infuſi ſolvendam elegerit, ejuſmodi eligat menſtruum, quod materiæ ſolvendæ congruum eſt & accommodatum. Hæc res maximi eſt momenti, nec parum intereſt, quale materiæ ſolvendæ jungatur menſtruum. Ea enim promiſcue quibuſvis non obtemperat menſtruis, ſed ab eo tantum ſe ſolvi patitur liquore, qui ejus principiis reſpondet eaque

aggre-

aggreditur, & præterea menſtrua particularia pro differenti ſua natura & indole non omnia ſed certa tantum corpora ſolvunt. Sic aqua ſolvit ſalia, gummata, ſapones, & mucilagines, mucagines & gelatinas extrahit. Id præſtat eo facilius, quo purior minuſve heterogeneis partibus permiſta eſt. E contrario non ſolvit olea meraca, pinguia balſama, reſinas, ſulphura, niſi ſale alcalino, ſaccharo, vel acceſſu ſpiritus fermentati adjuvetur, neque ſola lapides, terras, metalla & ſemimetalla ſolvit, niſi ſale acido, vel alcalino, vel neutro, pro re nata aptetur. Alcohol vini ſolvit ſpiritus rectores aromaticos, olea ſimilia, balſama, reſinas, ſapones teneriores, ſalia alcalina volatilia, fixa ſicciſſima, ſalia vero reliqua, lapides, terras non ſolvit, neque & metalla, ſemimetalla, ſulphur & gummi, quamvis, hæc ut aggrediatur, alcali fixi additamento obtineri poſſit.

§. CCCCLXXXVI.

Vis reliquorum menſtruorum ex dictis patet.

Multa adhuc, nec inutilia, quæ de menſtruorum virtute dici poſſent, ſuperſunt, niſi mihi ad alia properandum eſſet. Hoc tantum moneo, patere ex dictis §. CCCCLXXXV. quid de menſtrua ſpiritus ardentis, cujus generis ſunt menſtrua §. CCCCLXXIV. No. 3. indicata, virtute ſit ſtatuendum, utpote qui ex alcohole, aqua, acido varia proportione pro majore eorum vel minori puritate conſtat. Neque mirus exinde intelligitur vis ſolvens menſtruorum vinoſorum §. CCCCLXXIV. No. 2. Principiis enim paulo ante hic commemoratis ſi addideris oleum ſubtile, habes & ea, e quibus vina coaleſcunt.

§. CCCCLXXXVII.

Si menſtruum unum non convenit, duo ſunt combinanda, & ſi nec hæc conveniunt, acceſſoriis utendum eſt.

Menſtruum materiæ per infuſionem ſolvendæ congruum atque accommodatum eſſe debet §. CCCCLXXXV. Quodſi ergo unum non datur menſtruum hac virtute præditum, duo huic ſcopo inſervientia ſunt combinanda, & ſi nec his uti licet, vel non apta ſunt, acceſſoria in uſum ſunt vocanda, ſi ſolutio infuſi eſt promovenda §. CCCCLXXVIII. Sed cum, quale adhibeatur acceſſorium, non parum interſit, ejuſmodi acceſſorium eſt eligendum ad ſolutionem, qua præparatur infuſum, promovendam, cujus virtus materiæ ſolvendæ & liquori ſolventi convenit. Ejus vero delectus eodem, quo menſtrui, modo, eſt inſtituendus, ita ut attendatur ad dicta §. CCCCLXXIX. CCCCLXXXV.

§. CCCCLXXXVIII.

De qualitate & quantitate ingredientium infuſi.

In infuſo, quantum fieri poteſt, odore & ſapore injucundiora ſunt vitanda, præſertim ſi delicatulis, vel pro potu familiari præſcribitur. Ingredientium ejus quantitas in genere determinari nequit, ſed pro materiæ infundendæ, liquoris ſolventis, uſus ægrique conditionibus, admodum variat. In genere tamen materies infundenda in tanta eſt capienda quantitate, in quanta ſcopo intento ſufficit, neque magis determinatas hac de re regulas dare licet. Plerumque hæc materies duplo, triplo, quin & quadruplo majori quantitate in infuſo, quam in ſubſtantia exhibetur, prout virtus ejus vel tota, vel ex parte menſtruo extrahi poteſt, & vel per majus vel minus volumen eſt diffuſa. Quantitas herbarum, foliorum, comarum, florum, hic ut plurimum manipulis vel pugillis, fructuum numero determinari ſolet, emeticorum vero, purgantium, aliorumque virtutis efficacioris, pondere eſt definienda §. CCXI.

§. CCCCLXXXIX.

De menſtrui quantitate determinanda.

Menſtrui in infuſo quantitas determinatur primo per *materiæ ſolvendæ quantitatem, ejuſdem, ſuam ipſius*, & *infuſi qualitatem.* Quo enim major materies eſt ſolvenda, eo major menſtrui requiritur quantitas. Quod vero ejuſdem materiæ qualitas determinet quantitatem menſtrui, facile apparet, dummodo conſideretur, quod, prout ea ſpecifice vel gravior, vel levior, ſolutu vel facilior, vel difficilior eſt, & virtus ejus principiis aliis fortius vel levius infixa hæret, menſtrui modo major, modo minor ſit capienda quantitas. Menſtrui qualitas itidem ſibi ipſi certos ratione quantitatis ponit limites, id quod ex eo patet, quoniam pro ejuſdem debiliore vel fortiori virtute, vel majori vel minori ejuſdem quantitate opus eſt. Quod denique ipſius infuſi qualitas menſtrui quantitatem limitet, non difficile exinde eſt intellectu, cum menſtrui quantitas vel major vel minor requiratur, prout infuſum vel majori, vel minori vi materiæ ſolvendæ repletum, deſideratur.

§. CCCCXC.

Quanam in quantitate menſtruum capi ſoleat.

Menſtrui igitur quantitas ratione materiæ infundendæ, uti ex dictis §. CCCCLXXXIX. patet, admodum variat. Sæpiſſime ejus ſextuplum, octuplum, duodecuplum, interdum tamen quadruplum tantum, aliquando longe majus, ut vigecuplum, trigecuplum, immo centuplum capitur. Infuſa, quæ pro delicatis vel potu ordinario præparantur, vel ex materie conſtant injucundiore, majorem quoque menſtrui quantitatem exigunt. Sic ad cereviſias medicatas, fermentationis inprimis ope parandas, clareta, muſta, menſtruum recipitur, quod materie ſolvenda triceſies, interdum quoque centies majus eſt.

§. CCCCXCI.

Quænam determinent acceſſorii, ſolutionem infuſi promoventis, quantitatem.

Acceſſorii, quod materiæ infundendæ ſolutionem promovet, quantitas eodem, quo menſtrui quantitas, modo determinatur §. CCCCLXXXIX. ſcilicet *primo per materiæ ſolvendæ quantitatem*; quo enim hæc major eſt, eo major etiam acceſſorii requiritur quantitas; *deinde per ejuſdem qualitatem*; quoniam, prout vel magis vel minus eſt refractaria, & ſolutu facilior eſt vel difficilior, pro eo etiam quantitas acceſſorii variat; *tum per menſtrui qualitatem*; nam, quo hoc vel fortius eſt vel debilius, vel magis vel minus accommodatum, eo vel majori vel minori opus eſt acceſſorii quantitate, & *denique per ſuam ipſius qualitatem.* Quo enim acceſſorium vel potentius eſt, vel debilius, & hoc vel alio modo comparatum, vel major vel minor ejus requiritur quantitas. Sic interdum acceſſorium ad drachmam unam vel duas ad ſingulas menſtrui libras, ſæpe vero ad longe minorem quantitatem recipitur, ſpirituoſa vero acceſſoria, quæ plerumque materiæ infundendæ irrorationi inſerviunt, ſæpiſſime indeterminata quantitate præſcribuntur.

§. CCCCXCII.

Ex quibus determinetur acceſſoriorum poſt infuſionem addendi quantitas.

Acceſſoria, quæ infuſione peracta infuſo admiſcentur, ea in quantitate recipiuntur, qua ſcopo intento ſufficiunt. Plerumque ad liquoris partes octo vel novem aſſumitur pars una ſacchari & ſimilium, in claretis ratione men-

menſtrui pars dimidia, tertia vel quarta, interdum plus minuſve, ſi Medicus ad ægri voluntatem ſe conformare debet, recipitur, unde generales hac de re regulas ſtabiliri non poſſe ſatis apparet.

§. CCCCXCIII.

De variis infuſi ſpeciebus.

Poſtquam ea, quæ circa infuſum præcipue conſideranda occurrunt, pertractavi, pauca de infuſi ſpeciebus ut proferam neceſſe eſt. Infuſum, quod ad doſin unicam præſcribitur, dicitur *hauſtus*, & *ſimpliciter infuſum* audit, ſi ad plures doſes præſcriptum & aqua loco menſtrui eſt. Si vero vinum, cereviſia, hydromel, lac ejuſque ſerum, menſtrua infuſi ſunt, ab his nomen accipit & dicitur v. g. *infuſum vinoſum*, *cereviſia medicata*, & ſic porro. Si denique materiam ſolvendam infuſo præbent aromata, menſtruum aquæ deſtillatæ aromaticæ, vinum, ſpiritus vini, ſaccharique multum & depuratio limpidiſſima accedit, *clareti* vel *nectaris* nomen gerit, & in ſpecie *vinum Hippocraticum* nominatur, ſi aromatum baſin conſtituit cinnamomum & menſtruum eſt vinum.

§. CCCCXCIV.

De ordine, quo infuſi ingredientia ſcribi ſolent.

Ordo, quem in ingredientibus infuſi chartulæ inſcribendis ſequi Medicis placet, hic eſt, ut primus locus infundendis concedatur & inter hæc vegetabilia primo loco, ſecundo animantia & tertio mineralia ponantur. Ea, quæ ex regno vegetabili depromuntur, iterum ita collocantur, ut primo radices, deinde herbæ, folia, ſummitates, flores, ſemina, baccæ, ligna, cortices, aromata, fructus, ſucci, denique purgantia cum ſuis corrigentibus, ſi quæ accedunt, ſecundum eum, quo hic ſe invicem ſequuntur, ordinem ponantur. Infundenda excipiunt acceſſoria, quæ ſolutioni promovendæ inſerviunt, deinde ſequitur menſtruum, & ultimum locum occupant acceſſoria, quæ infuſione peracta adduntur.

§. CCCCXCV.

De doſi infuſi.

Qui de doſi infuſi informari cupit, repetat dicta in ſuperioribus §. CXLI. – CLVII. CLXXVII. – CLXXXI. CLXXXIX. – CXCIX. Certæ & generales regulæ de ejuſdem doſi dari nequeunt, quoniam pro materiæ infuſæ, menſtrui, ægri conditionibus & medico ſcopo, aliiſque innumeris circumſtantiis, admodum variat. Infuſa aquoſa plerumque ab uncia una ad uncias ſex & ultra, vinoſa ab uncia dimidia uſque ad uncias quatuor, ſpirituoſa a drachmis duabus uſque ad uncias duas, exhiberi ſolent, ſæpius tamen eorum doſis non pondere, ſed volumine determinatur, ut ad unum vel aliquot vaſcula, infuſo Thée vel Coffée bibendo deſtinata, cochlear unum vel cochlearia aliquot, cyathum, &c. interdum vero ægro tantum, quantum ipſi placet, bibere permittitur. Si denique infuſi ſpecies ægro vel adſtantibus traduntur, inſtar infuſi herbæ Thée infundendæ, eas pro diverſa earum indole & natura ad drachmas duas, tres, unciam dimidiam, vel quantum pugillo, manipulo capi poteſt, adhiberi jubetur.

§. CCCCXCVI.

De quantitate generali infuſi.

De quantitate infuſi generali, in caſu quovis ſingulari, conſtantes regulæ ſtabiliri nequeunt, ſed pro variis iiſque innumeris circumſtantiis, in caſu ſingulari obviis, vario modo determinatur. Interdum, ſi generoſiora, ut emetica, purgantia & id genus alia in infuſo præſcribuntur, unicam tantum complectitur doſin, plures vero, ſi infuſum alterandi vel leniter tantum purgandi fine adhibetur. Ceterum petantur huc dicta de quantitate generali §. CLXXXV. CLXXXVI. CLXXXVII. CLXXXVIII.

§. CCCCXCVII.

De ſubſcriptione formulæ infuſi in genere.

Pervenio nunc ad ſubſcriptionem formulæ infuſi. Medici de hac adeo multa eaque admodum varia, &, quod maximum eſt, non ſatis concinno ordine præcipiunt, ut eorum multitudo, varietas & ordo minus accuratus, magnam menti, boni ordinis cupidæ & ſtudioſæ, creet moleſtiam; id quod ut evitetur, ad hæc duo maxime, quæ ſequuntur, ut attendatur, velim. Vel enim Pharmacopœo ſpecierum infuſi & ipſius infuſi præparatio, ſive omne, quicquid huc pertinet, committitur, vel materies tantum infundenda ab eo præparatur, ita, ut æger vel adſtantes infuſionem ipſam curent, & facile patet, ſubſcriptionem variare, prout hoc vel illud locum habet.

§. CCCCXCVIII.

Subſcriptio docere debet operationes ad præparationem ſpecierum infuſi ejuſque præparationem ſpectantes.

Si prius, hoc eſt, ſi omne, quicquid circa ſpecierum infuſi & ipſius infuſi præparationem occurrit, Pharmacopœo committitur, ſubſcriptio in formula abſoluta infuſi determinare debet operationes, quæ pertinent tum ad ſpecierum infuſi, tum ad infuſi ipſius præparationem §. CX.

§. CCCCXCIX.

De operationibus circa infuſum earumque diviſione.

Operationes, quæ pertinent ad ſpecierum infuſi ipſiuſque præparationem, dividi poſſunt in eas *operationes*, quæ vel *ante*, *vel poſt*, *vel in infuſione* ſunt ſuſcipiendæ. *Illæ, quæ ante infuſionem peragendæ ſunt, reſpiciunt materiæ ipſius ad infuſionem præparationem; ad eas, quæ in infuſione ſunt ſuſcipiendæ, pertinent infuſio ipſa & maceratio; & ad illas denique, quæ poſt infuſionem ſunt perficiendæ, depuratio & admiſtio acceſſoriorum, & infuſi ipſius aſſervatio, ſpectant.*

§. D.

Subſcriptio docere debet operationes dictas §. CCCCXCIX.

Subſcriptio in formula abſoluta infuſi determinat operationes, quæ pertinent ad ſpecierum infuſi ipſiuſque infuſi præparationem §. CCCCXCVIII. ſi, quicquid circa ſpecierum infuſi huiuſque præparationem occurrit, Pharmacopœo committitur, hinc & docere debet operationes ante, poſt, vel in infuſione ſuſcipiendas, eas nempe, quæ reſpiciunt materiæ ipſius ad infuſionem præparationem, infuſionem ipſam & macerationem, & denique depurationem, admiſtionem acceſſoriorum & infuſi ipſius aſſervationem.

§. DI.

Operationes, quæ reſpiciunt materiæ præparationem ad infuſionem, enarrantur.

Operationes, quæ materiæ præparationem ad infuſionem reſpiciunt, variæ ſunt, & abſolvuntur 1) ejuſdem comminutione in craſſum pulverem, quæ fit ſciſſione & tuſione, & omittitur circa pulverulenta, ut limaturam martis, &c. 2) colligatione in nodulo, petia, vel ſacculo ex ſindone parato, quæ adhibetur, ſi vel ſaturatior non requiritur extractio: vel poſt infuſionem colatione ſuperſedere animus eſt, vel materies adeo gravis eſt,

eſt, ut in menſtruo ſuſpendi debeat, ne in fundo ſe compingens difficilius ſolvatur, unde etiam pro re nata vel omnia ſimul ingredientia, vel aliqua tantum ſic colligantur; 3) irroratione, quæ in eo conſiſtit, ut materies liquido acceſſorio, ſolutionem ejus promovente, cujus generis ſunt ſalia & ſpiritus §. CCCCLXXX. indicati, humectetur & ad faciliorem ſolutionem diſponatur. Aqua quoque fervens, ſi aridiora caloris humidi ope emollienda ſunt, ut a menſtruo frigido ſe facilius ſolvi patiantur, acceſſorii liquidi, ſolutioni inſervientis, vicem explet. Neque minus vaſis apti, cui materies ſolvenda & menſtruum immittenda ſunt, mentio interdum fit, ſi materiæ ad infuſionem præparatio præſcribitur.

§. DII.

Subſcriptio docet materiæ ſolvendæ comminutionem, ejuſdem colligationem in nodulo & irrorationem.

Subſcriptio in formula abſoluta infuſi docet operationes, quæ materiæ ad infuſionem præparationem reſpiciunt §. D. Jam eæ conſiſtunt in comminutione materiæ ſolvendæ in craſſum pulverem, ejuſdem colligatione in nodulo & irroratione §. DI. Ergo ſubſcriptio in formula abſoluta infuſi determinare debet materiæ ſolvendæ comminutionem in craſſum pulverem, ejuſdem colligationem in nodulo & irrorationem.

§. DIII.

Ad quæ circa infuſionem & macerationem ſit reſpiciendum.

Ad infuſionem quod attinet, illa perficitur menſtruo vel calido, vel frigido. Sic menſtrua aquoſa ſola §. CCCCLXXIV. No. 1. affunduntur calida, vel fervida, vinoſa vero & ſpirituoſa §. cit. No. 2. 3. frigida. Maceratio itidem eſt vel calida, vel frigida. Hæc adhibetur, ſi vel leviori tantum opus eſt extractione, vel materies ſolvenda ſe facilius & ſine calore ſolvi patitur, vel menſtruum ſatis fortiter materiam ſolvendam aggreditur & ſolvit, ut nullo calore opus ſit, vel calor incongruam in materia ſolvenda & menſtruo producit mutationem, quæ plane non deſideratur; illa vero, ſi conditiones modo dictis contrariæ obtinent. Hæc maceratio calida vel retinet eundem caloris gradum, quem habuit infuſio, ſive ut rectius loquar, menſtruum affuſum calidum; vel ipſi, ſi menſtruum affuſum frigidum eſt, tunc demum calor conciliatur, poſtquam menſtruum frigidum jam fuit affuſum, atque hic vel ita dicta inſolatione, vel digeſtione in loco calido, ut furnulo apto, vel alio inſtrumento chemico idoneo, excitatur. Varius vero ejuſdem gradus requiritur, prout ſolutio facile vel difficulter ſuccedit, vel minori vel majori temporis ſpatio eſt peragenda, aliæque circumſtantiæ vel majorem, vel minorem caloris gradum requirunt. Expedit interdum infuſionem iteratis concutere vicibus, ut extractio eo melius promoveatur. Tempus, quod macerationi deſtinatur, ex variis determinatur conditionibus, & modo majus, modo minus requiritur, prout extractio vel magis, vel minus concentrata exigitur, & vel minus vel magis prompte ſuccedit. Sat diu vero duraſſe macerationem, ex phænomenis, ut colore & ſapore, cognoſcitur, utpote quæ docent, vim materiæ ſolvendæ in debito gradu in menſtruum tranſiiſſe. Vas denique, in quo peragitur maceratio, ſi nihil obſtat, durante hac operatione claudi jubetur.

§. DIV.

De depuratione.

Depuratio vel neceſſaria eſt, vel non. Si requiritur, illa fieri poteſt, ut liquidum trajiciatur per colum, manicam Hippocratis, & filtrum, vel ſine colo & filtro, & tunc quiete & mora perficitur, ut liquidum purius, materiæ non ſolutæ & in fundo collectæ ſupernatans, defundi, hujus vero pars ultima turbida vel relinqui, vel colo filtrove repurgari queat. Sic depurari ſolent infuſa vinoſa, ſpirituoſa, & cereviſiæ medicatæ. Si infuſum per colum vel manicam Hippocratis tranſcolatur, ſub fine materies fortiter exprimitur, ſi liquor ſaturatior, nec limpidiſſimus deſideratur, atque hic modus repurgandi circa infuſa aquoſa, vina Hippocratica & clareta adhiberi ſolet, quamvis poſteriorum claritas lactis, feces inviſcantis, additamento augeatur. Depuratio, quæ fit ope filtri ex charta bibula confecti, eſt quidem omnium nitidiſſima, ſed ſimul tardiſſima, unde patet, eam eſſe adhibendam, ſi ſumma liquori concilianda eſt claritas, & exactiſſime materia non ſoluta eſt ſeparanda, ita tamen, ut ſimul magna ejus quantitas in brevi temporis ſpatio filtranda non requiratur. Notandum interea eſt de his duobus depurandi modis poſterioribus, quod volatilia etiamnum calida ſic repurgata, magnam virtutis ſuæ jacturam faciant. Non neceſſaria eſt depuratio, quocunque fiat modo, ſi omnis materia ſolvenda nodulo incluſa maceratur. Hic nodulus, legitime peracta extractione, retinetur vel in liquore, ſub ejuſdem etiam uſu, vel non, ſed exemtus fortiter exprimitur, ut liquor magis ſaturetur.

§. DV.

De acceſſoriis & receptaculo.

Acceſſoria, ut ſaccharum & ſimilia, in vinis Hippocraticis & claretis ante depurationem adduntur, ut ſimul trajecta minus turbent liquidum. Receptaculi quoque obturatio exacta eſt injungenda, ſi a libero aëris acceſſu liquoris corruptio, vel volatilium diſſipatio, metuitur.

§. DVI.

Subſcriptio in formula infuſi abſoluta docere debet dicta §. DIII. DIV. DV.

Subſcriptio in formula infuſi abſoluta determinat operationes ad infuſionem & macerationem, depurationem & acceſſoriorum additionem ſpectantes §. CCCCXCIX. D. hinc & ea docere debet, quæ dicta ſunt §. DIII. DIV. DV.

§. DVII.

Quomodo ſubſcriptio ſe habeat, ſi materiæ tantum ſolvendæ præparatio pharmacopœo committitur.

Si materiæ tantum ſolvendæ, non vero ipſius infuſi præparatio, expetitur a Pharmacopœo, in ſubſcriptione formulæ abſolutæ infuſi omnia de infuſione, maceratione, depuratione, acceſſoriorum additione dicta §. DIII. DIV. ſunt omittenda, & eorum tantum, quæ de materiæ ad infuſionem præparatione prolata ſunt §. DII. mentio eſt facienda. Sic ſpecies conſciſſæ, ſive conſciſſæ & contuſæ, præſcribuntur ad chartam, formulæ ſubjiciendo: *Conciſa* ſive *conſciſſa*, *contuſa*, *miſta*, *D. ad chartam*, & ſi in nodulum ſunt colligandæ, adponitur: includantur nodulo, ſive ſacculo ex ſindone. Si vero ſpecies non ſacculo ſunt includæ, ſcribitur, vel uti antea: *D. ad chartam*, vel ita: F. Collectio. Irroratio modo Pharmacopœo, modo ægro committitur, & ſi poſterius contingit, liquorem huic fini inſervientem, niſi admodum vulgaris ſit, ut haberi poſſit, nec opus ſit, ut ex officina depromatur, una cum materie infundenda exhibet Pharmacopœus.

§. DVIII.

De ſignatura formulæ infuſi. Signatura formulæ infuſi eodem, quo ejuſdem ſubſcriptio, modo variat §. CCCCXCVII. Conferantur huc dicta §. CXX. -- CCXXIX. Æſtivo tempore ſpecies quidem infuſi in ſufficiente præſcribuntur quantitate, ſed, quoniam id tunc facile aceſcit, non tota ejus portio, ſed aliqua tantum illius pars pro una vice ut infundatur, expedit. Si ſpecierum infuſi præparatio tantum a Pharmacopœo expetitur, eæque ſindone incluſæ exhibendæ ſunt, ſignatur ita: Species *zum Kræuterſæckgen*, vel, ſi ſpecies laxæ, non ſacculo incluſæ, exhibendæ ſunt, in ſignatura virtute ſimul nomini, ſi opus eſt, addita, ita ſcribitur: Species *zum Kræuterthee*, *zum laxirenden Kræuterwein*, & tum reliqua, quæ ad ulteriorem infuſi præparationem pertinent, ægro vel adſtantibus præcipiuntur. Dein adſcribi ſolet, quo menſtruo ſit utendum, quo modo infuſio depuranda & aſſervanda, quo tempore & modo infuſum adhibendum, ſed notandum eſt, hic non utendum eſſe terminis technicis, ſed iis, qui ab ægro vel adſtantibus intelligi poſſunt. Reliqua huc pertinentia facile ſunt intelligenda ex dictis §. DIII. DIV. DV. Monendum præterea eſt, tempore præſertim æſtivo & quantitate generali majori infuſum in loco frigido, ut in cella, eſſe adſervandum, ne fermentatio, ſitus, acor noceant.

§. DIX.

De uſu infuſorum. Infuſa admodum frequenter uſurpantur & multis morbis conveniunt, atque inſignem in iis exſerunt efficaciam, ſi prudente ratione & ſelectu ſunt parata. In morbis præſertim chronicis uſus eorum eſt familiariſſimus & maxime ſalutaris. Deſtinantur præterea præſervationi a morbis imminentibus, unde præcipue expetuntur ad curationes ſic dictas vernales. Infuſa huic fini inſervientia dicuntur in quibuſdam Germaniæ regionibus *die Maytrænckе*, & ita plerumque concinnari ſolent, ut non ſimpliciter tantum per catharſin operentur, ſed reſolvendo etiam & corrigendo agant, unde & a ſchola medica infuſa per epicraſin laxantia appellantur. Eidem ſcopo adhibentur infuſa vinoſa laxantia. Infantibus quidem hæc medicamenti ſpecies aliquando moleſta eſt, præſertim ſi paulo eminentius ſapor & odor moleſtus prædominatur, ſed alias, ſi hæc, quantum fieri poteſt, corriguntur, iis non adverſatur, cum ſe ſub potus familiaris ſpecie inſinuet.

§. DX.

Ad quæ in infuſorum præparatione ſit reſpiciendum. Infuſa cum ſero lactis aut ſyrupis, ſuccis, pomis Borsdorffianis, ad longum tempus conſervanda, parare minus convenit, quoniam facile aceſcunt vel corrumpuntur. Laudatur in iis maxime ſaporis, odoris & coloris jucunditas, hinc ei, quantum fieri poteſt, ſtudendum, ſed ſimul cavendum eſt, ne, dum hanc injucunditatem corrigere intendimus, aliam novam producamus æque injucundam, vel plane noxiam.

§. DXI.

Speciminis loco ſunt

I. Infuſa purgantia & laxantia.

1.

℞. Rhabarbari electi ʒj.
Foliorum ſennæ ſine ſtipitibus ʒiij.
Cremoris tartari ʒj.
Conciſa & contuſa infunde
Aquæ fontanæ bullientis, ℥iij -- iv.
conſerventur per noctem in calore fere fervido, ita tamen, ut non bulliant, colentur deinde, & colaturæ addatur
Mannæ electæ ℥j.
Olei de cedro gutt. V.
D. pro doſi.

Addi, ad majorem his gratiam conciliandam, poteſt ſyrupi roſarum ſolutivi ℥j. & ſpiritus vitrioli guttæ V.

2.

℞. Mannæ electæ, ℥ij.
Cremoris tartari, ʒj.
Infunde in
Aquæ fontanæ ferventis ℥iv.
& digere donec ſolvantur, colaturæ adde
Olei de cedro, gutt. iv.
Detur pro doſi.

Poteſt quoque commode hoc infuſum parari ex mannæ electæ & ſalis Sedlicenſis, ſive Ebſonienſis ana ℥j.

3.

℞. Foliorum ſennæ ſine ſtipitibus, ʒiij.
Cremoris tartari, ʒj.
Confectionis ſeminis coriandri,
Paſſularum minorum, ana ʒij.
Inciſa infunde
Aquæ fontanæ bullientis, ℥vj.
ſtent in digeſtione per noctem loco calido, abſque ebullitione tamen, dein fiat colatura, in qua ſolve mannæ electæ, ℥iß.

4.

℞. Pulpæ tamarindorum ℥ij.
Conciſæ infundantur
Seri lactis recentis ℥v.
Stent per noctem in loco calido, ita tamen ut non bulliant, colaturæ adde
Mannæ electæ vel
Syrupi Violarum ℥j — ℥iß.

5.

℞. Pulpæ tamarindorum ℥ij.
Conciſæ injiciantur
Lactis bullientis ℔ij.
Stent ſpatio horæ in loco calido, ſed abſque ebullitione, dein fiat colatura.

6.

℞. Herbæ acetoſellæ, miß.
Naſturtii,
Cochleariæ ana mß.
Tamarindorum, ℥ß.
Conciſa infunde cum
Seri lactis æſtiv. ℔iij.
Stent ſpatio horæ, in calore fere fervido, abſque ebullitione tamen, dein per linteum expreſſis admiſce
Syrupi e ſucco citri,
Rubi idæi,
Violarum ana ℥j.

S. ſerum lactis antiſcorbuticum, cujus uncia una ſemel omni ſemihorio interdiu eſt bibenda.

7. ℞.

7.

℞. Rhabarbari electi,
Agarici trochiſcati, ana ʒij.
Radicis pimpinellæ albæ,
Ari,
Zedoariæ, ana ʒiß.
Herbæ epithymi.
Summitatum centaurii minoris ãã p. IV.
Foliorum ſennæ ſine ſtipitibus ℥ß.
Cardamomi minoris ʒß.
Cremoris tartari ſive
Salis tartari ʒij.

Conciſa, contuſa, miſta D. ad chartam. S. Species infuſi vinoſi laxantis. Infuſæ cum dimidia menſura aquæ, aſſerventur vaſe clauſo per duodecim horas in calore fere fervido, ita tamen, ut non ebulliant, poſtea liquor transcoletur, & affundatur denuo his ſpeciebus relictis vini Rhenani ſive Moſellani frigidi menſura dimidia, digerantur itidem vaſe clauſo per duodecim horas leni calore, deinde vinum trajiciatur per colum & priori liquori miſceatur. De hoc bibantur omni mane, vel, ſi fortior effectus deſideratur, ter vel quater de die, vacuo ſtomacho, tres unciæ.

Huic infuſo vinoſo commode nec ſine fructu adduntur cortices pomorum aurantiorum recentium, paſſulæ minores & limatura martis, inprimis, ſi id poſtulat indicatio. Egregium exſerit effectum laxantem, reſolventem & purificantem, unde in cachexia, chloroſi, leucophlegmatia, ſcabie, fluore albo, obſtructionibus & morbis exinde orientibus, ſummo cum fructu adhibetur, & eiſdem ſcopis obtinendis commendatur a celeberrimo b. m. HOFFMANNO.

8.

♃. Radicis pimpinellæ albæ,
Enulæ,
Cichorei, ana ℥j.
Rhabarbari electi ℥ß.
Herbæ fumariæ mj.
Foliorum ſennæ ſine ſtipitibus,
Fibrarum hellebori nigri, ana ʒvj.
Summitatum centaurii minoris p. III.
Florum acaciæ p. IV.
Corticis citri recentis,
Aurantiorum recentis, ana ʒij.
Paſſularum minorum ℥iij.
Tartari tartariſati ʒij.

Conciſa, contuſa, miſta D. ad chartam. S. Species cum duabus vini Rhenani vel Moſellani menſuris leni calore per duodecim horas digerendæ & frigefactæ transcolandæ. Pro doſi adhiberi poteſt pars tertia vel quarta menſuræ.

9.

♃. Radicis armoraciæ,
Enulæ,
Vincetoxici,
Rhabarbari, ana ℥j.
Herbæ trifolii fibrini,
Cochleariæ, ana mj.
Summitatum pini vel
abietis,
Corticis aurantiorum recentis, ana ℥ß.
Seminis ſinapi ʒiij.
Paſſularum minorum ℥iij.
Tartari tartariſati ℥ß.

Conciſa, contuſa f. Species, cum duabus vini generoſi menſuris eodem, quo antea deſcriptum fuit, modo infundendæ. Prodeſt hoc infuſum maxime in ſcorbuto.

10.

♃. Radicis bryoniæ,
Iridis noſtratis,
Gentianæ rubræ,
Vincetoxici,
Leviſtici,
Rhabarbari electi,
Fibrarum ellebori nigri,
Corticis aurantiorum recentis,
mediani ſambuci, ana ℥ß.
Summitatum centaurii minoris p. IV.
Caryophyllorum aromaticorum ʒiij.
Tartari tartariſati ℥j.

Conciſa, contuſa f. Species, cum duabus vini frigidi menſuris infundendæ, loco calido digerendæ, poſtea tranſcolandæ, & ad ſextam partem pro doſi bis in ſeptimana bibendæ. Conducit hoc infuſum in curatione hydropis.

11.

♃. Radicum V. aperientium majorum,
Ononidis, ana ʒij.
Summitatum cardui benedicti,
Centaurii minoris, ana mß.
Foliorum ſennæ ſine ſtipitibus ℥iß.
Fibrarum ellebori nigri,
Rhabarbari electi, ana ʒij.
Corticis aurantiorum recentis,
Tamariſci, ana ʒiij.
Salis tartari ℥ß.

Conciſa, contuſa, miſta f. Species, adfunde his aquæ ferventis ℔iß. aſſerva eas ſic per duodecim horas in calore fere fervido, poſtea transcola, & relictis ſpeciebus denuo adde vini Rhenani ℔iv. collocentur in eodem loco calido per duodecim horas, tranſcola deinde liquorem & liquori jam repurgato miſce. Conducit hoc infuſum itidem in hydrope.

12.

Infuſum vinoſum in hydrope.

♃. Radicis ireos Florentinæ ℥j.
Aſari,
Mechoacannæ albæ,
Ononidis, ana ℥ß.
Calami aromatici,
Galangæ minoris, ana ʒij.
Herbæ fumariæ,
Agrimoniæ,
Gratiolæ, ana p. I.
Foliorum ſennæ ſine ſtipitibus ℥ij.
Summitatum cardui benedicti,
Abſinthii, ana mß.
Seminis aniſi,
Fœniculi, ana ʒj.

Conciſa, contuſa f. Species, quibus quatuor vini albi menſuræ infundendæ & quæ eodem, quo jam deſcriptum fuit, modo ſunt tractandæ.

13. In-

13.

Infuſum vinoſum laxans in ictero.

♃. Radicum curcumæ,
Rubiæ tinctorum,
Rhabarbari, ana ʒvj.
Cichorei,
Fœniculi,
Graminis, ana ℥ß.
Herbæ capillorum veneris,
Abſinthii,
Marrubii albi, ana mß.
Foliorum ſennæ ſine ſtipitibus ℥ij.
Seminis fœniculi,
Carvi, ana ʒij.
Tartari ſolubilis ℥ß.

Conſciſſa, contuſa, miſta f. Species, quibus aquæ ferventis libra una affundenda, &, quando refrixit, addendæ vini Rhenani libræ quatuor. In calore fere fervido per duodecim horas vaſe clauſo digerantur & liquor frigefactus teanscoletur & ad uſum aſſervetur.

II. Infuſum vinoſum emmenagogum.

♃. Radicis ariſtolochiæ rotundæ,
Rhabarbari, ana ℥ß.
Bryoniæ ʒiij.
Herbæ meliſſæ,
Artemiſiæ,
Matricariæ,
Pulegii,
Summitatum millefolii, ana mß.
Foliorum ſennæ ſine ſtipitibus ℥ß.
Florum cheiri,
Centaurii minoris, ana p. I.
Croci ʒß.
Baccarum juniperi ʒij.
Boracis Venetæ ʒiij.

Conciſa, contuſa, miſta fiant Species, quibus menſuræ duæ vini albi & aquæ infundenda.

III. Infuſum vinoſum ſtomachicum.

♃. Radicis gentianæ rubræ ʒiij.
Ari ʒiß.
Zedoariæ ʒß.
Summitatum centaurii minoris,
Corticis citri recentis,
Aurantiorum,
Chinæ,
Caſcarillæ, ana ʒij.
Macis,
Nucis moſchatæ, ana ʒß.
Conciſis, contuſis, miſtis adfunde
Vini boni albi ℔iij.
Spiritus vini ℥iv.
aſſerventur in calore fere fervido per duos dies, colatura ſervetur ad uſum. Si volumus effectum ſimul laxantem, addi poſſunt folia ſennæ, rhabarbarum.

IV. Infuſum emeticum.

♃. Pulveris radicis ipecacuanhæ ℈j.
Vini Gallici ℥j.
Sacchari ʒij.
infuſa totam noctem, depurata exhibe mane.

V. Infuſum aquoſum diaphoreticum.

♃. Radicis vincetoxici,
Pimpinellæ albæ, ana ℥ß.
Herbæ ſcordii,
Florum ſambuci, ana mß.

Conciſa, contuſa, miſta fiant Species, S. Species infundendæ in aquæ ferventis q. ſ. & leniter ebulliendæ.

VI. Infuſa aquoſa nervina, tonica, roborantia.

1.

♃. Radicis cichorei,
Caryophyllorum,
Glycyrrhizæ, ana ℥ß.
Herbæ meliſſæ,
Salviæ,
Betonicæ,
Summitatum millefolii,
Florum lilii convallium, ana mß.
Corticis citri recentis ℥j.
Cinnamomi ʒiij.
Conciſa, contuſa, miſta D. S. Species *zum Krauterthee.*

2.

♃. Herbæ meliſſæ Turcicæ,
Baſilici,
Florum ſalviæ,
Anthos, ana mj.
Cinnamomi,
Cardamomi minoris, ana ʒij.
Conciſa, contuſa, miſta f. Species *zum Krauterthee.*

Conducunt hæc infuſa claſſis VI. No. 1. 2. in debilitate generis nervoſi & morbis, qui exinde oriuntur.

VII. Infuſum aquoſum adſtringens.

♃. Radicis biſtortæ,
Glycyrrhizæ,
Caryophyllorum, ana ʒij.
Herbæ vincæ pervincæ,
Verbenæ,
Saniculæ,
Virgæ aureæ, ana mj.
Summitatum millefolii,
hyperici, ana mß.
Corticis balauſtiorum ʒiij.
Conciſa, contuſa, miſta f. Species.

VIII. Infuſa aquoſa vulneraria.

1.

♃. Herbæ agrimoniæ,
Hederæ terreſtris,
Polygoni,
Meliſſæ,
Equiſeti,
Summitatum millefolii,
Hyperici, ana mj.
Conciſa, miſta f. Species.

2. ♃.

2.

℞. Herbæ ſaniculæ,
pyrolæ,
plantaginis,
conſolidæ Saracenicæ,
Summitatum millefolii,
hyperici ana mj.
Conciſa, miſta D. ad chartam.
S. ut antea.

Hæc infuſa optime conveniunt in hæmorrhagiis nimiis, & pro re nata unum vel alterum adjici vel tolli poteſt.

IX. Infuſa aquoſa pectoralia.

1.

℞. Radicis glycyrrhizæ ℥ß.
Herbæ veronicæ, mij.
marrubii albi,
hyſſopi ana mj.
Florum papaveris rhœados,
ſambuci ana p. II.
Aniſi ſtellati ℥ß.
Conciſa, contuſa, miſta f. Species.

2.

℞. Radicis glycyrrhizæ ℥ß.
Herbæ veronicae, mij.
chærefolii,
capillorum veneris,
hederae terreſtris, ana mß.
Florum bellidis minoris,
ſcabioſae,
papaveris rhœados āā p. II.
enulae p. I.
ficuum No. V.
Conciſa, contuſa, miſta f. Species.

3.

℞. Radicis glycyrrhizæ, ʒvj.
Herbæ veronicæ mij.
Florum malvæ,
tuſſilaginis āā p. III.
Aniſi ſtellati,
Seminis fœniculi āā ʒij.
Conciſa, contuſa, miſta f. Species.

4.

℞. Radicis ireos Florentinæ,
Tuſſilaginis,
Liquiritiæ āā ʒij.
Herbæ veronicæ,
hyſſopi,
ſcabioſæ, āā mj.
Florum violarum, mß.
Aniſi ſtellati ʒiij.
Conciſa & contuſa groſſo modo f. Species.

5.

℞. Radicis pimpinellæ albæ,
cichorei āā ʒij.
Herbæ hyſſopi,
chærefolii,
Florum ſcabioſæ,
bellidis āā p. II.
arnicæ mj.
Conciſa, contuſa groſſo modo f. Species.

X. Infuſum reſolvens & evacuans.

℞. Florum arnicæ p. I — II.
Conciſi S. infundendi in aqua vel cereviſia.

Hoc infuſum egregiam exſerit virtutem in ſanguine ſtagnante & extravaſato reſolvendo, & in obſtructionibus, infarctibus tum viſcerum, tum aliarum partium tollendis, unde facile apparet, quam late pateat ejus virtus. Qui plura deſiderat, conferat diſſertationem *illuſtris Domini* Büchneri, *de genuinis principiis & effectibus arnicæ.*

XI. Infuſa antiſpaſmodica.

1.

℞. Summitatum millefolii, mij.
Conciſa f. Species,
Addi poſſunt, ſi deſiderat indicatio,
ſeminis fœniculi ʒij.

2.

℞. Herbæ millefolii, mj.
Summitatum millefolii, mij.
Conciſa f. Species.

3.

℞. Herbæ millefolii,
Summitatum millefolii, āā mj.
Florum chamomillæ vulgaris,
tiliæ,
ſambuci, āā mj.
Nucleorum ceraſorum nigrorum, ℥ß.
Seminis papaveris albi, ʒij.
Conciſa f. Species.

Poteſt ejuſmodi infuſum ex ſolis floribus chamomillæ præparari.

XII. Infuſum in dyſuria a calculo.

℞. Radicis glycyrrhizæ,
altheæ ana ℥ß.
Florum malvæ,
chamomillæ vulgaris āā mj.
ſeminis ſaxifragiæ,
violarum,
fœniculi, āā ʒij.
Conciſa, contuſa, miſta f. Species, ut antea deſcriptum fuit.

XIII. Infuſum antifebrile.

℞. Corticis chinæ chinæ, ℥j.
Salis cardui benedicti, ℥ß.
Infundantur in vini Rhenani menſura una, & reponantur loco calido ad digerendum.

XIV. Infuſum aquoſum ad menſium & lochiorum fluxum promovendum.

1.

℞. Herbæ meliſſæ Turcicæ,
pulegii,
artemiſiæ āā mj.
Florum cheiri p. IV.
Croci ʒß.
Conciſa, f. Species.

2.

℞. Herbæ meliſſæ,
artemiſiæ,
matricariæ ana mij.
pulegii mß.
Florum roriſmarini,
cheiri ana p. III.
Seminis fœniculi ʒiij.
Baccarum juniperi ʒij.
Corticis ligni ſaſſafras ʒiij.

Conciſa & contuſa groſſo modo infundantur in vini generoſi menſura una.

XV. Claretum purgans & roborans.

℞. Radicis calami aromatici ʒv.
Corticis Magellanici,
Rhabarbari optimi,
Foliorum ſenæ ſine ſtipitibus āā ℥ß.
Agarici trochiſcati ʒiij.
Cinnamomi acuti ʒij.
Cubebarum ʒj.

Conciſa infunde in vini Rhenani optimi ℔iv. per triduum vaſe clauſo, loco tepido, ſubinde concute, tum adde ſacchari albi ℔ß. trajice aliquoties per manicam Hippocratis. D. uſui.

XVI. Cereviſia antiſcorbutica.

℞. Radicis raphani ruſticani ℥v.
Herbæ recentis cochleariæ,
naſturtii aquatici,
beccabungæ,
trifolii aquatici āā mj.
Florum centaurii minoris ℥j.
Sem. rec. contuſorum naſturtii hortenſis,
raphani hort. āā ℥ij.

Conciſſa reconde in cereviſiæ recentis & ferveſcentis dolio dimidio.

SECTIO XI.

De Formula decocti interni.

§. DXII.

Decoctum præparatur per ſolutionem atque ad id requiritur materia ſolvens & ſolvenda.

Cum decoctum ſit medicamentum fluidum ex menſtruo liquore cum materia ſolvenda ad ignem ebulliente paratum §. CCXCII. patet, decoctum præparari per ſolutionem atque ad id requiri materiam ſolventem, ſeu menſtruum, & materiam ſolvendam. Illud, quod præter hæc duo accedit, dicitur acceſſorium, eodemque certis id exigentibus conditionibus opus eſt.

§. DXIII.

Omne id ingredientis vice in decocto fungi poteſt, quod ipſi materiam vel ſolvendā, vel ſolventem, vel acceſſoriū largitur.

Ad decoctum requiritur materia ſolvens, ſolvenda & interdum acceſſorium §. DXII. Qua de re omne id materiam decocti ingredi poteſt, quod ipſi materiam vel ſolventem, vel ſolvendam, vel acceſſorium largitur. Jam ea dicuntur ingredientia decocti, quæ ejus conſtituunt materiam §. VIII. Ergo omne id ingredientis vice in decocto fungi poteſt, quod ipſi materiem vel ſolvendam, vel ſolventem, vel acceſſorium largitur.

§. DXIV.

Menſtruum decocti ita comparatum eſſe debet, ut materiam ſolvendam ſolvat & coctione minus enervetur.

Menſtruum decocti, ut infuſi, eſſe poteſt vel aquoſum, vel vinoſum, vel ſpirituoſum §. CCCCLXXIV. Sed Medico, dum in dato caſu decocti menſtruo opus habet, maxime curandum eſt, ut ejuſmodi inveniat menſtruum, cujus vis materiæ ſolvendæ ita congrua eſt & accommodata, ut eam aggrediatur & ſolvat, coctione minus enervetur, & alienam, quæ non deſideratur, naturam induat. Quodſi enim materiæ ſolventis vis menſtrua ebulliendo debilitaretur & plane tolleretur, vel peregrinam, quæ non deſideratur, indolem aſſumeret, ſcopo, cujus cauſa addita fuit, plane non ſatisfaceret. Quod vero præterea menſtruum ita comparatum eſſe debeat, ut vis ejus materiam ſolvendam ſolvere poſſit, patet ex §. CCCCLXXXV. Eadem enim hic obtinent, quæ ibidem dicta ſunt.

§. DXV.

Spirituoſa in phialis chemicis commode loco menſtrui in decoctis adhiberi poſſunt, ſed non æque commode vinum.

Vinum, ſi vaſe non bene clauſo coquitur, multum virtutis ſuæ perdit, &, ſi vel maxime vaſe probe clauſo, aut vaporum exitui obſtante coquatur, in pejus abit. Jam menſtruum decocti ita comparatum eſſe debet, ut ejus vis menſtrua coctione nec valde enervetur, nec alienam, quæ non deſideratur, naturam induat §. DXIV. Vinum ergo loco menſtrui in decoctis minus commode adhiberi poteſt, vel ſaltem, ſi illo uti vel placuerit, vel opus fuerit, ita eſt tractandum, ut dicta evitentur, quod vero facile obtineri nequit. Peracta igitur ebullitione, ſi eo opus eſt, ut addatur, conſultius eſt. Spirituoſa contra in phialis chemicis ſine notabili virtutis ſuæ jactura, vel alteratione, ebullitionem ferunt, atque ideo commode menſtruorum in decoctis vice fungi poſſunt §. cit.

§. DXVI.

Aqua commode vicem menſtrui in decoctis tueri poteſt, ſed hoc de aquis deſtillatis efficacibus non valet.

Aquæ virtus ebulliendo minus enervatur & alteratur, unde patet, ejus frequentiorem in decoctis eſſe uſum §. DXIV. Aquæ quoque deſtillatæ a quibuſdam loco menſtruorum in decoctis adhiberi ſolent, ſed, qua ex ratione & quo jure, ego ſaltem perſpicere non poſſum. Si enim uſurpantur aquæ deſtillatæ, virtute quadam præditæ, hæc coctione abigitur & diſſipatur, adeoque menſtruorum vice in decoctis legitime fungi non poſſunt, uti ex dictis §. DXIV. apparet. Si vero loco menſtrui aqua deſtillata adhibetur iners, quid inde boni præ aqua ſimplice?

§. DXVII.

Quomodo decocti materies ſolvenda comparata eſſe debeat.

Materies decocti ſolvenda ita comparata ſit neceſſe eſt, ut virtutem ſuam uſui interno aptam, quæ vel difficulter & tarde, vel plane non maceratione ſola extrahi poteſt, vel totam, vel ex parte ſaltem, ebullitionis ope, menſtruo decocti commodo communicare poſſit illibatam. Contrarium enim ſi obtineret, materies non eſſet apta & digna, quæ decoquatur.

§. DXVIII.

Materies ſolvenda decocti debet eſſe menſtruo ejus ſolubilis, nec tamen

Cum materies decocti ſolvenda virtutem ſuam interno uſui aptam, quæ maceratione ſola vix vel plane non elici poteſt, vel totam, vel ex parte menſtruo decocti commodo ebulliendo communicare debeat §. DXVII. virtus ejus ut in menſtruo decocti idoneo ſolubilis ſit, nec tamen

æque commode per macerationem ac per coctionem, nec hujus vi diſſipari nec perverti.

tamen ope macerationis æque commode ac ebullitionis beneficio extrahi poſſit, exinde ſequitur. Et eadem eluceſcit ratione, ejuſdem materiæ virtutem ita debere eſſe comparatam, ut coquendo nec diſſipetur, nec alienam indolem, ſcopo minus aptam, aſſumat. Prius enim ſi fieret, perinde eſſet, ac ſi nulla virtus menſtruo communicaretur, quod tamen requiritur §. DXVII. eademque, ſi aliam, quæ non deſideratur, indolem indueret, menſtruo non impertiretur illibata; quod vero ut fiat neceſſe eſt §. cit.

§. DXIX.

Quidnam materiem ſolvendam decocto largiri poſſit.

Materies decocti ſolvenda ita comparata eſſe debet, ut virtutem ſuam uſui interno aptam, quæ vel difficulter & tarde, vel plane non ſola maceratione elici poteſt, vel totam, vel ex parte ope ebullitionis menſtruo communicare poſſit illibatam §. DXVII. Qua de re omne id materiam ſolvendam decocto largiri poteſt, quod virtute gaudet interno uſui apta, quæ quidem vel difficulter & tarde, vel plane non maceratione ſola extrahi poteſt, ſed ebullitionis tamen ope in menſtruum vel tota, vel ex parte tranſit illibata. Hæc materies decocti æque ac infuſi ex triplici naturæ regno depromi poteſt, & plurima largitur regnum vegetabile, pauciora minerale & animale §. CCCCLXXVII. E contrario autem facile patet, quænam materiam ſolvendam decocto non præbeant.

§. DXX.

Quæ macerando vim ſuam impertiunt menſtruo, coctione non ſunt torquenda longiori & fortiori.

Cum omne id materiam ſolvendam decocto præbere poſſit, quod virtutem poſſidet difficulter vel plane non maceratione ſola in menſtruum, ſed ebullitionis demum ope in id tranſeuntem §. DXVII. ea, quæ macerando virtutem ſuam in menſtruum dimittunt, coctione, longiori fortiorique inprimis, non ſunt torquenda. Nihil dicam, quod calor in coquendo præſens talia plus minuſve, & vel hoc illo modo, qui plane non deſideratur, mutet, cum veritas jam ſatis ex loco allegato appareat. Interdum tamen breviorem & leniorem, ſi celeriori & meliori extractioni inſervire poteſt, ebullitionem admittunt & poſtulant, cujus generis ſunt vegetabilium partes recentes, teneræ & molles.

§. DXXI.

Quæ virtutem habent coctione avolantem, potius infundenda ſunt.

Eodem, quo paulo ante uſus ſui §. DII. modo facile demonſtrari poteſt, quod ea, quæ virtute prædita ſunt in coquendo facili diſſipatu & avolante, potius ſint infundenda & coctione, ſi eadem opus ſit, mitiori, breviori & in vaſe idoneo inſtituta, tractanda. Ad hanc claſſem pertinent aromatica, alcaleſcentia, quæ ad aquarum & oleorum deſtillationem ſunt apta.

§. DXXII.

Quorum virtus coctione in alienam mutatur, vel plane non, vel leviter tantum nec diu ſunt coquenda.

Mareries decocti ſolvenda ita debet eſſe comparata, ut non alienam, dum coquitur, indolem, quæ non deſideratur, induat §. DXVIII. & idcirco omne id, quod materiem ſolvendam decocto largiri debet, eadem qualitate præditum eſſe debet. Quorumcunque ergo virtus alienam, dum coquuntur, indolem, quæ non deſideratur, aſſumit, ea vel plane non, vel leviter ſaltem nec diu ſunt decoquenda. Nec deſunt exempla quæ dicta confirmant. Liquiritia diu cocta ſaporem ſuum dulcem amittit, & amara evadit. Neque minus folia ſennæ, virtutem, dum longius coquuntur, acquirunt cum alvi torminibus purgantem. Rheum, myrobalani, diutius cocta, virtuti purganti adſtringentem jungunt, & mucilaginoſa, ut radix altheæ, malvæ, ſymphyti, ſemina, fructus, ſucci, ad earum indolem accedentia, coctione longa lentorem inferunt liquori injucundum.

§. DXXIII.

Recenſentur, quæ cum aqua minus recte decoquuntur.

Terrea macilenta, lapidea, reſinoſa, ſulphurea, pinguia, ſi menſtruum, quocum coquuntur, eſt pure aquoſum, ſine acceſſoriis, parum, immo nihil, ſuæ virtutis ipſi largiuntur. Jam ea materiem ſolvendam decocto præbere nequeunt, quæ menſtruo virtutem ſuam non impertiunt §. DXIX. Ergo, ſi menſtruum decocti eſſet pure aquoſum, ea, quæ paulo ante commemoravi, ſine acceſſoriis materiem ſolvendam decocto largiri nequeunt. Accedit ad hoc, quod ea, ſi materiæ ſolvendæ vice in decocto, cujus menſtruum eſt pure aquoſum, fungi deberent, ita comparata eſſe debeant, ut eorum virtus in menſtruo aquoſo ſolubilis ſit §. DXVIII. quod vero cum ita non ſit, patet aſſerti veritas.

§. DXXIV.

De quibuſnam aliis dicta §. DXXIII. valeant.

Idem, quod de terreis macilentis, lapideis, reſinoſis, ſulphureis, & pinguibus aſſervi §. DXXIII. verum eſt de metallis & ſemimetallis non ſalinis, eademque, qua antea, poteſt demonſtrari, ratione; interea ignitione præmiſſa, vel longa fortique coctura aquam aliquo modo mutare videntur. Et ſic cum pleriſque animantium partibus duris eſt comparatum, utpote ex quibus vix quicquam, niſi coctione diu protracta, elici poteſt.

§. DXXV.

Patet ex dictis §. CCCCLXXXV. quomodo menſtruum decocti commodum ſit eligendum.

Menſtruum decocti materiæ ejuſdem ſolvendæ congruum atque accommodatum eſſe debet, ut eam aggrediatur & ſolvat §. DXIV. Quodſi ergo ejuſmodi menſtrum eſt eligendum, repetenda hic ſunt dicta de menſtrui in infuſi qualitate ejuſdemque delectu inſtituendo §. CCCCXCV.

§. DXXVI.

De acceſſoriis decocti.

Si ſolutio, qua præparatur decoctum, eſt promovenda, acceſſorium hoc fine requiritur, & hoc ita comparatum eſſe poteſt, ut materiam vel ſolventem vel ſolvendam ad ſolutionem aptiorem reddat. Ejus generis acceſſoria ſunt indicata §. CCCCLXXX. Neque minus, ſi poſt coctionem decocti virtus vel augenda, vel qualitates ejus injucundæ corrigendæ ſunt, acceſſorio opus eſt huic ſcopo inſerviente, qualia ſunt commemorata §. CCCCLXXXI. Patet horum aſſertorum veritas ex §. CCCCLXXVIII. CCCCLXXIX. CCCCLXXX. CCCCLXXXI. dummodo in locum vocabuli infuſum ſubſtituatur vocabulum decoctum.

§. DXXVII.

Quænam interdum loco acceſſorii adhibeantur.

Interdum, ubi volatilium ſub alembico inſtituta ebullitio excuſſit partem virtutis deſideratæ, vapores collecti in decoctum frigeſcens refunduntur, acceſſorii virtutem decocti augentis vicem tunc explentes. Nonnunquam etiam materies alia tenerior, principiis prædita volatilibus & mobilibus, coctione peracta liquori infunditur & loco acceſſorii, virtuti decocti augmentum vel gratiam adferentis, adhibetur, ita, ut medicamentum tunc ex decocto & infuſo ſit compoſitum. Tale vero *decocto infuſum* appellatur.

§. DXXVIII.

De gradu caloris in decocto.

Decocta non promiſcue uno eodemque caloris gradu præparantur, ſed is pro materiæ ſolvendæ, ſolventis, & decocti indole variat. Sic ſi menſtruum eſt ſpiritus, lenior calor, quam ſi vinum vicem menſtrui ſuſtinet, adhibetur, & aqua his majori calore urgetur. Neque minus minori opus eſt calore, ſi materies ſolvenda facile ſe ſolvi patitur, nec decoctum deſideratur valde ſaturatum, majori contra, ſi contraria dictis obtinent.

§. DXXIX.

De duratione coctionis.

Tempus, quo peragitur coctio, admodum variat pro materiæ ſolvendæ indole ejuſque faciliori vel minus facili extractione, adeoque in genere determinari nequit, quamdiu materies decocti ſolvenda in caſu quovis ſingulari ſit decoquenda. Sunt, quæ cocturam ad tres, quatuor, immo ſex & plures horas protractam admittunt & poſtulant, cujus generis ſunt foſſilia pleraque, animantium annoſorum oſſa, cornua, carnes tenaciores, ligna compacta, radices & cortices ſimiles, arida, aromatis experria, valdeque reſinoſa, unde horum, priuſquam decoquantur, maceratio eſt inſtituenda, ut eorum virtus eo facilius extrahi poteſt. Dantur porro aliqua, quibus coctio horæ unius vel duarum ſufficit, quædam ultra unius horæ ſpatium vix ſunt coquenda, alia coctura horæ dimidium durante ſatis emunguntur, & nonnulla vix ultra quartam horæ partem coqui debent, quin horum pleraque, maxime recentia & mollia, decocto ab igne remoto & adhuc fervido infundere tantum conſultius eſt.

§. DXXX.

Scholion.

Quæ de duratione coctionis dicta ſunt §. DXXIX. intelligenda ſunt de decoctionibus aquoſis. Quænam vero iſta ſint, quibus determinata coctionis tempora conveniunt, materiæ medicæ perito non difficile erit cognitu. Sæpe tamen Medicus, dum vel ſuperficiaria, vel intimior virtutis extractio deſideratur, vel aliæ accedunt rationes, terminos coctionis §. DXXIX. deſignatos non accurate obſervat, eoſque alio modo pro circumſtantiarum ratione determinat.

§. DXXXI.

Videndum eſt, ſi varia materia eſt decoquenda, num altera alterius ſolutionem juvet, nec ne.

Si varia materies ſimul eſt decoquenda, eo maxime eſt reſpiciendum, primo, num altera alterius ſolutionem juvet, an impediat, & quouſque; deinde num omnia eodem gradu caloris ſint coquenda, iiſque eadem coctionis duratio conveniat. Sunt enim, quæ ſola iners præbent decoctum, efficax vero, ſi junguntur aliis.

§. DXXXII.

De quantitate materiæ ſolvendæ & ſolventis in infuſo.

Quod ad ingredientium & præſertim materiæ ſolvendæ in decocto quantitatem attinet, eadem hic obtinent, quæ dicta ſunt de quantitate materiæ ſolvendæ in infuſo §. CCCCLXXXVIII. Menſtrui in decocto quantitas pariter ſe habet, ac in infuſo, adeoque hic repetantur dicta §. CCCCLXXXIX. CCCCXC. Variat quoque præterea, prout coctio vel ſine, vel cum evaporatione perficitur, ſed, ſi ſine evaporatione inſtituitur, vel vapor collectus decocto refunditur, menſtrui proportio in decoctis eadem eſt, quæ in infuſis §. cit. niſi, quod rarius ultra duodecuplam aut paulo majorem augeatur.

§. DXXXIII.

Ulterius determinatur menſtrui in decocto quantitas.

Si durante coctione diſſipatio ſit & evaporatio, eo major menſtrui requiritur quantitas, quo illa major, ne liquor ſuperſtes nimis ſaturatus evadat, & tum Medicus, prout coctionis durationem aut ad certum tempus, aut ad partis aliquotæ evaporationem limitat, vel determinat menſtrui adfundendi quantitatem ex dictis §. DXXXII. ratione ſimul quantitatis diſpendii, certo vel per conjecturam definitæ, habita, vel denique tantum, quod magis uſu venit & uſitatum eſt, menſtrui q. ſ. præſcribens & coctionis durationem aut ad aliquotæ partis evaporationem, aut ad certum tempus limitans, determinat, quantum reſidui ſupereſſe velit, ita, ut tunc Pharmacopœo relinquatur computandum, quanam menſtrui quantitate opus ſit, ut dato coctionis termino præſcriptum decocti pondus remaneat.

§. DXXXIV.

De acceſſoriorum ſolutionem promoventium quantitate in decoctis.

Acceſſoria, quæ ſolutionem, qua præparatur decoctum, promovent, eadem ſunt, quæ infuſi §. CCCCLXXIX. CCCCLXXX. eorumque quantitas iiſdem hic definitur limitibus, quorum mentio jam facta fuit §. CCCCXCI. ut eos hic repetere ſupervacaneum eſſet, niſi, quod ſæpe, præſertim ſi ebullitio ſolutionem promovet, eorum tunc minori quantitate opus ſit. Illa vero acceſſoria decocti, quæ ipſi coctione demum peracta, vel ad ejus virtutem augendam, vel moleſtam ejus qualitatem corrigendam, adduntur & eadem ſunt cum acceſſoriis infuſorum §. CCCCLXXXI. in eadem, qua hæc, proportione recipiuntur §. CCCCXCII. hinc dicta loco allegato hic repetantur. Iſta vero acceſſoria, quæ coctione peracta decocto infunduntur, §. DXXVII. ratione quantitatis, qua recipienda ſunt, eaſdem ſequuntur regulas de acceſſoriis infuſi prolatas §. CCCCXCII.

§. DXXXV.

De doſi & quantitate generali decocti.

Quæ de doſi & quantitate generali infuſi dicta ſunt §. CCCCCXCV. CCCCXCVI. valent quoque de doſi & quantitate generali decocti. Ad poſteriorem quod attinet, vix unquam ultra libras ſex vel octo, immo nec eo uſque extenditur, niſi id doſis decocti magna, brevibusque intervallis aſſumenda, & præparatio ejuſdem operoſior poſtulent, annique tempus ac decocti durabilitas permittant.

§. DXXXVI.

De ordine, quo ingredientia decocti in formula ejuſdem ſcribuntur.

Si materia omnis decocti uno eodemque caloris gradu coquenda eſt, vel ſpecies tantum decocti a Pharmacopœo ſunt exhibendæ, ordo, quo ingredientia decocti chartulæ inſcribuntur, idem eſt, qui valet de ingredientibus infuſi §. CCCCXCIV. Si qua vero cocturam longiorem, alia breviorem poſtulant, eo ordine optime ſibi mutuo ſubjunguntur, ut primo loco ponantur, quæ longiſſima opus habent coctione, poſtremo vero, quæ breviſſimam exigunt; niſi alias hæc res Pharmacopœi dexteritati & judicio committi poſſit.

§. DXXXVII.

Subſcriptio formulæ decocti fere convenit cum ſubſcriptione formulæ infuſi.

Subſcriptio formulæ decocti fere convenit cum ſubſcriptione formulæ infuſi & ab ea paucis diſcrepat, hinc de ſubſcriptione formulæ infuſi dicta huc ſunt applicanda. Varia vero hæc ſub-

ſcriptio

ſcriptio formulæ decocti æque ac formulæ infuſi, prout vel a Pharmacopoeo nil niſi materies decoquenda ejuſque præparatio expetitur, vel ipſi non materiæ ſolum decoquendæ, ſed decocti ipſius præparatio committitur §. CCCCLXXIX.

§. DXXXVIII.

Applicantur huc dicta §. DVII. Si Pharmacopœus materiam tantum decoquendam præbet, eadem hic obtinent, quæ dicta ſunt §. DVII. & ratio, quam ob rem hoc ita eſſe debeat, patet ex §. DXXXVII. Si vero poſterius locum habet §. DXXXVII. hoc eſt, ſi tum materiæ decoquendæ, tum decocti ipſius præparatio Pharmacopœo committitur, ſubſcriptio in formula decocti determinare debet operationes, quæ pertinent non ad materiæ ſolum decoquendæ, ſed ipſius decocti præparationem §. CX.

§. DXXXIX.

De operationibus circa materiam decocti ſolvendam ejuſdem præparationem, eorumque diviſione. Operationes, quæ reſpiciunt materiæ decoquendæ ipſiusque decocti præparationem, dividi poſſunt in eas operationes, quæ vel ante, vel poſt, vel in coctione a Pharmacopœo ſunt ſuſcipiendæ. Illæ, quæ ante coctionem ſunt peragendæ, reſpiciunt materiæ decoquendæ ad infuſionem præparationem; ad eas, quæ in coctione ſunt ſuſcipiendæ, pertinet decoctio ipſa, & ad illas denique, quæ poſt coctionem ſunt perficiendæ, novæ materiæ infuſio, depuratio, & acceſſoriorum miſcela. Hæc ergo omnia, ſi opus eſt, determinare debet ſubſcriptio formulæ decocti §. DXXXVIII.

§. DXL.

Operationes indicantur, quæ reſpiciunt materiæ decoquendæ præparationem. Operationes, quæ ante coctionem ſuſcipiendæ ſunt, & materiæ decoquendæ præparationem reſpiciunt, abſolvuntur 1) ejuſdem comminutione in craſſum pulverem, 2) colligatione in nodulo, 3) irroratione; niſi quod humectatio cum aqua fervente hic rarius uſurpetur. Vaſis quoque, in quo coctio eſt inſtituenda, interdum fit mentio, ſi id neceſſitas poſtulat, & certum ſit, Pharmacopœum, uti plerumque, ſed minus recte fieri ſolet, omnes cocturas promiſcue in vaſis æneis, ſtanno etiam non obductis, facere. Maceratio denique nonnunquam vel totius materiæ decoquendæ, vel partis tantum ejuſdem, ſi difficulter ſe ſolvi patitur, præmittitur, &, quæ huc pertinent, repetenda ſunt ex dictis §. DIII.

§. DXLI.

Subſcriptio in formula decocti docet materiæ ſolvendæ comminutionem, ejuſdem colligationem in nodulo, irrorationem, & vas, in quo coctio eſt inſtituenda. Subſcriptio in formula decocti docet operationes, quæ præparationem materiæ ad coctionem reſpiciunt §. DXXXIX. Jam eæ abſolvuntur materiæ decoquendæ comminutione, colligatione, irroratione, maceratione & delectu vaſis idonei, cui materia decocti immittenda eſt §. DXL. Ergo ſubſcriptio in formula decocti, ſi Pharmacopœo non materiæ ſolum decoquendæ, ſed decocti ipſius præparatio committitur, determinare debet materiæ decoquendæ comminutionem in craſſum pulverem, ejuſdem colligationem in nodulo, irrorationem, macerationem, & vas denique, in quo coctio inſtituenda eſt, ſi iiſdem opus eſt.

§. DXLII.

Quænam in coctione agenda & determinanda ſint, re. enſentur. Quæ in decoctione ipſa a Pharmacopœo ſunt agenda, reſpiciunt 1) ignis adhibendi gradum modumque, ita, ut a Medico determinetur, utrum igne vehementi, an leni, igne nudo an alio, ut in diplomate, opus ſit, 2) ordinem, quo alia diutius, alia brevius ſunt decoquenda, 3) vaſis, in quo coctio inſtituitur, occluſionem magis minusve exactam, prout evaporatio vel magis vel minus nocet. Plerumque occluſione vaſis exacta opus eſt, cum calor hac ratione ſit æquabilior & minor decocti inquinatio. 4) Coctionis terminum, qui vario modo definiri poteſt. Vel enim determinari poteſt ex materiæ decoquendæ indole & natura, vel ex phænomenis decocti, ut colore & ſapore, vel, dum evaporatio conceditur, ex reſidui quantitate, vel ex aliquotæ partis diſſipatione, ſed hic minus certe. Accedit ad hoc, quod quantitas eorum, quæ coctione exhalant, intra idem tempus varia ſit, prout coctio vel fortior, vel lenior, & in vaſe plus minusve clauſo, inſtituitur.

§. DXLIII.

Quæ poſt decoctionem ſint animadvertenda. Quæ poſt coctionem ſunt agenda, complectuntur 1) infuſionem materiæ novæ, quæ ſecundum easdem, quas dedi §. DI. DIII. regulas, inſtituitur, 2) depurationem, de qua dicta §. DIV. valent, 3) acceſſoriorum miſcelam, de qua notanda intelliguntur ex §. DV. 4) delectum vaſis idonei, in quo aſſervandum eſt decoctum.

§. DXLIV.

De ſignatura formulæ decocti hujuſque uſu. Quæ ad ſignaturam formulæ decocti pertinent, facile erui poſſunt ex dictis §. DVIII. de ſignatura formulæ infuſi. Nomina quoque, quæ decocta pro varia ſua præparatione & adhibendi modo acquirunt, ex parte eadem ſunt, quæ imponuntur infuſis §. CCCCXCIII. Sic decoctum ad doſin unicam præſcriptum dicitur *hauſtus*, ſi menſtruum ejus ſpirituoſum eſt, ſimpliciter audit *decoctum* vel *apozema*, ſi partes animantium baſin materiæ conſtituunt, *jus* vel *juſculum* appellatur, ſi materies ſemel decocta cum recente aqua iterum coquitur, *bochetum* vel *decoctum ſecundarium* nominatur. Uſus decoctorum denique convenit cum uſu infuſorum.

§. DXLV.

Speciminis loco inſerviunt

I. Decoctum avenaceum.

℞. Avenæ recens depuratæ & excorticatæ mij.
Radicis cichorei ℥ß.
Nitri purificati vel antimoniati ʒß.
Conc. coquantur per dimidium horæ in tribus aquæ puræ menſuris, ad conſumtionem partis tertiæ.

Huic decocto, ad majorem ipſi gratiam conciliandam, debita in quantitate addi poteſt, nec ſine fructu, elæoſaccharum citri, vel ſyrupus acetoſitatis citri, inprimis ſi eo æſtus ſimul eſt exſtinguendus. Inſignibus virtutibus excellit. Sanguinis enim, ſeri inprimis, acrimoniam demulcet, humidum deficiens reſtituit, & partes relaxat ſolidas, unde egregia ejus in morbis multis utilitas apparet. Sic optime conducit hominibus ſtrictioris corporis habitus, neque minus in tuſſi, catarrhis, faucium ſiccitate, aſperitate & exulceratione, diarrhœa, dyſenteria, quatenus ab acrimonia ſtimulante proveniunt,

arthritide vaga ſcorbutica, malo ſcorbutico idque genus aliis morbis. Qui plura de hujus decocti effectu deſiderat, illa reperiet in *illuſtris* quondam *Medici*, FRIDERICI HOFFMANNI, *diſſertatione de cura avenacea*, utpote in qua hic modo laudatus vir ſat multa, nec inutilia, de ejuſdem efficacia diſſeruit.

II. Decoctum temperans.

1.

♃. Pomorum citri No. II.
Conciſa coque in aquæ puræ ℔iv.
Colaturæ adde
Syrupi acetoſitatis citri
ceraſorum nigrorum ana ℥ij.
D.

2.

♃. Raſuræ cornu cervi, ℥j.
Pomorum citri No. I.
Coquantur in duabus aquæ puræ menſuris.

3.

♃. Tamarindorum ℥j.
Coque in aquæ communis ℔ij.
Et adde colaturæ
Nitri antimoniati ʒß.

Decocto claſſis II. No. 1. loco ſyruporum addi quoque poteſt ſacchari quantitas debita, ſi placet. Egregia æſtum temperandi virtute gaudet, eamque ob cauſam hoc fine ſummo cum fructu in omnibus febribus & iis præſertim, quæ inflammationem ſecum ferunt, uſurpatur, cum, quantum & quam periculoſum ab ingenti caloris, corpus affligentis, gradu produci poſſit damnum, ſatis ſuperque conſtet. Subſtitui ipſi poteſt decoctum No. 2. tunc inprimis, ſi indicatio requirit, ut acre quid ſit demulcendum; hac etenim virtute præ cæteris præditam eſt cornu cervi. Ad decoctum No. 3. quod attinet, ſingulari quoque gaudet vi calorem temperandi & æſtum febrilem reprimendi, ejuſque uſus illo præſertim febris tempore convenit, quo blanda ſimul opus eſt alvi ſolutione, & ſi eo redit ſcopus Medici, addi poteſt manna electa, ſyrupus roſarum ſolutivus, cum ſpiritus nitri dulcis guttis aliquot.

III. Decocta demulcentia.

1.

♃. Hordei mundati mij.
Radicis ſcorzoneræ,
Raſuræ cornu cervi ana ℥j.
Conciſa, coquantur in tribus aquæ communis menſuris per horæ dimidium, & colaturæ addatur ſyrupus acetoſitatis citri ad unciam unam & dimidiam, vel ſuccus citri cum ſaccharo debita in proportione admiſceatur.

2.

♃. Radicis ſcorzoneræ,
Raſuræ cornu cervi ana ℥iß.
Conciſa coque in aquæ communis ℔iij.
Sub finem coctionis adde
Paſſularum minorum, mj.
Seminis fœniculi, ʒiij.
Florum papaveris rhœados p. III.
Bulliant ſemel, deinde liquor coletur.

Hoc decoctum No. 1. in febribus bilioſis, cholericis, catarrhalibus, aliiſque multis, quæ humorum acrimoniam pro cauſa agnoſcunt, utile eſt, & hoc No. 2. polychreſtum & omnibus fere morbis congruum, ab illuſtri b. m. HOFFMANNO prædicatur. Huic decocto poſſunt, pro circumſtantiarum ratione, adjici radix glycyrrhizæ, aniſum ſtellatum & ſimilia, ſi tuſſis urget; cortices mali citrei vel aurantii, ſi roborandum eſt, aliaque plura, quæ poſtulat indicatio. Omnes vero, qui ab his decoctis expectari & deſiderati poſſunt effectus, producuntur vi virtutis, quæ ipſis ineſt, demulcentis, unde patet, quibuſnam in morbis conveniant, & quid efficere poſſint. Ad eorum indolem accedunt decocta, quorum deſcriptiones in Diſpenſatorio Regio & Electorali Boruſſo Brandenburgico exſtant, uſuſque admodum frequens eſt, ſequentia:

1.

♃. Raſuræ cornu cervi ℥j.
coquatur in ſufficienti quantitate aquæ ſimplicis, & colaturæ libræ duæ ſerventur uſui.

2.

♃. Raſuræ cornu cervi ℥ß.
Radicis ſcorzoneræ ℥j.
coque ſecundum artem, ſub diplomate, in ſufficienti quantitate aquæ ſimplicis, & colaturæ libras tres ſerva uſui.

3.

℞. Hordei optime loti & mundi ℥ij.
Aquæ communis ℔XII.
coquantur ad tertiæ partis conſumtionem & colatura ſervetur uſui.

4.

℞. Hordei optime loti & mundati ℥iß.
Raſuræ cornu cervi ʒj.
Aquæ ſimplicis ℔VIII.
coquatur lege artis ad conſumtionem tertiæ circiter partis, & colatura ſervetur uſui.

IV. Decocta ſanguinem purificantia.

1.

℞. Radicis chinæ,
Saſſaparillæ,
Scorzoneræ,
Cichorei,
Liquiritiæ ana ℥j.
Corticis ligni ſaſſafras,
Seminis fœniculi ana ℥ß.
Salis Tartari ʒij.
Conciſa & contuſa groſſo modo coquantur vaſe clauſo in aquæ menſuris octo, ad partis tertiæ conſumtionem, & colatura ſervetur uſui. Sub fine coctionis decocto huic paſſularum minorum uncia una vel duæ addi & decoqui poſſunt.

2.

℞. Radicis chinæ,
ſaſſaparillæ ana ℥j.
Raſuræ ligni guajaci,
Corticis ejuſdem ana ℥iß.
Salis tartari ʒiij.

Conciſa

Conciſa & contuſa groſſo modo, miſta f. Species. S. Species, *davon drey Loth in vier Maaſs Waſſer ſo lange zu kochen, bis der dritte theil eingekocht iſt.*

3.

℞. Radicis Altheæ,
Scorzoneræ,
Bardanæ, ana ℥iß.
Liquiritiæ ℥ß.
Herbæ ſaponariæ mij.
Raſuræ ligni juniperini ℥j.
Seminis fœniculi ʒiij.

Conciſa, contuſa groſſo modo, miſta f. Species, decoquendæ in aquæ ſimplicis libris duodecim, ad tertiæ partis conſumtionem.

4.

℞. Radicis chinæ,
Saſſaparillæ, ana ℥iß.
Scrophulariæ ℥j.
Liquiritiæ ℥ß.
Raſuræ ligni ſancti ℥ij.
Antimonii in petia ligati ℥j.

Conciſa, contuſa groſſo modo, miſta fiant Species, decoquendæ in menſuris aquæ ſimplicis octo tamdiu, donec pars tertia conſumta fuerit.

Decoctum claſſis IV. No. 1. egregium exſerit effectum in morbis a ſeri impuritate provenientibus, ut in lue venerea, ſcabie idque genus aliis, inprimis, ſi homines ſicciori & ſtrictiori corporis habitu præditos invadunt. His enim acriora & calidiora, ut lignum ejuſque cortex, radix pimpinellæ, contrayervæ, vincetoxici, ſerpentariæ Virginianæ, herba ſcordii, fumariæ & ſimilia, non bene conducunt, ſed iis pruritum aliaque moleſta ſymptomata cauſantur. Hinc conſultius eſſe exiſtimo, ut ex ſpeciebus, quæ paulo ante commemoravi, calidioribus, ſpiritus vini ope, eſſentia præparetur, & pro circumſtantiarum ratione cum decocto temperato No. 1. tempore matutino, injuncto ſimul regimine ſudorifero, adhibeatur. Decoctum No. 2. calidiori & penetrantiori eo, quod No. 1. deſcriptum fuit, virtute gaudet, ideoque magis convenit hominibus habitus corporis laxioris & humorum copia refertis, ſi a morbis, impuritatem ſeri pro cauſa agnoſcentibus, corripiuntur. Decoctum No. 4. egregiam in lue venerea debellanda exſerit utilitatem & ad Batavorum Medicorum mentem eſt compoſitum, utpote qui antimonium crudum, ſpeciebus ſanguinem purificantibus additum, earum vim maximopere augere, & in obſtructionibus tollendis, lymphaque colliqueſcenda & per ſudorem eliminanda, egregium & præſtantiſſimum eſſe remedium, ſibi perſuadent.

V. Serum lactis acidulum.

Hoc ita præparatur: Lacti recenti calefacto inſtillatur ſuccus vel citri, vel limoniorum, vel acetum vini purum, vel ſolutio pulpæ tamarindorum cum vino Rhenano facta, vel ſolutio cremoris tartari tanta in quantitate, ut omne lac promtum ſubeat coagulum, & pars butyraceo-caſeoſa craſſior a ſero ſegregetur. Peracta hac ſeparatione ſerum per linteum trajicitur iterata vice, ut penitus a ſubſtantia caſeoſa craſſiori liberatum, purius evadat, ac nil niſi principium unguinoſo-ſalinum tenerius & partes præcipitantes acidulas retineat. Hoc ſerum gaudet ſapore ſubdulci & acidulo, acor tamen minui, immo maxima ex parte auferri poteſt, ſi eidem pulvis lapidum cancrorum, qui acidum abſorbet, ſufficienti inſpergatur quantitate. Poteſt vero lac, ad ſerum ex eo præparandum, adhiberi vel vaccinum, vel caprillum, vel aſininum, prout hoc vel illud ſcopo magis convenit.

VI. Serum lactis dulce.

Recipe lactis vaccini, aut caprilli recentis, libras quatuor, infunde ollæ vitreatæ capaci, vel vaſi ſtanneo, quod vulgo dicitur *caſſerol*, &, ſubjectis carbonibus candentibus, blanda ac paullatina exhalatione ad ſiccitatem redige, ut nihil niſi maſſa quædam pulverulenta, flaveſcens, grumoſa remaneat. Hanc maſſam iterum in aquæ puræ fontanæ, vel pluvialis, libris quatuor lenioris coctionis beneficio, diſſolve, liquorem colatu trajectum, relicto in linteo magmate ſpiſſiori caſeoſo, ad uſum ſerva. Notandum præterea eſt, ollam ſub hujus ſeri lactis præparatione vix ad partem dimidiam eſſe replendam lacte; valde enim, præſertim jam ſpiſſiuſculum redditum, ſpumeſcere ac ideo facile, admoto inprimis igne paulo fortiori, ollæ marginem transſcendere ſolet. Inter evaporandum quoque conſtanter ſpatula vel alio inſtrumento eſt agitandum, ne empyreuma, quod alias facile ſupervenire ſolet, contrahat, & parietibus ac fundo adhæreſcat. Quod ad ejuſdem principia attinet, in eo phlegma copioſum cum modica quantitate ſubſtantiæ terreæ unguinoſæ ſalinæ ſolubilis, ſive ut paucis dicam, ſaccharinæ tenerioris, eſt conjunctum. De virtute ejus nihil dicam, cum ea ſatis prolixe & ſolide demonſtrata fuerit in *illuſtris b. m.* HOFFMANNI *diſſertatione de ſaluberrima ſeri lactis virtute, in ejuſdem opuſculis medico-practicis* denuo recuſa.

VII. Decoctum adverſus icterum.

℞. Radicum V. aperientium minorum,
Curcumæ,
Rubiæ tinctorum,
Rhabarbari, ana ℥j.
Herbæ capillorum veneris,
Hepaticæ nobilis,
Marrubii albi,
Summitatum centaurii minoris,
ana mj.
Seminis fœniculi,
Aniſi ſtellati, ana ʒij.
Paſſularum minorum ℥iij.
Tartari tartariſati ℥ß.

Conciſa, contuſa, miſta fiant Species. S. Species, quarum uncia una in tribus aquæ menſuris per horæ dimidium eſt coquenda.

Huic decocto, peracta coctione, ſuperaddi poteſt ſyrupus de cichoreo cum rhabarbaro. Egregiam exſerit efficaciam in ictero, ſi a ductuum biliariorum obſtructione, quam materia tenax & ſpiſſa produxit, oritur.

VIII. De-

VIII. Decoctum ad menſium & lochiorum fluxum promovendum.

♃. Radicis ariſtolochiæ rotundæ ℥ß.
Baccarum lauri,
Juniperi, ana ʒij.
Conciſa coque per ½ horæ in aquæ communis menſuris tribus & ſub fine coctionis adde
Herbæ meliſſæ,
Pulegii,
Artemiſiæ,
Florum cheiri, ana mj.
Seminis cumini,
carvi, ana ʒiij.
bulliant ſemel & macerentur, deinde liquor coletur.

Ad edulcorationem huic decocto addi poteſt mel in debita quantitate, ejusque vis intenditur conjuncto boracis Venetæ uſu. Præterea cum cereviſia hoc decoctum præparari poteſt, cui ſcopo cereviſia fuſca amara magis, quam alba inſervit, utpote quæ cocta facilius aceſcit. Neque eo in omni menſium obſtructione, a quacunque proficiſcatur cauſa, & quovis promiſcue tempore, uti licet, ſed tunc potius, ſi menſes ob partium uteri ſolidarum debilitatem, ſanguinis viſciditatem & exinde pendentem ſtagnationem, non fluunt, & præſertim ante aliquot temporis, quo menſes prorumpere ſolent, dies id adhibere conſultum eſt.

IX. Decoctum adverſus ſcabiem ſiccam.

♃. Radicis ſcorzoneræ,
Altheæ,
Chinæ, ana ℥ij.
Saſſaparillæ,
Raſuræ Cornu Cervi, ana ℥j.
Radicis glycyrrhizæ,
Seminis fœniculi, ana ℥ß.
Florum papaveris rhœados p. IV.

Conciſa, contuſa, miſta f. Species, quarum uncia una in duabus aquæ menſuris eſt coquenda.

X. Decoctum purificans & leniter adſtringens.

1.

♃. Radicis chinæ ℥j.
Raſuræ ligni ſantali rubri ℥ß.
Corticis ligni ſaſſafras ʒij.

Conciſa, contuſa, miſta fiant Species, in quatuor aquæ menſuris per dimidium horæ coquendæ, quibus ſub fine coctionis addenda eſt cinnamomi uncia dimidia.

2.

♃. Radicis chinæ ℥iv.
Cichorei,
Glycyrrhiſæ,
Raſuræ ligni ſantali rubri,
lentiſci,
Viſci querni, ana ℥j.
Corticis chinæ,
Ligni ſaſſafras,
Maſtiches,
Salis tartari, ana ℥ß.

Conciſa, contuſa, miſta fiant Species, quarum uncia una in duabus aquæ menſuris per horam eſt coquenda, addito ſub fine coctionis cinnamomo.

Hæc decocta virtute gaudent demulcente & partes ſolidas debiles roborante, ex quo facile eſt collectu, quibusnam morbis & quando conducant. Conveniunt nimirum, præmiſſis præmittendis & conjunctis conjungendis, in fluore albo, gonorrhœa, menſium, hæmorrhoidum fluxu, urinæ excretione, aliisque excretionibus, ſi limites conſuetos nimis excedant, ut magnum exinde ſit metuendum periculum, atque eodem fine uſurpata fuerunt & commendata a *celeberrimo* b. m. HOFFMANNO. Præter commemorata, eorum quoque compoſitionem ingredi poſſunt cortex tamariſci, fraxini, capparis fructus, cortex & radix.

XI. Jus cancrorum fluviatilium.

♃. Cancrorum fluviatilium vivorum ℔. III.

coque ſpatio horæ cum aquæ libris duodecim, tum exemtos contunde una cum teſtis, atque coque in priore jure proprio adhuc per horas quatuor, addendo ſemper tantum aquæ, ut a coctione libræ octo circitur ſuperſint, tum jus fortiter exprime, atque ei infunde conciſæ
Herbæ beccabungæ,
Chærefolii,
Endiviæ,
Petroſelini, ana ℥j.
Radicis tragoponi ℥iv.
Siſari ℥ij.
dein ebulliant ſimul ſpatio ⅙ horæ. Sumatur ad ℥iiß. omni bihoro.

XII. Juſculum carnis pro debilibus, emaciatis & conſumtis.

♃. Caponem recens mactatum, deplumatum & eviſceratum No. 1.
Carnis vitulinæ ℔. I.

conciſa in partes exiguas probe contundantur, & in mortario oſſa comminuantur: adde cancros fluviatiles No. VIII. qui vivi contundantur,
Radicis ſcorzoneræ ℥ij.
Cichorei,
Siſari,
Petroſelini, ana ℥j.
concidantur,
Macis ʒiij.
Corticis citri recentis ℥j.
Salis parum.
ſuperfunde
Vini Rhen. ℥iij.
Aquæ fontanæ q. ſ.

indantur lagenæ ſtanno intus obductæ, ita, ut non multum ultra dimidium repleatur, lagena probe clauſa balneo Mariæ impoſita, coquantur per quatuor uſque ad ſex horas, deinde effundantur, colentur cum expreſſione, & pinguedo ſupernatans dematur.

Ejuſmodi juſcula optime parantur ex carne a pinguedine accurate repurgata animalis ſani, junioris, exercitati, contuſa, minutim ſciſſa, in machina Papiniana elixa, frigefacta dein in hac ipſa

ipſa machina, iterum ab omni ſupernatante pingui & fecibus depurata. Si olla hæc deficit, ahenum quidem ſubſtitui poteſt, ſed ſubtilius exhalando perit. Juſculum ex gallinaceo genere paratum præfertur reliquis, vitulinum dein, poſtea ovillum, & bubulum denique probatur.

XIII. Gelatina.

℞. Raſuræ cornu cervi ℔jv.

coque lento igne in vaſe vitreato cum aquæ quantitate ſufficiente, ad remanentiam librarum duarum. Colatura exprimatur, cum albumine ovi clarificetur, adde

Sacchari albiſſimi ℔v.
Vini Rhenani ℥iv.
Succi citri ℥j.

redigantur in conſiſtentiam gelatinæ.

SECTIO XII.

De Formula emulſionis.

§. DXLVI.

Quid ſit emulſio.

SI ſemina oleo gravida contuſa & cum aqua trita exprimuntur, oritur liquidum ratione conſiſtentiæ & coloris ad lac accedens. Eſt igitur *emulſio* medicamentum liquidum, quod ex ſeminibus oleo gravidis, cum aqua tritis & emulctis paratum, conſiſtentiam & colorem habet lacti ſimilem.

§. DXLVII.

Scholion.

Si vox emulſio in ſenſu ſtrictiori eoque proprio adhibetur, definitio ejus hoc §. DXLVI. nec alio modo eſt condenda. Medici vocabulum *emulſio* in uno eodemque non conſtanter adhibent ſignificatu, & hoc in cauſa eſt, ut de ejuſdem definitione non conveniant omnes, & quidam alicui medicamento nomen emulſionis imponant, quod alii ipſi jure competere negant. Sed notandum eſt, vocem emulſio vel in proprio, vel in improprio accipi ſignificatu, & a Medicis ſæpius aliquod medicamentum appellari emulſionem, cum tamen ipſi hoc nomen non proprie conveniat. Sic v. g. multi Medici hoc medicamentum:

℞. Gummi ammoniaci ʒj.
Vitelli ovorum ʒij.
Miſce & adde ſaponis Veneti ʒj.
Syrupi artemiſiæ ℥iß.
Aquæ fœniculi ℥iij.

aliaque, quæ ſimili modo ex gummeis, gummi-reſinoſis, terebinthina, balſamis, ſpermate ceti, &c. præparantur, appellant nomine emulſionis, quod tamen ipſis non proprie, ſed improprie tantum competit. Conſentientem hac in re habeo *celeberrimum* JUNCKERUM & beatum SCHULZIUM. Hic etenim in *libello memoriali de formulis præſcribendis* Sect. III. §. VII. ita ſcribit: *Emulſiones impropriæ ab aliquibus coloſtra vocantur, quæ ex gummeis, aut gummi-reſinoſis parantur, e. g. ſi gummi ammoniacum cum aqua & vino teratur, donec in liquamen potabile redigatur; eodem nomine aliqui cenſent appellandam terebinthinæ balſamorumque ut & ſpermatis ceti ſolutionem, interventu vitelli ovorum paratam. Ille vero in* De Formulis Medicamentor. *conſpectu formularum medicarum Tab. XII. VI. No. 6.* inquit: *Analoga ſaltem emulſio eſt, quæ pro ſcopo purgante ex reſina jalappæ, ſcammonei, item, quæ ad aperiendum & expellendum ex gummi ammoniaco, terebinthina, myrrha, &c. paratur.* Nec pluribus opus eſſe exiſtimo ad defendendam definitionem datam §. DXLVI. cum eandem habeant plurimi Medici.

§. DXLVIII.

Quænam ingredientia ſint emulſionis.

Cum emulſio ſit medicamentum liquidum, quod, ex ſeminibus oleo refertis & aqua paratum, lactis colorem & conſiſtentiam refert §. DXLVI. aquam & ſemina oleo plena, quæ contuſa & cum aqua trita colorem & conſiſtentiam lacti ſimilem exhibent, emulſionis ingredientia eſſe neceſſaria patet. Talia ſunt

Semen aquilegiæ
apii
cardui benedicti
mariæ
carthami
citri
raparum
papaveris albi
pœoniæ

ſemina quatuor frigida majora, { cucumeris, cucurbitæ, citrulli, melonum

ſemina quatuor frigida minora { endiviæ, ſcariolæ, lactucæ, portulacæ

nuclei, quorum præcipui ſunt
nuclei amygdalarum dulcium
amararum
pineæ
piſtaceæ
nuces avellanæ
juglandes
malorum Armeniacorum.

§. DXLIX.

Ingredientia emulſionis colorem & conſiſtentiam lacti ſimilem non tollere debent.

Emulſio eſt medicamentum liquidum, colore & conſiſtentia lacti ſimile §. DXLVI. Qua de re, ſi qua ejus materiam ingrediantur, ita debent eſſe comparata, ut has non pervertant qualitates, vel plane tollant. Et ſic patet, ea, quæ hoc efficiunt, ingredientium vice in emulſione fungi non poſſe.

§. DL.

Sapore & odore moleſta in emulſionibus ſunt, quantum fieri poteſt, vitanda.

Sicut Medico in omnium medicamentorum præſcriptione eo eſt ſtudendum, ut iis tanta, quanta per circumſtantias licet, jucunditas concilietur, ipſi quoque, quantum ſine effectus, qui intenditur, jactura, & per alias fieri poteſt circumſtantias, in emulſionibus vitanda ſunt, quæ ſapore & odore moleſta ſunt, præſertim cum id earundem indoles, uſus & præparatio, jam doceant & expoſcant.

§. DLI.

Quænam ſemina emulſiones vix vel plane non ingrediantur.

Semina, quæ cum aqua trita huic colorem & conſiſtentiam lacti ſimilem largiuntur, apta ſunt, ut ingredientium vice in emulſionibus fungi poſſint §. DXLVIII. Qua de re e contrario infertur, iſta ſemina, quæ his qualitatibus prædita non ſunt, emulſiones ingredi non poſſe.

§. DLII.

Semina, quæ medullam non albam, ſed alieni coloris habent, emulſiones ingredi non debent.

Semina, quorum medulla non albidi, ſed alieni eſt coloris, uti ſemina aniſi, fœniculi, carvi, &c. cum aqua trita, ipſi colorem & conſiſtentiam lacti valde ſimilem non conciliant. Jam ſemina emulſiones ingredi non debent, quæ contuſa & aqua mixta lactis colorem & conſiſtentiam non referunt §. DLI. Quapropter ſemina, quæ medulla albicante carent, ingredientium vice in emulſionibus fungi non debent.

§. DLIII.

Semina mucilaginoſa emulſionibus minus quadrant.

Eodem, quo paulo ante uſus fui §. DLII. modo demonſtrari poteſt, ſemina, quæ mucilaginem fundunt, & liquorem mucilaginoſum quidem, non vero albidum reddunt, itidem emulſionibus minus quadrare, cujus generis ſunt ſemina cydoniorum, lini, pſyllii, hyoſcyami & ſimilia.

§. DLIV.

Semina rancida & valde amara ſola in emulſiones non ſunt recipienda.

Cum emulſionibus tanta, quanta fieri poteſt, concilianda ſit jucunditas §. DL. ſemina rancida, utpote quæ gratiam, quam emulſiones expoſcunt, pervertunt, in emulſiones non ſunt recipienda. Accedit ad hoc, quod rancor ſeminibus indolem conciliet noxiam, eamque ob rationem in emulſionibus ſint vitanda. Valde quoque amara magna in quantitate in emulſionibus internis ſcilicet, non ſunt adhibenda; ex ratione modo adducta, quamvis leniori amaritie prædita & gratiam emulſionis non pervertentia, uti ſunt ſemina citri, aurantiorum, nuclei ceraſorum, amygdalæ amaræ, neque minus valde amara, non ſola, ſed cum aliis combinata & in reſtricta quantitate adhibita, ita, ut emulſionis gratia non pereat, ſed potius augeatur, emulſiones ingredi poſſint.

§. DLV.

Semina quatuor frigida majora emulſiones ingredi poſſunt.

Sunt, qui ſemina quatuor frigida majora, neſcio qua ex ratione, forſan, quod plerumque rancida ſint, in emulſionibus ferre non poſſunt, atque ea eatenus, quatenus rancore correpta ſunt, uſui minus apta eſſe lubens meritoque concedo §. DLIV. Sed, hic ſi abeſt & evitatur, nihil video, quod in his ſeminibus poſſet accuſari, præſertim, cum eorum uſus a viris eruditionis exquiſitiſſimæ, *b. D. D.* Hoffmanno & *Camerario*, jam vindicatus fuerit.

§. DLVI.

Cortices citri, aurantiorum & myrrha non commode ingrediuntur emulſiones proprie ſic dictas.

Qui præter ea, de quibus hactenus dictum fuit, emulgendis alia intermiſceant, uti cortices citri, aurantiorum, myrrham, &c. nec colori, nec ſapori emulſionum proprie ſic dictarum conſulunt. Priorum elæoſacchara, myrrhæ tinctura acceſſorii loco addita, idem commodius præſtare videntur.

§. DLVII.

Quomodo aqua emulſionis comparata eſſe debeat.

Ingredientia emulſionis proprie ſic dictæ ita debent eſſe comparata, ut colorem & conſiſtentiam lacti ſimilem nec pervertant, nec tollant, nec injucunditatem, ſi fieri poteſt, ſecum ferant §. DXLIX. DL. Qua de re aqua, utpote quæ eſt ingrediens emulſionis §. DXLVIII. iiſdem qualitatibus prædita, adeoque nec nimis ſpiſſa, nec alia dote injucunda, & acrimoniæ expers eſſe debet, eoque aptior eſt, quo ſimplicior. Optima eſt aqua ſimplex, cocta, decoctum aquoſum tenue, inſipidum, inodorum, gratum, ut decoctum hordei avenæ, cornu cervi, radicis ſcorzoneræ, liquiritiæ, cicerum, &c. & infuſum ſimile.

§. DLVIII.

Quæ de aquis deſtillatis in emulſionibus ſint animadvertenda.

Sed non aqua ſolum ſimplex, ſed deſtillata etiam paululum inertior ad emulſiones recipitur, eaque, ſi adhibetur, ex arte debet eſſe deſtillata atque empyreumatis expers §. DLVII. Aromaticas, ſpirituoſas, vinoſas, ſapor odorque nimis eminens, vel ſcopus ſæpe excludit, vel ſaltem acceſſorii loco parciori quantitate addi jubet. Acetoſas eædem rationes, tum acor emulſis infeſtus, ab uſu in emulſionibus prohibet, niſi indicatio emulſum vere acidum, vel citiſſime aceſcens, poſtulet.

DLIX.

De modo præparandi emulſionem.

Emulſio proprie ſic dicta præparari ſolet contuſionis & expreſſionis ope. Semina ſcilicet, poſtquam a cortice liberata ſunt, in mortario contunduntur, poſtea aqua ſucceſſive adfunditur, quæ ſeminum partes oleoſas imbibit. Quando igitur ſemina hac ratione ſufficienter ſunt contrita, eorumque partes oleoſæ laudabiles ſub frequenti agitatione a liquore adfuſo abſorptæ ſunt, liquor per linteum filtratur & ſemina fortiter exprimuntur.

§. DLX.

De quantitate, qua ingredientia emulſionis proprie ſic dictæ accipienda ſunt.

Ingredientium emulſionis proprie ſic dictæ quantitas pro diverſa emulſionis ipſius & ingredientium indole variat. Emulſiones enim prout vel refrigerandi, vel humectandi, vel nutriendi, vel reficiendi fine adhibentur, plus vel minus dilutæ parantur, & pro hujus conſiſtentiæ varietate ingredientia diverſa in quantitate recipiuntur. Sic ſpiſſiores fiunt, ſi aquæ ad materiam emulgendam proportio tripla, quadrupla vel quintupla eſt, dilutiſſimæ, ſi duodecupla ad vigecuplam uſque, mediæ, ſi octupla. Sed ratio ſimul eſt habenda magnitudinis ſeminum; quo enim hæc ſunt minora, eo parciore medulla & plure cortice gaudent. Cum jam medulla ſit id, quod cum aqua conjungitur, ſeminum minorum quantitas eadem eandem aquæ copiam minus ſaturabit, quam tantundem nucleorum. Immo liquoris quantitas nonnunquam plane non definitur, ſed pharmacopoei judicio relinquitur, adpoſitis ſignis q. ſ.

§. DLXI.

Si quæ emulſioni jam paratæ addenda ſunt, juſtas emulſionis dotes pervertere non debent.

Emulſioni proprie ſic dictæ paratæ vel adduntur aliqua, quæ ejuſdem virtutem vel gratiam augent, vel non. Si qua vero addenda ſunt, ea ita comparata eſſe debent, ut juſtas emulſionis dotes non pervertant, &, quæ hac prædita ſunt qualitate, emulſioni jam paratæ addi poſſunt, alia vero non item.

§. DLXII.

Recenſentur, quæ emulſioni jam paratæ addi poſſunt.

Aquæ deſtillatæ aromaticæ jucundiores, ſyrupi grati, coloris expertes, julepi, ſaccharum, elæoſacchara, ſalia neutra, pulveres, qui in emulſo non ſunt ſolubiles, albi, ſi tenerrimi, minus ponderoſi, nec in grumos abire proni ſunt, juſtas emulſionis dotes non pervertunt, adeoque emulſioni jam paratæ addi poſſunt. Nam ad eam ſuper accedere poſſunt, quæ earum dotes juſtas non pervertunt §. DLXI.

§. DLXIII.

Quænam non eſſe poſſint acceſſoria emulſionis.

Conſervæ, electuaria, extracta & ſimilia, conſiſtentiam, colorem & ſaporem, quæ in emulſionibus requiruntur, turbant & pervertunt, hinc emulſionibus ſuperaddi non poſſunt §. DLXI.

§. DLXIV.

Quænam porro ad emulſionem accedere nequeant.

Alcalina raro vel plane non acceſſoriorum vice in emulſionibus funguntur; horum etenim uſum urinoſi ſaporis injucunditas prohibet, quæ ab emulſionibus abeſſe debet §. DLXI. Tincturas, ſpiritus, eſſentias, elexiria & ſimilia raro admittit ſcopus emulſionis proprie ſic dictæ; aliquando tamen legitima in quantitate, ut debitæ emulſionis proprietates non pervertantur, ad eam accedere poſſunt. Interea ſaporis odoriſve in emulſione proprie ſic dicta gratiam ne nimis ſedulo adfectes.

§. DLXV.

De emulſionibus improprie ſic dictis.

Pervenio nunc ad emulſiones, quæ improprie ſic vocantur. Hæ cum prioribus, emulſionibus ſcilicet proprie ſic dictis, in eo conveniunt, quod ſint medicamenta liquida, ex aqua conſtent, conſiſtentiam & colorem lacti quomodocunque & plus minus ſimilem habeant, ſed differunt ab iis, primo, quod non, uti hæ, ex ſeminibus oleo gravidis, parentur, deinde tantam, quantam emulſiones proprie ſic dictæ, cum lacte, ratione conſiſtentiæ & coloris, non habeant ſimilitudinem, & denique tantam, quantam priores, nec exigant, nec admittant jucunditatem.

§. DLXVI.

Quænam materiam emulſionibus improprie ſic dictis præbeant emulgendam.

Materiam emulſionibus improprie ſic vocatis emulgendam præbent oleoſa maceraciora, difficilius in aqua ſolubilia, ut olea & balſama liquida, ſpiſſa, ſolida, e. g. balſamum Peruvianum, Tolutanum, de Copaiba, terebinthina, reſinæ, gummi-reſinæ, ut reſina jalappæ, ſcammonei, gummi juniperinum, maſtiche, myrrha, opopanax, ammoniacum, radices valde reſinoſæ, & ſimilia. Hæc ut facilius ingerantur & meabiliora reddantur, commode ſub hac forma exhibentur. Sed hic tamen abſtinendum eſt a fœtidiſſimis, quibus forma pilularis eſt aptior.

§. DLXVII.

De aquis emulſionis impropriæ.

Aquæ, quæ emulſionibus improprie ſic dictis conficiendis inſerviunt, eædem ſunt, quæ adhibentur ad emulſiones proprie ſic vocatas præparandas; aquis tamen aromaticis vinoſis & ſpirituoſis potior hic eſt locus, quoniam materiam emulgendam §. DLXVI. indicatam ſolvunt facilius.

§. DLXVIII.

Materia emulgenda difficilius in aqua ſolubilis acceſſoriorũ ope ad ſolutionem in aqua apta eſt reddenda.

Parantur hæ emulſiones ex materia, cujus mentionem feci §. DLXVI. cum aqua trita & commixta §. DLXVII. Cum vero emulgendorum pleraque, ut ſunt reſinoſa, exactiorem cum aqua commixtionem reſpuant, nec ab ea ſolvi ſe patiantur, addenda quædam ſunt, quæ materiam emulgendam, difficilius vel plane non ſolam in aqua ſolubilem, vel cum ea commiſcibilem, ita præparant ac diſponunt, ut facilius & exactius cum aqua conjungi & commiſceri poſſit.

§. DLXIX.

Quænam reſinoſorum cum aqua commixtionem promoveant.

Vitellus ovi virtute gaudet ſaponacea reliquis ſuperiori, adeoque optime ad reſinoſa tenacia cum aqueis combinanda adhiberi poteſt. Sapo vulgaris idem præſtat, atque itidem hoc fine uſurpari poteſt, modo illius uſum indicatio ægrique guſtus permittat. His annumeranda ſunt mel, ſaccharum, ſyrupi; ſed prioribus minus ſunt efficacia, & mel colorem inſuper magis obſuſcat. Semina quoque oleoſa, amygdalæ, interdum acceſſorii, reſinoſorum cum aqua conjunctionem & commixtionem promoventis, & ſaponis vicem præſtant, ſed hoc modo exſurgit emulſio proprie ſic dicta §. DXLVI.

§. DLXX.

De acceſſoriis emulſionis.

Quæ emulſioni improprie ſic dictæ jam paratæ adduntur, vel ad ejus virtutem, vel gratiam augendam, iisdem dotibus prædita eſſe debent, quæ commemoratæ ſunt §. DLXI. atque eædem de iis valent regulæ, de quibus jam dictum fuit §. CCCCXCII. Spirituoſa hoc fine crebrius adduntur, quoniam his hic potior eſt locus §. DLXVII. neque ſapori, odori & colori tantopere hic ſtudetur §. DLXV.

§. DLXXI.

De quantitate aquæ & acceſſorii, quod materiæ emulgendæ cum aqua commixtionem promovet, in emulſionibus.

Aquæ quantitas in emulſionibus, quæ nomen hoc improprie gerunt, eodem modo, ut in emulſionibus proprie ſic dictis, determinatur, & itidem interdum pharmacopœi judicio definienda committitur, maxime ſi emulſum unicam tantum continet doſin §. DLX. Acceſſorii, quod materiæ emulgendæ cum aqua commixtionem promovet, quantitas ratione ejuſdem ſumitur dupla, tripla, quadrupla, prout id vel potentius eſt, vel debilius, & materia vel magis vel minus connubium cum aqua reſpuit. Sæpiſſime ejuſdem quantitas non determinatur, ſed quantum ſatis præſcribitur.

§. DLXXII.

De quantitate acceſſoriorum emulſionis, quæ gratiam ejus vel virtutem augent.

Eorum, quæ his emulſionibus gratiæ vel virtutis conciliandæ cauſa adduntur, quantitas in caſu ſingulari determinari nequit, ſed, ſi quid de hac generatim eſt affirmandum, tanta in quantitate ſunt accipienda, in quanta ſcopo, qui intenditur, ſatisfaciunt. Pulverulentorum, ſi qua adjicienda ſunt, ſcrupulus unus, & dulcium drachma dimidia ſufficit pro uncia una hujus emulſionis, ſimul vero animo perluſtrandum eſt & perpendendum, num in ea ſaccharum, vel mel, ſaponis loco jam fuerit adhibitum, tum, quouſque materiæ injucunditas correctionem poſtulet, & num infanti, an adulto præſcribatur emulſio. Salium nimia quantitas vitetur, ne hæc ejuſdem gratiam vel tollat, vel pervertat, hinc ad ejuſdem uncias quatuor vix ultra ſcrupulum unum eſt extendenda. Reliqua ea, quam ſcopus exigit, quantitate ſunt addenda.

§. DLXXIII.

De ordine, quo emulſionis ingredientia ſunt ſcribenda.

Ordo, qui in emulſionis tum propriæ, tum impropriæ ingredientibus ſchedulæ inſcribendis obſervatur, in eo conſiſtit, ut emulgenda primo ponantur loco, his ſubjungatur in emulſione improprie ſic dicta id, quod materiæ emulgendæ cum aqua commixtionem promovet, & huic, quod ejuſdem gratiam vel virtutem auget. Varias vero ſingulorum ſpecies pro ſuo quiſque arbitrio collocare poteſt.

§. DLXXIV.

De doſi emulſionis. Emulſionis utriuſque doſis determinatur vel pondere, vel volumine, &c, prout ea brevibus vel longis intervallis eſt repetenda, aliæque concurrunt circumſtantiæ, modo major modo minor eſt. Emulſiones proprie ſic dictæ, utpote quæ plerumque diffuſæ ſunt, ad cyathum, unciam unam, duas, & interdum ad lubitum, pro potu familiari, exhibentur. Impropriæ vero ad cochlear unum, drachmam unam, duas, unciam unam & plures, prout magis minuſve efficaces, dilutæ, nauſeoſæ, aliæque circumſtantiæ comparatæ ſunt.

§. DLXXV.

De quantitate generali emulſionis. Ad emulſionis impropriæ quantitatem generalem quod attinet, illa nonnunquam unam tantum doſin, quæ ordinarie unciam unam vel duas continet, complectitur, & hoc tunc plerumque locum habet, ſi ſcopum intendimus emeticum vel catharticum. Neque hujuſmodi emulſiones in plurium dierum uſum præſcribere expedit, niſi exactiſſime ſint ligata, cum mora mixtorum divortium producat. Emulſiones, quæ proprie nomen ſuum gerunt, facile aceſcunt, eoque citius, quo calidior eſt tempeſtas. Medicus igitur doſis molem, uſus frequentiam & atmoſphæræ calorem inter ſe comparare debet, ne ſimul plus præſcribat, quam ante acorem ſupervenientem conſumi poteſt; niſi hanc mutationem indicatio permittat vel poſtulet, vel æger eam non abhorreat.

§. DLXXVI.

De ſubſcriptione formulæ emulſionis. Illis, quæ de ſubſcriptione formulæ in genere in ſuperioribus dixi, pauca ſpecialiora, quæ ad formulam emulſionis pertinent, addenda ſunt. Subſcriptio in formula emulſionis proprie ſic dicta hæc eſt: *F. l. a. Emulſio*; deinde, poſtquam hæc ſic expreſſa eſt, quantitatem colaturæ, ſi menſtrui quantum ſatis præſcriptum eſt, & admiſcenda eorumque quantitatem determinat. In formula emulſionis improprie ſic dictæ ſubſcriptio monet accuratam materiæ emulgendæ cum ſapone ſuo, ſi quis accedit, ſubactionem & commixtionem, & poſtea menſtrui & reliquorum additionem, partitis vicibus faciendam, præcipit.

§. DLXXVII.

De ſignatura formulæ emulſionis. Signatura formulæ emulſionis præter ea, quæ ſupra de ſignatura formulæ dixi §. CXXI. CXXIX. monet, ut, emulſio, ſi pluribus una doſibus fuerit præſcripta, in aqua frigida vel loco frigido ponatur, ne aceſcat, & ante uſum concutiantur, ſi pulverulenta non ſolubilia acceſſerint, vel emulſio improprie ſic dicta eſt adhibenda, in qua ſeceſſus mixtorum metuitur.

§. DLXXVIII.

De uſu emulſionis. Quoniam emulſiones proprie ſic dictæ ſat gratum ſunt & jucundum medicamentum, delicatioribus aliiſque, iis præſertim, qui ſtrictioris corporis ſunt habitus & cholericæ conſtitutionis, quoniam humectant, optime conveniunt. Adhibentur præterea ſine æſtum & calorem temperandi, refrigerandi, ſolidorum motus vehementer ſedandi, humectandi, incraſſandi, nutriendi, vires ſine calore reſtituendi, acrimoniam bilioſam, putridam, alcalinam demulcendi, & interdum diaphoreſin, urinam, rarius alvum movendi; e contrario, quoniam facile aceſcunt, nocent ſubjectis acido laborantibus, habitus corporis laxioris & phlegmatici, frigidis. Ad emulſiones improprie ſic dictas quod attinet, iis omnibus indicationibus, quibus eorum materies emulgenda convenit, obtinendis inſerviunt, adeoque vomitum, alvum, urinam, ſudorem movendi, ulcera abſtergendi, vermes expellendi, & roborandi ſcopo adhiberi poſſunt, pleriſque tamen, quoniam ea plerumque ſapore & odore ingrata ingrediuntur, ſunt ingratiores.

§. DLXXIX.

Specimina ſunt

I. Emulſiones purgantes.

1.

℞. Reſinæ jalappæ gr. VI.
terantur cum
Vitellorum ovi q. ſ. Adde
Aquæ florum acaciæ,
roſarum ana ℥ß.
F. l. a. Emulſio, colaturæ adde
Sacchari perlati ʒß.
M. D.

2.

℞. Reſinæ jalappæ gr. V.
Amygdalarum dulcium excorticatar. ʒij.
una tritis affunde
Aquæ florum acaciæ,
roſarum ana ℥j.
F. l. a. Emulſio, cui adde ſacchari parum.

3.

℞. Reſinæ ſcammonii gr. vj.
Vitelli ovi ʒj.
terantur ſucceſſive affundendo
Aquæ roſarum,
Cinnamomi ſine vino, ana, ʒij.
M. F. l. a. Emulſio cui adde
Sacchari Canarienſis parum.

4.

℞. Reſinæ ſcammonii gr. vj.
terantur cum paucis amygdalis dulcibus excorticatis: adde
Aquæ fragorum,
roſarum,
acaciæ ana ʒij.
Sacchari perlati ʒj.
F. l. a. Emulſio.

5.

℞. Seminis carthami ʒij.
Scammonii puri, gr. vj.
contuſis affunde paulatim
Aquæ corticis aurantiorum ℥j.
tum colatis miſce
Syrupi de ſpina cervina ʒij.
F. l. a. Emulſio.

II. Emul-

II. Emulſiones analepticæ & nutrientes.

1.

℞. Amygdalarum dulcium excorticatar. ℥j.
Seminum IV. frigidorum majorum, āā ʒj.
Decocti Cornu Cervi cum radice ſcorzoneræ ℔ I.
Aquæ ceraſorum nigrorum,
roſarum ana ℥ij.
F. l. a. Emulſio, adde
Matris perlarum ppt.
Nitri purificati ana ʒij.
Sacchari albiſſimi q. ſ.
M.

2.

℞. Amygdalarum dulcium excorticat. ℥ij.
amararum excort. No. VI.
Decocti hordei cum radice ſcorzon. ℔II.
F. l. a. Emulſio, colaturæ adde
Aquæ cinnamomi ſine vino ℥ij.
Sacchari albiſſimi ℥vj.

3.

℞. Amygdalarum dulcium excorticat. ℥ß.
Pinearum mundatarum ʒij.
F. c. ſ. q. decocti cornu cervi Emulſio, adde
Aquæ cinnamomi
bugloſſæ āā ℥j. edulcoretur
Sacchari perlati q. ſ.

Proſunt hæ emulſiones, ſi corpus debita humorum copia viribuſque deſtitutum humectandum, nutriendum, reficiendum, & æſtus ſimul eſt temperandus. Conducunt hinc inprimis ſubjectis ſiccis, cholericis, hecticis, diuturno morbo emaciatis, nimia excretionum copia debilitati ſenibus, & lipothymia laborantibus.

III. Emulſiones diaphoreticæ.

1.

℞. Seminis aquilegiæ,
cardui benedicti,
Mariæ ana ʒij.
Amygdalarum dulcium excorticat. ℥ß.
contuſis affunde
Aquæ ſcorzoneræ,
galegæ,
ſcordii ana ℥ij.
rubi idæi,
cinnam. cum flor. cordial. ana ℥j.
Julepi roſarum ʒiij.
F. l. a. Emulſio, cui adde
Sacchari perlati q. ſ.

Huic emulſioni, ſi certiorem & fortiorem effectum diaphoreticum exſerere debet, addi poteſt debita in quantitate antimonium diaphoreticum, vel pulvis diaphoreticus No. I. claſſis III. p. 41.

2.

℞. Seminis cardui benedicti ʒß.
aquilegiæ,
citri ana ʒj.
Aqua ſcordii,
cardui benedicti,
florum ſambuci q. ſ.
F. l. a. Emulſio,
Colaturæ ℥vj. adde
Pulveris bezoardici Claſſ. III. No. I. ʒiß.
Sacchari perlati q. ſ.
M.

3.

℞. Amygdalarum dulc. excorticatarum, ℥ß.
Aquæ galegæ,
florum ſambuci,
cardui benedicti ana ℥ij.
F. l. a. Emulſio, colaturæ adde
Concharum ppt.
Antimonii diaphoretici ana ʒß.
M.

Locum hæ emulſiones inveniunt in febribus exanthematicis, ut varioloſa, morbilloſa, purpurata, petechiali, ſi materia exanthematica, paululum pertinacius ſubſiſtens, blando modo foras eſt expellenda. Egregiam inprimis præſtant utilitatem in ſpaſticis partium internarum conſtrictionibus, quæ a materia exanthematica, intus ſubſiſtente & difficulter eliminanda, excitantur.

IV. Emulſio contra dolores a calculo.

℞. Seminis milii ſolis,
ſaxifragiæ,
violarum,
IV. frigidorum majorum āā ʒj.
Aquæ fragorum,
petroſelini,
fructuum alkekengi,
ceraſorum nigrorum,
florum acaciæ ana ℥iß.
F. l. a. Emulſio, adde
Lapidum cancrorum ppt. ʒj.
Nitri purificati ℈j.
Syrupi dialtheæ Fernelii vel
Syrupi balſami Peruviani Hoffmanni ℥ß.
M.

Hæc emulſio dolores a calculo provenientes mitigat, & urinæ difficulter & cum dolore exeuntis fluxum promovet, unde patet, quando ſit adhibenda. Commode ei ſemen lycopodii ad drachmam unam, immo ultra, addi poteſt, inprimis, ſi renes vel veſica eroſione laborant. Huic enim id optime medetur, & cum hac virtute ſimul vim conjunctam habet anodynam, qua hoc in caſu maximopere opus eſt.

V. Emulſiones in gonorrhœa.

1.

℞. Seminis cannabis ʒß.
IV. frigidorum majorum,
agni caſti,
papaveris albi ana ʒj.
Aquæ nympheæ,
papaveris rhœados,
florum acaciæ,
ulmariæ,
ſambuci,
roſarum ana ℥iß.
F. l. a. Emulſio, adde
Concharum ppt. ʒiij.
Nitri purificati ʒj.
Syrupi dialtheæ Fernelii ʒvj.
M.

2.

℞. Amygdalarum dulcium excorticatar. ℥ij.
Seminis melonis,
Cucurbitæ,
Agni caſti,
Papaveris albi, ana ℥j.
Aquæ nympheæ,
Lactucæ,
Florum acaciæ, ana ℥ij.
Oſſis ſepiæ ppt.
Succini albi ppt.
Nitri depurati, ana ℈j.
Julepi roſarum ℥ß.
M. F. Emulſio.

3.

℞. Seminis agni caſti ʒiß.
Lactucæ,
Portulacæ, ana ʒß.
Aquæ plantaginis,
Petroſelini, ana ℥ij.
F. l. a. Emulſio, colaturæ adde
Oſſis ſepiæ ppt. ʒß.
Corallii albi ppt. ℈j.
Balſami de Copaiba in vitello ovi ſoluti ʒß.
Sacchari perlati ʒiij.
M. D.

Egregiis hæ emulſiones adverſus gonorrhœam, virulentam præſertim, excellunt virtutibus. Materiæ, quæ per urethram profluit, acrimoniam nimiam temperant, atque ita alterant, ut partes, quas permeat, labe ſua minus inficiat & lædat. Vias, quas tranſit, minus pervias ejuſque fluxui reſiſtentes relaxat, atque ita diſponit, ut liberius & majori in copia effluere poſſit. Patet igitur ex his, emulſiones modo dictas dolori & ardori, qui virulenti liquidi ſeminalis effluxum comitantur, partiumque ſolidarum inflammationi & eroſioni optime mederi. Maxime præterea conveniunt hominibus cholericis, ſenſibilibus, & ſtrictioris corporis habitus; cum contra ſubjectis phlegmaticis calidiora magis quadrent.

VI. Emulſio anthelmintica.

℞. Gummi ammoniaci ʒj.
Vitelli ovi ʒij.
M. ſ. a. dein adde
Saponis Veneti ʒj.
Syrupi artemiſiæ ℥iß.
Aquæ fœniculi ℥iij.
F. Emulſio.

VII. Emulſio balſamica ad ulcera interna.

℞. Terebinthinæ Venetæ ʒiij.
Vitelli ovorum q. ſ.
Probe ſubactis admiſce ſenſim
Mellis albi ʒiij.
Aquæ baccarum juniperi ℥iij.
S. ut in fronte.

VIII. Emulſiones lubricantes diureticæ.

1.

℞. Seminis cardui Mariæ,
Bardanæ,
Fœniculi, ana ʒvj.
Amygdalas dulces No. XX.
Infuſi radicis liquiritiæ q. ſ.
F. l. a. Emulſio; Colaturæ libris tribus admiſce,
Salis prunellæ ʒij.
Sacchari canarienſis q. ſ. ad gratiam.
M.

2.

℞. Seminis violarum ℥ß.
Milii ſolis,
Carthami, ana ʒij.
Aquæ fragorum,
Chærefolii,
Veronicæ q. ſ.
F. l. a. Emulſio; Colaturæ ℥viij. adde
Nitri depurati ʒß.
Sacchari canarienſis q. ſ. ad gratiam
M.

IX. Emulſio in pectoris affectibus.

℞. Pinearum mundatarum recentium,
Amygdarum dulcium, ana ℥ß.
Decocti avenacei tenuiſſimi ℔ß.
Aquæ ceraſorum nigrorum,
Florum acaciæ, ana ℥j.
F. l. a. Emulſio, adde
Lapidum cancrorum ppt.
Antimonii diaphoretici, ana ʒß.
Sacchari albiſſimi q. ſ. ad gratiam.

Materiam acrem, pulmones eique annexas partes obſidentem & pectus continuo ad conſtrictionem irritantem, involvit atque temperat. Convenit igitur in tuſſi ſicca & convulſiva, quæ a materia oritur acri ſtimulante.

X. Emulſiones anodynæ & hypnoticæ.

1.

℞. Seminis papaveris albi,
Cannabis,
Amygdalarum dulcium,
Pinearum mundatarum, ana ʒij.
Aquæ florum liliorum convallium,
Tiliæ,
Primulæ veris,
Sambuci q. ſ.
F. l. a. Emulſio. Colaturæ ℥viii. adde
Pulveris præcipitantis Claſſ. VII. ℈iv.
Sacchari perlati q. ſ.
M.

2.

℞. Seminis cannabis aquæ q. ſ. decocti & emolliti ℥iß.
Amygdalar. dulcium excorticat. No. VII.
Contuſis affunde
Aquæ fontanæ q. ſ.
F. l. a. Emulſio, cui adde
Sacchari q. ſ. M.

3. ℞.

3.

℞. Seminis papaveris albi ℥ij.
Lactucæ,
Endiviæ, ana ʒj.
Amygdalarum dulcium excorticatarum No. V.
Contuſis affunde
Aquæ florum papaveris rhœados ℥iij.
Nympheæ ℥j.
F. l. a. Emulſio, cui adde
Sacchari parum. M.

4.

℞. Nucleorum perſicorum,
Amygdalarum amararum, ana ℥ß.
Camphoræ ℈j.
Aquæ florum ſambuci,
Roſarum,
Papaveris rhœados,
Hypnoticæ, ana ℥j.
F. l. a. Emulſio, colaturæ adde
Nitri ʒß.

Hæc No. 4. emulſio, lintei duplicati ope fronti & temporibus applicata, in deliriis, vigiliis nimiis, dolore capitis vehementi, qui a magno ſanguinis, quo ad caput fertur, impetu oritur, & in narium hæmorrhagia immoderata conducit. Nucleis enim perſicis & amygdalis amaris ineſt virtus anodyna.

XI. Emulſio externa coſmetica.

℞. Aquæ florum fabarum,
Liliorum alborum,
Roſarum, ana ℥ij.
Eſſentiæ ſtoracis,
Balſami Peruviani,
Tincturæ florum benzoes, ana ʒj.
Magiſterii Saturni, vel melius
Biſmuthi ʒiß.
M. f. l. a. Emulſio.

Hæc emulſio in gutta roſacea, puſtulis faciei ulceroſis, dolentibus & rubentibus, uſum habet, quoniam ardorem mitigat, ſimulque conſolidat, dummodo ejus uſus caute & prudenter inſtituatur. Si eam tutiorem deſideras, omitte ſaturni vel biſmuthi magiſterium, eamque præpara ex aquæ coſmeticæ v. g. fabarum vel ſigilli Salomonis, unciis quatuor, & eſſentiæ ſtyracis vel tincturæ benzoes drachma una. Sic habebis ſatis innocens coſmeticum, quod cuti nitorem conciliat, eamque mollem reddit & ſervat, ſed ſuper eam ſiccari debet.

XII. Emulſio oculis rubentibus & inflammatis adhibenda.

℞. Camphoræ gr. VI.
Amygdalarum excorticatarum No. III.
Terantur, affundantur
Aquæ euphraſiæ,
Roſarum,
Calcatrippæ,
Cyani, ana ʒj.
F. l. a. Emulſio.

Huic pro re nata addi poſſunt ſacchari ſaturni pauca grana.

SECTIO XIII.

De formula Julepi.

§. DLXXX.

Ulapium, Julepus recentiorum, eſt mixtura dilutiſſima, fere diaphana, ex ſapore, odore, colore jucundioribus conflata §. CCXCIII. *Quid ſit julepus recentiorum.*

§. DLXXXI.

Veterum julepi a recentiorum julepis ratione conſiſtentiæ & præparationis differunt. Illi enim ſyrupi formam exhibent, & mediante coctione præparantur, ut julepus roſarum, violarum; hi autem ſunt tenues & per ſimplicem fiunt mixtionem. *De differentia julepi recentiorum a julepo veterum.*

§. DLXXXII.

Quoniam julepi frequentiſſime loco potus ordinarii, ſcopo reficiendi & æſtum temperandi, vel loco grati vehiculi, quocum alia ingerenda ſunt medicamenta, uſurpantur, eas ob cauſas qualitatibus ſenſibilibus prædit eſſe debent jucundis, & maxime in iis deſideratur tenuitas, claritas, ſapor reficiens, ex dulci acidus aliuſve non injucundus, odor ſuavis vel nullus, color gratus, rubellus inprimis, vel nullus. *Scholion.*

§. DLXXXIII.

Cum julepus recentiorum ſit mixtura dilutiſſima, fere diaphana, ex ſapore, odore, colore jucundioribus conflata §. DLXXX. omnia iſta, quæ commixta mixturam conſtituunt maxime dilutam, fere diaphanam, ex ſapore, odore, colore gratam, julepi materiam præbere, adeoque ingredientium vice in eo fungi poſſunt §. VIII. Et ſic e contrario patet, quænam ingredientium locum in julepo ſuſtinere nequeant. *Quænam ingredientium vice in julepo fungi poſſint.*

§. DLXXXIV.

Si qua ingredientia, ex quibus julepus ad recentiorum mentem eſt præparandus, per ſe in debitam julepi formam redigi nequeunt, ipſis, quæ largiuntur legitimam julepi formam, ſunt addenda. Hæc audiunt *excipientia*, illa vero *excipienda.* *De excipientibus & excipiendis in julepo.*

§. DLXXXV.

Cum forma julepi ſit fluida §. DLXXX. & excipientia julepi ſint ea, quæ aliis in julepi formam redigendis inſerviunt §. DLXXXIV. excipientia julepi debent eſſe fluida. Et quoniam porro in julepo ſaporis, odoris & coloris gratia requiritur, fluida iſta, quæ vicem excipientium ſuſtinent, ſapore, odore, colore jucundo, vel, ſi hoc obtineri nequit, nullo potius, quam injucundo, prædita eſſe debent. *Excipientia julepi debent eſſe fluida, colore, odore, ſapore grato vel nullo prædita.*

§. DLXXXVI.

Quoniam excipientia julepi debent eſſe fluida, odore, ſapore, colore grato, vel ſi id fieri nequit, nullo potius, quam injucundo, prædita §. DLXXXV. omnia fluida, quæ his gaudent qualitatibus, excipientium vice in julepo fungi poſſunt. *Quænam fluida excipientium vice in julepo fungi poſſint.*

§. DLXXXVII.

§. DLXXXVII.

Recenſentur, quænam excipientium vice in julepo fungi poſſint.

Talia ſunt 1) aqua ſimplex, 2) deſtillata vel iners, ut acetoſæ, borraginis, bugloſſi, endiviæ, lactucæ, &c. quibus tamen aqua ſimplex præferenda eſſe videtur, quoniam ſæpiſſime deſtillationem ſapiunt; vel ſapore & odore leni ſuavior, ut aqua cinnamomi, roſarum, meliſſæ, citri, ceraſorum nigrorum, &c. 3) infuſa aquea jucundiora, promte parabilia, ut florum roſarum, violarum, tunicæ, bellidis, pomorum citreorum, conſervarum ſimilium, &c. 4) decocta ſimilia diluta, ut hordei, radicis ſcorzoneræ, cichorei, cornu cervi, tamarindorum, citri, &c. 5) vina plus minuſve acidula, ut Rhenanum, Moſellanum, quæ ſcopo analeptico ſunt aptiora, 6) phlegma vitrioli dilutius & aliqua ex recenſitis conjuncta.

§. DLXXXVIII.

Quænam excipiendorum vicem ſuſtinere poſſint in julepo.

Excipiendorum vicem in julepo ſuſtinere poſſunt 1) aquæ deſtillatæ magis aromaticæ, florum & corticum pomorum aurantiorum & citreorum, cinnamomi, pulegii, majoranæ, roriſmarini, interdum vinum, quæ, quoniam etiam loco excipientium uſurpari poſſunt, ut excipientia ſecundaria conſiderari poſſunt; 2) ſucci fructuum horæorum dulces, acidi, recentes, e. g. citri, aurantiorum, ceraſorum acidorum, berberum, ribium, rubi idæi, &c. 3) ſyrupi varii, præſertim qualitatibus in ſenſum incurrentibus jucundis præditi, rubri, ab acido rubentes, vel coloris expertes, e ſuccis fructuum horæorum parati, vel alii, ut ſyrupus acetoſitatis citri, cinnamomi, cydoniorum, rubi idæi, &c. Huc pertinent etiam brodia conditurarum, julepi officinales, oxymella, oxyſacchara, 4) rob & gelatinæ e fructuum ſuccis, quæ in liquore diſſolvuntur, 5) tincturæ acido-aquoſæ rubræ, v. g. florum bellidis, aquilegiæ, roſarum, violarum, eſſentiæ ſpirituoſæ ſuaviſſimæ, ut eſſentia corticum citri, aurantiorum, cinnamomi, &c. ſpiritus vegetabilium jucundi, ut roſarum, lavendulæ, meliſſæ, cinnamomi, balſamus embryonum, ſpiritus acidi vegetabiles vel foſſiles, ut acetum vini deſtillatum, ſpiritus ſalis, nitri, ſinceri vel dulcificati, vitrioli, clyſſus antimonii, 6) ſaccharum vel ſimplex album, vel arte cum aliis non injucundis in rotulas, tabulas, elæoſacchara, &c. redactum.

§. DLXXXIX.

Num ſalia, pulverulenta, conſervæ excipiendorum vicem ſuſtinere poſſint?

Inter ſalia, quæ excipiendorum loco in julepo adhiberi poſſunt, ſunt nitrum, ſal prunellæ, polychreſtum, reliquis vero nullus hic locus eſt. Pulverulenta non ſolubilia raro, craſſiora nunquam excipiendorum vice funguntur, interdum tamen non ingrata, ſaporis & odoris expertia, minus ponderoſa, ſubtiliſſime trita, præcipue terreſtria abſorbentia, ut mater perlarum, cornu cervi, corallia, &c. eorum loco uſurpantur; ſed ab eorum uſu abſtinendum eſt, ſi acida julepum ingrediantur. Conſervæ hic vix, niſi pro parando infuſo, uſurpantur.

§. DXC.

De proportione ingredientium julepi.

Quod ad ingredientium proportionem in julepo præparando attinet, hæc obſervari ſolet, ut capiantur

Ad excipientis, ut aquæ	℔I. vel ℥XII.
Succorum	℥II. — III.
Tincturarum acido-aquoſarum	℥I. — Iß.
Spirituoſorum, ut Tincturarum, eſſentiarum & ſpirituum	ʒII. — VI.
Syruporum, juleporum, aliorumque §. DLXXXVIII. No. 3. 4.	℥II. — III.
Aceti deſtillati	℥I. — Iß.
Pulverum	ʒI. — II.
Sacchari	℥I. — ℥iß. vel q. ſ. ad gratiam.
Salium	ʒß. — I.
Spiritus acidi mineralis pro varia ejuſdem puritate	ʒß. — ʒI.

§. DXCI.

Proportio ingredientium in julepo non conſtanter obtinet.

Hæc quidem, quam indicavi §. DXC. ingredientium in julepo proportio ordinaria eſt & plerumque locum habet; ſed multæ eæque variæ in caſibus ſingularibus conditiones eam ita variant, ut non conſtanter obſervetur, & multis obnoxia ſit exceptionibus. Sic ſi julepus, qui ſolidorum & fluidorum motum auget, eſt præparandus, vini & ſpirituoſorum proportio multum augetur, ita, ut vinum interdum baſin conſtituat.

§. DXCII.

Quænam circa julepi jucunditatem ſint obſervanda.

Si pulveres, roob, gelatinæ & id genus alia majori reliquis adduntur proportione, debitam julapii conſiſtentiam pervertunt, & ſalia eam ob cauſam in minori recipiuntur copia, ne injucunditatem creent. Acidum foſſile copioſius auſteritatem producit. Sed eo maxime ſimul eſt reſpiciendum, ne nimia peccetur ſuavitate. Dulcibus hinc vel acidis in julepo non eſt abutendum, nec in ſpecie ſacchari additione opus eſt, ſi eum ſaccharata, uti ſyrupi, conſervæ, roob, ſat copioſe ingrediuntur.

§. DXCIII.

De ordine, quo julepi ingredientia ſchedulæ ſint inſcribenda.

Ordo, quo ingredientia julepi in ſchedula ſcribuntur, ita ſe habet, ut excipiens liquidum præmittatur, & huic excipienda ſubjungantur; interdum tamen excipiens ultimo ponitur loco, quod, quamvis arbitrarium ſit, minus convenit, ſi infuſum vel decoctum magiſtrale ejus vicem explet.

§. DXCIV.

De doſi & quantitate generali julepi.

Julepi doſis determinatur vel pondere, ad unciam unam vel tres, vel volumine, ut ad cyathum pro adultis, vel cochlear unum pro infantibus. Sæpe, inprimis ſi ſitis maximopere urget, loco potus ordinarii adhibetur, & tunc eum non uno & grandiori, ſed parciori & repetito hauſtu ingerere conſultum eſt. Ejus quantitas generalis pro circumſtantiis in caſu ſingulari obviis variat. Interdum ad libram dimidiam, integram, duas vel tres ſolet præſcribi.

§. DXCV.

De exemplis formularum julepi.

De ſubſcriptione & ſignatura formulæ julepi præter ea, quæ ſæpius jam ſunt memorata, nihil amplius, quod moneam, habeo, & de uſu julepi ſat plura in ſuperioribus dicta ſunt. Converto me igitur ad ſpecimina formularum, quæ ſunt

I. Julepi

I. Julepi roborantes & calefacientes.

1.

℞. Aquæ meliſſæ Turcicæ,
cinnamomi cum vino ana ℥iij.
Eſſentiæ corticis citri ʒiß.
Spiritus Nitri dulcis ʒß.
Syrupi cinnamomi ℥iß.
M. f. Julapium.

2.

℞. Aquæ ceraſorum nigrorum,
Meliſſæ,
Roſarum,
Liliorum convallium,
Citri ana ℥j.
Spiritus roſarum,
Eſſentiæ cinnamomi ana ʒj.
Syrupi acetoſitatis citri ℥j.
Matris perlarum ppt. ʒj.
M. f. julapium.

3.

℞. Vini Rhenani optimi,
Aquæ puræ ſimplicis ana ℥iij.
Syrupi acetoſitatis citri ℥iß.
M. f. Julapium.

4.

℞. Vini albi generoſi ℥iv.
Aquæ meliſſæ,
cinnamomi cydoniatæ ãã ℥ij.
Sacchari canarienſis q. ſ. ad gratiam
Olei cinnamomi gutt. VI.
M. f. julapium.

II. Julepi analeptici & refrigerantes.

1.

℞. Aquæ ceraſorum nigrorum,
Liliorum convallium,
Meliſſæ,
Cinnamomi ſine vino ana ℥j.
Tincturæ papaveris rhœados ʒij.
Spiritus nitri dulcis vel
Liquoris anodyni gutt. XXX.
Syrupi rubi idæi ℥j.
M. f. julepus.

2.

℞. Decocti cornu cervi cum rad. ſcorzon. ℔ß.
Succi citri ℥j.
Julepi roſarum ℥iß.
Tincturæ florum bellidis ʒiij.
M. f. julapium.

3.

℞. Aquæ fontanæ ℔II.
Succi citri ℥ij.
Syrupi ribium ℥iv.
Nitri purificati ʒij.
Tincturæ florum bellidis ℥ß.
M. f. julepus.

4.

℞. Decocti tamarindorum ℔I.
Succi ceraſorum acidorum,
Citri,
Berberis ana ℥j.
Syrupi cinnamomi ℥iij.
Spiritus nitri dulcis ʒj.
M. f. julapium.

5.

℞. Aquæ ſimplicis ℔I.
Syrupi acetoſitatis citri,
Rubi idæi,
Berberis ana ℥j.
Spiritus vitrioli q. ſ. ad gratum acorem.
M. f. julapium.

III. Julepus refrigerans.

1.

℞. Aquæ fontanæ ℔I.
Succi citri,
Syrupi acetoſitatis citri ana ℥ij.
Tincturæ papaveris erratici ℥ß.
Nitri depurati ʒj.
Sacchari q. ſ. ad gratiam.
M. f. julepus.

2.

℞. Aquæ ceraſorum nigrorum,
Fragorum,
Acetoſæ,
Lactucæ ana ℥iß.
Succi citri ʒij.
Roob ribium vel
Syrupi acetoſitatis citri ℥ß.
Tincturæ florum bellidis ʒß.
Spiritus nitri dulcis q. ſ. ad gratum acorem.
M. f. julepus.

IV. Julepus anodynus & hypnoticus.

℞. Aquæ lactucæ
Papaveris rhœados ãã ℥iij.
Florum nymphéæ albæ,
Ceraſorum nigrorum,
Syrupi de nymphea,
Papaveris rhœados ãã ℥j.
Liquoris anodyni mineralis ʒß.
M. F. Julepus.

SECTIO XIV.

De Formula mixturæ mediæ.

§. DXCVI.

Qualis hic intelligatur mixtura & quid ea ſit.

QUam hic pertractare conſtitui, *mixtura*, tenet inter julepum & mixturam concentratam medium, atque hinc vocatur *media*. Eſt vero mixtura julepo ſpiſſior, minore mole efficax, qualitatibus etiam ſenſibilibus injucundis prædita admittens & doſi una vel pluribus, per guttas non determinandis, conſtans.

§. DXCVII.

Qualita- [illegible] ju- [illegible] ra- [illegible] ha- [illegible] in [illegible].

Cum mixtura media qualitatibus etiam injucundis prædita admittat §. DXCVI. patet, tantam in ea, quanta in julepo opus eſt, tenuitatem, claritatem, ſaporis, odoris & coloris jucunditatem, non requiri, neque, ut ei hæ qualitates concilientur, nimis eſſe ſtudendum; quamvis prorſus non ſint negligendæ.

§. DXCVIII.

[illegible] ingredien- [illegible] vice in mixtura media fungi poſſint.

Mixtura media eſt mixtura julepo ſpiſſior, minore mole efficax, qualitatibus etiam ſenſibilibus injucundis prædita admittens, & doſi una vel pluribus, per guttas non determinandis, conſtans §. DXCVI. Qua de re omnia materiam mixturæ mediæ præbere ejuſque ingredientium vice fungi poſſunt §. VIII. quæ commixta exhibere poſſunt mixturam julepo ſpiſſiorem, minore mole efficacem, qualitatibus etiam ſenſibilibus injucundis prædita admittentem, & doſi una vel pluribus, per guttas non determinandis, conſtantem.

§. DXCIX.

Recenſentur, quæ ingredientium vice in mixtura media fungi poſſint.

Talia ſunt 1) liquida minus concentrata interno uſui apta, ut aqua ſimplex, aquæ deſtillatæ inertes vel efficaciores, vina, decocta, infuſa, 2) liquida concentrata, ut eſſentiæ, tincturæ, ſpiritus, elexiria, olea, 3) mollia magis minuſve ſpiſſa, extracta mollia, ſyrupi, electuaria, confectiones molles, conſervæ, gummata, gummireſinæ, ſucci, roob, 4) pulverulenta.

§. DC.

De excipiendis & excipientibus mixturæ.

Si qua ingredientia, ex quibus mixtura media eſt formanda, commixta in debitam ejuſdem formam redigi nequeunt, aliis opus eſt, quæ ipſis eandem largiuntur. Illa dicuntur *excipienda*, hæc *excipientia*. Patet igitur, ſi qua in mixtura media excipienda ſunt, excipientia adeſſe debere, eorumque quantitatem & qualitatem ex excipiendorum quantitate & qualitate eſſe determinandam.

§. DCI.

Quænam excipientium vice in mixtura media fungi poſſint, ſi excipienda ſunt pulverulenta.

Qualitas excipientium in mixtura media determinatur ex qualitate excipiendorum, ſcilicet excipientia mixturæ ita comparata eſſe debent, ut hæc cum ejus excipiendis commixta conſtituant liquidum ſpiſſius, minore mole efficax, qualitatibus etiam ſenſibilibus non jucundis prædita admittens, & doſi non per guttas determinanda exhibendum §. DXCVI. Qua de re, ſi in mixtura media excipienda ſunt pulverulenta non ſolubilia, excipientium qualitas in genere ita comparata eſſe debet, ut hæc cum illis commixta tale conſtituant fluidum, quale mox fuit deſcriptum. Fluida ergo, quæ diverſo fluiditatis gradu prædita ſunt, & quorum virtus ſub volumine majori vel minori magno latet, in caſu, quo excipienda ſunt pulverulenta non ſolubilia, excipientia in mixtura media eſſe poſſunt.

§. DCII.

Scholion.

Aquæ deſtillatæ præ reliquis frequentiſſime excipientis loco uſurpantur, quum reliquis ſint tenuiores eamque ob cauſam aptiores, & cuicunque fere ſcopo congruæ proſtent.

§. DCIII.

Quomodo pulverulenta non ſolubilia excipienda comparata eſſe debeant.

Si in mixtura media pulverulenta non ſolubilia ſunt excipienda, uti creberrime fieri ſolet, ea ut ſint minus craſſa & ſubtiliſſime trita, neceſſe eſt, ne deglutitionis moleſtiam creent. Neque inter excipienda pulverulenta recipiantur pulverulenta ſpecifice ponderoſiora, in excipientibus non ſolubilia, cum citiſſime fundum petentia doſes virtute minus æquales efficiant; quod tamen intelligendum eſt de mixturis, quæ non unicam, ſed plures doſes complectuntur.

§. DCIV.

Si excipienda ſunt fluida concentrata excipientia eſſe poſſunt alia fluida minus concentrata & plus minuſve ſpiſſa.

Eodem, quem paulo ante ſecutus fui §. DCI. modo probari poteſt, quod, ſi in mixtura media excipienda ſunt fluida concentrata, fluida minus concentrata, diverſo fluiditatis & ſpiſſitudinis gradu prædita, excipientium vice fungi poſſint, &, ſi gummata loco excipiendorum ſint adhibenda, fluida aquea, in quibus ſunt ſolvenda, excipientia eſſe poſſint.

§. DCV.

Si pinguia in media mixtura aqueis ſunt commiſcenda, corpore intermedio, hanc commixtionem promovente opus eſt.

Si pinguia in mixturis aqueis ſunt excipienda & commiſcenda fluidis, hoc ſine corporis, quod hanc commixtionem promovet, interventu fieri nequit. Utendum igitur eſt ad tenaciora, v. g. ſperma ceti, terebinthinam, idque genus alia cum aqua miſcenda, vitello ovi, ad liquidiora vero & parciori quantitate adhibenda, oleis expreſſis, deſtillatis, balſamis liquidis, nativis, artefactis, ſaccharo aliiſque indicatis §. DLXIX. conjunctis, hoc obtineri poteſt.

§. DCVI.

Ad quænam medicus in præſcribendis mixturis attendere debeat.

Medico in præſcribendis mixturis maxime curandum eſt, ne in iis congerat, quæ commixta efferveſcunt, præcipitantur, incongrue vel mutantur, vel deſtruuntur, ſi hæc ſcopo ſuo repugnant. Dantur enim caſus, quibus data opera talia conjunguntur. Tantam præterea ſaporis, odoris & coloris jucunditatem, quanta per circumſtantias obtineri poteſt, mixturis ut conciliet, curet, ſed ſimul, dum hæc intendit, eo reſpiciat, ne ſcopo ſuo vel excidat, vel vanitatem prodat. Tandem hic magnum ingredientium numerum fugiat, & potius compoſitionis brevitati & ſimplicitati ſtudeat, ne mixtura chaos evadat confuſum.

§. DCVII.

De proportione ingredientium mixturæ mediæ.

Ingredientium mixturæ proportio mutua determinatur ex ratione virtutis ſingulorum ad virtutem, quæ intenditur mixtura, & ex eorundem virtute reſpectu miſcelæ conſiderata, tum ex juſta mixturæ conſiſtentia, comparatis ad ejuſdem doſin & quantitatem generalem. Hæc plerumque obtinet regula generalis, ut miſceatur ad

Aquæ deſtillatæ ſimplicis } Infuſi, decocti }	℥j.
Aquæ vinoſæ	℥ß.
Aquæ ſpirituoſæ	ʒij.
Succi, roob	ʒi–ʒij.
Elexirii, eſſentiæ, tincturæ, ſpiritus	ʒß–ʒj–ʒij.
Electuarii	ʒß.
Confectionis	℈j–ʒß.
Spiritus acidi mineralis dulcis	guttæ XX-XXX.
Salis volatilis ſicci	gr. IV.–℈ß,
Olei deſtillati	gutt. IV.
Syrupi, julepi	ʒj–ʒiij.
Sacchari	ʒj–ʒiß.
Extracti mitioris recentis	℈j.
Pulverum	℈j–ʒß.

§. DCVIII.

§. DCVIII.

Scholion. Hæc proportionis regula adeo fixa & conſtans non eſt, quin ſæpius ab ea aberretur. Sic mollium quantitas ad duas etiam drachmas augeri poteſt, ſiccorum vero ad drachmam unam, ſi horum alterutrum tantum recipiatur. Quin excipientis conſiſtentia, prout vel tenuior, vel ſpiſſior eſt, magnam hic facit diſcrepantiam & multa liquida excipienda, ſi accedant, majori ſpiſſiorum quantitati locum dant.

§. DCIX.

De ſalium ſiccorum, ſacchari & ſyruporum quantitate in mixturis mediis. Salium ſiccorum proportio in caſu ſingulari facile invenitur ex eorundem majori vel minori efficacia, & ſolutione magis minuſve facili, ſæpe tamen plene ſoluta non requiruntur, ſed pulverum inſtar fundum petentia, uſus tempore agitando exhibentur. Sacchari & ſyruporum quantitas augetur interdum ultra terminum §. DCVII. poſitum, ſi ad reſinoſa, balſamica, oleoſa, &c. cum aqua intimius commiſcenda & conjungenda, adhibentur, præſertim, cum paulo major mixturæ ſpiſſitudo ejus divortio magis obſtet.

§. DCX.

De ordine ingredientium. Ordo, quo ſcribuntur mixturæ ingredientia, idem eſt, qui in julepo obſervatur. Ejuſdem vero doſis minor eſt doſi julepi. Plerumque volumine, ut cochleario uno, duobus, vel vaſculo potui Thee dicato, vel pondere, ad unciam unam, duas, tres determinatur; id quod maxime obſervatur, ſi unicus tantum hauſtus exhibetur. Interdum mixturæ doſis definitur per portiones, ita, ut ejus dimidia, tertia vel quarta pars ſimul capi jubeatur. De quantitate generali, in caſu quovis ſingulari obvia, nihil certi in genere determinari poteſt, & circa ſubſcriptionem & ſignaturam in formula mixturæ nihil fere peculiare eſt obſervandum, niſi quod jam dictum fuerit in ſuperioribus.

§. DCXI.

De uſu mixturarum mediarum. Mixturæ mediæ præ multis aliis medicamentis uſu ſunt receptæ, earumque uſus æque frequens eſt, ac infuſorum & decoctorum, immo longe magis, quoniam facile parabiles, ſubitaneis quoque in caſibus promtam ferunt opem, gratiores ſunt, facilius poſſunt adſumi, & vix datur morbus, interna poſtulans remedia, quin has admittat.

§. DCXII.

Specimina ſunto

I. Mixtura emetica.

♃. Aquæ ceraſorum nigrorum ℥j.
Tartari emetici gr. III.
Syrupi cinnamomi ʒß.
M.

II. Mixtura ἄνω καὶ κάτω blande ducens.

♃. Mannæ electæ ℥j.
Terræ foliatæ tartari ſive
Tartari tartariſati ʒij.
emetici gr. II.
ſolve in aquæ fontanæ ℥ij.

III. Mixturæ purgantes & laxantes.

1.

Huc pertinent, quæ ſpeciminis loco adducta ſunt §. DXI. Claſſis I. No. 1. 2. 3. 4.

2.

R. Tamarindorum,
Paſſularum minorum ãã ℥j.
coque in aquæ ferventis q. ſ.
infunde rhabarbari ʒj.
Foliorum ſennæ ſine ſtipitibus ʒiij.
Salis tartari,
Cinnamomi ana ʒß.
Coletur.

Poteſt quoque ad uncias tres hujus colaturæ mannæ electæ uncia una recipi & ſic exhiberi.

3.

♃. Decocti tamarindorum ℥iij.
Mannæ calabrinæ ℥iß.
M.

4.

♃. Decocti paſſularum minorum ℥v.
infunde cum
Rhabarbari electi ʒj.
Foliorum ſennæ ſine ſtipitibus ʒij.
ſtent per noctem in digeſtione, adde deinde
Mannæ electæ ℥j.
M.

5.

♃. Aquæ cinnamomi ſine vino ℥j.
Reſinæ jalappæ in vitello ovi ſolutæ gr. VI.
Syrupi de cichoreo cum rheo ʒj.
M.

6.

♃. Reſinæ jalappæ gr. V—VI.
ſolve in
Spiritus aniſi vel carminativi ʒj-ʒij.
adde
Syrupi roſarum ſolutivi ℥ß.
M. D. pro doſi.

7.

℞. Eſſentiæ ſcammonii vel jalappæ ʒj.
Syrupi de cichoreo cum rheo ℥j.
M. D. pro doſi.

IV. Mixturæ diaphoreticæ.

1.

♃. Aquæ cardui benedicti,
Scordii ana ℥ij.
Aceti deſtillati ℥j.
Pulveris bezoardici Claſſ. III. No. 1. ʒiß.
Mixturæ ſimplicis,
Spiritus nitri dulcis ana gutt. XXX.
Syrupi acetoſitatis citri ʒiij.
M.

Hæc mixtura ſalutarem exſerit effectum in febribus malignis exanthematicis, dum tranſpirationem promovet, materiam exanthematicam ad corporis ſuperficiem propellit, & putredinem, ad quam tunc proni ſunt humores, arcet.

2.

♃. Aquæ cardui benedicti,
Scordii,
Florum ſambuci, ana ℥ij.
Aceti deſtillati ℥j.
Oculorum cancri ppt.
Antimonii diaphoretici, ana, ʒj.
Nitri depurati, gr. xv.
Syrupi cardui benedicti, ℥ß.
M.

3.

♃. Aquæ cardui benedicti,
Scordii, ana, ℥iß.
Theriacalis ℥ß.
Eſſentiæ alexipharmacæ Stahlii vel
Spiritus bezoardici Buſſii,
Liquoris cornu cervi ſuccinati, ana ʒß.
Syrupi cardui benedicti, ℥ß.
M.

4.

♃. Aquæ florum tiliæ, ℥j.
Mixturæ ſimplicis,
Syrupi papaveris albi, ana, ʒj.
M.

Conſulto præſcripſi in mixturis No. 1. 2. 3. aquas, quæ diaphoreticæ perhibentur, ſed iis aliæ pro re nata ſubſtitui poſſunt, nec ſine magna, ut mihi videtur, virtutis diaphoreticæ jactura, utpote quæ maxima ex parte, vel tota, ex aliis ingredientibus commixtis dependet. Sic aquarum præſcriptarum loco recipi poſſunt aqua florum tiliæ, acaciæ, ceraſorum nigrorum, rubi idæi & ſimiles. Si ejuſmodi mixturis putrida humorum reſolutio eſt impedienda, acetum vini ſimplex & deſtillatum, ſuccus citri, limonum, aurantiorum, berberum, granatorum, ribium & confecti ex his ſyrupi, nec non clyſſus antimonii, ſpiritus vitrioli, ſalis, nitri, maxime dulcificati, debita in proportione addi poſſunt.

V. Mixtura analeptica.

♃. Aquæ meliſſæ,
Liliorum convallium,
Cinnamomi cydoniati ana ℥j.
Eſſentiæ corticis citri,
aurantiorum,
Spiritus nitri dulcis āā ʒß.
Julepi roſarum ʒiij.
M.

VI. Mixturæ antiſpaſmodicæ.

1.

♃. Aquæ florum tiliæ,
millefolii compoſitæ ana ℥j.
Pulveris antiſpaſmodici Claſſ. IX.
No. 2. ʒj.
Liquoris anodyni mineralis gutt. XL.
Syrupi papaveris albi ʒij.
M.

2.

♃. Aquæ millefolii compoſitæ,
chamomillæ āā ℥j.
Eſſentiæ caſtorei,
Liquoris anodyni ana ʒß.
Syrupi cinnamomi, ʒij.
M.

SECTIO XV.

De Formula mixturæ concentratæ.

§. DCXIII.

Quid ſit mixtura concentrata. Mixtura concentrata eſt mixtura, quæ ex ejuſmodi ingredientibus, quorum virtus parvo ſub volumine latet, eſt conflata; & cujus doſis per guttas determinari ſolet.

§. DCXIV.

Quænam ingredientium vice in mixtura concentrata fungi poſſint. Cum mixtura concentrata ex ejuſmodi conſtet ingredientibus, quorum virtus parvo ſub volumine latet, ejuſque doſis per guttas determinari ſoleat §. DCXIII. omnia iſta fluida ei materiem præbere, atque ingredientium vice fungi poſſunt, quorum virtus parvo ſub volumine continetur, & quæ inter ſe commiſceri poſſunt, atque commixta doſi porrigenda ſunt per guttas determinanda.

§. DCXV.

Recenſentur, quænam ingredientium vice fungi poſſint in mixtura concentrata. Talia ſunt tincturæ, eſſentiæ efficaciores, ſpiritus ſimiles, elexiria, balſama liquida, nativa, arte facta, eſſentialia, olea aromatica, deſtillata, liquores ſalini coacti & ſimilia.

§. DCXVI.

Reſinæ, extracta, maſſæ pilulares efficaciores ſolutæ ingredientia eſſe poſſunt mixturæ. Reſinæ, extracta ſolida, maſſæ pilulares, in menſtrui idonei parva quantitate ſoluta, ſunt fluida, quæ virtute gaudent majori ſub minori contenta volumine, cum aliis idoneis ejuſdem generis commiſceri poſſunt, & commixta doſin poſtulant per guttas determinandam. Jam omnia iſta fluida mixturæ concentratæ materiam præbere atque ingredientium vice fungi poſſunt, quorum virtus parvo ſub volumine continetur, & quæ inter ſe commiſceri poſſunt, & commixta doſi ſunt porrigenda, per guttas determinanda §. DCXIV. Ergo efficaciores reſinæ, extracta ſolida, maſſæ pilulares in menſtrui idonei parva quantitate ſoluta, ingredientium vice in mixtura concentrata fungi poſſunt.

§. DCXVII.

Salibus ſiccis, quæ parva doſi agunt & in ſpiritu ardente ſolubilia ſunt, in mixtura concentrata locus eſt. Eandem ob rationem in mixtura concentrata illis ſalibus ſiccis, quæ parva doſi agunt & in ſpiritu ardente ſolubilia ſunt, locus eſt; ſoluta enim ſunt fluida, quæ parva mole agunt, cum aliis idoneis commiſceri poſſunt, atque commixta doſin per guttas determinandam poſtulant §. DCXIV. Vix ideo huc pertinent, niſi volatilia, tum tartarus regeneratus & pauca alia. Liquores etiam ſalini interdum ingredientium loco in mixtura concentrata adhibentur, qui tamen non cum omnibus promiſcue liquidis ſunt commiſcendi.

§. DCXVIII.

De proportione ingredientium in mixtura concentrata. Ingredientia mixturæ concentratæ, quæ diffuſiorem habent virtutem, in majori quantitate minori contra, quæ parva mole agunt, recipi ſolent, uti ſunt ſalia volatilia, balſama, extracta eſſentialia, olea, ut ſic aliis temperentur, adjuventur & corrigantur. Si vero mixtura concentrata eſt præparanda, quæ doſi parva eſt porrigenda, efficaciora vel eadem, qua minus efficacia, quantitate, vel majori ſunt præſcribenda. Eorum,

Eorum, quæ in fluidis ſolvenda ſunt, qualia ſunt, balſama, olea, reſinæ, extracta ſolida, &c. tanta quantitas eſt recipienda, ne qua eorum pars maneat indiſſoluta, vel juſto ſpiſſior evadat mixtura. Draſtica denique ſi exhibeantur in mixtura concentrata, eorum quantitas aliorum quantitati ſic accommodanda eſt, ne quid nimis quælibet mixturæ doſis contineat.

§. DCXIX.

Exempla ſunt:

I. Mixturæ ſtomachicæ.

1.

℞. Eſſentiæ corticis aurantiorum immatur.
cascarillæ,
Tincturæ ſalis tartari, ana, ℥ß.
Spiritus nitri dulcis, ʒiij.
Olei macis, gutt. vj.
M.

2.

℞. Eſſentiæ corticis citri,
Gentianæ rubræ,
Cinnamomi vel ſuccini, ana, ʒij.
M.

Ejuſmodi mixturis creberrime uſus Medicorum facile princeps, beatus HOFFMANNUS. Hic, ſi mixturam ſtomachicam ſimulque antiſpaſmodicam præſcriberet, præter ingredientia in mixturis indicata, adhibebat liquorem ſuum anodynum, vel ſpiritum nitri dulcem, eſſentiam caſtorei, croci, cum paucis olei macis guttulis, eaque debita in proportione conjungebat. Præterea elexiriis, ex extractis amaris præparatis, frequenter & ſummo cum fructu uſus fuit, cujus generis ſunt ſequentia.

II. Elexiria viſceralia.

1.

℞. Extracti gentianæ rubræ,
Centaurii minoris,
Cardui benedicti,
Caſcarillæ aquoſæ āā ʒj.
Salis tartari ʒij.
ſolve vaſe clauſo in
Aquæ menthæ,
Meliſſæ ana ℥iij.
filtra & dein adde
Olei caryophyllorum cum
Saccharo ſubacti gutt. XII.

Aquæ menthæ & meliſſæ ſubſtitui poteſt aqua cinnamomi cum vel ſine vino & quævis alia, quam Medicus ſcopo ſuo magis minuſve accommodatam deprehendit, quamvis aqua, quæcunque ſit, elexirio parum virtutis largiri videatur, & aqua fontana ſimplex reliquarum vicem commode ſuſtinere poſſit. Hoc elexir conducit iis præſertim hominibus, qui ſpirituoſa perferre nequeunt, reſolvit & abſtergit, huncque effectum majori exſerit in gradu, ſi ei terra ſoliata tartari, vel ejus liquor adjicitur. Poteſt quoque ipſi filtrato addi eſſentia corticum citri, aurantiorum, caſcarillæ, ſuccini, ſi roborandi ſcopo magis, quam alii eſt adhibendum, eſſentia vero caſtorei, croci, ſi ſpaſmi ſunt mitigandi. Neque ut omnia paulo ante præſcripta extracta ſimul adhibeantur, neceſſe eſt, ſed pro circumſtantiarum & indicationis ratione unum vel alterum omitti, aliudque eligi poteſt. Sic ſi hoc elexirio alvum ſervare apertam intendimus, rhabarbarum vel in forma extracti, vel in ſubſtantia in pulverem redactum, ei addi poteſt. Pro doſi adhibetur guttis octoginta uſque ad centum.

2.

Elexir viſcerale, quod in notis b. HOFFMANNI ad Poterium extat.

℞. Herbæ ſcordii mij.
Florum centaurii minoris mj.
Myrrhæ electæ ℥ß.
Croci ʒj.
Succini,
Zedoariæ,
Nuciſtæ ana ʒiij.
Ligni aloes ʒiß.
Corticis aurantiorum ℥ß.
Olei cardamomi,
Caryophyllorum āā gutt. X.
Spiritus vini tartariſati menſ. I.
Spiritus ſalis ammoniaci ℥j.
F. Extractio.

3.

Elexir laxans aperitivum.

℞. Extracti rhabarbari ʒj.
Liquoris terræ foliatæ tartari ℥j.
M.

4.

Elexir laxans

℞. Mixturæ ſimplicis non camphoratæ ℈iv.
Extracti panchymagogi Crollii ℈j.
M.

III. Elexir ſtomachicum.

℞. Radicis gentianæ ℥ß.
Zedoariæ ʒj.
Corticis citri recentis ℥j.
Aurantiorum immaturorum,
Chinæ,
Caſcarillæ ana ℥ß.
Succini,
Myrrhæ electæ,
Nuciſtæ āā ʒij.
Salis tartari ℥ß.

Conciſa & contuſa f. Species, quæ cum vini Hungarici menſuris duabus digerendæ. Tot ingredientibus non ſemper opus eſſe, hic iterum repeto.

IV. Mixturæ reſolventes.

1.

℞. Tincturæ antimonii acris,
Liquoris terræ foliatæ tartari ana ℥ß.

M. D. S. Mixtura ante uſum agitanda & ad triginta guttas in vehiculo aqueo ſat copioſo exhibenda.

Si ſapo Venetus in tinctura antimonii ſolvitur, egregiæ virtutis reſolventis exinde exurgit mixtura, quam *Celeberrimus* b. m. SCHULZIUS ſummis laudibus extollit, nec immerito. Sed hæc No. 1. huic virtute non cedit.

2.

♃. Tincturæ ſalis tartari,
Liquoris terræ foliatæ tartari ãã ℥ß.
M.

3.

♃. Tincturæ antimonii acris,
Eſſentiæ pimpinellæ albæ,
Succini ãã ʒij.
M.

Hæc prioribus virtute eſt inferior. Ad ſeminalis liquidi putridi effluxum promovendum adhibetur, eique eſſentia lignorum addi ſolet.

V. Balſami vitæ.

1.

♃. Olei caryophyllorum,
Lavendulæ,
de Cedro ãã ℈j.
Menthæ,
Rutæ ana ℈ß.

Miſce & hujus mixturæ guttas X. inſtilla ſpiritus vini a roſis abſtracti & rectificatiſſimi, unciæ, dein ad colorem huic balſamo flavum conciliandum & virtutes eius augendas, adde balſami Peruviani quantum ſatis, circiter eius drachmam dimidiam ad unciam unam balſami. Si eum deſideras cum ambra, eius pauca grana dictis oleis ſoluta adde.

2.

Balſamus vitæ b. HOFFMANNI, qualis in eius Notis ad Poterium deſcriptus eſt.

♃. Olei Lavendulæ,
Majoranæ,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Cardamomi,
Citri recentis ãã ℈j.
Macis deſtillatæ ℈ij.
Cinnamomi gutt. XXIV.
Rutæ,
Succini albi ana ℈ß.

Hæc olea invicem miſceantur & per aliquot ſeptimanas ſtent; quando itaque extemporaneum balſamum vitæ habere volumus, de hoc oleo inſtillentur ſpiritus vini rectificatiſſimi unciæ uni guttæ decem; quodſi adhuc gratius reddere velimus, ambra in antea præſcripto oleo ſolvatur, & quidem addi poteſt huic oleo ſcrupulus ſemis. Quodſi autem balſamum hoc nobilioribus adhuc virtutibus balſamicis impraegnare volumus, addi poteſt balſamus Peruvianus, nimirum unciæ uni balſami vitæ drachma ſemis, ſic balſamum redditur apoplecticum, cujus uſus interne & externe eſt egregius.

VI. Mixturæ bezoardicæ, ſeu ſic dictæ alexipharmacæ.

1.

♃. Eſſentiæ ſcordii ℥j.
Pimpinellæ albæ ℥ß.
Vincetoxici ʒij.
M.

2.

♃. Eſſentiæ alexipharmacæ Stahlii ℥ß.
Spiritus bezoardici Buſſii ad mentem Hoffmanni ppt. ʒij.
M.

3.

℞. Spiritus bezoardici Buſſii ℥ß.
Liquoris anodyni Hoffanni ʒij.
M.

VII. Mixtura roborans & adſtringens.

℞. Eſſentiæ caſcarillæ ſive
ſuccini
Tincturæ terræ catechu ãã ʒij.
M.

VIII. Mixturæ balſamicæ.

1.

℞. Eſſentiæ myrrhæ ſine alcali
Succini ſine alcali ãã ʒij.
Olei terebinthinæ,
Balſami de Copaiba ana gutt. III-IV.
M.

2.

℞. Eſſentiæ ſuccini ſine alcali ℥ß.
Myrrhæ ſine alcali ʒij.
Spiritus terebinthinæ gutt. XXX.
Olei ovorum q. ſ.
M.

Adplicandæ ſunt hæ mixturæ ad partes non admodum ſenſibiles.

SECTIO XVI.

De ſpeciebus medicamentorum externorum.

§. DCXX.

De ſumma medicamentorum externorum diviſione.

QUid medicamenta externa ſint, jam dictum fuit §. CCLXXXVII. & æque ac interna, ſunt vel fluida, vel non fluida, & hæc vel ſicca ſive ſolida, vel mollia.

§. DCXXI.

Quid ſit epithema.

Medicamentum externum, quod applicatur imponendo, dicitur *topicum*, ſive *epithema*.

§. DCXXII.

Definitio balnei humidi univerſalis & particularis.

Si medicamentum fluidum corporis ſuperficiem externam totam immediate ſub forma fluida alluit, dicitur *balneum univerſale* & quidem *humidum*; *particulare* vero *balneum humidum*, ſi ſuperficiei corporis partem tantum ambit.

§. DCXXIII.

De variis ſpeciebus balneorum humidorum particularium.

Balneum humidum particulare, prout variis partibus applicatur, varia accipit nomina. Sic balneum humidum particulare, ſi dimidiæ tantum corporis regioni, a ſcrobiculo cordis, vel ab umbilico uſque ad imos pedes exporrectæ, applicatur, *ſemicupium*, *inſeſſus*; ſi pedibus, *pediluvium*; ſi capiti, *capitiluvium*; ſi manibus, *maniluvium* vocatur.

§. DCXXIV.

§. DCXXIV.

Quid ſit embroche, ſtillicidium.

Si medicamentum fluidum ex alto guttatim, vel continente rivulo in partem corporis delabitur, dicitur *embroche*, *ſtillicidium*, *impluvium*. Veteres hoc uſi fuerunt medicamento, ejuſque uſus hodie fere exolevit.

§. DCXXV.

Definitio balnei vaporoſi.

Medicamentum externum fluidum ſub vaporum, in quos reſolutum eſt, forma immediate ad totam corporis ſuperficiem externam applicatum, dicitur *balneum vaporoſum univerſale*, *vaporatio humida univerſalis*; *& particulare*, ſi partem ſuperficiei externæ tantum ambit. Variæ hujus balnei cauſa inventæ ſunt domunculæ, ſellæ, arcæ, machinæ fornicatæ, intra quas ægrum ſtantem, ſedentem, jacentem, corpore nudo, vel tenui linteamine tecto, capite foras porrecto, coërcitus ambit vapor, qui proficiſcitur a liquido vel accenſo, v. g. ſpiritu vini; vel fervente, dum id igne adhuc bulliens in loculum reponitur aptum, eique aliud fervefactum ſubſtituitur, vel ſilicibus candefactis ſuperfunditur, vel hi in illud conjiciuntur. Pertinet huc ciſta illa, quæ *ſtupha Laconica*, germanice *der Schwitzkaſten*, adpellatur.

§. DCXXVI.

Quid ſit ſuffitus.

Si medicamenti ſicci vapores ad corporis ſuperficiem externam admittuntur, dicitur *ſuffitus*.

§. DCXXVII.

De differentiis epithematis.

Epithema pro varia, qua gaudet, conſiſtentia, in varias dividitur ſpecies. Si ejus conſiſtentia eſt liquida, vocatur *epithema liquidum*; *ſiccum*, ſi ejus conſiſtentia eſt ſicca pulveris inſtar, & *cataplaſma*, *puls*, *malagma*, ſi ejus conſiſtentia mollis pulmentaris. *Cataplaſma* igitur eſt epithema molle, pultiforme, mediæ inter unguentum & emplaſtrum conſiſtentiæ, calore non colliqueſcens. Hoc paratur iterum coctionis ope, vel ſine hac. Illud appellatur *coctum*, hoc *crudum*.

§. DCXXVIII.

De injectione & clyſtere.

Si medicamentum liquidum ope ſiphonis externe ad partem applicatur, dicitur *injectio*, *enema*, quod in ſpecie audit *clyſter*, *clyſma*, ſi liquidum in inteſtinum rectum injicitur.

§. DCXXIX.

Quid ſit adſpergo.

Pulvis, qui ſuperficiei corporis externæ inſpergendo applicatur, dicitur *adſpergo*.

§. DCXXX.

De emplaſtro, cerato, unguento, linimento & balſamo odorato.

Medicamentum externum, in frigore ſolidum, non tamen friabile, calore liqueſcens, ductile, glutinoſum, quod ſuper idoneo vehiculo extenſum partibus corporis externis imponi poteſt, dicitur *emplaſtrum*; & *dropax*, ſeu *picatio*, ſi picem pro baſi habet; *ſparadrapum*, *tela emplaſtica*, ſi eo vehiculum utrinque eſt obductum. Id vero medicamentum externum, quod emplaſtro mollius & mediæ fere inter emplaſtrum & unguentum ſpiſſitudinis eſt, dicitur *ceratum*, *cerotum*, *cerelaeum*; ſi cerato mollius, ad mel vel electuarium ratione conſiſtentiæ accedit, & vel illitum, vel vehiculi interventu, externæ corporis ſuperficiei adplicatur, *unguentum*, atque illa unguenti ſpecies, ex olidioribus, ſpiſſiore pingui exceptis, conſtans & inunctioni ſerviens, *balſamum odoratum*. Id denique medicamentum, quod unguento mollius & mediæ fere inter oleum & unguentum ſpiſſitudinis atque illitu efficax eſt, audit *linimentum*.

§. DCXXXI.

De epiſpaſticis eorumque differentiis

Illa medicamenta externa, quæ derivant liquida in partem, cui applicantur, dicuntur *epiſpaſtica*. Hæc, ſi ruborem tantum inducunt, audiunt, *rubefacientia*; ſi veſicas excitant, *veſicatoria*. Si pice ut baſi conſtant, *dropaces*, & ſi ſinapi recipiunt, *ſinapiſmi* nominantur.

§. DCXXXII.

De fricio.

Fricium, ſeu *fricatorium*, appellatur id medicamentum, quo ſuperficies corporis externa fricatur. Eſt vel ſiccum, vel molle, vel liquidum.

§. DCXXXIII.

De frontali, collyrio & naſali.

Medicamenta externa pro partium, quibus applicantur, varietate varia ſortiuntur nomina. Sic medicamentum externum audit *frontale*, quod fronti & temporibus applicatur, *collyrium*, quod oculis extrinſecus applicatur, *naſale*, quod naribus admovetur.

§. DCXXXIV.

De odoramentis & errhinis.

Naſalia, quatenus olfactus organon afficiunt, dicuntur *odoramenta*, & quatenus ſternutationem producunt, *errhina*.

§. DCXXXV.

De dentifriciis, apophlegmatiſmis & gargariſmatibus.

Medicamenta, quæ oris partibus internis applicantur, vocantur *ſtomatica*. Stomaticum vero, quod dentium & gingivarum vitiis medetur, audit *dentifricium*; quod ſalivam & mucum elicit, *apophlegmatiſmus*; & quod oris, maxime faucium cavo colluendo inſervit, *gargariſma*.

§. DCXXXVI.

De ſuppoſitoriis.

Medicamentum externum plus minus ſolidum, variæ figuræ, ut rotundum, ex tereti oblongum, globuli, conuli, vel glandis forma, quod ano intruditur, dicitur *ſuppoſitorium*, *glans*, *balanus*, *nodulus inteſtinalis*.

SECTIO XVII.

De formula Emplaſtri.

§. DCXXXVII.

Quænam in emplaſtro laudentur.

IN emplaſtro laudatur primo conſiſtentia in frigore ſicca, digitos non inquinans, deinde ſequax in calore leni ductilitas ac mollities, tum tanta tenacitas, ut vehiculo & parti facile adhæreſcat, & denique mixtio ingredientium homogenea.

§. DCXXXVIII.

Quæ in emplaſtri formam redigi poſſunt, ingredientium emplaſtri eſſe poſſunt.

Cum emplaſtrum ſit medicamentum externum in frigore ſolidum, ſed non friabile, calore liqueſcens, ductile, glutinoſum §. DCXXX. omnia iſta, quæ vel per ſe, vel cum aliis commixta, in dictam emplaſtri formam redigi poſſunt, ingredientium vice in emplaſtro fungi poſſunt.

§. DCXXXIX.

Recenſentur, quæ ingredientium vice fungi poſſint.

Talia ſunt 1) liquida, ut liquores aquoſi, mucilagines, ſucci expreſſi, decocta, infuſa, olea aromatica expreſſa, vel deſtillata, balſama liquida naturalia

naturalia ſive artefacta, tincturæ, eſſentiæ, ſpiritus, vinum, acetum & ſimilia, 2) ſpiſſiora ſequacia, ut pinguedines, medullæ, butyrum, mel, unguenta officinalia, extracta, ſapo & id genus alia, 3) tenaciora glytinoſa, ut terebinthina, 4) duriora in frigore, ſicca, cohærentia, ut cera, reſinæ, gummi, gummi reſinæ, emplaſtra officinalia, 5) ſicca, ut pulveres vegetantium, foſſilium, calces metallicæ. Hæc enim ita ſunt comparata, ut vel per ſe, vel aliorum tamen beneficio, in emplaſtri formam redigi poſſint.

§. DCXL.

De excipiendis & excipientibus emplaſtri.

Si qua ingredientia, ex quibus emplaſtrum eſt formandum, per ſe in emplaſtri formam redigi nequeunt, aliis opus eſt, quæ illis eandem largiuntur. Illa dicuntur *excipienda*, hæc *excipientia*.

§. DCXLI.

Excipientium qualitas & quantitas ex excipiendorum quantitate & qualitate determinatur.

Cum excipientia in emplaſtro requirantur, ſi qua excipienda ſunt §. DCXL. patet, excipientia in emplaſtro adeſſe debere, ſi qua excipienda ſunt, illorumque qualitatem & quantitatem ex excipiendorum qualitate & quantitate eſſe determinandam.

§. DCXLII.

Si excipienda in emplaſtro ſunt liquida, duriora ſicca ſunt excipientia.

Qualitas excipientium determinatur ex excipiendorum qualitate §. DCXLI. Qua de re ſi excipienda in emplaſtro ſunt liquida §. DCXXXIX. No. 1. duriora, ſicca, cohærentia §. cit. No. 4. excipientium vice fungi poſſunt.

§. DCXLIII.

Excipientibus in emplaſtro non ſemper opus eſt.

Cum excipientibus tunc demum in emplaſtro opus ſit, ſi qua emplaſtri ingredientia in ejus formam redigi nequeunt §. DCXL. patet, excipientibus in emplaſtro non ſemper opus eſſe. Sic ſola cera & terebinthina, proportione apta commixtæ & colliquatæ, emplaſtrum exhibent omnibus ejus requiſitis ornatum. Sola pix, vel gummi-reſinæ, piſtillo calido diductæ, vel oleo ſive ſpiritu emollitæ, commode in emplaſtrum redigi poſſunt. Quin oleum ſolum cum calce ſaturnina, ut lithargyrio, minio, ceruſſa, ſat diu coctum, in emplaſtrum abit.

§. DCXLIV.

Quænam baſin emplaſtri conſtituant.

Olea, vel quæ ad eorum indolem accedunt, ut pinguedines, medullæ, butyrum, mel, unguenta officinalia, tum terebinthina & cera, plurimorum emplaſtrorum baſin conſtituunt, ceræ tamen & terebinthinæ pix interdum, reſinæ, gummi-reſinæ ſubſtituuntur.

§. DCXLV.

Quænam qualitates emplaſtrum exornantes ipſi concilient.

Cum in emplaſtro conſiſtentia in frigore ſicca, digitos non inquinans, laudetur §. DCXXXVII. facile hæc acquiri poteſt, dum duriora in frigore, ſicca, cohærentia, ut cera, reſinæ, gummi-reſinæ, emplaſtra officinalia & ſicca pulverulenta, debita in proportione emplaſtro adduntur. Ductilitatem in leni calore ſequacem & mollitiem, qua emplaſtrum ſe commendat §. DCXXXVII. efficit addita debita quantitas liquidorum & ſpiſſiorum ſequacium, ut oleorum expreſſorum, pinguedinis, medullæ, mellis, butyri, balſamorum, aliorumque §. cit. No. 1. indicatorum. Tenacitatem emplaſtri lentam, quæ illud exornat §. cit. producit terebinthinæ, gummatum & gummi-reſinarum quantitas, debita in proportione addita, & mixtio ingredientium homogenea, quæ in emplaſtro requiritur artificioſa nititur eorum præparatione.

§. DCXLVI.

Quomodo pulverulenta ſicca, quæ emplaſtrum ingrediuntur, comparata eſſe debeant.

Si ſicca pulverulenta emplaſtrum ingrediantur, eligenda ſunt talia, quæ vel ſolubilia ſunt, vel tenuiſſima, ut æquabiliter reliquis commiſceri & interteri queant, nec ſpecifice leviora, nec vi per magnum volumen diffuſa ſunt prædita.

§. DCXLVII.

Vegetantium partes ſpecifice leviores & vi per magnum volumen diffuſa prædita vix commode ingredi poſſunt emplaſtra.

Cum ſicca pulverulenta, ſi ingredientium vice in emplaſtro fungantur, nec ſpecifice leviora, nec vi per magnum volumen diffuſa prædita eſſe debeant §. DCXLVI. vegetantium partes ſpecifice leviores & vi per magnum volumen diffuſa præditæ, ingredientium vicem in emplaſtro vix commode ſuſtinere poſſunt, ſed conſultius eſt, earum ſuccum, decoctum, infuſum, oleum, extractum adhibere.

§. DCXLVIII.

Si gummata, gummi-reſinæ & ſimilia nec colliquari nec in pulverem redigi poſſunt, ſunt apto menſtruo ſolvenda.

Si gummata, gummi-reſinæ, extracta, ſucci denſi & ſimilia, ad emplaſtrum recipiuntur, nec vel cum aliis colliquari, vel in pulverem comminui poſſunt, apto menſtruo, ut aqua, aceto, vino, oleo, terebinthina, vitello ovi, ſunt ſolvenda. Vegetantia interdum vel animantia, quæ ingredi debent emplaſtra, prius cum vino, aceto, oleo, axungia infunduntur & decoquuntur, ut liquor colatus & expreſſus cum aliis in emplaſtri formam redigatur.

§. DCXLIX.

Proportio ingredientium emplaſtri mutua variat pro conſiſtentia ejus.

Ingredientium emplaſtri proportio mutua variat pro ejus conſiſtentiæ gradu, utpote qui pro diverſo effectu, quem producere debet, varius eſt. Emplaſtris enim altius penetraturis, emollientibus, mollior magis convenit conſiſtentia, exſiccantibus vero & adſtringentibus minus mollis. Triplex interea emplaſtri conſiſtentiæ gradus obtinere ſolet, mollior nimirum ad ceratorum conſiſtentiam accedens, durior, & medius.

§. DCL.

Proportio ingredientium emplaſtri indicatur.

Si igitur emplaſtrum conſiſtentiæ mollioris eſt conficiendum, præparans recipere debet

Oleorum, vel eorum, quæ ad olei indolem accedunt, ut pinguedinis, medullæ, mellis, butyri & ſimilium	℥j.
Ceræ, ſive ei analogorum, ut gummatum, gummi-reſinarum, emplaſtrorum officinalium	℥j.
Pulverum	ʒß.

Si vero emplaſtrum mediæ conſiſtentiæ deſideratur, recipe

Oleorum, ſive eorum, quæ paulo ante indicata ſunt,	℥j.
Ceræ, ſive eorum, quæ ei ſimilia ſunt,	℥iß.
Pulverum	ʒvj.

Si denique emplaſtrum durioris conſiſtentiæ eſt præparandum, ſume

Olei, ſive mox memoratorum	℥j.
Ceræ, ſive aliorum ad eam accedentium	℥ij.
Pulveris.	ʒj.

§. DCLI.

§. DCLI.

Quæ de ceræ proportione ſint animadvertenda.

Si pulveres emplaſtrum non ingrediantur, eorum defectus cera vel alio, quod ad ejus indolem accedit, ſuppleri poteſt. Cera, quæ ad emplaſtra frequentius adhibetur, eſt flava, & alba ſi uſurpatur, ejus proportio paululum eſt imminuenda, cum flavâ ſit fragilior.

§. DCLII.

De ingredientium emplaſtri quantitate, quæ Pharmacopœi judicio relinquitur determinanda.

Quæ emollitioni vel ſolutioni inſerviunt, q. ſ. præſcribuntur, neque minus uſitatiſſimum eſt, olei & ceræ, vel eorum, quæ his ſunt adfinia, utriuſque vel alterutrius quantitatem Pharmacopœi judicio relinquere determinandam: qua ratione facile evitatur error. Notandum præterea eſt, cum frigus corpora condenſet, hyeme mollium, æſtate vero duriorum quantitatem eſſe augendam.

§. DCLIII.

Quid obſervandum ſit, ſi emplaſtro officinali alia ſunt commiſcenda.

Si emplaſtro officinali miſcenda ſunt alia, Medicus horum conſiſtentiæ gnarus facile determinare poterit, quonam acceſſorio, utrum liquido, molli, tenaci, an duro opus ſit, & quanam in quantitate ſit addendum.

§. DCLIV.

Tranſitus ad ſpecialiora.

Poſtquam hactenus ea, quæ generatim circa emplaſtri præparationem ſunt obſervanda, conſideravi, ad ſpecialiora progredior, quæ de emplaſtrorum, in praxi medica ſæpius occurrentium, præparatione & uſu maxime ſunt notanda.

§. DCLV.

Quænam ordinarie ingredientium vice in emplaſtro fungantur.

Ingredientium ordinariorum vice in emplaſtris fungi ſolent, & plerumque adhibentur, gummata & reſinæ, ſive nativæ, ſive arfactæ, utpote quæ olei vel deſtillati, vel expreſſi ope facile in emplaſtri formam redigi poſſunt. Sic v. g. ex gummi anime, elemi, tacamahaca, maſtiche, reſina ladani, ſtyracis, thymiamatis, cum debita quantitate olei nuciſtæ expreſſi, vel balſami Peruviani, item olei deſtillati lavendulæ, majoranæ, rutæ, egregium emplaſtrum cephalicum, ad nucham vel tempora applicandum, præparari poteſt. Neque minus ordinariorum in emplaſtris ingredientium vicem, pro indicationis varietate, ſuſtinere ſolent, myrrha, terebinthina Veneta & Cypria, balſama, ut de Peru, Copaiva, & liquida ambra.

§. DCLVI.

Quænam ingredientia ad emplaſtra reſolventia requirantur.

Si emplaſtrum virtutis potenter reſolventis & diſcutientis eſt præparandum, huic ſcopo gummi ammoniacum, ſagapenum, galbanum, opopanax, ſperma ceti, balſamus ſulphuris terebinthinatus, maxime omnium ſapo Venetus, crocus & camphora, ſunt aptiſſima, quibus, ſi majori reſolvendi & diſcutiendi vi opus eſt, oleum tartari vel Cornu Cervi fœtidum debita in proportione addi poteſt.

§. DCLVII.

Quænam ingredi ſoleant emplaſtra emollientia.

Succi quoque vegetabilium expreſſi, ut ſuccus meliloti, cicutæ, allii, ceparum, millefolii, betonicæ, &c. neque minus mucilagines radicis altheæ, ſeminis fœnu græci, lini, corticis ſambuci, tiliæ, &c. emplaſtra emollientia frequentius ingrediuntur, uti id ex emplaſtris officinalibus apparet. Neque minus ſucci ex regno animali, ut cancrorum fluviatilium, lumbricorum terreſtrium, ab emplaſtrorum compoſitione non excluduntur, & memini, *beatum* HOFFMANNUM emplaſtrum ex axungiis, cum ſucco lumbricorum terreſtrium & camphora confectum, dummodo debita cum prudentia applicetur, in arthriticis & podagricis affectibus commendaſſe.

§. DCLVIII.

Quænam pinguedines ingrediantur emplaſtra.

Ad ea, quæ ordinarie emplaſtra ingrediuntur, pertinent porro pinguedines ex regno animali deſumtæ, ut axungia humana, canina, ſuilla vitulina, cervina &c. nec non medullæ oſſium, præſertim vituli & bovis. Hæ pinguedines virtutem poſſident relaxantem, adeoque conducunt in emplaſtris adverſus contracturas.

§. DCLIX.

Quænam emplaſtra exſiccantia ingredi ſoleant.

Ex regno minerali inter emplaſtra exſiccantia recipi ſolent ſaturnina, ut minium, lithargyrium, ceruſſa, ſaccharum ſaturni, &c. præſertim cum ſeſe intime cum pinguedine & oleis uniant, & emplaſtris ſolidam concilient conſiſtentiam. Neque minus emplaſtra exſiccantia ingredi ſolent lapis calaminaris, tutia, bolus rubra, hæmatites, magnes, crocus martis, colcothar ſeu terra vitrioli dulcis, vitriolum album, alumen & id genus alia. Sunt, qui emplaſtri, ex ſaccharo ſaturni & camphora, vel ex minio cum aceto vini confecti, in inflammatione non adeo magna tollenda virtutem laudant. Dantur etiam emplaſtra, quæ mercurius & ſulphur ingrediuntur, cujus generis eſt emplaſtrum de ranis cum mercurio Vigonis, quod ad tumores venereos reſolvendos adhiberi ſolet, & emplaſtrum diaſulphuris Rulandi.

§. DCLX.

De ordine ingredientium & ſubſcriptione in formula emplaſtri.

Is, quo emplaſtri magiſtralis ingredientia chartæ inſcribuntur, ordo eſt optimus, qui præparationis ordini reſpondet. Ad ſubſcriptionem in emplaſtri formula quod attinet, illa docet interdum maſſæ emplaſticæ præparationem ejuſque ſuper vehiculo extenſionem. Ordinem vero & encheireſes ad legitimam emplaſtri præparationem pertinentes prætereo, præſertim, cum hæc Pharmacopœo cognita ſupponi poſſint.

§. DCLXI.

De uſu emplaſtrorum officinalium.

Sat magnus proſtat emplaſtrorum officinalium numerus, ut magiſtrali ſæpius non opus ſit compoſitione, & vel ſolum emplaſtrum præſcribatur officinale, vel plura ſimul, idonei olei, ſpiritus, tincturæ, &c. ope ſubigenda. Interdum loco baſis inſerviunt, iiſque reliqua ſcopo adcommodata admiſcentur; qua ratione operæ & tempori parcitur, & error facile evitari poteſt.

§. DCLXII.

De uſu emplaſtrorum generatim.

Uſus emplaſtrorum eſt multiplex. In morbis enim tum externis, tum internis adhibentur, cum eorum virtus non corporis ſolum ſuperficiem afficiat, ſed altius etiam penetret. In morbis externis ſine emolliendi, diſcutiendi, reſolvendi, conſolidandi, exſiccandi, dolores ſedandi, partium ſenſum & motum perditum reſtituendi, uſurpari ſolent. In morbis a cauſa interna adhiberi emplaſtra, itidem per ſe manifeſtum eſt. Dantur enim emplaſtra cephalica, quæ capiti in ejus morbis, ut cephalalgia, vertigine, epilepſia, aliiſque ejus generis affectibus, applicantur; pectoralia, quæ pectori, v. g. in tuſſi con-

convulſiva, admoventur; ſtomachica, quæ ad compeſcendam nimiam vomitionem & ventriculum roborandum adhibentur, carminativa, atque alia, quæ abdomini, ad partium in ejus cavo contentarum, ſpaſmos & dolores ſedandos, applicantur, & in doloribus arthriticis, podagricis, lienis & hepatis obſtructione, aliisque morbis internis adhibentur.

§. DCLXIII.

Exempli loco inſerviunt

I. Emplaſtra potenter reſolventia.

1.

℞. Gummi ammoniaci
Galbani
Opoponacis
Sagapeni, } depuratorum & in aceto ſquillitico ſolutorum.
Saponis Veneti,
Myrrhæ electæ, ana ʒij.
Camphoræ ſive
Balſami ſulphuris terebinthinati ʒß.
Olei tartari fœtidi ʒj.
Ceræ flavæ q. ſ.
M. F. l. a. Emplaſtrum.

2.

℞. Emplaſtri de cicuta,
Diachyli cum gummatibus ſive
De galbano crocati, ana ℥ß.
Camphoræ ʒß.
M. F. Emplaſtrum.

3.

℞. Emplaſtri ſaponati Barbette,
de cicuta,
gummi ammoniaci Foreſti,
ana ℥ß.
Malaxando in ſpiritus vini camphorati q. ſ.
F. Emplaſtrum.

Horum emplaſtrorum ingredientibus addi pro re nata poteſt crocus & ſperma ceti. Si ejusmodi emplaſtro dolor vel ſpaſmus ſimul eſt mitigandus, in debita quantitate admiſceri poteſt crocus, vel oleum hyoſcyami; quo fine id etiam ab *illuſtri b. m.* HOFFMANNO fuit adhibitum. Si vero mammæ tumor, a lacte ſtagnante proveniens, eſt reſolvendus, ſperma ceti ad hunc ſcopum obtinendum maxime eſt aptum.

4.

℞. Emplaſtri diachyli compoſiti vel
Diaſulphuris Rulandi,
de ranis cum mercurio ana ℥ß.
Malaxando cum balſami ſulphuris terebinthinati, vel olei cornu cervi fœtidi q. ſ. f. Emplaſtrum.

Conducit hoc præſertim in tumoribus a cauſa venerea ortis reſolvendis.

II. Emplaſtra emollientia.

1.

℞. Emplaſtri de meliloto,
Spermate ceti,
Galbano crocati ana ℥ß.
Cum ſpiritus vini camphorato q. ſ.
malaxando, F. Emplaſtrum.

2.

℞. Succi ceparum,
Liliorum alborum,
Meliloti,
Pulpæ ficuum,
Mellis ana ℥j.
Croci ʒij.
Ceræ flavæ,
Terebinthæ ana q. ſ.
M. F. l. a. Emplaſtrum.

Aliud virtutis potenter emollientis emplaſtrum ex ficubus, melle, cepis toſtis, farina fabarum, croco, ſucco liliorum alborum, debita in proportione commixtis, præparari poteſt.

III. Emplaſtrum ſtomachicum circa cordis ſcrobiculum applicandum.

℞. Emplaſtri de cruſta panis ℥iß.
Maſtiches,
Styracis,
Tacamahaca, ana ʒiß.
Balſami Peruviani,
Olei nuciſtæ expreſſi, ana ʒj.
Menthæ,
Caryophyllorum,
Abſynthii, ana gutt. XX.
M. F. Emplaſtrum ſuper alutam extendendum.

Hoc emplaſtrum conducit in ventriculi atonia & iis, qui exinde oriuntur, affectibus, ut malo hypochondriaco, borborygmis, flatibus, nauſea, vomitu, & dolore preſſorio gravativo in & poſt digeſtionem.

IV. Emplaſtrum antiſpaſmodicum.

1.

℞. Theriacæ cœleſtis ℥j.
Olei nuciſtæ expreſſi ʒiij.
Balſami Peruviani,
Pulveris caſtorei,
Croci, ana ʒj.
Camphoræ ʒß.
Olei caryophyllorum,
de Cedro ana gutt. XV.
Ceræ flavæ q. ſ.
M. F. Emplaſtrum.

2.

℞. Axungiæ humanæ ℥j.
Spermatis ceti ℥ß.
Pinguedinis caſtorei ʒiij.
Olei hyoſcyami ʒij.
Balſami Peruviani ʒj.
Picis albæ,
Ceræ flavæ ana q. ſ.
M. F. Emplaſtrum.

Hoc emplaſtrum No. 1. ſummo cum fructu adhibetur in ventriculi ſpaſmis, & effectibus, qui exinde oriuntur. No. 2. conducit potiſſimum in contracturis.

V. Em-

V. Emplaſtrum roborans & antiſpaſmodicum.

1.

℞. Olei nuciſtæ expreſſi,
Axungiæ humanæ non rancidæ, ana ℥ß.
Reſinæ ſtyracis,
Thymiamatis, ana ʒj.
Balſami Peruviani ʒij.
Olei lavendulæ gutt. XX.
Ceræ albæ q. ſ.
M. F. Emplaſtrum.

2.

℞. Maſtiches,
Terebinthinæ Venetæ, ana ℥j.
M. F. Emplaſtrum.

Hoc No. 1. egregia gaudet virtute caput & ventriculum roborandi, hinc eo fine ad tempora, cervicem, vel ſcrobiculum cordis applicari poteſt.

VI. Emplaſtrum veſicatorium.

℞. Emplaſtri de meliloto ℥ß.
Pulveris cantharidum recentis ʒß.
Balſami Peruviani gr. XV.
M. F. Emplaſtrum.

VII. Sparadrapum pectorale, emolliens, reſolvens, ad tuſſim a frigore ſuſcepto.

℞. Unguenti altheæ compoſiti ℥i.
Adipis gallinæ ʒiij.
Olei expreſſi ſeminum papaveris ℥ß.
Ceræ citrinæ ℥iß.
Simul leni igne liquefactis immiſce
Radicis iridis Florentinæ ſubtiliſſime pulveriſatæ ʒj.
Olei nuciſtæ expreſſi ℈j.

detentis in fluore immerge telam lineam veterem, magnitudinis, figuræ in charta transmittenda deſcriptæ, probe imbutam extende, lævіga, & laxe convolutam exhibe. S. Tela emplaſtica, quæ pectori applicetur, tegatur panno laneo villoſo, vel pelle cati.

SECTIO XVIII.

De formula Cerati.

§. DCLXIV.

De ingredientibus cerati.

NOminis *cerati*, *ceroti*, *cerelæi*, origo quidem eſt a cera & oleo, ſed hæc non conſtanter accedunt, ſed ſæpe, his omiſſis, ingredientium vice in cerato funguntur, quæ memorata ſunt §. DCXXXIX. id quod ex eo apparet, cum ceratum ab emplaſtro ratione mollitiei differat §. DCXXX. adeoque ea, quæ ingredientia emplaſtri eſſe poſſunt, eorundem vicem in cerato ſuſtinere queant, dummodo ſemper ad majorem ejus mollitiem reſpiciatur. Rarius adhibetur magiſtrale, frequentius officinale, vel, hoc deficiente, emplaſtro olei ope facile cerati mollities conciliari poteſt.

§. DCLXV.

De proportione ingredientium cerati.

Cum ceratum ab emplaſtro in eo differat, quod eo mollius ſit §. DCXXX. DCLXIV. ejus ingredientium proportio in eo tantum ab ingredientium emplaſtri proportione differt, quod in illa majoris mollitiei habenda ſit ratio, atque ita, ut hæc obtineatur, ſit concinnanda. Talis eſt, ut olei ℥j. recipiat ceræ ℥ß. pulveris ʒj - iß. pro ejus gravitatis ſpecificæ varietate, vel pulvere omiſſo ceræ drachmas quinque.

§. DCLXVI.

Scholion.

Hæc ingredientium cerati proportio non adeo exacte obſervatur, ſed, prout ejus conſiſtentia vel paulo mollior, vel denſior deſideratur, variat, & hæc eſt ratio, cur officinalium aliqua a nonnullis ad claſſem ceratorum, ab aliis vero ad unguenta & emplaſtra referantur.

§. DCLXVII.

Exemplum præbet.

Ceratum reſolvens.

℞. Gummi Ammoniaci,
Galbani, ana ℥ß.
Solvantur in aceti ſquillitici q. ſ. & cum
Ceræ citrinæ ℥ß.
Olei infuſi abſinthii q. ſ.

Leni igne colliquata redigantur in ceratum, quod ſuper aluta eſt extendendum.

SECTIO XIX.

De formula Unguenti.

§. DCLXVIII.

Quænam requirantur in unguento.

UNguentum, ſi rite comparatum eſſe, & qualitatibus ſuis ſe commendare debet, conſiſtentiæ ſit diffluentis quidem, ſed in frigore etiam ſequacis, mollitiem habeat lubricam, aſperitatis expertem, ejuſque ingredientia æqualiter inter ſe ſint commixta, neceſſe eſt.

§. DCLXIX.

Quænam unguenti ingredientia eſſe poſſint.

Cum unguentum ſit medicamentum externum, emplaſtro & cerato mollius, & conſiſtentiam habeat ad mellis vel electuarii conſiſtentiam fere accedentem §. DCXXX. omne id ingredientis vice in unguento fungi poteſt, quod vel per ſe, vel aliorum commixtione in talem formam redigi poteſt. Talia ſunt omnia iſta, quæ ingredi poſſunt emplaſtra, & jam memorata ſunt §. DCXXXIX.

§. DCLXX.

Demonſtrata de excipientibus & excipiendis emplaſtri valent quoque de excipiendis & excipientibus unguenti.

Si qua ingredientia, ex quibus unguentum eſt formandum, in ejus formam redigi nequeunt, aliis opus eſt, quæ ipſis eandem largiuntur. Illa dicuntur *excipienda*, hæc *excipientia*. Transferantur huc dicta de emplaſtro §. DCXLI. DCXLII. quod nimirum primo in unguento excipientia requirantur, ſi qua excipienda ſunt, deinde illorum quantitas & qualitas ex horum quantitate & qualitate determinetur, & denique excipientibus in unguento non ſemper opus ſit.

§. DCLXXI.

Quænam mixta in unguentum redigi poſſint.

Cera, oleum, pinguedo, terebinthina, vel ea, quæ horum indole prædita ſunt, debita in quantitate aſſumta & colliquata, per ſe ſine aliorum beneficio in unguentum redigi poſſunt. Reſina, gummi reſina, cera, pix, emplaſtrum, ceratum officinale, vel ea, quæ ejuſdem ſunt naturæ & indolis, ſingula vel ſeorſin, vel plura ſimul, oleo emollita, aliis abſentibus unguentum præbere poſſunt. Immo vero medulla, butyrum, axungia, mel, unguenta officinalia, ſola etiam, ſine materiæ liquidæ vel durioris acceſſu, in unguentum abeunt, cui, ſi paulo mollius deſideratur, ut in magiſtrali fieri ſolet, pauxillum olei, ſi ſpiſſius, ceræ vel pulveris parum eſt commiſcendum. Ex terebinthina denique, ſi axungia, oleo vel vitello ovi dividitur, unguentum formari poteſt. Ex quibus adductis apparet, his in unguentis terebinthinæ & ceræ non æque creberrime eſſe uſum, ac in emplaſtro. Abſunt ſæpiſſime ab unguento officinali.

§. DCLXXII.

Proportio ingredientium unguenti variat pro ejus conſiſtentia.

Conſiſtentiæ in unguentis non adeo fixi ſunt limites, quin ea pro vario ſcopo mutetur, & aliquorum mollior, aliorum vero ſpiſſior ſit, uti facile unguenta officinalia perluſtranti patebit. Quapropter ingredientium unguenti, prout ea magis vel minus ab unguenti conſiſtentia diſtant, varianda eſt proportio.

§. DCLXXIII.

Proportio ingredientium in unguento ſpecialius determinatur.

Mollia, quæ memorata ſunt §. DCXXXIX. No. 2. quacunque fere proportione commixta, in unguentum abeunt, cui tamen, ſi nimia metuitur denſitas, olei q. ſ. additur. Olei uncia una cum ceræ, vel eorum, quæ ad ejus accedunt indolem, drachmis duabus vel tribus, in unguentum abit. Si præter ea pulvis additur, ceræ proportio pro rata eſt imminuenda, ita, ut hujus drachmæ duæ, illius drachma una, vel integra cum dimidia, recipiatur, vel, quantitate pulveris definita, ceræ q. ſ. præſcribatur. Notandum vero eſt, pulveres cum oleo vel ſolo, vel cum aceto juncto, in unguentum redigi poſſe, quod poſterius in ſaturninis præcipue obtinet, quamvis alias glutinans inſuper ſpiſſius requiratur. Tum vero, ſi pulvis olei beneficio in unguentum eſt redigendus, ejus quantitatem ad drachmas tres, interdum quatuor, augere licet. Si denique his allegatis ingredientibus accedunt mollia, illorum proportio fere manet eadem, ac ſi hæc abſfuiſſent.

§. DCLXXIV.

Quænam ingredientium proportio in nutrito ſit obſervanda.

Si unguentum nutritum paratur ex oleo & aceto plumbi, æqualis fere utriuſque, vel alterutrius q. ſ. capitur; ſi vero ex oleo, aceto ſimplici, & ſale vel calce plumbi conficitur, priorum pars una æqualis, poſterioris dimidium ſufficit.

§. DCLXXV.

Quænam circa præſcriptionem unguentorum ſint animadvertenda.

Si unguenta præſcribit Medicus, caveat, ne draſtica, inflammantia, rodentia & id genus alia, vel ſola, vel magna in quantitate ad unguenta recipiat, ſed ea, ſi illis utitur, lenioribus fracta adhibeat, ne vel cutim, vel in corpus univerſum delata, id moleſte afficiant. Si præterea unguenta præſcribenda ſunt, quæ interioribus mutandis dicantur, materia illorum talis eſt eligenda, ut interiora penetrare poſſit, nec nimis ſit tenax. Et cum denique ſat magnus unguentorum officinalium proſtet numerus, iis vel ſolis, vel pluribus inter ſe junctis uti, iiſque alia ſcopo apta commiſcere convenit.

§. DCLXXVI.

Specimina ſunto

I. Unguenta digeſtiva.

1.

♃. Terebinthinæ coctæ ℥iv.
Vitellos ovorum No. III.
Exacte miſtis admiſce
Mellis roſarum ℥ß.
Pulveris maſtiches,
Myrrhæ,
Olibani, ana ʒj.
Croci ℈j.
M. F. Unguentum.

Conducit in partibus ſenſibilibus & exſanguibus.

2.

♃. Mellis roſarum ℥j.
Terebinthinæ ℥ß.
Vitellos ovorum No. II.
Pulveris myrrhæ electæ ʒij.
M. F. Unguentum.

II. Unguentum pomatum contra vitia cutis.

♃. Pinguedinis omenti vitulini ℥j.
Spermatis ceti ʒiij.
Ceræ albæ q. ſ.
M. F. Unguentum.

Admiſceri poteſt debita in quantitate balſamus de Copaiva.

III. Unguentum ophthalmicum.

♃. Butyri inſulſi ℥iv.
Tutiæ ppt. ℥j.
Corallii rubri,
Camphoræ,
Sacchari Saturni, ana ʒß.
Nihili albi ʒij.
Viridis æris gr. xij.
M. F. Unguentum, cujus grana duo oculi angulo majori ſomni tempore illinenda ſunt.

Ejuſmodi unguentum poteſt quoque ſolum ex butyro inſulſo & vitrioli albi debita quantitate confici, & ſic creberrime adhibitum fuit ab *illuſtri* b. m. HOFFMANNO.

SECTIO XX.

De formula Linimenti.

§. DCLXXVII.

Quænam ingredientium vice in linimento fungi poſſint.

CUm linimentum ſit medicamentum externum, quod minorem unguento mollitiem poſſidet & mediæ fere inter oleum & unguentum eſt ſpiſſitatis §. DCXXX. omnia iſta ingredientium vice in linimento fungi poſſunt, quæ in ejus formam vel per ſe, vel commixtione aliorum redigi poſſunt, & talia ſunt memorata §. DCXXXIX.

§. DCLXXVIII.

§. DCLXXVIII.

Spiſſitatis linimenti gradus non unus idemque obſervatur.

In linimento quidem mollities lubrica, & mixtio æquabilis, æque ac in unguento, requiritur, ſed ſpiſſitatis ejus non unus idemque obſervatur gradus, ejuſque limites adeo vagi ſunt, ut non omnes ſolum gradus medii inter oleum & unguentum, ſed ipſa etiam olei tenuitas & unguenti denſitas interdum in linimento admittantur. Videtur hinc hic vix peccari poſſe exceſſu tenuitatis, at omnino ſpiſſitatis, utpote quæ nimia, & linimenti illitum, & ejuſdem penetrationem reddit difficilem.

§. DCLXXIX.

Corollarium.

Quæ igitur cum ita ſint, patet exinde, cur olea expreſſa, deſtillata ſola, nullo ſpiſſiore accedente, linimento materiem nonnunquam præbeant, idque contra quandoque ex ſola etiam materia ſpiſſa unguentiformi, ut pinguedinibus, medullis, unguentis officinalibus, &c. inter ſe miſtis, paretur, ita, ut vero unguento ſit ſimile.

§. DCLXXX.

Ex quibusnam linimenta præparari ſoleant.

Frequentius tamen linimenta ex materia ſpiſſa unguentiformi & oleis, quæ majorem dant mollitiem, præparari ſolent. Sed olea etiam cum materia ſolidiore, qualis eſt §. DCXXXIX. No. 4. indicata, in litum abeunt. Quin pulvis, de quo dixi §. cit. No. 3. oleo ſoli, vel cum aliis liquidis remixto, tritu vel coctione junctus, nonnunquam loco linimenti eſt. Atque ex his omnibus apparet, linimentum ex liquidis §. DCXXXIX. No. 1. ſpiſſis §. cit. No. 4. 5. debita in proportione conjunctis, enaſci poſſe, ſed & hic ſimplicitati eſt ſtudendum.

§. DCLXXXI.

Quomodo linimenta ex oleis & aqueis ſive ſpirituoſis liquidis parentur.

Interdum linimenta conficiuntur ex oleis & liquidis aquoſis & ſpirituoſis, ſed tunc diuturno tritu vel coctione aquam diſſipante ſunt conjungenda, & interdum, ſi oleis aquea tritu ſunt miſcenda, ſapone opus eſt, ne mora divortium faciat. Conferunt huc vitellus ovi, mel, ſapo, alcali, & id genus alia.

§. DCLXXXII.

De proportione ingredientium linimenti.

Si olea ſola ingredientium vice in linimento funguntur, conſiſtentia qualemcunque admittit proportionem, ſed cavendum ſimul, ne acriora olea prædominentur. Neque minus ſpiſſa unguentiformia, quacunque fere in proportione aſſumta, litum præbent, aſt ſcito, alia aliis eſſe denſiora, ut nimiam caveas ſpiſſitatem. Et ſi materiæ ſpiſſæ unguentiformis drachmis duabus, tribus, quatuor, prout varie denſa eſt, admiſcetur olei uncia una, mediocris conſiſtentiæ litus exſurgit. Similis enaſcitur ex olei uncia una & materiæ ſolidioris, qualis eſt §. DCXXXIX. No. 4. drachma una. Obtinent præterea huc dicta §. DCLII. DCLXXV.

§. DCLXXXIII.

Exempli loco ſunt

I. Linimenta nervina.

1.

℞. Axungiæ humanæ vel vitulinæ vel canis recentis,
Olei nuciſtæ expreſſi, ana ℥j.
Balſami Peruviani ʒiij.
Olei caryophyllorum,
Lavendulæ,
Majoranæ, ana ʒj.
M. F. Linimentum.

2.

℞. Aquæ Reginæ Hungariæ ℥iv.
Balſami Peruviani ℥ß.
Olei roriſmarini,
Lavendulæ,
Caryophyllorum, ana ʒiß.
M. F. Linimentum.

II. Unguentum contra hæmorrhoides cœcas dolentes.

℞. Unguenti de linaria ℥j.
Olei hyoſcyami ʒij.
Camphoræ gr. X.
M. F. Linimentum.

III. Linimentum emolliens & diſcutiens.

℞. Axungiæ caninæ,
Olei amygdalarum dulcium, ana ℥ß.
Camphoræ ʒj.
M. F. Linimentum.

vel

℞. Axungiæ caponis ſeu
Olei amygdalarum dulcium ℥j.
Camphoræ ʒj.
M. F. Linimentum.

SECTIO XXI.

De formula Balſami odorati externi.

§. DCLXXXIV.

Quid ſit balſamus odoratus.

UNguentum olfactus organon valde afficiens & inunctioni ſerviens, dicitur *balſamum odoratum.*

§. DCLXXXV.

Quænam dotes laudentur in balſamo.

Cum unguentum his ſe commendet dotibus, quæ in eo conſiſtunt, ut ejus conſiſtentia diffluat quidem, ſed ſequax tamen ſit, mollitiem habeat lubricam, aſperitatis expertem, & ingredientia æquabiliter inter ſe ſint mixta §. DCLXVIII. patet, dicta valere quoque de balſamo odorato, cum ſit unguentum §. DCLXXXIV. Quoniam vero præterea odore olfactus organon afficere debet, ex fragrantibus ut conſtet, odoriſque in eo ratio habeatur, neceſſe eſt, ne is vel noceat, vel alienis corrumpatur, aut enervetur. Coloris quoque, qui in balſamo odorato minus eſt neceſſarius, uſitatus tamen, cura non prorſus eſt negligenda.

§. DCLXXXVI.

Quænam ingredientia balſami odorati eſſe poſſint.

Balſamus odoratus eſt unguentum olfactus organon valde afficiens §. DCLXXXIV. Qua de re omnia iſta ingredientium vice in balſamo odorato fungi poſſunt, quæ vel per ſe, vel cum aliis commixta in tale unguentum redigi poſſunt.

§. DCLXXXVII.

Recenſentur, quænam ingredientia balſami eſſe poſſint.

Talia ſunt 1) liquida, ut olea aromatica deſtillata, expreſſa, balſama liquida, naturalia, ſive artefacta, eſſentiæ, ſpiritus, ſalia volatilia oleoſa, 2) ſpiſſa, ut balſamus Peruvianus,

extracta, electuaria generoſiora, croci, opii, theriaca, gummi-reſinæ, moſchus, zibethum, & ſimilia, 3) ſicca, ut aromata, crocus, cinnamomum, caryophylli, benzoe, caſtoreum, ſuccinum, ambra, &c. 4) pinguia, ut oleum nucis moſchatæ expreſſum, pinguedo inodora alba, v. g. porci, &c. medulla crurum vituli, butyrum, cera, unguentum officinale, pomatum, roſatum, nervinum, &c. balſamum odoratum officinale, & id genus alia.

§. DCLXXXVIII.

Quænam balſamo colorem concilient.

Coloris balſamo odorato conciliandi cauſa adhiberi ſolent pigmenta varia, cinnabaris, ſantalum rubrum, ſmaltum, coccinella, curcuma, umbra, aſphaltum, ſuccus rhamni cathartici, grana Kermes, ochra, bolus armena, & pulveres alii tenuiſſimi.

§. DCLXXXIX.

Doctrina de excipientibus unguenti valet quoque de balſamo odorato.

Cum balſamum odoratum ſit unguentum §. DCLXXXIV. patet, ea, quæ de excipientibus & excipiendis unguenti demonſtravi §. DCLXX. valere etiam de balſamo odorato, hinc huc transferantur. Præterea vero notandum, excipientia balſami dividi vel in primaria, vel ſecundaria. Illorum vicem explere ſolent memorata §. DCLXXXVII. No. 4. horum vero oleum vilius expreſſum, balſamum nativum liquidum, ut Peruvianum.

§. DCXC.

Quale ſit eligendum excipiens primarium.

Si excipiente primario balſamus odoratus opus habet, tale eſt eligendum, quod excipiendorum odores nec mutat, ſed & vim potius auget, nec eorum, ſi fieri poteſt, colores alterat. Hinc hoc fine oleum nuciſtæ expreſſum, ope ſpiritus vini colore & odore privatum, frequentiſſime adhiberi, atque hoc eam ob cauſam *corpus pro balſamo* vocari ſolet. Cera ſola rarius excipientis vicem gerit, quum plure oleo ſatis molleſcat, crebrius vero inſervit pinguibus mollioribus reſtricta in quantitate in balſami formam redigendis; ſi vero excipientis primarii loco adhibetur, eligenda eſt virginea, alba.

§. DCXCI.

Pinguia recentia excipientis primarii vicem, non vero rancida gerere poſſunt.

Pinguia rancida, ſi adduntur aliis balſami ingredientibus fragrantibus, horum vim & odorem mutant & pervertunt, hinc excipientis primarii vicem ſupplere nequeunt §. DCXC. ſed pinguia, ſi iis hoc fine eſt utendum, recentia ſint oportet.

§. DCXCII.

Quænam excipientia olida adhiberi ſoleant.

Si excipiens olidum eſt adhibendum, quod excipientis odorem & vim auget, tale eſt eligendum, quod ſcopo reſpondet. Plerumque oleum nuciſtæ crudum, unguenta & balſama officinalia, gummi-reſinæ, ejus vicem explent.

§. DCXCIII.

Quando excipiente ſecundario opus ſit.

Excipiente ſecundario non ſemper opus habet balſamum odoratum, ſed tunc demum, ſi ejus maſſa nimis eſt ſpiſſa, atque tum vel odoris expers, vel reliquis virtute congruum eligitur.

§. DCXCIV.

De proportione ingredientium balſami.

Ingredientium balſami odorati proportio variat pro eorundem & balſami ipſius conſiſtentia. Hæc etenim in balſamo æque ac in unguento non certis circumſcribitur limitibus, ſed variat. Uſitatior excipientis & excipiendi in balſamo proportio hæc eſt, ut capiatur

corporis pro balſamo	℥I.
excipiendi primarii liquidi	ʒI. -- II -- III.
excipiendi primarii ſpiſſi & ſicci	ʒß. -- I -- II.
excipiendi ſecundarii	q. ſ.

§. DCXCV.

Quænam obſervetur proportio, ſi aliud excipiens, quam corpus balſamo adhibeatur.

Loco corporis pro balſamo ſolet etiam drachma ceræ unciæ excipientis mollioris, ut axungiæ vel unguenti, addi; ſic enim enaſcitur excipiens, quod ad corpus pro balſamo ratione conſiſtentiæ accedit. Si cera ſola excipit, ut rite emolliatur, duplo liquidi oleoſi opus eſt; ſi vero & ſiccum inſuper accedit, hoc pro cera eſt habendum, & tum, ne nimia enaſcatur ſpiſſitas, excipiens ſecundarium requiritur, ejuſque q. ſ. addi poteſt.

§. DCXCVI.

Quænam proportio obtineat in balſamo, ſi ex balſamis officinalibus conficitur.

Si balſamum odoratum ex balſamis officinalibus componitur, quæcunque reſpectu conſiſtentiæ proportio obtinet, & ſcopus tantum eam limitat. Si vero his alia miſcentur, ex iis, quæ hactenus dicta ſunt §. DCXCIV. DCXCV. facile determinari poteſt, quænam proportio requiratur, vel quali conſtituente opus ſit.

§. DCXCVII.

Quantitas excipiendi, ſæpe non determinatur.

Sæpiſſime ſola excipiendi quantitas in balſamo odorato determinatur, excipientis vero q. ſ. præſcribitur, vel excipientium alterutrum pondere determinatur.

§. DCXCVIII.

De variis ſpeciebus balſamorum.

Balſamum odoratum ut ſit odoris grati fragrantis, non abſolute neceſſarium eſt, ſed aliquando balſamum ingrati odoris requiritur. Paucis, balſami odor variat pro ſcopo, qui balſamo intenditur. Sic balſama vulneraria dicta odorem ſpirant injucundum. Dantur etiam balſama liquida, ut balſamum vitæ HOFFMANNI, ſed hæc ad mixturas pertinent concentratas.

§. DCXCIX.

Speciminis loco inſerviunt

I. Balſami nervini.

1.

♃. Corporis pro balſamo ℥ß.
Olei meliſſæ Turcicæ,
Lavendulæ,
Ligni rhodii,
Caryophyllorum,
Majoranæ,
Rutæ, ana gutt. VIII.
Balſami Peruviani ℈j.
M. F. Balſamus. Addi poſſunt moſchi & ambræ pauca grana.

2.

♃. Corporis pro balſamo ℥ß.
Balſami vitæ Hoffmanni ʒß.
M. F. Balſamus.

II. Bal-

II. Balſamus hyſtericus.

♃. Olei nuciſtæ expreſſi ʒij.
Pinguedinis caſtorei ʒj.
Extracti caſtorei ℈j.
Olei chamomillæ,
Succini,
Rutæ ana gutt. V.
M. F. Balſamus.

III. Balſamus contra læſiones externas.

♃. Liquoris myrrhæ,
Balſami Peruviani, ana ʒj.
Terebinthinæ Venetæ ʒij.
M. F. Balſamus.

SECTIO XXII.

De formula Epithematis ſicci.

§. DCC.

De variis ſpeciebus epithematis ſicci. Epithema ſiccum eſt pulvis medicatus, qui parti corporis externæ panni, in quo incluſus eſt, beneficio imponendo applicatur. Varia id accipit nomina, prout pannus, in quo incluſum eſt, hujus vel illius eſt figuræ, & vel aliis atque aliis partibus applicatur. Sic *epithema ſiccum*, ſi conſuto panno incluſum externæ corporis parti applicatur, *ſaccus*, *ſacculus*, & ſi hic pannus ſcuti, lectuli, pulvinaris figuram refert, *ſcutum*, *lectulus*, *pulvinar* appellatur. Si idem ſacculus capiti imponitur, audit *cucupha*, germanice *Kräutermütze*. Pulvis ad epithema ſiccum adhibetur craſſior, vel mediocriter tenuis.

§. DCCI.

Quænam ingredientia eſſe poſſint epithematis ſicci. Cum epithema ſiccum ſit pulvis §. DCC. omnia iſta, quæ ingredi poſſunt pulverem internum §. CCCXCI. CCCII. CCCIII. ingredientium vice in epithemate ſicco fungi poſſunt, ſi ſcilicet externo uſui ſunt apta.

§. DCCII.

Quænam præ aliis adhiberi ſoleant in epithemate ſicco. Quamvis vero multa ingredientium vice in epithemate ſicco fungi poſſint §. DCCI. vegetantia tamen ſicca, eorumque partes, ut herbæ, flores, folia, radices, baccæ, ſemina, cortices, aromata & ex his compoſitæ ſpecies officinales maxime hic adhiberi ſolent. Neque hoc eſt mirandum, & facile patet perpendenti, multa ex adductis §. DCCII. virtutem poſſidere uſui quidem interno, non vero externo aptam, & vegetantia potiſſimum huic inſervire ſcopo. Cum vero vegetantia ſicca, ſi efficaci prædita non ſint agendi principio, vel eorum virtus ſiccando perierit, parum vel nihil virtutis exſerant, ea ita comparata eſſe debent, ut virtute etiam gaudeant efficaci, ſi ad epithema ſiccum ſunt recipienda; alias Medicus ſcopum ſuum plane non aſſequeretur.

§. DCCIII.

Quid ſubſcriptio hic determinet. Subſcriptio in formula epithematis ſicci determinat pulveris præparationem, ſacculi confectionem ejuſque repletionem.

§. DCCIV.

Speciminis loco ſunt

I. Epithema diſcutiens.

♃. Radicis iridis Florentinæ,
Sigilli Salomonis, ana ℥ß.
Herbæ ſalviæ,
Majoranæ,
Thymi,
Rutæ,
Florum lavendulæ
Sambuci,
Chamomillæ Romanæ ana mß.
Cardamomi,
Cubebarum ana ʒiij.
Baccarum lauri ℥j.
Conſciſſa, contuſa tenuiter, miſta, linteo inſuantur & applicentur calide.

II. Pulvis pro cucupha, quo creberrime uſus fuit b. HOFFMANNUS capite debili.

♃. Radicis iridis Florentinæ ℥j.
Storacis calamitæ,
Benzoes,
Succini ppt.
Caryophyllorum aromaticorum ana ʒij.
Florum lavendulæ,
Roſarum,
Chamomillæ Romanæ ana p. IV.
Conſciſſa, contuſa groſſo modo, redigantur in pulverem pro cucupha.

Alius pulvis pro cucupha.

♃. Herbæ ſerpilli,
Majoranæ,
Origani, ana mj.
Mari Indici p. II.
Florum anthos,
Cheiri,
Roſarum rubrarum ana p. III.
Succini,
Maſtiches, ana ʒiij.
M. F. Pulvis groſſus.

vel

♃. Radicis angelicæ ℥j.
Herbæ ſalviæ,
Majoranæ,
Foliorum & florum roriſmarini,
Summitatum ſerpilli ana mß.
Seminis nigellæ Romanorum ʒiij.
Caryophyllorum aromaticorum,
Maſtiches,
Styracis calamitæ, ana ʒj.
Conſciſſa, contuſa, miſta D. ad chartam, S. Species pro cucupha, quæ goſſypio exceptæ includantur cuculli duplicaturæ, & punctim interſuantur.

SECTIO XXIII.

De formula Epithematis liquidi.

§. DCCV.

Epithema liquidum eſt medicamentum liquidum, quod parti externæ imponendo applicatur. Hoc fit plerumque vehiculi apti interventu. *Quid ſit epithema liquidum.*

§. DCCVI.

§. DCCVI.

Quænam ingredientium vice in epithemate fluido fungi poſſint.

Cum epithema liquidum ſit fluidum, quod externe vehiculi beneficio applicatur §. DCCV. omnia iſta ingredientium vice in eo fungi poſſunt, quæ vel per ſe, vel cum aliis commixta conſtituunt fluidum medicatum, quod externe vehiculi ope imponendo applicari poteſt.

§. DCCVII.

Recenſentur, quænam ingredi poſſint epithema liquidum.

Talia ſunt vina, aceta, ſpiritus vini, olea, aquoſa, ut aqua ſimplex, deſtillata, ſpiritus aromatici, tincturæ, eſſentiæ, liquores ſalini, lixivia, infuſa, decocta, emulſiones, mixturæ mediæ & concentratæ.

§. DCCVIII.

Mollia & ſolida in liquore ſolubilia etiam ingredi poſſunt epithema liquidum.

Mollia & ſolida, quæ virtute externo uſui apta gaudent, & in menſtruo commodo ſe ſolvi patiuntur, itidem ingredientium vice in epithemate liquido fungi poſſunt. Omnia enim iſta in eo ingredientium vice fungi poſſunt, quæ vel per ſe, vel cum aliis in liquidi externi formam redigi poſſunt §. DCCVI.

§. DCCIX.

De ſignatura in formula epithematis liquidi.

Signatura in formula epithematis liquidi indicat primo ejus præparationem, ſi hæc Pharmacopœo non committitur, deinde partes externas fovendas, tum vehiculum, tandem, utrum epithema frigidum, an calidum ſit applicandum, quomodo applicatum ſit tenendum, quouſque relinquendum, ejus uſus continuandus & renovandus.

§. DCCX.

Speciminis loco inſerviunt

I. Epithema contra capitis dolorem & agrypniam.

♃. Aquæ roſarum,
Aceti roſarum, ana ℥ij.
Nitri purificati,
Salis ammoniaci, ana ʒj.
Olei ligni Rhodii gutt. XII.
Camphoræ in ſpiritu vini ſolutæ gr. III.
M. D. S. Liquor, qui frigidus panni lin. ei ope eſt applicandus.

II. Epithema nervinum.

♃. Aquæ Reginæ Hungariæ ℥iß.
Balſami vitæ Hoffmanni ℥ß.
M.

Hoc creberrime uſus fuit celeberrimus b. m. HOFFMANNUS ad ventriculum roborandum, atque illud externe ejus regioni imponi poſſit.

III. Epithema reſolvens, diſcutiens.

♃. Spiritus vini rectificati ℥viij.
Saponis Veneti ℥ij.
Camphoræ ʒij.
M.

Addi huic remedio poſſunt, balſami Peruviani drachmæ duæ, ſi roborandi fine ſimul adhibetur, &, ſi ſpaſmos mitigare debet, olei nuciſtæ deſtillati drachma una.

Silentio hic præterire non poſſum, aquam reginæ Hungariæ, ſi in certa ejus quantitate tantum ſaponis Veneti, quantum capit, ſolvitur, inſignem acquirere vim reſolventem ac diſcutientem, eamque ipſe habui perſpectam ac exploratam in tumoribus inveteratis, qui aliorum conſuetorum remediorum virtutem eluſerunt, reſolvendis, dum hoc remedium loco affecto imponi & infricari juſſerim.

IV. Epithema contra inflammationem & gangrænam imminentem.

♃. Aquæ calcis vivæ,
Solani,
Plantaginis,
Aceti vini deſtillati, ana ℥ij.
Ceruſſæ,
Boli albæ,
Lithargyrii, ana ʒij.
M. D. S. Liquor, cui calefacto linteum triplicatum immergendum, & quod expreſſum parti affectæ eſt applicandum.

SECTIO XXIV.

De formula Cataplaſmatis cocti.

§. DCCXI.

Quænam cataplaſmatis cocti ingredientia eſſe poſſint.

Cum cataplaſma coctum ſit epithema molle, pultiforme, coctione paratum §. DCCXXVII. omnia iſta ingredientium vice in cataplaſmate cocto fungi poſſunt, quæ cum aliis coqui atque in ejus formam redigi poſſunt.

§. DCCXII.

Ad quænam in cataplaſmate cocto præſcribendo ſit reſpiciendum.

Omnia, quæ cum aliis coqui & in cataplaſmatis formam redigi poſſunt, ingredientium vice in cataplaſmate cocto fungi poſſunt §. DCCXI. Qua de re in cataplaſmate cocto præſcribendo ad duo maxime eſt reſpiciendum, *primo* ad *materiam decoquendam*, *deinde ad liquidum, quocum eſt decoquenda.* Attendendum præterea eſt ad *acceſſorium*, quod coctionis impatiens, vel ea non egens, ſub coctionis fine, vel ea peracta, vel ad cataplaſmatis virtutem augendam, vel conſiſtentiam & cohæſionem lubricam ipſi conciliandam, addi ſolet.

§. DCCXIII.

Quænam materiam decoquendam largiantur cataplaſmati cocto.

Materies cataplaſmatis cocti ita comparata eſſe debet, ut vel per ſe mollis ſit vel coctione molleſcat, & virtute gaudeat ſub coctione, quæ hic aperto inſtituitur vaſe, non plenarie avolante. Quæ igitur cum ita ſunt, omne id cataplaſmati cocto materiam largiri poteſt decoquendam, quæ præbet materiam qualitatibus dictis præditam.

§. DCCXIV.

Unde petatur materies decoquenda.

Radices, bulbi, herbæ, flores, ſummitates, fructus, cortices, aliaque multa vegetantia, vel per ſe mollia, vel coctione molleſcentia, materiem cataplaſmati cocto largiri poſſunt decoquendam. Omne enim id cataplaſmati cocto ſuppeditare poteſt materiam decoquendam, quod vel per ſe molle eſt, vel coctione molleſcit, & virtutem ſuam ſub coctione minus perdit §. DCCXIII. Ad hæc referuntur ex regno animali

animali & foſſili, quæ pauca ſuppeditant, ſtercora & nidus hirundinum. Patet e contrario, vegetantia minus ſucculenta non ingredi poſſe cataplaſma coctum.

§. DCCXV.

Quomodo liquidum cataplaſmatis cocti comparatum eſſe debeat.

Liquidum, quod ad cataplaſma coctum adhibetur, ita comparatum eſſe debet, ut ſcopo & materiæ decoquendæ aptum ſit & accommodatum, ejuſque vis, quæ in dato caſu deſideratur, ſub coctione non plenarie imminuatur. Omnia ergo his dotibus prædita fluida liquidum cataplaſmati cocto ſuppeditare poſſunt.

§. DCCXVI.

Quænam liquidum cataplaſmati cocto præbere poſſint.

Aqua, lac, vinum, acetum ſimplex, vel medicatum officinale, urina, lixivium, olea expreſſa, axungiæ liquefactæ, ſunt liquida, quæ dotibus memoratis §. DCCXV. ſunt inſtructa, hinc liquidum cataplaſmati cocto præbere poſſunt §. cit. Nonnulli vinum, cum ſalva ſua vi coctionem vix ferat, pulpæ jam coctæ admiſcere ſolent, alii vero id cum ipſis ſpeciebus decoqui jubent.

§. DCCXVII.

De ſelectu liquidi cataplaſmatis pro ejuſdem varietate.

Loco liquidi ad cataplaſma coctum adhibetur aqua, inprimis lac, olea expreſſa, axungiæ, ſi emolliendi fine uſurpatur, vinum, acetum ſimplex, vel medicatum officinale, urina, lixivium, ſi eo ad reſolvendum & diſcutiendum utimur.

§. DCCXVIII.

Quomodo acceſſoria comparata eſſe debeant.

Acceſſoria, quæ vel ad cataplaſmatis virtutem augendam, vel conſiſtentiam ei debitam conciliandam adhibentur, debent eſſe vel per ſe liquida, vel calore liqueſcentia, vel rata eſſe mollia pultiformia, vel pulverulenta teneriora, nec æquabili miſcelæ reſiſtere.

§. DCCXIX.

De acceſſoriis virtutem cataplaſmatis augentibus.

Quæ igitur cum ita ſint, acceſſoriorum, quæ ſub fine coctionis, vel ea peracta, ad virtutem cataplaſmatis augendam adduntur, vice fungi poſſunt, vinum, acetum, ſpiritus, aquæ & olea aromatica, tincturæ, eſſentiæ, balſama, fermentum panis, ſalia, ſapo, pulveres teneriores, vegetantium partes molliores, aromaticæ, crocus & ſimilia. Eorum vero acceſſoriorum, quæ cataplaſmati conſiſtentiam & cohæſionem lubricam largiuntur, locum ſuſtinere poſſunt farinæ, pulveres tenues, olea, mel, ovi albumen, vitellus, mucilagines & id genus alia.

§. DCCXX.

Acceſſoriis non ſemper opus eſſe ſed quomodo & quando iis opus ſit, oſtenditur.

Cum acceſſorium in cataplaſmate cocto ad virtutem ejus vel augendam, vel conſiſtentiam debitam ei conciliandam adhibeatur §. DCCXII. eo non ſemper opus eſt, ſed id tantum conſiſtentia vel virtus expetita, in materie cocta deficiens, poſtulat. Hinc ſi magma juſto tenuius eſt, nec ſatis æquabile, pulveres vel farinas, ſi ſiccius & minus lubricum, olea & quæ ad eorum accedunt indolem, addimus, & interdum acceſſorio commodo ad gratiam ejus augendam utimur.

§. DCCXXI.

En! exempla

I. Cataplaſma emolliens.

℞. Radicis altheæ,
Liliorum alborum ana ℥ß.
Herbæ altheæ,
Malvæ ana mß.
Florum chamomillæ vulgaris,
Sambuci,
Meliloti ana p. III.
Farinæ ſeminis lini ſeu
Fœnugræci ℥ij.
Conſciſſa, contuſa, miſta f. Species pro cataplaſmate, in quantitate ſufficienti lactis decoquendæ.

II. Cataplaſma diſcutiens.

℞. Radicis angelicæ ſeu iridis Florentinæ ℥ß.
Herbæ ſalviæ,
Majoranæ,
Serpilli,
Rutæ,
Florum lavendulæ,
Sambuci,
Chamomillæ Romanæ ana mß.
Cumini,
Coriandri,
Cubebarum,
Baccarum lauri ãã ʒiij.
Conciſa, contuſa, miſta f. Species pro cataplaſmate.

III. Cataplaſma crudum contra hæmorrhoides cœcas valde dolentes.

℞. Micæ panis ſimilaginei aqua roſarum q. ſ. ſolutæ ℥j.
Farinæ radicis altheæ ℥ß.
Croci ℈ß.
Album. ovi No. 1.
Conterendo in mortario redige in pultem.
D.

SECTIO XXV.

De Formula Clyſteris.

§. DCCXXII.

De clyſtere ſimplici & compoſito.

Quemadmodum omne medicamentum eſt vel ſimplex, vel compoſitum §. XXXV. ita & clyſter eſt vel ſimplex, vel compoſitus.

§. DCCXXIII.

Quænam clyſteris ingredientia eſſe poſſint.

Cum clyſter ſit medicamentum liquidum, quod ope ſiphonis inteſtino recto injicitur, §. DCXXVIII. omnia iſta, quæ vel per ſe ſunt fluida, huic uſui apta vel aliorum ope in clyſteris formam redigi poſſunt, ingredientium vice in clyſtere fungi poſſunt.

§. DCCXXIV.

Recenſentur, quænam clyſteris ingredientia poſſint.

Talia ſunt 1) liquida, ut aqua ſimplex, lac, ejus ſerum, vinum, urina, decoctum, ut hordei, avenæ, ſpecierum emollientium, carminativarum, juſcula carnium, olea expreſſa, 2) ſpiſſiora, mollia & ſolida, ut ſapones, ſalia, ſaccharum, mella, pulpæ, electuaria, vitellus ovi, pinguedines, medullæ, ſeva, balſama, unguenta. Hæc etenim vel per ſe ſunt fluida, vel aliorum commixtione in formam fluidam redigi poſſunt.

§. DCCXXV.

Ingrediens clyſteris ſimplicis debet eſſe fluidum.

Sicut omne medicamentum ſimplex, ita & clyſter ſimplex ex uno conſtat ingrediente §. XXXIV. Jam omne id, quod vel per ſe eſt fluidum uſui clyſteris aptum, vel cum aliis in clyſteris formam redigi poteſt, ingredientis vice in clyſtere fungi poteſt, §. DCCXXIII. Qua de re ingrediens clyſteris ſimplicis, cum unum tantum ſit, ita comparatum eſſe debet, ut per ſe ſit fluidum uſui clyſteris aptum, nec fluidam formam aliorum miſcela acquirat. Ponas enim contrarium, hoc eſt, ingrediens clyſteris ſimplicis non eſſe per ſe jam fluidum, tunc aliis opus eſſet, quorum miſcela formam ipſi fluidam conciliaret, adeoque orietur non clyſter ſimplex, ſed compoſitus; id quod repugnat hypotheſi. Clyſter ex ſolo lacte vel oleo confectus dicta confirmat.

§. DCCXXVI.

Ingredientia clyſteris compoſiti omnia ut ſint fluida, non abſolute neceſſe eſt.

Quamvis clyſteris ſimplicis ingrediens debeat eſſe per ſe, ſine aliorum miſcela, fluidum §. DCCXXV. nihilominus tamen, ut omnia clyſteris compoſiti ingredientia fluida ſint, non abſolute neceſſe eſt. Cum enim clyſter compoſitus, ſicut omne medicamentum compoſitum, ex pluribus uno conſtet ingredientibus §. XXXIV. & omnia iſta ingredientium vice in clyſtere fungi poſſint, quæ aliorum miſcela in clyſteris formam redigi poſſunt §. DCCXXIII. aliqua clyſteris compoſiti ingredientia poſſunt eſſe non fluida, ſed vel ſolida, vel mollia, dummodo iſta aliorum ope in clyſteris formam redigi poſſint.

§. DCCXXVII.

De variis modis clyſterem compoſitum præparandi.

Varii dantur modi clyſterem compoſitum præparandi; ſed hi omnes commode in certas redigam claſſes, ut eo facilius comprehendi poſſint. Vel enim iſta clyſteris compoſiti ingredientia, quæ non ſunt fluida, ſed vel ſolida, mollia, vel alius cujuſcunque indolis, ita ſunt comparata, ut ſe vel ex toto, vel ex parte in clyſteris compoſiti ingrediente fluido, vel pluribus ingredientibus fluidis, ſolvi patiantur. Duplex ergo hoc in caſu exſurgit modus præparandi clyſterem compoſitum, unus ſcilicet, quo præparatur ex quibuſdam ingredientibus non fluidis, ſed vel ſolidis, vel mollibus, vel aliis in ingrediente fluido, vel pluribus, ex toto ſolubilibus, alter vero, quo aliqua clyſteris compoſiti ingredientia in ejuſdem ingrediente fluido, vel pluribus ingredientibus fluidis, ex parte tantum ſolvuntur.

§. DCCXXVIII.

Scholion.

Specimen prioris modi, quo præparatur clyſter compoſitus §. DXXVII. præbent clyſteres iſti, qui conficiuntur ex ſapone, melle, ſalibus, vitello ovi, ſaccharo, ſyrupis in aqua plenarie ſolutis; poſterioris vero modi, quo præparatur clyſter ex quibuſdam ingredientibus non fluidis, ſed vel ſolidis, mollibus aliiſque non fluidis, in ingrediente ejuſdem fluido ex parte ſolutis, exemplum præbent clyſteres quidam ex vegetabilibus decoctione parati.

§. DCCXXIX.

Clyſteres compoſiti præparari poſſunt decoctione.

Si vegetabilia, quæ coquendo virtutem ſuam plenarie non perdunt, vel alia coctioni apta, cum idoneo fluido decoquuntur, oritur liquidum virtute eorum, quibuſcum decoctum fuit, medica & uſui clyſteris apta, imprægnatum. Jam fluida virtute clyſteris uſui apta prædita, ingredientium vice in clyſtere fungi poſſunt §. DCCXXIII. Qua de re clyſter compoſitus decoctione cum idoneis ſpeciebus parari poteſt, atque hic modus conficiendi clyſterem ordinarius eſt & ſatis frequens.

§. DCCXXX.

De uſu clyſterum in genere.

Clyſterum frequentiſſimus eſt & varius uſus. Adhibentur enim vel ſcopo evacuandi, vel alterandi, vel utroque ſimul. Sic uſurpari ſolent ad ſtercora indurata emollienda, inteſtinorum tractum parteſque his vicinas relaxandas, vel roborandas, ſpaſmos & dolores in inteſtinis partibuſque vicinis ſævientes ſedandos, acrimoniam in inteſtinis hærentem demulcendam atque involvendam, corpus nutriendum, roborandum, ſanguinem & humores a partibus ſuperioribus ad inferiores derivandos, alvi excretionem aliaſque excretiones promovendas, nec non alios ad uſus.

§. DCCXXXI.

Ex quibus clyſteres emollientes ſunt parandi.

Quando feces duræ, quæ inteſtinis craſſis impactæ hærent, ſunt emolliendæ & inteſtina relaxanda, enemata ex remediis emollientibus, cujus generis ſunt ex radicibus, radix altheæ, liliorum, alborum, ex herbis, herbæ quinque emollientes, ex floribus, flores chamomillæ, millefolii, malvæ, meliloti, ſambuci, verbaſci, ex ſeminibus, ſemen lini, fœnugræci, ex fructibus, ficus & paſſulæ, ex dulcibus, manna, mel, ſyrupus violarum, ex oleis expreſſis, oleum amygdalarum dulcium, lini, ex oleis coctis, oleum chamomillæ, cum aqua, vel potius lacte, quod aqua magis relaxat, decoctis, parare convenit.

§. DCCXXXII.

Quænam loco ſtimuli adhibeantur in clyſteribus.

Loco ſtimuli clyſteribus maximo cum fructu admiſcentur ſalina, ut ſal commune, vel ſal gemmæ, quod ſali communi præferendum, Ebshamenſe, Sedlicenſe, digeſtivum Sylvii, aliaque ſalia neutra & alcalina; indicata tamen ſunt uſitatoria. Saccharum quoque ſtimuli cauſa interdum adjicitur. Si ejuſmodi clyſtere æſtus nimius eſt temperandus, addi poteſt nitrum.

§. DCCXXXIII.

Clyſteres contra dolores & ſpaſmos ex quibus conficiantur.

Si ſpaſmorum & dolorum, qui non inteſtinorum modo volumen, ſed remotas etiam torquent partes, atrocia clyſterum ope eſt mitiganda, id quod in colica, doloribus ex calculo potiſſimum, aliiſque innumeris affectibus requiritur, clyſteres conducunt ex meris oleis expreſſis & pinguedinibus animantium parati, cui ſcopo inſerviunt præſertim oleum coctum chamomillæ, millefolii, oleum amygdalarum dulcium, lini, pinguedo humana, canina, anſeris, taxi. Eidem ſcopo conveniunt ſpecies emollientes & anodynæ, ut flores chamomillæ vulgaris, ſambuci, meliloti hujuſque generis alia, nec non crocus, cum lacte decoctæ. In pathematibus ſpaſmodicis, epilepticis & convulſivis motibus, ſpecifica ut addantur, ex uſu eſt, ut radix, ſemen & flores pœoniæ, ſuccus lumbricorum terreſtrium, & in hyſtericis pathematibus caſtoreum, ejus pinguedo, aſa fœtida & ſagapenum, maximo cum fructu admiſcentur.

§.DCCXXXIV.

§. DCCXXXIV.

Ex quibuſnam parentur clyſteres contra acrimoniam humorum in inteſtinis.

Ad humorum acrimoniam, in inteſtinis craſſis hærentem, involvendam & demulcendam, & inteſtinorum eroſionem vel præcavendam, vel curandam, præter clyſteres ex ſpeciebus emollientibus cum lacte decoctis paratos, aliosque §. DCCXXXI. DCCXXXIII. deſcriptos, egregii ſunt uſus clyſteres ex decocto pedum vitulinorum, vervecinorum, raſuræ cornu cervi, raparum, ſeminum papaveris albi, cydoniorum, avenaceo, lacte chalybeato, cum oleo vitellorum ovi, vel ipſis ovi vitellis, mixto; quorum tamen unum præ altero virtute ſe magis commendat.

§. DCCXXXV.

Clyſteres carminativi ex quibuſnam ſint parandi.

Si inteſtinorum canalem nimis relaxatum roborandi & flatuum & fecum contentarum progreſſum promovendi fine ſunt adhibendi clyſteres, ad eos recipienda ſunt ſtomachica & carminativa; ut ſemina quatuor carminativa majora, inprimis cuminum; ex herbis, herba majoranæ, thymi, roriſmarini, chamomillæ, menthæ, meliſſæ; ex floribus, flores lavendulæ, chamomillæ Romanæ; ex baccis, baccæ lauri, juniperi; ex oleis, oleum deſtillatum carvi, menthæ, rutæ. Pilulæ balſamicæ Hoffmanni, in debita liquidi quantitate ſolutæ & ano injectæ, maxime conducunt, ſi inteſtinorum tonus eſt roborandus & humores ſimul vitioſi ſtagnantes ſunt evacuandi.

§. DCCXXXVI.

De clyſteribus nutrientibus.

Quamvis adhuc multa habeam nec inutilia, quæ de clyſterum præparatione ad caſus in praxi obvios accommodanda dicere poſſem; nihilominus tamen, ne nimis ſim longus, hæc miſſa faciam. Hoc tantum moneo, quod, ſi clyſter nutriendi ſcopo eſt adhibendus, juſculo carnium nihil ſit aptius, & quidam acida vetent miſcere clyſmati, ſed hujus rei rationem ego ſaltem non perſpicio. Sane, ubi corrigenda eſt putrilago, vel refrænandus calor febrilis, acidi dilutioris uſum ſuadent omnia.

§. DCCXXXVII.

Non adeo exacta requiritur oleorum cum aqueis mixtio in clyſteribus.

Si olea cum aqueis in clyſtere ſunt adhibenda, non æque exacta, ac ſi interne uſurparentur, eorundem requiritur mixtio; quamvis & mel, vitellus ovi, ſaccharum, ſapo, ſalia, alio fine, dum ſcopus fert, addita hanc promovere queant.

§. DCCXXXVIII.

A quibus ſit abſtinendum in clyſteribus.

Opiatis, purgantibus draſticis, iis maxime, quorum vis ſubdola ſe vaſis inſinuat, caute in clyſteribus eſt utendum; cum in inteſtinis craſſis ſat magna in copia nervi & abſorbentes venulæ adſint. Neque minus, ſi ſtimulantia in uſum ſunt vocanda, circumſpecte eſt determinandum, quibus & quantis opus ſit. Si enim potentiſſime excitare, expellere & revellere volueris, ſtimulo languente ages nihil, & ſi diutius retinendum clyſma, ut emolliat, diluat, demulceat, foveat, nutriat, ab acribus abſtine.

§. DCCXXXIX.

Quomodo ingredientium clyſteris proportio determinetur.

Mutua ingredientium clyſteris proportio in genere certis non limitari poteſt legibus, ſed cujvis ad indicationem, materiæ injiciendæ materiem, ægri vires, ejuſque vel majorem vel minorem ſenſibilitatem, & requiſitam injectionis conſiſtentiam, attento, in quovis ſingulari caſu determinatu eſt facilis.

§. DCCXL.

De proportione purgantium & ſtimulantium in clyſteribus.

Si purgantibus opus eſt infuſis, decoctis purgantibus, ſolis vel intermiſtis, hæc plerumque dupla recipiuntur doſi, qua darentur ori ingerenda, interdum & tripla, immo majore, ubi fortius eſt ſtimulandum. Salium mediorum, quæ magis hic uſitata, drachma una, duæ, ad liquoris uncias decem, pro ſtimulo mediocri fere ſufficiunt, alias tamen uncia una & duæ adhibentur in acerrimis clyſteribus.

§. DCCXLI.

De doſi clyſteris.

Clyſteris doſis variat pro ratione ætatis, conſtitutionis ægri, effectus præſtandi, aliarumque in caſu obvio occurrentium circumſtantiarum. Ratione ætatis hæc obtinet regula, ut injiciantur

infanti recens nato	℥II.
provectiori	℥III--IV.
puero	℥VI--VII.
adulto	℥VIII--X--XII.

§. DCCXLII.

De ſignatura in formula clyſteris.

Signatura in formula clyſteris, præter ea, quæ generatim de iſta dixi, docet ſæpius ea, quæ ante & poſt injectionem ſunt agenda, & injectionem ipſam ſpectant. De his & uſu clyſteris quæ dici poſſent, multa ſuperſunt, ſed mihi properandum eſt ad alia.

§. DCCXLIII.

Specimina ſunto

I. Clyſteres emollientes & antiſpaſmodici.

1.

℞. Radicis altheæ,
liliorum alborum ãã ℥ß.
Herbæ malvæ,
parietariæ,
Florum chamomillæ vulgaris,
ſambuci,
meliloti ana mß.
Seminis lini
fœnu græci ana ʒiij.
Conciſa, contuſa, miſta coque in aquæ ſimplicis, vel, quod melius eſt, lactis, vel decocti avenacei q. ſ. colaturæ unciis octo adde
Olei amygdalarum dulcium vel
chamomillæ ℥ij.
F. Clyſma.

2.

℞. Florum chamomillæ Romanæ,
Avenæ excorticatæ ana ℥ij.
coque in aquæ quantitate ſufficiente, colaturæ ℥vij. adde
Olei lini vel
chamomillæ cocti ℥ij.
F. Clyſma.

3.

℞. Olei lini ℥viij.
chamomillæ cocti ℥j.
Mucilaginis ſeminis fœnugræci ℥ß.
M. f. Cyſter.

II. Clyſter ad acrimoniam humorum in inteſtinis ſtagnantem demulcendam & tunicas eorum læſas conſolidandas.

℞. Avenæ decorticatæ mj.
Summitatum millefolii,
Florum chamomillæ vulgaris,
Sambuci ana mß.
coquantur in decocti oſſium vituli, vel lactis vaccini, in quo ferrum candens fuit extinctum, q. ſ. colaturæ ℥vij. adde
Terebinthinæ Venetæ cum vitello ovorum ſubactæ,
Mellis roſarum ana ʒiij.
M. f. Enema pro adulto.

Loco ingredientium primo loco poſitorum adhibere quis poteſt vel ſolum decoctum avenaceum, vel ſolos flores chamomillæ, cum aqua vel lacte decoctos.

III. Clyſter antihyſtericus.

℞. Decocti avenæ tenuiſſimi ℥iv.
Olei chamomillæ cocti ℥ij.
Pinguedinis caſtorei ʒj.
Salis gemmæ ʒij.
M. f. Clyſter.

IV. Clyſter domeſticus, quo creberrime uſus fuit b. HOFFMANNUS.

℞. Avenæ excorticatæ mij.
Florum chamomillæ vulgaris mj.
Seminis cumini ß.
coque in ſufficiente quantitate aquæ communis, colaturæ adde
Olei lini vel
Amygdalarum dulcium vel
Chamomillæ cocti ℥ß--℥j.
Sacchari vel
Mellis ℥ß. vel hujus loco
Salis communis ʒj -ij.
M. f. Clyſter.

SECTIO XXVI.

De formula Suppoſitorii.

§. DCCXLIV.

Quotuplex ſit ſuppoſitorium. Sicut omne medicamentum eſt vel ſimplex, vel compoſitum §. XXXV. ita & ſuppoſitorium eſt vel ſimplex, vel compoſitum.

§. DCCXLV.

Quænam ſuppoſitorium ingredi poſſint. Cum ſuppoſitorium ſit medicamentum externum, plus minus ſolidum, variæ figuræ, quod ano intruditur §. DCXXXVI. omne id ingredientis vice in ſuppoſitorio fungi poteſt, quod vel per ſe, vel aliorum commixtione in ejus formam redigi poteſt.

§. DCCXLVI.

Ingrediens ſuppoſitorii ſimplicis debet per ſe formæ ſuæ capax eſſe. Medicamentum ſimplex, hinc & ſuppoſitorium ſimplex, ex uno conſtat ingrediente §. XXXIV. Jam omne id ingredientis vice in ſuppoſitorio fungi poteſt, quod vel per ſe, vel aliorum commixtione in ejus formam redigi poteſt §. DCCXLV. Qua de re ingrediens ſuppoſitorii ſimplicis, utpote quod unum tantum eſt, ita comparatum eſſe debet, ut per ſe, ſine aliorum miſcela, in ejuſdem formam redigi poſſit.

§. DCCXLVII.

Quænam ingredientia in ſuppoſitorio ſimplici eſſe poſſint. Cum ingrediens ſuppoſitorii ſimplicis ita comparatum eſſe debeat, ut per ſe, ſine aliorum miſcela, in ejuſdem formam redigi poſſit §. DCCXLVI. omne id ingredientis vice in ſuppoſitorio ſimplici fungi poteſt, quod per ſe, ſine aliorum miſcela, ad ſuppoſitorii formam recipiendam aptum eſt, & ſuppoſitorium ſimplex ex tali præparari poteſt.

§. DCCXLVIII.

Recenſentur ingredientia ſuppoſitorii ſimplicis. Ejuſmodi ſuppoſitoria ſimplicia ſunt ea, quæ conficiuntur ex ſaccharo, in globuli vel conuli formam redacto, ſapone Veneto ſimiliter figurato, ſevo candelæ, cereoli particula butyro illita, lardo loto, melle ad duritiem cocto, caule porri, caudula rapæ, radice betæ, braſſicæ decorticata, debite formata, oleo vel butyro illita.

§. DCCXLIX.

Fieri poteſt, ut quædam ingredientia ſuppoſitorii compoſiti in ejuſdem formam per ſe redigi nequeant. Quamvis vero ſuppoſitorii ſimplicis ingrediens ita comparatum eſſe debeat, ut per ſe, ſine aliorum miſcela, in ſuppoſitorii formam redigi poſſit §. DCCXLVI. nihilominus tamen fieri poteſt, ut quædam ſuppoſitorii compoſiti ingredientia per ſe, ſine aliorum miſcela, in ſuppoſitorii formam redigi nequeant, atque hoc in caſu aliis opus eſt, quæ illis hanc formam largiuntur. Illa dicuntur *excipienda*, hæc *excipientia.*

§. DCCL.

Quænam loco excipientis in ſuppoſitorio adhibeantur. Excipientis vicem in ſuppoſitorio plerumque ſuſtinet mel, ad eam duritiem coctum, ut gutta marmori inſtillata & frigefacta non adhæreſcat, ſed fragilis ſit. Interdum ſapo Venetus, vitellus ovi, mucilago tragacanthæ, vel ſaccharum tabulatum, unguentum, emplaſtrum, loco excipientis adhibentur.

§. DCCLI.

Quænam excipienda eſſe poſſint in ſuppoſitorio. Excipiendorum in ſuppoſitorio compoſito vicem ſuſtinere ſolent acria ſtimulantia, ut ſal commune, gemmæ, alumen, nitrum, ammoniacum, aloe, myrrha, ſapo, maſſæ pilularum purgantium, pulveres hellebori, trochiſci alhandal, & id genus alia.

§. DCCLII.

Materies ſuppoſitoriorum variat pro ejuſdem uſu. Si ſuppoſitorium ad vitia inteſtini recti propria corrigenda adhibetur, pro horum varietate materia ad id recipitur varia, ut detergens, balſamica, conſolidans, emolliens, &c. atque hæc vel ſola, ſi fieri poteſt, vel alio apto excipiente, unguento interdum, cerato, vel emplaſtro, in ſuppoſitorii formam cogitur, vel in unguenti ſive balſami ſpiſſitudinem redacta, carptis linteis, goſſypio, vel lana excipitur, atque in globulum, glandem, vel turundam formatur, cui filum alligandum, foras propendens, quo ano immiſſa rurſus extrahi poſſit.

§. DCCLIII.

De proportione ingredientium ſuppoſitorii. Mutua ingredientium ſuppoſitorii compoſiti proportio determinari facile poteſt ex excipientis, excipiendorum, & ipſius paſtæ efformandæ conſiſtentia, ſingulorum virtute & ſuppoſitorii efficacia, quæ deſideratur. Si mel induratum excipientis vice in ſuppoſitorio fungitur, ad ejus unciam unam recipiuntur excipiendorum ſcrupuli quatuor, vel ʒiß. & ſi mollius excipientis loco adhibetur, pro rata excipiendorum quantitas eſt minuenda.

§. DCCLIV.

§. DCCLIV.

De doſi ſuppoſitorii.

Doſis ſuppoſitorii magnitudine determinatur. Si forma ſuppoſitorii deſideratur rotunda, modo piſi, modo nucis avellanæ, modo glandis molem refert. Si conicæ figuræ adhibetur ſuppoſitorium, craſſities digiti minimi ejus, cui eſt applicandum, baſin ejuſdem determinat, ejuſque longitudo ſumitur duorum, trium vel quatuor digitorum tranſverſorum. Materiæ ſuppoſitorii quantitas variat pro ejuſdem magnitudine, & a drachma una ad ſex, vel unciam plerumque recipitur. Si applicatur ſuppoſitorium, hoc fit vel nude, vel oleo, ſive unguento idoneo, ante ejus uſum illinitur.

§. DCCLV.

Specimen præbet.

I. Suppoſitorium alvum ſollicitans pro adulto.

♃. Salis communis ʒß.
Saponis Veneti ʒj.
Mellis coctu inſpiſſati q. ſ.
M. f. Suppoſitorium.

II. Suppoſitorium ad dolores ab hæmorrhoidibus.

♃. Pulveris croci ℈j.
Opii crudi ℈ß.
Unguenti de linaria vel populeo q. ſ.
M. f. paſta, quæ ſindoni incluſa, vel cottone excepta, appenſo filo ſit pro ſuppoſitorio.

SECTIO XXVII.

Continens formulas quaſdam remediorum uſitatiores.

§. DCCLVI.

Mixtura pectoralis.

℞. Gummi ammoniaci ℥ß.
Solve in
Aceti ſquillitici ℥j.
Adde
Aquæ hyſſopi,
Veronicæ cum vino āā ℥ij.
Syrupi de eryſimo Lobelii ℥j.
M.

Hæc mixtura egregie reſolvit atque abſtergit materiam viſcidam, tenacem, pulmones parteſque ipſis annexas obſidentem, & malis, quæ exinde oriuntur, medetur, unde, quam latiſſime ejus pateat uſus, facile apparet. Loco aceti ſquillitici, recipi poteſt oxymel ſquilliticum, & loco ſyrupi de eryſimo Lobelii, ſaccharum.

§. DCCLVII.

Alia mixtura pectoralis.

♃. Aquæ veronicæ,
Hyſſopi,
Oxymellis ſquillitici āā ℥j.
Elexirii pectoralis Hoffmanni ʒiij.
M. D. S. *Bruſtträncklein auf viermal zu nehmen.*

§. DCCLVIII.

Mixtura analeptica.

♃. Aquæ meliſſæ,
Cinnamomi ſine vino āā ℥ij.
Caryophyllorum ſeu menthæ ℥ß.
Balſami vitæ Hoffmanni ʒiß.
Julepi roſarum ʒiij--℥ß.
M.

§. DCCLIX.

Mixtura analeptica b. Hoffmanni.

1.

♃. Aquæ ceraſorum nigrorum ℥iij.
Menthæ,
Caryophyllorum āā ℥ij.
Meliſſæ,
Roſarum,
Julepi roſarum ana ℥iß.
Spiritus cinnamomi ʒij.
Olei de cedro gutt. V. ſolutas in ſpiritus nervini, ſeu ſpiritus meliſſæ & roſarum rectificatiſſimi ℥ß.
M.

2.

♃. Aquæ meliſſæ,
Ceraſorum nigrorum ana ℥ij.
Cinnamomi ſine vino vel
Menthæ,
Roſarum,
Liliorum convallium ana ℥iß.
Oleo de cedro cum ſaccharo ſubacti gutt. VI.
M.

§. DCCLX.

Mixtura ad partum accelerandum.

♃. Vini Rhenani optimi ℥iß.
Aquæ cinnamomi ſine vino
Meliſſæ ana ʒvj.
Pulveris Claſſ. XIII. No. 2. ʒj.
Sacchari perlati q. ſ.
M. D. pro duabus doſibus.

§. DCCLXI.

Elexir pectorale reſolvens & roborans.

♃. Tincturæ ſalis tartari,
Eſſentiæ pimpinellæ albæ,
Croci,
Balſami Peruviani ſeu
Caſcarillæ,
Spiritus ſalis ammoniaci aniſati ana ʒj.
M.

Addi huic remedio poſſunt olei aniſi & fœniculi guttulæ aliquot.

§. DCCLXII.

Fricium antiparalyticum.

♃. Aquæ reginæ Hungariæ ℥iv.
Balſami Peruviani ʒj.
Olei lavendulæ,
Majoranæ,
Caryophyllorum ana ʒj.
M.

Huic ſpaſmorum leniendorum cauſa addi poteſt, debita in quantitate, eſſentia caſtorei croci, ſpiritus lumbricorum terreſtrium, & oleum nuciſtæ.

§. DCCLXIII.

Injectio ulceri fiſtuloſo abſtergendo & mundando apta:

℞. Decocti ariſtolochiæ rotundæ aquoſi ℥iv.
Tincturæ myrrhæ aquoſæ ℥j.
Saponis Veneti ʒj.
Mellis roſarum ʒvj.
M. S. Liquor, qui tepidus eſt injiciendus.

Tinctura myrrhæ aquoſa ſola idem præſtare mihi videtur.

Vel

℞. Decocti ariſtolochiæ rotundæ aquoſi ℥vi.
Eſſentiæ myrrhæ,
Succini āā ʒij.
Mellis roſarum ℥j.
M.

Vel

℞. Olei infuſi hyperici ℥iv.
Aloes,
Myrrhæ,
Olibani ana ʒij.
coquendo leniter, miſta, ſubige cum vitelli ovorum ℥ij.

Vel

℞. Terebinthinæ nativæ ℥ij.
Vitelli ovorum ℥j.
Subactis adde
Mellis communis ℥ij.
Spiritus vini communis ℥ß.
Aquæ communis ℥ix.

§. DCCLXIV.

Pulvis pro ſuffimigio roborante.

℞. Tacamahacæ ℥j.
Olibani,
Maſtiches,
Succini ana ℥ß.
M. f. Pulvis, cujus accenſi vapor ad partem affectam eſt admittendus.

§. DCCLXV.

Pulveres ſternutatorii.

1.

℞. Herbæ majoranæ ʒij.
Mari ʒß.
Florum liliorum convallium ʒij.
Benzoes
Caryophyllorum aromaticorum ana ʒß.
M. f. pulvis ſubtiliſſimus.

2.

℞. Radicis iridis Florentinæ,
Herbæ roriſmarini,
Thymi ſeu
Betonicæ ana ʒij.
Majoranæ,
Florum lavendulæ,
Liliorum convallium ana ʒiij.
Olei ligni Rhodii gutt. X.
M. f. pulvis ſubtiliſſimus.

§. DCCLXVI.

Dentifricium eſt vel ſiccum pulverulentum, vel liquidum, vel molle.

1.

℞. Radicis iridis Florentinæ,
Oſſis ſepiæ ppt. ana ʒij.
Maſtiches ʒß.
Aluminis uſti ℈ß.
Olei caryophyllorum gutt. iij.
M. f. pulvis tenuis.

2.

℞. Conſervæ roſarum rubrarum ℥ß.
Oſſis ſepiæ ppt. ʒij.
Sanguinis dracronis,
Corticis granatorum, ana ʒj.
Aluminis uſti ℈j.
Mellis roſacei q. ſ. ut
Fiat Electuarium.

3.

℞. Balſami vitæ Hoffmanni ʒj.
Tincturæ terræ catechu,
Eſſentiæ balſami Peruviani,
Succini,
Myrrhæ ana ʒß.
M.

Priora No. 1. & 2. dentes detergunt & firmant, poſterius vero No. 3. gingivam & dentes tantum roborat.

§. DCCLXVII.

Odoramenti forma eſt vel liquida, vel mollis, vel ſolida pulverulenta.

En exempla.

1.

℞. Olei cinnamomi gutt. VI.
Lavendulæ,
Majoranæ ana gutt. IV.
Salis volatilis ſicci de ſale ammoniaco parati ℈ß.
Sacchari albiſſimi ℥ß.
Cinnabaris nativæ ſubtiliter levigatæ q. ſ. ad coccineum ruborem.

Accurate cito miſta immittantur vaſculo vitreo, obturaculo vitreo claudendo. Admovetur naribus in languore.

2.

℞. Spiritus ſalis ammoniaci vinoſi ℥j.
Olei majoranæ,
Lavendulæ ana gutt. XII.
M. D. ad vitrum probe obturandum.

3.

℞. Salis volatilis ſalis ammoniaci ℥ß.
Olei lavendulæ,
Majoranæ ana gutt. VI.
M. D. ad vitrum probe obturandum.

FINIS.

SYL-

SYLLABUS MATERIÆ MEDICÆ SELECTIORIS CUM DESIGNATIONE PONDERIS QUO SIMPLICIA ET COMPOSITA IN OMNIS GENERIS FORMULIS PRÆSCRIBUNTUR, ITEMQUE DOSEOS, IN QUA SOLITARIE INTERDUM EXHIBENTUR.

SECTIO PRIMA.

CAPUT I. DE EMETICIS.

In pulveribus & potionibus.

Tartarus emeticus } *puero X -- XV. ann.*
Mynſichti } gr. ß -- j.
Mercurius vitæ } *adulto* gr. ij -- iij.
Crocus metallorum gr. ij -- iv -- vj.
Sulphur auratum antimonii gr. iij — vj.
Sal vitrioli vomitorium ℈j — ʒß.
Aqua benedicta Rulandi ℥ß — j.
Oxyſaccharum emeticum Ludovici ʒj — ʒiij — ℥ß.
Turpethum minerale gr. ij — iv.

In pulvere, bolo & linctu.

Radix Aſari tenerrime pulveriſata ʒß — j.
Ipecacuanhæ ℈i — ʒß.
Gummi guttæ gr. v — ℈ß.

In infuſo.

Vitrum antimonii } gr. iv. -- viij.
Crocus metallorum }
Herba Nicotiana ʒij -- iij.
Extractum Nicotianæ primæ coctionis gr. iij -- iv.
Arilli ſambuci ʒj -- iß.

Pro infantibus.

Conſerva aut ſyrupus florum }
Perſicorum } ℥ß -- j.
de Iacea }
Oxymel ſquilliticum ℈ij -- iv.
Antimonium diaphoreticum cum duabus partibus nitri detonatum & leviter calcinatum, gr. ij -- v.
Oleum Amygdalar. dulcium recenter expreſſum ℥ß--j.

ANTEMETICA.

In eſſentiis & tincturis.

Aromata omnia fragrantiora.
Radix Gentianæ rubræ.
Galangæ.
Zedoariæ.
Cortices Aurantiorum & Citri.
Eſſentiæ amaræ & ſtomachicæ, gtt. xxx -- xl.

In cataplaſmatibus & linimentis.

Species carminativæ.
Aromata & ſemina aromatica, horumque olea deſtillata.
Species pro cataplaſmate de fermento Mynſichti.

In pulvere.

Corallia rubra ppt. ℈i -- ʒß.
Species de Hyacintho ℈ß -- j.
Maſſa Pilularum de cynogloſſa gr. j -- iß.
Nitrum depuratum ℈ß.
Cortex Caſcarillæ gr. vi -- viij.

In potionibus.

Aqua Cinnamomi vinoſa, } ℥ß.
cydoniata }
Menthæ ℥i -- ij.
Aqua Veronicæ vinoſa ℥j.
Theriaca ſimplex ʒj.
Syrupus de canella }
corticum aurantiorum } ʒij -- iij.
myrtinus }
cydoniorum }
papaveris rhœados ʒiij -- ℥ß.

In

In emplaſtris.

Emplaſtrum de cruſta panis
Tacamahaca
Ladano
Baccis Lauri
Maſtiche
Oxycroceum
Ceratum de Galbano
Santalinum. } q. p.

CAPUT II.

DE EVACUANTIBUS PER ALVUM.

I. LAXANTIA.

In clyſteribus.

Rob paſſularum laxativarum
Caſſia pro clyſteribus } ℥ß. -- j.
Diacaſſia cum manna
Electuarium diaprunorum
Pulpa Tamarindorum } ℥j.
Mel anthoſatum. ℥ß. -- j.
Sapo Venetus ʒij -- ℥ß.

In pulveribus & potionibus.

Omnia ex tartaro parata, v. g.
Cremor & Cryſtalli tartari ʒß.
Tartarus tartariſatus.
Arcanum tartari.
Terra foliata tartari.
Tartarus vitriolatus amarus.
Nitrum Antimoniatum.
depuratum.
Lapis prunellæ. } ʒß -- ℈ij.
Manna, *infantibus* ʒß -- ij.
adultis ℥iß -- ℥iij.
Manna tartariſata, *adultis* ℥i -- iß.
Syrupus de manna ℥j.
domeſticus
de ſpina cervina } ℥ß -- ʒvi.
de cichoreo cum rhabarbaro ʒß -- ij.
roſarum ſolutivus ℥ß -- ʒvj.

In decoctis.

Succus Caſſiæ *infantibus* ʒij -- iij.
adultis ℥j -- ij.
Tamarindi, *infantibus* No. vj -- x.
Pulpa tamarindorum ʒj -- iß.
Paſſulæ laxativæ, *infantibus* ʒj -- ij.
adultis ℥ß -- ℥j.
Paſſulæ Corinthicæ ℥j.
Pulpa paſſularum, *adultis* ℥ij -- iij.

II. PURGANTIA.

In pulveribus, linctibus & electuariis.

Radix Jalappæ, *infantibus* gr. iv -- viij.
adultis ℈ß -- j.
robuſtioribus ʒß -- ℈ij.
Aſari pulveriſata, *adultis & robuſtioribus* ʒß - ℈ij.
Scammonium ſulphuratum
Reſina ſcammonii } gr. ij -- vj.
Iris Florentina *adultis* ʒß.
infantibus gr. iij -- vj.
noſtras, *infantibus* gr. iv. -- vj.
adultis ʒj.

Gummi guttæ, *adultis* gr. v. -- ℈ß.
Magiſterium gummi guttæ gr. ij -- iij.
Mercurius dulcis *infantibus* gr. ij -- iv.
adultis gr. viij.
Aurum fulminans *infantibus* gr. ß -- iß.
adultis gr. ij -- iv.
Magneſia alba *infantibus* ʒß -- j.
adultis ʒiij -- ℥ß.

In Emulſionibus.

Reſina Jalappæ ſimplex, *adultis* gr. iij. -- vj.
præparata, *infantibus* gr. j -- iij.
adultis gr. vj -- ℈ß.
Scammonii
Scammonium ſulphuratum. } gr. ij -- v.

In bolis & pilulis.

Aloë correcta, gr. vi. -- xv.
Extractum hellebori nigri gr. vj -- viij.
agarici gr. iij -- vj.
colocynthidis, gr. j -- iij.
eſulæ gr. ij -- v.
rhabarbari ℈j -- ʒß.
panchymagogum Crollii ℈ß -- gr. xv.
Trochiſci colocynthidis gr. j -- iij.
Agaricus trochiſcatus gr. iij -- vj.
Maſſa Pilularum Hieræ cum agarico ℈ß -- gr. xv.
de Succino Cratonis
tartarearum
de ammoniaco } gr. xv - ℈j.
Mercurius dulcis, *infantibus* gr. ij -- iv.
adultis gr. vj -- viij.

In morſulis pro infantibus.

Radix Jalappæ, gr. vj -- ℈ß.
Species diaturbith. cum rhabarb. *infantibus* gr. vj -- ℈ß.
adultis ℈j -- ʒß.
Scammonium ſulphuratum gr. ij -- v.

In decoctis & infuſis.

Radix bryoniæ ℥ß -- j.
Caſſia fiſtula ʒiij -- ℥ß.
Radix ebuli ʒij.
Fibræ hellebori nigri ʒß -- vj.
Polypodium quernum ℥ß -- iß.
Radix hermodactylorum ʒij -- vj.
mechoacannæ albæ ʒij -- ℥ß.
Myrobalani ℥ß -- j.
Rhabarbarum orientale ʒij -- ʒß.
monachorum ℥ß -- j.
Folia Sennæ ſine ſtipitibus ℥j.
Tamarindi ℥j -- ij.
Agaricus trochiſcatus ʒj -- ij.
Flores acaciæ ℥j -- ij.
Summitates fumariæ
centaurii minoris } mß.

In eſſentiis.

Eſſentia Jalappæ
Tinctura Rhabarbari } ʒj -- iij.
Succus radicis bryoniæ, *adultis* ʒij.

In Clyſteribus.

Semen carthami ʒij.
Pulpa colocynthidis in petia ligata ʒj -- ij.
Agaricus in petia ligatus
Fel tauri } ʒiß.
Electuarium Hieræ cum agarico ʒij -- iij.
Summitates centaurii minoris, pug. ij -- iij.

CAPUT

CAPUT III.

DE DIAPHORETICIS.

In pulveribus, eſſentiis ſimplicibus, decoctis & infuſis.

Aromata omnia calidiora.

Radix angelicæ
anthoræ
ari
gentianæ rubræ
carlinæ
contrayervæ
galangæ
imperatoriæ
petaſitidis
valerianæ
zedoariæ
bardanæ
caryophyllatæ
chinæ
dictamni albi
enulæ
leviſtici
œlſnitii
pimpinellæ albæ
ſarſæparillæ
ſcorzoneræ
vincetoxici.
} in *pulveribus*, ℈j -- ʒß. *eſſentiis*, gtt. xxx-xL. *decoctis*, ʒij -- iij.

Herba cardui benedicti
epithymi
galegæ
piperitidis
rutæ
ſalviæ
ſcabioſæ
ſcolopendrii
ſcordii
ſerpilli
verbenæ
antiſcorbuticæ omnes.
} in *eſſentiis* gutt. xL. *ſucco c. vino* ℥j. *decoctis* mj.

Flores anthos
calendulæ
centaurii minoris
galegæ
ſambuci
ulmariæ
arnicæ veræ.
} ſimili ratione cum herbis.

Semen rutæ, in pulveribus ℈j.
decoctis ʒij.

Baccæ juniperi
lauri
ſambuci.
} in decoctis ʒiij -- ℥ß.

Lignum ſaſſafras
ſantalinum citrinum
juniperi
guaiacum.
} in decoctis ℥ß.

In bolis & electuariis.

Prædictæ radices & ſemina in citata doſi.

Rob juniperi
ſambuci.
} ʒij -- ℥ß.

Theriaca ſimplex
Diaſcordium Fracaſtorii
Mithridatium.
} *infantibus*, ℈j. *adultis*, ʒj -- iß.

Theriaca cœleſtis, *infantibus* gr. ß -- j.

In pulveribus compoſitis.

Antimonium diaphoreticum non elixiviatum *adultis* ℈ß -- gr. xv.
elutriatum *infantibus* gr. vj - ℈ß.
adultis ℈j -- ʒß.

Bezoardicum minerale gr. xv -- ℈j.

Abſorbentia omnia ℈j.

Sal volatile Cornu Cervi
ſuccini
viperinum
Anglicanum.
} gr. j -- iij.

Camphora, *adultis* gr. ß -- j.

Myrrha
Crocus Orientalis.
} gr. iij -- iv.

Lapis bezoardicus orient. gr. ij -- iv.
occident. gr. vj -- viij.
de Goa gr. iij -- vj.

Cornu Cervi philoſophice ppt.
Unicornu verum
foſſile.
} ℈ß -- ℈j.

Cinnabaris nativa
antimonii.
} gr. iij -- vj.

Sulphur auratum antimonii ſecundæ vel tertiæ præcipitationis & bene edulcoratum, gr. j -- iij.

Flores ſulphuris
ſalis ammoniaci.
} gr. iij -- vj.

Magiſterium Cornu Cervi
Trochiſci de viperis.
} gr. vj -- ℈ß.

Mercurius diaphoreticus gr. ij -- iij.

Sal abſynthii
cardui benedicti
centaurii minoris.
} gr. viij -- ℈ß.

In eſſentiis & mixturis compoſitis.

Eſſentia alexipharmaca Stahlii
Tinctura bezoardica Michaëlis
Wedelii
Mixtura ſimplex cum camphora
ſine camphora
Liquor Cornu Cervi ſuccinatus
Spiritus eboris
Cornu Cervi
tartari
omnes volatiles.
} gutt. xx -- xxx.

Eſſentia lignorum gutt. xxx -- L.

In potionibus & julapiis.

Aquæ deſtillatæ, cardui benedicti
galegæ
plantaginis
ſcabioſæ
ſcordii
ulmariæ
florum acaciæ
ſambuci
fumariæ.
} ℥j -- iß.

Acetum bezoardicum ℥j.

Spiritus ceraſorum nigrorum
cochleariæ
liliorum convallium
roriſmarini
roſarum
ſambuci
ſerpilli.
} ʒß -- j.

acidi minerales, ad gratam aciditatem.

In emulſionibus.

Aquæ diapnoicæ prædictæ
Semen citri, aurantiorum } ℨij.
aquilegiæ, napi, raparum. } ℨß -- j.
Decocta lignorum ℥iv -- vj.

CAPUT IV.

DE DIURETICIS.

I. Resolvendo operantur.

In eſſentiis, infuſis, extractis & pulveribus.

Radix apii, ari, bardanæ, carlinæ, caryophyllatæ, helenii, imperatoriæ, leviſtici, pimpinellæ albæ, rubiæ tinctorum, valerianæ, ruſci, gentianæ rubræ, vincetoxici } in eſſentiis gutt. xL. infuſis, ℨij -- ℥ß. extracto, gr. v. pulveribus, ℈j.

Herba abſynthii, capillorum veneris, cardui benedicti, centaurii minoris, cochleariæ, fumariæ, piperitidis, naſturtii, ſcordii, ſcolopendrii, ſedi murarii, trifolii fibrini. } in decoctis & infuſis, mß -- j. eſſentiis, gtt. xL. extracto, gr. iv.

Flores geniſtæ in infuſis & decoctis pug. ij -- iij.

Semen carvi, cumini, petroſelini, apii, dauci, bardanæ, ſileris montani
Baccæ juniperi. } in pulv. ℈j -- ij. decoct. & infuſ. ℨj -- iij.

In emulſionibus.

Aquæ deſtillatæ herbarum prædictarum ℥j -- ij.
Nuclei perſicorum, ceraſorum
Semen citri, aurantiorum
Amygdalæ amaræ. } ℨij -- ℥ß.
Succus radicis raphani ℥ß -- iß.

In eſſentiis & Tincturis compoſitis.

Tinctura antimonii acris, *infantibus* gtt. vj -- xij. *adultis* gutt. xx -- xxxvj.

Eſſentia ſuccini, in ſimili doſi.
Spiritus ſalis ammoniaci, eboris, Cornu Cervi, fuliginis. } gtt. xx -- xxx.
lumbricorum terreſtrium, gtt. xxx -- xL.

In pilulis.

Extracta prædictarum radicum & herbarum, nec non reliquarum ſpecierum antiſcorbuticarum in prædicta doſi.
Gummi galbanum, ammoniacum, ſagapenum, bdellii, juniperi, ſuccini.
Terebinthina cocta. } ℈ß -- gr. xv.

II. Abstergendo operantur.

In pulveribus.

Salia omnia, præprimis fixa, acida & alcalina, v. g.
Nitrum depuratum, antimoniatum
Lapis prunellæ
Salia omnia digeſtiva & ex tartaro parata
Abſorbentia cum acido ſaturata
Lumbrici terreſtres pulveriſati
Teſtæ ovorum cum acido ſaturatæ. } ℈ß -- j.

In Tincturis & eſſentiis.

Tinctura antimonii, tartari } gutt. xx -- xxxvj.
Liquor terræ foliatæ tartari
Spiritus tartari, Nitri dulcis, Salis dulcis. } gtt. xxx -- xL.

In potionibus & julapiis.

Aquæ deſtillatæ, cardui benedicti, fumariæ, ononidis, petroſelini, urticæ. } ℥j -- ij.
Syrupi acidiuſculi, v. g. acetoſitatis citri, acetoſæ, cydoniorum, berberum, ceraſorum nigrorum, granatorum, rubi idæi. } ℨiij -- ℥ß.
Spiritus minerales acidi
Succus citri, cydoniorum. } ad gratam aciditatem.

III. Stimulando operantur.

In ſubſtantia.

Fructus cynosbati, fragorum, alkekengi } ℨß -- j.
Succus allii, ceparum } ℨij -- iij.
raphani ℥ß.

In pulveribus & potionibus.

Sal ſtipitum fabarum
ononidis
cardui fullonum
imperatoriæ } gr. vj -- ℈ß.
geniſtæ
juniperi.
Lapides percarum ℈j -- ʒß.
Fructus cynosbati } ab acinis liberati ʒj -- ij.
alkekengi
Millepedes gr. vj -- ℈ß.
Cryſtalli lunæ gr. iij -- vj.
Lapis lyncis
Judaicus } gr. vj -- xij.
nephriticus.
Trochiſci alkekengi, *junioribus*, ℈ß.
adultis, ℈j -- ij.
Cineres bufonum } gr. vj -- ℈ß.
ſcorpionum.
Sal fixum exinde paratum, gr. iij -- vj.
Cantharides gr. ij -- iv. in dilutioribus potionibus, ſed raro.
Aquæ deſtillatæ prædictæ ℥j -- ij.

In tincturis & mixturis.

Spiritus aperitivus Penoti
terebinthinæ } gtt. xv -- xx.
Tinctura nephritica Amelungii
Mynſichti
Tinctura cantharidum Bartholiniana, cochlear j.

CAPUT V.

DE REMEDIIS HÆMORRHAGIAS NATURALES PROMOVENTIBUS.

I. De Emmenagogis.

In eſſentia ſimplici, decoctis, infuſis, balneis & inſeſſibus.

Radices in Capite de diaphoreticis allegatæ.
Herba artemiſiæ
calaminthæ
meliſſæ
matricariæ
marrubii albi } in eſſentiis, gtt. xxx. reliquis formulis mß -- j.
pulegii
roriſmarini
rutæ
ſabinæ
ſerpilli.
Flores calendulæ
cheiri } in infuſis & reliquis formulis p. iij -- mj.
chumomillæ Romanæ
ſchœnanthos.
Baccæ lauri ʒj -- ij.
Aromata omnia, præcipue
Caryophylli aromatici } ʒj -- ij.
Anthophylli.

In pulveribus.

Myrrha gr. iij -- vj.
Borrax } ℈ß -- gr. xv.
Succinum

Flores Sulphuris gr. vj -- ℈ß.
Salia fixa prædictarum herbarum gr. vj -- xij.
Sal volatile ſuccini gr. ß -- ij.
Olea deſtillata aromatum &
prædictarum herbarum } gtt. iij.
Succini gtt. j -- ij.

In pilulis.

Extracta prædictarum herbarum
radicum } gr. vj -- viij.
hellebori nigri.
Aloë correcta gr. iv -- vj.
Gummi ammoniacum
Myrrha } gr. vj -- ℈ß.
Terebinthina cocta.
Olea deſtillata antea citata in dicta doſi.
Pilulæ Becherianæ
balſamicæ Stahlianæ } ℈j -- gr. xxv.
Hoffmannianæ.

In Tincturis & eſſentiis.

Tinctura ſulphuris gtt. xv -- xx.
Balſamus ſulphuris aniſatus gtt. vj -- x.
ſuccinatus } gtt. iv -- viij.
terebinthinatus.
Spiritus fuliginis
Cornu Cervi ſimplex.
ſuccinatus
Salis ammoniaci } gtt. xv -- xx.
Eſſentia myrrhæ
ſuccini
croci Orientalis.
Elixirium proprietatis ſimplex } gtt. xx -- xxx.
Paracelſi.

II. Hæmorrhoidum fluxum promoventia.

In pilulis.

Extracta ante citata.
Aloë ſuccotrina depurata gr. vj -- ℈ß.

In Tincturis.

Eſſentia croci
myrrhæ } gtt. xxx -- xL.
ſuccini.
Elixirium propr. Paracelſi } gutt. xx -- xxxvj.
Tinctura Martis helleborata.

Sub diæta.

Allium, cepæ, porrum, piper, zingiber, ſinapi & vinum generoſum.

III. Lochiorum fluxum excitantia.

Præter jam allegata,
Eſſentia alexipharmaca
Pilulæ balſamicæ } Stahlii in conſueta doſi.
Hoffmannianæ
Borrax ℈ß -- gr. xv.

De Formulis Medicamentor.

)p(2 CAPUT

CAPUT VI.

DE SALIVANTIBUS.

In pulvere, pilulis & unguentis.

Mercurialia omnia, minus corroſiva, in ſpecie.

Interne.

Mercurius dulcis gr. iij -- vj. & ultra.
Arcanum corallinum Hartmanni gr. ij -- vj.

Externe.

Mercurius crudus depuratus ʒj -- iß.

Pertinent huc ulterius

I. Decocta lignosa,

quæ conſtant ex

Radicibus chinæ
ſarſæparillæ
helenii
pimpinellæ albæ
bardanæ
liquiritiæ. } ℥j -- iß.

Herbis ſaponariæ
ſcordii
fumariæ
centaurii minoris } mj.

Lignis ſaſſafras
guaiaci
juniperi. } ℥j -- ij.

Seminibus aniſi
fœniculi } ℥ß.

Corticibus citri
aurantiorum
Paſſulis majoribus. } ℥j -- ij.

II. Gargarismata,

quorum ingredientia ſunt:

Radices caryophyllatæ
vincetoxici
iridis Florentinæ
ſigilli Salomonis
althææ
bardanæ. } ℥j -- iß.

Herbæ chærefolii
hyſſopi
pyrolæ
ſcordii
ſalviæ
ſaniculæ
veronicæ
uvulariæ. } mj.

Semina carvi
fœnu græci. } ℥ß.

Hordeum excorticatum ʒvj -- ℥j.
Paſſulæ majores ℥j.
Caricæ pingues No. iv -- vj.

III. Nimiam Salivationem temperantia.

Pulveres ex abſorbentibus ppt. ℈j -- ʒß.
Flores ſulphuris, gr. vj -- xij.
Antimonium diaphoreticum ℈ß -- j.
Diapnoica & diaphoretica leniora.
Eſſentia alexipharmaca Stahlii gtt. xxx -- xl.
Laxantia diverſæ ſpeciei, inprimis ex Mercurio dulci parata.

CAPUT VII.

DE APOPHLEGMATIZANTIBUS.

I. Errhina.

Spiritus ſalis ammoniaci
roriſmarini
volatilis Anglicanus. } gtt. paucæ.

Euphorbium ppt. gr. ß -- j.
Vitriolum album cum aquæ majoranæ vel roſarum ℥j. remiſcendum, ℈ß -- gr. xv -- ℈j.

II. Errhina et Ptarmica.

Radix hellebori albi
nigri. } gr. iij -- vj.

iridis Florentinæ
ari. } ℈ß -- j.

Herba nicotianæ
majoranæ
betonicæ
ſerpilli
thymi
roriſmarini,
Flores liliorum convallium
anthos
ſpicæ nardi
lavendulæ. } ℈j -- ij.

Semen rutæ
nigellæ
erucæ
ſinapios. } ℈j -- ʒß.

Cubebæ
Caryophylli aromatici
Piper. } ℈ß -- gr. xij.

Olea deſtillata prædictarum herbarum, nec non
roſarum
ſatureiæ
corticum aurantiorum
ſaſſafras
ligni Rhodii
de cedro
caryophyllorum
cinnamomi. } gutt. iij - vj.

Species de majorana Mynſichti
dia-tabaci. } ʒß -- j.

Ambra
Moſchus. } gr. iij -- vj.

Species ſternutatoriæ Rulandi
Wedelii. } q. p.

III. Masticatoria.

Radix pyrethri ℈ß.
Folia tabaci ℈j -- ʒß.
Maſtix ʒß -- j.

Radix angelicæ
ari
acori
carlinæ
cyperi
galangæ
gentianæ rubræ } ℈ß -- ʒß.

Radix

Radix helenii
imperatoriæ
leviſtici
petaſitidis
pimpinellæ albæ
zedoariæ
zingiberis. } ℈ß -- ʒß.

Allium
Cepæ. } q. p.

Coſtus albus
Cubebæ
Caryophylli aromatici
Piper
Cardamomum. } ℈ß -- gr. XV.

Semen erucæ
ſinapios. } gr. viij -- ℈ß.

Grana paradiſi ʒß.

Herba recens mari veri
piperitidis
majoranæ
origani
roriſmarini
ſatureiæ. } in ſubſtantia q. p. in extracto ℈ß.

CAPUT VIII.

DE EXPECTORANTIBUS.

I. Materiam viscidam tenacem evacuantia.

In pulveribus, eſſentiis, infuſis & decoctis.

Radices omnes in Cap. III. allegatæ, in ſpecie
ari
helenii
gentianæ rubræ
albæ
coſti dulcis
cyperi rotundi
ſquillæ
iridis Florentinæ
liquiritiæ. } in conſueta doſi.

Herbæ capillorum veneris
rutæ murariæ
ſcolopendrii
hyſſopi
eryſimi
marrubii albi
ſcordii
chærefolii
urticæ minoris
veronicæ. } in jam allegata doſi.

Flores Stoechados Arabicæ
ſambuci
tuſſilaginis
ſalviæ
anthos. } in infuſis & decoctis p. ij -- iij.

Semina aniſi
fœniculi
apii
petroſelini
carvi. } ʒij -- iij.

Lignum Rhodium
ſaſſafras
juniperinum
ſantalinum citrinum. } ʒiij -- ℥ß.

Extractum de peto gr. iij -- vj.

Looch de farfara
ad aſthma
ſanum & expertum
conſervæ ſcordii. } ʒij -- iij.

Mel deſpumatum
paſſulatum
roſatum
violatum. } ʒij -- ℥ß.

Gummi ammoniacum
benzoës
Succinum. } ℈ß -- ʒß.

Infantibus in ſubſtantia.

Oleum olivarum
amygdalarum dulcium. } ʒj -- ij.

Oxymel ſquilliticum ʒij -- iij.

Sperma ceti ℈ß -- j.

II. Materiam nimis acrem et tenuem expectorantia.

In potionibus & emulſionibus.

Omnia ante recenſita involventia & mucilaginoſa, in conſueta doſi.

Gummi Arabicum
ceraſorum
tragacanthæ. } ʒj -- iij.

In pulveribus.

Salia digeſtiva
Abſorbentia pura. } ℈ß -- ℈j.

Flores ſulphuris gr. iv -- vj.
benzoës gr. iij -- vj.

Radix ari
Fæcula ari. } ℈ß -- j.

Succinum ppt. gr. vj -- ℈ß.

In eſſentiis & tincturis.

Præter ante citatas
Tinctura ſulphuris gutt. x -- xv.
Balſamus ſulphuris aniſatus, gtt. iij -- vj.
Spiritus ſalis ammoniaci aniſatus, gtt. x -- xv.

Eſſentia gummi ammoniaci
ſuccini. } gtt. xv -- xx.

In potionibus.

Aquæ per fermentationem paratæ, videlicet
ſcordii
veronicæ
hyſſopi. } ℥ß -- j.
aſthmatica ℥ß.

Potio pectoralis Stahliana ℥j -- ij.

Syrupi antea recenſiti in conſueta doſi.

In pulveribus, eſſentiis, decoctis & infuſis.

Omnia ſub No. I. allegata diſcutientia.

III. Motum tussiculosum excitantia.

In potionibus.

Præter Aquas & Syrupos ſub No. I. & II. allegatos, etiam
Spiritus minerales acidi, nempe
Salis
Vitrioli
Nitri
Sulphuris per campanam
Clyſſus antimonii auratus. } paucis gtt. ad gratam aciditatem.

In Tincturis.

Tinctura papaveris rhœados
roſarum vitriolata
florum bellidis. } gtt. xxx. -- xL.

In pulvere.

Omnia Salia digeſtiva, inprimis
Nitrum, ℈ß -- gr. xv.
Species vegetabiles, inferius allegandæ.

In decoctis.

Caricæ pingues
Dactyli. } No. iv -- viij.
Paſſulæ minores
Jujubæ
Sebeſten. } ʒij -- ℥ß.
Siliquæ ceratoniæ ℥ß -- ʒvj.
Ichtyocolla, ʒj -- ij.

In potionibus & emulſionibus.

Mucilagines ſeminum pſyllii
cydoniorum
lini. } ʒj -- ij.
Gummi Arabicum
ceraſorum. } ſimili doſi.
Amygdalæ dulces ℥ij -- iv.
Pineæ
Piſtaceæ
Semen cardui Mariæ. } ʒij -- ℥ß.
Syrupi de betonica
capillorum veneris
de eryſimo Lobelii
hederæ terreſtris
de hyſſopo
liquiritia
jujubis
tuſſilaginis
violarum
pomorum. } ʒiij -- ℥ß.
Oxymel ſquilliticum ſimplex
compoſitum. } ʒij -- iij.
Aquæ deſtillatæ prædictarum herbarum.

In ſubſtantia, cataplaſmatibus, linimentis & unguentis.

Species emollientes
Olea lenientia, videlicet
olivarum
liliorum alborum
ſeſaminum
anethinum
capparum.
Axungiæ, pinguedines & medullæ diverſorum animalium, nimirum,
Pinguedo anatum
anſerum
apri
canis
caponis
gallinæ
hominis
lucii piſcis
taxi
urſæ. } *junioribus* ʒij. *adultioribus* ℥ß -- j.
Cataplaſmata, præprimis ex oleis præparata.
Unguentum rubrum potabile
pectorale
reſumtivum. } ʒij -- ℥ß.
Medullæ oſſium cervi
hirci
tauri
vituli. } ſimili cum pinguedine doſi.
Butyrum non ſalitum.

In eſſentiis & tincturis.

Spiritus aſthmaticus Michaelis
hyſſopi
Elixir pectorale Michaelis
Wedelii. } gtt. xxx -- xL.
Eſſentia helenii
gummi ammoniaci. } gtt. xx -- xxxvj.

In elæoſaccharis.

Oleum amygdalarum dulcium recenter expreſſum, ʒij.
Sperma ceti, *adultis* ʒß -- j.
Trochiſci bechici albi
rubri } ʒj -- ij.
Saccharum candiſatum, ʒiij -- ℥ß.

In electuariis.

Præter ſuperius recenſita gummata,
Gummi tragacanthæ
elemi
maſtiches
thuris. } ʒj -- iß.

CAPUT IX.

DE RUBEFACIENTIBUS, VESICATORIIS, CAUSTICIS ET CATHÆRETICIS.

I. Rubefacientia.

In cataplaſmatibus & emplaſtris.

Allium
Radix raphani } recens, ℥ß.
Radix ranunculi
Folia ranunculi } ſylveſtris, ʒiij -- ℥ß.
Semen ſinapios
amnios. } ʒij -- ℥ß.
Euphorbium
Radix pyrethri. } ʒß -- j.
Fermentum panis, q. p.
Acetum vini, vel Acetum deſtillatum, itemque ſquilliticum, q. ſ.

II. Vesi-

II. Veſicatoria.

In cataplaſmate.

Cantharides ℈j -- ʒß.

In emplaſtris.

Emplaſtrum veſicatorium Zwelfferi
Auguſtanum. } q. p.
Cantharides, in doſi conſueta, cum emplaſtri diaphoretici Mynſichti ℥ß. remixti.

Huc etiam pertinent,

a) remedia adfluxum materiæ conſervantia.

Folia braſſicæ.
Emplaſtrum citrinum
de ſpermate ranarum } q. ſ.
Oleum irinum.

b) Inflammationem præoccupantia.

Emplaſtrum diaphoreticum Mynſichti
de ſpermate ceti
ranarum
meliloto. } q. p.
Oleum liliorum alborum
amygdalarum dulcium.

c) Conſolidantia.

Emplaſtrum ſtypticum Crollii
de baccis lauri } q. p.
Norimbergenſe.

III. Cauſtica et corroſiva.

Butyrum antimonii depuratum
Lapis infernalis } magnitudine piſi.
Mercurius præcipitatus.

Huc pertinent
Remedia contra diverſa fonticulorum accidentia, qualia ſunt

a) Eſcharam removentia.

Butyrum non ſalitum
Unguentum digeſtivum Chirurgorum. } q. ſ.

b) Fluxum materiæ promoventia.

Globuli parati ex radice
gentianæ rubræ
helenii } oleo intincti.
iridis Florentinæ.

Globulus ex ſimplici ligno, cum pulvere colocynthidis, cantharidum, vel cum euphorbio, poſt intinctionem in oleo, in parciſſima doſi conſperſus.
Globulus ex ligno buxi, cum unguento Ægyptiaco illinendus.
Globulus ex cera, cum pauxillo pulveris cantharidum conſperſus.
Pulveres radicum hellebori nigri
mechoacannæ } moderata doſi inſpergendi.
jalappæ.

c) Inflammationem tollentia.

Emplaſtrum diaphoreticum Mynſichti.
de cera viridi
ſpermate ceti } camphorata.
meliloto.
Spiritus vini camphoratus
crocatus. } in ambitu fonticulorum applicandi.
Species diſcutientes & nervinæ, in forma ſacculorum vinoſorum.

d) Carnem luxuriantem tollentia.

Alumen uſtum
Cineres erinacei
talpæ } modica quantitate inſpergenda.
Radix ariſtolochiæ rotundæ.
Oleum philoſophorum
papyri } deſuper illinenda.
Unguentum Ægyptiacum.

e) Dolores & pruritum mitigantia.

In linimentis.

Olea lenientia, videlicet
liliorum alborum
chamomillæ } ℥j -- ij.
ovorum.
Camphora ℈i -- ʒß.
Ceruſſa alba ppt. ʒj -- ij.

f) Hæmorrhagias refrænantia.

Spiritus vini rectificatiſſimus.
Eſſentia florum hyperici
aloës. } externe.
Pulveres leniter ſtyptici.

g) Fœtorem removentia.

Laxantia.
Globulus ex radice Iridis Florentinæ.
Repurgatio fonticuli cum vino calido.

IV. Cathæretica.

In pulveribus & unguentis.

Os ſepiæ.
Pompholyx
Æs uſtum
Alumen uſtum
Cinis tabaci } ℈j -- ʒß.
Pulvis erinacei
talpæ
ariſtolochiæ rotundæ.
Mercurius præcipitatus ruber.
Lapis medicamentoſus. ℈ß -- ij.
Unguentum Ægyptiacum ſimplex
compoſitum } ʒj -- ij.
fuſcum Würtzii.

Per ſe & in epithematibus.

Aqua Mercurialis
Eſſentia Mercurii præcipitati. } q. ſ.

SECTIO II.

DE ALTERANTIBUS.

CAPUT I.

DE RESOLVENTIBUS ET ABSTERGENTIBUS.

I. Reſolventia interne adhibenda,

Ex quibus

a) *Sanguinem reſolvunt.*

In pulveribus, eſſentiis, electuariis, decoctis & infuſis.

Radices omnes priores in Cap. III. Sect. I. allegatæ, ſub prædicta doſi.

Herbæ harum radicum, nec non
abrotani
abſynthii vulgaris
Romani
betonicæ
calaminthæ
ceterach
hepaticæ nobilis
chelidonii majoris
bellidis hortenſis
ſucciſæ
marrubii albi
origani
pulegii
ſatureiæ
ſerpilli.
} in allegata doſi.

Flores prædicti in Cap. III. Sect. I. nec non
ſtœchados Arabicæ
chamomillæ
cheiri
Summitates origani
ſalviæ.
} in conſueta doſi.

Semina prædicta
fœniculi
dauci
ſileris montani
carvi.
} ʒj -- iß.

Cubebæ.
Cardamomum.
Caryophylli aromatici.
} ℈ß -- j.

In pulveribus compoſitis.

Omnia in Cap. III. Sect. I. ſub hoc titulo allegata, & porro
Mumia ℈ß -- j.

In Tincturis.

Cum ſuperius recenſitis etiam
Eſſentia Mumiæ, gtt. xxx -- xl.

In potionibus & emulſionibus.

Aquæ deſtillatæ prædictarum herbarum
diapnoicæ conſuetæ
Syrupi officinales harum herbarum
Semina citri
aurantiorum
Amygdalæ dulces
& reliqua.
} in conſueta doſi.

b) *Lympham reſolvunt.*

In pulveribus, electuariis, eſſentiis, decoctis & infuſis.

Radix ari
acori
ariſtolochiæ utriuſque
aſparagi
cichorei
coſti dulcis
cyperi
dictamni albi
valerianæ
taraxaci
rubiæ tinctorum
pimpinellæ albæ
ruſci
bardanæ
iridis Florentinæ
gentianæ albæ
raphani
petroſelini
zingiberis.
} in pulvere & electuario ℈j -- ʒß. eſſentia gtt. xxx-xl. decocto & infuſo ℥ij -- iij.

Herbæ omnes antiſcorbuticæ, item
abrotani
capillorum veneris
chelidonii majoris
cochleariæ
cuſcutæ
marrubii albi
mari veri
matricariæ
menthæ
meliſſæ
roriſmarini
pulegii
rutæ
ſalviæ
ſcolopendrii
tanaceti
thymi.
Folia lauri, ℥ß -- j.
} in eſſentia gtt. xl-l. decocto & infuſo mß -- j.

Flores matricariæ
anthos
tanaceti
lavendulæ
centaurii minoris
thymi.
} in decocto & infuſo p. ij -- iij.

Semina aniſi
apii
petroſelini
ſileris montani
nigellæ
cumini.
} in decocto & ʒj -- iß.

Coſtus verus
Cinnamomum
Piper
Galanga
Cortex Winteranus
Squilla.
} in decocto, infuſo & electuario, ʒj -- ij.

Lignum juniperi
ſaſſafras
guaiaci.
} ʒiij -- ℥ß.

In

In pilulis & electuariis.

Extracta officinalia prædictarum herbarum ℈ß -- gr. xv.

Gummi galbani
ſagapeni
bdellii
ammoniaci.
Opopanax
Maſtix
Olibanum
Succinum
Gummi Sandaracæ
guaiaci.
} gr. vj -- ℈ß.

Liquor Cornu Cervi ſuccinatus
Spiritus Cornu Cervi
fuliginis
Tinctura antimonii ſimplex
tartariſata.
} gtt. xv -- xxx.

c) *Materiam mucidam, viſcoſam & veneream reſolvunt.*

In decoctis.

Radices omnes, cum herbis & reliquis in Cap. IV. Sect. I. ſub No. I. allegatis ſpeciebus.

In pilulis & electuariis.

Extracta herbarum antiſcorbuticarum ℈ß -- gr. xv.
Conſervæ & ſyrupi harum herbarum ʒij -- ℥ß.

Gummi hederæ
myrrhæ
ſandaracæ
Mercurius dulcis.
} gr. viij -- ℈ß.

In pulveribus.

Sulphur in ſubſtantia ℈ß -- gr. xv.
Flores ſulphuris gr. iij -- vj.

II. Resolventia externe adhibenda.

In ſacculis, cataplaſmatibus, fomentis, epithematibus & ſuffimigiis.

Radix angelicæ
caryophyllatæ
vincetoxici
ireos Florentinæ
ſigilli Salomonis
carlinæ.
} ʒij -- ℥ß.

Herba anethi
betonicæ
calaminthæ
chærefolii
hyſſopi
lavendulæ
majoranæ
meliſſæ
roriſmarini
pulegii
ſalviæ
ſerpilli
menthæ.
} mß -- j.

Flores harum herbarum, nec non
chamomillæ
ſambuci
ſpicæ
ſchœnanthos
cheiri
cyani
calcatrippæ
aquilegiæ.
} mß -- p. iij.

Semina omnia hactenus recenſita ʒj -- ij.
Camphora, ʒj -- iij.

In emplaſtris & ceratis.

Gummi ammoniacum
bdellium
galbanum
tacamahaca
ſuccinum
maſtiches
myrrhæ
Olibani, ſive
thuris
anime
elemi
opopanax.
} ʒß -- ij.

Emplaſtrum diaphoreticum Mynſichti
diachylon cum gummatibus
de ſpermate ceti
galbano crocatum
betonica.
} q. p.

III. Abstergentia interna.

In pulveribus.

Salia digeſtiva, videlicet
Tartarus vitriolatus amarus
Arcanum duplicatum
Lapis prunellæ
Sal digeſtivum Glaſeri
Sylvii
mirabile Glauberi
Nitrum antimoniatum
depuratum.
} ℈j -- ʒß.

Omnia ex tartaro parata, Cap. II. Sect. I. allegata gr. xv -- ℈j.

Abſorbentia omnia, nempe
Mater perlarum
Oculi & chelæ cancrorum
Oſtracodermata reliqua
Cryſtallus montana ppt.
} ℈ß -- j.

In clyſteribus.

Sal commune ʒj -- ij.
ammoniacum
marinum.
} ʒj -- iß.

Mel anthoſatum
roſatum
mercuriale.
} ʒiij -- vj.

Terebinthina Veneta ʒj -- ij.
Vitelli ovorum No. j -- ij.

Urina pueri ſani
Serum lactis.
} q. p.

Species omnes prædictæ.

In decoctis.

Gummi Arabicum
tragacanthæ.
} ʒij -- iij.

De formulis Medicamentor.) q (Radix

Radix ari
 altheæ
 chinæ
 ſcorzoneræ
 ſarſaparillæ. } ʒij -- iij.

Herba fumariæ
 cardui benedicti
 ſaponariæ
 abſynthii
 hyſſopi
 mercurialis
 centaurii minoris. } mß -- j.

Decoctum caulium
 raparum
 hordei
 Cornu Cervi. } ℥j. -- ℥iij. vel iv.

Mel
Caſſia extracta
Manna. } ʒj -- ij.

Pruna Damaſcena No. vj -- xij.

Tamarindi
Jujubæ. } ℥ß -- j.

IV. Abstergentia externa.

In vulneribus & ulceribus.

In decoctis & injectionibus.

Radix ari
 ariſtolochiæ rotundæ
 chinæ
 dictamni albi
 gentianæ rubræ
 rubiæ tinctorum. } ʒij -- ℥ß.

Herba agrimoniæ
 alchimillæ
 hyperici
 hyſſopi
 millefolii
 ſcordii
 ſaniculæ
 prunellæ
 hederæ terreſtris
 pyrolæ
 veronicæ
 nicotianæ. } mß -- j.

Aloë
Thus
Succinum
Myrrha
Gummi elemi
Sarcocolla
Opopanax. } ʒj -- ij.

Oleum ovorum
 hyperici. } ℥ß.

Balſamus de Peru
 Tolutanus } gtt. vj -- x.
 de Copaiva. ℈ß -- gtt. xv.

Vitelli ovorum q. ſ.

Liquamen myrrhæ
Terebinthina communis
 Veneta. } ʒj -- ij.

Eſſentia vulneraria Stahlii q. ſ.

CAPUT II.

DE

INCRASSANTIBUS.

In pulveribus, eſſentiis, decoctis & infuſis.

Species omnes vegetabiles emollientes, in Cap. V. hujus Sectionis recenſitæ.

Caricæ pingues, No. iv -- vj.

Dactyli, No. iv -- x.

Hordeum &
Avena excorticata. } mß -- j.

Oryza ℥j -- ij.

Fructus & Syrupi Cap. VI. hujus Sect. de adſtringentibus recenſiti, in conſueta doſi.

Gummi tragacanthum
 Arabicum
 ceraſorum
Ichtyocolla. } ʒj -- iij.

In pilulis & electuariis.

Gummi ammoniacum
 juniperinum
 colophoniæ
 maſtichis
 laccæ
 tacamahacæ
 thuris
Terebinthina cocta. } in pilulis ʒß. electuariis ʒj -- ij.

Rob diamorum
 dianucum. } ʒiij -- ℥ß.

Prædicti ſyrupi adſtringentes, ʒij -- iij.

In emulſionibus.

Omnia ea, quæ Cap. VIII. Sect. I. No. I. ſunt allegata.

In pulveribus.

Abſorbentia omnia, nec non
Cornu Cervi philoſophice ppt.
Ebur raſum
Unicorum verum
 foſſile. } ℈j -- ʒß.

In potionibus & Tincturis.

Omnia, quæ in allegato Cap. VIII. No. III. ſub hoc titulo continentur, nec non

Mixtura ſimplex paullo largius acidulata, in ſimili doſi.

In pulveribus.

Cryſtallus montana
Abſorbentia omnia } ℈j.

Nitrum &
Salia omnia, in præcedenti Capite allegata, ſub titulo abſtergentium.

CAPUT

CAPUT III.

DE EDULCORANTIBUS.

Huc referenda ſunt in genere mitiora diaphoretica, laxantia, & diureſin per reſolutionem promoventia.

In decoctis, infuſis & electuariis.

Omnia in proxime præcedenti capite allegata, nec non

Succus liquiritiæ
jujubarum. } ʒij -- iij.

In pulveribus.

Præter abſorbentia illa in Cap. I. ſub abſtergentibus allegata, porro

Creta ppt.
Teſtæ ovorum
Medulla ſaxorum, vel marga
Cornu alcis
Cornu Cervi philoſophice ppt.
Bolus alba
Ebur raſum
Unicornu foſſile
Cochleæ ppt.
Corallia rubra & alba ppt.
Mandibula lucii piſcis
Raſura dentis apri
Cryſtallus montana ppt.
Salia digeſtiva conſueta tartariſata } ℈ß -- ʒß.

CAPUT IV.

DE TEMPERANTIBUS.

In pulveribus, potionibus & emulſionibus.

Nitrum depuratum & tabulatum gr. viij -- ℈ß.
Lumbrici terreſtres pulveriſati gr. viij -- xij.

Cinnabaris nativa
antimonii. } gr. ij -- iij.

Aquæ diapnoicæ & analepticæ, in conſueta doſi.
Semina pinguia in Cap. VIII. Sect. I. No. I. ſub emulſionibus allegata.
Spiritus Nitri dulcis
Salis dulcis
minerales acidi reliqui, ad grat. acidit.

In eſſentiis.

Mixtura ſimplex ſine camphora.
Reliqua, quæ in Cap. II. hujus Sect. ſunt allegata.

CAPUT V.

DE EMOLLIENTIBUS.

In decoctis, ſacculis, fomentis, clyſteribus, balneis & cataplaſmatibus.

Radix altheæ
liliorum alborum
malvæ
liquiritiæ. } ℥ß -- j.
Cepæ aſſatæ q. p.
Herba altheæ
malvæ
mercurialis
parietariæ
violariæ
atriplicis
brancæ urſinæ
chamomillæ
meliloti
verbaſci
betæ. } mj -- ij.
Flores chamomillæ vulgaris
Romanæ
liliorum alborum
meliloti
malvæ
verbaſci
violarum. } mß -- j.

Semen lini
pſyllii
ſeſami
fœnugræci.
Farina fabarum. } ℥ß -- j.

Mucilagines horum ſeminum, ʒij -- iij.
Caricæ pingues, No. iv -- vj.
Pruna damaſcena, No. x -- xv.
Mica panis triticei, q. p.
Album græcum, ʒij -- ℥ß.
Sapo Venetus, ʒj -- ℥ß.
Lac q. p.

Olea expreſſa amygdalarum dulcium
chamomillæ
liliorum alborum
olivarum
lini
ſeſami
raparum
irinum
ovorum. } ʒij -- ℥ß.

Pinguedines, axungiæ & medullæ animalium, quæ Cap. VIII. Sect. I. No. I. allegatæ ſunt.

In linimentis, unguentis & emplaſtris.

Unguentum dialtheæ
Butyrum non ſalitum
Cera,
Mel,
Pinguedines jam allegatæ. } ʒiij -- ℥ß.
Olea ante recenſita ʒj -- iij.
Gummi ammoniacum
galbanum
Terebinthina
Thus. } ʒj -- ij.

Emplaſtrum de cicuta
diachylon ſimplex
de ammoniaco Foreſti
meliloto
galbano crocatum
ſpermate ceti
triapharmacum
filii Zachariæ.

CAPUT VI.
DE
ANODYNIS ET NARCOTICIS.

I. Anodyna externa.

In ſacculis, cataplaſmatibus, balneis & clyſteribus.

Herba	linaria, hyoſcyami, chamomillæ, nicotianæ.	mj -- ij.
Flores	chamomillæ, papaveris rhœados, meliloti, verbaſci.	mß -- j.

Furfures tritici, q. p.

Semen	lini, hyoſcyami, aniſi, carvi, fœniculi, cumini.	℥ij -- ℥ß.

Vitelli ovorum No. j -- ij.
Lac & panis ſimilagineus, q. p.

Oleum expreſſum	hyoſcyami, nuciſtæ, ovorum	ʒij -- ℥ß.
coctum	anethi, chamomillæ, verbaſci, lumbricorum terreſtrium.	

In epithematibus.

Aqua hypnotica Dorncreilii, ſolani, roſarum; Spiritus vini camphoratus.	q. f.

In linimentis, unguentis & emplaſtris.

Unguentum dialtheæ, anodynum, alabaſtrinum, populnem.	ʒij -- ℥ß.
Requies Nicolai, Theriaca, Mithridatium, Philonium Romanum.	ʒj -- ij.

Olea ante recenſita eadem doſi.

Emplaſtrum de baccis lauri, hyoſcyamo, meliloto, cicuta, diapalmæ.	q. p.

II. Anodyna et narcotica interna.

In emulſionibus.

Aqua hypnotica Dorncreilii ℥ij -- ℥ß.

florum ſambuci, papaveris rhœados.	℥j -- ij.
Semen papaveris rhœados, ſimplicis.	ʒij -- ℥ß.

In pulveribus & pilulis.

Cinnabaris nativa, antimonii.	gr. ij -- vj.

Maſſa Pilularum de cynogloſſa, gr. j -- ij.

Pilulæ Wildeganſianæ, Starckeyanæ, Matthei.	gr. j -- ij.

Laudanum opiatum, grani pars quarta -- j.
Theriaca cœleſtis gr. j -- ij.
ſimplex ℈ß -- ʒß.
Pilulæ de ſtyrace, gr. iv -- vj.

In eſſentiis.

Tincturæ & eſſentiæ anodynæ.
Liquor mineralis anodynus Hoffmanni, gtt. xx -- xxx.

CAPUT VII.
DE
ADSTRINGENTIBUS ET TONICIS.

I. Adstringentia.

In pulveribus ſtypticis, decoctis, gargariſmatibus & cataplaſmatibus.

Radix	biſtortæ, tormentillæ, pſeudo-acori, filipendulæ, pentaphylli, plantaginis, ſymphyti.	in pulveribus ℈ß--j. in reliquis formulis ʒij -- ℥ß.
Herba	conſolidæ Saracenicæ, herniariæ, auriculæ muris, uvulariæ, cervicariæ, nummulariæ, lunariæ.	mß -- j.
Flores	balauſtiorum, roſarum rubrarum, hyperici.	mß.
Semen	acetoſæ, lapathi acuti, hyperici, ſophiæ chirurgorum.	ʒj -- ij.

Oryza toſta, ʒiij -- ℥ß.

Cortex granatorum, tamariſci, fraxini, quercus, caſtanearum.	ʒiij -- ℥ß.

chinæ chinæ, in pulveribus interne ℈j -- ʒß.

Glandes

Glandes
Gallæ
Cupulæ glandium
Fructus myrtillorum
Mala granata
Meſpila
Sorba
Ribeſia
Acaciæ
Pruna ſylveſtria. } ℥ß -- ʒvj.

Uſnea cranii humani
Muſci oſſibus ac craniis animalium accreſcentes. } in pulveribus ſtypticis ʒß--j.

Sanguis draconis, ℈j--ij.

Lapis hæmatites
Terra catechu. } ʒß -- ℈ij.

Caput mortuum florum Martis & lapidis hæmatitis cum ſale ammoniaco parat.
Terra vitrioli dulcis. } ℈ß- gr.xv.

Pulveris ſtypticus Crollii,
Heurnii
Wedelii albus
ruber. } q. p.

Maſtix
Ichtyocolla
Alumen crudum } ʒß -- j.

In pulveribus compoſitis.

Crocus Martis adſtringens Zwelfferi, gr. vj--℈ß.
cum alcali paratus, gr. ij--iv.
ex minera Haſſiaca, gr. j--ij.
Trochiſci de carabe, ℈ß--gr. xv.
terra ſigillata, ℈ß--j.
Terra catechu gr. iij -- vj.
ſigillata
Lemnia
Bolus Armena. } ℈ß -- j.
Terra vitrioli dulcis, gr. iij--vj.
Unicornu foſſile
Cornu Cervi } uſtum
Ebur } ℈ß -- j.
Dens hippopotami
Lapis manati } gr. vj--℈ß.

In Tincturis.

Tinctura ex floribus ſalis ammoniaci & vitriolo Martis parata cum ſpiritu vini
terræ catechu
lapidis hæmatitis. } gtt. xv -- xx.

In potionibus & julapiis.

Aqua deſtillata plantaginis
polygoni
foliorum quercus
burſæ paſtoris
tormentillæ
cinnamomi cydoniata
veronicæ vinoſa. } ℥j--ij.

Syrupus de roſis ſiccis
granatorum
cydoniorum
berberum
myrtillorum
ribium
de ſymphyto Fernelii
coralliorum
tormentillæ. } ʒij -- ℥ß.

Theriaca ſimplex, ʒß -- j.

Spiritus minerales acidi & Tincturæ acidulatæ, Cap. VIII. No. III. Sect. I. recenſitæ. } ad gratam aciditatem.

In bolis, electuariis & pilulis.

Conſerva roſarum antiqua
ſymphyti. } ʒj -- ij.
Succus urticæ minoris, ʒiij -- ℥ß.
acaciæ
hypociſtidis. } ℈j -- ʒß.
Extractum tormentillæ
biſtortæ. } gr. vj -- ℈ß.

In emplaſtris.

Emplaſtrum contra rupturas
ſticticum Crollii. } q. p.

II. Tonica.

In decoctis, ſacculis, cataplaſmatibus.

Radix bryoniæ
ſigilli Salomonis. } ʒiij -- vj.
Herba alchimillæ
bellidis minoris
burſæ paſtoris
equiſeti
bugulæ
millefolii
polygoni
pyrolæ
urticæ minoris
pentaphylli
ſaniculæ
virgæ aureæ Geſneri
vincæ pervincæ
hederæ terreſtris. } mß -- j.
Aquæ deſtillatæ prædictæ in conſueta doſi.
Corallia rubra ℈j -- ʒß.
Lapides V. pretioſi, videlicet
Jaſpis
Saphirus
Smaragdus
Hyacinthus
Rubinus. } gr. viij -- ℈ß.
Species de hyacintho
gemmis. } ℈j -- ij.

In Tincturis.

Liquor mineræ martis Haſſiacæ, gtt. xx -- xxx.
Tinctura vitrioli martis tartariſata Ludovici
martis tartariſata
coralliorum
antimonii acris
tartari
Eſſentia millefolii. } gt. xxx-xL.

In emplaſtris.

Emplaſtrum de cruſta panis
Ceratum Santalinum. } q. p.

CAPUT VIII.
DE APERIENTIBUS.

Talia ſunt omnia remedia reſolventia interna, & abſtergentia in Cap. I. hujus Sect. jam recenſita.

CAPUT IX.

DE ANALEPTICIS ET NERVINIS.

I. Analeptica.

In pulveribus, eſſentiis, decoctis & electuariis.

Radices omnes in Cap. III. Sect. I. allegatæ, in dicta doſi, nec non radices alexipharmacæ, videlicet

Radix angelicæ
imperatoriæ } ℥ß -- ʒvj. in decoctis & infuſis.
pimpinellæ albæ
valerianæ
caryophyllatæ. } ℥ß -- j.

Herba meliſſæ
majoranæ
menthæ
roriſmarini
calaminthæ
rorellæ
ocymi
rutæ
ſpicæ
ſcordii
ſerpilli
thymi. } mß -- j.

Semen aniſi
fœniculi } ʒß -- j.

Coſtus Arabicus
Cinnamomum. } ʒj -- iij.

Conſerva florum acaciæ
lavendulæ
roſarum
tiliæ
tunicæ
betonicæ
anthos.
Herbæ chamedryos
meliſſæ
menthæ
majoranæ
primulæ veris
rutæ
ſalviæ. } ʒij -- iij.

Pulpa citri
cydoniorum } ʒij -- iij.

Confectio Alkermes cum cinnamomo.

In potionibus, emulſionibus & julapiis.

Aqua deſtillata cinnamomi
borraginata &
cydoniata } ſimplex & vinoſa.
roſarum
ceraſorum nigrorum
florum acaciæ
tiliæ
liliorum convallium. } ℥j -- ij.

Aqua deſtillata Corticum aurantiorum
naphæ
ſcabioſæ
meliſſæ
pulegii
verbenæ
anthos. } ℥j -- ij.

Aqua ſpirituoſæ, uti ſunt
Anhaltina
epileptica Langii
carbunculi
cordialis
apoplectica. } cochlear ß -- j.

Spiritus roſarum
liliorum convallium
ceraſorum nigrorum
meliſſæ
menthæ. } gtt. XL -- L.

Spiritus minerales acidi, Cap. VIII. Sect. I. allegati, ad gratam aciditatem.

Syrupus de canella
corticum aurantiorum
citri
acetoſitatis citri
rubi idæi
gemmarum Volckameri
coralliorum Quercetani. } ʒij -- ℥ß.

Amygdalæ dulces
Pineæ
Piſtaciæ. } ʒij -- vj. vel ℥j.

Confectio alkermes completa
incompleta } ʒj -- iß.

Corallia rubra ppt.
Mater perlarum ppt. itemque
Abſorbentia reliqua cum acidis ſaturata, & Cap. I. hujus Sect. ſub abſtergentibus allegata.

Cinnabaris nativa
antimonii. } ℈ß -- gr. xv.

Margaritæ Orientales, gr. vj -- xij.
Lapis bezoar Orientalis, gr. ij -- iij.
Occidentalis
de Goa. } gr. iij -- vj.

Saccharum perlatum.
Manus Chriſti perlatæ. } q. p. ad gratam dulcedinem.

In pulvere.

Omnia illa ſub priori titulo, a coralliis uſque ad lapidem de Goa, enumerata.

In Tincturis.

Eſſentia ligni aloës
ambræ
cinnamomi cum croco. } gtt. xxx -- xl.

In ſubſtantia.

Condita omnia, inprimis
Cortex aurantiorum
citri
Ceraſa acida
Ribeſia
Nuces moſchatæ in India
conditæ
juglandes. } q. p.

Confectio alkermes completa
incompleta
cinnamomi. } ℈j -- ij.

In

In elæoſaccharo.

Olea deſtillata aromatum, inprimis cinnamomi
Balſamus vitæ Hoffmanni.
(gtt. iij -- vj.)

II. Nervina.

In ſacculis, cucuphis, cataplaſmatibus, balneis, inſeſſibus & fomentis.

Præter radices No. I. hujus Sect. allegatas, porro
Radix iridis Florentinæ ʒiij -- ℥j.

Herbæ prædictæ, & cum his
- lavendulæ
- mari veri
- pulegii
- origani
- polii montani
- teucrii
- baſilici
- chamædryos
- betonicæ
- chæmæpytidis.

(mj -- ij.)

Flores roſarum
- liliorum convallium
- cheiri
- calendulæ
- lavendulæ
- anthos
- ſalviæ
- tunicæ
- violarum
- tiliæ.

(mß -- j.)

Crocus Orientalis, ʒß -- j.

Lignum aloës
- ſantalinum citrinum
- ſaſſafras
- Rhodium.

(℥ß -- j.)

Camphora ʒj -- iij.
Vinum q. ſ.

In linimentis & balſamis.

Balſamum apoplecticum
Balſama reliqua aromatum
Opobalſamum.
(℈j -- ij.)

Linimentum cordiale
Unguentum nervinum.
(ʒß -- j.)

Olea deſtillata prædictarum herbarum, gtt. iv -- vj.

- ligni Rhodii
- de cedro
- jaſmini
- reliqua ſuaveolentia

Balſamus vitæ Hoffmanni.
(gtt. vj -- x.)

Ambra
Moſchus
Zibethum.
(gr. iij -- vj.)

Caſtoreum, ℈j -- ʒß.

In ſuffimigiis & emplaſtris.

Olibanum
Styrax
Succinum
Maſtix
Gummi elemi
- benzoës
- animæ.

(ʒj -- ij.)

In epithematibus.

Spiritus omnes ſub potionibus recenſiti, q. ſ.

CAPUT X.

DE REMEDIIS LAC AUGENTIBUS ET MINUENTIBUS.

I. Lac augentia.

In decoctis cum lacte.

Flores ſambuci, mß -- j.

In pulveribus & potionibus.

Aquæ & ſemina carminativa in conſueta doſi.

Cryſtallus montana ppt.
Lumbrici terreſtres ppt.
Species Cryſtallorum
Lac lunæ.
(℈j -- ij.)

Olea deſtillata carminativa, gtt. j -- ij.
Rotulæ lac provocantes Mynſichti, ʒß -- j.
Emulſiones largius amygdalatæ, in conſueta doſi.

II. Lac minuentia.

In emplaſtris.

Emplaſtrum diachylon ſimplex
- cum gummatibus
- diaphoreticum Mynſichti
- de ſpermate ceti
- ranarum
- oxycroceum
- album coctum.

(q. ſ.)

In ſacculis, cataplaſmatibus & epithematibus.

Species omnes reſolventes vegetabiles, circa finem Cap. I. hujus Sect. allegatæ.

Crocus Orientalis, ʒß -- ʒj.

Sal commune toſtum
Herba chærefolii
- petroſelini

Decoctum carvi cum aceto
Spiritus vini camphoratus crocatus.
(q. p.)

CAPUT XI.

DE

APHRODISIACIS ET ANTAPHRODISIACIS.

I. Aphrodisiaca.

In electuariis, pulveribus, morſulis & per ſe.

Boletus cervinus
tauri
Scincus marinus
Borrax Veneta
Aromata omnia.
} ℈j -- ʒß.

Radix eryngii condita
Zingiber in India & Europa conditum
Succolata Indica
Electuarium diaſatyrionis.
} ʒij -- ℥ß.

Rotulæ ſtimulantes Mynſichti
Confectio alkermes completa.
} ʒj -- ij.

Ambra, gr. vj -- ℈ß.

In eſſentiis.

Eſſentia radicis ſatyrionis ſimplex
compoſita.
} gtt. xL -- L.

aphrodiſiaca Wedelii, gtt. xxx -- xL.
ambræ, gtt. xx -- xxx.

II. Antaphrodisiaca.

In Emulſionibus.

Semina & Aquæ refrigerantes ac temperantes in conſueta doſi.

Nitrum depuratum
cryſtalliſatum.
} ℈j -- ij.

Saccharum Saturni, gr. iv -- vj.
Nitrum Saturninum, ℈ß -- gr. xv.

In Eſſentiis.

Eſſentia caſtitatis, gtt. xxx -- xL.

CAPUT XII.

DE CARMINATIVIS.

In pulveribus, electuariis, eſſentiis, infuſis & decoctis.

Præter radices in Cap. III. Sect. I. allegatas, porro

Radix acori
helenii
coſti dulcis
cyperi rotundi
gentianæ rubræ
galangæ
mei
zedoariæ
zingiberis.
} eadem doſi cum præcedentibus.

Herba abſynthii
abrotani
cardui benedicti
majoranæ
menthæ
meliſſæ
roriſmarini
origani
tanaceti
thymi
ſerpilli
calaminthæ.
} in eſſentiis gtt. xL -- L.
infuſis & decoctis, mß -- j.

Flores lavendulæ
anthos
ſchœnanthos
ſpicæ
liliorum convallium
anethi
Comæ abſynthii
Summitates origani
centaurii minoris.
} in infuſis & decoctis, p. ij -- iij.

Semen aniſi
fœniculi
carvi
cumini
dauci
apii
petroſelini
ſileris montani
anethi
nigellæ
ſinapios.
Baccæ lauri
juniperi.
Caryophylli aromatici
Nuces moſchatæ
Macis.
} in pulvere ℈ß -- j.
reliquis formulis, ʒß -- j.

Cortex citri
aurantiorum
cinnamomi
Winteranus.
} in eſſentiis gtt. xxx - xL,
pulveribus, ℈j -- ʒß.
infuſis, ʒiij -- ℥ß.

Flavedo corticis citri
aurantiorum.
} ʒß -- j.

In electuariis.

Rob juniperi ℥ß.
Electuarium de baccis lauri
diacori.
} ʒij -- iij.

Conſerva roſarum vitriolata
menthæ
acetoſæ.
} ʒj -- ij.

Extractum zedoariæ, gr. v -- ℈ß.

Per ſe & in trageis.

Pulvis ſtomachicus Birckmanni
Quercetani.
} ʒß -- ʒj.

Spiritus vitrioli coagulatus, gr. iij -- vj.

Sal abſynthii
centaurii minoris.
} gr. v -- ℈ß.

Abſorbentia omnia in conſueta doſi.
Olea deſtillata inferius ſub linimentis allegata, gtt. aliquot.

Per

Per ſe & in morſulis.

Species aromaticæ roſatæ
caryophyllatæ
ſtomachicæ Mynſichti
pro morſulis Imperatoris
diagalangæ
diacymini.
} ℈j -- ʒj.

Cortex aurantiorum
citri
Acorus
Zingiber
Radix cichorei
pimpinellæ
Caryophylli aromatici
Nuces juglandes conditæ
moſchatæ
Indicæ
Zingiber in India conditum.
} ʒß -- j.

In potionibus & mixturis.

Aqua deſtillata menthæ
meliſſæ
abſynthii
calaminthæ
ſalviæ
majoranæ
roriſmarini
zedoariæ
corticum citri
aurantiorum
aniſi
fœniculi
carvi.
} ℥j -- ij.

cinnamomi cydoniata
borraginata.
} ℥ß -- j.

Spirituoſæ carminativæ
carminativa Dorncreilii.
} ʒj -- ij.

Mixtura carminativa Sylvii
Eſſentia carminativa Wedelii
Spiritus aurantiorum
citri
abſynthii
aniſi
cochleariæ
juniperi
menthæ
roriſmarini
zedoariæ.
} ʒß -- j.
nitri
ſalis
} dulcis, gtt. xv -- xx.

Syrupi prædictarum herbarum
de canella
acetoſitatis citri
coralliorum Quercetani.
} ʒij -- ℥ß.

In eſſentiis & tincturis.

Tinctura proprietatis Mynſichti.
roſarum
violarum
} vitriolata.
florum
corticum
} aurantiorum.
} gtt. xxx - LX.

Elixirium proprietatis ſine acido
cum acido
vitrioli Mynſichti
vitæ Matthioli
ſtomachicum Michaelis
Eſſentiæ & mixturæ carminativæ
Sylvii
Wedelii
Spiritus maſtiches
menthæ
} eſſentificatus.
Eſſentia cinnamomi cum croco.
} gtt. xxx - LX.

In cataplaſmatibus, ſacculis & clyſteribus.

Species omnes prædictæ vegetabiles, in ea doſi, uti allegatæ ſunt in infuſis.

Flores chamomillæ Romanæ
vulgaris.
} mß.

Panis biſcoctus, in cataplaſm. q. p.

Oleum coctum abſynthii
menthæ
meliſſæ
majoranæ
rutæ
chamomillæ
lauri
anethi.
} ʒij -- ℥ß.

In unguentis, linimentis & emplaſtris.

Unguentum nervinum, ʒj -- ij.

Olibanum
Styrax calamita
Maſtix.
} ʒß -- j.

Olea antecitatarum herbarum cocta, ʒß.
deſtillata, nec non
deſtillata caryophyllorum
cinnamomi
aniſi
carvi
corticum citri
aurantiorum
nucis moſchatæ.
} gtt. iij -- x.
expreſſum nucis moſchatæ, ʒj -- ʒiij.

Caſtoreum, ℈ß -- j.

Emplaſtrum de baccis lauri
cruſta panis
tacamahaca
diaphœnicon
Ceratum ſantalinum.
} q. p.

CAPUT

CAPUT XIII.
DE
ANTHELMINTICIS.

In pulveribus, eſſentiis, infuſis & decoctis.

Radices acres & amaræ, videlicet
angelicæ
ari
ariſtolochiæ rotundæ
carlinæ
caryophyllatæ
galangæ
gentianæ rubræ
helenii
imperatoriæ
pimpinellæ albæ
zedoariæ
zingiberis. — in pulveribus gr. xij-℈j. eſſentiis gtt. xx--xxx. infuſis ʒj -- ij.
ſquillæ, adultis *in ſubſtantia*, ℈j. *infuſis*, ʒij.
rhabarbari Orientalis, eadem doſi.

Herba abſynthii
abrotani
cochleariæ
cardui benedicti
centaurii minoris
fumariæ
rutæ
tanaceti. — in infuſis mß -- j. electuariis & bolis, extracta ℈ß -- gr. xv.

Semen citri,
aurantiorum
erucæ
naſturtii
hyperici
ſinapios. — in pulveribus & bolo ℈ß -- j. in electuariis ʒß.
cynæ, ʒß -- j.

Myrrha
Aloë. — in eſſentiis gtt. xv -- xxx. in pulveribus bolo & electuario ℈ß -- j.

Salia digeſtiva, gr. vj -- ℈ß.
Corallina, ℈ß -- gr. xv.
Piper, gr. ij -- vj.

Jalappa — in pulveribus gr. iv -- ℈ß. electuario ℈j -- ʒß.

Pulvis contra vermes Auguſtanorum ℈ß -- ʒß.
Syrupi ſub potionibus nominati, in eadem doſi.

In potionibus.

Aqua deſtillata tanaceti
graminis
hyperici
ſcordii. — ℥ß -- j.

Syrupus de cichoreo cum rhabarbaro, ℥ß -- ʒvj.
abſynthio
fumaria
carduo benedicto
florum perſicorum. — ʒiij -- ℥ß.

Oxymel ſquilliticum, ʒij -- iij.
Species diaturbith cum rhabarbaro, ℈j -- ij.
Decoctum Mercurii currentis cum aqua ſimplici vel deſtillata quadam paratum, ℥j -- iv.

In pilulis.

Extracta prædictarum herbarum, ℈ß.
Aloë
Myrrha. — gr. vj -- ℈ß.
Extractum hellebori nigri
panchymagogum Crollii. — gr. iij -- vj.
Mercurius dulcis.
Trochiſci alhandal, gr. j -- iij.

In morſulis.

Species diaturbith cum rhabarbaro, ʒß -- j.
Amygdalæ amaræ, No. vj -- x.
Omnia, quæ in pilulis præſcribuntur, eadem doſi.

In clyſteribus.

Præter radices & herbas ſuperius allegatas,
Herba nicotianæ
ſcabinæ. — mß.

In unguentis & emplaſtris.

Fel tauri
Unguentum populeum
de arthanita
contra vermes Auguſtanorum. — ʒj -- ij.
Oleum deſtillatum abſynthii
tanaceti
colocynthidis
zedoariæ
heraclinum
laurinum. — gtt. vj -- x.
Aloë
Myrrha
Pulpa colocynthidis
ſemen ſtaphidisagriæ. — ℈ß -- j.

In eſſentiis & Tincturis.

Eſſentiæ prædictarum herbarum in allegata doſi.
Elixirium proprietatis cum acido
ſine acido. — gtt. xx -- xxx.
Spiritus Cornu Cervi eſſentificatus, gtt. xx.
vitrioli philoſophicus, gtt. vj -- x.
minerales acidi, gtt. iij -- vj.

CAPUT XIV.
DE
ANTISCORBUTICIS.

In eſſentiis, electuariis, decoctis & infuſis.

Radix ari
cichorei
lapathi acuti
pimpinellæ albæ
trifolii fibrini. — in eſſentiis gtt. xxx -- xL. electuariis ʒß -- j. decoctis & infuſis ℥ß -- j.

Herba

Herba abſynthii
abrotani
cochleariæ
beccabungæ
chelidonii minoris
cardui benedicti
centaurii minoris
fumariæ
naſturtii utriuſque
piperitidis
ſedi minoris
ſcolopendrii
thlaſpi.
} in eſſentiis gtt. xL -- L.
decoctis & infuſis mß - j.

Flores harum herbarum, eadem quantitate.
Summitates pini, in decoctis & infuſis, ℥ß -- ʒvj.
Conſerva cochleariæ
fumariæ. } in electuario, ʒij -- iij.

In pilulis.

Extracta omnia prædictarum herbarum, gr. viij -- xij.
Gummi ammoniacum in aceto ſquillitico ſolutum
Succinum album ppt. } ℈ß.
Maſſa Pilularum tartarearum, ℈j -- ʒß.

In Tincturis.

Spiritus cochleariæ ſimplex
vinoſus } gtt. xx -- xxx.
Elixirium antiſcorbuticum Wedelii, gtt. xxx -- xL.

In potionibus.

Aqua deſtillata chelidonii minoris
naſturtii aquatici
cochleariæ
raphani ruſticani. } ℥ß -- iß.
Syrupus ſcelotyrbicus Foreſti
Syrupi reliquarum herbarum officinales. } ℥ß -- j.
Succi prædictarum herbarum ʒß -- ʒvj.

F I N I S.

INDEX

INDEX SECTIONUM ET CAPITUM.

PARS I.

De Formulis in genere.

SECT. I. *De Eſſentia formulæ.* pag. 7
II. *De Formula ſimplici & compoſita.* 10
III. *De Subſcriptione & ſignatura formulæ.* 19
IV. *De Quantitate medicamentorum generali & ſpeciali.* 22
V. *De Ponderibus medicis.* 30
VI. *De Signis formulæ.* 32
VII. *De Qualitatibus formulæ accidentalibus.* 34
VIII. *De Regulis in formularum præſcriptione obſervandis.* 35

PARS II.

De Formulis in ſpecie.

SECT. I. *De Speciebus medicamentorum internorum.* 37
II. *De Formula pulveris interni.* 38
III. *De Formula boli.* 45
IV. *De Formula electuarii.* 49
SECT. V. *De Formula eclegmatis.* pag. 50
VI. *De Formula pilularum.* 54
VII. *De Formula trochiſcorum.* 60
VIII. *De Formula morſulorum.* 62
IX. *De Formula rotularum.* 64
X. *De Formula infuſi interni.* 65
XI. *De Formula decocti interni.* 74
XII. *De Formula emulſionis.* 81
XIII. *De Formula julepi.* 87
XIV. *De Formula mixturæ mediæ.* 89
XV. *De Formula mixturæ concentratæ.* 92
XVI. *De Speciebus medicamentorum externorum.* 94
XVII. *De Formula emplaſtri* 95
XVIII. *De Formula cerati.* 99
XIX. *De Formula unguenti.* ibid.
XX. *De Formula linimenti.* 100
XXI. *De Formula balſami odorati externi.* 101
XXII. *De Formula epithematis ſicci.* 103
XXIII. *De Formula epithematis liquidi.* ibid.
XXIV. *De Formula cataplaſmatis cocti.* 104
XXV. *De Formula clyſteris.* 105
XXVI. *De Formula ſuppoſitorii.* 108
XXVII. *De Quibuſdam formulis uſitatioribus.* 109

ILLUSTRIS DOMINI BUCHNERI

Syllabus Materiæ Medicæ ſelectioris, cum deſignatione ponderis, quo ſimplicia & compoſita in omnis generis formulis præſcribuntur, itemque doſeos, in qua ſolitarie interdum exhibentur.

SECTIO I.

CAPUT I. *De Emeticis & Antemeticis.* pag. 111
II. *De Evacuantibus per alvum.* 112
III. *De Diaphoreticis.* 113
IV. *De Diureticis.* 114
V. *De Remediis hæmorrhagias naturales promoventibus.* 115
VI. *De Salivantibus.* 116
VII. *De Apophlegmatizantibus.* ibid.
VIII. *De Expectorantibus.* 117
IX. *De Rubefacientibus, Veſicatoriis, Cauſticis & Cathæreticis.* 118

SECTIO II.

De Alterantibus.

CAPUT I. *De Reſolventibus & abſtergentibus.* 120
II. *De Incraſſantibus.* 122
III. *De Edulcorantibus.* 123
CAPUT IV. *De Temperantibus.* pag. 123
V. *De Emollientibus.* ibid.
VI. *De Anodynis & Narcoticis.* 124
VII. *De Adſtringentibus & Tonicis.* ibid.
VIII. *De Aperientibus.* 125
IX. *De Analepticis & Nervinis.* 126
X. *De Remediis lac augentibus & minuentibus.* 127
XI. *De Aphrodiſiacis & Antaphrodiſiacis.* 128
XII. *De Carminativis.* ibid.
XIII. *De Anthelminticis.* 130
XIV. *De Antiſcorbuticis.* ibid.

FINIS.